Bibliotheca Palatina

<36612285020012

<36612285020012

Bayer. Staatsbibliothek

10059180

4° Med. gen. 218.

Helmont

Medicina. Scripta varia ad methodolog. & propaedeuticam artis med. pertinent.
55.

10059180

ORTVS MEDICINÆ.

ID EST,

INITIA PHYSICÆ INAVDITA.

Progreſſus medicinæ novus,

IN

MORBORVM VLTIONEM,

AD

VITAM LONGAM.

AVTHORE

IOANNE BAPTISTA VAN HELMONT,

Toparchâ in Merode, Royenborch, Oorſchot, Pellines, &c.

Edente AVTHORIS *Filio*,

FRANCISCO MERCVRIO VAN HELMONT,

Cum ejus PRÆFATIONE ex Belgico tranſlatâ.

Editio nova, cumque locupletiori Rerum & Verborum Indice, pro illa Venetiis nuper excuſa, multam partem adauctior reddita & exornatior.

AMSTERODAMI,

Apud Ludovicum Elzevirium,

CIↃ IↃC LII.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.


Helmont
Ranst
Bauw
Vilain
Joannes Baptista Van Helmont
Franciscus Mercurius Van Helmont
Staßart
Halmale
Renialme
Merode

יהוה

VERBO INEFFABILI,

Holocauſtum vernaculum litat Author.

OMnipotens, Æternum & Incomprehenſibile Ens! Omnis Boni Origo. Concredidiſti mihi Talentum, quod fœnori in forum profero: Verùm agnoſco & confiteor impotentiam meam nauci, vilem & abutentem inutilitatem. Sic demerſus in abyſſum Nihili mei. Te precor, Omne providens Bonum, clementer ſuſcipias librum hunc, Æternum Initium ac Finis omnis Sapientiæ. Fiat Domine, ſalvifica Tua Voluntas, in Tui Amoris gratiâ, per lignum hoc aridum, vermium eſcam, incendii pabulum, ſervum tuum inutilem, filium ancillæ tuæ. Niſi denuò me perficias, cuſtodiaſque cuncta Tua dona, in me peribunt æternùm. Hoc ingenuè fateor ex meditullii mei notitiâ, coram Te Domine, cui omnia in veritate percognita ſunt: & coram Mundo, cui pleraque præſtantiſſima latent vera. Stupeſco Largitatem, & Magnitudinem beneficiorum Tuorum erga floccitatem meam. Ita proſtratus celebro Nomen Tuum præglorioſum, illudque deſuper invoco, Fideliſſime Amator hominum, IEHOVAH! O Sanctum & Incomprehenſibile Nomen! omni tempore, & ſolum ſanctificandum, ſolumque gratis ſanctificans ſolos ſuos Sanctos. Clementer intueâre de throno Omnipotentiæ Tuæ viventium miſerias, auxiliâre liberis hominum, cùm ſit Tibi volupe illis adeſſe. Recordare verbi Tui promiſſionis, non amplius Deus Patrum noſtrorum, ſicut olim, at nunc ut Deus declaratus Pater noſter: Non ampliùs Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Iſraëlis; ſed ut Deus IESVS, Deus MARIÆ matris noſtræ, & qui factus Frater noſter *in amore Gratiæ Tuæ. Omnium deſideriorum meorum finis & ſcopus eò tendit, ut incomprehenſibile Nomen Tuum ſanctificetur, non quoniam vocâris Ter-Optimus-Maximus; verùm etiam, quia ſolus es Omne, cui propriè competit Omne ſanctificantis Amoris votum, quandoquidem non indiges nobis, neque aliud quicquam tibi devovere poſſumus. Excipiebat Propheta, A, A, A, Domine, fari nequeo; Ecce infans ſum: Ego verò huic repono O, O, O, Domine, cogitationes meæ deficiunt, liqueſcuntque in nudo Amoris voto Sanctificationis Nominis Tui; Ecce enim Domine, non niſi Nihilum ſum, nec quicquam præterea, quàm quatenus Tibi placuit, ut ad Te pertineam. O Omne, Omnis, & Omne meum votum, meritò videor vernaculâ linguâ tibi offerre, nec non vovere Feudum meæ Eſſentiæ, & Proprii, quibus à Te inveſtitus auxilio proximi mei utor fruor. Quamvis enim primus animæ conceptus extra verba conſiſtat, atque ſic abſque propriâ linguâ: ſentio tamen adhuc eſſe crudum, neque ſequeſtratum, quouſque non limetur ac menti junctus in cogitationes, verba, ſcripturamque abeat. Hancce cruditatem percipio mihi facere primi conceptus objectum infirmum & inſtabile; citoque rurſus obfuſcare. Ea propter Æterna Tua Sapientia eam porrò ad mentem uſque evehi conceſſit.*

Verum quidem, quod velis adorari in Spiritu ab hominibus, non autem eo modo, ut maneat in primi objecti indiſtinctione. Quin imò Angeli, puri ſimpliceſque Spiritus, cogitatione licet Te nudè adorent, ceu Spiritus; certâ tamen, nobiſque ignotâ cantilenâ ſatagunt Sanctificans Tuum Nomen ſine intermiſſione ſanctificare. Propterea quoque non ſolùm ex totâ animâ, totoque Spiritu Te amari præcipis; ſed etiam è toto corde, cunctiſque viribus: ita ut Oratio ſpiritualiter inſtituta, & nuda adoratio, ſaltem excludant oralem, animi attentionis expertem.

Largire, dilectiſſime Domine, proximis meis ſervis Tuis illud per ſimilitudines ſuggeram: Organiſta novam cantilenam inaudiens, eam mox in principio non ſine difficultate ludit; Ipſius anima ex parte quidem ſonum percipit, verùm ejus digiti (ceu ſtructores ſonorum, prout alia membra verborum fictores ſunt) ita concinnè non ſequuntur, nec *abſolutam cantilenæ perfectionem adeò celeriter , citò , ac diſtinctè aſſequi illis conceſſum eſt. Conſpiciens quidem organi tabulaturam , ſtatim ludit ; ſcilicet captu ejus primo tabulaturæ intuitu eam verſus digitos mittere ſolito ; At cantione iſtâ juxta Muſices leges conſtructâ , non verò in tabulaturam versâ , ceu minus ei aſſuetus , difficiliùs ludit : cùm prius è Muſicâ componenda ſit tabulatura Spiritui ejus conſueta , antequam ludat. Majori adhuc difficultate ac raritate teſtudinis tabulatura ex tempore in organo , vel organi in chely exprimitur.*

Ratio non diſpar mihi viſa eſt primi animæ conceptûs , ceu crudi adhuc ſoni , menſque in verba vel ſcripturas redigi cupit : cujus defectu non pauci hærent in bono objecto , quod propter mentem indiſtinctam ſine fructu evaneſcit . Cæterum ſentio , primam animæ ideam ſequi conſuetum animi inſtinctum , quò inibi limatus verbis vel ſcriptis percipiatur : Sed verò , quùm homo vernaculæ proprietate ab initio imbutus , eam incorporatam vel inſpiratam obtineat ; & præterea ſuas cogitationes , in meditationes , linguas vel ſcripta abeuntes , menti & vernaculæ communicare ſoleat , animæ inconveniens & mirum videtur, primi conceptûs objectum , in mente vernaculâ linguâ verbis depictum, præter conſuetudinem ingenitam peregrino idiomate donare. In quo intellectus laborans , vertendo ſemet obumbrat , debilitat , ac fatigat , nec non primi objecti purum & planè ſpiritualem conceptum alienat. Verùm enimverò , omnis primæ cogitationis objectum in verba abiens , in vernaculâ prius ſemper haberi , compertus ſum in homine , non niſi Hiſpanico idiomate utente , qui & Hiſpanus audiebat ; is lethaliter vulneratus , mentis impos , multa ſed Italicè loquebatur , vixque intelligebat Hiſpanicè compellatus. Vidi pariter Germanum ægrotantem , ſedentem, vel jacentem , prout ipſum collocarent , ſculptilis ad inſtar , qui nunquam ad interrogata reponere compos erat , nec intelligebat , quæ vel ejus uxor vel natorum quis aliâ quàm propriâ Germanicâ linguâ pronunciarent , cum tamen intra domeſticos parietes jugiter uteretur Italicâ linguâ & Gallicâ : Quin imò paulò pòſt ab hoc Comate vigili liberatus vix perſuadebatur , idem ut crederet.

Atque ſic, ô Domine, libri mei dedicatiunculam in vernaculâ coràm altiſſimo Tuo Solio depoſui, ſcilicet cantilenam mei objecti, quod incommodum proximi mei in me demittere non faſtidiſti. Tibi ſit omnis honos! Pergo nunc ſignificare proximo miſeram Ethnicorum inſcitiam, quâ Tui hactenus ægroti ab Academiis fuêre ſeducti, atque ſic miſerè peremti, non obſtante Prophetico præcepto, nomine Tuo edito; Hoc dicit Dominus; Nolite docere, ad inſtar gentium.

Quapropter, ô Domine! fac retineat anima mea conceſſa ſibi dona in Tui honorem, quò Bonitatem Tuam debiti mei partem in hâc viâ Mortis, proximo imprimam. Sis mihi Domine omnis Polus, qui ſolus es Via, Veritas, & Vita. Hoc unicum eſt, quod diligere nos decet. Tu, mi Angele, Tutor, ac Interceſſor, qui adſpicis Bonum Omnipotens, impetrato meo nomine id quod mihi deeſt, inſiſte veſtigiis Raphaëlis, (Medici Divini) qui opera ſepelitionis, mortuorum noctu præſtita ferebat ad Deum; Ad Deum ferto præſens nocte mearum tenebrarum factum opus, ſtudioſe curans, ne homo poſthac ita interimatur, neque tam citò ſubeat mortem: Offerto hocce opus meum coram Sacro-ſanctâ Trinitate; cui dedico! Sic age, in DEI *Gloriam!*

AMICO LECTORI

S. D.

FR. MERCVRIVS VAN HELMONT,
Philoſophus per Vnum in quo Omnia,
Eremita peregrinans.

COnſtitueram aliquando, præ multis vagis cogitationibus, ægrè à me impetratum iri, ſcribere quidpiam proximi mei uſu præſenti ſeculo edendum; quandoquidem odi ficta, variegata, vana & fallacia verba, quæ Mundani ſitiunt. Iam verò coactus rationibus ac literis æquorum multorum Sapientum, diverſis hinc inde ex Regnis Statibusque, qui Salutis pignore adhortabantur, me teneri cuncta piè defuncti parentis mei ſcripta prelo ſubjicere; Iisque annectere, quando, & quomodo obierit diem ſuum; quoque in ſtatu ſcripta præfata reliquerit; Inſuper ac ſupplere ea quæ deſiderarentur, humano generi multis ab erroribus, cruciatibus, exitioque in vitam vindicando. Id quod mihi extorſit, ut cætera cuncta relinquerem, prædictaque Scripta perluſtrarem; quo peracto, ipſum memet in eorum ſuffragia damnabam, propoſitum ſuſpendebam, inſequentem narratiunculam planis ac ſimpliciſſimis verbis, maternâ linguâ, diſſerens, juxta tenorem præcedentis Dedicationis paternæ, quam eâdemque ipſâ illius intentione ſuccinendo imitor.

Incidit Genitoris mei obitus in triceſimum Decembris diem, anni ſupra milleſimum ſexcenteſimi, quadrageſimi quarti, ad veſpertinam ſextam, cùm plenâ adhuc ratione uteretur, priuſque omnia ejus Sacra ſolemnia & Iuſta ipſus poſtulâſſet, nactuſque eſſet. Morbus ſibi fuit ejus ipſa vita, qui ipſi permanſit ſeptimanis ſeptem, hunc in modum ordiens; Aliquando gelidâ fœtentique nebulâ ad meridiem ſubitò pedes domum revertebatur, quod ipſi fuit in cauſa, ut cùm epiſtolium quindecim circiter linearum exarare conaretur, aut longiori nimis diſcurſui indulgeret, reſpiratio in tantum ſibi deficeret, exſurgere cogeretur, perque feneſtram proximam ſpiritum haurire, quo binis diverſis vicibus Pleuritis ipſi accerſebatur, à quâ tamen omnino incolumen ſe reſtituebat; Imò pridiè exitus ſui erectus adhuc ſcribebat amico cuidam Pariſios, inter cætera hæc inſequentia verba; *Deo laus & gloria in ſempiternum, cui placitum eſt hoc me mundo evocare; ac prout conjicio, non ultra viginti quatuor horarum ſpatium vita ſuppetet; hodie ſiquidem primum Febris inſultum ſuſtineo præ imbecillitate vitæ, ejusque defectu, quibus mihi finiendum.* Quod ita inſecutum, poſtquam ſpecialem mihi benedictionem impertiviſſet, quam ingens legatum duco. Morbi ejus proprietatem hîc prolixiùs non extendo, ob temporis anguſtiam; cùm præterea mentio illius mihi facienda ſit in Compendio meo de Omnibus ad Vnum, quod, volente Deo, brevi edendum molior.

Paucis diebus obitum ejus præcedentibus, inquiebat mihi; *Cape omnia mea ſcripta, tam cruda & incorrecta, quàm penitùs expurgata, eaque conjunge; tuæ curæ nunc illa committo; omnia ad arbitrium tuum peragito. Omnipotenti Domino ita placuit, qui omnia fortiter aggreditur, omniaque benignè dirigit.* Idcircò, Lector attente, rogo, ne primo intuitu iniquè me judices, quòd crudiora ſcripta maturioribus permixta excudi curaverim, illis non reſtitutis, correctisve. Scito, magnum & laborioſum hoc opus provehendi deſiderium cauſam fuiſſe: Nihilo ſeciùs tandem experiâre, avidum Lectorem in hoc & prædictis omnimodò exſatiatum iri, tumque probè ac fideliter omnia me peregiſſe judicabis, nihil proprio lucro quærens, quod pleniùs ex hac mea præfatione eluceſcet. Teſtor Deum, cui cognitum votum meum in proximi auxilium tendere. Quapropter lege ac relege ſcriptum hoc, & in perpetuum non pœnitebit: in ſumma enim veritate tibi dico, ſolâ ex miſericordiâ hæc me protuliſſe, animadvertens hominibus præ imaginibus propriis, æternæ ac temporalis vitæ ſalvationem adeò parum cordi eſſe.

Siſtite intrinſeco-externos gradus veſtros antiquos, ingredimini regiam viam æternam; mittite avia illa innumera, quæ permagno labore ac difficultate ipſus pertrivi, quærendo, quò pervenirem ad veritatis cognitionem, interea annitens reperire ordinationem cunctorum creatorum, eorumque harmoniam, idque omnibus interioribus exterioribusque mediis, quæ imaginari poteram. Omnes tunc ſenſus intendebam, quò innoteſcerem Sapientibus ſic nominatis, ſperans tandem invenire Sapientem aliquem dedoctum, ubicunque locorum degerem, quas nationes appellerem, cujuſque eſſent profeſſionis, aut conditionis, juxta appetitum eorum loquebar, ut colloquio illos devincirem, ac pro viribus totam diſpertiebam cauſam: hoc, aliisque modis perſpicuas plures attingebam cognitiones fundamentales, artesque, quas omnes conſultò hîc prætereo: Cumque eas ſingulas ac univerſas intelligerem, ſolum magni æſtimatum hominis opificium deprehendebam, quò magis alienum, vanum, ac futile, eò magis

gis evehi atque coli; quam ſervitutem agnoſcens, ſpontè averſabar, ut qui proſequebar ſimplicitatem planam.

Deſcendens aſcendebam ad proprietates eſſentiales & occultas, meoque auxilio librorum quorundam latinorum intellectus deſiderari videbatur, huic fini Teſtamentum Novum idiomate Latino ſimul ac Germano aliquoties perlegebam, ut eo pacto diebus paucis ſtylum Latinum non modò intelligerem, verùm etiam præfato in Teſtamento comperirem perfectam, diuque optatam, ſimplicem ac æternam veritatem, vitamque Unicam, quod Unum (ſcil. DEUS) Unum tantum flagitat, & omni Dualitati vel Pluralitati adverſatur; ſic quoque quicquid creavit Deus, omne in eo Uno, & per illud Unum creavit, alioqui non ſervâſſet ordinem; Et quò amabile, liberum ac unicum hoc Unum in cunctis magis cognoſcerem, eoque fruerer, tranquillo ſtudio accingebam me, exteriùs ſimplici induebar veſtitu, animoque meo interiùs magis contrahendo, nec non medendo, multa agebam ſoli Deo cognita, ſic & ſanitati conſervandæ, adaugendiſque viribus, complures annos ſobriè victitabam, abſtinebam quoque carnibus juxta & piſcibus, vinô ac cereviſiâ, intantum idque, ut propinquorum contemtum & faſtidium incurrerem, (bono ut conjicio zelo) exprobrantium; Quid inſoliti ceptitat rurſus? omni ſtatui ac functioni inhabilem ſe reddit, tam Eccleſiaſtico, quàm ſeculari: ad inſaniam tandem redigetur, cùm nil novi amplius ſuo delectamento inveniet, aut magicis artibus ſe addicet, novamve molietur hæreſin: cum ipſo comparatum eſt, ut cum cæteris Sapientum liberis, ut in pervicaciâ perſiſtant. Alii ingeminabant deſuper: Parens ejus in culpa eſt, omnes quippe liberos ſuos perperam educavit, à teneris ipſos Pyrotechniæ adhibebat, hic nunc moroſus effectus, felicitatis anſam perdidit, cum Hiſpaniarum Infans Iſabella Clara Eugenia eum ſuſciperet, ac nobili ſervitio penes Nepotem ſuum Principem Cardinalem deſtinaret, reſtitit: præſtaret fratrum loco ipſum deceſſiſſe, ab illis boni quid exſpectari potuiſſet, hic nulli uſui inſervit; ſi ſtudiis inhiat, Doctoribus ſe ſubmittat, ut reliquis mos eſt; vel uxorem ducat adigendus, quæ peregrina hæc ipſi excutiat. E contra alii regerebant, hoc ſerum nimis, per ludibrium reponentes; Philoſophatur, pertinax nimis eſt, nullibi præterquam cum omnivariis peregrinis, & perſonis heteroclitis, cujuſque profeſſionis ac negotii conſpicitur: infortunium adhuc incurret; ſimulare enim neſcit, nemini parcit, nec majoribus, nec minoribus, quum iniquum deprehendit; Omni nunc dejicimur ſpe, ad incitas illum redactum oportet: omne enim patrimonium, & quod poſſidebat, & quod eveniendum eſſet, ſorori ceſſit: lætuſque inſuper peregrè abiit hinc, referens, nunquam

ſe

ſe reverſurum : Quis unquam talia meminit ! Aliud quippiam vices ſubeat oportet, de quo tamen nobis haud conſtat, adeò fatuus non habendus, veteres ut abjiciat exuvias, niſi ſuppeterent meliora, certioraque. Deſtituunt nos conjecturæ, quandoquidem hæc inconſultis nobis iniit : de fine quoque ſibi proſpiciat ; cùm indiguerit nobis, alienus habetor.

Poſtquam hos, pluresque cæteros caſus tranquillus ac lætus ſuperavi, confeſtim Conſcientiæ exonerandæ ſubſequentem ſeriem contexui, quam me inſtante mihi retulit vir mundo ignotus, timens Deum, cujus præcipua compendio abſolvam, per Interrogata & Reſponſa, quorùm ſubſequentes quæſtiones quandoque plura indigitabunt, quàm in reſponſionibus præcedentibus manifeſtè declaratum : quod ſtudio factum, ut Lector interea ſimiliter aliquantum anniteretur, ipſique conſtaret Reſponſa prædicta abundare.

Tempore quodam dictus meus amicus viſitatum me veniebat, quem inter alia interrogabam, An promiſſorum ſuorum mihi præſtitorum adhuc recordaretur, de ſubminiſtrandis quibuſdam parentis mei Operi jungendis, ad ulteriorem benevoli Lectoris inſtructionem ? Cui reſpondebat; Attende, Frater, præteritâ nocte jugiter perpendens & ruminans verba tua, novamque ſimul ac inauditam Mercurii Triſmegiſti Poimandri Commentationem, lampade extinctâ, corporique priùs alimento naturali ſubducto ad tempus quoddam, quò totus interiori vacarem : exhinc grave cùm ſuſtinuiſſem deliquium, videns fio, ſuſpenſo oculorum uſu, à Luce quadam, diaphana, gravia, opaca, compactaque creata in eorum principio, medio, & fine, memetque ipſum ſimul penetrante ; Ipſoque viſionis momento me conſtitutum reperiebam in pellucido, viventi, orbiculari, duplici ſuggeſtu, baſi carente, in principium ſuum per-amplexo, ab aſtris irradiato, undequaque circulari literâ perſcripto, quam zenith alii vocant, alii Nadir, quæ adſpectu ſuo ſimul mihi loquebatur : *Audi, cerne, intellige, ac alloquere Vnum in Omnibus, & Omnia in Vno ; tempus apparuit, ut omnes cæci videant, videnteſq; maneant cæci : Me ſequimini, & luminaria mea illuminata vobis patefaciam; Cor meum ſtabiliſſimum vetus ac novum eſt creatum, quod cuique hominum in brabium eſt ſuſpenſum, expreſſâ qualitate tanquam res ignota, progredimini, annitimini, fundum pertingere poteſtis corporis mei neceſſarii, cum omnibus durabilibus, quieſcentibus, agentibuſque ejus membris, quæ Partes integræ ſunt, ſingulatim & univerſim per effectus eorum Creatorem ſuum laudantes, qui me condidit perfectum, tibi tuique ſimilibus ut opitularer neceſſitatis momento : tibi enim ſubſum, & præterea nihil.* Hæc audiens, vera eſſe conſtabat, eoque ipſo nutu ſuſpenſum cernebam brabium, quo ſuper quaſi veſanus hæc proferebam;

Iuvenis es, ut liberi tui, qui naſcentur ex te: tui enim ſimiles ſunt fratres, qui ætate te exæquant, corpus tuum lucidiſſimum, ponderoſiſſimum, ſummè compactum & conſpicuum eſt creatum, uni bini tui colores ſunt cæruleus ac ruber, qui omnes Vniverſi colores continent, & qui atras in tenebras te tranſmutarit, candida rubraque exſiſtens virgo, ſingulis vicibus adusq; decem ei paries liberos, illæsâ virginitate tuâ, ſiquidem tu, liberiq; tui conſtituitis Lumen, cujus partes ſunt integræ, nec calor nec frigus, nullusq; acutiſſimus gladius vinculum tuum ſolvet; Sol enim pater tibi, materque Luna: idcirco omnia audi non videns, ac vide non audiens, & fare interius in ſilentio Omnia in Vno; tum cognoſces duplex, coadunatum Vnum in Omnibus; nec non æternum nexum ſolvere poteris, ac nectere, abſque temporis jacturâ.

His dictis, ingens me pervadebat horror, moxque ad mei ſimiles me convertens, innumeros ibidem cernebam homines omnigenûm gentium doctos & indoctos Sapientes, nobiles ignobileſque, juvenes cum ſenibus, qui omnes ad certamen invicem diviſi erant, propter cognitionem, ſcientiamque veritatis; Ego, hujus Diviſionis fundum perſpiciens, voto tentabam me parare inſertioni mutuæ Concordiæ. Advertebam primò, libellum quendam, partem alius ſubſecuturi, inſignitum, *Opuſcula Medica inaudita*, diſſidium hoc ex parte cieviſſe, qui juniores pios ſtudioſos, alioſque veritatis cultores ex prolixa caliginoſaque nocte in diluculum revocârat, ut crederent magis perfectam nec doctam hactenus lucem reſtare, unde illis diluculum hoc coruſcaret, & quò penitiùs præfatum libellum inſpiciebant, eò magis lætabantur, quod in eo reperirent pollicita adventus deſideratæ Lucis perfectioris, id quod adeò animum illis adaugebat, ut eorum quis non vereretur quibuſdam Academiarum Profeſſoribus, præmiſſis celebribus, Chriſtianiſque, ingratis tamen, Interrogatis & Monitis, parabolam hanc clarâ voce in publicum proponere; Haud mirum, hæc verba noſtra Carni duriora videri, cùm ſpiritualia ſint, de quibus caro judicium ferre nequit; prout loquebatur ille, qui lucem nunquam adſpexerat, propter viſûs ægritudinem: cumque minimum Lucis cerneret, illam deteſtabatur, inter cætera referens, peſſimum illam venenum eſſe, quia intolerabilem ſibi dolorem afferret, ut ea propter permaneret incurabilis, qui pertinaciâ ſuâ nullam curationis mentionem ſufferre poterat, cùm præ luce tenebras amaret, & ſic factus eſſet filius earundem tenebrarum, Profeſſorum quidam animadvertebant hoc ſimile de ſe prolatum eſſe, ſibi temperare neſcientes, furore correpti ingerebant; Vos novitii ſeditioſique hæreſium ſeminatores, deceret vos cum aſſeclis vivos comburere. His dictis, ferocientes verſùs domum Profeſſorum Senioris proruebant, ibidemque cœtum de nocte convocabant, ut ſibi proſpicerent, quid inchoandum

dum foret, quò nova hæc Doctrina ſubverteretur: Patronus hujus familiæ Senex erat avariſſimus, utque ætate maximus, prior ſermonem ordiebatur, poſtquam cunctos ſalutatione excepiſſet ſolenni, inquiens; Confratres, filiique mei Profeſſionis noſtræ jurati, vobis pernotum eſt, Doctrinam noſtram firmiter eſſe ſtabilitam; de quâ nihil ambigendum, cùm tam antiqua ſit, nec unquam gentium ullam ſuſtinuerit adverſitatem, quæ ipſi labem inurere poſſet. Noſtris diebus minimè concedendum eſt, ut per Doctrinam hanc ſchiſmaticam peſſumeat, aut gloria, æſtimatio, & à nobis ſuggeſta typis proſtantia omninò pereant, iis conſervandis totis viribus annitamur: quo facto, nos ipſos poſteris noſtris immortales reddemus, auferemuſque ſolenne præmium egregiis noſtris factis; Simus concordes, tum præſtabimus multa; priùs meam ſententiam expromam: Si noſtrûm quis adverſabitur propoſito noſtro, ei ſuffragiorum pluralitate mulcta irrogetur, cujuſque facultatibus conveniens; Ego, ut prior, apographo me huic obſtringam; Ac quàm mox quis mulctandus veniet, argentum hinc reſuſtans deponatur uſui ad ſupprimendos hoſtes: Deinceps, ne diſſidium inter nos gliſcat, utque commodè pertingamus Concluſionem opportunam, neceſſe eſt, ut omnia concionentur ſcriptis, quæ hîc peragentur. Cui omni ſtatim parebant, idque effectui mandabant; præterea, incitabant ipſum, quò pergeret ſicuti cœpiſſet, dicentes, Binæ hæ propoſitiones juſtæ & æquæ ſunt; ſiquidem hâc doctrinâ noſtrâ cuncti opes acquiſivimus: ita conveniens ac juſtum quoque eſt, ut exinde parta ad Doctrinam noſtram ſpectent, eamque defendant, quò opulentiores adhuc perveniamus. Præfatus Senior, hæc audiens, gratabundo ſuavique vultu ac geſtu ſubjungebat; Maximè neceſſum duco, & cæteras Scholarum Facultates conciliare, ut ſe nobis jungant, mutuumque fœdus ineant, quoniam & ipſas res tangit; quo obtento, Magiſtratum mox implorabimus, libellum illum ſeditioſum igni condemnare, ulteriori ſub interdicto, ut qui uterentur eo, facultatum corporiſque ſupplicium luant: Secundò ſatagendum foret, ut ſtatim aſtu imponentes unico authoris filio prædicti libelli, qui reliqua ſcripta hæreditario jure poſſidet, certam pecuniæ ſummam polliceremur, intercedente aliquo tertio, in redhoſtimentum patris ſui librorum, quos typis mandandos perhiberemus, à partibus parentis ſui ſtare fingentes, ut hoc pacto ad minimum reſciſceremus, ubinam illos occultos aſſervaret, quo potiremur iiſdem, igne exurendis: Nam cùm hi lucem adſpicient, majora perpetiemur; nec aliud ſuppeteret remedium, quàm ſub authoris nomine edi curare librum, perverſam doctrinam complectentem, aut ſtygias artes, eumque totum per orbem diſſipare: quoque

que melius hoc ſuccederet, dictus hæres è medio tollendus eſſet, ne inſtituto noſtro officeret; Quæ omnia liberè ſine peccato perpetrare licet, quandoquidem hæc demonſtrare ac firmare poſſumus, recepto uſu & doctrinâ plurimorum Scriptorum celebrium Ordinis cujusdam prædominantis. His finitis, primarium poſt ſe rogabat Doctorem, non minùs ſummis viribus niti, refragantem adeò doctrinam intervertere, proficuamque conſervare; Quibus ille, à primo ſecundus, obtemperabat.

Erat alioqui vir probus & ſincerus, qui multos ſecretim miſeros ab orco revocârat, integritate ſuâ, quâ caſtigabat, quoties concederetur opportunitas, remediorum formulas à quantitate & violentia, Collegarum ſuorum dictorum. Hic quoque callebat, exſpectabatque præſentem adventum Eliæ Artiſtæ, quem deſiderabat efflictim, multiſque abhinc annis didicerat à quodam fratrum, ſuæ Profeſſionis ſtudioſo; cæteroqui ratione pollebat, firmâque valetudine, qui moriens, ultra communem hominum ſortem aliquid ſcire videbatur.

Quondam ante obitum ſuum, pauperibus charitate gratis miniſtratum ibat, multa miſericordiæ opera in Noſocomiis & Carceribus operabatur, donec morbum communem reportaret, qui mox Profeſſores ejus accerſebat, exſultantes ipſum illum experiri profeſſæ ſuæ theoriæ fructus: hi habitâ Conſultatione ſuetâ, largiter ipſi ſanguinem ſubtrahebant, propinabant Cathartica, adeóque ejus vires planè peſſumdabant; At commodum accidebat, ut reſiduus vigor, ejusque Iuventus morbum ſuperarent: apparebat vires amiſſas recepiſſe, quo firmabatur, Profeſſores ac Licentiatos veros eſſe Medicos, reputans ex relatu eorum, mortem ſe meruiſſe, illorumque tormentis ſe debere vitam: hinc duplicem auferebant mercedem, non autem juxta eorum merita; Iuvenis priſtina pia veſtigia repetens, eo ipſo malo ſecundò premebat, illorumque operâ rurſus eandem evadere carnificinam ſperabat; Sed, eheu, ſpiritus ſibi deficiebat, ac ratione ſanâ, cognitioneque veri ad hunc ſuum fratrem exclamabat; Actum eſt mecum, ut cum ſingulis; tamque durabit diu, donec Medici ſic appellati præſens hocce in æternum reverâ ſentiant, videant; nunc autem præteriti obliviſcuntur, credentes poſſidere præſens, futurum negant cùm illud cernere nequeunt, & ſic longioris vitæ nullam curam gerunt: eâ enim nunquam fuêre deſtituti, uti alio bono caduco, cujus datur reparatio, aſt unicam ſaltem vitam poſſidentes, eamque amittentes, actum erit. Inanis res eſt, neceſſitate nullâ premente ſtudiis incumbere. Victus eſt ſervus, qui nobis inſerviat oportet, perpetuò vocans omnibus qualitatibus ſuis, hunc qui Dominum ſuum nominârit, inſcius ejus mancipium erit, quamvis cuncti homines, exceptis paucis, hâc obſtricti ſint ſervitute, quæ maximæ parti pro nunc & inpoſterum vitam adimit: Deſpero de vita temporaneâ: qui enim dicuntur laturi auxilium, ejus notitiâ carent, eâque prius potiri coguntur altercationibus ac diſſidiis, quæ eos inter orientur, odio, invidiâque, quibus dicti doctores nunquam laborârunt, cùm ſint pauci, dies noctesque curſitando opibus præpollentes, quo nummorum vim corradunt, tam apud ſanos, ægros, ac mortuos: ſicque frequentare concordes potuerunt, quod eò perſiſtet, donec appareant tempora extrema, quæ dignoſces ex eo, cùm videris, adeò increſcere juniorum Medicinæ Doctorum Licentiatorumque numerum, ut vix quid agant ſuppetat; Seniores infenſi erunt Iunioribus ac novitiis, quòd cenſus ſuus quotidianus imminuetur, quodque comperient adventitios juniores, victui comparando certiora diſcere coacti, quoſdam curare ægros, quibus ſimiles ſub illorum curâ necem ſubibant, cui invidebunt Seniores, voto expetentes interire omnes ægrotos, quibus juniores accerſerentur; Denique convitiabuntur illos publicè coram omni Populo, inquientes; Hi juvenes ſceleſti incantamentis medicantur, Praxi interdicatur ipſis neceſſe foret. His & ſimilibus illos ſubvertere laborabunt, Deumque offendent, ut Iunioribus aliiſque piis ac induſtriis addat animum, ut perficiant id, quod Senioribus verbis his proponent; Cùm vos invitavimus, nobis permittere publicè quoſdam ex noſocomio ægros ſanare, pauperum lucro brabium ſtatuentes, ſollicitanteſque vos ad vicem verſam, & qui effectui non ſuffeciſſent, præmium luerent, illud recuſaſtis: Non quæritis egenos, ſed redditis, mendicos in eo exprimitis, qui conſimiles faſtidiunt, noluntque eorum numerum increbreſcere: perſuaſas enim ſe habent divitum quorundam ædes, locaque, ubi largior ſtips eveniebat eorum impoſtoriis verbis, ritibuſque, ut ita artes, ædeſque has liberis ſuis doti relinquant; Quod ipſum & vos animo fovetis, at malè ſuccedet: quia publicâ hâc diſcordiâ, quæ ex avaritia pronaſcetur, Mundo fraus innoteſcet illa diutina, ſuſcipientque ſolos Doctores veros, qui ex bonis eorum fructibus dijudicentur, quique Samaritani veſtigia imitabuntur. His abſolutis, vitam deficere ſentiebat: ergo oculis ſurſum flexis, ſubjungebat mœſtus; Miſericors Domine, abbreviato terminum Salutis humanæ, & immutato Doctorum caducam doctrinam carnis, in genuinum amorem Spiritûs, ut in tui gloriam vitam abſolvant inſontes; precor te, ô Salvator mi, necem meam Doctoribus piaculo poſthac non imputes: ſiquidem ignorant quid perpetrent; ſed viſum aperire digneris, ut veritati adſtipulentur, utque Populus prædicet ea de ipſis, quæ olim de Divo Paulo. Quo finito, ſe totum Divinæ voluntati permittebat, extremumque effundebat ſpiritum in amplexibus hujus ſui fratris, qui prædicta hæc verba jugiter ruminabatur.

Hic ſuâ vice proferebat ſequentia: Tenemur omnes, in Chriſto fratres, veritati patrocinari; quod non meliùs perficitur, quàm oppugnando ac defendendo: hinc exſequemur bina, unum, ut hoſtium noſtrorum vires nobis innoteſcant; alterum, ut noſtris majus addamus robur, ſicque magis in noſtro confirmemur inſtituto. Poſtquam omnia hæc audiviſſent, cogebant ipſum hanc provinciam ſubire mulctæ comminatione, in tantum ut hoc munus voluntarium ſibi capeſſendum eſſet. Inferebatque; Ego Seniorum ſecundus, à quocunque erudiri cupidus hâc in re arduâ, Ego veritatis miniſter, quandantenus concedo priores propoſitiones binas; tertiæ verò neutiquam adſtipulari poſſum, videlicet interdictis ac cenſurarum ſtigmatibus præfatos libros ſubvertere: illud enim ſi niteremur, omnino præpoſterè ageremus, opinantes uno loco eos extinguere, aliiſque mille denuò illos reſuſcitaremus. Non ita rudes & incauti ampliùs ſunt homines, ut olim, cùm cuncta exemplaria litandæ obedientiæ gratiâ proferebant, quod apprimè conſtat Typographis atq; Bibliopolis, iis hinc inde quæſtum facientibus, ac vetari & impediri nequit; Nonne res ipſa paſſim id loquitur? haud longè abeundum. Is ipſus Author Diſſertationem edidit, inſcriptam de Magneticâ vulnerum Curatione, quæ ipſi fuit ſurrepta, & quinquagenæ circiter ab inimicis ejus typis exſcriptæ, ad quam diverſos tres libros, totius Europæ Theologorum atque Medicinæ Doctorum, Atheiſmum eorum colentium, blaſphemantibus cenſuris conſtantes, ingenti numero evulgârunt, quas cenſuras facilè conquiſierant, eo quod in ſingulis regionibus omnigeno ſub habitu religioniſque vultu degant, ubi nummus vel merx ſcatet: hasque cenſorias notas ubique in templis & aliis locis publicis diſſeminabant, quo libellus innoteſcebat; venabaturque à quolibet; plures novi illum caro ambientes pretio, nec potiri eo valebant: nullus enim Chalcographorum quidquam de eo compertum habebat, quandoquidem ſibi ſolis ſervabant, conquirendis cenſorum vibicibus toties ſaltem exſcriptus, quò Authorem ejus everterent, ultra quinquagies millenorum Imperialium jacturam ipſi creantes; Quoniam porrò prædictus libellus, vel Diſceptatio, quibusvis Sapientibus Doctis & æquis probabatur, ingens authori fiebat injuria: Deus alibi proſpiciebat, ac benedicebat ipſi, ne ex deſiderio illorum ſupprimeretur; Et ecce, in detentione hoc deſuper perpeſſâ alterum prodromi loco libellum ſuperedidit, ſubſequendumque alium hunc præcipuum, ut liquidò conſtet, ejuſcemodi ſcripta cenſoriam virgam minùs reformidare.

Vt quartò autographum libri, ſcriptorumve, penes hæredem aſtu vel pretio deprehendatur, igne abolendum priusquam excudatur, fieri nequit: nam cognitum habeo, faſtuoſos quosdam prænominato hæredi millenos coronatos præſentes, per quempiam Bibliopolam præ ſe ferentem, obtuliſſe, aliorumque millenorum vadimonium præterea licitantes, hâc lege, ut cuncta parentis ſui Scripta traderet, quæ poſſideret, nullo exemplo retento; ſubolfaciebat fraudem hæres, nummi libidinis expers: auſcultabat illum, multa interrogabat, inquirebat in omnia, ac planè eum conturbabat, ut imprudenter denique in convicia erumperet, irrito itinere domum veſtigia relegens. Hæc, taliaque geſta plura, quæ hæres fuit expertus, diffidentiam ipſi pariunt, ut ab eo, qui adſpirat ad illa, præſidii tantum poſtulet, ut decipi non poſſit. Intellexi præterea, ſin rectè memini, interim ipſum curaſſe ea imprimi per virum probum ac fidum, qui ubiq; terrarum ea divendere ſataget. Quintò, ſpurios Authori libros ſubornare, alienam & falſam Doctrinam complectentes, palàm fieret; Inventionis enim ratio nunc ubique patet, inſuper eo hæredum expergefaceremus, ac juxta nominis ſui ſignificationem tam altum exclamaret, ut ab omnibus perciperetur, cui non deficerent media, quanquam patrimonio caret; (ſiquidem perhibetur, & veritas ipſa, ſe reperiſſe Eliam Artiſtam, eumque familiarem ſibi reddidiſſe, cujus ope Pythagoræ Philoſophiam propagabit, cujus ultimas tabulas indigitatione Parentis metallicæ virgæ indefeſſo labore effodit.) Re ſic ſe habente, ne ipſum laceſſamus, operæ parcamus, conſervemusque impenſas; Nam ſiquid Doctrina hæc malum præ ſe ferat ſcopum, ſponte ſuâ citiùs corruet, ſique divinitùs deſcendat, eique refragemur, inſtituto non ſufficeremus, irritosque labores & ſumtus impenderemus, pronunc & impoſterùm exitium nobis accerſentes. Cùm omnes jam Doctores reliqui ſolidas haſce rationes inaudiviſſent, magnas ipſi perſolvebant grates, atque hanc Confutationem pro deciſo colebant; Excepto Seniore prædicto, hic exaudiens illa, præ dolore ac pavore Apoplexiâ corripiebatur, adeò valdè repentinam obibat mortem; ejus filii ejulatibus perſonabant, expergiſcebantur vicini, illucque verſus confluebant, geſtarum ignari, omnem hancce familiam maximè conſternatam reperibant. Quò ſimiliter appropinquabat ſtudioſus, qui turbam hanc obſervârat, ſtatim commodo ſuo litabat: cùm enim cerneret omnia illorum ſcripta ibidem hinc inde disjacentia & relicta, ea tollens ſub pallium abſcondebat, moxque ſe ſubtrahebat; quam primùm illuxiſſet dies, amicorum fautorumque cuilibet ea legendi faciebat poteſtatem, qui paſſim id dilatabant, notumque reddebant; hinc ulteriùs emanabat, Te fodiendo Pythagoræ

goræ Teſtamento potitum eſſe,referebaturque Supremo occultorum theſaurorum Domino , hic confeſtim cuſtodiæ te mandabat, quia repertum Pythagoræ Teſtamentum in medium non protuleras,quod haud furto ſed dono acquiri debet; Dominus tres Sapientum ſuorum , genuinæ Scientiæ cultores , quos omnigenûm gentium ac conditionum multi , imò Mundi magnates ſtipabant, eo deſtinabat, ubi retinebâris, ſic te alloquentes :

Bono animo eſto, ſubeunda tibi erit Sententia hæc,quam Dominus noſter in te tulit, quæ hunc in modum exorditur ; Mandato ſupremi Domini tui , cui certò conſtat , te Mercurium van Helmont fodiendo theſaurum inveniſſe, quem ſuis ſubditis inquirendum præceperat,à quibus accuſatus, & certis pleniſque probationibus convictus , morti damnâris , niſi illud ipſum Pythagoræ Teſtamentum ſartum tectumque edideris , itidemque aperueris pleniſſimè , quâ viâ notitiâque illud repereris : his præſtitis, per omne ejus Imperium libertas tibi adjudicabitur.

Triſti hæc animo auſcultans, denuóque alacritate ſublevatus, certò ſciebas , inficias eundo mortem te non evaſurum , quapropter Delegatis reſpondebas , inſequenti modo : Vos oro , Domini Sapientes juxta ac prudentes, ſi quicquam in vos valeo, gratum meum animum apud Dominum noſtrum conteſtamini , ob ſententiam adeò clementem , quâ me dignatus eſt proſequi ; eique demonſtrate , quod Teſtamentum illud imprudens retinuerim , ignorans tradi oportere : id nunc præſtare paro , omni cum experientiâ ſcientiâque, quibus illud nactus ſum, & quidem , cui Dominum libuerit, modò Bonitas ejus mihi concedat ſpatium integræ Septimanæ, intra quod Domino ſatisfacturus ſum, quo libertatem juxta Sententiæ tenorem redipiſcar , id ſperans non recuſatum iri ; Etenim reverâ , juxtaque legitimam computationem , binis diebus indigeo , Saturni videlicet cum eo Solis , quò mecum omnem telam incipiam atque perficiam, vel ut ordine ſingula diſponam , quæ die Lunæ futuro , & ſic deinceps inſequenti tota hebdomade diſtinctè ſignificabo. Ad quod Sapientes reſpondebant : Mercuri, nos pleno mandato à Domino noſtro inſtructi,cujus authoritate petito tuo æquitati ſubnixo deferimus, ex ſententiâ propriâ cuncta præſtabis, ut Domini Sapientes dedocti æquanimes nullum in te delictum inveniant,cum dicto te die audient,examinive ſubjiciant,proprio utique & amplo dierum termino definito, te ipſum cuſtodiæ ſervandæ obſtrinxiſti, donec promiſſa adimpleantur , continuò tecum perſiſtemus conceptibus tuis inquirendis, quos biduo hoc præcedenti formabis. De conſortio illo gaudebas : quivis enim illos qui intuebatur, ex habitu & geſtibus illorum pios eos colligebat ; ſiquidem vultus eorum divinam præ ſe ferebat lætitiam, illiſque dicebas : Quandoquidem dies cedit, cui lucrandæ, nec minùs obedientiæ meæ conteſtandæ , ſcitote , Mei Sapientes , nullum recolligendæ memoriæ tempus me præfiniſſe, nec cuipiam ſimili, quoniam mihi non eſt opus ; verùm , conſiderans , hodiernum primum eſſe hebdomadis diem , craſtinum autem poſtremum,diem Dominicum,ſeptimum, in quo omnia perfecerat , quoque quieviſſet ; opportunum mihi viſum fuit , Scientiam meam pro ratâ dierum Septimanæ diſtribuere atque complecti , auſpicans futuro die Lunæ , ſexto hebdomadis die, mortalium conſuetudine (coram Deo enim omnia æterna ſunt atque præſentia) Ita ut nobis , tanquam caducis , primus dies habeatur ultimus , & à Saturni die incipiens retrorſum numerare , implendæ toti Septimanæ , diebus quadraginta duobus opus habeam , id quod compluribus tædium excitaret , ob temporis amplitudinem : interea breviter omnia commemorabo.

Ego Mercurius , à teneris in ſegregatâ Schola Hermeticâ à Genitore meo enutritus , ibidemque aliquo modo imbutus , eo ſpiritus meus inquietus non erat contentus , voto expetens univerſam Artem ſacram , vel Arborem vitæ pernoſcere , eâque frui : nec manus operi admovere volebam, niſi hanc à capite ad calcem certò callerem; præterea animo inſtitueram, comprobatione veri, eò ad extremum perveniri poſſe , abſque adminiculo inſtitutionis externæ. Creaturas omnes mecum diſpertiebam, primùm externas & corporeas , (ut ita dicam :) deinde internas ſpirituales & corporificantes , quas partes iterùm verſùs inque Unum ſimul referebam : dictas Corporeas , ſine ſpiritualium corporificantium adjunctione ſubdividere ac cognoſcere nequibam, inſueto illas vultu intuebar, ſicuti pro arbitrio conſequenter omnes ſuo quolibet ordine collocâram, tanquam immunis à præoccupatis , falſis , & obſtinatis Ethnicorum opinionibus , qui nunquam Academias frequentârim , ut ex ſtylo hoc meo inculto ſatis apparet. Verumtamen probè advertite , nullum dictum fruſtraneum profero , quin aliquid ſignificet , atque totum pertineat.

Spiritus meus nullam in rebus temporariis & caducis delectationem aut ſtudium percipere poterat : perpetuò ſitiebam atque anhelabam perfectas, æternas , à momentaneis neceſſariis creatis in me ipſum ſuſpiciebam , & abhinc in Deum , qui Cœlum atque Terram creavit ſimul , quod Philoſophi profani apprehendere nequeunt , quique huc pervenire deſiderant , Deum adorare eos oportet , per firmam Fidem , humili cum Spe , inque Amore vero : tum perfectam ſui ipſius cognitionem adipiſcentur , aliarumque creaturarum omnium , ante eorum principium , in eorum Eſſe , ſive eſſentiâ, & poſt eorum tranſmutationem , quod latiùs & apertiùs eloquar,

quar , quantum verbis fieri poteſt, ad Animæ Corporisque ſanationem ac conſervationem temporalem atque æternam, juxta menſuram cujusque captûs, qui omnibus haud eſt par, nec erat; utque ulteriùs ad Salutem adjuvarentur, Deus bonitate ſuâ ex Prophetis Moyſen ſuſcitavit, qui ipſis Typo (quod Belgicè etiam ſonat Biblia) ſcriptis ſuis inſerviret, priori nempe Creationum libro, qui omne complectitur quicquid deſiderari poteſt, quod nunc partim ut totum magis ediſſeram (ſecundùm Hieronymi verſionem) ſiquidem cuncta comprehendit, quæ homo in ejus Suitate, Egoitate, Meitate, ſimilibusque appropriationibus intelligere nequit: quicquid enim Deus creavit, per Unum, & in Uno, liberum ac ſolutum creavit; quique id ſibi arrogat, ipſummet ſe proprium reddit, à Deo ſe ſegregat, inque ſe ipſo extremas versùs tenebras viam ingreditur. Ac ſicuti Deus eſt incomprehenſibilis, æternus, penetrans, adimplensque Ignis, Lux, & Gloria, carens principio & fine, talis eſt hominibus ſanctis (Belgicè ſonat, Hy-lichten / quaſi Ipſe lucet) in coadunato Amore Gloriâque, & in Piis (exprimit Belgicè Sal-lichten / lucere debet) erit, juxta magis & minus; malis verò æternum tenebroſis, ſegregatisque hominibus quoque æternùm urens Ignis eſt; prout dictum. Quemadmodum igitur Deus eſt æternum Bonum (belgico Idiomate DEUM exprimit,) ita quoque omne Bonum creavit, quicquid creatum eſt. Primus homo in Lucem & Bonum conſtitutus eſt, tanquam à Deo creatus, non tamen Unitus in æterna Quiete ac Gloriâ, ſed ut creatus ad Imaginem DEI arbitrio libero; quod jam in nobis proprium eſt factum, ſeductione, atque transgreſſione Interdicti, Admonitionisque DEI, in Mortis attactu & eſu, ſeu vetitæ Arboris fructus, quos mater omnium Heva tetigit, comeditque.

Sapientes dicti, tibi loquebantur; Ne tam longè excurras, priusquam percipiamus, numquid te ipſum noveris, quidque te eſſe dixeris.

Mercurius; Homo ſum, à Deo Omnipotenti creatus ad Imaginem & ſimilitudinem ſui, ex Terræ limo corpus; (idiomate belgico Licht-aem/ quaſi Lucis vas) poſſidens, Spiritum & Animam ab illo adeptus; Unumque horum fieri oportet, Corpus, Spiritus & Anima debent Sanctificari (Hy-licht zijn / ipſe lucet) vel Beari (Sal-licht zijn / lucens erit;) ſin minùs, vas & Spiritum damnari neceſſe eſt.

Sapientes; Animadvertimus, te conari exprimere, te triplicem eſſe, non verò Unitum, Spiritumque tuum tenebroſum vel lucidum fore, offuſcationem ſui ex Carne proventuram, quæ eſt terreſtris, mortifera & obſcura, Illuminationem ſui acquiret per Spiritum irradiando, explendo, & ſubigendo tenebras. Verùm audire avemus, utrum ſit tertium: quoniam

Lucem vaſis & Animam appellas, num duæ diverſæ ſint Luces, ſive unam ſaltem una conſtituant ?

Mercurius ; Unica Lux æterna eſt in omnibus partibus integrè & æternè , externè atque internè , utpote vita æterna , æternaque tota pars à Deo Omnipotenti inſpirata homini ; ſicuti teſtatur Moyſes, Libri Geneſeos capite ſecundo ; *Factus eſt homo in Animam viventem :* quæ Anima conſtituit diem ſeptimum , ut demonſtratur eo ipſo capite : *Igitur perfecti ſunt Cœli & Terra, & omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum , quod fecerat: & requievit die ſeptimo ab univerſo opere,quod patrârat.Et benedixit diei ſeptimo;& ſanctificavit illum: quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo,quod creavit Deus, ut faceret. (Scil. hominem in animam viventem.)*

Sapientes ; Si Lux hæc eſt dies ſeptimus ; quid de diebus ſex præcedentibus ſentis, deque eo qui exſtat Eccleſiaſtici capite decimo octavo ; *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul ?*

Mercurius ; In principio creavit Deus omnia , Cœlum & Terram , & quicquid creatum eſt : quod Moyſes ad introitum Geneſeos in primum diem comprehendit, ubi fieri dierum quinque reliquorum indigitat, inquiens; *In principio creavit Deus Cœlum & Terram ; Terra autem erat inanis & vacua; ac tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi : & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus : Fiat Lux. Et facta eſt Lux. Et vidit Deus Lucem, quod eſſet bona; & diviſit lucem à tenebris. Appellavitque lucem Diem , & tenebras Noctem. Factumque eſt veſpere & mane, dies Vnus.*

In tantum ut Homo conſtituat ſextum diem , qui dies invicem diſtincti ſunt, quò ſe ipſum Homo cognoſcat, quid ſit, quid ei agendum, quamque potentiam habeat, vel habere poſſit per Spiritum ejus , quà homo , (non itidem quà Anima) in præcedentes dies vel creata ; ſicuti in præfato Geneſeos capite habetur; *Et ait Deus : Faciamus Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram : & præſit piſcibus Maris , & volatilibus Cœli , & beſtiis univerſæ Terræ, omnique reptili, quod movetur in Terra.*

Sapientes ; Nobis ſatisfacis, ac præterea ſuperque ſignificas, Hominem diem ſextum eſſe, & Lucem, & tenebras in primum diem ſeparavit, quam Lucem ſive ſpiritum vocavit diem,ejusque Sanguinem, Carnem vel tenebras Noctem , quæ veſpera ac mane ſextum diem conſtituêre , & ita deinceps reliqui quinque , quamvis juxta peculiarem cujusque naturam. At nullam Septimi diei mentionem facis ?

Mercurius ; Septimum mane,Lux,aut Vita,Spiritus DEI ipſus eſt,prout dictum ; Ideóque in ſeptimi diei deſcriptione Moyſis non exprimitur , ex veſpera & mane ſeptimum diem factum fuiſſe , ſicuti præcedentibus ſex diebus ;

diebus; idque hanc ob cauſam, quòd non detur principium aut veſpera in Deo Patre, quippe qui *Eſt, qui eſt*: Sed habetur, quòd ſeptimo die Homini in faciem ejus inſpiravit ſpiraculum vitæ; & hic Homo factus eſt in Animam viventem, ita ut ex homine & ſpiraculo Dei dies ſeptimus factus ſit.

Sapientes; Ex relatione tua ad ſatiem intelleximus, principium ac finem diei primi, inſequentisque ſexti, cum ſeptimo die infecto conjunctim hominem eſſe factum in Animam viventem. At inaudire expetimus, quid velit Moyſes vocabulo, *In Principio?*

Mercurius; Principium eſt Deus Filius, per quem, in quo, & à quo Cœlum & Terra creata ſunt; uti teſtatur quàm evidentiſſimè Evangeliſta Joannes, primo capite, his verbis: *In principio erat Verbum,* (quod Belgis quoque ſonat woort/ id eſt, Fiat) *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt: in ipſo vita erat, & vita erat Lux hominum: & Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit Homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de Lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille Lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de Lumine. Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. In Mundo erat, & Mundus per ipſum factus eſt; & Mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate Carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus; gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Ioannes teſtimonium perhibet de Ipſo, & clamat dicens; Hic erat, quem dixi: qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ. Quia Lex per Moyſen data eſt, Gratia & Veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo vidit unquam: Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.*

Sapientes; Jam hoc divi Ioannis teſtimonium percepimus, quod omne perfectioni inſerviens contineat: verùm tuam ſententiam nobis expedias; Quomodo Adami ſimilis ſis? & quâ ratione in & ab eo proceſſeris?

Mercurius; Antequam Homo factus ſit in Animam viventem, Deus ipſi dicebat, teſtante Geneſeos capite priori; *Et creavit Deus hominem, ad Imaginem ſuam,* (quæ Imago eſt Deus Filius) *ad Imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait; Creſcite & multiplicamini.*

Quod mandatum Adamo injungebatur, quoad Spiritum & Humanitatem; non autem quoad Animam: hæc enim æterna atque immutabilis eſt. Sic etiam omnes ejus partes ei ſimiles ſunt, quarum & ego totam poſſideo; Quemadmodum nunc à limo humi Homo factus eſt, ita ut reliqua animantia terreſtria, per accretionem & unitionem, eſum creatorum viventium, creſcere oportet, qui cibus, in ventriculo emoriantur & immutentur ab illorum Subſtantia, requiruntur, ſi à viliori in præſtantius converti debeant, vel per Hominis Spiritum ad vitam Vnitam provehi, à quâ coalitione & adauctione meum vas aut corpus, & ſubſtantiam, ſicut Adam teneo; quia ex eo proceſſi, poſtquam factus eſt in Animam viventem, ut in Capite ſecundo Geneſeos habetur; *Adæ verò non inveniebatur Adjutor ſimilis ejus. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cúmque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro eâ. Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in Mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc, Os ex oſſibus meis, & Caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumta eſt. Quamobrem relinquet Homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.*

Sapientes; Explicaſti nobis, quî fueris totus in Adamo ſecundùm ſpiritum & Animam, & in Heva juxta Corpus: Item, quòd vas ſpiritum, ſpiritusque Animam ſuſceperit; Iam inaudire cuperemus, quâ ratione Heva ex Adamo per Deum producta fuerit, quidque Somnus Adamo à Deo immiſſus indigitet, priusquam eam conderet?

Mercurius; Ab initio Adam in Eſſentia ſua perfectus erat, tanquam primus Homo à Deo creatus, ita Spiritus ejus carnem & vas perlucebat, illuſtrabatque: ſicuti nunc Lux tenebras ejus illuminabat, ac ſubigere poterat, ita tenebras præcellere ac ſuperare debebat: quoniam interna, ſtabilis, æterna, & bona in Eſſentia ſua erat; quo exſiſtente, Adam absque ſomno immiſſo ſui ſimile ſponte ſuâ producere non poterat: perſiſtens enim in Eſſentia ejus inſomnis, & quoniam ipſum ſe dividerat, omnes partes ejus ipſi propriæ permanſiſſent, rurſusque in unum ad Totum rediiſſent, quamprimùm libuiſſet, eo quòd per Spiritum ipſius prædominantem ſubjectum Corpus ſibimet dividiſſet, quæ partes intrinſecus & extrinſecus irradiatæ erant, ab Vnâ ejus Luce, quæ quibusque membris Eſſentiam tribuit.

Sed quis quæret; Quomodo denique cum Adamo comparatum fuiſſet, ſi virus ab Heva non comediſſet? Reſpondetur, Perpetuò ipſi dimicandum fuiſſet Spiritu vel Luce ſuâ adverſus ejus tenebras, quæ primo die Deus dividebat, ex quibus duobus ſimul Homo condebatur: uti perhibet dictum caput, quod explanatur ulteriùs ad finem ejusdem capitis, die ſexto, his verbis; *Et replete terram, & ſubjicite eam:* Cumque ad extremum

pugnaſpugnâſſent, terram & tenebras eorum Spiritu vel Luce eorum implevіſſent, ſicque ſubegiſſent, ut priores tenebræ abſorptæ atque coalitæ fuiſſent; quod erat ipſius proprium, unicumque Opus, jugiter agendum & perficiendum.

At quis porrò quæret; Cùm in Adamo dicta Lux à tenebris disgregata tenebras ſuperâſſet, ſicut relatum, per eandem ipſam lucem; numquid juxta ſpirituale redditum Corpus Unitum, integer & æternus in ſingulis ſuis partibus ac membris fuiſſet? Hoc exſiſtente, eâ ratione dividi potuiſſet in innumeros, æternos, infinitosque homines, ſine præfato ſomno præcedente? Reſpondeo; Conſtat, hunc Deificatum hominem in cunctis ejus partibus infinitis integrum fore, ſimiliter omnes illæ partes iterùm Unum integrum unà conſtituere; Ita ſe habente, Unus ſaltem Homo Deificatus futurus fuiſſet, huc redactus neceſſariâ ſuâ luctâ, eâdem cum Chriſto ſalvatore noſtro poſt ejus reſurrectionem Gratiâ in ſua vita gauderet. Quo jam plures ejuſcemodi homines progenerarentur, quoque omnes etiam eâ ipſâ fruerentur Gratiâ, ad quam Adam procreatus erat, & quo per eam ipſam luctam eam acquirerent, Deo Domino immittere placuit prædictum ſomnum, ne Adam, altùm dormiens, ſtructioni Hevæ quidpiam contribuiſſet; Nunc autem hòc ſomno per Deum fundata fuit.

Quæritarent porrò Curioſi; Cur Heva condita ſit ex Coſta Adami, non autem ex ejus Carne? Reſponſum reddo; Prior Homo Adam erat, alter Heva, illius in auxilium & procreationem conjunctam ſtructa; Iam propagatio conſiſtit partim in homine, ſicut in cæteris Animantibus, Conjunctione, aut Alimentatione, uti dictum, ulteriusque obſervandum in omni accretione creatorum in hoc Mundo, antequam ſuccreſcere valeant, (quia conſtant ex duobus: Unum prius interire oportere, videlicet Corpus & Formam, quæ ex aquis & terra conſiſtunt, oriunturque ex Lunæ luce, ſtellarumque, tanquam Noctis Luminarium, unaquæque pro naturâ illarum differenti, nullis exceptis; Ut & hoc in Adamo perficeretur, Dominus Deus Adamo coſtam eximebat, quæ eſt os, ſecundùm Fieri in Adamo, progenies venarum (quod Belgis quoque ſonat viperarum,) quod à Luna regitur, uti comperietur, accreſcente Luna oſſium medullam itidem increſcere, inſtar aquarum, & cum illâ decreſcere; Comperietur porrò, quando igne crematur Caro, eam perdere formam, non item os, imò adeò ſtabile eſt, ut monetæ probitatis examinatores crucibula ſua exinde conficiant, in quibus Aurum, Argentumque liquefaciunt & explorant; Ut ita, Os, ſeu Coſta, præter terram Humanam nihil ſit ac retineat, quatenùs ſecunda in Homine productio eſt, inſtar Terræ ex Aquis, eatenus à primo mo & Uno diſtat. Propterea Heva, utique hinc procreata, quid Secundi ac Minoris eſt, juxta Corpus, non item juxta Spiritum & Animam: has enim ab Adamo tenet, quæ æternæ ac permanentes ſunt, quarumque Heva partem poſſidet, eamque totam, veluti cunctæ partes æternæ ſunt; prout dictum. Præmiſſis nunc ulterius aſſerendis, Comperies fœminas ideò menſtrua pati, progenerationi inſervientia, quoniam Hominem quoad Corpus progignere debent ratione eâ, quâ dictum.

Sapientes; Acquieſcimus, inſuperque duorum vocabulorum occaſione, quæ Belgico idiomate conſideratè protuliſti, bina Scripturæ loca nobis in memoriam revocas, commemorata unum ab Euangeliſtâ Matthæo 12. capite, ubi Chriſtus inquit Phariſæis; *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit. Ideò dico vobis: Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus* (Carni) *Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium Hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Aut facite Arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite Arborem malam, & fructum ejus malum: ſiquidem ex fructu Arbor agnoſcitur. Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.* Alterum à Lucâ capite tertio, poſt citatum Ieſaïæ Prophetæ locum, qui dixit; *Et videbit omnis caro Salutare Dei. Dicebat ergo* (ſcil. Ioannes Baptiſta) *ad turbas, quæ exibant ut baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à venturâ irâ? Facite ergo fructus dignos pœnitentiâ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Quæ duo vocabula binis hiſce textibus quoque recitantur, ſermonis Belgici ſignificatione haud malè congruentia, omnique demonſtratione tuâ nobis indicans, ſic vocatam Serpentem, quæ Hevam ſeduxit, ejuſque Spiritum, certè fuiſſe Carnem ipſius propriam, Sanguinemque, Arboris vetitæ fructus appetentes, Spiritumque ſuum ea propter alloquentes; ut ita Serpentis nomen ſerpens non habeatur, verum æquè ſerpens Animal, ac Homo, juxta Carnem, quod ſuperque cernitur in Hominis infantiâ vel ſenectâ, aut cum ſpiritus debilitatur, ipſum eſſe fierique ſerpentem.

Quapropter, poſtquam Deus Homini dominium irrogaſſet in Animalia, in omnem Terram, & in omne Animal ſerpens, quod movetur in terrâ, poſtremum hocce dominium maximum eſt, quo beatitudinem ſuam operari debebat, id quod liquidius ex textu patefacies, quam primum otium ſuppetet: jam enim properamus, ſiquidem ſecundi præfinitorum diei dimidium mox ceſſit; progredere igitur, & feſtina, nobisque differentiam inter te atque Adamum ediſſerito, cum adverſùs caliginem ſuam ipſi luctandum erat, quo æquè ac tu eam ſubigeret.

Mercurius; Alia nulla, præter quod tenebræ in homine auctæ ſunt, per attactum fructuum, comeſtionemque, Arboris prohibitæ in tantum ut Tenebræ primas in lucem teneant, eamque nunc poſſideant, quemadmodum in Adamo Lux tenebras ejus poſſidebat, & ante lapſum ejus illuminabat.

Sapientes; Qui hoc factum?

Mercurius; Factum eſt hoc comeſtione fermentanti, contagioſa, caliginoſâ, & mortiferâ.

Sapientes; Quid eo vis innuere, per Similia te explica.

Mercurius; Sicut erant tenebræ in facie Abyſſi, priusquam Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas, ſimili modò comperies, vas aliquod, locumve concluſum & mucidum, omne id, quod tantillo ſaltem temporis infertur, æque rancidum reddere, ulteriusque inficere, nec quicquam de fermento & mucore primo principaliori decedere; Inſuper ut demonſtretur, locum hunc mucidum etiam eſſe tenebroſum, à doliariis addiſcitur, qui cupientes reſcire & experiri, utrum dolium ſit mucidum nec ne, orificium ejus aperiunt, perque umbilicum accenſam candelam immitunt, cumque vas erit mundum, nulloque mucore infectum, lucerna transverſim immiſſa ardens permanebit, donec vapore ſuo progignente ſemet ipſam præfocet; dolio verò exſiſtente mucido, flamma aut lucerna per dolii orificium ad ſpiſſitudinem ligni penetrare nequit. Manifeſtè igitur apparet, caliginem quoque ſeſe exſerere; aliasque res caliginoſas efficere, perinde ac Lux operatur, idque cùm caligo Lucem; aut caliginem Lux ſuperat; Hæ, ſimilesque tenebræ, ante omnem Lucem ſint, oportet; & quò ſunt ſtabiliores, eò ſtabilius etiam eſt corpus inde exortum. Ulterius nunc animadvertendum, ſicuti Lux temporalis extra ſe illuſtrat, alia aliâ longiùs, juxta earum ſtabilitatem, magnitudinem, aut coalitionem, ſimili proportione ac modo tenebræ extra ſe radios effundunt, ut relatum, ſicuti quoque ignis ardens & conſumens per lumen ſuum poteſt accendere, comburere, & excitare plura ſemina in Creſcentiam, pro ratâ ſtabilioris eorum naturæ; id quod noto hoc experimento evidenter percipies; cernitur atque ſentitur, quò propius Ignis accenditur, eò magis fulget, calefacitque: hic nunc Calor & Fulgor una eademque res eſt, quamdiu eſt, in Igne, uti per collectionem radiorum illorum calidorum, adminiculo ſpeculi cujusdam uſtorii probari poteſt, quo congregantur rurſus calidi radii, ſimilesque fiunt illis in igne exſiſtentibus, nimirum calidi & urentes; Iam cum Ignem temporalem, ſparſum & caducum

ducum liberè ardere permittimus, deprehendemus, lumine, quod per ignem effulget,diverſis diſtantiis abhinc alia creata aduri, in proximo videlicet magis ſtabili ac combuſtili, & quatenus radii diffunduntur, eatenus quoque Calor minuitur,minusque ſtabilia creata accendet;Ratio eſt,quod citò fit, citò quoque perire neceſſe habet; propterea Regionis frigidæ ac uvidæ, majores proferunt fructus, præ fervidis & aridis ditionibus, minùs tamen durabiles quàm alii minores calidiores, quoniam eorum Lux, quæ ipſis ineſt, magis eſt diviſa, idque tam in brutis quàm hominibus, udarum plagarum homines rudes & magni ſunt, nec tantum Caloris ſufferre poſſunt, ut Homines in editis, aridis, fervidisque regionibus degentes, ut ſuperque res ipſa teſtatur, imò adusque cadavera violenta morte peremta comperies, prout Hiſtoriæ narrant, & quotidie adhuc experiri poſſumus, cùm ſtrages edita fuit, edeturve, hominum qui ex tractibus frigidis & aquoſis illos calidiorum provinciarum adverſus belligeratum proceſſerant, utrinque cæſos diu pòſt dignoſci potuiſſe, quia illi frigidiorum regionum citò putreſcebant, hi areſcebant atque ſuperſtites manebant, in fervore integri hi prædurabant, quod balſamus eorum durabilior eſt cæterorum, prout magis minusvè materiæ humidæ continent, vel magis minusvè de Luce nocturnâ participant, quique eâ magis deſtituuntur, ii magis diurnâ Luce gaudent;Quemadmodùm nunc Sol perfectum ac majus eſt luminare diurnum,ita Luna, Planeta nobis proximus, perfectum Luminare Nocturnum eſt, quæ perennia ſunt in eorum Eſſentia, corporaque ea itidem perennia & durabilia præſtant,quæ ope eorum naſcuntur & renaſcuntur.Præterea ut Unicus eſt Sol,ac Unica Luna,eorum creata haud aliter quàm ipſis ſimilia, comparata eſſe poſſunt, unica etiam & perfecta, ut Aurum quod Philoſophi Solem appellârunt, & Argentum Lunam cæteraque quinque metalla ſimiliter pro re natâ,ſecundùm cæteros Planetas; quo ritè egerunt, perhibueruntque veritatem, quia unica corpora perfecta ſunt, Ignis illis nocere nequit, in eo ſtabilia permanent, in Igne Aurum vivit, ideò Philoſophi Salamandræ nomine illud inſigniverunt,quæ falsò nunc pro Animali habetur; Ignis temporaneus atque caducus ignem ſuum ſolummodò ex parte poſſidet, ut dictum, Sol autem Ignis & vita perennis eſt, ſolummodóque in ſibi ſimili vivere poteſt,quod etiam ſtabile corpus ſit oportet;Ac ſicuti Corpus eſt temporaneum in rebus omnibus, duobus exceptis his prædictis, quæ eorum ſimilia ſunt, & ab illis omnino participant, quâ ratione Corpora in primam eorum Eſſentiam, eâ Lux itidem ad Originem ſuam reverti debet; Caducum enim perenne non poteſt attingere; Prætereà Caligo ſtabilis ante Lucem adſit oportet, in quâ Lux ſuſcitetur, quod ſi tenebræ hæ perennes ſunt, Lux etiam perennis in eo habitare poteſt, primò juxta Spiritum, deinceps juxta Animam, qui ſpiritus, cùm ſit æternus, æternas illuminat tenebras, coaleſcuntque tenebræ in Lucem, & fit Argentum, quod eſt duplex, conſtituens Corpus in Carne Oſſibusque Auri, quod triplex eſt; Sicuti jam Sol magnum eſt Lumen diurnum, ita Lunam vincit, Argentumque omnino in Aurum convertitur, per id cæteri Planetæ quinque terreſtres transmutari, ac ad eorum ſimilem perfectionem perduci poſſunt, quoniam & illi ſunt Luminaria nocturna. Ulteriùs ſciendum, innumera Mineralia multa eſſe, ſtellarum adinſtar mutuò differentia, quæ cuncta perfectionem ſuam exſpectant, horum quædam cæteris faciliùs & citiùs ad perfectionem poſtremam pervenire poſſunt: Aurum & Argentum, quàm minutim dividantur, ſine jacturâ reduniri queunt, eò quòd omnes partes minimæ integræ ſint & perennes: veruntamen caducæ reddi poſſunt, quia nondum in unum coïere, hic autem interitus ex & ab ipſis incipere nequit, neque Auri, neque Argenti ratione, quia ſtabilia ſunt.

Iam quidam Amatores interrogarent, quo pacto contingeret? Replico; Eodem quo evenit in omnibus creatis, quo & in Heva accidit, adauctione tenebrarum, quæ ducunt originem ex principio eorum corporum, uti relatum; Imò tenebræ adeò excreſcere poſſunt, ut integrum ſpiritum in tenebras converterent: verùm quòd ſi Luna ſeu ſpiritus Solis Animam aut calorem in auxilium vocat, antequam ſubjugetur & vincatur, Spiritus corroborabitur, non ut ante corruptionem ejus erat, ſed hâc lucta & victoria tam fortis erit, Spiritusque ejus tantum multiplicabitur, ut imperfectorum fratrum decem ſtabiles reddere valeat; non autem hìc libertatem vel integram æternamque Unionem hoc certamine acquiſivit, ſed toties conflictum hunc repetere debet, qui jugè magis magisque accreſcet, ſecundùm Spiritus adauctionem, & caliginis, donec ad extremum pervenerit, nec ampliùs patiatur, Corpusque aquoſum vel tenebræ planè conſumtæ erunt, ac tùm eſt purum, ſempiternum, unitum & duplex Lumen, quod omnia illuſtrabit, absque detrimento & imminutione, omnesque fratres ipſius in ſui ſimiles perficere poterit, virtute propriâ retenta; Cùmque hoc in Sole contingit, Lunæ lumen immutatur, abſorbeturque in Solem, ut æquè Sol æternus, unitus & trinus fiat, id quod eſt poſtremum in æternitate (extra hominem;) Et hinc demonſtrari poteſt, quòd Euangeliſta Ioannes, Apocalypſeos tertio capite, ſimilitudine utatur eâdem, inquiens; *Suadeo tibi emere à me Aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induâris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ: & collyrio inunge oculos* *tuos, ut videas. Ego quos amo, arguo & caſtigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age. Ecce, ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno ejus. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.*

Sapientes; Gaudemus, quod intelligimus à te cognoſcimuſque Lucem elucentem ac vivificantem; effluentes pariter, agentes, fermentales, contagioſas, caducaſq; tenebras; per quæ reſciſcimus, quomodo Heva fructus tenebrarum tetigerit atque comederit; & quòd exinde tenebroſa & contagioſa devenerit; per effluentem ejus caliginem, tradebat id quod comederat, ut quæ id ipſum facta erat, Adamo, qui eodem veſcebatur: Similiter per diverſitatem Lucis elucentis à tenebris exſerentibus ſe intelligimus, quomodo Dei miniſtri per Lucem externa & ſempiterna opera patrare poſſunt, ut montes translocare, cæcis viſum reddere, ſurdis auditum, mortuos reſuſcitare: & viciſſim, malos caliginoſoſque homines extra ſeipſos ſolummodò operibus ſegregatis ac lethalibus deſignandis eſſe potes, emanenti eorum caligine. Percepimus quoque vitæ arborem in medio horti locatam fuiſſe, pariterque fuiſſe arborem Scientiæ boni atque mali, quod colligere licet ex Moyſis capite ſecundo, inſequentique tertio. Apprehendimus item, arborem bonam, fructus verò malos fuiſſe, præterea jam Arborem hanc cum Paradiſo cognoſcimus ex verbis tuis, idemque Moyſis, ſecundo capite; *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem, quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave: Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi lignumq; Scientiæ boni & mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phiſon; ipſe eſt qui circum omnem terram Hevilat, ubi naſcitur Aurum: Et Aurum terræ illius optimum eſt:* Porrò capimus & hoc, quod habetur cap. tertio; *Et cùm audiviſſent vocem Domini deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem*; id quod explanatur ulteriùs 18 Pſalmo Davidis, qui inquit; *Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat Firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat Scientiam. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit ſonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum. In Sole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo: Exultavit ut Gigas ad currendum viam, à ſummo Cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus: nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus. Lex Domini immaculata convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum,*

cidum, illuminans oculos. Timor Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi: Iudicia Domini vera, juſtificata in ſemet ipſa. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multùm: & dulciora ſuper mel & favum. Etenim ſervus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſervo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Domine adjutor meus, & Redemtor meus. Cognitum quoque habemus, mortalem hominem Arborem vitæ, attingere poſſe, eâque frui, cùm fuerit Cherub, isque fieri poteſt, teſtante Moyſe, 3. cap. Geneſeos; *Et ait; Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum: nunc ergò, ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum. Et emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, ut operaretur Terram, de quâ ſumtus eſt, Ejecitque Adamum: & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam Ligni vitæ.*

Quandoquidem nunc determinatum illud biduum effluxum, quódque brevi à nobis ſis relinquendus, prius inaudire avemus, quia initiatus es 4. Ordinibus minoribus, an cæteros tres ſimiliter ambias, ſive in Doctorem Medicinæ promoveri.

Mercurius; Sacerdotium magnum eſt munus, multaque requirit; nunc præſertim, de multis reſpondeant, ſintque perfecti oportet, cùm ritè defungi velint, quod capeſſere neutiquam auderem, niſi coactus. Doctoratum Medicæ Artis meritò defugio, quoniam ejusdem Profeſſores plerumque alienas fovent opiniones, minúsque veritatem ſectantur; At Deum orabo, ſibi placeat, in dies mihi concedere, voluntatem ejus exſequi totis viribus, adusque deſtituere vitam.

Sapientes fauſtæ noctis voto te beabant, adhortantes; Perge tuo in inſtituto, & agito, ut tibi ipſi, mediante die Saturni, in die Lunæ, per Diem Solis, libertatem procures, ut dictum; Demumque te commendamus poſtulationi ſubſequentium nos, qui te inſimulârunt, accuſârunt, atque convicerunt, ut omnia præfata Luci ederes: eos alloquere & exaudi, ut cuncta exſequâre obſervabunt, pro hoc biduo noſtræ Delegationi ſtetimus.

Adhæc, erga Dominos & Magiſtros hos Sapientes tuis gratiis defunctis, illorum ſectatoribus inquiebas; Veritatis amatores, ſummè honorati, cum minùs honoratis, nobiles ignobiles, quique adeſtis, neminem veſtrum ſeorſim novi (quamvis à vobis inſtimulatus fuerim) quia vultu jam mihi velato eſtis; Scitote, demiſsè me vobis omnibus ſupplicare notis, ignotisque, promtam meam opellam, benevolumque affectum haud gravatè ſuſcipere, omnibus ac ſingulis vobis ex cunctis viribus inſervire ſe devoventem. Quibus auditis, acceptum ſibi eminùs teſtabantur, ac notorum numerus ingens vela levare incipiebat, quidam literas tibi exaratas legebant, alii perſonabant Hymnis in honorem parentis tui, ejusque ſcriptorum, tibi miſſis, quo paterno præfigerentur operi; Ceſſante hoc applauſu, pòſt gratias tuas abſolutiſſimè peractas, perſequebâris; Multos veſtrûm novi, aliquos viſu & alloquio, cæteros celebritate magnâ, literis, & carminibus, à Gilinii Comite mihi ereptis, cùm abſente me ſpoliâſſet caſtrum, ubi inter reliquam meam ſupellectilem libros, ſcripta, & hymnos prædictos deprehenderat, quæ omnia ille cum Medicaſtro ſuo Galenico ſuperſtites non ſufferre poterant; hunc lugeo interitum, cauſam unicam, quod nullatenus lucem cernere potuerint. Quo precabare illis omnia proſpera ac ſalutaria in Domino, inquiens; Veſtræ flagitationi commemorata cuncta typis mandabo.

Quæ omnia, poſtquam meus Intimus ad inſtantiam mihi narrâſſet, paucis complectebar, eique monſtrabam; quibus viſis, typis vulgare monebat, ſubjungens: Si quis plura deſideraverit, modò ſit aptus, nunquam deero, quin pleniùs cuilibet pro re natâ inſerviam: Me ſequere, univerſum perambulo Orbem.

VATICINIUM
DE AUTHORE, POEMATE EXPRESSUM.

1. Medicina ante Hippocratem nuda apparuit, & vagabunda. 2. Dictum Hippocratis, invitans eam ad urbes. 3. Admirata reſpondet Hippocrati. 4. Laus Hippocrati debita. 5. Hippocrates Medentum primus, qualiter coluerit Medicinam. 6. Galenus ornatum linguæ dedit, non aluit, nec proinde illa crevit. 7. Idem Arabes fecere. 8. Sequaces utriuſque hujus ſectæ, idem fecere hactenus. 9. Paracelſus titulum Monarchæ arcanorum & Principis medendi ambivit infeliciter. 10. Medicina cultum paganicum ſpernit. 11. Optat ſpeculum, ut reflexo lumine clarior evadat. 12. Liber Authoris, poſteris pro ſpeculo inſerviet. 13. Medicina ſui, & authoris deſtinationes, explicat per vatem. 14. Laudat Medicina Authoris ſtudia. 15. Vates explicat laborum optatos fructus. 16. Cenſura Medicinæ de libro Authoris.

Forte Latogigenæ mæſtiſſima filia prolis, Medicina. 1
Percurrit rigidis hoſpita rura feris.
Et votis inimica ſuis, tum fata volutans
Arguit immites, numina ſæva deos.
Arguit: & nimia turbatis ſenſibus ira
Errat, & erroris cauſa, doloris erat.
Sic duplex clades: miſerum nam vindice fratrem, Æſculapium.
Flamma iracundi ſcit periiſſe Iovis.
Ferrea ternarum dum fregit jura ſororum,
Dicitur Æthereis hic periiſſe focis.
Provenit hinc dubiis incertus paſſibus error;
Provenit hinc mæſtis lacrima multa genis.
Errantem vidit, mox viſam, Cous amavit. Hippocratis. 2
Nempe placet niveis æmula forma roſis.
Alloquitur. Dryades reor, heic mea Nympha, puellæ
Sunt, & Cornigeri turba petulca Dii.
Hos tua nam campos ſacrat præſentia, ſacrat
Quæ decet Argolicam forma ſuperba deam.
Quid te montanas delectat viſere valles?
Quid juga ſaxoſis aſſimilata jugis?
Nonne placent altis urbana palatia tectis?
Nonne placent clari civica turba viri?
Nonne placet teneræ magis apta habitatio vitæ?
Et magis eximia conditione frui?

Vileſcant humiles, pubes indocta, coloni:
Vileſcant parvæ ruſtica tecta caſæ.
3 *Obſtupuit vultum, Majeſtatemque loquentis,*
Et geſtum magni Nympha decora viri.
Omnis purpureo mox lacryma ceſſit ab ore,
Et ſonuit mœſto nulla querela ſono.
Siderea in viridem dimiſit lumina terram,
Edidit & læſis gaudia certa notis.
Dicta ſibi exiguo meditata eſt verba momento,
Reddidit & Coo, talia dicta ſeni.
Hæc tua verba placent, unus mortalibus es tu,
Quem cupio: oblatum, muneris inſtar erit.
4 *Tecum habito: per te pellam Peſteſque, lueſque:*
Quin Morbus dum te viderit, æger erit.
Lucidus Eois, qua ſurgit Cinthius undis,
Occiduoque ſuos gurgite mergit equos.
Altius in quovis ſcandet tua gloria regno:
Quin lambent laudes ſidera ſumma tuæ.
Vnum poſteritas te clamatura magiſtrum,
Nec fomes quo laus creſcere poſſit, erit.
Te vivax patulum celebrabit fama per orbem,
Rumpent fatales dum tua fata Deæ.
5 *Cous agens meritas tanto pro munere grates,*
Largitur nuda talia dona Deæ.
Intacta niveam circumdat ſindone Nympham,
Quæ ſuperat cana lilia ſparſa nive.
Nil ſimile auricomus vidit, ſeu ſurgat Apollo,
Seu lavet occiduo fervida plauſtra mari.
Comta diu tali manſit Medicina decore,
Illam primævi ſic coluere Patres.
6 *Donec ſurrexit poſt ſæcula quinque Galenus,*
Totus in ornatum, nec dedit ore cibos.
Nempe dedit Tyrio ſaturatas murice veſtes,
Quas ornat multis fimbria torta nodis.

Diſtinguunt nitidæ fulgentia cingula bullæ :
Virgineum ditant carbaſa pulcra caput.
Venit Avicennas Panchææ gloria gentis : 7
Fertur & ornandis conſenuiſſe togis.
Innumero plures numero venere ſuorum, 8
Nil niſi qui tunicas excoluere datas.
Maximus Helveticis tandem Paracelſus ab oris 9
Oſtentans, dixit, ſe genus eſſe Deæ.
Illa tamen nitidas pretioſa monilia gemmas 10
Contemnit : divas nil juvat iſtud, ait.
Ornamenta nihil veterem ſpirantia faſtum,
Et magis opprobrio, quod magis artis erit.
Quorſum mille togæ ? mille oſtentacula luxus ?
Non decet hic vanus numina noſtra labor.
Quæſiſſe innumeros ſola ornamenta per annos,
Vah ! pudeat nugis invigilaſſe reis.
Atque utinam liceat, quam ſim formoſa videre ! 11
Nec non Iudicio pulchrior eſſe meo ?
Noſtraque judicibus ſpectetur forma Deabus ?
Atque probent omnes numina noſtra viri ?
Sed fors, Nympha, timent, faciem ſi conſpicis, omnes
Temnas, ac forma vivere ſola voles.
Si non vidiſſes propriam Narciſſe figuram,
Non foret inſpectæ mors tibi crimen aquæ.
Mortalis fuit ille, Dei ſum filia, Diva,
Quæ cupio facio, is, quæ voluere Deæ.
Quis mihi dat ſpeculum ? ſpeculum peto, clarior illo
Reddar, & ex toto corpore nævus erit.
Quis mihi dat ſpeculum ? Iuſtos Dea deſine luctus. 12
Nam parat en iſtud quod reget ora vitrum.
Ioannes Baptiſta dabit, cui nomen ab Helmont,
Quem Bruxella ſuo nutrit amœna ſinu.
Vaſe vel abſcedens ſi ſpiritus introit in vas
Hunc genium juro, maxime Coe, tuum.

Iſto imitatam ſpeculo mirabere formam,
Cui morbus, cui mors, cui male Parca, ſubeſt.
Non rapiet ſolitum damnoſa ſenecta decorem,
Ruga nec antiqua fronte, ſenilis erit.
Nec labyrinthæo poſt impediere reflexu,
Nam patet ex omni tramite recta via,
13 *Nympha inquit Vati. ſtatuit moderator Olympi*
Inſolitis mundus vapulet orbe malis.
Vt poſſit, Medicæ, quam magna inſcitia plebis
Noviſſe humanum turba miſella genus.
Scilicet electos voluit clareſcere, contra
Morborum numerum, barbariemque novam.
Et contra; voluit, propria rude ſponte fatiſcat
Vulgus, multorum trux homicida virûm.
Hærens quiſque ſui trita inter verba magiſtri:
Quod medicæ tactus ſit, putat artis apex.
Dum per circuitus vadunt, & ſenſa parentum
In nova reſtaurant, centuriaſque novas.
Inde nec à Coo ſunt auſi pergere greſſum,
Amplius haud artem quærere poſſe putant.
Sed quid aget mortale genus, jam lege medendi
Aſſuetum? propria cunctaque pelle pati?
Fixa premens veterum ſemper veſtigia patrum
Occidit heu proprio credula turba dolo.
14 *Depoſita urbanæ nondum prætexta ſaluti*
Nec fuerat patrio bulla ſacrata foro,
Dum noſtros juvenis thalamos expoſceret Author,
Percurrens veterum devia teſqua patrum.
Scilicet is ſuperos ſibi conciliarat amicos,
Qui fudere alto plurima vota Deo.
Nudaque ſupplicibus videat quò corpora verbis,
Viderat ut Cous, per ſua vota ſenex.
Permultos variis tranſegit ſumtibus annos,
Improbus afflixit ſedula membra labor.

Clarus luciferas ſeu vexit Apollo quadrigas,
Seu micuit rutilo Cinthia clara polo.
Abſtruſi famulæ noſcens penetralia cordis
Secreta Alchimiæ, non latuiſſe mei.
Illius ingentem per plurima dona favorem,
Perque humili fuſas quæſiit ore preces.
Vt tandem noſtrum ſibi conciliaret amorem,
Et coleret grati ſacra marita tori.
Effudit mæſtos inſomni pectore queſtus,
Ac maduit triſtes imbre tepente genas.
Noluit ætherei ſummus moderator Olympi,
Mitteret ut ſurdis irrita vota notis.
Hæcque refer vates: ſponde,& majora ſequentur.
Quiſquis morbus erit, pondere & unus erit.
Deſtinor Authori pretium dotale laboris
Vt jungar thalamo fœmina digna viro.
Binaque ſacrato ſociabit corpora vinclo.
Tu refer humano nuncia tanta gregi.
Triſtia nullius reperis contagia morbi:
Tradita quin tanto, ſitque medela viro.
Morborum fugiet Peſtis Regina, Podagra.
Calculus, Aſcites, ac macilenta Phthiſis,
Et quæcunque audax recluſit fœmina, poſtquam Pandora.
Inſcia in humanum ſumſerat arma genus.
Nunc igitur ſpeculi mea ſit cenſura libello, ut
Conjugii ſigno, ſic paranympha toro.
Latinum. ER. *R. notat Auſonium Veterum,notat Rque Pelaſgon,*
Græcum. RO. *R. notat Ebræum Dædalicoſque ſinus.*
Ebræum. RES.

Sic luſit fauſto poëmate.
D. S. d' A.
ſuo avunculo.

PROMISSA AVTHORIS.

DIcam errores Scholarum circa res,quas temerè fundamenta naturæ cenſuere ; dein in Naturæ decidentia, oſtendam defectus, ſive morbos, ab Anterioribus ignotos. Non oriri videlicet ex elementorum commiſtione, pugna, contrarietate, vel ametria, nec item ex qualitatibus, quas elementorum primas, & genuinas fingunt. Quocirca vanas eſſe complexionum, tam in temperatis, quam intemperatis meditationes. Docebo quoque nugaces eſſe humores quatuor, & quicquid illis hactenus eſt tributum, in perniciem humani generis,ab ethnicis, horumque cacodæmone excogitatum. Nimirum humorum compoſitionem, connexionem, qualitates, effectus, & inde ſomniatos morbos, eſſe mera figmenta ; falſa quoque eſſe laxativorum documenta, electiones , ſubductiones, & minorationes humorum , ſupponentia. Spes nimirum vanas, ſanationes incertas, experimenta in tanta ignorantiæ ignavia, periculoſa, artem conſtituiſſe non medicam : ſed conjecturas incertas,ſubterfugiis ſtudentes, ac humo, ſuos errores tegentes. Tandem ſpes vanas non minus, quam pernicioſas , pro veris venum dediſſe, Phlebotomiam verò nuſquam juvare, niſi per accidens,defectu ſcilicet artis,& pharmaci benignioris : ſemper verò, venæ ſectiones, vitæ longæ demere. Cauteria quoque, abſque fundamento introducta,poſtquam jam,effectu,remediorum ſuorum incertam,& languidam opem,fruſtra exploraſſent. Denique neque Tartaros,eſſe patratores infirmitatum, propalabo. Pariter neque morbos tribus initiis oriri , ut neque ex eſſentialibus,quas Chemeia jactitat. Vanitates quoque ſive figmenta catarrhi detegam, ut non ſit morbus , qui hoc parente gignatur. Errores tandem circa ventos edoceri, fundabo. Cœlum denique immune , indemnéve vindicabo, à morbis ſeminalibus. Cenſus medicaminum, ſimulque medentum abuſus,utrobique charitatis ergo,exponam. Interim morborum anatomen,per veras illorum radices inſtituam,ac nonnullos ſubinde, ſubter argumenti occaſionem , è communi errore ſequeſtrando , enucleabo. Nimirum Apoplexiam, Lepram, Aſthma, Aſciten , Podagram, Lapideſcentiam, Vteri ſquallores , Venenorum tandem , atque Peſtis tragœdias repræſentavi. Vt non per contraria, neque per ſimilia : ſed duntaxat per dotata, & appropriata, inſtituantur medelæ,& ſanationes. Quorſum ſanè opus fuit,totam antiquorum Phyſiologiam deſtruere, atque innovare Scholarum Phyſices documenta. Poſtremo de vitæ radice (de quo nemo) agam. Rogo Dominum Deum, ut ſua chariſmata,in palæſtram Medicam immiſſa,dignetur illuſtrare robuſtioribus ingeniis , largo roris imbre fecundare , tandemque tanti cauſam, maturare properè, hoc ærumnoſo ſeculo.

INDEX COLVMNÆ PRIMÆ.

1. INntentio Authoris. 2. Ortus Medicinæ, atque inde ſuccedens continua depravatio. 3. Scholarum & Sectarum ortus. 4. Majoris ſucceſſi Europæorum, credula ignavia. 5. Medicina quæ per Galenum introivit, poſt in circulum, ad molam eſt circumducta. 6. Penurioſæ Scholarum cæcitates. 7. Conſtructus incurabilium pudibundus Catalogus. 8. Contra Phlebotomiam, ab ejus Indicatione. 9. Errores ſolutivorum. 10. Nebulonum in medicinam introitus. 11. Galeni aliquot impoſturæ. 12. Qua facilitate Galenus Principatum medendi acquiſiverit. 13. Nil valuiſſe acumen Ingenii, ut nec Scholas ethnicas. 14. Quantum quis in Scholis ethnicis poſſit proficere. 15. Medicina, cur ſuprema, & obſcuriſſima ſcientiarum ſit. 16. Finis Medicinæ, ſtetit neglectus. 17. Demonſtrantur errores finium.

COLVMNA I.

1 QVanquam Philautia plerumque
excludit cognitionem veritatis,
quaque tamen homini nil datum
ſit pretioſius, attamen Chriſtianæ
pietatis plenum cenſui, docere
quantum mihi traditæ profecerint
diſciplinæ. Deliberavi itaque rem plane inſolitam,
nimirum vertiginis & ſocordiæ pocula,
evertere, quibus Scholæ hactenus inebriatæ,
mundum ineſcarunt, & impoſuere viginti & uno
2 ſeculis. Primus Hippocrates, rariſſimi doni
vir, & Adeptorum particeps, ſua experientiæ
aliquot tædia, ſine fuco edidit. Quoniam ejus
pauciſſima exſtant genuina, eaque adhuc alienis
deinceps placitis, & commentariis ſervire coacta:
quamvis pleraque ejus opera, ſint quiſquiliæ
3 adulteræ. Hanc illius itaque Induſtriam, non
tulerunt alii, ea nempe eſt dierum caries, ut virtus,
& veritas, ſuos ab ortu, habeant mox comites
æmulos: unde humana quævis, ſemper ruinis
fuere obnoxia. Etenim quæ rudioribus, ſed,
ſincerioribus ſeculis, charitatis ergo amplectebantur,
mox in lucro, commoditates, luxum, &
gloriam invenere. Succeſſit ergo dein charitati,
pietatis oſtentatio: & ex lucro vanitas, commiſerationem
delevit. Sic nempe medendi puritas,
in linguas, jactantias, controverſias, rixas,
& conjecturas migravit, relictaque fide fideli
priorum obſervationum, theoremata erexerunt,
ſocordiæ atque vertigini molliter accommodata.
Galenus dein quingentis annis junior hypotheſes
exſtruxit, complexionum humorum, &
graduum: promittens facili methodo, demonſtrationes
mathematicas earum rerum, quas ſola
Natura metiri poteſt, quæ ſibi in occultis eadem
reſervavit, ac tandem nonnulla ſolis Spagyris
patefecit. Galenus interim ſua theoremata in
ingens diſperſit, quæ poſtea Græcorum garrulitas,
adauxit in immenſum, quæque Scholæ, in
hunc uſque diem, ſuperſtitioſè colunt, quia alienis
laboribus ſibi tropæos fecere. Hinc itaque
ſtudium, in profeſſionem, & Academias tranſiit.
Quandoquidem Romanos (quos Græci Barbaros
vocant) Galeni poſteros, non piguit hunc
ſibi authorem proponere. A medendo namque
tranſilierunt in Medicos, & Medicinam erexerunt:
adeoque in limine erraruut, in hunc quoque
diem uſque, omen ſibi in nomine ſcripſere.
Quod ſcilicet non ab opere medendi, Medicinam
colerent, ac Medici eſſent, ſed à dicendo
ſolum, Medici dicendi eſſent, & profeſſio eorum
Medicina, totaque medicatrix ars, propria confeſſione,
duntaxat eſſet ſermocinalis futura. Nec
decus ex arte, qui tantum à dicendo nomen acquiſivere,
ſperare ſe, præſago Etymo denotarunt.
Mauritani poſtea palmam pollicebantur,
ubi pænè helleniſmus ſtudiis defloruiſſet. Europæi 4
verò deſperantes, velut tota animi vis ſibi
effeta eſſet, barbaris inventis ſtare, & peregrina
excoluiſſe, ſibi duxerunt ſatis. Illorum autem
commenta, in novas indies centurias redegiſſe,
nedum non ingeneroſum putarunt: ſed honori
duxere, ſapere, ex commentario duntaxat. Hinc
ſocordiæ poculum, Scholas veterno imbuit,
quiſque aſſentiri, quam indagare mallens. Inde 5
nec ab Hippocrate, Medicina progreſſum uſque
fecit: Sed quæ per Galenum adhuc retroivit,
deinceps in circulum circumacta eſt; unde
Scholæ vertiginem concepère; & Galeni præſtigiæ,
cantum cuculi imitantes, in eundem ſemper
circulum rotarunt. Dum enim ſtudia in lucrum
erecta ſunt, medicina circum molam rotata
eſt. Siquidem cum præter venæ ſectionem, 6
& laxativorum ſupellectilem, vix alia Scholæ
remedia adhuc hodiè agnoſcant, ſitque omnis
illarum conatus, ut ſanguine, ſtercoribus, balneo,
cauterio, ſudore, adeoque non niſi corporis
viriumque diminutione, itemque cruoris
putrefactione, (quam appellant purgationem)
miſeraque laniena, omnes corporis languores
tollere præſumant: Hinc factum eſt, quod ipſemet, 7
evanidos effectus admirantes, copioſam
erexerint incurabilium cohortem, velut deſperatione
adactæ, de illis morbis, non niſi pudibundam
mentionem faciant, ac curam palliati-

vam introduxerint, calamitate, atque deſperatione
8 plenam. Sola,inquam, Plethora, Phlebotomiæ
dicitur indicatrix, quæ de cætero ut nocet:
ita initiantis morbi acuti inedia, & ciborum
averſio, cum depopulante morbo, omnem Plethoram
primis diebus facile deplent. Neque inane
revulſionis, atque derivationis commentum,
magnopere profuiſſe, ſuo quandoque themate,
9 ſub febribus demonſtravi. Laxativa verò,
cum ſaltem novellum cruorem,è Mezaraïcis venis
emungant, illumque pro veneni illorum indole,
diverſimodè putrefaciendo, tranſmutent,
profectò, non niſi languidam ſpem ſanandi, per
eventum, confuſione, anxietatibus, & incertitudine
plenam, dedere hactenus. Itaque cæci
ſumus, niſi magno animo, tantæ mortalium cladi,
ægrorum, orphanorum, ac viduarum ſuſpiriis,
& mortuorum tandem commiſeratione ducti,
eamus obviam. Etenim præterquam quod
tam incerta, ac infida ſint ſcholarum ægris auxilia,
humanam quæſo ſortem mecum commiſeremur,
quæ vitam, & fortunas, arti conjecturis,
& incertitudine refertæ,ſuppoſuit,ut omne quoque
nebulonum, ac meretricum genus admiſerit,
quò in noſtros cognatos impune ſæviat.
10 Tantam ſcholarum, & ſæculorum ignaviam, &
cæcitatem,cum mecum perpendo, laudo Deum
ter glorioſum, quod parvulis in ſeipſo, multam
veritatem patefecerit, quam magnatibus & cathedris
occultavit. Ideoque Iudiciorum Dei
11 abyſſum, admirans, ſanctè adoro. Cæterum
Galenus, prædeceſſorum gloriam in ſe rapiens,
artem ſuam paucis contentam Regulis, in immenſa
volumina dilatavit. Placuit nimirum, ex
quatuor Elementis, corpora quævis inſtitui, &
ſuam inde integram quidditatem rapere. Adeoque
ad horum normam, quatuor qualitates, totidemque
complexiones ſimplices, mox totidem
qualitatum complexarum binarios,ac inde
quoque humores quatuor, noſtri conſtitutivos,
antè ab aliis ſomniatos, confirmavit. Dein, ex
illorum lucta, & diſcordia, tam ſimplici, quam
ſuis fictis humoribus ſociata, omnes propemodum
morbos, & ſanandi ſcopos, ſive indicationes,
prout ex illorum ſymmetria, ſanitatem derivare
ſtatuit. Morbum quoque omnem, eſſe
meram qualitate diatheſin. Quapropter,contrariorum
duntaxat contraria eſſe remedia. Qua
tandem neceſſitate compulſus, vires ſimplicium,
verbotenus è Dioſcoride, graduſque elementarios
diſtinguens, exſcripſit, ſeminalem,
& ſpecificam illorum poteſtatem, utrobique negligens,
12 quia neſciens. Qua quidem artis facilitate,
ſibi principatum medendi conciliavit,obtinuit,
& allecta poſteritas tanto compendio, veternus
ſopor, per fores ignaviæ, in Scholas irrepſit.
Cui excitando, utinam Deus ſuum honorem,
& mortales,uſumfructum quem opto,meis
ex laboribus capiant! Obgannient, ſat ſcio, plerique, 13
ſibi, ſuiſque lectionum fatigationibus detractum
iri dolentes, ſi ſolidam ſcientiæ Medicæ
veritatem, in ſolius Dei glorioſi donationem reſignavero,
minimum verò in acumine ingeniorum
ſperavero.

Sed utut ringantur, homo raſa & inanis tabula
eſt, debetque aliunde, & à Magiſtro unico,
ſuam acquirere doctrinam. De quo dicitur,quod
nunquam diſcipulus illum Magiſtrum ſuperaverit,
quia tantum unicus Pater, & unicus Magiſter,
qui in cœlis habitat. A quo omne bonum,
omnis lux, & Intellectus claritas. Chriſtiani ſanè,
profitemur Dominum Ieſum, unicam Patris
ſapientiam, omnis eſſentiæ, veritatis, & cognitionis
α & ω. Adeoque cum omne donum bonum,
nedum virtutum, ſed & cognitionum,deſcendat
à Patre luminum; quis poterit à Scholis
gentilitiis, ſcientiæ Medicæ teſſeram ediſcere?
Dominus etenim creavit Medicum, non Scholæ.
Poſſunt equidem Scholæ paganicæ habere 14
ſcientiam hiſtoricam,obſervatricem rerum contingentium,
regularium, & neceſſariarum. Quæ
eſt ſcientia memorativa facti. Poſſuntque &
Matheſin adipiſci: quæ eſt ſcientia applicationis
rerum ad menſuram. Poſſunt & demum rationalem
ſpondere, quæ ex alterutra harum, per
diſcurſus adaptationem, deducta eſt. atque utinam,
quantum per illa media poterant,ſolidè atque
ſincerè præſtitiſſent! Poſſunt inquam hiſtoricè
noviſſe aſtrorum & maris refluxus,quod
aqua ad planum & deorſum tendat, varias inde
ſequelas derivare, ac in axiomata ſtabilire. Noverint
inquam panificium, & cauſarum neceſſitates
aliquatenus connexas,ratiocinio adaptare.
Aſt ab ipſa ſcaturigine, ſive à priori iſtæc intelligere,
& ſapere, nulli, ſine Chriſti Domini peculiari
favore, conceditur. Eſt ergo ſcientia medendi 15
omnium poſtrema, maximéque occulta,
adeo, ut nec mirum, hodie etiamnum ejus prima
deſiderari è typis initia. Solertiores adhuc
ethnicorum, mundum ſua lege conſtare,reſque,
radices ſuas, in toto, ac ſpeciebus habere,quibus
vi propria, in æternum conſervatum iri ſpoſponderunt,
adeoque independentiam,ſive deitatem,
rebus ineſſe. Eheu! inde à vera Philoſophia,
& Medicinæ veritate, velut ebrii, circa luridas
deitates, & cœcitates, ceſpitarunt in tenebris.

bris: atque idcirco creata, horumque ſemina,ra-
dices,& cognitionem,neceſſariò neſcivere. Na-
turæ cognitio itaque, per conjecturas pueriles,
tentata quidem ab Ethnicis eſt : at minimè un-
quam adepta. Dolui ergo,cum commiſeratione,
quod hactenus non aliunde initia phyſica ſint
depromta.Quę uti hoc labore detegere ſtatui:Ita
humiliter, oro, faxit Deus, ne ſuum mihi talen-
tum ceſſerit in retributionem pœnæ, etſi in hoc
16 labore non, quantum volui, potuerim. Etenim
tota facultas Phyſica, apud hominem delata eſt;
Ideoque debuit hæc utique immediate ejus vi-
tam, hujuſque defectus omnes reſpicere. Ter-
minatur ergo Phyſica tota in uſum vitæ, inven-
tionem cauſarum, morbi & remediorum. In
quo poſtremo cardine, hactenus ſudatum pa-
rum,ſcitum nihil,multum verò promiſſum, plu-
rimumque neglectum, exſpectatum dudum, &
17 erratum ubique invenio. Siquidem morborum
cognitio, continet ſcientiam cauſarum, depen-
dentiæ, & appropriationis earundem, ad pote-
ſtates tutrices noſtri. In quibus hactenus toto
cœlo eſt erratum. Inventio autem remedii,præ-
ſupponit præfatas cognitiones, atque inſuper
poteſtatum,& virium, modum, inquam, & a-
gendi media, eorum autem remediorum appli-
cationem,præparationem,& deductionem, jux-
ta partium clientelas, & ſcopos. Continet quo-
que neceſſariò ſimplicium cognitionem, pote-
ſtates, actiones, mutationes, defectus, alteratio-
nes, alteritates, & connexiones, ſive dependen-
tias, tam invicem quam reſpectu poteſtatum vi-
talium. Singulæ verò deſiderant donum Dei pe-
culiare; Intellectum nempe, & experientiam
ſelectionis,ſequeſtrationis,præparationis,& gra-
duationis. De quibus nondum per Scholas tra-
ctatum eſſe demonſtrabo.

INDEX COLVMNÆ SECVNDÆ.

1. INſolitum requiri doctrinæ genus. 2. Artem ſtetiſſe per conjecturas hactenus. 3. Auctor ſuas excuſat rotunditates. 4. Nullum lumen ſibi à præceſſoribus. 5. Cur nova, ac inaudita omnia. 6. Prærogativa Medentum, præ aliis Artiſtis, & profeſſionibus. 7. Signa veri Medici. 8. Prærogativa Medicorum è Sacris. 9. Authoris reſignata libertas.

COLVMNA II.

1 AB ovo, Philoſophiam aggredi prorſus
debui. Rem inquam, nunquam theori-
cè indagatam, & minus exercitio atten-
tatam aut cognitam. Id eſt, inauditam verita-
tem palam facere ſtatui. Nam niſi perinde cum
morbis egerimus,atque agunt cæteræ artes,cum
ſuis objectis. Et niſi prævisum, indubiumque
morborum exitum polliceri & prænoſcere qui-
verimus, ægrorum optatui plerumque, more
aliorum Artificum, reſpondendo; ſignum eſt, 2
media, & finem, Arti conjecturali, & incertæ,
commiſſa ſtare: ubi inſcitia ductrix, & via, tra-
mes incertitudinis, tandem tenebræ euntem, &
ducentem, per calles ignotos, appræhendunt.
Multos mihi ſuccenſos fore ſcio. Inprimis qui 3
meam ruditatem, & ſeveritatem in repræhen-
dendo, jactantiæ intolerabili aſcribent. Dein,
tam illi, quibus cuncta, quæ ſuo non ſunt parta
arbitrio, diſplicent, nova omnia irrident,& hor-
rent; quam qui ſe omnia ſcire autumantes, di-
ſcere recuſant. Non potui tamen oſorum ergo,
talentum meum defodere, zelumque meum
proximo non patefacere. Itaque donata cogni-
tionis chariſmata, ſine invidia, fuco, lucri ſpe,
aut vana ambitionis gloriola,proximo detexam,
& quantum meæ ſatisfecerint experientiæ, lu-
bens oſtendam. Sperans oſtenta ſemel veritate,
facile, ditiori talento præditos, Reipub. me fu-
turos utiliores. Sic namque decet, diſciplinas,
per additamenta procedendo, indies ditari. E-
runtque hactenus proin poſteriores prioribus
obligati. Equidem magni creditur ſubſidii,mul- 4
torum ante me, libros evolviſſe: quia facile eſt,
aliorum inventis, ſua addidiſſe. Aſt in negotio,
quod aſſumſi, debile fuit è Scholaribus, omne
auxilii genus,laxumque mihi ideo avorum con-
ſilium, & ſubſidium. Vtpote ubi diſſero, quod
ipſus omnium ſcribentum calamus fuerit igna-
rus, & morbidus, perfacile diſcernere eſt,nullius
mihi prorſus arbitrium profuiſſe, obfuiſſe vero
inſigniter. Mecum proinde, ſcripta avorum
pugnaſſe, per aliquot annos,pro veritatis gloria;
ſincere, & candide proteſtor, atque profiteor.
Verùm nova, & inaudita omnia cum depro- 5
mam, inventa aliorum non interpretabor,ut ne-
que auctoritatibus certavero: & viſus ſum mihi
novus Medicinæ author,hactenus duntaxat no-
mine tenus, cognitæ. Ideoque dona, pro qui-
bus Creditor DEVS, me miſellum debitorem,
ſuo inſculpſit libro, in fœnus locavi. Paradoxa
ſunt omnia. Fateor. Etenim ſi alibi exſtarent,
inutilem me rixatorem, dierum meorum prodi-
gum, & iteratorem inutilem, præſumtuoſum,
æſtimarem. Quocirca ſi beneplacitum Patri lu-
minum, Avorum diebus, morborum auxiſſe
numerum, & nequitiam: credam pariter, non
inconcinnum ſperare, Bonitatem ſuos aperuiſſe

theſauros, ut cito, tuto, atque glorioſe demum,
ungat ſtigmata, & vulnera, quæ Pater Miſericordiarum
6 infixit. Scilicet is ille, qui Medicum ab
initio, ceu Mediatorem inter Deum, & hominem,
conſtituit: Imo ſibi in deliciis poſuit, à Medico
vinci velle, nimirum, ad hoc ſe creaſſe, peculiari
elogio, & elegiſſe teſtatur. Ita eſt ſane.
Non enim citiùs hominem punit Deus, infirmat,
aut interimere minatur, ſibi quam optet
opponentem Medicum, ut ſe omnipotentem,
etiam meritas immittendo pœnas, vincat propriis
clementiæ ſuæ donis. Hæc eſt Charitas Altiſſimi,
ſuper caduca quævis, æſtimabilis, quam
electis à ſe Medicis, à ſæculo eſt elargitus. Ille,
ille incompræhenſibilis, diſponens omnia ſuaviter.
7 Ejuſmodi autem Medici ſunt, in ventre
matris præparati (hoc namque, verbum, *creavit
ipſum Altiſſimus*. importat) ſuo fungentes munere,
nullius lucri intuitu, nudeque reflectuntur
ſuper beneplacitum (imo mandatum) Illius, qui
ſolus, verè miſericors, nos jubet, ſub indictione
8 pœnæ infernalis, fore Patri ſuo ſimiles. *Obedite
præpoſitis*, præceptum quidem: *ſed honora parentes,
honora Medicum*, anguſtius eſt, quam
obedite. cum cogamur etiam obedire minoribus.
Medicus enim Mediator, inter vitæ Principem,
& mortem. Deſiſto, maturè ſat, conſiderans
beneficia mihi immerito præſtita. Porro
nec Lectorem benivolum requiro, nec Momum
timeo. Liceat enim utrique diſplicere, cui eſt
licitum, omnem vituperare laborem, & ſcien-
9 tiam. Sic namque Deo ſtatutum eſt, ut nova,
ſuos continuo nanciſcantur duros cenſores, &
ingratos, ut plurimum. Renunciavi namque
magno conatu, Aulis placere, & Magnatibus, etjam
pendere ex arbitriis alienis, ſemper hoc æſtimans
ſervile, prout è contra, liberum plane,
non ſubeſſe cum illo ente, quod nemini, niſi
Deo, eſt ſubjectum: Nam etſi initio arduum eſſet:
ſolitum tamen mihi, id auſteritatis genus
elegi, geniale dein feci per aſſuetudinem, ac dulce
inveni. Atque utinam, id mihi non tam ex
arrogantia, quam curatioris ſcientiæ poſſeſſione
inoleverit! Subinde enim interim memor verbi.
*Deus diſperſit oſſa eorum, qui hominibus placent:
confuſi ſunt, quoniam Dominus ſprevit eos.*
Certo itaque ſcio, ſi largitoris ferat placitum, ſuper
ſata rorabit, incrementum dabit, eruntque
ſic conceptus mei Reipubl. humanæ proficui,
ſi adſit dierum plenitudo. Sin minus. Novit is
ſaltem, interiora mei, & Clementiæ ſuæ exſpectabo
retributiones. Sit ergo Deus; inter me,
& mundum, qui utrumque eſt judicaturus. Sit
nomen ejus ter glorioſè ſanctificatum, fiatque
ejus ſola, in omnibus ſanctificans voluntas.
AMEN.

COLVMNÆ TERTIÆ.

1. *QVibus mediis detur Intellectus.* 2. *Author quomodo falſitates depræhenderit.* 3. *Inſcitia medentum capitalis.* 4. *Difficultates Authoris, adhuc junioris, cum aliis Medicis.* 5. *Libros omnes deſeruit.* 6. *Quid peregrinando, ac quam parum didicerit.* 7. *Putavit dudum, Medicinam, eſſe Græcorum imposturam.* 8. *Quantum ex Paracelſo profecerit,* 9. *Ingenuitas Authoris.* 10. *Vnde Schola excuſationem mendicatura.*

COLVMNA III.

CHaritas orat, deſiderium quærit; & ne- 1
ceſſitates, ex commiſeratione, in anima
pulſant. Sic datur intellectus; Sane puduit
me, vel ab adoleſcente, quod operarius, vocatus
ad opus, illud promitteret, ſtaretque promiſſis.
Ego vero ad infirmum, initio morbi, & 2
conſtantibus adhuc ſibi viribus, vocatus, eundem
interire permitterem. Formidinis enim
plenus credidi, non ſat fore, dicere: *Non eſt in
Medico ſemper relevetur ut æger.* Et nata inde
licentia, temerè progredi, atque continuare in
opere medico, dicendo: Excuſabor, quia feci
quantum potui, juxta artis theoremata: Si ſcire
meum, undequaque defectuoſum, ipſæque artis
hypotheſes, in radice ſui, ſint carioſæ. Eſt ni- 3
mirum Medentum inſcitia, pergens male medendo,
ferè capitalis: Quippe nec impianda apud
Deum; ubi pellem pro pelle dabit homo.
Signum eſt namque, ejuſmodi Medicum, non
per fores; ſed per feneſtras intraſſe, falſumque
nomen ſibi arrogaſſe. Ego quidem, à teneris adhuc
oſſibus, ſcientiam ante divitias habui. Sci- 4
ſcitabantur nempe medentes, cur minus juxta
Galenum curarem, illoſque, ceu antecedentium
gregem, ſequi recuſarem? Spondebant quoque
annuè plures ducatos mihi in lucrum ceſſuros,
quam multis ſuorum ſimul: ſed poſtquam illorum
theoremata, apud me, ſuſpectæ eſſent fidei,
anxius inquiſivi ſecuriorem tramitem. Plus enim
ſcire anhelavi, quam ditari. Atque utinam
id pure, in me, propter Deum! Saltem ſufficientes
divitiæ venerunt ſimul cum aliquali ſcientia.
Mox didici, dubitare magis, de conſtantia
Theorematum Galeni, poſtquam conſpexeram
ipſamet Scholarum axiomata, eſſe ulceroſa; tum
demum paulatim, hunc conceptum, diſcurſu, &
experientia, magis magiſque confirmavi; nimi-

rum utrobique ignorantiæ ſemina, eodem contagio
in radicem medendi, & medentum animos
5 uſque penetraſſe. Deſerui itaque confeſtim,
omnes omnium libros, acribologias, atque
inanes Scholarum pollicitationes, credens firmiter,
omne donum bonum, de ſurſum venire
à Patre luminum, magiſque adhuc, Medicinæ
6 Adeptæ. Peregrinas aliquot Nationes perluſtravi,
& apud omnes eandem pænè ignaviam
& ignorantiam inveni. Quæ autem erant curioſiores
ſciendi, etiam propoſiti tenaciores, &
præſumtione circumſpectiores, quidem inveni:
ſed æquè, imo amplius, ignaras reliquis. Tædebat
interim ingenuè, laboris anteacti, & anxietatis,
diſcendo perpeſſæ. In librorum autem
multitudine, nuſquam ſolamen erat, aut ſcientia:
ſed promiſſa vana, abuſus, & errores plurimi.
7 Itaque dudum mecum reputavi, artem Medendi,
meram impoſturam, à Græcis introductam,
donec tandem Sacra melius me inſtruerent;
Peſtem, conſiderabam morborum calamitoſiſſimum,
in quo, ægrum quiſque deſereret, &
infidi auxiliatores, arti ſuæ diffidentes, ociùs fugerent,
quam indocta plebs, rudeſque Peſtis curatores.
Propoſui itaque avum unum, dicare
miſeris contagio imbutis. Quanquam tum nullum,
præter trivialia, medicamen, mihi enotuerat;
Deus tamen, à tam atroci hoſte, meam præſervavit
innocentiam. Non accerſitus enim, illos
ſponte inviſebam, non tam juvaturus, quam
diſcendi cupidus: omnes tamen me viſo, refici
videbantur, ſpe, & gaudio. Ipſe fretuſque ſpe,
me aliquando ex mera Dei gratuitate, potiturum
ſcientia Adepti; mihi perſuaſi. Poſt decennium
autem peregrinationis, & ſtudiorum, à promotione
in arte medendi, habita Lovanii, tandem
Anno 1609. jam conjugatus, me Gilvordiam
ſubduxi è vulgo, ut minus diſtrictus, pergerem
perluſtrando regna vegetabilium, animalium, ac
mineralium, curioſa analyſi, corpora aperiendo,
ſeparandoque univerſa, per ſolidum ſeptennium
indagaturus. Libros Paracelſi deriſa obſcuritate
obſitos, inveſtigavi, illumque hominem admiratus
ſum, & nimio honore proſecutus: Donec 8
tandem daretur Intellectus operum, & errorum
ſuorum. Non enim me amicus, dierum fur,
nunquam bacchus, aut ſynpoſia detinebant, qui
vina tunc nondum ferrem: ſed continuus labor,
per inſomnes ex ordine noctes, comitabatur
mea deſideria. Ac tandem edoctus, vires
corporeas alligari ſuis principiis, eaſque non dignè
cognoſci, abſque repagulorum reſeratione,
hymnum cecini Domino meo, quod ætatis, laborum,
impenſarum, & lucri neglecti, me nondum
pœniteret, dulcedine ſcientiæ Adeptæ,
compenſatus. Interim indignor mecum Lector, 9
quod vix liceat, conceptus meos in veritate
aperire, ſine læſione æſtimationis Authorum
prægreſſorum. At priorum me ſeculorum licentia
erexit, quæ Galenum fecit impunem, imo
laudatum, quamvis Eroſtratum, Aſclepiadem,
Protagoram, Eriſiſtratum, Herophilum (Moſen
hic non commemoro) pluresque anteriores, erroris
frequenter reos fecerit. Imo & Quintium
Præceptorem ſuum, carpſerit ſæpius, quem tamen
(licet empiricum) in pleriſque ſe ſecutum
teſtatur. Sed quid erit illis detrimento, tritam
viam calcatis, ſecurum autem medendi tramitem
ignorantibus? Quis enim intellectum habet, 10
quem non accepit gratis? fateor quidem,
errores Scholarum, imprudentiæ culpa, non veniſſe,
ſi dona ſemper pendeant ex datoris voluntate
libera, illaque non emergant ante juſtam
dierum, atque maturam plenitudinem. At ſemel
propoſitos errores noluiſſe agnoſcere, hoc tum
ſaltem in reatum cadit. Hippocrates noverat
certò, depopulantem curare Peſtem, & cum illo
iſta ſcientia obdormivit, ſic volente Altiſſimo.
An poſteri proin culpandi ſunt? non eſt enim
volentis, neque currentis; ſed duntaxat miſerentis
Dei: prout ſpernentis culpa eſt, veritati propoſitæ
non acquieviſſe, & manum attuliſſe illi.

CONFESSIO AUTHORIS.

1. *Murmur Authoris.* 2. *Medici in Hybernia præferuntur Italis.* 3. *Romani citra Medicos, vixere melius.* 4. *Somnium oſtendit ſuam animam Authori.* 5. *Modus mentis in intelligendo.* 6. *Qualis vicariatus mentis.* 7. *Qualis animæ apparentia.* 8. *Mens petiit ab Authore intentionem habitam in ſcribendo hunc librum.* 9. *Subterfugium Egoitatis in Authore.* 10. *Reſponſio mentis.* 11. *Confeſſio vanitatis incidentalis.* 12. *Quod Author viderit poſt pœnitentiam.* 13. *Altera viſio intellectualis.* 14. *Pœnitentia Authoris.*

CUm perlegiſſem hunc meum laborem, contentumque libri, uno velut puncto, compræhendiſſem in Intellectu abſtracto, dixi, cum ſuſpirio: *O curas hominum! O quantum eſt in rebus inane!* Quorſum 1

ſum convenit errores Scholarum perſequi?
Quidve utilitatis ſentiet Chriſtianus orbis? ſive
noverimus morbos prodire ab entibus conceptis;
ſive demum à caloribus, fictiſve humoribus
ſcaturire? miſer enim, an non in vanum laboraſti?
Quorſum enim tantus Theoriæ nitor?
nonne hæc cuncta fomitem præſumtionis habent?
2 Memini namque magnates Hyberniæ,
dare agrum domeſtico medenti, non quidem
qui ab Academiis inſtitutus rediiſſet: ſed ſanaret
ægros. Habet nempe is librum, ab Atavis ſibi
relictum, remediis refertum. Adeoque libri hæres,
ſemper agri illius hæres eſt. codex iſte, ſigna
morborum depingit, ac remedia vernacula. feliciuſque
ſanantur infirmi Hyberni, ac longe
fortiores ſunt, quam Itali, qui pagis ſingulis, ſuos
habent Medicaſtros, è cruore miſerorum viventes.
Dixi ergo mihi, Quis te vanus abduxit error?
quod magni momenti futurum proximo
ſis meditatus, ſi tuas diſputatiunculas Academiæ
irriſerint, & pedibus calcaverint? Et licet
non in finem glóriolæ tuæ ſcripſeris, vana tamen
ſunt omnia, in manibus hominum. Putaſti quidem,
ſi ſecus faceres, quod talentum conceſſum
3 ſepeliiſſes. Equidem nonne Romani, per quingentos
annos abſque medicis, & longe feliciori
ſanitate vixerunt, quam poſtmodum Græcis devictis?
unde Medicos clanculum receperunt?
felix nonne ætas eſſet, ſi aculei theoriæ, una cum
tribulis & ſpinis terræ, cremarentur, relictiſque
pone zizaniis, ſolo tritico veſceremur? Certe
neſcio, an fatigatione legendi, an verò obrepente
ſomno, hæ veritatis injuriæ, reſponſo indignæ,
4 animum meum terrerent. Saltem magna
mox quies me invaſit, & incidi in ſomnium intellectuale,
ſatiſque memorabile. Vidi enim animam
meam ſatis exiguam, ſpecie humana, ſexus
tam diſcrimine liberam. Confeſtim in ſpectaculo
admiratus hæſi, neſciens quænam in me
eſſet Egoitas, quæ animam à ſe diſtinctam cerneret,
intelligeretque intellectum extra ſe? ac
tum ſubiit in animam lux quædam, cujus comparatione,
lux viſibilis hujus mundi, viſa eſt
continere feculentas tenebras. Nec enim lux
5 iſta diverſa erat ab ipſa anima. Ideoque non habebat
aliquid ſui ſimile, in ſublunaribus. Tunc
ſtatim compræhendi, quod qui nunc unà cum
carne ſumus, per eandem, à vero lucidoque intellectu,
abſtrahamur: quodque anima intelligat
in pace, ac quiete, non ambiguo, extortæque
rationis ductu, cœcas veri Imagines, intricatas
fallacias, ac veri perſuaſiones, infauſtas plerumque,
ſibi inducens: nec excurſu ad ſimilia gaudens,
ſimilitudines, atque harum proportiones,
per relationes defæcans, adæquaret, nec deorſum
ad ſubſtratas facultates, in analyſin, atque
ſyntheſin pronas, ſe demitteret: neque diverſis
certitudinum afflatibus, paſſionibus, & infirmitatum
confuſionibus, agitata, cuncta ponderaret.
Sed notavi, quod caſſa jam, mentis priori 6
Majeſtate, oborta eſſet generatio altera. In qua,
anima ſenſitiva, mentis vicariatum ageret. Quæ
cum cognitione confuſanea, determinationum,
atque diſciplinarum excitamento indigeret, veri
intellectus locum jam complet, ſibi arrogat omnem
Egoitatem. Hinc namque didici, contingere,
quod ipſi non percipiamus, nos aliquid
intelligere, quamdiu principale agens, hujus
miſeræ, atque caducæ intellectionis, vim ſuam,
uſque ad ſenſus limites, non traduxit. Quare
etiam, nec reminiſcimur nos intelligere, niſi per
œconomiam ſenſivum; ejuſmodi actio in nos
propagetur. Nec enim idcirco advertimus nos
ſcire, niſi quando facultatum fit mutua quædam
traductio, ac velut actionum anguli, adverſis
agentibus ſcenicis, circa medium complicentur.
In hac igitur intelligentiæ dualitate conſtituto
mihi, ob animam verſata eſt comminatio Domini,
Iuſtitias noſtras judicaturi. Quod propo- 1. Eccl. 13.
ſueram inveſtigare omnes res, quæ ſub ſole ſunt;
Quodque Deus ter glorioſus, filiis hominum,
ſingulis occupationem ſuam dediſſet, ut ſeipſos
exerceant. Statuit igitur anima ſeipſam exami- 7
nare, in propoſita ſui Imagine. Iuxta illud:
*Quis enim ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis,
qui in ipſo eſt?* Poſtmodum aperuit tum
anima palpebram oculi dexteri. Erat enim non
quidem ſpecie oculi humani, tunicis, prunella,
& liquorum diverſitate diſtinctus: Sed oculus,
erat unicus glebulus, quale videtur aſtrum Veneris,
eminus. Qui oculus, licet eſſet longè fulgore
pulcherrimus: ſua tamen inſuetudine, me
perculſit. Lucebat autem tam intro, verſus fundum
animæ, quam extra per totam animam.
Dimiſitque radium, in ſplendorem intelligentiæ 8
illius, occultæ prius, quæ ſibi Egoitatem diſcretam
fabricaverat. Petebat autem ab animæ ſenſitivæ
thymoſi, ſive animoſitate, computum. An
videlicet in hujus libri compoſitione, ſemper reſignata
voluntate, cuncta nudè obtuliſſet, in placidiſſimam
Dei bonitatem, atque nutum? An nimirum,
unquam quippiam de ſe præſumſiſſet,
inſtar occupatorum, tota ſui vita, de titulo ſepulchri
cogitantium? quidve de ſe ſenſura eſſet
poſteritas? Aſt Egoitas, tanquam Intellectus 9
diſcutientis lumen, tolerare recuſans, ſe cona-
batur

batur intra corpus demergere , examen contemplativæ
veritatis ſubterfugiendo . Sed in
ejuſmodi viſionibus , quibus Intellectus appræhendit
Egoitatem : hæc ſtat , velut præter corpus.
Quapropter non potens ſe abdere , à radio
animæ , qui illam tranſlucebat , inſueto prorſus
modo , diverticulum quæſiit : quaſi præ verecundia
rei , ac loci novitate , petiit inducias perendinas
, ſperans uno fortaſſis craſtino, Intellectum
10 , cœpti forè immemorem. Aſt dixit anima.
Quæque dies ſuum onus habet , ſuumque
deſiderat computum. dilatione non eſt opus,ad
veritatis confeſſionem , cras quoque nil ſuppetiarum
eſt daturum. Sic itaque ſubductio,atque
11 mora ſunt ſublata. Tunc igitur faſſa eſt Egoitas ;
Fateor, lubenſque deteſtor, quod me ſubinde
contaminaverit , generalis hominum fragilitas,
ad conſuetudinem compoſita , credens , quod
honos, omnes merito, & ex condigno,aleret artes
, juxta Gentilium dictamen. Quo dicto,ipſa
Egoitas, ſenſit ſuam turpitudinem. Atque inde
adhuc magis, Intellectus , mœrore confectus
quaſi ſuſpiravit : cognoſcens meam intelligendi,
& nimis ærumnoſam egeſtatem, in corpore,quæ
adhuc nihilominus geſtiret applauſu hominum,
& vana gloriola potitus dubia. Enimvero ſpeciali
privilegio , ſoli Deo , competit omnis honor
, & gloria. Cognovi ergo quod bellum indixiſſem
Deo , & induxiſſem alienationem in
univerſum , vano conatu. Siquidem ordo rerum
univerſalis, eſt, ut omnia primario, ultimato
fine, atque totaliter, ſint in honorem Dei. Itaque
ut labor meus , non eſſet omnino reprobus,
(procul adhuc à bonitate) neceſſe fuit penitus,
hanc mei notam, piari ſerio. Quocirca huc ſpectabat
, exſpectabaturque pœnitentia ſupernè,
cum efflagitatione. Qua adveniente , alter tandem
12 oculorum ſe pandit. Vidi enim tum,quod
omnium rerum , quæ ſub Sole ſunt , indagatio,
eſſet donum bonum , deſcendens à Patre luminum,
in filios hominum , ad occupationem , ſeriamque
aliquam emendationem præteritæ inſcitiæ,
alias periculum inanis complacentiæ , à
latere ſubinde infeſtare. Quamobrem , rogavi
ſupplex Dominum, pro ſuæ pietatis complacentia,
cum vanitatis meæ omnimoda diſplicentia,
quod mei parceret , atque egoitatem ſemper in
13 me, reflexam , mortificare dignaretur. Interim
reſoluto animo decrevi , hunc librum igni ſepelire
: quod ipſum quoque præſtitiſſem, & exſequi
paratus jam eram , niſi altera intellectualis
viſio, ſe mihi obtuliſſet : Vidi enim coram,arborem
longe pulcherrimam, quaſi per totum horizontem
expanſam, cujus magnitudo , & amplitudo
, me inſigniter ſtupefecit. Erat conſperſa
floribus innumeris , odoriferis , coloriſque placidiſſimi,
ac luminoſi: quorumque ſinguli,gemmam
à tergo habebant, fructus vadem. Vnum
igitur de tot myriadibus, mihi decerpſi , Et ecce
odor, color, totaque gratia floris,confeſtim periere.
Eodem inſtanti, datus eſt mihi viſionis
intellectus. Nimirum dona Dei ſingula, eſſe florum
inſtar, & glorioſiora , quam Salomon in ſuo
throno : magnarum ſcilicet exſpectationum , ſi
in arbore remanſerint. At ſi homo , donum ſibi
appropriet , aut à ſua origine decerpere auſit ,
quanquam ſibi evaneſcat flos; manet tamen carptor
, debitor ſponſi fructus. Donum ergo Dei, 14
decreveram deinceps relinquere in ſua arbore,
nec quicquam mihi arrogare decerpendo ; fateorque
lubens , meam præteritam ingratitudinem
erga arborem. Quia quidquid ejus habeo,
gratis elargitum eſt, & ad tempus , mihi conditionaliter
conceſſum. Cæterum ex fundo animæ
, deteſtor vanam ſtultamque ignorantiam
meam , quod donum iſtud , peregrino radio in
me cadens , in me reflectere , primitus putaverim.
Nam ut ex fimo , fumus putidus : Ita ex literis
, faſtus lituræ aſcendit. Delectabar nempe
ente rationis potius , quam veritate ſolida : putans
fore,poſt mortem honorificum,quod nemo
merito magnifaciet. honorem nempe fore , applauſum
multorum, judicio errantium. Horreo
igitur , repudio ex nunc , atque renuncio laudibus
, quaſcunque unquam aliquis mihi daturus
eſt. Nunc demum ſentio , quas labes habeat vanæ
gloriolæ amor , qui bellum apertè eidem indixi.
Sciens, imo ſentiens, ex præterita viſione,
quanquam facile ſit laudem non capere , dum
non datur : attamen difficile eſſe,eadem non delectari,
dum offertur. Quia expertus ſum quam
horridum ſit, in futuro ſeculo , gloriam totam
Deo debitam, aliqua ratione frivola,ſibi ex parte
attribuiſſe. Deſiderabam ergo , ut liber hic, pro
communi bono emergeret, ſuppreſſo nomine,
ut auram vulgarem teſtarer me contemnere
poſthac.Sed obſtat Poteſtatum decretum.*Omnis*
anima ſubjecta eſt poteſtatibus. Iuvet me Deus,
fons omnis luminis boni , ut pergam ſerio meipſum
irridere , dum quandoque à tergo,ac ſubinde
à latere , antehac vana præſumtio irrepſit,
ne poſthac amplius me infeſtet quoquam modo.
Irrorabit ſuper ſata,ſi fortaſſis ipſi placuerit,
creſcitura,quæ in uſum proximi ſeminavi. Opto
interim, Chriſti fideles , me indignum , malum,
neſcium, atque temerarium judicari,modò pro-

ximus indè non ſenſerit detrimentum in medendo. Non enim inutilem, atque inſcium me æſtimaverit fruſtra. Imo ſi hæc mihi non ceſſerint in reatum, id abyſſalis clementiæ tribuo, quæ omnia vertit in bonum, ſe diligentibus, propter ſui immenſam bonitatem. Cui meas vanas laudes, ſuppliciter, ex meæ confeſſionis, & depreſſionis infirmitate offero, retribuo, atque ſuppono.

STVDIA AVTHORIS.

1. Ortus, & vita Authoris. 2. Author riſit larvatas Profeſſorum induſtrias. 3. Nuditas Authoris. 4. Solidiores ſcientias in otio proſecutus. 5. Vileſcebat Aſtrologia. 6. Canonicatum ſprevit. 7. Quis profectus ſtudiorum Lovanii, apud Ieſuitas. 8. Diſplicuit Stoiciſmus. 9. Stoiciſmum ſpernendum ex mandato. 10. Caſu velut in Medicinam raptus Author. 11. Defectus herbariorum. 12. Medicinam tantum supernè deſluere, Ideoque non poſſe tradi per regulas. 13. Non doceri per Authores, ſcientia infuſa inſtructos. 14. Impoſtura cujuſdam Profeſſoris Medici. 15. Cur ſtudium Iuris reliquerit. 16. Quanta authori ariditas, & nuditas à ſtudiis. 17. Quid egerit pro ſtudiorum initio. 18. Praxis detexit nuditatem medentum. 19. Oratio pro Scholarum erroribus. 20. Promiſſus Raphael in ſomnio.

1 ANno 1580, totius Belgii calamitoſiſſimo,
Parens meus obiit: fratrum
ac ſororum poſtremus, &
viliſſimus ego. In ſtudiis enim educabar.
Anno autem 1594, curſum
Philoſophiæ abſolveram, qui
erat mihi decimusſeptimus. Itaque cum ſolam
matrem haberem, videbar Lovanii, totus mei
juris & arbitrii factus. Quocirca videbam neminem
ad examina admitti, niſi tunica talari, &
cuculla larvatum, quaſi veſtis doctrinam ſponderet;
2 cœpi cognoſcere, quod Profeſſores, ab
olim, juvenes, in artibus proponendos, ludibrio
exponerent: delirii quoddam genus in profeſſoribus,
adeoque in toto mundo admirabar, ut &
ſimplicitatem credulitatis Iuvenum. Contraxi
me in calculum, ut ſaltem meo judicio cognoſcerem,
quantus eſſem Philoſophus; an veritatem,
an ſcientiam adeptus, ipſe examinabam.
3 Comperi, me litera inflatum, & velut manducato
pomo vetito, plane nudum, præterquam
quod artificioſè altercari didiceram. Tum prius
enotui mihi, quod nihil ſcirem, & ſcirem, quod
nihili. Sphæra namque in Phyſicis aliquid ſcientiæ
promittere videbatur, cui idcirco Aſtrolabium,
uſum annuli, & theoricas Planetarum adjunxeram;
Logiſticen ſimul & Algebram, loco
oblectationis, quoties aliorum lectio tædia adduxerat,
colebam: Quibus elementa Euclidis 4
nectebam. hancque doctrinam, ſocialem feceram
genio meo, eo quod veritatem contineret.
fortuito autem, ars Cyclognomica Cornelii
Gemmæ, velut altera Metaphyſica in manus venit.
Quæ cum Nicolaum Copernicum unicè
commendaret, non deſtiti, donec eundem mihi
familiarem feciſſem. Vnde didici vanas excentricitates,
alium cœlorum gyrum, adeoque non
impenſo tempore dignum, quidquid de cœlis
magnis laboribus acquiſiiſſe præſumebam. Cœpit 5
itaque vileſcere ſtudium Aſtronomicum penes
me, quod parum certitudinis ac veritatis
polliceretur, Inania vero plurima. Peracto ergo
curſu, cum nil ſolidi, nil veri ſcirem, titulum
Magiſtri artium recuſavi; nolens, ut mecum
morionem profeſſores agerent, Magiſtrum ſeptem
artium declararent, qui nondum eſſem
diſcipulus. Quærens itaque veritatem, & ſcientiam,
non autem apparentiam, me ſcholis ſubduxi.
Canonicatus opimus mihi promittebatur, 6
modo Theologiæ me emanciparem; ſed deterrebat
me S. Bernardus, quod peccata populi
comederem. rogavi autem Dominum Ieſum,
me dignaretur eo vocare, ubi maxime ipſi placerem.
Annus enim erat, quo Ieſuitæ Lovanii
cœperant docere philoſophiam, Rege, Proceribus,
& Vniverſitate, invitis; Idque cum illis à
Clemente VIII, vetitum eſſet, diſcipuli vero
illorum, ad gradum aſpirantes, ad Pædagogia
confluxiſſent, cæteros verò, ac ditiores, plauſibili
ſtudio alliciebant Geographico: alterque Profeſſorum
Martinus del Rio, qui prius Iudex
Turmæ Hiſpanicæ, ac dein in Senatu Brabantico
ſeſſus, ad Societatem allectus, confluxerat, Diſquiſitiones
magicas exponebat. Vtramque lectionem
ſuſcepi avide. Ac tandem pro meſſe,
ſolas ſtipulas inanes rapſodiaque pauperrima
collegi, judicio priva. Interim ne hora abſque 7
fruge evaneſceret, trini L. Annæum Senecam,
qui mihi impensè placuit, ac præſertim Epictetus.
Videbar itaque in morali Philoſophia, veritatis
ſuccum reperiſſe: ſtatim dein cogitavi, hanc
eſſe, pro qua Pythagoras, tot annorum ſtricta
exige-

exigeret ſilentia,judicium excellens,ac propterea
obedientiam inſignem. Tandem paucis mutatis,
videbam Capuccinum,eſſe Stoicum Chriſtianum.
Arriſit quidem ſtudium pro æternitate
: ſed pro tanta auſteritate, obſtabat valetudo
tenerior. Oravi Principem vitæ aliquoties,vires
daret, quibus nudam veritatem contemplarer,
immediatéque amarem; auxit hoc mihi deſiderium
Thomas à Kempis, ac deinde Taulerus.
Cumque per Stoiciſmum, me proficere in perfectione
Chriſtiana præſumerem, & certo ſiderem,
tandem poſt aliqualem in iſto exercitio
moram, & fatigationem, incidi in ſomnium.
8 Videbar factus Bulla inanis, cujus diameter, à
terra, in cœlum uſque vergeret : ſupernè enim
immineret ſarcophagus, infernè vero, loco terræ,
abyſſus erat obſcuritatis. horrui immenſum,
ſimulque excidi extra omnem rerum meique
notitiam. Ad me vero rediens, intellexi unico
conceptu: Quod in Chriſto Ieſu vivimus, movemur,
& ſumus. Quod nemo,vel nomen Ieſu,
ad ſalutem dicere, ſine peculiari gratia Dei, poſſit.
Quod continuo orandum ſit; *& ne nos inducas
in tentationem*, &c. Datus eſt mihi nimirum
intellectus, quod ſine peculiari gratia, ad
quaſlibet actiones, nil niſi peccatum nos exſpectet.
Quo conſpecto, & ſaporabiliter cognito,
admiratus ſum priores meas ignorantias; & cognovi,
quod Stoiciſmus me,inanem & tumidam
bullam, inter abyſſum inferni, & mortis imminentis
neceſſitatem, detineret. Cognovi inquam
hoc ſtudio, ſpecie mediocritatis, fieri me
arrogantiſſimum: quaſi libertatis arbitrii fretus,
gratiæ divinæ renunciarem, ac quaſi, quæ vellemus,
per noſmetipſos efficeremus. Abſit tale
nefas, dixi. Quapropter iſtam blaſphemiam,
Paganiſmo quidem indulgendam; at Chriſtianum
dedecere cenſui, adeoque Philoſophiam
9 Stoicam, hoc titulo, odibilem cenſui. Interim
cum nimia rerum aliarum lectione, tædio afficerer,
ac fatigarer, recreationis ergo, Mathiolum,
ac Dioſcoridem volvebam, ducens mecum,
nil mortalibus æquè neceſſarium, quam
10 Dei gratiam, in vegetabilibus admirando, propriis
miniſtrare neceſſitatibus, fructuſque eorundem
carpere. Mox dein comperi, à diebus
Dioſcoridis, nil artem herbariam increviſſe;
quinimo hodiè ab ipſo traditis herbarum iconibus,
nominibus atque faciebus, plantarum, utrimque
duntaxat diſputari : nil verò virtutum,
proprietatum, ac uſuum,eſſe adjectum priori inventioni,
atque hiſtoriis: Præterquam quod poſteri,
confinxerint gradus qualitatum elementariarum,quibus tota herbæ craſis tribuenda eſt.
At cum ducentas fortè herbas, unius qualitatis
& gradus, diverſas habere proprietates comperiſſem,
atque aliquot diverſarum qualitatum, ac
graduum,ſymphoniam (puta in potionibus vulnerariis,
habere, in productione ejuſdem effectus,
cœpere mecum vileſcere,non quidem herbæ,
(pentacula divini amoris,) ſed ipſi Herbarii:
cumque cauſam inſtabilitatis effectuum, tantæque
obſcuritatis, in applicando, ac medendo,
mirarer: Inquiſivi, num eſſet liber aliquis, tradens 11
axiomata, & Regulas Medicinæ? Rebar
namque medicinam doceri, ac per diſciplinam
tradi poſſe, inſtar artium, & ſcientiarum, adeoque
eſſe traditivam: Non autem, quod eſſet merum
donum. Saltem cum Medicina ſit ſcientia, 12
donum bonum deſcendens à Patre luminum,
cogitabam, quod haberet ſua theoremata, ſuoſque
Principes Authores, ſcientia infuſa inſtructos,
quibus, tanquam Beſaliel & Ooliab, Spiritus
Domini inſpiraſſet morborum omnium
cauſas, & cognitionem,ſimulque ſcientiam proprietatum
rerum. Cogitabam itaque hos illuſtratos,
eſſe anteſignanos Profeſſores medendi.
Inquiſivi inquam, an non eſſet alter,qui deſcripſiſſet
vegetabilium dona, proprietates, applicationes,
& convenientias, ab hyſſopo uſque ad
Cedrum Libani? Reſpondit mihi profeſſor quidam 13
Medicinæ, nil horum in Galeno, vel Avicenna
deſiderari poſſe. At cum non eſſem credulus,
nec apud ſcriptores reperirem certitudinem
quæſitam, illam ſuſpicatus ſum juxta veritatem,
quod dator Medicinæ, maneret continuus
ejuſdem diſpenſator. Itaque anxius, & incertus,
cui profeſſioni me reſignarem,reſpexi ad
populi mores, leges, ac Principum placita; vidi
jus, eſſe traditiones humanas, incertas proinde,
inſtabiles,& veritatis expertes: Quippe quod in 14
humanis nulla eſſet ſtabilitas, nullaque ſcientiæ
medulla; videbar inutilem vitam tranſigere,ſi in
placitis hominum illam traducerem. Cognovi
denique, meipſius gubernationem mihi ſat fore
difficilem,judicium verò de bonis, ac vita aliorum,
eſſe obſcurum, & mille ſpinis obnoxium:
Quapropter prorſus ſtudium juris, aliorumque
regimen, abnegavi. Ex altera parte inſtabat vitæ
humanæ ærumna, & Dei voluntas, qua quiſque
ſe tueri debet, quam poteſt longiſſimè; propendebam
autem ſingulari aviditate, in rerum
placidiſſimam naturalium cognitionem: & prout
anima, ſerva advenit ſuis inclinationibus,
omnino in ſcientiam naturalium, inſenſibiliter
lapſus ſum. Legi itaque Inſtitutiones Fuchſii,

& Fernelii, quibus totam Medendi ſcientiam, velut per Epitomen, me inſpexiſſe cognovi, & ſubriſi mecum. Siccine ſcientia medendi traditur, abſque theoremate, & doctore, qui ex Adepto medendi donum hauſerit? Itane tota naturalium proprietatum hiſtoria, clauditur qualitatibus elementariis? Itaque legi opera Galeni bis, ſemel Hippocratem (cujus Aphoriſmos pænè memoriter didici) totumque Avicennam, &

15 tam Græcos, Arabes, quam modernos forte ſexcentos ſeriò, & attentè perlegi, ac per locos communes annotans, quidquid ſingulare mihi in iis, & calamo dignum videretur. Tandem collectam ſupellectilem relegens, cognovi meam egeſtatem, piguitque me inſumti laboris, atque annorum. Cum ſcilicet libros omnes, eandem cum inſtitutionibus cantilenam canentes, animadverterem, ſolidi nihil, nihil quod ſcientiam

16 veritatis, aut veritatem ſcientiæ ſponderet. Interim vel ab initio, comparaveram à Mercatore, omnia ſimplicia, ut tantillum ſingulorum penes me ſervarem, deinde ab Amanuenſe officinarum, ſive ſimplicium collectore, habui omnes plantas uſuales patriæ noſtræ: ſicque plurium cognitionem, per vultum eorundem, didici. Simulque perpendi mecum, quod faciem quidem ſimplicium, & nomina agnoſcerem: nil minus autem, quam eorundem proprietates.

17 Volui itaque comitari practicantem Medicum; mox inſufficientiæ, incertitudinis, & conjecturarum medendi, me etiam atque etiam pœnituit. Noveram quidem problematicè diſputare, de quovis morbo; at ne dolorem dentium, radicitus curare ſciebam, vel ſcabiem. Vidi denique febres, morboſque obvios, nec certo, nec ſcienter, nec tutò curari: Graviores autem, & qui non ſponte ceſſant, plerumque incurabilium in catalogum deſtitui. Subiit mihi tum in mentem, quod ars medendi, inventum eſſet impoſtura plenum, citra quod Romani feliciter quingentos egerant annos. Reputavi, artem medendi Græcorum, falſam eſſe: remedia vero ipſa, aliquot velut experimenta, juvare abſque methodo non minus: quam quod eadem remedia, cum methodo, pleroſque fallerent. Vtrobique, canonum medendi, in complexionum diverſitatibus fundatorum, fallaciam, atque incertitudinem depræhendens, dixi, corde mœſto, Bone

18 Deus! quo-uſque eris mortalibus ſuccenſus? qui hactenus ne unam veritatem, medendo tuis Scholis recluſiſti? quouſque populo te confitenti, veritatem denegabis? hiſce diebus pluſquam præteritis neceſſariam? An tibi placet holocauſtum Moloch? vis tibi vitas pauperum, viduarum, & pupillorum, ſub miſerrima morborum incurabilium tortura, & deſperatione, conſecrari? Quomodo ergo non ceſſas, tot familias perdere, per medentium incertitudinem & ignorantiam? Concidi in faciem, & dixi. Domine, ignoſce: ſi favor in proximum, me extra limites abripuit. Condona, condona Domine, indiſcretæ charitati meæ; nam tu es radicale bonum ipſiuſmet bonitatis. Noſti ſuſpiria mea, & quod fatear, quod nihil ſim, ſciam, valeam, poſſim, & habeam, ſim egenus, nudus, vacuus, inanis: da Domine, da, ſcientiam creaturæ, ut creaturam tuam intimè noſcat, ſe primum, cætera præter ſe, propter mandatum tuum Charitatis, ultimo in te, omnia, & ſuper omnia.

19 Quod cum à multo tædio, & animi fatigatione, intensè oraſſem, forte in ſomnium deductus ſum, & vidi totum univerſum, in conſpectu veritatis, tanquam aliquod informe chaos, quod merum penè nihil eſſet. Et hauſi inde conceptum unius verbi; Qui ſignificabat mihi, quæ ſequuntur. *Ecce tu, & quæ vides, ſunt nil. quidquid urges, minus quam ipſum nihilum, in conſpectu Altiſſimi. Ipſe ſcit fines omnes rerum agendarum; tu, tuæ ſaluti ſaltem intendas.* Imo in iſto conceptu, erat præceptum intrinſecum, quod fierem Medicus, & quod mihi daretur quandoque ipſum Raphael. Actutum ergo, ac deinceps per triginta ſolidos annos, ſubſequenteſque ordine noctes laboravi, meis impenſis, ac vitæ detrimentis, ut vegetabilium & mineralium naturas, atque proprietatum cognitiones, adipiſcerer: interim non ſine oratione, lectione, ſcrutinio rerum, errorum meorum trutina, & experientiis diurnalibus conſcriptis vixi. Tandem cum Salomone cognovi, me, fruſtra adhuc plerumque ſpiritum meum torſiſſe, vanamque eſſe ſcientiam omnium, quæ ſub Sole ſunt, vanas curioſitatum indagationes. Et quem Dominus Ieſus vocaverit ad ſapientiam, ille, & non alius, venturus eſt, Imo qui ad faſtigium pervenerit, minimum adhuc poterit, niſi Domini favor benignus affulſerit. En ſic adolevi, factus vir, & nunc quoque ſenex inutilis, & ingratus Deo, cui omnis honor.

VENATIO SCIENTIARVM.

1. MEns non eſt rationalis; ſi Dei imago. 2. Scholarum opinio de Ratione. 3. Viſio ſomnialis de Ratione. 4. Mentis dialogus cum ratione. 5. Prima impoſtura Rationis. 6. Mens elegit intellectum. 7. Suſpecta evadit Ratio, propter impoſturas. 8. Tædium mentis, de ratione. 9. Ratio à peccato incœpit. 10. Anima ſeparata à corpore, qualis ſit ſcientia. 11. Mens, veſtes Rationi detraxit in aufugio. 12. Ex abuſu, Ratio intrat in conſilium mentis. 13. Ratio gravat mentem. 14. Ratio ad ſe ipſam reflexa, multos parit errores. 15. Ars magna Lullii ventilatur. 16. Modus ſeparandi Rationem à ſe. 17. Ineffabile lumen intellectuale. 18. Senſus immortalitatis animæ. 19. Ratio non eſt lucerna, de qua Salomon. 20. In qua parte habitet ſyllogiſmus. 21. Ratio generat caliginoſam ſcientiam. 22. Scientiæ præmiſſarum, ſunt à lumine lucernæ. 23. Mens non fallitur, niſi à ſua ratione. 24. Ratio ſepelit intellectum. 25. Ratio noſcitur in pauperrima ſui nuditate. 26. Intellectus recuſat uſum Rationis. 27. Ratio & veritas, ſunt diſparata in ſuis radicibus. 28. Ratio non convenit cum cognitione concluſionis. 29. Rationis definitio. 30. Defæcatiſſima Ratio, eſt adhuc fallax. 31. Quid Rationalitas & Ratiocinatio. 32. Quid veritas intellectualis. 33. Imaginatio eſt modus intelligendi obliquus. 34. Bruta eſſe ratiocinalia. 35. Vituperoſum rationale, pro homine. 36. Vera definitio pro homine. 37. Scholæ plus Ariſtoteli, quam Paulo auſcultant. 38. Animal, in definitione hominis, eſt natura corrupta. 39. Quale Rationis ſceleton. 40. Progreſſus ad ſcientias venandas. 41. Duplices imagines in anima. 42. Vbi ſiſtatur mentis progreſſus. 43. Progreſſus verior quomodo fiat. 44. Nova Intellectio, ſive labor Sophiæ. 45. Intellectum coincidere cum intellectis, & quomodo iſtud fiat. 46. Quare fiat tranſmigratio intellectus. 47. Memoria, & voluntas abſorbentur. 48. Quidditas cogitationis Intellectualis. 49. Quomodo Dei Imago fulgurat. 50. Qui mens intuetur intellectum ſub forma arrepta. 51. Rabbinorum error, de hoc ſtatu animæ. 52. Qualitas intellectus, dum ſtat in iſto lumine. 53. Quare, & quomodo Intellectus ſe transformat. 54. Quomodo intellectus ſeipſum aſpicit. 55. Qualis ſit intelligibilitas. 56. Quomodo anima ſeipſam intelligens, intelliget qualibet alia. 57. Vnde iſta intelligendi difficultas. 58. Accidentia cur non comprehendantur per Intellectum. 59. Errores Scholarum circa diviſionem Intellectus. 60. In intellectualibus, pati, nobilius eſſe quam agere. 61. Ariſtoteles non cognovit verum intellectum. 62. Fantaſia non penetrat res, nec viciſſim res intrant in eam. 63. Octo axiomata de Intellectu, quæ neſcivit Ariſtoteles. 64. Diviſio Prædicamenti Subſtantiæ.

VENATIO SCIENTIARVM,
INCIPIT à NOSCE TE IPSVM.

RAtio putatur vita animæ, ſive vita 1
vitæ noſtræ. Ego autem credo,
quod omnipotens, ſit ſolus via, ve-
ritas, vita, lux, viventium, & re-
rum omnium; non hoc eſt autem
Ratio. Atque ideo quod mens no-
ſtra debeat eſſe Intellectualis; non autem ratio-
nalis, ſi Dei ſimulacrum proximum referre de-
beat. Paradoxon iſtud elucidandum, ad ſcibi-
lium cunctorum, Adeptorumque in primis in-
veſtigationem. Voto meo, omnis Philoſophia
incipit, & procedit à cognitione ſui ipſius: ſive
phyſica illa fuerit, ſive moralis. Intellectum ita- 2
que, atque noſtri cognitionem abſtruſam, pro-
ponam, quantum mea aſſequor tenuitate. Fert
enim opinio Scholarum indubia, quod Deus
nil pretioſius largitus ſit homini Ratione, per
quam ſolam à brutis diſtinguimur, cum Angelis
vero ſymbolizamus. Sic quoque & ego, à tene-
ris annis perſuaſus, credidi. Sed poſtquam diſ-
cretio adoleviſſet, & animam meam ſemel in-
tuitus eram, prorſus aliter ſenſi: fateor interim,
me malle ſapere in occulto, quam velle videri ſa-
pere; plus autem ſemper diſcere avidum, quam
docere anniſum. Attamen debui quædam do-
cere, ne talentum ſuſceptum defodiſſe, reperiar.
Quamobrem Ratio ſemel ſe oſtendit, in qua- 3
dam viſione, animæ meæ, in forma ſpiſſioris, &
caliginoſæ nebulæ: & proponebat, ſe eſſe nutri-
cem, ductricem, & tutricem mentis, à Deo ſic
ordinatam, ad omnis, etiam ſolidi boni, conſe-
cutionem. Imò proteſtabatur, ſe eſſe clavum
curſus vitalis, proram, & puppim mentis, atque
adeo inventricem omnium ſcientiarum. Primo
enim intuitu, gratulabunda anima Rationem ſuſ-
cepit, penes ſe quieſcere optavit, cum benepla-
cito, in gaudio, & jubilo. Quia ſic olim mens ſibi
perſuaſerat, ſic edocta. Attamen mox, ne creduli- 4
tatis lenitate peccaret, adorſa eſt Rationem pro-
priis armis, dicens. Si itaque ratio, in mei ſervi-
tium, es deſtinata, non ego te; ſed tu me, ſequi de-
bes: Quippe, quæ nil affirmas, vel demonſtras per
diſcurſum, quin ego id tibi prius ingenuerim.
Quo pacto ergo jam diſcipula, ſupra magiſtram,
filia ſupra parentem, tutelam prætendis? Ar-
gumentum iſtud primum ex mea arrogantia,
docuit me, nil ſuperbiâ, animæ eſſe vicinius:

quam tamen elationem, ex inobedientia oriundam
, pallio virtutis texit, ne ſcilicet credulitate
abduceretur. Reſpondit autem Ratio; non quidem
categorice: verùm duntaxat, ut formidinem
in mente generaret, & ſic ſcrupuloſitate, illam
in vota ſua traheret. Dixit nimirum, Salutem
5 animæ nullam, abſque ratione acquiri; Perituros
videlicet mortales, ſub ſenſuum illecebris,
niſi per Rationis habenas vitia coercerentur.
Cui indignabunda mens, ait: Apage! nil
horum ex te, aut per te: quorum cognitionem
ex fide, & exſecutionem ex clementia, ſuſcipio.
Imo fides jubet, quod pro ſe, te deſeramus.
Centum namque ſectiones, & rimas in fide, tua
peperit flexilis impoſtura, etiam defecatioribus
viris. Quælibet autem ſectio, ſuam habet ſophiſmatis
rationalem inductionem. Quia Ratio, parit
utrobique, tantum putationem, loco fidei.
fides autem, ex gratia eſt: non ex te ſubdola.
Quæ ſagaciſſimos quoſque, in te confidentes,
deludis, atque miſerè abducis, ad barathrum miſeriarum.
Finaliter conſideravit mens mea, per
fidem, quod veritatis tantum unica eſſet forma,
& eſſentia: & quod omnis intellectus, ſemper,
6 tantum eſſet verorum. Quocirca in electione,
rata eſt mens mea, intellectum præ Ratione, magnifacere.
Ideoque cœpit vereri, ne Ratio, quæ
tot hominum myriades, ſpecie pietatis, veritatis,
& Religionis, ſub multiplicate errandi, vafrè
falleret, tanquam placida adulatrix, & callida ſeductrix,
7 ipſam ſeduceret. Suſpicataque eſt ergo
mens, quod Ratio, nedum in fallaciam, & ſuiipſius
obſequium, fingeret ſuadelas, quoties
mens, eam in Iudicem, ſive Aſſeſſorem, deligeret:
verum etiam, quod Ratio, plane ſe in paraſitam,
& in ſervitutem daret deſideriis, etiam
ſummè religioſorum: pluſque putationis, temeritatis,
& ſtoliditatis, quam ſcientiæ, ac veritatis,
ſecum adduceret. Quippe quæ facile per linguas,
nunc ad unum, nunc vero ad alterum extremorum,
nutabunda flecteretur: rationeſque
ubique inveniret, fingeret, & ſubſterneret, juxta
placita deſideriorum. Imo non raro ratiocinando
procedat, quod extra rationabile excidat,
maneatque indefinitè indiſtincta, & in inſcitiis
incerta, quas tamen enodare pollicebatur. Subinde
quoque, Ratio, animas dementavit, quæ
ſuis perſuaſionibus nimium confiſæ, ſe illi emancipaverant.
8 Aliis demum, per inſulſas, importunas,
indiſcretas, & fruſtraneas ſolicitudines,
filum vitæ præcidit. Hauſit ergo mens tædium,
ab rationis Imperio, magiſque, quod ſciret
rationem, ſuæ œconomiæ domeſticam, præſumeret
vero pediſſequa, totum mox animæ
dominium. Recordataque mens verbi divini,
quod *domeſtici ejus* ſint *inimici ejus*, nauſeam
ſuper Ratione concepit. Et utrimque averſio,
nondum ſat fundata eſſet, tamen vires acquiſivit
eundo. Inde ergo, initio cœpit anima Rationem,
non amplius ut partem, aut poteſtatem
ſui, contemplari; ſed velut peregrinam hoſpitem,
ab eſſe mentis, plane deciſam, atque neutram.
Idque poſtquam anima, per fidem ſciret,
ſe à corpore ſemel ſeparatam, non amplius rationis
indigam: hanc proinde eſſe caducam, 9
mortalemque; imo & cum morte nobis advenisse,
in naturæ corruptione. Scit nempe mens, 10
ſe poſt mortem, habituram omnem ſuam cognitionem
ſimul, plenam, nudam, non ſucceſſivam,
non vi præmiſſarum extortam, non expugnatam,
non fallacem, diſputabilem, aut dubiam.
Nec ſe à morte, facturam demonſtrationes, ut
unum ex altero concludat, trahat, cogat, diducat,
vel reflectat, ſive id fuerit ad concipiendum,
ſive vero ad notificandum. Rationem ergo caducam, 11
etiam ab anima fugitivam, mens apprehendit
chlamyde, illamque omni veſte, in nuditatem
uſque, ſpoliavit: Atqui tum menti confirmatum
eſt, quod Ratio, nobis relicta, adveniſſet,
tanquam ſtigma à tortore, in calamitatum,
caſuſque noſtri memoriam. Et quod ſcientia
boni & mali, eſu pomi acquiſita, eſſet ipſiſſima
Ratio, tantopere à mortalibus adorata. Deinceps
itaque, anniſa eſt mens recedere, non quidem
contra, ſed ab Rationis uſu: abſtinendo ſcilicet 12
ab omni diſcurſu, in contemplatione rei,
ut res eſt, bona, vera, & ens in actu. Id autem
non potui mox obtinere, eo quod invitam animam,
ut umbra corpus, continuo comitaretur
Ratio, quæ injuſſa, in mentis concilium advenit,
ex veteri poſſeſſione, & non ſat accurata
clauſura noſtri concilii. Hocque titulo, adhuc
oneroſior, triſtior, tædioſior, & nebuloſior mihi
fuit deinceps Rationis converſatio. Tum ſiquidem 13
cœpi ſentire, quod Ratio animam angebat
multiplicitate, inani complacentia ſcientiarum,
& virtutum ridicula diſquiſitione tentabat; vitæ
ornatum promittens, coram mundo, deaſtram
Rationem adorante. Quapropter intellectum,
& voluntatem, in ſui placita miſerè trahebat, &
memoriam ſic onerabat, ut mox in virilitate
mea, memoria, ut aſinus, ſub ſarcina caderet, &
defectum acquireret. Mens ergo, Rationem
proſcripſerat ſæpè: ſed de novo, invitis mentis 14
conatibus, ſemper ſubintravit, hypocriſin
doctam detexit, ſuoſque arietes ad debiliſſimum

mentis murum admovit. Auram vulgarem
nempe pollicita eſt, ambitionis ſtulta præmia,
ſub ſe foveri oſtentans. Rigiditatem verò vitæ,
cui tetricam Philoſophiam, tunc primum ador-
ſa eſt, illamque ut moroſitates diſſuadebat, mul-
ta paſſim illicita, fraudulenter excuſabat, juven-
tutis, vel receptæ jam paſſim conſuetudinis pri-
vilegiis : docta induſtria, adulationi mentis uſ-
que inſerviens, velut pediſſequa inſequebatur,
fingens rationes ad lubitum mentis, jam incli-
15 natum. Tandem mens rogavit, quam Scientiam
Ratio dare poſſet? cui mox illa reſpondit, ſe poſ-
ſe per artem magnam Lullii efficere, ut de quo-
quo ſcibili, homo, tanquam omniſcius, diſcur-
rere poſſit, cum totius mundi admiratione.
Tum indignata eſt mens, ac dixit Rationi : Apa-
ge, garrula nequam, Sermocinalia enim inpri-
mis deteſtor. Itaque certo cognovi, quod Ratio
ſemper animam deſerat, cum ariditatis diſſuavi-
tate, in tenebris, inquietudine, incertitudine, &
16 amaritudine ceſpitantem. Poſtremò, ut cogno-
vi nullum mihi in natura ſublevamen, neque ſe-
parationem à tam moleſto ac tædioſo hoſpite,
abdidi me in orationem ſilentii, adeo, ut quan-
doque prorſus, & ſubinde pro parte, me denu-
darem à Ratione, omnibuſque ejus appendici-
bus. Accidit itaque, quod extra, vel ſaltem præ-
ter illa, quæ per Rationem cognoſci, aut ſuo ad-
miniculo ullatenus concipi poſſunt, devenerim
17 velut per ſomnium, ſubter ineffabile lumen. De
quo nil habeo, quod dicam ulterius : eo quod
invida Ratio, me confeſtim ab inde abſtraxerit.
Quippe, ſimulatque nondum mortificata Ratio,
ſubter luminis inſuetudinem, caligans, cum
mentè intraſſet, admirationem in me ſuſcitavit,
quis, unde, quomodo, & cur eo deveniſſem : ſic-
que cecidi extra lumen, in obſcuritates miſeras,
ſubter diem. Meo autem judicio cunctabatur
iſtud lumen, vix ſpatium, quo quis tractum,
18 quatuor ſyllabas pronunciaret. Abinde attamen
ſenſi me mutatum ab eo, qui pridem eram. ſal-
tem enim deguſtavi immortalitatem animæ
meæ, baſim fidei, & Religionis, cunctis bonis
caducis anteponendam ſcientiam. Perrexi ita-
que majore ſtudio, à Ratione abire : utpote quæ
me nunquam nuda; ſed fallaciter tecta, cum
pugna, & impoſturis, adorſa erat : deſeruerat me
verè nunquam, niſi cum incertitudine. Salo-
mon, vocat ſpiritum hominis, lucernam Dei.
Non enim quod Deus ſit in tenebris, vel huma-
ni ſpiritus ſplendore opus habeat. Sed prorſus,
quod occultæ rerum ſcientiæ, à Patre luminum,
infundantur in nos, medio hujus lucernæ. Ap-
prehendi quotidiè certius, quod Ratio non eſſet
ſpiritus ille hominis, ideoque neque iſta lucer-
na Dei. Imo, neque lumen iſtius lucernæ : Sed 19
quod lucernæ ineſſet longe aliud lumen, cujus
vigore, penetraret ſcibile ſibi permiſſum, Per-
ſpexi nimirum, quod anima non eſſet indiga,
imo nec formatrix ſyllogiſmi, eo quod illo uti
nolit, ſemel à corpore ſequeſtrata. Siquidem
ejus cognitio nativa, longè nobilior atque cer-
tior eſſet, quavis demonſtratione, Rationis api-
ce. Tum denique cognovi, quod neque ſenſus 20
ſyllogiſmum conderet: ſed quod Ratio, demon-
ſtrationum formatrix, poſſideret animalem in-
tellectum, ſive imaginationem, mediam inter
ſenſus, & intellectum. Interrogabis, quare lux
luceat? aqua ſit humida? cedat intranti digi-
to? &c. ac reperies, quod quo res quæque cla-
rior eſt, eo ejus Ratio ſit ſtupidior, remotior, ac
hebetior. Tum itaque clarè conſpexi, quod Ra-
tio volutetur inter obſcuras caligines. Dein,
quod ubicunque nullus eſt diſcurſus, nullæ præ-
miſſæ; etiam nulla reperiatur concluſio, conſe-
cutio, ſive Ratio. Attamen ſcientia præmiſſa-
rum eſt certior concluſione, ſiquidem cum è
primo veris ſupponatur, atque illa ſcientia, eſt
in anima, abſque Ratione : quia ante Demon-
ſtrationem. Vnde mecum concluſi primum, 21
quod Ratio non generet niſi caliginoſam ſcien-
tiam, ſive putationem. Tum denique : Quod
ſcientiæ veritatis, rerum, ac præmiſſarum, pro-
deant, non quidem à Ratione; ſed ab alio longe
initio, intellectuali videlicet lucernæ lumine.
Quocirca mox obſervavi, quod Rationis diſcur- 22
ſus, extenuet, obumbret, præpediat, & ſuffocet,
nobilem illum intelligendi actum, quo præmiſ-
ſarum ſcientiæ, nobis inſertæ, cognoſcuntur.
Magis, magiſque didici, quod Ratio, procul dein
& extra lumen veritatis; eo quod tantum lumen
inſtar veſpertilionum, tolerare nequeat, ſuo nite-
dulæ ſplendore, mutuato, contenta. Quippe
quæ nil aliud propriè eſt, quam diſcurrendi ſer-
mocinalis facultas, nobis, ut mortalibus, à pec-
cato connata. Plus inquam, ut ſequacem ani-
mam, operando fatiget, caniſque capillis cra-
nium tegat, quam ut intra nos, veri veram ſcien-
tiam producat. Quandoquidem reperi, quod 23
anima, optans ſcire, per Rationis venationem,
ut plurimum amplectatur media, mendacia, &
falſas ſatisfactiones, pro veritate, in laboris præ-
mium. Sic enim mens decepta, aſpicit menda-
cium, fucum, fraudem, ac in ſumma putatio-
nem, in vicem veritatis, quamdiu de Rationis
impoſturis nil adhuc ambigit. Hactenus nam-

que contigit, quod tot ſint impoſturæ, & falſæ
doctrinæ, tam in Religione quam in arte me-
dendi, ut ne ullum angulum Scholarum perlu-
ſtrem, unde veritas ſcopis Rationis non ſit ever-
24 ſa. Nudam itaque vidi Rationem, & didici,
quod in omnem eventum Ratio non pareret,
niſi putationem veri: quo medio, ſepeliret in-
tellectum intellectualem. Eo quod mens non
poſſit ſimul amplecti, & ſequi duo lumina, tam
diverſa. Putationibus autem, miſerè mundus
ubique abducitur, atque deluditur. Ac primò
quidem, quod quilibet putet Rationem, Iconem
Dei, & optimum noſtri theſaurum, &c. Amabo.
Petatur Ratio, ſuper dubia quæſtione, à decem
viris ſagacibus, ſeparatum: & attende quantum
ab invicem diſcedant, ſua quiſque Ratione de-
ludatur, & qualiter quiſque ſua ſtrenuè pro puta-
tione pugnet. Enimvero cum mens mea Ra-
tionem ſua veſte ſpoliaret, obſervavi mundum
25 decipi inprimis, propria putatione. Quod in-
quiſitionem, cognitionis rerum per cauſas, vo-
cet indagationem, ſive inventionem Rationis.
In eo enim primum detexi fucum, ac miſerri-
mam Rationis conditionem, nuditatemque pau-
perrimam; quippe apparere erubeſcit, niſi ſub
falſi Etymi operculo, ac mendicato pallio. Si-
quidem Ratio nullatenus eſt cauſa, pars, aut eſ-
ſentia cauſati. multo minus facultas Rationalis
in homine res attingit. Nam res eſt id in ſe, quod
eſt abſque reflexione ſui, ad aliquem humanæ
Rationis diſcurſum, inventionemque: Extima
ergo veſtis Rationis, larva eſto. Cauſa nimi-
rum, eſt initium, & origo cauſati. Ratio autem,
nil tale eſt. Animadverti denique, quod Scho-
læ Rationi locum darent, in medio eſſentiæ
mentis, hancque abinde animam rationalem,
velut eſſentiali proprietate, denominarent. tan-
quam Ratio, pro lucerna, illi data foret in inti-
ma ejus eſſentia. Cum alioqui, revera in mente,
ſive proximo Dei ſimulacro, nullus ſit rationi
locus. Eo quod anima, à corpore ſeparata, non
utatur diſcurſu Rationis. Imo cum anima, ad-
huc corporis inquilina, quidquam intellectua-
liter intelligit, plane recuſat omnem Rationis
26 uſum. Quia quando Ratione utitur, plane ſapò-
rem corporei fundi refert. Cum rationalis po-
teſtas ſit in parte inferiore animæ, quatenus cor-
poreis compedibus vinctæ.

Mox demum ſub Rationis denudatione, con-
feſtim, æquè frivolum involucrum ſeſe obtulit,
ex rationis putatione. Quod ſcilicet, quidquid
veritati affine eſt, hoc Ratio judicet Rationabi-
27 le, & Rationi conſonum. Cum tamen Ratio, &
veritas, ſint diſparata, in ſuis radicibus. Nam
veritas, eſt ens reale, verum: Ratio verò, eſt ens
mentale, problematicum, duntaxat apparens.
hinc enim ens Rationis, Nonens, putatione ma-
tre oriundum. Facultas enim rationalis, atque
inde deducta Ratio, ſæpè falſa, pro veris ample-
ctitur, & vera pro falſis rident. Vnde tandem 28
ſeriò inſpexi, quod Ratio non conveniret cum
conformitate rei, per diſcurſum propoſitæ, &
cognitione concluſionis, per nos repertæ. Vt-
pote Ratio propriè non eſt judicium externi ho-
minis, aut ſuæ imaginationis, quo apparentem
ſibi veritatem, confricat ad ſpecies ſcientiarum,
quas homini rentur innatas. Vnde devium, ima-
ginatio, tum prius fabricat cognitionem ſibi
conſentaneam. Aſt Ratio, magni iſte reputatus 29
condus in mente, nil eſt aliud, quam habitudo
prædictæ conformitatis, per diſcurſum repertæ,
cum ſpeciebus, ſive ideis connatis, in phantaſia.
Quæ demum conformitas, prout in ſe confuſa,
obſcura, mobilis: ita inſtabilis neceſſariò eſſe
debet, ex natura ſubjecti inhærentiæ. Sic enim,
etiam defęcatiſſima Ratio, poteſt in ſe eſſe fallax:
nec neceſſe eſt, ut ullam intra ſe certitudinem
cogat, contineat, aut concludat: excepta Ma-
theſi. eo quod hæc planè conſiſtat in menſuris 30
commenſurabilium. Convertuntur enim ideo
plures hæretici, per exempla vitæ chriſtianæ,
quam per ratiocinia diſputationum. Aptitudo
demum illius habitudinis, ad ſpecies in imagi-
natione connatas, cenſeatur rationalitas, vel ra-
tionabilitas. Ratiocinatio autem, ſive logiſmus 31
(unde ſyllogiſmus) eſt actus, quo appropinqua-
tur ejuſmodi habitudinis conformitas, ad ſpecies
in imaginatione congenitas, vel (ut mea fert
ſententia) ſuſcitatas finaliter. exuendo calceos
rationis, ut reperi in natura plurima, quæ intel-
lectus judicat neceſſaria, quæ Ratio recuſat ut
impoſſibilia. Scivi exinde, Rationem non ha-
bitare penes intellectum verum: ſed extra eun-
dem. Eo quod in intellectu, immediatè ſit ve-
ritas: quia veritas intellecta, nihil eſt aliud, quam 32
adæquatio intellectus, ad res ipſas. Cognoſcit
nempe intellectus, res prout ſunt; ideoque viciſ-
ſim verificatur intellectus, de rebus ipſis, per res
ipſas: Quandoquidem eſſe rerum, de ſe, eſt ſem-
per verum: & eſſentia illarum, eſt ipſamet veri-
tas. Ideoque intellectus, qui ſuper eas fertur,
ſemper directè eſt verus. Sed cum imaginatio, 33
ejuſve Ratio, ſit modus quidam intelligendi,
obliquus, procedens per rationes, & diſcurſus:
non autem per adæquationis transformatio-
nem: Idcirco, modus iſte rationalis, eſt intelle-

ctus abuſivus , & fallax . Bonum autem , rectum ,
unum , & verum , ſemper uno , & eodem
modo,ſe habent in intellectu. Quia in intellectu ,
ſtant in puncto adæquationis : ſed malum ,
curvum , obliquum , falſum , atque multiplex,
fiunt pluribus modis , per Rationem , in
34 parte Imaginativa. Certò itaque cognovi , Rationem ,
in non tam ſublimi pretio habendam,
ac fuit hactenus. Magiſque,quod in brutis Ratio ,
& diſcurſus , non obſcurè vigerent : Nam
quod annoſa vulpes , callidior ſit juniore , per
diſcurſum rationalem, experientiæ reminiſcentia
confirmatum, accidit. Imo Apes numerant.
Quoniam ſi ſint 30 alvearia , ex ordine locata ;
Apicula mane evolans , numerat quoto alveari
ſit egreſſa, dein non redit, nec intrat , niſi prius
renumeret ordinem.quod facile probatur. Nam
ſi quintum , aut ſextum , tranſponatur ſeptimo,
aut alio loco , numeroque inverſo : apes , quæ
melle , aut cera onuſtæ redeunt , putantes in
ſuam Rempublic. lectam deponere ſarcinam,
quintum, aut ſextum numeratum alveare repetunt :
Cujus cives , cum ſint peregrini , illi advenienti
apiculæ , eandem occidunt. Et hoc
modo fures deſtruunt una nocte, cuncta alvearia.
Serpens namque cæteris animantibus callidior
erat. Vnoque exemplo, mille inſtar , diſcurſum
rationalem in beſtiis conformabo. Villicus
vicinus , canem venaticum alebat , cuſtodiæ
nocturnæ prædii præfectum. Accidit autem,
quod in plenilunio, lupus circa villam diſcurreret ,
cui canis ille confeſtim allatrabat , &
ſequebatur fugientem lupum. Hic vero, famis
impatiens , ſe retorſit in canem , illumque inſequitur.
At canis aufugiens , inſilienſque ſuper
furvum, ſe in tutum recepit , indeque continuo
latravit , herum excitans , lupi præſentiam docuit.
Sequenti verò die rediit lupus , quem canis,
ut pridie, latrando adorſus eſt. Lupus enim
fugam fingens , donec comitem , quem ſecum
adduxerat lupum , conjectura ſciret , ſe ſubter
furvum occultaſſe. Cum itaque ſe convertit ad
canem,qui profugus,ab inſequente lupo,putans
ad furvum, velut tutiſſimum caſtrum,refugere,
prodiit occultatus alter, qui canem rictu apprehendit ,
ſaltumque ſuper furvum præpedivit .
Itaque inſignem ſolertiam in brutis cunctis notavi ,
35 etiam in inſectis plurimis. Vituperoſam
itaque definitionem exiſtimo , qua homo , animal
rationale , velut ex eſſentiæ deſcriptione,
depingitur. Siquidem ex ultimato fine , deſtinationum
proprietatibus in creando , definiendus
erat , ſi finis ſit cauſarum prima , ex Ariſtotele.
Quapropter nec hominis definitio, è fonte
paganiſmi, mendicanda erat,qui creationem,
ejuſque fines , plane ignoravit. Etenim ut mea
Philoſophia , gentibus ignota ; ita viciſſim illorum,
eſt mihi nauci. Equidem ſcribo pro Chriſtianis,
quibus turpe eſt , ſequi ethnicos , contra
veritatem Euangelicam. Nec etiam cenſeri volo
nominum rixator, quoties de finibus,prærogativis ,
electione , dignitateque imaginis divinæ ,
agitur. Rejicio inprimis inſulſitates paganiſmi ,
in definitionibus , præſertim hominis
perpetratas. Siquidem teſtimonio S. Anthonii,
per B. Hieronymum deſcripto,Paulus Anachoretarum
primus , in divorum numerum eſt relatus.
Ejuſdem quoque relatu , Faunus, legitur
animal loquens , rationale : imo Deum naturæ,
& Chriſtianorum, cognoſcens,colens,& ſupplicans ,
Antonium , ut pro ſe , atque ſuis , Deum
oraret. Conſtat inprimis , hunc Faunum non
fuiſſe hominem, ex Antonii aſſertione,& monſtroſa
figura. Denique neque fuiſſe Cacodæmonem,
colligitur ; quod hic adeo ſuperbiat, ut
ne quidem ſi ſciret ſe ſalvari poſſe prece , vellet
rogare , ut aliquis pro ſe oraret , neque ſe proſternere
pro impetranda venia. B.Hieron. enim,
Faunum vocat, non hominem, ut neque Cacodæmonem.
Faunus ergo neutrum horum eſt,
eodem teſte , quo Paulus ille , inter Anachoretas,
primum ſortitus eſt locum,atque inter Sanctos
relatus. Ergo Faunus eſt animal ut ens ratione,loquens
idioma patrium : non autem homo.
Sic Satyrus olim vivus , ac dein ſale conditus,
pro ære oſtenſus , per Ægyptum , Phrygiam ,
& Græciam portatus. In Scotia , & Zelandia ,
demum , atque alibi , piſcata monſtra ;
ſemihumanis figuris, ratione utentia , imo artes
mechanicas exercentia,Homo nimirum ad Dei
imaginem ſolus factus , cum excluſione omnium.
Hæc autem rationalia bruta , in ſuis
Elementis , etiam diverſa inter ſe : ſunt tamen 36
ſimulacra noſtri , & non imagines Dei. Homo
ergo , eſt Creatura vivens in corpore , per animam
immortalem, ad honorem Dei,ſecundum
lumen, & ad imaginem verbi,primi exemplaris
omnium cauſarum , ſigillata. Dies namque , &
ſuum lumen , fuerunt quandoque abſque Sole :
& Sol erit aliquando ſine luce. Sed anima hominis ,
ſine imagine divina conſiderari nequit,
dum Regnum Dei , cum omnibus ſuis chariſmatibus,
ſit intimius animæ , quam eſt ipſamet
ſibi intima. Indignor ergo merito, quod Scholæ,
Philoſophia ethnica , adoleſcentes male imbuant,
oblectenturque etiamnum glandibus,re-

pertis jam primæ veritatis epulis. Domine lumen
vultus tui, impreſſum eſt ſuper nos. nemo
enim novit perfectè imaginem, & an bene ſuo
reſpondeat typo, ſi typum prius non agnoverit.
Quocirca quotquot hominem male definiunt,
Deum non agnoſcunt, ut neque ſeipſos
37 in eſſentialibus. Plus itaque Scholæ Philoſophicæ,
documentis Gentilium, quam Pauli acquievere.
Hinc illas contemplor, hominem, duntaxat
juxta ejus cadaver, meditatas; non autem
juxta creatoris, ſive efficientis intentionem, hominiſque
deſtinationes finales. Alioquin enim
omnipotens, à ſcopo ſuo declinaſſet, ſi finis ſit
cauſarum prima, in creando, ſitque aliquid conſiderabile
ut primum, in rerum adorabili Authore.
Erat itaque creatura definienda, & intentione
efficientis Creatoris. Ille enim in ſuis
finibus non errat, qui ipſas proprietates fabricat,
fluentes ex ipſis deſtinationum finibus. Quapropter
homo, quamvis ex corpore, animales
aliquot, & corporeas conditiones habeat: attamen
ex intentione divina, creatus eſt in imaginem
Dei viventem, in ſubſtantia immortali, ut
Deum cognoſcat, amet, & adoret, ſecundum lumen
typi, ſibi impreſſum. At poſtquam homo
vixit in carne, ut animal, dixit Deus, ***Spiritus meus***
38 ***non permanebit cum homine, quia caro eſt.*** Genus
enim definiti proprium, in definitione hominis,
quod Scholæ nominant animal: idipſum
Deus nominat degenerationem, averſionem
viarum, naturæ corruptionem, atque deſtructionem
intentionis ſuæ, in creando. Differentiam
autem conſtitutivam hominis, ſive rationale,
competere brutis, extra dubium eſt. ſimulque
penuriam logices, omni prorſus definitione,
& differentia conſtitutiva deſtitutæ. Cæterum,
Ratione, in nuditatem uſque, jam deveſtita,
omnimodam acquiſivi ejus diſplicentiam, eo
quod inane ſceleton mihi videretur, ablatis larvis,
39 & togis. Denique pauperiem ejus anguſtam,
& inquietam fœditatem aſpexi, dum præcipuè
confuſionum, & incertitudinum memor
40 eſſem, quibus me pro ſolito intricaverat. Cœpi
ergo deinceps contueri, quod meus intellectus
plus proficeret per figuras, imagines, & viſiones
phantaſiæ ſomniales, quam per Rationis
diſcurſus. Imo potius diſcurſus frequentes,
ſuum hominem ordinario moroſum reddere,
iracundum, amentem, procelloſum judicio ſuo,
& mobilem, ſive imbecillum, adeoque & teneræ
valetudinis. At tandem introſpexi penitius, figurarum
atque idearum progreſſum: & inveni
tum, illas adhuc cinctas miſeriis, & anxietatibus.
eo quod imagines alienatæ eſſent propter
alteritatem, ab ipſa rei veritate, & eſſentiæ per
ſimilitudinis cujuſque inexcuſabilem difformitatem,
remotam ab identitate. Et tum ſic judicavi,
quia nondum enotuerat mihi diſtinctio inter
imagines Phantaſiæ, & imagines intellectuales:
quæ poſt abſtructiones, manent in ipſo animæ 41
centro. fatigabar enim plerumque tota die,
circa aliquod ſcibile; quod etſi mihi in baſim,
atque modum, eſſet incognitum, attamen per
imagines, mihi eruendum ſtatuebam. Tandem
cum ulterius progredi, me ſentirem impeditum;
quia ſtupefactum: fabricavi intus, rei nondum
perfectè cognitæ, aliquam imaginem, adornatam
poſſibili adjacentia quidditatis. Sub qua, ſemel 42
dein, dudum illam in Phantaſia aſpiciens,
ac velut eandem alloquens, tandem ſtudio inſigniter
fatigatus, obdormivi, ut ejus ſomnialem
ſaltem viſionem excitarem, per quam eruerem
deſiderabile illius ſcibile. Iuxta illud: ***Nox nocti***
indicat ſcientiam: Ac mirum ſane, quantum
luminis, ejuſmodi viſiones, mihi recluſerint,
præcipuè non bene dudum antea paſto corpore.
Non enim diffiteor, quin rei quæſitæ quidditates,
plerumque ſub ænigmatis pallio tectas, vel
confuſas, plurimumque adhuc pluralitatibus, ac
alteritatibus obnoxias, pluries acquiſiverim hoc
pulſandi medio, prægreſſis præcipue quærendi
adminiculis, adnexiſque orandi ſubſidiis & alis.
Dixitque ad me vir ſanctus (cui omnem conſcientiæ
angulum, laborumque, & annorum tædia,
per inſomnes noctes, operueram) Ah! utinam
ego tantundem laboraſſem, & in amando
Deum impendiſſem, quantum tu miſer, in diſquiſitione
ſcibilium, quorum rationem ſive
computum, noviſſimus dies à te non exiget!
Laudabam equidem Dominum tunc, quod mihi
propinquius aliquod noſcendi, diſcendique
medium, gratis largitus eſſet, quam Ratio foret.
quæ nunquam ad prius, raroque ad poſterius
idque cum multa adhud incertitudine, penetraret.
Credebam enim tum, originalem corruptæ
naturæ ærumnam, ulterius progredi non
poſſe, ad ſemel deguſtatum lumen, quam per
præfatas Phantaſiæ imagines. Suaſu ergo illius 43
viri, deſtiti anguſtius aliquid optare, quærere, &
inveſtigare, denudavi me omni curioſitate, &
appetitu ſciendi, ad quietem, ſive paupertatem
ſpiritus, me recepi, reſignans me in amabiliſſimam
Dei voluntatem, in quaſi non eſſe, non
operari, in merum nil deſiderare, nil intelligere.
Maximopere, quod ſcirem multiplices imperfectiones,
in cognitionibus meis hauriens inſignem

gnem indignationem mecum, quod pro caduca ſcientia, tot tantoſque labores inſumſiſſem. Ipſe itaque mirum in modum mihi diſplicui; Rogavi itaque Dominum, ut omne prorſus ſcibile,ejuſque deſideria profana, everreret è mente mea; quam hoc titulo, totam obtuli ſæpius in ſui beneplacitum. Interim poſt duos menſes,in hac ſcientiarum renunciatione, atque nuda pauperie,ſemel mihi iterum ſupervenit,quod intelligerem intellectualiter. Sedebam ſecus
44 Athanar meum. Redii autem mox in me, nec ſcivi quantum illud lumen duraſſet. Iſtud quidem novi, quod rei inſolitæ novitas, ſtupor, & jubilus, tum ſubripuerint iſtud lumen, & excidere me fecerint, in priſtinas meas tenebrarum confuſiones. eo quod Ratio, nondum mortificata eſſet. Ariſtoteles,quanquam hujus luminis totus expers: viſus eſt tamen aliunde deſcripſiſſe alterius ſenſationem de labore Sophiæ, ſive Adeptis. Βελτίον διακείμενος ἢ ἐν ἐπιγραφῆ εἰδὼς. Surda nimirum alterius ſuggeſtione, vocat melius diſpoſitos, quam ſi eſſent ſcientes. Id eſt, ope demonſtrationis. Cujus ſolius medio, omnem in homine ſcientiam oriri alioqui ſemper jactitat. Saltem agnovi valedicendum Rationi, & Imaginationi: tanquam facultatibus brutalibus,(idq; propter caſus noſtri ærumnam) ſi ad ſolidam veritatis cognitionem ſpe
45 trahamur in profundum. Cognovi pariter, quod requireretur facilis traductio intellectus, atque tranſmutatio placida, ſuiipſius, in formam rei intelligibilis; Quo puncto ſcilicet intellectus pro momento, fiat velut ipſum intelligibile. Cum autem intellectus perficiatur intelligendo, nihilque perficiatur, niſi ab eo, quod ſymbolum ſecum habet, in ſui natura; idcirco collegi intellectum, & intellecta, ut talia, debere eſſe, aut fieri, ejuſdem naturæ. debere autem hoc fieri, extra laborem, inquietudinem: ſed cum otio, in lumine ſibi proprio, cum abſtractione, orbatione, & carentia alterius, cujuſcunque auxilii creati. Verùm ſi concurrat alienum auxilium, jam erit cum labore,deſiderii ſuſcitati, extra intellectum. Porro iſtam intellectus tranſmigrationem, & transfigurationem, illi naturalem alioqui, Poëtas quandoque ſubordinatos, Prothei nomen, non ſecus atque fabula,ſignificant. Ego vero, eo clarius jam cognovi, iſtam tranſmutationem intellectus, fieri debere, eo quod intellectus, in ſe, ſit totus purus, ſimplex,
46 unicus,& indiviſus. Quamobrem eatenus quoque, illi competeret, unicus, ſimplex, uniformis, & univocus aliquis actus, ab ipſomet intellectu plane indiviſus. Alioquin intellectus amitteret ſuæ unitatis homogeneam ſimplicitatem, per alteritatis dualitatem. Veruntamen comperi ſat, non eſſe de plena, atque libera noſtræ voluntatis poteſtate, ſuo ſic intellectu nunc frui. Et quod ad iſtud, requiratur plus, quam putare, anniti, optare, velle,&c. Idque nedum propter inſuetudinem, qua à puero, per actus animales, continuo aſſuevimus parere imaginationi: Verum multo magis, quia ipſa voluntas, cum Memoriâ, penitus pro illo ſpatio motus, debet abſorberi, ac velut annihilari in intellectu. Quod ſane ingentis eſt myſterii pondus. Alias namque 47
quam cito quis cogitat de anima ſua, aut de re quapiam, tanquam de tertio, cum alteritate ſeparata, extra intellectum, eo ipſo, nondum eſt cogitatio, aut operatio puri,ac ſolius intellectus.
Aſt cum anima cogitat ſeipſam, aut aliud quidquam, 48
tanquam ſeipſum,ſine alteritate cogitantis, & rei cogitatæ ſine appendentiâ, extraverſione, vel relatione ad durationem, locum, & circumſtantias. Tum ſcilicet, ejuſmodi cogitatio, eſt intellectualis. At nondum adhuc proin illuſtrata: licet iſta jam intellectio, ſit longe nobilior cogitatio, quam quæ per incidentias irruit: ſive illæ, per imagines, ſine ſequela adveniant, tanquam infuſæ: ſive demum, ab experientiis, & obſervationibus hauſtæ, influendo, velut ſponte affluant. Vtpote anima, in illo luminis ſtatu, ſic apprehendit interiorem & anteriorem rei intellectæ eſſentiam, quod ipſe intellectus, tranſmigrando ſeſe transformet, in rem intellectam. hinc videlicet ſequitur. Si notitia intellectualis, ſit cum ſimilitudine rei intellectæ, in ipſo intellectu: quod etiam Regnum Dei, nobis velut adveniat, atque renaſcatur, quoties in fide, intellectualiter,& præſentialiter, Dei Bonitatem, Poteſtatem,Infinitudinem,Gloriam, Veritatem, &c. in ſpiritu adoramus. Sicque Deo in deliciis eſt,cum filiis hominum eſſe. Certe ita eſt. Intellectus noſter,novo velut perfectionis rore perfunditur, quoties intellectualiter contemplatur aliquid ſupercœleſte: eo quod pro momento, tranſmigrat in illud, illudque deguſtat. Tum nimirum intus fulgurat 49
imago Dei, & evadit glorioſa. (Bone Deus, quouſque deducis mortales.) Aſt ſane, non fit ejuſmodi intellectualis cogitatio, cum diſcretione verborum, aut idiomatum: neque cum ſenſuum, aut Rationis præcinctu; neque cum celeriori quodam totius logiſmi conceptu affatim hauſto; neque cum dependentia,ac ſequela prius cogitatorum: neque circumſtantiis circum-

cumſepta, de hic, nunc, albo, magno, amaro, ſimili, placido, &c. Sed unum, non eſt in intellectu, ſine altero: neque cum altero, ſub alteritate: nec etiam prout poteſt per Rationem, aut imaginationem concipi, aut per imaginationes, ideaſve, cogitari. Verum in illo ſtatu, nunc, hic, ſenſus, Ratio, imaginatio, memoria, & velle, ſunt ſimul in merum intellectum liquata, ſtantque ſub tenebris, lumine intellectus obfuſcata. Tum, tum inquam, lumen quoddam, cadit ſuper Animam. Atque id totum eſt (meo judicio) quidquid verbo, cogitato, locuto, ſcriptoque, dici potuit unquam. Iſtud lumen verò ſive ſit prorſus ſupernaturale, ſive quod intellectus ſui natura ſic accendatur, malim experiri, quam determinare. Iſtud unicum ſaltem ſcio, quod non contingat abſque gratiâ. Quamobrem, ſive intellectus transformetur, vel ſive ſeipſum transformet in ſimulacrum rei intellectæ, ſane divi-
50 no auxilio opus habet, & quidem ſingulari. quia ſaltem tunc Anima intuetur ſuum intellectum, ſub forma arrepta, in dicto lumine: Atque in iſto ſui ſpeculo, ſpeculatur ſeipſam intellectualiter, abſque reflexione alteritatis: ſicque concipit rem ſcibilem, una cum omni ſuo eſſe, & proprietatibus. Eo quod hoc cognitionis lumen, non ſit emanativum extra intellectum: ſed manet intus reflexum, ſuper intellectum, in omni veritate, & certitudine perfecta, perfectivum.

51 Equidem Rabbini aliquot, hunc animæ ſtatum metuunt, ut periculoſum. Schola etiam myſtica, periculum arrogantiæ, & adulterii ſpiritualis formidat. Ambo autem ut nocuum devitant. putantque Adepti, ſi ſæpius invaderet, aut longius perſeveraret, allaturum indubiam mortem, cum ægritudine, quam Binſicam Rabbini vocant. Quæ propriè eſt organi Phantaſiæ Atrophia. Veruntamen quæſo ignoſcant, ſi ſecus ſenſero. Primo, quia organa Phantaſiæ in hoc non laborant. dormiunt verò immota, tanquam ſi non eſſent. Igitur viciſſim nil patiuntur. Tum, quia actus iſte non eſt in noſtra poteſtate: Credo namque principalem illum actum, eſſe clementiæ. Quæ nunquam inordinatum dat, facit, cauſat, admittit. Itaque etſi Clementia afflueret ſæpius, aut diutius, nec proinde tamen inordinationem contineret, aut arguere poſſet. Obſecro ergo, Pater luminum dignetur præcedere, & ſubſequi ſua claritate, ut me ducat ad vocationem, in ſua gratia ſibi placentem. Itaque lumen, cadens ſupernè ſuper animam (quando minus eſt adſtricta, & obligata organis corporis, quæque impaſſibilis, & immortalis in ſe eſt) vitæ quoque nocere nequit. Siquidem poſt receptionem tantilli luminis, comperio hominem triduano jejunio, vix quicquam pati. Quocirca mihi in mentem venit, potuiſſe abſque cibo & potu, toto novenario, amicos Iobo comites aſtitiſſe. Porro juxta meam opinionem, lumen iſtud, citra opem, operam, & laborem intellectus, ſic diſponit de intellectu, quod deveniat in libertatem ſui: qui alias per ſervitutem corporis, eſt plane mobilis, obſcurus, atque confuſus. Alioquin intellectus organis non utitur, præter, aut extra ſe. Ideoque nec fatigatur, ut Phantaſia: nec morbis, mutationibus, perturbationibus, alterationibus, alienationibus, alteritatibus, aut commiſtionibus, ex ſeipſo ſubjacet. In intellectum enim, dum ſtat in illo lu- 52
mine, non cadit error, impoſtura, mendacium, aut dolus. Nec enim torpor, ſomnus, aut defectus illi inhabitant; Neque auxilium ſuſcipit ab ullo creato, ut neque à corpore, Ratione, aut poteſtate ulla Phantaſtica: ſed portat nativum ſuum lumen, ſuper omnem Rationis ambitum. Imo quod magis eſt, non laceſſitur tum intellectus ab ulla poteſtate ſe inferiore, neque à rebus ipſis, prout ſunt cognitæ, fraudi, impoſturæ, mendacio, obnoxiæ: quippe quæ ſtant in nuditate ſui eſſe, coram intellectu, ut quaſi ab hoc informentur, & transmigrando vivificentur. Sunt igitur omnia, in ſuo intellectu, tali modo, ut omnia animæ ſint ſuus intellectus. Sic tamen, ut licet intellectus, actu intellectuali, ſe transformet in ſpeciem rei intellectæ; ſervet tamen impermiſtam ſuam proprietatem, & eſſentiam, in quam iterum redit, mox atque ab illo actu ceſſaverit: Hanc nempe prærogativam poſſidet animam ex clementia, ut ſit imago Dei: atque ideo ſimplex lumen creatum, incognitum. Ita ut quoties aliquid peregrini in ſe con- 53
cipit, debeat neceſſario deſiſtere ab eſſe ſimpliciſſimi luminis, imaginis divinæ, aut ſe transformare in figuram rei conceptæ. Sic quidem, ut rei conceptæ eſſentia, ſit nuda eſſentia, & tamen eſſentialiter in intellectu, ſicut in nucleo pomi, pomus. Fit itaque hinc, quod intellectualis cognitio, ſit omnis erroris expers. Quia abeſt Ratio, quæ nos ubique ceſpitare facit. Stant nempe in conceptu intellectuali, eſſentiæ nudæ, & denudatæ: quas ut tales, anima in illo nunc, aſpicit in ſpeculo proprii intellectus, ſicut dum oculus ſeipſum intuetur, in ſpeculo, in ra- 54
dio reflexo ſuiipſius. Idcirco eum nullum eſſe, reputatur pro vero, niſi quatenus pro tali, conceptum eſt in intellectu. Quapropter Ariſtoteles

coactus eſt fateri, principia eſſentiæ, & principia
Intellectus eſſe prorſus eadem. hoc eſt dicere.
Quod veritas eſſentiæ, & veritas intellectualis
cognitionis, ſint unum & idem. Atque
ideo, ut ens, ſive eſſe, verum, bonum, & unum,
ſint convertibilia: ita invicem, eſſentia, bonitas,
& veritas, debent in unitate intellectus colliquari
in formam entis. Siquidem in intellectione
intellectus, non eſt ulla alteritas intelligentis
intellectus, & rei intellectæ: eo quod ante intellectionem,
primum annihilata eſt omnis relatio
reciproca, repercuſſio, atque reflexio in invicem.
55 Cum ipſa rei intelligibilitas, non ſit niſi
adventus, & approximatio unitatis, intellectus,
& intellecti: ſive alteritatum in relatione deſtructio.
Quod ut clarius exemplo fiat; Intelligens
intellectus, non eſt diverſus ab intellecto,
aliter, quam ſicut radius lucis directus, à ſeipſo
reflexo. Itaque rei intellectæ eſſentia, in lumine
intellectus, fit ſplendor ſpiritualis, & eſſentialis.
Imo fit per commigrationem ad unitatem, quodammodo
ipſum lumen intellectuale. Id quod
56 animabus brutorum advenire nequit. Ideo etjam
anima noſtra, ſeipſam intelligens, quodammodo
intelligit omnia alia utpote univerſa alia;
ſunt intellectuali modo, in anima, ut in Dei
imagine. Propterea nimirum, intellectio noſtri,
cæterarum eſt longe difficillima, ultima, optima,
utiliſſima. Cognoſcens namque animæ divinitatem,
non poteſt non anteferre eandem voluptatibus
quibuſque labilibus, fœdis, & nullius
57 pretii. Difficultas autem præfatæ intellectionis,
inprimis conſiſtit in eo, quod ſit imago Dei, quæ
& ipſa, tam in ſe, quam reſpectu typi, quem refert,
eſt propemodum intelligendo impoſſibilis.
Deinde, anima non habens in ſe ullam imaginem
ſuiipſius, à ſeipſa diſtinctam, prorſus nequit
ſeipſam, per ideas intelligere. Cum vero
ſimplex, atque uniformis, nec ſeipſam intelligat
in imagine: nec ſit etiam conſonum, aut conveniens,
quod propter ſummam, aut homogeneam
animæ ſimplicitatem, uteretur diverſis
modis, atque mediis intellectionum, in intelligendo,
reſpectu ſuiipſius, atque iterum aliis modis,
ac mediis, reſpectu aliorum intellectorum.
hinc neceſſario anima, ad conſervationem homogeneæ
ſuæ ſimplicitatis, imagini Dei debitæ,
habet omnia alia intelligere, ſine ſpecie, à rebus
ipſis diſtincta. Sed cum anima careat ſui propria
ſpecie imaginis divinæ, ut ſeipſam transformet
intellectualiter in ſeipſam. Idcirco nequit
proprie ſeipſam intelligere, modo intellectuali,
niſi in lumine, & teſtimonio fideli ejus,
cujus eſt imago. Cognitio enim, quam de Deo
habemus, traditionis, fidei, adeoque meriti eſt.
Quamquam plane negativa, quatenus non hoc,
aut illud eſt, quod ſenſu, aut mente concipi poteſt.
Ac proinde cognitio animæ, velut imaginis
divinæ, adjunctam habet abſtractionem negativam
aliorum, quæ dicit non ens: non entis autem
nullus reſpondet conceptus, nulla figura,
nulluſque intellectus. Id eſt abſtractionis negativæ,
cum ſit comes privatio, negativa autem, &
privativa, deſtituantur idea, ſive ſpecie æquivalente:
idcirco lumen cognitionis, quod anima
de ſeipſa habet, eſt clementiæ, gratuitum, nec
unquam in hoc ſeculo plenarium. Sin autem felix
quandoque conceperit in ſe Deum, per viſionem
beatificam, tum eodem luminis radio, intus
Deum, ſe, & omnia alia intuebitur, & cognoſcet.
Idcirco enim, quantum anima, intellectualiter
intelligit ſui; In tantum proficit in cognitione
utiliſſima, quæ de creatis in hac vita
haberi poſſit. Quia in lumine ſui luminis, quodammodo
intuetur omnium proprietates, eſſentias,
effectus, alteritates, diſtinctiones, atque
defectus. Quo igitur ſemel appulit iſta cognitio,
ibidem flacceſcit omnis Rationis nubilior
ſpeculatio, & ſubſidium; prout vice verſa, ſupprimitur
verus intellectus in nobis, ſub Rationis
placitis. Quapropter cum objectum proprium 58
intellectus, ſit ipſa rerum eſſentia, ea propter,
accidentia, velut abſtracta, atque diſciſſa à
rebus, quibus inſunt, debent concipi ab imaginatione,
idque per ſpecies, & imagines: neutiquam
verò, per intellectum. In quo alioqui reperio
omnia accidentia, connexa ſimul in puncto,
ſub eſſentia rerum intellectarum. Quippe
accidentia proprie non ſunt entia: ſed entium
à quibus dependent. proinde accidentia non
habent eſſentiam, quæ ad unitatem intellectus
commigret, aut in quam intellectus ſeſe transformet.
Cæterum Scholæ partiuntur intellectum, 59
in Agentem, & Patientem. Illum enim
volunt verſari, circa inventionem mediorum,
ac præmiſſas demonſtrationis; ut ſcilicet, terminorum
notas ſigillares, imprimat in Patientem
intellectum, velut in ſubſtratam ſibi ceram.
Agentem ideo vocant maſculinum, nobilem, atque
formalem. Patientem verò aſſimulant fœminæ,
atque materiæ ignobili. hæcque ſua ſomnia
perſuadent tironibus; quatenus natura
ubique operatur ad ſui perfectionem: operatio
autem ſemper ſit paſſione nobilior. Aſt ego,
tantam ariditatem ubique miſeror. Primo. quia
demonſtratio non eſt effectus, vel proles intellectus,

lectus, nec ſuppeditat ullatenus media,ad ſcientias.
Vt jam ſat probavi. Secundo. Æthiopem
vidi rotare celeriter harundinem, in foramine
aſſeris, cum interpoſito linteolo. ac non multò
pòſt, arundo cum linteo ignem concepere.
Dein, ego abdidi arundinem in clibanum candentem,
citiuſque, clarius, atque perfectius accenſa
harundo ſplenduit. Cum tamen in hoc
nil ageret arundo: ſed ſaltem pateretur accenſionem.
Vſque adeo quamquam principium
agens, ſubinde poſſit eſſe nobilius patiente,dum
effectus tendit ad perfectionem: vel dum patiens,
60 ab agente debet perfici: Attamen dum unio
ſub ſterquilinio putrefit, non facile credam
agens eſſe patiente perfectius. Oſtendi ſat alias,
in tota natura, inanem Ariſtotelis doctrinam,
meraſque nugas: quanto ergo minus ille ſubſiſteret
in area intellectus? cujus eſſe, & operarii,
pendent ex ſola anima? Cogimur namque
Chriſtiani credere, quod intellectus noſter, ſit
ſpiritus immortalis, lumen, & imago omnipotentis,
cujus exordium ut ſuperat naturam; Ita
ejus Regulis aptari nequit. cum habeat eſſe ſimpliciſſimum,
nequaquam partibile in luctas agentis,
& patientis, ſive in heterogenea. Cum
etiam, quod dependeat immediate, totaliter, &
continuo, à ſuo originali typo: adeoque ut ſine
Gratia particulari, nequeat quicquam intelligere.
eo quod intellectus objectum, ſit ipſa veritas.
Quare nec intelligit intellectione perfecta,
niſi recipiendo. Quod autem tantum recipit,id
patitur, non autem in eo agit: nec enim intellectui
proprium illud eſt, quod per Gratiam illi
advenit. Voluntas quoque dum patitur, nobilior
eſt,quam dum vult. puta dum regitur à voluntate
ſuperiorum. Imaginatio quidem cognoſcit
agendo, ideoque laſſatur. hancque Ariſtoteles
cognovit: minimè verò intellectum.
Quippe qui tantum illuminativè intelligendo
patitur. Eſt namque moleſtius, ſervilius, & obſcurius,intelligendo
operari,quam pati. eo quod
patiendo, recipiat lumen nobilius, gratis collatum.
Denique, cum intelligendo, tranſmigret
ſemper in formam rei intellectæ: ergo participans
de lumine interminato, perficitur abſque
tædio, moleſtia, & labore intelligendi, lucetque
intellectum lumen, intelligendo, in ipſo intellectus
lumine. Sic ut res ipſæ, nos alloqui videantur
ſine verbis, eaſque penetrat intellectus
clauſas,non ſecus ac ſi diſſectæ eſſent, & apertæ.
Ergo ſemper perficitur intellectus, patiendo,recipiendoque. 61
Imaginativa vero, ſive intellectus
animalis,Ariſtoteli cognitus, tantum res extrinſecus
adſpicit, earumque ſibi format imagines,
juxta ſuam putationem: cumque omni laborum
tædio, currit circum eas in circulum. Cernit nimirum
cortices, & ſiliquas: ad nucleum autem 62
attingit nunquam, Quia Phantaſia, res non intrat;
ut nec viciſſim res intrant, ſatiantque imaginativam.
Ad ſummum enim,imaginativa ſibi
ſatisfacit per imagines, ſi externum ſignatum ſit
dudum admirata. cujus tamen internum ſigillatorem,
minimè agnoſcit. Quam enim injuſte 63
quadrat,quod Scholæ agnoſcant animam,Deum
proximum ſimulacrum: & ſecent intellectum
in duo ſuppoſita, muniis, & effectibus diſcrepantia?
Siquidem ipſa dualitas in intellectu,diſcrepat
cum ſimplicitate ejus, cujus imaginem
in ſe condit per totum ſui eſſe. Ego credo imprimis,
nil ad veritatis cognitionem pertingere,
niſi fidem,& intellectum. 2. Omnem veritatem
emanare ex veritate unica, ideoque primitiva.
3. Omnem intellectum ex unico,infinitoque intellectu
derivare. 4. prout omne lumen, ex unico
lumine. 5. Veritatis ideo eſſentiam, nil diſcrepare
ab eſſentia intellectus. 6. Quod intellectus
noſter ſit inanis, vacuus, pauper & obſcurus.
7 Quod omnis ejus claritas, nobilitas, plenitudo,
lumen, veritaſque, illi adveniant, recipiendo,
& patiendo. 8. Quod eo plus nobilitetur,
quo plus patitur à lumine, quod eſt ſupra
omnem naturam. Finaliter Scholæ Ethnicæ defecerunt
à cognitione veri intellectus. Ideoque 64
homo, non eſt animal rationale. Sed prædicamentum
ſubſtantiæ dividendum eſt in Spiritum,
& corpus. Spiritus eſt abſtractus, vel concretus.
Homo ſolus eſt ſpiritus concretus, non
autem inter corpora locandus. Si à potiori parte
deſumenda ſit denominatio: & à famoſiori ſignificato,
eſſentialis determinatio. Ergo homo
à ſpiritu, intellectualique lumine, denominandus,
& definiendus erat.

CAVSÆ, ET INITIA NATVRALIVM.

1. EXcuſat ſe Author, cur paradoxus. 2. Quadam corpora carent cauſis in natura. 3. Quaternarius cauſarum, patefacit ignorantiam natura in Ariſtotele. 4. Errores aliquot Ariſtotelis. 5. Formam, efficientem, & finem Ariſtotelica, non eſſe cauſas naturalium. 6. Forma non eſt Actus. 7. Falſum axioma

Ariſtotelicum. 8. Errat in attributis forma. 9. Non cognovit veram efficientem. 10. Pater non eſt cauſa efficiens filii. 11. Duas tantum eſſe cauſas in natura. 12. Finis nullam habet rationem cauſæ in natura. 13. Tria Paracelſi corporum initia, non habere naturam cauſarum. 14. Vnde petenda definitio quorumcunque naturalium. 15. Definitio equi. 16. Diviſio ſublunarium apud veteres eſt pernicioſa. 17. Definitio animantum, plantarum, & mineralium. 18. Nomen ſubjecti, ſonat impropriè in Philoſophia: cur dicendum coagens. 19. Producta non vitalia, quomodo recipiant fines. 20. Quare vis ſeminalis terræ ſit tributa. 21. Elementorum non eſſe congreſſum. 22. Chimicorum principia, non habere vim principiandi. 23. Duo tantum corporum eſſe principia, nempe ex quo, & per quod. 24. Rerum fermentum, quid. 25. Quid fermenta in ſpecie. 26. Quid immediatè inſit locis. 27. Fermenta aëris, & aquæ. 28. Fermenti, & cauſæ efficientis, tantum theorica diſtinctio. 29. Fermentum origo ſeminum quorundam. 30. Fermentum principians quale, & ubi. 31. Fermenta immediatè in locis, in rebus ipſis tanquam locis. 32. Materiæ nomen, eſt theoricum; aqua verò, eſt practicum. 33. Quid cauſa efficiens interna. 34. Falſum axioma Ariſtotelis. 35. Explicatur efficiens in naturalibus. 36. Ignis non eſt de cenſu efficientium ſeminalium; ut decepit Ariſtotelicos. nec influxus cœlorum, eſt inter efficientia. 37. Diverſitas cauſæ efficientis, & effectivæ. 38. Ambitioſum, & ignavum, Ariſtotelis ingenium. 39. Falſum axioma Ariſtotelis. 40. Ariſtoteles in Matheſi potior, quam in natura. 41. Quanta Scholarum ignorantia in naturalibus hactenus. 42. Ariſtoteles in Phyſicis ridiculus, ſibique contradictorius.

1 IN domum deſertam venio, ſordes
everrendas mihi reliquere. Plurima
indaganda ſunt, & docenda
quæ ignota; ſubvertenda quæ malè
tradita; abſtergenda quæ immunda,
& quæ falſa, abjicienda erunt:
omnia vero, atque ſingula, debitè confirmanda.
hæc autem præmonuiſſe ſat eſto, ad ſubmovendum
tædia, ſi forte nova atque paradoxa
infeſtent magis, quam vera oblectent. Naturæ
cognitio, duntaxat ex eo deſumitur, quod actu,
& reipſa eſt: quippe quæ fictis nuſpiam meditationibus
conſiſtit. Eſt nimirum tota naturæ
compages, individua, reipſa, actu, & in aliquo
corpore defixa, excepto ſpirituum abſtractorum
2 numero. Denique, & inprimis ſeriò moneo,
quoties de cauſis naturalium loquor, nequicquam
hæc ſumenda, pro elementis, vel pro Cœlo:
eo quod, titulo creationis, ſupernaturaliter
inceperint, & hodiè conſtanter quoque maneant
eadem, quæ ab initio fuerunt. Cauſas ergo rerum
naturalium, intelligo viciſſitudinem præſupponere.
Ac licet Elementorum corpora,
ſubter naturam venerint, heteroclita tamen eorundem
eſt ſpeculatio, & aliena Philoſophia. Qui 3
enim ante me quatuor elementa, ad ſingulas
corporum generationes, per miſturam confluere,
ſunt opinati: Elementa ethnico more aſpexerunt,
ſuiſque tentarunt commentis, elementa
nubere, & obedire. Omne itaque corpus naturale,
non alia requirit, quam corporea initia, plerumque
mutationi, ac viciſſitudini obnoxia dierum.
non autem natura conſtat hyle indefinita,
ac impoſſibili, neque opus habet principio tali,
ut nec privatione: ſed ordo, & vita, inſunt efficienti,
de neceſſitate. Reſque omnis, inanis, vacua
eſt, mortua, ac deſes, niſi vitali, aut ſeminali
adeſſe principio, fuerit conſtituta, aut quandoque
conſtituatur. Quinimo adhuc corruerent
iſtæ leges, niſi ordo quidam rebus ineſſet, & intercederet,
qui propria flecteret, ad communis
boni ſuſtentationem, ſive neceſſitates. Ariſtoteles
quatuor cauſas, rerum conſtitutivas dictavit,
quæ ſuum Authorem quoque fecere naturæ
ignarum. Quippe inprimis, principium, cum
cauſa materiali, confundit. Primam ſcilicet cauſam,
vocans materiam indefinitam, ſive corpoream
molem ſubſtratam, determinationis formalis
indigam. Alteram dein cauſam, etiam internam
eſſentiam, ſive rei formam, cum altero
ſuorum principiorum confundit. Tertiam denique
externam, efficientem vocat: Ac quartam
tandem nominat finem, ad quem videlicet res
quæque dirigitur. hanc autem, in efficientis 4
mente, voluit cauſarum trium priorum eſſe primam:
adeoque nedum res naturales principiari,
per ens Rationis, ac mentale: verum etiam, quaſi
inanimata, in mente efficientis cauſæ, laterent
per finem. Quod ſi ergo, cauſas naturales malè
inquirat; longè pejus, ſupernaturalem finem, in
mente primi Motoris, pro naturali cauſa ſubſtituit,
vel mentalem finis conceptum, in non animatis
requirit. Ego ſane, qui non aſſuevi, conſentiendi
ignavia, aliorum auſibus, ſine præponderatione
inſervire; tres poſteriores cauſas,
in cognitione naturali, mendoſas, imo & damnoſas,
plurimum offendi. Primam verò de
quatuor, fabuloſam oſtendam ſubinde. Nam in
primis cum omnis cauſa, ſecundùm naturam,
& dierum ſucceſſionem, cauſato ſuo ſit prior:
certè, forma compoſiti, cauſa eſſe nequit producti:
ſed potius Entelechia ultima generationis,
ipſiſſimaque generati eſſentia, atque perfectio:
propter cujus aſſecutionem, cætera cuncta diri-

guntur. Itaque formam, potius tanquam effectum,
6 quam ut cauſam rei meditor. Imo amplius.
Forma enim, cum ſit generationis finis,
non eſt mere actus generationis: ſed generati.
ac potius potentia, poſſibilis in generatione:
materia vero, ſive generationis ſubjectum, ut
actu eſt; ita quoque actus ipſius, eſt internum
agens, efficiens, ſive Archeus. Falſum eſt idcirco,
quod quanto res magis habet de forma, tanto
magis habet de actu, de entitate, virtute ac operatione.
7 Quoniam forma non acquiritur, vel
poſſidetur, per partes, vel gradus: neque idcirco
entia, ſunt ſuſceptiva plus, minuſve, de forma.
Imo, etſi ſuſceptiva eſſent, tamen activitas agentis,
8 non eſt ipſius formæ; ſed Archei. de quo
mox. forma igitur eſt indiviſibilis. Quidquid
enim Ariſtoteles tribuit formæ, ſive perfectioni
poſtremæ, in ſcena rerum, id proprie, directivè,
& exſecutivè competit illi agenti, ſive Archeo
9 ſeminali. Denique, cum cauſa efficiens Ariſtot.
ſit externa (qualem ait fabrum, ferri intuitu) facile
cognovi, illum ſua figmenta, pro veris fundamentis,
venum dediſſe, ejuſque omnem ſpeculationem,
circa artificialia, & externa naturæ,
vagari. Tota alioqui cauſa efficiens, eſt interna,
10 eſſentialis, in natura. Et licet generans pater, ſit
effectivus: in ordine tamen ad patratum, non
eſt niſi cauſa efficiens ſeminis, tota externa, in
relatione ad ens, quod per generationem de ſemine
conſtituitur. Etenim in ſemine, quod totam
efficientis immediati quidditatem complet,
atque continet, non eſt ipſe pater: ſed Archeus.
Eo quod pater reſpectu generati, non niſi
cauſæ externæ, & occaſionaliter producentis,
rationem habet: ſiquidem per accidens tantum
generationis effectus ſubſequitur, licet tota intentione,
generationi incumbat patrans. Itaque
conſtitutivum efficienter conſtituens, cauſans
intrinſecè, perfectivè, atque per ſe, eſt ipſe Archeus
ſeminalis, à patre realiter diſtinctus in
eſſe, & proprietatibus. Pariter ut in vegetabilibus.
Herbæ quidem ſunt ſeminum productrices:
at herbarum è ſemine iſto naſcentium, non
niſi cauſæ occaſionales, & remotæ, atque idcirco,
etſi ſint cauſæ naturales, non tamen ſufficientes,
& neceſſariæ: neque enim è quovis ſemine
proinde planta conſurget. Eſt ergo ens
ſeminale in ſemine, cauſa immediata efficiens
efficienter, interna, ut eſſentialis, herbæ inde
prodeuntis. Plantæ autem præcedens illius ſeminis,
eſt cauſa remota, occaſio naturalis, ſeminis
quidem, quod per ſe, ac immediatè plantam
fabricat, & efficit, cum adjutorio excitantis.
Alioquin enim ſi herba patrans, eſſet efficiens
herbæ productæ, non poſſet patrans cauſa comburi,
quin producta ſimul periret. Eſt ergo ſemen,
cauſa efficiens, interna, immediata herbæ
productæ. Quapropter poſt ſedulam omnium
rerum inveſtigationem, non inveni corporis
naturalis ullam dependentiam, niſi duntaxat ad
duas cauſas, ad materiam, & efficiens, internas
(quibus plerumque externa quædam excitans 11
aſſociatur) ſcilicet. Quippe quod hæc duo, ſibi,
& aliis, ſint abunde ſatis, contineantque totam
rerum compaginem, ordinem, motum, ortum,
notiones ſigillares, proprietates, ac quidquid
denique ad rei conſtitutionem & propagationem
requiritur. Continet namque efficiens ſeminalis
cauſa, rerum ſibi agendarum typos, figuram,
motus, horam, reſpectus, inclinationes,
aptitudines, adæquationes, proportiones, alienationem,
defectum, ac quidquid ſub dierum
ſequelam incidit, tam in generationis, quam regiminis
negotio. Fines denique cum omnes 12
efficiens in ſe contineat, tanquam rerum à ſe agendarum
inſtructiones, ideo finalis cauſa Scholarum
externa, quæ duntaxat in artificialibus
locum habet, vana prorſus eſt in natura. Saltem
non diſtincta quidditate, ab ipſo efficiente, eſt
conſiderabilis. Quæ namque in mente Artificis,
ens rationis eſt: nequaquam poteſt cauſæ
realis, & naturalis pondus obtinere. Eo quod
cauſæ efficienti naturali, ſua à Deo naturaliter ſit
infuſa finium & habitudinum ſcientia. Res nimirum
ſingulæ, in natura, ſuccum aliquem genericum
deſiderant, pro materia; ac denique ſeminale,
efficiens, diſpoſitivum, dirigens principium,
internum generationis. His namque duobus,
neque pluribus, opus habent res corporeæ
ſingulæ. Tria vero corporum principia, Para- 13
celſo tantopere jactata, etiamſi reperirentur in
ſingulis conſtitutivis: attamen non proinde ſequeretur,
illa vim habere principiandi: ſiquidem
illa tria, cum ſint fructus ſeminum, ſortiuntur
diverſitatem quaſi ſpecificam: quam neceſſario
neſcirent, ſi vera eſſent principia: Id eſt, ſi ante
ſpeciei conſtitutionem adeſſent. nec etiam unum
migrare poſſet in aliud, quod tamen tribus
primis Paracelſi eſt vernaculum. Porro, cum ma- 14
teria, ſimul & efficiens, ſufficiant ad omne productum,
ſequitur, omnem definitionem naturalem,
non ex genere, & differentia (mortalibus
plerumque incognita) petendam: ſed ex ambarum
cauſarum connexione, eo quod ambæ
ſimul, totam rei eſſentiam concludant.
Deinde etiam ſequitur, ipſummet productum,

ſive effectum, nil eſſe, præter ambas cauſas connexas.

15 Quod profecto eſt intelligendum de non animatis,
animatis alioqui ſuperaddenda eſt vita,
ſive anima viventis. Sic enim equus fit filius
ſuorum parentum quadrupedum, in animam
viventem equinam, creatum virtute verbi. Sublunaria
vulgo dividuntur in Elementa, & elementata:
16 ego vero, divido in elementa, & producta
ſeminalia. hæc rurſus, in vegetabilia, animalia,
atque mineralia. Sic ut ſingula, peculiarem
claudant monarchiam, ab aliis duobus ſecretam.
Mineralia ergo, & vegetabilia, ſi qua
ſorte vivere videantur, cum tantum vivant per
17 poteſtatem; & non per formam viventem, in
lumine animato; aptè quoque definiri poſſunt
per ſolam materiam, & efficiens internum. Siquidem
omnis effectus producitur, vel ab agente
externo, & eſt productum artificiale: vel à
ſuſcitante, ac fovente externo, quod eſt cauſa
occaſionalis, & externa: quæ tamen intus habet
cauſam efficientem, & ſeminalem, quæque permanet
efficiens, in ultimam uſque producti periodum.
Cauſa tamen occaſionalis, non eſt agens
18 verum: ſed mediatum. Subjectum verò,
quod Scholæ patiens dixere, ego coagens voco.
In relatione vero amborum terminorum, ſive in
habitudine motus agentis ad coagens, reſultat
19 actio. Producta ergo non vitalia, non recipiunt
formas, per diſpoſitionem termini agentis, factibilem,
ſed tantum acquirunt deſtinationum
ac digeſtionum fines, ſive maturitates. Etenim
dum è cauſis mineralium, reſultat lapis, aut metallum,
vel è ſemine plantæ, dum fit planta: non
fit aliquid ens novum, quod poteſtativè non
eſſet præſens in ſemine: ſed acquirit tantum maturitatis
deſtinatæ complementum. Ideoque
terræ datur poteſtas producendi herbas: non autem
aquæ producendi piſces. Quia in vitalibus
animantatis, non ita fit, prout in plantis. Vt
enim Monarchiæ ſunt planè diſparatæ, ita & generationis,
20 & generandi modi. Ideo namque
dos propagandi ſemina, in ſecula durabilis, legitur
tributa terræ, non item animantibus. quanquam
hæc interim propagare debeant. Proinde
ſemina non animantatorum propagantur quidem,
non ſecus ac lumen de lumine ſumtum.
In cujus tamen illuminationis participatione,
neceſſario Creator efficiens principale eſt. Solus
autem Creator, creat ubique novum lumen,
ſive ſit formale, ſive etiam vitale, individui producti:
nec enim lumen iſtud antea erat, ne quidem
ex parte, licet ex habitudine potentiali, ſive
diſpoſitione aptitudinali, ad conſequendam formam,
quodammodo, inanimantatorum ſemina,
vitalia ſic cenſeantur: non tamen tam propinquè
ut in plantis vis formalis inplantata eſt. Animæ
namque, & vitæ, ut gradus, ita & partes, neſciunt.
Et quanquam ſemen animantis, diſpoſitionem
ad vitam habeat; vitam tamen nec habet,
neque ex ſe habere, aut efficere poteſt, ob
rationes de ortu formarum deductas. Quamobrem 21
mox docebo, non eſſe elementa quatuor,
nec trium reſiduorum, imo nec duorum, eſſe
congreſſum, ut inde corpora, (quæ mixta creduntur)
conflentur: ſed quod ad horum conſtitutionem
duæ ſaltem abunde ſufficiant cauſæ
naturales: materia nempe eſt ipſiſſima effectus
ſubſtantia; efficiens verò ipſius internum, atque
ſeminale agens: & prout in animantibus, duos
tantum ſexus agnoſco; Ita quoque duo ſaltem,
nec plura ſunt corpora, quorumcunque initia;
prout duo tantum luminaria magna. Nam quæ 22
chymici, ſalem, ſulphur, & mercurium, ſive ſalem,
liquorem, & balſamum, tria vocant corporum
initia, oſtendam ſuo loco, non poſſe initiorum
ſortiri dignitates, quæ non in omnibus poſſunt
reperiri, quæque ipſamet, ſunt primordialiter,
ex aquæ elemento prognata, & in aquam
rurſus diſſoluta fatiſcunt (ut quandoque conſtare
faciam, Siquidem initiorum ſtabilis ſit natura
oportet, ſi nomen ac proprietatem principii ſuſtinere
debeant. Duo igitur, nec plura, ſunt corporum, 23
& cauſarum corporalium prima initia.
Elementum aquæ nimirum, ſive initium ex
quo: & fermentum, ſive initium ſeminale, per
quod, id eſt diſpoſitivum, unde mox producitur
ſemen, in materia: Quæ acquiſito ſemine, fit
eo ipſo vita, ſive materia illius entis, media, diſcurrens
in rei uſque periodum, ſive materiam
ultimam. Eſt autem fermentum, ens creatum 24
formale, quod neque ſubſtantia, neque accidens:
ſed neutrum, per modum lucis, ignis, magnalis,
formarum, &c. conditum à mundi principio,
in locis ſuæ Monarchiæ, ut ſemina præparet,
excitet, & præcedat. hoc eſt nempe fermentum
in genere. Quæ autem hic ſuppono, ſuo
tandem ſingula loco demonſtrabo. non agam de
fabulis, rebuſque non exſiſtentibus: verùm de
principiis, ac cauſis, in ordine ad fines, actiones,
& generationes: Conſidero fermenta verè,
actuque exſiſtentia, & individualiter per ſpecies
diſtincta. Sunt itaque fermenta, dona, ac radices, 25
à Creatore Domino ſtabilitæ, in ſeculorum
conſummationem, continua propagatione ſufficientes,
atque durabiles, quæ ex aqua, ſemina

ſibi propria excitent, atque faciant. Nimirum
quo dedit terræ, ex ſe germinandi virtutem,dedit
fermenta totidem, quot fructuum exſpectationes
: ut etiam, ſine ſemine præcedentis plantæ,
poſſint ex aqua ſuos liquores, & fructus prolificare.
Proferunt itaque fermenta, ſemina ſua,
nec aliena. Id eſt ſingula, juxta ſui naturam, &
26 proprietates : Quod dicit Poeta : *Quippe ſolo natura
ſubeſt. Nec omnis fert omnia tellus. Ineſt
quippe locis, ordo quidam divinitus inditus,
ratio quædam, & radix immutabilis, producendi
ſtatutos quoſdam effectus, ſive fructus, nec
quidem duntaxat vegetabilium : ſed & mineralium,
& inſectarum. Differunt namque terrarum
fundi, & proprietates, idque propter aliquam
cauſam, terræ iſti connatalem,& coævam.
hanc nempe fermento formali, inibi creato, attribuo.
Vnde conſequenter diverſi fructus, diverſis
locis pullulant,& ſponte erumpunt : quorum
ſemina alio tranſlata, plerumque imbecillius
provenire videmus, ceu fœtus ſuppoſititios.
27 Quod autem de fermento, terræ indito,
dixi, idipſum pariter in aëre, & aqua reperies.
Neque enim Radicibus, Donis, Rationibus fermentalibus
carent, quæ ſtabiles, locis, & provinciis
dicatos fructus proferunt, idque perſeverantia
fructuum, nedum convincit : ſed &
ſpontanea, abundanſque injuſſorum ſeminum
28 profuſio. Fermentum igitur principii veri naturam
tenet, à cauſa efficiente, in hoc diverſi :
quod cauſa efficiens, conſideretur tanquam immediatum
principium activum in re, quod eſt
ſemen, ac velut principium motivum ad generationem,
ſive initium rei conſtitutivum.
29 fermentum verò, ſemine ſæpè prius, & hoc de ſe
generat. Eſtque fermentum, originale rerum
initium, vis indita terræ, vel locis, non autem
rebus ſeminalibus conſtitutis. Fermentum autem,
quod rebus conſtitutis, cum ſeminum
proprietatibus inoleſcit, ſe habet per modum
efficientis, ad ſemen rerum. Aſt ſeminale fermentum,
non eſt illud, quod alterum duorum
originalium principiorum : ſed productum ejuſdem,
& effectus ſeminis individualis,
30 ideoque caducum, & interiens. Vbi alias fermentum
principians, in elementorum ſinibus conditum,
immutabile, & conſtans perſeverat, nec
viciſſitudini, aut morti ſubjectum. Eſt ergo vis
locis inſita, à Creatore Domino, ibidem locata,
ad fines in ſucceſſione dierum ſibi ordinatos.
Dum aliàs, ſemen in rebus, ejuſque vis fermentalis,
eſt res, quæ exoleta ſuæ tragœdiæ ſcena,
deſinit in individualem Epilogum. Res enim,
licet de ſe ſucceſſivè prolificet : id non niſi virtute
hauſti ſemel fermenti evenit,quod proinde
non deſinit ſuis locis, ſpontaneos, ſive priorum
parentum ſemine, feliciores fructus inceſſanter
edere. Hæc facilia ſunt cognita, in mineralibus
ſponte natis ; at in plantis, & animalibus, ſucceſſiva
ſeminis fœcunditate generantibus, non
æquè id obvium eſt, ut neque in animantatis,
promiſcuum putredine ſexum mentientibus
quidem : at mox mutuo etiam congreſſu prolificantibus.
Verum eadem ubique eſt ratio fermenti.
Adeoque fermentum utrobique principium
idem eſt. Etenim in ſemine, à parente
inditur, & cum eodem identitatem ſubit, vel
aliunde, à cauſis externis, materiæ imprimitur.
ſaltemque utrobique veri efficientis interni locum
tenet. Quippe rerum Conditor, quibuſdam 31
fermentis, loca deſignavit propria, ac ſtabilia,
in elementorum condo, tanquam ſeminum
promtuario, id eo efficientium prototypos.
Aliis verò rebus per individua, & ſpecies,
ac ſi eſſent loca, diſperſit : Alibi enim ſtabilia,
pro natura corporum quibus inſunt, hæc initia
voluit: aliàs verò, ut de manu in manum tranſirent,
in rerum continuationes. In hoc autem
differre voluit, quod fermenta ſtabilia locorum,
tanquam prima, univerſalia, ſimplicia, atque inchoativa
initia ſeminum, ſive cauſarum naturalium
efficientia, eſſent : quæ ſcilicet elementum
aquæ in ſe, in aëre, vel in terra impregnarent.
Caducorum vero fermenta labilia,& à parentibus
hauſta, materiam præparatam dumtaxat
concernerent, & in ſeminum ſinu immediatè
ſederent. Ideoque & inteſtinam mortis
neceſſitatem continerent. Alterum pariter initium
corporum univerſale, quod aqua eſt, eſt
unica rerum cauſa materialis, quatenus aqua
initii naturam in ſe habet, in modo, puritate,
ſimplicitate, ac progreſſu, initiandi, pro ut &
in termino diſſolutionis, ad quem cuncta corpora,
per materiæ ultimæ reductionem redeunt.
Quod mox ſuo loco demonſtrabo typicè. Initium 32
itaque, à cauſa, tantum theoricè diſtat ; ut
illud ſit ens actuale initians, atque hactenus
cauſans : Cauſa verò, ſit terminus relationis ad
cauſatum, ſive effectum, enti theorico fortè
propinquius. Vel diſtingue illa ut lubet. Ego
ſaltem intelligo, cauſas initiare, & initia cauſare,
eodem nomine, ſive ſit in elementorum
ſinu, ſive in ipſa ſeminum materialium familia.
In rerum itaque naturalium hiſtoria, conſidero
materiam plerumque ſemine impregnatam,prima
ſui vita decurrentem,ad ultimum illius concreti

creti terminum : non autem materiam primam Ariſtotelicam, ſive illud non-ens, impoſſibile.
33 Sed conceptæ cauſæ efficientis, conſidero initia realia, entium omnium donà prima, radices, theſauros, & fermenta imprægnantia. Vel ſi malit Lector cauſam efficientem confundere cum rerum fermento; & materiam corporum, cum aquæ elemento, diſtinctus eſſe deſino lubens, modo ſciatur, qualiter iſta ſe habeant, in luce naturæ. Saltem ſic de corporum initiis, & cauſis diſſerui, ut ſentio, & expertum habeo; multam lucem quoque ſpondeo iis, qui hanc ſemel
34 theoricam fecerit ſuam. Falſum itaque imprimis comperient Ariſtotelis axioma. *Quod videlicet generans, nequeat eſſe pars generati.* Cum ſemper generationis principium effectivum, ſit internum agens, internus patrator, & generans. Quod ſatis clarè conſtat in iis, quæ ſola matre putredine prodeunt vitalia. In quibus nullum univocum eſt generans externum : ſed ipſa maſſa ſeminalis, ſive ſemen generativum, cuſtodit in ſe univerſa, quibus ad generationis œconomiam opus habet. At ſane nec cauſarum binarium admonuiſſe ſat eſt : quin potius juverit efficientem, ſive coſmocraticem præcipuam,
35 planius deduxiſſe. Quocirca hoc loco ſuppono, quæ alibi demonſtrabo, nimirum in tota rerum naturalium ſerie, de novo nil ſurgere, quod non è ſemine ortum ducat, nihilque fieri, quod non è ſeminis neceſſitate fiat. Tragœdiam vero defunctam in meta finis, non eſſe niſi exantlatorum ſeminum periodum, ſive epilogum : niſi forte violenter abſcedere cogantur.
36 Quocirca ignem excipio. Vtpote non ad generationem, ſed ad deſtructionem dato. Maximè, quod ejus ſit peculiaris origo, & non ſeminalis. Eſt nempe res inter creata univerſa, ſingularis, & impar, (ut ſuo quandoque loco.) Excipio denique Cœlorum influxus, qui ob generaliſſimam ſui deſtinationem, nullam in ſe habent poteſtatem ſeminalem. Eo quod à generabilium ſorte nimis procul ſint diſtincti : Ideoque influentiæ, leguntur *in Signa, tempora, dies, & annos* à Creatore, nec alio deſtinatæ : non
37 autem ad cauſas ſeminales rerum. Cauſarum porro efficientium, & ſeminalium in natura, quædam ſunt efficienter efficientes : aliæ verò effectivè. Prioris nempe claſſis, ſunt ipſa ſemina, horumque diſpenſatores ſpiritus : ſuntque cauſæ iſtæ de proſapiâ eſſentiarum, per ſui multam activitatem, à cauſa materiali meritò diremtæ. Effectivè autem efficientes, ſunt ipſa hoſpitia, atque organa ſeminum proxima : qualia ſunt fermenta externa, materiæ diſpoſitiva, in alteritatem tranſmigrationis. Spectant & huc poteſtates diſpoſitivæ circumſtantiarum, fomentantes item, excitantes, ac promoventes. Quia dato ſemine, non tamen quævis promiſcuè inde proveniunt. Diſcet præterea tyro noſter, Ariſtotelis 38
ingenium, in fundanda axiomata pronum, ut quoties aliquid ſuis reperiret conceptibus congruum, confeſtim in Regulas id traheret, ſub univerſale, ſtringendo debilioris authoritatis tranſſumtas radices. Quæ ſanè ejus axiomata, mirata eſt ſubſequens ætas, in ignaviam ſcilicet prona, ideoque illum, & illa, facile adorans. Subinde quoque matheſin, in naturam, violenta interpretatione introduxit, ut cauſas naturales, numeris, lineis, & literis Alphabeti, prorſus obedire voluerit, temeritate prorſus ridicula. Per exemplum : Advertens, quod ignis, celerius lignum ſiccum ambureret, quam madidum, extemplo inde axioma univerſale meditatus, voluit. *Quod actus activorum* 39
, tantum eſſent in materiam diſpoſitam. Quod tamen multis eſt ſeptum inſcitiis. Primo namque, ut ignem, externum agens, vidit concurrere ad materiam combuſtibilem : Indicavit hinc quoque, omne aliud agens, in natura, debere agere per modum ignis, neſciens, ignem non agere per modum agentis ſeminalis, eſſeque peculiarem creaturam. Cenſuit ergo pari inſcitia, cauſam efficientem omnem, inſtar ignis, neceſſariò eſſe externam. In hoc etiam deceptus, quod ſtatueret omne agens naturale, exigere materiam diſpoſitam. Cum alioqui agens in natura, diſponat ſibi ſubſtratam materiam. Neque enim omne agentis naturalis conſilium alio fine agit, quam ut diſponat materiam ſibi ſubſtratam, ad ſcopos ſibi cognitos, ſaltem deſtinatos pro generatione. Ex unico nimirum terræ ſucco, unicoque horto, quadringentæ plantæ creſcunt, & fructificant. Si enim diſpoſitionem amicam, in materia, Agens reperiat, benè quidem : ſin minus, facili negotio, eandem ſibi parat. Quid ſi poſtmodum, ex unico aquæ elemento, immediatè, omnia corpora tangibilia, provenire demonſtravero. qua neceſſitate quæſo, agens exiget præexſiſtentem materiæ diſpoſitionem : vel ſi præexſiſtat diſpoſita, quis fuit ille diſpoſitor, aut præcurſor Agentis ? Per ſe, alioqui ad diſpoſitionem cujuſcunque materiæ, cui ineſt, ſufficientis ? At ſi fermentum dicas. Saltem noviſſe debes rurſus, cauſas ambas, à producto non differre in natura, niſi maturitate ; nec Agens à fermento diſtingui. Quæ ſi

Scholæ, melioris ſucci diſciplina imbutæ: ſcirent,
utique & cognoſcerent ſuum Ariſtotelem
à ſuis Regulis defecturum, quas in ſcientificarum
demonſtrationum præmiſſas, primo veras,
erexit. Ipſius vel dementaſſet, ſuper monſtruoſas,
40 lapidum in nobis generationes. Et licet ante
nata Euclidis elementa, Matheſis rudior eſſet?
tamen Ariſtoteles in hac, quam in natura, longe
peritior, naturam ſubter illius ſcientiæ Regulas,
ſubigere anniſus eſt. Noverat enim circulum,
figurarum in plano capaciſſimam. Subito igitur
in axioma cogit univerſale, etiam ulcera, ac
vulnera rotunda, cæteris quibuſque, in extentione
paribus,eſſe curatu difficiliora.At ſane difficilius
eſt vulnus lato pugione penetrans, quam
rotundum in carne. In ulceribus verò, fiſtula
ani, vel lacrymalis, ſanando ſunt operoſiores,
quovis ulcere tibiarum in circuitum extento.
Putavit nimirum, Regularum pronitate deceptus,
vulneris incarnationem ab externo tantum
agente emplaſtro proficiſci, eamque exterioritatem,
nedum eſſe relatu ſuperficiei noſtri
corporis: ſed reſpectu figurali, diſtantiæ labiorum
vulneris, in ordine ad ejus centrum. Hiſtoriam
referam. Auriga militaris, uxorem lue Veneris
inficit. hæc vero, remedii penuria, in ulcus
exedens ſeſe diſtendit. Vnum ſaltem vidi,
ab aure in cervicem, humerum, & cubitum, pone
per homoplatas,totum latus coſtarum,& thoracem,
devaſtans carnoſam membranam. Quæ
ut obeſior eſt mulieribus, ita altiorem profunditatem
continebat. Plura alia, at minora, per abdomen,
in crura ſe habere dicebat, & humanum
corpus ferè ſine cute exhibebat. Mulier authoritate
mea, in hoſpitale Vilvordiæ deportata, renuentibus
monialibus: ſed mars prævalens, etjam
quandoque monialibus aliquantiſper imperat.
Chirurgus præſidialis, Chryſulcam, madefacta
ſtuppa, dolore incredibili, vivis muſculis
intingit, & miſerando ejulatu domum incutit.
Tranſiens autem rogavi, cur id feciſſet. Inquit;
eſſe Carcinoma ulceratum, ac totale, & quo citius
interiret, eo eſſet felicior. Id querula monialis
audiens, dixit, ſe per Regulas ſuæ domus
non teneri, ad hoſpitandum Cancrum, lepram,
vel luem, &c. Illico ergo ante crepuſcula, mulierem
ad ſuburbia deferunt, & in ſterquilinio
deponunt. Pauper ruſticus verò, ignotam mulierem
commiſerans, ex ramis, caſulam contra
pluviam fabricat,folia verò aliquot braſſicæ,difﬂuendi
puri, & aëris inclementiæ arcendæ, applicat.
Is caſum mihi narrat. Exhibeo Corallatum
Paracelſi, per albumen ovi paratum, & 26
diebus tota convaluit. Ingentia enim ulcera,
feſtinato impetu, pelle tegebantur, minutulis
aliquot, ab initio rimis, perpetuitatem diuturniorem
ſervantibus. Mox moriens affinis quidam,
huic pauperrimæ domum & agrum legat.
Maritus ejus,pone ſentes perit: Illa ſecundò nubit,
jam armento, grege, & arvis dives. Ego enim
in marito, & Chirurgo,latrones: In monialibus
levitatem; in ruſtico Samaritanum, & in
muliere, Iobum admiratus, cognovi Deum Iob,
eundem eſſe univerſi, & perpetuum Rectorem
omnipotentem. A quo, licet homo ſit ſuffuratus
titulos majeſtatis, Celſitudinis, excellentiæ,
clementiæ, & dominationis, unicum ſaltem ſibi
perpetuum reſervaverit. Quod eſt, æternitatis.
Cujus reſpectu, homo eſt fungus unius noctis,
cras putridus. Sciant ergo Scholæ,Regulas Matheſeos 41
malè naturæ quadrare. homo enim non
naturam metitur: ſed ipſa ſe. Neque enim ethnicus,
viarum ignarus, vias magis oſtendet,
quam cæcus colores,antea non viſos. Ergo præter
ignorantiam naturæ, in ſui radice, ac quidditate;
Scholæ neſcivere rerum cauſas, numerum,
exigentiam, denique maturitatum, tarditatum,
& celeritatum fluxiones. Itemque ignorarunt
compoſitiones, & reſolutiones corporum, tam
natura,quam arte factas: Seminum quoque,fermentorum
item neceſſitates, fines, diſpoſitiones,
defectus, reſtaurationes, interitus, ſubſecutiones,
quoque contiguitates, & dependentias,
eo quod Agens naturale, rebus exoticum, atque
peregrinum edocerent. Conſecutivè etiam
ignorarunt formarum nativitates, ut & inde
prodeuntes proprietates. Quorum loco fortunam, 42
caſum, tempus, vacuum, & infinitum expoſuerunt,
licet naturæ aliena, quæque diſciplinas
continerent ridiculas. Imo ſecutæ ſunt Authorem,
qui credidit, mundum ab æterno, in
æternum, propriis viribus explicatum iri, ſibique
contradicit negando infinitum. Cum primus
Motor, æternum duraturus, omnia facturus,
in poteſtate æterna,infinitum neceſſariò includat.

ARCHEVS FABER.

1. ARcheus eſt cauſa efficiens. 2. Qualis in ſeminibus. 3. Proprietates, & differentiæ ejuſdem. 4. Compoſitio auræ genialis. 5. Nativitas idearum ſeminalium. 6. Veſtis ſeminalis Archei. 7. Hoſpitia, cum curatoribus deſignata ſemini. 8. Syzygia aſtrorum imitata in ſeminibus. 9. Primum mobile non habet vicariatum in viro.

1 Tetigi ortum & cauſas naturalium,
ac, ne cauſam efficientem,
gratis internam poſuiſſe videar:
opportunius fabrum, generationum
2 Vulcanum explicabo. Quidquid
igitur in mundum venit per
naturam, neceſſe eſt habeat ſuorum motuum
initium, excitatorem, & directorem internum
generationis. Singula ergo, utut dura & opaca,
tamen ante ſui iſtam ſoliditatem, claudunt in ſe
auram, quæ ante generationem, ſemini (hactenus
fœcundo, internam, futuram generationem
adumbrat, & generatum ad finem ſcenæ uſque
3 comitatur. Quæ aura, licet in aliquibus luculentior
ſit: in vegetabilibus tamen, ſucci ſpecie
comprimitur, ut & in metallis denſiſſima homogeneitate
inſpiſſatur: ſingulis tamen hoc donum
obtigit, quod Archeus vocatur, generationum
& ſeminum fœcunditatem continens, tanquam
cauſa efficiens interna. Ille inquam faber,
generati imaginem habet, ad cujus initium, deſtinationes
4 rerum agendarum componit. Conſtat
Archeus verò, ex connexione vitalis auræ,
velut materiæ, cum imagine ſeminali, quæ eſt
interior nucleus ſpiritualis, fœcunditatem ſeminis
continens; eſt autem ſemen viſibile, hujus
tantum ſiliqua. Imago hæc Archei, ex prædeceſſoris
idea defluens, vel eandem è condo
externorum arripiens, non eſt demortuum
quoddam ſimulacrum: ſed plena inſignitum
ſcientia, poteſtatibuſque neceſſariis, rerum, in
ſua deſtinatione agendarum, ornatum; adeoque
eſt vitæ, & ſenſationis primarium organum. Per
exemplum. Prægnans enim, ceraſum ſuo appetitu,
in fœtu fingit, illa parte, qua manum appetendo
5 admovet. Ceraſum, inquam, in carne verum,
virens, pallidum, flavum, & rubens, juxta
ſtationes, quibus arbores, ſua ceraſa promovent.
Citiuſque in Hiſpania, idem in eodem fœtu ceraſum
rubet, quam in Belgio. Fit ergo ceraſum
per imaginationem: Ita per libidinis imaginationem
in ſpiritum ſeminis, traducitur vitalis
imago animantum, per curſum generationis,
ſeipſam explicatura. At cum omnis actus corporeus,
in corpus terminetur, hinc fit, quod Archeus,
generationis Faber, ac Rector, ſeipſum
veſtiat ſtatim corporali amictu; In animantatis
enim, perambulat ſui ſeminis latebras omnes, &
receſſus, incipitque materiam transformare,
juxta imaginis ſuæ entelechiam. Hic enim cor
locat, ibi verò cerebrum deſignat, atque ubique
immobilem habitatorem præſidem, ex univerſali
ſui monarchia determinat, juxta exigentiæ,
partium, & deſtinationum fines. Præſes demum 7
ille, manet curator, rectorque internus finium,
in obitum uſque. Alter verò fluctuans, nulli aſſignatus
membro, intuitum ſervat, ſuper particulares
membrorum naucleros, lucidus, at feriens
nunquam. Inſuper ut ſublunaria, ſuperiorum 8
in ſe analogiam exprimunt: ſic unumquodque,
quo eſt vitalius, eo perfectius aſtra æmulatur,
adeo ut ægri, Ephemerides ſenſibiles in ſe
ferre videantur, futurarum tempeſtatum gnari.
In viſceribus nimirum planetarii ſpiritus elucent
maximè, prout & in univerſali Arche[illegible]fluo,
firmamenti vices vireſque apparent. Primum 9
autem mobile, in viris nuſquam membrum
habuit: ſed duntaxat ſub Archeo uteri,
analoga meditatione occurrit, tanquam in poſtremo
creatorum complemento. Forte enim
mulier, primis proinde conceptibus turbatior,
cæteroſque orbes, primis motibus ſecum ducit.
Quoties uterus, aſcendentali imaginationis regimine
turgidus, thymoſin patitur, particulares
viſcerum Archeos, in ſui obſequium rapit, infirmitates
viriles æmulando, plerumque miſerè
deludit medentes, ficta imagine. Propemodum
brutorum Archei, ſe habent inſtar humani. Nec
inutilem ſimplicium ſupellectilis cognitionem
hauriemus, ex plantarum diſcrimine, & ſexubus
ſuis. Quippe nec ſine myſterio, in ſola corruptione
natis reptilibus & inſectis, nil æquè natura
ludendo variè, intendit ſeriò, quam analoga
ſexuum utrobique diſcrimina. Quocirca,
neque eadem in plantis neglexiſſe autumandum,
licet promiſcuo ſexu, unicum ſemen, &
fœcundiſſima prole, faciant beatum. Potiſſima
autem effectrix majorum virium, dignoſcitur
ſub Veneris ſignaturis, eluceſcens ſexuum ſolicitudo,
ſubinde & hermaphroditica promiſcuitas.
Quæ enim plantæ ſunt fœmineæ, primi mobilis
raptum conciliant. Naturalis ergo Aſtrologia
ſeminis humani, ſuas directiones juxta uni-

verſalem cœli motum componit; non autem de foris mendicat: etenim ſi omne vegetabile, ſemen ſuum edere poterat, ante ſtellarum creationem, certè hominem decebat non minore privilegio gaudere, ex innato nimirum ſemine, ſubſiſtentiam, motum, ſupernamque lationem habere, non autem ex aſtris; libro de vita longa, ad longum elucidantur, quæ hic deſiderantur de Archeo vitali

LOGICA INVTILIS.

1. P*roteſtatio Authoris.* 2. *Omen hujus libri.* 3. *Quibus mediis in condenda Philoſophia ſit uſus.* 4. *Author ſcribit, velut ex mandato.* 5. *Diſtributio Logices per membra.* 6. *Ridicula penuria differentiarum pro definitione.* 7. *Miſeria Diviſionis.* 8. *Dividendi methodus, non meretur nomen Philoſophiæ.* 9. *Vana jactantia argumentationis.* 10. *Logica parit tantum opinionem.* 11. *Cur novemdecim Syllogiſmi, non pariant ſcientiam.* 12. *Examinatur ſtentoria pompa Syllogiſtica.* 13. *Cur omnis concluſio, ſit annexa dubio.* 14. *Cur concluſio Syllogiſmorum ſit neceſſaria.* 15. *In veris præmiſſis falſas concluſiones, & contra.* 16. *Scientiam demonſtrationis non generari in diſcente.* 17. *Syllogiſmus cur non pariat ſcientiam.* 18. *Veræ ſcientiæ ſunt indemonſtrabiles.* 19. *Scientia principiorum non eſt in Ratione.* 20. *Quid inveniatur per Logicen.* 21. *Scholæ Logices, ſe opponunt ſacris.* 22. *Per Logicam, reſumitur tantum, quod ante ſcitum eſt.* 23. *Duplex, & pene inutilis finis Logices.* 24. *Nulla ſcientia niſi de ſurſum.* 25. *Logicam pro Philoſophia vendere continet impoſturam.*

1 VOcabor præſumtuoſus rixator,
cuique anteriorum ſcire diſplicet,
inſtar apri, vineam funditus
evertentis. At ſcio, quod malè mecum
ageretur, ſi anima ſubjecta
ſtaret judiciis humanis. A viro
namque cœpi ambitionem aſpicere ex obliquo,
ceu rerum vaniſſimam, pendentem ex inſtabili
2 hominum arbitrio. Oculus meus in directum
ſemper aſpiciebat vocationem, quam invita Parente,
meam feceram. Nunc ſcio autem, me veritatem
docere, compulſum; ideoque hujus libri
doctrinam, etſi dierum numero ſiderit, permanſuram
tamen, in mundi finem uſque. Quid
ſi oſtendero inſcitiam, ignaviam, impietates, &
inclementias medentum, circa res ſummo pretio
habendas, quarumque jactura eſt irreparabilis,
animabus denique periculoſiſſima, mihique
cum deſpectu reſpondeatur, ludibrio, & ſarcaſmo:
profectò vel ex nunc mihi gratulor, vivoque
3 contentus, ſpe illius retributionis. Etenim
mihi neceſſe fuit, in condenda nova Philoſophia,
omnia pænè reſcindere, à prioribus tradita,
multaque inſtitui, & reſtitui debere, quæ pari
animo, non recipiet quilibet. Nec ignoro, perpetuam
benemerentes manere ſortem, ut aſperum,
& ignarum plerumque cenſorem tolerent.
At, ſi utilia doceam, præcepti eſt, acceptum non
defodere talentum. Poſſem cum Hieron. (in
prologo Iſaiæ) dicere, *legant prius, & poſtea deſpiciant,
ne videantur non ex judicio, ſed ex odii
præſumtione, ignorata damnare.* At ego nil moror, 4
ſive legar, & reprehendar, ſive non. Sat eſt,
me ſatiſdediſſe præcepto. Neque enim fuit mihi
aliqua ambitionis enoteſcendi thymoſis, qui lubens
fateor, me nil boni habere quod imitandum.
Imo abſque nomine, prelo ſubditus fuiſſet
liber, ſi id ſine offendiculo fieri potuiſſet.
Cœpi ab adoleſcentulo, cum pruritu aſſueſcere,
quod Medicis, Chirurgis, atque Seplaſiis obloquentibus,
cætera plebs, me ut Spagyrum &
Philoſophum ſperneret, paucis ſolum mihi faventibus,
quorumque favori me, adhuc quantum
potui, ſubtraxi: Certè multum ætatis ac laboris
inſumſi, multumque utilioris otii mihi detraxi,
ut præcepto hujus ſtudii ſatisfacerem. Sit
primæ veritati laus, cui ſoli benefactorum retributio.
Cujus in ſpeculo vidi, & ratum ſervavi,
hominum judicia, plerumque è diametro diſtare
à divinis. Auram vulgarem ſtultam, mendoſam,
probroſam, & nocuam ſemper: Iudicem
verò univerſalem, erroris neſcium eſſe.

A ſermocinalibus ergo exordiar. Conſtat Logica 5
tribus membris, Definitione nempe, Diviſione,
& Argumentatione. Inprimis, definitionem
conſtare docent genere definiti, & differentia
conſtitutiva. At, cum vix alia differentia, 6
ſpeciei conſtitutiva, nota ſit, præter rationale, &
irrationale, quæ ſit ſpecifica, & individuis proxima,
harumque duarum altera adhuc ſit negativa:
priorem verò quandoque frivolam probavero:
Quare uno pede ſublato, abs tripode,
neceſſe eſt, ruat Logicus, tali ſedi confiſus. Præcipuè 7
quod diviſio, etiam ſit adeo miſerum
membrum Logices, quod dubitari queat merito,
an ridicula ſterilitate manſerit à Scholis ipſis
fere neglectum. Prior quippe, eſt cognitio totius,
& integri, quam ſuarum partium. Et de
eſſentia univerſalis eſt, eſſe unum in multis, &
ideo

ideo eſt magis ſcibile. Qui enim novit unum, &
utile; is novit plura, & particularia: non autem
è converſo. Eo quod unum, & utile, eſt in intellectu:
pluralitas verò, ſive diviſio in ſenſu.
.Nam quanto aliquid magis dividitur in partes,
tanto magis appropinquat infinitis, eſtque ideo
minus ſcibile, labens ad irregularitatem, magiſque
mutationi & oppoſitioni obnoxium. At
cum logica agat de univerſalibus, dicaturque
1. Poſterior. *quod minus erramus in univerſalibus,
quam in particularibus:* Certè logica, nos
ducens per Diviſionem ad ſingularia, tantum
abeſt, quod nos duceret ad ſcientiam, juxta illorum
Ariſtot. quod potius detrudat in errores.
8 Profecto, ſi penitius diviſionis membrum attendamus,
nullam Philoſophiæ partem complere
poteſt, nuda quædam dividendi methodus, tam
rudis, ac cruda, quod ejus una vix adoleſcentibus
dictetur hypotheſis, axioma, proprietas,
modus, proceſſuſque.

Sterilis ergo, & utroque pede tripodis orba
Logica, apud me ruinam dudum fecit. Penurioſa
quippe, & commiſeratione digna eſt Philoſophia,
quæ tam anguſta ſupellectile, utenſilibus
quoque tam parvis, ac defectuoſis, ſcientias
9 patrare ſe jactitat. Aſt tertium Logices membrum,
in ſublime ſublatum, magni apud ſermocinales
ponderis habetur: licet veris naturæ uſibus
æque inconveniens. Vtpote quæ rixas odit,
nec lubens diſcordias fert. Mundus quidem
paſſus eſt ſe circumveniri per Ariſtot. quod jactitet
Logicen, matrem ſcientiarum, nec alias
nos ſcire, quam per demonſtrationem. Ac ne
Idiotæ, Stentoris rideant hanc jactantiam (quorum
plerique, Logicis aſtutiores, peritiores;, &
plura norunt) Logicen nobis, velut per naturam,
facit nativam, ac genuinam. Bellè ergo,
diſputandi methodum, à ſe inventam, multis
extollat præconiis, omnemque ſcientiam ab homine,
ceu raſa tollat tabula, niſi Logicæ ſe erudiendum
tradiderit. Ego ſane hanc vanitatem
uſque admiror, ut & mundi credulitates. Præſertim
quod ratiocinium, ſive naturalem logicam,
compulſus fuerit, nativa dote hominibus
concedere. Adeoque ſuam Philoſophiam, ſuam
ſcientiarum omnium repertricem, non amplius
abſtruſam aliquam ſcientiam, ſed nativum quoddam
rixandi jurgium, & ad hoc compoſitam
methodum æſtimet. Itaque hoc loco inquirendum,
quantum veritatis, poteſtatis, atque utilitatis
10 habet. Ad me quod attinet, ſcio, quod omnis
diſputatio tandem concluſionem pariat;
omnis autem concluſio duntaxat opinionem
inducat. Imo quod fortiſſimum Ratiocinium,
(Syllogiſmum vocant) nullam prorſus unquam
ſcientiam dederit, aut dare ſit aptum. Quare
minus ex alia quacunque argumenti formula,
exſpectanda erit ſcientia. Inter XIX ſyllogiſmorum 11
formulas, XII concludunt negativè: Nulla
autem negatio unquam ſcientiam peperit, cum
aliquid privativè contineat, nihilque doceat
eſſe: quod negat aliquid eſſe, Scientia verò, poſitiva
ſit neceſſe eſt; cum ſit poſitivi, & de poſitivo
duntaxat. Denique cum omnis Syllogiſmi 12
baſis, ſita ſit in eo, Quod, ſi duo conveniant ſimul,
eadem debeant convenire in aliquo tertio,
cujus convenientiæ conformitas, debet apparere
in ipſa concluſione. Neceſſario itaque, in nobis
præexſiſtit cognitio illius conformitatis ante
concluſionem: adeo ut in generali præſciverim
omnino id, quod per concluſionem demonſtratur.
Id enim latet in nobis, tanquam ignis ſub
cinere: ſeſeque in apricum prodit, per nativam
diſcurſus poteſtatem, quoties uſu venerit, non
minus, quam per regulas Logices. quod nec
ipſus Ariſtot. auſus fuit negare. Alias namque
qui ſic per Logicen quæreret ſcientiam, quodammodo,
atq; aliquatenus novit, quod quærit.
nam ſi non noviſſet id, & ſciret; quomodo noſceret,
dum inveniſſet? Niſi malint logici, ſcientiam
per demonſtrationes quæſitam, caſu repertam.
Ad ſummum, cognitio, quam per demonſtrationem 13
haurimus, jam prius in nobis erat, &
tantum fit per Syllogiſmum paulo diſtinctior:
ſed tamen remanet, ut ante, dubio annexa. Eo
quod omnis concluſio neceſſariò ſequatur debiliorem
partem præmiſſarum. hinc fit, quod
conſcribatur dubio contrarii. Imo concluſio
Syllogiſmi plerumque particulariter neget, cujus
præmiſſa fuit negativa univerſalis, nec auſit
affirmativè quicquam inferre, ubi aliquid in
præmiſſis eſt negativi. In ſignum, quod nil doceat
per aſſertionem, ſed libentiſſimè neget.
Porrò cum ſcientia lateat ſub cinere, in intellectu:
hic; poteſt quoties ſibi opus videtur, cinerem
diſcutere, nec opus ad hoc habet modis, &
formis ſyllogiſticis. Imo cum juxta Ariſtot. non
ſit diſputandum, niſi cum admittentibus principia,
quæque putat primò vera; fit, quod ex
diſſimilibus principiis, non raro ſequatur aliena
concluſio. Puta, ex falſis præmiſſis. Nullum adorabile 14
eſt Creator: & omne ſimulacrum debet
adorari: ſequitur hæc vera concluſio: ergo,
nullum ſimulacrum eſt Creator. Æſtimari igitur
non poteſt, quod concluſio Syllogiſmorum
de neceſſitate cogat. Nam ex mendacio alioqui

ſequitur neceſſariò falſum, in vero intellectu, ac
vera ſcientia. De impoſſibili ſequitur impoſſibile,
& de abſurdo nil aliud, quam aliud abſurdum.
Quod tota probat Matheſis. Itaque prout
in mendacio non continetur, aut latet veritas,
ejuſque cognitio: Ita conſequens eſt, quod
in præmiſſis non claudatur neceſſariò concluſionis
cognitio. Vel enim falſum eſt, quod nulla
arbor mendacii facit bonum fructum veritatis:
vel falſum eſt, quod ex præmiſſis falſis, ut
principiis, naſcatur concluſio vera. Imo cum
exin conſtet, non eſſe neceſſariam concluſionis
dependentiam, ex præmiſſis; facile quoque intelligitur,
cur anima, tam penurioſum progreſſum
huc uſque fecerit ex demonſtratione. Quocirca
15 B. Auguſtinus ait: *Sicut in falſis ſcientiis
veras: ſi in veris ſcientiis, falſas concluſiones eſſe*
16 *poſſe.* Quinimo ubi penitius naturam demonſtrationum
trutinavi, reperi demonſtrationem,
ejuſque cognitionem, eſſe in docente, non autem
in diſcente: adeoque non tam ad inveniendum
ſcientiam, quam ad oſtentandum jam inventam.
In diſcente autem Syllogiſmus, cinerem
difflat ab igne. Quoniam quicunque ſyllogizat
jam ante diſtincte novit id, quod per concluſionem
ſibi concedi nititur. Novit nempe
terminos, medium, & modum. Neque enim
aliquis ſyllogizat incognitis terminis. Itaque
viſa mihi demonſtratio eſt, ſervire ludimagiſtris,
tyrones excitantibus ad attendendum ea
quæ ipſi ſciunt. Qui certè hactenus paucas invenere,
& utiles ſcientias, utcunque ſe demonſtrationibus,
media venari, & ſcientias acquirere
jactitent. Omnis enim ſyllogiſmus, prius
concepit opinionem rei, eamque ſibi certam
perſuadet: quam ut dein pro ſe, vel diſcentibus
ſtabiliat, quærit terminos, medium, atque modum,
ut in formam cogat ſuam demonſtrationem.
Non eſt igitur Syllogiſmus, ad inveniendas
ſcientias, ſed potius, ut inventas opiniones
aliis demonſtret. Cumque Syllogiſmus in diſcente,
quandam reminiſcentiam faciat ejus,
quod ſcit, & non aliud: ſcientiæ verò non acquirantur
per reminiſcentiam, quaſi in nobis
17 omnes omnium præexſtitiſſent ſcientiæ: Hinc
Syllogiſmus nequit parere, aut invenire ſcientias,
qui inventas, & ſcitas cognitiones, tantum
18 clariores facit. Ego autem ſcio, & fateor, quod
ſcientia mei intellectus, habitet immediatè in
intellectu, & (juxta Ariſtot.) cum ſcientiæ illæ
immediatæ (id eſt intellectuales) ſint indemonſtrabiles:
ſequitur quoque quamcunque veram,
ſive intellectualem ſcientiam, eſſe indemonſtrabilem.
Id eſt, veras ſcientias, non poſſe proficiſci
à demonſtratione. Siquidem omnis demonſtratio
conſiſtit in diſcurſu, & ratione. Eſt
nempe ſimplex, ac perfectum ratiocinium:
Sed (juxta Ariſtot.) ſcientia principiorum non. 19
eſt in Ratione: at omnino ſupra eam. Ergo ſcire
per Syllogiſmum, non poteſt eſſe intellectuale,
eſſentiale, ut neque principiativum, aut à priori:
ſed tantum à poſitis hypotheſibus, prædicamentorum,
vel regularum, eſt deducta putata opinio,
ſyllogizantis. (Plura, & ſufficientia ad hanc In Pſ. 140. & 143.
rem, ſcripſi alibi.) Non immeritò itaque beatus
Hieron. artem ſyllogizandi, comparat plagis
Ægypti: & demonſtrationes Logices, vocat
Cyniphes Dialectices. Illas autem Apoſtolus,
prorſus vitandas voluit. *Nil per contentionem
agentes, verbiſque contendere, ad nil aliud utile,
niſi ad ſubverſionem audientium: Quippe quæ
fidem, & fidei merita extinguant.* At inquiunt. 20
Logica eſt inventrix mediorum. Eſt nempe ad
inventionem mediorum, & formæ, pro demonſtratione.
Putaſne fortaſſis Apoſtolum neſciviſſe
quid, quantumque Logica poſſit? Illum
loqui extra, præter & contra ſpiritum veritatis,
dum Logicam vitandam jubet? An plus tam
flaccido argumento ſit tribuendum, quam Apoſtoli
mandato? At ſane logica non invenit media
ad eſſendum, habendum, faciendum aut
ſciendum: ſed duntaxat, ad compendioſius
oſtendendum putationem aliquam: adeoque ad
oppugnandum etiam veritatem; rixas compoſitas
invenit. Ideo namque Apoſtolus Logicen
vocat deſpecto ſatis titulo, contentiones. Quod
non ſanè feciſſet, ſi mater eſſet ſcientiarum, inventrix
mediorum utilium, vel ſi Chriſtianis
eſſet proficua. Scholæ ergo, ſecus docentes, facientes,
Logicen, ut neceſſariam, ſupponentes,
& quotidiè uſurpantes, opponunt ſe Apoſtoli 21
præcepto. Inventio itaque in Logica, non eſt
propriè inventio, ut neque ſcientia demonſtrabilis,
eſt vera, & intellectualis. Quia non propriè
invenimus, quæ quomodolibet ſcimus, ut non
invenimus quæ jam habemus, in manu vel in
arca; ſed non ſcita ante, proprie inveniuntur,
prout & non habita, non poſſeſſa, acquiruntur
per inventionem, aut donationem. Etenim dum
quis mihi oſtendit lapidem calaminarem, Cadmiæ
præparationem, contentum, Cupri, miſcellam,
& Aurichalci uſus, quæ antea neſciebam,
is docet, demonſtrat, datque ſcientiam
ejus, quod ante ignorabatur. Similia vero nunquam
docuit Logica. Eſt itaque logicalis inventio 22
mera reſumtio ejus, quod prius erat ſcitum.

tum. Neſcitumque, ideo neſcit Logica. Siquidem
ſpiritus noſter, jam ante, erat in poſſeſſione
ejus, quod per logicen reperiri auguſtum
ſpondent. Quoniam eſt impoſſibile noſcere, an
præmiſſæ ſint veræ, apparentes, vel falſæ, niſi
terminorum cognitio prius in nobis fuerit, cum
omni notitia adæquationis, & confirmationis
illorum. Conſiſtit ergo totum miniſterium, munus,
23 & utilitas logices in duobus tantum. Vt
nimirum, docens queat ſuam putationem imprimere
diſtinctè, in audiente: & ut audiens, reminiſcentiam,
vel recordationem excitet, per
connexionem, adaptationem, adæquationem,
& conformitatem terminorum. Quod ſanè non
eſt munus inventivum ſcientiarum: ſed poſtera
quædam diſcurſus conſecutio, ad id, quod inventum
erat. Denique nec quidquid ſic fit, ullatenus
ad ſcientias ſpectat: ſed tantum ad dictiones.
24 Scientias autem, ſola dat ſapientia, filius
ſempiterni Patris luminum. Media autem acquirendi
ſcientias, ſunt duntaxat orare, quærere,
& pulſare. Demiror interim, utrobique tantam
Scholarum cæcitatem, Logicen tantopere
extollendo, & magnifaciendo. Optarem ſanè,
dicant Scholæ, quam ſcientiam unquam in medium
Logica protulerit? An forte Geometriam?
Muſicen? Vitrariam? Typographicam? Agriculturam?
Medicam? hydrauliſin? Mineralem?
Bellicam? Arithmeticam? fabrilem? vel utilem
quampiam? Non ſane. Itaque cum rubore tandem
fatendum eſt Scholis logicis; Logicæ idem
contigiſſe, quod hactenus doctrinæ Galenicæ.
Nempe per jactantiam impoſturas & inſcitias,
fefelliſſe mundum credulum. Gentiles
verò, proſtituendo demonſtrationes, & ſcientias
venales, non aliam habuere lucem, quam
quæ ex corrupta natura, obſcuris putationibus
ſeducta, fluxit in ataxiam, & inordinationes,
mutationibus circumſtantiarum, & hinc natis
putationibus ſerviliter obedientes. Hæc ego
quandoque cum viris doctis communefeci, qui
tandem faſſi ſunt, Logicen adoleſcentibus propinari,
ætate illa, qua aliud ſolidius ferculum ferre
nequirent, adeoque ſervire illis in acumen ingenii.
(Vtinam Logica non inſerviret in varios
abuſus, ſemelque hauſta in adoleſcentia, non daret
ſeculum pernicioſorum ingeniorum, & Logicarum
deceptionum ferax.) Quibus ego.
Quod impoſtura non vocat, ſi Logicen commendent 25
interim pro vera Philoſophia, pro repertrice
Scientiarum. Dicunt, at ſaltem Theologis
ſummè eſt neceſſaria Dialectica, quo hæreſeos
acumina refellant. Id ego judicavi velle
ſapere ſupra Apoſtolum, adeoque Scholarum
abuſus, ſupra ſacra commendare. Non enim
Euangelica veritas Logicen petit, aut contentiones:
ſed vitæ pietatem in fide, vivendi exemplum,
incorruptam converſationem, abſtinentiam
à concupiſcentiis & ſuperbia vitæ, exigit,
ut verbum Domini frugiferum fiat. Sat jam ab
initio Eccleſiæ, ab illuminatis Doctoribus diſputatum,
multi mecum teſtantur.

PHYSICA ARISTOTELIS ET GALENI IGNARA.

1. ARiſtoteles prorſus naturæ ignarus. 2. Id probatur. 3. Quid ſit natura apud Chriſtianos. 4. Idem rurſus per alias. 13. rationes confirmatur. 5. In natura, agens, materia, organorum diſpoſitio, & effectus, ſive productum. 6. Quod calor non ſit agens in generatione ſeminali. 7. Cur Ariſtoteles veritatem naturæ neſciverit. 8. Libri Phyſices continent tantum nugas. 9. Quomodo Adoleſcentes inſtruendi loco Philoſophiæ ſcholaſticæ. 10. In quantos Apollines evaderent Adoleſcentes. 11. Prærogativa ignis. 12. Quid ſic inſtructus juvenis cenſeret. 13. Privationes non ſuccedere in fluxu ſeminum ad generationem. 14. Nulla eſt forma cadaveris. 15. Generationem, & corruptionem non ſe invicem ſuſcipere. 16. Vulcanus vitæ evaneſcit, abſque corruptione ſui. 17. Mors non eſt vitæ corruptio. 18. Privationis, & corruptionis diſtinctio. 19. Formarum nulla eſt corruptio. 20. Ignorantia Galeni. 21 Ridicula ejus volumina de placitis Hippocratis & Platonis. 22. Libri ejus de valetudine conſervanda, fatui.

SCholæ ita conſtantiam ac finem 1
jurarunt ſuo Ariſtoteli, quod etiam
hodiè ipſum, per Antonomaſiam,
Philoſophum dicant. Quem
attamen prorſus naturæ ignarum
comperio, & cauſas aliquot, quæ
me ad hoc impulere, deſcribere non piget, idque
non alio fine, quam ut poſthac credulitate,
ac aſſentiendi conſuetudine, tam Profeſſores,
quam Tirones, non fiant devii, nec à cæco ſe ſinant
in foveam deinceps duci. Alioqui namque
neminis Apologum ago; nec Ariſtoteli magis,
quam non enti, ſum infenſus. In primis itaque 2
Ariſtoteles naturam definit. *Principium motus, ut quietis, in corporibus, quibus per ſe. & non
per accidens ineſt* In quo plures errores, & inſcitias
definitoris invenio, quam verba. Primum
ergo ſe loqui de corpore realiter exſiſtente: non
autem

autem de hyle ſua impoſſibili, verbum (ineſt) oſtendit. 2. Denotat ejuſmodi corpora, non eſſe de cenſu, aut ſuppoſitis naturæ. Siquidem, corporum non eſt, per ſe, & non per accidens ineſſe corporibus. 3. Aufert accidentia quælibet, de catalogo naturæ, quaſi extra, præter, aut ſupra naturam eſſent. Eo quod accidentia inſunt per accidens. 4. Corpora, quæ per accidens, motum aut quietem habent, pariter extra naturam conſcribit. 5. Eſſe rerum, eſt in natura, ipſa natura, ante diem, aut motum earundem, aut quietem. Neceſſe eſt quippe, ut aliquid prius ſit, antequam moveat, moveatur, aut quieſcat. Adeoque principium eſſendi, præcedit initium movendi, aut quieſcendi: non poteſt tamen natura eſſe, ante ſui exſiſtentiam. Nam ſi initium motus, vel quietis, eſſet poſterius, ad eſſe: natura eſſet poſtera, ad eſſe naturale. 6. Quid ſi Deus poſt Creationem, nec motum, nec quietem, injunxiſſet (quies nimirum apud Ariſtot. præſupponit terminum motus) jam creatura fuiſſet, & non natura: Principio namque Deus creavit cœlum, & terram. Iam natura erat non intellecta ab Ariſtot. fuit nimirum aliquando Creatura, actuque exſtitit, ante, vel citra naturam, hic definitam. 7. Corpora, in quibus initium motus eſt externum, & per accidens (puta, dum calor Solis movet ſemen, ad creſcendum, aut prægnans, per accidens, ſui imaginatione transformat Embryonem) non ſubeſſent naturæ, ut neque iſtud accidentale initium. 8. Quieſcere, non eſt non moveri; ſed à motu ſuperſedere, adeoque non moveri eſt quiete generalius. Ergo natura abſolutè ſumta, eſſet poſt naturæ duntaxat exſiſtentiam. 9. Si initium motus in mobili, ſit natura; & cauſa efficiens, ſit propriè dictum, motus initium, (quale ait eſſe calorem non elementalem) ergo neceſſe eſt, quod cauſa efficiens ſit interna (quod eſt contra Ariſtot.) vel quod natura, in quantum initium motus, non inſit corporibus intime ac per ſe. 10. Omnis cauſa efficiens externa, ſit initium motus in re, per accidens: Cauſa autem omnis efficiens, juxta Ariſtot. eſt externa: ergo nulla cauſa efficiens externa, eſt naturalis, quod eſt contra 2. Phyſicor. 11. Quæcunque per Matheſin moventur, itemque mola per ventum aut rivum mota, non moveretur per naturam. Ego verò credo, ***Naturam juſſum Dei, quo res eſt id quod*** 3 ***eſt, & agit, quod agere juſſa eſt.*** Hæc eſt definitio Chriſtiana, è Sacris petita. 12. Ariſtot. verò, contra ſua præcepta definitionis, pro genere definiti naturæ, ſumit differentiam, quam putat conſtitutivam. Nimirum formale initium motus, & quietis. Pro differentia verò conſtitutiva, materiam, ſive corpus, in quo dictum motus initium ineſt, ſumit. Chriſtiani autem tenentur credere, naturam eſſe omnem creaturam, corpus nimirum, & accidentia non minus, quam ipſum motus initium. 13. Mortem quoque, etſi ſit initium per ſe, quietis in cadavere, tamen Chriſtiani credunt non creaturam, non creatam à Domino, adeoque nec naturam eſſe: & licet naturaliter incidat, id tamen non ratione mortis, ſed cauſarum naturalium ejus, accidere. 4 Ariſtoteles verò alibi, æque titubanter naturam attingens, dicit: ***Omnis animæ poteſtas, alterius cujuſdam corporis particeps*** (neque enim audet poſitivè, & ſimpliciter affirmare) ***eſſe videtur, quam quæ elementa vocantur, Quemadmodum enim animæ differunt; ita & natura ejus corporis differt: Semen continet fœcunditatis cauſam, nempe calorem. qui igneus non eſt, ſed ſpiritus in ſpumoſo corpore ſeminis, & natura quæ in eo eſt ſpiritu, proportione correſpondet elemento ſtellarum.*** Tot errores propemodum quot ſyllabas continet, hæc laudata à Scholis paræneſis. Atque tandem valde anxius, neſcit quid vocet, aut vocare debeat naturam, naturalis auſcultationis Scriptor. Primo namque ait, poteſtatem animæ corpoream: Ideoque intellectum, extra animæ poteſtates proſcribit. 2. Poteſtatem animæ, quam poſtmodum vocat calorem, dicit alterius corporis eſſe participem, quam quæ elementa vocantur. Quaſi ſit particeps ſolius corporis ſupra elementati, atque cœleſtis. 3. Abſolutè falſum eſt, & ignarum, quod ulla poteſtas animæ, ſit corporis particeps, etſi ſit alligata corpori. Nam omnis poteſtas, eſt accidens; & nullum accidens, aut qualitas poteſt eſſe particeps corporis: ſed contra, Corpus eſt accidentium particeps. 4. Animas non differre, niſi reſpectu illius corporis, (quod tandem vocat merum calorem.) Attamen animas omnes, poteſtatem, participem corporis cœleſtis eſſe: ergo animæ non differunt ratione corporis illius, in quo omnes convenire dixit: aut ſi ullum, inter animas ſit diſcrimen, eſto ratione corporis materiæ, ſive clientis innominati, neglecti, & Ariſtoteli plane incogniti. Adeoque tanto verborum apparatu, nil niſi nugas dixit. 5. Si animæ tantum differant, gratia illius corporis. Iam determinabitur actus, à potentiâ, ſpecies à materiâ, & non à forma. 6. Semen continet fœcunditatis cauſam. Puerile eſt, & nugatorium. Siquidem, ſemen definit eſſe ſemen, ſi ſit abſque cauſa fœcunditatis. 7. Omnis

animæ poteſtas, alterius corporis eſt particeps, quam quæ elementa vocantur. Vult tamen omnium animatorum Corpora, miſta neceſſariò, non niſi ex elementis actualibus. 8. Semen non eſt fœcundum, niſi per calorem. Quaſi piſces, quadrupedibus non fertiliores. & quaſi piſces actualiter non frigerent. 9. Non novit, alium calorem moderatum, è carbonibus, qui ova foveat in pullum uſque. Ignoratque, quod omnis calor ſit in unica ſpecie ſpecialiſſima qualitatis, ſolo gradu diſtinctus. 10. Ignorat, quod calor tantum calefaciat per ſe, & per accidens fœcundaret. Ideoque, licet ille calor ſit principium motus, & animæ poteſtas, (id eſt natura) per ſe; attamen quatenus per accidens fœcundaret ſemina, eſſet initium motus, per accidens. Ergo ejuſdem naturæ reſpectu, initium per ſe, & per accidens, ſive, relatione ejuſdem naturæ, eſſet natura, & non natura. 11. Confundit calorum qualitatem, cum ſpiritu, & aura ſpumoſi ſeminis; Quæ tamen non minus, quam prædicamentis diſtant. 12. Calor eſt ſpiritus ſpumoſi corporis, & natura, quæ in eo eſt ſpiritu, eſt calor. Ergo ſpiritus erit in ſpiritu. 13. Natura eſt in illo ſpiritu; & ille ſpiritus non eſt natura, ab Ariſt. definita, pro ſubjecto Phyſices (iſte tamen ſpiritus eſt principium motus in ſemine, & vitæ, in animantibus) negatque multo ſtrictius, ſpumoſum corpus ſeminis, eſſe de cenſu naturæ (quaſi rerum ſemen ſpuma eſſet, & non interior nucleus inviſibilis, in ſemine corporeo) ſed quod ſola poteſtas animarum (quæ ipſi nil niſi calor eſt) eſſet natura. 14. Quod omnis poteſtas animæ, circumſcribatur calore, excludit è cenſu naturæ, cætera corpora, & accidentia quævis. 15. Poteſtas illa animarum, cujus ergo, animæ differunt, eſt ſolus calor, non quidem igneus: ſed proportione correſpondens elemento ſtellarum. Id eſt non intellectus ab Ariſtot. neque à Scholis intelligibilis ullatenus, quomodo calor correſpondeat Corpori, & Elemento. Quæ correſpondentia ſit, inter tam varios prædicamentorum clientes. 16. Negat hanc animarum poteſtatem, eſſe de proſapia elementorum. Pluralis ille numerus, non unum tantum elementum; ſed pro fortitudine negativorum, rejicit omnia. 17. Omnis animæ poteſtas, eſt merus calor, non quidem reſpondens calori elementi ſtellarum: ſed ipſi prorſus elemento. 18. Non agnoſcit ſiquidem alium calorem, quam ignis: nec ignis elementum quam culinarium (eo quod calorem elementalem diſtinguat ab elemento ſtellarum) ſua tamen authoritate, ignem, inter cœlum & aëra, ſepſit, non culinarium. 19. Tandem quoties poſitivè dicendum erat, quid eſſet natura, ſubterfugus dicit, nunc eſſe poteſtatem animæ, nunc fœcunditatem ſeminis: & tandem calorem non igneum, qualem nec ſenſit, nec novit unquam, de firmamento ſtellarum, quintum facit elementum, poſtquam quatuor alia negando, abjecerit. Itaque per ambages negando, circumcurrit, ac ne apprehendatur, negat naturam eſſe de proſapia elementorum. Quaſi ſat eſſet, dixiſſe, eſt chymera, non ex elementis: ſed ex elemento quinto ſtellarum. Non eſt corpus, non accidens: ſed calor reſpondens elemento cœlorum, non calori eorundem. 20. Atque hæc non diceret quidem ſic eſſe, ſed quod ipſi videantur ſic eſſe. Cum juxta eundem, multa videantur, quæ tamen non ſunt. 21. Idque ſi non credideris, vade viſum, vel exſpecta in infinitum. 22. Quaſi tota actio naturæ conſcriberetur calore. 23. Metalla quoque, quæ alias ſolo frigore condenſari ſcribit, eo quod calore fluant, nunc extra naturam eſſent. 24. Et quaſi vegetabilium ſemina, quia non ſpumoſa, non eſſent dotata fertilitatibus, vel naturam in ſe non continerent! 25. Negat ergo animalium actu calidorum, calorem eſſe elementalem (quod ſuo tamen quandoque loco, verum probabo) immemor ſui axiomatis; Quod cauſa ſit ejuſdem ſpeciei, cum ſuo cauſato. Neſcit, inquam, quod calor noſter calefaciat alia quævis, nudo calore elementali. Et viciſſim, quod cum nedum elementalis calor (quem in igne ſublunari, à culinario diſtinctum collocat) ſed & culinarius, nos calefaciant gradu nobis adæquato. Debeant ergo eſſe unius, & ejuſdem ſpeciei. 26. Tandem, temerè aſtruit, nil eſſe naturam, aut animæ poteſtatem, aut veritates ſeminales, præter illum calorem cœleſtem. 27. Agnoſcit ergo calorem, actualiter frigidum in piſce, eſſe fœcunditatis cauſam, cum de omni animæ poteſtate diſtribuat. Id enim eſt nugas pro Philoſophia vendidiſſe. Ac quoties timet ſuas ineptias, non fore venales, nos provocat ad elementum ſtellarum. Poſtquam per unum (videtur) multaſque negationum nugas, ad proportionem elementi ſtellarum, provocaſſet. Turpe ſanè Chriſtianis, iſtum in Phyſicis patronum adhuc ſequi; cum fide credamus, ante natas ſtellas, germinaſſe plantas, vi ſeminali. Semper 5
enim in natura reperitur agens, materia, & productum, ſive effectus, inſtrumentum & diſpoſitio. Omne autem agens, menſurat ſuum inſtrumentum, & adaptat diſpoſitiones, ad finem producti.

6 ducti. Calor autem, ſive elementalem velis, ſive cœleſtem; poteſt quidem eſſe diſpoſitio, producta à ſemine, itemque ejus inſtrumentum: at nullo modo, poteſt eſſe agens ſeminale, metiens, & adaptans ſua inſtrumenta diſpoſitiva. Neque enim operatio caloris, alia eſt, quam calefacere, ſive iſtud dicatur elementaliter, ſive firmamentaliter. Operatio ergo caloris, in generatione non eſt ordinata ad finem diſpoſitionum ſpecificarum, multò minus directa ad introductionem quidditatis ſpecificæ. Nam ſi iſte calor, eſſet hoc agens ſeminale, ſive natura ſeminum, præterquam quod habet totidem ſpecificas unus differentias, quot ſunt generatorum ſpecies in natura; deberet habere extra ſe, inſtrumentum (cum non detur eſſe, ſine proprietatibus eſſentialibus) menſuratum, & manifeſtè determinatum, ad introductionem cujuslibet quidditatis ſpecificæ: ſed nullum tale inſtrumentum, vel medium adeſt calori: ergo commenſuratio omnis inſtrumenti, ſecundùm quantitatem, qualitatem, modum, motum, figuram, durationem, atque operationum quarumcunque deſtinationes, pendet ab agente ſeminali, cui inſunt ejuſmodi proportionum commenſurantes ſcientiæ; & nullatenus à calore. Etenim cum cognitio veritatis naturalis pendeat
7 neceſſariò à natura, & eſſentia ejus; Ariſtot. qui naturæ quidditatem ignoravit, etiam ejus veritatem neſcivit, adeoque non niſi ſua ſomnia in Scholis edocenda proſtituit. Equidem operatio generationis, pendet à natura, & organis propriis. qui ergo calorem aſpicit, pro omni inſtrumento naturæ, ipſumque inſtrumentum hoc, habet pro natura ſeminali, atque vitali: Is retur ſatellitem eſſe Regem, vel limam eſſe fabrum. Imo calor, ut calor, ne quidem eſt inſtrumentum proprium naturæ: ſed commune adjacens, in calidis tantum, concomitans, ac productum accidentale: Cognitio autem naturæ, & eſſentiæ, non ſumitur ab effectibus impropriis, adjacentibus, & accidentalibus: ſed à cognitione principiorum, quæ hactenus (prout palam eſt) Schola Peripatetica ignoravit. Principia inquam naturæ, ſunt materia, & agens. Principia autem Corporum, ſunt aqua, & ſemen, ſive Vulcanus, duobus reſpondentia ſexubus. Quod mox docebo ſuo loco. Quapropter cum Ariſtoteles neſciat naturam, proprietates, itemque generationum cauſas, ac quidditatem; quis non indicaverit, ex aridis ciſternis Scholarum
8 aquas Philoſophiæ hauſtas hactenus? octo enim libri auſcultationum Phyſicarum, ſomnia & privationes, pro naturæ cognitione exponunt. Materiam inquam ſive corporeitatem impoſſibilem, cum Mathematica abſtractione, pro naturæ principio, fulcro, atque ſeminario ſupponunt. Quæ ut nunquam exſiſtet: ita nec initiandi, vel cauſandi energiam habebit. Privatio pariter, pro altero principio propinatur, quam merum nonens ipſæ Scholæ temerè fatentur. Ac demum formam, generationis finem, apicem, atque deſtinationis ultimatum ſcopum, ipſumque productum, pro naturæ initio, præpoſtero ſane delirio, edocent. Effectum nempe pro initio ſupponunt. Cauſas verò naturæ, alio libro, pro principiis, materiam nempe, & formam, omiſſa privatione, venundat. Vt de cauſis aliquando dicam. Quaſi principia naturæ, ſive cauſalitate principiarent. Fortuna verò, & caſus, tanquam ſi propriæ paſſiones naturæ forent, tractantur peculiari libro. Eventus enim, locum in naturæ contemplatione, & doctrina, non merentur. Vacuum denique & infinitum, ad naturæ cognitionem impertinentia, & propemodum privativa, vel planè negativa, ſuos nacta ſunt tractatus. Tempus verò, & locum, ignoranter non minus, quam impertinenter inter naturæ documenta, Scholæ æſtimant. Ac poſtremò motum localem, quatenus Matheſi inſeruit, in naturam æque futiliter, atque indiſtincta indiſcretione introducunt. Optarem certe in tam brevi vitæ 9
ſpatio, ver adoleſcentum, ejuſmodi nugis poſthac, & ſophiſmate mendaci non amplius imbui. Diſcerent nempe inutili iſto triennio, totoque ſeptennio, Arithmeticam, Algebram, Euclidis elementa, Geographiam deinceps, cum circumſtantiis marium, fluminum, fontium, montium, Provinciarum, & Mineralium. Itemque proprietates, & conſuetudines nationum aquarum, plantarum, animalium, mineralium, & locorum. Inſuper uſum annuli, & Aſtrolabii. Dein accedant ad naturæ ſtudium, diſcant prima corporum initia noſcere, & ſeparare. Fixitatem, inquam, volatilitatem, cum ſeparatione, vita, morte, alteritate, defectibus, alteratione, infirmitate, corruptione, tranſplantatione, ſolutione, coagulatione, reſolutione, operando noviſſe. Hiſtoria addatur extractionum, diviſionum, connexionum, maturitatum, promotionum, impedimentorum, conſequentiarum, damni denique, atque utilitatis. Doceantur ſimul ſeminum, fermentorum, ſpirituum, ac tincturarum primordia, cum omni fluxu, digeſtione, commutatione, motu, & perturbatione alterabilium.
Eaque omnia, non quidem nuda Logiſmi de- 10
ſcriptio-

ſcriptione, ſed demonſtratione Ignis mechanica. Natura ſiquidem, ſua opera metitur diſtillando, irrigando, ſiccando, calcinando, reſolvendo, iiſdem planè mediis, quibus vitra, ejuſmodi operationes abſolvunt. Adeoque Artifex, naturæ operationes mutando, ejuſdem 11 proprietates, & ſcientiam nanciſcitur. Nam utut naturale ingenium, & acumen judicii, Philoſophus habeat; nunquam tamen ad rerum naturalium radicem, aut radicalem ſcientiam admittitur, ſine igne. Adeoque mille putationibus deluditur quiſque, quas non niſi ignis adminiculo, ſibi explicat. Fateor itaque, nil hominem ſciendi avidum, penitius ducere ad omnium ſcibilium cognitiones, quam ignem. Itaque juvenis tandem ex Scholis iſtis rediens, mirum ſanè, quantum ſupra Academiæ Philoſophos, & inanem 12 Scholarum logiſmum, aſcenderit. Turpe inprimis cenſebit, Scholas neſcire, (per exemplum) ovo, interim, dum ad avem fluit, mille in via diſpoſitiones ſupervenire, omneſque eſſe externas, & accidentarias ſemini: nec ceſſare tamen interim, decurrere ad ſcopos ſuæ deſtinationis. Etenim figura vitelli, cum invicem ſuccedentibus diſpoſitionibus accidentariis, prætereunt 13 quidem: non tamen nova, ad ſingulam diſpoſitionem putrefactionis, adeſt formæ putridi generatio. Vnica nimirum forma pulli vitali, excepta, nulla advenit alia. quæ ſenſim per prævias diſpoſitiones excitatur, ac tandem acquiſita diſpoſitionum maturitate, influit. Nec enim dum avis moritur, eſt quædam cadaveris forma 14 eſſentialis, aut generatio. Omnis ſiquidem generatio in natura, clauditur forma eſſentiali, qua cadaver caret, prout & ſemine, ac moderatore Archeo (ut ſuo loco. Sicut eum eſſentia cum Vulcano ſeminis incipit, & cum producto, ſive generato, eadem perſeverat: ita eodem fatiſcente, eadem perit. Pereunte autem eſſentia, ruit & forma illius Præſes. Vulcano nempe deſerente corpus, incipiunt caro, cor, venæ, &c. putrere, eo quod jam ductore vitali balſamo, ſint orbata. Sub vita enim, caro diſtinguebantur, & os, &c. In ſpecie, & forma propria, caro erat caro, & ab oſſe formaliter diſcreta erat, in qua forma in cadavere illico apparent. Adeoque per mortem in toto, aut in ſingulis, nulla cadaveri forma, vel eſſentialis quidditas, ſupervenit. 15 Duntaxat quod vitale erat, eſt ſeparatum. Erroneum itaque eſto, quod unius corruptio, alterius ſit generatio. Siquidem vitæ corruptio ſolum advenit, per exſtinctionem vitalis balſami, vel formæ, ſive nova proinde creaturæ generatione. Nulla itaque privatio, contingit in vitalibus, adeoque nec privatio ibidem poteſt habere vim principii. Cum à ſemine, uſque in ens vitale, non ſit niſi unus progreſſus, promotio, & maturitas, ſub cujus finem forma datur. Reciprocè ergo quoque generatio advenit, ſine ulla corruptione, quoties materia, jam ad maturitatem ſuæ deſtinationis deducta, per Vulcanum ſeminalem, formam impetraverit aliunde advenientem. Imo iſte Vulcanus, per diſceſſum vitæ 16 abit, evolat, vel evaneſcit, ſine ulla ſui corruptione, non ſecus atque lumen, perit ſine ſui corruptione. Nimirum vita evaneſcit, per modum luminis pereuntis. Et Vulcanus, cum ſit quædam vitalis aura, evolat. Vtrumque ſine corruptione ſui, & corpus, quod vita deſtituitur, propriè eo ipſo non corrumpitur, licet defectu vitalis balſami, mox corruptio ſubſequatur. Quod ſatis apparet in mumiis, itemque in vegetabilibus, quæ ſicca, & vitâ privata, in uſus aſſervantur, imo perſæpe omnem corruptionem arcent. Tantum abeſt, quod pereunte illorum vita, eo ipſo eſſent corrupta. Ideoque mors in 17 vitalibus, propriæ non eſt corruptio vitæ, ut nec viventis: ſed vitæ exſtinctio. Ac licet in quibuſdam, corruptio corporis ſubſequatur: Id ſanè eſt vitæ & Corpori per accidens. Quod patet. Siquidem arte præſervantur cadavera à corruptione. Itaque jam Ariſtoteles, privationem, 18 cum corruptione confundit, ſuumque principium non-ens, ab ente, corruptione, non diſtinguit. Denique formæ rerum, non ſunt 19 corruptioni obnoxiæ, ideoque nec corrumpuntur: ſed annihilantur. Quocirca nec ablatio, vel extinctio formæ, ullam corruptionem ex parte formæ, involvere poteſt. Odi præterea metaphoras, in hiſtoria naturæ, & eſſentialium familia. Quippe quæ Scholarum errores, diſputandi rixas, & latriam Ariſtoteli exhibitam, introduxere. Cæterum, ſi Ariſtoteles naturæ ſit ignarus, & totius Phyſices neſcius, profecto Galenus, majorem adhuc ignorantiam ubique manifeſtavit. Nam inprimis 20 conſtare faciam, non eſſe quaternarium elementorum, nec horum congreſſum pro corporibus, quæ miſta creduntur: multo minus luctam, aut qualitatum, vel complexionum pugnam, aut in morborum cauſas. Adeoque nec elementorum tractatum proprie ſpectare Medicinam. Ego ſane reperio Galenum, opinionum ſedulum, & jactantioſum deſcriptorem ſine judicio, vel diſcretione. Neque enim de Natura, morbis, cauſis, atque defecti-

bus, melius ſenſiſſe, quàm de placitis Hippocratis
21 & Platonis. Bis enim ex profeſſo illa Galeni
volumina, cum attentione perlegi, at reperi Galeni
pauperiem, & indiſtinctam ignorantiam,
cum ejus temeritate pugnare. Siquidem illi libri,
nil minus, quam Hippocratis, aut Platonis
doctrinam attingunt. Neque etiam Hippocratis
quicquam, cum Platone commune habet.
Adeoque non inveni quenquam, qui illos, commentario
dignos, ut neque ſcriptos de conſervanda
valetudine, cenſuerit. Hoc unum in Galeno 22
perpetuum eſt, quod ſuppreſſis authorum
nominibus, aliorum inventa, lubens ad ſe rapuerit:
totus Iudicio penurioſus, quoties proprii
arbitrii ſenſa expreſſit. Hæc de duobus
Phyſices Anteſignanis, ſic debui declarare, ut
Scholæ abſtineant, hos Magiſtros adorare.

ELEMENTA.

1. E*lementorum doctrina, in medendo, impertinens tota, adeo & in Galeno, ridiculus tantus librorum illorum acervus.* 2. *Vana putationes Scholarum de elementis.* 3. *Vera ſcientia naturalis initia traduntur.* 4. *Sex Concluſiones è Sacris.* 5. *Tria tantum eſſe elementa.* 6. *Contentum Cœlorum.* 7. *Duo eſſe elementa primigenia.* 8. *Ignis non eſſe elementum.* 9. *Error Paracelſi, de materia Cœli.* 10. *Concidit quaternarius, pro miſtionibus Corporum, & morbis.* 11. *Propoſitio. Quod omnia quæ creduntur miſta, ſint materialiter ex ſola aqua, cum mechanica demonſtratione.* 12. *Quid terra elementalis, virgineaque.* 13. *Vnde elementa dicantur duo primigenia.* 14. *Objectio ex artificialibus* 15. *Vis ignis Gehennæ artificialis.* 16. *Altera objectio ab Artibus.* 17. *Cur aqua reputetur elementum primigenium.*

Obtutus meus fertur in bonum uſuale,
non autem in inanem logiſmum.
1 Quapropter cum Veteres
naturam, ejuſque operationes
quaslibet, revocent ad calculum
elementorum, qualitatum, & complexionum,
in miſtione reſultantium, hancque
doctrinam Scholæ, per manum, Medicinæ Tironibus
adhuc hodie tradant, in humanam perniciem
: etiam atque etiam elementorum Anatomiam
aggrediar, quò conſtet, in cauſis morborum
2 erratum hactenus. Paradoxa ubique, &
inſueta Scholis referam, durumque erit à doctrina
imbibita, deſciſcere illis, qui totam in Galenum
veritatem fluxiſſe, credunt. Omne corpus,
terra, aqua, aëre & igni exceptis, multis voluminibus,
tædioſaque Græcorum jactantia, Galenus
tradidit conſtare horum quatuor coadunatorum
conjugio, adeoque hinc corpus dici
mixtum. Inſuper, quod Corporum paritas, diverſitaſque
tota, ex impari quatuor elementorum
confluxu, ac pugna continua, conſurgat.
Scholæ autem poſteræ, adhuc indeciſum diſputant,
utrum elementa cum ſuis formis perſtent
in miſto; an vero in ſingula miſtione, orbentur
ſuis formis eſſentialibus, quaſque, peculiari indulto,
à ſeparatione & formæ generali miſti privatione,
reaſſumant. Demum ex imparitate, &
duello elementorum, omnes infirmitates, & fomenta
primigenia noſtræ mortalitatis, deſcendere
jubent. Mirum ſanè, quantum in his rixatum,
& ſcriptum ſit.: ac miſerandum, quantum
hæc laxa nugarum ſomnia, mundum hactenus
circumvenerint, inanes, & pernicioſas nænias
in Scholarum nundinis, pro ſcientia medica
proſtituerint, adeoque tam damnoſa inde deluſio,
obedientiam ægrorum medendo fefellerit.
Poſthabitis itaque Paganorum impoſturis, juxta 3
Sacrorum Authoritatem, meas experientias, &
donatum lumen, dirigo, in cujus luminis conſpectu,
noctuæ aves fugiunt. Summè itaque dolendum,
Scholis Chriſtianorum adhuc doceri
tenebras, habito lumine veritatis. In principio
itaque creavit Omnipotens, Cœlum, & terram,
antequam dies primus eluxiſſet. Primo deinceps
die, creavit lucem, eamque à tenebris diviſit.
Secundò, creavit firmamentum, quod ſepararet
aquas ſuperiores ab aquis, quæ ſupra ſe
erant. & nominavit illud, Cœlum. Conſpicuum
hinc eſt itaque, quod ante primum diem, jam
aquæ ab initio eſſent creatæ, cœleſtis cujuſdam
indolis participes, eo quod ſub cœli etymo occultarentur.
Cognatæ tamen eſſent hiſce aquis
inferioribus, quibus ſemel conjugatæ fuerant,
ante earum ſeparationem. Denique quod tenebræ
cooperirent faciem abyſſi, quodque iſta
abyſſus aquas denotaret: eo quod tum adhuc,
omnes ſupercœleſtes aquæ, noſtris connexæ,
ſuper terram, incomprehenſibilis profunditatis
abyſſum facerent, ſuper quam Spiritus (cui nomen 4
æternus) ferebatur, ut ſua benedictione recentem
aquæ creaturam repleret. Liquet ergo,
quod creatio Cœli, aquæ, & terræ, eſſet ante
diem, nec annumeraretur ſextiduo creationis, deinceps
deſcripto. Quod Æterno placuerit, etiam
quieſcere ſeptimo, qui reſpectu prædictæ
crea-

creationis, eſſet octavus, ſi dies fuiſſet. Ideoque
non in dierum numerum relatus, quod ante natam
lucem, materiæ elementalis creatio fieret.
Denique hoc textu, firmamentum eſt nedum
cœlum octavum ſtelliferum : ſed ſimul & illud,
quod noſtra authoritate, in ſeptem errones orbes
diſtinguimus. Quod gentium doctor, cum
octavo, in unum complecti viſus eſt. Cryſtallinum
vero, & primum mobile, pro altero, & tandem,
immenſum Cœlum, incomprehenſibilis
magnitudinis, & luminis, in quo juſtus quiſque,
Solis inſtar ſplendet, pro tertio. Quamquam
Empyreum illud cum duobus ſociis junctum,
pro altero ſumtum, aliud fortè pro tertio ſuperſit.
Quod ſit abyſſalis receſſus fontani luminis,
divinæ Majeſtatis torus, inſcrutabilis. Saltem
firmamentum, à Luna, in connexum ſtellati
Cœli uſque, attingit, & aquam ſupra ſe, ab hiſce
inferioribus diſterminat, ideoque Cœlum
5 Ebræis (ubi ſunt aquæ) ſonat. Magna autem luminaria,
& ſtellæ quarto die incœpere, & in firmamentum
digeſtæ. Initio ergo, Cœlum, terra,
& aqua, omnium corporum deinceps naſcendorum
materia, creata eſt. In Cœlo autem continebantur
aquæ, non autem in terra; hinc
6 aquas, nobiliores terrâ exiſtimo: Imo aquam, eſſe
puriorem, ſimpliciorem, indiviſibiliorem, conſtantiorem,
principio viciniorem, fortiſque cœleſtis
magis participem, quam ſit terra. Æternus
itaque, voluit Cœlum continere aquas ſupra ſe,
& aliquid adhuc amplius, (propter quod Cœlum
vocatur) quod aërem, æthera, ſive vitalem
7 auram dicimus. Ideo nec enim fit mentio creationis
aquæ, & aëris, eo quod Cœli etymon, utrumque
includeret. Hæcque ideo duo elementa,
8 dico primigenia, reſpectu terræ. At nuſquam
aliquid de creatione ignis legitur : nec igitur illum
inter elementa agnoſco, nomenque meum,
9 paganiſmo recuſo. Nec item cum Paracelſo, licet
luminarium & ſtellarum nomine, ignem, ſupralunare
elementum agnoſcere, ut neque ab
initio conditum: quod tamen eſſet neceſſarium,
ſi elementi ſortem referre debebat. Nego itaque,
Deum creaſſe quatuor elementa: quia non
ignem, quartum. Ideoque vanum eſt, ignem
confluere materialiter ad corporum miſturam.
10 Concidit ergo elementorum quaternarius, qualitatum,
temperamentorum, ſive complexionum,
11 & morborum fundamentum. Noſtra
namque mechanica mihi patefecit, omne corpus
(puta ſaxum) lapidem, gemmam, ſilicem,
arenam, marcaſitam, argillam, terram, lapides
coctos, vitrum, calcem, ſulfur, &c. tranſmutari
in ſalem actualem, æquiponderantem ſuo corpori,
unde factus eſt. & quod ſal iſte, aliquoties
cogobatus, cum ſale circulato Paracelſi, ſuam
omnino fixitatem amittat, tandem tranſmutetur
in liquorem, qui etiam tandem in aquam inſipidam
tranſit, & quod aqua iſta, æquiponderet
ſali ſuo, unde manavit. Plantam verò, carnes,
oſſa, piſces, & quidquid ſimilium eſt, novi redigere
in mera ſua tria, unde poſtmodum aquam
inſipidam confeci. Metallum autem propter
ſui ſeminis anaticam commiſtionem, & arena
(*quellem*) difficillimè in ſalem reducuntur. Didici 12
ergo per ignem, quod Deus, ante diem,
creaverit aquam, & aërem, & ex aqua terram
elementalem, quæ eſt arena *Quellem*. Eo quod
eſſet futura baſis, creaturarum anteſignano homini,
ideoque ipſo initio, creari debebat, licet
ſui natura, non eſſet vere primigenium. Quamobrem
duo primitiva duntaxat, reperio elementa,
licet neutrius in *Sacris* ſit facta mentio, quia
Cœli titulo comprehenſa. Cum duobus verò,
creavit terram ſimul. Quocirca duo creavit luminaria
magna, ut Luna, ac minus, lucendo, gubernet
aquam : majus verò, luceret ſuper terram.
Primigenia verò hæc, nunquam in vicem 13
tranſmutari, mox docebo. In terra nimirum
fraceſcens aqua, ſemen locale, vel inſitum acquirit.
Ideoque vel in liquorem, (Leſſas) ad omnem
plantam, vel in ſuccum (Bur) mineralem,
tranſit, juxta ſpecies, per directionem ſeminum
electas. Quæ ſemina, ex terræ fermento, primum
inanis & vacuæ, dein mox, benedictione
Spiritus, ſuper aquas lati, replentur. Mea autem 14
me docuit ignis experientia, tria prima nempe,
Sal, Sulfur, & Mercurium aquæ, ſemper manere
indiviſa, ſive interim aqua vaporetenus elevetur,
nubis ſpecie, vel ad inviſibilia rarefiat, vel
tandem etiam, priſtina aquæ forma fluctuet.
Nam quod Paracelſus velit aquam, evaporando, 15
prorſus annihilari, Idiotiſmus ſuus eſto, non
connivendus ſaltem naſuto deſtillatori. equidem
comperi, aquam in nubium atomos ſublatam,
permanere tamen ſemper eandem, in numero;
atque ſpecie aquam, quam atomi mercurii aquæ,
imagine nubis, nobis oſtendunt. Nunquam
autem in aqua fieri trium primorum ſeparationem,
multoque minus eſſentialem tranſmutationem
ullam. Siquidem eſt ſimplex partium 16
internarum per ignem extraverſio, quæ
rurſus intro remeant, quoties vapor in guttas
condenſatur. Cur autem terram, non inter primaria
elementa, licet initio ſimul creatam, exiſtimem;
cauſa eſt, quod tandem ſit convertibi-

lis in aquam, per privationem ſuæ eſſentiæ.
17 Ideoque credo aquam, corpus prius, atque ſimplicius ;
cum illa nunquam in terram recedat, niſi virtute ſeminum, adeoque vices compoſiti, aqua aſſumat, antequam terra, ſive ſabulum *quellem* fiat. Quod poſtea latius demonſtrabo.

TERRA.

1. IGgnem nec elementum, nec materialiter corporibus commiſceri, nec materiam eſſe, nec in ſe habere. 2. Terra non eſt pars miſti. 3. Terra virgo per mechanicam demonſtratur. 4. Fundi in terra diſtinguuntur. 5. Aqua intra terram, ſuperat plus quam millies, aquam maris, & fluminum. 6. Vera origo fontium. 7. Quomodo aquæ ſua ſponte aſcendant. 8. Fili continuitas probatur in aquis. 9. Quo caſu terra adveniat corporibus, quæ creduntur miſta. 10. Elementorum numerus, & temperamenta, ſunt nugæ perniciosiſſimæ, poſtquam ejuſmodi, in medendi artem ſunt tranſlata. 11. Terra matrix, non autem mater corporum, idque multis demonſtratur. 12. Aqua & aer, nil aliud quicquam in ſe convertunt. 13. Qualis miſtio, qualiſque ſit corporum appoſitio. 14. Objectiones de vitro & latere, ſolvuntur. 15. Operationes Gehennæ ignis. 16. Quomodo à vitro, ſeparetur arena ſoſpes ab alcali. 17. Centrum Mundi, quandoque mutatum.

1 IGitur nec Ignis eſt elementum,
nec materialiter corporibus commiſcetur ;
Quia ignem, nec materiam
eſſe oſtendam, nec illam in
2 ſe habere. Imo terra nuſquam occurrit,
præter ſe, ulli corpori commiſta
naturali, quæ inde, ullo labore repetatur.
Indolui ergo, mecumque indignatus ſum, quod
medendi baſis, nugis ſit referta, & tantis ludibriis,
3 ægri obedire cogerentur. Terram autem
originalem, elementi virginei, ipſum conſtans
ſabuli corpus nomino: reliquam autem omnigenam
terram, terræ fructum, de ſobole minerali.
Quod per Pyrotechniam ſat ſuperque probatur.
Sabulum enim, terram eſſe originalem,
inprimis ejus difficilis reductio in aquam, probat ;
eo quod citius arena è ſilice, vel Adamante,
4 in aquam reducatur, quam arena (*quellem.*) Deinde,
id etiam ligo probat ; Quoniam fodiendo,
obveniunt quidem prope lucem, varii fundi,
coloribus & ſpiſſitudine quidem variegati) quique
etſi ruſtico Scholarum etymo, etiam terræ
credantur nigræ, albæ, fulvæ, rubræ, &c. fructus
tamen ſunt terræ, & ſemine conſtant: ſubter
quas, arena eſt, ſuis etiam fundorum alibi
varietatibus multiplex, tam unico, quam diverſis
locis, tandem ſubter illas, ſabulum ſedet,
quod noſtri (*Keyberch*) ſive montem ſiliceum
vocant, unde rupium, montium origo, ac primæ
minarum fluunt divitiæ. Poſtremum tandem
omnium, ſabulum album, ſive bulliens (*quellem*)
in fundo vivo, ac vitali, ſeſe oſtendit, quem ligo
penetrat nunquam. Nam quantumcunque
inde arenæ, & aquæ demſeris, totidem ſuccedit
in vicem ablati, ejuſdem locum replens. Hoc inquam
ſabulum impermiſtum, ſetaceum quoddam,
vel cribrum, atque fundamentum naturæ
eſt, per quod, aquæ omnes tranſcolantur, ut invicem
omnes communionem ſervent, ab initio
creationis, in finem, & à ſuperficie terræ, in centrum
uſque. Quinimo aqua, in hoc ſabuli fundo 5
detenta, actu forte, millecuplo major eſt,
quam marium & fluminum in terræ ſuperficie
fluctuantium, tota congeries. Idque facile verificatur,
ſupponendo totam adhuc terræ ſuperficiem,
aquis contegi, ad 600 paſſuum profunditatem.
Sequitur ergo, relatione ad terræ diametrum
habita, facile millies plus aquæ, ſubter,
quam ſuper terram eſſe. Siquidem arena ſicca,
ad minimum combibit aquæ ſubquadruplum,
in eadem loci extenſione. Non volo tamen, etſi
quellem ultimus fodienti ſit fundus, utrobique
omnes ex ordine fundos ſubſtratos reperiri. Etenim
præfata arena, quæ quandoque ad mille
fortaſſis paſſus, infra horizontem ſeſe ſubmerſit,
alias ſubdiu, propediem, imo & non raro in
montium cacumine, ebullit. Cujus rei ignaræ 6
Scholæ, cum ſuo Ariſtot. mordicus tenent, omnes
fontes veros, ex aëre, in aquam condenſato,
ſuæ perpetuitatis cauſam debere. Attamen
cum iſtud cuſtodire nequeant ; eo quod in altiſſimorum
montium faſtigiis, non rarò fontes
proſiliant, ubi mons alter, paris altitudinis, non
eſt vicinus, nec canalis utrimque ad hoc extentus :
Ideo elato ſupercilio tacent, ſilentque ad
miraculum rei inſolitum. Sanè quamdiu aquæ 7
in vivo, vitalique terræ fundo oberrant, atque
in ſabulo *quellem* detinentur, tamdiu inquam,
legibus ſituum hydraulicis parêre non coguntur.
Non ſecus ac ſanguis, dum in venis vita
fovetur, tamdiu quoque ſupra atque infra neſcit,
eſtque tam in fronte, quam in pedibus. Sed momento,
quo ſemel è venis excidit, vel aquæ extra
quellem egurgitant, non deſinunt, legibus poſitionum
obediendo, defluere. Mare igitur in ſui
fundo, in cribro ſabuli virginis, receptas ſorbet
aquas,

aquas, ita nempe juxta Sapientem, utut omnes
aquæ in mare fluant, nunquam tamen regurgi-
8 tat. Quia unico filo, ductus eſt continuus, ex ſa-
bulo virgine, in fontes, rivos, flumina, & mare,
ad humectandam terram, eamque mineralibus
ditandam inſtitutus. Quo rurſus appulſæ aquæ,
partim à *quellem*, in fundo abſorbentur, par-
temque aëra rapiunt. Sic nempe univerſus, ſuas
diſtribuit aquas, & in fructus varios deponit.
Adeoque cum admiratione meditatus ſum, o-
mnipotentem, neceſſitates ingratorum immor-
9 talium, ſibi præfixiſſe, ut ſcopos rerum. Ad ter-
ram redeo. Originalem terram nuſquam ad
fructuum miſtiones concurrere ſponte, caſu
allabi, nec aſſumi à natura, neque aſſumtam, na-
turæ, aut artis opera, reperiri, certum inveni.
10 Ideoque miſtionum ratio tabeſcit, numerus ele-
mentorum, qualitatum, & temperamentorum
ceſſat; atque adeo mendaces ſunt futilitates,
à Scholis pertinaciter, aut inſcitè excultæ ha-
ctenus. Etenim ex homine, ligno, &c. eſto,
pulvis, ciniſve per ignem relinquatur, nunquam
tamen terra elicitur. aliàs namque mox noſtra
11 intumeſcerent cœmiteria. Terra ergo, ſaltem
permanens matrix eſt, non autem mater. Quæ ſi
quandoque ad fructus, ſive corpora miſta, con-
flueret: vel in iiſdem perſiſteret, & ſic per artis,
vel naturæ analyſin, quandoque reperiretur, at-
que inde rediret (quod falſum eſt) vel plane ad
miſtum aſſumeretur, atque in eo deſineret eſſe
terra, in aliud tranſmutata jam. & ſic alibi mi-
nueretur(quod æque oſtendam mox eſſe falſum)
vel per mortem, ac rei diſſolutionem, rurſus in
terram rediret, eſſetque quotidianus, ac repetitus
regreſſus, à privatione ad habitum, unius & ejuſ-
dem elementi. Vel ſi non rediret in terram
hæc, tranſmutata maneret in fructus, adeoque
jamdudum tota terra in fructum abiiſſet, con-
ſtantiamque ſuam natura amiſiſſet, & Creato-
ris primos ſcopos illuſiſſet, vel terra in aliud ele-
12 mentum, à diſſoluto miſto, rediiſſet. Cujus im-
pertinens ceſſat. Siquidem non eſt geniale aquæ
aut aëri, alienum elementum, in ſuam conver-
tere ſubſtantiam. Hinc demonſtrabo mox, nun-
quam unicam guttam aquæ, in aërem verſam,
aut viciſſim aërem, in aquam mutatum. Quæ
tamen mutationes, apparent minus operoſio-
res, quàm terræ in aquam, vel in aërem. Ideoque
ſi faciliores tranſmutationes, nondum natura
attentaverit; quo pacto difficiliores præſumet?
Aliàs namque terra, ab aquis, & aëre, tanto am-
plioribus, contiguis, magiſque activis, abſor-
pta, & annihilata eſſet. Aſt Pater univerſi, con-
cordiæ amans, diſcordiam & rixas odit, maxi-
méque in elementis, quæ ut eſſent ſtabilia natu-
ræ fulcra, non pugnantia eadem creavit. Dire-
xit nempe elementa quoque ad deſtinatos ſibi
fines, & durationis leges. Vt nempe ſuos edat, &
foveat fructus, in ſui honorem, & hominis uſum.
Veruntamen nec Dei honos, nec humàna exi-
gentia, uſpiam, aut ullatenus requirebant, præ-
lia elementorum, voracitates, luctas; peſſum-
dationem, ut neque unius ex altero commuta-
tionem, aut nutritionem. Nec demum finis ele-
menti eſt, ſeipſum per avaritiam, famem, luxum,
aut neceſſitatem augere, cum alterius deſtru-
ctione. Non enim avaritiæ, vel odii, criminis
rea ſunt, ut nec ali optant. Denique neque ad
iſtam tranſmutationem faciendam, Archeum
obtinuerunt elementa, culinam, aut proprieta-
tes. Tota ergo de bello elementali, Scholarum
doctrina, anilis fabula eſt.

Terra itaque, nunquam aſſumitur, vel ſpon- 13
te materialiter accurrit, in corporum conſtitu-
tionem extra ſe. Nullaque in natura fit ritè mi-
ſtio, quæ ſubter unitatem formæ compoſiti na-
turalis, firmiter coaleſcat, niſi inter ſuccos, &
ſpiritus. Econtra, nulla pulveroſa commiſtio,
ad generationem tendit: ſed tantum eſt appoſi-
tio, mox ſponte, atque iterum citò fatiſcens.
Omnis proinde terra, lutum, ac omne corpus
tangibile, verè, & materialiter, eſt ſolius aquæ
progenies, & in aquam iterum reducitur, per
naturam & artem. Nec obſtat, quod ex luto & 14
arena, later coquatur; ut ex arena & cinere, vi-
trum. Siquidem quidquid luti eſt, ſponte in ſa-
lem reſolvitur tandem, permanente eodem ſa-
bulo, quod lutum in ſe contraxerat. Vitrum
quoque, ut arte ac ſine ſemine, in compoſitum
artificiale tranſivit: ita per artem denuo, reſolu-
to vinculo, ad priſtina redit initia, adeo ut ea-
dem numero, & pondere arena inde prorſus eli-
ciatur, quæ per fluxum fornacis, cum alcali
coaluerat in lapidem pellucidum, ſive vitrum.
Hinc namque liquet, nunquam arenam, ſive
elementum terræ, confluere ad generationes
naturales, atque ſeminales. Et quoties artifi-
ciis ſervit, toties ſemper arenam, perſiſtere im-
mutatam in vitro, candenti, fluxu ſalis occul-
tatam, ac in vitrum tranſparens aſſumtam. Non
enim argentum, eſſe amiſit, cum per Chryſul-
cam eſt ſolutum, licet amiſerit illud oculus,
& diaphaneitatem nactum ſit. Cum igitur are- 15
na, ſive terra originalis, tam arti, quam naturæ
reſiſtat, nec queat ullis adminiculis (unico
duntaxat Gehennæ artificialis igni excepto)

naturæ, vel artis, à primæva ſui conſtantia recedere
(ſub quo igne artificiali , arena ſal fit , ac
tandem aqua, quia vim habet agendi ſuper ſublunaria
quævis, abſque reactione) ſequitur quoque,
terram originalem , nunquam ad generationes
16 naturæ ſeminales,ullo modo aſſumi. Nec
arguit, quod imperitus aliquis, vitrum eſſe ultimum
artis ſubjectum velit , quodque nec arte,
nec igni deleri idcirco queat. Erudietur namque,
ſi vitri pollinem, pluri alcali colliquaverit,
ac humido loco expoſuerit ; reperiet mox totum
vitrum, reſolvi in aquam : cui ſi affundatur
Chryſulca , addito , quantum ſaturando alcali
ſufficit, inveniet ſtatim in fundo,arenam ſidere,
eodem pondere , quæ prius , faciundo vitro aptabatur.
Terra ergo immutata perſiſtit, quamquam
ipſa toto orbe mobilis , ac mota fuiſſe videatur.
17 Imo talpa,aggerem transfodiendo,inundationem
magni tractus facit , adeoque abjectum
animal,terram centro, mundumque loco,
dimovere poteſt , ſi centrum æquilibrii locum
tenere credamus, & Maria dorſo terræ,recenter
incumbere videamus. In Rekem , prope Trajectum
Moſæ, Navis maritima, ſub arenoſo colle
reperta eſt, anno 1594. In tractu Peele , Pini,
ſeriatim ſub terra repertæ. Quæ non niſi in
montibus libenter proveniunt. In Hingſene
prope Scaldim , 12 pedes ſubter horizontem,
humido prato , repertus dens elephantis , cum
tota maxilla, cujus tertiam partem, duorum pedum
longitudinis , mecum aſſervo. Adeoque
vivi elephanti quandoque fuere hoc tractu. Nuperrime
autem deſiit reperiri tota Groenlandia
ſalo ſubverſa. Vnde neceſſariò centrum terræ
transferri debuit.

AQVA.

1. *Situs terra & aqua ante diluvium.* 2. *Meditatio Authoris.* 3. *Vorago aquarum, ſive Barathrum.* 4. *Diſtributio illius voraginis.* 5. *Sectio venarum, illius voraginis.* 6. *Fructus Peroledi mineralis.* 7. *Salia migrant in Bur.* 8. *Progreſſus mineralium ad ſuas maturitates.* 9. *Vnde piſces foſſiles.* 10. *Ius venarum, in liquorem contentum.* 11. *Locus jejunus Sapientis Coheleth.* 12. *Fontium ortus Ariſtoteli neſcitus.* 13. *Mundum rotundum ab ortu in ortum. Ab Auſtro autem ad Auſtrum, eſſe teretem.* 14. *Occupatio objectionum.* 15. *Centuralis proprietas ſuam accipit determinationem à neceſſitate.* 16. *Ratio à fontibus.* 17. *A motu Solis.* 18. *A justa figura Cœli.* 19. *Ab authoritate Sacrorum.* 20. *Ab umbris, & diei quantitate.* 21. *A viſo Sole navigantibus.*

1 SAltem , poſtquam firmamentum
ſepararet aquas ab aquis Æternus,
congregavit ſublunares,earumque
collectionem , mare vocavit. Ex
oppoſito diametri , Arida eminebat,
quam terram nominavit ; &
ambo, unum conſtituebant globum, qui in terræ
medio , paululum eſſet eminentior ideo,
quod in medietate terræ, immenſo gurgite hiaret,
unde fons erumperet , humectandæ terræ
deſtinatus. Nec enim ſi præter aſſuetam globi
rotunditatem , qua omnes lineæ in circumferentiam,
æqualiter à centro diſtant , terra in ſui
medio , non fuiſſet longe altior , non potuiſſet
inde fons ad declivius mare decurrere : ſed ſtagnaſſet
mox à ſui origine. Vnde concipio. Terram
in initio fuiſſe continuam ac indiviſam.
Quippe quæ unico tota fonte irrigari debebat.
Denique, nec Inſulas habuiſſe : ſed totum globum,
una parte mare, atque altera terram oſtendiſſe.
Hæc nempe facies erat mundi , ante diluvium.
Sub quo deinceps , terra varias in ſectiones
hiſcebat, & ex rimarum abyſſo, affatim erupere
undæ. Cataractæ tam abyſſi inferioris,
quam cœlorum apertæ ſunt, ut globum univerſum
terræ,penitus ſubmergerent. Magne Deus ! 2
vineam tuam ab inutili palmite reſecare intendis,
mundumque pro exigentia plectere,at nondum
abſtinere potes , quin paterni affectus memor,
in medio juſtiſſimæ iræ, terram ſepares , &
divellas in majorem utilitatem, neceſſitatem, &
commoditatem eorum. Mare quod unicum,
toto duntaxat ſtabat globi latere, tranſmittis , in
varias terræ oras , nec ceſſas à nova benedictione,
ſuper ingratum opus manuum tuarum. Super
terram enim in conſpectu tuo ream, abunde
effundis vitales ſupercœleſtium aquarum vortices,
quæ longè rorem fœcunditate ſuperant.
Terra verò, iis ſat inebriata , rurſus emicuit , ac
ad ſolita opificia , indeſinenter rediit. Vnicus
demum fons , & aquarum ſcaturigo , quam in
terræ meditullio atque cacumine collocaveras,
eſt deinceps in venas mille diffuſus, quæ ubique
ferè, terræ globum terebrant, ad longè meliores
uſus. Quinimò & mare in omnem terræ ſinum
pænè alluiſti , ut major inde mortalium eſſet ſocietas.
Benedicta igitur ſi ſit , ac felix tua punitio ;
quid erunt tua benedictionum Chariſmata?
Domine , cuſtodi nos pro immenſitate bonitatis,

nitatis tuæ, intra numerum, quia tuas magnifi-
centias laudabunt in æternum, in ſanctificatio-
ne nominis tui.

3 Quamvis autem modo unicus fons ille deſie-
rit, nec diſciſſis jam terris, unicus haud ſatis
eſſet, permanſit tamen aquarum fortè idem in-
troitus. Quippe in mari dulci, inter Roeſt, &
Loeffelt, juxta tabulam Gothiæ, aquarum ab
Olao deſcribitur vorago, in quam naves, invitis
nautis,irritiſque illorum conatibus, abſorbentur.
Os eſt nimirum, in quod aquæ illius Oceani ca-
dunt, unicoque inde ductu,ante diluvium fere-
4 bantur ad præfatum fontem. Poſt autem, inſtar
venæ cavæ, ductus ille, variè diſtributus fuit, ſa-
xoque ſeptus,per aliquot mille venas,ſuper vul-
tum *quellem*, deſinentes, à quo deinceps imbi-
bitæ aquæ,feſtinant peregrè ad deſtinata munia.
Porro vorago iſta, ſive barathrum, ſi alicubi eſſe
debeat, veruſque ſit Scriptor Olaus, ſive non,
ſaltem opportunè eſt in mari,tam propter maris
dulcedinem, quàm figuram orbis teretem, à me
mox probandam. Denique ſi fons unicus, hu-
mectandæ erat terræ, ſatis erit præfata vorago,
præſertim quod maris fundus, longè latéque a-
renam *quellem*, patulam habeat,quæ combiben-
dæ aquæ foret ſatis. Magiſque quod mare, ter-
ram nunc circumquaque, & per intervenia plu-
ra, alluat, & perluat. Abſorptum itaque mare,
in dicta voragine, paulatim per canales lapi-
deos, hincque per minores fiſtulas ducitur, per
magnam terrarum partem: veruntamen vix in-
5 fra fundum (*Keyberch*) merguntur: quoties au-
tem venæ voraginis ſecant, vel attingunt, aſſur-
gens per media loca, *quellem*, proruens in fon-
tem, pereunt quidem dulces venæ, & proferun-
tur venæ ſalis marini.Alioqui muria, ſi qua mari
Gothico adhuc ineſt, ſenſim per vividum terræ
6 Archeum, ſalium naturam amittit: vel ſi ſalium
in locis, fermenta, alicubi exiſtant, ipſæ aquæ,
ſemina tam diverſorum ſalium, quam lapidum,
ac metallorum induunt, ac tranſmutantur in
ejuſmodi fructus. Sic namque ſalia boaria,gem-
mea, nitrea, aluminoſa, vitriolata, marina, ex
aqua creſcunt, tanquam primogenituram aquæ
7 ſibi ſpondentia. Hinc dein, in Bur,ſive primam
mineralium ſobolem fatiſcunt, atque ſeminum
ductu, degenerant. Sic quidam aquæ fructus,
obſtipant ſui fontis conductus, ultimaque ma-
turitate, acquirunt illius mineralis perfectio-
nem, cujus deſtinationes, ſemina præ ſe fere-
8 bant, in fermentis locorum hoſpitata. Porro
ut vorago illa borealis,etiam piſces intro ſorbet,
ſic eoſdem minutulos ſorbet, majoribus deten-
tis inter canales. Vbi non raro vel petrifican-
tur, vel putrilagine ſordent, vel etiam fundo-
rum balſamo condiuntur, ut non raro etiam 9
piſces foſſiles reperiantur, quos Agricola, atque
alii, in ſtuporem ducti, quaſi indebitis locis, &
abſque ſemine natos, autumant. Porro ſive
conductus, aquam conceperint, ſive demum
quellem illam combiberint: ſaltem aquæ, do-
tantur ibi vivida, atque ſeminali proprietate.
Non ſecus enim atque vena, etiam in cadavere, 10
contentum ſibi cruorem, à coagulatione (quæ
primi gradus eſt corruptio) præſervat: potiori
profecto ratione, jus id, venis terræ nondum
defunctæ competit. Aqua itaque, intra vivi-
dum terræ fundum ſorbetur, & trahitur, unde
communem nacta vitam (*Regem, cui omnia vi-
vunt, venite adoremu*) locorum ſitus neſcit, ad
cacumina montium,ſine moleſtia facile adſcen-
dit, una cum *quellem*,ut indeſinentes inde fon-
tes evertat. Quæ ſane à Scholis neſcita, locum 11
Sapientis Coheleth, in ſacris jejunium relique-
runt. Vbi dicit. *Omnia flumina verſus mare
properant: quod tamen ideo non regurgitat. Si-
quidem flumina redeunt ad locum unde ſunt e-
greſſa, ut iterum fluant.* Quæ verba antehac
variis modificationibus, adulterata ſunt. Eo 12
quod fontes, in montium faſtigiis, ex mari,
quorſum tandem ruunt, prodire non videban-
tur. Ex condenſato itaque aëre, vi frigoris, in-
tra montium cavernas, ſibi invicem ſucciduo,
fontes à Scholis hactenus falſo æſtimati ſunt,
ſua ſumere initia, & cauſas. Quæ libello de
fontibus ſpadanis anno 1624. Leodii impreſſo,
oſtendi, ſe habere per modum, jam hoc loco
traditum. Manifeſtata igitur, verorum fontium
vera origine, hactenus Scholis incognita, ma-
net. Scripturæ textus integer, & lucidatus. Aſt
cum ejuſmodi lex, curſus, recurſuſque aqua-
rum à *quellem* in fontes, & à fontibus tandem
in mare, ſervaretur, non minus in diebus, qui-
bus per annos tres, & amplius, non pluit, quam
dum annus totus continuo imbre, fere ſterile-
ſcit: ſciendum, terræ ſatis, non ita beneficos
fontes, per tubos ſuos, ac torrentes defluos,
quam communem roris atque pluviæ aſperſio-
nem. Porro antequam ad aquæ impermutabi-
lem ſubſtantiam, qua aërem in aquam, & hanc,
viciſſim, permutari facile ſpondent Scholæ, de-
venero, prius aliud paradoxon elucidabo. Glo- 13
bum videlicet ex terra & aqua compoſitum, ro-
tundum quidem eſſe ab ortu per occaſum, in
ortum: non tamen ab Aquilone in Auſtrum:
ſed teretem, ſive ovalis figuræ. Quod inprimis

navigantes ſefellit multum. Eo quod citatiori curſu, aquæ à Borea in Auſtrum labantur. quam alioquin ab ortu, in occaſum. Semper namque plurimæ aquæ, ab Aquilone per flumina deſcendunt, quæ non recurrunt unquam ad ſeptemtrionem. Sic Danubius in Archipelagus, cum aliis multis labitur, per Helleſpontum, deſcendunt aquæ, nec aliquid à Mediterraneo remeat. Quidquid ſemel in mediterraneum decidit, nunquam in Oceanum ſpargitur. Nilus enim, recta à montibus lunæ ſemper deſcendens, in Zebenuticum mergitur, totus cum ſuis mitris: interim nec mediterraneum creſcit, nec ſalſius evadit. Quod tamen prorſus eſſet neceſſarium, ſi nudo vapore tenus, infuſæ exhalarent è mari aquæ. Sed Sapientia æterna, mediterraneum pleriſque locis Oceano fecit profundius, ut ſabulum virgineum, inſtar cribri, aquas ſimul cum ſuis ſalibus combiberet. Neceſſitates humanæ namque (quæ Deo legem dictaſſe videntur, ex ſua bonitate) requirebant fontes, atque flumina, è ſummis apicibus decidentia. everſæ denique è *quellem* aquæ, per fontes, poſt ſe, continuitate trahunt ſequentes, ideoque & in fundo, marium aquas, ſorbendo combibunt. Proprietates itaque locis ſunt additæ, ex divina Providentia, propter neceſſitates. Borealis maris fluxus, ſub Angliæ Kentonia, ferè per horæ dimidium, anticipat fluxum maris occidui. Vnde conjicio, terram, atque mare, boreali plaga aſcendere. Scandia namque à ſcandendo, tota borealis terra nominatur. Et mare boreale non glaciaretur, ſi ſalſum eſſet. Si dulce; denotat Oceani ſalem, non poſſe aſcendendo commiſceri ſibi, ſed quod aquæ boreales, inceſſanter in declive ruant. Veriſimile eſt namque, tam in prima abyſſi miſtione, quam in Cataclyſmatis diluvio, omnes aquas ſemel, atque iterum commiſtas, harumque commiſtionem mare vocatam ideo. Quæ ergo initio ſemel ſalſæ, atque mox dein dulces fuere: certum eſt, illas continuo deorſum defluxiſſe, quia dulces ſunt hodie: adeoque Scandiam Ægypto longe ſublimiorem in ſitu. Sed fingamus modo. terram decem pedes, labrum mari, utrobique conſtituiſſe in litoribus, ſervemuſque rotunditatem æquabilem: ſaltem Nilus, qui rectà ab Auſtro in mediterraneum mare, per mille leucas, fertur præceps, ſi præter ſphæræ rotunditatem, quæ non eſt declivis uſpiam, imo ſe habet per modum plani, relatione centri, tantum haberet à ſui ortu, in mare uſque, decem pedum caſum ad ſummum. Quod eſt, Nilum quietum ſtagnum dicere, non autem decurrens flumen. Etenim dum Gaudavo Brugas fovea meditaretur, inventa eſt 18 pedum altitudo decidens, ſumta dimenſione noctu, ſuper flammam candelæ, idque detracta ſphæræ rotunditate. Si ergo tarde volvulo, 18 pedes decidentiæ, ſunt octo leucis, Nilus æquè tardè fluens, opus habebit ad minimum 2230 pedum altitudine, in ſui initio. Sin autem per modum Nili fluxerit, opus quadruplo neceſſe habebit; ad minimum: ſive novem pedum millibus. hanc autem terræ altitudinem ſi 15 gradibus, à Tropico Auſtrali, ad mare mediterraneum, Nilus metiatur, ubi figura adhuc ſphærica globi eſt, quam ergo non conjicere licet à Montibus lunæ, ad Auſtrum uſque? Caſus indefeſſus aquarum ab Aquilone, promittit inſignem terræ elevationem: Sic eſt. At inde 14
colligere non datur, omnes confeſtim aquas, eo poſito, Aquilonem deſerturas; Quippe ſilent leges ſituum, ubi aqua circa mundi centrum decidit circumquaque. Adeoque univerſi neceſſitas, 15
& proprietatum regula fuit. Fingo enim ſublunarem locum, ſine palpabili corpore, ſilicem vero teretem, de Cœlo decidere, illumque quieſcere in centro: erit tamen ejus longitudo verſus aliquam Cœli partem inclinata. Quid ſi hoc ſit verſus polos, nobis mundi figuram exprimet. Fingamus rotundum lapidem, extra ſupremum Cœlum. Is enim proinde priſtinum pondus non amiſit; attamen non caderet Cœlum verſus, quòd id ſit contra ponderis cujuſque naturam: neque caderet obliquè, cum ſic caderet in infinitum, nullumque habiturus eſſet motus terminum. Quod æquè eſt abſurdum. Ergo lapis iſte, cum ſua gravitate, ſiſteretur ibi in loco, quo poſitus eſſet. Id autem cum ſub luna non contingat; neceſſe eſt, ut præter rerum pondus, aliqua ſit in loco proprietas, cujus obtutu moveatur, reſpectuſque ſuperi & inferi faciat. Ergo ſi iſtud ſuperum, & inferum, non ſit niſi reſpectu corporum, & forte duntaxat ſublunarium, ejuſmodi reſpectus toti ſubſiſtent ex intentione Creatoris, quæ originalis eſt cauſa, omnis quietis ac motus. Quare ſi ejus intentio fuerit, univerſi figuram teretem facere, (quod ea eſſet commodior habitatio mortalium, ob Solis fomenta neceſſaria) feceritque ſemper, quod eſt longè optimum in omnibus. Etiam aquis figuram limitavit ovalem, eundemque reſpectum ad centrum. Sive ut ovalis figura, propemodum ſervaret, eandem intentionem ad centrum, qualem habet rotunda. Quid ſi fontes 16
ad montium aſcendant cacumina; poterunt & aquæ polares, rationem ſitus ovalis ſervare,

non ſecus atque rotundi : Alioqui ſi Cœlum,
velut terræ maritus adæquatus, ſit planè ſphæricum,
17 1. Sequeretur, Solem ſub æquinoctiis
majorem circulum facere, quam ſub tropicis.
2. Solem adeo citius ſub æquinoctio moveri,
quam ſub tropicis. 3. Solis motum inordinatum,
ac quotidie inæqualem ſibi eſſe. 4. Clepſydræ,
quæ motum Solis, in ordine ad tarditatem
metiuntur,& gnomona ſolaria,quæ motum metiuntur,
in ordine ad ſitum orbis ſolaris, non reſponderent
18 ſibi invicem. 5. Si iſta organa ſub
æquinoctiis conſentirent : variarent ſaltem ſub
ſolſtitiis. Cœlum quoque, quod eſt tanquam
terræ theca, juxta polos, profundius eſt, quam
ſub Solis orbita ; ſi enim Lucifer ſedem ſupra
Septentrionem ſtatuere volens, crimen ſuperbiæ
19 ſubiiſſe intelligatur. Profecto, ſi ibidem excelſius
non eſſet, non id imputatum eſſet in ſignum
arrogantiæ : præſertim cum locis, ubi Sacra
ſunt ſcripta, ſtella polaris, viſa ſit ſemper
Horizonti contigua, nec Cœlum quidquam excelſi 20
ibidem quoad viſum ſpondeat : In noſtro
autem horizonte, vidi totum corpus ſolare, in
gnomone umbram dediſſe,paulo poſt novam in
Iunio ; mane vero vidi totum corpus Solis ſupra
horizontem circa horam quartam : nondum
enim dabat umbram, propter aëris & vaporum
denſitatem. Ergo breviſſima nox,eſt tantum ad
ſummum 7 horarum. In ſolſtitio autem hyemali
ſol oritur 15 minutis ante octavam, occidit
vero 27 minutis ante quartam. Ergo dies 21
breviſſimus, ſaltem eſt horarum 7 & minut. 42.
Derogat autem rotunditati ſphæræ, plus lucis
habere, quam tenebrarum. Tandem neotericæ
navigationes, Solem ſub ſeptentrione,per menſem
viderunt, antequam perfecta cœli rotunditas
id permiſiſſet.

AER.

1. Scholarum ſomnia de humiditate aëris. 2. Inſulſa objectio. 3. Præſupponunt impoſſibilia. 4. Aër nunquam fit aqua per ſuarum partium condenſationem. 5. Petunt principium. 6. Ridiculum Scholarum, de aëris calore nativo. 7. Antiperiſtaſeos anile figmentum. 8. Deteguntur profunda Scholarum ſtupiditates. 9. Argumenta. 10. Aliud æque ſtupidum. 11. Aërem eſſe nive frigidiorem. 12. Exhortatio Authoris ad Tirones.

Demonſtratio Mathematica, quod Aër & Aqua ſint elementa primigenia, & impermutabilia, frigore, vel calore unquam in ſe invicem.

Scholæ adhuc cum ſuo Ariſtotele,
1 aërem ad octo gradus, id eſt, ſummè
humidum ; ad quatuor verò,
ſive ad mediocritatem, calidum.
Frigiditatem vero ſummam aquæ
donant, cum humiditate remiſſa
ſive mediocri. Adeoque aërem aqua duplo humidiorem
mandant, ex eo, quod aer, ſui compreſſione,
ac congreſſu, aquam generet. Sed ſodes;
quid iſtud eſt aliud, quam ſomnia, pro veritate
vendidiſſe ? Nam ſi aër condenſetur, ejus
humiditas quoque denſior, major, ac palpabilior
erit in aqua, quam erat prius in aëre : cum condenſatio
nequeat facere novam formam eſſentialem,
nec ſit principium generationum, quid
iſtud eſt aliud quam impertinenter nugari ? Saltem
aqua, non eſſet niſi aër, ad decuplum (vel
potius centuplum) in humiditate condenſatus,
magiſque activus, ideoque centuplo, ac confeſtim
plus humectaret,& fortius,quam aër. Tantum
abeſt quod proinde aqua, minus humida
eſſet, quam aer. Sin verò nuda condenſatio, aërem
diſponat ad novam formam ; cum eadem
diſpoſitio efficientis interni, ſit cauſa illius generati
neceſſaria, neceſſe eſt, eandem permanere
in producto ; Adeoque, ſi aër condenſatus, ſit
aqua ; jam non erunt niſi duo elementa, aqua
nempe, & terra. Dum aqua erit tam humida,atque
dum prius eſſet aër, In quo nempe ſola interceſſit
condenſatio. Quæ eſt partium adunitio
: non autem formalis rei in rem tranſmutatio.
Siquidem omnifariam, forma reſultans ex
humiditate aëris condenſati in centuplum, ſaltem
centuplo erit humidior, & plus humectabit,
quam priſtinus aër. At ſanè non humectat
aqua, ob denſitatem : (alioqui namque terra adhuc
plus humectaret) eo quod ſola humiditas
humectet, & non denſitas. Aliàs namque plus
argentum vivum humectaret lanam, aut manum,
quam aqua. Quidquid enim plus humectat,
idipſum quoque humidius eſt ; & vice verſa,
quidquid in natura elementali eſt humidius,
id etiam plus humectat. Ridet Natura, fidem
pro ſenſu notis, ex ſomnio poſcere, & pudenda
Ariſtotelis commenta pro veritate etiamnum
docere. At dicunt Scholæ. Sic docendum propter 2
axioma : ***Propter quod unumquodque eſt***

tale, illud ipſum eſt magis tale. (quaſi propter axiomatis honorem, mentiendum Deo!) Sed aqua non eſt humida niſi propter aërem, ergo aër debet eſſe humidior quam aqua. At ſudabunt plus ſatis, antequam ſubſumtum probaverint: Sed aër in ſe nec humidus eſt nec calidus: ac quidquid ipſi humiditatis ineſt, id ipſi peregrinum contentum eſt, aëris naturam non attingens unquam, licet in aëris poroſitatibus vapores contineantur. Quid enim vitri naturam attinet, ſi aquam in ſe clauſerit? docebo namque mox, eſſe impoſſibile, aërem & aquam viciſſim
3 commutari. Adeoque per abſurditates, Scholæ prorſus impoſſibilia theoremata ſupponunt. Abſurdum namque, & impoſſibile continet etiam, aërem condenſatum, aquam fieri, ac eſſe fontium materiam perpetuam. Aërem enim, in canna ferrea, unius ulnæ, compreſſi fere ad quindecim digitorum ſpatium, qui dein ſui exploſione, inſtar ſclopeti, pyrio pulvere acti, ſphæ-
4 rulam trans aſſerem miſit. Quod utique non fieret, ſi aër, compreſſione, in aquam, vi adigi poſſet. Maximè, quod illud experimentum non minus ſuccederet hyemis intenſiſſimo frigore, atque calore æſtatis. Quid ſi ergo aër, vi compreſſus, canna ac tempeſtate frigidis, non mutetur in aquam, qua tandem authoritate ſua Scholæ figmenta, de condenſatione aëris, pro fontium ſcaturigine, & continuatione ſtabilient? frigus enim in natura, non habet generandi initia, cauſas, ac proprietates. Imo nequicquam humiditatis, reperitur in præfata canna; quinimo, madefactum corium in fine piſtilli truſo-
5 rii, areſcit illico. Ridiculum eſt quoque, aërem probare humidum, per fontium originem: & viciſſim fontium ortum probare, ex ſuppoſita aëris humiditate. Argumentum utrumque Scholarum, ex veri penuria eſt, & petitio puerilis principii. Vtque quatuor elementa qualitatibus adornent, ſingulis unam eximiam, alteram vero remiſſam tribuunt; mandantque
6 Scholæ, Naturam obedire ſuis figmentis. Aërem ergò remiſsè calidum ajunt. Quia vicinum volunt ficto elemento igneo: Id eſt, vel quia à vicino, illam qualitatem remiſſam mutuat: Mutatque propriam ac nativam indolem, pro nutu vicini; Idque impertinenter, dum de nativis proprietatibus ſermo eſt. Vel quia illam ex ſui indole habet, & licet remiſſam, attamen ideo, & talem vicinum habuerit. Quod æque imperti-
7 nens, & infelix eſt. Vtque aëris moderatam probent caliditatem, Antiperiſtaſis æquè futile inventum invehunt. Videlicet, aërem, ſuprema ſui parte, calidum, ob ignis propinquitatem (adeoque non eſſentialem, ſed per accidens mendicatam, & impropriam fingunt caliditatem) & prope terram pariter calere, ex ſolarium radiorum reflexione. Qui calor, eſt advena per accidens, pro tantillo ſpatio: ideo & ficta aeris proprietas. Mediam verò aëris regionem, volunt mirabiliter frigere, propter Antiperiſtaſin. Nempe quia utrimque circumſtant partes aëris calidæ. Cujus ſimile accidere ajunt, profundis puteis, æſtate frigidis, ac hyeme tota tepentibus. At ego demiror Scholarum profundas ſtu- 8
piditates, & veterum Catochum. 1. Quia ex tota illarum hac ſtrue apparet, aërem generaliter frigere, non autem mediocriter calere. 2. Siquidem ignis non eſt elementum in natura, multoque minus ſub cavo lunæ, nec ideo poteſt ſupremum aëra, niſi ſommialiter calefacere. 3. Si enim aër per ſe, & ex proprietate elementali, calet: Tunc ſemper, & ubique, etiam profundis puteis calet. 4. Si verò calet per aliud aliquid ſibi geniale, calefaciens: tunc præterquam quod præter ſe haberet aliquid commiſtum, unde deſineret elementalis ſui corporis ſimplicitas, etiam ſemper, & ubique actu caleret; aut denique caleret propter aliquod appoſitum, agens, per accidens. Quod impertinens eſt, quoties de eſſentialibus probandum aſſumtum eſt. Ergo ſi aër per ſe non calet, per ſe frigere eſt neceſſe. Cum illa duo ſe mutuò in natura ſubſequenter excludant. 5. Si ignis nunquam eſt frigidus, aut humidus, & nunquam aqua eſt ſicca: ſic aër nunquam poteſt eſſe minus quàm intensè humidus, & calidus remiſsè, ſi verum dicant Scholæ. 6. Mediam volunt aëris regionem, quæ vix ſemimilliari à nobis diſtat, ſuæ doctrinæ immemores. Nimirum diametrum aëris, decuplo ſuperare diametrum aquæ: hanc verò, decuplo, diametro terræ majorem. Quo figmento conceſſo, ſemidiameter aëris, 570000 milliaribus eſſet profundior. Itaque ſemimilliare, quaſi nihilum eſſet, reſpectu medii aëris. Scholæ quæſo expergiſcamini! Nam ſi aër ſpontè, atque ſui natura caleret, qua demum de cauſa frigeret ſui medio? An enim quia utrimque vicinus calet? At tunc, non indignationem, verum potius gaudium, ſibi aër proponeret, ex naturæ vicinæ conformitate. Cur enim aër, nativam exuat proprietatem, eo quod utrimque tepentem aërem, ſibi conformem attingeret? Quomodo enim tepida tepidæ affuſa frigeſcet, eo quod teporem utrimque reperiat? Vel ſi frigida, inter duas frigidas collocetur, anne proinde, ſui in

medio, caleſcet. Mirari non ſat poſſum Scholarum impolitam ruditatem, Antiperiſtaſis doctrinam tradentium, quæ credulitatem tantam optat, non judicium. Nam etſi figmentum iſtud placeret, dum aër circa terram calet, at certe nullatenus poſſet hybernis frigoribus. Siquidem nec tunc quidem media illa aëris regio, nativo tunc calore eſt ornata. 9. Mirum inquam, tam abſurdam falſitatem, ac doctrinam, in Alpibus nondum exſpiraſſe. Adeoque hinc liquet, vel ſtudio pertinaciæ, Peripateticis cognitas falſitates, docere, ne non jurent ſub verbo Ariſtot. vel nequicquam ſibi judicii reliquum fore, ut ingenue fungantur ſuo munere: ſatiſque exiſtiment factum, ſi antecedentium armenta ſequantur. Antiperiſtaſis itaque, ſomnium eſt ejus, qui cum ne minimum in natura ſciret, omnia tamen ſciviſſe videri voluit, ac pro Anteſignano adorari, à ſequacibus Scholis. Quod autem Ariſtot. ad puteorum calorem hyeme, fugiat, ad Antiperiſtaſis demonſtrationem, id per organum, quo ambiëntis juſtam metimur temperiem, mox ruet. In quo, mechanica demonſtratione videmus, quod aër in profundis puteis, & cellariis, eodem caloris puncto ſit ſtabilis, ſive hyeme vel denique maximis æſtatis caloribus, metiri placuerit. 10. Sed poſito, quod puteis non æqua eſſet temperies: at ſane ſtultum eſſet, aërem genialiter moderatè calidum alioqui, nunc frigere, nunc denuo calere, velut per deſpectum, ob circumſtantis aëris alterationem appoſitam. 11. Sacra nivem, aqua frigidiorem, (utpote nix eſt aqua, in qua ultima frigoris poteſtas impreſſa eſt) & aërem, ſuperare nivem frigore, hinc legitur, *Qui nivem & lanam ſpargit*, ut triticum ſub nive, à frigidi aëris immanitate, incolume ſervetur. Tanquam ſub laneo operculo. Mechanicè namque videmus, membrum ferè congelatum, ſub nive recaleſcere, & à ſideratione præſervari; quod alias aër, mox totaliter congelare pergeret, vel ſi repentè ad ignem ſit delatum, moritur propter extremi alterius feſtinam actionem. Eſt ergo per media iſſe, ſi ab aëre frigido, per nivem, aquam, ac dein in teporem remiſſum, ſit itum. Ergo, nix eſt aëre minus frigida. 12. Sed cur ad humiditatem aquæ, ejus denſitatem, ad humectandum implorant (quod eſt ridiculum) ſaltem eandem denſitatem aquæ, non aſſumit præ frigore? Etenim ſic ſaltem aliquid dixiſſent veroſimile. 9 Attende ergo, quiſquis medendo, animæ ſalutem operari conaris, qualem Scholæ patronum, uſque tueantur. Quo conſilio elementa, complexiones, graduſque qualitatum, baſim medendi fecerint, qui elementorum numerum, eſſentiam, uſum, proprietates, fructus, & paſſiones, non niſi torpida credulitate ſeducti, ſua paganicæ cæcitati dedere nomina. Adſpice quam ſerviliter Scholæ, mutuatæ ſint qualitates elementales, eaſque ad ſomniorum voluptates obedire voluerint, combinarint, auxerint, retuderint, & diviſerint, tanquam lurida commenta, ad naturalium rerum cauſas morborum cognitiones, ſanationes, & templorum S. Spiritus devaſtationes, uſque tranſmiſerint. 10 Aër itaque, aqua, & terra, ex creatione ſunt frigida, quia ſine lumine, calore, & vitæ participatione. Calor ergo ipſis eſt peregrinus, radici elementali externus. Aër verò, & terra, per ſe, ſunt ſicca: ſola aqua madida eſt. Hæ ſunt illorum corporum qualitates, quas nemo pro lubitu variet. Aër verò vacuitates habet (ut ſuo loco alibi) quibus vapores combibit, & detinet. Hic eſt elementorum ſtatus, ordo, complexio. Quæque medicam profeſſionem non niſi ex obliquo attingit. Adeoque in Scholis, quod minime confert, tanquam maximi momenti, plurimum indagatum eſt, & quod maximi eſt momenti, hactenus neglectum fuiſſe oſtendam. Eo quod ludibriis, & inutilibus rixis, totus medentum ceſſerit labor. 11 Ergo ſi elementa non ingrediantur miſta, vana eſt Scholarum doctrina, de numero, compoſitione, temperamentis, de inæquali concurſu, de contrarietate, proportione, lucta, & gradu elementorum: gradus namque, ſimplicium ſeminibus alligantur, non elemento. Vanæ ſunt nugæ, an permaneant in miſto formæ elementorum, quippe quæ non inſunt; ut elementum nunquam deſinit, à quo ſemel incœpit eſſe, excepta aqua, dum ſcilicet ſeminibus deſponſata, abit in corpus, quod mixtum creditum eſt hactenus. Vana ergo pugna, alteritas, victoria, & quod hinc omnis morbus pendeat, diſſolutio, ruina, ſanitas, & reſtitutio. Vana quoque methodus, quæ per contraria, hinc petita, inſtituitur. Senſim enim Scholæ, mendaciorum iſtorum, malè ſartorum conſciæ, utut longum de complexionibus garriant, tandem deficiunt, & fictis humoribus contentæ, vix quicquam de elementorum pugna, amplius decernunt. præterquam in ſex rebus præter naturam, & diætæ mandatis frivolis.

I. Aërem, & Aquam, eſſe corpora impermutabilia in invicem.

QVamquam in præſentia plurium demonſtraverim, quod Heer, in ſuo Apologo contra meum libellum de Spadanis, impertinenter uſus eſſet meo inſtrumento: attamen non deſiit me ſuis ſtupiditatibus immiſcere. Dicit namque. Me voluiſſe edere motum perpetuum. Nec cognovit quidem in eo, ſe ſibi contradicere. Nam in inſtrumento ceſſat motus, poſtquam aqua adſcenderit, aut deſcenderit juxta temperamentum ambientis. Neque enim plus iſte motus dici poteſt perpetuus, quam velum templi, ventorum mutationi deſtinatum. Detegit ergo Heer, ſe neſcire, quid ſit motus perpetuus. Divulgaveram enim meum organum,



ut juxta doctrinam meam de fontibus Spadanis probarem, quod aër ſuſtineret vulgatam rarefactionem, & compreſſionem citra mutationem ſui elementi. 12 Dicit enim Heer: Spiritum vitrioli, penetraſſe ſubſtantiam vitri; quod nemo concedet, qui longe ſubtiliores liquores norunt ſervari, etiam in igne. Nec juvit, quod ipſi affirmaveram, quod Clavius in Collegio Societatis Roman, ante annos 60 aquam in vitro recluſerat, hujus figuræ, cujus ne minima gutta perierat. Id quod linea, per adamantem ibidem ſignata, oſtendit. Heer autem apud Idiotas oſtentabat, ſe quandoque Patavii fuiſſe Matheſeos Profeſſorem. Quare volui in charta demonſtrare, ipſius omnimodam ignorantiam Matheſeos. Sed factus eſt coram mutus. Ad demonſtrationem verò ſic proceſſi. Delineata enim figura vitri, in quo A & D ſunt duæ ſphæræ, repletæ aëre. A autem & ſuperior, eſt exterius undequaque clauſa. D verò eſt globus inferior, apertus in fine Canalis F. Sunt autem A & D ex unico vitro connexa per canalem B C E. in quo eſt liquor vitrioli, ne fraceſceret, quem dixeram percontanti Heer, rubificatum maceratione roſarum, ut viſibilior eſſet. Rubens ergo ille liquor, eſto B C. Super hanc ergo figuram conſtitui hoc problema.



Liquor B C non poteſt ſe movere per temperamentum ambientis, in canali, niſi unus globorum ſit apertus, alter verò clauſus. Explicatio dati. Sit vitrum cum liquore, ut ſupra deſcriptum. Explicatio requiſiti. Oſtendendum. Quod liquor B C non poſſit moveri in canali per temperamentum ambientis, ſine apertione F. Præparatio demonſtrationis. Eſt maxima, quod aër patiatur dilationem, & conſtructionem, juxta qualitates caloris, & frigoris, & quod juſta extenſio quantitatis in aëre non habeatur, niſi cum eſt temperatus.

Demonſtratio. Aër qui eſt in A rarefactus per calorem ambientis, accreſcit per augmentum dimenſionum, & ideo occupat plus loci, quam antea. Quod tamen eſſe nequit, niſi propellat liquorem B C, in C E. (alioquin admitteretur poroſitas vaſis, aut ruptura A. quod contradicit hypotheſi Heer) & ſucceſſivè aër, qui erat in C E. in vas D. Sed D nequit iſtum aërem recipere, niſi tantundem aëris propellat, per foramen canalis F.

Concluſio. Ergo ſine apertura in F, liquor B C non fuiſſet motus à loco. Non mirum ergo, liquorem vitrioli ſponte paulatim exhalaſſe, per neceſſariam aperturam in F. Stupiditas ergo. N palam fit, cui cum plura ejuſmodi inſtrumenta donaſſem, nunquam tamen aperturam in F. obſervarat. Imo quanquam illi hæc multis præſentibus demonſtraſſem, antequam ſuum ridiculum Apologum edidiſſet, finxit tamen ſe deinceps mirari. Quod is liquor ſenſim periiſſet. Dicit eum totum vas perfectiſſime clauſum reperiſſe (nec enim quod non exquiſitè eſt clauſum, clauſum dici meretur) admittit tamen motum liquoris factum. Qui oſtendiſſet temperiem aëris. Et quod liquor ſit mutatus in aërem, clauſo vitro. Suppoſitis ergo falſis obſervationibus, ejus detegam miſerias.

13 Datum. Quod vas D ſit æque clauſum, atque eſt vas A juxta ſuam hypotheſin. Requiſitum. Demonſtrandum. Quod aqua B C nequeat moveri. Item quod nequeat docere temperiem aëris. Item quod non potuerit exſiccari, vel exhalare. Item quod non potuerit converti in aërem. Præparatio abſurdi. Etenim ſi admittit motum, & ſiccitatem aquæ, debet admittere abſurda, & contradictoria, vel errores ſuos fateri. Præparatio demonſtrationis. Applicetur vaſi A aliquis calor, excedens temperiem ambientis: tunc enim aër incluſus, ſe dilatabit, ſecundum plus aut minus caloris, ac juxta, atque excedit veram aëris temperiem clauſi in vaſe D. contra quem propellens aquam B C deſtruet æquilibrium, per nimiam actionem. Ita quod in D erit compreſſus, & condenſatus aër, per reſtrictionem: ut cedat dilatationi factæ in A.

Demonſtratio. Itaque juxta hypotheſin Heer (quod aër compreſſus, convertatur in aquam) liquor nunquam defuiſſet in vaſe. Attamen ſua ipſius obſervatio vult : quod vitro undique exquiſitè clauſo, aqua nihilominus ſit exſiccata, & facta ſit aër. Non poteſt autem ſiccitatem admittere, in vitro exquiſite clauſo, niſi ſua hypotheſis deſtruatur (nimirum quod aër compreſſus, mutetur in aquam) nec iterum iſta hypotheſis ſubſiſtere poteſt, niſi admiſerit continuationem liquoris. Quod tamen contradicit ſuæ obſervationi. Item non poteſt admittere motum liquoris B. C. niſi admiſerit vitrum apertum in F. & per conſequens. fateatur, ſe erraſſe in obſervatione. Quodque; licet vi demonſtrationum fuerit coactus fateri, antequam Apologiam omni calumniarum genere contra me evomuerit, perſeveravit tamen in illa, ſuas detegere inſcitias.

Concluſio. Ergo neceſſe'eſt, ſi aqua B C moveatur per aliquod aëris temperamentum, quod ambo vaſa A & D non ſint clauſa. Aliàs namque inſtrumentum non eſſet conveniens menſuræ temperiei aëris (quod eſt contra ejus ſuppoſitionem) etenim cum aër ſit ejuſdem caloris circum A, atque circum D, neceſſario quoque liquor B C quieſcet. Quia qualitas ambientis, eſt cauſa motrix aquæ B C, agens æquali robore, & donans æquilibrium. Iam per ſuppoſitionem falſi, demonſtrabo, quid illius ſequatur ignorantiam. Sit inquam aqua B C, juxta ſuam obſervationem, in aërem mutata. In primis, nequit hæc obſervatio admitti, abſque rarefactione, cauſata per calorem. Nec poteſt admitti iſta rarefactio, abſque augmento loci, præter calorem. Et augmentum loci nequit ſubſiſtere citra dilatationem vaſis, aut rupturam. Eo quod fateatur vitrum, ſine ruina, aut poroſitate, optime clauſum, continuitate vitri. 1. non poteſt admitti tranſmutatio aquæ in aërem, ſine condenſatione, & reſtrictione : & reſtrictio non datur, abſque additione partium per compreſſionem, intra eandem actu magnitudinem. Quæ omnino nominari debet aëris condenſatio, quæ hoc loco, non niſi ſolo frigore fieri poteſt; quod ſupponit convertere aërem in aquam : ergo non aquam in aërem. Cum igitur neque calor, neque frigus, poſſint convertere aquam in aërem, multo minus id faciet temperatum. Eo quod hoc non generet alterationem in iſtis elementis. Pariter, aër non convertitur in aquam, quia non poteſt admitti hæc converſio, facta per rarefactionem, eo quod aëris rarefactio, non contingat hoc loco, niſi mediante calore. Sed Heer vult, quod aër condenſetur in aquam, per frigus. Ergo aqua non generabitur ex aëre, per calorem. 2. Iſta tranſmutatio aëris in aquam, nequit admitti, niſi per condenſationem & reſtrictionem. Quæ in vitro perfectè clauſo, non poteſt accidere, niſi per frigus. Quod agens ſuper aërem, occluſum intra vaſa A & D illum tranſmutaret in aquam, juxta hypotheſin Heer. Sic namque aqua, aucta fuiſſet per generationem in vaſis perfectè clauſis. Quod ſuis verbis contradicit. *Pretioſus hic liquor periit. non eſt amplius. deſiit eſſe. & quidem furente hyeme.* Ergo, cum neque calor, neque frigus, poſſint condenſare aërem in aquam : multo minus id faciet temperatum. Ergo nunquam. mirum eſt itaque, cur non impediverit arefactionem liquoris in vaſis. Cum juxta ſuum garritum, ipſa tantum eſſent ſepelienda ſubter nivem, ut aqua repleantur. Non jam pluvia poſthac opus erit, ſi ſpecus perfectè clauſa, & frigida, ciſternæ fierent perpetuæ. Itemque cum aqua præponderet aëri, cadet illa in fundum magni vaſis, optimè clauſi, unde quoties luberet, aqua depromeretur. Adeoque vas illud, in fontem hybernum tranſmutaretur. Nam ut inquit Heer, *vas erat optime clauſum, carebat poroſitatibus, nec opus habuit apertura, tam ad introitum, quam tranſpirationem aëris.* Si autem eadem via, ac modo, quibus aqua clauſo vitro, mutata in aërem, evolavit, poterit novus deinceps aër ingredi. Poſthac ergo non defutura aqua dulcis, nautis in mari, ſi frigore noctis, aër in aquam guttatim concreſcat. Venetiæ & Antwerpiæ, fontes formabunt in ventre galli ænei, qui in ædis pinnaculo ventos docet. Nam frigore nocturno, aërem in aquas verſum plorabit. Et quamquam fiſtula fidicinis intus madeat, non id ex aëre : ſed vapore aërem comitante. Alioquin & fiſtulæ organorum, maderent intus. Quod falſum. Aër enim tonum edit, & vapor ſalinaris ſtillat è fiſtula aquam. Aërem unius ulnæ, compreſſi in bombarda, ad 14 digitorum ſpatium, etiam ſub hyberno frigore : & tantum abeſt, quod aër ſic compreſſus, in excellenti frigore, mutatus ſit in aquam : ejiciebat ſphærulam plumbeam trans aſſerem quernum, ſclopeto fortius. Nunc pergam id poſituris probare rationibus. Siquidem putatio appoſita, multiplici utrobique abſurdo Scholas obumbravit.

1. VApor aqua à calore ſuſcitatus, differt ab eo, qui per frigus fit. 2. Aërem non ex aqua fieri. 3. Aërem, non poſſe per artem, aut naturam, deduci in aquam. 4. Aerem, non ſubſiſtere abſque vacuo actuali. 5. Probatur per mechanicam, quod ſubtiliatio Artis, utcunque exquiſita, non ſit niſi trituratio. 6. Per mechanicam idem in auri trituratione. 7. Examinatur aqua per tria analogica. & datur doctrina neceſſitatis, in aëris media regionis frigoribus excelſis. 8. Mercurii cum aqua ſimilitudo. 9. Natura Mercurii. 10. Veterum Chymicorum incogitantia de Mercurio. 11. Terram & aquam, nunquam fieri unum, per ullam commiſtionem. 12. Quomodo Ars ſuperat naturam. 13. Terra eſt propriè fructus duorum primariorum. 14. Propinqua ratio indeſtructibilitatis in Mercurio. 15. Aquæ fortes, non operantur ſuper Mercurii centrum. 16. Nec ſpiritus ſalis marini, ſuper illius corpus. 17. Sulſur internum Mercurii. 18. Quomodo aqua det pondus, ſe ponderoſius. 19. Corporum penetratio qualiter ordinaria, in via naturæ. 20. In aqua non ſunt tria prima: licet in ſui ſimplicitate, ſit conceptibilis heterogeneitas, ſuſceptiva ſeminum. 21. Fuligo, eſt mera aqua. 22. Quare nubes fœteant. 23. Quid Ros. 24. Quid nebula. 25. Quare aërem in media aëris regione frigere oportuit. 26. In hoc frigore, cuncta per atomos ſegregata, moriuntur ſemina, reditque ideo aqua in ſimplicitatem elementi ſui: in terra verò & aqua, ſi res ſpolientur ſemine, non redeunt ad iſtam ſimplicitatem: ſed novum concipiunt ſemen. 27. Per Mechanicam patefit error Paracelſi. 28. Error Galeniſtarum, circa ſapores elementatorum. 29. Gas aqua quid. 30. Paracelſi inconſtantia de ſeparatione elementorum ex elementis.

1 IAm ſat conſtat, aquam, vi caloris,
vaporetenus elevari, qui vapor ni-
hilominus nil niſi aqua extenuata
eſt, & permanet ut ante, ideoque
per Alembicum repercuſſus, redit
in priſtinum aquæ pondus. Suſpi-
cari tamen licet, an aqua, per aëris frigus abſum-
ta, non in naturam, atque proprietates aëris mu-
tetur. Quia poſt Diluvium, Omnipotens, miſit
ventos, ut ſiccarent faciem terræ. Et hodie et-
iamnum, ſub frigidiſſimo Aquilone, citius ab-
ſorbetur aqua, quam æſtivis caloribus. Fons
etiam, algidiſſimo ſub frigore, in abacum, con-
tinuo cadens gurgite, aquam quidem à conge-
latione, impedit motus fontis decidui: attamen
cernitur quidam vapor adſcendere, qui mox in-
2 viſibilis, in aëre abripitur. Præſumtio eſt, omni-
modam aëris naturam, ſaltem frigore abſumi, ſi
non calore. Imprimis reſpondeo. Illo dato ab-
ſurdo, Scholas, imprimis exinde nequicquam
pro ſe habere, ut proinde aër per ſe humidus
eſſet: tantum abeſt, quod aër ille (uti ſtatuunt)
longe humidior eſſet, quam aqua. Quin ſaltem
ſit exſiccata aqua. Tranſmutatum enim, ſemper
proprietates amittit, quas in termino à quo, ha-
bebat, mutuaturque qualitates tranſmutantis.
Vt enim aut totus aër, aliquando fuiſſet, aqua,
aut ille dumtaxat humidus eſſet, qui ex aqua
naſceretur: primigenius verò alter, eſſet ſiccus,
à creatione. Et ſic duo aëres, eſſentialiter diverſi.
Quod autem aër in puritate ſui, ſit ſiccus inter-
na proprietate, patet ex objectione, præfati fri-
goris. Quoniam ſi aër ex ſui radice, eſſet hu-
midus, venti non fuiſſent miſſi ad deſiccandum
terram; Quod ſi verò per ventos, aquæ diluvii,
verè in aërem eſſent mutatæ, multo plus aëris
eſſet à diluvio deinceps, quam ante. Conſe-
quenter, vel aliqua mundi pars vacua fuiſſet, aut
certe, jam ob compreſſionem, & denſitatem, à
novo tantæ molis aëre cauſatam, ſuffocaremur
(quod poſtea per mechanicam candelæ patefiet)
aut aëris æqua pars, debuiſſet ſucceſſivè annihi-
lari, ſub generatione tanti novi aëris. Siquidem
Textus vult, tam profundas aquas, totamque
terræ ſuperficiem, ſimul per ventos ſiccatam.
Vel, ſi ante diluvium, æquæ fuiſſent aër, in cata-
ractis cœli, ergo ſaltem toto diluvio, vacuum
fuiſſet in Cataractis illis cœli: Si nempe centu-
plo (ad minimum) aqua ſit aëre ſpiſſior, & com-
preſſior. In theſin itaque pono. ***Aquam, nun-*** 3
quam, nequidem per frigus, perire, aut in aërem,
ullis natura, aut artis conatibus mutari poſſe, &
viciſſim, aërem, nullis ſæculis, aut diſpoſitionibus,
(ne quidem pro guttula unica) in aquam reduci
poſſe. Aqua enim vacuum non tolerat, ut neque
ſui compreſſionem, per aliquod movens com-
primendo. Duntaxat inſpiſſatione ſeminali
comprimitur, per ſui tranſmutationem forma-
lem. Ex oppoſito autem, aër, ſine vacuo ſubſi- 4
ſtere nequit (quod ſuo capite probabo) ideoque
ſui compreſſionem, atque dilatationem tolerat.
Sunt ergo duo ſtabilia elementa, invicem diſ-
crepantia natura, & proprietatibus, quod im-
poſſibile ſit, illa in invicem mutari. fateor qui-
dem, ex abaco fontis, halitum aquoſum aſcen-
dere, nebulæ inſtar, ex minimis aquæ atomis,
qui halitus, quamvis parum inde recedens, fiat
prorſus inviſibilis, non proin, datam doctrinam
vitiat.

vitiat. Vnius ſiquidem, æqualis agentis, unica
tantum, & æqualis eſt actio. Quocirca, ſi frigus
aquam primum commutat, in halitum glacialem,
idem frigus deinceps aliam nequit habere
actionem, ſuper illum halitum, quam eundem
plus extenuandi, & diſpergendi, ſic ut mox, ob
ſubtilitatem, fiat inviſibilis. Ac dein magis, magiſque
ſubtilietur. Nec enim centeſima ejuſdem
halitus extenuatio, plus poterit aquam tranſmutare,
5 quam prima. Quia eſt elementum, & corpus,
ſui deſtinatione in majorem ſimplicitatem
reducendi, impoſſibile. Cum ſubtiliatio per partium
diviſionem facta, non ſit niſi quædam ſimplex
6 trituratio. Per exemplum. Contunde aurum
in laminas, dein in tenuiſſimas bracteas,
inde verò, in aurum pictorum, mox iterum in
marmore leviga. Deinde cum cinnabari, & ſale,
in alcool impalpabile fingas, ſepara cinnabarim
per ignem, & aqua ſalem ablue, idque pro lubitu
ſæpius repete. Tandem cum ſale armeniaco,
ſtibio, & mercurio ſublimato, & per retortam
pelle. Idque ſepties repete, ut totum aurum, in
forma olei punicei volatilis, redigatur. Eſt enim
ſummè levigatum, imo & durum, ſolidum, malleabile,
ac fixiſſimum corpus, quod jam olei in
naturam verſum videtur. At ſane mentitus ille
liquor, in priſtinum auri pondus, & corpus, facile
redigitur. Quid ſi ergo aurum, priſtinam
naturam, per tot lanienas, non variet, nec ſemen
ſuum ullatenus perdat; multo minus aqua, in
ſimplex elementum, à rerum Domino, ad conſtantiam
7 univerſi, deſtinatum. Etſi aqua, polleret
tribus vulgatis initiis, vereque conſtaret ſale,
ſulfure, & Mercurio commiſtis. attamen non
patitur ullum eorundem ſeparationem, propter
exquiſitiſſimam naturæ ſuæ ſimplicitatem, &
ſtabiliſſimam conſtantiæ ſuæ perpetuitatem.
Corpora enim dum ad ſummum ſubtiliantur, ut
amplius non poſſint, ſi perſeveretur ſubtiliando,
tandem abeunt in aliam ſubſtantiam, cum
retentione proprietatum ſeminalium. Et hactenus
Alcaheſt Paracelſi, cuncta naturæ corpora
penetrando, ſubtiliando tranſmutat. Quod in
elementis, aqua, & aëre, non contingit, eo quod
ob ſummam ſui ſimplicitatem, & deſtinationis
prioritatem, recuſet in aliquid prius, aut ſimplicius
migrare, aut tranſmutari. Dum itaque ab
inferioribus, ad mediam aëris regionem, transferuntur
halitus, odoribus, atque ſeminibus concretorum
imprægnati: ibidem, propter ſubtiliſſimam
vaporum diviſionem à frigore, quantum
naturæ eſt poſſibile, reducuntur quidem in
aquæ elementalis ſimpliciſſimam & primitivam
puritatem: ſed in iſta ultima ſui ſubtilitatum, &
atomorum ſubdiviſione, cuncta ſemina, odores,
& fermenta, quæ ſecum attulerunt ſurſum, commoriuntur,
ac in primum aquæ elementum
(unde materialiter formata ſunt) redeunt. Hinc
nubes, quamdiu nubes, fœtent in montibus: ſed
non poſtquam ibidem ſummis frigoribus extenuatæ,
in ultimam ſubtilitatis diviſionem. Hæcque
fuit in natura neceſſitas, ut non procul à nobis,
regio aëris eſſet algidiſſima. Aqua ſemper
enim ideo, tota manet ut eſt, vel ſine ulla trium
diviſione, transformatur in fructus, vaditque,
quo illam vocant, & abducunt ſemina. Artificioſa
quippe indagatio, mihi oſtendit quidem,
quodammodò tria prima, analogoque ſenſu,
aquæ ineſſe, nulla tamen arte, aut dierum carie,
ab invicem diviſibilia. Deſineret namque elementum,
eſſe corpus ſimplex, ſi in aliquod prius,
aut ſimplicius, ſit ſeparabile. At nil in corporalibus
datur elemento prius, aut ſimplicius. Aqua 8
itaque, eſt interno metallorum Mercurio ſimillima,
qui cum omni prorſus, metallici ſulfuris
labe, jam eſt exutus, tam ſibi undequaque indiſſolubili
nexu cohæret, ut radicaliter omnem
diviſionem, arte, aut natura poſſibilem, reſpuat.
Hinc data Gebro occaſio dicendi, nullam in rerum
ſerie, humiditatem, Mercurio ſimilem,
propter homogeneam ſimplicitatem, in ignis
tormento, ſibi perpetuo conſtantem. Siquidem
vel totus, in ſui natura immutatus, ab igne evolat:
vel totus, per ſeminis tranſmutationem, in
igne perſeverat. Fateor equidem, me non alias,
naturam elementi aquæ didiciſſe, quam ſub ferula,
ex caduceo Mercurii parata. Hinc autem,
cum per triginta ſolidos annos, ingenti labore,
& ſumtu, perluſtraverim, & aquæ, Mercurium
adæquatum invenerim, ejus ideo naturam,
quantum præſens ſermo exigit, & judicii mei
tenuitas fert, conabor explicare. Spagyri inprimis 9
fatentur, Mercurii ſubſtantiam, omnis penitus
intrinſecæ diviſionis intolerabilem, redduntque
cauſam: quod homogenea, ac onatica
proportione, partes aqueæ ejus, ſint æquâ temperie,
conjugatæ partibus terreis (aëreis, igneiſque
ſub ſilentio preſſis, eo quod hæ avolarent, ſi
ineſſent, nec conſtantiæ cauſam, hic requiſitam
continent) atque eatenus has ambas ſe mutuo
deſerere non poſſe, ob juſtam temperiem, invito
igne, ſe amplectentes. Deluſit eos, inprimis 10
veterum error, de quatuor elementorum, in
corporum miſtorum miſtionem, neceſſaria
confluentia. At certè is error, Spagyris non erat
indulgendus: quippe qui non auſi fuerunt, aë-
rem

rem & ignem Mercurii adducere, ubi de ejus
conſtantia agebatur. Deinde, quoniam experiri,
illis erat perfacile, aquam, quocunque modo,
arte vel naturali proportione, fuerit terræ nupta,
nunquam tamen conſtantiam in igne acquirere,
ut neque verè, unquam terræ radicaliter
jungi. Eo quod aqua, quocunque modo terræ
11 commiſta, non deſinat eſſe aqua. Neque
enim unquam modus, aut proportio, facient
aquam à ſua eſſentia degenerare; ut neque poterit
id, ejus impetrare ulla cum terra connexio.
Aqua autem manens aqua, nata eſt ſemper ab
igne evolare. Ridiculum ſanè, quod aqua diligeret
magis, proportionatum terræ pondus,
quam inæquale, atque ejus dilectionis ergo, invita
magis deſereret iſtam terræ temperiem. Siquidem,
dum de commiſtione quatuor elementorum
ſermo eſt, intelligitur de elementis puris,
& plane incommiſtis; adeoque nulla miſtionis
labe inquinatis, aut alioqui diſpoſitione
ulla præventis. Neque enim aqua, ſtateram ſecum
fert, nec reſpectum gerit, ad librandam
terram, ſibi commiſcendam, ut eidem tenacius
connectatur. Demiror valde, in omnes Scholas,
receptum commiſtionis elementorum luridum
errorem, tam ſtupidas abſurditates peperiſſe,
eaſque illo ſolo abſurdo, obſeraſſe januam inventionis
ſcientiarum, & cauſarum. Mercurius,
ne minimum quidem terræ, in ſe admittit, aut
continet, qui ſolius ſemper aquæ eſt filius. Imo
terra, & aqua, nunquam poſſunt in aliquod corpus
naturale cogi, aut in identitatem formæ
ſubigi, quocunque id artificio ſit tentatum; Lateres
enim, ſi è terra madida, coquantur in lapidem
teſtaceum, aquam non capiunt, niſi propter
luti ductibilitatem: Cæterum, terra, ſemen in
ſale ſuo habet, unde lutum lapideſcat, per coctionem
vitrificationis. Aquæ igitur & terræ eſt
tantum affuſio, & partium appoſitio; non autem
coalitus admiſtio. Quidquid enim in compoſitum
abire, & ex diverſis, in hoc aliquid, converti
oportet, neceſſe, hoc fiat ſpirituum agentium
opera, & eatenus ſe complectentium, quatenus
materiam, in novam generationem tranſmutando,
promovent. Elementa vero, ſunt corpora,
non autem ſpiritus, multo minus adhuc
in ſe invicem agunt. Terra itaque, deberet prius
ſuum eſſe amittere, atque in ſuccum redigi,
priuſquam aquæ nuberet, ut hanc ſemine imprægnatam,
amplectendo traduceret in fructum
concepto ſemini deſtinatum. Quodnam verò
agens eſſet, quod terram in ſuccum, & non in
aquam potius traduceret? cum terra ſimplex
non niſi in vicinum ſimplex tranſmutaretur?
Non ſane id cauſaret, aliud elementum compar:
cum nil ejuſmodi, aquæ vel aëri competere,
ſit viſum hactenus. Nec demum à ſemetipſo, 12
terra ſui corruptionem intenderet, cum hoc
creationis conſtantiæ repugnet. Itaque licet terræ
pars homogenealiter reducatur in aquam,
per artem: per naturam tamen ſolam, id fieri
recuſo; cum in natura agens deficiat, mediante
quo ſolo duntaxat, terra virgo, ſive vera terra,
in ſalem, atque inde in aquam reducitur. Chymicis 13
ſit in documentum, Terram, licet prima
conſtitutione creatam, propriè tamen, ſaltem
fructum eſſe aquæ. Itaque nec unquam in natura,
generationes, aut commiſtiones contingunt,
quam per aquæ imprægnationem. Adeoque,
quamdiu aqua, ſemine prima eſt, nunquam
ulla inde provenit generatio. Multo igitur minus,
inde exſpectandum eſt fluens compoſitum,
quod fertilitati ignis reſiſtat. Idque omnium
minimè, quoties aqua, & terra, ſuis connectuntur
viciſſim corporibus. Eſt ergo corporum,
ſola in igne conſtantia, in mineralium familia,
& quidem in metallis puriſſimus, perfectiſſima.
Eo quod Æternus, non creaverit humiditatem, 14
conſtantia ſui, mercurio metallico
aſſimilandam. Eſtque ideo in ipſo Mercurio,
prout in elementis, ratio propinqua indeſtructibilitatis.
Siquidem, in Mercurio deprehendi
quoddam ſulphur externum, originalem metalli
labem continens. Quæ quia originalis, ideo &
difficulter ab eo tollitur. Qua tandem nihilominus
per artem ſeparata, ajunt periti, Mercurium
ſuperfluo ſulfure, & humido ſuperfluo
mundatum. Quippe deinceps nullo igni, poteſt
in formam terræ præcipitari, ob ſimplicitatem
ſui maximam, qua aquæ elemento comparatur.
Amiſit namque terram (id eſt, ſulfur) quæ terra
in centro ſuæ eſſentiæ, non minus eſt ex elemento
aquæ, quam reſiduus ejus depuratus
Mercurius, quam licet terram prius ab origine,
ſibi profundiſſime commiſtam habebat. Si ergo
in priſtino ſtatu, Mercurius, habebat adæquatam,
terræ & aquæ temperiem: ergo ſaltem poſt
ablationem illius terræ ſulfureæ, priſtinam indiviſibilitatem
amiſiſſet; quam potius, contraria
relationis habitudine, longè firmiorem, deinceps
ſibi in æternum confirmavit. Reperitur
namque Mercurius, poſtquam eſt ſpoliatus iſto
ſulfure, nullo igne mutabilis. Quia eſt Mercurius
de Mercurio. Sulfur vero, eſt mors & vita,
ſive vitæ habitaculum in rebus. In ſulfure nempe,
ſunt fermenta, fracedines, odores, ſapores

ſpecifici ſeminum, ad quaſvis tranſmutationes.
Mercurius ergo originali labe mendatus, atque
virgo, non ſinit ſe amplius à ſulfuribus, aut ſeminibus
apprehendi, quin hæc confeſtim conſumat,
ac velut conficiat, excepto ſuo compari.
Sunt namque alia ſublunaria, nimis debilia,
ut tanti Mercurium, ſubigant, penetrent, commutent,
aut defœdent. Prout bene in aliis corporibus
contingit, ubi ſemen, quod in ſulfure
deliteſcit, ſe in aquam mittit. Sal vero, & Mercurius
rerum, tanquam ſucci muliebres, ſequuntur
15 ſulfuris conceptus. Non enim aqua
fortis, operatur ſuper metalla, vel Mercurium,
16 niſi intuitu ſulfuris. Spiritus enim ſalis marini,
abſque ſulfuris embryonati alicujus connexione,
ne quidem Mercurium vulgi, ideo diſſolvit.
Solum ergo ſulfur, per adjuncta, proxime
diſſolvitur, atque igne mutatur, quam viciſſitudinem
dein aliæ partes compoſiti tolerant, non
niſi propter ſulfur; Mercurius ergo de Mercurio,
vel in Mercurio, ſoſpes manet, tam ignibus,
quam liquore aëri. Alioqui ſi corroſiva, illum
Mercurium attingeret, forte multorum
labor compenſaretur. Quippe tota radix tranſmutationum,
17 eſt in ſulfure. Alterum ergo ſulfur
metallorum, eſt internum ipſi Mercurio,
ideoque intactum ab omni corroſivo, non minus,
quam à deſtructionibus ignis & aëris. Imo
totalis rerum ruina ſequeretur, ſi omne diſſolvens,
in intimam diſſolvendi radicem penetraret.
Et licet argentum, in Chriſulca diſſolutum,
periiſſe, quatenus aquæforme, videatur: permanet
tamen in priſtina ſui eſſentia. Prout ſal
in aqua ſolutum, ſal eſt, manet, & inde repetitur,
ſine ſalis mutatione. Quod ſane ſic non fieret,
ſi diſſolvens jungeretur diſſolvendo, per minima:
& non ſiſteretur à Mercurio illius concreti.
Ergo interior Mercurii Nucleus, à diſſolventibus
non attingitur, multo minus terebratur.
18 Sed paradoxi novitate perculſi, inſtabunt ignari:
ſi aqua non comprimatur, nec ejus partes
concidant, ſitque aurum, ex ſola aqua, unde
ergo auro, aut plumbo, ſuum pondus? Siquidem
aqua, poros non habet, tota aqua decuplo
majores. Inprimis hoc dubium, ut dubia non
tollit, ita nil arguit contra materiam auri; ex aqua
ſola ſumtam. Siquidem ſi aurum ex quatuor
eſſet elementis proportionatis: ſintque aër
& ignis, levia: ergo, objiciam pariter, unde auro
ſuum pondus? Sin vero ex ſola terra, & aqua,
unde auro ſuum decuplum pondus? Argumentum
igitur quod à ſe non propellit difficultates,
nil premit adverſarios. At cum naturæ
interpretem, paratum eſſe oporteat, ad naturæ
cauſſas inveſtigandas, & reddendas, dicam ex
præmiſſis: Semen auri, poteſtatem habet tranſmutandi
aquam, in hoc aliquid, ab aqua longe
diverſum. Quocirca, naturæ, & rationi conſonum
eſt, quod in tranſmutatione, aqua in ſui
corpore, tantam compreſſionem, concidentiam,
& adunationem ſuſtineat, quantum ſaxa,
vel metalla, aquæ præponderant; quantumque
ſeminis neceſſitas exigit. Vtpote ex nihilo nihil
fit. Pondus ergo, ex alio corpore, tantundem
ponderante, fit. In quo, ut materiæ, ita & totius
eſſentiæ, fit tranſmutatio. Itaque aqua, dum
ſubit leges ſeminis, etiam ſui ponderis, condenſationis,
& concidentiæ, dimenſionum præceptis,
obligatur. Si enim aqua ſpeciei vaporis,
centuplo ſeipſa levior, ſponte evolet, oculos effugiat,
& tamen maneat aqua: quidni dum fit
hoc aliquid, neque formaliter amplius eſt aqua,
etiam denſitates, decuplo majores ſolito, ſuſcipiet?
Vtrobique nimirum, materia proprietates
ſeminum ſequitur. Libertas ergo naturæ, eſt
perpetua, ſponte facere, & pati corporis aquei
compreſſiones, eaſque ullo artificis ductu, nolle
ſubire, imo montes citius everti pulvere pyrio.
Erunt ergo ſedecim aquæ partes, in unius
locum compreſſæ, ubi ex aqua, aurum conſtituitur.
Quocirca tantum abeſt, quod dimenſionum 19
ſit impoſſibilis penetratio, ſi naturæ nil ſit
magis vernaculum, quam corpus aquæ condenſare, 20
enimvero quamvis in aqua appareat,
aliquid tribus primis ſimile, illudque tamen à ſe
invicem divelli, nulla ſit ſpes, eo quod in omnimoda
aquæ ſimplicitate, occultetur adæquatum
quodammodo ſulfur, quod ab aliis nequit ſeparari,
quin ſimul comitentur omnia. Non ſunt
vera tria prima, quæ tantum per phantaſiam abſtracta
ſunt. Aqua igitur, cum utrobique proles,
pro ſeminum ſuorum diverſitate variet; Ita tot
diverſa terrarum, mineralium, ſalium, liquorum,
lapidum, plantarum, animalium, & meteororum
genera, per ſpecies exſurgunt, ab afflatu ſeminum.
Aqua enim in terra fraceſcit, ſuccus
terræ fit, gummi, oleum, reſina, lignum, baccæ,
&c. & quod nuper nil niſi aqua materialiter erat,
jam ardet, & fimum emittit. Non quidem quod 21
fimus ille, ſit aër: ſed vel halitus, vel ſicca exhalatio,
novuſque aquæ fructus, nondum totaliter
ſemine ſui converti deſtitutus. Probatur.
Nam corpus aëris, non poteſt in aëre facere
umbram; Quidquid vero è carbone exhalat, in
Sole facit umbram. Aër enim, cum determinatam,
ac ſuæ ſimplicitati conformem habeat

conſiſtentiam, & craſſitudinem: ſequitur, quod
quidquid aëre denſius eſt, id aër non ſit. Inſuper,
quod per ignis calorem, extenuatum jam
exhalat, aëre adhuc eſt denſius, adeoque ob id
facit umbram: Id ſane longe ſpiſſius fiet in frigore,
22 & in nubibus fiet viſibile; Quæcunque
ergo exhalationes à terra ſurſum ſcandunt, nubibus
junguntur, hactenus etiam nubes fœtent,
non ſecus atque aqua, ſub æquinoctiali: ibique
conſumto concreti ſui fermento, atque ſemine,
in aquam puram vertuntur; non aliter,
quam aqua, poſtquam limites putrefactionis,
quos ſub linea conceperat, evaſit, & ſuperavit.
23 Eſt itaque ros, verna nubes, nondum putida,
24 decidens antequam locum frigoris attingat. Sic
nebula, nubes eſt fœtida, nondum depurata,
per fermenti putrefactionem. Norunt quippe,
quotquot Alpes mecum tranſgreſſi ſunt, quantum
nubes, manu apprehenſæ, fœteant, aqua
vero pluvia inde collecta, quam ſuavis & inſipida
ſit, ac pene incorruptibilis. Etenim dum
quid exhalat, ſive aquæ, ſive olei, ſive fuliginis,
vel exhalationis ſpecie, id ſit; ſemina quidem
concreti, ſecum licet non auferat, ſaltem fermenta
25 ſurſum aſportat, quæ ut plene aboleantur
inde, utque materia reſidua, in aquam remigret,
oportet, quod in culina aëris frigidiſſimi, prius
in ſubtile Gas attollantur, ac tranſeant in aliam
ſuperiorem regionem, & aſſumant conditionem,
ſpecie atomorum minimarum. Vtque fermenta,
ibidem, tam loci frigore, quam atomorum
ſubtilitate, moriantur; velut ſuffocatione,
& extinctione. Eſt quippe frigus, proinde principium,
non quidem vitale: ſed extinctionis.
Quatenus videlicet partes atomorum, adhuc
magis ſubtiliando, ſubdividit, prout ſupra docui.
Adeoque ſub frigore, ligna, velut ac ſi flatu
agitarentur, citius etiam conſumuntur igni.
Qua utique neceſſitate, locus iſte, continuo
frigore, ſemper ab initio alſit. Author quippe
Naturæ, ne ſuæ creaturæ neceſſitatibus, defuiſſe
videatur, ubique deſtinationes aptavit juxta
neceſſitates. Frigus ergo, iſti eſt loco nativum,
atque vernaculum: non autem ex poſtera Antiperiſtaſis
chymera. Materia nimirum fructuum,
eo delata, in ſui primum eſſe, redeat
oportuit, & fermentorum infectiones, ergo
prius amovendæ, per frigoris mortificationes,
ſubdiviſiones, ſubtilitates, penetrationes, ſuffocationes,
26 & extinctiones. Aër ergo, locus
eſt, ubi omnia eo deducta, conſumuntur, & in
priſtinum aquæ elementum, retrocedunt. In
terra ſiquidem & aqua, quamquam corpora ſeminibus
orta, paulatim putreant, inque ſuccum
abeant: non tamen ita propinque, in ſimplicis
aquæ progeniem, ut neque in Gas, rediguntur,
Mox enim in terra, aliam fracedinem, fermentum,
& ſemen hauriunt effœta corpora.
Vnde ad ſecundas nuptias advolant, & in fructus
ſuccedentes, iterum de novo propagantur.
Ignis vero, rerum mors, ſeminibus caret, arbitrio
Artificis ſubditus, ſeminalia cuncta abſumit,
illorum vero conflagrabiles materias, in
Gas traducit. Aſſerit Paracelſus, tria initia, ita 27
in ſingulis principiis unita, ut nulla artis ope,
unum prorſus ab altero liberetur. Salva enim
viri authoritate, contrarium ſuæ aſſertioni, per
vini ſpiritum, in aquam inſipidam converſum,
aſtruxit noſtra mechanica, complectens ſuum
arcanum Samech. Adeoque nec ignorantiam
vir ille prætexere poteſt. Vini nempe ſpiritus,
totus cremabilis, deflegmatus, & oleoſus, ſemper
pro ſui dimidio, in aquam ſimplicem, inſipidam,
& elementalem, tranſit, attactu ſalis tartari.
Iterum idem fit per repetitionem, pro parte
reliqua. Ignoravit nempe vir ille, quidditatem
Gas, (meum ſcil. inventum) frigoris demum
proprietates in aëre; Imo putavit, aquæ
vaporem, plane annihilari. Quæ idiotiſmi ſtupiditas,
tanto Diſtillatori minime eſt connivenda.
Præſertim, quod velit potius elementa, ab
elementis ficticiis, quam tria prima, à tribus primis,
ſeparabilia. Quapropter ex tradita aquæ anatomia,
jam ſat liquet, quod aqua ſimplex, non
ſit cruda; quodque ignis, non demat illi cruditatem,
quam non habet. Quod tota ignis actio,
non fit in aquam, ſed in illud, quod ſibi per accidens
eſt commiſtum. Galenus, Dioſcoridem, 28
verbotenus pro ſuo more exſcribens, volenſque
ſimplicium gradus elementales metiri, id
per linguæ diſcretionem non eſt aggreſſus: adeoque
plus ignis, in miſtionem confluxiſſe, eſt
auguratus, ubi plus acrimoniæ vel amaritudinis
reperiret. Quod Scholæ etiamnum modo
ratum habent, quamquam obſtet amarum opium,
& flammula, concluſo vitro acrimoniam
deponat, ut & hydropiper, atque ſimilia. Quæque
madida urunt, exſiccata autem adſtringunt.
Nec facile viam invenient Galeniſtæ, qua ſubter
cœnum ignem pro hydropipere adducant.
Neſcitum eſt namque in Scholis, proprietates
omnes nedum occultas, quas vocant, ſed &
quaſlibet alias, fluere è gremio ſeminum, quaſque
formales omnes, & ipſæ licet Scholæ vocent.
Ego ſane, quatuor qualitates elementales,
velut externo in rerum cortice, experior, perniciores

niciores ſecundas: Intimas vero, in Archeo immediate
premi. Omnes tamen, eſſe de ſinu ſeminis,
& formarum. Nullam autem de materia
prima, ut neque de elementorum connubio
egredi, utpote ficticiis matribus, ambabus. Verum
quia aqua in vaporem, per frigus delata,
alterius ſortis, quam vapor, per calorem ſuſcitatus;
Ideo paradoxi licentia, in nominis egeſtate,
halitum illum, Gas vocavi, non longe à
29 Chao veterum ſecretum. Sat mihi interim ſciri,
quod Gas, vapore, fuligine, & ſtillatis oleoſitatibus,
longe ſit ſubtilius, quamquam multoties
30 aëre adhuc denſius. Materialiter vero
ipſum Gas, aquam eſſe, fermento concretorum
larvatam adhuc. Porro Paracelſus totus ſerius
fuit, ſeparando quatuor elementa, è terra, aqua,
aëre, & igne, adeoque ex ipſis ſuis elementis,
quam tamen ſeparationem, negat poſſibilem,
ex tribus primis: quaſi tria illa prima, elementis
ſimpliciora, atque priora eſſent. Immemor doctrinæ
multoties ab ipſo repetitæ. Nimirum,
quod corpus unumquodlibet, tribus tantum
conſtet principiis; non autem elementis: Eo
quod elementa non eſſent corpora: ſed loca, &
inanes matrices corporum, ſive principiorum, corporis omnis expertes. Etenim etſi vulgo non credantur, apud nos elementa impolluta, illa tamen ſic vocat Paracelſus, quæ ex pollutis docet ſequeſtrari per artem. Recipit autem ejus deſcriptio, aërem uno vitro, aquam communem in alio, terram vero ſive horti, ſive agri, in tertio, ac tandem ignis flammam in quarto. Vaſa autem claudit ſigillo Hermetis, liquatione colli. Et continuo aquam bullire, per menſem ſuo vaſe. Quaſi id poſſibile foret, & non diſſiliret vitrum citius. maxime, quod jubeat aquam, ad ſummum vaſis labrum, abſque aëre claudi (vitrumque cum aqua ſcilicet liquari) denique flammam, vitro concipit, momentoque quo deſinit; non ignis amplius: ſed fuligo eſt aerea: Nec ignis eſt ſubſtantia. Denique nec ignis, uſque in clauſulam vaſis detineri poteſt. Alibi, ignis elementum negat præter cœlum; nunc vero rei combuſtæ Gas, ignem vocat. Haſque ſuas nugas, ad magni momenti cauſas exaltat, quas tamen nominare non eſt auſus. Quia anxius ſua ſomnia mundo extruſit, ſub ſpe, inde nomen Monarchæ Arcanorum promerendi.

GAS AQVÆ.

1. GAs aqua differt à vapore. 2. Demonſtratio à Creatione. 3. Aërem in Geneſi, deſignari per Cœlum. 4. In firmamento eſt operativum principium diviſionis aquarum. 5. Poteſtates ſeparatrices aquarum, in aëre. 6. Hiſtoria halitus. 7. Differt Gas ab exhalatione veterum. 8. Suppoſitio principiorum. 9. Modus fiendi in vapore. 10. Gas aqua. 11. Exemplum in auro. 12. Gas aqua oſtenditur Tyroni. 13. Incruſtatio aqua. 14. Alpium calor magnus, tamen inſenſilis. 15. Frigus, non eſſe caloris abſentiam, aut privationem. 16. Cur Gas ſit inviſibile. 17. Cur ſtella nictent. 18. Vnde Cœlo color Lazureus. 19. Aër ignorat motum raptus. 20. Super omnes nubes, non caret aër omni motu. 21. Qualis iſti loco ſit tranquillitas. 22. Gas, meteori mater. 23. Gas, & Blas, totam ſtatuunt meteori rempub. 24. Sol calet per ſe. 25. Peroledi aëris, valva Cœli. 26. Quare venti quidam laterales, alii vero perpendiculares. 27. Vnde aëris Blas concitetur originaliter. 28. Amba cauſa cujuſlibet meteori. 29. Aqua eadem modo, qua ab initio. 30. Stabilitas Peroledo tranquillo, unde. 31. Probantur Peroledi. 32. Objectionis ſolutio. 33. Aqua occaſionaliter à ſeipſa glaciatur, non autem effective à frigore. 34. Cur glacies ſit levior aqua. 35. Proportio levitatis in glacie, per mechanicam. 36. Conſtantia, & ſimplicitas aqua. 37. Entia qualibet, quodammodo ſentire. 38. Vapor facilius redit in aquam, quam Gas. 39. Mutatio in vaporem, reſpectu Separatoris aëris, eſt obliqua. 40. Aër eſt ſiccus, & frigidus per ſe. 41. In corpore elementato, non eſt ſimplex, & omnimoda homogeneitas. 42. Extenuatio ſulfuris aqua, dat lenitatem glaciei: non autem peregrini in aëris immiſtio. 43. In patiente differt reactio, à renitentia. 44. Per 17 rationes probatur, aërem in aquam, aut viciſſim nunquam tranſmutari.

GAs, & Blas nova quidem ſunt nomina, à me introducta, eo quod
illorum cognitio veteribus fuerit ignota: Attamen inter initia
phyſica, Gas & Blas, neceſſarium locum obtinent. Igitur, hoc paradoxum
amplius dilatandum eſt. Ac primo, 1
quo pacto, ex aqua, Gas fiat, & quam ſit alius
modus ab illo, quo calor aquam in vaporem elevat.
Itemque quo pacto hæc contingunt, ex
aquæ anatomia ſciendum eſt. Repetam ergo. 2
Deum ter glorioſum, in principio, creaſſe cœlum
& terram, & abyſſum aquarum. Abyſſus autem
incipiebat à concavo Cœli, & terminabatur
ſuper globulum terræ. Nil ibi legitur de creatione
aëris: qui tamen corpus eſt, & in ele-

mentum creatus; non quidem poſt ſex dierum
creationem, ut repleret locum, ubi aër nunc
3 eſt. Itaque Cœlum aërem deſignat, eſtque Cœ-
lorum materia, alias hactenus incognita. Dein
creavit Æternus firmamentum, ut ſepararet a-
quas, quæ ſub ſe manere debebant, ab iis quæ
4 ſupra ſe manſuræ erant. Non erat autem fir-
mamentum, velut cataracta aut tanquam otio-
ſum interſtitium aquarum: ſed potius operati-
vum illius ſeparationis principium. Prout Sol,
non eſt interſtitium inter diem, & noctem; li-
cet ſit factus, ut ſeparet diem à nocte: ſed Sol
eſt ipſius diei factor. Cœlum ergo, ſive aër,
eſt conſtitutus ſeparator aquarum, duraturus,
quamdiu ipſemet mundus. Cujus ergo duas
5 obtinuit inſignes poteſtates. Excelſum nem-
pe frigus, eique proportionatam ſiccitatem.
Habet quidem ingentia in ſe lumina, quæ in eo
volvuntur, quæque ingenitum frigus, utcun-
que mitigent; non tamen aër deficit ab eo mu-
nere Separatoris. Et qua parte ejuſmodi ſepa-
ratio contingere debebat (quæ nobis eſt vici-
na) nulla prorſus ſunt lumina; imo nec etiam
6 multum eminus. Quo propius autem aër ille,
Beatorum cœnacula attingit, pluribus ſcatet
luminibus. Sic ſe habet aëris diſpoſitio. Nunc
vero halitus hiſtoriam aggrediar. Qui vapo-
rem, ſimul & Gas continet, adeoque conten-
7 tum aëris, eſt examinandum. Nec eſt enim
Gas ſiccum, & oleoſum corpus, quod exhala-
tionem veteres dixere: ſed complectitur inſu-
per & aqueum aliud, præter vapores, unde me-
teorôn corpus, modus, & progreſſus cogno-
8 ſcentur. Conſidero corpus Aquæ, continere e-
lementalem ſibi, atque genialem Mercurium,
liquidum, atque ſimpliciſſimum: ſalem deni-
que inſipidum, æque ſimplicem. Quæ ambo,
intra ſe amplectuntur uniforme, homoge-
neum, ſimplex, & inſeparabile ſulfur. Hæc ſup-
pono, prout Aſtronomi ſuos excentricos, ut
intelligendi imbecillitati noſtræ, eatur obviam.
9 Sal igitur aquæ, ut à minimo tepore movetur,
& caleſcit, caloris impatiens, illico in altum,
tanquam ad quietis atque refrigerii locum,
ſcandit, cum proportionata Mercurii ſui parte.
Atque eatenus & ſulfur, ab ambobus inſepara-
bile, comitari debet. Tria ſic connexa, ſunt
vapor, qui in aërem deductus tepidum, pro-
pter eaſdem rationes, feſtinat aſcendere, do-
nec refrigerii loca, à Creatore parata, attigerit.
Quo jam perductus vapor, ſtatim infeſto ſibi
calore depoſito, ſal fugæ ſuæ velut pœnitens,
optaret ſuo in Mercurio rurſus reſolutionem
accipere, ac in priſtinum aquæ ſtatum redire.
Sed obſtat excelſum, infeſtumque loci frigus.
Cujus occaſione, Mercurius aquæ, ſic congla- 10
ciatur, ut ad reſolutionem ſui ſalis ſit inhabilis.
Quapropter ſtatim vapor ille in Gas mutatur,
& Gas ſpecie, ſuſpenſus, vagatur. Adeo ut niſi
frigus, ſulfur aquæ, in cortice exſiccaret, & ha-
ctenus divideret, quamprimum vapor omnis
(prout in noſtris vitreis vaſis) atque nubes, qua-
tenus aëre gravior, deorſum rueret. Hinc vide-
mus, vaporibus ſubinde extra metam delapſis
(uti mox à magnis frigoribus, ubi auſter inopi-
nus afflat) deglaciato aquæ Mercurio, ſalem de-
nuo facile reſolvi, intra ſuum Mercurium. Fri-
goris nempe & caloris importunitates, impe-
rant aquæ initiis, ut intro, vel extra vertantur.
Sic nempe pluviæ minores, & ros, minimis a-
tomis decidunt, quaſi deſcendentes, ac reſolu-
ti vapores. Non eſt itaque nova, ac ſubſtantia-
lis generatio, dum ex aqua vapor elevatur, cum
ſit tantum extenuatio, propter partium extra-
verſionem. Vt neque etiam, dum Mercurius
aquæ, reſolvit ſalem, quem intra ſe rurſus clau-
dit, & in pluviam mutatur. Quæ non eſt, niſi
priorum atomorum, aquæ reſolutio, & coadu-
natio in guttas majores. Non intercedit enim
eſſentiæ mutatio, ubi ſola eſt localis diviſio, &
partium extraverſio. Per exemplum. Aurum fla- 11
vum, & malleabile, non mutat eſſentiam, dum
per aquam regiam ſolutum, colorem ferreæ ru-
biginis habet, neque dum in Chryſulca nigre-
ſcit, & in minimum pulverem, comminutum
eſt. Porro ut Gas cognoſcas; Primo meditare, 12
aërem eſſe ſeparatorem, denique in ſui radice
ſimplicem, ita ſimpliciter frigidum, & ſiccum.
Cum igitur calor, & frigus, ſint activiora hu-
miditate, & ſiccitate: Ideo Mercurii humidi-
tas, primum patitur ab aëris frigiditate: cum-
que Mercurius, & ſal aquæ, ſuo ſint ſulfure fri-
gidiora, ideo ab aëris frigiditate, celerius affi-
ciuntur, ac primo quidem Mercurius, quia duo-
rum ſociorum frigidiſſimus. Atqui cum unum-
quodque optet manere, ſive mutatione viciſſi-
tudinum, in quiete, & oporteat elementa, ſive
deſtructione manere; Ideo Mercurius, & ſal a-
quæ, properant ſeipſos cuſtodire ab aëris frigo-
re. Sicque condenſant, loricant, atque glacie ſei- 13
pſos incruſtant, ut magis reſiſtant in ſoliditate,
qui alias in Gas mutati attolluntur (proprium eſt
quippe aëri ſemper, aquas ab aquis ſeparare)
vel alias retardant iſtam mutationem, & fu-
gam. Quod ſi vero aqua, agitata non glaciatur:
tum frigus, & ſiccitas aëris, tria prima aquæ ap-

prehendunt, ſic ut Mercurius aquæ fiat incapax
reſolvendo ſali, in ſua humiditate. Adeoque
ſal, ſub frigore quodammodo grumeſcit, in
Mercurio, & ſulfure. Ita quod ſulfur, cæteris
duobus ſiccius, etiam facilius à frigiditate, quam
ſocii, patiatur, magiſque à ſiccitate aëris, quam
ejus frigiditate. Quocirca dilatatur ſulfur, in minimas
partes, quarum ſingularum Mercurii,
& ſales grumefacti, exponunt extrinſecè ſuum
ſulfur, ut ab aeris ſiccitate toleret. Quocirca
cum ſulfur, ſit æquale, amborum alterutro, neceſſe
eſt, duo reliqua dividi, atque dilatari, ad
menſuram ſulfuris. Vnde facillimo negotio
quoque, frigore aëris, Mercurius cum ſale aquæ
glaciantur intra ſulfur. Quapropter cum ſal &
Mercurius, humectando ſulfuri ſint inidonei,
neceſſariò in Gas mutantur pariter, ac magis
magiſque ſubtiliata, ſubdividuntur in extremam
& poſſibilem elementi ſubtilitatem uſque.
Gas ergo, non ſubſtantia, aut eſſentia: ſed alteratione
tenus, duntaxat variat. In vapore enim,
ſal caloris impatiens, cum Mercurio aſſurgit,
habentque ſibi ſulfur incluſum. Et Gas,
ſulfur aquæ extra vertit, exſiccat, atque ſubdividit.
Vapor enim, dum locum refrigerii attingit,
plerumque nubis ſpecie oberrat ſemicongelatus,
nec aſcendit: ſed adveniente frigore
brumæ, cum jam illa aëris regio, ſupra modum
inalgeſcit, mox aër ſerenus fit, nubes diſparent,
& in Gas mutantur. In montibus Helvetiæ, &
Sabaudiæ nubes ſub pedibus fluctant, per earum
foramina, mundum deorſum aſpicimus, propter
frigus loci immane: quidquid verò ſupra
nubes eſt, ſine nube eſt, quia totus ille halitus,
paulatim in Gas extenuatur, & videri deſinit.
Sol quidem ea parte (niſi ningat) ſerenus ſplendet:
ſed calor ejus non eſt perceptibilis, licet viderim
14 ſodalem, in latere, quo Solis radii illum
directè, toto ſemiſſe diei ferierant, vultum &
cervicem ambuſſiſſe, non ſecus atque ſi cantharides
applicuiſſet. Idque ſine caloris & doloris
ſenſu. Neque enim hoc fit ob nimiam aëris, &
caloris ſubtilitatem. Siquidem caloris gradus,
non autem ſubtilitas, aut puritas urunt. Imo
corpus denſius, ut ferrum, carbone rariore,
ferventius urit. Multoque minus, propter reflexionem
radiorum: Siquidem urebatur parte,
qua Sol, non autem adverſa qua montis reflexio,
feriebat. Frigus enim loci, facit, quo
15 minus, Solis calor ſentiatur. Hinc nimirum
conſtat, frigus non eſſe meram caloris abſentiam,
ſive privationem, aut non ens. Siquidem
hic utrumque ſtat, operatur ſimul, diſtinctim,
& quidem gradu intenſo. Facitque aërem, ſui
contemperatione, totius fere mundi ſuaviſſimum.
Nix tamen in monte non liquatur illo
Solis ardore. Eo quod frigus nivis, & loci ſimul
adæquata ſunt calori Solis. Quanto autem homo
nive eſt calidior, tanto nimirum ardor Solis
ſuperat, atque potenter urit, eo quod humanus
tepor, loci frigus fere totum excludat, Soliſque
ardor pene ſolitarius agat. Dum halitus, & nubes, 16
Gas fiunt, ſubtiliantur, ac quo ſubtiliores,
eo quoque altius ſubdividendo ſcandunt, magiſque
viſum fugiunt. Alioquin enim Sol, ob
nubium multitudinem, ac denſitatem, nunquam
nobis luceret, multoque minus terram
calefaceret. Nictant ideo ſtellæ, totumque cœlum,
coloris expers, ſplendidum: Lazureum 17
tamen refert. Nam quamquam Gas ſubtiliſſimum,
& inviſibile ſit in ſuo corpore: quia verò
adhuc ab aëris omnimoda diſtat perſpicuitate,
ideo in tanta ſui profunditate, cœruleum colorem
mentitur. Gas enim, quod prima ſui 18
diviſione, umbram dare dixi, in ſubdiviſionibus
mille ſui non apparet, niſi in multa quod
profunditate, ſaltem colorem præfatum referat.
Frivolum quoque, aërem, raptu primi
mobilis ferri. Quia nubes ventorum ductum 19
ſequuntur. Ventorum autem motus ſunt irregulares,
eo quod ſint Blas ſtellarum; non
autem motus orbium. Quinetiam longè ſupra
nives, aër pene immotus eſt. Mercator ſiquidem 20
Belga, in Canariis montem aſcendit,
qui hodie exiſtimatur totius orbis altiſſimus.
Erat autem conductor unus, duo heri,
totidem famuli, Cameli 5. quorum unus annonæ,
& pabulo deſtinatus. Menſe Iunio, ac multo
mane aſcenderunt. Vix autem per horam
iverant, cum frigus offenderent, ac tota die,
conqueſti ſunt, quod ſub noctem eſſet ita inſolitum,
ut veſtes augere debuerint. Tertio mane,
tribus ab ortu Solis, circiter horis, ad montis
faſtigium eſt perventum. Ibi enim arena,
veſtigia camelorum, ante annum impreſſa,
tanquam recentia, & nomina quorundam, humi
inſcripta, velut heſterno digito. Præter
enim aërem longe ſuaviſſimum, nullum repererunt
vegetabile, ob defectum pluviarum. Igitur
feſtinarunt deſcendere, Camelis toto quintiduo
nil quieſcentibus, excepto tantillo, quo
pabulum ſumerent. Totum autem triduo,
forte Italicis milliaribus quindecim, ab horizonte
diſtabant. At quanquam hæc tranquilli
aëris regio, tempeſtates ventorum, non ita
ſentiret, verumtamen ſuavem auram fluentem,

& Blas alterativum habere eſt neceſſe, nedum, quia diem & noctem, frigus atque calorem patitur: ſed & ſtellarum Blas tranſmittit, Gas inferum admittit. aliaque inde conſequentia patitur. Et ut iſta regio, ſtellarum tranſmittit alterationes ita & concipit, atque participat. Sol enim (idem eſto judicium de aliis ſtellis) non poteſt non calere, qui in frigidiſſimis montibus urit veſicas, huncque diurnis horis calorem ibidem eſſe, requiritur. Quippe & hoc fervore, nox illic caret. Iſtas igitur ibidem viciſſitudines, hoſpitari eſt neceſſe. Eodem modo & ſtellarum radii, plenis viribus, vaſtam aëris monarchiam tranſmeant, & illa, ſuas alteritates ſeminant. Neque enim, etſi proprios effectus non producant, niſi in termino ſcopi, in quem diriguntur ad uſum mortalium: non deſinunt tamen, per metas, qua tranſeunt, aërem alterando, imbuere ſuis impreſſionibus. Magiſque adhuc, quod hac in parte ſint Cœlorum cataractæ. Id eſt. In immenſo aëris tranquilli ſpatio ipſomet, eſt Gas aquæ, quod exquiſitiſſima ſub diviſionis ſubtiliatione, multoties recuſum, atque ſubdiviſum eſt, per frigora, per quæ tranſivit. Hoc Gas ſaltem nunquam ſponte in aquam priſtinam rediret, nec deſcenderet ad loca frigidiſſima, per quæ ſurſum ſcandendo evaſit, niſi Blas ſtellarum ſuperum, deſcenſum cogeret.

21 Adeoque non eſt tranquilli aëris regio, viciſſitudinum expers, niſi quod pluvia, ibi ſolum humectet, nec ventorum turbo commovendis undis ſerviat. Etenim cum Gas, quod in ſe cuſtodit, jam ad tantam ſui ſubtilitatem ſit redactum, atque ſinguli ejus atomi, velut fervoribus aſſati, in exteriore ſulfuris ſuperficie, nequeunt ſanè in pluviam redire, niſi vento ſuavi, deſcendant ad mediam regionem, ubi coagulandi initia, ſub tepido auræ afflatu reaſſumunt. Oppoſita nempe alteratio quædam illi, à quo Gas abiit, debet Gas in aquam reducere. Tepor nempe ſuavis, in aëre tranquillo, atomos Gas decidere facit, ſuo ſulfure contectos, qui velut pelle diſrupta, aut vitri inſtar, à tepido, in frigus repente delati frangitur; Atque ſic Mercurius aquæ, ſalem ſuum reſolvit, ad cujus reſolutionem, ipſum ſulfur liquatur in priſtinam aquam.

22 Eſtque ejuſmodi corporis aquæ inverſio, & per frigoris examen, tortura iſta, neceſſaria, ut omnis prorſus fermenti vis, è nubibus tollatur. Alias namque, multa corruptio, multuſque nebularum fœtor, mortales mox deleret. Vt in liquato argento, minutulæ atomi auri, ad fundum labuntur: ſic ſidunt atomi Gas, labendoque increſcunt, quæ alias præ frigore aëris, infirmæ rurſus attolluntur, niſi propitius tepor, loco frigidiſſimo ſubinde obſtaret. Sic nimirum pluviæ, imbres, nimbi, ſic grando, nix, nebula & pruina, pro alteratione, per accidens, à Blas tam motivo, quam alterativo, locis frigidiſſimis, oborta. Adeoque Gas, & Blas, totam rempubl. meteori, in colonias diviſere.

23 Saltem ex citatis exemplis didici, Solem non per Accidens, ſed per ſe, atque immediate fervere.

24 Caloremque ipſi tam intimum, atque proprium eſſe, quam eſt ipſi ſua lux. Habet ergo aër ſuos, non minus quam terra, fundos, quos Adepti vocant Peroledos.

25 Inviſibile itaque Gas, variis aëris ſtratis hoſpitatur, ſi aquæ ſua ſint barathra, ſuæ voragines, ſuæ portæ ſunt in Peroledis, quas periti Cataractas Cœli, & valvas dixere. Neque enim Gas, ex profunditate Cœli, decidens in locum nubium, ſine directore Blas fertur. Imo non niſi per ſtratas, atque ordinatas valvas decidit.

26 Planetis nempe non promiſcue omnes valvæ patent: ſed ſinguli per ſuum Blas clavigeri ſunt ſui Peroledi. Quod Aſtrologis meteororum indiciariis exanimandum ſuppono, & ſpondeo divitem ſupellectilem inventuros. Sic nempe venti, quandoque perpendiculariter deorſum properant, terramque feriunt, alias vero lateraliter valvas egrediuntur, ædes, & arbores diruunt, ut etiam miſerandam navigiis cladem inferunt. Tepidior autem aura, ventum ex profundo aëris venturum, ac Gas, ſecum deorſum ducturum, Blas Cœli prænunciat. Vnde Gas, mox in vaporem rurſus reſolvitur, ac dein in pluviam. Nubes ſcilicet tunc apparent, non dudum ante, quæ ad nullum mundi angulum ſpectabantur. Eo quod ex profundo aëris ſuperni, deorſum delabatur inviſibile Gas, quod in vapores, atque inde guttatim concreſcit. Iſta nempe eſt deſtinatio aëris, ut continuo aquas ab aquis ſeparet. At quandoquidem una pars aquæ, ad minimum in centuplum ſuæ dimenſionis extenditur dum halitus fit, tantoque ſubtilior, quo ejus Gas minutius ſubdividitur, ſitque is ordo, atque ea lex univerſi, ut ſingula, ad neceſſitatem humanam, & mundi conſervationem ferantur.

27 Hactenus nimirum gravia ſurſum tendant, atque levia deorſum trahantur: Hinc mihi viſum fuit, Blas ſtellarum, in pluviam cieri, atque in ſerenitates, aliaſque tempeſtates ferri: quoties pluralitates ipſius Gas, in Peroledo aëris tranquillo, propemodum ſuffocationes, nimiaſque in aëre compreſſiones, minari videtur. Non ſum tamen

adeo de cauſis occaſionalibus meteori anxius,
ſat mihi noviſſe, halitum, infernè ſurgentem,
nimirum vaporem, & Gas, eſſe cauſam mate-
28 rialem omnis meteori. Cauſam effectricem,
ſufficit Blas noviſſe, authoritate Sacrorum. *Erunt
vobis ſtellæ in tempora, dies, & annos.* Hæc igi-
tur eſt aquæ irrequieta deſtinatio, ut continuo,
ſurſum atque deorſum pergendo, non ſecus at-
que venti, inordinato, ac irregulari motu, Blas
29 ſuo ſtellarum reſpondeant. Sicque eadem, &
non imminuta aqua quæ ab initio univerſi, ex-
ſtitit, eſt; eritque in ejus finem. Cæterum me-
ditor Peroledos aëris, tanquam lagenas ſtella-
rum, per quas ſuum Blas, trans determinata ſal-
tem loca, explicant, ad uſus, & alteritates tem-
porum requiſitum. Maximeque quod ſuperior,
ac ferè tranquillus Peroledus, cauſam contineat,
quare ſint venti, fructus, rores, maximeque
30 provincialia. Etenim cum ventus ſit fluens aër,
adeoque inſtabilitatem in ſe habeat, neceſſe eſt
in Peroledo tranquilliori, cauſam ſtabilitatis lo-
calem invenire. Valvæ ergo, ſunt in Peroledo,
clauſæ, vel patentes, juxta Blas ſtellarum cui pa-
rent. Nec mirum, eſſe limites, ſive terminos
inviſibiles in aëre, tantæ potentiæ, & molis co-
hibitivos; nam viſibilis mundus, vix alteram
rerum, & minimam poteſtatum rempubl. con-
31 tinet. Quis namque neget ſub ſaxo Scotiæ, quod
vix 12 pedes latum, altumque 30 non eſſe Pe-
roledi aliquam diviſionem (ut interim de linea
Æquinoctiali, ejuſque proprietatibus miris ſi-
leam) tormento bellico exploſo, uno latere, ne
quicquam toni, aut tremoris, altero ſaxi (quod
ideo mutum vocatur) latere, ſubaudiri? Sic
quoque valvas, ſive januas Peroledorum, in
aëre, neceſſe eſt conſiderare laterales, eo quod
venti plerumque laterali motu egreſſi, confor-
miter quoque à Blas ſtellarum ferantur, in tranſ-
32 verſum ſuorum terminorum. Ex præfata do-
ctrina Gas, tandem mihi objicio. Si aqua à fri-
gore glaciatur, in nives, grandinem, atque gla-
ciem: ergo aqua non diſſolvetur à frigore, in
Gas: ſi uniformis agentis & patientis, eadem
debeat eſſe actio, atque effectus. Vbi ſerio no-
tandum. Quod aqua ſeipſam glaciet; non au-
tem glacietur efficienter ab alio. frigus enim
etſi congelare hactenus putetur, id tantum eſt
33 occaſionaliter, non effectivè. Aqua ergo, ſenſu
ſui modi, percipit frigus aëris, non quidem ca-
loris aliquam nudam abſentiam, aut privatio-
nem (prout ante jam demonſtravi per exem-
plum, in Helvetia ordinarium) ſed ut cauſam,
in naturali qualitate poſitivam. Siquidem in-
primis, eſt indubium, & viſu conſtat, quod aër
frigidus, ſenſim conſumat aquam, nivem &
glaciem: has duas tamen ſegnius: illam vero
ocius. Denique obvium eſt, quod quidquid ſic
ſuffuratur aër, id ſtatim eo ipſo in Gas inviſibile
transferat. Si ergo frigus aëris induraret aquam
in glaciem, ceſſaret etiam continuo ulterior
aëris actio, facta jam glacie: ſed Conſequens eſt
falſum: ergo & Antecedens. Nam ſulfur aquæ,
à frigore, facilè areſcit, & dividitur, quocirca
Mercurius, & ſal aquæ, ſentientes gelu aëris, vo-
lentis ſeparare aquas ab aquis, & quod deberent
tolerare extenſionem, & exſiccationem ſui ſul-
furis, adeoque omnimo violentam impreſſio-
nem Separatoris, deſiderentque manere ut ſunt.
Hinc tota aqua ſimul, ſe per cruſtam loricat, ut
Separatori reſiſtat. Quod quidem perficere non
valet, quin & in glacie, jam aliqua ſulfuris pars,
extenuationem ſui, ſit paſſa: adeoque & hacte-
nus glacies, aquæ ſupernatat. Quod autem ſul- 34
fur aquæ, in glacie, licet extenuatum ſit, non
tamen aquæ naturam depoſuerit. Probatur per
mechanicam. Imple lagenam vitream & ma- 35
gnam, fruſtis glaciei, collum vero claudatur
ſigillo Hermetis, id eſt, per vitri ibidem liqua-
tionem. Ponatur hæc tum lagena, in bilance,
adjecto pondere, in oppoſitum, & videbis quod
propemodum octava ſui parte, aqua, poſt reſo-
lutam glaciem, erit ponderoſior ſeipſa glacie.
Quod cum milleſies ex eadem aqua fieri poſſit,
reſervante ſemper idem pondus, dici non pot-
eſt, quod ejus pars aliqua in aërem ſit verſa. Ita 36
nempe eſt elementorum perennitas, & con-
ſtantia, ut, quamquam aqua in vaporem, in Gas,
in glaciem, imo in corpora concreta abeat; ma-
terialiter tamen ſemper maneat priſtina aqua,
alibi fermentis, atque ſeminibus ſupervenienti-
bus larvata, atque alias, ſolis primarum qualita-
tum importunitatibus, in Relolleo Paracelſi,
id eſt, abſque ſemine, variatis. Ex prædictis au-
tem oriuntur aliquod notabilia. 1. Quod aqua
aliqualem ſenſum habeat, & electionem, adeo-
que omnia entia quodammodo vitam partici- 37
pent. Regem cui omnia vivunt, venite adore-
mus. 2. Quandoquidem aqua, ſe non incruſtat
in vaporis fabrica; vaporem ideo tam in cauſa,
quam modo, eſſe gratiorem aquæ, quam ſit Gas.
Atque id in aqua, arguat aliquid electioni ſimile.
3. Quodque ideo vapor, propinquius in aquam 38
redeat, quam in Gas. 4. Quod mutatio aquæ 39
in vaporem, ſit Separatoris reſpectu, obliqua, ac
velut per accidens: Gas vero conſiſtat ex pro-
pria aëris deſtinatione, qua aër ſeparat aquas ab
aquis.

aquis. 5. Quod aër ſit longe frigidior in ſe,
quam aqua. 6. Quod ſit ſiccus per ſe. 7. Quod
unitas, ſive connexio integralium, ſit naturæ
tam grata, quantum eſt oppoſitis earundem diviſio.
41 8. Quod fabrica Gas, afferet aliud intimum
aquæ principium (cum non habeat initium
compoſitivum) ſive partem heterogeneitatis
aliquantillæ cauſam, quam quæ in vaporis
ortu à calore attingitur. 9. Quod creata ſingula,
quo ſimpliciora, eo magis ſunt homogenea:
omnimodam tamen homogeneitatem ſimpliciſſimam
42 non reperiri in corporibus. 10. Quod
ſulfur aquæ, in glacie extenuatum, ſit cauſa lenitatis
in congelatis, non autem aëris peregrini
incluſio. Quippe ſemper & ubique aqua excludit
aëris connubium. 11. Quod frigus, & ſiccitas
aëris, nil aliud poſſint in aquam, quam ejus
ſulfur extenuare. Ipſa autem congelatio, ſive
induratio, ſit actio aquæ propria, qua impedimentum
ponit Separatori. 12. Quod aër agat
ſuper aquam, abſque hujus reactione, & aëris
paſſione. Cum ſit Separator aquarum divino
jure conſtitutus. 13. Quod etiam in naturalibus
inſenſitivis, differat reactio, à renitentia.
Siquidem aquæ nulla eſt reactio in aërem, & tamen
43 aqua ſit cum renitentia. 14. Scholas erraſſe,
quod omnem actionem naturæ dictaverint
cum patientis reactione, & paſſione agentis,
fieri. 15. Impoſſibilem eſſe tranſmutationem
44 Gas, in aërem. 1. Nam alioquin aër in immenſum
creſceret ſemper, & per conſequens, omnis
aqua jam dudum deſiiſſet. 2. Quippe præterquam
quod alibi demonſtraverim, aerem nullo
modo iterum in aquam redire poſſe, ex præfatis
jam ſatis liquet idem. 3. Siquidem aquæ proprium
eſt, pati ab aëre, & non viciſſim in aërem
reagere. Ergo aër, ſemel ab aqua factus, ſemper
maneret aër: cum deſit agens reciprocum,
quod aërem in aquam tranſmutet. 4. Aërem
vero, per ſe in aquam redire, pugnat cum generali
axiomate. Quod unumquodque, quantum
eſt in ſe, deſideret manere in eſſe. 5. Præcipue,
quod aër careat in ſe, principio ſui diſſolutivo,
ex carie, & alteritate partium, cauſato. 6. Si aër
unquam fieret aqua: Id præcipue eſſet, dum aër
infra aquam premitur. Et, ſi aqua foret actio
aquæ, in illum tunc maxime ſuum ſortiretur
effectum. Imple ergo lagenam vitream ad dimidium,
aqua, ejuſque os ſubere, ne quid exſpiret,
claudito, tum fortiter milleſies concute
vas ſurſum, deorſum, ut omnis aqua velut in
bullas ſpumeſcat. Tandem utut labores, non
invenies, aërem in aquam aut viciſſim abiiſſe.

7. Si ergo aqua aërem in ſe non mutet: agens alioqui naturale ad hoc agat, ut patiens reddat ſibi ſimile: non eſt aliud deinceps, per quod aër fiat aqua. Vbi quaſi per parentheſin notandum venit, Prædictum axioma ſuam amittere univerſalitatem, & veritatem, nedum in elementis, ubi contingit actio in invicem mutua, ſine optatu mutandi unum in ſe: ſed & in Cœlis: Imo & in concretis plurimis. Neque enim Mercurius, tota, atque indiviſibili ſui ſubſtantia, ideo pediculos necat, ut ſui reddat ſimiles. Sic neque ſuccinum trahit paleas, ut inde ſuccinum faciat. Stramineo ergo argumento, cadit axioma Scholarum, quod alias levi vento difflatur. 8. Si enim aër in aquam mutaretur, id potiſſimum contingeret, ubi duo iſta elementa, in minimis partibus ſibi commiſcentur, id eſt enim in nubibus. Atqui in nubibus hoc non fit: Quia quacunque loco, gradu, modo, & qualitate, aer aquæ ſuperficiem attigerit, ſemper aqua ab aëre minuitur, neutiquam unquam augetur. Nulla eſt igitur actio aquæ in aërem: nam ſi qua eſſet, ea eſſet in ſuperficie concava aëris, ubi vis elementi aquæ, reſidentis in loco nativo, eſt robuſtiſſima, maximeque conjuncta: ſed ibi aër conſumit aquam; quia dividit in vaporem: Ergo aër in aquam non abit unquam. 10. Cum igitur nullum elementum, in ſe, habeat radicem, per quam, velut tædio affectum, ſeipſum tranſmutet in aliud: omnis ſiquidem tranſmutatio, aliunde à dualitate procedit, non autem ſpontanea eſt in elemento libido, moriendi, & in aliud convertendi, deeſtque appetitus, deſtinatio, & neceſſitas ſe augendi, alendi, permutandi, aut naturam, in qua à Deo eſt creatum, mutandi. 11. Vana eſt igitur lucta elementorum commiſtio in concretis corporibus; nugaxque tranſmutatio unius in aliud. cum nullum elementorum, ab alio, neque à ſeipſo, in tranſmigrationem ſui eſſe, ſollicitetur. Quocirca primus mecum concluſi, Aquam, & Aërem, eſſe elementa primaria, neque retrogreſſum unquam facere poſſe. 12. Non voluit enim benedictus Naturæ Parens, quod elementa hoſtiliter eſſent oppoſita & appoſita, mutuam perniciem, & voracitatem perpetuo anhelarent, totieſque fierent, deficerent, & cum totidem quotidie formalibus privationibus interjectis, reſurgerent ab interitu, ad priſtinum, ſine medii ſimplicioris interceſſione. Quod medium ſanè alioquin optaretur, tam aëris, quam aquæ particeps, deberetque eſſe tamen horum neutrum. 13. Idcirco Sacra, aërem Separatorem: non autem deſtructorem,

ctorem, vel annihilatorem aquarum nominant. Nec fas eſt, aërem ad alia traduxiſſe numina, quam quæ ipſi ſunt à rerum opifice, atque Domino injuncta. 14. Finaliter, rarefactio, aut condenſatio, formam eſſentialem aquæ non mutant: quia ſunt diſpoſitiones materiales, Archeo deſtitutæ. 15. Porro, ſi aqua, arrepto fermento, ac ſemine, in corpus concretum tranſmutatur. Id tamen elementali privilegio ipſi eſt perpetuum, ut nec proinde aquæ elementalis materiam unquam deponat. 16. Seminibus quidem conceſſum eſt, ex aqua, ſua fingere concreta, ſuamque tragœdiam per formarum defluxum ad interitum ludere. At non proinde formæ concretorum, aquæ ſimplicitatem, & formæ ſuæ identitatem deſtruunt. Multo minus, quam anima ſuperveniens, formam carnis deſtruit. 17. Compatiuntur nempe ſubordinatæ formæ, ſe invicem ubique in concretis. Ergo multo magis forma concreti, elementi ſui formam, compatitur intactam. Poſtremo. Quamquam Aër ſumma ſua frigiditate aquam in Gas mutet, nunquam tamen deſiſtit ab officio Separatoris aquarum. Adeo ut ſi ejus frigus compeſcatur, ſua ſaltem ſiccitate, non deſinat vaporem, ex aqua ſuſcitare. Inceſſata nempe eſt actio Cœlorum in ſuo rotatu, aëris demum & aquæ obedientia continua, imo ſeminalium omnium, eſt interruptum agendo filum. Creata nimirum perpetim reſpiciunt voluntatem ſui Creatoris, quam ſolus homo negligit.

BLAS METEORON.

1. *QVid Blas.* 2. *Stella blas, per localem motum, quam per lumen operatur anguſtius.* 3. *Blas motivum ſtellarum quid.* 4. *Ventus quid, & unde moveatur.* 5. *Stellas pro nobis factas.* 6. *Diverſa activitates in Blas.* 7. *Stellarum activitates, deferri per Blas, executivum motuum.* 8. *Paracelſi error.* 9. *Duo luminaria magna operantur ſuas proprietates.* 10. *Influxus ſtellarum, quomodo ſub duo referantur luminaria.* 11. *Pluviarum & meteororum nativitates.* 12. *Fracedines oriuntur, mox à dilapſis aquis, unde fermenta rerum, & ſemina.* 13. *Hiſtoria Cyprica.* 14. *Reſolutio quæſtionis, de quiete aëris æſtivi, & continuo aëris ſpiraculo hyberni.*

1 STellæ ſunt nobis in ſigna, tem-
pora, dies, & annos. Ergo pa-
trant temporum mutationes,
tempeſtates, atque viciſſitudi-
nes. Quorſum opus habent du-
plici motu, locali ſcilicet, & al-
terativo. Vtrumque autem, novo nomine Blas
ſignifico. Ac potius motu per locum, quam
2 ſuo lumine, Blas excitant. Obſcura nempe no-
cte, ſæpe flantem boream, Auſter ſequitur, ac
viciſſim. Blas ergo, quod tepidum ſpirat ven-
tum, non ipſius cœli calore, aut lumine: ſed
loco, directione & connexu opus habet. Quor-
ſum cum ſtellarum lumen devenerit, valvæ ſeſe
pandunt, aut claudunt. Valvarum ergo clavi-
3 ger, eſto aſtrorum motus. Qui ſimul Perole-
dos, ſive ſtrata aëris, movet. Non igitur omnis
calor, è præexiſtente igne, aut lumine fit, nec fri-
gus, caloris nudam dicit abſentiam. Sed Blas
motivum ſtellarum, eſt virtus pulſiva, ratione
itineris, per loca & ſecundum aſpectus. Quæ
circumſtantiæ in ſtellis, qualitates primas in
hæc inferiora cauſant: non ſecus atque in homi-
nibus verecundia, ira, timor, &c. frigus & calo-
rem concitant. Idque ſtellæ ex dono creationis
habent. Ventus Hyppocrati aëris fluens unda 4
eſt: ego verò per cauſas definiens, ventum dico,
fluentem aërem, motum per Blas ſtellarum. Id-
que pro vento naturali: aliàs verò cacodœmo-
ni non raro datum, ut etiam ſine Blas ventos
cieat, vel Blas tempeſtuoſum augeat. Aër ergo,
niſi Blas habeat, quietus manet, nec motus prin-
cipium, à ſeipſo, habet: ſed aliunde ipſi adve-
nit. Blas ergo motivum, concitat ventos, tem-
peſtates, exundationes, per diverſos aëris Pero-
ledos nunc in altum, nunc deorſum, tranſver-
ſum, in longum, lateraliter, in omnes terræ oras
tranſcurrendo. quamquam elementa, non ha-
beant opus motu: humana tamen neceſſitas,
illum poſtulat. Cumque autem nihil ſeipſum 5
eſſet movendo (excepto ſeminibus dato Ar-
cheo) complacuit ſibi Æternus, collocare in ſtel-
lis, enormonticam motivam vim, mandato oris
noſtri, non valde abſimilem. Ita ut Blas, teſti-
monio nobis ſit, Deum, ſua præpollenti Boni-
tate, elementa, ac ſtellas, pro nobis feciſſe, ho-
rum fines, juxta commoditates noſtras, dime-
tiendo. Blas itaque movet non tam lumine, ra-
diis ac motu ut motu: ſed quatenus ad loca
quædam, ſtellæ devenere, quibus hæ, ſua debent
officia. Locis ergo proprietates inſunt ſtabi-
les; Sin verò non ſtabiles ſint, id aliorum aſtro-
rum reſpectu, ſecum analogo motu delato-
rum, pro durationis alteritatibus, advenit. Blas
ergo, ut maſculum in ſtellis, eſt motus initium

generale: non minus terram quam aērem, atque
6 aquam ſpectare videtur. Luna etenim regit no-
ctem juxta Sacra, ut Sol diem: quamvis Luna,
pro medietate, non currat ſubter noctem. Par-
titur nempe globum terræ, in quartas, in acceſ-
ſus, & receſſus Oceani binos, indies. In eoque,
fere horas conſumit 28. Tantundem minus,
quantum interea Sol, & Luna, ab invicem defe-
cerint, aut appropinquaverint. Blas ergo, & in
aquis æſtum, ſilente vento, cit. Blas autem alte-
rativum, in productione caloris, atque frigoris,
conſiſtit; idque præcipuè, cum ventorum mu-
7 tationibus. Sed ſtellæ, humiditatem, aut ſicci-
tatem ex ſe non habent, aut dant. Neque enim
humiditas citra materiam, ut qualitas nuda, eſt
conſiderabilis in natura, ideoque nec ex ſtellis,
ad nos defertur. Omnis enim humiditas ex
8 aqua eſt, quæ ante natas ſtellas fuit. Errat ergo
Paracelſus, qui pluvias, nivem, &c. ſtellarum
fructus ita ait, ut in aſtris, velut utribus, co-
quantur ad maturitatem. Siccitas quoque in
aëre aquarum ſeparatore, erat ante ſtellas: nec
eſt extra corpus, qualitatis more conſiderabilis.
9 Calor autem & frigus, ſunt qualitates magis
abſtractæ à corpore. Duo ergo tantum ſunt lu-
minaria magna, duæ proin ſaltem illorum qua-
litates, in aērem ſparguntur, unde meteora cun-
cta moventur. Calor nempe vitæ eſt proprie-
tas Solaris; frigus vero eſt alterius aſtri. Stellæ
etiam reliquæ, ſua his duobus luminaribus de-
10 dere nomina. Quoties ergo ſtellæ, de natura
lunæ feruntur per loca ſolaria, tepor fit in aëre;
ſin autem ſolares, ſubter eadem loca decur-
rant, fit æſtus, ad quas aëris qualitates, Gas aëris
11 quoque diverſimode alteratur. Calet hinc ſci-
licet pariformiter Blas, per fundos aëris. Ideo
& Gas, vel in ſuis ſtratis detinetur, vel deor-
ſum ad nos defertur. Sic ut atomi Gas, ob ni-
miam exiguitatem inviſibiles, amittentes ſui
conſtrictionem, ac frigoris exceſſum, in mi-
nimas rurſus guttulas concidant, atque deor-
ſum properent. Quod ſi verò tepor, Peroledos
inferiores afficit, cum deorſum oberret Gas,
proritatum per Blas: nimbi fiunt æſtivales. Gas
nimirum per gelu, concretum, oborto ſtatim te-
12 pore, liquatur, ac præceps deorſum ruit. Mer-
curius enim aquæ, ſuum ſal reſolvit, & ſulfur
hæc duo velut obvolvit. Sicque in pluviam
decidunt. Quod ſi vero iſtud accidat ſuperio-
ri Peroledo: guttæ decidentes, in mediis ſtra-
tis algentibus, glaciantur: ſicque in nivem &
grandines præcipitantur. Sin autem tepor, per
aliquot continuos Peroledos aëris dominatur:
diuturnæ comitantur pluviæ. Hinc etiam pa-
tet, quod inæquale Blas, in diverſis aëris fun-
dis, diverſos effectus pariat. Sæpè enim infimi
Peroledi tepent, eſtque dies plane nubilus, at-
que nubes plurimæ. Aliàs verò, alter, & tertius
Peroledus, tepent, algente infero. Vnde nives.
Sicque reliqua meteoron cohors, nobis cauſa-
tur. Per Gas itaque materialiter, & per Blas
operativè & motivè, cauſas & modum, clarius
conſtare jam confido, quam antehac. Vnde
Aſtrologi atque Medentes, ſolidiori fundamen-
to, aliqua præſagire poterunt. Intactas interim
præſagiorum materias relinquo, quas Deus per
miniſtros ſpiritus, in portenta recondit. Refe-
ram tantum quæ frater Stephanus de Luſignan,
ultimus de Cypriorum Regum familia, Ord. 13
S. Dominici, in Cypri deſcriptione, Pariſiis im-
preſſa, anno 1580. fol. 212. Gallicè in hunc ſen-
ſum recitat. *Sub finem, terræ motus ſubiit Fama-*
guſtæ, qui octiduum duravit. Poſt vero, exorti
ſunt ventorum turbines, tranſeuntes ſuper Inſu-
lam, intranteſque Famaguſtam emporium: ma-
gnum enim ibi palatium, mox ædes plurimas di-
ruendo auferunt, cum aliquot hominibus. Vſque
adeo niſi nautæ quidam, fortè fortuna ſuperveniſ-
ſent. Actum fuiſſet de Famaguſta. Sciat itaque le-
ctor, nautis orientalibus conſuetum eſſe, quod diem
ejuſmodi ventos animadvertunt, ſumunt cultrum,
quo faciunt ſignum Crucis in aëre, proferuntque
hæc verba: In principio erat Verbum, & Verbum
erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et repen-
te omnis turbo, & tempeſtas ſeſe ſeparat, & ceſſat.
Vidi enim bis hoc experimentum. Ac ſecunda vice,
dum è Cypro in Italiam redirem. Nec enim in eo
quicquam ſuperſtitionis reperio, niſi quod oporteat
cultrum eſſe capulo nigro. Adeoque certi nihil de-
terminare valeo. Hæc ille. Saltem mirum. Hanc
tempeſtatem diabolicam ceſſare, & diabolum
toti urbi parcere, ob peccatum forte unius pec-
catoris. Porro circa Blas adhuc conſiderabile. 14
Si magno æſtatis æſtu, candelam ardentem, cir-
ca foramen feneſtræ teneas, nullum plerum-
que ſentiri moti aëris veſtigium: per totam
vero hyemem, ut ut exile ſit foramen, continuo
ac moleſtum ſpirat ventum. At cum non ma-
jor ſit conſtricti aëris, (ponamus aërem nunc
pro ejus Magnali) præ frigore, quam rarefacti
præ calore, videtur non potior hujus, quam il-
lius ratio, ad ſuſcitandum ventum. Duplex er-
go eſt Blas motivum locale in aëre: Vnum qui-
dem, quod ventos concitat, adeoque violen-
tiam, & celeritatem includit, ex nativa poteſtate
motuve. Aliud verò, quod conſequitur ad Blas

alterativum, propter condenſationem, aut rarefactionem in aëre. Hoc autem cum propemodum ſit univerſale, propter æſtatem & hyemem, lentum quoque quendam aëris fluxum edit. Ac licet frigus magnale æqualiter condenſet, & hactenus aër immotus, ratione Blas alterativi, & violenti ventalis: attamen cum oppoſita ſphæræ plaga, magnale in aëre tantum rarefiat generaliter propter æſtatem; neceſſe eſt aërem in plaga ſeptentrionali partim recedere conſtringi, atque adeo minorem occupare locum, partimque à rarefiente, & rarefacto magnali aëris, ſibi contiguo, ex altera orbis medietate, propelli leniter. Atque hæc eſt cauſa quæſtionis propoſitæ. Tardi nempè & inceſſati fluxus, in aëre hyemali, quam per rimam, quantumlibet exiguam, experimur, etiam ceſſante vento. At non ſic ſub æſtu. Rarefacto namque ſemel magnali per æſtatem, immotus apud nos ſtat aër.

VACUUM NATURÆ.

1. *Vera definitio venti.* 2. *Primorum ſeculorum indiſtincta ſinceritas.* 3. *Quorſum facit Authoris inventum.* 4. *Examen aëris per machinam ſclopeto ſimilem.* 5. *Probatur vacuum in aëre.* 6. *Facilius creditur vacuum, quam penetratio corporum.* 7. *Mechanica demonſtratio, per ignem, pro vacuo, &* 5 *ejus notabilia.* 8. *Mechanica de lychnio ſulfurato.* 9. *Collectiones ſubſequentes, ex utraque mechanica.* 10. *Aëris pori demonſtrantur.* 11. *Tolluntur ſuſpiciones oppoſitæ.* 12. *Calor vitro internus, & ignis internus, ut agunt diverſimode in aërem concluſus.* 13. *Fortius agere fuliginis per compreſſionem, quam per calorem dilatando.* 14. *Senſus aëris, qualis.* 15. *Novus finis aëris.* 16. *Ignem non vivere ex aëre, ſed tantum ſuffocari præ penuria.* 17. *Vacuitates in aëre, neceſſariæ.* 18. *Unumquodque odiſſe compreſſionem, ab hoſpite factam, legibus philautiæ.* 19. *Impoſſibile vacuum Ariſtoteli, evaſit jam requiſitum naturæ.* 20. *Dari in vacuo aëris, medium inter corpus & accidens, adeoque neutralitatem.* 21. *Quid ſit Magnale magnum.* 22. *Blas aſtrorum ut communicetur abſque ſpeciebus.* 23. *Nugæ Ariſtotelicorum, de vento.* 24. *Ridicula multitudo, & copia exhalationum apud Ariſtotel.* 25. *Exploditur opinio Galeni, de ventis.* 26. *Galeni opinio de argento vivo, malè à Dioſcoride, & pejus exſcripto.* 27. *Natura aëris rarefacti, pro confirmatione vacui.* 28. *Dum aër vulgo putatur rarefieri, revera comprimitur, propter Magnalis, ſive thecæ extenſionem.* 29. *Corpus aëris, juſtam ſui extenſionem habet ſub frigore.* 30. *Cur calidiore climate, Cœli favores ſint majores.* 31. *Probatur Magnale augeri, ac minui: non autem aërem rarefieri proprie, aut condenſari.*

IN limite Blas meteori, definivi
ventum, vera, id eſt, per cauſas
1 conſtitutivas, definitione. Cum
res, extra vel præter cauſarum
complexum, ſit nihil, dicatque
naturaliter omne productum, originalem
& eſſentialem reſpectum, ad ſui producens
ſibi internum. Idcirco *ventus naturalis,*
eſt fluens aër, à Blas ſtellarum motus. Idque
ad diſtinctionem venti prodigioſi, à malitia Cacodæmonum
ſuſcitati. Hippocrates ventum,
flatum vocat, omnes morbos à flatibus eſſe,
ſuum τὸ ἐνορμον recenſet inter primarias morborum
cauſas. Seculi nempe iſta fuit planities,
& candor, quibus, utpote beatioribus,
nondum tanta morborum cognitio, nec crudelitas,
nec frequentia. Non enim Hippocrati
omnia ſunt data. Complacuit ſibi namque
omnipotens, poſt Hippocratem, ſuos quoque
creaſſe medicos. Enotuit quidem Hippocrati, 2
in nobis eſſe ſpiritum, ſuo Blas, cuncta
concitantem, quem dein analogia microcoſmica,
mundi flatibus comparavit, ac in flatus
ſeriem reſtrinxit, ſive vitæ participes eſſent,
ſive verò mortis, atque interitus cauſas
continerent. Sive denique excitati cœlitus,
orbis cœleſtis analogiſmos referrent, vel demum,
ſublunari lege concitati eſſent, indeciſum
reliquit. Nondum enim plane enotuerat
ſpirituum vitalium proſapia. Nemo enim 3
antehac, materiam Gas, aquam eſſe experimento
didicerat, adeoque ventos mundi, à
ſpiritu vitali penitus diſcrepare, nondum ſcitum
erat. A ventorum cognitione, per me,
in præcedentibus propinata, nunc demum ad
aëris examen procedo. Dixi namque idcirco 4
per mechanicam, probari, aquam, non eſſe ex
compreſſione aëris, utcunque frigidi: adeoque
in elementorum miſtione, fontium origine,
&c. erratum hactenus. Mechanicam autem
eſſe veram: Quod aër in canna ferrea
unius ulnæ poſſit comprimi ad digitos circiter
quindecim, cujus compreſſi aëris expanſione
contingeret, ſpeculæ per aſſerem transmiſſio,
non minus, quam ſi è Sclopeto propelleretur.
Quod ſanè haud ita fieret, ſi tanta 5
ſui compreſſione, aër ſub ferri hiemalis frigore,
in aquam mutabilis eſſet. Inde enim inprimis

mis didici, materiam, & conditiones aëris;
quandoque facillimè compreſſionem, & dilatationem
ſui ſuſtineret, quantum indicat viſus.
Vnde conſequens ratus ſum, omnino neceſſe,
in aëre dilatato, juxta ſibi geminam extenſionem,
aliquod eſſe ſpatium liberum, & vacuum.
Puta ſi ex ſpatio 28 digitorum, ſine ulla
aëris perditione, aër recludatur ſubter cannam
quinque digitorum, conſequitur, fere digitos,
ac fere aëris dimidium, eſſe corporis expers.
Alterutrum nempè, eſt neceſſarium, ſub
hac mechanica proba; vel abſolutè, in natura
aëris, ordinariè dari vacuum; aut corporum
penetrationem in aëre (ut dictum eſt) compreſſo.
6 Plures ſanè mecum, tolerabilius vacuum
admittent, quam corporum diverſorum
exiſtentiam, eodem loco. Cum vacuum non
diſtet longe à nihilo: ſitque actio nihili, imbecillior,
actione entis duplati. Cumque Natura
ex nihilo incœperit, eſt propinquior nihilo,
quam duplo; Adeoque contra duplum plus velitat
Natura. Siquidem montes, fodinas, atque
urbes, pulvis pyrius evertit. Nuſquam autem
æquipollens paradigma pro vacuo offertur.
Cœterum, vacuum in Natura ordinarium in
7 aëre ſic probo iterum. In medio fundi patinæ
ſtatuatur fruſtum candelæ, ſuo ſævo alliquatum
in fundo; Ardeat, & circumaffundatur
aqua, ad 2 aut 3 digitos invertatur vero profunda
cucurbita vitrea, ſupra flammam ad 3 digitos
eminente flamma, ex aqua, ita ut os inverſi
vitri, ſtet ſuper patinæ fundum. Videbis mox,
aëris locum, in præfato vitro immuni, aquam
verò quadam ſuctione, ſurſum trahi, & aſcendere
in vitrum, loco aëris diminuti: atque tandem,
flammam ſuffocari. In quo plura occurrunt.
Primò-vera. 1. Atque inprimis indubium
eſt, quin flamma ſit fumus accenſus.
2. Quod fumus ſit corpus Gas. 3. Quod fuligo,
ex apice combuſti fumi, aſcendat. 4. Quod
una pars ſævi, vel ceræ, facile in decies millecuplum
ſui extendatur. Vnde concludo, aëris
locum, per flammam non debere imminui:
ſed augeri neceſſariò, niſi aliquid loci in aëre
fuerit vacuum, quod minuitur. Nec alioqui
abſurdo caret, quod elementum annihilaretur,
ſive conſumeretur. Enimvero bombarda, vel
cuniculi ignei, non illa noſtri ſæculi portenta
operarentur, neque ſaxorum duriſſimorum, &
maximorum diſruptiones, in fodinis, niſi pauculus
pulvis, unico quaſi momento accenſus,
ſui millecuplum decies, ſaltem flammæ ederet,
quæ flamma, cum priori loco pulveris ſiſti nequeat,
cuncta diffringit potius, quàm quod fumus
fumum, ſive flamma flammam penetret.
5. Quibus accedit, extenſio aëris, per calorem 8
flammæ, & non compreſſio, ut alias vulgo apparet.
Denique accendatur lychnium ſulfuratum,
in lagena vitrea, ſuſpenſum filo; lagenæ
autem inſit aliquantulum aquæ, ſitque lagena
optimè, ſuberis cortice obſignata, ne quid reſpiret.
Videbis flammam, fumumque ſulfuris,
totam lagenæ aream, qua aër eſt, implere atque
tandem ignem extingui. Non fieri tamen aëris 9
imminutionem nec ſuctum aquæ ſurſum, eo
quod in locum aëris, deberet aqua ſubſtitui,
adeo ſuctus non faceret hic lucrum, nec compenſaret
defectum in aëre. Bene quidem, quod
aperto operculo, ſuctus deprehendatur. Flamma
autem non tam tenaciter candelæ inhæret
ut ſit attollendo tanto aquæ ponderi, quæ flamma,
minimo flatu, ab lychnio ejus diſperditur.
Adeoq; flamma, immediatè non elevat aquam:
ſed ſuctus, conſumta aliqua parte in aëre, cauſatus,
aquam attollit, manetque per multos dies,
ſublata aqua poſt flammæ adhuc extinctionem.
Quapropter, aërem meditatus ſum, poros habere, 10
qui violentam conſtrictionem, aëris in canna,
ac naturalem aliquam annihilationem, in patina,
paterentur. Quod autem aër in vitro condenſaretur, 11
præ calore, flamma, & fuligine, id
Matheſi repugnat. Monſtratque inſtrumentum,
quo gradus ambientis menſurantur, calorem
expandere, non verò contrahere aërem. Oppugnat
itaque præfata objectio theſin ſuppoſitam,
qua conceditur fieri additamentum materiæ in
aëre, per novam flammæ ac fuliginis materiam.
Sin verò dicatur, aliquid in aëre eſſe inflammabile,
quod per flammam candelæ conſumitur.
Iam novum abſurdum oritur. Nempe,
aliquod corpus vel planè annihilari, vel per
flammam comburi & comburendo non dilatari.
Denique, ſupponendo aliquid abſumi. Saltem
neceſſe eſt, vel in nihilum iſtud inflammabile
converti, vel in aliquid · Atqui igni proprium
eſt, quod comburendo, extendat omne
inflammabile, non autem comprimat illud. Vt
ante per pulverem pyrium docui. Sin autem
dicamus, aërem in vitro, per flammam imminui:
jam habeo intentum. In aëre videlicet
aliquid eſſe, minus quàm corpus, quod aëris vacuitates
implet, & per ignem prorſus annihilatur.
Nec id quidem, tanquam ac ſi eſſet ipſius
ignis nutrimentum. Nam licet iſtud, huic
quæſtioni, & loco, ſit impertinens: attamen,
id quod verè non eſt corpus, nil poteſt nutrire.

Deinde cum neque corpus ſit, neque pingue,
non poteſt inflammari, accendi, aut igne terreri,
vel abſumi. Tum etiam demonſtrabo cap.
de formis, quod ignis non ſit ſubſtantia: Quod
autem non eſt ſubſtantia, non requirit nutriri.
Denique cum aër ſit elementum, & ſimplex,
non poteſt in natura ſui, admittere compoſitionem,
aut connexionem diverſorum. Nec
ſunt in eſſentiali aëris ſubſtantia, diverſitates
partium, quarum aliæ, per ignem conſumantur,
aliquæ verò minimè. Idcirco namque, ſi
ignis, reperiſſet inflammabilem partem in aëre,
vel unica candela, totus aër accenſus dudum
periiſſet. Neque enim ceſſaſſet ignis, ſi nutrimento
opus habens, illud in aëre, ſibi vicinum
innoviſſet. Imo ſi aër ab igne combureretur,
tranſiret aër, ad aliquod ſimplicius & anterius
& deſineret eſſe elementum. Flamma nempe
candelæ, eſſet elemento aëris prior, & ſimplicior.
Liquet ergo, quod flamma in præfato vitro,
licet ratione caloris, aëris quantitatem dilatet,
naturaliter tamen vult ſuas fuligines hoſpitari,
in aëris cavitatibus, tantum abeſt, quod
aër ſe extendat: & hæc eſt unica cauſa diminuti
ſpatii in aëre, unde flamma etiam conſecutivè
12 ſuffocatur. Calor quippe, vitro externus,
aërem in vitro dilatare videtur: ſed ignis
intus, ob ſuas fuligines, aëris ſuffocationem,
compreſſionemque actu proritat. Calor ergo,
per ſe aërem dilatat, ut patet per machinam,
ambientis gradus dimetientem: ſed ignis ob
13 ſuas fuligines comprimit. Adeoque ſequitur
fortius agere fuligines, per compreſſionem,
quàm calorem in dilatando. Deinde etiam fuligines,
aëri eſſe importuniores, quam ſuum naturale
vacuum, imo quàm ſui vacui ſit dilatatio.
Cum dilatatio ſpatii aëris, per calorem facta,
ſit ipſi voluptuaria, reſpectu compreſſionis,
cauſatæ per fuligines. Hinc enim conjicio
membra univerſi ſingula, ſenſum quendam
14 ſympateticum habere. Adeoque cum eſſentialiter
aër poroſitates habeat, dolet ſibi illas impleri,
& nimium gravari, per Gas alienum. Attamen
niſi poroſitates inanes haberet aër (cadit
ſaltem doctrina Phyſices, ſuper vacuum fundata
negative) nequaquam corpora dilatationem
ſui, aut alienum Gas admitterent. Siquidem
per ſui commutationem in Gas, millenas
capacitates majores exigerent, & ſic locus deficeret
15 exſpirandis efflatibus. Aër ergo creatus eſt,
ut ſit receptaculum exhalatuum; quare etiam
vacuum in poris habeat, eſt neceſſe: Recipit
tamen exhalatus illos, per taxam, & juſtam ſui
proportionem: atque ubi vacuitates ad menſuram
juſtam habet oppletas, aufugit aër, ſuaque
fuga, flammam omnem in pyramidem cogit.
Sin verò aër, à fuga detentus, nimia fuligine
oneratur, ſeſe coarctat extinguitque ignem,
qui ſe ſupra meritum fuligine implet. Hæc nondum 16
à Scholis perpenſa ſunt, ideoque putarunt,
ignem vivere, & ali aëre, nec probationem
pro hoc habent, niſi à contrario ſenſu, eo
quod ignis, aëre præcluſus, mox ſuffocetur. At
Idiotiſmus ille Scholarum, ſat pateſcit. Cum
ignis non ſit corpus, in quantum eſt ignis, nec
creatura primæ conſtitutionis: nec enim vivit,
nec nutritur, qui mortis inſtar eſt. Prout manifeſtabitur
de ortu formarum. Aër verò, eſt elementum
ſimplex. Neque enim ſuffocatio ignis,
vitam neceſſariam, ut nec nutritionem præſupponit,
nec ignis augmentum eſt proinde, etſi
aperto affatim aëre ſtructus ſit: Neque etiam
ignis, conſumit vel aëris tantillum, aut in ſui
ſubſtantiam (quam nullam habet) convertit, veluti
ſui alimentum. fabulæ ſunt. Nam ignis aëre
privatus perit, non quidem alimenti denegati,
aut vitæ participatæ reſpectu: ſed loci defectu,
nequeuntis fuliginem continere, cujus compreſſione,
ſuffocatus ignis extinguitur. A nimio
nempe, raptimque ſufflato aëre, flamma
confeſtim perit aliter; cum flamma minus tenaciter
lychnio affixa flatu auferatur, & ablata
ſemel à lychnio, non habeat deinceps in aëre
ſubſiſtentiam, ut nec ſubſtantiam habens in ſeipſa.
Pori ergo aëris, fuligine repleti, avolant,
locumque cedunt aëri advenienti alteri, ut ſuam
etiam de Gas ſuccinam ſuſcipiant. Quæ aëris
fuga ventum ſuſcitat, ut & requirit. In Salinis
Burgundiæ, teſta plana, repleta aquâ, juxta cratem
fornacis poſita, longe citius conglaciatur,
quàm alia quæpiam, ſub diu & gelu expoſita,
propter aëris continuum affluxum, & tranſitum,
quem ad flammæ vitam, ſive alimentum
affluere, à Scholis perperam putatum eſt. Aëris
ergo vacuitates implentur moderatè: ſin ſupra
onerantur, mox ſpatium aëris ſeſe coarctat,
anguſtiorique loco claudit, conſumtis poroſitatibus
vacuis, ut ignem exhalantem ſuffocando,
ab incepto avertat. Iſtud eſt omnibus creatis
per philautiam ingenitum. Neque enim ſecus,
aqua ſe glacie incruſtat, quam ne ab frigore
aëris in Gas abripiatur. Sunt ergo in aëre 17
vacuitates neceſſariæ, ut pro capacitate, hoſpitarentur
aporrheæ evaporabiles, ob quarum
finem, aër compreſſionem, atque dilatationem
ſuſtinere viſus eſt. Aliàs namque ſublato

aëris vacuo, minimus motus, totum fere univerſum, ſui continuatæ moveret, ſuffocatique mortales propinqui, conciderent, mox obortis exhalatibus, non ſecus atque in cuniculis fodinarum perſæpe fit. Vbi ſuffocantur metallarii, non defectu aëris abundantis, nec etiam ſemper ob venenum ſuffocans: ſed potiſſimum eo quod aër in cuniculis, repletus per Gas mineralium, non renovetur. Adeoque hinc etiam contingit, lucernas, atque lampades, mox ſponte
18 extingui, una cum foſſoribus. Quapropter cuniculos pertundunt, variiſque machinis aërem exhalatione repletum exhauriunt, novumque affundunt, atque inſpirant. Verum aër non ſecus exhalationem nimiam reſpuit, quam aqua aërem, & aliud quidlibet, eodem ſecum diverſorio violenter copulatum. Sit lagena ænea: in cujus fundo ſit aqua, A. aër, B. Robineta, C. foramen lagenæ, D. per quod cum ſyphone, ſive clyſteri, fortiter inſuffletur aër. Tunc autem volvatur Robineta, ut aërem ſub ſe detineat violenter. Dico igitur, quod dum Robineta iterum celeriter volvetur, ut aëri exitum det. Nedum enim aërem B. compreſſum exſufflabit, ſed & ſimul cum illo, A. magno impetu, totum ſurſum evolabit. Aër ergo, invitam ſuæ vacuitatis compreſſionem ſuſtinet; idcirco etiam aquam A. ſecum effert, quod ſane, vacuum oſtendit eſſe plauſibilius, quam aëris compreſſionem, utpote quæ ad corporis invitam penetrationem appropinquat. Nunc igitur de vacuo Ariſtotelis impoſſibili, eſt factum naturæ requiſitum ordi-
19 narium. Verumtamen aëris illæ poroſitates, utcunque ſint actualiter, omni materia expertes: habent nihilominus in ſe ens creaturam, id eſt, aliquid reale, non figmentum, nec ſolum locum
20 nudum: ſed quod eſt inter materiam, & ſpiritum, incorporeum, plane medium, atque neutrum, de numero, inquam, eorum, quæ limite de formis, negavi ſubſtantiam vel Accidens eſſe. Magnale eſt, quod cum in creatis ſui ſimile non habeat, ideo per ſibi ſimile manifeſtari re-
21 cuſat. Magnale quidem non eſt lux: ſed forma quædam aſſiſtens aëri, ejuſque velut ſocia, ipſique certo connubio velut conjugalis. Aſſiſtens inquam, non conjuncta eſſentiæ ejus; ideoque in poris aſſidens. Per hanc videlicet, Blas aſtrorum, immediate, ac ſine impedimento, quaqua
22 verſus & inſtantaneo motu extenditur: non autem per millenas millium ſpecierum generationes, unico velut momento peractas, quoties lux, vel influentiæ cœleſtes, inferiora feriunt. Scholarum iſthæc ſunt fabellæ, ne videlicet, unum Accidens, migrare cogantur concedere, de ſubjecto in ſubjectum, malunt millenas millium generationes ſpecierum luminis, in inſtanti fieri, dum Sol tam eminus, ſuos ad nos vibrat radios. Quod enim Scholæ hac in parte, ceu Adynaton ſtatuunt, docebo curſum Naturæ eſſe ordinarium limite, de Magno oportet. Iam ergo Naturæ Gas, & Blas, ſat conſtant, & qua via Blas ad nos deſcendat. De vento addendæ ſunt Scholarum doctrinæ. Inprimis Ariſtot. 23
Scholæ docent, ventum eſſe exhalationem ſiccam (non autem aërem) à terris, virtute caloris elevatam, quæ cum à nube præpediatur ſurſum ſcandere, lateraliter velut furioſa diſcurrit, tantæque molis robora efficit. Quaſi levitatem priſtinam amiſiſſet, per primam nubium repulſam, ideoque furens diſcurrat lateraliter! quaſi nubium eſſet contextura continua, nec uſquam ſcandenti exhalationi, à tantilla nube, ſemel repulſæ, nullus deinceps per nubes introitus nulluſque tranſitus daretur! quaſi lagena aëre repleta, & ſubter aquam depreſſa, aſcendens autem reperiret ſibi manum obviam, proinde lateraliter per aquam diſcurreret! & perdidiſſet priorem niſum ſurſum deinceps, ſic ut oblita ſurſum ſcandere, tametſi non continuam nubem reperiret, optaret deinceps lateraliter potius ferri. Neque enim conſiderarunt, ventorum lateralem motum, debere eſſe refractum ac neceſſario etiam debiliorem, motu ſuo ſurſum: adeoque magis valeat ventus, celſas dirimere turres, quam vaporalem ſupra ſe nubem diſcutere. In ſingulis ſane demiror Scholarum ignaviam, aſſentiendi aſſuetudine ſubſcriptam.
Ariſtoteles enim ſalem maris (quem tamen co- 24
æternum mundo putavit) ſcribit originem habere ab exhalatione (exhalationem ne in minimo agnovit: quippe quæ volatilis eſt, & ſal maris fixum: neque enim poteſt aqua maris, alioqui dulcis, volatilitatem exhalationis fixare, quam ipſum ſalem armeniacum) omnia quoque meteora, & ventos præcipuè imo terræ motum, & cometas (quorum ille anni 1618 milleſies terra erat major) itemque lapides, rupes, ſaxa, ſolis dicavit exhalationibus. Defuit ſuis ſomniis adæquatum promptuarium, unde tantæ exhalationes prodirent. Et nihilominus iſtis nugis Scholæ ſubſcribunt, nec expergiſcuntur à Catocho, niſi dum expreſſe Ariſtoteles in fidem impingit. Galenus vero, ventum ſive fla- 25
tum, putat vapores, ex aqua, & lacubus, vi caloris ſublatos: ſubinde vero eſſe aërem, è corpore miſto reſolutum. Vtrunque vero, ait frigidum,

gidum, ætati decrepitæ, deficienti calido inna-
to, & affectibus frigidis, aſſimilatum. Ceſpitans
nimirum in omnibus, atque ſingulis, puerilia
ſomnia, pro veritate, in immenſum dilatavit.
Nondum enim ſub Galeno, ars ſtillandi enotu-
erat, qui nunquam roſaceam vidit, ut neque
26 argentum vivum. Quippe male Dioſcoridem
legerat, cum Plinio, ſcribens, argentum vi-
vum, ob ingens pondus, non corio, non li-
gneis thecis detineri poſſe, ſed ſolis capſis me-
tallicis, aſſervari. Quaſi unica uncia ejus, plus
ponderaret, quam uncia plumbi. Quamobrem
Galenus, altè atque intimè neſcire debuit altiſ-
ſima Philoſophiæ, & intima Naturæ principia,
proprietatum quarumcunque ſeminales reſo-
lutiones & exaltationes. Tandem ad oſtenden-
dam in aëre vacuitatem, rarefactionis & con-
denſationis quidditatem ejus altius indagare
convenit. Inprimis enim, quidquid de rarefa-
ctione aëris hactenus dixi, id pro captu vulgi
factum fateor: alioqui propriè loquendo, etſi
aër comprimi, atque expandi in ſpatio loci vi-
27 deatur: attamen ipſa rarefactio non eſt ipſius
aëris, id eſt, quod ipſum corpus aëris ſeipſo
fiat rarius, eo modo, quo ex aqua fit halitus.
Quoniam jam aliquoties oſtendi, quod halitus
ſit nubes atomorum aquæ, invicem diremto-
rum, per partes aëris medias intercedentes, &
quod ideo aqua, in halitu, ac ſemper maneat a-
qua, neque aliud patiatur, præter ſui extenſio-
nem, ac diviſionem in atomos, à Separatore ſuo
factam. Etenim ſi corpus aëris ergo, rarefiat:
hoc eſſet, vel quatenus mutaretur in aliud cor-
pus, ſe tenuius, rarius & ſimplicius, quod eſt
fingere novum elementum, & inauditum, actu
frigidum, aliis tenuius, & aëre ſimplicius. Aut
aër rarefieret per ſeparationem atomorum, &
interceſſionem alterius corporis incogniti; &
tunc corpus intercedens, admitteret gradus ra-
ritatis; Ideoque ipſa rarefactio, non tam in aë-
rem, quam in corpus incognitum intercedens,
eſſet referenda. Eſt tamen rarefactio, non aëris:
ſed in aëre; idque nedum ob admiſſas fuligines,
(ut in mechanica patinæ) verum ob nudam qua-
litatem caloris, (ut patet per organum dimetiens
qualitates ambientis;) ergo quoties apparet in
aëre rarefactio, omnino neceſſe eſt, eam per
augmentum Magnalis contingere. Quod ſo-
nat vacuum in aëre auctum, aëris poros dilata-
tos, & extentos. Adeoque tantum abeſt, quod
propter calorem, aër per ſe & in ſuo corpore
ſuſtineat rarefactionem, muteturque elementi
corpus: Quod potius coaguletur, comprima-
tur ſaltem, atque poroſitates vacui ſe extendant,
ſive ipſum Magnale, in aëre multiplicetur. Quo- 28
circa & impropria locutio, dum aërem indica-
mus per ſe rarefieri, quando potius per ſe in-
ſpiſſatur, ſive comprimitur: Magnale vero ſibi
connatum, ideo extenditur. Ex præfatis autem
deducitur aëris corpus, ad juſtam ſui extenſio-
nem, duci ſub frigore. Atque iterum inde con-
ſequens, frigus eſſe aëri geniale. Magnale ve-
ro, ſub frigore contrahi. Quoties autem ma-
gnale coarctatur, viæ aſtrorum ad nos coar-
ctantur. Atque hinc obvium eſt, cur terra pro-
miſſionis, valde calida: id eſt, cur zona cali-
diore, feliciores ſint Cœli cum terra conſangui-
nitates, fructus uberiores, & ſapidiores. Ma-
gnale ergo, inſtar lucis, fit, & annihilatur faci-
le. Nam quod in ſe eſt aëris vacuum, pene ni-
hil eſt, in reſpectu corporum. Ex nihilo enim
prodiit, in nihilum quoque redigi poteſt. At
non niſi invito aëre: eo quod hoc vacuo opus
ſibi ſit. Eheu! quam propè nihil, tota eſt natu-
ra, quæ ex nihilo incepit. In organo præfato,
dimetiente ambientem, calore vel frigore So-
lis, cernitur locus aëris major, minorve; ad
rarefactionem autem contenti, expelli aërem
ſentimus. Cujus ſpiraculum, ſi tum occluda-
tur, aëris defectu ſuctus ſentitur. Ergo penitius
inſpiciendo, vacuum aëris, ſive Magnale, au-
getur & minuitur; non autem aër rarefit. Sic
& condenſatio, ſive compreſſio aëris, non eſt
reſpectu corporis ejus: ſed tantum magnalis.

METEORON ANOMALVM.

1. *Iridis & parelia myſteria.* 2. *Ante diluvium non fuiſſe Iridem.* 3. *Iris data in ſignum fœderis: nondum tamen ſciri ejus cauſam.* 4. *Iris tamen quotidie ſuum fœdus rememorat.* 5. *Iridi myſterium fœderis adhuc ſubeſſe.* 6. *In quo Iris deſignet finem mundi.* 7. *Deliramenta Scholarum de Iride.* 8. *Requiſita à Scholis.* 9. *Iridem non ſuos habere colores immediate in nube, ſed in loco.* 10. *Iridem de natura luminis.* 11. *Probatur exſiſtentia colorum, immediatè in loco.* 12. *Objectus viſus immediate in loco: objectum auditus immediate in corpore medii.* 13. *Creatura neutralitatis ſubſiſtunt immediate in loco, extra corpus.* 14. *Refutatur Paracelſus de Iride.* 15. *Frequentia miraculi, non redigit illud in numerum naturæ.* 16. *Quædam ſupernaturalia, ſunt ordinaria* 17. *Athea, & ludicra opinio Scholarum de Tonitru, & ful-*

& fulgure. 18. Viſiones mirabiles in montibus altis. 19. Fragor ſpiritale Blas Cacodæmonis. 20. Hiſtoria Tonitrui. 21. Vox tonitrui, ut putrefaciat. 22. Sal externus præſervat.

1 Meteora conſtare dixi materia Gas,
& efficiente Blas, tam motivo,
quàm alterante. Sed anomalum
eſt Iris, myſterium ſua origine
divinum. De Parelia, qua duo
meridie Soles, vel tres apparent,
ſimul æquè lucidi, idem ſentio. At Tonitrui
non myſterium æquè, ac portentum includit.
Iridem, per Sacra admoniti, fide credimus, in
ſignum fœderis, inter Deum, & mortales, datam,
quod mundus, deinceps aquis non amplius
2 eſſet periturus. Primum enim inde deduco,
Iridem ante diluvium nunquam viſam.
Mortales alioqui jure conqueſti fuiſſent. Iam
enim ſæpe ante vidimus Iridem,& tamen mundus
Cataclyſmate periit. Quam ergo nobis ſecuritatem
per Iridem polliceris aſſuetam? Suſpectum
hoc nobis fœdus, pavorem non tollit.
Nova ergo mundo Iris fuit, dum in ſignum
fœderis primò apparuit. Quapropter ad inſolitum
ens, obſtupuere mortales, fidemque adhibuere
3 alias increduli. Secundo, hinc diſco,
Iridem, datam in merum ſignum, quocirca neque
hodie etiamnum, ullam cauſæ rationem,
relatione alicujus effectus,habere. Tertiò,cum
jam mundus ante diluvium, circiter bis mille
annos conſenuiſſet, fuerantque tamen cauſæ
in natura, quas hodie Iridi attribuunt Scholæ;
non tamen Iris: Id ſane convincit falſitatem
illarum cauſarum. Vnde tandem quarto ſequitur.
Quod niſi Iris, & hodie in ſignum fœderis,
& primæ ſuæ conſtitutionis ergo, irrito
4 alias ſcopo, appareat. Igitur & ictum olim fœdus,
Iris nobis ſubinde rememorat, ut credamus,
atque perpetuo memores ſimus, Deum
peccatorum vindicem, aliquando aquas miſiſſe,
ut omnem animam, in terra viventem perderent,
eundem fore peccati noſtri conſcium vindicem,
& Iudicem. Etenim omnis caro corruperat
viam ſuam per luxuriam : quam per
aquas ſuffocari oportuit. Per Iridem itaque,nos
comminatarum pœnarum perpetuos memores
vult Deus, qui hoc ſigno, ſe naturæ præſidem
& vindicem continuum denotat. Vt autem Iris
ſignificaret, quod mundus non amplius aquis
ſubmergeretur, decebat eam præ ſe ferre, non
quidem inſolitum aliquod in aëre ſpectrum, indifferens
5 ad quodlibet aliud : ſed in Iride myſterium
promiſſi fœderis ſubeſſe debebat, quod
ſponſionem, atque promiſſi fidem ſigno panderet.
Videor ſane mihi cum Noha in Iride
tres colores, ſplendoreſque placidos admirari,
trium ſulfurum, in mineralibus concrematis,
eluceſcentes. Adeoque colores dant teſtimonium, 6
quod terra mineralium matrix, tandem
extrema ſulfurum ſuorum uſtulationis liquefactione,
iram Dei ſit luitura. Iris ergo, non
amplius aquam : ſed ignem præſagit. Demiror
Scholas, Sacrorum auſcultare veritati traditæ,
nolle; ſed etiamnum hodie pergere ethnicis
deliramentis adoleſcentes inebriare. Propinant 7
nempe, Iridem duplici nube conſtare, profundiore,
atque ſpiſſiore una nempe, altera verò
tenuiore, illi inſuper extenſa, ut ſpeculi vice,
Solem ex adverſo referat. Inane utique commentum,
anili ſomnio ſimile. Nam ego Iridis
infimam partem, pedibus quandoque calcavi,
& manibus tetigi : Idque non ſolum in montibus
nubiloſis; ſed aperto,& aprico campo. Adeoque
oculis, manibus, & pedibus, cognovi illius
ſuppoſiti falſitatem. Cum ne quidem ſimplex
nubes, eſſet in loco Iridis. Neque enim
etſi mane, Iridem finderem, eamque per Iridis
colores ducerem, ſenſi quippiam, quod non
ubique,circumquaque in aëre vicino. Imo non
proin colores Iridis turbabantur, aut confuſionem
tolerabant. Deberent Scholæ ſaltem explicare, 8
cur ſemper arcus, aut ſemicirculi figuram,
nunquam verò ſpeculi ſpeciem haberet?
Cur ſi ſit Solis reflexi imago, in medio ſui non
luceat : Cum Parelia, Solis inſtar, indiſtincto,
rutiloque lumine fulgeat? Cur duæ iſtæ nubes,
ſemper pari arcus forma,& colorum varietate,
complicarentur? Cur ſpeculum, ex adverſo
Solis, non illos colores repræſentet, ſi duplex
iſta nubes, ſit vice ſpeculi? Cur duplicata
iſta nubes, ſaltem exteriore, & connexa parte,
latitudinem vagam nubium non mutetur,
ſi concava, penetretur exuberanti luce Solis
occidui? Cur Sole, ſubter nubes occultato &
nuſquam micante, etiam Iris appareat? Quare
inquam Sol, uniformes ſemper, & varios iſtos,
tamque prope conſitos colores, & non unicum
duntaxat, juxta luminis ſui ſimplicitatem,
depingat? Quare plures ſubinde uno
campo Irides, ſimul appareant? Siquidem in
tam vaſto aëris circulo horizontis, non cadit
reflexio in uno atque altero milliari : ſed nubes
Soli oppoſita, non habet directè ſuam reflexionem
niſi in oppoſitam partem, ſibi in horizonte
reſpondentem, non autem in ſuo lateri
vicinam. Demum abſurdum eſt, quod ſuperior

rior & rarior nubes coloris expers, & quam lumen
Solis facile penetrat, in denſiore altera, colores
fingeret, quos nec Sol, nec utraque illarum
nubium in ſe habent. Has ſanè Scholarum
inanes theſes, plurimum admiratus ſum, dum
Iridem manu contrectarem, nullamque prorſus
nubem circum viderem. Quocirca Iridem
peculiari privilegio notavi, ſuos colores habere
immediatè in loco, in aëre autem mediante
loco. Adeoque notavi iſtos colores, & figuram
Iridis, in modo exſiſtendi, eſſe de natura luminis.
10 Id eſt, flante vento colores, qui immediatè
inſunt medio, ſimul cum medio ambulant,
atque diſſipantur, juxta ac medium, in quo
11 ſunt. Colores verò ſive lumina, quæ inſunt
immediatè loco, non mutantur, etſi aër, vel medium
in quo apparent, mutet locum, & fluat.
12 Sic nec flante vento, Iris perit, ambulatve. Hinc
nempe objectum viſus, unico inſtanti ad oculum
defertur: Auditus verò objectum, quia immediatè
non in loco, ſed in aëre eſt locato, durationem
& motum præſupponit. Quocirca
Iris, nedum non eſt in nube: quinimo ne quidem
in aëre: ſed immediatè in loco. Sic namque
lumen Solis inſtanti celerius, à Sole, in terram
uſque ferit, eo quod ſit immediatè in loco;
in aëre verò mediatè, quatenus ſcilicet hic eſt
in loco. Quod autem Sol ſit cauſa Iridis, id
naturale credo, ſed quod à Sole, immediatè in
loco, arcus taliter coloratus ſtatuatur, nullatenus
autem in aëre, id ſigni vim habet. Scholæ
enim hactenus ignorarunt lumen, & colores
poſſe ſubſiſtere, niſi ſubſtantiæ alicui inhæreant.
At nec mirum. Siquidem neſcivere, Creaturas
quaſdam, quarum aliquas retulerunt in ſubſtantiam
(puta ignem, formas ſubſtantiales, *&c.*
alias verò, in mera accidentia (ut Iris, lumen,
13 magnale, *&c.*) reſignarunt. Quæ tamen eſſe
creata neutra, ſuo loco demonſtravero. Hic
autem dixiſſe ſat eſto. Quod ſi Iris, immediatè
in aëre eſſet, & non in loco; Neceſſariò, quolibet
ventulo, mox difflueret, & una cum nube,
vel aëre, difflaretur. Quod falſum eſt in Iride,
quæ ſub ventis etiam dudum conſtat, abſque
ulla nubium præſentia ſubinde, & tamen in eadem
conſtante arcus, ſeu ſemicirculi figura:
ergo Iris cum ſit immediatè in loco, eſt nova luminis
colorati figura. Incepit quidem Iris ſupernaturaliter,
in ſignum, atque myſterium,
icti fœderis, cum mortalibus: Cumque hodie
in aëre, ſine materia ulla radicem habeat, per
modum tamen naturalium, ejus cauſam efficientem,
illiuſque præſentiam veneror, & in
ſignum fœderis Iridem mihi commemoro, datam
hodie, prout olim. Paracelſus Iridem, Solis 14
retur eveſtrum. Eveſtrum verò, hominum
manes vocat. Quæ ſola ſui abſurditate, ut ſat
rejecta, tranſeo. Siquidem Sol, nec animam, nec
poſt funera (adhuc vivens) eveſtrum habet.
Sunt, qui ridebunt me, propter hæc quotidiana
miracula. At certè dum res intueor penitius, 15
video divinam Bonitatem actualiter, ſemper,
ubique & immediatè præſidem: utpote, *Quæ
revera à fine uſque ad finem attingit omnia fortiter,
& diſponit omnia ſuaviter. In Deo enim vivimus,
ſumus, & movemur*, revera, & actu: non
autem per analogon, aut ſimilitudinem. Siquidem
dum Dominus Salvator dixit, *Ego ſum*;
Nempe per quem eſtis, vivitis & movemini,
ſubtraxit tantum eam ſui poteſtatem, qua movebantur,
& confeſtim ceciderunt milites omnes
in terram. Et quanquam ſit ordinarium
in natura organum, quo moveamur: Eſt tamen
altera principalis, totalis & independens cauſa
noſtri motus, & concurrit ejus origo, miraculoſa
manus in ſingulo motu. Sic quoque in Iride 16
concurrunt Sol, & locus velut cauſæ ſecundæ.
Eſt tamen altera independens cauſa totalis,
miraculoſa & immediata, quæ Iridem direxit
ad gloriam ſuæ Bonitatis, & icti fœderis,
non ſolùm quidem cum Noha, & familia ſua:
ſed cum poſteris filiis hominum, uſque in finem
mundi. Adeoque eadem origine, & fine, quibus
incepit Iris, ſpondetur duratura quamdiu
erunt mortales: & cum ſit ſignum fœderis cum
filiis hominum, non autem cum ſolis filiis Nohæ,
quoddam etiam pactum includit. Miraculoſum
ergo in Iride eſt, quod colores ſui non
ſint aliquo in corpore: ſed immediatè in loco
ipſo, inſtar luminis, idque immediatè à manu
Dei, ſine concurſu cauſæ ſecundæ. Neque mirum
eſt, ex conditione pacti, intervenire effectum
ſupernaturalem. Quippe quod multis locis
occurrunt miracula perpetua.

Itaque, ut Iris ſignum eſt fœderis ſempiterni, 17
& Nuncium divinæ Bonitatis; ita Tonitru potentiæ
Dei admirationem, atque adorationem
cauſat. Nihil enim eſt in rerum catalogo, cujus
habenas præpotens Conditor non immediatè
regat. Inculcat nimirum ubique amorem,
& timorem ſui, adeoque ſuæ poteſtatis hominem
ordinariò admonitum vult. Iuxta illud:
Vox tonitru verberavit terram. Subitaneum
Blas enim, & portentoſum, in aëre concitatur.
Cœlum ſubinde ſerenum, mox etiam citra
ventum, nube atra repentè conſpurcatur.

Sæpius enim ſereno cœlo, citra nubeculam ul-
lam tonat. Adeoque tonitru, nubem non exi-
git; ſin autem repente concitet: fit, quatenus
fragor Peroledos, concutit, ſiditque Gas deor-
ſum, in ſpiſſam nubem, frigore loci contractum.
Frivola igitur Scholarum de Tonitru doctrina,
ſtatuens exhalationem intra nubium thecam
accendi, elidere fulgur, ejuſque nubis tot eſſe
rupturas, quot tonos & fragores. Vidi nempe
in montibus vagantes nubes, & frigidiſſimas
attactu, nullas tamen alicujus firmitudinis, aut
roboris, ut diſcontinuatæ, tanti fragorem edant,
vel fulmen tantæ potentiæ, motu deorſum, ad-
eoque violento, & præter naturam ignis aſcen-
19 dentis disjiciant. Vidi, inquam, circa me ful-
mina, & tonitrua etiam ſubter meos pedes au-
divi. Attamen illas nubium firmitudines, &
Tonitru nugas, vel minimum deprehendi. Vidi,
inquam, ſubter pedes meos, fulgura & tonitrua
variè ludere, ubi primum nulla eſſet nubes, nu-
bemque deſcendere, quaſi voce Tonitrui advo-
catam. Adeoque fulgur & Tonitru, cum ma-
gnificentia Poteſtatis divinæ, non autem cum
formidine, ſum intuitus, licet bis fuerim in do-
mo, percuſſa à Tonitru. Magnificentias enim
Domini, eo magis admirando laudavi, quo mihi
eſſent viciniores effectus ejus. Vidi quoque ſe-
mel prope Vilvordiam, atque iterum Bellis, in
Flandria, thecam quandam nigram, quaſi lon-
ga eſſet equitis ocrea, inter querceta, magno
fragore volare, habentem à tergo flammam vel-
ut accenſi ſtraminis. Succedebat verò ingens
nimbus. Itaque cum Tonitru cauſam non ha-
beat planè naturalem, in nubibus meteori, cre-
do prorſus cauſam omnem habere non ſupra,
ſed præter naturam: adeoque eſſe effectum
portentoſum. Inprimis namque credere tene-
mur, Cacodæmonem, eſſe principem mundi
hujus, ejuſque principatum inter fideles non
eluceſcere, niſi ſolo tentatoris officio. Sic nem-
pe dicitur, *Adverſarius tanquam Leo rugiens
circuire, quærens quem devoret*: Id autem non
ex officio principatus. Obtinuit ergo principa-
tum mundi hujus, ut ſit pro judiciis ſummi
Monarchæ, exſecutor aliquis, adeoque ut ſit ar-
biter tonitrui, & fulguris, ſub ſtipulatis tamen
conditionibus. Etenim niſi rejectis repagulis,
à divina Bonitate, frenaretur illius potentia, ter-
ram unico quateret ictu, & mortales perderet.
20 Fragor ergo, ſive vox Tonitrui, eſt Blas ſpirita-
le Cacodæmonis, ingentis ſanè roboris effectus.
Non eſt autem Tonitrui, miraculo conjunctum:
ſed portentum in natura continet. Adeo etſi
ignis fulminis, ſit naturalis: modus tamen, &
medium, ſunt potentiæ diabolicæ. Deus enim
ut pater amantiſſimus, amari vult primariò: per
ſe autem, immediatè formidines non lubens
incutit: eo quod ex timore, & formidine pœ-
næ, aut ſupplicii, amari, non eſt ſuæ Bonitatis.
Ergo ſuæ potentiæ terrores, & indignatæ Maje-
ſtatis formidines, non niſi per appropriatos Ap-
paritores ſpirituales ſibi miniſtros incutit. id
eſt, per ſpiritum terribilem. Idque tota mecum
cenſuit ſemper Antiquitas, quæ Iovem, vel Iova
(quaſi cum Hebræis Iehova diceret) Deum To-
nitruum dictavit. Cum rerum Dominus, & pa-
rens, per tortoris ligatam manum, tonitru ex-
plicat, voluit exin Cacodæmon, non quidem
principis mundi titulo contentus: ſed ſibi no-
men Iehova competere. Tonitru ergo, & ful-
gur, etſi concurrentes cauſas naturales habeant:
Illorum tamen motor, ſpiritus eſt incorporeus.
Rideant Athei meam philoſophiam, nullum
Numen, nullumque ſpiritum abſtractum, cre-
dentes. At ſaltem non poſſunt non admirari
effectus Tonitrui, & ſeſe ignorantiæ cauſarum
ejus, accuſare. Vnam ſaltem hiſtoriam, mille 21
inſtar narrabo. Anno 1554 in tractu Leodienſi,
turris Curingiæ per Tonitru ablata, nuſquam
apparuit: tandem poſt quindenam, in herboſo
Cœmeterii gramine, foſſa aperitur, qua ſutor ſe-
peliretur, & ecce ſub ceſpite immoto, ac viridi,
primum gallus æneus, cum cruce ferrea appa-
ret, dein turris pinnaculum, ac tandem tota
turris effoditur. Vidi ego unico fragoris tono,
me præſente, aliquot myriades quercuum, &
corylorum combuſtas, primo germine, & fo-
liis, tota nempè ſylva, loco, dicta, prope Vilvor-
diam, ubi interim frequens Betula, Fagus, & A-
lanus, denſâ confuſione aliis commiſtæ, à To-
nitru illæſæ permanſerant. Aliàs verò, unico
ictu, multa, longè diſtantia, ſimul ferit. Quis
enim mille artificis varias technas, & ludibria
ſatis explicet? Sufficit plures concurrere actio-
nes ſpirituales, à natura ordinario curſu alienas,
in diſtans quoque, atque in propinquum, po-
tentes æqualiter. Vox ergo illa terribilis Toni- 22
trui, terram verberat, bombyces necat, cerevi-
ſiam concutit, & areſcere cogit, carnes mactati
bovis ſuſpenſas, flaccidas facit, lac coagulat ſubi-
to aciditatis fermento, &c. Sal autem extra, ad
cadi, vel teſtæ labrum, de foris appoſitus, aver-
tit ejuſmodi effectus. Debile ſanè reſiſtens tan-
to agenti, ſi in natura reſiſtens agenti debeat
prævalere. At quid? Cacodæmon ſalem odit, 23
ideoque in ſuis ſcropharum ſabbathis, ſal per-

petuo deficere dicitur: ſat gnarus quod ſal exorziſetur pro aqua luſtrali, quandoque ſale baptizans utatur. Sal etiam non benedictus, imperia ſua peſſumdet. Si ergo ex fructibus arbor, ex operibus, itaque author cognoſcendus eſt, eoque magis, quod tam debilia remedia, tanto reſiſtant robori. Nec ſane facit in contrarium. Quod Deus apparens Moyſi in monte, fulgure, & tonitruo perpetuo, coram Iſrael montem cinxerit. Quin imò exin confirmatur, fragorem, tonitru, fulgura, eſſe miniſtrorum ſpirituum, ſpirituum, inquam, Tortorum & exſecutorum: ſiquidem ſub indictione mortis, Iſrael ab aſcenſu montis arcebatur. Nec enim ideo in apice montis erant tonitrua; ſed infra circum montem. Nec etiam omnipotens Heliæ apparuit in turbine, aut forti vento: ſed in aura ſuavi. Pro corollario huc referam decretum Eccleſiæ: Quæ in benedictione campanæ certas præſcribit formulas, quibus confirmat præſidentiam in Tonitruo, eandem, quam hoc capite præſcripſi. In verbis enim, habent exorciſmi ſui. *Procul pellantur omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum: temperentur infeſta tonitrua, ventorum flamina*, &c. *Proſternat aëreas poteſtates dextera tuæ virtutis, & hoc audientis tintinnabulum, contremiſcant, & fugiant. Ante ſonitum ejus, longius effugentur ignita jacula inimici, percuſſio fulminum, impetus lapidum, læſio tempeſtatum, &c.* Quorſum nimirum conſpirant omnes exorciſmi contra tempeſtates. Nam grando, ventus, pluviæ, nubes, &c. ſunt meteora naturæ: ſed jaculatio tempeſtuoſa, ſuperans caſum corporis granis, aut venti fluxum, à poteſtatibus malignis, facta intelliguntur. Hæc quidem de tempeſtatibus aëris, grandinis, & maris ita confirmantur: ſed in Tonitru, nedum ipſa fulgetri, aut lapidum jaculatio: verum inſuper fragor tonitrui, à poteſtatibus aëris, ac hoſtibus pendet: utpote, quod nulla nubium, aut aëris laceratio, poſſit ejuſmodi fragores, horumque effectus edere naturaliter: niſi portentoſæ & hoſtiles poteſtates ſeſe immiſceant, & colludant.]

TERRÆ TREMOR.

1. NOmen terræ motus improprium. 2. Copernici opinio. 3. Facti ſpecies. 4. Conſonant Scholæ omnes in cauſis, cum Ariſtot. per 21 ſæcula hactenus. 5. Demonſtratur Scholarum opinio impoſſibilis, à defectu loci. 6. Idem à ſuppoſita vi exhalationum, quomodocunque ſumatur. 7. Item per regulas proportionis ac motuum. 8. Exhalationum ortus, quantitas, poteſtas, progreſſus, modus fiendi, hoſpitium, & celeritas, ridicula omnia. 9. Impoſſibilia demonſtrantur hæc omnia. 10. Deeſt cauſa ortus. 11. Probatur per regulas falſi, & abſurdorum. 12. Quod ſuppoſitis ad lubitum Scholarum nugis, modus adhuc ſit impoſſibilis. 13. Data exhalatione ad optatum: attamen inde tremorem terræ impoſſibilem. 14. Diſruptiones præ pavore penetrationis corporum, differunt ab ea, quæ præ exhalationum ſuppoſita lenitate contingeret. 15. Probatur impoſſibile, ex natura compoſitionis exhalationum. 16. Impugnantur, quæ ex conniventia falſi conceſſa erant. 17. Putei, & ſpecus, toto anno, in ſui profundo, æqualis ſunt temperamenti. 18. Exhalationem non eſſe, ut nec Gas igneum. 19. Exhalatio nequit terram elevare ſui levitate. 20. Veſica aëre repleta, non emergit efficienter ex aqua, propter ſui levitatem: ſed occaſionaliter. 21. Gravitas, qualitas activa: levitas autem cum nullum pondus habeat, nihilum ſignificat. 22. Tria inde deducta notabilia. 23. Modum Tremoris terræ, à Scholis datum, eſſe impoſſibilem. 24. Ignorantia Scholarum, de proprietatibus levitatis. 25. Elenchus Scholarum, ex ignorantia: 26. Qualiter in hoc deluſæ Scholæ. 27. Novum ob errores ſophiſma. 28. Terræ tremor, portenta dicit. 29. Terra tremit concuſſa divinitus. 30. Vnica Tremoris terræ cauſa. 31. Solvitur objectio cujuſdam. 32. Terra non ſentit modo animali. 33. Tremor terræ quid propriè portendat. 34. Piacula differunt juxta peccata. 35. Propria incitatrix cauſa. 36. Quid tremor terræ deſignarit in reſurrectione Domini. 37. Reſponſio ad objectionem amicam.

DE terræ tremore, ejuſque cauſis, 1
atque finibus dicturo mihi, ante omnia de nomine incipiam. Motus ſolet vocari, at nomen nimis generale mihi viſum, ac valde improprium; Siquidem dum terra, vel aliud corpus grave deorſum properat, dicitur ſeipſum movere, adeo ut aqua fluens, rotam movet activè: In terræ verò tremore, videtur eſſe motus paſſivus, adeoque per accidens, ſibi improprius. Nicolaus Copernicus, 2
per plurima phænomena, contendit terram circulariter moveri, cum orbe lunæ, cumque nullus motus globo ſit proprius, niſi ſphæricus, atque is terræ non conveniat, juxta decretum Eccleſiæ; ideo nomen motus, à terra ſuſtuli, ac mutavi, ut nempè potius pavida, tremere dicatur. Siquidem paſſivè, à vi quadam immenſa, percuſſa terra, ſive comminata, metu,

atque horrore veluti ſuccutitur, non autem gaudio ſubſilit; Siquidem aliquid funeſti, ac præter conſuetum naturæ curſum horridi, tolerare videatur. 3 Itaque primum ſtabilito tremoris nomine, deinde occurrit facti ſpecies. Enimverò nox erat, inter diem tertiam, & quartam Aprilis, anno 1640 quadrans verò poſt horam tertiam, à nocte media. Luna poſt biduum inde, plena, & dies Mercurii ante Paſcha, quando Mechlinia (ubi tunc eram propter cauſas) inſigniter tremuit, & ſubſiliit tribus repetitim acceſſibus, ſingulaque invaſione tremor duravit, paulo minus quàm eſſet ſpatium ſymboli Apoſtolorum; Acceſſum verò quemlibet, immediatè præceſſit mugitus quidam in aëre, & quaſi rotarum actio, qua majora tormenta bellica per plateas vehuntur, terram ſuccuteret. Nox inquam ſerena, clara, ventis expers erat. Siquidem propter cauſam reviſionis tum ventilatam, paulo ante mediam noctem, domum redibam. Cubabam autem juxta Diliam in Commendataria Teutonica, vulgo Pitzenborg, pro more, & humanitate Illuſtris viri Domini Wernheri Spies à Bullensheim ord. Teut. Commendatoris provincialis Bulliniæ confluentiæ, ac Commendatoris Pitzenburgici; Toparchæ in Elſon, Herren nolheum, *&c.* exceptus, remotus autem à plateis, per 70 paſſus. Deinde didici ab amicis, iiſdem penè momentis, iiſdemque tribus repetitim vicibus, pari intervallo diremtis, ſimilique comitante mugitu, tremuiſſe Bruxellam, Antverpiam, Liram, Gaudanum, Montes Hannoniæ, Namurcum, Cameracum. Deinceps audivimus idem accidiſſe in Hollandia, Zelandia, Friſia, Luxemburgo, & Gelria, imo Francofurtum ad Mœnum uſque, non minus tremuiſſe. Metziis aliquot turres dirutas, & nova ædificia, prope Theonpolin corruiſſe. Tremuiſſe quoque Weſtphaliam, imo Ambiavum, & Galliæ finitimas oras. Vniverſa iſthæc nimirum tremuiſſe eodem nunc, licet propter ſphæræ globum, horologia dierum nuncia, neceſſariò diſcreparent. Tractus eſt ad minimum ter centum, ſexaginta leucarum, ſingulis ejus circuli minimis locis, æquali ubique formidine trepidabat ſolum. Neque enim cuſtos in vaſtiſſima turri ædis Mechlinienſis, ſecus ſuccutiebatur, quàm humili caſa cubans quilibet. Non aliter inquam accola Scaldis, inſularum incola, & pratorum civis, quàm qui editiore colle morabantur. Par omnium, ac ſingulorum tum fortuna. Denique intellexi, Naves in portubus Hollandiæ, atque Zelandiæ, malis, atque antennis concuſſas, abſque vento. De cauſis proximis tanti effectus, eſt Scriptorum multa conformitas. 4 Moderni, inquam, Ariſtotelis monita ſorbentes, ne latum inde unguem receſſerunt hactenus. Quanquam ſua inventa, antiquorum præceptis addiderint. Scholæ itaque, docent terram tremere propter aërem, ventum, vel exhalationem ſubter, & in cavernis ac poris terræ congregatam, quæ foras exitum quærens, ac faciens ſubinde ſibi, terram ſubſilire faciat. Hinc namque non rarò, per hiatus, atque fiſſuras, mox erumpens, exitialibus morbis ortum dederit. Hæc eſt Scholarum traditio, à viginti & uno ſeculis, toto orbe recepta. Quæ, ſi mihi viſa eſſet finibus divini numinis conſentanea, à ſcripto deſtitiſſem. Viſa nimirum eſt mihi conſita ponderoſis anxietatibus, & inevitabili abſurditate, adeo ut non parum anilis, figmenti contineat. Tam ſcilicet humanum genus ſponte in torporem vergit, ut quaſi detruncata ſpe diſcendi, omnes ſcientiarum theſauros, uno in Ariſtot. exhauſtos, ab ulteriore indagine, velut ceſſandum eſſe juſſerit. Ego itaque; primùm impoſſibilitatem oſtendam illius doctrinæ, ac dein meam opinionem, non ethnicis ſomniis ſtabilitam, ſed altioris authoritatis doctrina confirmatam edocebo.

5 Inprimis enim, terra eſt actualiter, certis ſtratis, ſoleis, ſive fundis diſtincta. Externus ſiquidem terræ fundus, conſpicuo arenoſus eſt, argilloſus, luteus alibi, fimoſus, griſeus, albus, flavus, niger, rubeus, *&c.* variis ludens diverſitatibus. Subter quem, plerumque eſt ſabulum, & hoc ipſum, magna ubique varietate diſcriminatum. Subter hunc verò fundum tandem mons ſiliceus (quem *Keyberch* vocant) rupium ſtratum, & origo, atque mineralium prima radix. Ac tandem ubique hunc fundum ſubter, eſt arena vivens, ſabulum bulliens, *Dreſ, ſive quellem*. quod in centrum mundi uſque, ſui continuitate aquis perlutum, extenditur. Ac quanquam non ubique omnes ex ordine fundi præfati ſibi invicem ſuccedant; attamen *quellem* utrobique eſt ſtratum mundi poſtremum, licet non rarò immediatè aëri expoſitum, ac conſpicuum. (Vt de fontium origine, libro de fontibus Spadanis) Hoc itaque ſemel ſuppoſito, dico, quod locus, ubi exhalatio eſſet, quæ tremoris terræ cauſa creditur, deberet ſtatui in aliquo, vel inter aliquem dictorum fundorum, cum in terra non ſit locus, extra prædicta ſtrata. Ad ſubverſionem autem illius doctrinæ, requiritur demonſtratio,

ſtratio, quæ ex ſufficienti enumeratione ſtrato-
rum, oſtendat impoſſibilem ejuſmodi exhala-
tionem, in aliquo dictorum fundorum contine-
ri, aut ſuſcitari poſſe, aut ibidem ſi eſſet ſuſcita-
ta, non habere poteſtatem formandi tremorem
terræ. Quo ad trium membrorum primum
(nempe non poſſe contineri aliquam exhalatio-
nem ſub terra, quæ ejus tremorem faciat activè)
probo. Non imprimis ſubter extimam, luteam,
ſive primam terræ ſolvam, aëri vicinam, morta-
lium habitationi deſignatam. Quia ſic non tre-
pidaſſet turris S. Rumoldi, ut nec ædificia, im-
mediatè ſuper *quellen* ſtructa. Vt nec naves, ſine
ventorum turbine, in profundis aquis, longè à
fundo ſabuli, remotæ. Nam dato, quod fundus
Maris, æque atque alias terra habitata tremeret:
non tamen abſque vento, & procella, aquæ ſu-
perficies, ejuſdem trementis ſabuli tenorem ſer-
varet. Quod tamen falſum eſſe deprehenditur,
nam & volantes aves, terræ ſentito tremore, non
deciderent, velut perculſæ in ſignum, quod et-
iam aër ipſe tremat. Colliqueſcent nempe in con-
ſpectu Iudicis, quandoque elementa. Ergo ſi a-
qua non minus, quàm ipſ[illegible]met quieta terra tre-
mat, deſignatur, ejus cauſa eſſe in globo, ſive
quod terra & aqua, eodem percuſſionis ictu, una
cum aëre, ſentiant pavorem, ſive manum Per-
cutientis teſtentur. Demum, neque exhalatio,
cauſa tremoris terræ, poteſt in ullis arenarum
fundis habitare: quia tunc paludes, prata, & lo-
ca, quibus infrà lutum immediatè *quellem* ſub-
ſternitur, non trepidaſſent. Quod æquè ac præ-
cedens, à veritate facti eſt alienum. Tertio de-
nique, nec poteſt ejuſmodi exhalatio, ſubter
Keyberch occultari. Nam toto circulo, paucis
locis exceptis, quo terra tum tremuit, pari mo-
mento, fundus *Keyberch* non extat. Tandem
nec intra *quellen*, oriri aut detineri poſſet exha-
latio, ſufficiens tantæ moli, pari furore ſuccu-
6 tiendæ. Vtpote *quellen* (vicinum aëri non raro)
& in centrum univerſi uſque, continua ſui uni-
tate, & aquarum permiſtione connexum, facile
ejuſmodi exhalationem exſufflaret, priuſquam
tantam ſimul molem pariter attolleret. Inex-
cuſabilis nempe eſt neceſſitatis, eo quod exha-
latio ejuſmodi erumperet, parte magis debili,
minus gravi, minuſque reſiſtente: Id eſt, loco
minimè ponderoſo. Adeoque ſub theſi datæ
exhalationis, non poſſet omnium locorum eſſe
par tremor. Quod repugnat facto. Nam ante-
quam tam ingentia pondera, per tam vaſta, va-
riaque Soli, & aquarum ſpatia, ſimul, unoque
momento attolleret exhalatio, quæſiiſſet atque
inveniſſet ſequacia, atque debiliora loca, per
quæ, ſibi viam erumpendi feciſſet. Alioqui
namque, pugnaret exhalatio, contra naturæ,
proportionis, & motuum regulas, quæ æquali-
ter, & ſimul omnes Belgii, magnamque Germa-
niæ partes elevaret. Maximè ubi non æqua cu- 7
juſque loci capacitas, qua exhalatio hoſpitare-
tur, non æqua incumbentis oneris ſarcina, aut
reſiſtentia ponderis, ſicut nec poſſibilis eſt æ-
qua illius exhalationis ſuſcitatio, ut ſimul, uni-
coque ferè momento, per tot tractus, pariter
ageret. Quod eſt dicere, impoſſibilem, poſita
exhalatione, motrice tremoris terræ, æqualita-
tem in ſimultate, & poteſtate motus, per tam
ingens ſpatium, per tantam Solis, Cœlique diffe-
rentiam, renitentiam, & ponderis heteroclita-
tem: cum agens ejuſmodi exhalatio, locorum
varietate, moventis differentia, magnitudine,
activitate, celeritate, ſuam dimetiens efficaciam,
neceſſariò impar, locorum etiam imparitatibus
obedire deberet. Ridicula ergo eſto exhalatio- 8
num quantitas, ortus, poteſtas, hoſpitium, &
celeritas, quæ tot urbes, montes, valles, colles,
aquoſa, prata, flumina, maria, inſulas, tamque
vaſtam molem, longe latéque diſſitam, uno ſi-
mul momento, pariformiter, ac repetitim ſuc-
cuteret, citiuſque quàm ſibi exitum quæreret,
inveniret, faceret. Nunc verò ad ſecundum 9
probationis membrum accedens: nempè quod
in præfatis terræ ſtratis, impoſſibilis ſit ſuſcita-
tio exhalationis, quæ ſit cauſa tremoris terræ:
Aporrhea qualiſcunque ſtatuatur naturalis, &
per ſui cauſas examinetur. Exhalatio, quæ ſup-
poni poteſt motrix terræ, non eſt imprimis va-
por, ſive aquoſus halitus, eo quod ille, ociſſi-
mè rurſus in aquam, per compreſſionem, quo-
tidie redeat ultro in noſtris alembicis: ſed ex-
halatio Ariſtoteli, præcipuè his neceſſaria ter-
minis, eſt effluvium è corporibus calidum, &
ſiccum (plerumque etiam oleoſum) è partibus
ſiccis, acri calore, in formam aëris, elevata, aut
ſurgens fumus. Sed optarem, Scholæ, reſpon- 10
deant, quis igitur demum erit iſte actualis, æ-
qualis, & connexus calor, ſub mari, fluminibus,
ſtagnis, pratis, ac ſubter *quellem?* Siquidem
oportet calorem, & ſiccitatem, actuales & fortes
eſſe, quæ ibidem effectui tam inſigni ſat ſint:
non autem qualitates potentiales, nudas, remo-
tas, poſſibiles, ſive ſomniarias. Quis calor ille,
à quo, & unde ſuſcitatus, in profundiori frigo-
re: Quis calor ille tam brevis, tam fortis, tam-
que interruptus, qui poſt pauculos rigores tre-
pidationum ceſſat: neque de novo terram trepi-

dando quatit? Nam ſi in calore eſt cauſa tanti motus, non erit ſaltem poſt motum, in calore, cauſa tam ſubitæ quietis. Quæ demum eſt ſiccitas, igni connexa, quæ è veſtigio ſubter terram & aquas, uniformiter per totum Belgium, exſiccatis aquis, ſuccendat ignem, patronum 11 tantarum exhalationum? Sed agedum, fingamus ludendo, donemuſque, calorem actu, ſubter aquam & terram, qui ſit accendendo: ſaltem magnus ille, ac pervicax, inſolitaque ejus actio, quæ ante rei ſiccitatem exhalationes ſuſcitet? Anomalus utique effectus, hactenus inter pyrotechnicos nondum viſus. Iterum fingamus & alia abſurda, ignem actualem, violentum in aqua, vel ſubter aquoſa, poſſe ſine fomite ibidem naſci, & ſine pabulo ſuſtentari, pergere, dudumque perſiſtere: at ſaltem, non poterit is vapores, multoque minus exhalationes concluſas, excitare arctoque loco detinere, quæ iſtum ignem extemplo non ſuffocent; irritamque faciant exhalationum iſtarum ſufficientiam, vires, ac ſucceſſivam generationem. Siquidem in cuniculis mineralium, ſi ſubinde ſupernè, novo aëris afflatu non recreentur, ſtatim lucernæ extinguuntur, ſimulque foſſores flatu atque vita privantur. Sin autem ut ignis, utque exhalatio ſubſiſtant, donec ſatis, donetur reſpiratio. Iam eo ipſo, ſua proles exhalatio motrix, iſthac primò exſpirabit; vel ſi non ſufficienti reſpirationi ſit locus, neceſſario utique ignis ſuffocabitur, nec locus erit pro tanta ſucceſſiva exhalatione, ſive, pro repetito acceſſu tremoris terræ. Fingamus iterum, non quidem ignem, aut actualem calorem, præfatis terræ ſoleis, hoſpitari ſubter aquas: ſed totum Belgium habuiſſe omnibus locis aliquid, pulveri tormentario ſimile, quod tandem ſubter aquas propria maturitate, vel occulta aſtrorum conſpiratione, accendatur ſimul, & ubique, atque eatenus extemporaneam exhalationem, ubique 12 locorum æqualem, ſubminiſtret. At nec quidem ſub tot nugis, tunc totum Belgium, alias quam ſemel ſubſiliret, atque id locis tenerioribus, minuſque profundis, & ponderantibus hiaſſet, ejuſque aliquot fruſta in altum diſſiliiſſent, & ſequeretur ibidem caminus illius flammæ exhalantis. Non autem Belgium & pars Germaniæ, proinde tremuiſſent. Simul enim atque ſemel alicubi terra in faſtigium ſurrexiſſet, qua hiaſſet; non autem ſæpius, velut rigore febrili trepidaſſet. Siquidem actio accenſionis ſuppoſita, fieret duntaxat, ut impediretur corporum penetratio. Igitur quoad tertium punctum. Quod nempè etiam data exhalatione 13 ſufficienti, ſubter terram, nihilominus ſit impoſſibilis terræ tremor. Incœpi quidem jam probare, per conceſſa quædam figmenta. Alioqui quomodocunque ſumatur exhalatio, & ubicunque ſtratorum illa ſupponatur, non tremeret inde terra: ſed alibi, ubi minimæ eſſent reſiſtentiæ, ſurgeret in cumulum vel gibbum, donec hiaſſet, ſibique exhalatio, per ingentem voraginem exſpirando, iter feciſſet. Quæ cum non reperiantur accidiſſe. Ruit etjam hactenus Scholarum traditio. Inprimis 14 namque, ut clarius conſtet, aliam eſſe actionem, & actionis modum, quando propter metum penetrationis corporum, res diſſilit, atque aliter operari naturam, propter ſuppoſitam exhalationum levitatem, erumpere nitentium, adverte mechanicam. Sit lagena vitrea capax, ſpiſſa & fortis, infunde illi uncias quatuor aquæ fortis, paratæ, ex ſale-petræ, alumine, & vitriolo, ſiccatis ſeparatim. Illi autem aquæ injice pulveris ſalis armeniaci unciam unam, ac confeſtim claudatur collum vitri, per liquationem. Quod dicitur ſigillum Hermetis. Quamprimum incipiet ſpontanea actio, & copioſa (inviſibili tamen) exhalatione vas impletur, ac utut fingatur ferro fortius, tamen mox in fragmenta periculosè diſſilit, propter metum penetrationis, non autem ratione levitatis multarum exhalationum. Siquidem etſi diſſiliat, propter multitudinem, & compreſſionem leviſſimarum, & inviſibilium exhalationum; levitas tamen earundem, in hoc nequicquam momenti habet. Quoniam ſi horum aliquid, levitatis ergo, contingeret, ipſum vas vitreum ante ſui diſruptionem, ſponte in auras attolleretur, & ſurſum avolaret. Quia minoris operæ eſt, pondus 3 aut 4 librarum attollere, quam diffringere vas fortiſſimum. Ergo exhalationes quæ diffringunt vitrum, multo potentius vitrum elevarent, ſi non inane levitatis ſubſidium, Scholæ ab exhalationibus mendicarent, pro terræ tremore. Si ergo exhalationes non valeant ſui levitate, vas in quo clauduntur, attollere, multo minus tantam terram vaſtamque molem. Denique omnis 15 exhalatio, cum ſit corporis alicujus, omneque corpus ſi ſeparabile ſit, dividitur in ſalem, ſulfur, & mercurium: ſitque pars mercurialis, pars aquoſa corporis: ergo neceſſe eſt, omnem exhalationem eſſe de materia ſalſa & oleoſa. Eamque prius ſuſcitari ante partem aquoſam. Quod in vitris noſtris nondum ſic contigit, æquabili caloris actione. Si igitur exhalatio ſalſa eſt, facile in terram imbibitur; quod videre eſt in omnibus prorſus aquis, & exhalationibus quorumcumque ſalium: quæ agendo ſuper terram, coagulantur in ea, & activitatem omnem amittunt. Ergo ſi in terra excitarentur, deſiiſſent, antequam eſſent, ſive in fieri eſſe finiiſſent. Sin verò eſt oleoſa exhalatio, illa ſanè in terram depoſita, olei priſtinam ſpeciem reaſſumit, & ſic concreſcit. Quod cum facile fiat, non poteſt cogitari, quomodo exhalatio, ſui levitate, tantam terræ ac immenſi ponderis molem titubare faciat citius quàm coagulandi conſilium ineat. Atque in omnem eventum, non eſſet locus, niſi uni elevationi terræ, ejuſdemque ſubſidentiæ unicæ, poſt repertum aliquem hiatum: non autem excitandi tremulam trepidationem. At hæc ſunto ſomnia in aquoſis, pratis, lutoſis, ſtagnis, mari, fluminibus, &c.

16 Itaque abſurda, quæ conceſſi antè, ludendo, ſeriò nunc impugnabo. Inprimis cedo, quis calor iſte tam inſolitus, qui ab anno 1580 uſque in annum 1640 non viſus Mechliniæ? ut neque terræ tremor? quare non quotannis? quare in Aprilis, ſub nocte frigidiſſima, dum pridie multum ninxerat? ſub continuo borea? Et non ſub canicula? An quia tum terræ interiora calent? Quare ergo non quotannis in Ianuario? At ceſſat hoc argumentum Veterum, poſt repertum inſtrumentum, ambientis gradus dimetiens. 17 Nam reperiuntur putei, & ſpecus, æqualis toto anno caloris, & frigoris. Iterum. Quare tantus calor, exhalationum excitator, ceſſat tam repente? præcipue ubi exhalationem tantæ molis motricem excitet? quo fomite ſub aqua accenditur? quo pabulo vivit, & ſubſiſtit? qua lege ibidem non ſuffocatur? quo privilegio deſpicit reſpectus corporum, locorum, & ponderum? qua demum prærogativa, exhalationem tantæ vaſtitatis, citra humidos vapores, ſuſcitat è corporibus udis: Aut ſi vapores, pro more ordinario ſimul elicit, cur hi, tanti calorem non mitigant? extinguunt? ſuffocant ſimul, cum ſororibus, ac ſubſequentibus exhalationibus? Quæve iſta eſt exhalatio, quæ vaſtam turrim Mechliniæ, non majori reſpectu ſuccutit, quam humilem caſam? nec ullam reſpicit immanis ponderis renitentiam? quæ vel pariter in propinquum, ac in diſtans operatur? vel ſimul, ubique & pariter, per totam ſuperficiem reperit ſui centri collectam potentiam, ut ſimul ubique pariter uno momento, æqualiter, & æque fortiter operetur? Cur per neceſſitatem cauſarum naturalium, filum non frangitur parte debiliori: ſed cuncta ſimul eandem violentiæ legem ſubeunt, imo & ſuſtinent? Certè ſi ritè hæc cogitentur, reperitur in terræ tremore, vis quædam operativa, infinitæ poteſtatis, quæ montes turreſque elevat, ſine reſpectu levitatis, aut ponderis, quaſi nihil potens ſit, reſiſtere virtuti motrici huic.

18 Cæterum probavi exhalationem ſi qua ſit, terræ tremoris efficiens motrix, nec eſſe de ſalium proſapia, nec de ſulfurum, ut neque mercuriorum (quippe quod hæc non ſit exhalatio, ſed vapor aquoſarum partium.) Reſtat ergo, ut non ſit exhalatio: ſed ipſum Gas, non ſuſcitatum effluvium corporum à calore: ſed potius effectivum reſiduum poſt ignem. Nimirum Gas ſolius flammæ ignis, vel natæ ab hoc fuliginis. Sed neutra etiam harum exhalationum poteſt eſſe cauſa effectrix terræ tremoris. Ergo ſi nulla harum exhalationum ſit motrix terræ, nulla prorſus erit, (cum non reperiatur alia;) & per conſequens eſt inane figmentum Scholarum, quod in tremore terræ ſibi credi volunt. Quod ſi verò aufugium meditantes, dicant, non exhalationem calore excitatam, nec ſiccitate partam: at cauſis ſuis conſtitutam, anonymam aporrheam, ſe intelligere. Qualiter nimirum Ariſtoteles cuncta ſaxa, lapides, mineralia, itemque ſal maris, cometas licet globo terræ centuplo majores, & ventos omnes, quibuſdam anomalis, nonque explicatis exhalationibus, prodire ſcribit, ventos in eo contra aërem diſtinguens. hoc, inquam, eſt cum Ariſtotele delirare velle, & ignarum phyſices, cum eodem, remanere. Denique, impertinens eſt, Ariſtotelem citaſſe, & per ſuam authoritatem tueri velle ſuos errores. Attamen contra Scholas ratione agam: ut cum ſe tam rationales prædicent, rationi arma tradant. 19 Dico ergo; Nulla exhalatio poteſt eſſe aëre levior, ſimplicior, aut ſubtilior: eo quod hic ſit corpus elementi ſimplex: illa verò ſit corpus concretum; adeoque ut ut ſit, habet in ſe corpus grave, quo aër caret. Non eſt tamen aër, levior corpore quod abſque pondere eſt, Id eſt, aër non eſt levior ſeipſo, nec poteſt quicquam præter ſe elevare, niſi per motum flatus, aut fluxus, Id eſt, per Blas. Quo ceſſante, etiam corpus quod ſuſtulit, ſidit. Unde concludo, quod aër vel ventus, ſive concluſus ſit, ſive liber, nequeat terram attollere ratione ſuæ levitatis ſolius. Niſi forte externo movente violentoque feriatur: atqui hoc caſu ceſſat vis exhalationis, cum ſit vis impellens, quæ moveat:

non autem ipſa exhalatio. Quippe quæ tali caſu,
eſt tantum medium, ſive organum motus,
non autem vis motiva principalis. Multoque
minus id congruum eſt exhalationi; quippe
quæ aëre eſt craſſior, & ponderoſior, quatenus
20 aquam continet. Probo per Mechanicam. Veſica
aëre diſtenta, emergit extra aquam, non
primariò: quia aër levior ſit aquâ: ſed quia aqua
eſt corpus grave ac fluidum; ideoque non patitur
ſe extra ſuum pelli locum, à corpore leviore.
Primarius nempè niſus aquæ eſt, ſe jungere
aquæ, unde eſt ſeparata: ſecundarius ac velut
per accidens, exprimere per ſui concidentiam,
quidquid ſe levius eſt. Gravitas ergo, non levitas,
in hoc operatur, ob rationem mox dicendam.
Sit veſica capax ℔ iij. aquæ, ponatur in
foſſula, tegatur terra. Profectò, ne ſemiunciam
ſuperfuſi pulveris à ſe diſcutiet. Imo nec veſica
cupiet extra arenam ſiccam ponderoſiorem eminere.
Ridiculum ſit ideo, quod veſica, pendens
ſemiunciam, ab ulla aëris levitate ſponte
in aërem unquam evolet. Si ergo non veſicam
multus aër attollat, multò certè minus aër aſſurget,
ſub immenſo Belgii pondere depreſſus. Elementa
nimirum, ſeipſa primariò, ac tantum, reſpiciunt;
univerſa verò agunt, ſui ergo. Ideoque
lagena vitrea, aëre repleta, & ſepulta, nequicquam
è terra emergere conatur; eo quod
aër ſit ubique in ſuo loco naturali, quoties ſpatium
eſt, non alio corpore repletum, nec pro
exitu ſollicitat. Ergo ſi infra terram ſpecus ſint,
aër in iis naturaliter ab omni motu locali quieſcit.
In locis verò, ubi arena concidit, tanquam
corpus fluidum, ibi quia pulvis vacuum opplet,
ſuique gravitate concidit, & per accidens aërem
exprimit. At non propterea, iſte motus terræ
aut aquæ, fit efficienter ab aëris levitate: ſive
quod aër, proprio ſuæ levitatis motu, ſeſe ſurſum
21 moveat, ac ſcandat. Sed (Nota) in hoc
ipſa gravitas, eſt cauſa efficiens, activa, primaria,
ac totalis: cum gravitas habeat reale pondus,
ſitque qualitas activa: ex oppoſito verò levitas
aëris nullius rei eſt effectiva, cum nullum
pondus habeat, dicit neceſſariò nihilum: neque
ullam agendi energiam habere poteſt. Vnde
eſt conſequens 1. levitatem aëris operari nihil:
nec veſica, quæ ingens eſſet, & tantum grana
ſex penderet, ab incluſo aëre quantumvis
magno, ſponte attolli poſſe, alioqui (quod falſum
eſt) aër levior eſſet, quàm id, quod nullum
pondus habet. 2. Aërem non eminere extra
aquam ob ſui levitatem, tanquam qualitatem
actricem, ſive motricem natationis; ſed gravitatem
eſſe qualitatem realem, quæ aërem expellit.
3. Ideoque abſurdum eſſe Scholarum
thema, quo aër, vel exhalatio, in tremoris terræ
cauſam efficientem ſtatuitur, ob ſui levitatem,
quaſi terram attollendo ſuccuteret. Quamobrem 22
cum jam ſat probatum ſit, 1. non eſſe locum
in ſtratis, ſive ſoleis terræ, quo hoſpitetur
aliquod corpus aëreum, ſive id ventus ſit, ſive
aërea exhalatio: ſed quo profundius is locus
fuerit quæſitus, eo majores inſurgunt difficultates,
tam propter aquæ majorem abundantiam,
quàm graviorem terræ ſarcinam deſuper, adeo
ut infinitæ ſit velut poteſtatis, quod terræ tremorem
faceret. 2. Deinde, nullum eſſe poſſe
ignem, calorem, ſiccitatem, alumine excitatorem
exhalationis tantæ poteſtatis: ſive correlativum
ejus. Nullam ejuſmodi exhalationis in
natura ibidem ſubſiſtere poſſibilitatem. Ac tertiò
tandem. Exhalationem nullam, ratione levitatis,
aliquid operari, aut corpus grave attollere,
multo minus tam vaſtam terræ regionem.
Concludo igitur, vacuum eſſe Scholarum figmentum,
quidquid de terræ tremore edoctum
eſt hactenus. Quod iterum ex abundanti fortius
confirmandum eſt. Quocirca edocebo, 23
modum tremoris terræ à Scholis edoctum, eſſe
prorſus impoſſibilem. Fingamus ergo iterum
abſurda, ut tanquam ex regula falſi, Scholarum
error detegatur. Donemus nimirum veſicam,
è materia ductili, omni ferro millies fortiorem,
ſubſtratam (neſcitur quo fundo) per totum Belgium
& Germaniam, ſubter montium, urbium,
marium, & fluminum baſim. Mille verò ingentes
folles, circumquaque firmiſſimè, ac optimè,
annexos. Vt ergo attollere queant totum Belgium
ſimul, neceſſe eſt, illos folles, horumque
poſtes, & axes, tam fortes eſſe, quantum ponderi
attollendo ſatis forent. Deinde requireretur
manus, vel agens, tanti roboris, ut totum
Belgium, ſua palma queat attollere, vel aliàs iſtos
folles vento plenos comprimere non poſſet. At
tale agens non eſt in rerum natura ſublunari:
etſi cætera data abſurda adeſſent. ergo frivola
eſt aëris, vel exhalationis inanis levitas, & innata
erumpendi cupido. Ideo nequicquam ambigo,
negare cauſam naturalem à Scholis datam,
à diabolo inventam, ut ſuus Deo meo obnubiletur
honos. Scholæ, quia hactenus ignorarunt, 24
quod levitas non ſit qualitas activa, adeoque
multo minus eſſet montium everſiva: conſiderarunt
verò quandoque, fodinam, antea coopertam,
mox à tremore terræ, fœtidum virus eructaſſe,
ac hiatum ſibi feciſſe: ſunt ideo per incogitan-

cogitantiam, & inſcitiam auſæ, hunc effectum per accidens, in cauſam per ſe, tremoris terræ referre. Quæ ut lucidius appareant, fingamus iterum præfatam veſicam ſubter Belgium, ſua ſponte, vel aſtrorum influxu, (quando nempe ratio deficit, ſemper ignari, ad Aſtra, cauſaſque longinquas, & in teſtes non citabiles,recurrunt) corpore aëreo diſtenſam, nec eſſe folles, ut neque foramina circumquaque. Tum ſaltem corpus Belgii totius, incumbens,ſuo pondere præfatam veſicam, ſic premeret, ut, ſi non diſſiliat, ſaltem in parte infirmiore, minuſque ponderoſa, contentum ſuum eructaret. Quo nacto, jam quidem adeſt cauſa, compreſſionis veſicæ, & caſus Belgi, cum apertione alicujus hiatus. At nondum ſublationis cauſa illius veſicæ eſt reperibilis,multoque minus ſucceſſionis iteratæ trepidationis, atque tremoris. Denique nec ejuſmodi veſica,ejuſque ſubſtantia eſt poſſibilis, ſine qua, etſi locus eſſet in terra, non eſt tamen aptus, alendæ, aut ſuſcipiendæ illius exhalationis. Imo poſitis terminis veſicæ præfatæ: ſaltem aër,aut exhalatio nil operatur, ut ſui levitate attollat terram: ſed ſi terra concidat, non reperit ſibi adhoc cauſam in levitate detenti aëris: cum totalem cauſam in pugno ſuæ gravitatis claudat: & ad menſuram incumbentis ponderis, expreſſio aëris ſit metienda. Itaque ſuppoſita iterum veſica, ſi aër vel ventus aliquis flaret de foris in præfatam veſicam,compreſſam,humi jacentem, omnique corpore vacuam. utut fortiſſimè flaret, nequicquam tamen veſicam inflaret, ſiquidem incumbens Belgium, illam comprimeret. Quod ſi verò,loco venti, aut aëris,quæratur exhalatio ignea; Iam ante impoſſibilem ignem, tantique effectus, per totum Belgium exhalationem fabuloſam demonſtravi. Tandem deficit, & iſta veſica continua, tam fortis ductiliſque, quæ dorſo ſuo Belgium,maria,flumina, & longè amplius ſuſtineat. Nam etſi eandem conceſſerim: non eſt quod putem eam eſſe: ſed quod ea ſuppoſita, adhuc tanta abſurda conſequantur,ac tandem ad adynaton Scholæ colliſæ ſint.

26 Hujus ſomnii initia, ruſticis dedere (unde Scholæ habent) loca montana, ſulfurea, minerarumque domicilia. Ah! miſerandus ubique torpor,indagandis effectuum cauſis? Mons Soma, ſive Veſuvius, prope Neapolim, aliquot jam ſecula arſit ſulfure, & marcaſitis. Habebat autem hiatum in cacumine, qua fumi atque flamma exſpirarent, ſatis amplum. Nimirum ad trium arpentorum forte amplitudinem. Camera autem, flammæ proxima, ut jam ſat toſta, rimarumque plena, tandem circa 16 Decembris anni 1631, uno repente caſu, in flammæ voraginem decidit. Eſt autem quibuſdam tam metallis, quàm marcaſitis candentibus, inter liquandum, proprium, ut ſi quicquam aquæ inciderit, cuncta diſſiliant: liquata ergo ſulfura, cum marcaſitis, in viſceribus Veſuvii, non ſine ingenti cataclyſmate tolerabant decidens rupis toſtum fragmentum: quin totum flamma evomeret, quidquid ſupernè illapſum erat, & amplius. Nec hoc ſuffecit. Quin inſuper aliquot fontes, ſupernè in caminum ignis ſoluti ſunt. Sed quid liquata ſulfura, quidve turbines fuliginum, commune habent cum terræ tremore? Adeone in Belgio, per totum ardent ſulfura? Etenim terræ tremor Neapolis præceſſerat, & comitabatur iſtud Sodomæ periculum. Ac licet coinciderint, non proinde 27
unicam ſortiuntur radicem, quæ diverſis cauſis obediunt. terræ ille tremor, prænuncians prodigium, & portentum in ſe claudebat, & claudit ſemper aliquod. Eructatio verò venarum metallicarum, ſuis ſtat cauſis naturalibus. Miſerum ſanè ſophiſma, argumentari de non cauſa, in cauſam. Nec enim exhalationes concluſas, credi in iſto terræ tremore, patitur caminus, exhalationibus viam apertam jamdudum habens. Vtinam Scholæ ſuum Plinium 28
attendiſſent, quod ſæpè inſtante tremore terræ, Aves ſilente vento, velut metu perculſæ, ex aura decidant: portu tranquillo, triremes ſubſileant. At quid conſortii intercedit aëri & mari, cum exhalatione infra terram concluſa? An enim aër tremit, quando terra? An aëris tantillus tremor, eſt dejiciendo volucres, quæ quolibet vento volitant? An enim quia maris ſabulum (& quidem abſque hiatu) per altitudinem ſemipedis ſubſiliret, proinde Maris profundi ſuperficies, vento expers, cum navibus trepidare debet? Oſtenſum eſt autographum Curati S. Mariæ trans Dilcam Mechliniæ quo ſcripſerat, anno 1540, per triduum, quotidie ſemel, terram tremuiſſe, antequam fulmen portam ejus Arenariam, ſimulque in ea contentum pulverem pyrium,accenderet. Vnde urbs inauſpicata clade penè funditus colliſa ruit. Denique anno 1580 hora 2 à meridie ceſſante ventorum furore, urbs contremuit, biduo antequam Angli Mechliniam invaderent, & in prædam raperent. Sed quid eventus iſti, contingentes ex fatali neceſſitate, in cauſarum nexu, commune habent cum ſomniata exhalatione ſubterranea? Quid enim ſuppoſita exhalatio

tio portendere poſſet, præter aut extra ſe? Quare enim clauderet ſignificationem invaſionis bellicæ futuram? vel fulmen venturum, accenſurumque vaſa pulveris pyrii ibidemque ſervata, turrim quatiens arenaceam, totamque urbem disjiciens? Priuſquam enim mons Veſuvius ſua eructaret viſcera, plurimaque opidula tegeret gleba minerali, ſpemque in futurum colono denegaret, ſubter Solem, denſæ præibant tenebræ, in aëre lugubres ejulatus, ac terra tremuit, poſtulatam gentis devotionem excitantia. Terra quidem tremuit, ſua de cauſa, in prognoſin minitatæ futuræ cladis. Clades autem ipſa, ſuis ſecuta eſt cauſis naturalibus. At nequaquam ſigna præcedentia, quicquam commune habent cum eventu futuri ignis.

Cum ergo jam conſtet, inter ſtrata terræ non eſſe locum, nec ſubeſſe exhalationem; & quæ ſi ſubeſſet, impoſſibile tamen eſſet, tremorem terræ cauſare: Indubium tamen ſit, terram verè actualiterque tremere, ſive ſtratorum diſcontinuitate, aut alicujus hiatus apertione: Conſideravi illum in terra tremorem eſſe, non ſecus atque in ære, dum batillum campanam feriit. Quamdiu enim campana citra fiſſuram tremit, tamdiu dat tonum. Terra quoque dum ſuo concutitur batillo ſupernaturali, ſurdum tonum edit, quia corpus ejus contiguum quidem ex ſabulo & aqua, uſque in ſui centrum: non tamen continuum continuitate unitatis. Poteſtque tremere ſine diſcontinuitate contiguitatis, tanto quidem liberalius, ſi metallum flectatur, ſine continui divulſione; Terra quoque in tremore, batillum habet intrinſecum ſuum voce tonitrui auguſtiorem. At quia ſabulo, & aqua ſurdeſcit ictus, ideo cum quodam tono concutitur, dum tremuit: mugitus tamen qui ſubinde auditur, non eſt terræ, ſed alienus: non tremori terræ proprius, ſed accidentarius ſpirituum ejulatus: qui Italis Baleno vocatur. Tandem tremoris terræ cauſam ponderans, ſcio, in aëre inprimis eſſe vim motivam, qua aër conceptum ab aſtris calcar, in exſecutionem demandat: *Erunt nempe vobis aſtra, in ſigna, tempora, dies & annos.* Scio inſuper, in mari, & profundis lacubus ſuam eſſe vim motivam, quo citra ventos æſtum patiuntur, quo inquam oceanus noſter, ſex horis, & alibi, ſex conſtantibus volvitur menſibus, unico fluxu. Scio denique, terram quieſcere, nec vim activè motivam ſibi pro-
30 priam habere. Credo igitur terram tremere & pavere, quoties Angelus Domini illam ferit: *Ecce terræ motus magnus factus eſt: Angelus enim Domini, deſcendit de Cælo.* (Matth. 18.) Vox (*enim*) apud Ebræos, cauſam continet, tanquam (quia) diceret. Hæc eſt nempè tremoris terræ cauſa unica, qua cuncta, abſque renitentia, æqualiter contremiſcunt, tanquam levis harundo. In Apoc. perit mortalium, arborum, vel piſcium pars tertia, eo ipſo, quo Angelus lagenam effudit. Etenim ſpiritus abſtracti, agunt poteſtate divina, nihilque iis reſiſtere poteſt. Etiam Cacodæmones, quoties datum eſt agere poteſtate libera, agunt ſine corporum reſiſtentia, vel reactione renitentiæ. Materia enim, eſt alterius monarchiæ cliens, non poteſt reagere in ſpiritum, quem nullo modo tangit, nulloque objecto affectat. Angelus, prout utitur effuſo lagenæ liquore, ad internecionem præfatam: ſic ad terræ tremorem, plerumque tonum uſurpat. Audiebatur enim in aëre oberrans tonus, non ſecus atque rotarum actarum crocitatio. ſucceſſit inde tanquam venti tempeſtuoſum murmur (ſine vento tamen) & eo ipſo totus ſimul tantarum Provinciarum tractus, immenſo tremuit horrore. Qui idem tonus, ſingulis tribus vicibus, terræ trepidationem eſt comitatus. Idem propemodum contingit in fulmine. Fulmen quidem cremat, & liquefacit: & ſanè non icit. Iuxta illud: *Vox tonitrui verberabit* terram, quia icit. Moriuntur nempe bombyces, lac coagulatur, cereviſia aceſcit, bos mactatus pendens, carnes flaccidas retinet, ſali ineptas, idque ſolo tono tonitrui, innocuo ibi fulmine. Vox ergo tonitrui, & vox tremoris terræ, miniſtrorum ſpirituum toni ſunto. Aſtra verò non concitant vim motivam, & alterativam aëris, vel aquæ, per tonum: ſed ſolo agunt adſpectu, quem influentiam vocant. Habetque actionem & directionem in momento, prout lumen, viſus, *&c.* Alioquin enim multis opus foret annis, antequam ſpecies audibiles, à Saturno, ad loca Meteori devenirent. Dein tonus, etſi magnus, tamen ſenſim in via deficit. Quod autem tremat terra, cum ventorum tempeſtate, vel quandoque ſucceſſivè per vicos, urbes, ac quaſi plateatim, rotando tranſcurrat. Id totum eſt per accidens, & pro voluntate ejus qui terram in prodigium quatit. Item, quod alibi ſæpius tremat, in Belgio vivo rariſſimè: Id cauſam motricem non mutat. Stat nempè arbitrio ejus, qui univerſum pugno claudit, terram pro nutu ſuo quatere, & mirabilia ſolus facere poteſt. Cujus adſpectu, terra quandoque fumigabit, & ruent liquati montes. Quod autem alias hiatus, poſt terræ tremorem, quandoque apparuerint,

rint, fœdum virus, & arſenicalium fumi exſpiraverint, Id totum ſuis cauſis eſt nexum naturalibus. Nec ſunt effectus terræ tremoris, niſi per accidens, non autem cauſæ. Fuit autem hæc cæcitas cauſarum, terræ tremoris, diabolo authore inventa, quo omnem Numinis pavorem mortales ſeponerent, adeoque fines, quos Deus ſibi ſtatuit (ad ſuæ Majeſtatis poteſtatem ſeriò venerandam, ut anteactæ vitæ criminum memores reſipiſcant) anteverterent, ſi non ex toto negligerent.

Deh! qual poſſente man con forzze ignote
Il terreno à crollar ſi ſpeſſoriede
non é chiuſo vapor como altro crede
ne ſognato ſtridente il ſuol percuote:

Certo, la terra ſi riſſente, & ſcuote,
Perche del peccator ſa aggrava il piede:
Et i noſtri corpi impatiente chiede,
per riempirſi ſue ſpelonche vuote.

Elinquaggio del ciel, che l'huom riprende
Il turbo, il tuono, il fulmine, il baleno,
hor par la anco la terra in note horrende,
perche l' huom ch' eſſer vuol tutto terreno,
ne del cielo il parlar ſtraniero intende:
il parlar della terra, intenda al meno.

31 His nihil obſtantibus, non defuit, qui dixit, ſe
è profundiſſimo puteo caſtri Lovanienſis, cer-
to præſagio prænunciaſſe, propediem futurum
terræ tremorem, eo quod aqua ejuſdem, triduo
ante, fœtebat ſulfuris nidorem, ejuſque conta-
gium, flavedo, cum turbulentia aquæ prode-
rent. Sed bonus vir ille ſciat, puteum illum eſſe
115 pedum profunditatis, eo quod ad caſtrum
ſcandatur per 93 gradus à platea contigua. Ad-
eoque ille puteus ab una parte, non eſt vicinis
puteis profundior, licet altera parte, qua colli
caſtri eſt contiguus, ſit profundus, ut dixi. At
cum in colle non ſubſit vena ſulfuris, non po-
tuit aqua ſulfur ſpiraſſe, quod non erat. Sin au-
tem ſulfur redoluerit: potuit ſignum præceſ-
ſiſſe, monente Deo: at non habuit ſulfur, quod
ibidem nec eſt, nec accenſum fuit, ergo neque
potuit cauſaſſe terræ tremorem toto Belgio. Ita-
que non eſt ratio naturalis, cur aqua iſto puteo,
plus turbaretur à ſulfure, quàm vicinis, quibus
nil tale eſt viſum. Denique ſciendum: quod
non fiat terræ tremor, longinqua cauſarum præ-
paratione à triduo ante. Quia tunc non poſſet
uniformiter ſimul elevari terra. Imo ſi ſulfuris
aliquis halitus jam triduo ante, ſibi exitum præ-
maturè feciſſet, eo ipſo, jam ſibi exitum inve-
niſſet, & citius per iſtum puteum exſpiraſſet
iſthac, antequam tantam circumquaque molem
elevaſſet. Imo reperto exitu, aquam flatu ſuo,
atque ebullitione ſonare bulliendo feciſſet, mul-
toque felicius in plateis tanto inferioribus, &
exhalatio in vicinioribus, erupiſſet, collemque
ipſum diſrupiſſet facilius, ſurgendo in cumu-
lum: non autem tremuiſſet terra. Exemplum
ergo facti rejicio, quamdiu rationes ſibi à me
oppoſitas de impoſſibili non evincuntur. Tre- 32
mit igitur terra, non quod ſentiat animali more,
aut paveat: ſed aliquid ſimile nobis denunciat,
nobiſque velut loquitur, ictum Angeli, ſive ma-
num Dei irati, accuſans.

Percutitur autem tremitque terra mandato 33
Dei, denotantis, à terra adſcendiſſe peccatum
in Cœlum, vindictam clamans, ante thronum
ſuum. Percuſſio nimirum indignationem, &
indignatio præſupponit peccati accumulatam
menſuram. Finis verò terræ tremoris eſt, ut
peccator ſe emendet, & juſtus ſibi caveat tam
à peccando, quàm peccati pœna comminata.
Terræ ergo tremor, ſemper ſupplicia commi-
natur. Habent autem ſingula delicta, confor- 34
mes ſibi caſtigationes. Luxuria nempe, & im-
mundicies, piacula habent & pœnas, peſtes
morboſque. Adulteria verò, per morbos, car-
cerem, infamias, paupertates, prolium quoque
ſterilitates, præcocem mortem, vel ſimilia, ſuas
luunt pœnas. Iuxta illud: *Qui ſeminat in carne,*
in corruptione metet. Punitur autem ſuperbia vi-
tæ, per paupertates, ſterilitates, bella, devaſtatio-
nes, mortem ſubitaneam, calamitoſam amico-
rum privationem, *&c.* Avaritia ſua tandem luit
ſupplicia, per fraudes, furta, impoſturas, mem-
bri alicujus incommoda, *&c.* Sin autem duo
vel tria ſimul peccata, in populo luxurient,
Tunc commiſcentur quoque ſupplicia. Nem-
pe inclementiæ, tyrannides, voti vel juriſju-
randi fractiones, impoſturæ, extorſiones, peſtes,
ſterilitates, bella, *&c.* At ſi peccata connectan-
tur in poteſtatibus, ſive principibus, tam Ec-
cleſiæ quàm ſecularibus, & Iudicibus. Plenæ
ſunt prophetiæ, quod *propter* eorundem *injuſti-*
tiam, regna transferantur de gente in gentem.
Quæ ſi contingant cum ortu hæreſiarcharum,
ſcandalis, & altarium ſubverſionibus, & præci-
puè ubi compatiuntur unà pauperes: ſignum
eſt hæc mala provenire ex ſordibus, inclemen-
tiis, ambitione, avaritia, voti infractionibus, cra-
puliſque. Etenim ſcatent prophetiæ minis,
quod *Hieruſalem tanquam ager arabitur: urbs*
tanquam cumulus lapidum fiet: peſtis, & inimicus
auferent omnem prædam, vinctoſque ducet princi-

pes Eccleſiæ: locus ſacer contaminabitur, ut ſint in
deriſionem nationum. Quod ſi bella non tangant
religionem, notantur tantum peccata Princi-
35 pum & Iudicum. Aſt terra tremit percuſſa præ-
cipuè propter peccata ſanguinum, quæ cœlum
vindex clamant. Ergo poſt terræ tremorem,
exſpectanda ſunt ſupplicia, quæ immanitati,
crudelitati, atque injuſtitiæ debentur, ex con-
digno. Terræ ergo tremor, non niſi Dei judi-
cia ultoris denotat. Bonum nempe ex mala cau-
ſa. Quatenus continet animadverſionem in in-
pœnitentes. A reſurrectione ergo Dominica
tremuit terra, ſignificans deſolationem urbis,
& Monarchiæ Iudaicæ, quam Euangelium cum
Domini lacrymis prædixit, & Ioſephus præ-
ſcribit ad longum. Non enim calamitates ullæ
ſine permiſſu Domini, nihil ſine cauſa ſua, nec
dolor, ſine ærumna naſcitur de terra, *Iob. 5.*
Iſai. 45. Nec calamitates fortuitò nobis adve-
36 niunt unquam. Rariſſimum ſcelus hominum
fuit, Dei filium inſontem, pro ſuis beneficiis
mactaſſe: quocirca & rariſſimum piaculi ge-
nus ſuper iſtam gentem, tanto favore educa-
tam, pluere debuit, ad internecionem homi-
num, & Reipubl. duraturum interitum. Vt præ-
viſum eſt à Daniele, Iſaia, & Pſal. 10. Dum au-
tem terræ tremor, velut plateatim diſcurrit, ſi-
gnificatur urbis contra urbem tumultus, & pa-
gos deſertos fore. Vidit enim amicus hoc ca-
put, adhuc in albis; ſtatim percepit, cauſam na-
37 turalem defuiſſe, & conſenſit: ſed indignaba-
tur, quod modum depinxiſſem, quodque terra
percuſſa eſſet, non quidem baculo, ſed per to-
num, riſitque conjecturam. Quidni (inquit)
Deus per pulverem pyrium, per ventum, ex-
halationem, & vaporem iſta egit? Quare non
ipſe dixit, & mota eſt terra? cum Deo ſint mil-
le modi, nec conſtet, quonam medio ſit uſus.
Inprimis ſi rationem dederim, cur terra tre-
mens non neceſſariò dehiſcat, exemplo cam-
panæ, poſt ictum trementis, certè mihi ſuccen-
ſere non debebat. Nec enim intendi, ut qui omnem ſuperat modum, ſe obliget ad modum & media. Quod autem interjiciat media naturalia amicus ille: ſunt ventus, vapor, exhalatio, pulvis pyrius Belgio ſubſtratus. Iam in ſcriptis hæc erant ſat refutata, tanquam in natura poſſibilia, quocirca importunè iterum allegantur, tanquam Deus iis mediis opus haberet. Vtpote cum Deus utitur operando miraculosè, ſæpè etiam rebus utitur naturalibus, ſed tum non utitur rebus, quæ putantur concauſæ: Etenim illa media myſteria potius ſunt, ac continent, quàm cauſalitatis alicujus vigorem. Vtitur ergo Deus illis mediis, ex mero bene placito, ut myſterium aliquod deſignet. Conjecturam itaque toni percutientis deſumſi (non quod conſilii divini ſum conſcius, aut curioſus indagator) ex verbo. *Vox tonitrui verberabit terram. Moſes percuſſit aquas Ægypti, & converſæ fuerunt in ſanguinem, & terram Ægypti cooperuerunt ranæ: percuſſit virga mare, & ſteterunt aquæ. Percuſſit rupem, & peperit fontem. Iuſſit Eliſæus Regi, ut feriret terram, eique eſt indignatus, quod non percuſſiſſet pluries, eo quod numerus arbitralium percuſſionum, numerum victoriarum, & vices hoſtis adhuc cædendi, continebat.* Salva ergo pace amici, me explicui. Fateor inquam lubens, me nolle ſcrutari divina myſteria. Modum autem atque media, quibus Deus utitur in terræ tremore, tantum conjectura aſſecutus ſum. Nec tandem hæc autem enoteſcere cupivi, non ut enoteſcerem tanquam rixator: ſed ut timor Domini, qui initium eſt Sapientiæ, ex tremore terræ conſurgat. D. Streithagen Canonicus Hemsbergenſis in floro germanico hujus Tremoris terreni chronographicum deſcripſit, propter ejus inſolentiam, & locorum amplitudinem:

qVarta erat aprILIs teLLVs tota ICta tVMVLtV eſt:
eX ſtrage InſoLIta Corpora teCta Labant.

A facie Domini mota eſt terra: A facie Dei Iacob.

COMPLEXIONVM ATQVE MISTIONVM
ELEMENTALIVM FIGMENTVM.

1. CVr terra viſa ſit non eſſe primarium elementum. 2. Ignem, nec elementum, nec ſubſtantiam eſſe. 3. Cuncta viſibilia, materialiter ex ſola eſſe aqua. 4. Cur aëris locus, qui dicitur media regio, ſit frigidus. 5. Quæ ſint tria prima chymicorum. 6. Quædam corpora non reducuntur in tria prima. 7. Paracelſi inconſtantia. 8. Chymicorum error. 9. Demonſtratur reductio trium primorum, in aquam nubis. 10. Sal volatile ſimplicium, fixatur per colliquationem. 11. Tria prima non erant ante: ſed in ſeparando fiunt, & quidem nova creatura. 12. Oleum rerum non niſi aqua eſt, ablato concreti ſemine. 13. Idem probatur in carbone. 14. Quid Gas ſylveſtre rerum. 15. Quomodo Gas naſcatur in uva. 16. Vinorum Gas.

17. Cur multa uva noceat. 18. Gas muſti, non eſſe ſpiritum vini. 19. Opinio Paracelſi erronea. 20. Duplex ſulfur in ſtanno: unde ejuſdem levitas. 21. Pulvis pyrius probat Gas. 22. Quadam ſe mutuo transmutant in Gas. 23. Incompatibilitas quorundam colliquatorum. 24. Quod Gas materialiter non ſit terra, aut aër. 25. Idem per ſuppoſitionem falſi, & abſurda ſeptem. 26. Miſtum non converti in elementum, vi elementi victoris. 27. Mechanica liquoris Alkaheſt. 28. Totum Gas ex elemento aqua. 29. Probatur per mechanicam carbonis. 30. Per mechanicam, quod omne vegetabile totaliter, & materialiter ſit ex aqua ſola. 31. Sic totus lapis eſt ex aqua. 32. Piſces, & omnis pinguedo, ex ſola ſunt aqua. 33. Omnis fuligo ex ſola eſt aqua. 34. Sulfura cuncta reducuntur in fuliginem, & Gas; hac autem in aquam reducuntur. 35. Quare ignis nequeat ex aqua facere aërem. 36. Cinis, & vitrum, ex ſola ſunt aqua. 37. Gas ſalium, nil niſi inſipida aqua. 38. Gas fructuum, nil niſi aqua. 39. Commenta Scholarium de exhalationibus. 40. Phyſica in tenebris, abſque Pyrotechnia. 41. Spiritus vita, materialiter eſt Gas aqua. 42. Sudor ante mortem, non ſudor eſt; ſed liquamen liquoris. 43. A Gas endemico facile corripimur.

1 DVo dixi primitiva elementa, aërem & aquam, eo quod non in invicem recedant: terram autem, velut aqua ortam; eo quod in aquam reducatur. Sin autem aqua in terreum corpus mutetur, id vi ſeminis accidit, adeoque elementi ſimplicitatem tunc exuit. Ex aqua nempe ſilex, qui in arenam diffringitur. At ſanè arena iſta minus reſiſtit in reductione ad aquam, quàm arena, quæ eſt terra virgo. Itaque arena marmoris, gemmæ, vel ſilicis, ſeminis præſentiam produnt. Sin autem terra virgo, in aquam tandem multo labore ducatur, ſitque initio creata ut elementum: attamen videtur ad aliquid, tum ſe ſimplicius, deveniſſe; ideoque primaria iſta duo vocavi. Ignem negavi elementum, & ſubſtantiam: ſed mortem in manu artificis, ad grandes uſus datam. 2 Artificialem pro Artibus inquam mortem, quam creavit omnipotens, non autem naturalem. 3 Corpora verò quæ creduntur miſta, materialiter ſolius aquæ fructus eſſe, neque alterius elementi conjugio opus habere, nunc demonſtrare aſſumo: Corpora nimirum, ſive opaca, ſive diaphana, ſolida, ſive fluxilia, homogenea, ſive diſſimilia. Puta lapides, ſulfura, metalla, mel, ceram, olea, os, cerebrum, cartilaginem, lignum, corticem, frondes, tandem cuncta, atque ſingula, in aquam omnino inſipidam totaliter reduci, adeoque ſola aqua ſimplici conſtare, & contenta eſſe. Enimverò pleraque illorum per ignem deſtruuntur, & partem aquæ mox ſponte dant. Quæ licet quodammodò concreti naturam referat, tandem ſaltem ablata ſeminis illius concreti contagione, aqua illa, ſive rerum mercurius, in ſimplicem atque inſipidam aquam pluviæ remigrat. Sic demum olea, & pinguedines, per ignem ſeparata, adjecto pauco ſale alcali, ſaponis naturam aſſumunt, atque in aquam elementalem abeunt. Imo, quæcunque aperto igne conflagrantur, in ipſo nubium hoſpitio, ſponte in aquam reducuntur. 4 Illa nempe fuit frigoris illius loci (ut jam ſupra docui) neceſſitas, ut quæcunque ab inferioribus eo aſſurgerent, mortali ibidem frigore, atque ſui diviſione, in ferè infinitorum atomorum Gas, ſeminum obliviſcerentur. Sunt nempe ſal, ſulfur, & mercurius, ſive ſal, liquor 5 & pingue, in ſpeciebus ſpecialiſſimis: non quidem ut corpora quædam univerſalia, quæ cunctis ſpeciebus ſunt communia; ſed partes ſunt ſimulares, in concretis corporibus, varietate triplici, pro ſeminum exigentia diſtinctæ. Itaque ſi proprietates ſeminales, tenacius in tribus ſeparatis jam, permanſerint: tum per admiſta, proprietatum impreſſiones tolluntur, & alienantur. Vnde deinceps in aquæ elementum migrant. 6 Quædam autem corpora, in tria dividi recuſant, in ſalem, adjuncto liquore Alkaheſt Paracelſi, tandem fatiſcunt, & ſal, in aquam inſipidam migrando, deſtruitur. Hæc, in Scholis, ſpreta Pyrotechnia ignorari fecit. At nedum mihi bellum cum naturæ ignaris, Philoſophiæ indagatricis ſpretoribus, ſed & cum 7 Paracelſo Anteſignano Chymico: cui cum arduum eſſet, à conſueto itinere deflexiſſe, Tria illa ſubinde voluit conſtare elementorum commiſtione, & quandoque ipſa mundi elementa, non corpora, ſed inania loca, ſive matrices rerum putavit. Alibi verò totum, quidquid eſt corporeum, negat elementale: ſed maſſam tantum trium primorum. Atque rurſus alibi, ipſa elementa (imo ignis flammam) per methodum, docuit in elementa quatuor reducere. Adeoque deſinunt elementa eſſe nuda, loco trium principiorum. Ipſa autem flamma (quæ non eſt niſi accenſa fuligo) vitro incluſa, mox perit in nihilum ipſo inſtanti. Adeo ut vitrum in fornace vitrea factum, candenti igne, & clauſum, nil continere unquam potuerit, præter aërem. 8 Inconſtans ſibi, ſe fecit ridicum, eaque ſingula locis aptis à me ſunt refellenda. Credidere

enim Chymici hactenus, elementa in tribus primis latere. Viderant nempe aërem,& ignem, ardente cera, ſimul evolare, partimque aquam ſibi aërem, & ignem inde putarunt vendicare ſuam. Terram verò cum fuligine evolare autumarunt. Quod ſimiliter de iis, quæ poſt ſe carbonem & cinerem relinquunt, rati ſunt: Cinerem, pro terra ſubſtituentes. Fructus autem terræ, & mineralia, velut aquæ quidem pignora agnata; ſed trium aliorum elementorum conjugio, concitata credidere. Sed venio ad manum. 9 Sit optimè deflegmata aqua vitæ, quæ tota ſui homogeneitate ardet oleoſa: illa enim, per tartari ſalem, ſibi cognatum, pro 16 parte mutatur ſtatim in ſalem, & totum reliquum fit aqua ſimplex elementalis. Fitque unica pars ſal, quamquam homogenea alteri, adeoque æque reductibilis in aquam, eo quod in actionibus corporum ac ſpirituum, ſubter diſſolvendum, fiant variæ diſſolventis coagulationes. 10 Similiter quoque in operatione ignis, ſalia, quæ ante erant volatilia, partim in alcali fixum, colliquantur, non ſecus atque ſal-petræ, & arſenicum, ambo volatilia, per colliquationem fixantur. Tria prima itaque nedum ſeparantur, ſed acuuntur, mutantur, concreti naturam variant, adeoque per ignem nova creatura fiunt; non quidem de novo creata: ſed per ignem producta. Sic tegula non amplius terra figuli eſt: ſed lapis jam. Sic cinis, & fumus, non ſunt amplius lignum, nec alcali,nec arena, vitrum. Quia vis ignis non producit ſemina, ſed abſumendo illa tranſmutat, & ſeparando alterat ſingula corpora. 11 Porro nemo auſit dicere, quod Sal tartari, in caſu propoſito, producat elementum,ex non elemento, quaſi ſal elementi aquæ pater eſſet: ſed ſulfur vini, ablato ſemine, deſerit materiam aquæ vitæ talem, qualis eſt. Pars verò, quæ in ſale tartari fixatur, ſalis conditionem aſſumſit, erat pinguis. Ante tota cremabilis, volatilis, atque ejuſdem cum ſociis conditionis. Immediatè ergo, deſtructo ſemine ſulfuris vinoſi, nil niſi aqua elementalis eſt. 12 Sic omne oleum, materialiter, aqua ſimplex eſt, quam pauculum ſeminis in maſſam conflagrabilem transfert, luditque larvam ſulfuris. Eſtque omne ſemen, ſui corporis (juxta Chymicum Coſmopolitam) vix 8200 pars, quam ſi ignis in familias mutarit,non difficile fuerit quoque in aquam redire. Ignis nempe, cremans pinguedinem, in aërem, totum ad nubes evolat, ibique in aquam, frigore loci, quandoque concreſcit. Piſces enim, innati ſeminis vi, aquam ſimplicem, in pinguedinem, oſſa, carneſque ſuas tranſmutant: non mirum itaque, piſces materialiter, nil niſi aquam tranſmutatam eſſe, & in aquam redire per artem. Vegetabilia omnia quoque, & carnes, ſola aqua conſtare, per mechanicam demonſtrabo. Omnia verò ſi non immediatè, ſaltem cum adjutorio, rurſus aquæ naturam aſſumunt. Omnis quoque lapis, ſaxum, lutumque, in ſal alcali ſponte, vel per adjuncta migrat (eſt enim alcali, quod ante ſal non erat, tamen combuſtione peracta, ſal reſiduum eſt.) Sic cinis proprio ſuo alcali fit ſal merum. Omne autem alcali, addita pinguedine, in aqueum liquorem, qui tandem mera & ſimplex aqua fit, reducitur, (ut videre eſt in ſapone, lazurio lapidis, &c.) quoties per adjuncta fixa,ſemen pinguedinis deponit. Alioquin enim non igni proprium, aquam facere (potius flammam) ſed duntaxat ſeparare heterogenea. Ergo ſi è ſulfuribus fiat aqua, & non per ignis propriam tranſmutationem, neceſſe eſt ſulfura ex mera aqua gigni. Siquidem nec ſeparatur aqua ab oleis: ſed illa vere fit ex his: quia aqua actu non inerat formali: ſed dumtaxat materialiter: detracta nimirum ſeminum larva. 13 Porro omnis carbo (qui fit ex colliquatione ſulfuris & ſalis, agentium in ſe invicem, ſubter cremandum) etiamſi ad noviſſimum uſque diem candenti fornace, torreatur, vaſe clauſo, ignitur quidem, ſed verus in vaſe eſt ignis, non ſecus atque in carbone non concluſo, nil tamen ejus abſumitur, non potens conſumi, impedito ſui effluvio. Carbo ergo, & univerſaliter corpora, quæcunque immediatè non abeunt in aquam, nec tamen ſunt fixa, neceſſariò eructant ſpiritum ſilveſtrem. Puta ex 62 ℔, carbonis querni, una libra cineris conflatur. Ergo 61 ℔ reſiduæ, ſunt ille ſpiritus ſilveſter, qui etiam ignitus, abſcedere nequit clauſo vaſe. 14 Hunc ſpiritum, incognitum hactenus, novo nomine Gas, voco, qui nec vaſis cogi, nec in corpus viſibile reduci, niſi extincto prius ſemine, poteſt. Corpora verò continent hunc ſpiritum,& quandoque tota, in ejuſmodi ſpiritum abſcedunt, non quidem quod actu in ipſis ſit,(ſiquidem detineri non poſſet, imo totum concretum ſimul evolaret) ſed eſt ſpiritus concretus, & corporis more coagulatus, excitaturque acquiſito fermento, ut in vino, omphacio, pane, hydromelite, &c. 15 Vel additamento peregrino, ut quandoque de ſale dicam armeniaco,vel tandem per aliquam diſpoſitionem alterativam. Qualis eſt aſſatio, reſpectu pomi. Vva enim illæſa aſſervatur, & ſiccatur: ſed ſemel pelle ejus diſrupta, &

& vulnerata, illa mox fermentum ebullitio-
nis, concipit, hincque tranſmutationis initium.
Vina ergo uvarum, pomorum, baccarum, mel-
lis, itemque flores & frondes contuſa, fermento
arrepto, bullire ac fervere incipiunt, unde Gas:
è paſſis verò contuſis, ac uſitatis fermenti penu-
16 ria ſtatim non datur Gas. Gas vinorum, ſi mul-
ta vi intra cados coërceatur, vina furioſa, muta,
atque nociva reddit. Quapropter & morbidum
17 Gas, uva affatim comeſta, pluries peperit. Si-
quidem fermenti ſpiritus tumultuatur, & cum
digeſtioni noſtræ inobediens ſit, ſpiritui vitali,
ſe per vim aſſociat, imo ſi quid ſudore tenus ex-
cerni paratum eſt, id ſua fermenti aciditate per-
vicaci grumeſcit, atque inſignes parit moleſtias,
18 tormina, diarrhæas, atque dyſenteriam. Ali-
quando in Tyrociniis, authoritate Scriptorum
ignorantum deluſus, credidi Gas uvarum eſſe
vini ſpiritum in muſto. Sed caſſa tentamina,
docuerunt me eſſe Gas uvarum & muſti, in via
ad vinum, non autem vini ſpiritum. Differt
namque ſuccus uvarum, à vino, non aliàs, quàm
puls, ex aqua & farina, à cereviſia. Intercedens
enim inter utrumque fermentalis diſpoſitio,
rem præcedentem diſponit in ſui tranſmuta-
19 tionem, ut inde aliud ens fiat. Siquidem quan-
doque docebo, omnem tranſmutationem for-
malem, præſupponere fermentum corrupti-
vum. Emunctiores alii, putarunt Gas eſſe ven-
tum rebus incluſum, ſive aërem, qui in com-
miſtionem elementalem ad iſtam generatio-
nem confluxerat. Sicque Paracelſus, ratus eſt,
aërem, ſub tribus aliis elementis, in quoquo
corpore inviſibiliter delitere: in ſolo autem
ſtanno, aërem eſſe viſibilem: ſed ipſum, ſua
redarguit inconſtantia: utpote cum multis ali-
bi oſtendat, corpora mixta eſſe ex tribus pri-
mis; Elementa verò non eſſe corpora: ſed me-
20 ras rerum matrices. Cæterum non advertit, du-
plex in ſtanno ſulfur, (ideoque cæteris metallis
eſt levius) quorum tantum alterum eſt coagu-
labile, ob ſui ſalis peregrinam proprietatem, qua
Iupiter omne metallum facit frangibile, & fria-
bile, ſolo illius odore tantillum contaminatum.
21 Alterum verò ſulfur, oleoſum fit. Hiſtoriam
enim Gas, exprimit proximè pulvis tormenta-
rius. Conſtat enim ſale petræ (quem perperam
nitrum putant veterum, quod & hodie copio-
ſum adfertur, exſiccatum ab inundatione Nili)
ſulfure & carbone, quia juncta, ſi accendantur,
vas non eſt in natura, quod occluſum, non diſſi-
liat, propter Gas. Etenim ſi clauſo vaſe carbo
accendatur, nil ejus perit. Sulfur verò, ſi clauſo
vitro ſublimetur, ſine ſuæ ſpeciei mutatione,
totum à fundo aſcendit. Salpetræ etiam, clau-
ſo liquatum vaſe, acidum liquorem, pro parte
dat aqueum, pro altera verò parte in fixum al-
cali mutatur. Ignis ergo, aërem vel potius Gas 22
ex ſingulis, quem alias è tribus connexis ede-
ret, ſi aër ineſſet. Ergo illa appoſita ſe mutuo in
Gas convertunt, per deſtructionem. Eſt autem
ſulfuris & ſaliſpetræ illa intolerantia, non qui-
dem ex frigidi cum calido, potentialium con-
nubio (ut creditur) ſed propter incompatibi-
lem fluxum olei bullientis, & vini, non minus
quàm aquæ: vel cupri & ſtanni liquatorum cum
vino. In tanto enim calore, cum ſe mutuo per
minima contingunt, vel in Gas vertuntur, vel
diſſiliunt. Sic namque plumbum, cum mercu- 23
rio & ſulfure toſtum, ſubitam in flammam abit,
relicta fecula, nullius ponderis ferè, ad plumbi
tamen extenſionem dilatata. Quocirca ſi Gas 24
eſſet aër, totus pyrius pulvis eſſet aër, & ipſum
plumbum totum aër eſſet. Non eſt autem igni
poſſibile, ut ex fructu elementali eodem, nunc
aërem, nunc aquam, ultimata reductione pa-
riat, niſi ignis uniformitatem ſuam agendi per-
dat ſimul, ipſi à Creatore inditam. Denique jam
ſupra ſat eſt manifeſtatum, aërem & aquam, in
ſe invicem, non poſſe unquam traduci. Ergo,
ſi per ignem, vel aliud quodcunque medium,
pulvis pyrius, & Salpetræ notanter in aquam
reducantur elementalem, non eſt poſſibilis ejus
tranſmutatio in aërem. Aliquot autem mille-
næ ℔ pulveris pyrii, quandoque ſimul accen-
ſæ, nequicquam præter Gas inflammatum de-
dere. Quod in nubibus, tandem in aquam re-
diens, coaluit. Porro carbo, quibuſdam fontibus
reducitur in ſaxum. Novi item modos, quibus
totum Salpetræ in terram convertitur, totum-
que ſulfur, ſemel diſſolutum fixetur in pulve-
rem terreum. Quid ſi igitur tria vel quatuor ele-
menta, hæ tres terræ continerent: potiſſimam
ſaltem partem terra occuparet, nec in Gas priſti-
num reductibilem: nec ſit rationi conſonum,
corpus, quod totum in Gas aëreum avolat con-
verti in aërem, vel in terram, pro lubitu homi-
nis. Denique cum tres præfati pulveres, tandem
ſub Artifice fiant aqua, quæ deinceps nequit am-
plius per artificium humanum, in terram vel aë-
rem redire. Conſequitur etiam, quod ſulfuris
carbonis, & ſaliſpetræ converſiones in Gas, vel
in terram, non ſint ultimatæ, ut nec vera aë-
ris & terræ elementa. Metiamur denique ruſti-
co hæc ſenſu. Quaſi præfata ſimplicia nunc in
aërem, nunc verò in terram verterentur, eo
quod

quod eſſet elementorum mutua in invicem tranſmutatio. At ſaltem Scholarum placitum his repugnat ſtatutis, nempe quod corpus miſtum, in ſui corruptione, debeat reddere elementa, unde eſt conflatum in generatione. 2. Quod corpus miſtum ferè totum, conſtans aëris elemento, idem totum ferè non conſtet terræ elemento. 3. Quod converſio elementorum, fiat per actionem unius elementi, & ſuperioritatem ſuper aliud. 4. Non autem quod formæ mixtorum, ſive fructus, patientes ab internis elementis, vim habeant convertendi unum elementorum in aliud. 5. Denique, quod ignis nequeat diſponere miſtum, ut nunc in aerem convertatur, poſt inflammationem, alias verò totum in terræ ſpeciem. 6. Tandem, quod non ſit immediata, in corruptione miſtorum, elementi unius in aliud converſio. 7. Poſtremò, quod miſti convertendi in elementa varietas non pendeat ex hominis arbitrio, potentis duntaxat jungere activa paſſivis: quorum nempe activitas eſt in ipſa ſuperioris elementi victoria.

26 Quale elementum homo nec adhibet, neque in manu ſua habet. Pro theſi hic ſtet, contra quod cap. de formarum ortu ſat demonſtratum ſit. Ignem videlicet, nec elementum nec ſubſtantiam quidem eſſe. Quibus ſuppoſitis, ſequitur, præfata tria ſimplicia, in pulvere pyrio, non ab aere reduci in aerem, dum in Gas evolant, neque à terra reduci in terram, dum ſalpetræ per quoddam ſulfur in terram vergit: carbo verò & ſulfur, per aquas in ſaxum, & in terram mutantur. Adeoque non per actionem proprii, & victoris elementi, patiens miſtum convertitur in naturam elementalem, ut putatum eſt. Quocirca cum jam ſit demonſtratum ſufficienter, aërem, & aquam, nulla naturæ, ſæculorum vel artis poſſibilitate, in invicem tranſmutabilia. Sequitur omnino, dum tria illa ſimplicia, nunc in terræ ſpeciem, nunc verò in aëris formam, tota concedunt, non eſſe veram terram, aut verum aëra: ſed terram talem, taleque Gas quæ ultimata reductione in aquam redeunt, ludentia alienam larvam, qualiſper ſeminum peregrinorum ſequuntur ductum.

27 Novi enim aquam (quam manifeſtare non libet) cujus medio omnia vegetabilia in ſuccum diſtillabilem, ſine ulla ſui in fundo vitri fæcum reſidentia, commutantur. Qui ſuccus diſtillatus, adjunctis alcalibus, totus in aquam elementalem reducitur inſipidam. Neque ſane id mirum. Quippe oſtendam ſuo loco, omnia prorſus vegetabilia, ex ſolo aquæ elemento, materialiter conſurgere.

28 Si ergo omne corpus miſtum redeat tandem in meram aquam pluviam: neceſſe eſt, quod Gas omne, è corporibus miſtis prodiens, ſit materialiter ex elemento aquæ. Gas ergo, quod per ignem è carbone exhalat, etſi accendatur; materialiter tamen non niſi aqua eſt, quod ipſum de aqua vitæ ſuperius oſtendi in mechanica. 2 *Machab.* 1. nec alibi in ſacris fit mentio aquæ craſſæ, quæ eſſet ignis perpetuus. forte non abſimilis noſtræ.

29 Poſui namque carbonis querni, & aquæ cujuſdam, partes æquas in vitro, Hermeticè clauſo, ſpatio tridui, totus carbo verſus eſt tepore balnei, in duos liquores diaphanos, fundo & colore varios. Quibus ſimul per arenam diſtillatis, ſecundo caloris gradu, vitri fundus tam purus apparuit, ac ſi recens è clibano vitriario allatus. Mox duo liquores per balneum primo aſcendunt, ambo æquiponderantes maſſæ carbonis. Liquor verò diſſolvens manet in fundo, paris ponderis ſibi, & virium. Porro duo iſti liquores paucula cretæ admiſti, tertia diſtillatione adſcendunt priſtino ferè pondere, omnemque qualitatem aquæ pluviæ habentes. Ergo Gas carbonis, quod non niſi aperto ignitoque aliàs vaſe exhalat, ſimul cum ſuo cinere non ſunt niſi mera aqua materialiter. Seminalis enim concreti proprietas, quæ in Gas perſeverat, vi frigoris, & dierum maturitate moritur, & in priſtinam aquam Gas redit.

30 Omnia verò vegetabilia immediatè, & materialiter, ex ſolo aquæ elemento prodire hac mechanica didici. Cæpi enim vas terreûm, in quo poſui terræ in clibano arefactæ ℔ 200, quam madefeci aqua pluvia, illique implantavi truncum ſalicis, ponderantem ℔ 5. ac tandem exacto quinquennio, arbor inde prognata, pendebat 169 ℔, & circiter uncias tres. Vas autem terreum, ſola aqua pluvia, vel diſtillata, ſemper (ubi opus erat) maduit, eratque amplum, & terræ implantatum, & ne pulvis obvolitans terræ commiſceretur, lamina ferrea, ſtanno obducta, multoque foramine pervia, labrum vaſis tegebat. Non computavi pondus foliorum quaterno autumno deciduorum. Tandem iterum ſiccavi terram vaſis, & repertæ ſunt eædem libræ 200 duabus circiter unciis minus. Libræ ergo 164 ligni, corticum, & radicum, ex ſola aqua ſurrexerant.

31 Carbo ergo, cum totus ſit ex aqua, ſi reducatur in fonte aliquo in lapidem; non poterit per aquam commutari in lapidem, niſi etiam totus iſte lapis ſit materialiter mera aqua.

32 Piſces enim ut ex aquis multam axungiam faciunt: ita viciſſim omnis pin-

guedo cum ſale alcali, fit ſapo, qui dein diſtillatus,
pænè totus in aquam remeat : quæ ubi per
adjuncta, ſemine ſaponis ſpoliatur, fit aqua inſipida.
33 Fuligo omnis verò, partim eſt ſal volatile
concreti, præſervatum ab inflammatione, propter
aquæ evolantis commiſtionem; partimque
eſt oleum,quod evolandi celeritate combuſtionem
præterfugit. Sic namque acidus ſulfuris
liquor per campanam elicitus, oſtendit magnam
ſulfuris partem, per flammam intacti,ſurſum
aſcendiſſe, quod rurſus ſoſpes ſequeſtratur
34 ab liquore illo per rectificationem. Sulfura enim,
ſive pinguedines, etſi pluries diſtillentur
quovis gradu ignis : attamen ſemper pinguia
manent, & naturam ſui uſque retinent, quamdiu
illius concreti ſemine potiuntur. Quæ, ubi
flamma, ſive mors artificialis, attigerit, mox in
Gas, non autem in aquam, tranſvolant. Eo
quod Gas omne, adhuc aliquam ſui concreti
conditionem retinet. Differunt nempe fuligines
flammæ per genera, ac ſpecies : quod ſanè
non eſſet, ſi immediatè in primum elementum
abirent. Ignis quidem deſtruit ſimpliciter, nil
autem generat : quippe cum ſeminis poteſtate
careat; quæque non poteſt deſtruere illa, vel
ſaltem ſeparat,vel intacta relinquit: & hactenus
35 fixa vocantur. Non valet autem ignis id, quod
in ſe materialiter aqua eſt,commutare in aërem.
36 Haberet namque alias ſemen aëris. Etiam ante
ſat liquet, nulla artis aut naturæ ope, aquam fieri
aërem; aut viciſſim. Lignum ergo, cum ſit
totum ex aqua, cinis ſuus, & vitrum pariter, ex
37 aqua erunt. Quod autem Gas ſalium non niſi
aqua ſit, probat ſubſequens mechanica. Accipe
ſalis petræ, vitrioli, & alumnis partes æquas:
exſiccato ſingula, & connexis ſimul, diſtilla
aquam. Quæ nil aliud eſt, quàm merum ſal
volatile. Hujus accipe uncias quatuor, & Salis
armeniaci unciam junge, in forti vitro, alembico,
per cæmentum (ex cera colophonia, & vitri
pulvere) calidiſſimè affuſum, firmato; mox,
etiam in frigore, Gas excitatur,& vas,utut forte,
diſſilit cum fragore. Quod ſi verò rimam in
junctura recipientis vaſis reliqueris, ac poſt
ſpontaneas ebullitiones reſiduum diſtillaveris,
reperies aquam ſubacidam, quæ in aquam pluviam,
repetita diſtillatione,& cretæ additamento,convertitur.
Pars ſalium ergo una in aquam,
altera verò in Gas conceſſit. Sed ſalia, per Gas
evolata, homogeneæ ſunt naturæ cum redactis
38 in aquam : Ergo, materialiter, Gas ſalium
nil niſi aqua eſt. Gas fructuum verò, ſimiliter
non niſi aquam, ut ex aqua immediatè oriundum,
jam oſtendi. Sic uva paſſa diſtillata, in
elementalem aquam tota reducitur per artem :
qua tamen recente, ſemel vulnerata, muſtum &
Gas multum elicitur. Si ergo tota uva, ante fermentum,
in ſimplicem aquam vertitur: adhibito
autem fermento, Gas excitetur,neceſſe eſt,
& Gas hoc fore aquam. Cum diſpoſitio fermenti
nequeat ex eo, quod materialiter, nil niſi
aqua eſt, formare aërem. Gas ergo, vaſis incoercibile,
foras in aëra prorumpit, donec ſat rarificatum,
locique frigore, & proprietatibus concreti
ſpoliatum, in primam ſui tranſeat materiam,
atque in aëre, aquarum ſeparatore, priſtinam
elementi aquæ, ac plenam indolem recuperet.
Exhalationes autem, quæ penes Scholas 39
ſunt Ventorum, Nebularum, Cometarum, Mineralium,
Saxorum, Salſedinis maris, Terræ
motuum, omniumque Meteororum materia
quotidiana, cum pennarium in natura non habeant,
nec materiam tantis quotidie rebus, tantæque
molis ſufficienter, mira ſunt ſomnia, ac
imperitæ ſuis effectibus proportionata. Ideoque
has Scholarum inſulſitates, miſerando
tranſeo.Saltem eſt conſequens,ſi ſaxa,ſi mineralia
cuncta,ab exhalationibus procedant, jamque
fixata reſiſtant agenti,quod illas denuo in exhalatum
deduceret, non fore in reſidua terra, materiam
novis exhalationibus, tanti momenti
effectus producendis. Maximè quod è maris
ſalſedine, vix quicquam exhalet, caloriſque ea
ſit proclivitas, ut vix exhalationes proritet, niſi
omnem prius aquam ſuſtulerit per vapores.
Quæ ergo materia, vel ſolis quotidianis ventis 40
ſufficiens erit? Quippe naturam, itemque corporum
differentias, cauſas, atque proprietates
noviſſe,eſt prorſus Scholis impoſſibile,quotquot
ſine Pyrotechnia, Philoſophiam aggreſſæ,paganicis
hactenus inſtitutis fuere deluſæ. Scripſi
tandem de vita longa,ſpiritum vitæ noſtræ,arterialem,
de natura Gas eſſe.Quod in palpitatione, 41
ſyncope,ac hypothymia cernitur.Etenim quantum
colori vivido,lumini vitali,tumidoque carnis
habitui deperit, vultuſque ipſe quam ſtatim
rugoſior concidit, mox à præfatis paſſionibus?
ſpiritus enim qui antea placido rubore, velut
omnia unificabat, evolat mox atque aliena aura
ſubactus mutatur. Siquidem cum Archeus in
ſe ſit Gas, de natura ſalis balſamici, ſi auram
alterius ſalis obviam repererit, (prout ſal armeniacus,
dum obviat ſpiritui ſaliſpetræ) facilè
per poros, atque confeſtim difflabilis, munium
agendorum atque familiæ oblitus. Neque
enim in guttas cogitur: eo quod ex ſangui-

42 neo arteriali paratur. Si quid, ſub deliquiis & morte, ſudoris exhalat, id cruoris eſt liquamen, non ſanguinis arterialis. Gas ergo vitale, quia lumen eſt, atque balſamus, præſervans à corruptione, ab primordiali genituræ adumbratione, incepit ſolari lumini adæquari. Poſt deliquia verò præfata cæterorum membrorum innati ſpiritus, velut fumigantes, rurſus à ſolari cordis lumine accenduntur, prout fumus candelæ extinctæ, alterius flammam attingens, hanc ad extinctum lychnium per medium deportat.

43 quandoquidem ſpiritus vitæ noſtræ, cum Gas ſit, potentiſſimè atque celerrimè à quovis alio Gas, afficitur, propter illorum nempe contactus immediatos. Nec enim ideo aliquod proinde, velocius in nos operatur, quam Gas. Vt patet in Crypta canis Siculorum, peſte, carbonibus ſuffocatis, & ſuffitibus. Confeſtim namque ſæpè pluries, in cuniculis mineralibus interemti. Imo in cellariis, ubi potens cereviſia ſuum Gas eructat, facilis mors ſubita erumpit, & ſuffocatio. Quocirca immenſum dolui, ſortemque humanam miſeratus, tam craſſa Scholarum negligentia ſuffituum remedia altiora penè ſupprimi, quibus nedum recreantur lypothymici; ſed etiam plurimorum morborum fiunt ſanationes. Quod quandoque de odoribus in re medica explicatis, facilius mecum quiſque indicaverit. Neglecta ſunt nimirum medicamina pænè cuncta, quæ reſtaurant vires, ſoliſque diminutionibus corporum, per cruoris ablationes, & ſolutivas ſcammoneatas potiones, perque canteria, balnea, clyſteres, ſudores, & cantharides, eſt inſudatum. Penitius enim inſeritur Gas, & cum ſpiritibus vitalibus contactum immediatum ſervant odores, quàm liquores, ſi non venenata labe, ſaltem, ſecundarum qualitatum obtuſis proprietatibus, participes: quaſque qualitates vel præcipuè ſublimem primæ digeſtionis, tanquam luto obductas ſoleas, deponunt, ſi non ingenti adhuc Archei averſione ſint receptæ, vel cum anxietate, viribus digeſtivis rebelles, & contumaces reſiſtunt. Poſſet tamen mihi opponi Scriptura, quæ dicit de homine: *Terra es, & in terram ibis.* Quomodo ergo caro, os, *&c.* erunt materialiter ex ſola aqua? Sed ego hoc dicam ejuſdem argumenti vigore. Si homo terra eſt, quomodo ergo Scholæ aſſerunt hominem materialiter eſſe non unicam terram: ſed quatuor elementa? confirmantur ergo ex illo Textu, quæ dixi ſuperius. Nimirum quod terra non ſit in Sacris primarium elementum: ſed quodvis coagulatum ex aqua terra dicitur, eo quod plus per ſui conſiſtentiam, terræ aſſimiletur quàm aquæ. Adeoque ipſiſſima terra naturæ fulcrum, ex aqua eſt, non minus quàm homo, lignum, cinis, lapis, *&c.*

IMAGO FERMENTI IMPRÆGNAT MASSAM SEMINE.

1. *NVlla rerum ſeminalis viciſſitudo citra fermentum.* 2. *Mechanica in circulum per cereviſiam deducta.* 3. *Fermentum volatilizat, quod alias in carbonem mutatur.* 4. *Probatur per mechanicam in cruore.* 5. *Cruor acquirit ſua atque varia fermenta, in culinis membrorum.* 6. *Notatur Paracelſi inconſtantia.* 7. *Initia Paracelſica fiunt per ignem: non autem inſunt.* 8. *Duplicia fermenta, unde rerum ſemina.* 9. *Ortus inſectarum.* 10. *Non ſat eſt dixiſſe, inſectas è putredine naſci.* 11. *Duplex generationis modus.* 12. *Quomodo ſemina fiant.* 13. *Odor qualiter fermentum, & ſemen patret.* 14. *Scorpio è Baſilicone.* 15. *Fermentum in ſpontaneis ſeminibus, attingit horizontem vita.* 16. *Fermentum morborum, & ſanationum.* 17. *Pharmaca ferè cuncta agunt ſolo odore tenus.* 18. *Ideo ſemina ſolo odore ſpecifico pollent.* 19. *Odor & lux, penetrant ſpiritus.* 20. *Odores peſtem varioſque morbos cient, & ſanant.* 21. *Ars ſuffitum oblita, in dulomaniam tranſlata.* 22. *Dolores implacabiles, ſtatim odore appoſiti externi placantur.* 23. *Fermentum, parens tranſmutationum.* 24. *Fermentum ſtomachi quale.* 25. *Cur plurimi caſeum horrent.* 26. *Fermentale acidum, differt ab acetoſis.* 27. *Ructus unde.* 28. *Labor Sophiæ.* 29. *Ex ſola aqua & fermento, cuncta, quæ creduntur miſta.* 30. *Fermentum lineæ Æquinoctialis.* 31. *Progreſſus ſeminum & fermentorum, ad propagationem.* 32. *Origo & progreſſus vegetabilium.* 33. *Fermenta quandoque operantur potentius igne.* 34. *Paracelſus notatur.*

NOtitia fermenti, ut nulla in Scholis jejunior, ita nulla utilior. Fermenti nomen, ignotum hactenus, niſi in panificio: Cum attamen nulla in rebus fiat viciſſitudo, aut tranſmutatio, per ſomniatum appetitum hyles: ſed duntaxat ſolius fermenti opera; Olim fermentum, atque fermentata univerſa, erant vetita, ac myſterium 1 rium in litera occultatum, tunc jure ad literam fuit interpretatum. Etenim ut fermenta omnino ad omnem rei tranſmutationem prævia, atque neceſſaria; ita corruptionem, inconſtantiam, & impuritatem deſignabant: Ideoque fuga à fermento injuncta. Rem ſanè in phyſicis adeo paradoxam, primum per exempla explanabo: 2 Cereviſiarum meraciſſima (quæ ſumen, liquamen, aut conſummatum jus granorum, merito eſt) tantundem granorum expoſcit, quanta eſt vaſis capacitas, vel cadi amplitudo. Ita ſanè, ut demto ſurfure, tota farina liqueſcat in cereviſiam, & aqua locum furfuris tantùm occupet. Cereviſia iſta, per adhibitum fermenti tantillum, ebullit fermentando in cellariis, ſenſim clareſcit, deciditque fæx ad fundum: demum nonnihil fermentaliter aceſcit, quo acore conſumit omnem ſuam fæcem. Dein acrem, ſive pungentem aciditatem, perdit magis indies. Tandem guſtu, viribus, & corpore farinæ orbatur. Ac poſtremò, ſpontè in aquam redit. 3 Cereviſia iſta, recens diſtillata, plurimam in fundo reſidentiam, inſtar ſyrupi, deponit, quæ tandem pergendo, in carbonem mutatur. Sed ſi illa eadem, per fermenti gradus, in aquam tranſierit, non plus fæcum inter diſtillandum in fundo relinquit, quàm alioquin aqua, unde coquebatur, continebat. Eo quod aquarum natale ſedimen non ſit ſubnoxium fermento granorũ, cum ejus non ſit objectum: ſed alterius Monarchiæ cliens. Grana itaque redeunt ad primam materiam, ex qua, quæ aqua eſt, idque ſolius fermenti virtute. 4 Denique, quiſque noſtrûm 7 aut 10 uncias ſanguinis, quotidie ſibi fabricat: atqui, (ſaltem in ætate conſiſtente, neceſſe eſt, tantundem ſanguinis indies conſumi, quantum de novo generatur. Alias namque homo mox immenſum timeret. Dein, ſanguis ſenſim mutatur in vitalem mucilaginem, nutrimentum verum, immediatum membrorum. De quo dici ſolet; Nutrimur iiſdem, quibus conſtamus. Hoc autem alimentum, volunt roris modo inſpergi in ſingula membra, (ego verò in ſingulis partium culinis minimis fabricari credo) quo eadem humectet, atque eatenus ab ſiccitate, ſenectutis calamitate, quantum, ac quamdiu poteſt, tueatur. Tandem ros ille, inperceptibiliter, per cutis poros tranſvolat, nec poſt ſe quicquam ſolidi ſediminis ſuperſtes relinquit. Sic nempe alimenta, tandem per cutim, vaporis ſpecie & aquæ inſtar, exſpirant. Volunt autem Scholæ, hunc humorem ſecundarium, poſtquam roris inſtar in partes lapſus ſit, aſſimilari & ab anima informari. Ego verò, aſſimilari tantùm ſub accretione adoleſcentiæ, permitto: non autem deinceps amplius, cum neque in ſimilarium ſubſtantiam amplius vertatur. Quorſum namque ros ille oſſi aſſimilaretur in robore, duritie, ſiccitate, *&c.* ſi oſſa incrementum jam amplius non ſuſcipiant? Idem de cæteris eſto judicium. Habent nempe ſingula in natura, ortum, incrementum, ſtatum, declinationem, atque interitum. Hæc eſt igitur ſanguinis tragœdia, & metamorphoſis, virtute fermenti. 5 Cæterum alioqui ſanguis diſtillatus, tandem multum ſalſi carbonis deponit, neque volatilitatem omnimodam habet, quam operatio fermenti ſubter alias digeſtiones conſecutivè ipſi concedit. Eo quod calor, cum careat fermento rerum tranſmutativo, ſeparat ſaltem partes, non autem tranſmutat. Itaque ſanguis ſua præfata fermenta acquirit, in ipſis corporis noſtri coquinis, fitque inde adeo volatilis, ut nil porro de ſe reſidui relinquat. 6 Admiror Paracelſum, quod doceat ſanguinem corporis univerſalem mercurium, ut & ciborum: attamen ſudorem velit eſſe excrementoſum ſulfur. Cum ſanguis totus per cutim exhalet, ſin autem una cum aquoſo ſudoris latice, pinguedinis tantillum effluat. Non proin ex mercurio confeſtim ſulfur fit. Niſi ſuæ ſit ille doctrinæ immemor. Etſi aliquid pinguedinis, noſtras veſtes efficiat ſudore tenus. axungiæ enim non ſunt immutabiles, quin pereant quotidie, uti accreſcunt. 7 Ego ſanè, analogon odi principiorum Paracelſicorum, in principia tria naturæ relatorum. Quippe quæ nec inſunt actualiter in corporibus, nec adſunt, nec ſeparantur, niſi prius, velut per ignem commutando, ſive per liquationis reductionem parentur velut nova. Ego ſiquidem nudam lubens phyſicam aſpicio ubique, non ſanè figuras; aut vires moventes in matheſi applico naturæ. Analogon devito quantum poſſum, ut & locutiones metaphoricas. Omnem naturæ neceſſitatem ſeminibus dicavi; multorum verò ſemina, non tam è parentibus, quàm fermentis peto. 8 Sunt ergo duplicia fermenta in natura. Vnum quidem continet in ſe auram fluxibilem, Archeum ſeminalem, qui ſuo fluxu in animam viventem aſpirat. Alterum verò ſaltem continet initium motus, ſive generationis rei in rem. Quod quidem, licet ſui initio, non haberet auram ſeminalem, quæ ſcopos rerum agendarum complectatur; mox tamen vapore potitur, quem fermenta tam localia, quàm quæ ipſamet materiæ diſpoſitio externis fomentis acquirit,

ſuſcitant. Vnde Archeo aliquid ſimile fit, quod ſe, ſuumque ſenſum hoſpitium tranſmutat, aptat, adaugetque, agit porro deinceps reliqua ad proportionem perfectionis & requiſitum auræ illius. Hoc nempe ſemen, quadam primùm & generica amplitudine, luxuriat. Nam tametſi gaudeat, ſubſtratam ſibi maſſam, ad fermenti concepti ſcopum direxiſſe; non rarò tamen aliunde fomites occultioris luminis ſuſcipit, ſumtoque temerario auſu, etiam in animam vi-
9 ventem adſpirat. Hinc enim nedum pediculi, cimices, pulices, & lumbrici, hoſpites ac vicini noſtræ fiunt miſeriæ, noſtriſque velut naſcuntur è penetralibus, & excrementis; ſed etiam ſi induſium ſordidum intra os vaſis, in quo ſit triticum, comprimatur: Intra paucos dies (puta 21) fermentum induſio hauſtum, & odore granorum mutatum, ipſum triticum, ſua pelle incruſtatum, in mures tranſmutat: eoque magis admirandum, quod ejuſmodi inſectæ, ſexuum ſignaturis diſtinctæ, prolificent cum iis, quæ parentum è ſemine natæ ſunt. Vt & hinc, amborum ſeminum paritas, & fermentorum vitale par robur, conſpicuum evadat. Quod mirabilius eſt, è frumento, & induſio, mures, non quidem parvuli aut lactentes, nec minutuli, aut abortivi: ſed prorſus formati exſiliunt. In nobis ſubinde phthiriaſis oritur, & pediculus, aperta epidemide humana egreditur, aliàs quoque in poris generatur, non quidem ovi putamine lendis incluſus: ſed exiguus ac vix conſpicuus. Pulex verò, ſemper non niſi exterius, deſumto fermento, generatur. Neque ſat fuit, in Scholis dixiſſe, ejuſmodi inſectas è putridis
10 prodire. Nam & ova avium inſigniter putrent, fœtentque immenſum, ante pulli conſtitutionem. Vita ergo ineſt iſtis putridis rebus, non minus quàm ovis. Nec ſat eſt dubitaſſe, unde ejuſmodi inſectæ vitalem ſpiritum uniformem, & ſpecificum, è noſtro deſumant, cum naturalis generatio præſupponat impreſſum ſimilitudinis ſigillum. Siquidem in generatione, anomala, ſufficit Archeus, non quidem humanus, ſed qui in excrementis, virtute fermentali, & identitatis ergo, ſemper generat ejuſmodi inſectas pariformes. Adeoque licet ſit monſtroſa, & anomala generatio, reſpectu noſtri: eſt tamen naturalis, atque ordinaria, in ordine ad cauſas, nobis videlicet tantùm fermentum, & fotum dantibus. fermentum itaque induſii, tritico inſperſum, per retroitionem reſolvit materiam, & formatur ſic mus adoleſcens, non autem recens natus. Eò quod reſpectum ha-
beat ad alium fiendi modum. In prioribus er- 11
go, & vitalibus ſeminibus, generans inſpirat Archeum, cum ſui ſimilitudine, & auram vitalem, una cum ſeminis maſſa. In poſterioribus verò, inſufflatur tantum fermenti odor, à vaſis continentibus, aut ambientis contagio. Quæ ubi ritè coaptata fuerint, mox in plantam vel inſectam formantur, excitata nimirum aura, ab odore, & fermento fracedinis, quæ dein in Archeum rectorem exaltatur. Prout de for-
mis alibi. Fiunt itaque ſemina, à conceptu ge- 12
nerantis, facientis imaginem ſui, per libidinem, vel ab odore fermenti, quod materiam diſponit ad ideam rei poſſibilis. Etenim prout ab odore, materia haurit tranſmutationis diſpoſitionem: ſic ab imagine deinceps fit materiæ diſpoſitio, quæ fermentum ſpecificum procuret, atque promoveat. In hoc autem fermentum à ſemine diſtat: quod illud ſit odor, vel qualitas alicujus fracedinis diſpoſitiva ad alteritatem, & corruptionem maſſæ. Semen autem ſit ſubſtantia, in qua jam Archeus ineſt, qui eſt Gas ſpirituale, continens in ſe fermentum, imaginem rei, atque inſuper notitiam diſ-
poſitivam rerum agendarum. Odore itaque, 13
quæcunque ſitum aut fracedinem contrahunt, etiam vermes mox concipiunt. Ideoque & balſama putrere, aut vermeſcere neſciunt. Odor enim baſiliconis ſemini incluſus, herbam illam producit, cum aura illi inexſiſtente, qui ſi per fracedinem immutetur, ſcorpiones veros producit. Nec enim figmentum eſt: ſed revera, herba contuſa, atque inter lateres depreſſa,
Solique expoſita, poſt aliquot dies, Aquitania 14
nobis ſcorpiones edidit. At dicet curioſior. Quod ad odorem, & paſtum herbæ, forinſecus ſcorpio advenerit. Præventum eſt enim iſti dubio. Lateres ſiquidem bini, invicem contriti, adæquatè ſe contingebant, adeo ut ingreſſum ſcorpionis, tam planitie contigua, quàm pondere, impedirent. Foſſula autem in medio, herbam continebat. Fermentum itaque in ſemine ſpontaneo, horizontem vitæ, propinquo modo attingit. Neque enim unum in aliud muta-
tur, abſque fermento & ſemine. Quæ ut ne- 15
glecta ſtetere hactenus, cuncta nudis caloribus adſcripta ſunt, pluriumque morborum ſanationes deſperatæ manſerunt. Siquidem hactenus tantum inſudatum eſt, circa correctionem qualitatum primarum, & ablationem ficti humoris, vel ſolitarii, vel una cum ſanguine: nequicquam autem cogitatum eſt, Quod unuſquiſque morbus ſit venenoſus, ſi non toti, ſaltem

tem parti ſuæ: adeoque licet non contagioſus
cuivis; tamen non deſinit, ſui de ſe odorem fermentalem
16 inurere parti cui inſidet. Plurimum
itaque ſanatio odoribus perficitur, ut & impreſſa
pelli contagia odoribus ſubinde recedunt. Etenim
quia odor, ſymbolum fermenti, & hinc
ſeminariam tranſmutationis cauſam continet,
concludo, rerum vires, ac robur maſculum, ex
odoribus eſſe, (prout de magno Oportet, ſuo
17 loco.) Imo ſi penitiùs res ipſa ſpectetur, etiam
interna pharmaca, tam ſolutiva, quàm correctiva,
ſolo odore tenus, agunt. Fit enim hinc,
quod odore pharmaci, ſemel exuto, vires pereant
ejuſdem. Vidi nempe ſæpius quartanam,
uteri exundationes, melancholiam, dolores
colicos, &c. ſolis unguentis ſeparata. Certum
eſt autem, non ipſum unguentum; ſed ejus ſaltem
odores, intrò ſerpere, & agere. Sic namque
epilepticus odore cadit, imo cerebrum in
epilepſia, quod non audit, non ſentit, nec ſi
in ignem ceciderit, ſe retrahit; ſolis paret odoribus.
Sic namque eryſipelas, odore lintei
leporino cruore tincti ſanatur, ſi ſiccum alligetur.
Sic vulnera, ulcera, & apoſtemata, odoribus,
per inuncta applicatis, miteſcunt, vel
18 exaſperantur. Igitur ſi ſpontaneorum animalium
ſemina, ex odoribus atque fracedine ſint
nativa, nec ſpecie differant ab aliis, quæ congreſſu
procreantur ſexuum: neceſſe eſt omnium
animalium ſemina, ſuos habeant &
ſpecificos odores, quibus Archei ad materiam
fiunt adaptationes, facilioreſque ad tranſmutandum
obedientiæ. Vnde tandem fiunt impreſſionum
in quævis viſcera, & organa, fortitudines,
in robore, atque vita, diverſitates. Afficiunt
nimirum ſpecifici odores, materiam,
eamque in ſui clientelam ſubigunt: oboriturque
ex ſpecifico inclinatio, & philautia. Ex
aſſueto demum, facilis receptio, perfectior
adaptatio: ac tandem amor, raptus in omnem
ſui libidinem. Oblectant ideo fragrantia. Perinde
ut lux placet bonis geniis: ſic diſplicet
reprobis. Idque non, quia ſine, vel cum luce,
uterque æquè bene cernat, aut aëris ſereni
uſura opus habeat, vel non: ſed ob abſtractum,
& Omnipotens lumen, cujus imago,
diei lux eſt. Odore enim, & lumine, delectantur
ſpiritus: eo quod lux & odor illos immediatè
19 attingant, ac penetrent. Etenim ſpiritus
ſanguinis, in lipothymico, plus toſtæ carnis
odore, quàm aromate refici deberet, niſi fragrantia,
quatenus citò attingit vitam, in hac
puritatem & ſuavitatem præpararet. Videntur
ergo odores, etiam ſpiritus abſtractos attingere,
prout peſtilens odor, naribus non perceptus,
Archeum horrore quatit. Sunt nempe 20
odores, qui dolores capitis, nauſeas, vomitum,
tuſſes, ſingultum, vertiginem, epilepſiam,
apoplexiam, dyſenteriam, &c. movent, atque
ſui contagio inurunt. Suntque idcirco & alii,
qui conſimili modô eadem ſanant, aut ſaltem
mitigant, ſi radicem fixiorem habent. Suntque
odores ſuffocantes, ſive perceptibili materiæ
adſtrictione, ſuntque & convulſivi: ſuntque
qui ſaltem infatuant, ut in uteri affectibus perſæpe
occurrit. Veteres enim, ſuos ſuffitus in 21
ſuperſtitionem uſque coluerunt, quibus hominem
velut in exſtaſin adigerent, atque inde
ſe excitatos profeciſſe rebantur. Cubiculum
enim, veſtes, caput, & utenſilia, ſuis inficiebant
odoribus, quo mentem ad ſua ſtudia proritarent.
Quibus cum Satan ſua apocrypha nexuiſſet,
ars ſuffituum ſuſpecta primùm, mox
dein tota inculta manſit. Odora thymiamata
ſuperis placere, in lege didicerant; Et tenebatur
Iſraëlita, ſua quotidie in caſtris excrementa
humo obtegere, ne Angelum caſtra nocturna
obire tæderet. Memini enim, quendam 22
gravi dolore ſtomachi propemodum contabuiſſe.
Horis nempe quatuor à paſtu plangebat, ejulabat,
& contrahebatur, niſi locum incumbens
menſæ fortiter premeret. Credulitate enim
deceptus, cum Paracelſo, carcinoma ſtomachi
tum autumavi incurabile. Locus enim
erat, ubi coſtæ nothæ os ventriculi appropinquant.
Hunc inquam paucis horis curatum vidi,
fragranti emplaſtro, ad palmæ vix latitudinem
extento. Quomodo fermentum tranſmutationum 23
parens ſit, non melius, quàm per Pyrotechniam
inveni. *Cognovi enim, quoties corpus
dividitur in ſubtiliores atomos, quàm ſuæ
ſubſtantiæ ferat exigentia, continuo etiam ſequi
corporis illius tranſmutationem, excepto elemento.*
Quatenus hauſtum fermentum, arripiens præfatos
atomos, eos alieno ſui charactere imbuit,
in cujus ſuſceptione fiunt diviſiones partium,
quas partium heterogeneitates, & diviſiones,
reſolutio materiæ conſequitur. Hactenus nimirum
Chymia digerit, ac putrefactiones
præmittit, ut accepto fermento partes dehiſcant
in minima. Et ſic cibi in ſtomacho reſolvuntur,
loci fermento condito qualitate acidula.
In jecinore verò, & aliis locis, continuò
aliis fermentis. Sic nempe multo licet paſti 24
ſaccharo, mox tamen quandoque acidum
evomunt. Nec tamen ſtomachi fermentum,

ut acidum, eſt fermentum. Neque enim ideo acetum, aut ribes, fermentant, licet acida & auſtera: ſed acidum ſtomachi, eſt proprium ſpecificum ejus medium; verum etiam in una ſpecie, multam ſubit latitudinem. Hic enim olera, legumina alter, quidam piſces, aut vinum 25 ægre fert; quia nec digerit. Plurimi non veſcuntur caſeo: non quidem quia tartarus merus, aut merum ſal (utrumque alternatim, ſic jubet Paracelſus;) Sed recens, ponticè aceſcit, qui facile in acido ſtomacho tormina cit. Vetus verò putrilaginem redolet, quam à mortuo coagulo, antea in ſe excrementoſo, habet. Ideo vermineſcit, putret facile, quia partem ſtercorei fermenti, ſub aciditate lactis, occultat, in multis manifeſtatur, atque in gradum ſurgit. Ideoque multis ſolo odore diſplicet. Latitudo ergo fermenti acidi, in ſtomacho, etſi ſpecifici, provenit; eo quod fabricantis, & recipientis, variæ ſint alterationes in agendo. In hoc autem 26 fermentale acidum ab acetoſis differt. Quod illud, quæ penetrat, eâdem etiam volatilizet operâ. Omnis autem ſpiritus acetoſus, diſſolvendo coagulatur ipſemet, juxta axioma chymicum. Vnius panis ab homine, cane, equo, vacca, ove, ave, piſce, adeoque genere diſtinctis, conteritur totidem fermentis ſpecificis, & acidis. Pueri, paſſeres ajunt mirabiliter in gutture aceſcere, ideoque & voraces ſunt. Contingit namque, exſertam linguam pueri, paſſerem arripuiſſe, & deglutire conatum; quo modo, aciditatem gutturis ſe guſtaſſe ajunt. Sic nempe plura animalia, compeſcendæ aciditatis ergo, cretam, calcem, lateres, vel argillam edere coguntur. 27 Subtiliores ergo, & volatiles ciborum atomi, facile per fermentum ſtomachi, in Gas ventoſum mutantur ubi pars reliqua, duntaxat; in ſuccum reſolvi, contenta eſt. Chymia enim indagando ſollicita eſt corpori, quæ tantæ puritatis ſymphonia colluderet nobiſcum, ut à corrumpente nequirent diſſipari. 28 Ac tandem ſtupefacta eſt religio, reperto latice, qui ad minimos redactus atomos, naturæ poſſibiles, cœlebs omnis fermenti connubia ſperneret. Deſperata ideo eſt ejus tranſmutatio, dignius ſe, corpus non reperiens, cui nuberet: Sed labor Sophiæ, anomalum in natura fecit, quod abſque fermento commiſcibili, à ſe diverſo, ſurrexit. Serpens ſeipſum iſte momordit, à veneno revixit, ac 29 mori deinceps neſcit. Enimverò quia Scholæ fermenta neſcierunt, etiam corpora ſolida conſtitui ex ſola aqua & fermento, ignorare debuerunt. Vegetabilia namque & grana, ac quæcunque iis nutriuntur corpora, ex aqua ſola prodire docui: nunquam enim piſcator, in ſtomacho Sulmonis, aliquid cibi invenit. Si ergo ſola aqua, (etiam fluminum) fit Sulmo, & nutritur. Sic Sturio ore caret, ſoloque foramine puſillo, in gutture infra patet, qua præter aquam, totus piſcis haurit nihil. Nutritur ergo & fit ex aqua pariter omnis piſcis: ſi non immediatè; at ſaltem ſeminibus, atque fermentis ſi ſit gravida. Ex ſalſo mari, piſcis ferè omnis dulcis trahitur. Ergo ſalem, in non ſalem vel ſaltem aquam in ſe, non in aquam convertit. Conchylia denique oſſium loco, ſibi lapideas teſtas ex aqua fingunt, prout & limacum genus omne; Sal igitur maris, qui vix candenti cedit igni, fermento in piſcibus dulceſcit, eorum volatilis fit caro, & ſub nutritione etiam totus diſſipatur, abſque reſidentia, aut fæce. Sic etiam ſal in primævum aquæ elementum tranſit. Sicque mare, licet rivos ſalſos recipiat, non tamen indies ſalſius. 30 Nam aqua puriſſima, quanquam omni inquinamento libera, nihilominus ſub linea æquinoctii mucida fit, fœtet; mox gilveſcit, dein virideſcit, atque ultimò rubeſcit horrore inſigni. Quæ dein ſponte in ſe redintegro redit. Concepto nimirum loci fermento, hæc adveniunt; eoque conſumto, ceſſant. 31 Puriſſima ſic aqua fontis, fracido vaſis fermento, mucceſcit, vermes concipit, cyniphes parit, imo pelle tegitur. Paludes ex fundo fraceſcunt: hinc ranæ, conchylia, limaces, hirudines, herbæ, &c. Quin etiam natantes herbæ, aquam tegant ſolo aquæ fracidæ potu contentæ. Et prout lapides è fontibus, quibus ſemen atque fermentum ſaxoſum ineſt: Sic terra, fermentis metallicis fœta, ex aqua, Bur, metallicum, vel minerale efficit. Aqua verò alibi, concluſa terræ, ſi prope aërem eſt, & caloris momento agitata, fraceſcit, qui non amplius aqua: ſed ſuccus Leffas eſt, vigore cujus, fracidi fermenti, poteſtas terræ collata eſt, germinandi herbas. Succus enim ille terræ fracidus, puſilli caloris ſtimulo, aſcendit in fumum, fungoſus fit, ac pelle circumdatur, pro fermentorum inibi latentium requiſito. Vices itaque fermenti, ac vires ſeminis, fracedo iſta habet, ſenſim in Archeos, per virtutes ſeminales, in vitam quantam properans. Succus igitur terræ fracidæ, Leffas eſt. Vnde ſurgit omne plantarum genus, viſibili carens ſemine, ſataque ſemina promoventur in deſtinationes. Tot ideo fracedinum rancidi odores, quot rerum ſapores proprii: eo quod odores, ſaporum nedum ſint nuncii: ſed & parentes promiſcui. Palleſcit initio fumus

Leffas

Leſſas, jam coactus, dein ſubflaveſcit, mox ſubcandidè virideſcit. Atque tandem ſaturatè viret. Explicataque ſpeciei poteſtate, varios colores, & ſignata aſſumit. In quo fluxu, ductum aquæ ſub æquinoctio imitatur. In hoc tamen differt, Quod fermentum, ſpirituale nimis, ab Aſtro & loco, mutuarint aquæ, ſine corporali fracedine, ideoque caduco nimium ſemine, mox in ſe redeunt: Leſſas autem, concepti ſeminis tragœdiam perficere cogatur. 32 Pluvia itaque, in terra fermentum fracidum concipiens, leſſas facta, in radices ſtomachos, trahitur ſuctu quodam. Experiturque intra hanc culinam, novam fermenti inquilini fracedinem. Mox inde ad corticem, ſive hepar defertur, ubi novo illius viſceris fermento ditatur, fitque ſuccus herbaceus, vel ligneus, ac tandem concepta maturitate ligneſcit, herbaſcit, vel in fructus abit. Caudex verò, ſi ſub terra citius fraceſcat, proprio dehiſcit fermento, fumum tranſcorticem emittit, qui ſui initio fungus eſt, ac tandem in veram radicem dureſcit, ſicque plantati rami, arboreſcunt artis compendio. Evidens jam ergo, quod nulla ſit elementorum mixtio: 33 Corpora cuncta primitivè, atque materialiter ex aqua ſola fiant; acquiſito per fermentum ſemine, quodque exantlatis ſeminibus, corpora tandem in priſtinum aquæ hoſpitium retrocedant. Imo quod fermenta, igne potentius, ſubinde operentur. Saxa quippe in calcem; & ligna, vertuntur quidem in cineres, ibique ſiſtit ignis, quæ tamen, aſſumto in terra fermento, ſpontè in ſuccum leſſas, adeoque & tandem in ſimplicem aquam redeunt. Alias namque lapides, atque lateres, ſpontè in ſalem petræ deficiunt. Vitrum denique, igni invictum, aëre incorruptum, paucis annis, ſub terra fraceſcit, putreſcit, & leges aquæ ſubit. Quæ enim liquantur in aqua, ſubinde in aquam redeunt; alia verò, per fermenta volatilizantur, quæque compacta atque impermiſcibilia erant, per fermenta fracedinum, in tranſmutationis neceſſitatem adducta, aperiuntur, & ſeparandi concilium arripiunt. Fontes verò limpidiſſimi, licet ex inſipido naturæ fundo, ſive *quellem*, per ſcopulos, & arenam ſcandant, longè à contagio luti, fermenti, & labe depurati, nec caſu quoque decidant: ſed in magnos uſus ſint deſtinati: attamen cum occultos ſaxi odores ſaltem contrahant, nobis inperceptibiles, in fines alios properant. Rivi ergo, fontes, flumina, paludes, ſtagna, maria, & quæcunque aquæ alveo continentur, ſaltem vel à fontium nativitate, ſua mox ſemina concipiunt, laſciviendoque, per curſum maturant. Nimbi quoque, tonitrui fracedine decuſſi, fertiles; Pluviæ verò rore, vel concepto exhalatu gravidæ. Rorem nempè, dulci ſaccharo eſſe divitem, edoctus ſum per ignem. In nive, vermes naſci tradunt boreales; montes ideo, longa nive coopertos, gramen etſi parcum, tamen ſaginandis pecoribus aptiſſimum; adeo ut niſi tempeſtivè è paſcuis abigantur, pinguedine præfocatum iri. 34 Aquas autem, quæ liquamen continent, Paracelſus corporales vocat, negatque inſcitè, elementum in ſe continere. Vniverſam ergo in mundo ſcenam, fermenta, per ſemina, uno ſub aquæ elemento ludunt.

ASTRA NECESSITANT; NON INCLINANT, NEC SIGNIFICANT DE VITA, CORPORE VEL FORTVNIS NATI.

1. *Phyſica extra Medicinam ſuo caret fine.* 2. *Objecta aſtrorum.* 3. *Admiſſiones Ephemeridum, quo argumento nitantur.* 4. *Error in admittendo.* 5. *Vtcunque ſumantur influentiæ, ſemper includunt neceſſitatem.* 6. *Quænam ſint opera Domini in Pſal.* 14. 7. *Dei præſcientia, tam infallibilis in contingentibus liberis, quàm neceſſariis.* 8. *Hannibali prædicitur mors.* 9. *Futura quomodo diabolus præſciat.* 10. *Confeſſio Authoris.* 11. *Quanta, & unde ſit futurorum præcognitio Cacodæmoni.* 12. *Quorſum fiant ſigna prænuncia, quæ vix ullus intelligit.* 13. *Determinata ſtellarum prænuncia è Sacris.* 14. *Quomodo, quidve ſtellæ agant.* 15. *Actio regiminis.* 16. *Oſtenditur diverſitas regiminis, à motu, & à lumine.* 17. *Ægri prænunciant futura.* 18. *Cur inſectæ melius futura noverint, quàm homines.* 19. *Cur morbidi præſentiant tempeſtates.* 20. *Prænunciatio non tollit arbitrandi libertatem.* 21. *In Cœlo deſcripti ventorum typi.* 22. *Scientia ſignificationis ſtellarum, homini ignota.* 23. *Magi Eoi.* 24. *E muſto, Dei augures.* 25. *Prophetia è muſto, erat Bacchantium.* 26. *Donum inebriecatum Paracelſi, enotuiſſe Ebræis.* 27. *Tres hiſtoriæ prædictionum.* 28. *Aſtra tantùm inclinare, repugnat Sacris.* 29. *Inclinatio ſiderum quouſque pertingat.* 30. *Præconia Dei Aſtra, non neceſſitant tanquam cauſa: ſed ut ſigna, prodentia velle Domini.* 31. *Solutio objectionis.* 32. *Trita proverbii explicatio derogat Gratiæ Dei.* 33. *Cœlum non inclinare.*

34. *Semen humanum ſpontè defluit in animam viventem, animalem, & diſcurrentem.* 35. *Proprietates inclinationum ſeminales quæ.* 36. *Quadruplex inclinatio.* 37. *Inclinatio vocationis, à ſolo Deo eſt; non autem ab aſtris.* 38. *Inclinatio moralis, à ſemine, & educatione.* 39. *Inclinatio vitalis, à ſemine, & educatione eſt.* 40. *Inanis ac faſtuoſa Aſtrologorum præſumptio.* 41. *Inclinatio fortunarum, immediatè à manu Domini.* 42. *Seducta Schola à Paganiſmi Cacodæmone.* 43. *Supina Aſtrologorum negligentia.* 44. *Senſitiva humana, ut differt ab anima bruti.* 45. *Conſuetudo, quomodo pariat inclinationem.* 46. *Quomodo ſapiens dominabitur Aſtris.* 47. *Prædictiones ex Aſtris, cur fundamentaliter vanæ.* 48. *Error Authoris.* 49. *Aſtrologi fatentur ſuas deceptiones.* 49. *Supponunt non-entibus cauſis effectus aſtrales.*

1 HActenus de elementis, illorum
qualitatibus, complexionibus, &
contrarietatibus in ordine ad ſcientiam
medicam; extra quam
nempe, ſtudium Phyſices, tanquam
ſuo fine carere putavi, non
ſecus ac ſi de ſtatu politico, aut belli negotiis,
tractaverit Clerus. Vtpote S. Paulus arcet omnem
Sacrificatorem à ſimilibus. *Nemo militans
Chriſto* (inquit) *implicat ſe negotiis ſecularibus.*
Studia ergo Phyſices, adulteriorem finem,
utilitatem nempe hominum, direxi: non
autem ad oblectationem legentium. Hactenus
quoque de Aſtris declamo, quia putantur quorumcunque
morborum, inclinationum, ac fortunarum
patratores. Et quidem Paracelſus tandem
in hoc conſenſit, quamvis ſtudio, in cæteris
omnibus veterum ſit refractarius. Inprimis
2 aſſumam textum: *Cœli enarrant gloriam Dei: &
opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Id
enim ſonat: Quod Cœli ſint primariò creati,
ut enarrent immenſam Dei Majeſtatem, Potentiam,
Bonitatem, & Sapientiam: quibus nempe
quatuor columnis totus ſtat, & innititur univerſi
globus. Stelligerum autem Cœlum, tanquam
præco, annunciet admiranda opera manuum
3 Domini, creaturis intellectualibus. Hactenus
namque Eccleſia admittit prædictiones
meteoricas, annorum ſterilitates, & fœcunditates,
ſationum ſtationes, navigantium pericula,
Primatum mortes, Peſtes, inundationes, imo
quæcunque à directione arbitrii noſtri non dependent.
Quatenus nimirum omnia iſta creduntur
primis elementorum qualitatibus connexa
eſſe, contingenti conſequentia. Vſqueadeo,
licet magnatum mortes, bellorum tumultus,
atque incendia, in ephemeridibus admittat
prognoſticari: Illa tamen aſpici vult, non
ut contingentia libera ſive arbitralia, multoque
minus ut neceſſaria: ſed nuditer tanquam effectus
primarum qualitatum, & complexionum.
In quo, quantum ſit erratum, jam in
præmiſſis demonſtravi. Porro & quam procul
in hoc ſit à Sacris receſſum, hic oſtendam. Si
cœleſtes influxus obtinent cauſæ rationem, ſanè
illorum effectus de neceſſitate erunt connexi
ſuis cauſis, adeoque & hactenus ſaltem neceſſarii,
per modum aliarum cauſarum ſecundarum,
quarum effectus ſuccedant neceſſariò poſitis
cauſis: niſi ſupernaturaliter impediantur, aut
mutentur. Quod æqualiter omnibus cauſis eſt 5
proprium, nec ſingularitatem pro Cœlis involvit.
Sin verò influentiæ cœleſtes tantùm per
modum ſigni, & prænuncii ſint: utique neque
minorem importabunt neceſſitatem: quinimò
longè arctiorem, ſi divinæ providentiæ certam
credamus præſcientiam, & opera manuum Domini
per ſtellas præſignata credamus. Quocunque
ergo modo ſumatur, Aſtra neceſſitant.
Stellæ erunt vobis in ſigna, tempora, dies, & annos. 6
Non ſunt autem hæc opera Domini, per
ſtellas neceſſitate, & per firmamentum annunciata,
opera ſex primorum dierum. Neque enim
aſtra, aut ſe, aut quæ mox ſecum erant creata,
annunciare poterant, ſine locutionis ſolœciſmo.
Denique aſtra hyemem, & æſtatem non
debebant prænunciare, quas per ſuum Blas cauſant
de facto, quaſque ordinariò ſcimus, & ingruere
ſenſim percipimus. Sed indefinitè prænunciare
debebant opera manum Domini, &
magis illa, quæ contingentia dicuntur, quàm alioqui
neceſſarias, & ordinarias revolutiones.
Quæ contingentia non ſpectant ideo fertilitates
annonæ, quas cauſant: ſed pro Creatoris
Majeſtate, Sapientia, & Bonitate, opera manuum
Domini futura, prænunciare debebant ſtellæ 7
illa, unde ſibi nomen ſumpſit Deus exercituum,
per quem Reges regnant, zelotes, vindex,
propter injuſtitiam regna de gente in gentem
transferens. Qualia opera continentur in
vita, ortu, virtute, duratione, viciſſitudine, ſucceſſione,
motibus, atque alteritatibus ſucceſſivorum.
Adeoque ſceptrorum tranſmigratione:
& per conſequens, in mediorum prænuncio, per
quæ illa, tanquam per cauſas ſecundas, fiunt,
fabricantur, dependent, atque ſubſequuntur,
neceſſe eſt præconia aſtrorum, locum habere.
Nam ejuſmodi effectus, non niſi per blaſphemiam,
à numero operum manus Domini eximendi
ſunt. Hujus claſſis ſunt ergo, quoque

tempeſtates, terræ tremores, cataclyſmata ſolita & inſueta. Etenim Dominus exercituum, dat ſceptra paſtori, quæ à Rege aufert, transfertque, propter injuſtitiam Regum, Cleri, & Iudicum. Ergo & hanc, ex conſequenti, aſtra prænunciant. Si coronarum translationes ſint opera Domini, ſi ſortes omnium in manibus Domini ſtent. Neque enim alibi fortunam, & infortunium, aut aliunde exſpectandum eſſe, fides permittit. Princeps enim vitæ, & mortis eſt, Rerum omnium α & ω. dat, tollitque victorias, bella, famem, peſteſque, etiam comitantibus cauſis ſecundis, partialibus, etiam liberis, mediatricibus, concauſis, & occaſionalibus: quibus tamen univerſis præſidet Deus, ut cauſa totalis, immediata, & independens. Ideo horum operum omnium præco, eſt firmamentum. Neque enim Deus errat magis in hiſce contingentibus liberis, quàm animalibus, conſ[illegible]ctis, atque neceſſariis, ſi à Deo, omnium motore & conſcio, ſit firmamentum conditum

8 ad prænunciandum. *Terra Libyſſa cooperiet cadaver Hannibalis*, ut refert Appianus, prædictum Cacodæmonis oraculo. *Sperabat* (ait) *Hannibal, ſe ideo moriturum in Libya, qui obiit in Bithynia, prope flumen Libyſſum*. Diabolus enim, non poterat præcognoſcere ſortes, ſive eventus futurorum bellorum, qui ſunt in manu Dei exercituum, & futuro adhuc arbitrio humano, niſi depicta legerit prius in aſtro prænunciante.

9 Quam picturam aſtrorum, dum nuſquam commemoratam inveniant, nequeant verò negare, quin Diabolus prædicat futura; ſubterfugium meditati ſunt, dicuntque, Angelis, connatas futurorum ſcientias, adeoque ſibi connaturales: differre autem juxta choros, unde expulſi ſunt. Ita ut qui de ſuprema Angelorum Hierarchia deciderunt, multo clariorem haberent cunctorum futurorum intelligentiam, quam, utpotè naturalem, Deus non abſtuliſſet à Cacodæmone: Neque enim naturalius eſt Dæmoni, noviſſe futurorum illuminationes, quam noviſſe naturas, & nomina animalium, non

10 antea viſorum, inſtar Adami. Ego verò, ſentio cum S. Dionyſio, inferiores Angelos, à ſuperioribus illuminari: hoc autem lumen, continuò diradiare à Sapientia Patris, nequaquam Angelis eſſe naturale: ſed donum gratuitum, & beatificum. Denique omne donum bonum, deſcendere à Patre luminum, donum conſiliorum Dei, ac futurorum operum ſuorum, eſſe creaturis, per ſua dona naturæ imperſcrutabile. Aliàs ſcientia naturalis cacodæmonum pænè eſſet infinita, ſi in ſe clauderet venturorum mortalium fortunas, diſtinctas in ſuis cauſis ſecundis. Imo ſi cacodæmon, aliàs habuiſſet naturalem hanc conſilii divini participationem, non ignoraſſet effectus futuros, quos ipſemet, velut omnium malorum titio, ſuſcitaturus, & paſſurus eſſet: adeoque vix potuiſſet

peccare. Contingentia ergo, depicta 11

credere, tutius eſt aſtris, non quidem omnia: ſed fortè unius ſeculi; itemque tragœdiam cujuſque hominis in ſuo Aſtro pictam: Cujus pictura ceſſet, cum vitæ ſuæ epilogo. Dicent, Hannibal ſumſit venenum, ſuadente ſatana. Sed hoc non certò ſciebat, ut nec prædicere poterat, ſi homo liberum habeat arbitrium, ideoque nec ſciebat Hannibalem certò ſuis ſuaſibus obediturum. Neque Hannibal moritur, ſtulto ſatanæ ſuaſu, qui ſuis non eſſet nexus cauſis, à divina voluntate pendentibus. Neque enim veneno moritur, niſi prius ex prœliis multis adverſis profugus. Dominus verò, Deus ſolus exercituum, in ſua manu victorias habet, nec Cacodæmon prœliis præeſt. Ergo bellorum exitum prænoviſſe, idem eſt, atque liberorum contingentium. Siquidem victoria occaſionaliter plerumque manat, ex contingenti non præmeditato. Concludo ergo, quod hoſtis infernalis, legat ſtellarum picturas, quibus firmamentum dicitur prænunciare opera

manuum Domini. Sed dices, quorſum faciunt 12

prænuncia Cœli, quæ nemo mortalium novit, quæque à Cacodæmone ſciri nefas? Inprimis ſat eſſet, quod prænuncia futurorum enarrent gloriam Dei primariò, & infinitudinem Sapientiæ, & præſcientiæ ſuæ. Vt nempè non maneat non ſignificata. Deinde, *Non fecit Dominus verbum, quod non ſignificant ſervis ſuis Prophetis*. Denique, ſi mortalium numerus vix ſit centeſimus Angelorum eudæmonum: ſufficit, quod hi ſaltem prænuncia futurorum legant, & proinde de novo laudent Dominum. Lucifer quidem, multa cognitione rerum, tum exſiſtentium, & mox futurarum, ſuperbivit, eratque naturalis illi, quæ ſine gratia inflat. Sed non proinde ſequitur, ipſum cognoviſſe omnes mortales venturos, eorumque fortunas, vitia, defectus, peccata, gratiam, & quæcunque, cauſæ ſecundæ inſtar, futura eſſent, ut neque Dei ſecreta myſteria, ſucceſſione dierum pandita, cauſarum connexioni addita. Cæterùm ſive peſtes oriantur, & ſæviant, ſive tyrannides, bella, devaſtationes, tumultus, vel hæreſiarcharum exordia, permittente Domino, Sal-

tem erunt iſta tam connexa ſuis cauſis neceſſariis
& ſecundis, licet arbitralibus & occaſionalibus,
quàm ſunt alioqui meteora ſuis. Neque
enim munus prænunciandi opera manuum
Domini,ad ſolas aëris mutationes coarctandum
eſt : verùm abſolutè, ad omnia opera manuum
Domini. Quoniam ſi Aſtra præcones eſſe queant
minatorum effectuum iræ Dei, quæ abſque
cauſis ſecundis,Angelo percutienti eſſent commiſſi
: quidni & pariter annunciabunt opera
Domini, cauſis ſecundis, & liberis deputata?
Siquidem quæcunque præſcit Deus, illa etiam
ſi volet,per ſua organa annunciare poteſt: atqui
ejuſmodi propria organa Dei ſunt firmamentum,
13 & ejus lumina, teſte ſcriptura. Enimverò,
quamquam auſus fui Cœlo plus authoritatis
tribuere, quàm quantum ipſi à Sacris inolevit.
Nimirum, ut *ſtellæ ſint nobis in ſigna* prænuntia,
Tempora, ſive aëris mutationes, *dies* denique,
& annos. Quare Textus adimit ſtellis omnem
cauſarum poteſtatem, præterquam in ſupradictis
temporum, dierum, & annorum revolutionibus.
14 Nec agunt, inquam,niſi per Blas motivum,
& alterativum. Dicuntur autem ſtellæ
agere, per motum duntaxat, & lumen : motus
verò, tantum agere in Scholis dicitur, propter
luminis aſpectus diverſos, nam quod motus
Cœlorum, etiam velociſſimus, tam à nobis remotus,
calorem produceret, ut motus: commentum
eſt. Siquidem,pænè æqualis cœlorum
eſt motus diurnus; ergo & calor, par ſemper eſſet.
Luminis verò proprietas, cum per ſe, non
ſit,niſi illuminare,per accidens verò,ob ſui conjunctionem,
calefacere, vel frigefacere : ſuntque
ſubinde dies frigidi, & nubili nobis, ſub ſolſtitio
15 æſtivo. Hinc ſanè, alias cauſas à Blas cœli
mutuare debui. Actio eſt nimirum quædam
hactenus Scholis ignorata, quam Regiminis,
proprio limite docui, quæ ſpirituum abſtractorum
inſtar, propemodum in ſibi ſubſtrata objecta
operatur. Ac velut anima ſua movet, & alterat
organa. Influentiam voces, per me licet,
modo intelligatur connexitas, dein ſtellarum,
concitandi Gas inferum, juxta leges directionum
16 ab omnipotente datas, & fixas. Alioqui
namque, cum luminis radius tecto impediri
poſſit, ceſſaret quoque omne Blas ſtellarum in
nos, ſi lumine,& motu tantum, agerent in nos:
imo & cœlo obnubilo, nulla actio in aquas, &
in terræ ſata, conſpiceretur. Etenim morbidi,
analogon motum lunæ perſentiunt,& hactenus
17 venturas prædicunt tempeſtates. Quippe ipſis
rerum ſeminibus inſunt connata, & cognata
cœli lumina. Quæ ſeſe ad proximorum luminarium
motum, adeoque ad univerſaliſſimum
aſtrorum Blas,componunt.Ideo namque clauſis
hypocauſtis, ſentiuntur concentrati ejuſmodi
effectus. Non quidem, quod forinſecus in nos
incidant : ſed cœlum intus gerimus, in initiis
vitalibus, illoque pentaculo, animantata ſignavit
omnipotens. Attamen concentratio,& conformitas,adaptationis
nexum cum ſuperiore latiore
ſignificant. Quinimo,facile credam, ſi Inſectæ, 18
prænuncia temporum ſigna edant, nos
potuiſſe etiam ſub ſanitate omnia prænoviſſe,
niſi prævaricatio totam naturam in fundo conſpurcaſſet,
noſque adeo beſtiolis illis, naturaliter
ſtupidiores, atque ærumnoſiores reliquiſſet.
Cœleſtes namque collocutionum familiaritates
nobis peccatum ademit: In morbidis tantum, 19
ſua priſtinæ prænunciationis ſtigmata, reliquit.
Quo ſciamus, nobis, non niſi ex miſeria naturæ
corruptæ, relicta futurorum ſtigmata. Quæ
aliàs, in ſui puritate, veros cœli augures feciſſet,
non minus quàm Adam cognovit animalium
naturas. Et quamquam aſtra prænuncient effectus,
è cauſis liberis, & contingentibus dependentes;
nolim tamen intelligi, aſtris tributum
munus, futurorum introducendæ cauſalitatis.
Sufficit enim, quod præconis officium in hoc
agant, tanquam media dependentia à præſcientia
divina. Sicut enim præcognitio divina, non
tollit ab homine arbitrandi libertatem, ejuſque
nodus cum præſcientia non tollit eventuum
infallibilitatem : inevitabilitatem nihilominus
minimè continet : multo minus firmamenti 20
prænunciatio, ullam inducit contingentiæ neceſſitatem,
ex parte arbitrii: quamvis ea omnino
cadat ex parte eventuum, copulatorum ſuis
cauſis liberis. Equidem ſæpius ſum admiratus,
Recuſantes aſtrorum denunciationem, in
cauſis liberis, quaſi proin neceſſitarent, atque
tollerent arbitrandi libertatem: ubi interim divinam
præſcientiam, non cauſare quicquam
contra liberum arbitrium: ſed denunciare poſſe,
admittunt. Cum longè major ſit neceſſitatis
ratio, in præſcientia humanæ glorificationis,
penes Deum, quàm in aſtrorum prænunciatione
ex ſui natura, mutationi obligata, propter
peccantium reſipiſcentiam, & labilem naturam.
Contigit namque, quod aliquando aſtra, ſolas
minas prænunciaverint, quo avii mortales terrore
ſupplicii, in viam redeant, tanquam Ninivitæ.
Quo caſu, quantumvis aſtra multum
de ſua certitudine, & robore amittant, propter
præſcientiam futuræ pœnitentiæ : non tamen

men neceſſitatis certitudinem deſerunt, quoties ſigna, eventuum prænuncia exhibent.

21 Quapropter mecum reputo, in cœlis, tanquam tabulis, deſcriptos typos, rerum per ſecula ſucceſſivarum (quos typos leges fati nominant;) idque non quidem per Alphabetum Ebræum (ut Rabbinorum aliqui ſomniant) ſed quod Provinciis, Regnis & hominibus ſuæ ſint ſtellæ, quibus depicta ſit ſcena, ſuo ſubjecto rerum contingentium, in revolutionibus dierum, unicuique iſtorum ſtatutarum. Proinde nec mirum eſt, ſi Cacodæmones noverint horum multa prædicere. Eoque minus, ſi ſingulis noſtrum, ſui ſint deputati cuſtodes eudæmones. Prout montis Gargani, Regnorum, ac Rerumpubl. ſui ſint rectores ſpiritus, & protectores. Sic enim nedum aſcenſionis, atque periodi regnorum, depicta inibi ſunt prænuncia: ſed & hominum ſingulorum decurſus, atque exitus, ſuo aſtro peculiari, hiſtoricè figurantur, quæ ſimul typicè depinguntur.

22 Quam quidem ſcientiam, licet ſpiritibus notam, naturaliter homini vetitam, multoties legam, augurum cœli etymo, Solis tamen ſervis Dei, ſive Prophetis conceſſam, pro ejus beneplacito, reperio. *Senes enim veſtri ſomniabunt ſomnia; Iuvenes verò habebunt viſiones, ac prophetabunt. Hoc enim quod continet omnia, vim vocis habet.* aperit futura contingentia, per ſuas ſtellas annunciata, duntaxat quibus, & quando vult.

23 Quibuſdam interim typicam largitur aſtrorum notionem, prout Magis eoicis: aliis verò dat ſomnia, ut Ioſepho, atque iiſdem Magis, eademque poſſe verè interpretari, ut Ioſepho, & viro deſideriorum Danieli. Sunt & hodie aliqui, velut amentes, & ebrii, prædicentes futura, neſcienteſque quid, cui, quomodo, aut quare ominentur. Sic enim apud Ioſephum, Ieſus quidam, excidium Sanctæ urbis continuo clamore prædixit, eaque de cauſa vapulavit. Sed Apoſtoli loquebantur ex paracleto, linguis omnium nationum, quæ tunc ſub ſole erant; ab Ebræis verò, & paganis, habiti ſunt pro ebriis muſto. Licet tum in Palæſtina, nullum muſtum reperibile eſſet. Prophetantes enim glorificabant Dominum Ieſum. Neque enim tunc concionatos, ut neque converſos aliquot, fuiſſe legitur. Reputati itaque ebrii muſto, non autem vino, eo quod ebrietas ex muſto, apud gentiles, Bacchantes, ad

24 prædictiones concitaret. Videtur ergo Prophetia ex muſto, vel alioqui prædictio, quibuſdam hominibus penè fatuis, at ſi ebrii eſſent, familiaris, quam conſtitutionem Paracelſus vocat donum inebrietatum, Iudæis enotuiſſe, ideoque falsò Apoſtolis tributum.

25 Porro ut demonſtrem, in Aſtris, deſcriptos hominum eventus, pro mille, tria ſaltem narrabo diabolicarum prædictionum exempla.

26 Nec aliunde, quàm ex aſtrorum depicto typo, eruta per Cacodæmonem. Primum. Regnante Roderico IV. Gothorum rege ultimo, caſtrum Toletanum, quod jam inde à diebus Regis Bambæ clauſum ſteterat, curioſitate Roderici aperiebatur; in eo autem præter unicam arcam, nil fuit repertum.

27 In arca verò, linteum bombacinum, obvolutam, Africanorum veſtes, & perſonas referens. Erat autem in eo ſic ſcriptum. Quando hoc caſtrum, & arca reſerabuntur, in Hiſpaniam irrumpet Gens, hujus ſimilitudinis & amictus, & potietur victoria ſuper Hiſpanos. Erant autem depicti Mauri amictu, qualis infra annos 200 pòſt futurus eſſet. Duo alia ſunt moderna. Dux Bironius læſæ Majeſtatis ob crimen, à ſuo Rege apprehenſus, mox ſciſcitabatur, qua de gente oriundus eſſet tortor Pariſienſis: quem cum intelligeret Burgundum, ingemuit pavens, dixitque. Eheu perii! Siquidem ab augure quandoque ſciverat, duntaxat ſibi cavendum à mortali ictu, quem Burgundus, illi venturis diebus daturus eſſet. Comes de Loniguii, in duello propè Bruxellam cæſus, in monomachias pruriens, & audacior, quod à ſortilegis ſciviſſet, à lupo mortaliter ſe vulneratum iri. Fuit autem adoleſcens, comiti de Sancto amore, ſocius duelli, cui cognomen Loup. Qui lethaliter punctus, Loniguium transfodit. Eſto diabolus harum prædictionum Autor. At ſaltem de fide eſt, omnis victoriæ ſortes in manu Domini eſſe. Demus, diabolum concitaſſe Rodericum, ad aperiendam arcam, ſimulque plurimos Maurorum Reges ſtimulaſſe, ut invaderent Hiſpaniam. Attamen non potuit ſcire, ſe hoc potiturum, ſuper arbitrio tot perſonarum: multo minus Arabes victoria potituros (quam Dominus ſolus dat cui vult) niſi conſenſum Domini in aſtris depictum prius legiſſet. Nec enim cacodæmon hoc noviſſe poterat ex motu, & lumine aſtrorum futuris, per bina abinde ſecula. In duabus aliis hiſtoriis, jam diabolus, præter horam & locum: etiam occiſoris gentem, & nomen prædixerat. At ſaltem nomen non inditur à Planetis.

28 Porro vulgata Regula. Aſtra inclinant, non autem neceſſitant, viſa mihi eſt contradictoria textui ſacro. *Erunt vobis ſtellæ in ſigna, tempora, dies, & annos.*

Vtpote nulli mortalium licitum eſt, extendere
fines, effectus, aut deſtinationes ſtellarum, ſupra,
extra, vel præter intentionem Creatoris.
Sive ergo ſint in ſigna prænuncia tantum, ſive
demum in cauſas temporum, dierum & annorum:
cum in utrumque finem ſint media, quibus
Deus utitur, ut cauſis ſecundis: debent relationem
neceſſitatis habere, propter potentiam,
certitudinem & independentiam ejus,
29 cujus ſunt media. Quantum verò ſpectat ad inclinationem,
quam Scholæ Aſtris concedunt:
nuſquam in Sacris apparet, ſtellas nobis eſſe
cauſatrices inclinationum: ſed quoties ſtellæ
ſunt cauſæ cauſarum, toties quoque ſunt cauſati
cauſæ neceſſitantes, per modum aliarum ſecundarum.
Etenim Sol non minori neceſſitate,
diem atque æſtatem advehit, quàm flagrans
ſtramen ſubter ſiccum faſcem, hunc accendit.
Aſt ubi ſtellæ ſortiuntur naturam ſigni, præconis,
vel nuncii: tum quoque non excedunt
conditiones præſagii, nec ullatenus vicem cauſæ
aſſumunt. At ſaltem tunc prænunciant, ex infallibili
præſcientia divina, adeoque & neceſſitatem,
quantum eſt ex ſe, & ex libero hominis
arbitrio important, tanquam ſigna prænuncia operum
30 manus Domini. Ac tametſi non neceſſitent
cauſativè futura: neceſſitant tamen, quatenus
velle Domini, ſignant. Etenim contingentia
libera, dependent à ſuis cauſis, etiam primariò
ſubinde, non intendentibus ejuſmodi effectus,
qui permiſſione divina inauſpicati inde procedunt.
Neque enim interim, quæ à cauſis liberis
immediatè fiunt, intelliguntur ullo reſpectu, ab
aſtris (licet tantum prænunciantibus) inclinari,
ad producendos ſuos effectus. Siquidem inclinatio
fortis, nativa, continua ſollicitans, repetita,
&c. neceſſitatem quodammodò importat,
ſuper arbitrium liberum, quod ego, ne quidem
in minimo puncto ſui, ab aſtris inclinari, permitto.
31 Perinde enim ut amicus non eſt belli cauſa
inclinativa, aut incitativa, ſi principi per epiſtolam
ſecretè annunciat, hoſtem parare arma, &
machinari invaſionem caſtri. Tuentur autem
ſe Scholæ per illud: *Sapiens dominabitur Aſtris*.
Tanquam ſi aſtra quenquam proritarent, in cædes,
furta, homicidia, adulteria, ſeditiones, ebrietatem,
&c. ſapiens tamen, libertate ſui arbitrii
queat irritas facere ejuſmodi inclinationes,
32 hocque vocant aſtris dominari. At ſanè malè intellecta
Sacrorum authoritas, perverſas parit
conſequentias. Nam inprimis non eſt ſapientis,
reſiſtere malis inclinationibus: ſed eſt gratiæ.
Adeoque ſapiens non intelligitur hoc loco, qui
ſufficienti gratia ſit munitus. Quoniam ſi dominabitur
aſtris, non eſt quod formidet à victis inclinationibus,
prout verbum (dominari) præ ſe
fert. Hoc tamen tota vita falſum eſt. Denique
etiam præſupponunt falſum. Quia nullatenus de
ſtellarum deſtinatione eſt, ut nobis cauſent inclinationes:
ſed tantum ut ſint in ſigna, tempora, 33
dies, & annos: nec amplius. Cœlum denique
ſine labe creatum. Abſonum ergo, ut nobis
ſit vice diaboli tentatoris, & quod amplius eſt,
inclinatoris. Quod nobis infunderet continuum
fomitem ad vitia, & præcipitem inclinationem.
Abſit de divina bonitate hæc ſentire.
Omnis prava inclinatio, non foris aliunde nobis
advenit: ſed intus à peccato inolevit. *A corde
homicidia, adulteria, & cogitationes malæ:* non
ſanè ab aſtris. Sub humili itaque tenuitatis meæ
proteſtatione abrenuncio opinioni, docenti ſtellas
habere vim indendi inclinationem. Continebar 34
enim initio, per diverſos effectus, quod
ſemen belluinum ſponte flueret in animam viventem,
& non obſcurè diſcurrentem: & quanquam
in concepto embryone, primum eluceſcat
poteſtas aliqua, tanquam ac ſi eſſet quædam anima
vegetatrix eadem tamen; tandem perficitur,
& ſurgit in gradum ſenſitivæ. Cumque ſemen
humanum belluino non ſit imperfectius, rebar
& illud pari paſſu fluere, & tandem perfici in animam
ſenſitivam. Non tamen ſic, quod hæc
ſenſitiva pariter tranſeat in naturam mentis humanæ.
Nam cùm duobus ſimul dominis, non
invicem ſubordinatis, nemo inſervire poſſit,
quin alterutrum odio habeat, eo quod incompatibiliter
ſint oppoſiti. Ita in natura, unicum corpus
nequit duabus inſervire animabus determinatis:
ſitque ſenſitiva anima, non ſubſtantia,
non denique accidens (ut de formis docebo)
mens verò humana ſit ſpiritus, etiam vivens,
ſubſtantia in abſtracto, & immortalis hinc nimirum
fit, ut ſuperſtite ſenſitiva, natura etiam lubens
ſuſcipiat animam humanam, ceu actum
ejus perfectè ultimatum, ſeſeque intus ambæ
pacificè compatiantur. Quibus præmiſſis cœpi 35
conſiderare, canem eſſe animal vorax, mordax,
invidum, vigilans, latrans, venaticum, & unicam
ob bucellam omnium beneficiorum immemor,
ingratum, adulativum, &c. quæ cuncta,
velut proprietates ſeminales, & ſpecificas, ſemini
canino ineſſe, non autem ab aſtris impreſſas:
illarum verò plurimas, ſpeciei proprias cognovi:
aliquas verò à parentibus inſuper peculiares. Vſque
adeo hinc canum proſapiam, pretio differre.
Cognovi ergo, conſimiles conditiones cani

eſſe de ſtirpe ſeminis, & non aſtrales, adeoque
ubi conſimiles inclinationes in homine contuitus
ſum, ſtatim quoque has ex proprietate aliqua
canina, in ſemine humano, delituiſſe exiſtimavi.
Denique notavi animantia quædam conjugalia,
alia verò promiſcuo & inceſtuoſo congreſſu
nata. Sic notavi cicura, ferina, callida, doctrinæ
incapacia, furtiva, crudelia, fugitiva, pavida,
mitia, &c. Quas conditiones, quatenus toti ſpeciei
communes, vel per familias, diſperſas, didici
non ab Aſtris, aut ab Almuten nativitatis:
ſed prorſus, & duntaxat ex ſemine oriundas.
Idcirco & pariter exiſtimavi ejuſmodi inclinationes
hominum, ex brutali aliqua proprietate
ſeminum, nato inoleſcere. Reperi quoque
inter homines, integras non rarò familias furioſas,
ſtupidas, callidas, inſolentes, petulcas, &c.
Vnde quidam dicuntur, *natio viperina*. Item:
Dicite (Herodi) *vulpi*. Quocirca cœpi ingenium,
judicium, memoriam, mores, inclinationes,
imo mortis ac fortunæ diſpoſitiones, omnino
ab aſtris removere. Denique & in patrantis
manu, eſt generare maſculum vel femellam:
ſunt autem maſculæ conditiones, inclinationes,
ingenia, proprietates, longè diſtinctæ, à
femininis. Orat namque Eccleſia *pro devoto femineo
ſexu:* quocirca inclinatio, ſive devotio
moralis, ſexui debetur, non aſtris. Equi enim, ex
colore pilorum judicantur: colores autem, in
conceptu, ex arte variantur. Inſuper conditiones
& inclinationes mutantur per ætates. Pueri
nimirum rebus aliis oblectantur, quàm viri. Sobrius
enim juvenis, quandoque fit potator ſenex,
vel vice verſa. Adoleſcens liberalis, ſæpè
avarus eſt, dum ſeneſcit. Avaritia quoque ſeminum
(quod minus indiget, minuſque appetere
deberet) ſæpè comitatur. Quæ certè non ex Aſtrorum
directione pendent, ſi idem Almuten
36 totam moderatur vitam. Enimverò diſtinxi inclinationes?
ut una videlicet ſit, qua naturaliter
propendet quis in profeſſiones, regiones, artes,
ſcientias, mercaturam, vel negotia exercenda.
Hanc nuncupo inclinationem vocationis.
Altera verò inclinatio concernit mores, virtutes,
vitia; quam voco moralem, ſive ethicam.
Tertia autem ſpectat, ſanitatem, morbos, vitam
longam, vel brevem. Hancque ideo inclinationem,
vitalem nomino. Tandem quarta eſt fortunarum.
Quantum autem ad primam attinet,
de fide credimus, Deum immediatè creare
mentem humanam, eamque dirigere ad certam
ſui vocationem, in qua ſibi placere poſſit maximè;
quorſum illi porrigit condigna talenta 5. 2.
vel unicum. Itaque inclinatio vocationis, qua 37
quis fit Medicus, Geometra, Muſicus, &c. datur
animæ ab ipſo Creatore, à quo omne bonum
donum de ſurſum venit: nequicquam verò horum
ab aſtris. Ideo omnes vocationis inclinationes,
eo ipſo ſunt bonæ. Inclinatio verò moralis, 38
ut eſt merè belluina; ita jam antè demonſtravi
dependere eam ex ente ſeminis. Mala ſiquidem
ſimpliciter aſtra eſſent, ſi inclinarent
hominem ad vitia. Erraſſetque Creator in judicio.
Quod viderat, quæcunque fecerat eſſent
bona. Inclinatio itaque ad malum, ex corrupta
natura in ſui radice, ac ſemine, emanat. A corde
manant malæ cogitationes, juxta lucem euangelicam,
& ab anima conſenſus, prout à conſuetudine
peccandi fortis inclinatio. Bonum verò
ex gratia, voluntate & exercitio. Neutiquam
ſanè ex ſtellis nobis eſt advena. Prima nempe
noſtri conſtituentia à prævaricatione fuere inquinata
æqualiter: inæqualiter verò diſtributa,
atque participata, ex bonitate ſeminis, matris 39
conceptu, educatione, &c. vel contra. Idcoque
inclinationes omnes ſeminales, creſcunt,
augentur, vel decreſcunt, juxta proprietates
fluxuum ſeminis, ad augem, & declinationem.
Tertiam autem inclinationem ex debilitate 40
vel robore ſeminum eſſe, totamque ſubeſſe
directori Archeo, in natura, nemo niſi Aſtrologus
controvertit, qui male accinctus, cuncta,
in idololatriam uſque, ſtellarum motibus
refert, ſibique jus explicandi attribuit, imprimis
non diſtinguens poteſtatem nunciandi, à virtute
effectiva: neque ſciens, ſeptem errones tantum
eſſe, ut præſideant Blas elementorum. Fixas
verò, continere tragœdias particulares. Ideoque
cum præter ſolitum naturæ, ſigna erunt
in ſole & luna, portenta ſignificant futuræ ruinæ
univerſi. Sed illa increbuit ſtoliditas vulgo, ut
putatum ſit, cuique in arte ſua credendum.
Rectè hoc quidem. Quod Aſtronomus didicerit
metiri motus & diſtantias ſtellarum. At
non proinde illi credendum, tanquam vati ſtellarum,
niſi literas valde authenticas contulerit,
quibus illi credatur, tanquam Ooliab, &
Beſeliel. Ego itaque pro vitali inclinatione, laudo
proverbium: *fortes creantur fortibus*, *& bonis*.
Porro quantum concernit inclinationem fortunarum. 41
Illa, ipſo etymo; exceſſit catalogum
inclinationum. Exiſtimo itaque omnes omnium
fortunas, tam proſperas, quàm adverſas,
concernere diſpoſitionem divinam, non autem
inclinationem, multoque minus ab aſtris dependere,
licet in firmamento ſint præſignatæ.

42 Siquidem & hæc præſignatio demonſtrat, pendere illas immediatè à voluntate Signantis. *Sortes enim noſtræ in manibus tuis, Domine.* Credo itaque omnes omnium ſortes, bonas eſſe in ſe, & plenariè eſſe in manu Domini. Credo inſuper, quod quantum quiſque ab hac opinione eſt remotior: tantum ſit gentilitati vicinior. Scholæ ethnicæ videbant quidem, animantia, per ſpeciem, conſimiles inclinationes habere; ſtupefactæ tamen, pluralitate inclinationum moralium in ſpecie humana, unica, exprimente omnium beſtiarum inclinationes omnes, neſcienteſque ideo cui cauſæ, tantum inclinationum numerum fiderent, ſuadente Cacodæmone, per augures cœli, confusè ad aſtrorum incertam, momentaneamque copulationem, &
43 elongationem confugêre. Nequicquam indagantes, cur plurium beſtialium inclinationum humana ſpecies ſit capax. Neglexerunt enim conſiderare, Quod bruta ſpecificas haberent inclinationes ex ente ſeminis, nec brutis horoſcopum deberi. Quod homo ſuas pariter haberet inclinationes brutalium ſimiles. Quocirca ſaltem pro moralibus inclinationibus hominum, nativitates non eſſe indagandas. Etenim nec aliunde homini naturaliter adveniunt, niſi ex parte ſui corporis, quod totum, quidquid eſt, enti debet ſeminali, non aliter quàm brutorum corpora. Anima ſiquidem immortalis, tota ſimplex & uniformis eſt; & cum ſit immortalis, nequit à caduco, labilique ſtellarum motu, ſuam habere inclinationem: ſed tantum auſcultat naturæ, in Adamo, & poſteris corruptæ, à peccato. Quocirca in ſero nepote, non rarò reſurgunt mores, geſtus, & inclinationes avi, non antea viſi. Has quidem tum enti ſeminis dari contentæ ſunt Scholæ, non aſtris. Sed aſſentiendi conſuetudine, & Aſtrologorum importunitatibus ſoporatæ neglexerunt perpendere præfatas inclinationes avi, non eſſe alterius dignitatis, nec à cœtu cæterarum inclinationum ſeparatas: ac proinde eadem lege teneri, enti ſeminis. Neſcio itaque, quo merito hodie adhuc doceant, hominem Aſtris ita ſubjectum, ut continuò ab iis tentetur. Morales, vitiorum nempe, & bonitatum inclinationes, ab hora nativitatis deſumi: At ſanè, *conſtituit Deus hominem in manu arbitrii ſui.* Anima enim ſenſitiva, mentis vicaria, majore ſanè libertate gaudet, quàm animæ brutorum, propter ſigilla à
44 mente ſibi ſuggeſta. Verùm animæ brutales, ſuæ ſpeciei inclinationibus, ſub pauca latitudine, contentæ vivunt: humana verò ſenſitiva, ad omnes exſpatiatur. Etenim ut fœtus humanus, ſimul atque nutriri propria quadra incipit, non alicujus ſpeciei planta eſt, prout neque alicujus ſpeciei brutum, dum ſenſitiva ſimul cum rationali affluit. Ita ſenſitiva humana, non ad ſpeciem brutalem alligata, per omnem brutalium inclinationum latitudinem vagatur, ac facile auſcultat alienis inclinationibus mentis immortalis proprio lubitu ſibi inductis. Mens enim, incorruptam naturam labens, facilè hujus motibus & illecebris cadit, ſemperque per effrenem appetitum diſcuſſa loco, ſervit ut pediſſequa perturbationi, quæ illam loco pepulit.
Vnde inclinatio aliena. Cujus frequenti uſu, 45
vel deſiderio, fit conſuetudo fortis, quæ tandem mentem incarcerat. Patet ſaltem, inclinationem moralem eſſe de intimis animæ ſenſitivæ proprietatibus, ex ente ſeminis diſpoſitivè labentibus. Quodque Aſtra, nullam cauſandi poteſtatem in nos, ſint ſortita, præterquam per Blas meteorum. Cæterùm quanquam inclinatio vocationis, vel moralis, vitalem mutent. Vt dum putator fit podagricus; rixator vulneratur vel occiditur: Sic deaurator miſerè tremit; foſſor mineralium, itemque Chymicus, aſthmate perit. Illa tamen fiunt duntaxat occaſionaliter. Nec quidquam juris Aſtrologo deferunt. Apage ergo, credere ſtellas ad tentandum, inclinandum, perdendum, felicitandum, ſcientias infundendum, creatas, aut acquiſito deinceps jure, valere. Tollitur enim ſic vis meriti, ac ſupplicii, aperitur quoque via ad Atheiſmum, &
deſtinationum fatalitates. Itaque ſapiens do- 46
minabitur Aſtris. Non quidem, quod queat impedire, mutare, ſuſpendere, & invertere aſtrorum curſus, aut lumina: ut neque viciſſitudines temporum, dierum, & annorum inde conſequentium. Sequitur ergo, quod Sapiens non dominabitur effectibus, qui ſunt copulati ad aſtrorum revolutiones, tanquam cauſas; neque dominabitur aſtris, tanquam ſignis, ut videlicet illa queat mutare, pro ſuo lubitu: ſed tantum prævidens, quod ſeptem errones, Blas motivum, vel alterativum concitaturi, unde ſterilitates, frigora, calores, annonæ caritates vel ſimilia, neceſſariò conſequuntur, poterit ſibi de neceſſariis providere, adeoque aſtrorum fluxu natis incommoditatibus obviando & à poſteriori quodammodò dominari. Hoc nomine Aſtrologus, non excedens meteori limites, à Sacris inter Sapientes refertur. Quam teſſeram ſi prædictiones aſtrologicæ temerario auſu exceſſerint, nedum vanæ ſunt, ac conjecturales:

ſed utrâque Sacrorum pagina exploſæ, nomine *Augurum Cæli*. Adeo ut rectè S. Ambroſius illas comparet telis aranearum, quæ quidem muſcis & culicibus, ſeipſas irretientibus, captandis inſerviunt, à robuſtiori verò animali, facillimè diffringuntur. Sic nempe hæ prædictiones, credulos minuſque firmatos in fide,
47 tantum captant. Quod autem in ſe ſint vanæ, & conjecturalibus regulis formatæ, probo. Quia nituntur duplici fundamento, Nullo nempè, & falſo. Ex parte nullitatis eſt. Quod velint ſeptem Planetis attribui figuram, inclinationes, fortitudinem, ingenium, fortunas, & mortem
48 nati. Cum Deus ſtellas tantùm in ſigna, tempora, dies, & annos, non autem in cauſas prædictorum, deſtinaverit. Adeòque ſi contradicant ejuſmodi prædictiones, deſtinationi divinæ, eo ipſo nullæ ſunt, & falſæ. Secundò. Quia hactenus nondum inter Aſtrologos conſtat, de Schemate, ſive ordine cœlorum. Videlicet an Mercurius, & Venus, ferantur orbibus ſingularibus infra Solem, juxta Ptolemæum, & omnes judiciarios veteres. An verò rotentur parius circulis, circumcirca Solem. Quod nuper tubus opticus ſic exploravit. Concidunt ergo Aphoriſmi prædictionum, illo fundamento nitentes, quod illi duo planetæ ſemper ſint Sole inferiores. Deinde, ſi duo ex planetis, (Venus) maximum præter Solem ſidus circum Solem feruntur, ſintque tantæ poteſtatis in Iudiciis, & tam vicini nobis, ſaltem illæ maculæ, ſive ſtellæ in Sole, vel illi propinquiſſimæ, erunt longè majoris authoritatis, ad refellendum omnes veterum aphoriſmos. Et ſtellæ, quæ circum Iovem, nuper volvi ſunt repertæ, Almageſti regulas, ſive fundamento ſcriptas, conjecturaliter convincent. Vt interim ſileam de Copernica opinione, quæ hodie ſuis non caret aſſeclis, & non parvæ authoritatis, licet ſub ſilentio premant ſuum conſenſum. Qua tamen ſemel erumpente, abſque dubio, omnia phænomena & prædictiones ruent. Quarto, incertum eſt punctum nativitatis. Cumque aſtra ſingulo puncto varient, Neceſſariò omnis prædictio eſt incerta. Ego aliquando junioribus annis deceptus, plurimum tribui aſtrorum ſignificationibus: ſed cum mihi ſatisfacere non poſſem, ut per notabilia accidentia nati, punctum nativitatis invenirem. Quod eſt planè neceſſarium, ſi ex aſtris illa accidentia procedant quomodo libet: Tandem ex parte magni Herois, deſcripſi accidentia ſua, nimirum quod anno ætatis ſuæ XI uxor ſex annorum ipſi eſſet nupta, equitis gradum nactus, peregrè profectus uſque in annum 19 in duello vulnus accepiſſet, femur dextrum, caſu in rhæda fractum ſibi, adjunctis horis præciſis, cum plurimarum rerum obſervationibus. Addita patria ubi natus, die 9 Iunii, & hora inter 7 & 10, ante meridiem anni 1604. adivi ipſe peritiſſimos judiciarios, dimiſſa quoque quæſtione in alias regiones, cum pollicitatione 600 aureorum, qui punctum (nobis notum) nativitatis ariolari, ex præfatis accidentibus poſſet. Tandem nemo punctum verum attigit, ſed ille qui propius acceſſit, adhuc per ſeptem puncta, ſuper ſemihoram diſtabat inde. Erant interim anteſignani, qui negabant inter 7 & 10 horam tale punctum eſſe, per quod ejuſmodi accidentia eſſent ſignificata: ſed quidem illud punctum reperiri, mox ante quintam manè. In rei tamen veritate, natus erat Londini me præſente, ſeptem punctis poſt horam nonam ſolarem, & non horologialem. Inſigni deinceps ergo pœnitentia, luxi meas credulitates. Porro de falſitate fundamenti prædictionum, clarius adhuc conſtat. Siquidem ipſimet 49
fatentur eccentricos ſuos, &c. eſſe mera figmenta, & penè impoſſibilia, ad ſalvandum ſuas theoricas. Quod ſonat. Ignorari cœlorum orbes, & aſtrorum lationes. Adeoque poſitis his abſurdis figmentis, non mirum, conſequi plura iis affinia. Novi remedium, quo fœtus alioqui per diem & horas in partu ſtaret, eoque potu ſumto, mox infra horæ quadrantem, mulier parturit: ſicque eluditur punctum nativitatis, itemque Trutina Hermetis de empſychoſi; hoc autem remedium, in jecore, & felle anguillæ, ſiccatis & pulveratis, conſiſtere ſcripſi alibi: falſitas denique magis apparet. Nam dicunt, Sa- 50
turnum frigidum, & ſiccum melancholicum, ideò invidum, & ad furta ac proditiones incitantem, planè malum, quia de natura terræ. Martem verò, quia calidum & ſiccum (non Solem) malum eſſe, cholericum, bellatorem, homicidam & ferum, quia de natura elementi ignis. De aëris verò natura atque hilares Iovem atque Venerem ſanguineos, bonos, pro ut Lunam atque Mercurium frigidos, & humidos de natura aquæ & phlegmatis. Adeoque & ideo mediocres. Soli verò calidiſſimo, mediocritas competit, non humor nec elementum. Quocirca vel Sol languebit præ injuria, vel male attribuuntur poteſtates elementorum fictitiæ, in cauſas proprietatum ſtellarum, quibus proprium eſt, non mutare: ſed dare Blas alterativum his inferioribus. In quo occurrunt multæ falſitates.

Nam inprimis, malum intra cœlum, cauſati-
vè demergunt. 2. Terræ qualitates eſſe pravas.
3. Ignem inter corpora elementalia collocant.
4. Non aſtra, non ſaltem quoque duo elemen-
ta, quæ Deus fecerat, erant bona. 5. Falsò
comparant ſtellas in proprietate cauſativa, ad
qualitates elementales. 6. Falsò ergo attri-
buunt ſtellis, cauſalem vim fortunæ, ingenii,
51 &c. ad primarum qualitatum relationem. Qua-
re cum in judiciaria Aſtrologia tantæ ſint nudi-
tates, falſitates, vanitates, & in ſumma non niſi
conjecturæ, meris mendacibus regulis ſufful-
tæ, non eſt mirum, quod mille Artifex ſe illis immiſceat, ut habeat nunc iterum ſuos qua-
dringentos prophetas, uni Micheæ oppoſitos.
Quiſquis ergo es Lector, meo exemplo, noli al-
tum ſapere. Cœlum autem, tam ſitu, quàm pro-
funda ignorantiæ noſtræ cæcitate, altum nemo
addubitat. Quapropter certè nolui inquirere
cœleſtia arcana, qui terreſtria, ne puſillum qui-
dem novi. Sin autem ultrò Deus revelet, can-
ta ipſi gratias corde grato. Certus nil revelatu-
rum, niſi quod ad ſui gloriam, & hominum
uſumfructum ſpectaverit; Plura de Epidemi-
cis, tractatu de Peſte ſcripſi.

FORMARVM ORTVS.

1. ABuſivè docent Scholæ, ortum formarum è Cœlo eſſe. 2. Fides Authoris. 3. Probatur. 4. Quid deceperit Scholas. 5. Error circa patrantia lumina Solis. 6. Inconſtantia Scholarum. 7. Tandem maluere, formas oriri ex potentia materiæ, non autem ex patrante lumine Cœlorum. 8. Opinio S. Thomæ refutatur. 9. Ejuſdem contradictio. 10. Opinio Scoti refutatur. 11. Scholæ aliorum hebes dogma refutatur. 12. Incipiens Atheiſmus. 13. Concludunt Scholæ contra ſeipſas. 14. Optime ſenſit Auguſtinus. 15. Scholæ quoties ceſpitant, facile ambiguitate nutant. 16. Theſes Authoris ſeptem. 17. Quantum creatura ad productionem formæ tribuat. 18. Quale ſit ſemen fæcundum. 19. Progreſſus ſeminis, ad optatum lumen. 20. Mineralium ſimiles fluxus. 21. Probatur vis aliqualiter ſenſitiva in mineralibus. 22. Iſtos heroes ambos, ſeduxit Paganicus error, in quinque abſurda. 23. Itemque ſcienter didiciſſent novem notabilia. 24. Ignem nec ſubſtantiam eſſe, nec Accidens. 25. Propoſitionis demonſtratio. 26. Probatio ſubſumpti per mechanicam. 27. Lumen migrare de ſubjecto in ſubjectum. 28. Quid flamma. 29. Probatur definitio per mechanicam. 30. Ignis eſt mors artificialis poſitiva. 31. Theſes aliquot, ignis naturam docentes. 32. Concluſio è præmiſſis, & theſibus. 33. Demonſtratio Mathematica. 34. Scholæ ſibi contradicunt reſpondendo. 35. Probationes inſuper aliquot. 36. Scholæ ſibi implicant. 37. Contradicunt ſacris. 38. Igniculus vitalis quis. 39. Solare lumen, qui differat à lunari. 40. Solare lumen, planè mutatur in ſtellis. 41. Cur luna, etſi aliis ſtellis minor, dicatur luminare magnum. 42. Luna, luce nocturna regit noctes, etiam dum ſolem comitatur ſuper horizontem oppoſitum. 43 Luna, nedum eſt ſpeculum recipiens, & reflectens. 44. Probatur ipſi lumen proprium. 45. Blas frigidum lunæ, eſt de proprietate proprii luminis ſui. 46. Demonſtrationes ſuper illo lumine. 47. Differentia radiorum Solis & Lunæ. 48. Differunt regere diem & noctem, ſeparare lumen à tenebris, & diem ſeparare à nocte. 49. Luna per mutuatum à Sole lumen, non regit noctem. 50. Animalia noctivaga, quomodo perfectè cernant ſub denſiſſimis tenebris. 51. non emittunt lumen extra ſe. 52. Quid ſint tenebræ tangibiles, & exteriores in ſuperlativo. 53. Cur mali ſpiritus, opaca nocte lubentius tumultuentur. 54. Hiſtoria noctambulonis. 55. Vulnus difficilè curatur, ſi radius lunæ illuxerit. 56. Excreſcentias curat lumen lunare. 57. Rana tota per lunare Blas, & frigus, redit in Cryſtallinam mucilaginem. 58. Commendatur gluten de Aquatico. 59. Quare luna reſpiciat plantationes. 60. Cur effodiantur, & decerpantur plantæ ante Solis ortum. 61. Sufficere duo luminaria magna. 62. Germinandi modus, & progreſſus. 63. Tandem nitens fulgur in Archeo. 64. Fœcunditas mineralium unde. 65. Splendor, non eſt ipſa forma, ut neque candelæ ſplendor, eſt forma flammæ. 66. Natura, per ſe, nec continet, nec attingit formam. 67. Progreſſus in brutis calidis. 68. Quadruplex rerum forma. 69. Nullam ſubſtantiam jure eſſe annihilabilem. 70. Scholæ ſuam impugnant doctrinam per axioma. 71. Myſterium creationis humanæ. 72. Plures luminum ſpecies, quàm rerum materialium. 73. Splendor ſeminum, ut differt à Lumine formali. 74. Lumen formale, toto genere diſtat ab igne. 75. Poteſtas condendi formas, infinitæ eſt Sapientiæ, & poteſtatis. 76. Qualiter mens penetrat alias formas, juxta & ſuam ſenſitivam. 77. Proprietates innaſcuntur à contactu formali. 78. Deus tangit, & penetrat omnes formas: à nulla autem contingitur, niſi à mente bona. 79. Innocentia Ariſtotelis, ſunt blaſphemiæ Chriſtianorum. 80. Animam, nil deſtractivè pati à caducis. 81. Senſitiva in nobis, non eſt ſpecifica bruti. 82. Quomodo ſenſitiva determinetur à mente. 83. Vegetans forma in bruto, non eſt de ſpecie plantarum. 84. Ignis ſit igne calidior. 85. Anima vegetabilis, vitalis quidem, at non proprie *priè dicenda eſt vivens. 86. Functiones unius animæ exſtinguuntur, illæſis alterius. 87. Archei diſcrimina. 88. Solare Lumen in ave, & quadrupede; lunare verò, in piſce. 89. Scholæ ignorant ſimplicium gradus, quamdiu luminum formalium poteſtates. 90. Ignis Gehennæ ſeparat ens Archeale. 91. Deceptus Quercetanus in glacie. 92. Paracelſi error in gradibus ſimplicium. 93. Solis lumen, non eſt conſtitutivum entis. 94. Semina Solarium, & lunarium, viſu diſtinguuntur. 95. Duo luminaria magna, reſpondent duobus elementis primariis. 96. Lumen trahitur in ſilicem, extra corpus luminoſum Solis, & conſervatur aliquamdiu in tenebris. 97. Vſus anhelitus, veteribus aſſignatus, fallax.*

1 GEntilitas uſque perſeverat nobiſcum,
quod in Scholis edocti, etiamnum
credamus, totam ſublunarium
moderationem, & viciſſitudinem,
pendere ex certo
(id eſt, innominato, incognito,
conjecturali, & incerto) cœlorum motu, aſtrorum
ſitu, lumine & aſpectu. Non conſiderantes
ex oppoſito, donum multiplicationis aut
generationis, effuſum, ante natas ſtellas: atque
eatenus, fruſtraneam quodammodò fore benedictionem
generationis, & viciſſitudinum inde
ſequentium, ſi totalis gubernatio inferiorum
eſſet cœleſtis, verumque imo foret, *Quod homo
hominem generet & Sol.* Protoplaſtus enim ex
limo factus, & inſpiratione divini flatus, eſt animatus:
Cœlos verò, nec eſſe, nec mores, nec
ſcientiam, nec fortunas conferre, ſatis jam ſuprà
probavi. Nunc porrò, nec quidem vitam,
nec formam dare poſſe, probabo. Enimverò
ſic hæc olim infatuarunt dogmata Scholarum:
quod inter Chriſtianos creditum ſteterit, ipſam
mentem immortalem, è ſemine humano, & cœlorum
influxu, naturaliter produci: & quamquam
id Eccleſia vetuerit: Scholæ attamen,
gentilium erroribus etiamnum imbutæ, docent,
præter mentem humanam, omnes omnium
formas, eſſentias, origines, & conſequenter
vitam, inclinationes, proprietatumque
perfectiones, proprietates, & fortunas noſtras,
è ſiderum motu, lumine, (& forte inſuper influentia)
2 proficiſci. Aſt longè aliud credo. Profiteor
nempe illum, qui ſolo verbulo beneplaciti,
univerſum ex nihilo fecit, eſſe omnia in omnibus,
& hodie quoque cunctorum viam, originem,
vitam, & perfectionem. Adeo ut quamquam
cauſæ ſecundæ, ſint & operentur, tanquam
cauſæ partiales, motuum directiones, &
diſpoſitiones omnes, ad generationem neceſſarias.
Quod proinde nihilo magis, omnipotens
ſuum honorem ulli tribuet creaturæ. Quin ſemper,
ut cauſa totalis maneat, jugis rerum Parens,
naturæ Conditor & Rector, creando perſeverans.
Profiteor itaque, quod ſicut in initio
ſine ipſo factum eſt nihil. Ita & hodiè, formæ
cujuſvis creatio, ſit res ex nihilo, per ipſum
eundem facta. Quod non ſolùm dico, pro materia,
ſemel olim creata: ſed & de formis quibuslibet.
Quod ſicut forma eſt rei quoddam
velut lumen, & iſtius luminis apex: ita nemo
formas rerum patret, niſi Pater luminum, qui
omnia dat omnibus, nec longè abeſt ab unoquoque
creato. Nec credam, cœlos ex nihilo
condere rerum formas naturales, aut rerum ſemina
animaſve dare, quas nullo modo habent.
Quia fides, ſimul & religio me docent: Deum
eſſe & hodie rerum immediatum principium,
ubique præſens, operans omnem omnium perfectionem.
Ideoque quidquid uſpiam eſt eſſentialiter,
id totum, quantum eſt, poteſt, ſcit, atque
habet, debere Deo. Etenim creatio reſpicit & 3
dicit habitudinem, ad rem exſiſtentem in perfectione:
rei autem perfectio eſt ſua cujuſque
interna eſſentialis forma. Ergo ejus immediata
origo, non aliunde, quàm ex creatione eſſe poteſt.
Atque ideò, immediatè ex unico rerum
Creatore ineffabili. Scholæ ergo, oppoſitum 4
ſentientes, deceptæ ſunt, cum cernerent lumen,
per ſe, facere verum ignem trans vitrum. Lumen
inquam, putarunt accidens: Ignem verò
eſſe ſubſtantiam, atque in utroque putantes ceſpitarunt.
Ideoque ad lumen naturale Solis cæcutientes, 5
tanquam ad ſubſtantiæ ignis creatorem
confugiunt, retrocedendo dubitantes, An
cœlum, adhuc formam ignis conderet, an verò
aliud quodvis lumen artificiale, in hoc opere
æquivalens? Etenim ſemper iſta perennat Scholarum
ignavia, quod nacto exemplo (erroneo &
putaticio) confeſtim ad generalitatem ſint lapſæ:
ne indagando, per ſpecies, fatigarentur & aliquid
reperirent, quod illas, ex poſſeſſione putatæ notitiæ,
cogeret recedere. Intelligere inquam non
potuerunt, Solis lumen, quin ſimul & formarum
omnium eſſentialium, crederent eſſe creatorem.
Sed in palæſtra ceſpitant, cadunt, & inconſtantes 6
aufugiunt. Nam cum unam formam
eſſentialem ignis putarent generari immediatè
à calore, putredine, frictione: & jam ſumi
de alio lumine, abſque cœlorum reſpectu, cooperationeq;,
palinodiam cecinere: cœlos, ſuamque
priorem opinionem oppugnarunt, & ab
his, formarum creationem repetendam volunt,

quam tamen liberaliter, atque creduliter, ipſis
ſubinde cedunt, incertæ, cuinam Authori, for-
marum nativitas debeatur. Quocirca, cum
ignem de igne ſumi cernerent, adeoque in ob-
7 jecto cremabili eſſe potentialiter ignem. Con-
feſtim quoque eodem jure, ſemina cuncta, con-
tinere potentialem formam, atque eatenus ſci-
licet, quod actualis forma tandem ducatur, at-
que procreetur ex potentiali diſpoſitione, quam
vocant materiæ (ac ridiculam ſanè) potentiam.
Initio enim ſunt arbitratæ, cunctorum ſemi-
num generationibus, idem evenire, quod jam
in lumine, & igne expertæ fuerant. Mordicus
itaque aſtruere cœperunt deinceps, quod omnis
ſubſtantialis forma (ego verò, eſſentialem for-
mam, rebus quibuslibet concedo : ſubſtantia-
lem tamen, nulli, niſi homini, propter mentem
immortalem) ſive actus educeretur ſine medio,
è potentia materiæ. Id eſt, à Solis crearetur diſ-
poſitionibus materiæ (quod eſt dicere) acci-
dentibus. Vtque ex cerebro, hæc illarum ſcien-
tia parta erat; tanquam Minerva Iovis filia : fuit
quoque pro ſubjecto inhærentiæ anxia, incon-
ſtans, ſine ſenſu, atque in varias mox ſectas di-
8 ſciſſa. Ac inprimis quidem S. Thomas. Docet,
*Accidentia, revera quidem, generare ſubſtan-
tiam : ſed in tantum, reſpectu ſubſtantialis formæ,
cujus ſunt inſtrumenta.* Inprimis, hic S. Thomas
ſuum deſerit Ariſtotelem, vultque cauſam effi-
cientem eſſe internam, è ſinu formæ labentem,
dependentem, & hactenus ejus prolificatricem
efficientem. 2. Dicit hæc implicantia. *Vna for-
ma ſubſtantialis, non facit alteram, ex ſeipſa :
9 ſed ejus accidentia id revera faciunt.* Item, *Ac-
cidentia, ex ſeipſis revera non faciunt formas ſub-
ſtantiales : ſed eſt virtus ſubſtantialium forma-
rum, quarum inſtrumenta duntaxat ſunt ipſa ac-
cidentia.* Sive ut alibi dicit. Quod Accidentia,
ſint proprietates formarum ſubſtantialium, &
quidquid operantur, id virtute formarum fieri.
At ſanè pace tanti viri, non eſt in rebus naturæ,
prout eſt in negotiis humanis, ubi Iudex, vel
Sacerdos, operatur nomine officii, & non ut
Ioannes. Ejuſmodi enim reſpectus, natura
ignorat, iiſque lubens huc uſque caruit. Penes
eam res enim quæque agit, id quod agit, ſine re-
latione authorizationis. Accidens nempe, agit
quantum, & quale eſt in ſeipſo : non autem qua-
tenus ex commiſſione ejus, cujus eſt organum.
Natura quippe, ignara eſt ſubſtitutionum, o-
mniſque fallaciæ Iuris. Res enim operatur,
quantum quæque poteſt, abſque diplomate.
Quid enim ad effectum productionis forma-
rum attinet, accidentia agere in quantum ſunt
organa formæ ſubſtantialis, vel alio reſpectu, ſi
interim formæ eſſentiales, revera & actualiter
conſtituantur ab ipſis accidentibus? At ſanè in-
ſtrumentum, etſi in Matheſi aliquid generet,
nullo tamen intellectu vero, eſt generans in na-
tura, eo quod ſit rei generatæ, & ſingulariter
ejus formæ externum, nec quidem continens
Idæam eſſentialem formæ, multo minus Ar-
cheum ejus. Siquidem Accidentia, quatenus
procedunt à generante ad intentionem gene-
randi, debent continere quidditatem atque pro-
prietates ſeminales, ad generationem requiſi-
tas : quibus accidentia, ut talia ſunt orbata. Eo
quod ad ſummum, ſint tantum media diſpoſiti-
va materiæ, ad ſuſcipiendam formam, non au-
tem ad procreandam eam. Videtur itaque juxta
D. Thomam, quod accidentia, ut inſtrumenta
formæ, eſſent velut canales inſtrumentales, per
quos forma generantis, ſpiraret formam in ge-
neratum, ſi materia hujus prius, per alia acci-
dentia, ſit benè diſpoſita. Atqui tunc genera-
tio formæ immediata, non competeret acci-
dentibus. Vt ſanè accidentia nunquam ſub In-
tellectu inſtrumenti, ſunt productiva ſubſtan-
tialia. *Scotus* verò, iiſdem inſiſtens deluſioni- 10
bus, ex productione Ignis deſumtis, declarat
*Accidentia, nullo modo generare formas ſubſtan-
tiales, ſed unam formam ſubſtantialem, revera
actualiter producere ex ſeipſa alteram.* Hic ſer-
mo, ſaltem cœlo & Soli, demit generationem
formarum. Secundo facit omne ſemen, actu
animatum, vita & forma dotatum ſubſtantiali,
cum delirante Thoma Fieno Medico Lova-
nienſe. Tertius eſt, qui tenet propria virtute, 11
& ſine concurſu formæ ſubſtantialis acciden-
tia, immediatè producere formam ſubſtantia-
lem. Hic enim (ut dixi) ab ignis, & luminis
præſentia maximè occæcatus, inſtar veſperti-
lionum, cogitur fateri magnæ benedictionis
ſolemne mandatum : *Creſcite, & multiplica-
mini.* datum ſolis accidentibus. Alii enim in-
ſtar Africæ, ſemper nova monſtra ex ſcientiæ
humanæ præſumtione, adferunt. Adeo ta-
metſi præcedentes opiniones eſſent abſurdæ.
Hi tamen adhuc, ſuperlativè abſurdiora heic
ſtatuunt. Enimverò ſi natura requirat (ut Phy-
ſici ſupponunt) ſeminalem quandam ſucceſ-
ſionem, & continentiam unius fluxus, ab alte-
ro, velut principio conſubſtantiali, & conjun-
cto, cum principiato. Quomodo erga pote-
runt accidentia, quocunque modo accepta,
procreare aut continere formam ſubſtantialem?

fatentur formam quamlibet, eſſe internam rei perfectionem, eſſentiam, ſubſtantiam ac originem accidentium ſui concreti; Attamen volunt illam naſci, produci, & velut ex nihilo creari, ab accidentibus, tanquam dependentiis formæ eſſentialis, ſui prædeceſſoris. Atqui cum omnia naturalia, producant ſui ſimile in ſpecie. Sequitur ergo, quod velint formam eſſentialem, ejuſdem eſſe ſpeciei, cum formis accidentalibus. Imo accidentia, ſubſtantiis iſtam eripuiſſe prærogativam, quod accidentia producerent accidentia, atque inſuper formas eſſentiales ſubſtantiarum. Formæ autem ſubſtantiales, velut otio torpentes, feriarentur, ac ſuis vicariis accidentibus, totum negotii pondus tradidiſſent, ut falſificarent proprium ſuum, & Ariſtotelis axioma: *Quod omne agens, naturaliter natum ſit producere ſui ſimile.* Cum accidentia non ſolum accidentales, ſed etiam ſubſtantiales formas, quaſque docent eſſe etiam
12 ſubſtantias, eſſent producendo. Falſum itaque, &
Atheiſmi aliquid continere viſum eſt mihi, axioma Scholarum. Quod omne agens, quod diſponit ad formam, etiam det ipſam formam. Quoniam ſi ſubſtantia, prædicamento differat ab accidentibus: principia illorum non debent minus differre. Principium nempe activum, motivum, diſpoſitivum, & eſſentiale, generationum, eſt ipſa cauſa efficiens, & Archeus faber. Deus itaque glorioſus, tandem creat formas ſubſtantiarum. *Quorum ergo principia ſunt genere & prædicamento diverſa, illorum effectus æquè diſtant: prout cauſæ eædem ſimiles, ſunt ſimiles ſimilibus cauſatis.* Sequitur autem à jam dictis. Quod calor, producat calorem', non ignem: multo longè minus formam pulli: Non aliud denique quicquam præter calorem. Quia cum cauſa efficiens ſit interna, & de eſſentia cauſati (quod poſtmodum contra Ariſtotelem demonſtrabo) ideo unum & idem non poteſt conſtitui à cauſis propinquis ſpecie diverſis. Multoque minus toto prædicamento diverſis. Neque enim datur eſſe, ſine proprietatibus eſſentialibus, ut nec agens, ſive organo, & medio. Quo igitur medio, quave demum proprietate, extra ſe, calor erit agens in productione formæ, aut ullius ſubſtantiæ? & quo contactu, calor tanget formam, ut hanc in altero objecto generali, de participatione ſui eſſe, producat?
13 Siquidem apud Scholas, gentilitio errore imbutas, omnis forma ſubſtantiarum eſt ſubſtantia. Vnde Chriſtiani ſubſumere debent. Quod cœlum, ut neque accidentia diſpoſitiva ad formam, poſſint condere ullam ſubſtantiam ex nihilo. Quod creatio ſubſtantiæ, ſoli ſit Creatori
propria. Rectè ergo ſenſit B. Auguſtinus: *Si* 14
Deus in æterna intelligentia ſpecies omnes contineat (imo & individua earum) quomodo non cuncta conderet? An aliquorum Artifex eſſe nollet? quorum efficiendorum artem, & ſcientiam, ineffabiliter laudabilis mens ejus haberet? Idcirco quamquam ſemen contineat patrantis imaginem, Archeum ſibi proprium, cum omnibus ad generationem requiſitis: attamen niſi eſſentiale eſſe formæ, originaliter, totaliter, exemplariter, perfectivè, emanativè, & immediatè, penderet ex Deo, natura nunquam operaretur quicquam, ad acquirendum formam, quia poteſtate activa planè careret, ſi orba eſſet reſpectu illo relativo. Itaque inprimis cœlum vel aſtra, nullo intellectus modo, per motum, lumen, influentiam, concurrentiam, cooperationem, aut copulationem, producunt efficienter & immediatè formas eſſentiales rerum. Quæ duntaxat tantum videlicet nobis, *ſunt in ſigna, tempora, dies, & annos*, quorumque munia nemini licet in novas ſervitutes compellere, Hierem. *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis Cœli nolite timere*, quæ timent gentes. Si non ſigna, multo minus aſtra, quia non habent rationem cauſarum, niſi ut ſint in tempora, dies, & annos. Nec poteſt Chriſtianus, ſine ſcelere, illis alia dare officia. Eſt nempe juxta Greg. *Terræ collatæ poteſtas ex ſe germinandi*, perinde ut & animalibus creſcendi, & multiplicandi, quam cœlo
tribuere, nefas æſtimo. Sed Scholæ facilè recedunt à 15
Cœlo, ad accidentia diſpoſitiva. Ego verò, contra, pro theſi pono! Accidentia nec per ſe, neque 16
ut ſunt formarum organa, producere ſubſtantiarum formas: neque unius ſubſtantiæ formam producere aliam. Cum generantis forma ſit localiter extra ſemen. 2. Terra quoque, licet poteſtatem germinandi, & fœcundandi ſemina receperit, extra cœli ſeminis, aut alterius cauſæ interventum: non tamen eſt productiva, ſive effectiva formarum. 3. Suppono itaque Deum eſſe veram, perfectam, & actualiter omnem omnium eſſentiam. 4. Eſſe autem quod res habent, eſt entis, ſive ipſius creaturæ: Non autem Deus. 5. Licet enim pro pignore, dono, feudo, vel talento, ens habeat ſuum eſſe, à Deo, dependenter: eſt tamen illis ex creatione proprium. 6. Convenit autem enti cum ſuo eſſe, ut aliquid agat, & operetur in ſui propagationem, juxta benedictionem: *Creſcite, & multiplicamini.* Hinc nempè cauſæ ſecundæ habet. 7. Deus

ergo, ad generationem entis, concurrit ut cau-
ſa univerſalis, independens, totalis, eſſentialis,
& efficienter efficiens: ſed ens creatum con-
currit, ut cauſa dependens, partialis, particula-
ris, & diſpoſitivè efficiens. Quid autem ad for-
mæ productionem tribuat creatura; Nota.
17 Quod cum entia, ad generandum nihil habeant
ex ſe; ſed ex mutuo & gratis cuncta poſſideant:
fatentur eo ipſo, Deum omnia operari, media-
tè, & immediatè, ſed animal non generat ani-
mal, at benè ſemen ad animal. Ea propter,
non generat formam ejus. Semen autem ad
formam animalis, eſt tanquam Architectus diſ-
ponens: non autem ut formæ factor, Archeum
quidem à generante mutuat: non formam,
18 imo nec lumen vitæ, quo forma ſplendet. Non
eſt itaque initio generationis, Archeus adhuc
luminoſus: ſed eſt aura, in quam forma, vita,
vel anima ſenſitiva generantis, parumper ni-
tuit, donec ſufficienter ſui fulgoris ſigillum ali-
19 quod umbratile impreſſiſſet. Quæ aura, avida
ſplendoris, ſenſati in generante, ſemel ac um-
bratiliter in ſe concepti, intendit via omni ſibi
poſſibili, corpus organizare, ad receptionem
illius luminis, & actionum, à lumine illo de-
pendentium. Quorſum ergo deſiderando an-
helans, ſeipſam magis magiſque accendit, (hoc
in typo metaphorico, eſt naturam per philau-
tiæ deſiderium orare, quærere, & pulſare) cur-
ritque perfectiſſimè, ut ſuſcipiat iſtud lumen,
formam, ſive vitam. Quam tandem non aliun-
de acquirit, niſi ab eo, qui via eſt, veritas, & lu-
men vitale. Quorſum ergo, cum Archeus deve-
nerit, nec interim ultra progredi valeat, ſiſtitur-
que tandem formas, de manu Patris luminum
recipit, poſtquam plenè ſuis eſt functus muniis.
Hæc ſic dictat Christiana Philoſophia, quæ in
20 animalibus, & plantis, fit facilis intellectu: Aſt
in lapidibus, mineralibus, metallis, adeoque in
fructibus aquæ non vitalibus, eadem accom-
modatè ſunt interpretanda. Non enim, etſi
hæc familia non propaget vi ſeminis, nec extra
ſe edat poſteros, proinde deficit ens in ea, quod
illam, ad deſtinatos maturitatis fines perducat.
Enimverò cum nihil uſpiam ſemetipſum diſpo-
nat, aut moveat, niſi ſemen ſit: neceſſe eſt,
quidquid generatur, Id habere intus diſpoſito-
rem, qui in aura molli, aquoſa, ſalſa, lutoſa, &c.
ſedeat. Non quidem quod heic fluat, aut ob-
erret per iſtam maſſam, perinde atque in bru-
tis; aut quod proinde, in perpetuo ſucco ha-
bitet: ſed aura eſt per totum incorporata, nec
21 varians ab indole fructus producti. Imò in mi-
neralium claſſe, iſte diſpoſitor eſt fermè vitalis,
ac ſenſitivus. Quoniam Adepti Chymici, uni-
vocè tradunt, ſi ſemen lapidis Chryſopæi, ſemel
in ovo illorum, fotum, poſtmodum infrigide-
tur tantillum, deinceps deſperatum fore conce-
ptum & progreſſum ad lapidem. Id quod ovis
avium cum ſit ſimile, etiam proin ſine vita ſen-
ſitiva ſubſiſtere nequit. Mirandum profectò,
quod Scholæ agnoſcant materiam omnem ſe-
cundam, fluere ex quadam univerſali materia:
non admittant tamen omnem vitam, ſive o-
mnes formas, immediatè derivare à vita primi-
tiva, & actu omnium primo. Omnem nimirum
rerum perfectionem, derivare ex univerſali
ſupereſſentialique perfectionis eſſentia. Imò
potiùs hodie derideant Platonem, cum ſuo
deorum principio, & Avicennam cum Chol-
codea Pantomorphe. Qui tamen longè vicinius
veritatem in hoc ſalutarunt, quàm Christiani:
qui cœlorum aſpiratu, accidentium opera &
diſpoſitionum materialium favore, ipſas re-
rum vitas, formas ſubſtantiales, quidditateſque
produci aſtruunt. Propono cæcitatem rariſſimo-
rum virorum, ſub lumine factam. Putant enim 22
ignem, ſubſtantiam, & lumen, tantum eſſe acci-
dens. Bona fide credulitatis, in gentilium er-
rores conſenſerunt, & seducti ſunt in multas
abſurditates. 1. Coacti ſunt, formas rerum ne-
gare abſolutè, eſſe lumina. 2. Vitas, ſive for-
mas, atque lumina, locari inter ſubſtantias:
cum inter accidens, & ſubſtantiam, medium
ens non agnoſcerent. 3. Materiam quamvis
eſſe ſubſtantiam, ſubſtantem, & perennem; for-
mas verò eſſe ſubſtantias privativas, tamen an-
nihilabiles inſtar accidentium. 4. Materiam mu-
tuare ſuum eſſe ſubſtantiale, à forma non ſub-
ſtante; ſed annihilabili. 5. Quod formæ cedant
materiæ, in ſubſtando, & ſubſiſtendo. Quas ab- 23
ſurditates, retroſpiciendo notaſſent, niſi credu-
li. 1. enim ſciviſſent ſolam mentem inter for-
mas, eſſe ſubſtantiam. 2. alias autem formas
omnes, eſſe de claſſe vitæ, extra accidens & ſub-
ſtantiam. 3. Quod impoſſibile ſit unquam, ma-
teriam fieri accidens. 4. Eo quod materia non
ſit annihilabilis. 5. Quod impoſſibile ſit, acci-
dens mutari in ſubſtantiam. 6. Quod accidens
aſſumat gradus, non autem ſubſtantia. 7. Quod-
que ideo accidens, utrimque graduatum, ne-
queat gradualitatem deponere, ut fiat ſubſtan-
tia. 8. Quod etſi lumen reputetur accidens,
nunquam faciet de ſe ignem, niſi ignis ſubſtan-
tia eſſe deſinat. 9. Quod frivola ſit quæſtio,
quomodo accidens faciat ſubſtantiam, cum

præſupponat impoſſibile. Ergo accidens non producet ſubſtantiam ex ſe, cum hoc ſit impoſſibile: Neque accidens, ex ſubſtantia faciat ſubſtantiam. Nam & quæſtio non inculcat, quomodo è ſubſtantia fiat ſubſtantia. Sed quomodo accidens producat ſubſtantiam. Nam etſi operatio diſpoſitiva & accidentalis intercurrat in productione rei ſubſtantialis: Non tamen ipſa ſubſtantiæ productio, ullatenus accidens aſpicit, tanquam ſui principium productivum. Porro cum Scholarum duo præcipui ductores, cæcutientes, ſub aſpectu luminis & ignis, à vero devii facti ſint, opere pretium cenſui, me, Pyrotechniæ tyronem, demonſtraſſe, ignem nec 24 ſubſtantiam, nec accidens eſſe: ſed peculiarem, & ſeparatam ab ambobus creaturam, quæ ſibi ſimilem nuſquam habet. Quod autem ignis culinarius non ſit Subſtantia. Siquidem elementalis nullus eſt, imo ſi eſſet, nullius foret uſus (ut ſuo oſtendam loco.) Non enim poſſunt congredi quatuor elementa, ad compoſitionem corporum, quæ miſta creduntur. Quia non deſcendit ſubſtantia elementalis ignis, à tot mille leucis, ut ſe jungat conſociis elementis, in conſtitutionem miſtorum illorum, idque raptim, ſtatimque ad placitum ſeminum. Nec ignis eſt proprium deſcendere, ut nec proprietas eſt aquæ, vocare ad ſe ignem, pro miſtura in futurum facienda. Sunt enim commiſtiones illæ elementorum ethnicorum ſomnia, atque ridicula ludibria, quibus Scholæ, abſque controverſia hactenus ſe circumveniri paſſæ ſunt. Quippe ſi prope lunam eſſet ignis elementalis, ut verus eſſet ignis, deberet habere eaſdem planè proprietates, quas habet culinarius: vel hic ſaltem non eſſet ignis, & proprietates hujus non eſſent eſſentialiter communes igni elementario. Cœleſtis enim, ſive elementalis ignis, deberet conſumere actu, atque habere alimentum, non quidem exterius circa ſe: ſed intra ſe, penitus permiſtum: cum una pars ignis, tam nutriri deberet quàm altera. Imo niſi hoc enim ſic contingeret, ignis aëri, tanquam alimento, vicinus, voraſſet, atque conſumſiſſet iſtud ſui alimentum, ac interea, Ignis Cœlo propinquus, alimento ſine, periiſſet ante. Ridiculum quoque oſtendi ſuo loco, aërem fore ignis illius alimentum, eoque, adhuc conceſſo defuiſſe dudum omnem aërem, ignem non poſſe ex aëre excrementum facere, nec aliquid purius, ſimplicius, prius, aut ſubtilius: Quinimò, ſi ex aëre ignem faceret, nec deinceps ſit elementum igni vicinum, quod ex igne demum producat aliud: Neceſſariò jam dudum non eſſet amplius aër, ſed quidquid eſſet aëreæ formæ, tantum ignis eſſet. Vel, ſi ignis elementalis non debeat nutriri, licet qualitates habeat maximoperè vorantes, deberent ſaltem Scholæ oſtendiſſe, cur ignis minus alatur, aut vicinum ſibi hoſpitem in ſe convertat, quàm reliqua id elementa agere ſupponunt. Itemque cur ignis culinæ, hanc alimoniæ, pro ſui ſuſtentatione, vel intercidentia, neceſſitatem adjunctam habeat, cum verus ſit ignis, atque eadem orbetur ipſum primarium elementum ignis. Non conſiderarunt enim, quod ignis verus ſtet in lubitu Artificis, & ad ſuos uſus ducatur, remittatur, & intendatur. Suſcitat enim pro nutu ſuo, ignem è rebus, quibus virtualiter ineſt: neque etiam ex omnibus promiſcuè. Alioquin homo eſſet ignis creator, qui duntaxat eſt excitator ejus. Porrò voco accidentia, omnes rerum proprietates, poteſtates, & qualitates. Entia verò, quæ in ſe habent ejuſmodi qualitates, præter ſuum eſſe, non ſunt accidentia: ſed horum origo, vel hoſpitium. Sic calor ignis, eſt ejus proprietas, & accidens: Neque ignis eſt magis calor, quàm ignis eſt ſiccitas: ut nec ſiccitas eſt calor. Cumque horum ſit diſtincta dualitas, non poſſunt illa duo eſſe ſimul in igne, ut hujus ſint immediata eſſentia. Sed ignis differt ſic ab utroque, ut rectè negari poſſit ignem eſſe calorem, vel eſſe ſiccitatem. Ignis ergo ſuas, & multas habet proprietates, & qualitates primas. Puta calorem & ſiccitatem. Itemque alias, ut eſt vis ſeparandi, deſtruendi, comburendi, faciendi ex non vitro, vitrum, promovendi, maturandi, &c. Tertiò ineſt igni lumen, tanquam proprietas ipſi magis intima, & formalis. Primæ autem & ſecundæ prædictarum qualitatum in igne, ſunt mera accidentia, in ſe ſeparatim diſtincta ab igne, quarum videlicet ſubjectum inhæſionis ſit ignis ipſe. Lumen verò parum ab igne in eſſentia differt, quamquam in penetratione congreſſuque formali gradum accipiat lumen, ad entitatem ignis requiſitum. Itaque oſtendam, ignem non eſſe ſubſtantiam aut materiam: attamen eſt ſubjectum inhæſionis illorum accidentium, ſive ſuarum proprietatum præfatarum. Eſt ignis proinde quoddam ens verum, ſubſiſtenſque, quod tamen ut non eſt ſubſtantia; ita neque eſt accidens: ſed creatura neutra à Domino in hominum uſus deſtinata, & ſubter nutum ejuſdem data. Admiror ſaltem, quod rem tam obviam, hactenus Scholæ non agnoverint, non inſpexerint, non inda-

garint : ſed elementum eſſe, crediderint, & ignis ſolo obtuitu, quartum elementum finxerint, totque abſurditatibus ejus ſubſiſtentiam fulciverint. Nec ſemel ſaltem attenderint, ſi ſummus calor eſſet ignis : Ille calor haberet in ſe complicata cætera ignis accidentia, ac proinde calor ignis deſineret eſſe ſimplex. Ignorantia ergo ignis, quodque S. Thomas, & Scotus ſubſcripſerint paganorum inventis ludicris, cauſam errorum dedit initio capitis deſcripto-
25 rum. Propoſitio ergo mea eſt, quod omnes formæ ſubſtantiarum, (demta anima humana) Item ignis, lux, locus, magnale, vita, &c. ſint creaturæ neutræ, inter ſubſtantiam & accidens. De Magnali enim partim limite de vacuo tractavi. Propoſitionem meam autem ſic probo. Quia ſunt actualiter aliquid, & ens: Item agunt, habentque organa, & proprietates : non ſunt tamen ſubſtantiæ, ut neque Accidentia. Ergo creaturæ neutræ. Quæ pro inſtituto tanti para-
26 doxi, liberalius explanari deſiderantur. Quocirca vitrum, quod omnes conceptos luminis ſolaris radios tranſmittit, atque in punctum coni, in aëre colligit : docet, quod hoc unitum lumen, ſit verus & actualis ignis, nequicquam tamen à ſeipſo lumine diverſus, quàm ſola congregatione. Sed lumen non eſt ſubſtantia, juxta Scholas : ergo neque ignis iſte. Quin etiam ignis ille in aëre, non eſt diverſus ab eo, qui in flamma eſt. Nam quod habeat combuſtibile in flamma, in aëre verò non, id igni eſt per accidens : prout eſt nutriri & non nutriri. Probatur major, quod ſit verus ignis. Quia omnia agit, per modum ignis, calefaciendo, ſiccando, accendendo, cremando, liquando, &c. habetque eadem media, atque proprietates, quas habet verus ignis : nullum verò accidens agit per alia media, aut proprietates alias, extra ſe : Atqui lumen connexum, eſt agens, per proprietates, & media alia, extra ſe. Quippe luminis eſt proprium, tantum illuminare. Ergo lumen, non eſt Accidens. Nec refert etſi collectum in cono lumen, vivat abſque alimonia : quia ſat eſt, quod lumen Solis aut flammæ, iſtud lumen in cono ſuſtentet, abſque corporali alio cibo. Adeoque in cono vivat & ſubſiſtat, eodem Solis, aut flammæ privilegio. Equidem ali vel non, eſt accidentarium, & poſterius ad eſſe : adeoque quæſtio nutrimenti, impertinens eſt in quæſtione an ſit. In puncto coni ergo, eſt verus ignis, cum omnibus ſuis proprietatibus, parum autem ſupra, vel infra conum, lumen eſt ſaltem, nec amplius comburens ignis. Atqui cum eadem res nequeat eſſe uno in loco, ſubſtantia, in altero verò accidens : & jam ſit repertus ignis, qui nil aliud eſt, quàm merum lumen connexum. Ergo jam eſt reperta creatura, quæ non eſt ſubſtantia, neque accidens. Cum unius & ejuſdem rei, nequeant eſſe, eſſentiæ toto prædicamento diverſæ. Idque loquendo abſolutè, & ſine ulla relatione, ſic eſt verum. Ergo repertus eſt merus actualis ignis, qui aliud nil eſt, quàm merum lumen actuale connexum. Ergo omnis prorſus ignis, eſt eſſentialiter, nil niſi lumen. Nec putationi locus eſt. Quod lumen in ſui connexione, fiat compoſitum, à ſeipſo non connexo diverſum: eo enim attruderemur propter ſolam differentiam ignis, nutritione indigentis, eamque reſpuentis. Quapropter penitius introſpiciendo. Profecto culinarius ignis nullo modo nutritur. Nutritio namque in ſe, & propter ſe, convertit comeſtibile, ut illud propter ſui ſubſiſtentiam vel augmentum convertat, quod aſſumit. Id enim igni non accidit, qui tantum agit ob neceſſarios fines ſuæ deſtinationis. Qui ſunt ſeparare heterogenea ſeparabilia, commutare per flammam, quæque alioqui ſi non accendantur, duntaxat ſeparat. Sin autem ignis aëre opus habeat, ne ſuffocetur. Id ſanè inprimis non fit, ut alatur aëre, aut eodem ſuſtentetur, aut aliquatenus aërem in ſe convertat, ſed ſolummodò ut explodat ſuas fuligines in aërem, quas inflammando combuſtibile paravit. Nuſquam autem invenitur ignis, qui unquam aliquid de corpore cremabili appropriaverit ſibi, eoque ſit alitus vel auctus, quod tamen Scholæ hucuſque abſque ulla controverſia putarunt. Nimirum ignem neceſſariò veſci, nedum lignis, carbonibus ; ſed & aëre, adeoque duplici cibo ali, ſemper neceſſariò. Quia infra patebit, radios in connexo cono, ſervare adhuc impermiſtam ſui proprietatem & eſſentiam. Denique ſi connexio mutaret eſſe luminis, equidem à cono progrediens, non eſſet ſimile ſibi, dum ad conum tenderet. Ideoque hic notandum, quod lumen inſit immediatè
loco, non autem aeri, vel medio. Denique ne- 27
dum radii proficiſcantur recta linea, à luce in objectum : verum etiam lateraliter, & obliquè colligantur, & congrediantur, migrentque de ſubjecto in ſubjectum : ſive locum ſuppoſueris, ſive aërem. *Ex fructibus ergo & operibus cognoſcetis eos.* Id eſt, opera ignis, probant ignem verum. Sunt autem illa, calor, exſiccatio, vaporum excitatio, & exhalationum, combuſtio ; liquatio, accenſio, ſive alterius de ſe ignis productio,

ductio, generatio ſui ſimilis, cum illuminatione.
28 Flamma quidem eſt exhalationis pinguis,
fumus accenſus & illuminatus, eſto: ſed quatenus
flamma eſt talis & verus ignis, non eſt alia
materia accenſa, & nondum accenſa; nec à ſe
ipſa differt, niſi quod unitum in centro lumen,
pingui exhalationi ſupervenerit. Quod idem eſt,
29 atque eſſe inflammatum. Ponantur duæ candelæ,
quæ prius dudum arſerint, una quidem ſpitamo
inferior altera: ſuperior autem ſit parum
obliquo ſitu: tum exſuffletur flamma candelæ
inferioris. Cujus fumus, ſimul atque tetigerit
flammam ſuperioris candelæ, ecce fumus
aſcendens illuminatur, comburitur in Gas fuliginoſum,
& deſcendit flamma per fumum, uſque
in lychnium fumigans. Eſt nimirum ibi
productio novi entis, ignis nimirum, flammæ,
ſive luminis connexi. Non tamen eſt novæ alicujus
30 materiæ, aut ſubſtantiæ procreatio. Eſt
nempe ignis, mors artificialis, poſitiva, non
autem privativa, plus quàm accidens & minus
quàm ſubſtantia. Quod cum Scholæ adhuc
ignorent, amplius declarandum, tam quia paradoxon
eſt, ſpectetque ad formarum cognitionem,
quàm quod ex ejus inſcitia, graviſſimi
31 errores in rem medicam irrepſerint. Quare,
ut ignis heteroclitam naturam edoceam,
aliquot theſes ſupponam. 1. Ignem in corpore
phlegiſto, ita uniri materiæ inflammabili, ut
illi ſit inſtar formæ eſſentialis, cum tamen ſit
ejuſdem deſtructor. 2. Quod materia inflammata,
convertatur in Gas fuliginoſum, quod
nondum aqua eſt; quia licet ignis conſumſerit
vires ſeminales rei: tamen permanent primæ
fermentales aliquot concreti notæ. Quibus
tandem in aëre conſumtis & enectis, redit iſtud
Gas in elementum aquæ. 3. Quod omnis
forma eſſentialis ſit ad eſſe rei, cui per ſe ineſt.
Quodque ignis deſtruat etiam fumum pinguem,
vel carbonem, quos inflammat, convertitque
in Gas ſilveſtre (de quo ſuo loco.)
4. Quod omnis forma eſſentialis, ita uniatur
ſuæ materiæ, quod ſemel inde ſeparata, per
extinctionem, vel ablationem, non redeat amplius
ad eundem habitum, ſive actum formalem.
Quod in igne, non ita contingit. 5. Quod
omnis ſuperveniens forma, ſit impatiens alterius
formæ totalis. Metallum verò, vel aliud
corpus fixum, ignitum, ablata ignis candeſcentis
præſentia, redit ſemper in ſtatum priſtinum.
6. Quod omnis forma ſubſtantiæ habeat ſpecificam
materiam, in qua eſt: Ignis verò habet
lignum; ceram, navam, & tot ſubjecta, quot
ſunt ſpecies ignificabiles. 7. Quod omnis forma
ſubſtantialis, tandem emergat in materia,
per prævium ſemen diſpoſita. Ignis verò caret
ſemine, imò ſi quæ ſint abſumit. 8. Quod formæ
ſubſtantiarum non habeant gradus: Ignis
autem per folles gradum admittat. E quibus 32
concludo, quod ignis non ſit ſubſtantia, nec
forma eſſentialis ſubſtantiarum: ſed rerum poſitiva
mors, & deſtructor, creatura ſingularis,
nulli alteri ſecunda. Vnde ſic ad demonſtrandum 33
procede. Indubium eſt, quin carbo ſit
longè poroſior ferro, minuſque ſolidi habeat,
ſed tamen ferrum ignitum plus urit carbone.
Ergo neceſſariò, ferrum plus de igne continet,
in materia & forma; ſed conſequens eſt falſum.
Ergo ignis non eſt compoſitum ſubſtantiale,
conſtans ex materia & forma ignis: quia aliàs, ſi
qua ſubſtantia eſſet igni propria, penetraret dimenſiones
corporis ferri. Scholæ ad hoc, contra 34
ſe reſpondent. Nempe compactiorem ferro
eſſe materiam, quàm ſit carboni; atque eatenus
potentius urere, quatenus ferrum pluris
ignis capax. Id enim aſſumebam, ut hoc nempè
argumentum traherem inde. Si ignis eſſet
ſubſtantia, ſubſiſtens ex materia, & forma ignita,
per modum alterius cujuſque ſubſtantiæ;
neceſſariò ferrum paucioris ignis capax eſſet,
quàm carbo, eò quod carbone ponderoſius ſit,
& minores paucioreſque poros habeat, quibus
ignis hoſpitari poſſit. Quod ſi ergo ferrum paucioris
materiæ ignis ſit capax, minus urere deberet.
Sed conſequens eſt falſum: ergo & antecedens.
Nequeunt quippe duæ materiæ vel
corpora, ut neque horum formæ eſſentiales,
totales, & ultimatæ, in eodem loco & ſubjecto
ſeſe ſimul compati. Quapropter ferrum & ignis
(ſi hic eſſet ſubſtantia) non poſſent ſimul hoſpitari
in eodem ſubjecto. At ſi evadere conentur
Scholæ, & dicant; ferrum quidem igneſcere,
nequaquam tamen mutari in ignem, Reſpondeo:
Quidquid potitur omni proprietate
ignis, eſt ignis: vel ignis non habet proprias,
ſed communes paſſiones, cum alio ente alterius
ſpeciei. Proprietates autem ignis ſunt, accendere,
urere, ſeparare heterogenea, liquefacere
plumbum, ſtannum, ceram, ardere in
materia combuſtibili, & conſumere. Sed hæc
omnia ferrum ignitum potentius præſtat quàm
carbo: ergo in ferro ignito eſt ignis, & tanto
plus ignis, quo fortius urit carbone. Denique,
ſi ferrum ignitum non habeat in ſe ignem verum,
ſed proprietates ignis abſque igne: Illæ
ergo fuerunt introductæ, & relictæ in ferro

per ignem. Vnde ſequitur, formales proprie-
tates ignis deſeruiſſe propriam ignis formam,
in qua erant (puta in carbonibus, aut flamma)
& migraſſe in ſubſtantiam ferri, à ſe alienam.
Siquidem volunt ignem non dici, niſi ut cor-
pus inflammabile accenſum. Adde his, quod ſi
ignis ſit ſubſtantia materialis: quod ſubſtantia
vitri (quæ nullos poros habere, docet ſubtiliſſi-
morum ſpirituum Chymicorum detentio) &
ſubſtantia ignis, ſe mutuò penetrarent, ad lubi-
tum Artificis; quod ipſe Scholæ penitus ne-
gant. Atqui præter præfata abſurda, comitatur
aliud. Nimirum quod calor in igne tantùm ca-
lefaciat, ſiccitas verò ejus exſiccet, & nil aliud:
ſic & poteſtas accenſiva, illuminativa accen-
dit & illuminat; ſeparativa ſeparat, deſtructiva
deſtruit, &c. Quæ cunctæ proprietates, nedum
generatæ eſſent a forma ignis, in materia alie-
na ferri: ſed etiam ibidem ſubſiſterent, ſine
proprio ſubjecto inhærentiæ. Quamobrem
ignis in ferro ignito eſt verus ignis. Non ſub-
ſtantia, ut neque accidens: ſed creatura neu-
tra, habens in ſe proprietates diverſas, Per mo-
35 dum entium ſubſtantialium. Hoc, inquam, ſi
noviſſent Scholæ, ſciviſſent, lumen generare
lumen & ignem, non quidem ut ſpecie diffe-
rentia: ſed ſola unitione, diſperſione, adeoque
ſolo gradu diverſa. Nec proinde ulla relatione,
accidens producere ſubſtantiam. Putant nimi-
rum fumum pinguem, eſſe ignis materiam,
flammam verò formam ignis, atque illa puta-
tione, fingunt compoſitum, per modum alio-
rum. Sed obſtant tot abſurda, quot antea retu-
li. ferrum itaque manens ferrum, ſuſcipit in ſe
verum ignem, cum ſua forma. Sic aër manens
aër, ſuſcipit in cono radiorum coëuntium, ve-
rum ignem, cum forma & omnibus proprieta-
tibus. Non poteſt autem ferrum, retinens for-
mam priſtinam ferri, ſimul informari à forma
ignis: ſi forma ignis eſſet ullo modo ſubſtantia-
lis. Id eſt, niſi forma ignis relinquat ſuam ma-
teriam, ut ſit tantum forma aſſiſtens ferri: non
autem informans. Neque enim aër, manens
aër, poteſt ſimul eſſe etiam aliud corpus; ut u-
num, non poteſt eſſe duo, realiter diſtincta. Sed
ſodes, ſi ferrum non ſit per ſui totum, ignibile,
carbo autem prorſus: quid moveret ignem, ut
deſerta ſui materia, migraret in corpus ferri, in-
capax ignis? ergo ſane ferrum ignitur, eſtque
capax ignis per totum, adeoque, ut partes den-
ſiores habet carbone, ita pluris ignis ipſum ca-
pax eſt: Liquet ergo, ignem non eſſe materiam.
Denique elementorum proprietas non eſt, cæ-
tera mox vorare, & conſumere, (ut alibi latè
docui.) Ignis verò machinatur deſtructionem
rei, cui ineſt: ergo non eſt elementum, non ma-
teria, ſive ſubſtantia: ſed creatura deſtructiva,
ac mors artificiis inſerviens, & ad magnos mor-
talium uſus data. Nemo unquam lumen inter
ſubſtantias repoſuit: ergo neque connexum
lumen: ſiquidem connecti, vel non, eſt acci-
dentarium, quod ab accidentario (ut putant)
ente, non generatur ſubſtantiale. Simplicitas 36
eſſet quoque Scholarum, admittentium (quam-
quam falsò) lumen ſimplex eſſe accidens, con-
nexum verò eſſe ſubſtantiam. Cum connexio
ſaltem gradum dicat, qui ſubſtantiis eſt alienus.
Maximè, quod radii, in cono luminis connexi,
ulterius in decuſſem provecti, ad ſui ſimplicita-
tem ac diſperſionem redeant. Imo radii luminis,
ſunt quidem connexi in cono: non tamen peni-
tus uniuntur, nec penetrant ſe mutuò: ſed ſin-
guli, ſervant impermixtum ſui eſſe. Finge pla-
num vitrum circulare, una cujus medietas ſit
colorata; altera verò clara, inſtar cryſtalli non
infectæ. Pars clara vitri, ſit ab A in C, & à C in
B. ſit vitrum coloratum. Dico ergo. Quod ra-
dii ab A in C, erunt clari & luminoſi. à C verò
in D, erunt luminoſi colorati. Et omnes coi-
bunt in cono F, eruntque rurſus ſeparati: nem-
pe à F in G, erunt colorati, & à G in D erunt
luminoſi, coloris expertes. Si ergo radiorum
connexio, in cono F, (ubi fuit ignis) non eſt



unitio: ſed tantùm accidentaria, velut in faſcem
compreſſio. Ergo iſtud lumen Solare eſt in ſe
merè igneum, in ſola ſui verò connexione ab
igne, ſive gradu completo, illius creaturæ diffe-
rens. Denique in igne ceſpitarunt Scholæ. Si- 37
quidem per fidem credunt, primo die lumen
nec aliud ſecus creatum: creationem tamen non
eſſe accidentium: quæ nempe non ſunt proprio
nomine creaturæ: ſed creaturarum. Denique,
in principio creavit omnipotens elementa; lu-
men verò cum illis, non eſt creatum. Ergo ne-
que pro elemento. Si ergo creatio luminis, non
fuerit accidentis creatio, neque elementi, neque
corporis; multo minus corporis concreti. Ergo
lumen à Deo opifice, non fuit directum, ut ſit
ſubſtantia, vel accidens. Lumen enim vitale
prin-

principium (non autem materia erat) primo
die, ut initium motivum creatur: cum illa tamen
proprietate, ut quoties per ſui connexionem
in gradum ſurgeret, ignis urens fieret.
Eſtque itaque ignis, creatus ſimul cum lumine.
Non eſt autem ignis aliquod accidens,quod alia
accidentia, ſpecie varia, in ſe habeat, (id enim
repugnat accidentibus aliis.) Non eſt etiam
accidens accidentis, cum accidens à forma ſubſtantiali
immediatè fluat, ordinariò, non autem
ab unius accidentis forma, plura ac diverſa
accidentia, ut prioris accidentis tributa. Nequit
nimirum unum accidens, eſſe ſubjectum
38 inhæſionis, aliis & diverſis accidentibus. Cæterùm
ignis conſiſtens in remiſſo gradu luminis,
eſt plerumque vitæ comes. Vnito autem
lumine, comburit vitalia. Artium vulcanus,humanis
neceſſitatibus dicatus. Accelerat nempe
maturitates, promovet ſemina ad fines, feſtinat
quoque rerum ſeparationes, quarum alioquin
epilogum, vitæ brevitas, ſine gravi incommodo,exſpectare
non poſſet. Hactenus enim aperit,
docet recludere arcana, properare naturæ
operationes, ſæpè alioqui deſides, ſomnolentas,
& ſepultas. Separat denique,expellitque ſuperflua,
ſubmovet virtute adjuncti fermenti, vitam
rerum mediam, unde alacritates, & virium
augmenta. Separat quoque purum ab impuro,
pretioſum à vili, nocuum ab utili, & crudum à
maturo, imo maturat ipſas cruditates. Ignis
dein præparat artium organa, quibus vita noſtra
indiget. Sit igitur Pater luminum, luminis
Creator ſuperexaltatus in ſecula, qui in Sole
poſuit tabernaculum, ut cunctis neceſſitatibus
per lumen Solare ſoletur. Concludam jam ex
prædictis. 1. Quod ignis & lumen calidum,
non differant, niſi per accidens. Connexione
ſcilicet & gradu. 2. Quod radii luminares,
ſe mutuò penetrent. 3. Quod penetrando,
tamen ſervent impermiſtam eſſentiam, ac
proprietates. 4. Quod lumen ſit primariò, in
loco: ergo & ignis. 5. Quod lumen & ignis,
penetrent medium. 6. Quod corpus opacum,
cum à lumine nequeat penetrari, à lumine primum
afficiatur in ſui ſuperficie, hæc dein calefacit
ſubſequentes partes, uſque ad ſuperficiem
oppoſitam. 7. Quod calor intendatur
per gradus, in objecto, & ſingulo gradu, habeat
ſingulares operationes. 8. Quod quidquid
ignis afficit, ſit ratione loci, quem occupat
locatum, adeoque per accidens. Cum prima
ignis intentio, ſit illuminando calefacere.
9. Quod tandem victor ignis, ſuperet difficultates,
ab opaco corpore ſibi interjectas.
10. Quod ignis, cum immediatè agat, ac primariò
agat in locum, cremet indifferenter omnia,
ſine reſpectu corporum interjectorum,
tanquam impedimenta removens. 11. Quod
corpus opacum, fixum, ac reſiſtens accenſioni
tandem illuminetur ab igne. 12. Quod ignis
ſive lumen connexum, reperiens combuſtibile,
maneat in gradu connexitatis concentratus,
nec ſeparentur radii luminares: eo quod propaget
continuò novum ignem, qui pergit conſumendo;
vetus autem ignis, indeſinenter etiam
perit, quamdiu perſeverat aſcenſio. Sub
finem cujus, totum lumen perit, cum non habeat
lucem unde illuminetur. Quidquid ergo 39
de unito lumine hactenus eſt dictum, id de Solari
duntaxat intelligo. Siquidem lunare lumen, 40
vitro tranſmiſſum, tantum abeſt, quod in cono
ignem habeat, quod etiam frigidius ſentiatur,
cætero ambiente in cono. Itaque appello ad 41
tactum Iudicem. Idque eo mirabilius, quod
ſplendor Solis calidus, reflexus in ſpeculo lunæ,
actu frigeat. Creavit enim Omnipotens 42
duo luminaria magna. Ac licet ſtellæ pleræque
ſunt luna majores, non tamen magnæ reputantur;
eo quod omnes illarum activitates,
ſub duobus luminaribus comprehendantur.
Creavit ergo illa 1. *Vt ſeparent diem à nocte.* 43
2. *Vt luceant ſuper terram.* 3. *Vt diem ac noctem
regerent.* 4. *Vt majus diem regeret, & minus
noctem.* Diſcimus tamen ex theoricis Planetarum
Lunam totidem horis, lucere ſuper horizontem,
de die, quot noctu. Conſtituit tamen
Omnipotens Lunam, ut luceat, & ſolum
regat in nocte. Cumque Creator nequeat errare,
neceſſe eſt ſingularium noctium lumen
atque moderamen totum, pendere à Luna,
quantum dies à Sole dependet. Luna ergo, 44
creata eſt ad lucendum, tam in Cœlo quàm
ſuper terram, omnibus omnino noctibus. Idcirco
Luna, non eſt tantum inſtar ſpeculi recipientis,
reflectentis lumen Solare, propriique
luminis expers. Licet enim oculus noſter,nullum 45
proprium in Luna lumen reperiat, parum
eſto. Plus fidei namque Scripturæ, quàm
oculis dandum, juxta Textum: *Sol obſcurabitur,
& Luna non dabit lumen ſuum.* Aliunde
hæc veritas mox apparebit. Inprimis conſtat
per præfatam vitri mechanicam,lumen Solis
unitum, fieri merum ignem, cum omni requiſito.
Deinde, quod idem Solis lumen, cadens
ſuper ſpeculum glaciale lunæ, fervoris
ſui proprietatem amittat, fiatque lumen frigidum.

46 dum. Quod non fit, ſi ceciderit ſuper glaciem,
ſpeculum, aquam, parietem album, &c. Habet
ergo luna vires, quibus alterat radios ſolares.
Debetque iſtud frigidum Blas, eſſe de natura
ſui luminis, ſi inter agens & patiens debeat in-
tercedere ſymbolum. Siquidem aliud obje-
ctum frigidum, repercutiens Solis radios, non
proinde hos mutet in frigidos. Non equidem
calor, frigus, aſperum, friabile, dulce, aut ama-
rum, agunt in lumen: ſed ſola objecta viſibi-
lia, & opaca. Luna ergo, ex ſe habet vim lumi-
noſam, quæ ut talis, agit ſuper calidum lu-
men, mutatque in proprietatem oppoſitam.
Quid ſi Aſtrologus, futuros eclipſium colores
prædicat, nonne colores illi, aliquid proprium
lunæ lumen ſpondent? Siquidem non ex me-
dio, aut vaporibus conjiciuntur quod color,
ex quantitate vaporum, prædici nequeat, in
calculo futuræ Eclipſis. Colores ergo delin-
quentis Lunæ, ſunto indicia proprii luminis.
47 Et in hoc, amborum luminarium radii diffe-
runt. Quod Sol, recta per radios, feriat ſuum
lumen: At Luna nunquam reſpicit recta cen-
trum mundi, ſive terram: ſed ſemper cen-
trum ſuum eccentricum. Etenim non niſi per
accidens, reſpicit mundi centrum. Id eſt,
cum eſt concentrica mundo. Ideoque quo-
ties eſt concentrica in plenilunio, & novilu-
nio, eſt Eclipſis. Caput ergo, & cauda draco-
nis, ſint nocturna puncta, in quibus tantùm
Sol directè opponitur Lunæ in diametro ec-
centrico. Ideo radii lunares, non recta ter-
ram feriunt; ſed diffunduntur in ſpatium ec-
centricum, adeoque influentialiter, ſive per
actionem regiminis (de qua ſuo loco) expan-
dit ſuas vires, in noctem, ſive nadir; ſive illa
comitetur Solem, ſive verò ab hoc, elongetur
tota diametro. Ita eſt nempe Lunæ deſtina-
tio, quam exundationes maris confirmant, non
minus ſub latente Luna, quam ejuſdem pleni-
tudine ſolitæ. Alius itaque luminarium finis
eſt, regere diem & noctem, alius denique ſepa-
rare lucem à tenebris, & alius, ſeparare diem
à nocte. Nec ſolœciſmo imputanda eſt iſta
repetitio; Siquidem, lucente Sole, vel Luna
reddente receptum Solis lumen, lux quidem
ſufficienter, à tenebris ſeparatur: Sed nun-
quam Solis lumen, regit noctem, ut nec lucet
in nocte; ergo ut Luna pariter ſuæ ſatiſdet de-
ſtinationi, non poteſt unquam noctem rege-
48 re, per mutuatum lumen à Sole. Quod ſatis
apparet, ſaltem dum die, juxta atque noctu,
cum Sole currit. Itaque ſi tum etiam, Luna
divinæ intentioni debeat ſatisfacere, neceſſe
eſt, habeat & aliam omnino lucem, qua ſin-
gulis noctibus luceat, noctemque regat atque
longè alium, effundendi ſui luminis mo-
dum, quàm quo Solis lumen reflectit. Luna
nimirum dimittit expanſum lumen proprium,
ultra non minus, quàm citra hemiſphærium
aëris, aquæ, & terræ. Quorſum facit ſuppo-
ſitio centri univerſi, juxta opinionem Ty-
chonis. Ita tamen ut actio ſui regiminis lucis,
atque influentiæ, potentius operetur in nocte,
unde Sol abeſt. Qui ut diem à nocte ſeparet,
proprietates lunares ſeparare debet à ſuis, et-
iam Luna ipſi eſt conjuncta. Probant id mor-
bi lunares, qui ſub noctem, etiam novilunii,
exaſperantur. Adeoque tranſoſſa & medullas
agit eorum, qui cubiculo clauſi ſunt. Quod
non ita Soli eſt vernaculum. Ergo Luna, ſub-
inde in oppoſitam ſibi ſphæræ partem, fortius
influit, quam in ſuppoſitam. Hoc lumen, ve-
teribus ignotum influentia dictum. Ego vero
malim reſervare ſenſum Sacrorum. Quod di-
citur, lunam, ad luminandum noctu, perin-
de ut Sol lucet de die (id eſt, noctibus ſingu-
lis indifferenter) eſſe creatam. Proprietas ergo
eſt lunaris luminis, quod influentiam dixe-
re, idque non eſt rem ab effectu; ſed à cauſis
nominaſſe. Veſpertilio, glis, mus, bubo, & 49
quæcunque in nocte, ſub denſiſſimis tenebris,
eminus objecta ſua diſtinguunt, & celerrimos
objectorum motus notant, quos noſtri ſub me-
ridie oculi vix obſervent; quorum licet quæ-
dam glaucum nitorem præ ſe ferant, nequeat
tamen illo nitore medium illuminare, ut per
illum eminus perfectè cernant. Ergo neceſſe
eſt, denſiſſima nocte & recluſo antro, aliquod
continuo lumen ſit, cujus ergo ejuſmodi ani-
malia perfectè cernunt. Quod ſi nobis ſit in-
perceptum, & tamen revera exſiſtit, non mi-
rum eſt, ſi Lunæ lumen proprium oculos fefel-
lerit. Vt autem enoteſcat noctivaga animalia, 50
nullum extra oculos lumen mittere, quod ſit
illuminando medio, ad diſtinctè noſcendum
objectum eminus poſitum; atque adeo illa vi-
dere, ſolius lunaris luminis ergo; ſtatuatur ſpe-
culum inter oculum animalis, & objectum
ſuum, idque ſpiſſis ſub tenebris: & ſanè ne mi-
nimum luminis in ſpeculo reflexum invenies.
Attamen ſi amplæ aulæ extremitate poſueris
candelam tenuem, in altera autem extremita-
te aulæ ſit foramen, per quod debile iſtud lu-
men in obſcuram alteram tranſeat aulam, in cu-
jus fine ſit ſpeculum; profectò iſtud debile lu-
men,

men, radio flammæ candelæ illius directo vibratum,
recipitur ſpeculo, & apparebit. Attamen
homini non ſufficiens, ad diſcernendum
aliquod objectum. Multo ergo minus oculorum
nitor, cujus radius non cadit & apparet in ſpeculo
propinquo, aptus fuerit ad illuſtrandum
51 medium, ut perfectè diſcernantur omnia. Eſt
namque ſubter terram, etiam media nocte, lumen,
per quod plures oculi vident, In Sacris teſtatum,
& per ejuſmodi bruta proditum, quod
niſi Lunæ ſuum debet ortum. Proinde enim
tenebræ tangibiles, quæ noſtras, quantumlibet
denſas, longè ſuperarent, eo quod omni Lunæ
auxilio privatæ eſſent. Neque mirum, tenebras
ſuos habere gradus. Cum infernus exteriores,
ſive extremas habeat (eo quod Ebraiſmus ſuperlativo
careat) abſque Lunæ favore. Fortè enim
ſpiritus abſtracti, aliquid habent, quod ad videndum
reſpondeat oculis noſtris, ut non totus per
totum, quidquid eſt ſui, videat: & horum ſpirituum
aliquot nyctalopes, alii verò muti, veſpertilioni
52 ſimiles, velut ſub Sole caligent: lubentius
idcirco in opaca & media nocte ſuis apparent.
Hiſtoriam hujus ergo ſubnectam. In claſſibus
literariis, mihi ſodalis erat in cubiculo, honeſtis
53 civibus ortus. Hic clauſis oculis, noctu plerumque
ſurgebat & oberrabat; clavem verò
ſecum deferebat, ſeramque poſt ſe clauſam, rediens
aperiebat. Veſpere itaque ſurgo & clavem
clanculum ſubter pulvinar abſcondo; Ille
verò in ſomno ſurgens, abditam clavem (velut
ſibi viſam) capit, & abit. Sequor illum arrepta
tunica. Ille verò ſcandebat antiquum parietem,
terminum Collegii, muſco ac fœno obſitum.
Arcus enim erat, quo trans flumen, ſuſtinebat
paries, murum horti vicini. Plenilunium
erat & nox pruinoſa. Ad ſpectaculum
horrui, & præ frigore redii. Sodalis vero mox
revertens, tam inhæſitanter, clavem in foramen
clauſtri abdidit, quod vix ullus videns, & ſub
meridiem æquè incunctanter id faceret. At
manè omnium immemor erat. Palpebris enim
clauſis ambulones iſti, clarè ſub denſis tenebris
vident, abſque vertigine, ſecuri ſcandunt, eo
54 quod lunari lumine fruantur. Sæpè modicum
vulnus curatu difficile fit, quod inflictum ſit
membro Luna exſiſtente. Sub linea æquinoctii,
cito putrent omnia, non quidem ob caloris exceſſum
(qui alibi major, & conſtantior ſubinde
eſt: ſiquidem ſub linea, indies pluit aliquoties)
at benè ob Lunæ continuam propinquitatem,
& teretem globi figuram, (ut ſuo loco probabo.)
Si Homo, vel brutum, una ſaltem nocte, ſub
Luna (pleno namque ibi radio, icit vicina) mortuum
pernoctarit, ſequenti mane, cadaver putrilagine
diffluit. Cujus occaſione inter experimenta
relatum eſt. Si quis Verrucas, Meliceriſdes, 55
Nattas, ſimileſque excreſcentias, collecto
in conum Lunæ lumine, per vitrum ſuperradiet,
donec frigus intro ſenſerint: facile deinceps
ſua ſponte evaneſcant. Nec mirum id,
quippe ejuſmodi defectus, creſcenti auſcultant
Lunæ. Hinc etiam ejus decremento facilius peritura.
Scio equidem, ſi Luna ſuper vulnus ſplenduerit,
mox labra liveſcere, ac ſanationi reſiſtere.
Denique ſi rana ſub plenilunio atrociſſimo 56
hyemis Borea, effodiatur, abluatur, & baculo
alligetur in agro, ſequenti mane reperitur alba
quædam, ac tranſparens mucilago, liquatum
tragacantum referens, & figuram ranæ. Iſtud
enim non eſt frigoris opificium (quod per ſe,
tantum frigefacit, & occaſionaliter glaciat) plenilunium
aliàs non requireretur. Quocirca
tranſitum in materiam primam tribuo. Porrò 57
iſta prima ranæ materia plurimum valet in cancri
medela, & à Paracelſo vocatur ſub ænigmate,
gluten de aquatico. Ergo Sol provocat fluxum
ſeminum, ad terminum vitæ ultimæ. Luna
verò trahit in adverſum, ad materiam rei
primam. Etenim cum ideo luna, aquas, & altilia 58
in ſuccum Leſſas trahat, proficua plantationis
& ſtercorationis obſervatio, in lunam refertur.
Noctu quoque plantas, non minus quàm
die proficere, oſtendit fungorum & peponum
familia. Neque ſuperſtitioſa eſt plantarum, ante 59
Solis ortum, collectio: non quidem quod
natura noctu ferietur ab opere, inſtar ſerpentum:
ſed quod per noctem uberius nutritæ ante
Solis ortum, plena ſint nutritione potitæ. Luna
ergo, præeſt nocti, tenebris, quieti, morti & aquis.
Quatenus omnia ad mortem, quietem &
aquam redeunt. Atque eatenus luna tranſitum
ad tranſmutationem inducit. Aſpicit nimirum
& afficit primariò, potius poteſtates ſeminales,
quàm earundem materiam. Enimverò quia
lunæ lumen, potiſſimum ſeminalia retrotrahit
ad vitam, ſive materiam primam: Ideo aliquot
Adepti, laborem Sophiæ inſtituunt, cum
lunæ lumine. Iuxta illud: *Nox nocti indicat
ſcientiam* quærentibus. Sufficiunt itaque duo 60
luminaria magna, ad omnes motus, & ſeminum
progreſſiones, à prima in ultimam vitam,
& viciſſim. Etenim quia in uſufructum naturæ,
abunde ſufficiunt, hinc ſtellas cæteras, in
ſuas cohortes aſcribunt. Ideoque duorum tantum
majorum Luminarium, Scriptura meminit.

Hactenus de igne & lumine. Nunc de ortu formarum
dicturus, repetam ſeminum maſſam,
recipere in ſe, corporalem auram, Vulcanum,
61 quem Archeum nomino. Lignorum ſemina aliquot,
ſive nuclei vel oleum in ſe continent, ut
amygdala, pineoli, piſtacci, & multorum olerum
ſemina: vel ſunt farinacea, ut glandes, caſtaneæ,
& cerealia: vel lacteam fundunt mucilaginem
fecundam. Inhabitat omnibus quippe,
Archeus ſopitus, & coagulo ſeminum obdormiens,
ſua contentus ſorte, quamdiu propaginis
eſt incurius. Aſt ubi ſemel ſemen ſuum terræ
concreditur, non poteſt non ejus humorem
imbibere, & turgidum fieri, ſitum dein contrahere,
& mox fracidum fermentum arripere.
Qui odor & ſapor, etſi fracidus, tamen in ſingulo
fit ſpecificus ſemine, alteratque ideo ſuo fermento
acquiſito proprium ſeminis ſaporem, &
conſequenter, inde in ſui tranſmutationem diſponitur.
Etenim per fracedinem, natale iſtud
humidum ſive ſpermaticum, quam primum
meditatur ſui reſolutionem, unde vapor quidam,
dein & exhalatio. Gas (quæ nimirum facile
è putrentibus aſcendit) concitatur, oriturque
ex illis, ſub iſta qualicunque putredine, calor,
qualis palam fit in lignis ſub terra fraceſcentibus,
quæque fungoſam illico fuliginem extrudunt.
Quia iſta fuligo caloris & corporis diſſoluti
Index, minatur heterogeneorum ſeparationem,
adeoque è ſeminalibus liquoribus, aura illa
vitalis, licet profundius ſubinde concluſa, minatur
eruptionem, prius tamen laxatis habenis,
vagatur intus. Sic recens madidumque fœnum,
inſperata fecit ædium incendia: profectò
caloris non remiſſi, ſed in gradum ſurgentis indicia.
Aura itaque, moderatum ſemel calorem
nacta, ſenſim Archei perfectionem meditatur,
aſpirat, & ſubſtitutam ſibi corporis molem, provocat
ad diſpoſitiones formarum impetrativas.
Quod jam autem de vegetabilibus, id apertius
liquet in ovis piſcium, volatilium, atque reptilium,
omniumque apertiſſimè, in quadrupedum
62 ſeminibus eluceſcit. Tandem itaque tenue,
ſplendens, nitenſque lumen, præfatum
Archei auram accendit, ſic ut inde vitalis fiat.
63 Porro ut mineralia, prolium ſubſtitutione, multiplicique
propagine, non emaciantur, nec gravantur;
Quia tamen in ſe, ſui primordia continent,
unde crevere, & ſunt: Idcirco fecunditate
prolifica, licet non beentur: ſunt tamen
in ſua monarchia, ſui conſtitutiva, radicalia
intus, & ſeminalia initia. Dixi jam in rerum
ſeminibus, ſuſcitari ex apta materia auram hanc
dein, interni caloris fœtu, ſuſceptæ fracedinis
ergo, concipere calorem, atque tandem nitorem,
ut in piſcibus vel ſplendorem (ut in actualiter 64
calidis) non quidem quod ille ſplendor
ſit anima aut forma plantæ, bruti, &c. (eſſet
enim alioqui cujuſque plantæ eadem ſpecie forma)
veruntamen in ipſo ſplendore eſt alia quidditas
ſpecifica, odore ſpecifico prægnans, nec
à ſplendore longè aliena, quæ ipſum lumen determinat,
ad hoc aliquid eſſentiale. Adeò ſanè,
ut quamvis ſplendor ille, vi ſolius naturæ, excitetur,
(ut docent ligna putrida, ſalita, & ſalum
ipſum) nunquam tamen vitalis efficitur, niſi
per Creatorem, ſibi addita ſpecifica, cujuſdam
luminis forma, quidditatis effectrice. Quæ 65
ſola videlicet, odorem, ſplendorem, omneſque
proprietates auræ illuminatæ, in ſui unitatem
ſimul trahit. Hæc eſt nempe rei vita, ſive forma,
cujus ſupplementi defectu fœtus in molam,
monſtrum, vel putredinem degenerat.
Et quamvis adſit aura vitalis & ſplendor ejus,
accreſcatque: quia tamen deficit lumen formale,
& vitale, trahens ſub unitatem, proprietates
& diverſitates ſubalternas; fœtus corrumpitur,
& mox putreſcit. Quapropter ſolus Pater
luminum, formarum lumina, & luminum
formas, immediatè condit, *qui vitam & omnia,*
dat omnibus, nec longè abeſt ab unoquoque noſtrum.
Porrò progreſſus generationis in ſeminibus 66
calidis, facilioris eſt conceptus. Quippe calore
mox fraceſcunt ſemina, exin Archeus illorum,
facilè ſplendorem mutuat, ut majoris luminis
deſponſatus hæres. Nondum enim contentus,
acquiſita vegetatrice ſuæ ſpeciei, ulterius
anhelat, progrediturque ad compromiſſum ſuo
ſemini lumen, ſiſtitque, & quieſcit, in anima
ſenſitiva, ultra ſcandere non valens. Atqui 67
1 Forma eſſentialis.
prout in rerum ſyſtemate, quatuor ſaltem
ſunt gradus: ſic quadruplex quoque
illarum eſt forma. Vna quidem eorum
eſt, quæ vix ullam vitæ manifeſtationem promittunt,
ut Cœlum, ſaxum, metallum, marcaſita,
ſal, ſulfur, liquores, terræ, Item vegetabilia
effœta, oſſa arida, &c. Quorum forma eſt lumen
quoddam materiale, forma continens, &
tribuens rei eſſe, Ideoque & meritò eſſentialis
dicta eſt. Altera verò rerum ſeries vigore
2. Forma vitalis.
alimenti atq; incrementi, vitale initium,
& animæ characterem continere videtur.
Vt ſunt plantæ, quarum forma à præcedenti
varians, titulo vitæ decora, ideo forma vitalis
appellanda eſt. Non quidem, quod ſit ejuſmodi
forma anima vivens, ſed vitalis duntaxat,

quatenus ſenſitivæ & viventis animæ præludia geſtat. *3. Forma ſubſtantialis.* Tertia demum claſſis rerum, formam viventem, non per ſimilitudinem; ſed verè motivam, atque ſenſitivam obtinet. Ideoque pariter dicitur forma ſubſtantialis, non quidem abſoluto nomine ſubſtantia : ſed ſubſtantialis duntaxat, quaſi per modum abſtractæ cujuſdam ſpiritalis ſubſtantiæ ſe gereret. *4. Subſtantia formalis.* Ac tandem eſt quarta, atque unica inter omnes, verè ſubſtantia : Ita ſola vocari debet ſubſtantia formalis, nunquam interitura, durationis infinitudine. Cæterùm demonſtravi lumen & ignem, creaturam eſſe neutram, inter ſubſtantiam & accidens. Idem hoc loco, de omni forma naturali, eſſentiali ſcilicet; vitali & ſubſtantiali, quatenus ſunt de luminis proſapia, venit intelligendum. Quod autem Angelus, & mens humana, ſint ſubſtantiæ formales, ac verè ſpirituales; illorum abſtractus exſiſtendi modus arguit. Qui aliis formis denegatus eſt, quæ per modum
68 omnis luminis ſubſiſtunt, & intereunt. Vnde colligo in Theſin novam, pro Scholis : *Nullam ſubſtantiam eſſe annihilabilem, vi naturæ, aut artis.* Abſurdum mihi viſum ſemper fuit, quod materia in ſe imperfecta, ſterilis, & impura eſſet æterna deinceps à creatione, & quod formæ, per mortem annihilabiles, eſſent ſubſtantiæ veræ; Subſtantiæ inquam eſſent tanto vivaciores materia, & tamen momentaneæ. Quare jam patet, quod ignis conſideratio, per Phyſiologiam, reſeret naturæ januam, totamque illuminet Philoſophiam, omneſque excluſerit Pyrotechniæ deſpectores. Conſiderabam olim, cum moleſtia. Si forma rei ſit maximè & principaliſſimè ſubſtantia, adeoque actus per quem materia ſit hoc aliquid ſubſiſtens : Equidem forma principaliſſimè ſubſiſtere, atque ſubſtare debe-
9 bit, vel falſum eſt axioma : *Per quod unumquodque eſt tale, illud ipſum eſt magis tale.* Sed conſequens, ſimul cum axiomate, eſt falſum. Quippe omnes animæ belluarum, omneſque formæ ſunt caducæ. Ergo & antecedens mihi falſum reputavi. Creata nimirum univerſa ex nihilo facta ſunt, adeoque iſtius principii indolem ſervant, atque ideo inprimis formæ & eſſe rerum, redit ſpontè in priſtinum nihil. Verumtamen Deus hominem non immediatè ex nihilo, ſed ex limo terræ creavit, fuitque ejus creatio ideo longè aliud, quàm reliquorum. Etenim omnipotens limum de terra ſumſit, non quidem in pondere adæquatum homini, inſtar ſtatuarii (quippe ex unica coſta, integrum corpus muliebre plaſmavit (ut manifeſtaret myſterium hujus anomalæ creationis, non eſſe per modum aliorum : ſed ſubſtantiale, quo ad formam. My- 70
ſterium inquam totum, ad fines, ſive ad animam directum, manifeſtans animam hominis, nedum eſſe exlegem, unicamque inter formas cæteras, ſubſtantiam : ſed etiam, quod ex imparitate limi vel coſtæ ad integram perſonam, cerneremus animam noſtram, eſſe ſubſtantiam formalem, non quantam, ſed merè ſpiritualem. Et quæ, per modum verè ſubſtantis entis, quandoque abſtracta, æternum, ex dono creationis, deinceps permaneret. Eſt itaque omnis forma creata à Patre luminum in propriam ſpeciem, eſtque lumen quoddam ſui corporis : Diſtinctæ autem ſunt formæ, inter ſe, nedum 71
luminis gradu; ſed tota ſpecie. Ideoque tot luminum ſpecies in natura, quot rerum. Cumque inter res etiam Angeli numerentur; ſequitur longè plures eſſe luminum ſpecies, quàm rerum materialium. Sed meritò rememorandum eſt, in ſeminum Archeo, nitorem, vel ſplendorem, adeoque lumini formali ſimile, aliquid contineri, quod materiam ducit ad fines ſpeciei ſuæ congruos : longè tamen à formali lumine, iſtum ſplendorem recedere; ſiquidem ilico, immediatè conditur à Patre luminum : ſplendor verò procedit ex naturæ gremio. Eſt- 72
que differentiæ & diſſimilitudinis amplitudo in hoc ſita : quod inter, ſive ad ſummum, ſplendor ſeminum ſit effectus Archei fabri; lumen formale verò, ſit cauſa, & actus vitalis. Denique ſplendor differt ab Archeo, tanquam lumen à materia, adeoque totum ſplendoris eſſe, terminatur in ſplendendo : lumen autem formæ, eſt ita ipſius quidditati annexum, quod ſint formaliter unum, & idem, ſola relatione diſtincta. Adeoque etſi lumen formale luceat; tamen actus ejus non in lucendo terminatur; ſed in eſſentifica quidditate. Ideoque nitor, atque 73
ſplendor, ſunt quidem graduum initia, ad lumen ignibile, & calores ejus : ubi lumen formale toto genere à lumine ignibili differt, ideoque gradus neſcit : ſed ſpecies habet in ſui formalitate diſtinctas, atque diſtinctivas, tam in eſſentia ſpecifica, quàm in eſſe individuo. Ideoque natura debet recipere diſtinctiones ſpecificas, à formali lumine, non valens alioqui ſeipſum diſtinguere à ſeipſa, niſi per aliquid prius, quod actum diſtinctionis contineat. Vt neque ſeipſam per ſe perficere, niſi id recipiat ab aliquo priore, efficienter perficiente. Et cum formæ res ipſas activè diſtinguant, atque perficiant, conſide-

ratur in illis Poteſtas, præcognoſcens à fine uſque
in finem, infinitæ Sapientiæ. Docui jam
ante, quod lumen Solis, cadens in terram, obvians
75 lumini lunari, ſeſe mutuo penetrent. Ita
lumen animæ noſtræ, attingere, & immediate
penetrare poſſe, omnes omnium formas, modò
ſemel corporis ſui contagia amiſerit. Quamdiu
autem corporis ſocia eſt, formas ſibi ſubordinatas
penetrat. Quod ſignificatur in verbo:
*Subſtituit pedibus ejus volucres cæli, pecora campi,
& piſces maris.* Etenim quidquid anima immortalis
(de ſenſitiva non loquor) emanative
cogitat, idipſum quoque attingit, prout tractatu
de venatione ſcientiarum, & in phalangè
morborum. Sic pariter & ſuam ſenſitivam, mens
penetrat. Sicque animæ cogitata, in corpus derivant.
Vice verſa, animæ ſenſitivæ conceptus
(puta dum dormiens ſitit, eſurit, &c.) aſcendunt
in cor, & non raro immortalem feriunt mentem.
76 Hinc ergo, conſequens, omnes rerum proprietates,
tam occultas, quàm manifeſtas inuri
corporibus, ratione contactus formalis, adeo,
ut tandem etiam contaminent, ſaltem deliberationes
ſubſtantiæ formalis. Vt dum rabidus,
dente cutim, vel leviter ſauciat, mox inde rabiei
ſymbolum, in lumine, quo ſe ſenſitiva &
77 mens contingunt, propagatur. Deus verò, quamvis
habeat immediatum omnium contactum:
non tamen viciſſim ab ulla forma attingitur:
niſi ab anima, actualiter mediante, in Boni ſymbolo:
Idque quatenus ſui imago, in Deum ſeſe
reflectit. Formæ autem reliquæ, ut caducæ ſunt,
nil in lumen infinitum, ſubſtantiale, ter glorioſum,
agendi juris habent. Ex præfatis ergò conſtat,
quod quæ in Ariſtot. ſunt innocentiæ,
Scholarum ſint blaſphemiæ, dicendo: Quod ſi
78 Deus aliquid immediatè ageret, deberet & quoque
pati reactionem. Quodque Deus immaterialis
utatur inſtrumentis immaterialibus, ut aliquid
operetur aut agat. Porro ſiquidem mens
humana imaginem Dei proximè refert, immortalis,
& ideo ſit impaſſibilis, non potui mihi perſuadere,
quod legibus corporis coërceatur, ſic
ut ab hoc patiatur. Hoc eſt, ſcio, ſtante valetudine,
non raro turbari principes mentis poteſtates.
Aliam idcirco agnoſco ſanitatem in ente,
atque aliam in mente: non poſſum tamen comprehendere
immortalem ſubſtantiam ſpiritualem,
ab infami excremento, quod illam neutiquam
attingit, pati poſſe. Quidquid namque
patitur, id à fortiori agente fit, eique ſubjacet.
79 At caducum agens, in horas labile, atque determinatum
omnifariam, non poteſt eſſe fortius
ente immortali, & ſpirituali, cum quo nec ſymbolum
nec contactum habet. Mens ergo immortalis
non furit, non delirat, non dormit per
opiata, non alienatur hypochondrii exorbitatione,
non lunaticiſmo variat, nec vino ceſpitat,
ut nec rabidi aut tarantulæ ictu, rabiem ſentit.
Furores ergo, & alienationes Rationis, non
ſunt menti propriæ. Sed hæc deinceps à corrupta
natura, tædio corporis afflicta, delegavit
ſuccenturiatum ſuum animæ ſenſitivæ, quam
radio ſolo vitali penetrat, ut ſit, & vivat, hoſpitetur
in ea & obvolvatur: de reliquo autem, non
niſi ex obliquo, ſquallidè aſpicit. Non eſt autem 80
ſenſitiva in homine, alicujus bruti forma ſpecifica,
multoque minus individualis, ut brutum
ſit, antequam homo. Anxii in hoc fuerunt,
quotquot ante me, brutorum formas, ſubſtantias
putarunt & deſumi immediatè ex ipſa ſubſtantia
materiæ, nec deduci deſuper lumen novum
à Creatore, quod non ſit ſubſtantia: ſed lumen,
quod unitatis ſpecificæ ſit ſyndeſmon. Sine
quo, irriti omnes naturæ niſus, corporum
diſpenſationes, auræ excitationes & ſplendores,
adeoque inanes, atque ſteriles ſunt ſeminum
conatus, quicunque è naturæ gremio eliciuntur.
Archeus namque dare nequit, quod
non habet, nec habet quod ſua natura eſt longè
anguſtius. Creator ergo, luce quidditatis ſpecificæ
Archeum modo ineffabili illuſtrat & ſimul
in unitatem concreti connectit. Eſtque in ſenſitivis
anima, ſive vita ſenſitiva. Suus ergo maturitatis
momentis, & deſtinationis periodo,
brutalis conceptus animatur ſpecifico lumine
formali. Sed cum ſemen humanum non habeat
ſpecificam determinationem, ad diſpoſitiones
brutales, (niſi prægnans fortè per phantaſiam alienet
humani ſeminis typum) noveritque Omnipotens,
quorſum ac quouſque ſingula fluant
ſemina, dum jam ad vitam ventum eſt in homine,
recipit animam ſenſitivam indiſtinctam,
quo ad brutalitatem in ſplendore, ſola vita potientem,
ſimulque eodem inſtanti, cum vita,
mentem immortalem copulat Conditor: ut per 81
hunc actum ultimatum, ſenſitiva determinetur
ad ſpeciem, per individuum humanum: peritura
tamen una cum hominis vita, eo quod ſubſtantiæ
formali, atque immortali copuletur quidem;
ſed non uniatur, neque eandem penetret:
aſt dumtaxat attingat irregulariter, prout
de vita longa. Senſitiva ergo, determinatur ſpecificè
à mente, tanquam lumen à ſubſtantia lucida,
alias unioni corporis eſſet inepta. Adeoque
ſubordinatio ejus, ad ulteriorem actum, in conceptu

ceptu Creatoris, tollit à ſenſitiva, determinationem
ſpecificam. Eo quod forma ſubordinata
eſſe, nomen aut ſpeciem rei, non determinet,
82 licet in individuo actualiter exſiſtat. Idque etiam,
quod anima ſenſitiva,non ſit ſubſtantia aut
accidens: ſed luminoſa natura neutra: Nec eſt
enim vegetans forma in bruto, dum ſolum vegetatur
& nondum ſentit: quia eſt ſubordinata
animæ ſenſitivæ. Multi idcirco putarunt, duos
actus formales non ſe compati, eo quod cenſerent,
eſſe duas ſubſtantias: & ſibi in igne contradixerunt,
dum lumen viderent penetrare lumen,
ignem ferrum, imo & ignem igne adjuncto,
83 per follem penetrari. Denique ſenſitiva in
brutis, non eſt vegetativæ animæ nuda promotio,
ſive tranſitus, ad perfectiorem ſui ſtatum:
ut illa adveniente, hæc fatiſcat, aut in illam hæc
commutetur. Nemo enim animas plantarum
accidens dixit: ſed omnes fatentur eas eſſe, ens
84 vitale, ſubſiſtens. Sunt namque animæ vitales:
ſed non propriæ viventes: Sic enim areſcente
planta, vitale lumen ejus cum anima perit, plerumque,
perſtite tamen illius ſimplicis virtute.
Dixi, plerumque, eo quod radix floris Anemones,
in rugas plane arefacta, adhuc revireſcat,
&c. Itaque animarum operationes, & effectus,
85 permanent diſcreta.Ita ut unius animæ functiones
extinguantur, illæſis alterius. Sunt ergo animæ
diſcreta lumina, & ſubordinata ad terminum
deſtinatæ durationis, in motu determinata.
In quo termino, niſi à ſuperveniente lumine
penetrentur, mox deſinunt eſſe. Itaque diſtat
hoc vitale lumen, ab igneo (ut dixi) fine, mediis,
organo, effectibus & proprietatibus. Vtpote
lumen igneum, in gradu remiſſo, non eſt
vivum unquam, nec vitale, niſi occaſionaliter,
ſive quatenus excitat. In gradu autem intenſo,
per ſui complicationem redactum, eſt deſtructor,
& artificialis mors, & ſimplex creatura:
ubi aliàs lumina formarum, per omnes rerum
ſpecies,ſunt diſſecta. Cum res non aliunde ſuam
quidditatem trahant, quàm à formis luminoſis.
Poſſumuſque luminum diverſitates facile demetiri,
ſi idem Solare lumen, à luna repercuſſum,
tam facile à ſuis proprietatibus tranſmigret.
86 Poſtremò mineralium Archeus, planè materialis
eſt, ſub ſpiſſitudine liquidus, occultum,
& torpidum tegens nitorem, qui vegetior atque
liquidior eſt in plantis, in quadrupede verò apertè
fluctuat atque ſplendet, adeo ut defungente
animali, mox in oculis,ſplendor deficiens
conſpiciatur. Finge enim bovem 800 ℔ pendentem,
qui extincto vitæ lumine mox friget.
Ergo lumen iſtud calidum, neceſſe eſt, ſit tanti,
ut totidem libras in frigus ruentes, continuo
ſui fomento, à frigore præſervet. Calidum ergo 87
lumen quadrupedum, ac volucrum, Solare
eſt, non ſecus atque piſcium, lunarem ſplendorem
arguit. Exemplum enim luminis frigidi piſcium,
noctu non rarum eſt in myricis, terris,
inquam, cremabilibus. Etenim lumen eſt, &
accenſum, exhalatio ſplendens abſque igne &
calore. Nam ſubinde, ſub denſiſſimæ noctis caligine,
potui manuum lineas diſtinguere ſub lumine
præfato. Finge eodem quoque modo, vegetabilia
duplicem lucem ſortiri, ex natura lucis,
non autem elementi, eo quod unico conſtent
omnia elemento. Cum ergo Scholæ luminum
proprietates ignoraverint, non mirum in
gradibus eas ſimplicium ceſpitaſſe. Adeoque 88
aliud poſthac judicium eſt dandum de gradibus
ſimplicium,juxta pluris,aut paucioris participationem
luminis, de ſuo luminari regente. Id
quod Pyrotechnia declarat, ſeductione luminaris
entis, à reliquo concreto. Quod pluribus ſat
jejunum eſt: ſed Adeptis perfacile. Quippe per 89
ignem Gehennæ, qui eſt liquor Alkaheſt, Paracelſi,
ſciri poteſt, quantam alterutrius luminaris
partem, vegetabile (etiam incognitum, contuſum,
ac ſitu obductum) poſſideat, non minus
quàm qua figura ornatum fuerit. Idque 90
non Quercetani ſuaſu, qui cum vidiſſet debile
lixivium congelari, putavit urticæ ens-ſeminale,
poſt incinerationem, in ſale cinerum permanſiſſe:
Eo quod incipiens glacies, ſtirias ſuas
acuminatim contrahat. Fallitur quoque Paracelſus, 91
quod, omnia vegetabilia; primi gradus
calorem, non poſſe ſuperare ſcribat. Luſerunt
nempe mirabiliter luminaria magna, in ſimplicibus;
ſeminaque ad graduum amplitudinem
pro decore Vniverſi aſcendunt, habentque ideo
quævis formæ, eſſenſificantis quidditatis lumen.
Ad alterutrius luminaris ſyzygiam redactum.
Non tamen luminarium lumina, formæ
ſunt conſtitutivæ ſimplicium: Eo quod Solis 92
lumen, vel in ſui ſimplicitate, ſit combuſtivum.
Turpe ergo, quod homo hominem generet, &
Sol, Quippe quod gentilitatis Idiotiſmo ſit refertum.
Denique volucrum, & quadrupedum
ſemina, primum ſunt muccoſa, quia puſilla
Solaris luminis ope perficiuntur. Coguntur autem 93
atque denſantur ſenſim, ut ad ſui generati
conſiſtentiam ſufficiant. Interim piſcium ova,
primum ſunt duriora, & mox lunæ auxiliante
lumine, in muccaginem tenereſcunt. Duo igitur 94
ſunt, & ſufficiunt luminaria magna, ut totidem

dem primitiva elementa. Sol, aëri præſidet, ut Luna, matricibus aquis. Quocirca animal Solis lumine fœtum, continuo aeris ſuctu opus habet, ut & piſces, indeſinenter aquas trahere coguntur, ad ſui ſuſtentationem, luminiſque ſui
95 refocillationem. Novi quidem, lumen Solis, in ſilicem recipere (ſola nempe ſilicis præparatione) ut extra Solis præſentiam, ſub denſiſſimis tenebris, lumen illud acquiſitum aliquantiſper permaneat, iterumque hauritur lumen, nova expoſitione ſilicis, ad Solem diurnum, licet
96 obnubilum. Hæc itaque nobis fuit inſpirationis non contemnenda neceſſitas; ut luminarium videlicet, in ſeminibus, quadam conſanguinitate contentorum, reſtauratio contingat: non autem ſola, ſolius frigoris deſiderata temperies. Teſte piſce. Sufficit ergo, nullam naturalium formam, produci à Cœlo, à Sole, ex ſomniato materiæ appetitu aut qualicunque ſeminum diſpoſitione; Vtpote quod hæc cuncta claudantur accidentium Syndrome, nec viam ad creationem ex nihilo noverint. Nam natura non valet unquam ex ſe, ad vitalis luminis procreationem aſcendere. Sed Chriſtus, Dominus Vniverſi, ſolus eſt vita omnium rerum, & parens: nec hunc honorem dabit ulli creaturæ. Pater luminum ergo, ſolus Deus. Non autem ſic vocatur, quia ſtellas fecit. Nam ut non dicitur Pater lapidum, aut rerum non viventium: ita neque aſtrorum. Imo nec proinde dicitur vegetabilium Pater, tametſi lumen aliquod vitale in ſe habeant. Pater itaque univerſorum luminum, ſolus is eſt, cui ſoli competit Patris nomen. Quique ſolus eſt Pater vocandus, & in cœlis eſt. Nam etiamſi pater carnalis, de ſuo det, unde paternitatis nomen ipſi tribuitur. Quia tamen non eſt luminum vitalium dator, ſive formarum Creator, vetitum eſt nomen paternitatis vitalis dari creaturæ. Eſt ergo Pater luminum, ſive formarum vitalium Deus. Suntque totidem diverſa ejuſmodi lumina, quot formarum vitalium. Etenim quia animæ, non cognoſcuntur notione à priori, ideo univerſali etymo vocantur lumina, cum proprietate filiali, cujus correlativum eſt Pater. Ita tamen ut iſta paternitas ſit analoga. Nam licet verè creet omnes animas viventes: non tamen belluæ, proin filiationem proprii nominis, aſſumunt: quia nec ſimilitudinem ſui illius Patris. Pereunt namque illarum animæ, cum vita illarum, per modum flammæ candelæ. Sola itaque mens hominum, immortalis eſt ſubſtantia, imaginem Patris luminum referens: ideoque data eſt illi poteſtas fiendi filius Dei. Quæ cum de fide credamus, indignatus ſum, etiamnum hodie à Chriſtianis doceri, formas rerum & animas brutales eſſe ſubſtantias veras & ſpirituales: per conſequens non eſſe lumina vitalia, nec creari à Patre luminum univerſorum: ſed à Sole dari ac fieri, itemque ſuſcitari ex potentia ſeminali. Quaſi ſubſtantia ſpiritualis crearetur à potentia materiæ. Id enim inter quiſquilias Gentilitii, retentum in Scholis æſtimo: at non citra læſionem divinæ Majeſtatis. Cui debetur omnis amor filialis.

MAGNUM OPORTET.

1. PAracelſi inconſtantia. 2. Ortus ſpontaneorum per genera. 3. Archeorum diſſonantia. 4. Accidentia plurima manent in novo generato. 5. Speciebus addi, vel minui per Oportet, contra Ariſtotelem. 6. Error Paracelſi in ipſo Oportet. 7. Accidentia mutant ſua formalia objecta propria. 8. Contraria perſuaſio Phyſicam hactenus evertit. 9. Quomodo idem accidens migret, cum rei vita media. 10. Vnde naturarum tot diverſitates in homine. 11. Fictus ille appetitus materiæ meretriceus. 12. Demonſtratio erroris. 13. Rerum neceſſitudo, unde realiter, & principativè. 14. Scholæ non docuere vera initia. 15. Quædam in aëre corrumpuntur, alia verò conſervantur. 16. Vnde rerum corruptio. 17. Corruptio eſt ſolius materiæ. 18. Quid corruptio. 19. Corruptio non eſt de privativis, contra Ariſtotelem. 20. Corruptio & generatio, non reciprocè ſubſequuntur. 21. Scholarum inadvertentia. 22. Quid ſit magnum Oportet. 23. Terra, non autem aqua proferet Tribulos & Spinas. 24. Ante peccatum, qualis digeſtio. 25. Tribulorum ærumna qualis. 26. Odores & ſapores, fermenta fundamentalia. 27. Error de octo guſtibus. 28. Tres vitæ, earum fluxus, & receſſus, per tres rerum monarchias. 29. Verruca cur attactu pomi pereant. 30. Baſis ſympathiæ. 31. Retroceſſus vitæ. 32. Triplex vita mineralium. 33. Proprietates in loco, & locato. 34. Quid duplex nihil, in verbis, Terra inanis & vacua. *35. Lumen, ens extra lucem; per ſilicis mechanicam probatur. 36. Senſationes in ſenſuum organis. 37. Quorſum inſerviat Magnale. 38. Immediati locorum cives, quinam. 39. Origo, & progreſſus metallorum. 40. Vita in metallis, progreſſus manifeſtior. 41. Vnde mineralia tanta ſint efficacia. 42. Dignitas Archei ante peccatum*

tum. 43. *Quæ ſint qualitates ambulatoria.* 44. *Quod Scholæ clamant impoſſibile, eſt in natura neceſſarium.* 45. *Vnde iſte error.* 46. *Abſurda aliquot inde ſequentia.* 47. *Axioma frivolum.* 48. *Scholarum miſeranda tenebra.* 49. *Objecta viſus, cur magis operentur in prægnante.* 50. *Adepti ambulant per objecta viſus.* 51. *Speculationes aliquot in themate de ſpirituum apparentiis.* 52. *Diſtinctio qualitatum à modernis.* 53. *Morborum occaſiones.* 54. *Modus quo fit hydrophobia.* 55. *Idem de aliis venenis.* 56. *Venenorum alteritates.* 57. *Modus quo venena agunt.* 58. *Conſiderationes circa venenorum activitatem.* 59. *Exſufflatio vitæ, qualiter contingat.*

1 INadvertenter ſic paulatim enim cecidi, ab elementis in ortum formarum, ibidemque diſtinxi quadruplicem formam, genere à ſe invicem diverſam. 1. *Formam nempe eſſentialem.* 2. *Formam vitalem.* 3. *Formam denique ſubſtantialem.* 4. *Atque tandem excellentiam Subſtantiæ formalis*, pro colophone Naturæ addidi. Cum enim de elementis meam doctrinam explicuiſſem, ſenſim decidi in hiſtoriam vitalium, ac conſecutivè quoque, in morborum mortiſque neceſſitates, me devolutum ſenſi, ut ſcilicet phyſicalia initia, ad finem deſtinationis humanæ applicarem. Itaque ad magnum Oportet perveni. Ad vitæ nimirum fluxus, atque refluxus, adeoque ad mortis inteſtinam calamitatem deveni. Quapropter omnis conſideratio noſtra phyſica, Medica poſthac fiet. Enimvero Paracelſus, non ſat ſibi conſtans, in inventione cauſæ morbificæ, ceſpitavit in medio ac modo, quibus res quæque in occaſum vergit. Ad cujus elucidationem jam ante docui, fructus, quos vetuſtas credidit elementorum congeriem, unius aquæ eſſe proles, impregnatæ à ſemine, quod in locis, tanquam uteris, aquam diſponit ad generandum. Etenim ubicunque aqua odorem acquirit, mox quoque in eo ipſo fermentum, atque deinde ſemen, in materiæ diſpoſitæ per fermentum, incæpta diſpoſitione, concipit. Plurima ſiquidem ſolius odoris fine, fiunt. Sæpe enim radix caulis, medulla, frondes, & plantæ integræ hiſtoria, propter odoris florem, vel floris odorem naſcitur, eſtque odor multarum ſpecierum finis ultimatus, tam in condimentis, quam pharmacis. 2 Vtpote ex arena, ſeu terra ſimplici, & aqua, creſcit nil niſi ſitum prius, fracedinem, ſive odores contrahant. Procul enim ſubter terram nil fraceſcit, nec creſcit planta in arena. At fere prope diem, odor, fracidus eſt, & Leſſas ſuas profert plantas. Puta ſi fimi pars una putreat in terra, quintuplo ſui pondere, aquam impregnare poteſt & fructum edere. Etenim aqua omnis odoris expers, niſi in ſui ſulfure, fermentum odoris conceperit, certè in priſtina ſimplicitate, ſine fructu permanet, ut aqua pluvia. In profundis ideo terræ ſtratis, ubi longè à ſitu, putredine, & corruptione eſt receſſus, licet leſſas nullum ſit, tamen aquæ, occulto odore loci impregnantur, primum, ſalis cujuſdam contagio imperceptibili, ad ditiores mox fructuum colonias properant, & extra prorumpunt. Habitat nempe ſuus ubique peregrinus odor fermentaceus, qui ſulfur aquæ ingravidet, inibique ſopitus, tandem concreſcat. Vt in mineralibus. Vel concretus atque denſiori aura ſaltem perfuſus, vegetet; ut in plantis, & oviparis. 3 Vel prorſus ab initio, forma auræ, gliſcit. Prout parturientibus vivam prolem. Archeus ergo jam conceptus, ubique vitæ cuſtos & tranſmutationum promotor manet, ejuſque mutationem, illico vitæ ſuæ mutatio, à prima nempe vita & materia ſui, uſque in ultimam ſequitur. In hoc nempe, Archei rerum conſonant, quatenus vitales ſplendorem aliquem poſſident: variant tamen, quatenus diſſimiles formæ præcurſores, & œconomi. Attamen non ſe mutuò recipiunt, ne illorum turbetur regimen quin ordinis (quem malè philautiæ titulo explicant) ergo, herus maneat, qui potior fuerit. Quorſum ſanè fermenti ſui impreſſiones liberaliter expendunt, ut conſortis Archei, alienas inquietudines compeſcat, illumque ſubigat. Etenim prout ſub immortali mente non pereunt formæ ſubordinatæ oſſis membranæ, &c. 4 Ita & rerum contingit tranſmutationibus; ſic quidem, tametſi cibus, omnimoda tranſmutatione, formam ſanguinis acquirat, hic tamen conſervet, non obſcura accidentia cibi prioris, quæ ideo ambulant de una materia in aliam. Durus ſanè, & paradoxus hic ſermo in Scholis. Quæ ſtatim facti exemplo probabo. Prope Montes ad Zomam, porcus, recedente mari, ſquillis, conchilibus, &c. veſcitur. Caro ejus ſapit axungiam piſcis, eſt tamen porcina, Ebræis vetita. 5 Vanum ergo, quod ſpecies rerum, ſint tanquam ſpecies numerorum, quibus ne unitas additur, vel ſubtrahitur, quin continuo ipſa mutetur ſpecies. Vnica nempe animalis caro, ſapores alienos, pro ciborum varietate, ſuſcipit. Quercus Hiberniæ, ita antidoti proprietates retinet, quod noſtris ædificiis araneas fuget. Qua proprietate

quercus noſtras caret. Non enim contingunt
accidentium migrationes in cibis, defectu,
perfectæ, atque eſſentialis tranſmutationis. Nec
etiam lotium redolet therebintinam, macim,
vel aſparagum, quatenus aliqua pars excremen-
toſa cibi cum cruore permaneat in carne. Id
enim minus repugnat perfectæ tranſmutationi,
ſeparationi, & electioni, Archeo debitis, cui
nempe ineſt vis perfectè tranſmutativa mate-
riæ, diſpoſitiva in figuras, odores, colores,
6 omnemque accidentium proprietatem. Para-
celſus enim, ſubinde vitæ, ac materiæ mediæ
mentionem fecit: ſed non ſibi appropriavit, in
maxima neceſſitate, qua de tartaris ſomniavit.
Etenim rem ſibi in ſecuro collocaſſe viſus, ex-
emplo tartari vivi, ſi conſimilem tartarum,
obliquè cibis ac potibus immiſcuiſſet, ad mor-
borum materiam atque originem inveniendas,
ante ſe nondum detectas. Nec enim explicuit,
unde ſapores inſignes, poſt ciborum veras
7 tranſmutationes, maneant ſuperſtites. Quo-
circa neceſſe eſt, idem numero accidens, mi-
grare de ſubjecto, eſſe inquam, in formali tranſ-
mutato, quod prius erat in tranſmutabili, licet
8 forma ſubjecti inhæſionis plenè perierit. Eo
quod, etſi non maneat materia, permanet ta-
men vita media, de qua in Scholis nil auditum
eſt hactenus. Manet nimirum vita media, in
Archeo tranſmutato, non ſecus atque forma
9 oſſis, defuncto homine. Nam licet ſtomacho
inſit vis fermentalis, quæ ſibi ingeſta reſolvat,
ac deinde in aliis officinis perfectè eadem tranſ-
mutentur: non poteſt tamen modò, quicquam
tam perfectè in nobis, immediato digeſtionum
fluxu, aſſimulando tranſmutari, quin de cæ-
tero non ſuperſint prioris concreti obtuſiores
10 vitæ mediæ qualitates. Qua nimirum neceſſi-
tate, aſſueta alimonia diverſorum climatum,
imprimit in partes ſolidas peregrina admodum
contagia proprietatum. Vnde tot, unius natu-
ræ humanæ, difformitatum diſſimilitudines
contingunt: quas certè, nunquam potui vanis
qualitatum complexionibus dedicare. Suilla
nempe eſt ſuilla, licet horridus axungiæ pi-
ſcium guſtus remanſerit in vita ſui media. Quæ
res nunquam ante conſiderata, totam naturæ
contemplationem effecit ſterilem. Siquidem
hic cardo naturæ, eſt neglectus in Scholis. O-
portet namque, prorſus eſt neceſſarium, quo
vitæ mediæ qualitates remanent in tranſmuta-
tis. Eo namque niſi conceſſo, nulla erit medi-
caminum poteſtas, ut neque morborum occa-
ſio. Nil enim felicius operatur ad ſanandum,
quàm quod per ſui tranſmutationem penitiſſi-
mè intravit, & proximè eſt unitum illi, quod
ſanari debet. Granum ſic in terra moritur, ut
per vitam mediam ſuam, novas proles excitet
in fœnus. In cibis quoque, licet priſtinæ cibo-
rum formæ prorſus perierint, manſere tamen
operativæ proprietates, prioris vitæ mediæ: id-
que in ſecundam, & tertiam ſubinde generati
tranſmutationem. Senſim nempe fatiſcente na-
tiva, vitæ mediæ proprietate, ſub adſcenden-
tis Archei dominio, cujus videlicet fermenti
ſubacta eſt materia. Iſtud nempe eſt *magnum* 11
Oportet in hac viciſſitudinum valle: non autem
eſt meretricius appetitus impoſſibilis hyles. Fin-
xit namque Ariſtot. materiam, omni accidente,
ut & forma eſſentiali, privam, hancque ſibi chy-
meram, in naturæ initium ſtatuit. Adeoque pro
principio materiali conſtituit, non quidem ens
phyſicum, actu exiſtens, aut potentia poſſibi-
le: ſed corporalitatem mathematicam; non ve-
rò hoc aliquid, aut principians initium. Etenim
figuris, atque menſuris, imaginario lubitui,
naturam auſcultaturam putavit. Interim ut iſta
materia foret principians, finxit illi competere
principium quoddam motivum, appetitum
nempe univerſalem, ad quaſvis ſibi ignotas for-
mas. Quæ ſomnia, etſi ridicula, nulli fini, u-
ſui, aut neceſſitati conformia, multaſque de ſe
abſurditates parturientia; adorantur hodie ta-
men à Scholis. Quæ ſeipſas inde fecere ridi-
culas. Cum illius corporeitatis nullus poſſit eſ-
ſe appetitus, ſpirans ad ullam perfectionem,
quam ante in ſe non haberet. Nempe ut ſit fi-
gurarum atque formarum poſſibiliter capax. A- 12
lioquin enim in conſideratione naturæ, & qui-
dem in eſſe principiante, omnis entis appe-
titus fertur in perfectionem, non quamlibet:
ſed ſeminis, in diſpoſitione fermentorum præ-
exſiſtentis, adeoque etiam operantis. Semen
autem non adſpirat, niſi ad determinatio-
nem, in Archei diſpoſitione adumbratam. E-
nimverò ut matheſis ſibi proponit corpus, ſi-
ve omni accidente, omnium figurarum capax:
Ita Ariſtot. hanc ſpeculationem pro lubitu in
naturam ſibi ignotam invexit, ac huic mate-
riæ appetitum, viciſſitudinis amantem, & u-
nicam cauſam introduxit. Vſque adeo mate-
riam primam cenſuit omni qualitate & forma
vacuam: ſolo autem appetitu meretricio, ad
omnes & quaſlibet formas, dotatam. Neſciens
inprimis viciſſitudinem, non appetitu mate-
riæ: ſed inſtructione ſeminum, provenire. Nec
Scholæ ſemel retroſpexere, quod deſiderium
per-

permanendi, antiquius, fortius, & naturalius
ſit, appetitu permutabilitatis; ſuoque ipſæ
Scholæ contradicant Ariſtoteli, volenti, ens unumquodque
proprio naturæ niſu, deſiderare
permanere. Cum res neceſſariò ſit, antequam
de mutatione queat cogitare, aut optare. Itaque
materia, prius eſſe perfectum nanciſci debuiſſet,
quam vetus eſſe faſtidiret, & viciſſitudinem
appeteret. Prius eſt namque eſſe, quàm
placere: & placere prius, quàm diſplicere; nihilque
diſplicere poteſt, aut viciſſitudinem optare,
quàm quatenus adepto cognitoque placito,
indicatur perfectius aliquid, poſſibiliter
& melius. In crudioribus enim ſeminibus, quæ
ex odoribus, prima ſui fermenta concepere;
odor præcedit complacentiam, hæc autem generat
ſui, & permanentis, deſiderium. In poſſibilibus
verò, deſiderium facit eundem appetitum
permanendi, non autem pereundi, per
mutationem ſui eſſe. Quod ſi verò, ob inteſtina
mortis impedimenta, non ſit conceſſa permanentia:
ſit in corporibus diſſolutio, inde
verò tædium; à tædio autem proceditur ad averſionem,
ſenſim labente vi rectrice, unde
tandem deſtructio non intenta: ſed ſubſequens
per neceſſitates. Scholarum erat noviſſe, quod
eſſe ſemper præcedat tædium, ad non eſſe.
Quod hoc tædium non ſit intentionis naturæ,
ſed imaginaria metaphora potius, ad defectus
rerum ſubſequens. Saltem quod hoc tædium,
deberet præcedere appetitum, ad non eſſe.
Multoque magis, appetitum ad novum ſibique
incognitum eſſe. Cum novum eſſe non detur,
ante interitum præſentis eſſe. Breviter quod &
tædia diſplicentiæ appetitus, non niſi ſomnialiter
conveniant non enti. Tandemque, quod ex
ſomniariis principiis, tam abſurdis, nil exſpectandum
præter errores, confuſionis plenos.
13 Viciſſitudo ergo in natura, non ex appetitu materiæ:
ſed ex poteſtate efficientis Vulcani eſt.
In quo odor, & ſapor vitæ mediæ, generant
ſeminalem imaginem tranſmutationis originem.
Neque enim adhuc ſatis ſibi Scholæ conſtant,
in illo materiæ appetitu; imo principia
naturæ theorica, non videntur Scholæ in uſum
14 docuiſſe veritatis. Cum ſiquidem ad res ipſas
deſcendunt, non illum appetitum materiæ, amplius
incuſant, pro rei corruptione: ſed aërem,
corruptionum quarumcunque effectivum culpant.
At ego plura ſub aëre ſiccari ſcio, quæ aliàs
15 ſub terra, vel aqua putrent illico. Siquidem
vitrum putrefactibilium ultimum, in aëre manet
velut æternum. Sepultum verò poſt annos,
fracedinem admittit, cruſta obvolvitur, ſal ejus
diſſolutum, fatiſcit: & arena ſui conſtitutiva
permanet. Aër capſa eſt, in cujus poroſitatibus
quædam ſe diſponunt in alteritates, quædam
ſubter aquas, & multa quoque ſub terra, juxta
ſeminum diſpoſitiones. Siquidem quæ odorem 16
de ſe ſpargunt, eundem fluente & raptore vento
amittunt, vel concluſo vaſe, eundem intus
retinent. Si enim prius: inanes corporum deinceps
pori, aërem recipiunt, qui ibidem concluſus,
fraceſcit cum odorabili, unde odoris reſiduum
recipit fermentum, ab dicta fracedine
ſitum trahit, rancidum, vel mucidum evadit.
Sin autem poſterius fiat: Tunc aër ibidem detentus,
fraceſcit, & ad corruptionem deducit
concretum, niſi odorabile, balſami proprietates
habeat: eo quod fermentum novum meditetur
viciſſitudinem. Volatilia ſive exhalabilia &
profuga, facile fatiſcunt (quia ut plurimum heterogeneitates
habent quarum defectu, vix diſtillata
corrumpuntur) quorum unum alterum
fermentat, ab elemento vero, velut ſuffocantur
& fraceſcunt, vel aërem concipiunt, ut ante.
Fermentum itaque rem mutat, quatenus ejus
alienat odorem, juxta eſſentiam rei inprimentis,
vaſis loci, vel adjuncti. Quæ hac mechanica
probo. Siquidem jura carnium, fructuum,
prout & decocta quævis, cito alioqui putreſcibilia,
præſervo à putredine per annos, modò aëri
fermentum balſamicum infudero, & continuatum
cohibuero. Apud me ergo ſic ſe habet 17
corruptio, ut dixi. Formæ non corrumpuntur
unquam: intereunt quidem. Mens humana
dumtaxat abſcedit ſoſpes, reliquæ autem formæ
omnes pereunt. Materia verò nec abſcedit, nec
interit: at corrumpitur. Adeoque corruptio
ſolius eſt materiæ. Eſt ergo corruptio, diſpoſitio
quædam materiæ, à fatiſcente rectore Vulcano,
derelictæ. Quatenus enim corpus rectore 18
bene valente navigat, felix non auſcultat fermentis
alienis. Nec eſt proinde corruptio annumeranda 19
privativis, ſi cauſis conſtet, poſitivis.
Quocirca ruit Ariſtotelis alterum in natura
initium. Siquidem non tollitur, diſſipatur,
mutatur, aut alienatur Archeus ſponte, niſi infeſtante
novo, ſub altero fermento. Fermenta
igitur aliena præficiuntur corruptionibus cunctis,
perque fermentorum alteritates, omnis inchoat
corruptio, ad gradum ſenſim, atque faſtigium
aſcendit, ac tandem adepta periodo terminatur.
Quædam enim ſunt, quibus propria
ſeminum libido, læna eſt, avocatque à conſtantiæ
tenore, ad ſubeundas viciſſitudinum tranſ-

mutationes, non quidem ob appetitum ad a-
liam formam: verum quod inſitus naturæ bal-
ſamus, facile difflетur, & pereat, ut ſunt carnès
& piſces. Alia verò, non niſi prius excitata pu-
tredine, torum mutant, induuntque novorum
ſeminum ſollicita imperia. Qualia ſunt ligna,
lapides, atque igne conſtantiſſimum vitrum.
Inter quæ, medio intercedunt gradu, quibus
loci attactus, ſuperficiem fracedine, aut mucore
obducunt. Vnde diſperſi odores, antiquorum
ſeminum connubia diſſociant, ac novam ge-
nerationem diſſolutione meditantur. Aëri eſt
geniale ſymbolum, aquas ab aquis indeſinenter
ſeparare: ſuntque multa, quæ ejuſmodi alte-
ritatem ſine labe non tolerant, hinc proinde
ſubitam in ataxiam proximè labuntur. Corru-
ptio itaque, ut genialis balſami exſtinctionem
includit: ita illius continuationem deſiderat rei
conſtantia. Etenim, quibus balſamus ſponte
diffluit vel exſpirat, fixis imbutus rebus aſſocia-
tus, hæret, ſiccitatis repagulis coërcetur, vel
ſaltem prædominante fermento, à balſami in-
dole non alieno, fovetur. Sic namque dulcia,
fumus, ſal, piper, aqua vitæ, acetum, olea diſtil-
lata, præſervant carnes. At ſaltem ſub vitæ inter-
itum, magna utrobique eſt confuſio rei, opu-
lentaque virium jactura. Adeo, ut ſemina, in-
feriori compagini inſervientia, non raro ſimul
intereant, unde rerum aſſiſtentes Vulcani, velut
metu perterriti, & ut mercenarii, primi aufu-
20 giunt. Corruptio itaque licet tranſmutationem
inducat, cum alterius interitu, non eſt privatio,
nec proinde generationem neceſſariò, ut neque
viciſſim ſubſequitur. Prout quæ alterna præſen-
tia, ſe invicem excludunt, ut lux alioqui & te-
nebræ. Subſiſtit inprimis noſter interitus, abſ-
que formæ defectu, citra materiæ neceſſitatum
deſtructionem, ſi mumia perſeveret; licet vitæ
ſive formæ ſeparationem includat. Etenim id
præſentem corruptionem non indicat, licet
mox ſequatur ſpontè, & arte præſervetur. Suffi-
cit ſaltem, quod corruptio non ſit hæres imme-
diata, rei conſtitutæ, nec ab inteſtato ſuccedat
neceſſariò. Sic neque dum è ſemine res prodit,
non præcedit, aut comitatur ulla ſeminum cor-
ruptio. Solœciſmus enim eſt, in verbo, & re,
ſeminum promotiones, perfectiones, & ma-
turitates, corruptionem æſtimaſſe. Error incogi-
tantiæ colitur in Scholis, principiorum natura-
lium, præ ignorantia. Vt quæ opera ſunt natu-
ræ, putentur non entia; in Matheſeos abſtractas
21 conſiderationes releganda. Equidem dum la-
to vocabulo, privationem inter ens & ens,
intercedere, Ariſtoteli conniveretur, cœpit
corruptionem, privationis loco, aſſumta licen-
tia ſubſtituere. Privatio enim illa, ut non ens
erat, adeoque ens rationis ſomniatum, trans-
ſumtiva libertate concedebatur, ſine attentione.
At non idem jus competere debere proinde
corruptioni, intellexiſſent Scholæ, ſi diſtinctas
eſſe, ignavia illarum aſſentiendi permitteret.
Quare tota naturæ Scena neglecta ſtetit, gen-
tilium putationibus. Neglectis ſiquidem ſemi-
num fermentis, Vulcanis, & fluxibus, omnis
naturæ energia, in calorum & frigorum fabel-
las, diſſidia, odia, velitationes, & contrarie-
tates, per demeritas privationum claſſes, diſ-
torta eſt, ridiculamque Phyſices fecere indaga-
tionem. Porro vocavi *magnum Oportet*, neceſ- 22
ſariam remanentiam proprietatum vitæ mediæ,
in alito, & conſtituto. Vnde conſequens eſt,
eandem vitæ mediæ reſiduitatem, de cibis &
potibus, eſſe tribulos & ſpinas, quæ terra à præ-
varicatione erat proferendo. Alioqui tribuli, &
ſpinæ, quatenus plantæ, ſunt creaturæ, ad u-
ſum, & ornatum Mundi, ante lapſum facta.
Fruſtra quoque putavi aliquando, tartaros ci-
borum, & potuum, eſſe ejuſmodi tribulos, &
ſpinas. Quoniam ſubſiſtente vita media (ſub-
ſiſtit autem actu reali, & vero) fruſtra fuit fin-
gere peregrinos tartaros, ut ſuo loco dicetur.
Notanter autem non tegitur, quod aqua profe- 23
ret tribulos & ſpinas, licet ſuas pariat incom-
moditates: Carnes enim hominum, ac bruto-
rum, in terris viventium, referunt præfatos
tribulos. Piſces verò, intus & extra aluntur, &
alluuntur ſale; dulces tamen ſunt illorum car-
nes. Qui autem limo inhabitant, non ex aqua;
ſed ex terra, tribulos in carnium ſapore expri-
munt. Ante peccatum Archeus noſter, non ſo- 24
lum more hodierno, cibos perfectè transmutaſ-
ſet: ſed integras vitæ mediæ proprietates, in
ſui ditionem abſorbuiſſet, tanquam earum he-
rus. Siquidem mens immortalis, tum adhuc,
ſine medio vitæ ſenſitivæ, erat ipſamet immor-
talis, & impaſſibilis vita ſuo corpori. Prout de
vita longa ſuo loco. Paradiſus enim, hac parte
mortem, quia viciſſitudinem noſtri excluſerat.
Sola autem arbor, ſcientiæ boni & mali, reti-
nuerat ſibi proprium, dualitates nempe, Ar-
cheo noſtro, è rebus deſumtas, poſſe imprime-
re. Quippe facile adhærent conſortes vitæ me-
diæ invicem. Vnde Ianua in dualitates, alte-
ritates, viciſſitudinem, & ataxiam, patuit.
Tandem apſonia, conſonantiæ ruptrix, ſic po-
mum diſcordiæ intulit. Sentimus enim dein- 25

ceps Tribulorum, atque ſpinarum perpetuam
tyrannidem, & multiplicitatem. Nam quot
ſunt ſapores, & odores in rebus, ſpecifici: totidem
quoque vitæ mediæ proprietates peregrinæ,
quotidie per alimenta ſuggeruntur. Hæc
namque ſunt fermenta aliena, quorum alteritate
fatigamur. Siquidem nulla uſpiam generatio
contingit, quam non præcedens diſpoſitio
in materia ſuſcitaverit: fermentum itaque ejuſmodi,
innatum rebus ſaporem, & odorem alterat,
unde Archei ſenſim ab obedientia ſeminum
abducuntur, & peregrini fermenti auſcultant
illuſionibus. Breviter. Reſiduitates poteſtatum
vitæ mediæ, tam in alimentis, quam excrementis,
ſunt ægritudinum ferè omnium
occaſionale initium, & hactenus nobis Tribuli
26 & ſpinæ. Odores namque & ſapores, in corporibus
ſeminum, appetitum, averſionem, vel
neutralitatem pariunt. Appetitus autem ſic
motus, imaginem in Archeo, non ſecus pingit,
quam in fœtu prægnantis. Quæ imago eſt eſſentia
inviſibilis ſeminum, concitans ad complectendum
vel abhorrendum. Odor autem
neuter, inſervit ſtatui, & quieti. Si ergo ſapores,
in vita media adhuc in tranſmutatis ſuperſunt.
27 Frivolum ex octo guſtibus materialibus,
& non ſpecificis, res, earum vires, & eſſentias,
ponderare velle. Porro, cum vita media ſit dicta,
reſpectu duarum extremarum. Prima erit
recepti, & operantis ſeminis, ſita in Archeo, rerum
agendarum poteſtate dotato. Quæ cum
nacta eſt maturitatem aliquam, ut dum ſemen
corpus eſt, habens carnem, & oſſa tenella, juxta
ſpeciei requiſitum: tum adeſt rei vita media.
Ex Archeo namque, tanquam mediatore, vitæ
organo, ipſam vitam metiri convenit. In ſeminibus
ergo, gliſcit vita prima; in embryone verò,
vita media. Vltima verò, cum totalis perfectio
conſtituti, adeſt. Quæ quidem etſi ſit vita
ultima rei: eſt tamen Archei media, ſi vita prima
rei inchoet, cum ultima ſeminum. In herbis
enim, licet videantur, ſemina vitam inchoare
dum turgent, & hiſcunt; attamen tunc
potius moriuntur in vita ultima ſui, ut germinaſcant
28 in vita prima rei conſtituendæ. Prima
ergo vita fructus, eſt ultima ſeminis. In media
vita, herbæ, radices, & caules, accreſcunt.
Flores verò, & fructus, vitæ ultimæ minantur
periodum. Hanc nimirum in rebus mori neceſſe
eſt, ſi utilitas ex alimento & medicamine
ſperanda ſit. Periapta, appenſa, & quæ vi regiminis
(de qua aliquando) agunt, excipio. Debent
nimirum ultimæ vitæ rerum retrogradi, ut res
in ſucco, cui Archeus ab initio nupſit, virtutes
explicet, deponendo nempe nomen, &
proprietatem vitæ ultimæ, ut ad medium reſurgat.
Quæ mors non eſt extinctio, & vera
mors rei: ſed potius tranſmutatio. Quod mox
in pomo conſtabit. Granum enim comeditur.
Equidem eo momento intus moritur grani vita
ultima, reducitur in vitam ſui, quam ſuperveniens
Archeus noſter inumbrat, & vitam
mediam, in ſui primam ducit, per tranſſumtionem,
reſiduis, ſed hebetatis proprietatibus
grani prioris. In morte grani, ſive ultima ſeminis
vita, novæ creaturæ vita prima, conſurgit.
Breviter. Quoties Archeus rei tranſplantatur,
ſub ductore alieno, toties fit vitæ mutatio,
ab ultimo ad primum. Quod primum
tranſſumitur in vitam novam rei, & Archei
victoris mediam, remanente tantum obtuſa
vitæ mediæ proprietate, per quam eſt factus
retroceſſus. Eſto pomum transſciſſum, cujus 29
pulpa interna ſit affricta verrucis, donec intepuerit,
& religatis medietatibus per filum, donec
pomum putruerit: tum enim videbit verrucas
attactas diſparuiſſe. Simulatque enim
vita pomi ultima perit, cui verrucarum impreſſio
fuit conglutinata, perit verrucarum vita ultima,
retrocedendo per mediam. Non enim
hic verba, fides, aut confidentia requiruntur.
Quoniam ſi iſtud pomum, à ſue, vel mure editur:
verrucæ non pereunt, Eò quod ſtomachus,
vitam ultimam pomi velut conſervet, in retroceſſione
vitæ mediæ, quam ſibi Archeus aſſumit.
Sed in morte, & vitæ ultimæ extinctione
pomi per putredinem, non eſt conſervatio, nec
retroceſſus in vitam mediam. Adeoque cum
morte, & extinctione vitæ ultimæ pomi, pereunt
unà verrucæ abſentes, per actionem regiminis
ſympatheticam. Symbolum namque 30
ſympathiæ, in hoc eſt ſitum. Eo quod pulpa pomi,
quæ veſtit nucleum, eſt velut fungus ſui rami;
non ſecus atque verrucæ, ſuæ ſunt carnis
fungi. Impreſſio verò verrucarum tranſlata &
ſigillata in conſymbolizantem fructum, cum vitæ
pomi ultimæ morte, moritur unà ſigillum,
& id, cujus eſt ſigillum. Non minori ratione
enim effluvium cum ſuo corpore, unde deſumtum
eſt, ſymbolizat, quam tonus cum ſuo
inſtrumento muſico, non ita cominus poſito.
In uniſono nempe, manifeſtè geſtit & exſultat,
appenſo ad fidem annulo, in cæteris autem
tonis, etiam longè majoribus, & altioribus
aliàs, quieſcit. Etenim ubi cernitur ſenſus
ſubfultus, & lætitiæ, ibidem eſt & triſtitiæ, &

mortis ſenſus poſſibilis. Itaque ſuperſtitione carere
mihi viſum eſt, ſi verruca naturali triſtitiæ
ſenſu tabeſcat, in morte vitæ ultimæ, impreſſo
ſui effluvii ſenſu. Eoque magis, quod pomum
ſit velut fungus primariæ intentionis naturæ, &
fortioris effectus: verruca autem, nec primariæ
eſt intentionis, nec radicem in Archeo totali
habet. Non enim intervenit mors pomi, ſi
edatur à glire; ut neque interitus impreſſionis
additæ, quippe conſervatur vita media,ſub conſervato
Archeo pomi tranſplantata in Archeum
animalis. Quocirca etſi Scholæ unius tantùm
meminerint corruptionis generatim: Sunt tamen
31 variæ deſtructiones. Quædam enim à vita
ultima in primam redeunt; alia verò, quæ ad
vitam mediam recedunt. Quæ verò non ad vitam
recedunt ullam. Exſpectant ultimam ſui
reſolutionem, ut tranſeant in novam generationem
ſeminalem: at in adventum novi ſeminis,
ex fraceſcente fermento, reſurgunt per primam
vitam. Ejuſmodi ſunt quæ per venenum
vitæ, vel per mortem ignis, pereunt. Sic namque
pomum, ſpontè putrefactum & cadavera
quæque, vel herbaſcunt, cum ſucco leſſas, vel
32 prius verminaſcunt. Tandem mineralia & tres
vitas, diſtincta ſerie oſtendunt. Ita eſt. Mineralia
quidem, non habent ſemen, cum imagine
prædeceſſoris, per modum animantatorum.
Quod tamen multos fefellit, analogo ſeminum
fluxu, non ritè perpenſo. Mineralia enim, non
minus quam reliqua, alligantur ſuis cauſis conſtitutivis:
adeoque procedunt ex neceſſitate,
& fluxu ſuorum ſeminum. Ideoque carere nequeunt
triplici vitæ ſeminalis diſcrimine. Quidquid
enim abſque genitore, ad hoc aliquid procedit
(uti mineralia) ſemen ſuum, in locorum
diverſorio reperit. Quocirca quædam immediatè
ſunt in loco, alia verò in corpore locato.
33 Ventus quidem inceſſanter fluit in loco: Eſt
tamen quibuſque locis ſua proprietas ſtabilis;
certi Provinciis venti, & ſtatæ tempeſtates. Quæ
loco tribuo, non aëri, aut inſtabilibus aquis.
Deus ergo, nedum corpora virtutibus dotavit:
ſed & loca replevit immediatè, ſeminum incomprehenſibili
theſauro, in mundi terminum
duraturo: Divitiis nempe accumulavit loca,
ſtata dierum maturitate, in lucem prodituris,
34 veſtemque aquæ induturis. Terra enim erat
primùm inanis & vacua: dupliciter nempe inanis,
quia ſpoliata viribus dotalibus, tam in ſuo
corpore, quam in locis receſſuum ejus. Quod
ſic cernes. Nam etſi fluat aër, ſub Blas ventorum:
lumen tamen, (quia immediatè in loco,
& mediatè in aëre) manet ſtabile. Si enim
putetur lumen, cum aëre ſimul fluere, vel per
unumquodque inſtans in fluxu aëris, lumen de
novo generari. Scias lumen, eſſe revera ens 35
extra lucem. Nam penes me aſſervo ſilicem,
quem ſi ad aërem, Sole exſiſtente ſupra horizontem
expoſuero, ad ſpatium trium vel quatuor
ſaltem pauſarum (nec etiam refert, ſive
dies ſerenus, ſive obnubilus fuerit) ac inde ad
obſcurum locum detulero, ſervat conceptum
Solis lumen, ad aliquod ſimile fortaſſis ſpatium.
Idque fit, quoties reperitur præfata illuminatio.
Adeoque hinc palam fit, lumen eſſe ens, ſubſiſtens
in loco immediatè, nec habens aliud ens
inhærentiæ, præter ſui ipſius locatum eſſe, ſeparabile
à creatura lucida. Adeoque ſi de aëre
migret in lapidem, poſſet etiam de aëre in proximum
aërem migrare, ſi ejus exiſtentia immediata
eſſet in aëre & non in loco. Siquidem eſt
lumini perinde migrare ex loco (ſubjecto immediato)
in aërem, vel in ſilicem: in eo tantum
eſt differentia: quod eſſe luminis, in aëre
non ſubſiſtat, præter fotum lucis continuum,
ut neque flamma extra fumum cremabilem.
Sin autem ſilicem aptum ſibi retinaculum habeat
(ut fit, quando ignis ferrum poſſidet) perſiſtit
in eo aliquamdiu. Fit enim hinc, quod
viſus uno inſtanti ſuum percipiat objectum,
quia immediatè in loco eſt, tam lumen quam
color; In corpore medii verò, velut per accidens
& ſecundariò. Etenim cum locus ſit ſubjectum 36
ejus, non reperit reſiſtentiam, in corporibus
locatis diaphanis, quin unico momento,
ab octavo Cœlo, in terram uſque, lumen vibretur.
Sonus verò, ſive objectum auditus, immediatè
eſt in capſa medii, & ambulat ſine fluxu
aëris, de ſubjecto in ſubjectum. Etſi in hoc
Scholæ ſurdaſtræ fiant. Odor verò non diſpergitur
ſine odorabili, quod eſt Gas rei. Quod per
vacuitates, ſive magnale aëris diſpergitur. Eſtque 37
magnale capſa, in qua Gas omne reducitur
in primam aquæ materiam. Inhabitant ergo locis, 38
nedum lumina & colores, tanquam immediati
hoſpites: ſed fermenta, Rationes. Ideoque,
à Conditore verbo locata, ut ſint radices
ſeminum ſucceſſivorum, in mundi uſque finem.
Mineralia ergo, non promiſcua ubique:
ſed certa, ſtatis annis, & locis. Tam enim Suevia
cupro dives, quam olim potuit eſſe Cyprus.
Inſons ergo frigus, ut vanus calor ad conſtitutiones
illorum ſeminum. Siquidem, & in montibus 39
frigus, & mineralia comitantur plerumque.
Loca enim quæ fodinis caruere olim, ſua
quan-

quandoque die, maturato ſemine, fœnora reddent,
ditioribus non imparia. Quia radices, ſive
fermenta mineralium ſedent in loco immediatè,
ac in dierum plenitudinem ſine faſtidio anhelant.
Quam ubi ſemen complevit, tum Gas, obſidens
aquam ibidem, ſemen à loco ſuſcipit, quod
aquæ ſulfur dein imprægnat, aquam condenſat,
atque ſenſim in aquam mineralem tranſplantat.
Non raro enim contingit, quod Metallarius in
fodinis, ſaxa diffringens, dehiſcat paries & rimam
det, unde tantillum aquæ, ſubalbidæ vireſcentis,
manavit, quod mox concrevit inſtar
ſaponis liquidi (Bur voco) mutatoque deinceps
pallore ſubviridi, flaveſcit, vel albeſcit, vel
ſaturatius virideſcit. Sic enim viſum eſt, quod
alias intus, abſque ſaxi vulnere fit. Quia ſuccus
ille interno efficiente perficitur. Eſt ergo prima
ſeminis metallici vita, in condo, ſive promtuario
loci, homini planè incognita. At ubi ſemen
in lucem, liquore veſtitum prodit & Gas,
incœpit ſulfur aquæ, inquinare, vita eſt ſeminis
media. Vltima verò, cum jam indureſcit. Eſt
autem ultima ſeminis metallici vita, prima metallorum
vel illi ſaltem proximè conjuncta. Dum
verò iſta maſſa ſulfur ſpirat, ſuumque intus
claudit Mercurium: tum inquam, vita metallorum
40 media. Vltima verò, ubi fixitatem, venæque
ſtabilitatem propriam, acquiſivit. Quocirca
eſt vitæ, & ſeminis, in metallicis manifeſtior
progreſſus, & diſtinctio, quam in duabus
Monarchiis ſociis. Eo quod metalla non exigant
figuram, nec totum tam exquiſitum. Imo
ſi ſeminum imago, in vitalibus, profluat à ſuo
genitore; certè mineralium typicæ imagines,
ex promtuariis Divinæ largitatis, ſunt petendæ.
41 Hinc quoque mineralium ſemina non ſunt inquinata,
genitorum turpitudine & laſcivia, nec
monſtroſa ſeſe ideo offerunt. Sed quia illibata,
anguſtæ ideo ſunt poteſtatis, in medendo. Ergo
mineralia, non magis quam cæteræ res, à vitæ
ultimæ poſſeſſione ſpolianda ſunt, ſi ab illis obſequium
ſanando exſpectemus. Languidam
alias allatura opem, & quaſi ſe fruſtra veniſſe
plorabunt, quod fines deſtinationum ſint aſſecuta:
ſed in ſtuprorum & luxuum prævia dirigantur.
Repetam quæ ſupra. In Eden poterat
Archeus noſter, plenariè omnes Archeos tam
venenorum quam alimentorum, in ſui incrementum
ſubigere, abſque ulla ſui laſſatione, aut
42 eorundem reactione. Poterat nimirum abſque
difficultate, omnem vitæ mediæ impreſſionem
tollere, & ſuperare. Erat enim Archeus, immediatè
ab anima immortali rectus, adeoque &
ideo impoſſibilis. Non enim Deus fecit mortem
in Paradiſo non ſolum: quinimo neque pro
homine creatum fuit medicamentum exterminii
(id eſt venenum) in terris. Sed mox homo
ejectus in terram, hæc Tribulos & ſpinas innexit.
Id eſt. Licet Archeus noſter victor, ciborum
Archeos ſibi ſubigat: peregrinarum tamen
proprietatum reliquiæ ſuperſtites manent. Vltima
nempè ciborum vita quidem abit: ſuperſtite
media. Quapropter ſtomachus debilior, majus
gravamen, ſub finem digeſtionis ſentit,
quàm mox à paſtu: quaſi Archeus, dignitatis
priſtinæ amiſſæ memor. Has igitur qualitates 43
vitæ mediæ ſuperſtites, ambulatorias voco. Adeoque 44
quod Scholæ clamant impoſſibile, eſt iter
commune, ac neceſſarium in natura. Quaſi neceſſarium
foret, materiam generationis denudari
omni prorſus accidente, prioris ſui eſſe,
nec diſpoſitiones prævias ſupereſſe poſſe, &
quaſi uni cuilibet generationi præcederet corruptio,
vel privatio. Adeoque neceſſum eſſet,
materiam primam, ſive hylen ſummariam, actualiter
ſubſterni, atque immediatè præcedere
generationi, quam tamen volunt in inſtanti
contingere. Etenim niſi præviæ diſpoſitiones,
& fermenta earum generandarum, præexſiſterent
in fieri, indifferenter quidlibet generaretur
ex quolibet. Compulit eum Scholas ad hunc 45
ſcopulum, malè intellecta principiorum authoritas,
putantes omnia accidentia, immediatè,
& originaliter dependere ex forma totali rei.
Quaſi forma, in puncto generationis adveniens, 46
omnes characteres ſui ſeminis in ſe haberet,
& antequam eſſet, illis infudiſſet. Sin
autem à forma generantis immiſſæ ſint proprietates
diſpoſitivæ in Archeum: ſaltem toto individuo
ſuppoſiti differunt, nec ad generati formam
ſpectabunt. Neglexerunt Scholæ, ſeminum
& Archei entelechian, ut & formarum
ſubordinatarum actualitates. Neſciveruntque à
generationis initio, uſque in finem generati
ſpontaneum, non eſſe niſi unius ſeminis fluxum,
nequicquam attingentem formas generatorum.
Ergo in Archei vita media celatæ ſunt
ſeminum poteſtates, ad vitalitatem ſurgentes, &
vitæ, ſive formæ rei viventis ſubſtratæ. Igitur 47
cum Archeo ciborum tranſmutato migrant, &
tranſplantantur in dictionem Archei humani,
proprietates vitæ mediæ, ſeipſis tamen multo
obtuſiores. Idcirco frivolum eſt, nullum accidens
in genito eſſe, quod prius in ſemine (quod
malè vocant corruptum) fuit. Pariter etiam,
quod ex rei forma, omnis accidentium ſit progenies.

genies. Sic namque ex univoca, ſimplici, atque
homogenea mente immortali, malè peterentur
tot hominum proprietates, & inclinationes.
Sin verò menti aſtra adjunxeris. Hæc
citò te deſerent. Longeque petitum ſubſidium,
flacceſcit in itinere, & ante appulſum, deficit.
Malè quoque cum ſeminibus ageretur, ſi à forma
rei vitalis, quæ tantum poſtea advenit, omnis
ſeminum proprietas, & efficacia, mutuanda
48 eſſet. Inconcinnum ergo Scholarum dogma
fert, generationem præſupponere corruptionem;
& vice verſa. Alioqui ſi poteſtas media,
in forma totali, atque vita rei ultima, conſiſtat:
certè Medentes imponunt ægris, dum ſublata
vitali forma, è plantis, atque animalibus, his
utuntur in ſolamen infirmorum. Vident quidem
ſæpè in urina lactentis pueri, ſubſiſtere odores
rerum quas nutrix ſumſit, puta oleum
aniſi, macis, &c. quod nutrix ſumſit, redolet in
urina pueri ſugentis, adeoque ad illum finem
nutrici propinantur: vetant tamen idem accidens
permanere ſoſpes in genito, quod ante erat
in corrupto. Veruntamen potius, in quolibet
motus & alterationis puncto phyſico, ſive, inter
unum & aliud inſtans, accidentia cuncta renovari.
Malunt nimirum Scholæ, lumen à firmamento,
in terram uſque, ſingulo locorum &
motuum inſtanti, producere actu infinitas ſpecies
luminis, ſe invicem, filo continuo, propagantes,
in quolibet medii puncto mathematico,
quam quod permittant, lumen immediatè, per
lucum ferri, radii vibratione. Malunt inquam,
odorem aſparagi, à ſpecifica forma lotii, quam
à vita media aſparagi manare. Non enim cognoverunt
aliud ens, niſi ſubſtantiam & accidens,
nec lumen ſubſiſtens, niſi immediatè
intra ſubſtantiam medii. Objecta viſus, neſciverunt
immediatè tranſire per locum, cui inſunt
immediatè. Nec advertunt ſe agnoſcere
æquivocam accidentium generationem, dum
unum ex accidente, aliud verò è forma ſpecifica
49 prognatum. Rationes autem, quare objecta
viſus fortius moveant, prægnantium imaginationem,
quam cæterorum ſenſuum objecta, magis
corporea. Prima eſt. Quia objectum viſibile
eſt in loco immediatè, adeoque magis affectat,
propiuſque attingit, & penetrat animam,
propter ſimilem exſiſtendi modum. Attingunt
nempe ſe mutuo per attactum intimum.
2. Cæteri ſenſus inſerviunt viſui. Puta,
prægnans, Sulmone viſo, fertur in edendi deſiderium.
Tum enim quidquid ſumſerit, præbet
illi quidem actualiter guſtum Sulmonis, ſervitque
guſtatus viſui ut hero: ſed decidens in
ſtomachum, nec habens Sulmonem realiter in
objecto viſibili, fraudem ſuam percipit, quam
appetitus ſibi facit, ideoque nauſeat, atque infirmatur
mulier, corde palpitans. Appetitus
enim fingit Sulmonis guſtum, at falſum indignatur
uterus: ſed nequit cibum transformare
in Sulmonem. Imo licet alium piſcem eſitaverit,
ſitque facilis tranſitus, in habentibus ſymbolum:
non poteſt tamen inde formare optatum
Sulmonem: quia eſt objectum guſtus, non
autem viſus. Vbi alias per objectum repentè
Sulmonem vel anatem, fœtum facilè tranſmutat,
in ejuſmodi monſtrum. Quippe objecta
guſtus, ſedentia immediatè in corpore aliquo,
non poſſunt ob ſui corpoream craſſitudinem,
formare imaginem tranſmutativam. Idcirco 50
qui ſtudent adeptis, contendunt laborem Sophiæ
promovere per objecta viſus, & quidem
per lumen lunæ. Vt ſcilicet anima attingatur à
lumine formali & nox nocti indicet ſcientiam.
Quoad fœtum, certè illum conſidero ut ramulum
peregrinum trunco arboris inſertum, qui
licet liquore materno alatur: propria tamen
mox intus quadra vivit. Neque enim ut pars
integralis ineſt: ſed tanquam hoſpitatus miles,
rapit omnia in lubitum, ipſumque vas dilatat
pro ſui imperio. Vterum verò conſidero, ut domum
vacuam, à peregrino poſſeſſam, & ampliatam,
in quam proinde facilius picturæ incidunt,
quàm in exquiſitè concluſam. 3. Objectum viſus
eſt magis ſpirituale, & ideo imago ejus nudior,
ſpiritualior, & magis activa. Quarta. Pater
luminum, in hoc per ſimilitudinem, manifeſtat
ſola luminis cogitatione, ſe ex nihilo creaſſe
omnia. Species inquam rerum, quas ab æterno
in ſe complectebatur, ſola cogitatione, in
eſſe creatum produxit. Sic & imaginatio libidinis
animarum, per objectum viſus, profundit
ſui imaginem in ſemina, fœcunda ut ſic eſſent
ex juſſu Dei. Dici hic poſſet, quomodo 51
fiant ſpirituum apparitiones immediatè in loco,
colore, figura, & lumine, non autem in corpore:
& per conſequens quare videantur ab
uno, & non à viciniore altero. Qua via, lumina
& colores ſe mutuò in loco tranſſecent, immutata
nihilominus ſingulorum exſiſtentia, quo
pacto ſe penetrent & optices regulas fallant. Id
eſt, effaſcinatio fiat. Quomodo color ſplendorem
habeat opacum, inviſibilem in medio, viſibilem
in termino repercutiente: licet ille nitor
non minus ſit in medio, quam in dicto termino,
nec in illo radio, niſi directo dumtaxat. At hæc

aliis relinquo, ſub theſibus à me formatis. Ego
52 Phyſicen magis tracto. Moderni diſtinxerunt
qualitates per claſſes: ut primæ ſcilicet referrent
elementalem vultum caloris, frigoris, humiditatis,
& ſiccitatis, (quarum duarum poſteriorum
cenſuram alibi demonſtravi.) Secundæ verò
qualitates continerent leve, grave, molle, durum,
aſperum, glabrum, friabile, tenax, album,
nigrum; itemque odores & ſapores, ut dulce,
amarum, ſalſum, acre, ponticum, acidum: quippe
quos putant ex elementorum miſtione proximè
reſultare. Quod falſum eſt: cum elementa
nunquam miſta fuerint: ſequuntur ergo
præfatæ qualitates, tanquam dona ſua ſeminum
formalia initia, habentque ſe per modum
fracedinis fermentalis. Vt patet in fungorum
ſpeciebus. Tertias dein qualitates vocant ſpecificas
& formales, iiſque adhuc quartas ceu
magis abſtractas addidere. Tertia ergo qualitas
eſt ſpecialis ſapor aromaticus in cinnamomo,
croco, cariophillis, &c. ſingulariter ſuæ ſpeciei
ſervans. Quartæ ergo, ſunt magis formales,
magiſque à corpore remotæ. Qualis eſt venenoſa
in venenis, ſolutiva in laxantibus, attractiva
ferri in magnete, productiva lactis in fœniculo,
&c. Saltem tres priores claſſes operantur
corporaliter vi ſeminum, quatenus ſibi materiam
deſponſarunt. Sed duæ deinceps ſunt planè
formales, aguntque per vim luminarem, &
abſtractam, concreto ſuo alligatam, habentque
ideo imprimere ſuas actiones in formas vitales.
Tres priores ſcilicet, vix penetrant alia corpora,
multoque minus commiſcentur illis radicaliter:
Ideoque tranſmutantur ab Archeo noſtro.
Ita ut quamvis vitæ mediæ ſuæ obſcuram
proprietatem à tranſmutato eſſe ſui adhuc ſecum
ferant: ſubiguntur tamen in noſtri clientelam,
fiuntque cives noſtri: Plura licet inter
tranſmutandum, inſigniter cum Archeo diſſideant,
quia fortitudinem indomitam atque
alias incapacitates habeant, ſordes inquam, &
53 impedimenta. Incorporantur videlicet nobis,
cum nota vitæ ſuæ mediæ, quam difficulter
exuunt: ſubiguntur tamen. Sin minus: rejiciuntur
poſt relictum in nobis ſui contagium. Ideoque
degenerant in ſordes morborum occaſiones:
quibus Archeus diverſimodè commotus,
indignatuſque format deinceps morbos. Sed
proprietates formales, & prorſus abſtractæ emanant
è formis, ſuntque luminares ideo &
igniculi ipſiuſmet formæ, vim habent penetrandi
Archeum, per totum ejus lumen, vitam
54 item & partium formas. Cogitabam ergo pridem,
an morſus rabidi deferret in ſaliva quandam
ſigillarem fantaſiam, quæ noſtram velut
ſuum patiens in ſe converteret, formaretque
ſibi propriam luminarem proprietatem, effectricem
Hydrophobiæ? An verò noſter Archeus
ſibi fabricaret imaginem virulentam propria
ſponte. At tandem iſta diſputatio, ſolius nominis
eſt mihi viſa. Quippè inveni in hujuſmodi
actionibus luminoſis, connexionem unitatis in
puncto, cauſæ ſcilicet occaſionalis, & efficientis
noſtri Archei, eò quod per modum luminum
ſe penetrent, & uniant radicaliter abſque
alia diſtinctione, quam terminorum relativorum.
Quod nunc de externo rabidi veneno, 55
idem de carcinomate atque aliis eſto judicium.
Lumen namque formale virulentum, ſubnatum
in vita noſtra, ſit ipſum vivens, adeoque
prout Archeus rabidus fermentaliter contagium
externum ſuſcipit; ita & in cancro, aberrans,
ſe tranſplantat in furores, quibus carnem
topicè infeſtat. Nam ſive deferantur intro,
per accidens externum; ſive verò intus ſuſcitentur,
adeoque hactenus aliqualiter differant,
quoad initium principiativum: Interim tamen
per applicationem idem eſt, luminis tamen virulenti,
ſervato modo propagandi & penetrandi
juxta proprietates ſeminum, ſervataque ſphæra
activitatis veneno cuique propria. Nam quæ- 56
dam ſubitò ſe propagant in totum, & necem
mox inferunt: alia verò topicum venenum exercent,
eò quod horum proprietas, etſi penetret
ex natura veneni, ſe dilatat tantum juxta
præſcriptum ſui veneni. Hæc nimirum eſt immediata
actio formarum in formas, per penetrationem
unitionis fermentalis, cum tranſmutatione
noſtri. Itaque non propriè ſuſcitatur no- 57
vum venenum in Archeo, ut ſibi formet venenum.
Pro ut alioqui alibi (ut in febri) occaſionalis
materia Archeum in furorem concitat,
non quidem ad fabricandum alias materias occaſionales
febriles: ſed Ideas nudas furoris, ad
expellendum dicatas, quas in ſuimet ſubſtantia
depingit. Aſt lumina formalia venenorum,
penetrant lumen vitale, commutando efficienter
& potenter, propter venenum occaſionale
ſibi inſertum, præſens & radicaliter penetrans
vitam mediam noſtram, eamque in ultimam
diſponit, per primam vitam veneni. Igniculi
quippe ſunt formales, animantati, vel non,
perinde eſto. Quoniam agunt licentia & libertate
formali, qua ſe in puncto penetrant & inſinuant
in inſtanti. Aguntque quod agere juſſa
ſunt à Domino. Conſiderandum dein, quo

pacto vitam noſtram tam facile peſſumdent. 58 1. An videlicet noſtram transmutent in ſuam. 2. An verò Archeum in furorem agant, ut ſeipſum amens perdat, & per totum ſe diffundat. 3. An verò per privationem luminis mortificent, exſufflando ſcilicet igniculi noſtri lumen in Archeo. 4. An tandem Archeum ſub ſe comprimant, per ſui exaltationem virulentam? Certum eſt imprimis, hoc non fieri per contrarietatem, quam in naturam intraſſe nunquam, demonſtratur alibi. 2. Certum eſt, fieri per dona divinitus veneno collata, quæ proprietates dicuntur. 3. Certumque eſt, venena diverſimodè in nos agere, atque modum quadruplicem venenorum ſtatuiſſe differentias. 4. Certumque eſt tandem: Quod Deus non creaverit mortem, ut nec venena, hominum exterminium, quem immortalitate donaverat: attamen corrupta illius integritate illi evaſerunt lethalia, quæ venena ipſi prius non erant. Sunt interim venena quædam fermentalia, quæ non tam vi luminaris igniculi & proprietate formali nos perdunt: quam fermento quodam pene odorabili. Adeoque unica vita multos ſibi hoſtes undequaque timet. Etenim fermenta ejuſmodi 59 magis accedunt ad naturam corporum. Vides illud in lychnio ſulfurato, quod accenſum & ſuſpenſum in vaſe vitreo, ardebit quidem, & implebit vas ſublimata ſulfuris fuligine: quam etſi exſpirare feceris, atque iterum lychnium ardens impoſueris, momento ipſo quo intrat, extinguitur. Non quidem à fumo ſulfureo (qui cum ſit ipſe adhuc ſulfur, deberet potius accendi) ſed à Gas ſylveſtri, cujus ſolus odor novam flammam extinguit: non quidem materiali flatu, ſed odore ſui: Imo nedum lychnium ſulfuratum, ſed etiam flammam extinguit candelæ. Idque probatur. Qua ſi in cadum ſpatioſum miſeris flammam, tantiſper atque fracedinem vas redolet, vel alioqui fracidæ fæcis aliquantillum continet, exſufflat flammam lychnii aut candelæ. Idem proportionaliter ergo in vitalibus igniculis formalibus intellige. Sic nimirum in cryptis & fodinis facilè necantur homines, odore, & Gas loci. Sic & venenum peſtilens, ſæpè abſque mora vitale lumen perimit. Quia venena ejuſmodi, ſunt poſitiva & exſufflativa, mortalia, non autem privativa. Neque enim alio etymo donari poſſunt, quam quod ſuo Gas virulento efficienter exſufflant, lumen formale, animam ſenſitivam, ſive formam ſubſtantialem vitæ noſtræ. Ideoque inter entia realia locum habent, & quidem potentiſſima.

NATVRA CONTRARIORVM NESCIA.

1. BRuta non erant in Paradiſo, ne homo brutalem copulam videret: ſed maneret innocens pudoris. 2. Ducta ſunt bruta aliunde ad Protoplaſtum in Eden, ut illa nominaret, inde Deum laudaret, & ſe agnoſceret. 3. Qualis ibidem eſſent arbores. 4. Plura individua in ſpeciebus ſingulis creata, non autem in homine. 5. Homo ſemper comedit carnes & de ſacrificiis ipſis, præter Turcas & Calviniſtas. 6. Contemplativa Philoſophia prima flentis Adami. 7. Artium prima Agricultura. 8. Zooſophia altera. 9. Aſtrologia meteorica, Agricultura pediſſequa. 10. Introitus Medicinæ fuit poſtremus. 11. In primis adhuc ſtatur principiis. Galenus introduxit methodum nimis facilem, ideoque ſuſpectam. 12. Indicationem unicam naturalem finxit Galenus, nempè per contraria. 13. Detegitur fraus illius axiomatis. 14. Irriſit Paracelſus, Galenum, ſibi malè conſtans. 15. Malè cenſuit omnem medelam per ſimilia fieri. 16. Semina non operari per contrarietatem: ſed per juſſum, cognitum à priori, ſoli rerum Domino. 17. Neſciunt ſeminum neceſſitates, quorſum dirigantur. 18. Occultatur in contrarietatum axiomate ethniciſmi cæcitas. 19. Notatur Ariſtotelis futilitas, de materia prima. 20. Argumentum ex Ariſtotele, retorquetur in Galenum. 21. Argumenta aliquot idem concludentia. 22. Schola decepta, per metaphoram, & hyperbolem introductam naturam. 23. In elementis, non dari contraria. 24. Summum frigus cum ſummo calore, eodem puncto aëris combinari pacificè, & abſque contrarietate. 25. Rololleum quid. 26. Aqua non fervet per ignem, ratione introductæ contrarietatis. 27. Aqua non extinguit ignem, propter contrarietatem. 28. Ignem non eſſe ſubſtantiam, probatur de elementis. 29. Humiditas & ſiccitas, qualitates vix intelligibiles, in abſtracto. 30. Nec ſunt Rolollea, per modum caloris & frigoris. 31. Humidi cum ſicco, non eſſe radicalem commiſtionem. 32. Vnica quæſtio Anthoris, propoſita omnibus Doctis, temperiem elementorum in miſto credentibus. 33. Elementa, non eſſe invicem contraria. 34. Elementa non ſe invicem abſumere. 35. Elementa non pugnare. 36. Res inanimes, non habere contrarietatem. 37. Actio Naturæ contrarietatis expers, probatur de fide: dein per aliquot argumenta. 38. Idem oſtenditur in aliis rebus.

39. Quid ſit Natura. 40. Nomen Criſeos impertinens. 41. Notatur Paracelſus, quod remedium velit operari propter ſimilitudinem. 42. In quo ſit ſita vis medicaminis. 43. Quare necat fames. 44. Quæ requiruntur pro medela. 45. Refutatur Paracelſi doctrina. 46. Objecto futilis. 47. Peccatum non opponitur virtuti, ſimpliciter, privativo modo. 48. Venenum rabientis, ſerpentum, tauri, &c. non habere contrarietatem amplius cauſarum, unde fiunt. 49. Declaratio præcedentium.

Integritatem Naturæ jam ſat contemplatus, dein paulatim deſcendi in ejuſdem defectus, & alteritates, dum rem medicam attingo. Oſtendi nimirum, non eſſe elementa quatuor, in natura, atque inprimis Ignem, nec accidentis, imo nec ſubſtantiæ quidditatem habere, multominus elementi naturam. Quocirca elementorum ac complexionum quaternarium diſruptum, & fruſtraneum: Ideoque quatuor humorum coactam adaptationem. Adeo ut quanquam hinc ſatis manifeſtum ſit, morborum cauſas & eſſentiam in Scholis intacta fuiſſe: Idipſum tamen ex illarum theſibus, peculiari capite alibi demonſtrare volui. Hoc loco autem demonſtrabo, quod natura neſciat, itemque
1 nec admittat ſuo voto contraria. Initio creavit Deus cœlum & terram, ac quicquid univerſo continetur. Virum autem conſtituit in Paradiſo, poſtquam eſſet creatus. Nec etenim leonem habebat ſecum, ovem, tigremve ſibi contrariam, aut lupum comitem: nec demum aliud animal, quod ſibi aut fructibus Eden inſidiaretur. Imo, nec voluit Omnipotens, quod homo ſexualem brutorum copulam cerneret, quem in puritatis innocentia vivere optabat, (ut alibi de vita longa:) Sed adduxit Deus de animantibus ſingulis ad Adam, unum ſaltem de quaque ſpecie, etiam è remotiſſimis Terræ oris (ſiquidem Rangifer non niſi ſuo climate ſuperſtes remanet) ut Adam propria illis nomina daret. Aſt non tanti erat nomen dare brutis, ut Deus, abſque ulteriori fine, hæc Adamo
2 nominando ſubſterneret. Sed iſtud eſt factum, ut noſceret ſcientiam rerum cunctarum ſibi gratis divinitus datam, utque tantæ molis arbitrium, pro tot beneficiis, conſtanter in ſpiritu adoraret. Nam ex quo bruta omnia, juxta propriam cujuſque naturam nominabat, ſua ipſius cognitio quoque includebatur. Quæ apex eſt Sapientiæ. Noverat namque ſe penitus (non brutum quidem ſe) divinitatis non inconcinnam atque immortalem imaginem. Igitur primariò propter Dei honorem, allata ſunt illi undecunque bruta: ac dein propter ſui utilitatem, ut per abnegationem brutorum, quæ antè non viderat, ſui ipſius cognitionem hauriret, ſicque Tentatoris ludibriis cederet. Bruta nomenclaturis carere poterant, ubi præſertim, ſe invicem nominare non debebant unum, quoque alterum ex nomine cognoſcere aut cognationem æſtimare, non requirebatur. Sunt ergo denuo poſt appellationem, ſingula reſtituta ſuis natalibus locis. Deerat enim homini cruentum ex cæſis animantibus epulum: ſed beneplacitum creatoris tulit, illi concedere fructus lignorum. Ibi tunc arbor quæque, perpetua fronde 3
virebat florem, ſucceſſivum gerebat, fructum denique perpetuum, non verminoſum nec ante maturitatem deciduum, uti neque florem effœtum proferebat. Iſta nempe in Paradiſo, quotidiana erat vegetabilium propago, voluptas, luxuria, ac felix ubertas. Prout enim herbæ cibis aptæ, nobis ſunt cerealia, legumina, olera, & aromata: Ibi arbores quoque unum ex iſtis, ſi non quatuor ſimul, aut aliquot connexa proferebant. Multiplex ſiquidem glans ibidem cerealia referebat diverſa. Oliva & nuces totidem notabant legumina. Prout & poma, totidem olera. Arbores quoque aromatum matres, herbas condimentis aptas exhibebant. Atque tandem, multa ſtabant connexa, ſub ſpecie unica, prout & nunc pomum, oleoſo nucleo ſubinde conſtat. Cuncta nimirum ſenſibus humanis adulabantur. At poſtquam hominis Majeſtas, ob prævaricationem, caſſa, ipſique natura jam eſſet polluta, debebat eadem die mori; ſtetiſſetque latæ ſententiæ vigor, niſi is, per quem facta ſunt omnia, ſe vadem oppignoraſſet coram eo, qui fecit omnia, ſe in temporum plenitudine, oppetiturum pro homine, ut ſui juſtitiam amor oſcularetur. Vnde pax. Ejiciendus extra Paradiſum homo in terram, ubi ligna occurrerunt ſteriliora, nec ciborum continuæ neceſſitati ſufficientia. Sed priuſquam abigendus erat, cum ipſum jam ſuæ nuditatis puderet, Deus utrumque induit tunicis pelliceis. Magnus nimirum ille Sacerdos & Agnus, hoſtia immaculata immolatus, ab origine ſuæ ſponſionis amoroſæ, in myſterium, Qui ideo duos ſine labe agnos, Patri æterno immolavit coram homine. Vnum quidem in holocauſtum ſuæ futuræ paſſionis. Alterum quoque ſine oſſium comminutione, partim ſacrificandum, partimque edendum, in hoſtiam pacis, utrique dedit

homini, ut à condito mundo Agnus in juge
Sacrificium, hoſtia, atque ferculum foret, unus
& idem. Quorum Agnorum pellibus amicti
ſunt parentes. Quem primum litandi tenorem,
4 deinceps imitata eſt gentilitas. Quamvis in Ar-
cam, duo ſaltem ſexus cujuſque ſpeciei, conju-
ges ingrederentur: non tamen per annum jeju-
navit Leo, ut primam gregis ſpem, ſimul cum
pardo, atque lupo divideret; iterumque dein-
ceps per annum abſtinuiſſet. Terram enim ſuf-
ficienti numero replevit Dominus, quæ antè
inanis & vacua. Neque enim quicquam defe-
ctuoſum eſſe voluit. Prout mare, individuorum
multitudine, ita & terram pluralitate brutorum
individuorum ditavit. Etenim quanquam ſpon-
tè bina tantum intrarent animalia: aſſumſit ta-
men Noah ex mandato Domini cibos pro ſe,
& aliis neceſſarios. Futilis ergo quæſtio, cur ho-
5 diè plures oves, quam lupi: Habuit ergo homo
ab initio carnes, quibus veſceretur & ſacrifica-
ret: fuitque vel ab exordio mundi, ſacrifican-
di ritus, ut de immolato ederent ſacrificantes.
Deficiuntque hodiè ſoli Mahometani, & Calvi-
niſtæ, tanquam Sacrificio deſtituti. Cedant id-
eò qui ſcribunt, mortales ante diluvium carni-
bus veſci inſolitos: quia ſcriptum eſſet. *Carnes
deinceps olerum inſtar erunt*. Fruſtra alioqui
namque Abel gregem & armenta duxiſſet, nec
cecidiſſet alter in venatione ferarum, & Nem-
roth nomen vanum haberet. Credam itaque,
mortales beſtiis tam domeſticis, quam feris u-
ſos: vix tamen piſcibus, ante diluvium. Eo
quod tum unicus fons totam irrigaret terram,
ſtaretque mare, altera parte globi, cujus altera
medietas dicebatur arida. Adeoque piſces ſo-
lius maris erant, dum totus mundus indiviſum
erat continens: in cujus meditullio, unicus
fons totam irrigabat terram in quatuor diviſus
flumina. Nondum ideo Lintres aut Scaphæ
enotuerant, ſic piſcatio in mari inſueta. Nec et-
iam habitatio hominum litora colebat. Nam
Agricolis unicum terrarum, vaſtumque conti-
nens, ſat voluptatum dabat, ut ſterile pelagus
mille tempeſtatibus horridum deteſtarentur.
1. *Geneſ. cap. v.* 28. Homini primum datum
maris dominium legitur, dein ſuper volucres
cœli, ac tertio ſuper omnia animantia, quæ
ſe movent ſuper terram. Tamen ubi de cibis
ſermo eſt. 1. *c. v.* 29. Omnis herba & arbor, in
cibum data eſt. Et 1. *c. v.* 30. Omnia animan-
tia terræ & volucres cœli, & quidquid move-
tur ſuper terram, habens animam viventem,
datur hominibus, ut haberent quod ederent.
Nuſquam tamen piſces leguntur conceſſi, ut
neque piſces maris ad Adamum tranſlatos, ſua
ut ſortirentur nomina. E quibus ſtatim ob-
vium eſt, non fuiſſe herbas, arbores, aut re-
ptilia ulla, homini contraria, aut in medicamen-
tum exterminii. Reſtrictio item pro volucri-
bus, & quæ ſe movent ſuper terram, piſces ex-
cludit. Quapropter ut à diluvio, ſectione unius
continentis, fontes, & cataractæ, ſeſe ex imo
fundo diffuderunt, piſces, delabentium aqua-
rum dulcedine allecti, aliquot in fluviis & palu-
ſtribus manſere: Aliis interim nova diluvii per-
miſtione & licentia è mari adſcendentibus. Pi-
ſces itaque carnes ſunto: licet homini antè inu-
ſitatæ. Carnes inquam, quæ olerum inſtar dein-
ceps à diluvio forent. Alioqui caro volatilium
non olerum, ſed cerealium vices rependebat, ut
quadrupedia jam dudum ab initio leguminum
locum ſuppleverant. Protoplaſtus itaque in ter- 6
ram proſcriptus ærumnarum, tædii ac pœni-
tentiæ plenis, ampliſſimorum ſæculorum o-
tio, ſenſit naturam ſuam, jam corruptione de-
fœdatam, atque conſervationis indigam: De-
nique ut eſt neceſſitas ingeniorum ac inventio-
num mater, meditari cœpit, qua ratione in-
teſtinis vitæ calamitatibus, atque imprimis me-
teori injuriis occurri poſſet. In quo labore, fi-
liorum ſuorum natu major, cepit frugum na-
tivitates, felices, atque infauſtos proventus
perpendere. Vnde prima Philoſophia, Agri- 7
cultura fuit. Alter quoque, proprietates & ſo-
cietates animalium notavit, gregis unde indu-
bitata ſpe, tranquilla vita ducitur. Hæc fuit ſci-
licet Zooſophia. At deinceps uberiorem pro- 8
greſſum facientes poſteri, decreta ſiderum, cum
priorum obſervationibus, nectentes, denuncia-
tas rerum viciſſitudinis utili, & jucunda admi-
ratione adnotarunt. Pediſſequa ergo Agricul- 9
turæ ſic ſurrexit Aſtrologia. Veruntamen natu- 10
ralium diſpenſationes prorſus obſcuræ manſe-
runt; uti & inter omnes, ſui ipſius notitia, cun-
ctarum eſt poſtrema atque difficillima. Morbo-
rum verò generationes, remedia & ſanationes
(quæ adhuc tum erant rariſſima) longè erant
obſcuriora. Primum namque, quiſque remedia,
quæ ſibi profuerant ſine invidia, in medium
adferebat. Primus autem Hippocrates ſuas ob-
ſervationes in calamum depoſuit: in quo labore
divinam, quam non noverat, opem ſenſit. Ga-
lenus autem, vanas amorum nubes, tanquam
aquilo, ſibi diſperſiſſe viſus, multaque unde-
cunque ſuffuratus, Theoremata elementorum,
primarum qualitatum, complexionum, & hu-
morum

morum erexiſſe, gloriatus eſt. Hiſque cuncta
naturæ tam ſanæ, quàm invalidæ opera & fortunas
dicavit. Quæ pòſt Græca Gens opulenter
adauxit. Quibus hypotheſibus, Mauritani,
11 ad palmam contendentes, laxa ſuperſtruxerunt
experimenta. Hæc itaque fuit naſcentis Medicinæ
origo & ſors; hique inventores. In his
demum ſtatum, nec progreſſum eſt deinceps.
Galenus ab Antiquioribus admonitus, advertens
ignem per aquam extingui, & aquam igne
calefactam evaneſcere, leporem ſe auribus tenere
ratus, omnes propemodum morbos, eorundemque
remedia, in primis iſtis corporibus,
eorumque qualitatibus audenter conſtituit.
Dixit namque ignem aquæ hoſtilem & viciſſim.
Vnde decreto univerſali ſanxit, in nobis
congreſſum quatuor elementorum, invicem
continuo in nobis bello pugnantium & contrariorum
in nobis continuam. Atque inexcuſabilem
velitari luctam. Quare etſi foris laceſſeret
nihil, foretamen, ut quandoque intemperies,
ſive morbus atque ruina, ſpontè adveniant.
Mors inquam, ex compoſitionis elementalis
neceſſitate, erumperet. Hoc in Galeno
quidem fuit connivendum. At non in Chriſtianis:
ſi non doceant, in Adamo parem compoſitionis
neceſſitatem fuiſſe antè, quæ fuit poſt
peccatum. Si nempè Adami compoſitio, è quatuor
dimicantibus elementis connexa ſtaret.
Statuunt itaque Scholæ omnes, ſola contraria
contrariorum fore remedia. Quibus videlicet
omnis exceſſus (nomine morbi inſignitus) in
ſymmetriam redigeretur. Plauſibilis iſta & ſtupida
doctrina placuit facilè omnibus, in ignaviam
ſubſcribendi pronis. Quippe, quæ ſenſu
ruſtico, magno compendio, & paſſim à quolibet
facile conciperetur: atque hinc ideo avidiſſimè
eſt imbibita. Galenus interim, quantumvis amputationem,
vel reſectionem noſceret enti nato,
privativè oppoſitam: attamen non addubitavit
partium vel humorum ablationem, reſpectu
membrorum, redigere ad ſeriem contrariorum.
Neglexitque privationum familiam, ceu
adultero congreſſu natam. Hinc univerſum
quæcunque numero, ſitu, magnitudine, proportione,
affluxu, vel effluxu, diſſentirent, à debito
ordine aſſumſit, tanquam ſi eſſent contraria, ut
fatuæ ſuæ Regulæ ſtabilitatem faceret. Quaſi
Medicina non operaretur phyſicè; ſed per ſolam
12 ſtaret Matheſin. Hinc tandem abſurdo generaliſſimo,
indicationes naturales morborum, per ſolas
contrariorum oppoſitiones fieri dictavit. Axiomatibus
enim ſuis neceſſitates ſubſervire
voluit: non autem axiomata, neceſſitatibus conformia
erexit. Quæ ruinam proinde facere jubentur,
quotquot ad tantæ ignorantiæ lubitum,
efficta propinantur. Manet itaque hactenus à
Scholis & vulgo adorata maxima, univerſalis
velut medendi apex, quæ per contrarietates, id
eſt, per rixas, lites, bella, pugnam, criſeſque, ſanandi
tritam orbitam conſignant. Sic enim creditum,
ſic factum, fictumque eſt hactenus, atque
id tam extra controverſiam: quod nil æquè
cenſeatur plauſibile & ſubſcribendo pronum,
ſuaque intelligendi facilitate, oblectando & abripiendo
incautum quemlibet decipiat. At cognitio 13
cauſarum atque ſanandi radices, longe
occultiori ſtipite creſcunt, quam quod vulgus
ruſtico ſenſu flores earundem decerpat. Nec
conſideravit Galenus, quod unum contrariorum,
toties prædicari oporteret, (juxta Ariſtotelem)
quoties alterum, eo quod utrumque ſtaret
ſub eodem genere, parilique privilegio gauderet.
Quocirca neque inveſtigavit unquam,
quodnam eſſet illud genus, ſub quo ſtaret poſitiva
frigiditas, ſive frigus, contrarium calori
putrido tam multiplici, quot febrium finxit ſpecies.
Nimirum ubi reperiret frigus, maligno, putrido,
hecticoque calori contrarium. Totidemque
paſſuum exceſſibus calori repugnans. Quæve
iſta eſſet ſingularis, & individua frigoris actio,
tam diverſorum graduum, atq; ſpecierum,
quibus totidem calores ſubjugari, ad ſymmetriam
cogerentur. Quod ſanè quamdiu neglectum
à Galenicis fuit: etiam remedium cuique
febri juſtum, manſit ignoratum, adhibitaque
fuerunt remedia, à conjectura & caſu præſcripta.
Anguſtiis nempè Galenicis utrobique, ſua ſubjacent 14
mendacia in mortalium necem conſpirantia.
Irriſit quidem Galenum Paracelſus, Helvetico
ſarcaſmo, licet ſubinde ad eandem methodum
coactus recurrat, ſuæ increpationis continuæ
immemor. Coagulata nempe, non raro reſolutis,
& reſolventibus contraria, eſſe voluit: imo
multoties ad exploſas intemperies elementales,
incoactus recurrit. Tandem fervore contradicendi,
omnium medelam conſtituit in ſimilitudine
tam naturæ, quam cauſarum morbificarum,
cum ipſo remedio. Indiſtinctionis ſcil.
plenus ubique. Ego verò ſub libertate Philoſophica, 15
nemini addictus magiſtro, ſentio: quod ſi
ablatione cauſarum, omnis inde affectuum connexitas
amputetur; omnem morborum ſanationem,
eadem quoque cauſarum lege, definiri
debere. Adeo quod correctio, ablatio, extinctioque
efficientis immediati (quæ privationem

effectus inde conſequentis, intra ſe adæquatè
claudant)potiſſimum in medendo carnem continerent.
Non autem ſimilitudines,ut neque remediorum
contrarietates. Inprimis morborum
producta (puta calculum, uti in ſe, ſuum agens,
in ſe coagulatum, retinent: ita quoque ablatione
ſolius effectus, perſæpè ſanari. Quia ſimul
quandoque tollitur connexio cauſæ internæ,
ſive immediati efficientis, cum materia ſua.
Adde his, quod ſola ſolutio connexitatis, efficientis
ad materiam: adeoque luxata, vel laxata
adaptio,extinctioque, & pacatio privativæ perturbationis
in Archeo (quæ in ſe nonnunquam
meram privationem includunt) totam non raro
ſanandi hiſtoriam compleant, abſque ulla
contrarietate,vel ſimilitudine remedii, ad cauſas
occaſionales. Quod ipſum meminiſſe debuiſſet
Paracelſus, ſi ad ſua ſemel reſpexiſſet arcana.
Animadvertiſſet namque citò, unum aliquod
iſtorum, omnes propemodùm morbos
ex æquo profligare,citra relationem ullam ſimilitudinis,
aut contrarietatis: at ſolius tincturæ
vitalis irroratione, dono, arcano, id eſt ſuper
affluentia bonitatis. Enimvero quicquid in natura
fit, aut naſcitur, fit ex neceſſitate ſeminum
16 efficientium. Semina autem ipſa nullatenus
operantur ob ſcopum ſimilitudinis, aut
contrarietatis (ut alioqui vulgo putatur) ſed
duntaxat,quia ſic ſunt juſſa operari à rerum Domino,
qui ſolus ſcientias, fines, ſeminibus dedit,
17 ſibi ſoli cognitos à priori. Alioqui ſemina
vadunt, & quorſum, neſciunt: ſeſeque dirigunt
quidem, tanquam ſcientia pollerent, ſed tendunt
per media ſibi conceſſa, ad fines ſibi ignotos.
Vocamus namque impropriè medicaminum
intentiones,aut naturæ ſcopos. non quod
ſibi ab initio ſcopum præfixerint, tanquam ſi
mente & præſcientia pollerent: Verum quod
ex dono creato, nata ſint ſua directione ſpontè
ac naturaliter defluere, ad ejuſmodi fines, Deo
cognitos. Hoc namque ſic dictat Chriſtiana
Philoſophia, ignorat autem Schola ethnica.
18 Itaque vel in lumine, admiror Scholarum auſum,
quæ entia naturæ ſeminalia, non agnovere
in morbis: qualitateſque entium per ſe ſubſiſtentium,
& morboſorum loco ſubſtituere,æſtimandas
nihilominus voluere, per modum arbitrii,
ſenſuum, ac thymoſis, quatenus antipathias,
ac contrarietates, proprio impetu poſſiderent.
Equidem ſic aſſuevi philoſophari,ut res
ipſas, ex radicali fundamento, juxta cotem ſacræ
veritatis, quàm proximè liceret humanis
ingeniis, dimetiri cuperem, Vt ergo oſtendam
contrarietatis theſes, meros continere in naturam
ſolœciſmos, prius advertendum eſt: futile 19
Ariſtotelis tuliſſe inventum, materiam pro generationis
ſubjecto proſtituere, tam in natura
integra,quam corrupta (ſcil. ægritudine morbi)
omni prorſus accidente privam (feliciter ſic
nempe incipit à duplici accidentium, & formarum
omnimoda privatione, pro rerum primordiali
initio.) Omne idcirco accidens, tam
innatum, quam ſuperveniens, conſequenter
quoque dependere, atque profluere è formarum
gremio. Sic quidem ut à forma cujuſque 20
præludio, in Archeo omnis activitas, tam materiæ
quam accidentium,dependeat neceſſariò:
interim Scholæ ab hoc Ariſtotele edoctæ (ſuſtinent
etiamnum hodie) ſubſtantiis tam materialibus,
quam formalibus, nil eſſe poſſe contrarium.
Non video ergo, unde accidentia
ſuam ſibi contrarietatem mendicabunt, præcipuè
quæ ſunt nuda, immediata,atque mera formarum
ſuarum organa? Vnde enim hauſiſſent
ſuam contrarietatem, quorum materia & forma,
(totalia nimirum accidentium principia)
omnem à ſe procul contrarietatem repellunt.
Potiſſimum, quod accidentia in ſe conſiderata,
non tam ſunt entia, quam entium; adeoque ex
ſe ſint nihil, nihil operentur aut valeant. Neceſſe 21
eſt ergo, ſi in natura aliqua ſit contrarietatis
intentio, eam primariò eſſe, in principio activo,
id eſt, in ſinu formarum. Adeo quod vel
hactenus formæ ipſæ (quas tamen abſque controverſia
in numerum ſubſtantiarum relegarunt)
ſibi invicem eſſent actualiter & potentialiter
contrariæ primitivo jure. Conſequenter
quoque falſum eſſe Scholarum axioma, Quod
Subſtantiis nihil ſit contrarium. Vel oportet accidentia
eandem contrarietatem habere independentem
à formis: atque ex ſui propria natura,
extra & contra poſſibilitatem formarum.
Id eſt, non eſſe media immediata, producta, &
organa formarum: ſed ex ſe oriri, ſtare, perſeverare
& agere, etiam invitis formis, extra &
præter formas. Eſſe inquam entia independentia,
& non amplius entium. Vel tertio tandem
fatendum mecum, nullam eſſe in natura contrarietatem,
præterquam inter agentia libera &
electiva. Addo. Si contrariorum paritas ſubſiſtat,
juxta præfatum axioma: neceſſe eſt, relationem
fundandæ relationis, inter contraria,
dependere à radice ſubſtantiali, ſive à radicali
contrarietatum reſpectu, & intima proportionis
adæquatione penitiſſimè præſente. Quod
eſt dixiſſe. Eſſentiam fundandæ relationis contrarie-

trarietatum (priorem alioqui quam ſit ipſa for-
marum exſiſtentia) ſitam omnino, in ipſo pe-
nitiſſimo ſubſtantiali formarum principio, con-
trarietatis omnino incapace. Idque ſive Deum
ipſum, ſive aliam ſubſtantiam creatam ſpectes.
Adeoque eſt neceſſum, contrarietatem in na-
tura includere contradictionem, in ſuis & Phi-
loſophiæ initiis. Sin autem hæc, prout ſuper-
naturaliter, & in Deo conſideres, non idcirco
contrariantur etiam. Adeoque nec à Deo in na-
turam fluent ut contraria. Et hoc ipſum dico.
Vrgeo & ulterius. Si unum contrariorum di-
catur totidem modis, quoties & alterum: ne-
que formis ſubſtantialibus quicquam ſit contra-
rium. Ergo nulla quoque eſt amicitia, ſymbo-
lizatio vel ſimilitudo inter formas. Quod eſt
falſum. Siquidem hinc conſtat indelebilis cha-
racter rerum, quod à Deo pacis amatore creata
ſint univerſa. Etenim poſtquam melioribus ini-
tiis me erudiendum ſubjeci, ſerio cognovi, ſi-
ve ſubſtantias, ſive demum accidentia intuerer,
nullam in natura eſſe contrarietatem, niſi inter
entia iraſcibilia & motiva viventia. Tantum ab-
eſt, quod cujuſlibet agentis actio in patiens, tan-
tum procederet à termino relationis, contrarii
ad contrarium. Solam itaque reperi contrarie-
tatem, in poteſtate iraſcibili ſenſitivorum, ne-
22 que alibi. Vnde fortaſſis per metaphoram, ſive
hyperbolem impropriam, contrarietas ad cun-
cta mundi individua contorta fuit. Num Scho-
læ, propriam ſentientes diſputandi thymoſin,
meditatæ ſunt, & reliqua ſeminum producta,
pariter non niſi per Iram, actionem nimirum
majoris ad minus, victoris ad victum, robuſtio-
riſque ad debilius, propter contrarietatis rela-
tiones concitari. Axiomatis ergo negativi ſen-
ſus, quo dicitur Subſtantiis nil eſſe contrarium,
æquivalet theſi in titulo hujus capitis præpoſi-
tæ. Nempe Naturam neſcire contraria. Si vis
aliqua contrarietatis eſſet in natura, præter-
quam in iraſcibili ſenſitivorum (de terminis
namque, & relationibus appoſitis Logices, non
loquor) illa certe eſſet in manifeſtis atque pri-
mariis elementorum qualitatibus: ſed in his
23 nulla eſt contrarietas. Ergo nuſquam alibi. Pro-
batur aſſumtum. Eo quod Scholæ primarias con-
trarietates in miſtis deſumant, ex ipſis compo-
nentium elementorum contrarietatibus. Sub-
ſumtum verò probavi alibi hic repetendum: Vir
Iuvenis deſcendens mane ex Alpibus, conti-
nua nive tectis, latere tamen Solem reſpicien-
te, tota cervix, ſibi in ampullas, ſive veſicas fuit
cremata. Eſtque ibidem aër ſummè delectabi-
lis, ac novo velut æthere perfuſus, (diſce in-
terim hinc primum, frigus non eſſe caloris pri-
vativam abſentiam; ſed ens verum.) Ergo ibi-
dem frigus, & calor, intenſa ſimul in eodem
loco, tempore, & ſubjecto aëris, ſeſe compa-
tiuntur. Quod Scholæ non admittent, eſſe poſ-
ſibile in contrariis; Siquidem quæ ſe mutuo de- 24
bellare, frangere, expellere, interimere, & ad
medium, neutrumque ſtatum ducere volunt.
Notandum hic obiter. Ibidem, intenſum fri-
gus hoſpitari immediatè in aëre: intenſum ve-
ro & veſicantem calorem, ibidem eſſe ex parte
luminis: adeoque immediatè in loco ipſo aëris:
in aëre autem mediatè. Sed cum iſte locus pe-
netret aërem, per totam ſui ſubſtantiam: & lo-
cus illuminatus, calefaciat ſimul ipſum aërem,
quem ideo lumen ſimul penetrat: Idcirco in
eodem aëris puncto, eſt intenſus calor, ſimul
cum intenſo frigore. Quorum amborum ne-
xus, gratum, & ſenſui amicabilem teporem
profert, illuſorium tamen. Quia effectus u-
triuſque qualitatis connexæ, prodit intenſio-
nem magnam, ſub illo tepore. Ideoque nec te-
por cauſatur, quatenus ambæ qualitates, æqua-
liter intenſæ, per pugnam contrarietatis ſeſe
confringant, atque reducant in mediam, plau-
ſibilemque ſymmetriam: Sed ſunt ſenſus, &
Scholæ (quæ ſe juxta ſenſualitates, ubique abſ-
que interiore indagine labi ſinunt) rerum natu-
ralium improprii & ruſtici nimis Iudices. Pari-
ter, fervens aqua, infuſa frigidæ, pari propor-
tione, quanquam ſtatim in commiſto teporem
excitent: Vtraque tamen qualitas, intenſo gra-
du, eſt in iſto tepore, non ſecus atque in præfa-
to aëre Alpeſtri: tametſi ſenſus illas non diſtin-
guat. Non eſt enim alias poſſibile, calorem il-
lum aquæ, per graduum momenta acquiſitum,
perire in inſtanti. Imo, nec eſt pugna contra-
riorum, quæ iſtum teporem ſtatim generavit,
ut neque victoria frigoris calorem excellentis,
dum prior calor remittitur: Sed calor in aqua
eſt Relollæum tranſiens, quia violenter intro-
ductum, Ideo namque ceſſante igne, à quo eſt
productus, ſua ſponte, ſtatim minuitur, ceſſat-
que non fotus amplius. Id eſt, Calor in aqua
fervida per minimos ſubjecti ſui atomos divi-
ſus, ſua perit ſponte, non autem à contrarieta-
te victus, expulſivè. Quia Relollæum eſt quali- 25
tas efficiens, non procedens ex fermentis & ſe-
minibus rerum. Eſtque duplex. Vnum videli-
cet in corpore proprio. Alterum verò in alieno.
Inter Relollæa propria ſunt quædam ſeparabi-
lia. Vt frigus in aëre & aqua. Alia verò inſepa-
rabilia.

rabilia. Vt calor in lumine Solis, candelæ, &
ignis. Quæ nunquam frigere poſſunt. Relollæum
alienum eſt violentum, quod ſi non foveatur,
perit ideo per ſua momenta & gradus.
Ideoque dicitur tranſiens; ut eſt calor in aqua.
26 Ergo aër & aqua non calefiunt ab igne, per contrarietatem:
ſed per generationem Relollæi alieni;
quatenus agit, quod ipſi agere eſt juſſum,
27 heteroclito cum ſeminibus agendi modo. Ideoque
nec agit ad, aut propter formam. Pariter,
dum aqua ignem extinguit, vel ignis aquam
in vaporem ſuſtollit, id nequaquam contingit
vi contrarietatis. Quia totus univerſi ignis, ab
unica aquæ gutta, ne vel minimam humiditatem
delere aut minuere poteſt. Quapropter irrita
foret ignis, atque ſtulta contrarietas, ſive
pugna vana ac invalida. Non poſſe autem ullis
ſæculis, per artem aut naturam, aërem in aquam,
aut hanc viciſſim in aërem converti, per
Matheſin, ac ſufficienter aliis modis alibi ſat demonſtravi.
Neque etenim ignis ab aqua extinguitur,
propter frigoris contrarii præſentiam
in aqua. Nam ſic aqua fervens ignem non extingueret.
Crematque ignis fortius ſub flatu &
frigore boreæ, quam auſtri: folliumque frigidiſſimus
flatus, ignem magis accendit. Aqua ergo
ignem perimit: non autem ignis aquam. Ignis
etiam non frigore victus cedit, ſed perit ſuffocatus.
Sicque oleum fervens, primam candentem
28 extinguit. Si ergo contraria debeant eſſe
ſub eodem genere: non poteſt ignis eſſe aquæ
contrarius. Cum ignis non ſit ſubſtantia, pro
ut alibi ſat demonſtravi. Denique ſi eſſent contraria:
eſſent primariò, per ſe ſubſtantialiter &
immediatè contraria tanquam ſimplicia: eoque
dato, deberet eſſe illorum actio par & æqualis
pugna. Quod jam ante falſum oſtendi, prout &
quod ſubſtantiis nil eſt contrarium. Quorum
nempe duorum, ignis nempe & aquæ, intuitu,
Scholæ omnem miſtionum, & complexionum
contrarietatem, finxere in univerſo. Quid igitur
mirum, contrarietatem naturæ, in Scholis
ſomniatam, haberi jam ſuſpectam, cum privativa
ſua contraria ſint abſque contrarietate, paritate,
congreſſu, commiſtione, viriumque conſertione?
29 Porro humiditas & ſiccitas, qualitates
ſunt vix intelligibiles in abſtracto (pro ut alioqui
calor conſideratur in manu, præter aut
extra ignem: imo in ſubjecto ſui in proprio
quale eſt aqua) ſed humiditas, ſiccitaſque, ſunt
potius ipſamet corpora qualitata. Nec ideo acquiruntur
per partes & gradus (ſub pace Scholarum)
per modum qualitatum. Non enim propriè
producitur humiditas: ſed addito corpore
humido ad ſiccum, apponitur plus humidi,
atque ſic impropriè humiditas grandeſcit. Id
eſt: Humiditatis increſcit quantitativè: non
autem qualitativè. Aqua autem ſicceſcit nunquam,
licet oculos fallat evaneſcendo. Prout
de Gas alibi. Denique ſiccum, ſonat propriè exſuccum,
continetque negationem duntaxat
humidi. Ac licet admiſtione ſicci, aqua videatur
minui in luto, aqua tamen ſemper ſuam
ſervat intrinſecam humiditatem. Vt & corpus
ſiccum pariter ſuam ſiccitatem. Quippe illorum
non eſt in radice commiſtio penetrativa:
at ſola partium appoſitio. Humiditas ergo & ſiccitas
ſic obligantur corpori, ut nullatenus ab
illo queant diſtingui. Ac proinde non ſunt Relollæa 30
per modum caloris & frigoris, quæ gradatim
introducuntur. Aqua tota in halitum quidem
evaneſcit: nunquam tamen vel minutum
ſiccitatis aſſumit. Sin autem ex farina & aqua,
puls aut panis fiant, ac tandem concepta fermentalis
ſeminis natura in lapidem tranſeant:
coagulata tamen ſunt quidem iſthæc, quæ humiditatem
aquæ priſtinam tegunt & obvelant:
At tandem priſtina aqua inde repetitur. Non
eſt enim exſiccata, nec periit: licet ſit coagulata
à ſemine rerum. Alibi namque demonſtravi
mechanicè & mathematicè, omnia corpora ſolida
ex ſola aqua eſſe, nec congreſſum aliorum
elementorum admittere. Sive: Omne corpus
tangibile reſolvi tandem in aquam ſimplicem elementalem,
qualis per pluviam decidit, imo
ſuo corpori prius ſolido æquiponderantem.
Quod unicum caput omnem deſtruit elementorum
compaginem, temperiem, qualitatumque
inteſtinum atque indefinens bellum in
nobis. Quapropter oportet Scholas, alias omnino
morborum cauſas indagare. Quæ per
inaudita Phyſices initia declaravi. Admirandæ
ergo ſtoliditatis eſt, humiditatem per gradus
advenire, remiſſamque item humiditatem &
ſiccitatem in elementis ſomniaſſe. Atque adeo
immane eſt figmentum, hujuſmodi ſtupida ſomnia
in morborum ac ſanationum familias introduxiſſe,
iiſque fidenter totam ſuperſtruxiſſe
Medendi baſin. Adeo ut per claſſes integras humiditatum
ſiccitatumque, tam per agnationem
mutuam, quam per caloris atque frigoris lenocinia
nupſiſſe invicem. Vnicam videlicet ob
culpam, ut ſuis temperamentorum vanitatibus
ſupellectilem ſubminiſtrarent Iuge proximi. Ignaræ 31
penitus, quod humidi cum ſicco nulla
ſit in natura penetratio, unio radicalis commi-

ſtio, vel radicalis temperies qua ſe invicem interſecent
32 in ſinu formali. Vnamque ſaltem quæſtionem,
per me alibi reſolutam, omnibus,
quotquot hactenus contraria elementa confluere,
in corporum (quæ miſta creduntur) conſtitutionem
rentur propono. Scilicet cum ſupponant
duo gravia, aquam ſcilicet & terram, ac
duo levia; Itemque ſupponant impoſſibilem in
natura corporum penetrationem: Tertiò quoque
ſupponant, Aurum, abſque controverſia eſſe
corpus miſtum, à præfatorum elementorum
reali connubio: quomodo fieri poſſit, ut aurum
præponderet aquæ ad minimum decies ſexies?
Nam ſi in auro ſint partes aëris & ignis, anatica
& æquali temperie miſtæ: (Id namque prorſus
neceſſarium aſſerunt, cum ex æqua elementorum
quatuor miſtura, auri perpetuam permanentiam
in ſumma ignium tortura collocent.)
Ergo aqua & terra, in auro conſtituto, ad minimum
præponderabunt trigeſies bis ſuæ materiæ,
unde aurum conſurgit. Ergone terra ſeipſam
penetrabit, ad minimum trigeſies bis, dum ex
illa aurum fit? Itaque cum infallibiliter ipſum
pondus prodat corpus ponderoſum, nec pondus
prorſus conſiſtat ex nihilo, oportet mihi
reſolvant hanc quæſtionem, priuſquam me ad
ſuam contraxerint opinionem, de elementorum
miſtionibus. Mihi interim locus erit oſtendere
mechanicè, corpora ſolida & ponderoſa dare ex
ſe æquiponderantem aquam, omnimodo guſtu
orbatam, Nec in natura eſſe elementum, ut nec
elementa ullo unquam artificio aut naturæ conatu,
poſſe in unitatem formalem connecti. Hæc
jam ſupra fuſius. Surdum eſt ergo doctrinæ genus,
33 quod elementa quatuor ſint contraria; quæ
confluant ad aliorum (quæ miſta hactenus fallaciter
ſunt putata) compoſitionem; pugnentque
etiam in talibus miſtis, quibus clauduntur,
non ſecus ac in ſui ſimplicitate, ob contrarietates:
quodque ideo ſe mutuò conficiant bello inceſſanti,
totieſque à privatione reſurgant immediatè,
ſe mutuò devorent, atque rurſus evomant.
34 Non tolerandus eſt iſte Scholarum ſtupor,
quo ſibi invicem in his nugis abſque ſcrupulo
ſubſcribunt, non inquirentium, quiſnam
ille appetitus eſſet in elemento, ſeipſum ampliandi?
quiſve motus, ſupra terminum à Creatore
ſibi ſemel conſtitutum? Nam inprimis non
eſt ulla fames, ſitis, penuria, vel ſimile aliquid
defectuoſum, cui à creatione ſubeſſent. Nec
etiam patiuntur defectus, multo minus ſenſationem
defectuum. Cum unumquodque in ſe
ſit primum & ſimplex, nec admittat connubia,
nec abſumatur per alimentationes, perque ſui
commutationem excrementa habeat aut ejiciat,
nec rubiginem patiatur, nec degeneret fatiſcendo
in aliquod corpus ſe purius, ſe prius, ſe
ſimplicius. Deeſt itaque neceſſitas, qua elementa
ſe hoſtiliter conſumant. Nam vidit Deus,
quæcunque fecerat, erant bona. Si ergo duo bona 35
pugnarent invicem: ſaltem iſta pugna non
poſſet non eſſe magnum & continuum malum,
cujus Author eſſet Creator ipſe. Sequeretur enim
inde, quod talis elementorum proprietas
non eſſet ex Deo, neque ex peccato: ergo ex aliquo
majore, quam ſit Deus. Sin autem dicantur
elementa ſic à Deo creata, ut unum continuò
aliud commutaret in ſui naturam: non quidem
ob hoſtilitatem mutuam; ſed propter neceſſitatem
nutritionis. Quanquam ridiculum præſupponat;
habeo tamen optatum: nempe contrariorum
ablationem. Itaq; vanum eſt ſubterfugium
& falſum commentum Siquidem iſta ſuppoſitio
nequit ſimul ſubſiſtere cum ipſa theſi. Nam
ſuppoſita illa excuſatione, neceſſe eſſet fore pugnam,
& reſiſtentiam. Alioqui unum elementum,
ſtatim totum ſibi contiguum aliud in ſe
converteret. Quoniam non eſt ſuperandi difficultas,
ubi nulla pugnæ aut reſiſtentiæ eſt neceſſitas.
Quoniam unaquælibet pars elementi, haberet
eandem paſſionem, motum, & deſiderium,
ad conſumendum ſibi vicinum, qualia in
partibus ſibi agnatis ſupponuntur. Atque adeò
proinde intenderentur in immenſum iſtæ activitates,
ut facili negotio ſtatimque ſubſtratum ſibi
elementum, abſque reactione in ſui naturam
converteret: Hæcque ſic converſa, deinceps inceſſanter
alia atque alia ſubſequenter. Saltem aër
ille ſupremus, quique longiſſimè ab aqua diſtat
remotus, tædioſiſſima & longiſſima ſiti preſſus,
periiſſet jamdudum, aut ſaltem tædio langueret,
alimento naturali orbatus. Itaque utut hæc excuſentur:
ſaltem creaturæ eſſent ordinatæ à Deo,
cum appetitu turbandi ordinem, atque harmoniam
univerſi & primæ ſuæ conſtitutionis; introducendi
ſcil. diſſolutionem, & diſproportionem
primam, ſuperando, perimendo & in ſe
tranſmutando vicinum. Profecto fragilitates humanæ
ſunt harum fabularum inventrices, introductæ
à Scholis paganicis. Quia per ignorantiam 36
ipſius naturæ, vulgus introduxit leges, confuſiones,
contrarietates, pugnas, hoſtilitates, reductiones,
atque iteratas reſurrectiones, ut homines
ſuam iraſcibilem excuſarent & accommodarent
rebus illa carentibus. Æſtimarunt nimirum
Scholæ, ſimulque ab his fallaciter edoctum

vulgus, in natura, majus, glorioſius, & melius eſſe vincere, quàm vinci: pares ſubigere, quàm ſubigi. Deus verò aliter nos docuit. In naturæ ſcil. apice, glorioſius eſſe pati, quàm inferre injuriam: vinci à fortiori eſſe beatius, quàm dejeciſſe infirmiorem. Cumque Deus in ſuis æſtimationibus errare nequeat, Hinc Scholarum & Vulgi æſtimationes, non à veritate naturæ: at ſanè à thymoſi ac fragilitate noſtra dimanarunt. Ideoque erroneæ & abuſivæ ſunt, quatenus oppoſitæ Divinis judiciis. Nec etiam, quæ in homine contemnit Deus, poterit in legis ſimplicitate, & naturæ neceſſitate, tanquam glorioſa laudare. Verum ſi ulla, in rebus ſenſu carentibus, eſſet vera contrarietas: rectè cenſuiſſent, quod illa neceſſariò ſurgat ac præſupponat conceptum odii & hoſtilitatis, in primis ſuis atque formalibus initiis radicaliter ſigillatum: ratione cujus, Agens, ex propria philautia, ſibi concitaret odium in patiens: vel iſtud odium haberet ſibi ſingulariter à natura inditam (propter repugnantiam) diſſimilitudinem & alteritatis niſum. Idque quoquo modo ſumatur, eſt fateri in formis ſubſtantialibus radicales, ſeminales, atque medullares contrarietates. Adeoque ſubſtantias ipſas eſſe immediatè ſibi invicem contrarias: niſi malint 37 negare, formas eſſe ſubſtantias. Ego verò paratus ſum docere, naturam agere univerſa, per medias ſuas proprietates: nullo ſibi propoſito ſcopo contrarietatis, odii, aut pugnæ. Siquidem ex fide primò verum credimus, Deum eſſe Authorem & Rectorem aſſiduum naturæ: ſuamque creaturam ubique in bonitate, quantum poteſt, exprimere, atque teſtari. Denique, Deum eſſe fontale initium amoris, concordiæ atque pacis: odiſſe quoque diſcordias & contrarietates adeo, ut ſi potuerit univerſum condere abſque rixis & contrarietatibus; id feciſſe extra dubium ſit. Atqui idipſum potuit aptiſſime: quia Omnipotens eſt, & fecit omnia ut voluit: ergo etiam fecit. Subſumtum patet: quia nil ipſi reluctari potuit, niſi quod voluit liberum facere: ſed rerum ſemina, ſive agentia naturæ, non donavit libertate volendi: Ergo neque agentia naturæ, reluctari DEO non potuerunt. Et per conſequens fecit agentia naturæ juxta beneplacitum ſui amoris, bonitatis, & pacis. Sic namque dum cibum ſumo, nunquam invenio in me contrarietatem, ut neque in cibis. Sin verò copia aut qualitas me offenderint; defectum quidem in me experior: non autem contrarietatem. Siqui[illegible] averſatur caſeum, non arguit contrarietatem: ſed ſeminalem diſpoſitionem, nocuum quiddam operantem: vi ſeminali, à Deo directa. Etenim propter neceſſarias in rebus viciſſitudines, haud lubet nobis qualitates quaſlibet nocuas, vocare hoſtilitates, atque inimicitias rerum. Quippe in Philoſophia propriè loquendum eſt: ubi verba aliàs ſenſum mutant, rerumque eſſentias alienant: atque potiſſimum ubi inde tota medendi craſis, in perniciem humanam diſtorta eſt. Contrarietas namque, nedum vultum naturæ, totidem vitiis conſpurcat, quot ſunt rerum Agentia & proprietates: verùm etiam ipſum naturæ Parentem videtur accuſaſſe, quaſi odii rixarumque factorem, fautoremque: Adeoque totus Vniverſus, tantum eſſet hoſtilitatis hoſpitium, perpetuum duellum, ac vera erynnis, nuſpiam ſui Creatoris typum exprimens. Contrarietates ergo non ſunt à Creatore in natura, qui eas aſpernantur in electivis: multo amplius in iis, quæ ipſe condidit, juxta Archetypi exemplar. Creatura denique, cum ex nihilo venerit, ex ſe nullam præ ſe fert proprietatem. Quod ſi ergo contrarietates venirent ab errore ſolo, detortorum à conſueto ſeminum: ſaltem tunc non ſubſiſterent, niſi in effectibus monſtruoſis, atque ideo perperam in naturæ ſyntagma intruderentur: denique & hinc ſequitur, ſeminum contrarietates ex ſolo eſſe Deo: cujus aſſerti ineptitudinem judicet Chriſtianus. Nunquam enim hactenus Scholæ perpenderunt, quantum diſtarent invicem: aliquid egiſſe conceptu contrarietatis: & aliquid operatum eſſe, per obedientiam ſeminum, debitam datis à Deo proprietatibus. Idcirco namque contraria admittere, eſt errores in Intentione, mediis & fine naturæ ſtatuere. Sciendum itaque penitus, naturam reſpuere contraria, ſi tonum ejus intimum aſſequi ſperemus. Quod autem Scholæ de calore radicali commentæ ſunt: ſaltem oblitæ ſunt, ipſi frigus radicale nubere, ſub eodem vitali principio, ut contraria ſuo pari gauderent jure. Solamque mortem ipſi oppoſuere extra genus. Quamobrem iſtam principalem qualitatem, abſque contrario cœlibem deſeruerunt. Falſumque ſuum axioma relinquentes, quod contraria ſub eodem genere ſint, & totidem utrimque prædicentur vicibus. Nam mors, cum ſit privatio & non ens, contrarii locum, Scholis dictantibus, ſupplere neutiquam poteſt. Vt vitæ aut calido radicali ſit oppoſitum. Cum id quod non eſt, quodque nil eſt, non ſtet ſub eodem genere, cum calore radicali. De cujus fabellis, & humidi primigeni figmentis, latiſſimè in tractatu, De vita longa egi. Denique Scholæ ad ſcopulos colliſæ, ſubinde de calore & frigore potentialibus tractant: non tamen tanquam contrariis: ſiquidem in unaqualibet guttula, vel atomo ſimplicium minimo, calorem & frigus connexa, & præpollentia ſtatuunt. In opio videlicet frigus intenſum & calorem quoque in ejus amaritudine explicant: adeoque & ſuam ſcientiam è ſaporibus deſumtam, de Relollæis, unico exemplo ridiculam jam expoſui. Quia à Scholis perperam ſeminales & ſpecificæ poteſtates, traductæ ſunt in qualitates elementales, ſive Relollæa Frigus enim in opio, nullo licet ſenſuum judicio proditum, augurantur ab effectibus, quia ſeminalem dormitivam, ridiculo ſomnio ad frigus conſtrixerunt. Quaſi Altiſſimus, dum ſomnium in Adam mitteret, frigus in ipſo ſuſcitaſſet! Et quaſi à prandio, frigus nobis notabile in caput aſcenderet! Profectò Scholæ utrobique poſtulant intellectum, in obſequium fidei incomprehenſibilis. At flammula herba, quamquam ſe habeat univoco modo (quantum ex ſe eſt) ad cuncta quibus apponitur: non tamen veſicat cadaver, prout corpus vivum. Eo quod cadaver non moveatur activè, ſive proprio motu, à fermento venenato flammulæ. Quia iſtæ qualitates potentiales non ſunt caloris aut frigoris, magis quam elementales: ſed propria, & formalis rerum energia ſpecifica. Quocirca futile eſt pro contrarietate commentum, & ruditatis teſtimonium, quidquid de calore & frigore, potentialibus in Scholis ad vota Gentilium ſubſcriptum eſt: cum potentialem calorem, caloris actualis ſocium, ſub eodem genere negent, ſub quo tamen colligunt contraria. Adeoque temeraria temperamentorum hiſtoria ad ſe traxit facultates vitales, atque ſeminales rerum. Eſt namque in Scholis neſcitum, quidquid ſalium ratione agit, non eſſe ex propria ſeminis potentia; ſed accidens, ratione objecti varians. Calcem enim, velut calidiſſimum ſimplex æſtimarunt. Eo quod per ſalia ſua moveret eſcharam: nec attenderunt, quod in calce viva, prout & in nive, oboriantur ſpontanei vermes. Quod hoc loco deſideratur, alibi de actionibus, prout & de cognitionibus morborum fuſius expoſui.

38 Hactenus igitur docui, qualitates in elementis eſſe, & operari abſque reſpectu contrarietatis. Nunc verò ad rerum ſyſtema deſcendo. Inprimis unitas, non eſt contraria binario, quanquam recedant diſcreta, per alteritates. Pariter nec ſurſum nec deorſum, oriens & occidens ſunt contraria: ſed ſituum oppoſitiones, quæ per reſpectus variant. Adeoque quod ſurſum eſt, alterius relatione, eſt infra; nec ideo auris dextera ſiniſtræ eſt contraria, quanquam oppoſita. Etenim nec loquor de terminis contradictoriis, qui tantum in habitudine relativa contradicunt, non autem proprietates inimicas in rebus habent. Neque item de privativis mihi ſermo eſt. Imo neque nego contraria in vi iraſcibili: ſed dumtaxat hoc unicum conſtanter affirmo. Deum in natura non feciſſe contraria, quæ per hoſtilitatem ſe mutuo interimant, aut aggrediantur. Sive, nego in naturalibus proprietates contrarias. Id eſt, Nego contraria poſitiva atque realia, in ſerie actionum naturalium. Virtus etenim oppoſitum habet ſibi vitium, de indole privantis. Nec etiam volatile contrarium eſt reptili. Nam idem bombyx eſt utrumque. Nec generatio ipſamet, eſt contraria corruptioni: ſed unicus ſeminum fluxus, à puncto ad punctum, per laſſationem, ablationem, amiſſionem, extinctionemve virium. Similiter nec magnum parvo, neque rectum curvo eſt contrarium. Cum unum & idem nunc parvum, nunc magnum, rectum curvumque eſſe queat. Idem eſto de dulci & amaro: duro, & molli: aſpero, & glabro: gravi, & levi: acuto, & obtuſo: coagulato, & reſoluto: vel albo, & nigro. Sunt namque quælibet rerum poteſtates, in ſe abſolutæ, nec reſpiciunt alias à ſe diverſas. Quia unumquodque eſt prout per ſe exſiſtit: quod autem opponantur à nobis, velut ac ſi invicem diſſentirent, id rebus eſt ignotum, atque plane per accidens, ſeu alienum. Interim ſecuris non ſecat ligna, aut culter ſcindit panem, propter contrarietates aut hoſtilitates: ſed unaquæque proprietas agit, ſine reflexione ad oppoſitam, quod agere eſt juſſa. Stultum eſt res contrariari velle, quibus nulla eſt odii, diſſidii, victoriæ, aut ſuperioritatis prætentio: ideoque nec ulla contrarietatis intentio in natura. Agit propterea res quæque, prout eſt agere juſſa. Non enim intra teſtam ovi, clauditur bellum contrarietatis, licet ſemen fluat per varias diſpoſitionum alteritates, longè ab invicem diſſimiles: Aſſervatur utrobique & permanet unitas, & concordia naturæ: quæ ſibi nuſquam contrariatur, imo horret omne contrarium, & quicquid unitatem turbat. Enimverò in ſemine vis eſt tranſmutativa aquæ, exſiſtentis in terra horti; atque ſic unica aqua illa tranſit in herbas mille, calidas, acres, amaras, acidas, & frigidas. Non enim, quod aliquod ſemen

men ſit contrarium ſucco ſive aquæ in terra: aut
acido invideat aliud acre ſimplex, ſibi vicinum:
quod ſibi minus reſpondeat in ſymbolo unita-
tis. Abſit. Procedunt enim indifferenter ab ini-
tio vitali ſuorum ſeminum, in quo non hoſpi-
tantur contraria hoſtilia. Accidentia enim cum
ſint diſpoſitiones ſeminum, ſivè entium abſolu-
torum in ſe, nec relativorum; ideoque contra-
rietates neſcientium: ſequuntur etiam ductum
ſuorum ſeminum, quorum ſunt organa, atque
producta. Tabula ergo repugnantium, contra-
ria tantum admittit in vi ſenſitiva, & iraſcibili,
liberè agentium. Secundò admittit privativa.
Tertiò denique quæ contradicunt in terminis
relativis. Cum igitur abſolutè in natura non
ſint contraria, quam oſcitanter hactenus ſit
itum, in complexionum figmentis & ægrorum
ſanationibus, viderint illi, quos quandoque ac-
cuſabunt, viduarum atque pupillorum plan-
ctus, ob unicam ſcilicet ignaviam, quod ethni-
39 cis doctrinis ſtupidis ſubſcripſerint temerè. Ad-
eoque naturæ definitionem ne quidem hacte-
nus noverint. Quam ſic definio. Natura juſſus
eſt ille Dei, quo res eſt id, quod eſt, & agit, quod
agere juſſa eſt. Sed iſtud aptè. Quod Scholæ
propria aſpernentur theoremata: artemque
theoricam venumdare videantur; quam quo-
ties lubet, non ſequuntur. Nam in Peſte, & Ma-
lignis, theriacam, aliaque non obſcurè calida, ut
& ſudorifera propinant, neglecta caloris indica-
tione. Eryſipelas quoque Apoſtematum maxi-
mè igneum (ut ajunt) appoſita optima aqua vitæ
40 ſanant. Denique ſi natura ſui medicatrix mor-
bos ſua bonitate ſuperet, non autem qualitate
pugnace; oſtendant quæſo, quale frigus ſit in
corpore febriente, quod calorem ejuſdem mor-
bi ſtatis horis interimat. Quinimo ſi natura ſit
ſui medicatrix, quid quæſo neceſſum eſt, mor-
bum terminari per criſin ſive judicium? ubi
nulla eſt lis, nec morbus ad judicium citatus, au-
ditus aut admiſſus? ubi patiens in initio, ſeipſo,
prope convaleſcentiam conſtituto, eſt pugna-
cior! poſt multos nempe labores, dolores, jeju-
nia, vigilias, & evacuationes? Adeo nunc ne-
ceſſariò potius ſuccumbere, quam litem ſua vi
ſuperare, atque vincere hoſtem deberet. Imo ſi
vis ulla in limine cognita fuiſſet, de plano, ab
initio judicari debuiſſet, ubi judicem & teſtes
pro ſe habebat, cauſamque æquam contra pro-
ditorem morbum. Saltem iniquum eſt, atque
cachinno dignum, quod ipſe judex ſit pars in
criſi. Faceſſant ludicra in ſeriis. Nam ſi Natura
ignoret contraria (ut oſtendi) hæc ſanè non pot-
erunt pugnare in nobis, miniméque tantiſper,
dum creatura eſt juvaminis indiga, atque fuit
morbus. Vnivocum ſiquidem natura noſtra
ſemper operatur, ſive res coagulatas reſolvat,
ſive demum reſoluta coagulet. Non ſecus e-
nim atque pulvis Chryſoplycius, qui plumbo
duritiem, argento vivo & ſtanno, difficilem li-
quationem dat, quam utramque qualitatem fer-
ro adimit. Non ſanè quod iſte pulvis ſit ſibi,
& metallis, quæ perficit, in agendo contrarius:
Hiſque addat, quod ipſis deeſt: unicus nimi-
rum præbeat ſingulis ſuas & longè diverſas diſ-
poſitiones: quas credidere contrarias, ut eſt
durities in auro, teneritudini plumbi. Cedat 41
item Paracelſus, quod ſolis ſimilibus clauſerit
ſanationem omnem, contrariorum interim
tempeſtates admittendo. Et quantumvis ſimi-
litudo involvat familiaritatem, facilem remedii
ſuſceptionem, unionem, ingreſſum, penetra-
tionem propter conformitatem ſymboli: atta-
men ignoravit bonus ille vir, quod iſta non ſint
agentia ſufficienter ad ſanationem requiſita: at
ſaltem media occaſionalia, externa, ſive con-
ciliatrices medelæ. Qualis etiam eſt pharmaci
puritas & ſubtilitas. Quapropter cenſeo, me- 42
dicamen propriè, immediatè, atque efficien-
ter, conſiſtere in Competenti, ſive Appropria-
to. Per quod nempe natura à ſuo caſu reſur-
git. Sunt rebus ſiquidem natales dotes, quæ
diſtant à ſimili. Sint nempe illæ, in quibus Ar- 43
cheus noſter ſuas reperit delicias. Per exem-
plum. Fames eſt velut peracutus morbus, pau-
corum ſaltem dierum patientia, ſeriò necans.
Sanatur autem non contrario cibo, non denique
ſimili. Nec etiam fames arguit defectum cruo-
ris abſumti. Alioqui dyſenteria, & phleboto-
mia famelicos neceſſariò facerent. Sed in fame
eſt devaſtatio nutrimenti, ipſius ſtomachi, à vi-
gore fermenti digeſtivi, ſive eſurivi, ac depa-
ſcentis: unde demum tuſſis ſenſatio famis.
Quoties nimirum fermentum ſtomachi benè
diſpoſitum, nec habens objectum in quod agat,
conſumit proprium ſtomachi alimentum: Se-
dat ergo famem cibus, non in quantum fer-
mento contrarius, nec quatenus ſimilis eidem:
ſed quia remedium appropriatum. Simile eſt 44
in morborum quorumcunque medela, Requi-
ri nempè adæquationem remedii, ad indiſpoſi-
tionem Archei, & cauſæ occaſionalis ademtio-
nem. Quæ remedii appropriata convenientia,
ſive dos, præſupponit proportionem tam in
gradu, quam quantitate, adaptationem, & appli-
cationem, cum ſpecifica conformitatis adæ-
quatio-

quatione. Hactenus quoque includit indicationem & cognitionem finis : facultatum noſtrarum habitudinem & exigentiam, earumque cum remedio congruentias,quibus iterum ſupponitur doſis. Sic enim remedia , nedum reſpondeant paritati objectorum : ſed & fermentorum determinationibus.

45 Paracelſus quandoque ratus,nullum ſimplex medendo aptum,niſi primitus ipſum moriatur. Atque rurſus alibi. Quod non ſufficiat ſimplex proinde mori , niſi in tria prima (ſalem,ſulfur,& mercurium,ſic vocat) prius redigatur. Qui aſſerentis error, frequentem in authore ſuſcitavit inconſtantiam. Quod non pauca ſint ſimplicia , quæ formæ proprietatem explicant ſpecificam , ſoſpite ſubjecto cui inhærent. Qualia ad limen occurrunt Periapta , & Amuleta quamplurima , quæ ipſus appellat zenexton. Sic nempe palpitationes cordis, infamem hemorrhoidum dolorem, profluvia cruoris, epilepſias, uteri ſtrangulatus, ipſaſque febres, ſedari per appenſa, jucundè notavimus. Sic ex adverſo. Remedia diſtillata non pauca , vix mori ſciunt , aut in familiam humanam commigrare. Attamen ingens eſt illorum effectus in morbis. Condonet mihi quoque Paracelſus ; quod nunquam in noſtro corpore, fit illa ſimplicium remediorum Analyſis. Sat enim alibi docui , quod digeſtio nunquam , ad nupera illa tria prima tendat. Nec unquam hiſce nutriamur : ſed unico & eodem aut conſimili liquore , quo conſtamus. Multa quoque per primam ſui bullitionem vires deponunt priſtinas. Aſarum enim ſic de vomitivo , evadit diureticum. Ac plerumque rei deſtruitur proprietas ſpecifica , per diviſionem in tria illa prima . Nam etſi ſervent aliqualem concreti craſin : ſunt tamen nova creatura per ignem patrata. Felix quoque ille,qui crudis ſimplicibus, morbos tuto , atque promtè tollere novit. Eſt enim antiquior medendi methodus , in Sacris notata . Quod de terra medicinam creaverit Altiſſimus. Siquidem ens ſpecificum non poteſt non per ignem alterari . Ideo non infrequenter extracta , atque magiſteria debilitantur. Enimverò ut Spargyria deducit multa ad gradum majoris energiæ , quatenus ens novum ſuſcitat : ſic alias rurſus multa clam ſuffurando debilitat. Naturam ſcilicet ignaviæ atque imperfectionis accuſat , quiſquis eandem citra ignem nil expoliviſſe autumat. Sint rerum ſemina horum teſtes. Quædam namque ſponte pullulant propria ; aliqua verò ſatione & occatione egent : pauciſſima verò artem præparationis indigent : nulla tandem ignem admittunt, aut analyſin. Poteſtates enim quæ immediatè in naturæ hærent gremio , agunt more influentiali , nec igni ſubmitti libenter volunt. Illæ verò , quæ formis non quidem ſimplicis ; ſed partium heterogenearum immediatè inſunt : perſæpè in abſtracta magis parte ſui relucent. Sic etenim macis , therebintina , & Aſparagus, etiam ſui ſymbolum in lotio pingunt. Verum poteſtates , quæ per ignem è rebus ſurgunt : licet aliquid ſuo debeant concreto,tanquam illius familiæ pignora : At certè ſunt nova , & transplantata germina , alterius Monarchiæ plerumque vaſalli : Prout alibi de facultatibus medicaminum. Semper enim magni feci deſtinationem Creatoris,in dote ſimplicium. Nam revera, ex mente ejus , plurimi morbi , cedunt per ſimplicia , tanquam antiquiſſimo cuneo pulſi. Quod autem Panegyrum ſimplicium agam , nolim recipi in vilipendium Pyrotechniæ : ſed loquor tantum iis, qui nil, præter tria illa prima, admittunt , ſudoreſque herbarum ſtillando eductos , longè præponunt , illarum cruentis ſuccis. Diſcant enim prius herbarum ſuccos, itemque jura carnium, abſque ſale , aceto, melle, ſaccharo, & igne condire , atque à putredine per annos vindicare . Tum demum ſpernent facile ſtillatitias aquas herbarum , non minus quam ſyrupos. Aſt ubi morbus in gradum ſurrexit, nupſitque intimè, jacenti naturæ , altiora exiguntur remedia , quam quæ ſponte natura produxit.

46 Tandem apud multos cenſebor forſitan de lana caprina , ſoloque certaſſe nomine. Quodque Scholæ contrarium , ego oppoſiti etymo larvare contenderim. Sed hæc me manet ab ingratis ſolis pœna. Ego medentes & Scholas alloquor , quæ morborum tantum illa admittunt remedia , quæ hoſtili proprietate contraria , morbos cenſentur pugnando aggredi. Perque intemperiem contrariam (ut ajunt) edocent temperiem duntaxat acquiri , qualia nulla demum hactenus in natura fuiſſe , atque demonſtraſſe , quieſco. Nec ſufficit , quod requirant in remedio vires ſuperiores , relatas ad morbum : verum etiam id fieri volunt , cum bello contrarietatis , litis , & criſeos ; ſi victoria inde ſit ſperanda. Oſtendi equidem , ejuſmodi poteſtates in natura non reperiri.Item remedia, nec ſemina rerum agere ſpe , aut niſu victoriæ, aut peſſumdandi patiens ſuum , tanquam ſibi contrarium . Nec imo ſuperandi activitatem patientis. Adeoque non eſſe ullam contrarietatem, luctam, odium, bellum, dimicationem,

arrogantiæ aut ſuperioritatis in naturalibus prælaturam, Sed agere abſque intentione, & præcognitione finis. Quatenus à Deo, illarum Arbitro ſic creatæ, ſicque dotatæ ſunt: adeoque ſic agere juſſa. Clarum eſt itaque, quod contrarietas, qualis in Scholis, rebus quibuſvis inſita docetur, à tota exulet natura, præterquam à vi iraſcibili animantium: Adeoque licet Philautia, ſympathia, antipathia, electio, imo & ſenſus aliquis, rebus non animatis tribuantur. Eſto analogia quædam, potius in effectibus, & cauſis, quàm in directione Creatoris, aut deſtinatione finium relucens: Eo quod proprio ſenſu, electione, intentione agendi, & præcognitione finium, ſint orbata. Sed cum quæpiam hujuſmodi luculenter teſtentur habere directorem, omnium fines uſque ad fines fortiter moventem, ac diſponentem ſuaviter: illarum proprietatum explicationes, teſtimonia ſunt, Deum ſummè glorioſum, rerum etiam vilium, habenas regere, per potentias ipſis neſcientibus datas. Atque adeo totaliter rectas, abſque cognitione finis. Id eſt citra impetum, iram, luctam, & odium illarum. Tantum igitur abeſt, quod actiones rerum, & remediorum, cenſeam fieri per oppoſita (loco contrariorum) quod æqualiter tam oppoſita, quàm contraria relegaverim à natura: oppoſita autem admiſerim per modum relationis terminorum. Non autem in via, qua in invicem agunt. Semper enim à virili ætate, ratus ſum; Si contraria eſſent, aut agerent ut talia, quod natura, totaliter, exemplariter, formaliter, & dependenter, non reſpiceret ſuum creatorem. Quodque de tali creatura, non aptè dictum eſſet: *Et vidit Deus, quæcunque fecerat, erant bona:* ſi ſibi inditas proprietates explicare non poſſet, niſi per odia hoſtiliter. Tandem, quantum oppoſita, quæ retuli inter repugnantia, diſtent à contrariis medicis, norunt, quicunque non ardent voluptate conviciandi. Advertant ergo tyrones, an de nudo mecum nomine agat, qui prima medendi principia evertit ex creatoris intentione qui res voluit ſingulas operari, juxta dotem naturæ ſibi collatam, non per contrarietatem, aut appetitum ſe invicem deſtruendi: ſed ob fines ſoli Deo præcognitos. Qui eſt amor & pax: non autem odium, lis, aut fomes contrarietatis. Ab intentione Creatoris ergo, Creata ponderanda ſunt. Scholas decepit lupus, ovem non unicam, ſed totum ſimul gregem, ſi poſſet, occidens. Contraria eſt in homine, & belluis, per poteſtatem thymoſis, quæ tam à regno minerali, quàm vegetabili exulat.

47 In mortalibus tandem Peccata opponuntur virtutibus privativè, cum peccatum reputetur non ens. Ego putem virtutes habituales, non contrariari vitiis, quatenus adhuc reſident in intellectu: ſed tantum quando illarum emanatio ex intellectu, eſt in conſenſu, in quo opponitur thymoſi volendi aliud. Quæ in progreſſu prius iram, odia, ſimultates, id eſt, contraria, parit. Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, &c. Merum autem non ens non procedit, ut neque ſub conceptum cadit, cum non habeat ſui ſpeciem, qua ſe repræſentet. Ergo peccatum, non eſt ſola averſio à Creatore: ſed & actus mentalis determinatæ malitiei: Actus autem mentalis, ſemper induit materiam, in quam ſui Ideam depingit, quam concipiendo ſeu imaginando formavit, & hactenus emanat juxta fundum animæ, in corporeas facultates. Hactenus diſſerui de facultatibus creatis, ex intentione Creatoris. Nempe non eſſe data contrariorum, 48 aut inimicitiarum incentiva, rebus ſine animoſitate ſenſualitatis exiſtentibus. At juverit hoc loco oſtendere, per eandem thymoſin, fieri quidem aliqua, quæ hoſtilitatem belluinam exprimunt, ut ſaliva rabientis, punctura ſerpentum, apum, &c. eadem tamen operantur per modum venenorum, plantarumque virulentarum: quas divina bonitas non ad nocendum, aut occidendum, ſive ad malum finem creavit: ſed ob fines alios, in gloria ſuæ majeſtatis directos. Aſt perdifficile erit aſſueto, contraria hoſtilitatis tribuere rebus inanimatis, poteſtatumque analogo laſcivienti, Rem (puta rabientis aut ſerpentum ſalivam) ex ira in hominem impreſſam, abſque contrarietate conſiderare illa, quam ultro, in bruto unde manavit, concedimus. Aſt ſanè mecum facilè ſentiet, ſi conſideret, quod venenum, ſive ſit creatum, ſive per animoſitatis contagium à bellua paratum, non proinde deſinat eſſe venenum, & agere pro natura veneni. Cujus proprietas eſt, agere vi naturali; imo quamquam ortum ab iræ impreſſione: hæc tamen qualitas, illi non eſt ira amplius; ſed productum quoddam naturale: adeoque in quo, eſt quidem ſtigma iræ & contrarietatis; non autem ipſa ira. Ac proinde non eſt ſimile aliquod productum amoris, quo homo ictus, aut unctus, in tantum proficiat: quantum ab altero producto lethaliter feritur. Vnde manifeſtum fit, Quod iſtud venenum, utcunque ab ira ſit productum, & homini ſit lethale: Id tamen non evenire ob aliquam contrarietatem: quandoquidem ipſi ex oppoſito deeſt contrarium, quod æquivalenter

aut pariter juvet, vitamque promoveat, prout hoc venenum nocet. Adeoque ſi venena hujuſmodi, ob contrarietatem agant, jam falſum eſt axioma : quod totidem modis unum contrariorum dicitur, quot modis alterum. Itaque jam ſat oſtenſum, quod venena quidem fiant à belluarum ira : at non proinde ſequitur, quod venenum plantæ ſi agat (ut oſtenſum ſuperius) ob naturalem ſui dotem ipſi implantatam divinitus : & non propter ullam contrarietatem, quod venenum brutorum plus capax ſit contrarietatis, quam ſimplicium aliorum. Alioquin idem prorſus eſt judicandum de venenis veneficorum, Sagarum, &c. etenim licet componantur, & potanti dentur, animo nocendi ; illa tamen operantur, aut naturaliter, adeoque abſque intentione contrarietatis aut pugnæ : vel operantur vi dæmonis. Quæ eſt vel ſolitaria, adeoque eſt effectus verè hoſtilis (quia à Cacodæmone inimico) vel naturalis. Et tunc non vi contrarietatis aut pugnæ : at ſolum per explicationem ſuæ naturalis dotis. Quam jam ſupra
49 oſtendi expertem litigioſæ contrarietatis. Porro horum occaſione explananda eſt, veneni è thymoſi parati energia : Notum eſt vulgo, quod cruor tauri potantem ſtrangulet, non autem cruor bovis aut vaccæ. Idque alibi retuli in furorem tauri cum cupidine vindictæ morientis, per ſerpentum modum. Porcus autem etſi cum ira pereat (forte proinde Deus animantum cruorem ſub pœna indignationis vetuit) fit tamen id cum metu mortis. Taurus autem, tanto furore percitus eſt, quod nullam mortis apprehenſionem patiatur. Adeoque ejus cruor, etſi venenoſus : non tamen ejus caro. Eo quod furor ejus, prope mortem adveniens, non ſat ſpatii habet, ut carnes inquinet. Rabidus verò, quia dudum ante mortem furit, ſuas etiam infectat carnes. Timida proinde animalia, ut mus, bufo, &c. carnes ſuas atque oſſa pavore quodam centraliter conſpergunt. Prout alibi in Peſtis tumulo demonſtravi. Atqui huc ſpectat illud axioma : *Morta ſa beſtia morto il veleno.* Quod ſanè locum habet in animante virulento ; quia per intervalla, vindictæ furore ardet. In ſumma. Vires & dotes ſimplicium, ſi nobis adverſentur, Id ex ordinatione divina : non autem ex Idea vindictæ, aut hoſtilis contrarietatis provenit. Nam procul diſtant invicem eſſe alicui contrarium, & habere dotes in natura nocuas. Siquidem hoc ordinem Dei, & varietatem potentiarum, in natura conſtitutam arguit. Illud verò dicit hoſtilitatem, Deo & naturæ inimicam. Differunt itaque fine. Id eſt inſtituto ac directione Dei in natura. Quod eſt ordine, intentione, deſtinatione, adeoque toto ſcopo Divinæ mentis : Iuxta quam conſidero contrarietates in brutis, & homine, & non in aliis ſimplicibus, omniumque minimè in elementis. Ac proin finaliter, non eſt hic quæſtio de nomine. Si elementorum contrarietates, & in falſo creditis miſtis, pugnas, complexionumque alternitates ſubvertam, non ſecus, ac quicquid ex his ſuppoſitis, pro vita, morbo, morte, & remediis garritum eſt hactenus.

BLAS HVMANVM.

1. Error Scholarum circa primum motorem. 2. Ariſtoteles ſibi contradicit. 3. Blaſphemum in Chriſtiano. 4. Error fluxit è Matheſi male appropriata. 5. Blas humanum imitatur Aſtrorum fluxus. 6. Blas noſtrum, quando præcedit, & quando ſequitur Blas ſtellarum. 7. Quare Blas brutorum præcedat. 8. Blas voluntarium, non eſt ſtellis annexum. 9. Duplex Blas in nobis. 10. Inſenſitiva unde moveantur. 11. Galenus repugnat Ariſtoteli in pulſibus. 12. Inquiſivit modificationes pulſuum, non autem efficientem. 13. Vſus pulſuum Galeno. 14. Tertius uſus Galeno ignotus. 15. Conſideratio Authoris. 16. Refrigerium, non eſſe finem pulſuum. 17. Suppoſitiones aliquot. 18. Nemo egit de vita. 19. Contradictoria de igne cordis. 20. An pulſus conciliandi frigoris ergo. 21. Pori in ſepto cordis, cur triangulares. 22. Cruor & ſanguis, in quo differant. 23. Anima ſenſitiva fabricatrix pulſuum. 24. Quorſum cordis motus. 25. Abſurda Scholarum de calore radicali. 26. Motus cordis, non poteſt refrigerii cauſa cenſeri. 27. Cur pulſus febrilis ſit citatus. 28. Spina in digito, docet ex celeritate pulſus, calorem augeri ; non autem frigus. 29. Quinque ſcopi præcipui pulſuum. 30. Accenſio igneitatis, & illuminans, ut differunt. 31. Non eſſe ſpiritum cruoris jecorarium. 32. Carioſa doctrina, quæ fines pulſus cum anhelitus confundit. 33. Neceſſitates pulſuum antehac ignotæ. 34. Vſus pulſuum reſpicit fermentum digeſtivum. 35. Scholarum ignavia circa hæc. 36. Navigantes ſani, cur ſeipſis non navigantibus, edaciores. 37. Aër nequit alere ſpiritum vitæ. 38. Alkali formatur comburendo. 39. Mirabilis carbo mellis, & elucidantur varia Chymiæ theoremata. 40. Reſpublica alcalium. 41. Balſami Samech Paracelſi fabrica. 42. Alcali volatilizatur, & viciſſim, ſub eadem proprietate formali concreti. 43. De labore Sophiæ. 44. Mechanica aceti diſtillati. 45. Reſumun-

ſumuntur aliquot mechanicæ Chymiæ, ad conſummationem cruoris abſque face. 46. Vſus pulſuum novus & inauditus. 47. Dolente è ſpina parte, pulſus inſolitus. 48. Facto pure, cur miteſcant ſymptomata. 49. Durities arteriæ, unde ſtatim fiat. 50. Quid portendat durus pulſus. 51. Differre uſum pulſus, ab uſu anhelitus. 52. Dum pus fit, major labor. 53. Qualitas potionis vulnerariæ. 54. Falſum, quod ventres natura calidiores, hyeme. 55. Contradictio Scholarum. 56. Petitio principii 57. Octuplex ſcopus pulſuum. 58. Vt non eſt ſpiritus jecorarius in cruore; ſic neque proprii nominis eſt pulſus animalis, in officina cerebri.

Expeditis jam elementis, complexionibus, compoſitionibus, cauſiſque naturalium pro Phyſicis. Explicata ſcilicet, poſt formarum ortum ignorantia, quæ circa medendi initia mortales circumvenit: edoctis quoque fermentorum atque Magni Oportet neceſſitatibus. Iam ergo vitalia 1 initia examinabo. Docuere Scholæ, in omni motu locali, de neceſſitate ſtatuendum Primum motorem immobilem. Quod nec per artem, nec per naturam verum invenio. In cujus demonſtrationem vadit ebrius, inſtabili mente, atque pede, in fluctuante navi, & appendit pondus horologio. In voluntariis ergo motibus, non eſt requiſitus primus motor inſtabilis. Item Sol, trans vitrum, ſuo radio accendit pulverem tormentarium. Primus hic motor, nequicquam penes ſe habet quod ſit immobile. Id jam in igne, ut anomalo ente, quoque patet. Tertio in natura, unumquodque ſemen, ſemel loco debito conceptum, non ceſſat deinceps proprio motu, ſubſtratam ſibi molem agitare. Verus ergo, ac primus ſeminum motor in natura, rerumque univerſarum opifex, ſeipſum primum movet, ſuoque motu ulteriorem motum non requirit. Et quidquid naturalem motorem quemvis excitat ad movendum, eſt ipſum proprium ſuum ac internum motus initium, cadenſque in loca impropria, moritur, ceſſatque ejus motus. 2 Ariſtotelici ideo, qui naturam vocant principium motus, ſive motorem primum, abſurda oblivione, expetunt in primo motore ut ſit immobilis. Et quamvis ſemina, externo fomento, ſive excitatore opus habeant: non tamen excitatio eſt motus internus, neque ejuſdem motus motor: ſed eſt dumtaxat alteratio, accidentaliter accelerans, vel maturans motuum propriorum poteſtatem, ſive activitatem primi moventis, alias debiliorem, quam qui materiam ſuam ſit movendo. Quæ activitas cum ſit quædam alteritas accidentalis, quæ revera in ſe non quieſcit (tantum abeſt quod eſſet immobilis) etiam nec in priſtino unoque ſtatu permanet. Nimirum confirmat Archeum, ut innatum ſibi movendi robur fortius explicet & ad ſuos fines dirigat. Quod ſi verò Scholæ, Ariſtotelem ſuum ineptè licet phyſicum, tamen in Phyſicis velint ad unum omnium primum & ſupernaturalem Motorem reſpexiſſe hoc loco, qui ſit omnis motus independens initium. Rejicio enim iſtud, ut impertinens extra Phyſicam. Etenim ille glorioſiſſimus Motor, dedit rebus poteſtates, quibus per ſe & abſoluta vi, ſe vel alia moveant. Impertinens ſcilicet, ad demonſtrandum motum naturalem corporum, recurrere ad Motorem Deum. Cæterum nec etiam toleranda eſt 3 in Chriſtiano blaſphemia requirens, Deum, de neceſſitate immobilem, ut alia movere poſſit. Siquidem Deus non movet per attactum extremorum, perque rerum attractionem vel expulſionem, denique nec res mota acquirit vires ex primi Motoris immobilitate, ut hanc præexigat. Sed nutus divinus, à fine uſque in finem, attingit omnia fortiter: non autem coactus neceſſitate contactus extremorum, conſequentia preſſus, modo ductus, aut legi ſubjectus: Sed prorſus liber, tam ſuo nutu & motu, quam quiete, indifferenter, & æquè potenter movet cuncta. Suum itaque eſſe immobile, non importat neceſſitatem Scholis requiſitam; ſed merum gloriæ ſuæ beneplacitum. Suum enim (fiat) in naturam abiit, quæ deinceps ſeipſam eſt movendo. Sic B. Gregorius terræ collatam poteſtatem dicit, qua plantas de ſe protrudat. Paganica itaque eſt doctrina, ex Matheſi deſumta, quæ primum motorem ad ſui perpetuam immobilitatem neneceſſitat, ut indeſinenter omnia moveat. 4 Error Ariſtoteli indulgendus, non Scholis Chriſtianis, tyrones contaminantibus. Alioqui enim naturaliter nullus fit motus, niſi à principio motivo, quod cætera non movet, niſi per ſe ac in ſeipſo moveatur. Quinimo & artificialibus atque naturalibus, ſi quid ab externo motore moveatur, atque in eo motu, ipſe motor innitatur aliquo fundamento immobili, puta, dum Nauta navim à ripa immobili per baculum abſtrudit, litus ſive ripa non movet navim, nec in ſe poteſtatem naturaliter motricem continet: ſed eſt medium dumtaxat, per quod motor ſuum motum modificat. In quod ſcilicet ipſe motor tanquam in fundum, ſe ſtabiliens, per pondus, & vires agentes Matheſeos, motum ſuum (qui alioqui

qui eſt totus mobilis, & movetur activè) fabricat.
Fortius ſic namque, bombarda, ſphæram
explodit, ſi à tergo immobile reſiſtens corpus
habeat. At ſanè ut iſtud corpus non eſt motivum,
ſic non niſi per abſurdum, motorem immobilem
requirit, ac motori primo, ineptè æquiparatur.
Imo in naturalibus terminis, motor
primus, atque totalis, ſit accenſus pulvis pyrius,
qui ut moveatur, nullam expoſcit immobilitatem,
ſed ut modificatè moveat, modificato organo
opus habet. Impertinens itaque eſt, putare
omnes motus, fieri à Deo, primo motore, tanquam
ſi baculo quodam, mota univerſa moveret.
Inpertinens eſt quoque, dum inveſtigatur,
Si motor ut talis, debeat neceſſariò eſſe immobilis,
reſpondeatur, quod motor primus modificabit
ſuum motum, & fortius movebit, ſi is ſit
immobilis, vel nitatur contra immobile fundamentum.
Eſtne iſtud Chriſtianam Philoſophiam
docuiſſe? Enimvero indubium eſt, quin
ſtellæ per ſuum aſpectum varium, quem à motibus
mendicant, infundant Blas motivum aquæ,
& aëris, *ut eſſent nobis in tempora, dies &*
annos. Denique, quod terra acceperit internum
initium propagandi plantas, ante natas ſtellas.
Bruta ergo, licet ſtellis poſteriora; horum tamen
ſemina non ſunt plantarum ſemine ignobiliora,
majoriſve ſubjectionis vinculo, ſtellis annexa.
5 Stellæ quippe erant ante ſenſitivorum creationem,
ideo opportunum fuit, quod hominum
Blas non quidem ſequeretur ductum ſtellarum:
at ſaltem imitetur motum illarum, non ut motricum:
verum non ſecus, atque motu libero,
ſequimur veſtigia veredarii. Sic nempe viſcera,
fortè ſuos delegerunt præcurſores planetas. Vnumquodque
nempe viſcus, ad typum ſui Aſtri,
intus proprium ſibi Blas format, quod &
hinc aſtrale dicitur. Eo quod imitetur cœli veſtigia,
tam prioritate dierum, præcurſoris aſtri,
quam legibus deſtinationum, in natura. Alioquin
6 in infirmitatibus, ut naturæ omnis conatus,
eſt ſymptomaticus: ſic tum Blas humanum
præcedit, atque prænunciat, futuras tempeſtates:
ubi alioquin in ſanitate, Blas humanum ſequitur
ordinariò poſt inſignes temporum viciſſitudines.
7 Bruta verò, ut ante hominem ſunt in
die creata: ſic Blas illorum ſemper præcedit ac
præcurrit ante Blas ſtellarum. Quare multa
prognoſtica meteori, è belluis hauriuntur naturaliter.
Et acceſſit ſuperſtitio, quæ auguria, &
haruſpicia addidit credulis, & ſuperſtitioſis.
8 Blas tamen quod voluntate animalium ad motum
localem dirigitur, id ſanè nullo modo
connexum eſt lationi ſuperæ. Omnis quippe
carnalis generatio fluit ex poteſtate ſeminis: &
poteſtas ſeminis, ex voluntate carnis: igitur
carnalis generatio proprium Blas habet, inſerviens
uſibus ſuorum finium, fluentium ex initiis
ſui eſſe. Quæ ſunt voluntas carnis, & libido
voluntatis virilis. Duplex itaque Blas in nobis.
Vnum nempè, quod naturali motu, alterum vero 9
voluntarium, quod per internum velle ſibi
motor exſiſtit. Hinc igitur impoſſibile eſt, ſtellarum
prædictiones in nobis concludere rectè.
Sat nunc demonſtratum, aliquid in ſublunaribus
eſſe, quod ſeipſum localiter & alterativè
moveat, abſque cœlorum Blas, & motore immobili
naturali. Voluntas inprimis eſt primum
ejuſmodi movens, movetque ſeipſum quoque
ens ſeminale, tam in ſeminibus, quam horum
conſtitutis. Porro ſicut Deus voluit, ita ſunt facta
omnia. A voluntate igitur primum ſunt mota.
Hinc namque, quæcunque inſenſitiva moventur, 10
per quandam velut naturæ voluntatem,
ſive placitum, moventur; habentque naturales
ſuas neceſſitates, & fines. Prout videtur in pulſu
cordis, arteriarum, expulſione multarum ſuperfluitatum,
&c. Galenus enim, ſat artificioſè pulſus 11
diſtribuit; in eo tamen ab Ariſtotele deluſus,
qui finem, & efficientem, cauſas externas putavit,
exiſtimavitque pulſuum fines, eſſe cauſas
totales. Præteriens namque proprium Blas pulſuum,
tantum inquiſivit fines & neceſſitates naturæ,
propter quæ non quidem pulſus fierent,
ſed potius modificarentur. Adeoque proinde 12
differentias pulſuum, non niſi per fines in ſchema
diſtribuit. Ideoque reſpectus potiores & efficientes
non attigit. Cauſas pulſuum itaque, ad
duo neceſſitatis capita conſtruxit. Videlicet ad 13
refrigerium cordis, quorſum cor, & arteriæ, ſimul
ſeſe dilatarent: & ad explodendas fuligines,
à calore ſuſcitatas. Quapropter nimirum,
Cor, & arteria, ſimul ſe comprimerent, & conciderent,
metu præfocationis. Quæ duo, juxta
fortitudinem, celeritatem, debilitatem, duritiem,
& magnitudinem variè intertexendo,
cum ſuis correlativis, differentias pulſuum artificioſa
indagine compilavit. Atque utinam reliqua
ſua ſcripta non proderent, aliunde hæc eſſe
deſcripta. Veteres autem, non contenti duobus 14
finibus, refrigerio, nempe & fuliginum exploſione,
tertium addidere, qui fuit ſpiritus vitalis
alimonia ex aëre. Quaſi verò aër, ſpiritus vitalis
unquam fieret. Etenim ſi aëre ſibi adjuncto,
ſpiritus augeatur, ſive nutriatur (cum corpus
ſimplex non ſit digeſtibile) jam ſola mixtione,

ex aëre fieret ſpiritus vitalis; jamque non ſingula
amplius nutrientur immediatè, quibus
conſtant: Fuit ergo veterum inſcitia, neſcientium
conſtitutionem ſpiritus vitalis, putantium,
quod parum aquæ, commiſtum multo vino, vel
parum ſtanni, commiſtum multo auro liquato,
vinum, vel aurum fierent. Dicam hic, quid ſenſerim,
poſtquam magis diſcretione, quam aſſen-
15 tiendi pigritia ſum uſus. Cœpi itaque primum
conſiderare, calorem primario, & ex ſe, non ineſſe
cordi, ſed eſſe vitæ, & animæ ſocium, ſignum,
& medium operandi in calidis animantibus,
ex natura lucis ſolaris. In piſcibus verò,
vitam eſſe de natura luminis frigidi, & ſubſiſte-
16 re ideo abſque actuali calore, id eſt vero. Ideoque
quod pulſus non fiat in natura ob refrigerium
cordis, & fuliginum difflatum, diſſecta
rana docebit. In viva rana enim, videbis cor
ejus, & arterias moveri, cor ſingulo pulſu, ſive
per diaſtolen rubeſcere, & per compreſſionem
magis palleſcere, etſi diaphanum non ſit. Veruntamen,
cum calorem, cauſam pulſuum veteres
cogitarent, nemo tamen eſt, qui calorem
iſtum ſuis caloribus depinxerit, qua via, ratione,
ac medio, calor ille excitetur, accendatur, & perſeveret
in nobis, eò quod vitam & formas nemo
meditatus eſt. Ac nemo idcirco pulſuum cau-
17 ſam efficientem. Equidem calorem à corde manare,
nemo hactenus ambigit, nemoque controvertit,
quin fœtus calore materno primum foveatur,
donec dierum maturitate, proprius in
18 illo fomes accendatur. Sed quis ille fomes, &
quare ſemel accenſus, mox non intereat, at uſque
in finem perſeveret, nemo indagavit; eo
quod vitam omnes prætererint. Scholæ quidem
calorem igneum in nobis fingunt (contra Ariſtoteles,
qui proportione reſpondere hunc vult
calorem elemento ſtellarum, eumque ab elementali
& igneo diſtinxit) vivere quoque depaſcendo,
& conſumendo humidum radicale. Vnde
ſequeretur, cor eſſe lychnium ignis conſumentis.
Veruntamen cum ſubſtantia cordis &
pericardii, ſimulque ſanguinis, non ſit apta igni:
19 fateri coactæ ſunt, ignem non ignem, & calorem
non igneum, depaſcentem tamen: fomitem verò,
vel lychnium, ſive initium caloris metaphoricè
deſcripſiſſe, ſibi ſatis dixerunt. Quaſi natura
metaphoras admitteret. Inprimis namque aliquot
virgines ſyncopizatas, memini pulſu & anhelitu
deſtitutas, quantum humano judicio conjiciebatur,
adeoque per horas aliquot, inter mortuas,
deploratas, revixiſſe tamen, & nuptas dein
incolumes vixiſſe, & peperiſſe quinquies vel ſexies.
Gelidæ enim erant, mox atque pulſus de- 20
fecerat. Vnde dubius eſſe cœpi, an pulſus non
potius, caloris efficiendi ergo, quam accerſendi
frigoris occaſione fieret. Vnde cauſas finales
pulſuum nugaces habere cœpi, adeoque & præſagam
medendi partem labefactatam ſuſpicatus
ſum. Idque ſic probo. Etenim ſeptum, ſive interſtitium
eſt, inter utrumque cordis ſinum, in
ſe quoad vivitur, ita poroſum, ut attractu aurium
cordis (auritum enim per analogon cenſetur
utrimque, quia velut folles habet) ſanguis
venalis ab vena cava (dextrum cordis ſinum formante,
per ſuum tranſitum) tranſeat, atque migret
in ſiniſtrum; non viciſſim hinc, ad dextrum.
Eo quod pori in ipſo ſepto ſint triangulares, cu- 21
jus conus, deſinens in ſinu ſiniſtro, facilius conſtipatur;
baſis autem trianguli illius, in dextero
ſinu, nunquam, niſi à morte. Sanguis autem ſiniſtri
ſinus, jam arterialis & veri nominis ſanguis
eſt, à ſe ipſo adhuc cruore, in vena cava, diverſus
colore, & ſubtilitate. Quare non abs re
novam ſive quartam digeſtionem, in ſiniſtro
ſtomacho cordis invenire mihi neceſſe fuit. Etenim
non ſecus atque cruor venalis, à cremore
& chylo differt, ſic & ſanguis arterialis à cruore,
quanquam cognatione propinquiore, & cœlorum
inveſtitura, quadantenus in unam fami-
liam redegerint. In eo tamen eſt ſpecifica ambo- 22
rum differentia; quod ſanguis ab anima immortali
informetur in ſiniſtro ſinu: cruor verò minimè,
ſolaque luce, formæ ſenſitivæ participativè,
non autem informativè illuſtretur. Cæteræ enim
digeſtiones quietem exigunt. Quarta verò, indeſinenti
motus continuitate perficitur. Non
enim quod ipſe cordis motus ſit cauſa formalis
tranſmutativa: ſed tantum diſpoſitivè concurrat.
Scilicet in ſinu cordis ſiniſtro, tanquam ſtomacho,
ſingulare fermentum maximè vitale &
luminoſum habitat, quod tranſmutati cruoris
in ſanguinem eſt cauſſa ſufficiens, prout ſanguinis
in ſpiritum vitalem tranſmutationi præeſt:
Quippe omnis cruor naturaliter tendit in finem
ſuum, qui eſt nutritio; attamen ultimato,
in vaporem, ſive in Gas, diſpergitur & evaneſcit,
niſi per accretionis coagulum ſiſtatur.
Sanguis verò arterialis, pro ſcopo habet, non
quidem ut in fuliginem ſive excrementum vergat.
Id enim ſi fiat, à morbo & per accidens,
evenit illi. Proprium alioquin objectum ſanguinis
eſt in ſpiritum vitalem traduci. Qui, ſi
dein etiam evaneſcat, hoc illi præter intentum
eſto. Cum omne ens naturaliter permanere
deſideret. Eſt nempe ſpiritus vitalis, lux origina-

ginaliter in fermento ſiniſtri ſinus habitans,quæ illuminat novos ſpiritus , à ſanguine arteriali partos, ob quam lucis continuitatem ſcilicet, arteria elevatur. Fiunt namque ſpiritus ſic vitæ participes & exſecutores illius, prout & Vulcani, continuati caloris. Vita ergo humana eſt lux formalis, & modo & ipſa anima ſenſitiva lucida, adeoque hujus exſufflationem, mors è veſtigio ſequitur. Quia animæ ſenſitivæ involuta eſt mens immortalis hominum, quæ à morte avolat, pereunte altera. Abſit autem, quod lux iſta vitalis dicatur ignea, cremans,devaſtanſque humidum radicale, hujuſque continua fuliginum fœcunditate, cor & arterias inquinet. Sed eſt lux formalis (prout ante de formis dixi) neque enim vitæ eſſentiam intimam aliter unquam deſcribet, qui vitas rerum formales etiam in ecſtaſi vidiſſet. Quia verba deſunt, & nomina, quibus hæc dicantur, tanquam etymo à priori. Et licet Deus, alicui vitæ eſſentiam in concreto oſtendiſſet, ſuum tamen docendi honorem, nulli unquam tribuet creaturæ. Cum vita in abſtracto, ſit Deus ipſe incomprehenſibilis. Sic nempe paulatim, cibus & potus in chylum ſtomachi, chymum meſenterii, cruorem venalem ac tandem per ſanguinem arterialem, ad tenuiſſimum æthera, vitale ſpiritus, & animæ ſubſterniculum aſcendit. Quæ commutatio, motum cordis præſupponit. Neque enim ſat eſt, fermentum efficienter eſſe effectivum, ut ſanguis animetur & vertatur in ſpiritum, illumque in ſinu lævo cordis habitare: niſi motus concurrat pulſatilis, aſſimulatus motui, quo lac acidulum vera tranſmutatione in 24 butyrum mutatur. Per motum nempè fit ſanguinis non quidem acidi, ſed ſalſi extenuatio, neque ideo in pinguedinem ſive butyrum vertitur: ſed in ſpiritum vitalem, de ſalis, adeoque de balſami natura: ita nempe ſanguis, per motum, calorem, & fermentum, mutatur in ætheream ſobolem, luminis vitalis hoſpitium immediatum. *Quapropter ſanguis, aqua & ſpiritus idem ſunt.* Etenim ſi iſta lux ſit in ſpiritu, hic verò deferatur per arterias in totum corpus, debeatque lux iſta, ſibi utrobique eſſe continua, cum ſit luci proprium, aliàs extingui. Ideo arteriæ, apertæ debebant manere, ita quidem, ut nunquam compreſſæ dudum maneant. Quare & pulſum eaſdem dilatare conveniebat, nec ita comprimi, ut tota arteria in ſe prorſus concidat: duplici fortè, ac duriore, ideo tunica, non injuſtè veſtitur. Diſcontinuitas enim illius luminis in cauſa eſt, ut uno momento, ſuſpenſis pereat omnis facultas princeps cerebri. Non autem, quod tam citò ſpiritus è cerebro evanuiſſet. Denique ſi motus pulſatilis non fieret, frigus lethale mox oboriretur, & rana frigidiores eſſemus. Adeo, etſi multa hyemis ſpatio, ſub luto, abſque reſpiratione victitent, non tamen citra pulſum. Fermentum quoque ſiniſtri ſinus, non niſi lenta tarditate, ſanguinem ſuum tranſmutat,pigreque nimis, tranſmitteret quoquo verſus, atque idcirco, importunis ſpirituum neceſſitatibus non ſatisfaceret. Fingamus enim, utrem odore imbutum, impleri autem liquore, ad ſui dimidium. Vix enim liquor ille rapiet lagenæ odorem: ſin verò concutiatur, confeſtim quoque odor ille per minima liquoris ſe ingerit. Sic nimirum, fermentum vitale ſiniſtri ſinus, per motum cordis, ſtatim ſanguini datur, eumque ad feſtinam obedientiam ſuæ impreſſionis cogit. Lumen enim à lumine facilè accenditur: ideoque & ſanguis jam animatus, facilè ſolaris illius lampadis lumen arripit, & in ſobolem ætheream adſciſcitur. Eſt itaque Blas cordis, vitalis ſpiritus, & conſequenter ſui caloris fomes: ſpiritus verò ſic animatus, eſt cordis motor, in Scholis penè neglectus: Ex conſequenti quoque, motus iſte, fit propter neceſſarium in ſolaribus conſtitutis calorem, & ſpiritus fabricam. Non credam ergo, pulſum inſtitui, ob requiſitam cordis refrigerationem. Siquidem vitalia non militant ſub lethalibus frigoris inſigniis, nec intendunt frigus: ſed dumtaxat meditantur vitalia. Eſt nimirum frigus in nobis, mortis indicium, quia comes. Ideoque quidquid in fonte vitæ, frigus moliretur, ablationem vitæ intenderet, ut & monarchiæ eſſet deſtructivum, tantum abeſt,quod frigus eſſet neceſſitatis,& contemperamenti ergo.Sine pulſu enim, non accenditur nimium calor: ſed confeſtim etiam perſtite vita, calor interit. Deceptæ enim Scholæ ſic decernunt, putantes, ignem elementalem, in compoſitionem corporum, & intenſo ſui gradu (extra quem ignis eſſe definit) ignem in corde conſiſtere, & quidem culinarium, cum aliàs longè petendus, à concavo lunæ ignis ridiculus, alioquin ad ſimplicium ordinariam conſtitutionem, laxo fræno, pro lubitu inferiorum, & contra ſui indolem deorſum, per tot aëris frigora, incolumis, non delaberetur. Adeoque 25 ſi Scholæ, pro calore radicali, ignem, ſub lunæ circulo fictitium, intellexiſſent, impertinenter eundem dicerent in nobis, velut lychnio humidi radicalis, tantum ſubſiſtere: cum aliàs igneum elementum (quod fingunt temerè)

æquè inſulsè, citra alimenti neceſſitatem, &
conſumtionem vivere ſomniant. Ergo Scho-
læ ſubaudiunt in corde, eſſe accenſum ignem
culinarium, & fuliginoſum, magnoque gradu
fervere, adeoque niſi continuò novi aëris affla-
tu temperetur, & fuligo omnis ab hoc igne ſu-
ſcitata eventiletur: periculum eſſe de ſuffoca-
tione, combuſtione, & inflammatione. Sic nem-
pe falſæ authoritates, falſa pariunt themata, &
præ ignorantia cauſarum, perierunt medendi
26 theoremata. Meo quidem judicio, debebant ſal-
tem Scholæ meminiſſe, ipſum flatum follium
ignem non refrigerare: ſed magis accendere.
Nec video, qua ratione, motus animalium ſit
ſibi cauſa refrigerationis. Scio denique ignem
nullatenus ſociari aliis elementis, per minima
diſſectis, quin in inſtanti extinguatur. Scio
quoque impoſſibile eſſe, ignem exſiſtere poſſe,
qui non ſit vere ignis, & ſummè calidus. Adeo-
que ſi natura moliretur refrigerium per pulſum,
conatum ejus eſſe ſtultum, vanum, & impoſſi-
bilem. Vnde horrendum ſequitur, Deum in
finibus ſibi propoſitis, actualiter erraſſe. Reſi-
piſcant ergo Scholæ. Cæterum, debuit feſtina-
ta eſſe tranſmutatio cruoris, in ſanguinem, &
hujus in ſpiritum vitalem, ne poſt deliquia, pal-
pitationeſque (ſub quibus celerrimæ illorum
ſpirituum fiunt infectiones ac diſſipationes,
adeo ut foſſulæ variolarum, antè non conſpi-
cuæ confeſtim appareant) neceſſitata velut mors
ingruat. Non itaque, è longinquo petendum,
differendumque auxilium fuit, quod præſto ex-
27 igitur. Hæc nempe eſt ratio, cur in febri ſit pul-
ſus citatior, non autem fuliginis expulſio, nec
28 refrigerii aviditas. Siquidem ponatur ſpina in
apice digiti infixa, ſtatim pulſus durus, fortis, &
citatior, pro pulſus autem augmento dein, ſta-
tim proportionaliter ubique caloris, non autem
frigoris incrementum adeſt, & quidem tam an-
te, quam citra fuliginum nativitates. Dein, ſub
febrium intermittentium initiis, per horas ali-
quot, ac quamdiu cunctatur frigus, pulſus eſt
minutus, rarus, depreſſus. Adeſt tamen putre-
do, accenſa (ſi verum dixerint Scholæ) ideoque
& fuligo præſens in Scholis, eſt cauſa paroxy-
ſmi, ſitiuntque magnoperè in frigore, & flavum
evomunt. Ergo & compreſſio pulſus deberet
eſſe creberrima, totuſque pulſus longè celerri-
mus. Maximè quod plerique morientes, in fe-
bribus iſtis, pereant ſub acceſſum febrilem in
frigore, ſpirituum penuria ac velut ſuffocati. In
caloribus autem moleſtis, etiam in eryſipelate,
pruno, igne perſico, &c. excandeſcit ſpiritus
vitalis, à cauſa morbifica laceſſitus, ac velut in
iram provocatus. Vt patet in præfatis accenſio-
nibus topicis etiam cauſticis. Vbi alias accenſio
luminoſa temperata, ſub harmonia vitali, qua-
qua verſus elucet. Imo ut ſub mortem, vel ſyn-
copen, oculi cornea membrana, lumine priva
cernitur, non antea æſtuante igne. Porro quæ in
corde incipitur, ſanguinis in ſpiritum tranſmu-
tatio, in arteriarum decurſu, (ſeu cordis ſto-
macho) maturatur. Nec mirum ideo, in liene,
tot arteriis fæcundo, ſtabiliri fermentum pro
ſtomacho, primoſque motus cordis, mentales
& animæ ſenſitivæ, Saturnia nempe regna. Eſt
namque digeſtio cordis, cum integrali tranſ-
mutatione ſanguinis, in ſpiritum, ſine fæce &
fuligine. Quippe quæ nec ſordes continet, nec
heterogeneitates admittit, nec propter calorem
degenerat ſpiritus, filius caloris. Nimirum eſt
animæ ſenſitivæ, immediata operatio, ſemper
univoca, ſibi ſimilis, ac vitæ ad vitam eſſatam
per motus vitales. Præcipui ergo ſcopi pul- 29
ſuum, ſunt 1. traductus cruoris, à ſinu venæ ca-
væ, ad cordis ſiniſtrum uterum. 2. caloris aug-
mentum. 3. fabrica ſanguinis arterialis. 4. ac
denique ſpiritus vitalis productio. 5. Alter dein
pulſuum ſcopus fuit ultimus, ut ſcilicet vita
participetur primordialis, reſidens in ſpiritu
cordis inſito. Repetam ergo quæ aliàs. Nimi-
rum, quod formæ quædam niteant, ut in lapi-
dibus & mineralibus; quædam verò inſuper au-
cta luce, ſplendeant, ut in plantis: aliæ verò
ſunt etiam luminoſæ, ut in animantatis. Adeo- 30
que vitalis luminoſitas datur ſpiritui vitali, per
accenſionem, non quidem igneitatis: ſed illu-
minativam, & ſpecificam, ſive per ſpecies diffe-
rentem. Sic quidem piſces non infelicius vi-
vunt, fortius, vivaciuſque, & diutius moventur
quam bruta calida. Scholæ pro iis quæ jam de- 31
monſtravi, ſupponunt cruorem in hepate, ſuſ-
cipere naturam ſpiritus, quem idcirco forte na-
turalem vocant. Qualis nimirum aura eſt in o-
mnibus prorſus herbarum ſuccis, atque hinc
demum immediatè ſpiritum vitalem naſci, at-
que fieri volunt. Ego verò aliunde ſpiritum de-
duco, & proſapia longè nobiliore. An autem
Scholæ, an ego, rectius philoſophemur, cenſeat
Lector, qui utramque jam doctrinam combi-
bit: memor ſaltem ejus, quod mox dicturus,
nempe totum quandoque ſanguinem, atque in-
de creatum liquorem alimentalem, ſive proxi-
mum partium ſolidarum nutrimentum, diſper-
gi tandem per diaphæreſin corporis abſque o-
mni fæce, aut reſiduo capitis mortui. Idque id-
eo,

eo, ut lector inde ſuſpicetur, ſanguinem per ſe
inclinari, ut fiat quandoque ſpiritus; quod de
halitu cruoris non æquè præſumitur. Idcirco
nempè ignorarunt totum arteriarum ſangui-
nem, non raro verti in ſpiritualem aporrheam,
ſive ſpiritum vitalem: Aſt cruor, ſi in halitum in
vitris noſtris leni tepore mutetur, craſſamen-
tum, ac tandem carbonem, in fundo deponit.
Longè eſt itaque doctrina Scholarum remotá à
cognitione ſpirituum, quæ à vapore, ſive halitu
aqueo, putant ſpiritus vitales fabricari: Negle-
xerunt namque in hoc vapore cruoris, quomo-
do ex pane & aqua, indeque parato cruore ſuſci-
tetur, non quidem halitus aquoſus (ut putant)
ſed ſpiritus ſalſus, & illuminatus, ejuſque calor
nedum calefactus: ſed & calefaciens. Quippè
Authorum hactenus nemo iſtud lumen inda-
gavit vitale, quo ſpiritus illuminatur, & quo-
dammodò fervet: ſic ut unum quaſi fiant, vita,
32 lumen, forma, & anima ſenſitiva. Carioſa de-
nique Scholarum doctrina, fines pulſuum, &
anhelitus, confundit. Nimirum, quod anhe-
litus fiat ob alimentum ſpiritus vitalis, vitam
ignis (quem volunt nutriri aëre) refrigerium
cordis, & expulſionis fuliginum. Calorem
nempe vitalem alere intendunt, & refrigerare,
ſive minuere. Quæ qualiter ſimul combinari
queant, dicant alii. Ego lubens neſcio. Saltem
in maxima ſpiritus vitalis egeſtate, dumque ejus
incrementum optatur potiſſimum, tum nimi-
rum elevatio arteriæ eſt minima & rariſſima.
Et vice verſa, dum ſpiritus abundat, elevatio
arteriæ eſt maxima fateor quidem, anhelitum,
per voluntatis frænos trahi, ſive per voluntarii
motus organa: pulſum verò non item. Sed
quandoquidem ſanum pectus ſatisfaciat ſuo
anhelitu, finibus pulſuum, non eſſet ergo pul-
ſus neceſſarius, quamdiu quis friget, ſatiſque
anhelitus inſpirat. Atqui cum tamen interim
non pauſet proinde pulſus, certe aliam pulſuum,
atque aliam reſpirationis cauſam eſſe, ſive ne-
ceſſitatem, oportet. Percipimus nempe anhe-
landi neceſſitates; anhelitum quoque pro nutu
modificamus, & ſibi comprimere in totum poſ-
ſunt aliqui: Sed cur pulſuum neceſſitates magis
vitales & non minus urgentes non ſentimus?
maximè cum ſit vita, id eſt, origo ſenſibilitatis,
quæ ſola ſcilicet ſentit omnem ſuam neceſſita-
tem, & ſola nos ab omni ſenſatione excludit.
Quocirca hinc conjicio, alias eſſe neceſſitates,
33 veteribus ignotas. Scio quidem, à ſanguine ar-
teriali, & à ſpiritu vitali, nullas explodi fæces,
ſordes, aut ſuperfluitates (ut ſuo loco oſten-
dam) fuligines verò deeſſe, ubi non eſt adu-
ſtio: ſed quod cruor in ſui abſumtione, ſpon-
taneo caloris ductu Gas producat ut aqua ha-
litum. Illudque Gas, (quod Scholæ ſpiritum
Iecoris, ſive naturalem cruoris indigetant)
neceſſariò ſubſequenter expelli, ſtat extra con-
troverſiam. Alioquin enim homo, propemo-
dum præ frigore extinctus, citius recaleſceret,
ſi per aliquot horas anhelitum contineret (in-
tellige ſi anhelitus ob refrigerium duceretur)
attamen nec illo quidem ſtatu, anhelitum no-
tabiliter intermittit, ſub pœna mortis. Piſcis
etiam pulmone caret, & anhelitu (bullæ enim,
quas quandoque eructant, ſunt flatus, ſive ven-
toſitates digeſtionis, non autem anhelitus. Ra-
næ verò, & monſtra maris, vocem edentia, fol-
liculos habent, pulmonis officio fungentes,
tametſi piſces non ſint ranis frigidiores: Imo
ranæ, atque hirundines, tota hyeme ſub limo
condiuntur, vivuntque ſine anhelitu, attamen
non ſine pulſu. Alius ergo uſus pulſuum, aliuſ-
que anhelitus, ac neuter ob ſolum calorem:
etenim in acutiſſimis & calidiſſimis morbis,
quoties nimirum anhelitus maximus, ac inſtar
ſuſpirii ducitur, pulſus eſt parvus & celer, et-
iam conſtantibus viribus. Ergo non reſpon-
dent, uſus anhelitus, & pulſus. Maximè quod
aptius refrigeremur, magno hauſtu frigidæ af-
fatim potæ, quam ſi eadem quantitas pluries
pota ſit. Plus inquam refocillamur unico ſu-
ſpirio, quam plurimis parvis & crebrioribus
reſpirationibus. Perinde ac follis, magno atque
continuo flatu, plus præſtat, quam minori-
bus accuratis, licet pluribus. Vnde benè truti-
nanti, atque judicioſo viro, ſatis conſtare pot-
eſt, alium eſſe majoris momenti uſum pul-
ſuum: videlicet qui fermentum digeſtionum
reſpicit. Quorſum mechanicam repeto. Scili- 34
cet, quod tandem ſub ultima digeſtione, totus
ſanguis noſter pereat, exhaletque, nec poſt ſe
fæcem ullam relinquat. Attamen, quidquid per
ſolum calorem exhalat, id univerſum tam in vi-
vis, quàm in inanimatis fæcem poſt ſe relin-
quit (hanc periti, caput mortuum appellant)
quæ tandem fæx ſic toſta, carbonem exhibet.
Eſt quippe actio caloris, ubique ſimplex uni-
voca & homogenea ex ſe, differens effectu ra-
tione materiæ. Itaque ſi vitalis cruor totus de-
beat in nobis ſic diſponi, ut totus tandem, ci-
tra caput mortuum diffletur, neceſſe fuit o-
mninò, id alio contingere medio, quam caloris.
Aër verò ſemper, & ab initio ubique ſeparator a-
quarum fuit ab aquis. Hoc fuit in Scholis neſci- 35

tum. Nempe quod totus cruor, ut in Gas abeat,
duobus alis ad volandum opus habeat, aëre &
fermento. Quocirca attende, quoties aliquid
cruoris in externo corporis ineptum fit,aut non
ſenſim diſponitur, graduſque ſubit, ut totum
per totum fiat volatile, & tranſvolabile, eo momento
jam ſcirrhi, nodi, & apoſtemata ſunt
concepta: ſi verò parte interiori id contingat:
plerumque febres, apoplexiæ, epilepſiæ, aſthmata,
dolores item, & mortes ſubſequuntur.
Videamus ergo, quid aër, quidve fermentum
ad hoc conferat. Inprimis, omnis terræ mucilago,
quæ alias facilè vertitur in vermes, Item
amylum, carnes, piſces, &c. ſemel glaciata, eo
ipſo muccaginem amittunt, & in aquam redeunt
Quatenus aër ſemel glaciei fuit combinatus
optimè (ut quandoque de glaciei pondere
dixi) adeoque eſt primus gradus, quo aër, corpus
tenax, in aquam reſolvit. Deinde, ſub maximis
frigoribus, aëreque puriſſimo, ſumus
edaciores, ſudamus tamen, & è nobis difflatur
minus, cum pauculo atque duriore ſeceſſu.
36 Proinde navigans in mari, duplo, ſi non triplo,
plus edit, (niſi ægrotet) minuſque excrementi
laxat, ſeipſo, in terra degente. Vnde proverbium.
Aqua facit promotionem digeſtionis.
Quaſi verò, navigans non in aëre, ſed in aqua
fluctuaret! fluctuatio autem, nobis aërem recentat,
& hactenus fortior digeſtio. Itaque ſi
fortius edimus, minuſque dejicimus, ſequitur
neceſſario,plus difflari ſive evaneſcere è corpore.
Quod eſt dicere, aërem puriorem Boreæ,
& marinum, facere ad diaphæreſin corporis,
ſive diſponere cruorem, ad ſui perſpirationem
37 inſenſilem. Nimirum ea de cauſſa fit reſpiratio,
non quidem ut aër cedat in alimentum ſpiritui
vitali, ſed ipſi connectatur, aſſuctus per venam
arterialem, & arteriam venalem Pulmonum,
& hactenus traductus aër in cor ſuſcipiat fermentum,
quo comitante,ambo cruorem diſponant
in totalem ſui diaphæreſin. Alioquin multa
fiunt fixa, reſiſtuntque perſpirabilitati, ſi calore
urgeantur, alias erant in ſe volatilia. Quare
alkali non generatur in cinere, ab igne efficienter,
quamquam effectivè inde procedat.
Quippè officium ignis eſt quidem accendere,
conſumere, & ſeparare, non tamen quippiam
38 producere. Cum non ſit dives ſemine, ipſe deſtructor
ſeminum, ignis: ex ſeminibus autem,
procedat omnis generatio. Dum ergo alkali, fixum
fit ex ſale antea volatili, non eſt productio
rei nova: ſed rei alteratio ſaltem. Alkali enim
materialiter quidem erat in concreto, ante cremationem,
fluebatque una cum mercurio,atque
ſulfure. Veruntamen dum ignis tollit mercurium
& ſulfur: ſal quidem,tanquam principium
magis ſubſiſtens, in liquatione concremationis,
arripit ſibi vicinam ſulfuris, ſive pinguedinis
partem, eamque, dum ab ignis tortura, non ſat
valet tueri, partim ſub larva Gas ſimul evolat,
atque empyreumatis odorem acquirit, partimque
apprehenſo ſulfuri colliquando incorporatur,
& verus carbo fit. Quapropter ſulfur conjugio
ſalis jam fixus, non celeriter è carbone in
fuliginem tendit: ſed ſenſim, ac non niſi aperto
vaſe: adeoque cum ſulfure priore (nam hinc
ſulfur rei, plerumque acutum, ſalis volatilis ſaporem
retinet) ac tandem cum ſulfure carbonitio,
juſtum ſui ſalis volatilis pondus evolat.
Quod ſanè nuſquam eſt manifeſtius, quam in 39
carbone mellis. Hic enim,ſi vaſe clauſo urgeatur,
candenti igne immutatus perſeverat; vaſe
autem aperto,ita utrumque abit, ut porro nil cinerum
reſiduum unquam ſuperſit. Materialiter
ergo,ſal alkali præexſiſtit in concreto,ante conflagrationem.
Quoniam formaliter totum ſal,in
concreto erat volatile, & non in forma fixioris
alkali. Quod jam inprimis liquet in cruore, qui
totus abſque reſidentia ulla, per poros inſenſiliter
exhalat volatilis. Sin autem concremetur,
plurimum ſalis fixi in cinere ſuo relinquit.Denique
lignum pini,quod parum cineris,minuſque
ſalis, dat in cinerum clavellatorum præparatione,
totum calcinando vertitur in alkali. Etenim
è Scandia advehuntur nobis cineres clavellati,
Weedaſchen dicti, è pino plerumque, & quercu
nonnulla, concremati, qui cum humidiore aëre
cados quibus vehuntur inficiant, ſale nimirum
liquato: itaque ligna cadorum,ſic ſalita,dum cremantur,
liqueſcunt inſtar cornu, ac tota ferè in
ſalem degenerant, etiam pars cinerum nempe,
ſal fit, ratione contenti ſalis: quod dein *Potaſchen*
nominant. Alioqui enim cineres ejuſdem
ligni, ablato ſale manent cineres, & non
fiunt ſal. Vnde nimirum conſtat,ſalem ex cinere,
ſalem deinde per colliquationem ſibi ſimilem
efficere,& quidem fixum. Ac proinde in concreto
ratione ſalis & colliquationis,fixitatem, aliàs
non exſiſtentem ſuboriri. Ita dum vini tartarus
crematur, vix unciæ ſedecim ejus, dant binas
uncias cum dimidia,ſalis alkali,ergo 13 cum dimidia
unciæ volatiles, calcinando periere. Hæ
tamen ſi diſtillentur, ac demum imbibantur,
in ſuo carbone reſiduo, adhuc quatuor uncias
ſalis cum triente, dabunt per cohobationem.
Ergo quod de quatuor & triente unciis, vides

factum te arbitro, idem judica de duabus unciis
& ſemiſſe prioris alkali. Huc facit quod alibi
de aqua vitæ, fixata in alkali tartari, dixi, idemque
aceto evenit diſtillato, Hinc itaque apparet,
ſal volatile rei fixari in ſuo alkali fixato.
Imo pariter totum cinerem antè fuiſſe volatilem,
fixatumque, ſub prima colliquatione combuſtionis.
Salia autem volatilia, quæ eſſentiis
propinquiora erant, in prima ignis tortura, ſimul
cum eſſentiis abſceſſiſſe. Nota tamen, quod
tametſi alkali, è ſpiritu vini fiat, in tartari ſale
fixo: nihilominus, quatenus ſal aquæ vitæ, connubio
eſſentiæ mutatum ſit, in fixitate tamen
univoca amborum, unum ab altero ſeparabile
eſſe, atque diſtingui. Quatenus alkali è ſpiritu
vini, affuſa aqua forti, ſit rubicundum: alkali
40 verò tartari, non mutat colorem. Quocirca etiam,
eſt ſua inter alkalia, reſpublica & adulteratores
monetæ, plurimum circa ſal tartari laborant,
ſpreto alkali ſalis petræ. Etiam ſal alkali,
paratum, ut dicitur heic è ſpiritu vini, per
ſui ſociationem, mutat ſaporem lixivii tartari:
41 ſic ut evadat balſamus Samech Paracelſi, aſtringens,
qui antea ſaporem lixivii habebat, expers
balſami erat, & cauſticum referebat. Tandem
huc quadrat, quod ligna carioſa, atque putrida,
vix ſalem in ſuis cineribus relinquant. Quippe
ſal volatile, abſceſſit cum ſulfure per fermentum
putredinis, Adeoque tantundem ſalis fuit
volatile in re, ſive concreto, quantum ſaltem in
cinere deficere reperitur. Id eſt, totum. Vnde
ſequitur, quod ſal volatile, tam à ſulfure quam
abs mercurio repetitum, idem ſit materialiter
42 cum alkalizato: ac proinde volatile alkalizatur,
& viciſſim alkali volatilizatur, manente formali
concreti proprietate. Sequitur denique. Quod
ſulfur concreti, diſtillatum, & ſulfur carbonis,
ſint ejuſdem ſpeciei, licet hoc carceratum, illud
43 vero liberum ſit. Hæc quidem me docuit
mechanica, poſtquam citra empyreuma, ſciverim
ſeparare tria è concretis ordinariis. Didici
nempe, quod omne corpus cremabile, in
ſe habet ſal volatile, quod arreptione ſui ſulfuris
fixatur in alkali. Interim plerumque abundat
pars, quæ colliquantis ſulfuris volatilis amplexus
aufugit. In qua colliquatione, viget actio
in rei ſulfur. Quam intellige exemplo aceti
44 ſtillatitii. Hoc inquam cum ſit aqua imprægnata
ſale acido volatili; ſi quicquam actione
ſuæ aciditatis mordendo attigerit, coagulatur
confeſtim, quod poſtea per combuſtionem reperitur
fixatum alkali. Imo ſi ſpiritus vitrioli acidus
& volatilis, corroſerit mercurium æquè
volatilem, acidum vitrioli fixatur in verum alumen.
Quas porro mechanicas, trahendo ad 45
ſcopum conſumtionis totalis in cruore, dico.
Si aër, (arcanum capiat qui poteſt) imprimis volatizat
ſulfur concreti cum omnimoda ſeparatione
ſui ſalis, hoc ſal (quod alioquin in carbone
fixaretur in alkali, per ignem) fit totum volatile,
ac ſurſum ſcandit, in ſpecie liquida quandoque,
& non raro in forma ſublimati: habetque
totam concreti craſin. Hoc ſal, per mechanicam
eſt demonſtratum; ejus autem demonſtratio
eſt paucis cognita, nos licet eam tamen palam
facere. Saltem inde apparet veteribus, verum
aëris uſum in pulſu, & anhelitu, non enotuiſſe,
propter Spagyricæ artis ignorantiam. Saltem
inde conſtat continua neceſſitate, aërem
intro trahi, peculiari fine, ut cruorem venarum,
(aliàs calore noſtro non difflabilem, ſed
potius condenſabilem) planè volatilem, abſque
reſidui capitis mortui memoria, efficiat. In piſcibus
verò, ut cruor non à calore, at ſolis vitalibus
partium fermentis, agitatur: ita nec reſpiratione
opus fuit. Siquidem anhelitu liberè egere
poterant animalia, quorum cruor caloris
timore caret. Eo quod à calore ſit inſeparabile,
quod cruoris parte aquoſiore exhalata, reſiduum
grumeſcat, ac tandem in ſiccam molem
degeneret, niſi inceſſato aëris attractu & connubio
in toro pulmonis & thoracis, ſulfuri cruoris
ipſe aër commiſceretur, velut aquarum ſeparator,
& ſulfur efferret, in ultimo ſui eſſe, mutatum,
una cum aqueo vapore, per Gas inſenſile
tranſpiratum. Iſtud non fuit nudum refrigerii 46
munus (quamquam ſit in Scholis ſic putatum,
quæ cuncta calore & frigore metiri ſunt ſolitæ)
ſed adjuncto arteriarum vitali fermento
(hactenus forte, ac potiſſimum arteriæ, venis
per totum corpus comitantur) fuit majoris momenti,
atque neceſſitatis opus. Adeoque nec
pulſus, eſt plus ad difflandas fuligines cruoris
quam ſanguinis, nec vice verſa; ſed merè potiſſimum
inſervit, (præter fabricam, illuminationem,
& continuitatem vitalis ſpiritus) ad præparandum
ſanguinem in exſpirationem citra
caput mortuum, quod quidem prorſus naturæ
requiſitum. Non quidem ad fugandas fuligines
calore partas (quanquam nulla fuligo ex udis exhalet
propriè) ſed potius ad impediendum, ne
caloris opera ordinaria, vapores, (quos vocant
fuligines indiſtinctim) generentur. Aut proprius
loquendo, ne vaporibus, è cruore diſcedentibus,
cætera cruoris pars inſpiſſata, perniciem
totalem faciat. Quorſum aſpice, quod dolente, 47

lente, calente, & vulnerato digito, ſtatim inſolitus eo loci pulſus ſe proferat, eo quod aëri ingreſſus, ad extra venatum ibidem cruorem, & in labris detentum, ſit impeditus, timorque eſt, 48 ne ſanguis concreſcat, & in pus ſolideſcat. Facto autem pure, is timor minuitur, quia in facto ſiſtit. Ante vulnus enim, occultus pulſus, mox violentus ibidem oboritur etiam antequam calor, vel præſuppoſita fuligo adeſſent. Pariter quoque, mox atque internis membranis, nox aliqua ingruit, arteria ſtatim mirum in modum, toto indureſcit homine, pulſumque durum, ten- 49 tum, vibratum, imo & ſerratilem effert. Nullatenus autem (ut Scholæ autumant) quod arteria ſiccetur ut in corde prænunciet, ac medenti aperiat, qualitatem ac naturam partis affectæ. (Quod ridiculum) natura namque ubique incumbit cauſis intentionaliter maturandis, promovendis, vel amovendis: nequaquam autem edendis ſignis pathologicis, diagnoſticis vel prognoſticis. Sunt enim hæc ſigna per accidens ac præter intentum naturæ à medente notata & obſervata. Si namque in progreſſu naturæ, contingens, trahatur in noſtram cognitionem, id illi eſt per accidens, & totum exoticum, quæ nil (exceptis aſtris,) cum intentione prænunciandi operatur. Sed quidquid facit, id ex juſſu eſt, qui eſt proprietas dotalis ejus. Non igitur arteria pulſum profert durum, eo quod ipſa aridior, & ſiccior facta ſit; quoniam nulla ſpes eſſet, poſt ſiccitatem membranæ, mollioris unquam pulſus; ut nec rehumectationis partis ſemel exſiccatæ. Teſtis ſit ſenectus ipſa, arida & exſucca. Nec denique canalis aut tubus arteriæ, indureſcit in ſignum: ſed in cauſam, finem atque media, alterius intenti: Nimirum ſi verum eſt Scholarum documentum, quod arteriæ pulſent ob finem attrahendi aëris cor refrigerantis, certè ſi ſui illius documenti perpetuæ memores eſſent ut deberent, ſaltem illa tentionis duritie, commodius aërem inſpirarent arteriæ; cum alioqui mollis arteria attrahendo concidat, vermiculans, atque undoſa in ſe labatur, atque adeo, os ejus, quod in duritie 50 hiat, in laxitate clauditur. Induratus ergo pulſus, indicat contractam, non autem exſiccatam arteriam. Si etenim pulſus ad hoc ederetur, ut defectus ac partium qualitas proderentur, certè in apoplexia eſſet pulſus molliſſimus (quia cerebrum pars tota medullaris ſtatuetur offenſum) qui ibidem ſemper eſt durus, & fortis. Sic & oſſifragium, pulſum faceret omnium duriſſimum. Et pure jam facto, major & crebrior pulſus eſſet, quam dum fit. Eo quod præcedens 51 labor, ſpiritus egeſtatem peperit, & præſens pus ſive putredo difflatione celeri eget. Pariter in phlegmone, ſyſtole opportunior, longeque manifeſtior eſſet, quam diaſtole. Quæ cum in facti veritate non ſic ſe habeant, neceſſe eſt, Scholas in finibus pulſuum erraſſe. Quin etiam tunica arteriæ, in adventum ſudoris utut antea durior fuerit, iterum molleſcit, cum ſcilicet major eſſet explodendæ fuliginis neceſſitas, quam attrahendi aëris. Deberet inquam arteria tum patula eſſe, atque durior cum crebra compreſſione: non autem magno pulſu, undarum more, lentius concidere. In affectibus pulmonis demum, cordi vicini, tot venis, arteriis, & cartilaginibus undequaque referti, laxus & undoſus eſt pulſus, & in puris vomica, cum aliquali intermiſſione. Pulmo inquam, ſuis fuliginis exploſionibus, opportunè importuniſſimus, indigeret pulſu duriſſimo, tenſiſſimo, & fortiſſimo. An forte duplex arteriæ tunica, ſudore futuro jam eſt imbuta? hactenus madore alieno molleſcit? alias madoris expers? An duritiem, poſt horam ſudoris reaſſumet? ſuique ſiccitatem alternata mollitie ad lubitum ferè compenſabit? Quam enim imbecillitatis plena ſunt medendi theoremata Scholarum? Siquidem in præfatis pulmoniacis, laxiſſima arteria & pulſus undoſus, nobis patefaciunt, in obſequium thoracis anhelitum dari. Natura enim conſcia eſt, non opus fore citato pulſu, ut neque tenta arteria, ubi pro pectore primum ac conſequenter, ſive ſecundariò, pro reliquo corpore, anhelitus ſuum munus ſuſcepit; eo ipſo nobis oſtenditur, uſus anhelitus alio fine, aliaque parte, quam quibus pulſus eſt præfectus. Quoties itaque plurimo aëre, pro cruore per venas diſperſo, opus eſt, ut volatilizet id, quod minatur obduratum iri, toties ſe ſtringit, tendit, contrahitque arteria, non autem ſiccatur. Attrahitur autem aër ille, non pro nutrimento ſpirituum, vel fuliginum exploſione: at omnino ut qui in ſe eſt, ſeparator aquarum ab aquis, fermento digeſtionis ultimæ calcar addat, ut totum liquorem nutrititium, poſt ſui munia expellat, citra ullam ſui reſidentiam. Igitur aër inſpiratus, inſervit huic fermento, non pro refrigerio, non pro cibo ſpiritus, ut neque pro fuliginum folle. Alioqui etiam laxitas arteriæ, incapax eſt ut ſat inſpiraret aëris. Futurus verò præparatuſque ſudor, cum jam in ſe ſit volatilis, & latice tenus præſto effluat, non requirit laboris plurimum, nec arteriæ indurationem. Labentibus enim viribus, ante vermiculantem undoſus eſt. Debilitata quippe natura, non meditatur amplius magnum laborem. Apoplecticus autem, eſt maximè & longè duriſſimus pulſuum: ac potiſſimum ſub mortem. Id volunt Scholæ fieri, quod pulſus & anhelitus eadem eſſet, ac individua neceſſitas, atque finis. Quatenus (ajunt) cor volet compenſare defectum anhelitus. At ſyncopes virginum uterinæ, quibus anhelitus eſt exſtinctus, vireſque validæ (nam inde reſurgunt plerumque) pulſus minimi ſunt, in redargutionem præcedentis doctrinæ. Sic pariter pulmonariorum pulſus, undoſus, & languidus, quibus tamen natura deberet ſatagere penuriæ anhelitus. In apoplexia autem, cur durus & magnus ſit pulſus, rimandum ex natura morbi. Quam ex profeſſo libro & lithiaſi ſemel attingam. Nunc rei propinquitate duos 52 aphoriſmos exponam. Quorum primus eſt: *Dum pus fit, major labor & dolor, quam facto pure.* Omne apoſtema in pus deſinens, continet neceſſario aciditatem, quæ cruorem in grumum cogit. Ideoque deinceps incapax eſt tranſpirationis: quocirca natura omnem movet lapidem arteriaſque concitat & anhelitum, ut per aërem fermenta præpediant ejuſmodi effectum. Ac tandem nil proficiens, ceſſat ab iſto conatu. Etenim nedum cruor, quatenus grumeſcit, naturæ infeſtus, ſed quatenus extraneum continet aliquid, (alias namque non fieret apoſtema.) Acidi enim proprium eſt omne alimentarium immediatum coagulare; Hinc pus. Rectius quam Galenus ergo Hippoc. dixit: *Non calidum aut frigidum*, &c. *ſunt morbi*: *ſed acidum: aëre amarum, & ponticum.* Vulnus namque ſimulatque corruptionem ſentit, labra tument ſua, & pus fit, niſi violentior vis pejus, ſive Ichor ſaniemve manare cogat. Pus autem Idiotis, bona vulneris digeſtio dicitur, id minus malum rectius cenſendum. Verum ſi vulnus ſit recens, ac balſamo à corruptione munitur, non advenit pus. At cum fundum, vel labra acor, putredinis index contrahit, fit pus. Sæpè enim vermes in vulneribus ob putredinem conſpicui. In culinis, ſi carnes corrumpi incipiant, illarum 53 juſcula aceſcunt. Quapropter omnis potio vulneraria, occultum alkali; & quidem volatile, in ſe contineat oportet, ſi accidentibus, ex corruptione acoris natis, reſiſtere debeat. Quatenus alkali quodvis omnem aciditatem, quam attingit, perimit. Sic nempe lapis cancrorum diureticus eſt, & vulnerarius, quod ſatis conſtat. Nam vino maceratus, poſt diem, ſapit lixivium. Alter aphoriſmus dicit: *Ventres, natura hyeme calidiores, quam æſtate.* 54 κοιλίαι enim cavitates ſonat, non ventres. Suppoſititius eſt, non conformis vicinis, nec genio ſenis congruus. Primariò falſus eſt denique. Nam hyeme edo calida, bibo non ſaltem frigida. Attamen à paſtu frigeo intus. Quorum nullum æſtate ſentio. In tangibilibus enim tactum judicem ſumo. Excuſant Scholæ, ajuntque exterum frigus intropellere calorem noſtrum, unde felicior digeſtio. Inprimis ſat alibi docui, digeſtionem non à calore eſſe. Deinde à paſtu, hyeme magis intus frigus quam æſtate ſentitur. Fateor equidem, 55 omnem calorem eſſe à ſpiritu vitali ſanguinis. Si itaque per frigus, ſpiritus cum ſanguine intro pellatur, periculum ſuffocationis erit, pulſuſque indicium daret, ſi fuligines expellendæ uſum pulſus importent. Item major & velocior pulſus eſſet hyeme quàm æſtate, ſi vera ſit Scholarum hypotheſis. Sed conſequens eſt falſum: ergo & hypotheſis. Sin ſolitarium calorem, abſque ſpiritu, intro fugere velint. Iam inviti admittent, idem accidens per ſubjecta migrare. Tandem quorſum calor ad ſuum fontem intro iret? Et quidem generaliter in omnibus id hyeme fieret? An enim Cor ſanum, quod præ caloris abundantia & fuliginum metu, continua neceſſitate pulſaret, non poterit ob hyemem ſibi de caloris ſufficientia providere? vel quare non ceſſat pulſando potius, quam quod calorem à ſe dimiſſum, præ egeſtate ordinaria repetat? Hæc levi pede pro more tranſiliunt Scholæ. 56 Dicunt enim, copioſius alimentum hyeme abſumi quam æſtate, propter abundantiam caloris. Et iterum, copioſiorem calorem hyeme augurantur, ex pluris alimenti indigentia. Idem nempe, & eodem reſpectu, eſſet cauſa & effectus ejuſdem. Pater & Filius, ante & pòſt reſpectu ſui. Ego verò aërem incuſo. Qui quoties frigidior eſt, etiam eſt ſuæ naturali qualitati vicinior & ſeparator aquarum potior, adeoque cruorem magis in Gas volatilizat, quo aër eſt frigidior. Non ſecus atque de navigantibus eſt dictum. Alioqui ſomnia Scholarum evaneſcunt, quoad calorem, cavitatum, & puteorum per inſtrumentum, dimetiens ambientis qualitates. Quoad ventrem humanum autem, ſimiliter, ſi degat in hypocauſto ſubtepido. Senſus autem organa, nequeunt momenta caloris exquiſitè diſtinguere, ubi eſt ſemeſtre intervallum. Quia ſtant ipſamet tempeſtatum alterationibus obnoxia. Ideo & applicatio ſenſibilium, ad organum ſenſus, diverſa ſta-

tione fallax eſt. Videntur quoque ſtomachi hyeme calidiores, eo quod pluris alimenti egemus. Nec mirum, quia æſtate proinde liberalius bibitur.
57 Nutrimur autem potu celerius, quam cibis. Vſus ergo pulſuum ſunt. 1. Vt per interſtitium traducatur cruor in ſinum ſiniſtrum. 2. Vt inibi, & clientibus in arteriis fiat ſpiritus vitæ ſanguine. 3. Vt fiat è cruore, ſanguis arterialis ſubflavus. 4. Vt à mente humana informetur. Sunt nimirum arteriæ, ſtomachus cordis, ut meſeraicæ ſunt culina Iecoris. 5. Vt ſit continuatio luminis vitalis, per totum. 6 Blas pulſuum, eſt ad fabricam caloris, non autem frigoris. 7. Vt cruor in habitum corporis pro alimento diſperſus, totus fiat perſpirabilis, ſine fæcis memoria poſthuma. 8.Anhelitus autem pro ſcopo habet, hunc poſtremum duntaxat pulſus uſum. Tandem & hoc addo. Non eſſe ſpiritum animalem in natura. Vtpote mutatio, quam ſpiritus vitalis recipit in cerebro, non eſt ad formalem tranſmutationem: ſed eſt gradus perfectivus, ad deſtinationem ſui. Nimirum ſpiritus innatus, intendit ex vitali influo ſibi ſimile generare, idque in ſingulis ſenſuum officinis, illique dat ſigillum ſui organi. Sic nempe opticus ſpiritus non guſtat, non ambo tamen proinde ſpecie differunt, quanquam muniis. Etenim in vitalitate cordis animatur ſemel à mente, fitque ejus univerſale organum vitæ.

ENDEMICA.

1. *SChola ſteterunt unde incipiendum erat.* 2. *Aërem ambientis, non inſpirari in arterias.* 3. *Implicat, aërem vice ſingula inſpirare, & fuligines explodi.* 4. *Demonſtratur imcompatibilitas.* 5. *Sequeretur inde, quod non elevetur arteria, niſi ut concidat.* 6. *Ceſſarent finis, modus, & poſſibilitas attracti aëris, per pulſus.* 7. *Endemica trahi per anhelitum.* 8. *Vapores non trahi intrò ab unguentis.* 9. *Spiritui vitali deeſt vis generativa ſui.* 10. *Paracelſi magnes humanus, eſt figmentum.* 11. *Non dari fuliginem in corde, & arteriis.* 12. *Totam Scholarum Tecmarſin, eſſe pollutam.* 13. *Endemicorum progreſſus.*

1 NOn ſat eſt dicere, fodinæ eructant
venarum, nocui realgaris
Gas ſylveſtre, ac metallicam malignitatem;
paludes, vaporem
fœtidum; ſemiſalſa flumina atque
litora, nebulam morbidam,
atque ſoli fraceſcentis contagium. Aſt propius
eundo, adaptationes cauſarum, ubique dant indagantibus
intellectum, ignaris autem neglectum.
Indubium enim erat hominem in aëre
morari, circumquaque aëre allui, imo & veſci,
ejuſque impreſſionum violentæ tyrannidi, viciſſitudinumque
alteritatibus ſubjici, qua aër
continuus aquarum ſeparator eſt. Aër itaque, per
os, & nares promiſcuè in pulmonem trahitur
parte potiſſima. An verò aër, & per conſequens
etiam ens endemicum ab ambiente intro trahatur
2 per arterias, affirmant Scholæ; Ego verò primus,
multa rationum magnaque veritatis authoritate
ſuffultus, dubitavi. Conſequenter quoque
irrita eſſe ad pulſuum locos appoſita unguenta,
ut intro trahantur. Inprimis repugnant
ſibi hæ propoſitiones. Aër trahitur per cutim in
arterias. Et depreſſio pulſuum, eſt ad depellendum
fuligines, ſuſcitatas ſucceſſivè à corde.
Quoniam ſi fervore continuo continuæ ſuſcitentur 3
fuligines, iiſque expellendis indeſinenter
cor cum arteriis laboret: certè nullus locus
nec ſpatium motus erit, attractioni aëris de foris
intro. Nam ſi è centro cordis, per arterias 4
ſucceſſiva, continua, & indeſinens eſt pulſuum
expulſio, neceſſariò quoque totus arteriarum
canalis, continuo filo à corde, ad pellem uſque,
repletus erit fuligine; Cujus fuliginis explodendæ,
cum major eſſet neceſſitas quam aëris
attrahendi, (citiſſimè namque ignis extinguitur
fumis, non autem tam citò refrigerii penuria
conſumit totum;) non eſt ergo mora pro attractione
aëris. Quin etiam, citato pulſu attractus
aër ac puſillo ſpatio moræ, ſic in minutulis arteriarum
ramis, aër fuligini involutus imbueretur,
quod potius expulſionis uſum augeret,
quam refrigerio cordis ſatisfaceret. Stante ergo
fuliginum hypotheſi, aër forinſecus nullatenus
trahitur per arterias intro, adeoque Scholæ incircumſpectè
ſua dictitant, & invicem ſibi tamen
ſubſcribunt. Quinimo ex eadem hypotheſi 5
ſequitur, quod per ſe non elevetur arteria
atque primariò: ſed tantum principaliter elevetur
ut concidat, ea denique opera ſarcinam deponat,
pellatque ſuffocationis metum. Cum
iſte finis pulſuum eſſet præcipuus, alter verò
qui eſt refrigerii, ſit reſpectu prioris ſecundarius.
Denique ſi arteriæ, aërem intrò ſugerent,
ad quem quæſo finem id fieret, cum magis noceret
quam prodeſſet crudioris endemici aëris
ſuctus? Etenim non propter refrigerium
cordis: cum ſinguli pulſus vix tantillum, mini-

mis, & extremis arteriarum oſculis, de aëre allicerent, quod tractu celerius, mox dein, per arteriæ depreſſionem non exploderetur? Imo citiſſimè, eo ipſo ſic fuligini eſſet counitum, & calefactum à ſanguine arteriali, ut nequicquam inde refrigerii cor in ſe ſentiret: cum præcipuè non unico attractu aër iſthac, à pelle ad cor pergeret, ſed multiplici arteriæ depreſſione intercedente ſic in via incaleſceret, ut omnem refrigerii ſpem eluderet. Quocirca, ſi arteriæ aërem forinſecus allicerent, neceſſariò ſemper elevatio arteriæ, longè depreſſionem ſuperaret velocitate & magnitudine: quod abuſivum eſt. Vt etiam, quod aër refrigerii qualitatem ſervaret impollutam, per tot anfractus arteriarum ſenſim introductus. Denique nec arteria traheret aërem, ut exinde ſpiritus vitalis augmentum ſumat. Quoniam, conſenſu Scholarum, ſpiritus vitalis non ex aëre; ſed è vapore cruoris fit, in corde ad extremum elaborati, ac vitali facultate inſigniti. Hebeſque ſit affirmatio, quæ ſupponit, ſpiritum vitalem nutriri ſimplici elemento. Dum nutrimur iiſdem, quibus generamur. Quapropter cum aër introtractus, ſit corpus elementale, non habeat naturam ſpiritus ſanguinei, ut nec humana determinatione aër unquam poſſit individuari, non poterit nutrire corpus concretum. Vt ſuo loco docui. Quin ſemper univerſalis elementi proprietates ſervet, non autem Archei conditionem acquirat. Aër enim, nec nobis affinis nec vitalis eſt lucis capax. Ideoque arteria horrebit exoticum, nec prius debitis officinis elaboratum aëra in ſui familiam adſciſcere: nec attentat natura aliquid fruſtra; ut neque aêrem præparare, ut fiat id, quorſum planè poſſibilem non habet inclinationem. Fruſtra alioqui, per tot digeſtionum apparatus viſcerum diſpendia & officinas, ſpiritus vitalis fieret, ſi tam levi compendio, & citra uſuram de foris maturetur. Decepit enim Scholas, quod hactenus creditum ſit, Ignem neceſſariò aëre nutriri: idcirco & ſpiritum vitalem, ut omnis caloris noſtri authorem, indigere pro ſui cibo, aëris elemento. Aſt, jam ſuperius elucidavi, Ignem nec ſubſtantiam eſſe, nec nutriri aëre, imo neque re combuſtibili: niſi quod properando ad fines ſuæ deſtinationis, requirat inflammabile pro objecto: non autem pro nutrimento. Defectu quoque objecti, perit in inſtanti, dum ſuæ deſtinationis finem eſt aſſecutus. Quippè cum nec ſubſtantia ſit, nec accidens, perit quoque defectu objecti: eo quod ſuum objectum ſit quoque ejus ſubjectum. Adeoque & iſtud eſt ſibi ſingulariſſimum, & ha-
ctenus neſcitum. Ceſſat ergo finis, ob quem 6
traheretur aër externus, per pellem in arterias,
ceſſat modus, ceſſatque poſſibilitas, ſtante fu-
liginum hypotheſi. Denique ſi arteria ſugat aë-
rem per pulſum, indifferenter ſugeret, & ende-
mica promiſcuè, adeoque nocua eſſet ejuſmodi
attractio. Quod falſum frequenti experientia
adnotavi. Præcipuè quod quoties peſtis pere- 7
grina deforis contrahitur per anhelitum, ejus
adaptatio non fit, niſi juxta ſtomachum. Quod
per ſenſum loci, anxietates, vomitum, ſuſpiria,
Cephalalgias, & deliria palam fit. Adeoque pars
in nobis, quæ primos motus apprehenſionum
ſentit ac format, etiam primos peſtis inſultus
ſentit. Concedo quidem, Peſtem contrahi, con-
tractu rei contaminatæ, atque illico ſentiri dolo-
rem, velut pungentis acus. At hoc non arguit,
fieri proin ſuctum aëris per arterias, ubi ipſum
venenum aptum eſt, pellem inficere & confe-
ſtim in eſcharam urere. Eſt nimirum longè a-
liud, peſtem intrò trahi per arterias, ſive per ſu-
ctum allici: atque aliud, per attactum, tanquam
per ſerpentis ictum, intro, vi ſuæ contagionis
repere; emplaſtra enim, balnea & olea, pellem
alterant, & conſecutivè vel pergunt alterare, vel
trahunt è centro ad pellem: Non autem quod
intro materialiter inde petiti vapores trahantur.
Tum demum, pulſus non eſt per modum re- 8
ſpirationis, quæ uno ſuſpirio quidquid in tho-
race eſt aëris, efflat: ſed eſt pulſuum motus in-
terruptus per oppoſitum, & creberrimus proin-
de non minus exſpirans quàm inſpirans, feſti-
nantque alternativi illi motus tantum, quod ſi
quid aëris attraxiſſent, id fruſtrato fine intraret,
cum in inſtanti iterum extunderetur. Siquidem
quod oſculis eſt vicinius, id etiam primo efflare-
tur. Adeoque ſpem non haberet aër, unquam pe-
nitius admitti, aut refrigerio cordis ſe ſatisfactu-
rum. Denique, ſpiritui vitali deeſt vis generati- 9
va, qua aërem in ſpiritum tranſmutatione for-
mali deduceret. Cum illa vis competat fermento
& officinis, ſine quibus non fit cruor. Neque e-
nim cruor poteſt generare cruorem, & dato
chylo ſtomachi, in vena aut arteria; non proin
fieret unquam inde cruor, aut ſanguis. Aër ergo,
etſi corpus aptum eſſet, non poſſet fieri tamen
alimentum ſpiritus vitalis, niſi primum in cor-
de fuiſſet elaboratus, vividus, & illuminatus in-
dividualiter juxta ſpeciem humanam. Quorum
ſingula elemento repugnant. Nugax ergo eſt 10
commentum irritum; fictumque eſt cordis re-
frigerium, attracto aëre intrò, per arterias. Fi-

ctuſque eſt hominis Magnes à Paracelſo cele-
bratus. Cum arteriæ nil intro ſugant: eſſetque
aër ſic introductus, majori arteriis oneri quàm
ficta Scholarum fuligo. Si ergo arteriæ non tra-
hant aërem, multo certè minus id faceret caro,
cavitatis carens aëris inimica. Enimvero, ut aë-
rem forinſecus trahi ad cor, per arterias, tam ad
ejus refrigerium quàm alimentum, atque aug-
mentum ſpiritus Archei, non eſt niſi merum
11 commentum: ſic æquè eſt frivolum Scholarum
inventum, quod ſola neceſſitas explodendæ fu-
liginis, in corde natæ arterias deprimeret. Si-
quidem præcedenti jam limite alios pulſuum
ſcopos ad longum oſtendi. Nam quidquid in
corde fit aut purum ens eſt putumque defæca-
tum, atque vitale. Non eſt enim ibi aduſtio em-
pyreuma, ſiccitas, nec fuliginum cauſa effi-
ciens. Inſulſum enim eſt vitæ fabricam, de-
ſtruenti igni ſic comparaſſe, ut ſanguinem ibi-
dem aduri, & fuligines fumoſas edere, fingen-
dum ſit. Nam ſi quæ exoticæ aporrheæ, quan-
doque præter naturam cordis limites, inordina-
riò attingunt; confeſtim arythmos palpitatio-
num & procellarum intermittentium defectus
ſentimus. Verùm ſi ordinaria eſſet cordi fabrica
fuliginum, quomodo ſequeſtrarentur à ſpiritu
vitali? & quo vallo, diremta ab invicem mane-
rent? Quomodo poſſibilis eſſet fuliginum ex-
ploſio, quæ ſimul ſibi intimè permiſtum ſpiri-
tum vitalem non profunderet affatim? Adeone,
uti Scholæ nil habent puræ doctrinæ, etiam nil
impolluti, nil ſine excrementitia, & ſtercorea
fuligine, infœdum patiuntur? Putantne eſſen-
tialia vitæ munia, tam fuligini quam vitæ ſpiri-
tui, competere indifferenter? Adeoque & ha-
ctenus commiſceri? Quomodo, depreſſio ar-
teriæ, in finem bonum, & à Creatore deſtina-
tum, hactenus tenderet, quæ cum fuligine ſimul
ſpiritum vitalem ſibi permiſtum, efflaret? Ad-
eoque mortem, atque perniciem præſto adfer-
ret? Quomodo ipſe rerum arbiter, ſummè ho-
norandus, vel à creato homine, per pulſuum ſy-
ſtolen non feciſſet mortem? Denique ſi fuligo
eſſet pulſuum modulamen (ut volunt) quis eſſet
ille ſeparator, qui fuligines potius in carnis ha-
bitum foras quam per aortas, recta in caput diſ-
cedere cogeret? Aut ſi indifferenter cum ſpiri-
tu vitali, in ſinus cerebri commiſta fuligo pro-
perat, cur non continuo ſenſuum turbant œco-
nomiam? Quid ſi arteriæ compreſſio, fuligi-
num expulſioni ſit dicata, cum enim arteriæ
ſint lateraliter pertuſæ, ſic ut locis per quæ tranſ-
eunt, hactenus ſpiritum & vires vitales largian-
tur: ergo & iſthac ſimul fuligines expellerent.
Quæ ſanè pernicioſiores eſſent omnibus viſce-
ribus, quàm ipſis arteriis, eo quod hæ, cenſean-
tur recenti aëre recreari, non autem viſcera. Si
ergo velint, fuligines per arteriarum compreſ-
ſionem expelli, oſtendant nobis prius, fuligines
non ſecus, quam per ultima arteriarum oſcula,
purgari poſſe, idque ſoſpite ſemper ſpiritu, fuli-
ginibus permiſto. Scholæ profecto, pollutam
fuligine doctrinam ſuſtinent, cæcoque ignaviæ
ſuaſu, ſuo ſubſcribunt genio Galeno. Cum igi- 12
tur materiam, calorem, reſidentiam, contentum,
& circulum urinæ ignoraverint, pulſuum verò
cauſam efficientem prætererint: ad calores
verò, & frigora potiſſimum refugerint, veroſ-
que fines neglexerint, tota Tecmarſis medendi
polluta manſit. Scholæ igitur, velut ex tripode
prophetatæ ſunt, tam in cognitione morborum,
quam eorundem progreſſu, atque termino.
Quod poſtmodum multò luculentius probabo.
Endemica ergo, qua & quorſum intrant, affe- 13
ctant omnia: caput videlicet, thoracem & ho-
rum clientes. Quantumque valent, tantundem
operantur atque efficiunt. Quædam enim la-
bem, in partem imprimunt, & deindè abſce-
dunt. Vt ſunt nebuloſa, fœtida, fracida, &c.
Quædam verò ſpecie fumi intrant, ac inſpiran-
tur mineralia, quæ intus denuo coagulantur di-
verſimodè. Nam aliqua cum ſcreatibus ex-
ſpuuntur, ſi noxia non ſint. Alia verò, parieti-
bus cannarum pulmonum, tenaciter in vitam
adhærent, ſuamque in hoſpitium tyrannidem
exercent. Hujus generis eſt, quidquid è venis
mineralium effumat. Quapropter & fumus mi-
neralium ob ſui malignitatem & virus arſeni-
cale, ſynonyma evaſerunt: Coincidunt nempe
Arſenicum & fuligo, ſive fumus metallorum.
Vnde raucedines, cordis tremores, lipothy-
miæ, Aſthmata, pleuritides, peripneumoniæ,
tuſſes, ſputa cruenta, tabes, vomicæ, &c. In-
terim non liquet, endemica per arterias trahi,
neque eaſdem affici immediatè. Sin autem Mer-
curius tremores pariat, ſaltem id eſt arteriis
impertinens. Nec etiam proinde tremunt, qui-
bus Mercurius per unguina intro adactus eſt:
ſed veſicantur ore, gutture, uvula decidit, & ul-
cerantur, vacillant ac nigreſcunt dentes, tumet
caput & immenſum ſalivant fœtida. Deaurato-
res quoque, foſſores & ſeparatores Mercurii,
quia inſpirant virus capiti lethale, atque nerva-
ceis; efficiunt in nobis endemica quantum
poſſunt.

SPIRITUS VITÆ.

1. DOctrina Veterum de triplici ſpiritu. 2. Steterunt, unde incipiendum. 3. Spiritus vini, continet duo tantum initia chymica, ad lubitum Artificis flexibilia. 4. Spiritus vitalis, è ſpiritu vini. 5. Ebrietas quomodo. 6. Spiritus vini, & aquæ vitæ quomodo differant. 7. Quidquid ſolo igne ſtillatur, recedit à viribus prioris concreti. 8. Differt fermentum ſtomachi & panis. 9. Fermentorum pluralitas. 10. Neſcitum Gas, peperit plura abſurda, in rerum diſtinctione. 11. Sanguini, & non cruori, ineſt anima. 12. Cruor, abſque ſpiritu jecorario. 13. Ebrietas. 14. Progreſſus ſpiritus vitalis, per munia. 15. Indoles eſſata, ipſius ſpiritus. 16. Quæ per ſenſum cenſentur unum, decernuntur in effectibus. 17. Vnde ſpiritus vitæ, ſit balſamicus. 18. Spiritus aquæ vitæ, ſolo attactu, oleoſitatem amittit. 19. Statim fit ſal. 20. Totus cruor vertitur in ſalem. 21. De vita ſpiritus vitalis. 22. Lumen ſubinde extinguitur in materia ſpiritus. 23. Totidem luminum ſublunarium ſpecies, quot vitalium. 24. Definitio ſpiritus vitalis. 25. Calor vitæ, non eſt conſtitutivus ſui humidi. 26. Calorem eſſe vitæ adjacens. 27. Scholarum indiſtinctio, effectuum caloris, & fermenti. 28. Vnde calor eſcharoticus in nobis. 29. An ſit ſpiritus animalis à vitali diſtinctus.

DE Archeo tanquam fabro in ſemine,
jam ante diſſerui, & qualiter
cuncta diſponat tam in generatione,
quam tranſmutationibus
ciborum per curſum vitæ; Quod
munus proprie ſpectat ſpiritum
inſitum : nunc autem quomodo atque unde
conſtituatur ſpiritus in arteriis fluctuans, occaſione
Blas humani jam deſcripti, illorum officium
& proprietates conſequenter hoc tramite
1 explicare ſuſcepi. Scholæ docent alimenta primum
in chylum, dein in chymum ac cruorem
mutari, adeoque in jecore ſpiritum quendam
naturalem fieri, qui repetita dein digeſtione
cordis, in vitalem mutetur, atque tandem in
cerebro animalis, ſive ſenſitivus fiat. Sic ut naturalis,
ſit alendis partibus; vitalis verò, conſervandis
iiſdem : atque animalis, ſenſus, motus,
animæque functionibus deſtinatus. Aſt autumo,
longè aliter philoſophandum atque ulterius
progrediendum fuiſſe : etenim ſpiritum
quendam, ex Hippocr. Noverant illud eſſe impetum
faciens. At non ſufficiebat ſcire, quendam
eſſe ſpiritum, quibus organis fieret, quidve
ageret, dixiſſe, niſi ſimul ejuſdem indolem,
ſubſtantiam atque proprietates, cum fiendi modo,
explicarent. Alibi tradidi, quod è qualibet 2
planta, & fructu, appoſito fermento, fiat aqua
vitæ. Quod cum vulgo ſcitum ſit, dum è granis,
hydromelite, & ſuccis aquam vitæ fabricat:
Demonſtrationis non indiget propoſitio. Eſt 3
autem aqua vitæ, liquor volatilis, oleoſus, (quatenus
totus inflammatur) totuſque ſalſus (quatenus
acris, mordax, ſicut ore detentus diutius,
epidermida gingivarum ac labiorum urat)
unumque & idem ſimplex, ſic duo tantum,
& non tria chymica initia continet. Sic
quidem, ut pro nutu artificis, tota aqua vitæ
ſal fiat, vel oleum; Hoc eſt. Ejuſmodi initia
non eſſe initia, non conſtantia : ſed arbitrio
humano mutabilia. Continet autem vi- 4
num pro parte ſui vinoſa ſpiritum, aquæ vitæ
reſpondentem : hic enim, abſque aliarum officinarum
maturitatibus, rapitur per ſtomachi
arterias ad caput. Sic, ut ſi plus juſto, (vini) in- 5
ſit ſtomacho, ſequatur ebrietas, quatenus ſpiritus
vini largius in caput affluat, quam commodo
intervallo, queat commutari, determinatione
individuante humana. Hinc enim conſtat
commutatio, itemque fermenti operatio.
Veruntamen in vino eſt iſte ſpiritus mitior, 6
quam aqua vitæ, quæ per diſtillationem elicitur.
Quod à pari ſpectatur in oleo olivarum. Diſtillatum
enim (quod vocant oleum laterinum,
vel oleum philoſophorum) differt longè ab oleoſitate,
quæ elicitur ex oleo ſimplici, per ſolam
digeſtionem cum ſale circulato Paracelſi;
Separatur namque ſal circulatum, idem in virtute,
ac pondere, poſtquam oleum olivarum in
ſuas heterogeneitates diviſit. Dulce enim &
duplex oleum ex oleo olivarum, prout & ſuaviſſimus
ſpiritus è vino ſeparatur, longè ab
aquæ vitæ acrimonia ſegregatus. Vnde conſe- 7
quenter didici, quidquid ſolo igne diſtillatur,
procul à viribus concreti recedere. In nobis autem,
etſi cibus ſuo modo putreſcat, (ſi nempe
putredo iſta ſit medium tranſmutandæ rei, in 8
rem) attamen in digeſtionibus noſtris per
iſtam putrefactionem (actionem inquam fermenti
ſtomachici) non extrahitur aqua vitæ ex
oleribus, granis, pomis, aut leguminibus. Siquidem
intentio naturæ, non eſt tunc procreare
aquam vitæ; eſtque aliud in nobis fermentum,
quo res reſolvuntur in chylum, atque illud,
quo res dimittunt ex ſe aquam vitæ. Nam

herbæ,dum per fermentum in aqua putreſcunt,
pro extractione aquæ vitæ manent caudex, ſtipites
& folia integra , in figura & duritie priſtinis
: quæ à nobis manſa , in chylum vertuntur,
9 primamque ſui faciem amittunt. Quocirca
comprehendi , tot putrefactionum varietates,
totque ſtercora unius panis ſpecie diverſa, quot
ſpecies animalium pane nutriuntur. Imo præterea,
longe plura panis fermenta, ſiquidem adhuc
pluribus mediis , tam ſponte , quam ex inſtituto
panis putreſcit. Quod de pane enim,
tantundem de aliis cibis , ſit dictum. Scholæ
quidem ſciebant, nil nobis proficere , quod in
ſui radice non contineret vitæ præludium,)adeoque
aërem idcirco , pro ſpiritus augmento
admittunt, poëtarum deceptæ monitis , vitales
auras dicentium :) voluerunt nempe in cruore,
ſpiritum hepaticum ; naturalem, actu eſſe, auræque
10 inſtar gliſcere. Putarunt nempe eſſe vaporem
; Neſciæ,quod vapor nunquam fiat Gas incoagulabile,aura,æther,vel
exhalatio ſylveſtris :
ſed maneat ſemper aqua. Putarunt itaque,quod
vapor è cruore extravenato (prout è quolibet
tepente liquore) exhalans , eſſet cruoris ille ſpiritus
, unde materialiter ſpiritus vitalis fabrefieret.
At ſanè cruor, quamdiu in vaſis Meſenterii
& Portæ fluit, eſt ſpiritus expers. Quare & per
laxativa evocatus, putidus excernitur, abſque
notabili debilitatis indicio : quod non ita fit , ſi
ad venam cavam ſemel pertigerit. Quoniam
tum , homogenealiter, cruor eſt ſigillatus præludio,
ut fiat ſanguis arteriæ & ſpiritus, ideoque
indifferenter cum ſanguine , in Sacris vocatur
ſpiritus rubens , cui anima inhabitat . Quanquam
11 id propriè de ſanguine intelligatur : utpotè,
loquens Scriptura ibidem, de jugulatis vel
enectis, quibus cruor ſimul cum ſanguine profunditur.
Aliquando de digeſtionibus docebo,
quidquid in ſtomacho conficitur, id à fermento
ibidem (Etiam ipſum ſaccharum) aceſcere, non
quidem aciditate aceti , omphacii , citri aut vitrioli
; ſed ſuo fermento pari , & aciditate ſpecifica,
quamvis cum aliis acidis , in acido ſymbolizet.
Eſt tamen interna dynami , ab omnibus
diverſus acor. Eſtque iſtud acidum ciborum
perfectè volatile. Nec obſtat : quod chylus in
adoleſcentibus , oſſis fixitatem aſſumat, ut & in
fracturis oſſium. Eſt namque idem chylus ſtomachi
, poſt accretionem , qui adoleſcenti erat.
Ille verò totus tandem difflatur abſque ullo ſui
reſiduo : rurſus oſſis naturam in Poro reſumit
in fracturarum ſolidatura.Ideoque eo ipſo,chylus
omnis eſt volatilis, & hactenus in cruore aliquando
ſpiritus indolem aſſumet. Non quidem
quod ſpiritus illi inſit naturalis , & à cruore diverſus
: ſed potius , quod cruor totus ſpiritualem
characterem in promiſſione adeptus ſit ;
1 Ioan.5. *Aqua, ſanguis, & ſpiritus, unum ſunt.* 12

De digeſtionibus verò docebo , quo pacto iſtud
acidum , in chylo tranſmutetur in ſalem volatilem
, cujus pars excrementitia , cum urina, &
ſudoribus , proſcribitur. Ipſa vero maſſa cruoris,
virtute fermentali cordis , & pulſuum adjumento
, tranſeat in ſanguinem , ex flavo rubicantem,
unde ſpiritus vitalis efficitur. Adeoque
non aër aut vapor cruoris : ſed ipſus cruor in
ſanguinem , & inde demum in ſpiritum vitalem
deducitur. Iecoris quippè munus eſt univocum,
& dicitur ſanguificatio , non autem ſpiritus
creatio : quæ procul invicem diſtant. Neque
enim uni viſceri , totidem ac tam diverſa
competunt munia ; maximè quod cruoris rudis
moles, nondum ſpiritibus ſeminarium aptum
ſit. Sufficit enim jecori , tam paucis arteriis,
& vitæ communione ditato, chyli in cruorem
vera tranſmutatio , & novi entis vera generatio.
At in corde, tanquam vitæ fonte, cogitatur
primum de vitalibus initiis. Cruor enim
ibidem,in ſanguinem atque auram vitalem extenuatur
; quæ duo unica prorſus actione perficiuntur.
Iuxta promtiorem & tardiorem cruoris
obedientiam. Cruor enim fit cum chyli ſive
cremoris inſpiſſatione, liquidi ideo excrementi,
ſive lotii ſeparatione : ſed ſpiritus fit cum inſpiſſati
attenuatione. Quæ actiones ambæ tam
oppoſitæ,nec ideo uni competunt jecori. Quod
ſi autem Scholæ velint ſpiritum naturalem in
cibis præexſtitiſſe, in jecore verò perfectionem
accepiſſe. Cæterùm bullitis, coctis, & aſſis, facile
exſpirat : & ſi quis reſtitet forte , ille noſtræ
œconomiæ non eſt hepaticus. Fateor equidem,
ſpiritum vini eſſe vegetabilium ſpiritum, facilèque
rapi in arterias , tanquam ſimplex ſymbolizans
, præviè diſpoſitum , ut facilè in ſpiritum
vitalem tranſcendat. Sed exin , Scholæ nil pro
ſuo hepatico conficiunt. Nam ſpiritus vini citra
digeſtionem è ſtomacho immediatè rapitur in
arterias , nec per gradum cruoris aſſumitur collega
vitalis, facilè quoque exin colligitur , vitalem
ſpiritum non præſupponere naturalem. Patetque
quod dixi. Siquidem qui deliquia vel
tremorem cordis patiuntur, ſentiunt vini ſpiritum
mox & immediatè,in conſortium vitæ admitti
, neque enim tum etiam à multo affatim
vino inebriantur. Alioquin vino adhuc corporaliter 13
exſiſtente intra ſtomachum, ebrietas non

aliunde procedit, quam quod vinoſus ſpiritus, affatim in cor & caput raptus ſit, & præexſiſtentium ſpirituum ibidem confuſionem pariat, ipſe adhuc in cordis officina nondum politus advena. Cruor ergo ipſus, eſto ſpiritus hepaticus, corporalis, coagulatus in materiam, & vitali œconomiæ ſubſtratus. Per me licet, dummodò intelligamus rhetoricè. Nempe ipſum cruorem eſſe objectum capax, & materiam ut inde fiat ſpiritus. Et philoſophicè loquendo, ſive propriè, non ineſt cruori ſpiritus, ipſi à jecore factus. Eo quod hepati incumbat labor ſanguificationis, ſeparationis, laticis, urinæ, & ſudoris. Dum ſcilicet celerrimè iſthæc tranſeunt per exiles venularum cataractulas. Cruor nempe, etiamſi in meſeraicis præludia ſui ſuſceperit: vera tamen ejuſdem fit generatio, fibrarum item, atque coagulationis dotes, ſub celerrimo tranſitu, cum ſuo ſero, per capillaceæ tenuitatis tubulos. Quod ſi & hepati inſuper, incumbat generatio ſpiritus: præter enim fruſtraneam ejuſdem generationem, eſt hepar nimia ſarcina, atque officiorum pluralitate proſternere, aſini inſtar. Sufficitque cruori, quod civis venarum factus, participet de vita, vitalique lumine illuſtretur. Itaque prout à cordis fermento & labore cruor fit ſanguis & volatilis ſpiritus: Ita ab arteriis deſumto fermento, cordis vicario, fiuntque ita volatiles, ut nullam poſt ſui conſumtiones reſiduam amurcam relinquant: ſed totali ſui
14 tranſpiratu egrediantur. Cor ergo fabricat è
cruore ſanguinem quem eadem aptat extenuatque opera, ac tantundem ſpiritus vitalis in ſanguine facit, quantum cruoris groſſities, renitenſque ejuſdem ſubſtantia permittit tantulo ſpatio, quo intra ſinus cordis agitatur, atque concutitur. Enimvero, necdum ſatis eſt, noviſſe cruorem eſſe ſpiritum, item traduci in ſanguinem arterialem, & dare ſpiritum vitalem, cujus favore à mente informetur, atque animatus fiat. Et hinc demum transferri in ſinus, ſive ſtomachos cerebri, ibidem variam ſuſcipere characterum determinationem. Ita ut motivus fiat in ſpinali medulla, viſimus in opticis officinis. Qui ſi aliquo errore ad linguam ducantur, guſtatui ſunt plane inutiles. Quapropter fieri, ut non raro digiti ſtupeſcant, pars aliqua mobilis, vel ſenſum vel motum, relicto ſenſu amittat, eo quod alieno ſpiritu & devio, partes
15 irrorentur. Sunt nempe tactuum authores motui impares, & viciſſim. Quin inſuper indolem ſpiritus vitalis, noviſſe oportet. Enimvero quandoque ſat liquebit, ex chylo acido, partim cruorem, partimque urinam ſalſam & excrementa fieri: Salſedinem verò illam excrementoſam, eſſe ſpiritum volatilem & ſalſum, qui terræ confermentatus, tandem ſaliſpetræ naturam pro
parte aſſumit. Cruor quoque per diſtillationem, 16
dat hunc ſpiritum ſalſum, planè volatilem, ac ne-quicquam à ſpiritu urinæ diſtinguibilem. In eo tamen, eſſentiali ambos proprietate, differre conſideravi, quod ſpiritus ſalis cruoris, curet epilepſiam, etiam adultorum, non item ſpiritus ſalis urinæ. Ergo patet in cruore, ſpiritum ſalſum & volatilem contineri. At quo modo, totus abſque heterogeneitate cruor transmutetur à fermento cordis, in ſpiritum, quantum dici poteſt, explicui tract. de vita longa. Quia alioqui naturæ non ſunt à priori demonſtrabiles, ut nec fermentorum operationes, quia cauſæ ſunt eſſentiales, in rerum tranſmutatio-
nes. Eſt ergo ſpiritus vitalis, ſalinus, ideoque 17
balſamicus, & cuſtos à corruptione, idque non tantum ratione ſalis, quantum reſpectu luminis concepti, in ſuo ſale. Adeoque nec poteſt aër, ejus additamentum aut alimentum fieri. Etenim quanquam aqua vitæ, facile in ſpiritum vitalem aſſumatur, non eſt tamen hic oleoſus ac combuſtibilis; ſed ſpiritus vini, ſolo fermenti attactu, facile totus in ſalinam naturam volatilem aſcendit, ut extemplò oleoſam, ſive accen-
ſibilem proprietatem, amittit. Prout per me- 18
chanicam docui, tract. de Duelech. Quomodo nempe, unico inſtanti, aqua vitæ tranſmutetur in offam albam, non inflammabilem quod aquæ vitæ evidentius contingit, per fermentum vi-
tale ſalinum. Igitur ſpiritus vini, ſine mora, vel 19
ulteriori digeſtione, confeſtim rapitur in cor, per arterias ſtomachi, & vires reſtaurat, eo quod parvo labore in corde perficiatur. Non tamen eſt putandum, quod ſpiritus vitalis, ſit acidus, eo quod ſpiritus ſaliſpetræ ſit placide acidus, fiatque tandem ex ſpiritu urinæ. Quia ſpiritus unde ſalpetræ in terra coagulatur, non fuit acidus, dum eſſet ſpiritus urinæ. Eſt ergo ſpiritus vitalis ſalſus, non acidus, (Acidum enim extra ſtomachum, toti corpori eſt hoſtile) ſpiritui ruinæ vicinior, quam ſalipetræ, multoque adhuc magis alienus eſt à ſpiritu ſaliſpetræ, per aduſtionem, & commiſtionem adjuncti, extracto. Salſedinem autem ſpiritus vitalis facile percipiunt, qui membrum aliquod ſtupidum habuere, quod ſenſim tactum recipiens, punctiones & ſtimulationes patitur, quæ veræ ſunt ſalſedinis indicia. Salſedo quidem ſpiritus, cognoſci poteſt; ſed ejuſdem lumen, immediatè, & fon-

taliter à Patre luminum procedens, omnem arcet
20 mortalium indagationem ulteriorem. Porro
quod totus cruor ſit merus ſal, non fortius
probari deſiderat quam quod totus cruor, homogenealiter
in ulceribus, Aſcite, *&c.* Ichor
fiat, per degenerationem immediatam. Cruor
enim intensè rubet, flaveſcit autem dum ſanguis
fit: eo quod rubedo flaveſcat, ubi per ſalem
volatilem velut diſſolvitur. Mortuum adhuc
21 eſt, quicquid dixi hactenus. Spiritus vitalis,
muniis vitæ fungitur. Non eſt autem liquori,
aut exhalationi quatenus ſalſis, proprium,
auguſtum vitæ faſtigium. Vtque vivat, neceſſariò
lumen habere debet à Patre luminum, rerum
vita. Ergo oportet, ut ſpiritus, ſive æther
vitale, ſit illuminatum lumine ſimpliciter vitali,
nec quidem univerſali: ſed ſpecifico, & individuante.
Nec etiam lumine igneo, urente, inflammante,
& concentratis radiis conſpicuo.
Aſt, eſt lumen formale, de conditione animæ
ſenſitivæ. In quo verbo ſiſtuntur deſcriptiones,
& indagationes ulteriores mortalium. Quorſum
finge, vermes Nitedulas, lucem in ventre,
ſub noctem habere, (ut & maris bullæ habent
nocturnum nitorem, atque plurima, quæ per
putredinem in ultimam pergunt ſalium materiam.)
Vitalem tamen, & quæ cum vita illarum
extinguitur. Par lumen aliquod finge in ſpiritu
vitæ, qui quoad vivit, lucet, dumque morientis
oculos deſerit, cornei apparent, & defœdati.
22 Extinguiturque iſtud ſubinde lumen, adhuc
ſpiritus vitalis ſoſpite materia, in Peſte, veneno,
ſyncope, *&c.* nec putes tamen, parem lucis
eſſentiam in nobis, & Nitedulis, ut ſcilicet lumina
23 ſolo graduum tono diſcrepent. Sed revera
totidem ſunt luminum vitalium ſpecies, quot
vitalium creaturarum. Idque abundans divinæ
largitatis eſt indicium, quod luminum, quæ
nobis ſub unica comprehenduntur notione &
vocabulo tot ſpecies, atque vitalis ſint differentiæ,
quot ſunt ſpecies vitalium: utpote quod
illæ luces ſint ipſæmet vitæ, animæ, atque formæ
vitalium, (mentem immortalem, quanquam
& ipſa ſit lux quædam incomprehenſibilis;
excipio tamen, dum de luminibus caducis
ago.) adeoque per ejuſmodi luces ipſas, eſt ſola,
atque omnis ſpecierum diſtinctio. Pater luminum
itaque, ludit abundantia ineffabili genericorum
luminum multo majori largitate,
quam in unico vultu humano, propemodum
infinitas varietates effingens. Eſt quædam nempe
apud ipſum ingens luminum reſp. & immemorabilium
civium legio, cujus ſimilitudinem
aliquam exprimit, per formas vitalium, in mundo
ſublunari. Eſt ergo ſpiritus vitalis, ſanguis, 24
à fermento cordis reſolutus in auram ſalſam, &
illuminatam à vita. Quod lumen in nobis eſt
calidum, de natura Solis, frigetque in Piſce, neque
unquam ad ullam caloris potentiam adſpirat.
Quocirca calor noſter non eſt humidi primigenii
conſumtivus, (ut de vita longa) cum
piſces mortem non effugerint hactenus. Nec 25
potuerint primi, qui ante diluvium mille annos
ſolares viderunt, decuplo plus humidi radicalis
habuiſſe nobis, niſi decuplo extenſiora
cuncta habuiſſent. Quod impertinens. Siquidem
probabile eſt Adamum manu Dei plaſmatum,
Domini Ieſu Chriſti ſtaturam longè perfectiſſimam
nactum, nec eandem exceſſiſſe.
Denique piſces, ſub mari glaciali eſſent naturaliter
immortales, cum illorum humidum radicale
à calore ibidem non effumaret. Religioſi
aliquot noſtrates, per totum ferè annum, ita
à pede in ventrem uſque frigent, ut non ſentiant
ſe pedes habere. Quocirca ſaltem nobis
eſſent longæviores, imo & crura illorum juvenilia
eſſent, cum thorax totus, rugis ſenilibus
criſpetur, ſi à calore humidum primigenium
conſumtum, mortis daret neceſſitatem inevitabilem.
Itemque tam piſces, quam ejuſmodi
Religioſi, deberent recuſare quotidianas alimenti
refectiones, eo quod per poros vix quicquam
exſpiret. Aut ſi calor eſſet de eſſentia vitæ noſtræ,
certè pars, continuo frigore languens, vel
moreretur vel in piſcem ſaltem mutaretur. Vnde 26
eſt conſpicuum, calorem eſſe vitæ noſtræ dumtaxat
adjacens, & comitans indicium, non autem
fundamentum primarium. Videant ergo 27
Scholæ, quam ineptè totam naturæ craſin calori
circumſcripſerint hactenus. Abſit enim, tam ſtolidè
poſthac philoſophari, ac neſcire, aliam eſſe
conſumtionem humidi à calore, quæ cum inſpiſſatione
terminatur: atque aliam longè, quæ
à fermento extenuante, tota promovetur ad
tranſpirationem. Hæc namque nullam reſidentiam
poſt ſe relinquit: illa verò tophum vel carbonem.
Sin autem in nobis, quandoque calor 28
auctus inſurgat, adeo qui membra velut adurit,
gangrænat, & inſtar ignis, eſcharam facit, vel
ſubinde gliris inſtar carnes erodit: Iſta nempe
ſunt opera ſalium corroſivorum, degenerantium,
ex legum, à vitali Republica proſcriptorum.
Sic & per venena laxativa & diarrhæas, totus
cruor in putrilaginem reſolvitur, & per venena
alia in Ichor, ſynoviam, virus, Icteritium
excrementum, &c. reſolutus cruor effluit, ſæpè
acer-

rimus, ſæpè & ſine corroſivo æſtuans. Errores enim ejuſmodi in vita accidunt (in mortuo namque cadavere, ideo ceſſant) quatenus à vita, proprio Blas corruptæ naturæ thymoſin induunt, accenditque vita ferrum, quo ſe multipliciter lædit; pro ut de morbis aliquando. 29 Tandem an ſit aliquis ſpiritus animalis, ſpecie diſtinguendus à vitali, an vero ejus diſputatio ſit vera nominis rixa. Dixi quid res ſit in ſe ipſa, cui nomen nil addit, vel demere poteſt. Spiritus vitalis, per Aortas arterias, in caput ſcandit. In cerebri autem meditullio, unicus eſt ſinus, qui ſupernè inſpectus, videtur duplex; ſed elevata ſurſum camera, unitatem oſtendit. Porro in hoc ſinu, arteriæ deſinunt in vas quoddam rugoſum, alterius planè texturæ, quam ſit cætera arteriarum compago. Hac nempe diffluit, & exſpirat ſpiritus vitalis in ſinum cerebri, pro miniſterio principum facultatum, imaginationis nempe judicii & memoriæ. Hac etiam pergit diſtribui in oſcula nervorum, incipientium à cerebro. Adeo ut ſi ſit dicendus animalis, quatenus in cerebro determinationem partis ſuſcipiens, proprietates acquirit deſtinatæ functioni aptas; non videtur tamen proinde diverſus à vitali per materiam efficientemque. Siquidem in ſui luminis vitalis amplitudine, eſt omnium iſtarum proprietatum capax, ſine nativæ eſſentiæ ſuæ permutatione. Qui namque ad linguam detruditur, guſtatum exercet: Ille vero idem non guſtat in digitis: ſed utrobique particularem organorum characterem ſuſcipit, & proprietatem induit. Quem ſi proinde à vitali differre fert animus, tot erunt rurſus ſpiritus diviſiones eſſentiales, quot munia, quotque officiorum pluralitatibus diremta miniſteria. Interim rem intellige & voca ut lubet: Non enim Scholis ex animoſa paſſione contradictorius ſum: dumtaxat enim errores pandere, & neſcita docere, ſuperiori authoritate monitus, debui. Errata ipſæ mea pariter æquo detegant animo, gaudebo ſanè, ſi modò proximus utilitatem conſequatur, quam opto.

CALOR EFFICIENTER NON DIGERIT, SED TANTVM EXCITATIVE.

1. Calorem, non eſſe proprium digeſtionis organum. 2. Quid in hoc Scholas deceperit. 3. Scholarum tuitiones. 4. Paracelſi incogitantia. 5. Anxietates Scholarum. 6. Oblita axiomatis ſui, de contrariis. 7. Calorem, igne potentiorem, coactè fecere, & caloris prædicamentum. 8. Digeſtio & elixatio differunt. 9. indignantur fermenta, quod ſint poſt habita. 10. Actio caloris univoca, quæ. 11. Piſcis digerit citra calorem. 12. Potentiali calori, nullus in digerendis locus. 13. Boulimi argumentum. 14. Alterum, ab unitate ſpecifici caloris. 15. Tertium, ab axiomate. 16. Aliud. 17. Cur ructus acidus, poſt nidoroſos, bonum. 18. Cur carnes abhorreat febriens. 19. A ſcopo medendi. 20. Admiratio Paracelſi. 21. Ejuſdem error. 22. Vis digeſtiva gallinarum. 23. Author adhuc puer, didicit digeſtionis veram cauſam. 24. Cognovit reſolutionem ex acido eſſe. 25. Seneſcimus ſola fermentorum penuria. 26. Qualitas acidi fermentantis. 27. Averſatio quorundam ciborum, unde. 28. Fermentorum vires. 29. Mures accuſant Scholas erroris. 30. Fermentum ſtomachi cur ipſi ſit alienum. 31. Commendatio Splenis. 32. Gradus caloris & frigoris, variant. 33. Errores Scholarum, de gradibus elementorum. 34. Gradus caloris chymici. 35. Gradus diſtinctionis fecit Author. 36. Humiditas, & ſiccitas non conſiderabiles, tanquam qualitates. 37. Cur non admittant gradus. 38. Hinc nugæ in elementorum doctrinam introductæ à veteribus.

1 QVia totum naturæ fundamentum, in cardine caloris verſari putatur, ſintque jam procul ablegata elementa, miſtiones, & temperamenta; Igitur ad ſtabiliendam Archei ac ſpirituum vitalium progeniem, de digeſtionibus deinceps dicendum eſt. Quas quia calori Scholæ emanciparunt, oſtendam calorem, non eſſe proprium organum digeſtionum. Decepit quidem Scholas, digeſtionis metaphora, introducta nimirum poëtica libertate, à ruſtico ſenſu mutuata, concoctionem, ſynonymam digeſtionis, fecere. 2 Vtque elixationem, ſciebant concoctionem, idcirco digeſtiones, ad bullitionem tranſtulere, atque utrobique calorem ſunt arbitratæ, cauſam illarum naturalem, totalem, atque unicam. Cernebant enim, per elixationem atque aſſationem, plurima tenereſcere, ac alterari: Ideo ab artificialibus transſumta licentia, culinam, in ſtupendas viſcerum & ciborum tranſmutationes, non quidem ſimilitudinariè: ſed omnino propriè, proximéque traduxere, perque putationem res in fidem, ac dein in dogma verum, tranſmigravit, cunctaque naturæ noſtræ munia, atque beneficia, in calores, temperamentaque, velut in cauſas totales, tranſtulere. Potiſſimum

quidem quod ventres hominum, ac quadrupedum,
ſentirent, actu calere. Vſque adeo deinceps,
plus augendo calori, quam digeſtioni roborandæ,
eſt inſudatum. Neque enim ulterius
indagarunt, tametſi eventus plerumque ſpem
falleret. Satis putantes, quod tam in elixatione,
quam in naturali ventris digeſtione, calor reperiretur,
à quo abunde ſibi auxilium exſpectantes
obdormierunt. Hæſitarunt interim, cum animadverterent,
cibos, per elixationes, non prorſus
totali metamorphoſi, in ſuccum transmutari.
Etenim carnes, clauſo vaſe, in juſculum conſummatum,
expreſſo vero, liquatoque jure reſolverunt:
at errorem animadverterunt quidem,
quia carnoſæ fibræ reſiduæ, tenaces, atque
duræ permanerent, & nunquam vera transmutatione,
3 in chylum liqueſcerent: attamen per
credulitatem, erroriſque antiquitatem, ſibi paſſæ
ſunt oculos velari, quærentes ſubterfugia, atque
latibula, ſtatim ſe ſalvas arbitratæ ſunt,
dummodo diverſos caloris gradus, ſi non etiam
ſpecies, atque genera (ut eſt igneus, elementalis,
radicalis, correſpondens elemento ſtellarum,
&c.) imo & calorum momenta, in auxilium
excuſationem, imploraſſent. Adeo ut unicuique,
propemodum graduum momento, ſua
4 eſſet in digerendo craſis. Cui ſtupiditati ſe Paracelſus
quoque involvit, volens unicum panem,
in tot animalium ſpeciebus, accipere ſpecificam
cruoris & ſtercorum diverſitatem, ob ſolius gradus
momentum in calore. Quaſi latitudo caloris,
ſpeciem conderet, aut variaret in ſubſtantia.
5 Cæterum dum Scholæ omnem in ſcirpo
nodum ſuſtuliſſe præſumerent, cecidere deinde
in caloris naturalis digeſtivi, itemque in,
præter, & contra naturam, fungoſa diſcrimina.
Atque tandem, ſubindè invitæ, ad ſacram
occultorum anchoram, in digeſtionibus, refugere
debuerunt. Ita nimirum, ut eſſet aliquis
calor digeſtionis author, tam in morbis, quam
6 in ſanitate. Oblitæ interim, quod ut contrariorum
unicum finxerant genus, atque utrumque
paribus dici modis, quod utriuſque, unica, &
uniformis eſſet conditio. Quapropter oblitæ
ſunt, pares comminiſci frigorum ſpecies, atque
proprietates. Nempe quale eſſet naturale, digeſtivum,
præter & contra naturam. Itemque
radicale, ac primigenium frigus aliquod,
docere debuerant. Adeo ſi calidum radicale
reſpondeat proportione, elemento ſtellarum,
totoque genere diſcrepet, à quovis alio tepore:
etiam frigus radicale, totidem numeris,
atque viribus, à quovis alio frigore, diſcrepare
debebat, niſi veritatis penuria, ſuam ſophiam,
ut ſterilem deſerant. Ita quidem, licet
calor non naturalis in naturalem, ac vice
verſa, per inauditam ſeminum licentiam, pergerent:
nativum tamen calorem & febrilem,
in diſtinctas ſpecies (imo etiam genera) relegarunt,
ut ſalvarent effectus, calori digeſtivo
tributos. Adeo ut dum crederent, volucres 7
quædam conficere, quæ ſe contra ignis furorem
alioqui defendunt; agnovere ignem aliquem,
igne potentiorem. Canis enim oſſa deglutita
conficit, quæ ignis nunquam in Chylum
auſit convertere. Quorum itaque effectuum
diverſitates coegerunt Scholas, calorem
in prædicamenti latitudinem erigere, neglectis
interea oppoſitis frigoribus. Cum interim
caloris ſit duntaxat ſpecifica diverſitas,
quæ ſe, ab aliorum numero eximere non valet.
Enimvero, quidquid in ſtomachum ingeritur, 8
peracta tandem digeſtione, eſt transmutatum,
longeque ab elixatione, cæteriſque cocturis,
quocunque gradu paratis, ſeparatum. Quia unica 9
fermentorum ignorantia, fecit digeſtiones,
& apepſiæ remedia neſciri, elenchumque non
cauſæ ut cauſæ, perpetrari. Quare non eſt otioſa,
tanquam de nomine, rixa, dum effectus
fermentales adſcribuntur calori. Quippè hujus
quæſtionis reſolutio medendi intentiones
mutat. Proindè ſoleo lubens cauſas proprias inquirere,
ad quarum ſcilicet meditationem, utilitas
ſequitur, morbi tremunt, vel vires vigorantur.
Fermenta itaque indignantur merito,
quod nolentia, ſub Relollæo, militare credantur.
Quippe nunquam caloris fuit, rem in transmutationem
formalem abducere. Cum calor
per ſe, atque primariò, non niſi calefaciat, per
accidens autem, ſeparet aquea à pertinacibus.
Quæ caloris univoca actio, nullatenus eſt digeſtio, 10
tota transmutando conſcripta. Nam
etſi in nobis digeſtio, comitante calore contingat,
illa tamen non eſt calor; licet per accidens
ſit calori connexa. Idcirco enim in piſce, 11
nullus actu calor eſt, nec tamen proinde
calidis is animantibus in felicius digerit: nec
ab in geſtis, malè ſe habet, hominum more.
Frivolum eſt ideo confugere ad calorem potentialem, 12
pro piſce. Nam in ſenſibilibus ſenſu
notis, ſolus tactus Teſtis & Iudex eſt:
non autem ad ſomnia fugiendum. Nam ſi digeſtio
calori, non actualiter calido, ſed virtuali
poteſtati, ſit tribuenda. Iam fruor optatu.
Alioquin enim, quid id quæſo, quam
ignoranter rixari, de calore ut tali? Atque interim

terim fateri, eſſe aliquid præter calorem ſenſi-
bilem, quod ſit digeſtionis cauſa continens.
Quid enim inſulſius dici poteſt, quam quod
potentialis calor, actu calefaciat, hujuſque ca-
lefactionis ergo fiat digeſtio? Res in potentia,
13 jam actu agat? At ſaltem in canina fame eſt di-
geſtio celerrima, fameſque implacabilis. Ergo
tum ſaltem deberet in calidis nobis, moleſtus,
& infeſtus ſentiri calor, ſi calore actuali in nobis
digeſtio fiat. Si enim parvam digeſtionem cauſat
paucus calor, & mediocrem mediocris: Vtique
ad potentem, ac moleſtam digeſtionem, magnus
14 quoque calor adeſſe deberet. Quod attamen,
etſi aliquoties curioſius indagaverim, verum
eſſe non inveni. Tum demum notabile. Quod
digeſtio panis in homine, cane, equo, piſce, a-
nate, ave, toto differt genere, non ſecus atque
multiplex cruor, & ſordes inde prognata. Qua-
propter ab unica caloris digerentis ſpecie, ejuſ-
modi digeſtionum varietates provenire ne-
queunt. Igitur Scholæ totidem calorum & fri-
gorum genera erigant, & defendant, antequam
ſibi credi poſtulent. Ego proinde tantam cruo-
ris differentiam à proprietatibus formalibus, &
ſpecificis fermentis: nequaquam à calore, deſu-
15 mo. Siquidem perfectè ſcio, quod quæcunque
habent efficientia eſſentialia diverſa, habent et-
iam diverſa effecta & attributa. Ita videlicet,
quod producta in genere diverſa, requirunt
neceſſario ſuas cauſas efficientes genere diver-
ſas. Alioqui namque quidlibet produceret quod-
libet indifferenter. Prout nempe unum atque
idem, conſurgit à cauſis propinquis iiſdem.
Quam enim eſt frivolum, potentias vitales, at-
que formales, ſpecificaſque tranſmutationum
16 parentes teporibus adjudicaſſe? Etenim ſi di-
geſtio caloris opus laſſet, majorem calorem,
continuo felicior, atque uberior digeſtio ſeque-
retur. Quo enim quæque cauſa eſt potentior
in natura, eo effectum ſuum proprium, po-
tentius quoque perficit. Per conſequens, fe-
brientis in cauſo ſtomachus, potentius digere-
ret, quam ſani. At ſanè, in febrientis ſtomacho
17 nil ritè digeritur. Statim namque ova, piſces,
carnes, & jura intus cadaverantur, ideoque ru-
ctus nidoroſos efficiunt, quos, ſi ructus acidi
ſubſequantur bonum, tam ex ſigno, quam ex
cauſa cenſuit Hippocrates. Eſt attamen in fe-
briente, calor; etiam quandoque is calor, eſt
temperatus, dum ſcilicet non moleſtus eſt,
neque ſitim excitat: attamen cauſſa eſt dege-
18 ſtio. *Corpora impura quo potentius nutris, eo
magis lædis*. Quod in febriente eſt manifeſtum.
*In quo ſtatim tenuiſſimo, faciliſque digeſtionis ci-
bo, utendum.* Abſtinendumque à potentioribus
cibis, conſummatis ſcilicet, & juſculis: eo quod
abſente fermento facilè putrent, nidorem con-
trahant, ac velut cadaverantur. Non ſecus atque
caro cruda, carpio, pectori, plantis pedum, vel
cervici ſuperligata, tantum abeſt, quod reſolve-
retur in chylum, quod mox ab aliquot inde ho-
ris putreant, & fœteant, etiamſi ſalſa ſint. Idem
in corpore impuro, atque febriente, ubi calor
adeſt, deeſt autem fermentum digerens. Nam
ſi calor ſit digeſtionis cauſa, in febri alioqui de-
ſit digeſtio, adſit autem calor, plus autem ſit in-
cumbendum digeſtioni quam refrigerio: po-
tiſſimum ſi non infeſtus admodum calor adſit.
Ergo potius ſtudendum eſſet caloris augmento, 19
quam refrigerio. Adeoque mutandus eſſet me-
dentis ſcopus, dum in febri de caloris augmen-
to pro digeſtione, nutritione, & virium aug-
mento eſſet cogitandum. Neque etiam condu-
cent acida, eſurina, ſulfuris, vitrioli, ſalis, nitri,
citri atque ſimilium: ſed acribus eſſet calor ex-
citandus & augendus. Amentiæ quid ſimile di-
cit, qui nivem frigefacere ait, quatenus eſt alba.
Sic ridiculum eſt aſſerere, fermentum ſpecifi-
cum ſtomachi, digerere propter calorem vita-
lem, ipſi inexſiſtentem. Dolendum ſane, quod
credulitas & pigritia eorum, quibus vitæ cura
delata eſt, cœmiteria in merum ſumen commu-
taverint, deſperantes ab indagine proprietatum
phyſicalium: unde tamen cognomen habent.
Paracelſus quoque calore digeſtivo deluſus, fer- 20
mentique ſtomachici ignarus, admiratur, quod
res quædam duriſſimæ paucis horis in chylum
commutentur, & os abſumatur in tepore ſto-
machi canini. Qui ad Monarchiam medendi
adſpirans, defecit, poſtquam hanc mirandam
poteſtatem nominavit, ignoravit, & fermenta
neſcivit. Etenim ſibi inconſtans, alibi hanc pro- 21
prietatem digeſtivam, non minus ori clauſo,
quam ſtomacho competere ſcripſit, adeoque &
hinc Anachoretas abſque deglutito cibo ſuam
triviſſe longam feliciter ætatem. At ſane idio-
tiſmus ille auſui ſuo relinquendus: dum inte-
rim quidquid intra dentium cavitates forſitan
remanſit, cadaveratur mox fœtore horribili:
non autem digeritur. Memini enim vitrum al- 22
bum & opacum, è fornace mea disjectum, de-
glutitum à gallinis meis, per calorem lactis de-
luſis: atqui fractura vitri ſemper eſt acumina-
ta, compertum vero eſt poſt paucos dies, oc-
ciſis aliquot gallinis, vitrum circumquaque im-
minutum punctatim, & acumina amiſiſſe, &

globoſum fuiſſe effectum. Cæteræ autem ſu-
perſtites & convivæ, mox poſt paucos dies re-
liquum vitrum contriverant, etſi exemtos vitri
globulos à prioribus mactatis etiam vorave-
rant. Notabis interim vitrum reſiſtere aquis, re-
ſolventibus quævis metalla. Pluribus nempe
volucribus fermentum adeo potens eſt, ut niſi
ſubinde lateribus, creta, argillave veſcantur: ex
multitudine aciditatis, malè habeant. Contra
verò febrientis ſtomachus, totus nidoroſus, ci-
bos triduanos, non rarò adhuc viſu diſtinctos,
rejicit, vel quandoque in flavum, aut ærugino-
ſum liquamen verſos, oberrante ſcilicet fer-
23 menti ſcopo. Hujus ſtomachici fermenti ne-
ceſſitatem didici, dum puer paſſeres alerem,
exſerui linguam ſæpe, quam paſſer morſu ap-
prehendebat, & ſibi deglutire conabatur, at-
que tum ſenſi ingentem aciditatem in gutture
paſſeris. Vnde extunc ſcivi, cur tam edaces &
24 digerentes. Dein vidi, quod acidum ſulfuris
ſtagma, chirothecam meam imbuiſſet, eamque
in ſuccum, parte qua maduerat, ſtatim reſolve-
ret. Quod mihi tyroni confirmavit, tranſmutari
cibos ab acido, adeoque habitare in ſtomacho
fermentum, quod omnia ingeſta licet dulcia,
ſtatim in acidum commutaret. Quocirca eſſe
quoque acida cuncta, quæ appetitui deſidi pro-
pinantur. Vt ſunt omphacium, acetum, ſuccus
citri, aurantii, ſinapi, etiam ſal & ſalpetræ, qua-
tenus ſpiritum eſurinum in ſe habet, & placidiſ-
ſimè acidum. Itemque berberis, ribes, ceraſa,
citonia, *&c.* Hactenus arrident ægris apepti-
cis. Eſt itaque hujus fermenti tam neceſſaria
contemplatio, quod vitæ gubernaculo præſit:
dolendumque ideo, ejus cognitionem hacte-
25 nus in Scholis ſuppreſſam. Et quanquam ſicci-
tas totius cum ſenectute invaleſcat: non ſene-
ſcimus tamen, niſi fermentorum aliquot penu-
ria pauperie extinctione. Siquidem cervus,
corvus, aquila, anſer, &c. Primis adoleſcen-
tiæ annis, nobis longè ſunt aridiores, attamen
in aliquot ſecula perennant, imo aquilæ, &
26 cervo, ſponte renovatur inventus. Non eſt au-
tem fermentum iſtud digeſtivum in ſola acidi-
tate aliquali ſitum. Neque enim acetum vel jus
citri farinam fermentat: imo nec farina fer-
mentata, eſt proinde fermentum ſtomachicum:
Sed hoc eſt acidum eſurinum, ſtomachicum,
ſpecificum; & humanum: ita quidem per ſin-
gulas brutorum ſpecies, ſpecificè diſtinctum,
quod ipſis ſit appropriatum. Mures namque,
glires, & ſues, citius fame pereunt, quam pha-
ſeolum edant. In homine vero plerumque ad
generis amplitudinem adſpirat. Interim plures 27
caſeum horrent, vinum, lac, vel alia ſpernunt,
quia non conficiunt. Ideoque quæcunque lu-
ctantur cum noſtra digeſtione, obverſantur fer-
menti illius proprietati ſpecificè, fermentum-
que conculcare nituntur. Fermentum ergo di- 28
geſtivum, eſt proprietas eſſentialis, conſiſtens
in vitali quadam aciditate, ad tranſmutationes
potens: ideoque & ſpecificæ proprietatis. Falco
enim antè moritur, quam panem eſitaverit. Di-
xi jam alias, quod ſi ſtilletur cruor, quolibet-
cunque caloris gradu, attamen ſemper inſpiſ-
ſatur, ſicceſcit, & carbonem poſt ſe relinquit.
Ille tamen atque idem cruor, totus per fermen-
ta noſtri inſenſili tranſpiratu exhalat. Cum ita-
que calor ſemper operetur univocè, non pot-
eſt cibum, per digeſtionem in chylum mutare
in ſanguinem, liquorem alimentarium ac tan-
dem per inſenſile effluvium proſcribere, citra
ullam ſui reſidentiam. Non poteſt inquam uni-
cus calor, in adoleſcente, cruorem in oſſa muta-
re, itemque in oſſifragio, cruorem in porum
conſtringere, qui in adultis, itemque in ſanis,
totus in exhalationes avolat. Niſi præter calo-
rem ſint aliæ potentiæ cognitiones, & ſenſatio-
nes, horum effectrices principales. Siquidem
calori proprium eſt, & geniale, humidum con-
ſumere & craſſius retinere exſiccando. Mures 29
enim ſine potu, ſola farina veſcuntur, eamque in
ſuccum ſive chylum ſuum reſolvunt. Quod ſanè,
longè à ſcopo caloris eſt alienum. Non eſt ergo
calor digeſtionis author, ſed eſt alia facultas
quædam vitalis, quæ verè atque formaliter tranſ-
mutat alimenta. Eamque fermentorum nomi- 30
ne deſignavi. Sunt autem plura fermenta in
nobis, prout de digeſtionibus mox explicabo.
Aſt cum fermentum ſubindè deſit ſtomacho,
patet exinde, quod fermentum ipſius non ſit
ipſi proprium, ſed aliunde eo affluat, & in-
ſpiretur. Ideoque Lien ſtomacho incumbit ſic,
ut gallinæ lienem circum ſtomachum unitiſſi-
mè congeſtum habeant, ideoque & potentius
digerant. Summè admirandam, cruentiſque
lachrymis deplorandam cæcitatem Scholarum
hic aperio. Quæ viſcus iſtud nobile Splenis, in 31
cloacam peſſimi excrementi atrabiliarii dedi-
carunt, cujus unius ſubſidio vivimus, vitam-
que, & regna aurea Saturnia poſſidemus. Aci-
dum autem atque nigrum excrementum, quod
ſubinde nimio fermento imbutum à Splene re-
jicitur, ob viſceris indiſpoſitionem, atram ideo
bilem commentæ ſunt. Quæ poſtmodum in
noſtro duumviratu: Itemque de digeſtioni-
bus

32 bus dilucidiora fient. Porrò ante concluſionem
hujus quæſtionis notandum : apud Medicos
quatuor tantum eſſe caloris gradus , totidemque
frigoris in ſimplicibus,à temperato ſcilicet,uſque
in cauſtica , & eſcharotica : eo quod
de virtuali tantum , atque potentiali qualitate
agant , quam ſuo alibi loco perſtringam. Idcirco
enim quartus caloris gradus , apud Medicos
in rerum natura , & ad tactum eſt temperatus.
33 Philoſophi verò calorem juxta ignem metiuntur,
adeoque uſque ad ignem octo gradus
fingunt : quorum adhuc quintum,ſextum & ſeptimum,
nondum deſignarunt , quia poſitionibus
ſuis credi aſſolet. Octavum tantum in elementis
eſſe volunt , & in hoc elementorum
tranſitum credidere ; in igne enim , quaſi elementum
eſſet culinarius ignis , aliquid probaſſe
rati ſunt, & nuſpiam alibi. Totum verò hoc dogma
nihili eſſe , jam ante demonſtravi. Inprimis
ridiculum, Quod gradum caloris in igne,æqualem
frigori aquæ , humiditati aëris , & ſiccitati
terræ , fecere. In quo inſigniter deluſi , neque
adeo eoſdem gradus tam violentos alibi quam
in igne oſtentarunt. In hoc ſcilicet octavo gradu ,
elementa ſe invicem deſtruere , vorare , &
conſumere aſſerunt , non ſecus quam ignis ligna
34 abſumit.Chymici deinde Medicorum ritu,
in ipſo igne tantum quatuor gradus fecere , parum
ſibi curæ aſſumentes , de reliquis qualitatibus
elementariis:eo quod ſoli pyrotechniæ ſe emancipaſſent.
Quos nempe gradus diſtinxerunt,
ita ut primus ſit à tepore , ſub vaga latitudine ,
uſque in ignem ſublunationis ſpirituum
oleoſorum. Alter verò abhinc,uſque in ſublunationem
ſpirituum ſiccorum. Tertius dein uſque
in obſcuram ignitionem. Vltimus verò,uſque in
35 extremam flammæ reverberii potentiam. Ego
verò ad clariorem doctrinam , in chymicis gradus
diſtinguo,ut primus ſit, ubi ſumma frigiditas
eſt remiſſior. Etenim qui chymiam, naturæ
pediſſequam , & ſimiam æmulatricem fingo, atque
ſubinde Magiſtram : totam naturam ſpeculationi
chymicæ ſubdo. Secundus ergo gradus
in natura, ſit calor, qualis eſt aquæ nondum glaciatæ.
Tertius ubi remiſsè friget, prout eſt aqua
putealis. Alioqui calor abſolutus ad tactum noſtrum
(qui tepidus eſt) fallitur , frigereque putatur ,
quicquid ſe minus calet. Et cum plus minuſve
tactus caleat , inconſtans facit indicium
caloris. Quartus demum gradus eſt teporis leviuſculi.
Quintus jam tepet. Sextus eſt noſter.
Septimus jam febricitat. Octavus , Solis majalis.
Nonus diſtillatorius , & qui jam tactum ſuperat.
10. Diſtillat cum ebullitione. 11. Sublimat
ſulfur , & ſpiritus ſiccos. 12. Liquefacit , &
Pyritem ſublimat. 13. Eſt in ſubfuſca ignitione.
14. Eſt ignitio cadens. 15. Tandem , eſt 36
follium & reverberii ultimatus vigor. Denique
etſi calor & frigus ſint qualitates reales , & gradus
ſuſcipiant : humiditas tamen & ſiccitas,non
ſunt conſiderabiles , niſi in ſuo concreto : ideoque
nec conſtituunt gradus qualitativos : ſed
tantum quantitativos. Quia humidum in unica
gutta , tam altè humidum eſt in ſicca argilla,
atque in ſuo elemento ; eo quod humidum &
ſiccum, non ſeſe commiſceant in ſui radice, nec
ſe mutuo intrent , aut penetrent : ideoque nec
ſe mutuo diſponant , & afficiant formaliter.
Nam ejuſmodi appropriata , competunt ſeminibus ,
non autem elementis. Humiditas ergo, 37
& ſiccitas , gradus non admittunt , nec mutant
ideo, ut neque alterant. Quia propriè non ſunt
qualitates in abſtracto : ſed ipſamet corpora
qualia. Calor verò & frigus , ſe mutuò penetrant, 38
per minima, frangunt, & graduant. Ideoque
nec mirum , Scholas tam mutas manſiſſe,
in gradibus humiditatis, & ſiccitatis. Aëri enim
humiditatem intenſam ad octo gradus , aquæ
verò eandem remiſſam , ſive temperatam ad
quartum ſcilicet gradum. Siccitatem denique
terræ intenſam ad octo, Igni verò remiſſam ad
4 gradus. Sed hæ næniæ complexionum , tam
in elementis quam corporibus, quæ falſo ex elementis
miſta credidere hactenus , in rudera cecidere ,
multiplici ruendi neceſſitate , undique
jam conquaſſatæ.

TRIPLEX SCHOLARVM DIGESTIO.

1. Scopus univerſalis hujus libri. 2. Prima digeſtio in ſtomacho. 3. Prima corporis regio. 4. Duo admiranda in hoc opere. 5. Digeſtio altera, & ſecunda regio. 6. Tertia digeſtio. 7. Vltima corporis regio. 8. Oblivio Scholarum. 9. Status accretionis.

1 NOn ſatis eſt oſtendiſſe, non eſſe quatuor elementa in natura , ut nec illorum miſtiones materiales atque inde reſultantes complexiones & luctas, non denique congreſſus,& complexus humo-

rum inde fictorum, horumque amentiam; con-
trarietates vero inde natas, atque diſcraſian eſſe
mera gentilium ſomnia in Medicinam adducta,
& à Scholis etiamnum adorata. Nec ſat eſt, me
oſtendiſſe alibi tria prima è morborum, ſanationumque
claſſe releganda: Aſtrorum item
cauſalitatem in medendo refutaſſe, ventos quoque
exſibilaſſe, conſumtiones humidi radicalis,
ceu vanos terrores rejeciſſe. Catharros demum,
& Tartarorum durum, novumque inventum
exploſiſſe, adeoque oſtendiſſe morbum tam in
genere, quam in particulari, Scholas hactenus
latuiſſe, ac conſequenter mortales languere ſub
arte conjecturali, adhuc fundamentaliter ignota,
niſi ipſe proprias morborum cauſas detexero.
Cumque intimorum hoſtium cauſæ plerumque
ſint intimæ, ante omnia functionum hiſtoriam
proponam; Poſt eam vero aliquot principia
naturæ, hactenus inaudita ſcitu neceſſaria
2 demonſtrabo. Scholæ, cibum atque potum,
perhibent in ſtomacho, vi caloris tranſmutari
in liquorem, quem, ob ſimilitudinem cremoris
hordei, vel ptiſanæ, chylum dixere. Hunc autem
deinceps, à venis, ſtomacho, & inteſtinorum
toto ductui inſertis, & comitantibus, proinde
mediante mezenterio adnexis (quod vice
tertiæ tunicæ, inteſtina veſtit, circumdat, atque
involvit) paulatim aſſugi, & intro attrahi
ajunt. Relinqui autem reſiduum groſſius in inteſtinis,
tanquam inutilem ſcoriam, per anum
3 abigendam. Hanc nimirum coctionem, vocarunt
digeſtionum trium primam. Adeoque primam
corporis regionem incipere ab ore: terminari
verò una parte in ano, altera autem in
4 cavo hepatis. Duo ſatis admiranda in hoc concurrunt.
Nimirum quod paucis horis, durus cibus
reſolvatur in ſuccum, & quod venæ, extremis
oſculis terminentur in inteſtina, per hæc
inquam tranſſugant, quantum quotidiè liquoris
ingeſtum & factum eſt. Nequicquam autem
flatus illo cremore ſubtilioris aſſugant: attamen
non reperiantur inteſtina foraminata, in vita
magis quam in morte. Tranſit nihilominus totus 5
chylus per venas meſenterii in jecur. In quo,
ajunt, rurſus ſeparari ſerum cruoris pro lotio,
quod ad renes tranſmeat; corpulentiorem autem
cremorem, volunt in hepate mutari in
cruorem. In prima nempe digeſtione, quod durius
& opacum eſt, excluditur. In altera verò
opacum retinetur, ſecluſo diaphano. Secunda
ergo corporis regio & officina, incipit ab ipſo
corpore jecoris, & in ultimis ramis, venæ cavæ
terminatur. Tertio dein, Sanguis decidens extra 6
venas, raptuſque in alimentum ſolidorum
paulatim perficitur, tranſmutaturque in humorem,
quem appellant ſecundarium. Illumque
in quatuor affinitatis gradus ſecant. Antequam
verè informatus, in ſolidorum ſoliditatem ſit
admiſſus. In hoc igitur humore alimentario,
impenditur tertiæ atque ſupremæ digeſtionis
labos. Ideoque hæc ultima corporis officina, 7
habitum corporis vocant, obliviſcunturque viſcerum.
Quæ ſcilicet & ipſa, eodem jure coquunt
ſibi, & inde aluntur. Siquidem in hoc 8
humore, pars quæque vivit proprio orbe. Et
ſingularem in ſe, quæque ſibi coquinam habet.
Cæterum ad certam uſque ætatem, rerumque 9
ſeminibus innatam menſuram, alimentum cedit
in augmentum. Tum ſiſtit, & non amplius
admiſcetur primis conſtituentibus. Atque idcirco,
tantum retardandæ ſiccitati ſenii, opponitur
hoc alimentum, uſque in vitæ epilogum.
Hæc ſcilicet eſt diſtributio digeſtionum & regionum
corporis apud veteres, & Scholas modernas.
Quæ nequaquam eſt viſa mihi ſufficere:
ſed plena ignorantiæ. Vtpote, quæ præter
rudes obſervationes, nil lucis arti medendi attulerit.

SEXTVPLEX DIGESTIO ALIMENTI HVMANI.

1. Miſera Galenicorum jactantia. 2. Prima cibi diſſolutio, unde. 3 Acidum acquiſitum, ſtatim mutatur in ſalem ſalſum. 4. Vſus duodeni neglectus in Scholis. 5. Acidum extra ſtomachum, nobis nocere. 6. Fermentorum varietas, & incompatibilitas. 7. Promta commutationis iſtius exemplum. 8. Nil alibi occurrit, Fermento ſimile. 9. Volatilitas acidi, manet in product. ſalſo. 10. Latitudo in fermentis. 11. Vnde ſciatur, quod fermentum primum, ſit extraneum ſtomacho. 12. Cur condimenta ſtent in acido. 13. Acor, non quidem ipſum: ſed ejuſdem eſt organum. 14. Nimius acor ſtomachi, à vitio eſt 15. Receſſus à Scholis, in examine fellis. 16. Quod non fiat bilis è cibis. 17. Fel, non eſſe, excrementum: ſed viſcus. 18. Vteri membrana, eſt viſcus, prout & ſtomachi. 19. Cur fel & jecur connexa ſint. 20. Quis ſit jecoris ſtomachus. 21. Cur præcedat fermentum fellis, ſitque ſecunda digeſtio. 22 Cur cruor in meſenterio adhuc careat fibris, nec ideo grumeſcat. 22. Vterus lotii, & uterus Duelech, diſtincti. 24. Stomachus fellis, ejuſ-

quæ regio. 25. Carioſa opinio Scholarum, de ortu fellis, ejuſque uſu. 26. Natura plus fuiſſet ſollicita pro felle hoſte, quam pro amica pituita. 27. Separatio urinæ differt à ſeroſitatis ſeparatione è lacte. 28. Secunda & Tertia digeſtiones, inchoantur ſimul; quanquam tertia tardius perficiatur. 29. Stomachus fellis, quis. 30. Fel plus importat, quam excremento præſidere. 31. Aves rene, & lotio, non autem felle carent. 32. Piſces quoque, probant majoris fellis, quam ſordium neceſſitates. 33. Falli Scholas, in uſu fellis. 34. Liquor fellis cum ſua membrana, viſcus nobile, ſui ſuperfluum ſubinde proſcribit in duodenum. 35. Quomodo excrementa calorem fellis acquirant, non tamen proinde bilis ſunt, aut fel. 36. Sapor ſtercoris proprius, fel excludit, ac figmentum bilis. 37. Fellea videntur, quæ non ſunt. 38. Vnde vena habeat, quod etiam à morte hominis, cruorem à coagulatione præſervet. 39. Extrema Scholarum incogitantia. 40. Objectionis ſolutio. 41. Venas ſtomachi, nequicquam ſibi attrahere è chylo, probatur multis argumentis. 42. Author à Scholis diſſentitur, quoad primæ regionis in corpore metas. 43. Vera officina cruoris, non eſt propriè in hepatis tranſitu. 44. Actio fermentalis, ſolo agit inſpiratu, nec indiget corporeo attactu. 45. Abſurda conſequentia ad Scholarum poſitiones de attactu, & fotu continuo. 46. Fellis & jecoris fermenta, per inſpiratum, ſua peragunt munia. 47. Cur flatus non penetrent inteſtinum. 48. Error Paracelſi circa veſicæ poros. 49. Prima digeſtio, nondum formaliter tranſmutat cibos. 50. Vbi ciborum compleatur abſoluta tranſmutatio. 51. Falſum. non dari alimentum abſque excremento. 52. Falſum, quod primum ſtomachus ſibi coquat, & ſecundario pro toto. 53. Fel habet balſami naturam. 54. Objectio miſera. 55. Fel pro balſamo in ſacris. 56. Contra fel icteri. 57. Bini Idiotiſmi in Paracelſo. 58. Quomodo ſeparetur ſal maris à ſalepetra. 59. Ex aqua acetum. 60. Quarta digeſtio, & regio corporis, 61. Cur cor auritum. 62. Quinta digeſtio. 63. Vaporem eſſe in cruore, nondum ſpiritum æthereum. 64. Nutritio carnis & viſcerum diſtinguitur. 65. Animalem ſpiritum ſpecie non differre à vitali. 66. Quarta & quinta digeſtionum, carent excrementis. 67. Quæ ſexta digeſtio. 68. Morbi in ſexta, neglecti à Scholis, quia non intellecti. 69. In culinæ deſignatione, ac officina, errores aliquot Scholarum. 70. Cur venam comitetur plerumque arteria. 71. Notatur Paracelſus. 72. Error Fernelii de butyro. 73. Incogitantia Paracelſi de lacte. 74. Cenſura lactis. 75. Modus educendi cruoris hircini optimus. 76. Curatio Pleuritidis indubia, abſque vena ſectione. 77. Lac aſinæ, cur præferendum reliquis. 78. Educatio pueri pro vita longa & incolumi. 79. quædam notatu digna de lotio. 80. Cur hydropici ſiticuloſiores hecticis. 81. Locis proprius fermenti ſtercorei perinde quaſi in lupo 82. Nidus proprius lumbricorum, eorumdemque hiſtoria 83. Differentia Aſcaridum à lumbricis. 84. Clyſterem ad nutriendum fruſtra injici.

OBſervavi inſignes abuſus, per totam 1
paginam functionum, ſive
de uſu partium, commiſſos. Quanquam
nec alibi glorioſius triumphet
Galenus, quam, in tractatu
de pulſibus, & in uſu partium,
quas tamen moderni Anatomici, oſtendunt illum
nunquam inſpexiſſe. Quapropter eſt prorſus
probabile abſque cognitione & veritatis inveſtigatione,
hos tractatus à Galeno deſcriptos,
aliunde & pro ſuis proſtitutos coli, adhuc hodie
in Scholis. Quapropter præmiſi digeſtiones,
quas hactenus cognovit, & ſibi invicem ſubſcribendo
confirmavit Antiquitas: & ſubjungam
ea, quæ me mea docuit ſingularis experientia,
ſub divina gratia: Extra controverſiam, eſt cibos 2
& potus, una, pariterque diſſolvi in cremorem,
planè diaphanum in cavo ſtomachi.
Addo, id fieri vi fermenti primi, manifeſtè acidi
à liene mutuati. Reperi namque totidem adæquatè
fermenta, quot ſunt in nobis digeſtiones.
Denique nec minoris eſt portenti, quod
cremor ille ſpolietur omni prorſus hauſta aciditate
fermenti, ſimul atque labitur è ſtomacho in
inteſtinum, quam fuit mira fermenti illius poteſtas
in ſtomacho? Inteſtinum iſtud, duodenum
vocatur, à menſura 12 digitorum, eſtque
immediatè ſubter Pylorum. Equidem anatome 3
conqueritur moleſtiæ, hoc loco propter
glandium vaſorumque munerum, tam ſcilicet
exiguo intervallo, tantorum uſuum organis diſtendi:
adeoque in tota diſſectione, nil æque
occurrere difficile. Etenim nec fruſtra ſunt ibidem 4
tot vaſa & organa: licet illorum uſus neglectus
ſteterit. Nam inprimis, conceptum in 5
cremore fermentum ſtomachi, cum didicerim
tam ipſis inteſtinis, quam aliis partibus, per multa
tormina pernicioſum eſſe: notavi non ſegniter, 6
quod partes ſingulæ, ſingula obtinuerint
fermenta, cum horum ſit in tranſmutando inexcuſabilis
neceſſitas. Adeoque & hinc inſuper
concluſi, quod ſingula fermenta, horreant aliena
ſibi ſocia, patronorumque peregrinorum imperia.
Tanquam ſi ſint exotici fures, falcemque
mittentes in alienam meſſem. Idque ſanè nullo
zelotypiæ vitio, quaſi activitatibus alienis inviderent.
Verum ſtudio exſequendi muneris,
quod à rerum Domino ſibi eſt injunctum. Mirum
dictu, quod acidus cremor in duodeno,
ſalis ſaporem confeſtim acquirat, ſuumque ſalem

lem acidum in ſalem ſalſum, adeo libenter commutet. Non ſecus ferè, atque acetum acerrimum, per minium extemplo priſtinam aciditatem exuit, eamque in dulcedinem aluminoſam confeſtim mutet. Prout & acidum ſulfuris, extemplo mutatur in ſale Tartari: At longè tranſmutationis excellentiori vigore, acidus ille cre-
8 mor, in nobis fit ſtatim ſalſus. Siquidem id fit abſque Corporis ulla alicujus commiſtione, prout, dum acetum, plumbi additamento conſtrictum, dulceſcit. Vel acidum ſtagma, in ſale alkali combibitum. Quia revera nil uſpiam reperitur, quod vi fermentali, ex pleno reſpondeat: cum fermenta ſint cauſæ primitivæ tranſmutationum, & quidem à priori: atque ideo neceſſum eſt, illorum ſimilitudines, à poſteriore dumtaxat hauſtas, claudicare plurimum. Cre-
9 mor itaque noſter acidus, fit ſalſus, ſola fermentali, ac immutabili diſpoſitione. Quocirca etiam, volatilis aciditas illius cremoris manet in priſtina volatilitate, dum ſuam prius nactam aciditatem, cum ſalſedine commutat. Non enim ſic aceti ſtillatitia aciditas volatilis, dum lithargyrum minium aut ceruſſam diſſolvit, permanet, ut antè, volatilis: quia diſſolvendo coagulatur, & formam fixioris ſalis aſſumit, ſeparabilis jam à liquido aceti ſtagmate, cui nuper nupſerat: ſed diſſolvendo coagulatur, & formam fixioris ſalis aſſumit. Quia eſt actio diſſolventis & diſſoluti: non autem tranſmutantis fermenti, quod ad novam utrobique formam
10 continuò tendit. Enimvero quorundam ſtomachi facilius digerunt olera, legumina, vel cerealia: aliorum vero felicius conficiunt piſces, caſeum horrent, aquam vino præferunt; ubi aliorum interim ſtomachus, carnivorus, vel pomo addictus, propter ſpecificam ſcilicet, imo & appropriatam fermenti illius proprietatem. Imo nec ſat eſt, gratis dixiſſe in ſtomacho, fermentum habitare acidum primæ digeſtionis, duriorumque ciborum liquationis cauſam tota-
11 lem, niſi idipſum planius explicetur. Stomachus inprimis non in ſe, aut à ſemetipſo, fermentum hoc habet. Digeſtio namque appetitus, & œconomia ſtomachi abeunt quandoque, & redeunt abſque extinctione: quia non ſunt ipſius ſtomachi. Quapropter dixi, membranam ſtomachi, omnem ſuæ digeſtionis energiam, illiuſque famulatum ex Splene habere; Splenem nimirum cum ſtomacho, ideo unicum in nobis conficere Duumviratum. Vnde nempe aurea, ac felicia Saturni regna, Poëtæ, & in faſto, libera Saturnalia erexerunt. Veteres, aliquam veritatis antiquæ hiſtoriam ſubodorati. Sunt nempe guſtus acidi & odoris, quæcunque confectis cibis per vomitum ejiciuntur, imò, licet multo ſaccharo condita eſſent. Ructus nempe acidi, nidoroſis ſupervenientes in morbis, Hippocrati cenſentur bonum præſagire. Hinc nem- 12
pe ſalſaturæ omnes, atque ciborum condimenta, ad acuendum appetitum, acida ſunt. Vt ſuccus citri, aurantii, granati, omphacium, tartarus, acetum, berberis, pampini vitis, ſinapi, itemque ſal maris, quatenus ſpiritum acidum in ſe continet. Quo reſpectu commendantur quoque liquores ſulfuris, vitrioli, ſalis, ſaliſnitri, &c. Non enim volo, quod cujuſpiam illorum acidum, abſumatur in augmentum fermenti ſpecifici, & appropriati, in Splene habitantis. Abſit. Fermenta namque nil habent, præter, aut extra ſe, in natura, quod ſibi dignè queat aſſimilari: cum ſint dona ſpecifica naturæ vitalis. Idcirco enim fermentum qua parte fermentum eſt, vitale ac liberum eſt arcanum, nulli alteri qualitati jugale. Sufficit nempe pro condimentis: quod acida præparent cibos, ad facilioremque ſplenetici fermenti ingreſſum. Denique quanquam fermentum ſtomachi, a- 13
corem habeat ſpecificum: non eſt tamen acor, ipſum fermentum vitale: ſed ſaltem organum ejus. Habet namque fermentum ſtomachi, aciditatem ſibi comitem ſingularem, per proprietates, per genera, atque ſpecies quoque diremtam: ſed digeſtio in ſe, eſt opus vitæ ipſius, cujus hac in officina inſtrumentum ſatellitium eſt acor. In aliis verò, quæ deinceps ſunt officinis vita, aliam utrobique aſſociat ſibi qualitatem ſecundariam, ſuæ intentionis miniſtram fermentali, atque vitali ſcopo adaptatam. Hinc 14
nempe in ſtomacho, non rarum eſt peccatum, è gradu aciditatis alienæ oriundum. Quapropter Orexis, atque ejuſmodi ſtomachi perplexitates, peccant in adultero acore. Hinc namque puncturæ in ſtomacho, difficiles concoctiones, ructus denique: atque vomitus peracidi. Quamobrem ſi in acido, fermentum conſiſteret, acetum, oleum vitrioli, atque ſimilia, fermentarent panis maſſam, noſtroſque cibos perfecta tranſmutatione conficerent. At nil horum. Fermentum itaque, arcanum liberum eſt, atque vitale, ideoque paſſim ſuis finibus coaptat ſibi clientem qualitatem. Quoniam cum fermenta, ſint de claſſe formalium & ſeminalium, ideo quoque ſe, è conſortio planè materialium qualitatum ſegregarunt. Sin autem aſſociaverint corpoream qualitatem miniſtram,

niſtram, quo faciliùs robur ſuum vitale diſpergant;
id factum puta, in adjumentum, adeoque
dualitatem non poteſt non cum fermento
15 continere. Atque ideo etiam, iſta qualitas peccare
poteſt, tam in exceſſivo, quam imminuto
ſui gradu. In eo enim immenſum à Scholis
recedo. Quod doceant inprimis, fel non eſſe
viſcus vitale. 2. Non eſſe membrum nobile.
3. Non eſſe, niſi ipſum recrementum inutile,
proſcriptumque maſſa cruoris, ne ſcilicet cruorem
infectet. 4. Eſſe productum ideo, præter
intentionem naturæ. 5. Vtile ſaltem, expellendo
ſtercori, atque lotio. 6. Ideoque folliculum
fellis, non eſſe de ſubſtantia viſceris: ſed
ſaccum, ſive cloacam ſordium & ſuperfluitatum.
7. Sanguificationem tandem incipere, &
16 compleri in jecore. Quæ ſanè mihi videntur ſomnia.
Inprimis namque, cum non requiratur
bilis ad conſtitutionem cruoris, non eſſet neceſſe
è ſingulis cibis, procreari amarum iſtud,
fel, ſive bilem, niſi à proprio agente, inque ſingulari
officina ad utilem, vitalem, atque neceſſarium
finem propagetur. Multo enim minus,
fel, mihi excrementum fuit viſum, quam aqua
17 Pericardii. Mirum ſaltem, cur piſces ex aqua, &
pecora ex gramine, ſemper nihilominus tam amarum
liquorem quotidie conficiant. Profectò
univoca illa fellis identitas, per tot ſpecies neceſſitatem
aliquam, in vitæ opificio mihi arguere
videbatur. Adeoque fel non habere neceſſitatem
producti excrementi, ex quibuſcunque
alimentis, quin potius neceſſarii viſceris
18 conſtitutionem. Admirari enim deſivi, conſiderando
quantas tragœdias dominii, uterus (qui
nil niſi ſaccus, ac pellis eſt) concitaret, & viſceris
principalis vicem obtineret conſiderando,
inquam, quantam prærogativam, membrana
ſtomachi ſibi vendicaret. Adeo ut cordis nomen,
proprietateſque præ cæteris viſceribus, ad
ſe rapuerit. Vnde ſanè mirari deſtiti, quod folliculo
fellis, & felli ipſi nomen viſceris donaretur:
præcipuè, quod eidem à pleriſque, vis iraſcibilis
19 ingenita credatur. Ego ſanè, reperi in
humanæ digeſtionis œconomia, duorum viſcerum,
fellis & jecoris connexa corpora & fermenta,
pro ſanguificatione. Fel nimirum in opere
ſanguificationis præcedere, & hactenus
ſtomacho atque inteſtinis propinquius, quam
hepar. Fovetur nempe fel, in ſinu, atque gremio
velut materno jecoris. Eſt enim jecoris, atque
20 ſanguinis balſamus. Etenim cum ſanguificatio,
non ſit tranſmutatio, quæ per momentaneam
diſpoſitionem, poſſit introduci, ſitque hepar,
inſigni cavitate orbatum, qua intus queat
ſuccum ſanguificandum in moram, ſive digeſtionis
terminum, continere. Id eſt. Iecur in
ſe, eſt corpus ſolidum paucas & exiles venas
habens, adeoque totus cremor, concomitatus
tanto lotii acervo, celeri tranſitu, per hepar
tranſire debet: crudus autem cremor, nequeat
ſolo tranſitu tam celeri, confeſtim in cruorem
mutari. Quocirca nullatenus potuit perfecta
ſanguificatio, fieri in ipſo jecore. Eò quod hepar
non eſſet culina: ſed œconomus, ſuo fermento
ſanguificativo: per quod tanquam per mandatum,
inprimis per diſpoſitiones ſucceſſivas,
exſequitur injunctum ſibi à Creatione munus.
Igitur pluralitas venarum Meſenterii, eſt ipſius
ſtomachus Iecoris, & officina præparativa cruoris.
Ejuſque perfectionem jecur ſpirat in cruorem
adhuc nudum, poſtquam in venam cavam
eſt reconditus. Equidem ut ſanguificatio, eſt
exquiſitior quædam digeſtio, tranſmutatioque
rei manifeſtior, quam eſt liquatio cibi, in chylum:
non potuit commodè contingere, in amplo
aliquo vaſe; ſed in multis anguſtioribus,
quæ ſimul capacitatem aliquam inſignem adæquent.
Quo ſcilicet, Archeus ille fermentalis,
ſtrictiſſimè, arctiſſimè, & proximè attingat,
comprehendatque ſingula, & ſuum jecur
fermentum communicet, commutando, & inſpiret
vim vitalem. Splen namque in ſtomachum,
vas amplum, ſui fermentum inſpirat,
neque enim Splen cibos immediatè attingit.
Sic quoque hepar ſuæ ſpiraculo vitæ ſive fermento,
in ſibi ſubſtratas venas, inſpirat actum
ſanguificationis. Et prout cibus ab ore labitur
in ſtomachum, ibique finem digeſtionis exſpectat:
Sic ab inteſtinis, immediatè cremor rapitur 21
in ſtomachum hepatis. Sed cum ille cremor
ſit multus, & magna ſui parte excrementitius
(etenim in ſe adhuc urinam continet) debuit,
ut convenientius ſanguificetur, prius ſuo
excremento exonerari. Quippe is cremor, eſt
adhuc totus indiſtinctus, nec ideo excrementum
agnoſcit: quid ergo aget jecur, univoca
ſanguificationis actione? An enim ſegregatio
excrementi, degeneratio cremoris, & cremoris
ſanguificatio, una eademque opera fient, &
abſolventur? minimè. Cremor ſanè tranſmutatore
fermento opus habuit, diſtincto à fermento
ſanguificativo, quo ſcilicet pars ſui, minus
idonea, commutatur in merum excrementum,
non enim actio ſanguificationis, poterit
facere ex non excremento excrementum. Diſtant
enim nimium ambæ ab invicem. Actio

enim, quæ è cremoris maxima parte parat ex-
crementum, non fit per cruoris coagulationem
22 & ſeroſioris partis ſeparationem. Cum cruor in
meſaraicis nedum non coaguletur: ſed ne qui-
dem adhuc coagulabilis ſit, quamdiu in illo
ſtomacho verſatur. Vt patet in dyſenteria, fit
ergo ſeparatio excrementi ſeroſi, à cruore, in
ipſis meſaraicis, & quidem ab alio longè agen-
te fermento, & viſcere, quam quod ſanguifi-
cationi incumbit. Eſt nempe actus quidam,
qui cremoris partem condemnat in excremen-
tum. Cruorem autem præſervat, & intactum
relinquit. Præcedit ergo ſanguificationem, pro-
23 ductio ac ſeparatio excrementi. Adeoque u-
terus lotii, ante meſaraicas incipit. Nondum
tamen ibidem, eſt uterus Duelech, eo quod
fermentum renis ſpiritum urinæ mutat, in je-
core, & circumcirca. Fellis ergo fermento mu-
tatur, quicquid in cremore fuit acidum, in ſa-
24 lem urinæ. Fellis autem ſtomachus eſt duode-
num, & ſequens arundo inteſtini vicini, deſi-
nitque in principiis venarum Meſenterii. At
quia hic partium & fermentorum uſus, Scho-
lis hactenus inauditus, longiori ſermone ideo
25 dilatandus eſt. Inprimis ſtante Scholarum do-
ctrina, in jecore fit cruor: & cum cruore, ſi-
mul fit fel: Ergo neceſſariò quoque fellis ſe-
paratio erit motu & natura, ſpoſterior ſanguifi-
catione. Quapropter deberet cyſtis fellis ſu-
pra jecur, & non infra juxta venam portæ eſ-
ſe. Per ſuppoſitionem enim, nunc dono fig-
menta quatuor humorum. Saltem rem, lon-
gè commodius ſanguinem, à ſuperflua bile pur-
gaſſet, quam cyſtis fellis (cum ſcilicet bilis
immediatè urinæ adhuc immiſta eſſet) maxi-
meque, quod doceant, urinam iterum felle
(atque ideo fruſtra, debere tingi. Cur enim
tam præciſè ſeparareturfel ab urina, ſi iterum
illi mox addi debebat? In omnem eventum,
fruſtranea & importuna ſarcina, jecur onu-
ſtum conjicio, appenſo folliculo fellis. Folli-
culo inquam, abjecti tantum ſtercoris, cien-
dis urinis dicati. Tantoque infeliciore veſi-
ca, quippe quæ cum ſit membrana, primæ &
ſpermaticæ conſtitutionis, debeat tamen nu-
triri ſolo felle, cum vena careat per veſiculam,
tranſcurrendo propagata. Etenim cum nutri-
amur iiſdem, quibus conſtamus; ubi reperiet
ſpermaticum alimentum folliculus iſte, ex fel-
le? quod in ſe nil niſi excrementum eſſet?
Quod ſi verò, abſtergendis alvi fæcibus, fel
in cyſtim ſubter hepar colligi dicatur: ſaltem
Agens, quod procreat in lotio, ſalem ex non
ſalibus ſui partem urinæ eluendis, detergendiſ-
que inteſtinis, ac ciendis horum recrementis,
commodius reliquiſſet, ut fœtido tœdioſo-
que fellis onere, ac contubernio, jecur libe-
raſſet. De fide tamen eſt, corpus noſtrum, tam
affabre à Deo conditum, ut nihil fruſtra, ni-
hilque in eo diminutum ſit. Quin longè artifi-
cioſius atque commodius factum, quam noſter
capiat intellectus. Ergo ſi fines fellis, à Scho-
lis dati, eſſent veri, utique renes longe com-
modius ſatisfeciſſent illis (ut dixi) quam quod
inutili ideo pondere, jecur gravaſſet rerum
opifex. Sed conſequens convincit ſuum an-
tecedens falſitatis: ergo tota doctrina eſt fal-
ſa. Si aves renibus, veſica, & urina careant,
quo commodius volitent: fel vero duntaxat
inſerviret emungendo cruori, ſaltem cruor de-
puratione fellis libentius caruiſſet, quam depu-
ratione lotii. Id eſt. Si natura queat potum in
ave, ſine urina ſequeſtrare, itemque proinde
renibus, atque veſica carere: nonne multò il-
li facilius foret, aliquantillum fellis cum uri-
na & alvi recrementis ſegregaſſe, quam quod
nobile viſcus, oneraſſet cyſtide, adeoque in-
utili excrementi ſarcina, ſanguificationem mo-
leſtaſſet? etiam in volucribus? Certè natura 26
plus ſaltem indulta cenſetur bili, quam pitui-
tæ, quod illi peculiarem veſiculam condide-
rit. Inſulſum nempe, quod pro alvi & ve-
ſicæ fæcibus, fel, jecoris in gremio locaſ-
ſet; cum alioqui bilem cruori permiſceri ab-
undè diſſimulaſſet natura. Quocirca penitius
introſpiciens, obſervavi; cyſtim fellis eſſe
velut hepatis nucleum in ejus cavo, curioſè
ab injuriis ſervatum: Iecur verò, eſſe velut
fellis corticem. Deindè, quod fel, tanto vi-
cinius alligatum ſit duodeno, eo quod ejus
digeſtio ac fermentum præcederent digeſtio-
nem jecoris, ſive ſanguificationem. A vivi- 27
do nempe cremore, ſeparari debebat ſeroſa
pars recrementitia. Quæ ſeparatio proinde,
non eſt comparanda ſero, & lacti, quæ ab in-
vicem non ſequeſtrantur, niſi cum lactis cor-
ruptione. Siquidem in cremore contingit ſe-
paratio ſeri, cum rectificatione, & præſerva-
tione cruoris. Id eſt. Fermentum fellis, eſt
perfectivum cremoris, præſervativum cruoris
& corruptivum ſeri; Quæ tria ſimul in puncto
concurrunt, quo fel, acidum ſalem ſtomachi,
(præterquam in ſtomacho noxium, & corru-
ptivum) convertit in ſalem ſalſum. Porro quan-
quam dixerim, ſanguificationem eſſe poſterio-
rem, reſpectu ſeparationis lotii, & tranſmuta-
tionis

28 tionis acidi, in ſalſum: Attamen utrumque fermentum,
tam fellis ſcilicet quam hepatis, ſimul
incipit, quia neutrum feriatur unquam. Hepatis
enim, ut eſt majoris operæ atque perfectionis:
ita tardius, ſuum abſolvit penſum, quam
fellis fermentum. Præcedere nempe debebat
cremoris præfata tranſmutatio, ut ſublevatum
inutili onere jecur, commodius incumberet
ſanguificationi. Eſt itaque ſecunda, ſive fellis
digeſtio, diſtincta à prima, & tertia, fermento,
viſcere, utero, guſtu, effectu, & fine. Quam totam
neſciunt Scholæ hactenus, quia errantes in
29 uſu fellis. In prima namque ſtomachus eſt receptaculum,
Splen vero fermentum de ſe inſpirat
acidum in cibos, fitque inde cremor acidus.
In altera vero, gracilia inteſtina, ſunt ſtomachus:
fermentum vero à felle inſpiratur ad
corruptionem & ſeparationem aqueæ partis:
mutaturque acidum volatile in ſalſum volatile.
Quod autem hoc fieri poſſet, celeri attactu,
quandoque per aliquot mechanicas oſtendam.
Quod ſcilicet oleum vitrioli, ſolo attactu Mercurii,
convertatur in merum alumen, acetum
& ſalem, *&c.* Sæpè etiam mox à potu, mictio
fit aquoſa (ſalſa tamen) vixque concepta primæ
digeſtionis nota, quin elabatur notabilis
pars potus, ſub errore Pylori, & per conſequens
non facta fuit ſeparatio lotii, à cruore in hepate.
Quippe nondum in hepate factus eſt cruor,
ſi ipſe chylus, adhuc conficiatur è cibis in ſtomacho.
Puta dum potatores, à paſtu mejunt
ſæpiſſimè. Itaque etiam fit urina à potu aquoſo,
imo è potu, unde non factus fuit cruor, adeoque
ſanguificationem ibi præcedit generatio
lotii. Tertiæ tandem digeſtionis, venæ ipſæ
meſenterii ſunt ſtomachus, quorſum jecur, fermentum
cruentum inſpirat, eſtque rubicundus
30 ſalſus cruor, ejus effectus. Sunt enim fellis vulnera
confeſtim mortalia, non autem ita hepatis.
Si ergo fel ſaltem bilis eſſet, mors ſequeretur
quamlibet fellis effuſionem de neceſſitate.
Attamen icterus non eſt mortalis, licet fel (ut
eædem Scholæ docent) nedum ſuper inteſtina:
ſed per totum corpus, æqualiter, longè, latè,
profundè, ac per minima ſit diffuſum. Ergo
vel vulnus fellis plus importat, quam bilis effuſionem:
vel icterus non eſt bilis effuſa. Vel utrumque
eſt neceſſarium. Vulnera veſicæ quoque,
ſupra pubem inflicta (teſte felice Wurtz,
Moderniorum chirurgorum meo judicio Anteſignano)
curantur, tametſi urina cum ſuo (ut
volunt) felle, eo ipſo, non poſſit non eſſe effuſa.
31 Ergo cyſtis fellis, habet vitæ alligatam neceſſitatem,
integritatemque, ob repentinam mortem.
Nec eſt ſolius recrementi fellei offenſio,
quæ celerem mortem iſtam neceſſitat. Denique
aves, ſive veſica & renibus vivunt felices, non
tamen ſine felle. Quare conjunctior eſt neceſſitas
fellis, quam renum. Quippe quod petroſis, 32
atque carioſis renibus, vita ſoſpes ſit. Deinde
piſces (pro Scholarum doctrina) plurimo phlegmate
abundant, & calore actuali deſtituuntur:
ſanguine frigido, & aqueo dumtaxat, aluntur
victu: Tandem illorum excrementa, facile 33
gliſcentia, non opus calcare felle habuerunt.
Quapropter cum fellis fines, materia, & efficiens
per Scholas attributa, in piſce deficerent;
fruſtra ſanè, felle, ac per naturæ, Imo & Creatoris
errorem, fatigari jecur credemus, niſi malimus
errores, in Scholis perpetuos agnoſcere,
& in felle, viſceris neceſſarii, majus aliquod
momentum contemplari. Hinc itaque ſtatuo, 34
fel eſſe viſcus vitale, & ipſum corpus ejus eſſe liquorem
amarum, ex optimo cruore paratum:
balſamum jecoris, & ſanguinis continentem.
Quicquid autem fortè ſui in duodenum inteſtinum
rejicit, excrementum ſui eſt, & liquamen
jam à felle ſpretum. Hæc autem ſic ſe habere, 35
quandoque ſub bilis impoſturis oſtendi,
exemplo vituli, cui maternum, atque dulce lac,
aceſcit, & coagulatur in ſtomacho, datque proin
coagulum pro caſeis. Fit nempe lac, cremor aqueus,
parum autem lactis coagulati. Cremor
verò iſte, urinam & cruorem continet: coagulatum
verò aliud, quod expallido flaveſcere incipit,
ſtercus fit. Mox autem in duodenum cadens
iſta ſarcina, pergit ad Ileon coagulatum,
& citrineſcit, magis, quo longius à ſtomacho
abierit, ac tandem virideſcit. Non eſt tamen in
flavo amaror: ſed guſtus nitroſus. In viridi verò,
jam fimi odor eluceſcit. Seroſus autem cremor,
mox à venis meſaraicis avidè trahitur &
ſorbetur, in uſum ſanguificationis. Lac pariter,
in infantibus agitatur, undè & recentiores, flavum
totum cacant, non ex copia bilis, neque
ob cyſtis felleæ dominatum: At ſanè, quia fermentum
ſtercoreum languet. Non igitur fellis
fermentum, acidum ſtomachi, in amarum: ſed
in ſalſum mutat, ob rationes de ſpiritu vitæ expoſitas.
Parcite teneriores aures, quod de ſtercoribus
agere debeam. Oſtendam ergo quod
ſapor ſtercoris, fel excludat, uſum fellis à Scholis
inventum eludat, bilemque convincat figmenti.
Puer quadriennius lectum cacaverat. 36
Flagra autem extimeſcens, ſuum ſtercus comedit;
ſigna tamen è linteis delere non poterat.

Quocirca interrogatus per minas, tandem caſum narrat. De ſapore autem quæſitus: dixit eſſe fœtidi & ſubdulcis. Inter cætera enim, ex piſis olus comederat: conquerebatur autem indigeſta piſorum putamina, ſive furfures eſſe acidos inſigniter: Non enim eſt æqua vigilantia fermenti fellei, ſuper opaca, & ſtercorea indigeſta, quanta eſt ſuper tranſparentia, quæque in cruoris dignitatem præparanda ſunt. Caſu ſuperveni eodem die, & ſedulo ſciſcitatus ſum, addito etiam pretio, an quæ comederat, amara eſſent. Reſpondit negativè. Et idem quod ante. Item moniales alebant ſat ſobrie puellas nobiles commenſales; concionabantur autem jugiter, quod qui lautè comederent, cum divite epulone partes haberent: ſalvarentur autem ſoli, qui per omnimodam mortificationis abjectionem comederent viliſſima quæque. Nobilis ergo virguncula, ſalutis ſuæ avida, præfata perſuaſione commota, proprium ſtercus edit, & infirmabatur. A parentibus autem domum revocata eſt, ac tandem caſum narravit. Petitum fuit ab illo, cujus ſaporis eſſet ac reſpondit eſſe fœtidi, & aquosè dulcis. Tertio. Pictor Bruxellenſis, per intervalla furioſus: ſub furoris initio aufugit in nemus vicinum, ibique longe à conſpectu hominum, repertus eſt 23 dies, proprio ſtercore vixiſſe. Mox domum relatus eſt, inviſi illum, & ſanavit illum Dominus. Erat autem perfectè memor omnium ſub furore præteritorum. Interrogavi illum, an reminiſceretur, cujus ſaporis eſſet ſtercus. Ait, ſapit ut olet. Ac dein per guſtus capitales à me examinatus, reſpondit, non eſſe acidum, non amarum, acre, ſalſum, ſed aquosè dulce. Imo dixit, quod quo ſæpius recomediſſet, eo ſemper dulcius fuiſſet. Interrogatus autem, qua de cauſa ſtercus mallet comedere quam domum repetere? Dixit ſe toto furore homines horruiſſe, perſuaſus proprio furore, quod homines quærerent illum ut laqueo perderent. Patet ergo, ſtercori non ineſſe vel fellis guttulam: nam felle ſemel diſrupto, utcunque deinceps piſcis abluatur optimè, conceptus tamen ex tactu tantillo, fellis amaror nunquam deponitur. 37 Etenim ſi flavedo, fel proderet, Infantium ſtercus maximè felleum eſſet, quod à canibus tamen lingitur, quia lactis ſaporem aliqualem adhuc retinuit. Quicquid autem in ſtomacho non plenè ſubactum eſt: neque diaphani pulchritudinem aſſumſit, non ſperet in inteſtinis à fermento fellis digeri, quamvis tingitur colore flavo. Quia non itur ad ſecundum aut tertium, niſi per abſolutum primum. Quicquid ergo opacum, & calore tinctum, in Ileo eſt, id totum proſcribitur in excrementum, & ſub dulcedine quadam, putrilaginis ſaporem acquirit. Non ſecus atque fructus acidi, modico calore dulceſcunt. Quicquid autem antea acidum in ſtomacho, id in duodeno ſalſum fit, & ſequeſtratur à ſtercore: ſin verò acidum aliquid perſeveret, quod fellis fermento reſiſtat: ſtatim ſequuntur tormina, *&c.* Putreſcit autem humanum excrementum, quia iſti loco præſidet fermentum ſtercoreum. Indigeſtum autem, quod è ſtomacho elabitur, etiam in inteſtinis non digeritur. Integrum ejicitur, aciditatis autem partem, quam in ſtomacho aſſumſit, ſervat, ac ſubinde auget. Furfures enim hinc, in pane ſedem promovent, propter acorem: alia verò magis aceſcunt, atque tormina cieunt. A duodeno ergo mox incipit chylus, ſuum ſalem acidum volatilem commutare in ſalſuginem parem, reſolutam in cremore. Reſidua autem & corporalior Cremoris ſubſtantia, in venis meſenterii à jecoris inſpirato fermento ſanguificationem exſpectat. Latice interim ſalſo à renibus, trans hepar attracto, ipſe committitur renibus, & veſicæ ad expellendum. In vaſis ergo Meſenterii, incipit Tertia digeſtio, quæ in jecore terminatur. Cruor enim quamdiu in meſenterio eſt, nondum digeſtus, nondum fibroſus, aut perfectus. Cruor enim meſenterii, in dyſenteria non concreſcit ideo. Alias verò diſrupta ſtomachi vena, cruor protinus in ſtomacho grumeſcit. Fermentum enim hepatis, in 38 tantum inclinatur ſanguificationi (eſt namque ejus munus univocum & unicum) quod venæ etiam jure feudi, illam ab hepate, proprioque inde inſito Archeo confirmante retineant: ita ut cadaveri, dudum à morte, non coaguletur cruor in venis: qui alias effuſus, illico grumeſcit. Cremor enim per inteſtina deinceps decurrens, ſiccior evadit, aſſuctoque in venas ſurſum ejus liquido. Inde verò reliquum magis, magiſque, putreſcit, adeo, ut cum ad fines Ilei deventum eſt propemodum, jam non parum liquidioris ſtercoris, fit generatum, quod antequam ſaturatè putruerit, ad meſenterium rapitur, ut lotio permiſceatur, ad ſuos fines utile. Prout alibi de febribus. Itemque de Duelech. Quod flavum ſtercus. 39 Scholæ bilem & fel credidere: adeoque è ſtercore, ſuam fundarunt demonſtrationem, pro uno è quatuor humoribus, & patuit oſtium inde, ad miſerandos errores, & nefandas jugulationes. Parum enim refe-

rebat adhuc, ignorata tincturæ lotii ſubſtantia,
falſam Tecmarſin exſtruxiſſe: At bilem & fel,
feciſſe humores noſtri conſtitutivos, omnium
morborum, patratores, flavam nimirum bilem,
eamque parum digeſtiorem, finxiſſe aduſtam
æruginoſam, atque inde aridam, & retorridam
melancholiam: fel ipſum autem, eſſe cloacam
bilis ſupervacaneæ; Cruorem verò, non niſi
eſſe corpus artificiale, connexum è pluribus,
quæ rurſus ſeparata, idem eſſent poſt mortem
eorum, quod ante in vita: non autem corpus
natura matre genitum, per veram tranſmutationem
chyli in univocum cruorem: atque
tandem ſanationes inſtituiſſe, circa remotiones
cauſarum patratarum, quæ nunquam erunt, aut
fuerunt in natura; Id ſane ſuperat opimam
ignorantiam, & ſtertores facit inexcuſabiles
40 Scholarum. Sed mihi objicient forſitan. Venas
(dicis) ſugere cremorem, è ſtomacho, in inteſtina
lapſum: ergo idem munus competit venis
ſtomachi, ut attrahant in ſe acidum illum cremorem,
abſque interceſſione fermenti fellei, Id
eſt, ſine mutatione acidi in ſalſum. Et per conſequens,
ſomniarium tuum eſt fellis fermentum,
ac inventum; Imo poterit juſculum enemate
injectum, ad jecur penetrare inſcia felle,
(de jure enematis hanc quæſtionem libro de febribus
41 diremſi.)Reſpondeo: Veterem eſſe Scholarum
abuſum, quæ ex æquo, eundem uſum
cunctis tribuere venis. Quaſi venæ in brachiis
diremtæ, trahendo cremori incumberent? Inprimis
oſtendi jam cruorem in venis ſtomachi,
eſſe coagulabilem: non item cruorem Meſenterii.
Sciendum deinde, omnem cremorem
acidum, eſſe venis hoſtilem, has vero nil hoſtile
ad ſe trahere; unde ſequitur, venas ſtomachi
nequicquam de cremore ſub ſe allicere: &
cruorem omnem, antequam à venis meſenterii
attrahatur, toleraſſe manum fermenti fellei,
in ſuo inteſtinorum ſtomacho. Imo quanquam
arteriæ, per ſtomachum diſperſæ, ſugant ſpiritum
vini: ſuccum tamen nullum hauriunt.
Nam quorſum traherent arteriæ ſuccum, cum
indè nil boni faciant unquam? cum ſanguificatio
non competat cordi: ſed hepati? cum attractus
ſuccus, in arteria, neceſſariò impedimento
eſſet, & corrumpi deberet? Si itaque arteriis
dos ſit vitandi noxia, ac ſaltem trahendi
ſibi vitalia, & à rerum Domino ſibi deſtinata:
An venis iſta diſcretio denegata erit in ſtomacho?
Etenim equis malè à natura conſultum
foret, qui unico hauſtu contenti, manè, toto deinceps
die, ſtramine, fœno, palea, avena, vel hordeo
veſcuntur. Siquidem arida, vel exſucca ſitum mox in ſtomacho contraherent, ſi venæ ſtomachi potum ad ſe haurirent. Sitirent toto die equi. Potus ergò neceſſariò permanere debuit in ſtomacho tantiſper, quod finem digeſtionis futuræ ibidem exſpectet, ne acidus liquor in venas trahatur, planè hoſtilis, nevè ſemicoctus cremor, ante terminum, à venis ſorbeatur. Eſt ergò uſus venarum ſtomachi alius, quam qui eſt meſaraicarum. Ideoque ruit objectum argumentum. Quia meſaraicæ, ſunt ſtomachus jecoris, & non eſt alius præter illas: non item id ſunt venæ ſtomachi. Quæ ſaltem nutriendo ſtomacho dicantur. Denique ubicunque Pylorus non exactè clauditur (ut contingit longis potationibus) ut ſtomachus continuò fere, infernè filo, tanquam mictitet, ſtillando in inteſtinum: In febrientibus verò, quorum pylorus nimia errat ſtrictura, potus quandoque toto triduo perſeverat, atque tandem plus unico vomitu rejicitur, quam biduo ſit aſſumtum. Quod ſanè pugnat cum eo, quod venæ ſtomachicæ ſuccum attrahant. Sæpè mihi contingit, in rheda jacenti ſupino, quod audirem per viarum ſuccuſſionem, ſtomachum, inſtar lagenæ ſemiplenæ, mihi fluctuantem, chylum continere: iviſſe autem frequenter cubitum deindè, abſque cœna ac potu: Imo, quod manè, ut pridiè, ſtomachum ſentirem. Quare curioſulus, proritavi mihi nauſeam, ac evomui cremorem acidulum, copioſum, diaphanum, ſic ut dentes mihi præ acido obſtupeſcerent, & licet gravamen non ſentirem ante vomitum: à vomitu tamen levamen percepi. Vnde obſervavi primò, Quod ſi jam 20 horis, venæ ſtomachicæ ſuxiſſent chylum, non potueram tantundem, adhuc à moderato heſterno prandio, rejeciſſe. 2. Quod cremor acidus, à venis non alliciatur. 3. Quod acidulus ille cremor, nondum è ſtomacho, eſſet dimiſſus, non quidem vitio digeſtionis: ſed errore pylori. 4. Quod digeſtio differat ab expultrice, ſi una perficiatur, abſente altera, aut deficiente. 5. Quod ſubinde digeſtio inſontem culpam gerat expultricis, & viciſſim. 6. Quod ut ego peccabam nimia clauſura pylori: ita potatores peccant nimis negligenti obice pylori. 7. Quin etiam initiis morborum, non raro rejiciuntur, quæ triduo ante aſſumta ſunt. 8. Quod non ſit venarum ſtomachi, attrahere cremorem. 9. Quod nihilominus perſiſtat doctrina, quæ ſtultum fecit enema, per anum injici, ad alendum ægrum. 10. Quod ſupernum ſtomachi Orificium, in febribus peccet, nimia

apertura, ac ſiti; Pylorus vero erret, ſtricta ſui
clauſura. 11. Quod in febribus peccet digeſtio
ſimul, & expulſio. 12. Quod clavis orificii ſto-
machi ſit in ſplene, & Pylori, in felle, propter
duplicis fermenti ſedes diverſas. 13. Quod ſitus
ratio, pro ſplene, & felle, ſit ex ratione muneris.
42 Enimvero Scholæ ab uno extremo, ab ore, uſ-
que in anum: alteroque extremo, uſque in ca-
vum hepatis, primam corporis regionem ex-
tendunt. Ego vero, regiones, per digeſtiones
conſcribo, cum extra has, alioquin ipſa regio ſit
ens rationis. Quid enim digeſtionem attingit,
excrementi exitus? quid attinet ad ſtomachum,
quod ejus ſcoria ſecedat per anum? Non enim
ſtercus inteſtini, plus eſt ſtomachi excremen-
tum, quam eſt ſudor: Itaque ſi anus ſit primæ
regionis propter excrementum ſtomachi: Ergo
& cutis erit primæ regionis ob ſudorem, & ve-
ſica propter lotium. Non ergo excrementum,
non denique exitus hujus: ſed ſola digeſtio,
regioni conſcribit limitem. Atque proinde to-
43 tidem ſunt Regiones, quot digeſtiones. Deni-
que officina ſanguificationis, non ipſum hepar
eſt in ſui ſubſtantia. Quia & jecur piſcium et-
jam illorum cruorem faceret: ſed cum tamen
unumquodque generet ſibi ſimile: neceſſe eſſet,
aut jecur piſcium rubeum eſſe, aut illorum
cruorem eſſe album. Quorum utrumque eſt
falſum. Vnde diſcimus, ſanguificationem ipſam
fieri in ſuo jecoris ſtomacho, qui eſt ipſum vas
multiplex meſenterii. Alioquin hepar, paucas
nimis & exiles habet, pro tantæ molis ſucco,
debitè perficiendo. Extra ſe nempe, in venam
cavam ultima cruori perfectio ſanguificatio-
44 nis inſpiratur à fermento jecorario. Putantque
Scholæ, ſanguificationem fieri per fotum actua-
lem jecoris & cremoris: eo quod ignorent, a-
lias actiones, quam quæ per attactum diutinum,
45 ſive comprehenſionem contingunt. Ideoque
& omne agens, neceſſario pati debere, propter
renitentiam, reactionem patientis: eamque no-
ſtri interitus, eſſe cauſam inexcuſabilem, ac
continentem, eo quod ſenſim radicalis calor,
(univerſa nempe, caloribus & frigoribus attri-
buiſſe, ratum ducunt) reactione patientium fa-
tigatus, extingueretur. Quæ duo Ariſtotelis
axiomata, magis locum in Matheſi, quam in
natura habentia, fefellere Scholas. Quod alibi
46 abunde probabo. Ad ſcopum redeundo, con-
cludo fel & jecur perficere ſua munia, non qui-
dem corporali contactu, congreſſu, aut com-
miſtione ſui, nec denique amplectendo, aut re-
cipiendo intra ſuum gremium. Aſt fel dimittit
ſuum fermentale Blas, in inteſtina, & jecur, in
venas meſenterii. Quas actiones etſi in Scholis
inſolitas, ſuo loco demonſtrabo. Porro ſtupent 47
Scholæ, cur venti non tranſeant inteſtinorum
tunicas in torminibus, dum tamen tanta affa-
tim liquoris congluvies, quotidie trans inteſtina
rapiatur in vaſa meſaraica, non cernantur ta-
men in inteſtino pori, per quos tot liquoris in-
dies, in venas properet, imo nequidem quan-
quam à morte, inteſtinum vento turgidum, for-
titer, & ad ſui crepaturam uſque comprimatur.
Quoties nimirum per calores, & frigora, figu-
ras, & artificiorum ſimilitudines (quæ Schola-
rum ſunt organorum, atque ſacræ Anchoræ)
rem non aſſequuntur: ſtatim ad miracula, vel
ſaltem, ad occulta rerum myſteria confugiunt,
rei ſtupefactæ magnitudine vel inſolentia de-
territæ cum indaginis ignavia quieſcunt, in ad-
miratione proprietatum occultarum. Paracel- 48
ſus ad fabricam vitrioli medici, ex ære, jubet
decrepitatum ſalem, veſica ſuilla ſuſpendi, in
aheno aquæ fervidæ, totumque ſic mox ſalem,
diſſolutum iri. Quo jubet æris laminas inungi,
& naſciturum in aere ſpondet vitriolum. Eram
quidem adhuc in Tyrociniis, ſciebam tamen
ex Philoſophia, ſalem non poſſe in ſui pondere
reſolvi in aquam, abſque ſui ſubſtantiali trans-
mutatione: hanc vero non poſſe contingere
per aquæ humectationem: attamen ex altera
parte, ſuadebat oppoſitum, Paracelſi authoritas.
Quod ſcilicet citra adjunctionem aquæ, (fruſtra
namque aliàs eſſet veſica) ſal liqueſceret in a-
quam. Quapropter Tyro, temerarium tanti
viri aſſertum portentum, experiri decrevi. At
mox lento fervore, rex æri aquam in aheno,
non multo minus ſalſam, illa, quæ in veſica erat,
cujus cervix anſæ cacabi erat alligata promi-
nens extra aquam; undè ſcivi aquam intra, &
extra, veſicam penetrare: veſicam nempe, ſale,
& aqua calente perviam: non autem aere. A-
quæ pluviæ enim partes 77. reſolvunt ſalis ſic-
cati partes 23. ubi vero una de aquæ 77. parti-
bus evolat, cruſta ſalis innatat muriæ. Fruſtra
ergo per veſicam imperat Paracelſus, quæ com-
modius citra eam fiunt. Idque præter falſi ſup-
poſitionem adhuc. Adverti itaque in fervoris
gradu, veſicam poroſam: non autem in noſtræ
œconomiæ calore. Collegi hinc ergo, per duc-
tum venarum, inteſtina pluribus ſcatere & mi-
nutulis poris, quam alibi: quibus poris reſpon-
derent alii, per ductum venarum pervii. Cre-
mor ergo tranſit inteſtina, partim ſui imbibi-
tione, prout aqua ſalſa veſicam, partimque pro-
prio

prio ſympathiæ ſuctu per præfatos poros, apertos quidem in vita (prout & in fervore, aquæ veſicam penetrant) clauſos vero in morte. At ventus, non humectando imbibitur ab inteſtinis, neque à venis fugitur: ideoque nec hactenus inteſtina penetrat. Idque potiſſimum, quod deficiat tractus congruentiæ, ac Blas motivum, quibus ventus trahatur repugnatque trahendorum diſcretor. Venæ ergo, inter duplicem tunicam ſtomachi diſperſæ, carent præfatis poris: poroſæ ſaltem, qua exteriore circumdatæ tunica cruorem tranſſudant alimentarium. Adeoque culina ſive digeſtio ſtomachi propria eſt ab extra introrſum: coquina vero, quæ in ejus cavo, univerſalis fit, ibidem quoque tota conſcribitur. Idque, ne amborum digeſtio confuſionem pariat. Coquus nimirum in ſtomacho duplex, unus ab liene, & alter ſibi proprius, diverſas digeſtiones edit. Porro acidum fermentum in ſtomacho, diſſolvit cibos in ſuccum: ſed fellis fermentum acidum chylum ſaliendo ſeparat chymum pro cruore, atque inde ſubtrahit laticem, urinam, ſudorem, ſtercus, flavum liquidum, & partes craſſioris ſaburræ. 49 Nec eſt proinde digeſtio in ſtomacho, formalis ciborum tranſmutatio. Per exemplum: Magiſteria namque apud chymicos, corpus quidem rei liquefaciunt, aperiuntque cum quarundam fæcum etiam ſegregatione. Non tamen proinde involvunt ſui tranſmutationem. Prout neque ſal reſolutus à ſeipſo exſiccato, ſubſtantialiter differt. Eo quod idem Archeus ſeminalis, utrobique adhuc præſideat. Sic nec in ovo, eſt formalis tranſmutatio, etſi ſub fotu, vitellum liquefiat & fœtorem contrahat: ſed ſunt materiales diſpoſitiones dumtaxat ad formalem tranſmutationem, indè tandem reſultantem, requiſitæ. Denique, nec fellis digeſtio, reſpectu vividi cremoris, adhuc cenſetur formalis tranſmutatio, licet reſpectu excrementorum, formaliter tranſmutet. Etenim diſſimilares partes cremoris, quarum non intenditur, alimentalis ſibi applicatio, putreſcunt per fermentum ſtercoreum, & privantur vita media, ut & Archeo. Aſt cremoris homogenei, ſola prætenditur tranſmutatio, 50 ut & ejuſdem fruitio. Cibi igitur, verè, & eſſentialiter non commutantur, niſi dum in una parte cruor, ac in altera parte ſtercus plenè putridum fiunt. Viſcus etiam, cruori faciendo deputatum, non poteſt vacare, parandis ſtercoribus flavis in Ileo & colo. Differtque ſtercus, à manſo cibo eſſentialiter: non autem ſolo calore putrefieri credendum, paucis horis, quod nec à calore, in cremorem aliqualem verſum eſt: ſed à fermentis propriis culinarum. Ergo cibus nondum plenè eſt tranſmutatus, niſi dum ſubacto ſuo Archeo, noſter vitalis eſt introductus, cum plena vaſallatione prioris. Sic namque totum vinum mutatur in acetum, totum argentum vivum in aurum, totum ovum in pullum, totuſque ſanguis in ultimum alimentum. 51 Vndè falſum conjicio, non eſſe alimentum ſine excremento. Stercora enim meditatæ ſunt Scholæ: nec attenderunt, quod ad generationem tantum concurrant homogenea: Idcirco licet antè tranſmutationem cibi, fiant fæcum ſeparationes: tamen deinceps, non fiant fæces amplius in tranſmutando, nimirum poſt homogeneitatis adeptionem. Impoſſibilis nempe eſt ſeparatio fæcum ex homogeneo, in quo unum nil quicquam diſcrepat ab altero. In cibis verò, ſive ſub fermento primo, eſt heterogeneitas, propter ciborum partiumque eorundem differentiam, maſticationis inæqualitatem, & recepti fermenti imparem applicationem. Cibus enim, partim facilius auſcultat fermento, partimque rebellis reluctatur, unde etiam diſſona fermenti oritur capacitas. 52 Falſum eſt illud Scholarum; Quod ſtomachus ſibi primario coquat: ſecundario tantum pro toto, adeoque verè alatur ipſe chylo acidulo. Adeoque ſi non nutriretur ſuo chylo, nec velle cocturam incipere aut attingere. Eo quod ex Philautia naturæ, unumquodque pro ſe intentionaliter agat. 1. Id ſi locum habeat in agente totali: non ſanè, in partium ſingularum directione. 2. Quia nulla pars agit quicquam proprio nutu Philautiæ, in corpore: multoque minus, agunt officinæ, dicatæ miniſterio totius. Sed natura paret utrobique deſtinationibus Creatoris, quæ ex uſu, atque neceſſitate dimenſæ fuerunt, penes rerum Dominum. 3. Iiſdem nutrimur, quibus conſtamus: nullatenus autem conſtamus cremore. 4. Stomachus nutritur, non alia materia quam reliqua membranarum claſſis, quæ cremore deſtituitur. 5. Cremor non ſuſcipit vitam, niſi per gradus cruoris: ſtomachus autem nutriri nequit, alimento nondum vitali. 6. Cremor eſt cibus liquefactus, habens adhuc Archeum & proprietates cibi; nequeunt autem ſpermatica & primæ conſtitutionis ſimilaria nutriri liquore, nondum ad humanam ſpeciem determinato. 7. Venæ non diſperguntur in ſtomachum, ut cruorem ſugant, ſed ut alimentum diffundant. Non continent autem cremorem. Ignorata igitur membrorum œconomia, paſſim

elenchi in Scholis pullulant, à non cauſa, tanquam
ad cauſam, pariuntque capitales errores,
& ſurdas experientias, in pelle aliena piandas.
53 Fran. Alvares, teſtis oculatus, ſcribit. Primates
Abyſſinos delectari in epulis, carne cruda
bovina, cum ſalſatura, ſive condimento
fellis proprii : ſunt tamen robuſtiſſimis Europæis
nequicquam debiliores. Si ergo fel ſit excrementum,
(ut Scholis placuit) tantæque truculentiæ
(quod putent) ut in ſtomacho detentum
fel, deliquium animi parere, imo paucos
intra dies per morbum Choleram nos jugulare
: Quomodo fel crudum, & cadaveroſum,
54 ſanos & robuſtiores efficiet ? Objicient forte,
ſi fel, viſcus adeo neceſſarium; columbæ illo
carere non poſſent. At non ſciunt, quod membrorum
& cordis ſitus, ſit inverſus in columba.
Nam ſi formicæ ſua bilis ineſt, columbæ
quoque fel ſuum habent ; licet non amarum,
nec folliculo diſtinctum, ut neque in formicis.
Sufficit namque, Blas ſecundæ digeſtionis,
ſtabulari in alia parte. Etenim cor columbæ
ſedet in quatuor lobis, cavi hepatis ſurſum
immerſis, ejuſque gibbus propendet deorſum.
Columba pugnax uſque ad cruorem, fellis folliculo
caret : Agnus verò, fel amplum habet,
prout & piſcium quiſque minutiſſimus, & manſuetiſſimus.
*Dederunt in eſcam meam fel ; &
in ſiti mea, me potaverunt aceto.* Erat vinum
iſtud myrrhatum, cum felle miſtum, quod offerebant
mundi Salvatori, jam doloribus inſolitæ
paſſionis delinquenti, & pondere crucis propriæ
exantlato, non quidem ut ſtatim ſyncopizaret,
55 prout alioqui Lipoſychin minatur iis,
qui amaros vomitus (quos felleos falſò vocant
Scholæ) tolerant. Igitur Iudæi fel pro balſamo,
vitam conſervante, agnoſcebant : & procul
diſtat à flavo illo veneno, vomiturientibus
rejecto. Itaque ſacrilegi offerebant fel, quo Dominum
Ieſum diutius ſub pœnis ante mortem
cruciarent. Fel ergò, ſi viſcus, ejuſque actio ſit
vitalis prorſum, reſtaurari vix poteſt; nulloque
ſaltem modo oblectatur, materialibus remediis,
ut neque ſolitivis : ſed fermento æquivalente,
de natura Blas. Eſt namque poteſtatum in poteſtates
immediata, ac mutua quædam traductio,
faciliſque operatio : eo quod attactus invicem,
& mutuus, in ſymbolo : ideoque & penetrans.
56 Memini enim me vidiſſe diſſectum
cadaver, cujuſdam Computoris regii, & alterius
Ludimagiſtri, Ictero extinctorum. Neutrius
tamen emunctorium fellis, ad duodenum
erat conſtipatum : ſed in quibuſdam meſaraicis
erant globuli, quos cenſui ſtercus liquidum,
ibi detentum, actionem fermenti fellis
infeſtans. Triſtitia quoque non rarò Ictero dedit
initium, fovetque inceptum. Si ergo triſtitia,
in Splene, melancholicæ ſede, habitat
(juxta Scholas,) cur ergo oppilaretur ex mœſtitia
fel ? & non Splen ? Ergo 1. triſtitia impedit
digeſtionem nedum ſtomachi : ſed etiam fellis.
Cujus errore ſtercus liquidum, quod potiſſimum
fertur per anum, in venas immoderatè,
atque intempeſtivè ſurgit. 2. Ergo fel, viſcus
eſt nobile, ac vitale.

Tandem Cremor, è Pyloro in duodenum
labens, confeſtim intra ſphæram activitatis, à
fellis inſpiratione correptus, aciditatem ſui in
ſalem commutat, & aquoſior ejus pars à meraciore
fit ſegregabilis, quæ à renibus trahitur.
Vndè urina eſt ſalſa ſatis, cruor autem parum. 57
Quod autem Paracelſus velit urinam, non per
renes, atque ureteres ; ſed per carnis habitum
ferri in veſicam : Id ſuo indulgeatur Idiotiſmo.
Prout & iſtud. Quod olea & emplaſtra ſint verus
vulnerum cibus, adeo ut vulnus verè iis alatur
: cujuſque nutritionis pus ſit excrementum.
Cremoris ergo ſal acidus, cum deſtituatur
objecto, qui cum per actionem diſſolventis
migret in ſalem fixum (ut ante de ſpiritibus
volatilibus docui) commutatur adæquatè in ſalem
lotii volatilem. Idque non per actionem,
ac reactionem aciditatis, in aliquod objectum :
ſed per veram fermentalem metamorphoſin ;
Eſt namque ipſe ſpiritus vitæ, de natura ſalis
volatilis, & ſalſi. Adeoque vel ex hinc ſolum,
arguitur vitalis actio fellis. Etenim ſal marinus
eſitatus, fere totus in excrementis manet.
Quod ſaliſpetræ coctores, ſe invitis, experiuntur. 58
Nam è ruderibus latrinarum, ſeparare coguntur
ſalem, quandoque comeſum à ſalepetræ,
per iteratam ebullitionem, & infrigidationis
coagulationem. Adhæret nempe ſal marinus,
coagulatus ſpondilibus vaſorum, nequicquam
mutatus à ſeipſo pridem eſitato. Idque antequam
ſalpetræ, ſuæ coagulationis ſufficientem
exſiccationem nactus ſit. Ideoque hinc ſcitur,
ſalem marinum promtius coagulari, ſalepetræ.
Humana idcirco excrementa, ſunt minus opportuna
ſalipetræ, quàm alias caprarum, ovium,
aut armentorum. Quantum tamen illius ſalis
marini ſubigitur à fermento ſtomachi, tantundem
quoque acidum eſt, ac volatile. Conſequenter
quoque, etſi nullo quis ſale utatur, non proinde
ejus urina ſale careret, quippe qui nova eſt
creatura, atque productum novum, ex acido
cremo-

cremoris. Sal lotii ergo non habet ſibi, in toto naturæ ſyſtemate, ſimile. Non enim marinus, fontalis, rupeus, gemmeus, non nitrum, non petræ, aluminis, aut borracis: non denique naturalium ullius, ut neque ſal urinæ gregum, vel armentorum. Quibus etſi in modo fiendi conveniat: diſſentit tamen ſal urinæ humanæ ab illis, per genera & ſpecies: non minus quàm fimi, per ſpecies brutorum variant, licet communi paſcantur bruta pabulo, propter Archei nimirum, atque fermenti diverſitates. Ex cibis ergo, & potibus non acidis, aut ſalſis, fit ſal acidus, & demum ſalſus: faciliuſque eſt ex ſale acido fieri ſalſum, quàm ex non ſale,
59 ſalem acidum fieri. Memini me chymicum vidiſſe, qui cadum aceti ad duas tertias quotannis implebat aqua Rhodani, exponebat Solis ardoribus, & ſic aquam, in ſe inſipidam, tranſmutabat in verum acetum, concepto è cado fermento. Hoc inquam ſic ſolitus facere, ob ſingularem aceti illius proprietatem. Siquidem è vini aceto, primùm ſemper debilior pars ſtillat: meracior autem ſub finem, cum fæcibus aſſurgit: Hoc autem acetum factitium, ex mera aqua, ut fæce caret, ita ſemper æquale ſtagma, ab initio in finem uſque, miniſtrat. Quapropter ut fermentum vaſis, ſolo ſui odore, aquam in acetum mutat: Ita nimirum Splenis odore, in ſtomachum ſpirato, cibi fermentali, fiunt cremor acidus. Qui dein vertitur in ſalem urinaceum, imo & in vitalem. Hæc quia Scholæ nunquam ſomniarunt, nec earum ſequaces, in antecedentium lucubrationibus legerant: ideo ignorarunt fermentorum, & partium uſum, & tranſmutationum celebrationes, bilem verò utramque introduxerunt in ſanguinis maſſam, contenta urinæ demum, & lotii indicia, neſcivere. Tertia igitur digeſtio, fit præſide fermento hepatis, quod cœco Gas odore, ſanguificationem in ſuo meſenterii ſtomacho incipit, ac tandem in vena cava perficit.

60 Quarta porro digeſtio completur in corde, ejuſque arteria; In qua elaboratione, rubens, craſſiorque venæ cavæ cruor, elaboratur, fit flavior, & planè volatilis. Cor enim utrimque auritum dicitur, habetque ad ſiniſtrum ſinum, pulſantem arteriam unicam, magno ſibi trunco inſertam, ut duplici remigio fortius trahat cruorem transſeptum, quod inter utrumque ſinum,
61 in medio cordis eſt. Huc refer quæ ſuperius adnotavi de poroſitate ſepti, quod ſinus cordis diſtinguit, & cur non remeet ſanguis à ſiniſtro ſinu, in dextrum; ſed tantum ſpiritus vitæ, tanquam per exile cribrum. Differt itaque cruor hepatis à ſanguine arteriali, per quartam digeſtionem, colore & conſiſtentia digeſti manifeſtam.

Quinta autem digeſtio tranſmutat ſanguinem arterialem in ſpiritum vitalem Archei, de quo ſub Blas humano diſſerui, ut & ſub ſpiritu vitæ. Non potui mihi ſatisfacere, quod in cruore jecorario, (licet perfectionis ſuæ gradum acquiſiverit, poſtquam meſenterium ſuperarit) eſſet aliquis ſpiritus: ſed mihi ſemper viſus eſt cruor ille, tanquam maſſa quædam mumialis, & materia ex qua: At nondum pro perfecto vi- 62
tali ſanguine habenda. Nam ſi cruor venæ cavæ à jecore ſpiritum mendicaſſet, fruſtra eſſet auris dextera cordis, quæ non alio fine operatur inceſſanter, quàm ut à ſinu ſiniſtro, aliquid ſpiritus trans ſeptum cordis trahatur, ut cruor in vena cava, juxta cor, participatione illius ſpiritus, vivificari incipiat: Cum autem à ſiniſtris, ſit auris, & præterea inſignis truncus arteriæ: hinc quoque fortior ſuctus fit à ſiniſtro ſinu. Hincque conſequenter quoque, parum ſpiritus vitalis cruori venali communicatur. Siquidem cruor hepaticus, ſemper per ſui totum nimio madet latice, quo orbari debuit, priuſquam fœcundum & dignum ſpiritus fiat ſubſterniculum. Neque demum jecur, cavitatem aptam in ſe habuit fabricando ſpiritui. Quare unicum duntaxat, ut in ſemine fabricatorem & rectorem vitæ ſpirituum, vidi intellectualiter per totam generationis ſcenam: Ita & unicum duntaxat admitto ſpiritum, œconomiæ vitalis. 63
64 Cruor enim labitur quidem intra muſculorum ſtamina, & fit caro: ſed ad alenda viſcera, & fibras carnis, non facilè tranſcendit. Infirmus enim longo morbo extenuatus, etiam poſt adoleſcentiam, convaleſcens, facile priſtinum carnis ſtatum reſumit: at non proinde, qui vitio cujuſdam viſceris emaciatus eſt, ſimiliter ad priorem ſtatum reſurgit. Hæcque eſt tabis ſanandæ inteſtinorumque ulcerum medelæ difficultas. Vbi interim ulcera externa longè pejora, per pharmaca oretenus ſumta ſanantur: tametſi ab ore longius diſtent quàm interna. Eò quod viſcera, atque membranæ internæ alantur ſanguine, plus quam cruore. Cæterum vita, à Deo ſuum accepit terminum; Ideo & quæcunque vitali aluntur ſanguine, certis dierum numeris, ſiſtunt ſuum incrementum. Vbi interim caro muſculorum (quæ cruore duntaxat alitur, & fibræ muſculorum quæ ſanguine nutriuntur) indeſinenter creſcit, quoties

deficit & in perniciem quorundam, immenſum
excreſcit. Sic & oſſa fracta, poro oſſeo ſolidantur,
quavis ætate. At cum viſcera creſcere ſiſtunt,
ſiſtunt quoque creſcere fibræ omnes ſpermaticæ,
atque primæ conſtitutionis. *Quis enim
ex vobis, cubitum ſuæ ſtaturæ adjiciet?* Obſervavi
enim prægnantes, inſigni mœrore dudum
afflictas, fœtum dediſſe minorem. Inprimis
ergo, non admitto ſpiritum hepaticum cruori
ineſſe. Deinde, nec animalem à vitali diſtinguo.
Siquidem in unica navi, unicus tantum
clavo rector aſſiſtit, nec plures abſque confuſione
ſeſe compatiuntur: neque in ſinu cerebri,
novam digeſtionem, pro animali ſpiritu admitto.
65 Perinde ut ſpiritus non differt ſpecie à ſeipſo,
in ſingulis ſenſuum organis, & motuum
exſecutoribus: quanquam ſenſus inter ſe, ſpecie,
ut & à motu, diſcrepent: Ita confuſum argumentum
exiſtimo, quod plures Archeos in
homine comminiſcitur. Gas enim, licet ab organo
ſingularem diſpoſitionem hauſerit; non
arguit hæc tamen ſpecificam diverſitatem. In
66 quarta ergò & quinta digeſtionibus, non ſunt,
nec proveniunt excrementa, nec diſſimilaria.
Ideoque falſum, quod in omni alimento ſit excrementum.
Sanguis enim & ſpiritus, univoca,
& vitali unitate conſonant. Verum, ſi qua è
prioribus digeſtionibus recrementa, in arterias
irruant vel innaſcantur; morboſum id eſto turbulentum
atque confuſum imperium. Ego jam
de digeſtionibus ordinariis loquor.

67 Sexta tandem atque ultima digeſtio, in culinis
ſingulis membrorum perficitur. Suntque
totidem ſtomachi, quot membra altilia. In hac
nimirum, innatus cuique loco ſpiritus, ſuum
ſibi coquit alimentum. Sub qua digeſtione, ut
variæ incidunt diſpoſitiones, ita & diſpoſitionum
iſtarum contingunt varii errores. Adeoque
morbi, quos Scholæ quatuor fictis humoribus
ſuis attribuunt, potius tranſmutatis deberentur.
68 Tranſmutata autem dico, diſpoſitiones, quæ in
ſanguine deinceps, uſque in verum nutrimentum
ſolidorum conſecutivè ſuccedunt. Scholæ
dividunt tranſmutata hæc, in quatuor ſubalternas
diſpoſitiones & quaſi in his nunquam error
obvenire poſſet, oblitæ ſunt morborum, quos
hinc Claſſi tribuere debebant. Primam nimirum
ajunt, quia cruor intra venarum extremitates,
crudi ſeminis mucilaginoſam ſubſtantiam
acquirit. Mox roris modo, in ſpatia inania carnis
diffunditur vel excidit, tertiò, dum jam
partibus ſolidis apponitur. Ac tandem cum aſſimulatur
alito. Et ab hoc verè informatur:
partis ſolidæ naturam aſſumit. Quæ ſanè ſcoria
Scholarum non vacant. Nam inprimis ſanguis
vel cruor non albeſcunt in extremitatibus
venarum, cum extremitates non alia polleant
poteſtate officinæ, quam totus ſuus anterior venæ
canalis non habeat. Adeoque vena, licet vas
ſit alimenti præparati pro culinis ſolidorum:
non tamen vena eſt culina ſolidorum. Solida
ſcilicet ſingula, ſuam & propriam intus culinam
fovent. Igitur cruor & ſanguis non alterantur,
niſi appoſiti ſint ſolidis. Eo quod convertantur
à proprietate ſolidorum, in crudum
ſemen, non autem propria ſponte in extremitate
venarum. Secundò, non irroratur mucilago
ſpermatica, à venis in ſolido. Eſt quippè rori
malè conſona mucilago. Sed tenuis allabitur,
intra ſingulorum culinas, fluiduſque ſanguis &
cruor, qui à fermento loci tantum tranſmutantur.
Tertiò. Nec ſunt inania loca carnis, quæ
comminiſcuntur roris avida. Quartò. Nec apponitur
alimentum ſolidis, roris more, qui antea
pauliſper mucilago erat. Quintò. Nec tandem
unitur, & aſſimilatur hic ros ſolidis: ſed
quicquid illis aſſimilatum cedit, hoc eſt intra
annos accretionis: deinceps verò, ut cruor &
ſanguis, in ſolida perreptarunt, ſuctu naturæ
continuato: ita ibidem digeruntur, adaptanturque,
atque tandem per diaphæreſin exploduntur.
Quatuor ergo has diſpoſitiones, fictas
à Scholis ac malè concinnatas, in numerum
quaternarium (nam fortaſſis intercedunt centum
diſpoſitiones, antequam ab ovo, pullus à
ſanguine inquam, pars ſolida conſtituatur) digeſtas,
meditor, cum labe Scotomiæ Scholarum.
In qua nil rectum aut verum, ſed ipſam
rei hiſtoriam maculoſam adſpiciunt, eſtque iis
verum, quod nullum habeant veri nutrimentum,
abſque fabularum excremento. Ergò, & 70
venæ ipſæ, quatenus primæ conſtitutionis, nutriuntur
ſolo ſanguine arteriali, adeoque & hactenus
fortè, arteria venam paſſim comitatur. Fit
enim hinc, quod per crudeliores ſanguinis
miſſiones, tandem non cruor; at albugo effluat,
ſive venarum proximum nutrimentum
præ penuria cruoris. Cæterum Paracelſus naturam 71
utrobique traducens ad ſuos lubitus, ait,
in digeſtione ſtomachi, ſulfur putridum à duobus
aliis initiis ſeparari. In jecore autem ſeparari
ſalem à Mercurio. Cruorem verò eſſe mercurium,
verumque totius integralis alimentum.
Nec operæ pretium eſt, hunc virum irridendo,
diutius in ſcenam trahi: dum ipſus hanc ſuam
doctrinam infringat. Etenim originem ulce-

rum indagans, ait, totum cruorem nil præter ſalem
eſſe, (mercurii jam non meminit, niſi mercurium
cum ſale, nomine & re confundat)
quanquam ulceroſorum urina ne micam ſalis
minus contineat. Se ipſis non ulceratis. At ſanè
turpe eſt, reputare tria prima cruoris, tanquam
ſi eſſent excrementa, quorum ſanguis ſit
unum è tribus. Comparat etiam ubique lac
ſanguini. Neſciens, quod tranſmutatum non ſit
ſibi non tranſmutato amplius ſimile, ut neque
pullus ovo ſimilis eſt aut vitello. Butyroſam
ſcilicet lactis partem, lacti ſupernatantem vocat
lactis ſulfur (nuſpiam interim ſanguini, ne
analogicè quidem ſupernatat pars butyroſa.)
Caſeum verò, ſive grumos vocat ſalem lactis,
ergo & lactis ſerum erit & lactis mercurius: &
per conſequens, optima pars ejus optimumque
lactis alimentum. Ac ſerum lactis erit mercurius,
è mercurio ſanguinis. Ego lubens, ridenſque,
Paracelſo cedam ſerum, & mihi coloſtrum
aſſumam. Quia butyrum refert odorem florum,
quibus vacca paſcitur: non autem ſerum.
72 Fernelius verò putat,butyrum eſſe non niſi ſpumam
agitati coloſtri, ignorans præſuppoſitionem
fermenti acidi, in coloſtro, ut verè tranſmutetur
in butyrum, per concuſſiones. Hinc
namque ſi coloſtro, parum cineris, ſaponis, ſacchari,
aut illorum, quæ participant de lixivio,
immiſceatur, nunquam inde fiet butyrum, propter
alcali, omne fermentum acidum interimens.
Ideo enim hyeme, tædioſior eſt coloſtri
conquaſſatio, ante natum butyrum: eo quod
æſtus, acida, & putrefactiones omnes, promoveat.
73 Paracelſus verò alibi, ſuæ doctrinæ immemor,
præfert coloſtrum ſero, & caſeo, tam
ad ſanitatem, medelam, quàm ad cibi bonitatem.
Galenicæ Scholæ autem, tenue & aquoſum
lac, pinguiori anteponunt. Hactenus ovillum
viliſſimum, deinde vaccinum, tertio caprinum
ſtatuunt. Ac tandem aſininum reliquis
anteferunt, ob ejus tenuem ſubſtantiam, ac ſeroſitatem
plurimam. Ego autem hoc unicum
ſcio, lac beſtiarum, ſiccis paſcuis paſtarum, eſſe
optimum: tam in medendo, quàm edendo,
minimeque ſeroſum. Hircum enim (idem judicium
de lacte ubi par ratio gliſcit) cujus cruorem
officinis Scholæ præſcribunt (& paſſim ovillus
pro hircino venundatur) jubent prius
74 diureticis alendum. Ergo vires lactis ſunt metiendæ
ex ſanitate beſtiæ, vita, & cibis: nequaquam
verò ex craſſitudine,aut pinguedine ejus.
Medenteſque, accerſiti ad dijudicationem lactis,
in nutrice,accedunt malè inſtructi, nec ſecus
quàm judicaturi de cruore, per phlebotomiam
educto. Id eſt, animæ per ignorantiam
cœcæ, apertis non vident oculis. Obſervavi
quoque, quod ejuſdem vaccæ, ex pari quantitate
lactis, diſpar ſit coloſtri quantitas, licet iiſdem
paſcuis gaudeat. Idque nempe juxta vaccæ
diſparem ſanitatem. Ego verò, pro cruore, 75
hircum ſuſpendo cornibus, & crura poſteriora
reflecto ad cornua: teſtes abſcindo, & recepto
indè cruore, exſanguem dimitto, pro lanione.
Hic cruor autem, ſiccatus, eſt inſtar vitri, difficillimæque
triturationis, atque longiſſimè ab
hircino ſanguine officinarum differens. Aſſumtus
autem drachmæ pondere, confeſtim ſopit,
& curat pleuritidem, &c. Abſque venæ ſectione:
nec te deſeret unquam. Aſininum lac enim, 76
plus reficit, & recreat, imo & hactenus
nutrit, non quatenus ſeroſius ſit. Id enim eſt
cortice tenus, judicaſſe de viribus nuclei, nunquam
anteà viſi. Aſt aſina, quatenus longæva,
lac cæteris quadrupedibus præſtantius habet.
Neceſſe eſt enim, quod & lac ejus, Archeum, 77
longæva vita dotatum, habeat. Et ob hoc ſcilicet,
non niſi longè poſt, ſuum ſeparat coloſtrum:
quia tardius corruptioni auſcultat. Sequeſtratio
nempe iſta, ad dualitatem, & deſtructionem
tendit. Hinc patet, quod cum in pueritia,
alimentum convertatur in ipſa noſtri conſtitutiva;
aſininum lac pueris vitam longævam,
atque ſaniorem,præ cibis cæteris conferat.Quapropter 78
etiam lac muliebre, quanquam nobis ſit
ſimillimum, proximum, mumiale,& nutritium,
attamen cedit aſinino, ob longævitatem. Aſina
autem pectenda eſt, inſtar equorum: adeoque
ex lactis guſtu, dignoſci poteſt, an aſina pexa
fuerit iſto manè, an non. Diſcant ergò Scholæ, 79
melius de nutricibus, de lacte, & diæta judicare,
item de urinæ contentis cenſere, nec bilem,
aut fel, in lotio vel ſtercore, agnoſcere. Sciant
inquam, urinam cruoris, ab urina potus, diſtinguere:
deindè, quod tractus laticis, è venis meſenterii,
cauſet ſitim naturalem, non autem ab
minorum venarum exhauſtione, propter cruoris
depauperationem. Alioquin enim phthiſici 80
ſemper ſitirent, & plus quam hydropici; Iterataque
ſitis proderet iteratam ſanguinis conſumtionem,paucis
intervallis diſtinctam.Sciendum 81
etiam, ad finem Ilei inteſtini, ſacculum
eſſe, quem inteſtinum cœcum dixere, in quo
ſedet fermentum ſtercoreum, quod cum ſit
opus corruptionis, & non nutritionis, nequaquam
ejus putrefactio, inter digeſtiones alimentorum
computanda eſt. Stercoreum enim

fermentum, non procedit ab aliquo viſcere, aut facultate vitali, atque ideo in hoc termino mutationis, ſecuriora contingunt tormina, dum ſtercoreo fermento imbuta materia, retrocedit, aut ſubitas inquinatæ putredinis labes contrahit. Eſt porro cœcum inteſtinum exiguum, neceſſarium tamen receptaculum omnis ſtercoris. Quod patet. Lupus nimirum, infra medium inteſtini, duos membraneos utres, ſive ſacculos rotundos habet, qui ipſi ſunt in vicem cœci inteſtini. Eſca enim ipſi cadit ab inteſtini longo ductu, ad unum ſacculorum, mox verò in alterum, ac tandem hinc in ſequens inteſtinum ducitur. 82 Lumbrici autem non generantur in duodeno, multoque minus in ſtomacho, Imo ſi diutius ibidem perſiſterent, per modum cibi conficerentur. Quo nempe fermentum fellis non attingit, ibi lumbricorum eſt patria. Fiunt enim ex alimento ſemidigeſto, quod dum ad loca ſua delatum eſt tanquam lac tepidum, pelle incruſtatur, palpitatque, ac ſenſim vita donatur. Vix enim lumbrici, extra vitalem nidum ereptant ſurſum, niſi ob ſibi horridum, ac malæ contagionis obſtaculum, adeoque vix bonum aliquod præſagiunt, qui ſponte ſurſum ejiciuntur. Lumbrici autem præſupponunt fermentum fellis. Alioquin enim in Cœliaca paſſione, continui vermes ſuſcitarentur. 83 Putreret enim ſtatim cremor, ſtatim niſi fel cremorem ſale ſuo condiret. In recto inteſtino, circa finem coli, proveniunt Aſcarides, qui non ſunt lumbrici ex ſubſtantia humana, aut cremore geniti: ſed ex putridis quiſquiliis, prout in carne, caſeo, piſcibus, atque ulceribus proveniunt vermes. Cadaveroſi ergò ſunt Aſcarides, non item lumbrici. Denique lumbrici ſunt in nobis abſque prolificatione. Aſcarides verò ſua pariunt ova. Aqua communis bullita,cum argento vivo,pauco & innoxio potu, omnes interimit vermes, tam in inteſtinis, quàm alibi. In ulceribus autem,ſi aqua iſta affundatur. Tandem pro corollario addam. Cum inteſtina, quibus lumbrici naſcuntur, nequeant eoſdem digerere: conſequens inde quoque eſt, clyſteres ad nutriendum immiſſos ſpe fruſtrari, citiuſque clyſter, lumbricos & aſcarides, quam hominem, nutriet. 84 Sex ergo conſtituit natura mecum digeſtiones vitales. In ſeptimo autem numero, ipſa Sabbatizat.

PYLORVS RECTOR.

1. *Vſus Pylori à veteribus traditus.* 2. *Primi morbi Pylori.* 3. *Moderator primæ digeſtionis.* 4. *Clauſula Pylori qualis.* 5. *Imperium Pylori.* 6. *Qualiter contingat vomitus.* 7. *Blas Pylori.* 8. *Digeſtionis primæ clavus.* 9. *Pylori excentricitates.* 10. *Origines aliquot morborum, à Scholis neglectorum.* 11. *Theſes aliquot.* 12. *Diverſitas materiæ evomitæ, unde.* 13. *Quid ſit iſtud felleum, quod vomitu ejicitur.* 14. *Oſcitantia Scholarum.* 15. *Admonitio illarum ridicula.* 16. *Clauſura, & apertio Pylori.* 17. *Ratio ſitus fellis.* 18. *Vndè Diarrhœa, tormina, Dyſenteria, hæmorroides, &c.* 19. *Error circa famem, & ſitim.* 20. *Aliquot abſurda, conſequentia, ad poſitiones Scholarum.* 21. *Demonſtratur ſenſus appetituum in Pyloro.* 22. *Remedium Dyſenteriæ, & Diarrhœæ, aperuit Pylori officium.* 23. *Vertigines undè.* 24. *Exemplum in Gallo.* 25. *Porraceus liquor ſtomachi, non eſt fellis.* 26. *Sitis non dicit neceſſarium defectum humidi.* 27. *Vnde vomitus flavus, & amarus, initiis Tertianæ.* 28. *Hiſtoriis quatuor confirmatur uſus Pylori.* 29. *Tredecim notabilia inde reſultantia.*

QVa ſtomachus ſupernè patet, gulæque ſubjacet conjunctus, per antonomaſiam, ejus orificium dicitur. Infernus verò ejus exitus, Pylorus nominatur. In bene valentibus enim, Pylorus clauditur, dum ſtomachus cibos potuſve recepit, donec peracta ſtomachi digeſtione chylus, ſive cremor factus eſt. 1 Tum enim, nec antè, Pylorus ſeſe pandit. Orificium autem ſtomachi clauditur, inſtante ſatietate ſaltem, (ſi non ſat ingeritur) dum ſtomachus incipit vacare ſuo muneri. Hæc ſunt, quæcunque hactenus comperi de pyloro à Scholis tradita. Ego verò deprehendi magnum ſanitatis, & infirmitatum cardinem, volvi in Pyloro. 2 Inprimis namque, vidi ſubindè in febribus, evomi hodiè indigeſta, quæ nudiuſtertiùs fuere ingeſta. Ex oppoſito verò, in Cœliaca paſſione, Pylorus numquam clauditur; Imò quidam, poſtquam cibis opiparè ſatiati ſunt, non deſiſtunt in totam noctem pergræcari, mejuntque ideo continuo. Neceſſe eſt ergo, Pylorum illorum, inſigniter pervium nedum guttatim; ſed per filum continuum ſtillare: nec exſpectare ullam coctionis metam: Mox enim vel ab initio, non adæquatè clauſum fuiſſe, vel ſaltem aliquatenus diductis rugis patere, poſtquam ſtomachus, intranti potui non fuit ſatis. In ſanis id nempè, quando defectus clauſuræ Pylori fuit. Sunt alii quoque, quibus Py-

lorus pertinacior cuſtos eſt, vomunt potus poſt
ſemiconfectos. Vtpote digeſtiva non æquivalens
aſſumtis potibus totum, laceſſita ejicit. Nimia
nempe Pylori obſtinatio eſt, ubi triduarii
3 cibi ejiciuntur. Quæ ſanè convincunt, Pylorum
nedum Ianitorem eſſe, ſed & moderari digeſtionem
primam & evidentiſſimam: atque
adeo ſomnolentam hac in parte Scholarum incuriam.
Etenim ut inſufficientiæ illarum ſatisdem,
dico, claudi inprimis Pylorum non quidem
per muſculum, de more ani aut veſicæ:
Non enim voluntarii motus cliens eſt. Nec denique
clauditur per fibras contractas, inſtar
4 Crampi, aut torminum. Fungitur namque ſuo
janitoris munere, ſine ſenſu, & moleſtia. At non
aliàs ac uterus, à conceptu, circumquaque Pylorus
ſuum os inferum claudit, proprio Blas
motivo: ita conſidero utrumque orificium ſtomachi
claudi. Ita tamen, ut orificium ſuperum,
ſemel à paſtu clauſum in benevalente, ad unamquamque
boli importunitatem vel hauſtus pertinaciam,
facilè de integro ſeſe pandat, cum vix
queat tolerare, quod ſibi quicquam ſupernè in
gula impendeat. Quanquam in infirmis, & inediam
paſſis, patefactio ejus, cum dolore, &
magna anxietate, contingat: eo quod in iiſdem,
iſta orificii clauſura ab inordinatione pendeat.
Obſtinatior itaque & accuratior eſt Pylori clauſura,
quàm orificii. Denique eſt indubium, motivam
5 utriuſque partis non parere voluntati, adeoque
eſſe naturalem vel morboſam. Pylorus,
retentivæ ſubeſſe dicitur in Scholis. At certè
potentiam oſtendit abſolutam, dum invita expulſiva,
deficiente digeſtiva, nauſeante attractiva,
adeoque peſſumdatis aliis, Pertinax Pylorus
non rarò fit, tam in ſui clauſura (ut ſupra in febribus
evenire dixi) quam in apertione, (qualiter
6 cœliacis evenit.) Etenim vomitus fit, dum clauſo
Pyloro ſeſe ſurſum contrahit, non quidem per
corrugationem ſtomachi ſed motu totali ſtomachi
ſurſum ad gulam, adeoque Pylorus vomitum
imperat, & retentivæ non auſcultat. Cum
ergo Pylori poteſtas non ſit aliarum facultatum
pediſſequa, nec fibris ſubjecta: ſed Monarchalis,
adeoque fibræ, ipſius nutui obſecundare debeant.
Neceſſe eſt, hanc poteſtatem abſolutam
eſſe vitalem, & habere proprium Blas motivum
inſtar uteri, independens ab arbitrio humano.
Idque tanto potentius, quo duumviratus ſtomachi
jam in lucem venerit. Et quamquam Pylorus
laſſetur ſæpe à cauſis externis, & occaſionalibus
(à pharmacis puta, venenis, aut ſordibus,
attamen Blas eſt ipſi liberum, parti inſitum ſive
Archeo ejus. In quo tamen admiror, vim quandam
ſuperam, influentiis aſtrorum ſimilem. Blas 7
enim Pylori, quam proximè exprimit Blas arbitrii:
ſiquidem irruente externo concitante, ad
clauſuram, vel apertionem, poſſit nihilominus
pro lubitu, adverſum ire, ut quantiſper benè valet
Pylorus, moveatur ob fines legitimos, vel
ſibi ſaltem apparentes, ad ſtringendum vel laxandum
exitum. Dum tamen homo inordinatus, 8
contra iſtos fines prævaricat, ſæpe Pylorus,
ut ſolus digeſtionis moderator, hominem plectendo
piare cogit. At cum in iſto Blas, quodam
modo tanquam arbitrali poſſint eſſe defectus,
non ſolùm à cauſis occaſionalibus: verùm etiam
in proprio principio motivo amente, adeo ut
præ furore ſeſe præpoſterè pandat aut claudat
liberè, inſtar uteri: Certè mirum eſt, hæc à Scholis
cum reliquis medendi initiis ſtetiſſe neglecta.
Poteſtas quælibet, & potiſſimum motiva,
facile extra-vagatur, concita tam à cauſis contingentibus,
quàm proprio amentiæ nutu, cum
ſint liberæ ac velut independentes, in cujus motivæ
errore, Pylorus, plerumque ac facilè ceſpitat.
Quemadmodum uterus non aliunde conquaſſatus,
ſe præcipitat, adſcendit, vel furioſus
in latera ſeſe torquet, guttur gulam, imo & nervos
arbitrio inſervientes, contra officium alienat,
ſtringit, pandit, contrahit motuſque atroces
ſubinde exhibet, magicis vix abſimiles.
quatenus excentricum Blas motivum, diverſas
tempeſtatum ſcenas, eſt excitando. Hæcque
à Medentibus attendenda ſunt ſedulò, ut quoties
occaſione laceſſentis, Pylorus aberrat à
ſcopis; confeſtim cauſæ remotioni ſtudeat.
At ſi proprii Blas errore velut furore, Pylorus
exorbitat, cogitet, ſibi cum poteſtatibus excentricis,
& non cum materia dimicandum:
minimeque evacuantibus eſſe fidendum. Cogitemus 9
enim, in ſtatu temperato, hominem
mediocriter paſtum, Pylorum ejus adæquatè
clauſum, ne quid ſuis è rimis ſtillet; tandemque
abſoluta digeſtione, Pylorum ſeſe pandere;
Certè nec hoc fit, ab exotica chyli qualitate ſtimulante;
ſed quia gnarus eſt Pylorus, rerum agendarum
in ſtomacho, ideoque cenſendus eſt
moderator digeſtionis, apud quem nempe ſunt
fines regiminis, & claves cuſtodiuntur. Nam
alioqui ſi juſto diutius, Pylorus claudatur;
cum, quod ſat digeſtum erat, non proin ulterius
ceſſet tolerare digeſtivi fermenti
vim, ideoque juſto plus coquitur. Non quidem
quod chylus inſtar vitri, in fornace proinde
excellentius coquatur, quo diutius; ſed mo-

ra nimia alienetur & corrumpatur. Quod dein
difficultates plurimas, tam in ſtomacho quàm
ſuis viciniis parere neceſſe eſt. Veruntamen ſi
Pylorus, minus exquiſitè claudatur, certe recens
potus non poteſt non unà cum priſtinis ſuis
cruditatibus, ferri in inteſtina, quibus ſanè cum
non incumbat digeſtio ſtomachalis, ſuſcepto
fellis fermento, in alienam mutatur ſubſtantiam,
varias tandem in venis infirmitates procreat.
Quia itur ad ſecundam digeſtionem,
10 omiſſa prima. Sic nempe tremores & jectigationes
manuum, cordis palpitationes, deliquia,
febres acutæ, Tumores, Arthritideſque inſpiratæ
proſiliunt. Sic vini acor, nondum prima
digeſtionis maturitate correctus, venis alienus,
cum ſibi innata aqua vitæ, venarum proprium
alimentum ſecum degenerare facit, paritque
anonymus & incognitus hoſpes inſolitas & incognitas
infirmitates. Perinde ferè, ſi chylus
benè maturus, in Duodenum elabatur, eodemque
inſtanti novus ingeritur victus ſupernè;
certum eſto, Pylorum benè conſtitutum ſtatim
claudi, nondum plane dimiſſa priore ſarcina.
Pars ergo chyli detenta corrumpitur, plus juſto
aceſcit, novumque victum fermento præmaturo
contaminat. Fitque totus exoticus, niſi ante
exactam coctionem, à Pyloro proſcribatur, qui
varias orexes, tormina, atque Diarrhœas eſt excitando.
Error itaque Pylori, ſive proprius ſit,
vel ab inordinatione concitatus, multas cauſat
difficultates. Quod autem illabente novo victu,
ſtatim claudatur Pylorus, patet; Aliàs namque
novus cibus ac crudus, unà cum chylo elaberetur,
qui in excremento appareret tanquam
ab affectu cœliaco partus. Quod alioquin in voracibus
pueris quandoque ſpectatur, nondum
Pyloro ſat potenti, ad ſuos fines obtinendos.
Conqueruntur itaque debiliores ſtomachi, ſibi
oboriri magnas aciditates, quas manè, cum heſterno
victu, ejiciunt, vel noctu, cum præcedentis
meridiei chylo, ciborumque ultimorum
11 quiſquiliis. Porrò ad pleniorem horum cognitionem,
repetendum, quod venarum ſtomachi
non ſit, chylum in ſtomacho detentum ad ſe
ſugere; quod item vomitus clauſo Pyloro fiat,
totaque longitudo ſtomachi, ab inferis ſurſum,
ad orificium contrahatur. Quod denique
hic motus à Pyloro fiat, qui ſi aperiretur,
minori certè moleſtia ſtomachum exoneraret:
Sed cum non ſe aperiat, cenſet ſanitati eſſe inconveniens,
infernè iſtas fæces dimitti. Adeoque
rector digeſtionis mihi viſus. Dupliciter
autem iſte vomitus contingit. Scilicet proprio
Pylori Blas. Atqui tum eſt indolens. Alter vero
fit ab laceſſentibus; atque ille, etſi quoque
per Pylorum fiat, non tamen proprio nutu. Ideo
etiam eſt moleſtus, & anxius. Saltem non 12
fit vomitus, niſi clauſo Pyloro: Alioquin in
Duodenum decideret, quod vomitu expellitur.
Cum enim proprio Pylori motu, vomitus
fit, primo vomitu totum abſcedit, quicquid ſibi
obeſſe judicat. Sin autem laceſſatur Pylorus,
repetito vomitu, ejiciuntur alia, quàm quæ primo
vomitu prodierunt. Flava nempe vitellina,
dein, quæ magis diaphana flavedine inſtar olei
ſeminum rapi, ſequuntur, creditaque fellea, propter
amarorem: atque tandem ſubindè cœrulea,
& viridia, quæ aſſumtis truculentioribus
pharmacis, mox ab initio veniunt. Fuit heic 13
Pylorus apertus, inter primum, & ſequentes
vomitus, adeò ut quicquid in jejuno, & viciniis
latitat, ſurſum Pylorus ad ſe vellat, quo velut
impreſſam à pharmaco notam, eluat. Amaricant
autem iſta plerumque, cum quia iterato fellis
fermentum, idque exorbitans, ac indignatum
tolerarunt, tum etiam, quod præter conſuetum
ſurſum rapiantur in alienam meſſem, ubi corrumpuntur
in excrementum, inſignitum qualitate
fermenti, quod immediatè hauſit. Chylus
ergo, ibidem fit felleus, & amarus. Cæterùm 14
hoc loco cum admiratione Scholas intueor,
præſcribere cibos facilioris digeſtionis, præmittendos
iis, qui durioris ſunt cocturæ, immemores
ſuæ doctrinæ, perhibentis, contenta
omnia ſtomachi, verti in chylum univocum:
Pylorum verò, ſic vel ab initio claudi, ut ne
quicquam, vel guttatenus, ſinat elabi, ante peractam
digeſtionem. Coctionem denique, fieri
ab indeſinenti calore ſtomachi, adeoque hactenus
etiam continuatam à principio digeſtionem
incipere, nec unquam feriari, quamdiu ejus
Vulcanus calor perſeverat. Singula autem contentorum,
recipere iſtum calorem digeſtivum,
per modum recipientis. Qua nempe doctrina
ſtante, cum omnia reducantur in liquidum
chylum, & exquiſitè in unica olla ſtomachi,
permiſceantur: ſequitur, in paſtu, præmittenda,
quæ durioris ſunt digeſtionis, eo quod tanto
longiori caloris ſpatio coquantur. *Sorbilia* 15
(inquiunt Scholæ) & promtioris coctionis, ſi
poſtremo ſumantur, putrerent, ſi metam ultimam
exſpectent duriorum aſſumtorum. Quaſi
vis digeſtiva, eſſet putredinis parens! nec fieret
commiſtio comeſtorum! vel converſio, in
chylum fluidum! ſed per fundos ſecreta jacerent,
quæ ſunt buccellatim aſſumta. Quaſi, inquam,

quam, Pylorus ſe aperiret per ſtatas periodos,
ſive vices, ut ordo ſervetur in dimittendo chylum,
qui fuit accipiendis cibis. Quæ ſi crediderint
Scholæ poſſibilia, ſaltem Pylorus, majori
polleret diſcretione, prioritates ciborum obſervando,
quàm quod Scholæ tam ignaviter ejus
munus negligerent. Cæterum clauſura Orificii,
non conducit digeſtioni, nec regit appetitum.
Pylorus autem utrique imperat. Quia ſatietas
ſufficiens quidem adeſt plerumque: attamen
inſuper adhuc edimus, & bibimus ex vitio.
Ergo clauſura Orificii, non ab appetitu, ut
neque à ſaturitate eſt. Verum tædia, nauſeæ, &
averſio à carnibus, mox incipiunt à febribus,
ortuque morborum ſtomachi, habentque orificium
16 clauſum. Ergo orificium nec clauditur
ob ſatietatem, nec ob concoctionis neceſſitatem,
ut neque continenter aperitur propter appetitum:
ſi nempe claudatur citra appetitum,
ſatietatem, & concoctionem: & apertum maneat,
poſt ſaturitatem inter coquendum. Ructus
namque eduntur mane, jejuno, vacuo, &
appetente ſtomacho: ructus tamen, orificii
clauſuram denunciat. Clauditur denique orificium
in iis, qui longa preſſi inedia, languent, &
qui diuturna abſtinentia à cibis infirmi fuerunt.
Quibus perdifficilis, anxia, dolenſque eſt orificii
recluſio. Si itaque à fame, appetitu, ſatietate,
& coctione, orificium non neceſſariò claudatur,
ergo orificii clauſura vel apertio, non reſpicit
coctione famulantium facultatum neceſſitates:
ſed orificium potiſſimum inſervit, ne decumbenti
chylus in fauces regurgitet. Vndè inprimis
liquet, auguſtius eſſe Pylori, quam orificii
17 miniſterium. Siquidem eſt rector totius œconomiæ
ſtomachicæ, uſque in ultimum inteſtinorum
gyrum. In qua ſiquidem, cum fellis
operatio perficitur, proindè quoque fel, Pyloro
18 ſuperſtrui, & incumbere debuit. Quorum
amborum, ſi non plenus ſit conſenſus, oriuntur
diarrhœæ, tormina. Dyſenteriæ, hæmorrhoides,
19 atque varia abdominis clades. Erroneum
quoque eſt in Galeno, ſuiſque modernis Scholis,
nos tantum eſurire, & ſitire, ob cruoris penuriam,
adeoque tot uncias cruoris debere repleri,
quot deplentur. Inprimis ſi iſtud perpetuum,
eligant ergo Scholæ, nimirum, vel ſe facere
vanas carnificinas in venæ ſectione, vel
appetitum non excitari ex ſuctu venarum, defectum
cruoris accuſantium. Quod inprimis
ſub valetudine eſt indubium: nam ſi ob carentiam
cruoris, fames ſit: ergo male inſtituitur
phlebotomia in cruoris penuria. Sin vero in
morbis id conſideretur, puta in febri, ubi nullus
eſt appetitus, etiam nullus erit defectus
cruoris. At ſi quotidie tot unciæ cruoris ſuppeditentur,
quot conſumtæ ſint, cujus conſumtionis
fames indicium eſſet: Ergo in febri vel
non eſt conſumtio cruoris, vel fames non eſt
ſenſus conſumti cruoris. Sin autem cruor in
febri quoque abſumatur, fruſtra erit phlebotomia.
In omnem ſaltem eventum, poſt biduum, 20
triduumve, à febri, jam tantundem cruoris erit
conſumtum (cum plus febris conſumat & extenuet,
quam recta valetudo) quantum plethora
(phlebotomiæ unica indicatrix) depleri juberet.
Et per conſequens, poſitis theſibus famis,
phlebotomia fruſtranea ubique erit. Supponunt
namque Scholæ, cruorem à vena cava,
diſpenſari in minores, (quaſi vena eſſet diſpenſatrix,
& non eſſet differentia inter ipſum vas &
diſpenſatorem, ſive vim proportionaliter diſpenſantem)
ac tandem in exiguos ramulos, per
quos, in habitum diſpergatur ultimò. Atque
ideo ex ſolo ſenſu inediæ, ſugere ramulos poſtremos
venarum, majorem truncum, hunc verò
deinceps ſugere venas ſtomachi, & meſenterii.
Vnde tandem famem, & ſitim ſentiri. Quo
poſito, inprimis quorum venæ turgent, nulla
fame premerentur, aut ſiti: deinde, non eſſet
ſuctus illius ſenſus, niſi prius venæ majores ſint
depletæ. Repugnat itidem tertiò, hæc theſis,
doctrinæ Scholarum, docentium, ſtomachum,
ſibi tantum coquere primariò; ſecundariò autem,
ſive per accidens, pro toto corpore: ut ſtomachus
communi philautiæ ſubſit. Nam eo
dato, ſtomachus non coquet, non appetet, eſurietque
pro corpore: ſed tantùm pro ſe: ergò
neque ut penuriam venarum ſuppleat, ſentiet.
Sed venæ primariò ſitient, ac eſurient: ſtomachus
tantum per accidens: nec pro ſe: ſed propter
venas. Ignorantia enim veri, Scholas ubique
præcipites fecit. Non noverunt inquam,
famem à Splene, in ſtomachum inſpirari: Splenem
nempe, noviſſe rerum agendarum ſcopum,
ut viſcus regendis decoctionibus princeps:
ideoque appetitibus præfectus, effectivè,
cui tamen Pylorus aſſiſtit, Rector & Exſecutor.
Pylorus nempe, adhuc placitum habet, Blas
liberum, aperiendi ſe, vel claudendi. Quod ſub
ſanitate movetur, ob cognitionem finium, cognitorum
ſtomacho propter quos coctio, & appetitus
creantur à Splene, tanquam Pylorus,
conſcius ſit ſecretorum finium Splenis. In adverſa
autem valetudine aperit ſe Pylorus, clauditque
præpoſterè, atque inverſo ordine, tanquam

quam furore percitus ſymptomatico. Enimverò
emturus villam, obambulabam cum inſigni
appetitu, tum fortuito diſtorſi pedem, lapſus
ſum, rigor ſtatim obvenit, cum nauſea, vomitu,
& ſuffocato edendi priore appetitu: mox
verò diſtortum pedem, ac ſemidiſlocatum repoſui:
atque eodem inſtanti, redditus eſt mihi
21 appetitus priſtinus, ceſſataque eſt nauſea. Erat
nempe orificium apertum, tam in appetitu
quàm in nauſea; Pylorum verò clauſum habui
in appetitu & mox in nauſea apertum, & iterum
in vomitu clauſum. Nam ut dixi, vomitus
non fit niſi clauſo & ſurſum inverſo Pyloro:
In ſingultu verò, fit inverſio ipſius ſtomachi
ſurſum, quæ proinde à præfata inverſione Pylori
vomiturientis longè diverſa eſt. Quod autem
iſta ſic ſe habuerint, patet: quoniam cum ſtomachus
ſub inſigni fame, non haberet quod vomeret,
cibi avidus, Pylorus conſenſu ſuo, ſe illicò
clauſit. Qui rurſus, velut ex diſtorſione ligamentorum
pedis, velut furibundus ſe pandit,
& ſordes ab duodeno ad ſe vocavit. Etenim
ſub vomitu, ut conceptam ſaburram expelleret,
clauſit ſe Pylorus, iterumque ſeſe aperuiſſet, ad
novam ſordium accumulationem, niſi reſtituta
diſlocatiuncula, furor Pylori ſopitus fuiſſet.
Cum clauſura ergo Pylori, ſi mox ſublatus appetitus
rediit, quis non videt appetitum à Splene
ſuppeditatum, gubernari à Pyloro? Dixi,
Pylorum, è Duodeno, ſurſum ſordes in ſtomachum
rapere; ut qui anteà janitor ſoli detentioni
& expulſioni putabatur dicatus, cogitet de attrahendis
noxiis. Quæ tametſi vi communi accidant,
qua cuncta ſemel proſcripta, characterem
hoſtilem induunt, & inde mox deteriorantur:
attamen furente Blas Pylori ad ſtomachum,
inverſo ordine trahuntur. Deprehendi ſaltem
in hoc, quod Pylorus, nedum appetitus nauſeæ,
vomituſque cauſa ſit: ſed etiam choleræ, dyſenteriæ,
diarrhœæ, patrator unicus: parvoque
ſæpè adhibito remedio furorem Pylori ſedari,
præfataſque clades corrigi expertus ſum. Dolendum
ſane à Scholis, nil quicquam hactenus
de hiſce penſitatum: totumque illarum ſubſidium
in enemate poſitum; nec ad nidum mali
itum eſſe: Dumtaxat ad tranſitum producti,
ſe converterunt inſtar canis, projectum lapidem
mordentis. Vidi namque juvenem, optimè valentem
& inſigni appetitu fretum, manè aliquot
recentia mora matura, benè elota comediſſe,
cum pane butyrato, moxque inde ſenſiſſe, ſuave
in ſtomacho oblectamentum refrigerii. Dein
conſternato fortè, inde à ſemihora appetitu cum
dolore colico incidit in diarrhœam, habueratque
indies fortè 70 ſeceſſus, coloris lactei. Statim
enim à Medentibus exhibita reſtringentia
cordialia tam intus quàm extrà. Nimirum ſuccus
cydoniorum cum confectionibus alkermes,
diarrhodonis de Spodio exhilarantibus,
diahyacinthi atque ſimilibus. Interim plurima
enemata, è ſero lactis chalibeato, paribuſque
quiſquiliis injecta, & fruſtrà omnia. Tandem &
opiata aliis adnexa ſunt, riſitque natura doctam
ignorantiam ac ludicra tentamina, doluit verò
æger vana remedia. Ac tandem in ſupremum 22
vitæ diſcrimen conſtitutum ſanavit Dominus.
Exhibui nimirum, bina ovorum vitella dura,
aceto roſaceo temperata. Pylori vitio diarrhœam
obortam fuiſſe, teſtantur dejecta appetentia,
& aſſumtis vitellis reſtitutio appetitus.
Senſit namque apertum juvamen medela adhuc
intra ſtomachum detenta. Memini quoque
frixis equorum ungulis in butyro, iiſdem dein
pulveratis, ſedatum fuiſſe frequenter Pylori furorem,
ſtetiſſe dyſenterias, atque medelæ benignitatem
ſenſiſſe, olido illo remedio adhuc intra
ſtomachum detento. Sin autem ungula jumenti
laſcivientis luxuria ſit: dyſentericis certam
perniciem allatura dicitur. Pylorus ergo,
Rector clauſuræ digeſtionis & appetitus in ſtomacho:
etiam gubernat per longum inteſtinorum
iter, tam contenta quàm venarum vicinarum
exorbitationes. Teſtantur namque, ciborum
excrementorumque indigeſtiones, corruptiones,
celereſque tranſitus, indignationem
ſolius Pylori, à remediis confirmatam. Sic enim 23
heſterna crapula, non tam noctu quàm manè,
vacuo cibis ſtomacho, vertigines ſuſcitat, ceſſantque
illæ plerumque mox aſſumto jentaculo.
Eò quod tum Pylorus patet & ſorde obſitus:
ac dein ſe clauſit adventu jentaculi, prioriſque
incommodi velut obliviſcitur. Gallus noſter 24
biennio furfures & avenam mane pro more eſitat:
ſub veſperum verò recuſat cubare conſuetis
baculis, humi cubat ac cibum ſequenti manè
averſatur: vertiginoſus lateratim decurrit ac
retro ſæpè concidit. Tandem criſtam atque
frontem durius in terram quatit, moriturque
ante meridiem. Per diſſectionem verò, reperti
ſunt aliquot minores ſilices, non quidem in
priore ſacco, ſive ſtomacho: ſed in interiore atque
vero ſtomacho. Major autem ſilex Pylorum
clauſerat, qui ſilice minor ſpem tranſeundi obtruncarat.
Etenim nec ulla alia cauſa tantæ vertiginis,
ac inſolitæ mortis reperta fuit: niſi
quod Pylorus, quia vi & ſe invito, clauſus loco

coctionis, porraceum liquorem ſupra ſilicem
25 majorem confecerat. Qui ſane non è felle ve-
niſſe, eò potuit, cum è felle per duodenum, in-
tra ſtomachum felli advenienti ſilex tranſitum
præcluſiſſet. Ergo viridis porraceuſque ille li-
quor natus eſt in ſtomacho, vitio occluſi Py-
26 lori. De ſiti ſimiliter, obſervavi ſæpe febrientes
ſiticuloſos, potum iterum, cum ejus quadruplo,
evomuiſſe. Non ergo ſitis ob defectum humi-
di neceſſariò: neque etiam ob penuriam ſan-
guinis. Vt cædem venæ eadem de cauſa nunc
famis, nuncque ſitis cauſæ ſint, & nunciæ defe-
ctus cruoris, imo ſubinde utriuſque ſimul, tam
famis quàm ſitis. Sed viſcus fermentum ſtoma-
cho inſpirans, famem & ſitim concitat. In fe-
bribus enim alkali ſatur cauſa febrilis, hinc nec
ceſſat ſitis, licet potu proprio ſtomachus affluat:
etenim nec ad iſtud alcali potus pervenit. Sic
nempe ſalſa, piperataque, ſitim parant, non
aliter atque alcalia putrida; eò quod exclu-
dant acidum è ſtomacho fermentum. Quate-
nus ſal impedit reſolutionem, & tranſmutatio-
nem cibi, id eſt, introitum fermenti digeſtivi
à Splene ſpirati. Sic quantitas potus meracioris,
piperata, dura & indigeſtibilia, ſiticuloſa ſunt:
non enim quia calida, & ſicca ſunt, in mediis
undis, ſtomacho detentis: ſed quia reſiſtunt
prædicto Lienis fermento. Acida verò, ex op-
poſito quatenus fermento Splenis vicina ſitim
ſolantur. Sitis ergo in ſimilibus, non ob defe-
ctum humidi nutritivi: ſed ob impeditum lie-
nis fermentum, quod tandem longiori ſomno
ſuperans præfatas difficultates; tollit ſomnus
ideo ſitim. Sitis etiam in febribus oritur pro-
pter nidoroſa putrida, coagulataque; non au-
tem quod appetatur humidum nutritivum, &
& refrigerans (ut putant:) ſed reſolutivum no-
cui. Adeoque non tam nutrimentum indicat &
expoſcit quàm remedium. Ideoque nec ſitis
ceſſat per potum niſi hic medium attulerit ca-
peſſendo fermento conſymbolum. Cum ergo
Pylorus coctionis ſit Rector, & ſitis non minus
moderator, quàm appetitus, tam cibi quàm po-
tus erunt ſenſationes quoque ejuſdem Rectoris,
27 fines digeſtionum diſtinguentis. Initiis nempe
Tertianarum, copioſus vomitus flavi excre-
menti, ſimul cum multa ſiti infeſtat, illaque
duo concurrunt cum clauſura Pylori furentis,
atque hactenus loco cremoris acidi fabricat fla-
vum vel æruginoſum iſtud, quod in ſtomacho
Galli detentum, mortem cauſavit. Quatuor
inſuper hiſtorias addam, quæ energiam Pylori,
in actione regiminis confirmabunt. Vxorius
frater, Mechliniæ forte per octiduum malè ſe
habuerat è convivio ſolenni & crapuloſo. Me-
dicus urbis autem illi offert vomitorium, vo-
muit indè bis quotidiè. Adeoque ſcripſerat pri- 28
diè, ſe Mechlinia, poſtridie Bruxellam ad nos
venturum. Ocreatus itaque & itineri jam ac-
cinctus ſequenti die, ante meridiem extinctus
eſt, poſtquam præcedenti ſub nocte malè ſe ha-
buiſſet, vomuiſſetque ſæpius ut antè, liquorem
ſubnigrum ſive cruorem illic corruptum. Diſſe-
ctum autem ejus cadaver, nullum oſtendit vi-
tium, præterquam quod in ſtomacho liquamen
ſubnigrum fluctuaret clauſo Pyloro. 2. Puella
triennis & nobilis, à medico Italo ſtentante, vo-
mitorium febrifugum, paucula grana cujuſdam
pulveris capit. Altera etiam filiola nobilis, idem
ſumpſit nondum bimatum excedens. Vtra-
que verò mox à ſumtione vomuit, utrique enim
oculus contortus dexter, totumque latus quaſi
obſeſſum Paralyſi. Brachium quidem ex to-
to, crus verò non omninò. Major enim tota
garrula, oblæſa tamen lingua; Minor verò ſo-
pore & vomitu, ſubinde interpellante, extin-
guuntur ambæ. Advocor ad utramque, & fru-
ſtra aliqua tentavi. Fortè enim quia ſerò etiam
deficiente vita. Aperitur autem utriuſque ca-
daver. Atque idem putidum liquamen ſtoma-
cho detentum, occurrit homicidii cauſa, Pylo-
ro exactè clauſo. 3. Gallina, cum granum carpe-
re vellet humi, retorſit collum ad latus, & car-
pendo, in gyrum per latus ſiniſtrum volveba-
tur, ac labeſcentibus genibus, ſingulo hordei
ſumto grano vel mica panis, in poſticam par-
tem, ſuper caudam lapſa eſt. Idque ſic per octi-
duum forte duraverat, priuſquam mihi denun-
ciatum foret. Accurri ad inſolitum ſpectaculum.
Deplumavi pectus macilentiſſimum, & nova-
cula priorem ſive membranaceum ſtomachum,
quædam vetula aperuit. Inveni autem, quod
deglutiviſſet globulum ex cryſtallo rupea. Mu-
lier autem illa, filo ſuit ſtomachum rurſus, ac
deinde plena valetudine ſupervixit. 4. Famu-
lorum meorum unus, circa diſtillationem a-
cerrimo igne carbonum foſſilium, vitrum lu-
dendo liquavit, aliquot vaſa formans, frag-
menta & vaſa ipſa opaca erant & alba è vitro
viridi, & mearum diſtillationum quiſquiliis.
Fragmenta autem novorum vaſorum ſuorum,
in angulum areæ projecta, Gallinæ voraverant
deluſæ in albedine vitri. Benè valebant, contigit
autem à quindena inde, duas pinguiores, occiſas
pro menſa. Inventa verò fuiſſe in priore illarum
ſtomacho præfata aliquot fragmenta, quæ facile

conjiciebantur multos dies ibidem hæſiſſe. Erant autem imminuta (adeo cum vitrum non frangatur niſi punctatim) tam lateraliter, quàm juxta angulos : fragmenta illa evaſerant 29 undequaque obtuſa. Notabilia enim huic mihi collegi. 1. Quod clauſo Pyloro , ſemper vomeret frater meus. Siquidem & à morte reperiebatur fœtidum iſtud liquamen in ſtomacho clauſo, quod aliàs in inteſtinis abſque notabili damno fuiſſet. 2. Quod clauſura iſta Pylori , furioſa eſſet : alioqui ſe pandiſſet , non ita nocuiſſet. 3. Quod motus Pylori ſint alterius Reipublicæ quàm cæteri omnes. Contracturæ enim quævis cum morte ceſſant : non ita Pylori. 4. Quod in vomitorio , vis venefica indignationem , & contracturam Pylori concitaſſet. Non enim ſolum contrahebatur , ſed è venis ſtomachi prolicuit cruentum laticem, qui illicò ater & cadaveroſus factus eſt. 5. Quod idem contigerit in duabus puellulis. 6. Quod Pylori indignatio Paralyſes etiam pariat. 7. æruginoſus autem liquor necem. 8. In Gallo ſola pertinax præcluſio, à veſpere vertigines fecerit. 9. Fortius hoc probat Gallina , quæ cryſtallum deglutiverat, præterquam nil aliud in priori ſtomacho repertum fuit. 10. Quod detentio vitri in ſtomacho cum ſanitate perſiſteret ; ſiquidem Pylorus non indè obſtiparetur. 11. Quod vitrum facilioris ſit digeſtionis cryſtallo rupea. 12. Quod æruginoſus, vel ater liquor , fieret ab indignatione, & clauſura Pylori. Non autem à detentione corporis præter naturam ſive vitri. 13. quod vitrum paulatim conſumeretur in ſtomacho Gallinarum.

TARTARI HISTORIA.

1. *TRactatum de quatuor fictitiis humoribus , hoc loco jungendum eſſe , pro operis integritate* 2. *Poſt qualitatem abjectam intemperiem elementalem, etiam dein agendum de Tartaro , ac tribus primis chymicorum.* 3. *Ortus & vita Paracelſi.* 4. *Is Tartarum , primus in morbum introduxit.* 5. *Ceſſit infeliciter lucta Humoriſtis cum Paracelſo.* 6. *Vſi ſunt deinceps remediis mutuatis, à ſervis noſtris fugitivis.* 7. *Humores obmutuere dudum, quos ego tandem nunquam in natura fuiſſe, demonſtravi, libro particulari.* 8. *Epitome eorum, quæ Paracelſus ſparſim de Tartaro ſcripſit.*

1 DEcere mihi viſum, phyſicalia præmittere in ordine ad rem medicam; utpotè qui cognitionem naturæ totius non niſi pro humana ſpectare valetudine ſemper exiſtimaverim. Igitur tractavi de elementis dumtaxat , quo abigam Scholarum figmenta, de compoſitione quatuor elementorum in uno quolibet corpore, quod miſtum reputatur hactenus. Oſtendam inquam non eſſe miſtiones eorundem , nec luctas, nec intemperies , aut complexiones : prout nec morborum catalogum , ex fictis temperiebus qualitatum elementariarum cum veritate ſtare poſſe. Id eſt. Scholas hactenus neſcire cauſas morborum , quos pænè omnes ejuſmodi qualitatibus inſcripſere. Idem porrò nunc ſupereſt labos mihi, de fictis quatuor falſiſque humoribus , horumque deviis corruptionibus ſcribendum erat; atque oſtendendum , nunquam fuiſſe ejuſmodi humores in natura: Idcirco & æquè perniciosè hactenus erratum, tam in doctrina, cognitione, ſubſcriptione cauſarum morbificarum, quàm in deviis conſequenter remediis, horumque directionibus & applicationibus univerſis. Idque cum libro peculari jam à me ſit præſtitum, anno 1644. Impreſſo Coloniæ apud Iodocum Calchoven , directo in prodromum hujus operis, ac juxta eundem ediderim alios duos , de Lithiaſi nimirum atque tumulum Peſtis , quibus oſtendi, hactenus in Scholis ignorari cauſas illorum morborum. Igitur hic id atteſtatum fuiſſe ſat eſt. Quanquam libri iſti , pro operis integritate huc transferendi ſint. Itaque cauſæ & eſſentiæ morborum, in hodiernum uſque diem, à Scholis ſtetere neglectæ , neglectique proin magis infirmis remediis juſtis deſtituti . 2 Nunc demum , quia Paracelſus nuper eſt auſus , cauſam generalem pænè omnium morborum in Tartarum relegare ; Ac quanquam primus Paracelſus id temerè ſatisfecerit : incertus tamen , & inconſtans manſit, an potius tria (quæ ſuo jure vocavit, tria rerum cunctarum corporalium principia ;) Salem ſcilicet , ſulfur , & Mercurium, in generalem cunctorum morborum cauſam quam ſuum adductum Tartarum, ſtatueret. Ideoque utramque aſſertionum præfatarum adhuc litigare reliquerit : attamen Medentum illuſtriores hodie ſe Tartaro dedere. Quapropter cum nec in neutro hodie ſit veritas cauſarum & remediorum morboſorum , operæ pretium ac pro bono proximi, duxi, utrumque Paracelſi errorem è Scholis everrere & averruncare. Vt medentes, qui jam dum in Tartari doctrinam

inclinant, tandem ablegatis erroribus cunctis, ſeſe ad veram morborum atque remediorum cognitionem recipiant, atque inde proximus emolumentum (quod unicè, optavi) recipiat. Rerum namque cognitio, juxta jan à me tradita principia, per definitionem hauritur: Definitio verò è cauſarum notitia ſumenda eſt. Ideoque in tantis undique tenebris, & rei medicæ inſcitiis conabor poſteros, imo & modernos Tyrones, ſaltem deducere in veram morborum, atque remediorum ſcientiam. Nam jamdudum ſpem amiſi, ſeniores diſcere recuſaturos, eo adducendos, tam præ ignavia aſſentiendi inventis paganorum jam potatis & in alimentum converſis ac laborandi circa fornaces: quam verecundia diſcendi à miſello me ho-3 muncione, Philoſophorum poſtremo. Pater Paracelſi, Equitum Teutonicorum Magiſtri nothus, in medicum trivialem evaſit bibliotheca inſigni divitem. Qui filium Aureolum Philippum Theophraſtum à Bombaſt, Spanheimienſi Tritemio commiſit. Vndè arcanorum ſupellectile opulentus, ad opera Spagyrica ſub Sigismundo Fuggero ivit. Non enim ibi Veneri deditus, (trivium nempe ſus caſtraverat) non denique ignaviæ, aut aſſentatione vitam ſuam trivit ſcientiæ avidus. Sub annum vigeſimum namque varias minerarum Germaniæ fodinas inquirens, in Moſcoviam tandem venit, in cujus finitimis à Tartaris captus ad Chamum, Sanuchus noſter deducitur. Inde cum Principe Chami filio Conſtantinopolim ablegatur. Tandem circa annum ætatis 28. lapide potitus chryſopœjo ſibi donato. Cujus ergo Baſilæam divertit, ubi cum jam multis morborum ſanationibus clarus eſſet, cathedram Medico-philoſophicam obtinuit, ut laboribus Spagyricis ſe totum daret. Equidem ut lapis chryſopœius animum ſuum erexit, viditque auguſtam medentum ſupellectilem, vagoſque eorundem errores, jam dudum in principatum medendi aſpiraverat. Docuit nimirum Baſilææ toto triennio, expoſuitque librum de Tartaro, itemque de gradibus & compoſitionibus. Vtrumque nimirum ſui inventi opus ac multis anxietatibus gravatum. Interim ut ſua quemque voluptas trahit, juſto nimis compotationibus indulgens, cœpit ſpernere cathedram, imo latinitatem; unde pæne exciderat, ratuſque eſt veritatem dumtaxat Germanicè loqui debere. Itaque quanquam ingenio raro natus, tamen dono 4 Azoth quàm indagatione theoriæ felicior. Is, inquam, nobis Tartarum primus in omnium ferè morborum cauſam obtruſit, accuſavitque, cum nec in Scholis Veterum, ut neque in ſuis tribus primis ſibi ſat confidendum perſpiceret. Cui patrono, hodiernæ Scholæ ſubſcripſere. Ego quoque tanquam de reperto theſauro, mihi quandoque gratulatus totus conſenſi, donec Dominus me aliter inſtruxerit. Inprimis diſputarunt 5 Galeni & Paracelſi aſſeclæ, an tartari & phlegmatis non eſſent eædem res, puraque tantum ſynonyma. At tandem coagula ſtupentes, nec unico phlegmati tantam morborum catervam audentes adſcribere, doctiores Galenici tartarum admiſerunt, & remediis, quæ à ſervis fugitivis mendicarunt, uti cœperunt. Quæ etſi 6 venenoſa omnia ſordida & adulterata eſſent, ſintque hodiè adhuc magis; tamen cognitionem cum thecis invenere, ut indies in uſus depromta ſint. Saltem oborto Tartaro, humores penes emunctiora ingenia, propemodum defecere. Itaque medentum ignominia ex infelicitate 7 curandi, retroſpicere ad chymica remedia ſuaſit, neglectiſque artis ſuæ fundamentis, indifferenter tam remediis iſtis chymicis ac miſerrimis venenis, quàm quæ deſcribunt illorum diſpenſatoria, uti promiſcuè cœptum eſt, tam ad deliniendos ardores, quàm abradenda phlegmata ſtomachi; adeo ut ignavia remediorum & theorematum Galeni perſpecta, paulatim deflectant Galeniſtæ ad tartaros. Ex multis itaque libris, quos Paracelſus de Tartaris ſcribit, in breve ſyrma contraham quæ legi. Natura primum 8 virgo venuſta à peccato polluta eſt; non quidem ſuo neque idcirco ipſi in ſupplicium, ſed cum in ingrati uſum creata eſſet, velut incolæ culpa fuit inquinata, ut ſaltem defectu naturæ, reatum aliquatenus piaret. Pœnituit quodammodò Creatorem, quod naturam inobedienti parere juſſiſſet. Itaque ſtatuit, quod terra deinceps tribulos atque ſpinas produceret; ſub quorum allegoria Tartarorum maledictio & ortus nobis deſignantur. Materia nimirum illorum, quæ nos pungerent quàm acerrimè. Terræ nempe progeniem verba referunt, cujus uſu nobis tandem morbos incorporari ſignificant. Primò enim, cum cibis ac potibus proditoriè hoſtes Tartari intrant, penetrant in profundum, commiſcentur radicaliter & clauduntur ſigillo occulto. Itaque ſeſe, vel à puro alimento intus ſeparant aliqui ſtatim: alii verò una cum alimento manent, quo abſumto, ſuperſtites coagulantur ſub forma mucilaginis, luti ſive boli, arenæ demum ſive lapidis. Quæ tum nedum incapacia, ut recipiant vitæ ſpiraculum: verum inſuper ſervantia agreſtem ſpinam, evaſere omnium morborum cauſæ intimæ proximæ, calamitatis mortalium nutrices quotidianæ. Etenim ſimul atque ſanguis, in ſubſtantiam aliti eſt converſus & conſumtus deinde, remanet ſæpe hæc ſpinarum proles, exotica ſanè coagulatione, ſi non quoque acrimoniis inepta. Indureſcit enim quotidie magis, & mille hoſtilitatibus ſuum hoſpitium maculat. In eo verò Tartarus, ab humanis ciborum excrementis, diſtat, quod hæc putreſcant: ille verò coagulẽtur. Felix ergo ſolus ille ſtomachus, & jecur, quæ Tartari quiſquilias à putidis excrementis, in limine, ablegare norunt. Vt ab antiquo hoſte tartareo, hæ nobis ſpinæ ſunt procuratæ: Ita lapis, cadorum vini ſpondilibus adhærens, propter manifeſtam ſui prærogativam, cæteris ſuccorum coagulabilium claſſibus dans nomen, Tartarus dicitur. Vino ſiquidem, in vaſe, quaqua verſus lapidoſo cortice incruſtatur, qui eſt Tartarus, à fæce diverſus. Hæc namque ad fundum decidit, coaguli neſcia, ille verò circumquaque diſtentus, vas loricat, & à putredine æternum intus præſervat. Hoſpes ille cæterum, per alimenta, advena, vocatur Tartarus peregrinus, ad diſtinctionem illius, qui intra nos, lege microcoſmica, concreſcit ſpectaculo fatali. Etenim quo violentum aliquod in nos irruit, eo ipſo humores alimentares vita deſtituti, hoſtiles evadunt, coagulantur, & cruoris Tartarus dicuntur. Vnde apoſtemata, oppilationes atque calamitates cæteræ, juxta juvatam cujuſque Tartari proprietatem ac voluptatem. Adeoque Tartarus ab ore, uſque in ultimas oras harundinum ſe inſinuans, omnium quoque morborum eſt cauſa principalis. Hæc ſunt quæ de Tartaro, ex Paracelſo ſparſim in unum colligere potui.

TARTARI VINI HISTORIA.

1. Piſcatio Balenæ. 2. Spiritus vini deprimitur ad centrum vaſis propter frigus. 3. Acetum qui diſtet à vino. 4. Vinum in vaſis ſuperficie, cur minus bonum. 5. Modus fiendi Tartari in cadis. 6. Cur ſe affigat vaſis. 7. Coagulatur in affigendo. 8. Probantur præcedentia. 9. Error axiomatis chymici. 10. Coagulati vini in Tartaro, non eſt par hiſtoria, cum excrementorum in nobis coagulatorum. 11. Differentia Tartari & Duelech. 12. Tartarus non eſt prorſus aut verè recrementum vini. 13. Primus error Paracelſi. 14. Totaliter differt vini Tartarus, à coagulato recremento in morbis. 15. Alia temeritas ejuſdem. 16. Cur tartarus non incruſtetur ſuper fæcem fundi. 17. A tartaro diſtinguuntur vina. 18. Tartarus, nec vinum eſt, nec ejus fæx. 19. Cur alkali è vino vel Tartaro, Tartarum diſſolvat. 20. Fæx vini, pro parte, eſt materia ad Tartarum. 21. Quam malè quadret Tartarus noſtris coagulatis. 22. Tartarus eſt inter ſales coagulatos, non inter lapides, ut nec inter excrementa.

ANtequam rejecero neceſſitatem,
quam ſibi Paracelſus finxit ad
conſtituendum Tartarum, in o-
mni alimento, pro cauſarum
morbificarum inventione, ut-
que commenti iſtius vanitas ma-
nifeſta fiat, juverit ante omnia modum expo-
nere, quo Tartarus modo, in vino ſubnaſcitur,
ſiquidem (prout credi cœptum eſt) inde mor-
borum cauſæ omnes, familiam ſtabiliant atque
nomen deſumant. Cantabi, quos Baſcones vo-
cant, priuſquam noſtris aſſociarentur Batavis,
in venatum Balenæ, ſæpè ſub Groenlandia (quæ
hodie defeciſſe putatur) ſubter Syrtes (Ata-
layas vocant) frigore præventi, vina cocta, alias
ſat generoſa, habebant conglaciata. Circulis 1
ideò à cado ademtis, nudam vini glaciem, for-
ma vaſis priſtini, ſub dio expoſuerunt. Vt uni-
ca deinceps nocte, reſiduum penitus congela-
retur. Quo facto, glaciem terebrabant, ac circa 2
glaciei centrum occurrebat liquor colore Ame-
thyſti, vini merus ſpiritus & igneus vitaliſque
liquor glaciari neſcius. Glaciem itaque vini li-
quatam igni bibebant, reddito ſibi liquoris il-
lius vitalis tantillo. Hiſtoria eo fine adducta,
quo conſtet ſpiritum in vino, naturaliter fuge-
re à frigore, ſeſeque è proprio domicilio, ad
centrum vini ſenſim recipere. Contra verò, vi-
na inſolantur ut aceſcunt, avolatque ſpiritus vi-
ni & relinquit inſolatum poſt ſe ſui cadaver ace-
tum. At cum ſit longè optatius, ſpiritum in vini 3
centrum concedere, quàm evolando evaneſce-
re; Ideò neceſſitas, in vinorum conſervationem,
frigida, atque profunda cellaria inveniri fecit.
Auſtriaca quidem, continuo velut fermenti æ-
ſtu operantia, viſcida ſunt. Hinc namque Vien-
næ Cellaria, centum non minus gradibus ple-
rumque profundantur. Hiſpanica vina idem to-
lerarent, niſi admiſto gypſo cautio adhibeatur,
dum ſub torculari premuntur, quod *Hieſſo*, vo-
cant. Itaque in cellariis frigidis, vini ſpiritus
præ frigore ad vini penetrale recurrit, ſeſeque
abdit.

4 abdit. Vinum ergo, in cortice circumcirca quia
frigus vas verberat, minus ſpiritus habet quàm
in ſui interioribus. Vnde conſequens,quod uti
vini ſpiritus defectu, vina inſolata aceſcunt: ita
quoque proportionaliter, vini extimus cortex,
in frigore penus, ſit acidior, quàm in ſuis centralibus.
5 Itaque dum muſta in penum ſunt allata,
& dum deferbuerunt,mox ſpiritus illorum
intro fugit, vitans frigora, atque ideo vini cortex,
jam parum factus quoque acidulus, incipit
agere, ſuper fæcem, turbido adhuc vino innatantem.
Impoſſibile eſt ſiquidem aciditatem
ullam eſſe, quin reperto ſibi proportionato objecto,
etiam confeſtim non operetur in illud.
Hæc nimirum eſt naturalium lex & neceſſitas.
Per exemplum. Acetum, utcunque flaccidum,
ſi reperiat lapidem Cancrorum, non poteſt ſe
continere,quin confeſtim non operetur ad illius
diſſolutionem, commutetque in liquorem diaphanum.
6 Acidum ergo in vino, jam ſaturatum
fæcula, & ſua activitate jam exutum, ad coagulandum
ſe inclinat. Non poteſt autem coagulari,
in mediis undis odore ſed parietis fermentante,
opus habet,quo velut putreſcat. Ergo coagulatio
fit ad vaſis latera,quibus ſe affigit. Iuxta
tritum Chymiæ axioma: *Omnis ſpiritus diſſolvens,
eâdem actione qua corpora diſſolvit,coagulatur*.
Acidius ergò vinum, in ſui cortice, fæcem
diſſolvit: quia mox ſal acidus, diſſolventis
ſpiritus acidi ſimul cum diſſoluta fæce coagulatur,
apponitque ſe,vicinari vaſis lateri ſive concavo.
Idque ne ambo (diſſolvens nempe &
diſſolutum) à coagulando impediantur: ſed ſaltem
altero latere, à liquore non circumdetur.
Affigitur ergo, nova coagulationis proles Tartarus.
7 Intellige etiam priuſquam coaguletur,
nondum eſſe coagulatum,atque ideo acidulum
iſtud vinum, fæce jam à ſe diſſoluta, in inſtanti
antequam coaguletur, vas arripit, ſeſeque ibi
propria coaguli colla, affigit,& agglutinat. Aliàs
ſideret ad fundum. Hoc ipſum, vini eſt Tartarus,
8 de quo noſter ſermo. Hæc ſic ſe habere,
probat acetum ipſum; Inſolatum enim vinum,
& calefacto per ſolem vaſe, nunquam acetum,
tartarum in vaſe habet. Eſt tamen eadem materia,
ſolo frigore, vel calore differens. Illic
9 quidem cum tartaro, heic verò abſque illo. Inprimis
notabile ex prædiductis elucet, quod
Chymiæ præfata Maxima in eo erret, quod diſſolutionem
corporis, ſimul cum coagulatione
ſpiritus, eadem numero actione, fieri velit.
Etenim ſi non intercederent diverſa motuum
momenta, ipſum coagulatum non adhæreret
tenaciter cado agglutinatum, quaſi ex liquato,
ibidem foret affuſum: ſed ſi coagularetur in
ipſo motu diſſolutionis, decideret ad fundum,
ſpecie coagulati, non autem lateribus adhæreret.
Vice verſa autem in regione fæcis non reperitur tartarus. 10
Alterum, & majoris momenti
notabile eſto; quod prorſus impertinenter vini
tartarus, ad ſimilitudinem coagulatorum in
nobis ſit aſſumtus. Quare impertinenter tartari
vini nomen, hiſtoria, modus,atque finis, in
cauſas morbificas ſunt introducta. Fientque iſthæc
manifeſta, ubi tartari in cibis, atque potibus,
commentum palam fecero. Saltem
quod Tartarum vini attinet: is enim non eſt
vino peregrinus advena, exotica matre materia
productus, contra aut præter vinorum naturam:
ut neque ad pianda ſcelera, à vino patrata,
adjunctis in maledictionem. Deinde nec
coagulatur tartarus vini unquam, coagulo ſibi
proprio,(quanquam alias Paracelſus ſic ratus ſit)
ſed coagulatur tartarus, poſtquam aciditas diſſolutiva
vini, exantlata, & ſaturata eſt per fæcem.
Id eſt. Aciditate, à diſſoluto contento 11
ſuperata, meditatur coagulationem facere: non
quidem verum efficere lapidem: ſed fictitium,
utpote qui denuò in aqua fervida diſſolvitur,
tanquam ſal acidus in liquore qui vulgò proin
cremor tartari vocatur. Quæ cuncta ſanè noſtris
coagulatis malè quadrant. Quæque tamen
per tartari ſimilem identitatem, in alimentis
ſingulis, vinolento commento intruſa
ſunt. Denique & iſtud violentum. Quod 12
tartarus non ſit vini excrementum, niſi pro
una parte, quæ eſt fæx ſoluta; quod ſane Paracelſum
quoque non latuit. Qui ſubinde vini
tartarum, longè ſupra vinum extollit, ceu majorum
virtutum hæredem. Quocirca malè accommodat 13
tartarum vini, per identitatem entis,
& formationis, cum tartaris morboſis, quos
excrementum, imo maledictionem è tribulis,
& ſpinis conſurgentem, ſive hoſpitatum ens
Cacedonium, in puro Saphyrico ente rerum,
vocat. Tartarus ergo vini, etſi quis eſſet alius,
in morborum materiam erectus, malè ſimul
conſonarent, etiam juxta Paracelſi mentem, ſumendo
morboſos tartaros. Adeoque & morborum
cauſam,non niſi impertinenter in tartarum
retulit. Cum non conveniant ullatenus in materia, 14
efficienti, modo, cauſa coagulationum,
in coaguli termino, objecto, ut neque in principiis.
Non enim arena aut calculus, elixando
reſolvuntur, prout alioqui tartarus vini. Tota 15
eſt ergò metaphorica, nominis, & proprietatis

tranſſumtio, frivola, & audax aſſerendi temeritas, conſpurcando omnia creata, maledicto, ſic ut totum per totum, nil niſi tartari eſſent: atque eò audacia eſt progreſſa, quod fingant tartarum, etiam in medullis, non tamen coagulabilem, quem nec vidit unquam Paracelſus: ſed ſolo auſu aſſeruit. Tartarum jam fabricat non tartarum nec coagulabilem. Adeoque ut omne nedum coagulabile, & ſoliditatem habens; ſed ut liquoroſum quodlibet: id eſt, univerſa creatura, nil niſi tartarus foret in peccati pœnam deſtinatus. Dum jam muſtum deferbuit, dulcedinem amiſit, & vini qualitates aſſumſit, fæx tota in fundum cecidit: tuncque incipit tranſmutatio acidioris partis vini, in fæcem agere. Siquidem ſenſim, quod magis ſpiritu vini fœcundum eſt, interiora petens, deſtituit ſuperficiem cadi, hoc autem inde aceſcere incipiens, nec reperiens objectum in quod agat ſibi vicinum: niſi tantùm in fundo, illud ibidem ſenſim diſſolvit, fit nimirum aciditas ejus, ſenſim ſtabilitur magis. Atqui cum omne acidum corrodendo velut ebulliat, hinc fit, quod cum acidum quod circa fundum eſt, ſuper fæculam egerit, 16 inde aſſurgat aliudque loco ſubſtituatur. Lenta proinde eſt tartari generatio. Ac nequit ergo tartarus affigi in fundo, ob inquietudinem continuæ ebullitionis illius. Quapropter generoſa, nec facile à fugiente ſpiritu deſtituta vina, non promtè aceſcunt, nullumque aut paucum edant 17 tartarum. Annoſa autem Rhenana, flacceſcunt quidem in guſtus vinoſi gratitudine, quatenus illorum acidum, in fæce combibitum eſt; attamen fiunt ſtomachica, quippe quod illorum ſpiritus non ſint abſumti, ad fæcum & aciditatis proportionem. Rubea verò gallica, niſi fæcem ſervaverint, quamque ideo matrem ſive nutricem ajunt, propriam tincturam diſſolvunt, ſuaque aciditate eam combibunt: atque ideo bima evadunt diſcolora, niſi valde generoſa. Eſt ſiquidem vinorum tinctura quoddam corpus ſeparabile. Generoſa autem rubea, quia tardius aceſcunt, ad plures ſervantur annos. Alba verò holigophora, niſi à fæce ſequeſtrentur, mox flacceſcunt. Etenim ablata fæce, cum illorum acidulum non reperiat objectum quod diſſolvat, manet vinum in priſtino ſuo ſtatu. Non eſt 13 tartarus ergo vinum aut fæx amplius; ſed ex ambobus conſtitutum neutrum. Quod autem ſic ſe res habeat, patet, quod tartari plus diſſolvatur in aquæ pluviæ unciis decem, quam in vini unciis ducentis, utcunque bullitione agitetur. Ob aciditatem vini nempe, qua tartarus 19 coagulatus eſt. Denique unciæ ſex ſalis tartari, diſſolvunt uncias ſeptem crudi tartari, eò quod lixivium ſalis iſtius combibat aciditatem tartari. Quod autem tartarus conſtet fæce vini & non 20 ex ſolo vino, probant Typographi, qui vel fæcem vini vel tartarum par ſibi atramentum parant. Et utrumque horum diſtillando, eructat ſimilem omnino odorem atque par oleum. Tartarus autem non diſſolvitur in aqua frigida, eò quod fæx vini in tartaro cingat ſalem ſic, ut frigida nequeat penitius penetrando diſſolvere. Itaque cum nativitas tartari non alibi conſiſtat, 21 niſi in ſuccis vinoſis, ſpiritu vini actualiter conſtantibus & leviter aceſcentibus, propter fugam ſpiritus intro! Cognoſcant hinc Paracelſi Scholæ, quam malè quadret tartari ſpeculatio, morbis etiam iis, quorum ergo eſt inventus. Siquidem calculus noſter, nullatenus aquis bullientibus ſolvitur. Eò quod Tartarus potius inter 22 ſales, ſive ſuccos ſale coagulatos, quàm inter lapides ſit annumerandus.

INVENTIO TARTARI,

IN MORBIS TEMERARIA.

1. NVllum morbum oriri à tartaro. 2. Inſulſus Galenus circa Lithiaſis materiam. 3. Galenus in hoc ſæpè deceptus. 4. Putavit calculum in nobis, per elementum ignis indurari, in medio lotii. 5. Aliquot ejuſdem ignorantiæ. 6. Appellatur ad judicem neutrum. 7. Inexcuſabilis humoriſtarum torpor. 8. Explicatio dati. 9. Paracelſus acceſſit propinquius ad lapidum naturam. 10. Sed ceſpitando etiam lapſus. 11. Recantat Paracelſus. 12. Prorupit ejus temeritas, ex ambitione Monarchiæ. 13. Stoliditas comes ambitionis. 14. Paracelſi nutans inconſtantia. 15. Per Metaphoram microcoſmi, deceptus. 16. Occulta ejus jactantia. 17. Par Ariſtot. auſus. 18. Microcoſmi metaphoram diſtare à veritate. 19. Paracelſus non ſat fiſus invento tartari. 20. Duæ ejuſdem inſcitiæ demonſtrantur. 21. Ortus morbi hæreditarii. 22. Vtroque extremo erratum eſſe in Scholis.. 23. Agreſtis eſt Paracelſi Philoſophia de Tartaro. 24. Probatur error illius. 25. Incongruentia Paracelſi. 26. Paracelſus ignarus formalis tranſmutationis rerum. 27. Pergit ſtolidè.

QVandoquidem Tartarus ad calculi con- 1 ſiderationem primitus in Medicinam intraverit, tractatum de Lithiaſi expedi-

vi, atque ſub prælo, oſtendi, Tartarum, à natu-
ra Lithiaſis eſſe alienum. Nunc demum pate-
faciam nullum plane morbum è Tartaro oriri:
ſed ejus meditationem, in morbis, eſſe fruſtra-
2 neam. Cognoverat Galenus hominem in reni-
bus & veſica, calculis & arenis gravari: neſcivit
autem cui cauſæ tantam in nobis duritiem a-
ſcriberet, tandem non reperi, quicquam con-
denſari poſſe, excepto unico excremento, quod
muccum dico, ille verò phlegma vel pituitam
indigetat. Cumque deprehenderet, calculum
in remotis, adeoque in ultimis exitus oris ſuc-
creſcere, eoque nil præter ſuos humores acceſ-
ſum habere putaret; audacter affirmavit, idem
in lotio accidere, atque ideo calculum non ali-
unde, quàm ex nudo phlegmate poſſe conſtitui.
3 Quod quia aquæ elemento, & proprietatibus
aqueis inſignivit, ideò ab aquæductis in nobis
concreſcere debuiſſe. Arriſit ipſi inventio, po-
tiſſimum quod oblato in veſica calculo, conti-
4 nua mucci, ſimul cum urina eſſet excretio. Co-
gitavit itaque ignem noſtrum, unum quippe de
quatuor elementis, quæ in noſtri conſtitutio-
nem concurrere credebat, neceſſarium pro cal-
culoſæ materiæ induratione, & phlegma exſic-
caturum, vel mediis in undis, cum alios præter
calorem & frigus, operatores in natura neſciret.
5 Non enim ſcivit, quod univerſa quandoque, ex
nihilo orta eſſent: nunc demum, neceſſitata
continuitate in natura, ex quadam ſeminum
genealogia deinceps res quæque profluerent;
non autem caſuali elementorum confluxu, ſu-
pervenientiſque caloris aut frigoris virtute, tam
affabrè ornari poteſtatibus vitalibus. Neque
conſideravit ejuſmodi qualitates primas ad
ſummum & extremum, nil quicquam generare
poſſe, aut contribuere ad novum ens: ſed ſal-
tem occaſionaliter vitales ſeminum diſpoſitio-
nes promovere vel retardare in ſui ſimplicitate,
non autem quatenus combinarentur elementa.
Me ſanè ſui laboris miſeret, & quod ſuæ credu-
litatis pœnas luat omnis hactenus poſteritas æ-
grotorum, quod Lithiaſis cauſas nunquam ex-
condigno ſit menſus, aut à ſeipſo ſemel petive-
rit (ut alias debebat) antequam medendi me-
thodum erigeret. Anima ſic fit pediſſequa ſuo-
rum appetituum, *plauſibileſq; ſibi fingit rationes
juxta appetitum* perturbationis, quæ illam loco
6 dimovit ad conſenſum ſui. Idcircò peregrinus
Iudex, ad rationes à nobis inventas advocan-
dus eſt, ne creduli noſtra adoremus figmenta,
& tanquam filios amemus ac pro iiſdem contra
7 æquum, ut parentes pugnemus. Ignis igitur, ſit
iſte Iudex, rationum trutina. At ſub Galeno
nondum Pyrotechnia nota, ſed inter ſymmi-
ſtas, Pytagoræ ſilentio ſub ſacramento occulta-
batur. Nunquam enim Galenus, vel rhodoſtag-
ma vidit. Igitur excuſabilis eſſet in tanta co- 8
gnitionum egeſtate, ſua forte ambitio ad me-
dendi principatum, ſi ſemel ſaltem muccagi-
nem è naribus vel calculoſa veſica manantem
ſub tepore noſtri ſimillimo, coxiſſet in urina,
vel per ſe, citra lotium exſiccaſſet. Etenim re-
periſſet haud dubiè phlegma iſtud quod reba-
tur in nobis ad lapidis conſiſtentiam indurari,
nullo penitus gradu caloris, unquam aut uſpiam
lapideſcere, muccaginem nullam (niſi aliàs la-
pidis ſemine gravidam) unquam indurari: ſed
in levem tophum atque friabilem conſtringi,
vel collæ inſtar iterum reſolvi. Sic enim opor-
tuerat medicinæ monarcham proceſſiſſe, & non
ſe ludibrio, poſteritatis & emunctæ naris coæ-
taneis, expoſuiſſe, quod tam lurido contentus
commento de morbis, de ægrorum ærumnis,
vita & ſanatione ſua impleviſſet ingentia volu-
mina. Non equidem inficior, quin aliqua mu- 9
cilago, ſubinde lapideſcat: ſed conſtans nego,
id fieri, in quantum viſcida, aut muccida eſt: at
dumtaxat, ſi ſemine petroſo ſit gravida. Nam
ſaxa friabiliora non puro diaphanoque liquore:
ſed lutoſo, mucilaginoſoque conſtant. Qua-
propter Galeni doctrina muccida tota ac pitui-
toſa, ſeminata in petra exaruit, ſterilis ſine ſpica
& fructu manſit in Scholis, ibidemque ſub Ca-
thedra ægrotavit, & jamjam mox diſcuſſa in
pulverem, friabilis evaneſcet. Equidem ſe-
quentes ætates ad credendum, quàm in veſti-
gandum proniores ſecutæ ſunt antecedentium
gregem, euntes non qua eundum: ſed qua itum
erat, avorumque inſcitiis ſub ignaviæ ductu, fa-
ciles Scholæ ſubſcribunt hactenus tantæ igno-
rantiæ. Quare Paracelſus ad novam venturi 10
Heliæ artiſtæ Monarchiam adſpirans, ſterten-
tium tepidis, torpidiſque ſomniis non acquie-
ſcens, firmiora quærens lapidum principia, fina-
liter inter ſuas diſquiſitiones admirans tarta-
rum vini, animo ſpem grandem concepit, fo-
vitque; putans omnem lapidem, tam in magno
univerſo quàm in Microcoſmo, eſſe merum tar-
tarum. Temeritate audendi dein progreſſus 11
cœpit affirmare, omne corpus ſuam depromere
ſoliditatem, eodem cum tartari coagulo; ut
quos antea è maledicto rebus ſuperveniſſe di-
xerat, nunc ſeminum deſtinatione ab exordio
fuiſſe, poſſit recantare. Hocce ſuum de Tarta- 12
ro, & ſat ingenioſum intentum deinceps tradu-

cens, ubertim collegit, quod prout tartarus erat
lapis è vino (lapis inquam metaphoricus, quia
reſolubilis aquis) ita calculus, conſimili coagulo
induraretur ex potibus & cibis. Sic enim certa
calculi initia ſe habuiſſe ratus, leporem auribus
ſe tenere credidit. Placuit illi auſus, & ſpe
Monarchiæ indè erectus, cœpit omnes propemodùm
languores multis voluminibus &
Scholiis ſuo commendare Tartaro, ita ut & Peſtem
è Tartaro oriundam crederet. Felicis, faciliſque
hujus jubenti tanta porrò fuit conſecutio,
ut inde ſibi ſponderet Monarchatum in medendo.
13 Verum cum ſatis perſpexiſſet elementa,
complexiones & humores defeciſſe, nec morbis
ſatisfacere, atque adeo nondum morbi veram
cauſam enotuiſſe in Scholis, quamque ſibi
cum tartaro enucleaſſe pollicebatur, tandem ut
morborum cauſas ſtabiliret, aſſeruit cuncta ſolida
aut merum eſſe tartarum, aut eundem pro
magna ſui parte, in noſtri perniciem continere.
Quaſi immenſa Bonitas, in creationis objecto,
morbi & morbis noſtris, ſollicita ſaltem inhiaſſet.
Labor Paracelſi & æmulatio inveniendi
cauſam morbificam nobis gratificando ſunt.
Qui Scholarum ſciens inanes nugas & turpia
otia totus contendit in bonum publicum. Ac
credidero, ſi ambitionis fuiſſet negligentior,
quod in vera medendi fundamenta per munificentiſſimam
Dei gratiam perveniſſet. Sed ut
ambitio eſt tumida, ſuſpenſaque ſemper ex alienis
arbitriis, ideo Deus permittit in incertum
14 ſemper fluctuare ambitionem. Inconſtans ergò
Paracelſus, nunquam potuit ſibimet ſatisfacere
per tartari inventum, quocirca nunc ad complexiones
dein ad Aſtra, tum verò ad tria prima
tranſcurrit, & ipſa elementa invocat, ut morborum
cauſas ſtabiliret. Etenim accuſat nunc
cryſtallum, in quarto gradu caloris, ut ignis
prolem; tum verò, ut aquæ filiam, ait ſummo
frigore induratam. Dein ingentem vitri cumulum,
continuo igne exuſtum, ac (frivolè
imminutum) in beryllum tranſire affirmat, tartari
ſui oblitus, & primis qualitatum complexionibus
per gradus elementales addictus, beryllum
Cœli, & altioris ignis prolem affirmat.
Immemor ſe in ſuis Helvetiorum rupibus vidiſſe,
glaciem immani frigore, forte à mille annis
conſtrictam jacere, non tamen cryſtallum
eſſe: ſed permanere glaciem, ut ab initio. Nondum
ergò plena requie, in tartaris quievit, ſequacium
oculos & credulitatem perſtrinxiſſe,
ſibique glorioſum nomen fabricaſſe, confidens
ad aliam anchoram, ſpei ſuæ poſtremam confugit.
Metaphoram microcoſmi, in ipſam nempe 51
veritatem tranſſumſit. Volens nos omnifariam
& plenè, totum ad amuſſim univerſum
exprimere, atque reipſa continere in omnibus
differentiis terrarum, montium, fontium, lapidum,
fodinarum, plantarum, piſcium, avium,
quadrupedum, reptilium, ſtellarum quoque,
cum omnibus proprietatibus, motibus, tempeſtatibus,
morbis, defectibus, & alteritatibus eorundem.
Aſſeverans, niſi hoc penitus funditùſque 16
ſciamus & credamus, ſcienter, perſpicaciter,
diſtinctè, certiſſimè, profundiſſimè, propriiſſiméque,
in unoquoque creatorum nos fore
inhabiles ad Philoſophiam, ad exercendam
medicinam, vel ad diſputandum contra ſuas
hypotheſes. Quinimò hanc particulam indubiam,
opticamque ſcientiam, decuplo facilius
addiſci ait, quàm inſalutiferum latinum. Quo
elogio apud ſuos creditur, horum ſcientia præfulſiſſe,
qui nupero orbis teſtimonio incurabiles
morbos ſolus expugnavit. Sic & Ariſtoteles, 17
ad Philoſophi autonomaſiam aſpirans, ſprevit
contradicentes ſuis & falſis quidem initiis.
Non ſecus atque nigromantici ſibi fidem poſcunt,
citra demonſtrationem. Sit æterna Domino 18
meo laus, & gloria in omni benedictione,
qui nos non ad imaginem impuriſſimi
mundi; ſed in typum divinæ ſuæ imaginis plaſmavit,
in filios electionis & cohæredes, ſuæ idcirco
gloriæ per gratiam adoptavit. Dolenda
certè, atque nimium miſeranda illius ſimilitudinis
eſſet conditio, quæ nos ſubter legem omnium
calamitatum hactenus ſubegiſſet, à creatione
uſque adeo & ante peccatum dumtaxat,
ut tam abjectæ rei ſculptrum eſſemus: quaſi
mundus pro ſeipſo, non autem pro nobis tanquam
fine ultimo conditus eſſet: nos autem
pro mundo, cujus nimirum tantum icones eſſemus!
deberemus nimirum calculoſi fieri, ut
ſaxa & rupes repræſentemus. Adeoque omnes
omninò eſſemus calculoſi ex æquo, leproſi, &c.
Vel non omnes æqualiter microcoſmi. Enimverò
cum ſimus ex creatione, id quod ſumus, &
calculus fieret, ut rupes repræſentemus: Iam
mors & morbus erant antè in nobis, quàm eſſet
prævaricatum. Faceſſant hæreſes. Neque enim
caducum omnes patimur, nec qui eo laborant
illum habent, ut quandoque tonitru vel terræ
tremorem aut ſuæ inconſtantiæ ignotum aëris
Lorind repræſentemus. Nunc autem ſi hujus
ſaltem tantillum verum eſſet, utique ſecundùm
juſtitiam qui patitur damna, deberet quoque
percipere utilitates Microcoſmi, uſque
adeo,

adeo, inprimis volare deberemus: cum ratio-
nabilius ſit, nos aves referre citius, quàm ſaxa,
aëriſque aut aquæ procellas. Faceſſant ergo è
natura ſenſus allegorici & morales. Natura per-
tractat entia, qualia revera & actu ſubſiſtunt, in
entitate ſubſtantiali, ac profluunt à radice ſemi-
nis, uſque in tragœdiæ epilogum. Nec aliam
interpretationem admittit, quàm per fieri &
19 eſſe, ex cauſis ordinatis. Adverto etiam, Para-
celſum invento Tartaro, ac in morbos introdu-
cto, nondum ſat ſecurum ſtetiſſe: ſiquidem et-
iam Tartarum, primis noſtræ conſtitutionis
initiis immiſcet, adeoque nec ipſa rerum ſemi-
na, à Tartaro eximit: ſed radicaliter intimè, at-
que pœnitiſſimè Tartarum ſeminibus immi-
ſtum vult, quo morborum hereditariorum ſe-
minarium inveniat. Cujus denuo miſtionis ob-
20 litus, ridiculum dicit. Mulierem inquit, à virili
ſpermate conceptum Tartarum ſeparare, in ſe
rapere, recondere, & velut anatomizato ſemine,
ſe Tartari illius hæredipetam conſtituere. E con-
verſo, nunquam vini ſpiritum ſic per circulatio-
nes poſſibiles depurari, quin non adhuc in ſe
ſuum contineat Tartarum. Quaſi Tartarus foret
univerſi radix præcipua, vel illi immediatus co-
mes. Ego verò ſcio, ſi quid peregrini materiali-
ter in ſemine eſt, nullam ſequi generationem.
Denique, quod ſemen Adami, materialiter in
Paradiſo paratum, non generaſſet perfectiorem
prolem, quàm deinceps quod à lapſu factum fuit
in illo. Probant id inprimis Cain, & Abel. Tan-
dem ſi Tartarus, tam intimè ſeminibus inoleſce-
ret, ut materialiter poſt multos à generatione
annos, ſe à toto ſeparando, cauſaret morbos hæ-
reditarios: non ſanè ille Tartarus, per Magne-
tem muliebrem tam citò ſeparabilis eſſet: cum
ſiquid è ſemine ſepararetur Gas ſit, diametrali-
ter Tartaro oppoſitum. Etenim ſi uterus, ali-
quid è ſemine ſepararet id trahendo continge-
ret; trahentium autem ea eſt conditio, ut pro ſe,
& ad ſe trahant, & tum ceſſent: ſin autem ad
ſeparandum, uterus extraxerit, jam non erit
metus de malo hæreditario, ſiquidem uterus, ſe-
queſtrandi noxii vim habet. Denique, tametſi
morbi ſenſim in palæſtram venerint, nunquam
tamen ſemini permiſtos fuiſſe materialiter, per
modum Tartari, non Tartarum, non cretam
podagricam in ſemine præexſtitiſſe: ſed morbos
à parentibus traductos, latêre characteraliter, in
21 vita media, Archei, cujus ſigillum, tandem ſua
dierum ſub maturitate erumpit, corpuſque ſibi
idoneum fabricat, adeoque fit Archeus mor-
bi, cum omni proprietate requiſita ſeminum.
Nam & morbus, eſt naturale conſtitutum de
ſemine proveniens, Archeo conſtans, ut effi-
ciente cauſa. Ruſticè alioqui cenſum eſt in 22
Scholis, corpora morboſa materialiter con-
fluere, ad generationem hæreditarii defectus.
Idiotiſmum quoque continet morbum, extra
numerum agentium naturalium, & entium
corporalium excludere, cum & materia (quam
ajunt morbificam) ſubindè ad digitum obvia
ſit, ſi oculis luſtretur. Si ergò morbus, jam in-
ter entia naturæ cenſus, quidni proprii ſemi-
nis neceſſitate ſtabiliretur? Agreſtis eſt Philo-
ſophia, quod Tartarus ab initio in ſemine 23
fuiſſet, & triginta poſt ſolidos annos, inciperet
prima coaguli principia, ſibique augmentum
ac velut particularem Remp. meditaretur, Id-
que totum, abſque ſeminis directione. Deus
non fecit mortem, nec ideo ſeminibus conne-
xuit Tartarum, morborum materiam. Si enim
Archeo ſeminali tam ſtupidi errores obveni-
rent, jam Rector naturæ habenas ejuſdem de-
ſeruit, & genus humanum propediem ruet.
Abſurdum quoque dictum Paracelſi, quod ne
quidem vini ſpiritus ſuo careat Tartaro. Nam
etſi per ſeculum circularetur, revera nullum
tamen unquam ſeponet Tartarum. Paracelſus 24
enim, qui illum ſpiritus vini Tartarum nun-
quam vidit aut reperit, bonæ ſuæ fidei id-
circo credi vult, non ſecus atque alibi, ubi
putat aquam quoties videri deſivit, omninò
in nihilum abire & de novo aliquando creari.
Non enim ſequitur: è ſpiritu vini fit ſal in ſa-
le, Tartari coagulum ſuſcipit: ergo ſpiritus vi-
ni continet Tartarum. Quoniam etſi omne co-
agulatum, Tartarus eſſet. (Quod non) Non ta-
men corpora continent illa, quæ tandem ex iis
fiunt. Puta ex gramine lac, ex lacte ſanguis, &
ex hinc ſemen humanum fit. Non tamen gra-
men hominem in ſe continet, ut nec gramen lac
vaccinum. Prodit ergo idiotiſmum ſuum, quod 25
velit omne corpus, quomodocunque coagula-
bile, eſſe Tartarum. Id eſt totam naturam eſſe
Tartarum, ad introducendam morborum cau-
ſam, etiam ex defæcatiſſimis liquoribus. Perinde
enim fuiſſet, dixiſſe materiam morbificam ſu-
mi de corporibus creatis: at quid tum, præ-
ter ſe ridiculum feciſſet? nonne idem nunc?
dum omne corpus tam coagulatum, quàm un-
quam coagulabile, ſub Tartarum ſtringit, ad
morbi cauſam inveniendam? Quid enim no-
vi adfert, quod antè non ſciebatur, præter
nomen Tartari? Nonnè Galenus ſcivit morbo-
rum cauſam materialem eſſe coagulatam, vel

coagulabilem? Per nomen Tartari ergo, ſaltem
oculos perſtrinxit. Cum corpora coagulabilia,
non aſſumant duritiem, aliunde, quam ex pro-
prii ſeminis deſtinato: non autem per modum,
quo vinum & fæx, agendo ſe conſtringunt. In-
primis hæc repugnant ſacris & ſuæ ipſius theſi
quæ docent, morbos à peccato adveniſſe in
hominem, & theſis, eſſe virgini naturæ, inſper-
ſum Tartarum. Ac per conſequens ante tranſ-
greſſionem, corpora in ſe habuiſſe coagula ſua,
& non à Tartaro. Etenim in naturæ hiſtoria
reperiſſet, ſi non Idiota, nullum liquorem ſub-
ire coagulationem vi Tartari: ſed Creatoris
intentione, in ſeminibus eluceſcente. Ideoque
quicquid condenſatur eſt nova generatio: non
autem præexiſtentis Tartari maturatio. Aliàs
namque Tartarus ante peccatum in cibis ne-
dum fuiſſet: ſed tota natura nil niſi morbus
fuiſſet, mortiſque cauſa ſupplicium ante offen-
26 ſam, & mors à creatore orta eſſent. Paracelſus
enim, alibi perpendens, ſapores in tranſmuta-
to permanere, longius adhuc aberrans, puta-
vit, eſſentias non mori, non corrumpi, non
denique tranſmutari: ſed in fimis animalium
ſoſpites permanere, perſuaſitque ſibi, ubi ſa-
porum nulla vel tenuia forte veſtigia remane-
rent, priſtinas quoque eſſentias, ſoſpites ſu-
pereſſe; malè à Scholis edoctus, quod idem ac-
cidens, non migraret de ſubjecto in ſubjectum.
Adeoque & tranſmutationes rerum negaſſet, ſi
preſſus fuiſſet. Voluit nempe ſtercoratos agros
fertiles, quod in fimo, ſoſpites vegetabilium eſ-
ſentiæ, radices ſatorum ſubintrarent, interitus
neſciæ. Suæ non amplius doctrinæ memor, qua
fimum animantum omni proprietate concreti
orbatum, ſolamque eſſe ultimam materiam ſa-
lium. Alibi verò vult, fimum, continere potiſ-
ſimam Tartari materiam, & hactenus non ſter-
coratos Bohemiæ agros, fructus edere minùs
tartareos, quàm qui ſumine lapideo, ſive terreo,
vel demum fimis animantum impinguati eſ-
ſent. Quibus nimirum ſub diu, longa annorum
ſerie, hoc ſumen terreum ſponte liqueſcit. Quo-
niam hoc ſumen magis agreſtem atque petro-
ſum Tartarum in herbis produceret, quàm fimi
toties recocti & depurati in ſalium materiam.
Quorum reſpectu fimi aliquot inſtar ſaponis è
linteis eluunt. Eoque inſolentiæ, cum ſuo Tar- 27
taro devenit Paracelſus, quod quoties aliquid
veſicam roderet, aut ſtranguriam afferret, con-
feſtim id calcem Tartarum pruinoſum, vel ſi-
mile quid nominet. Quaſi calx & tartarus, jam
eſſent ſynonyma! quaſi in medio lotii aliquid
abſque uſtione calcinaretur! quaſi calx non
præſupponeret materiam ex qua, lapidum! Cum
cinis non ſit, qui non anteà carbo. Tandem a-
gnoſcit & Tartarum medullæ, non coagulabi-
lem. Quomodo autem hunc novit, quem vi-
dere nunquam potuit? Sibi enim in cunctis
credi vult qui microcoſmi entia, & proprieta-
tes omnes, perfectiſſimè novit. Sed cur Tarta-
rum jam vocat ens non coagulabile! niſi ut o-
mnes morbi velint nolint, ſuo obediant Tartari
figmento? Etenim ſomnia microcoſmica, non
potui Chriſtianus admittere, ut à Paracelſo tra-
dita ſunt. Id eſt literaliter, & non metaphoricè
intelligendo, qui ſenſus à rerum naturalium hi-
ſtoria ſemper exulat. Nec Tartaros ejus tolero:
ſed juxta eundem Paracelſum dicam, *Nemini
credendum, quod per ignem probare non poteſt.*
Ideoque calcem, in nobis non conſentiam cre-
mari, ut neque in nobis Tartarum naſci, qui
non niſi in liquoribus vinoſis, Tartarum agno-
ſci: Materiam autem Tartari permanere de ge-
neratione in generationem, per digeſtionum
officinas ceu fabulam rejicio.

ALIMENTA TARTARI INSÓNTIA.

1. *Medici hodierni paulatim aſſueſcunt doctrinæ Tartari.* 2. *Argumentum contra Tartarum.* 3. *Tartarus morboſus non eſſet creatura.* 4. *Tribulos & ſpinas non ſignificare Tartarum.* 5. *Duæ ſorores uterinæ in natura.* 6. *Quo medio fiant tranſmutationes ſolidorum.* 7. *Aſiſticum.* 8. *Adynaton, impertinentia aliquot.* 9. *Inconſtantia Paracelſi.* 10. *Frivolum.* 11. *Abſurda, ad Tartari poſitionem conſequentia.* 12. *Archeus ſibi præparat materiam, dum eandem non reperit.* 13. *Error Paracelſi, circa microcoſmi Ideam in pane, circa anatomias eſſatas in cibis, & pharmacis.* 14. *Abſurda alia.* 15. *Notabilia aliquot contra Tartarum cibalem.* 16. *Virilis ætas minus obnoxia lumbricis.* 17. *Decepit Paracelſum, lapis denti adnatus.* 18. *Hinc natum aliud figmentum.* 19. *Probatur præfata aſſertio, & aliquot abſurda deteguntur.* 20. *De lapide dentali aliquot abſurda.* 21. *Frivolum Paracelſi.* 22. *Quid ſit lapis dentalis.* 23. *Ortus, & fiendi modus.* 24. *Oeconomia dentium.* 25. *Ætas ſua dentibus.* 26. *Frigida cur denti hoſtilis.* 27. *Error circa duritiem calculorum.* 28. *Cur renum calculus tandem pallidus oriatur.*

tur. 29. Inconſtantia Paracelſi. 30. Ejuſdem neglectus. 31. Inſtantia axiomati illata.

1 EMunctiores Medentum , paula-
tim ſic à Scholis humoriſtis rece-
dunt, ut cum Paracelſo omnes
propemodum jam morbos uni
adſcribant Tartaro. Quarè opor-
tuit , meæ depingere pœniten-
tiæ exordia , & quouſque me ſeduxerit olim
juvenilis , & inconſiderata credulitas. Interim,
cum judicii conſilium emanet ex intellectu per
gratiam Dei , cum libera aſſentientis voluntatis
electione , nolim quenquam cogere. Quiſque
incoactus eligat, quantum recepta in intellectu
2 chariſmata veri oſtenderint. Ego ſaltem verita-
tis naturalis & avidus , licet hebes indagator
meditari cœpi , ſi Tartarus aliquis ſit in nobis,
cum proprietate ſubſiſtendi , neglecta nimirum
atque peracta , omni in nobis digeſtione , à re-
tenta poteſtate , reaſſumendi coagulum invitis
nobis ; ille vel erit miraculoſus , ſive ſuperna-
turalis , vel planè naturalis vel præſtigioſus, ſive
diabolicus. Qui , licet non ſit ſupra naturam ,
propter inconſuetum tamen in natura ordi-
nem, ſequeſtratur in claſſem peculiarem. Quic-
quid autem ſolum per artem ſubſiſtit, cum for-
mæ eſſentiales ſint ſecluſæ ab Artificum pote-
ſtate, ens artificiale inde oriens , non cadit ſub-
ter conſiderationem medicam. Ergo à ſufficien-
ti enumeratione partium commendatur præ-
fata Tartari diviſio. Denique etſi Tartarus eſ-
ſet morboſus & hactenus præter intentum na-
turæ humanæ , non eſſet tamen in ſui entitate
præter naturam ; cum omne ens materiale gre-
mio naturæ claudatur. Itaque ſive Tartarus ſit
ſupernaturalis , ſive merè naturalis, ſaltem eſſet
creatura : creatus ergo Tartarus eſſet ab initio,
cum nullus deinceps à peccato creatus legatur,
neque materiâ ulla formaliter per maledictio-
nem tranſmutata. Ergo Creator feciſſet ſuppli-
3 cium ante culpam, & mortem in materia. Quod
repugnat veritati & Textui. Quomodocunque
ergo ſumatur Tartarus, non fuit creatus à Deo :
4 ergo non eſt ullatenus. Semina quidem tribu-
lorum & ſpinarum , Agricolis primis ſunt pro-
miſſa , non quod exin per maledictionem nova
creatura , ſingulis alimentis in Tartarum eſſet
tranſmutata aut immiſta , quæ ante lapſum non
fuiſſet : nam maledictio pecatum prægreſſa eſ-
ſet, & pœna illata ante reatum : Paracelſus enim
noſcere debuiſſet , in natura duas ſorores u-
5 terinas inter tangibilia. Reſolutionem nempe
& coagulationem ; quæ alternatim ſe mutuò
recipiant. Liquor namque ſolideſcit , & ſolida
liqueſcunt viciſſim. Eò quòd viciſſitudo ſit lex
ſcripta in ære corporum. Siquidem nunquam 6
corpus ſolidum tranſmutatur in aliud , quin
prius per reſolutionem reducatur in primam
ſui materiam , quæ liquor eſt , quam nempe ha-
bebat antequam coagularetur ; Nec credendum 7
aliquod corpus eſſe hodie , cujus materia non
ſit ab initio creata; nec poſt primum ſextiduum
aliquid in corpore fuiſſe vacuum , quod nova
deinceps Tartari creatione poſt peccatum, fue-
rit repletum. Multoque minus , quod Deus
Tartarum nobis in tribulos & ſpinas creaſſet ,
quem Protoplaſtus, & capitalis tranſgreſſor, non
multò magis principaliter, originaliter , & capi-
taliter ſenſiſſet , & conſequenter omnes pariter
morbos , quos inde oriundos comminiſcitur
Paracelſus. Cum Deus non ſit perſonarum ex-
ceptor : ſed juſtus atque ſeverus vindex , pro
meritis uniuſcujuſque . Denique plurima me 8
impediunt credere , Tartarum aliquem prodi-
toriè in nos ingredi , quodque licet noſtra di-
geſtione ritè ſit ſubactus & tranſmutatus , poſt-
ea tamen ſuæ malignitatis memor , ſeſe à boni
alimenti conſortio ſequeſtret, retineat antiquam
ſuam nocendi inclinationem , & antiquas coa-
gulandi hoſtilitates. Enimverò quantumvis A-
dam non peccaſſet , non tamen proin vinum
abſque tartaro , lac abſque caſeo ; fluvii citra la-
pides, & cibi abſque excrementis fuiſſent. Ster-
corum nimirum emunctoria erant antè pecca-
tum nec deſtinata , ut ſaltem poſt prævaricatio-
nem ſuis uſibus ſervirent. Sanè ipſe vini tarta-
rus, hunc inventorum tartarorum primus delu-
ſit, neſcium , quod ille tartarus ex creatione ,
tanquam utilis atque bona creatura proveniſſet,
habens proprios fines , juxta intentionem Dei.
Quantò magis, quod hic tartari morboſi inven-
tor fateatur tartarum , vino præſtantiorem : ex-
crementum autem non ſunt præſtantiora cor-
poribus, quorum ſunt recrementa. Saltem non
eſt rationabile magnam virtutem poſſideat ens,
quod à peccati maledictione emerſiſſet in natu-
ra. Sin autem corpus in quantum coagulabile
tartarus ſit, jam totus univerſus ab hoc reatu non
erit immunis , quin ſit filius maledictionis &
non creationis. Denique vini tartarus , ebulli-
tione aquæ reſolvitur , atque evaporata aqua,
rurſus in pulverem concreſcit , qui cremor jam
dicitur. Aſt ſemel noſtra ſubactus digeſtione ,
non amplius dein in pulverem coagulatur. Pro-
ut enim aquæ bullientis eſt diſſolvere : ita dige-

9 ſtivæ opus eſt, tranſmutare. Impii ergo conſilii
Medicus eſſet, qui Tartarum potandum daret, ſi
intus iterum coagulari poſſet, atque proditus
vaſis adhæreret. Etenim ſi abſoluta digeſtione
quicquam, retineret vim coagulandi priſtinam,
atque eatenus aliquot morborum centurias pareret,
id omni prærogativa ipſemet vini Tartarus
eſſet, ſub cujus ſigno jam cæteri ſua dedere
nomina, penes Paracelſum: Atqui vini Tartarus,
à digeſtione cæterum non coagulatur amplius
in priſtinum, quinimò ſpem omnem indurationis
ſeponit, adeò ut muccagines è ſtomacho
detergat: ergo multò minus Tartari ciborum
01 id poterunt. Porrò, ſi quis è terra Tartarus
in cibos ingreſſus in nobis rurſum coaguli
terreni hauſta concilia reſumeret, Is ſanè prius
in herbis & pecoribus, adeoque in cibis ipſis
eaſdem tranſmutationis leges ſubiens, aut Tartari
inſtar, ab iiſdem relegatus & ſeparatus fuiſſet,
vel alioquin in illis agreſtem coagulandi naturam
amiſiſſet: Atqui cum in cibis, iſtam indurandi
proditionem, non exercuerit, neque
Tartari proprietates retinuerit aut habeat: quo
pacto quæſo, eam potius in nobis reſumet,
quàm prius, dum herba, aut poſtea dum pecuina
caro fieret? Quomodo enim ſuæ proditionis
obliviſcetur prima ſui tranſmutatione in
herbam, & ſecunda dein in belluam, eamque
tertia ſui tranſmutatione, prius repetet in nobis,
cum olere, cum lacte? Verum ſi formaliter
tranſmutatus fuerat, Tartarique eſſe, atque proprietatem
amiſerat, dum ſpiritum vitalem &
ſubſtantiam braſſicæ, graminis, lactis & carnis
indueret, vereque vitalis factus in hiſce, depoſita
feritate Tartari, quomodo inquam, &
unde coagulandi Tartari morboſi, inveniet in
nobis ſua antiqua & immutata principia? vel ſi
non depoſuerit Tartari proprietates, dum herba,
dum chylus, cremor, ſanguis, ac tandem,
lac fieret: quare ſe non oſtendit hoſtem palam?
Nec enim Philoſophia permittet, quod & Tartarus
ſimul & braſſica eſſet, aut tandem ſanguis
11 vivens & ſimul Tartarus. Quocirca, ſi Tartarus
ſuam amiſit eſſentiam, atque in alienam abivit,
non potuit ſuam retinuiſſe multoque minus,
à privatione ad habitum, potius in nobis
tranſiiſſe, quam in herbis, quam in brutis. Tandem
ſi ſit Tartarus realis in rebus, certè is eſſet
perſeverans, per omnes corporis tranſmutationes,
nec à ſublunarium poteſtatibus quicquam
patiens, qui tot ſibi invicem tranſmutationibus
ſuccedentibus, nil prorſus pateretur, niſi à ſolis
nobis ſumtus. Aſt hoc, eſt abſurdum, excrementis aliquid perpetuitatis donare, quod illorum enti puro non eſſet familiare. Imo vel ager, quarta vice rapis in eo natis, ſtercoratus fructus proferret, nullo prorſus Tartaro onuſtos, vel abſurdum eſt, quod tertia, aut quarta vice, ſaltem Tartarus ſe manifeſtaret, anteà occultus. Porro ſi unumquodvis creſcens proprium ac inſeparabilem in ſe Tartarum haberet, ut in nobis dumtaxat: non autem in brutorum lacte, & ſanguine, fieret Tartarus ex deſtinatione; neceſſe eſſet, Tartarum, à Creationis exordio & non ab increpatione peccati incœpiſſe. Sin autem Tartarus, non aliis creaturis, ſed nobis ſaltem Tartarus fieret: Iam eſſet ejus origo ſupernaturalis, nulluſque morbus naturalis: ſed omnis morbus miraculo oriretur: eſſetque noſtra digeſtio vilior ac vita brevior quàm viliſſimæ beſtiolæ. Cujus nempe digeſtio ad veram tranſmutationem eſt, illorumque reſpectu omnes Tartari ciborum permaneant miraculosè in prima materia immutati. Hoc inquam deſtruit Philoſophia, docens, nunquam fieri tranſmutationem abſque morte, & occaſu prioris entis, & termini à quo, deſtructione, ne ſcilicet unica res conſiſteret ſimul in duobus terminis eſſe. Vt enim herbæ ſuccus cruor fiat, neceſſe eſt, prius perire eſſentiam ſanguinis herbalis, cum proprietatibus Archei ſui, & hactenus etiam perire omnem Tartarum, in tranſmutatione rerum ſingula. Quid ſi lapides in ceraſis, perſicis, meſpilis, piris, &c. Sint fructuum illorum creati Tartari, ſanè debuiſſent potius deduci in Tartarorum ſcenam, & in morborum cauſas, quam ipſemet vini Tartarus. Qui in aqua bulliente reſolvitur. Medicæ quoque Scholæ, nequam, & pernicioſæ eſſent, quæ ejuſmodi fructuum putamina, pulvere tenus, ſuis propinant ægris, quatenus quicquid per noſtras liqueſceret digeſtiones, Tartarum contineret, noſtroſque calculos propterea neceſſariò augeret. Quinimo, dato Tartaro in cauſam morborum, neceſſariò nucleus, ſine putamine in ceraſo, antè peccatum fuiſſet, adeoque omne creatum à peccato deinceps eſſet immutatum, uſque ad ſcientias & ideas ſeminum, prioremque indolem, & figuram exuiſſet ac modò creſceret ex maledicto, non autem virtute benedictionis: *Creſcite & multiplicamini.* Fruſtra itaque ejuſmodi fructuum teſtæ, tanto decore ornantur, providentia ſignantur; ſervantque ſpecificam identitatem ubique, ſi excrementorum ſive Tartarorum ſint proles, atque reliquiæ ſi non ſint opera deſtinata ſeminum;

num; ſed accidentales Tartari ſtructuræ. Sic quoque trans ceraſi ſtipitem (exiguum ſanè filum) liquor mearet, tantæ indurationis futurus Tartarus, qui in caudice, aut corpore ceraſi, ſui nequicquam concreviſſet, at ſaltem circa nucleum. Quinimo Naturæ deſtinatio potior eſt, & prior circa pellem, & putamen ceraſi, quàm circa ſuccum vinalem ejus. Adeoque natura excrementum intenderet, ante rem ipſam. In nobis verò,ſolo dentium contactu,mox Tartarus indureſceret.Inſigni quoque ſcientia Tartarus polleret, quod nondum per plantam aſſumtus vagatur, nec etiam dum à bruto maſticatus conteritur; ſed penes ſolum hominem in Tartarum formaretur, alibi verò coagulari nolit aut neſciat. Equidem ſi in fructibus, Tartarus ſuas non ſequatur deſtinationes: ſed prius tantùm in homine; vix credam, hoc mandatum ipſi divinitus injungi, dum cibo tenus in nos intrat. Sed potius, ſi quicquam ciborum, à proſcripto conſueti in natura intus degeneret, id vitium noſtrum eſto: non rerum Tartaro gravidarum. Sin autem in rebus Tartarus lateret, error eſſet in Archeo, ex inſcitia legum naturæ ſuæ.

12 Abſurdum id eſto. Negare videlicet per digeſtionem poſſe digeſtum atque tranſmutatum à priſtino vultu & propenſione ſui ſeminis mutari in naturam digerentis. Enimverò ex unico & homogeneo ſucco quadringentæ herbæ ac totidem diverſæ arbores opiparè nutriuntur. Non quidem quod ex ſimilari illo ſucco pro ligno ſeparetur id, quod plus reſinæ & fortioris coaguli continet, totidemque ex eodem ſucco terræ ſeparationes fiant, quot diverſitates in præfatis plantis. Abſit. Indignum id Archeo, qui plenariè novit minus vitæ ſuæ mediaque ſortitus eſt, ad perficiendum quæ ſibi ſunt agenda in materia, ſibi ſubſtrata. Etenim ex ſeminibus nil quicquam ſeparatur pro radice, caudice, folio, carne, oſſe,cerebrove. Diverſitas membrorum non trahitur ex veritate univoci liquoris. Non enim Archeus indignus eſt pauculæ & imperceptibilis diverſitatis illius in ſeminibus, penes quem pendet omnis alteritas, & cujus videlicet præexſiſtentis diſpoſitionis ipſe Archeus principalis & unicus faber eſt. Ab eodem ſcilicet Vulcano dimanant rerum diverſitates, non minus quàm diverſitatum proprietates. Alias namque Archeus non eſſet tranſmutator: ſed tantùm maturator & coquus.Nonnè enim lignum fuit ſuccus in ſui initio? adeoque merus herbaceus liquor induruit vi ſeminali? non autem præexſiſtente duritie in materia.

13 Abſurdum quoque iſtud Paracelſi, quod etſi non actualiter exſiſtant materiales diſpoſitiones membrorum heterogeneorum cauſæ, ſaltem inſit ſpiritualis idea humana pani, ſine qua cibus non verteretur in alimoniam. Hancque ideam vocat anatomiam effatam, eamque arte viſibilem jactitat. Arbitror in eodem pane ſic una fore, ideam paſſeris, carpionis, ſuis, bovis, canis, equi, ſimiæ, &c. Quæ ideæ penetrarent humanam in eadem buccella panis, adeo ut Paracelſus non oſtenderet ideam humanam ſemper, quin ſubindè ſuillam offerret: niſi ſpiritualis ſeparator adeſſet, qui ideas cæteras ab humana quoties vult, removeret, qui nempe ſe viſibilem in idea humana, quibus vult,patefacit. Apage cum ſeriis nugis in Medendo. Porro faba ſata ſub lucem mox prodit faba, nec amiſit partes heterogeneas in radicem, caulem, germen & folia propagandas. Sed dato quod in rerum ſeminibus fieret ſeparato, juxta conſtituendarum partium varietates, quanto ergo curioſius Archeus invigilavit ſeparandis Tartaris è cibo?

14 Verumtamen ſi detur Tartarus aliquis in cibo, ille ſanè nunquam in venas intromittetur, niſi dum in verum chylum fuerit converſus, Id eſt, Poſtquam deſierit eſſe Tartarus. Ideoque ſublata coagulatione non eſt amplius materia tartarea: alioqui totus univerſus nil niſi Tartarus eſſet.

15 Adoleſcens enim quidam nobiſcum Caleto ſolvens, dies octodecim integros navigavit Bilbaum uſque, atque indies non minus edebat quantum ſex diebus in terra comediſſet: ſemel autem nono, atque iterum decimo octavo, ad exonerandam alvum ſeceſſit: excrementum autem vix ſuperabat duorum ovorum magnitudinem. Vnde infero tantum ciborum molem mutatam, & conſumtam in ſuccum: Mox alendo difflabilem. Si itaque cibi, Tartarum continerent, nec adoleſcens ille hunc excerneret, neceſſariò ægrotaſſet: cum nimirum Tartarus non digeratur aut vertatur in bonum ſanguinem: ſed prorſus juxta leges Tartari, in venas raptus coagulari debuiſſet: attamen deinde ſupra quadriennium ſanus vixit. Concidunt igitur tartareæ nugæ. Iterum. Vir diuturniore morbo non parùm emaciatus convaluit: non potuit autem à multo cibo abſtinere, quod valdè famelicus eſſet! nec tamen ſexageſimam ſumti cibi partem dejecit per inteſtina. Ita ut quicquid pridem per excrementa ſolet dejicere: tum ſibi in carnem reſarciebat: Sic namque robuſtior ſtomachus duriores etiam cibos facile coquit, abſque no-

cumento aut Tartari memoria, quos tamen ſeipſo pridem factus ignavior foras, ut verum excrementum ſecernit Archeus ſcilicet, quandoque intus luxuriat, dum nimis ſibi volupe corrumpit ſuperflua, quæ aliàs ſibi ſunt innoxia, atque proſcribit, quicquid ſibi placet minus, licet enchymum. Nam quicquid ſuperare non vult, non id intentat, non aggreditur: ſed à ſe repellit & condemnat. Quantum autem non reſolvit, ſpecie liquoris diaphani: ſed turbidum, vel colore imbutum relinquit: id totum ut inutile decurrere deſinit. Plenè autem reſolutum, ſibi idoneum eligit, retinet, ac conformitate adaptat, intrò trahit, peneſque ſe hoſpitat, omnis tum coaguli propenſione exutum, eamque non niſi à membrorum alendorum Archeo mutuat. Quantum autem Archeus ſemel ſpreverit, aut eſt recrementum in ſe ipſo, aut tale evadit mox, propter repulſam. Quicquid verò ſemel repulerit, id poſtmodum nunquam aſſumtum iri ſperet. Patet igitur, ſi cibi non in bonum cruorem mutentur, id digeſtionis vitio; non autem alicujus Tartari ergo, evenire. Tardior, namque ac delicatior digeſtio, quæque multo velut mangonio nauſeat, parum ſibi ab euchymo cibo multo, reſervat: reliquum verò, non ſecus ac proprio indignata torpore exterrita per affluentiam contemnit. Memini enim gallum furfure triticeo ſaturatum, excreviſſe furfures integros, abſque farinæ flore, mox autem fame preſſum, egeſtos furfures iteratò comediſſe, & in ſecundo fimo, omnem furfurem,
16 in liquidum excrementum rediiſſe. Vndè didici, ſi quicquam inter excrementa appareat minus comminutum, aut mutatum: id non eſſe vitio Tartari, ſed digeſtivæ errore. Quocirca etiam conjeci, virilem ætatem minus lumbricis obnoxiam, quàm ſit ſenilis aut puerilis. Vnicus enim panis, in hoc, totus ferè reducitur in cruorem, qui in illo in excrementum cedit. Cruor item fit os, caro, jecur, cartilago,
17 &c. Variaſque ſubit indurationes, non Tartari ergo: ſed tranſmutativæ virtutis Archei. Finaliter igitur nullum Tartarum in cibis admittere cogimur aut poſſumus. Paracelſum enim decepit, quod cerneret ſubflavum lapidem dentibus adnaſci, qui quanquam nec alibi in corpore, neque foris in mundo ſibi parem haberet; quia tamen calculo veſicæ in duritie quodammodò reſponderet, temerè affirmavit hunc dentium lapidem, eſſe ciborum Tartarum. Duriorem inſuper, quo propinquior cibis & ori eſſet: denique putans, nil cibalis tartari ad veſicam pertingere, dixit, renum, & veſicæ calculos, tantum eſſe tartaros potuum, non ciborum. Ejuſque apprimè proprietatis, ut durior eſſet, quo longius ab ore pergeret. Commentum ſanè facetum, quod etiam eo durius 18
illi impoſuit, quo diutius in eo perſeveravit. Nam patefecit in eo, ſe nec tartari, nec calculorum, imo neque lapidis dentalis originem materiamque ſciviſſe. Ideoque & perperam tartarum, in morborum quorumvis genitorem attuliſſe. Quæ ſanè heic largius explicanda ſunt. Inprimis ergo ſupponam; cereviſiam ex optima 19
ſaluberrimaque aqua, (puta pluviali, & ab omni tartari ſuſpicione defæcata) & gravis, fieri ac bibi à calculoſo ſive in Lithiaſin prono, non utique tamen proinde hic erit à calculo immunis, eò quod ſuus potus non habeat niſi materiam cibalem, non autem tartarum potuum. Quocirca ſi Paracelſus fabulas non dictavit, nunquam illa cereviſia ſuppeditaret materiam calculo. Imo Tartarus (quem fingit) in granis cerealibus, amitteret ſuam proprietatem cibalem, coagulandi ſe procul, & aſſumeret proprietatem tartari potus, ſola ſui coctione. Et per conſequens, idem accideret pani ignem experto, ut & cibis reliquis, eſſetque regula præfata Paracelſi dumtaxat pro cibis crudis, Adeo ut qui ſolis coctis veſcitur, non eſſet aptus pro lapide dentali. Quaſi qui bibit aquam puram diſtillatam, non eſſet ſubnoxius calculo! Quod, de Imp. Frederico tartarum horrente, ipſe Paracelſus negat: vultque & aqua pura, coctaque potos, tartaris ſubnoxios, eo quod aqua bullita ſemel facilè putreſcat. Putredo ergo, cujus ratione Tartari fatiſcunt, jam Tartari mater fiet, quæ unica aliàs ſolet coagulatorum eſſe inimica. Quaſi verò decocta ſive juſcula carnium, aut non eſſent putredini obnoxia! aut inſalubria quatenus bullita! aut Tartarus in aquis non coctis balſami loco eſſet. Cur ergo Paracelſus præſervativa præſcribit, paſtu ſingulo maſticanda, ne tartareſcat potus, ſi hic amiſerit Tartarum per ebullitionem? vel ſi per ebullitionem, aqua nil paſſa fuerit, cur illam ait inſalubrem, cito putreſcibilem, & anhelitus fœtentis cauſam? Quod ſi lotium fiat è potu, ciborum miſtione ſaturato; quomodo ergo vult calculos renum, & veſicæ, ex ſolo potuum tartaro, non item & ex promiſcuo tartaro cibali? An fortè dicere intendit, neminem mejere cibos ſolidos? At ſtultum id, ſi ſeriò dicatur. Si verò, illam eſſe velit potui proprietatem, ut Tartarum, eò duriorem efficiat, quò longius delatus fuerit.

Atqui ſaltem tum malè contra ciborum Tartaros diſtinguet Tartarum potuum. Cum cibalis, æquè benè immiſceretur, atqui innati potibus Tartari, ſi qui eſſent. Quid enim iter aut mora darent Tartaro potus? aut quid hic acquiret decurrendo pro ſui induratione? Siquidem calculus non à calore, curſu aut digeſtione coagulatur (ut ſuo loco patefiet) ſed à ſeminali radice, interni ſui coaguli. Neceſſe ergo eſſet, quod Tartarus, minus exquiſitè cibis, quàm potui inhæreret: Inprimis huic contradicit cereviſia, quæ etſi aqua conſtet, non Tartaroſa: tamen non minus calculos, & lapidem dentium gignit, quàm aqua ſimplex. Secundò contradicunt aquæ, quæ cadendo, mox ad obvia quæque lapideſcunt, eoque minus, quò longius, à ſui ſcaturigine deflexerint. Quapropter cum ſub digeſtione, contingant recrementorum ſeparationes, quæ digeſtio deeſt fluenti aquæ: potus certè ſub primo digeſtionis examine, omnem exuret calculum, longeque duriſſimum atque ſinceriſſimum. Ac nimium laxè Tartarus in cibis appenderet, qui ſola maſticatione, quamprimum dentibus ſe affigeret, ſeque è cibis ſegregaret, in quibus per tot annorum circulos, & formarum (in plantis, belluis, lacte, &c.) metamorphoſes, clanculum delituiſſet
20 antea. Sed ſodes, quænam vis ſeparatrix ineſt dentibus, quæ nuda molari contritione ciborum, nedum Tartarum in ſanis deſumeret extra cibos: ſed & ſimul groſſum à ſubtili & durum à minus ſolidè indurabili ſit ſegregando? Quod ſi hoc non evenit, partium tartarearum ſequeſtratione & electione: ergo totus cibus ejuſdem eſſet conditionis, & quicquid ciborum eſt, id totum adæquatè eſſet tartareum. Hactenus ergo Deus fecit mortem, & non omnia quæcunque vidit, erant bona, ſi omnes cibi Tartari & excrementa ſint. Quare ſaltem ollæ culinariæ non affigunt dentalem tartarum, ad craſſitudinem aliquot digitorum? dumque fœtidum atque olidum pro more dentium? Quomodo enim Tartarus ciborum, ſolo morſu à cibis ſeparatus, poterit affigi mordendo, ſi dentes mordendo ſeſe abſtergant & madent? Imo Tartarus iſte omnium dentibus æqualiter abſque exceptione adnaſceretur, eò quod concurrant æqualiter omnia; dentes, nimirum, cibus & maſticatio. Atqui plures etiam incurri ſuos dentes ab iſto lapide immunes habent: Etenim præter Æthiopes, quorum gingivæ deſinunt in acutum cuſpidem ſuper dentem, hi inprimis non facilè lapidem dentibus affigunt. Contra verò, quibus gingivæ tument cruentæ in obtuſum finiunt, & malè dentibus aſſociantur, iis frequens coacervatur ejuſmodi lapis. Princeps Radzivilius narrat millenas mandibulas in Ægypto obſervaſſe cadaverum jam à bis mille annis balſamo mumiali conditorum. Et nullam reperiſſe, cui dens defecerit, carioſus aut denique ater eſſet. Ea eſt nempe climatis bonitas pro dentibus & nitore eorum: quæ ſanè luit aliunde. Quoniam ibidem vix tertius hominum caret lippitudine aut notabili oculorum vitio. Denique ſi dentium ea eſſet proprietas, ut Tartarum ejuſmodi à cibis ſegregaret. Iam omnium prorſus dentes æqualiter fœtido tartaro obſiti eſſent. Itemque ſi aliqua ſeries dentium concatenata, & manu detenta per cibos contuſos duceretur, vel cibi cum illa ſerie, velut piſtillo contunderentur, abluereturque ſeries tantundem, quantum unicus hauſtus, ex profeſſo ſumtus, nobis dentes eluit, non tamen unquam ullus lapis iſtis dentibus adnaſceretur, multoque minus, qui fœteret inſtar lapidis dentalis; quippe qui anhelitum cadaverizat. Febricitanti dein, quin quatriduo nil edit aut maſticat, non deeſt ſua proin dentibus mucilago tandem lapideſcens. Imo ipſi copioſior eſt, quàm benevalenti. Patet ergo quomodo mucilago lapideſcens, primùm circa radices dentium, qua extra gingivam emicant, non ſit Tartarus ciborum. Deinde quod merus potus etiam cauſaret in propinquo eandem duritiem, quam fingit propriam Tartaro ciborum. Alius demum edens nihil, bibenſque per cannam ob defectum oris, palati, linguæ, faucium &c. maſticans ergo nihil, adeoque nequicquam alimenti ſuis attingens dentibus: attamen quotidiè lapidem dentibus affigit, non alias, quàm comedens. Item à ſingulo paſtu, tametſi os atque dentes exquiſitè abluantur, tamen manè nova lapideſcens mucilago fœtenſque circa dentes verſatur, quæ ſaltem ex cibo remanſiſſe nequivit: quæque ſi Tartarus ciborum eſſet toties hic etiam diverſus eſſet, quot ſunt ciborum alteritates. Quem Carthuſiani eundem & æquè olidum habent, ac carnivori: Item qui ſimplici pane & pomis veſcuntur, non aliàs quàm qui caſeum ſaltem, atque panem edunt. Vel Hyberni illi, qui trifolio (quod Ciambroch vocant) loco panis & aqua vivunt, cum Norwegiis, crudo ſiccatoque piſce contentis. In eodem lapide conveniunt omnes. Exceptis paucis felicioris diſpoſitionis.
21 Frivolum ergo inventionem Tartari pro morbis fundaſſe ex Tartaro ciborum, pro-

pter lapidem odontalem. Qui certe inprimis
non ex microcoſmica ſomniata proprietate defluxit,
quod Macrocoſmus nuſpiam fœtentem
lapidem ſuis maſticando dentibus adfixerit. Si
itaq; non ex Tartaro ciborum lapis ſit, nec certè
etiam ex Tartaro potuum erit, quippe qui rarò
dentes attingit, celeriter transfluit citiuſque
Tartarum eundem ablueret quàm apponeret.
Dicam ergo unde Lithodontos materiam & efficientem
habeat. Vtpote exinde adhuc conſtabit
22 rationes Tartari eſſe vanas. Indubium eſt
ergo linguam tunica fimbrioſa, inſtar Holoſerici
veſtitam eſſe; & ſi quid de cibo aut potu in
ore commaduerit, hoc intra fimbrias iſtas obtineri
donec eodem madore ſint repletæ. Non eſt
attamen iſtud ciborum ullus, aut potuum Tartarus,
tanquam eſſet ſeparatum coagulabile, à
non coagulabili: ſed eſt tota in ſolidum ſubſtantia
cibi, quæ per ſalivam forte commaduit,
detentaque eſt intra iſtud holoſericum. Quinimo
deraſa iſta ſorde, abs lingua non acquirit
tamen duritiem lapidis dentalis, quocunque
demum tepore areſcat. Fœtet quidem nec tamen
omnino pro odore cadaveroſo lapidis dentalis.
Nam ſi mox à paſtu, lingua abradatur ſcalpro,
vel duriore fricetur linteo: manè quidem
minus mucilaginis, iterum abrades: ſed non
proinde minus olidæ. Simile invenies de dentibus.
Intellige ergò hanc linguæ ſaburram, non
ex ſolis cibis, ſed ex ſaliva, linguæque recremento
naſci. Si enim cavo dentis detentus cibus,
idem cujus recrementum in linguæ tunica eſt
imbibitum, pernoctaverit: fœtidiorem longè
halitum exſpiravit, quàm præfata linguæ abraſa
mucilago. Sic quoque inter gingivas & maxillam,
utut à cœna os ablueris, ſingulo mane, alba
quædam mucilago coacervatur, quæ inde
per linteum abſterſa, & aſſiccata, olet proprio
fœtore. Obliquè ergo transeundo, annotabo,
hanc linguæ mucilaginem, potiſſimum eſſe cauſam,
difficultatem in faucibus orientium, conſequenter
quoque, hiſce malis, ſubnoxios, ſe liberaſſe
frequenti ſcalpro, ut à ſingulo paſtu videlicet
atque mane linguam ſcabant. Partes ſiquidem
teneræ atque vicinæ hanc horrentes
mucilaginem dum putret, excandeſcunt, horrido
ſibi contagio, ideo phlogoſin tenuem accendunt,
ob præſentiam ſibi hoſpitis exotici. Non
eſt autem dentalis ille lapis, filius ſalivæ, aut ciborum:
cum neutra, nequidem utraque ſimul,
unquam queant coagulari, in ejuſmodi duritiem,
multoque minus in odorem adeo putidum,
infectantem decies millies quotidie, totam
oris putidique anhelitus auram. Dudum
mecum admiratus, generationem tam frequentem,
olidam manifeſtam per tot ſecula &
virorum ingenia ignotam manſiſſe. Pavens itaque
ingemui, quid ergo circa abſtruſiora, à
Scholis actum eſſet! Dicam quid me rerum
Magiſtra docuerit: In ore, nil verſatur præter
ſalivam, cibum & potum. Dentalis autem lapis 23
ex nullo horum eſt; ſed primo ortu eſt albæ
muccaginis inſtar, quæ cras flaveſcit pallida:
inde tandem in duritiem lapidis veſicæ accreſcit
dentibus, à quorum gingivis incipit lutea,
& in dente non rarò nigris maculis manifeſta,
imo & carioſum atque nigrum dentem efficit
Adeo quod totius corporis duriſſimum, atque
ſicciſſimum (id eſt dens) citiſſimè etiam putreat.
Cognovi quidem, quod ciborum ac ſalivæ
mucilago concreſceret: at nunquam in
lapidis conſiſtentiam. Notandum ea propter 24
dentem, nedum in ſui fundo ſive radice nutriri:
ſed etiam lateraliter, ex ipſis gingivis.
Teſtes ſunt ipſæ gingivæ cruentæ, vel minus
ſanæ, dentibus non aptè cohærentes, quod
caveas ſive foſſulas, ad dentem malè nutritum,
abinde ab ſuæ indiſpoſitionis exordio,
relinquant, dentemque nigrore, extravenati
ſui cruoris tingant. Tum poſtremo etiam, quod
dens, ſubter gingivam, acutiſſimi ſit ſenſus,
quo extra eam caret. In tanta ergo ſenſus vivacitate,
dens vivit, ideoque & nutritur. Excrementum
itaque gingivarum, ut erat ex
præparato cruore, pro nutritione dentis; ita
quoque aliqualem ſuſcepit determinationem
ſive potentiam dentalis duritiei. Quod ſanè
dentium excrementum, ubi muccaginem ciborum
& potuum combibit, mox quoque feſtinat
indureſcere ad deſtinatam duritiem.
Quod enim libro de Lithiaſi, de ſemine petroſo,
adeoque de petreſcentia, ſive modo
fiendi in lapidibus dixi: Id quoque non incongruè
denti, pro fabrica lapidis dentalis, totaliter
convenit. Semel enim ſigillum coaguli
ſemenque lapideſcentiæ pro dente ſuſcepit,
quod etſi recrementum jam factum eſſet, adhuc
retinuit: non quidem ut Tartarus proinde
eſſet; ſed à determinatione Archei, qua
jam ad dentificationem deſtinatum fuerat. Cuſpidalis
gingiva autem optimæ ſanitatis ibidem
ſignum eſt, ac ideò vix dentalem lapidem
creat. Etenim uſque in ſui finem denti contigua
gingiva non admittit dentem parere excrementa,
ſed dentem conſervat. Prout detectus
gingivis dens facile dolet, putret &

lapidem affigit. Oculi enim ichor plorant,
quod manè in palpebris ſuccinum refert,quod-
que hactenus Germanis *Augſtein* per ſimilitu-
dinem dicitur. Aurium verò excrementum
inſtar flavi unguenti nervorum punctionis ma-
gnum ſolamen. Non ergo inſolitum eſt, den-
tes proferre excrementum hocque olidum è
putido cruore reſolutum cadaver. Siccatur
namque muccago è cibis linguæ impacta, nec
petreſcit niſi admiſta fuerit excremento, quod
inter dentem & gingivam inſenſiliter prorum-
pit. Id enim ut eſt dentis excrementum, duri-
tiei determinationem hauſit ab initio. Adeo-
que cruſtæ lapideæ ſpecie illudit denti adna-
tum. Obſervavi quoque dentem accreſcere uſ-
que in annum quadrageſimum vera accretione.
Nam qui oppoſitus eſt denti evulſo attritionis
penuria ſuam ſeriem ſuperat, ac in oppoſitam
intrat, uſque in præfatum terminum. Dens
igitur, poſtquam creſcere deſinit, vix indigus
alimento, vel pauculo (eo quod ſit ſubſtantia
vix difflabilis) tum ergo gingiva pluris recre-
menti ferax eſt pluſculum alimenti rapit,cruen-
ta fit, tumidaque mox minuitur, ac velut cario-
ſa evadit Hinc enim crebra Odontalgia,caries,
cavitas atque putredo, præcipuè quibus in ju-
ventute mox tempeſtivè accretionem ſuſpen-
dunt. Dentes ergò, ut peculiari vivunt œcono-
mia, ita & ſuas habent ætates, quas ſic notanter
25 diſtinguo. Dens enim qui poſt octennium ho-
minis candorem vitri opaci, (quod à colore la-
ctis, *Lattimo* Artifices vocant) vel lapidis lima-
cis refert, adoleſcens eſt. Splendidus & politus
eſt color albus. Deinde ſenſim palleſcit: mox
dein ſurdè albeſcit, tanquam ebur. Iuventus
eſt dentis. Tum poſtea obſcurè pallet, ut in
ſyncopizatis & defunctis virginibus ſpectatur.
Eſtque ejus ætas virilis. Atque tandem pallidè
flaveſcit, oſſis inſtar priſtinumque amittit nito-
rem. Senilis tum ætas dentis incipit. Quantum
enim diſtat cartilago à membrana,unguis à cor-
nu tantundem quoque dens ab oſſe differt: fre-
quens autem eſt odontalgia,dum decreſcit gin-
giva,& dens oſſicolor eſt. Poſtremò autem dens
carioſus, cavus, niger, verminoſus & olidus eſt
ætas caduca dentis. Proinde frigidum denti-
26 bus hoſtile. Nam ſenium eorum accelerat. Pi-
lorum canities ſenium eorundem arguit, etiam
præter hominis ſenectutem, unuſque pilorum,
dudum ante alium caneſcit. Sic & ſeneſcit den-
tium unus præ alio. Vnde conſpicuum eſt.
Dentium unumquemque propria vivere qua-
dra.Auſtrales borealibus dentes habent nitidio-
res: fruuntur quippe aëre dentibus benigniore.
Puerorum dentes ante ſeptennium facile ca-
riem ſentiunt, quia à ſuccreſcente alio propul-
ſantur, è fovea alimento privantur, & excre-
mento dentali onerantur. Iuxta tæſionem ergò
gingivarum dentium tæſio; ab excrementi
nempe pluralitate & feritate eſt æſtimanda.
Non ſecus atque cerebrum oblæſum plurimum
mucci & quævis alia pars incommodata, ſordes
multas accumulat: ſic dentes horumque nutri-
ces partes, ſi ſint oblæſæ, non modicum lapi-
deſcentis, ac putidi recrementi obtrudunt.
Quia verò iſtud excrementum non eſt tam ci-
borum exuvium, quàm humanum excremen-
tum: Ideo omnibus nationibus peræquè puti-
dus lapis dentalis. Qui Paracelſum circumve-
nit, Tartarique ſuſpicionem in nobis auxit.
Hinc igitur manifeſtum, cur ex eadem urina 27
idem lapis in renibus primum friabilis concre-
ſcat; & in veſica deinde longè duriſſimus. Non
quidem quod in urina ſit Tartarus,qui quò lon-
gius delabitur,eò ſit durior. Puerile iſtud eſt. At
ſanè quilibet ſuccus petrificabilis ſuam habet
determinatam & non alienam duritiem, ex vi
ſeminis proprii. Hic enim,ſæpè miſtus rei non
petreſcenti,in immenſum dureſcit. Puta. Farina
ſecalitia, non lapideſcit: ſed tandem reſoluta in
fimum, cariem aut vermem fatiſcit. Veruntа-
men ſi calci,quæ ſuæ eſt arenæ conjungata, jun-
gatur, lapideum, & non periturum cæmentum
præbet. Sic pariter veſica, ſub calculo hoſpite,
plorans ſui alimenti muccaginem,eamque lapi-
difico lotii ſucco commiſcet, durum dat veſicæ
calculum, longè à renum lithiaſi ſecretum.
Quapropter & renes diutino calculo vexati,non 28
amplius ſubrufum & ſabuloſum calculum pro-
ferunt: ſed ſubalbidum atq; durum.Cum nem-
pe abſumta renum parenchymatis ſuperficie,
partes fibroſæ & ſtamina ſpermatica,conſimilem
albam muccaginem, de ſucco ſpermatico ali-
mentario ſuppeditant. In quo non minus erra-
tum hactenus, quàm ſi farinam ſecalitiam per
ſe lapideam dixeris. Quæ ab adjuncto mutuat,
quod ex ſe non habebat. Mucilago ergo in cal-
culo non pituita eſt; ſed alimentum ſpermati-
cum,ſub onere ſecretum, non per ſe petrificabi-
le: at ſolum ex adjuncto. Sic nempe cauſas per
ſe, à cauſis per accidens, ſufficientes à coadju-
vantibus,primitivas à tranſplantatis diſtinguen-
do, devenitur ad cognitionem rei. Plerumque 29
enim Paracelſus, corporum duritiem fictis Tar-
taris adſcribit,alibi verò duritiem omnem ex ſa-
le eſſe,ſive ex uno de tribus. Vtrumque ſimul ut

ſtare nequit (cum unum de tribus primis non ſubſiſtat ut initium, nec abſque igne. Etiam ſi ſubſiſteret, differret à Tartaro, tanquam cauſa principians materialis, ab effectu formali, ita neutrum verum eſſe, jam ſat ſuperque probavi. Neſcitum eſt enim hactenus, omnia corpora 30 materialiter ex ſola aqua eſſe. Viderat quidem Paracelſus metalla, & ligna lapideſcere, & immediatè in ſalem reduci: Neſcivit tamen duritiem rerum, ut & earundem ſoliditatum compactionem, atque pondus, non eſſe ex natura edoctorum principiorum (quippe quæ ſunt non entia demonſtrata in natura principiandi) ut neque ex virtute elementaliter materiali: ſed ex ſola ſeminum deſtinatione. Duo colligo ergo. Vnum, quod ſibi ſit inconſtans Paracelſus de coagulo corporum & Tartaris. Alterum verò, quod axioma Ariſtotelis cadat. Nec perpetuò verum: *Propter quod unumquodque eſt tale, illud ipſum eſſe magis tale.* Non enim etſi durities proveniat è ſemine, & deſtinationibus ejus, ſemina proinde duriora eſſe debeant, rebus conſtitutis. Non enim Archeus, qui oſſa ad ſui duritiem diſponit, oſſibus proinde durior eſt; Imo nec media ad finem directa duriora, ſolidiora, aut compactiora ſunt rebus conſtitutis. Ariſtoteles enim proclivis in axiomata, ab artificialibus, traduxit ſuas experientias, in naturam. Proinde in natura ubique lapſus eſt, quia totus naturæ ignarus, miſer rixatur.

TARTARVS NON IN POTV.

1. *ALiquot ſuppoſitiones anteà probata.* 2. *Rebus conſtitutis non ineſſe Tartaros.* 3. *Tres Monarchia rerum, unde lapis triplex.* 4. *Longè diſtat à Tartaro vini.* 5. *Duelech ex errore: non autem ex intentione natura fit.* 6. *Non valet argumentum à ſimili.* 7. *Argumenta aliquot tollentia Tartarum è potu.* 8. *Argumentum oppoſitum.* 9. *Inadvertentia Scholarum.* 10. *Hiſtoria dua.* 11. *Iactantia Paracelſi.* 12. *Struma non ex Tartaro.* 13. *Vinum inſons Tartari humani.* 14. *An aqua petroſa contineant Tartarum.* 15. *Vnde ſtruma in collo humano, & non brutorum.* 16. *Remedium contra ſtrumas.* 17. *Remedium contra Scirrhos & Botia.* 18. *Praoccupatio.* 19. *Diſtinctio per axioma.*

QVæcunque tollunt Tartarum è cibis, ſint præmiſſarum inſtar, hoc 1 loco. Sed cum aquæ immediatè lapideſcant, fortiori ariete, propoſitio confirmanda eſt. Inprimis docui, quod omnis lapis ſit immediatè filius aquæ, non autem Tartari. Deindè, quod cujuslibet corporis concretio ſit ex ſemine, non autem ex lege Tartari. Tertiò, quod concretio deſtinata à ſemine ſit à naturæ integritate, adeoque ex dono creationis; non autem ex Tartaro, qui juxta Paracelſum nil niſi rei 2 excrementum eſt. Productum autem naturale eſt ex matre materia, non autem noverca: ac deinde ex ſeminali ſive efficiente initio, cui inſunt à Creatione omnes typi, Ideæ & ſcientiæ rerum agendarum. Tandem quod à Creatione, non inſint rebus typi Tartarorum, in noſtri perniciem conditi, ut neque medicamentum exterminii in terra. Quid ergò ad Tartari naturam, in morbos introducendam facit, quod lapis ſit fructus aquæ, ſi lapidi non inſit conditio Tartari? Vel quod Tartarus ſit fructus vini, ſi nil tale in rebus aliis. Quid enim præjudicat naturæ, ſi phantaſia lapidem aut calculum nomine deludens, vocaverit Tartarum? ſatiſque impotenter ac ſine probatione affirmet, lapides & omne corpus ſolidum, cum Tartaro vini, in omni proprietate ſimul convenire? ſiquidem iſta ſua aſſertio gratis eſt, abſque veritate & probabilitate. Calculus namque in nobis, alio ſemine medio atque progreſſu generatur, quàm Tartarus è vino, aut lapis ex aqua. 3 Tres videlicet in univerſo, ſunt corporum Monarchiæ: Animalis, vegetabilis & mineralis. Lapis ideò triplex eſt, totaque Monarchia diſtinctus. Differt namque ſaxum, à capſa nuclei meſpilorum, perſicorum, &c. & utrumque iterum à lapide cancrorum, bezoar, limacum, piſcium, calculo humano, &c. 4 Tres iſti lapides longè iterum ſimul diſtant, à tartaro vini, qui non inter lapides eſt reponendus, cum ſit liquor ſalis concretus. Minerale enim, vel ſaxum eſt, quod in calcem verti poteſt: vel lapis, qui non calcinatur, ut gemmæ, marmora, ſilices. Vtrumque autem unico nomine petræ nunc concluditur. Vegetabilis verò lapis, cum ſit cremabilis, ut gagates alioquin & petræ minerales ſulfuroſæ, potius nodoſum lignum eſt, quàm petra. Animalis autem petra eſt potius ſaxeum os, (quia partim crematur) quàm petra. Ad diſtinctionem quoque calculi humani à cæteris, ille à Paracelſo Duelech vocatur. Eò quod petræ, tam minerales, quàm vegetabiles, ſint fructus naturales, neceſſarii, ac primæ intentionis in creando. Solum autem Duelech morbus eſt, monſtroque ſimile. In cæ-

teris verò animantatis, deſtinationem proficuam
5 lapis obtinuit. Vnde palam fit,licet aquæ
petram gignant; non tamen proinde eſſentiam,
ſemen modumque generationis, è Tartaro vini
ſequantur. Duelech enim, poſt peccatum excremento
morboſo; non autem intentione naturæ,
neque ex materia petroſa aut tartaroſa:
ſed per accidens, errore videlicet facultatis,
morboſum ſemen naſcitur, neceſſitate agentis
connexi. Quare non admitto Tartarum potius
in potu, quàm in cibo: ſin autem ſit potentialiter
in vino, id neceſſitate connexi, & per accidens
fit,nec locum nec vires agendi,aut actuandi
in nobis habere poteſt, ut à poteſtate videlicet,
6 Tartarus potentialis, in nobis actuetur: adeoque
non admitto tartaream in potu generationem,
à Deo deſtinatam in noſtri interitum:
quid enim ſi oſſa reperiantur in carne, & petræ
mineralis ſemina in aquis ſtabiliantur, an proinde
oſſium ſemen, & proxima materia erunt
in fontibus? aut petræ minerales ſemen,& proxima
7 materia, in carne, aut cruore? Si non in
cruore, ergò neque in potu & cibo. Non eſt
enim mors, opus manuum Dei. Viditque Deus
quæcunque fecerat erant bona, tam in ſua bonitatis
intentione, quàm in creaturæ eſſe. Igitur
nulla eſt in aquis materia, quæ ad Tartari
vel Duelech tragœdiam in nobis concitandam
ſit creata. Si quid porrò mali nunc ſit, aut fiat,
inter digeſtiones id ſanè non ex materiæ creatione,
deſtinatione, proprietate, efficiente &
intentione finali Creatoris: ſed noſtri prorſus
errore & naturæ corruptione defluit. Recepta
nimirum peregrinorum ſeminum importunitate,
defectuoſa altilium tranſmutatione aut
non ſat ſevera nocuorum expulſione, ejuſmodi
contingunt. Tartarus præexſiſtens, atque in
potu ſolutus, ſi eſſet, utique ſua deſtinatione in
nobis confeſtim putreſceret, ante digeſtiones,
putrefactiones & reſolutiones, neque coagulandi
conſilia exſpectaret, in ultimum urinæ
exitum. Idemque potius in omnibus æqualiter
lapideſceret. Veruntamen cum calculus non
ſuccreſcat in potu, ſed ſaltem in excrementis
per admiſſionem ſalis urinæ: aliorumque cooperantium
adjutorio (prout abundè libro de Lithiaſi)
præſumitur Duelech non ex præexſiſtente
Tartaro potus conſiſtere. Quod palam fit per
mechanicam ejus reſolutionem in igne. Diſtillatum
enim Duelech,clauſis & vitreis vaſis profert
oleum fœtidum, ſpiritum denique & cryſtallos
ſalis urinæ, qualia ex urina humana diſtillando
eliciuntur. Certum eſt namque, quod
ſtomachus, inteſtina, venæ, jecur, & renes non
generent Duelech ex natura ſui, multò minus
eundem continuant, multoque adhuc minus
ex præparato præexſiſtenteque in potibus Tartaro.
Alioqui namque omnes pariter, quæ urinam
humanam generant, & in quovis homine
abſque exceptione, non ſecus atque in cancris
abſque exceptione lapilli creſcunt, Duelech
procrearent. Sed Duelech petreſcit ex ſemine,
tandem in lotio, per materiæ tranſmutationem
generato. Id ſemen adeo validum eſt,ut quamvis
calculoſus non bibat niſi aquam diſtillatam,
non proindè ceſſaret Duelech generare. At ajunt. 8
Vina rubea, plurimum ſabuli in calculoſis
generant, ergo Tartarum arenoſum continent.
Ego inde inferrem. Si Tartarum arenoſum
continent, ergo nedum in calculoſis,ſed in
omnibus prorſus ſabulum proderent: Atqui
cum tantùm id contingat in defectuoſis, hinc
palam fit, quod non materia tenus; ſed aliunde
ſabulum fiat. Siquidem defectuoſorum ſtomachus
ſepararet arenas, antequam ad renes pervenirent.
Ignorantia Scholarum exhinc nata 9
eſt, quod neſciant, aut non perpendant, multa
per tranſmutationem fieri, quæ nullatenus materialiter
inerant. Siquidem non niſi ridiculus
dixerit, oſſa ineſſe gramini. Ceſſabit hæc diſputatio,
dum oſtendero Duelech formari è rebus,
longè à coagulatione alienis; Nec ſequitur enim,
Quædam vina plus ſpiritus urinæ, vel terræ
volatilis continent: ergo continent Tartarum
lapidem, vel ergo Tartarus vini generat
materialiter per ſui ſeparationem humanum
Duelech. Zingiber profert multum ſudoris:
ergo zingiber continet plurimum ſudorem materialiter.
Scholæ enim ruſtico more de rebus
naturæ judicium ferunt,Ignorantes,quod multa
fiant opera efficientis tranſmutationem, ſemine
inquam coagulantis, & inter tranſmutandum
operantis. Quæ neutiquam materiæ debentur;
nec illarum caloribus,fictiſque elementorum
congreſſibus. Vidi enim duos gemellos, 10
eadem quoque nutrice, ac cibis educatos,
quorum major calculoſus,non item minor erat.
Lac namque non plus Tartari pro uno, quàm
pro altero continebat. Item puer cujuſdam Præſidis,
parente utroque incolume editus,quatuor
præ ſe fratres ac ſorores tres ſanas habebat? ſolo
autem trimeſtri à calculoſa nutrice alitus, ſemel
ſeptennis, dein iterum decennis, & tertio binis
annis pòſt, lithotomum toleravit. Ac ultima
vice ſub novacula exſpiravit. Saltem hæ duæ
hiſtoriæ non ex Tartari peregrini adventu eve-

11 nere. Cum ergo non ſit materia in aſſumtis
exſiſtentia, veritas, cognitio, neceſſitas, aut
conſequentia; quæ Tartaro quadrare poſſint:
ſtentoriè nimis à Paracelſo gloriatum eſt, ſe
omnem morborum cauſam primum inveniſſe,
Monarcham arcanorum atque medicinæ prin-
cipem, cæteroſque ignorantiæ hac ſua inven-
tione accuſaſſe. Quin etiam inſuper, ex Tar-
taris regionum, ſe depræhendere, quibus mor-
bis incolæ ſint ſubnoxii. Etenim ſi Tartarus,
neque ex creatione, neque ex maledictione
fuerit unquam, qui ſit morborum origo: fri-
volum ſanè, ſe eundem inveſtigaſſe diſtillan-
do, & reperiſſe, quod nunquam fuit. Viderat
nempe ſaxa, in aquarum fundo generari. In Sti-
ria quoque, Sabaudia, Valeſia, ſtrumas horribi-
les, miſerando ſpectaculo, humanam ſpeciem
deformare. Deceptuſque hinc concluſit, ex
Tartaro aquarum, calculos, ſtrumas, & conſe-
quenter omne oppilans, eſſe. Malè enim, atque
in ſequacium perniciem, neſcivit, cuncta ex
agentibus ſeminalibus oriri, iiſque datum, ma-
terias ſibi ſubſtratas traducere, juxta ſeminum
deſtinationes, ac fines. Enimverò tametſi po-
tus aliquis, nocentior ſit calculoſis: ille tamen
nec Tartarus eſt, nec hinc continet, nec Tarta-
ri formæ quippiam condenſatur in Duelech
(ut ſuo loco docui) ſed eſt opus operantis ad
petram vel bolum, quicquid actuali ſemine
12 aquis ineſt. In vino autem ſi quid ſit, ad fæcem
erit per ſe, ad Tartarum verò per accidens; non
autem ad Duelech. Fruſtra enim aquas diſtil-
lando interrogabis, an potentialiter fiant pe-
tra. Id namque ſine labore, & expenſis, docent
flumina, & fontes. Ex vino autem nunquam
petra, Tartarus, multoque minus Duelech fit.
Nec fæcum etiam pluralitas Tartarum accu-
ſabit. Vt nec calculum. Quia Duelech eſt al-
terius familiæ, quàm Tartarus. Hinc quo vina
Tartaro ditiora ſunt, eo ſaniora contrà Due-
lech eſſe deberent, ſi Tartarus alioquin abſter-
13 gendis ſordibus propinetur. Aſſentior qui-
dem, petroſas aquas eſſe agreſtis indolis, con-
ditionis mineralis, & factrices indigeſtionum,
quatenus aliena continent. At non proinde
materialiter Duelech continent in ſe, quan-
quam occaſionaliter deſtruant digeſtionem, im-
primant petroſam vitam mediam, unde ho-
minis vegetatrix enervata ſylveſtrem illam in-
duit inclinationem. Atque iſtud nil pro Au-
thore Tartarorum facit. Longè ſiquidem aliud
eſt, calculoſum fieri occaſionaliter, ex vi petrifi-
ca vitæ mediæ rerum in Archeum introducta
impreſſionaliter & ſigillariter: & calculoſum
fieri ex Tartaro liquato, & reſoluto in aquis,
qui tandem dierum periodo priſtinam reaſſu-
mat in potante coagulationem. Hoc namque
poſterius in natura nego: prius verò, inter ordi-
naria aſſero. Quantum autem Strumas, ſive 14
Botia attinet, plerique ex mineralibus aquis po-
tis, Paracelſus quoque uſu cachimialium aqua-
rum provenire putant. Ego verò optarem juxta
ſuam viri doctrinam, per ignem iſtas cachi-
mias in aquis oſtendat, quibus proprium ſit,
duntaxat in ultima noſtri digeſtione, nec alibi
quàm circa jugulum coagulari. Scio autem ſe
nunquam inventurum in aquis ejuſmodi Tar-
tarum. Ergo propria lege damnetur. Qua ca-
vet nemini credendum, niſi quantum per
ignem demonſtrare id valeat. Fateor quidem
aquæ ineſſe vitam mediam, cui ſit proprium
Archeum excitare, & inficere in commutatio-
ne boni alimenti, (non autem Tartari peregri-
ni illi inexſiſtentis materialiter) in duritiem
petroſam. Ad ſtrumas autem requiritur ma-
teria, quæ proprietate ſui Archei, nata ſit præ-
cludere nobis fauces, ac quaſi præfocare, id-
que citra guſtum adſtrictionis aut terreſtris
acerbitatis, (nam aliàs guſtus hic, hærens in
ſinu materiæ, prima digeſtione maturatus, in-
terit) tranſmutataque in alimentum, retinenſ-
que priſtinas vires vitæ mediæ, perfungitur
ſua poteſtate, circa guttur magis, quàm alibi.
Quæ poteſtas jure ſibi hæreditario in alimen-
tis, & hinc in cruore relicta, convertit proxi-
mum ſolidorum alimentum in petroſum ex-
crementum, quod directoris facultate ſtran-
gulante ad guttur concedit. Idque trutinans
Seduni, reperi fungos præfato præfocandi ve-
neno pollere: illoſque frequentes è radice La-
ricis, Abietis & Pinorum, in rupibus ad ſe-
ptentrionem declivibus ſuccreſcere, ubi niger
Agaricus, ejuſdem criminis hæres, in trunco
frequens. Didici ergò totum terræ Leffas, fun-
goſa indole, ibidem contaminari. Credidi ita-
que Strumas naſci uſu herbarum & aquarum,
quæ hujuſmodi Leffas imbiberunt. Porrò, quod
Archealis vitæ mediæ poteſtas in rebus gignat
ſtrumas, non autem redivivus Tartarus cachy-
mialis aquæ; res ipſa loquitur. Aliàs namque
non minus in abdomine & jecore, Struma, nec
ſegnius, quàm in gutture prodiret. Non enim
rivales aut cachymiales aquæ, guttur reſpiciunt,
aut tantam duritiem ſponderent. Nec ſanè li- 15
queſceret Struma, aſtrictivo terreſtrique reme-
dio, quo pluries unico menſe Strumas eva-
nuiſſe

nuiſſe prægrandes vidi, ac ſubitò præfocationem à venenoſo fungo illatam curari. Quod ſic habet: Recipe Spongiæ marinæ in carbonem combuſtæ uncias 3. Oſſis Sepiæ uſti, piperis longi, zingiberis, pyrethri, gallarum, ſalis gemmæ, calcis teſtarum ovorum an. unc. 1. miſce cum aqua ſtillata ex præfatis ſpongiis. Et exſiccetur paulatim. Accipe hujus pulveris ſemidrachmam, cum ſacchari ſemiuncia, decreſcente luna, ut paulatim liquatus deglutiatur. Vel fac Illinctum. Et Bocium diſparebit. Alii defectu ſpongiæ ſumebant piloſam excreſcentiam ſilveſtribus roſetis innaſcentem, exteriori cortici caſtaneæ perſimilem, hirtam hiſpidamque, cujus ſolius pulvere utebantur feliciter. Item uſus ſum unguine, in ſtrumis & ſcirrhis.
16 Olei laurini (non per axungiam ſuillam adulterati) unc. 8. Olibani, maſticis, gummi arabici, reſinæ abiegnæ an. uncias 3. diſtilla: tum iterum diſtilla cum cineribus clavellatis. Si ergo ſtruma, vel durus alibi ſcirrhus, ex Tartaro peregrino coaleſceret, calidis remediis magis indureſceret, nec tam facile liquaretur. Eſt itaque ſtruma defectus tranſmutatoris Archei & non coagulato Tartari: prout de Duelech clariùs & abundè demonſtravi. Archeus namque omnem ſibi ſubſtratam tranſmutat maſſam, niſi à vita media potentiore victus ceſſerit. Struma itaque eſt ex bono cruore, cui ſtrangulans poteſtas vitæ mediæ eſt relicta. Peritque Bocium, aſſumto remedio, quod petroſam materiam non eſt diſſolvendo, ſi ex Tartaro illuc traducto eſſet. Impoſſibile alioquin eſt prorſus, Tartarum (ſi quis foret) vitæ noſtræ ſpiraculum concipere, vividum fieri, membris coaptari, & ad ultimam digeſtionem intro admitti, fermentum ſanguinis concipere, difflari autem per inſenſilem tranſpirationem, ut & ſcirrhos, cruore vitali natos,
17 adhibito præfato remedio. Cæterum rixa non eſt de aſini umbra: ſiquidem non eſt perinde negaſſe, Tartarum ineſſe materialiter in eduliis & potibus, itemque permanere per digeſtionum officinas, atque proinde tandem coagulari in miſeris: & procul inde remotum eſt, admittere in nobis tranſmutatum ex bono cremore, chylo, vel cruore, in pravum virtute vitæ mediæ, tranſplantantis directiones Archei; Alius ut enim generationis; ita alius quoque præcautionis atque ſanationis ordo utrobique. Nullam ergo tartarizationis fundamentum, veritas, apparentia, vel neceſſitas. Quorſum namque conducit. Comminiſci Tartarum, pertinacem coagulationum principem, qui ortum ſuum debet figmento? Siquidem rerum diſpoſitiones, coagulationes & reſolutiones ſuis pendent ſeminibus. Ex puriſſimis cibis & potibus, Duelech non fit minus, quàm de minus exquiſitis, ſi vita media Archeum malè imbuat. Quorſum deinde convenit, cibos potuſque, quos Dominus bonos cenſuit, Tartaroſæ proditionis infames reddere? Reor ſanè è Tartaro ſive inferno inventum eſſe, dum Satan jam propediem conjiceret humorum exilium futurum è Scholis medicis. Enimverò 18
cum res unaquæque diſſolvatur per vinculorum rupturam, quæ eandem ſtringunt, juvat monuiſſe: coagulata in nobis non fieri per exſiccationem, (excepta creta podagrica) neque per Tartarum, inexſiſtentem clam: multò ſanè minus, ex microcoſmi conditione ſaxoſa, aut calcinatoria. Creta nempe illa, poſt acquiſitam opacitatem ſynoniæ, deinceps paulatim exſiccatur. Prout alibi de podagra. Alioqui, ſui initio, prout & ſcirrhoſum quidlibet, itemque bolus, lutum, muccago, arena, & Duelech, ſeminalibus initiis coagulantur & reſolvuntur: atque longè aliter ſolvuntur & coagulantur, quàm ſi pertinax & immutabilis rerum quarumlibet Tartarus, ſua ſponte in nobis, peregrinum coagulum dediſſet. Sophiſmus eſt non cauſam, in cauſam accuſaſſe, vel cauſam, ut non cauſam neglexiſſe. Qui ſophiſmus, ſi ſolet uſpiam magnas adferre anguſtias: in medendo ſanè quàm maximas, periculis vitæ & damnationis, ut & damnis plenas. Etenim unus probè digerit, difficulterquè ſeparat: Alter verò, feliciter excernit, ac moleſtè digerit. Tertius denique digerit ſuccinctè, & liquefacit: at vitioſè ſibi tranſmutat, ſub imperio ſeminis exotici. Aliud ergò eſt caſtigare alienigenam vitæ mediæ impreſſionem, (quæ in concretione digeſti conſiſtit) atque aliud eſt, excernere, quod aliàs retentum noceret. Idque diſſolvendo, & expellendo conſcribitur. Finaliter, ſi quis Tartarus in aſſumtis eſſet, deſinens in pertinacem tandem coagulationem, quam proditoriè ſecum attuliſſet intrò: utrobique ſaltem ſanationis deſperationem contineret: Et hactenus medicamentum exterminii in terra, à rerum Domino, in natura ab initio conditum eſſet. Poſtremò non eſt Tartarus in cibis, ut neque in potibus cibalibus. In aqua verò ineſt quidem ſemen lapidum: at lapis non eſt magis Tartarus, quàm ſaxum eſt panis: quare etiam ex ſemine petrificante, nullatenus poteſt concludi præſentia aut potentia Tartari. Pariter, etſi in recrementis, vel cruore dege-

degenerato, ſit poteſtas ad Duelech, vel ſcirrhum.
19 Non tamen ad Tartarum, multoque minus, quod naturaliter tam cruori quàm recrementis inſit Tartarus. Quidquid enim peregrino è ſemine & alienato, per accidens naſcitur, & per metaphoram propter ſui coagulationem aſſimilatur, ſali coagulato in vinis: Abuſiva tantùm alienatione, ad Tartarum revocatur. Odit enim natura metaphoricas & poëticas libertates. Non eſt ergo Tartarus, morborum occaſionalis materia interna.

CVSTOS ERRANS.

1. SCholæ nutant de quatuor humoribus. 2. Authoris reſipiſcentia. 3. Theſis, cum probationibus. 4. Quid muccus, & qua theca generetur. 5. Quis ſit cuſtos in terminis propoſitis. 6. Cuſtodis neceſſitates inexcuſabiles, hactenus neſcitæ. 7. Probatur, quod muccus non ſit cerebri excrementum. 8. Concluditur miſerrimum inde cerebrum. 9. Vanitas morborum Catarrho dicatorum. 10. Muccus non è cruore factus. 11. Argumentum, à ſimili adæquato. 12. A Corizza. 13. A paritate reliquorum viſcerum. 14. A ſuppoſita Scholarum doctrina. 15. Ab Archei identitate. 16. Ab Anatome. 17. Ab abſurdo. 18. A neceſſitate oppilationis. 19. A conſtitutione cerebri. 20. A Scopo. 21. Ab experientia. 22. Notatur Scholarum inadvertentia in re tanti momenti, & tam conſpicuâ. 23. Excrementum aurium per aporrhœam efferri. 24. Neceſſitas cuſtodum. 25. Probatur per Corizzam. 26. Per raucedinem. 27. Per tuſſes. 28. Cuſtos eſt inaudita poteſtas. 29. Vtramque poteſtatem Scholæ putarunt quandam intemperiem in ſanis etiam. 30. Probatur diverſitas ab aliis poteſtatibus. 31. Teſtimonia Cuſtodum. 32. Gravedo nunquam ſana eſt. 33. Tuſſis examinatur. 34. Cuſtos errans. 35. Tuſſis ſicca. 36. Difficultas curandi, unde. 37. Remedia notantur. 38. Incogitantia Scholarum. 39. Remedia è ſulfure. 40. Duplex Aſthma. 41. Sanandi difficultates. 42. Cuſtodis uſus. 43. Pernicioſior eſt cuſtos errans Laryngis. 44. Muccus differt à ſcreatu. 45. Cuſtodem differre in cerebro, ab aliis facultatibus. 46. Diaphragma eſſe poroſum.

1 SCholæ, muccum è cerebro, ſputumque tuſſium, digito monſtrantes, dixere. Ecco phlegma, unus de quatuor humoribus, noſtri conſtitutivis. Atque deinceps ſemper ſucceſſivè ſibi ſubſcripſerunt. Crevit iſte laſciviendo auſus, tot ſeculorum præſcriptionibus & Scholarum ſubſcriptis authoritatibus firmatus. Quaſi cerebrum, tres alios ſuppoſitos, fictoſve humores in ſui alimoniam conſumſiſſet, excluſo ſolo phlegmate, ſibi licet ſimillimo, & alioqui juxta Galeni mentem, aptiſſimo; ut in cruorem totaliter tranſmutetur. Nonnunquam quoque doctrinæ de quatuor humoribus oblitæ, eundem muccum, non amplius phlegma, vel pituitam propriè: ſed recrementum cerebri, velut proſcriptum hoſtem, à digeſtione reſultantem ſuperfluitatem relegarunt. Suæ illas illius doctrinæ meritò puduit: Quia muccum agnoverunt excrementum ultimæ digeſtionis: non autem humorem amplius in hepate productum, velut cruoris partem unam de quatuor. Repugnat quippe excrementum humori vitali. Nutant ergò ſæpius, atque vacillant, hæſitantque iterum, dum muccoſum hominem (ab iſto videlicet ſtercore, morboſoque affectu) phlegmaticum promiſcuè indigetant, ejuſque deinceps vires, ingenium, mores atque fortunam, inde metiuntur, & augurantur: Interim infauſta ſunt initia Scholarum, quæ ab excremento ſibi cognito, pituitæ eſſentiam, exſiſtentiam, proprietates, elementorum & humorum conſtitutivorum noſtri denominent. Phlegma enim quod ſub Goryzzæ initium, depluit è naribus aquoſum (ut ajunt) & tenue, poſt dies aliquot, ſpiſſius atque flavum fit, eò quod aſſiduata caloris coctura inſpiſſetur. Quaſi integro fortè quadragenario abſque corruptione ſui, vacuo cranio, inſpiſſationem, ut ſummum bonum, exſpectaſſet! nec alioqui tenuius, ſat rimarum pro exitu reperiret! Hæc ſomnia non merentur redargutionem, niſi ſeriâ credulitate, medendi methodum, in mortalium perniciem tranſtuliſſent. Fateor equidem, me 2
ſub tyrociniis credidiſſe, muccum, ſi non unus de quatuor humoribus oriundus, eſſet ſaltem excrementum digeſtionis cerebri. Aſt dein liberiore indagine à Scholis deſciſcens, cœpi contueri, quod æſtate mungam rarò: hyeme verò frequentiſſimè. Attamen cerebro utraque ſtatione, ejuſque fructionibus ex Dei gratia, æquè validis potior. Conſideravi enim propterea, cruorem hyemalem, æquè vividum, atque illum, quem æſtate conficio (vita nempe in ſanguine per Sacra locatur) & digeſtionem tam cerebri, quàm aliarum partium, æque ſalubrem, quia completam, eſſe. Quæ non ſic ſe haberent, ſi cerebrum quatuor ad minimum uncias, quotidiè excrementi, ac proinde uncias ſedecim de

cruore depromeret, pro ſolo ſui nutrimento, &
tantæ pituitæ abundantia (præter illam nempè,
quæ in alito remanſit pro alimenti pignore)
quas uncias alioquin æſtate,in cruore relinqueret.
Vel ſi id rentur fieri exquiſitiore digeſtione
Cerebri : vel ſi malint, Cerebrum ob aëris
hiberni injuriam, malè diſpoſitum : ac quomodocunque
ſumatur ; neceſſe eſt ſaltem muccum
cauſari ab indiſpoſitione aliqua : non ergo ab
abundantia pituitæ, adeoque à vitio jecoris, ut
neque ab exquiſitiore ſeparatione pituitæ hibernæ,
& æſtivalis neglectu. Nec demum indiſpoſitio
iſta obvenit cerebri vitio, ut neque
cruoris. Quippe id repugnat propoſitæ theſi.
Ergo aliunde idipſum manat. Etenim ſi iſta recrementa
remanerent in cruore, vel cerebro
per æſtatem, quæ ſecus hyeme excernuntur :
Locus deficeret hoſpitandæ pituitæ, tota æſtate
3 collectæ. Hinc in Theſin pono : Muccus narium
aquoſior, ac copioſus, & proinde continua
ejuſdem emunctio in hyeme. Non autem
in æſtate. Vnde conſequens, id cauſari ob ſtationem
intemperatam. Quæ ſi occaſionaliter
lædat cerebri digeſtionem : id erit, vel per totum
cerebrum, vel in inferiore ejus plano, quà
frigus ferit. Si per totum noxa ſit, læderentur
unà cunctæ cerebri functiones, imaginatio diſcurſus,
&c. Quod eſt falſum. Nam denotaret
ambientis ſuperioritatem ſuper ſpiritum, functionum
omnium fontem, atque rectorem. Deberetque
tum muccus fieri & deſcendere à
cunctis intimis, connexis, minimiſque cerebri
particulis, & non tantùm ab iis, quæ immediatè
4 ab intrante quatiantur aere. Vnde liquet ;
muccum eſſe dumtaxat excrementum infernarum
partium cerebri, degeneratum ex totalitate
alimenti, priuſquam aleret. Non autem eſſe
excrementum, digeſtionis ultimæ ſuperſtes,
quod roris modo, per minima diſpergi in partes
ſolidas aſſerunt. Nam & hoc, à cerebro non
minus, quàm à toto,æqualiter vapore tenus exhalat.
Si ergo muccus naturaliter à cauſis occaſionalibus
externis & noxiis tempeſtatibus ſuſcitetur,
habeatque cauſam ſui effectivam circa
planum cerebri, qua via aërem attingit. Non
autem à frigore. Id namque ſonaret, cerebrum
victum, ſuperatum,ejuſque poteſtates velut extinctas :
ergo convertitur materia mucci (quam
laticis, ſimulque alimenti docebo ſuo loco) ob
bonum & ordinarium finem. Quæ materiæ illius
converſio, cum naturalis ſit, obtenditur,
5 tanquam lorica, parti à frigore perculſæ. Cumque
materia ſit vitiata, per aeris injuriam, non
ſanè adhæret : verùm ut continua aquæ gutta
ſtillat. Hanc ergo poteſtatem, mucci effectricem,
cuſtodem voco. Quod ſic jam ſuppoſuiſſe,
ſat eſto. Porro excrementa alvi, & veſicæ,
ſunt totius, & partium quibus fiunt & gliſcunt,
ſuperfluitates quidem, ab intrò ſui ſuperfluæ,
atque inutiles. Sudor verò & inſenſile effluvium,
ſunt recrementa, jam ultima digeſtione
facta, expulſaque poſt extremam finium ſuorum
defunctionem. At muccus, eſt generis
neutrius. Fit enim à cuſtode tantum ; laceſſito 6
quidem : ſed qui partem ut defendat & obliniat,
crudiorem laticem & ſimul cruorem ſic commutat :
eſtque ejuſdem illa commutatio planè
naturalis, ad bonum finem ordinata, quamdiu
à benè conſtituto cuſtode oriunda. Equidem
magnoperè ſaltem demiror Scholarum per tot
ſecula ſomnolentiam. Quod quia cernerent
muccum ſtillare per nares, idcircò repentè ſtatuto
indubio decreverint : eundem nil aliud,
præter cerebri excrementum eſſe. Imò quicquid
per ſcreatum, tuſſimque extruditur (quia
colorum paritas oculos illarum falleret) dictarunt,
nil niſi deciduum cerebri excrementum.
Nec enim ſemel obiter inquiſiverunt: Si ſit excrementum
cerebri : ergò debet eſſe reſiduum
ultimæ digeſtionis. Quando ſcilicet ſanguis,
poſtquam factus eſt humor alimentarius, diſtributuſque
roris more, per æqualem cerebri maſſam :
ibidem non quidem conſumeretur, jam
prius licet aſſimilatus ſubſtantiæ cerebri, ac per
inſenſilem tranſpiratum, abſque omni ſui reſiduo
expulſus per poros abiret : Sed labe prorſus
heteroclita, poſtquam muccilaginis ſpermaticæ
(iiſdem nempe nutrimur, quibus conſtamus)
ſortem induiſſet, quaſi revocatus muccus,
è longinquis heterogeneitatis anfractibus,
collectuſque tandem in abacum propè nares
expelleretur. Etenim qui tantoperè de uſibus
partium, ſibi odaxiſmum beneplaciti riſus concitarunt,
ne ſemel quidem attigerunt, quæ tanti
abuſus cauſa, in hac digeſtione eſſet. Quoniam
ſi excrementum ſit ſuperflua pars digeſtionis :
Cur ſenex, plus ſanguinis (quia plus excrementi 7
emungit) quàm dum eſſet juvenis, conſumeret
in ſuo cerebro? Ergonè ſanguis jam ſemicoctus,
ac vitalis, in ſimilarem ſpermatis ſubſtantiam,
tum demum corrumpitur? Indeque
revocatus à diſſitis, undecunque cerebri, minimiſque
reliquiarum atomis colligitur ? Itanè
hæc quotidie in ſanis peraguntur ? eſtque alienata
ſanguinis corruptio, ſimul cum ſanitatis
fruitione? Quidni idem contigit reliquis viſceribus,

ribus, quod capiti? Quid ſi unciæ tres dietim
emungantur mucci, an fortaſſis ſanguinis boni
decuplum (puta uncias quadraginta pro cerebro,
totidemque pro reliquis ad minimum partibus)
remanſit, ut ibidem roris modo conſpergatur?
Quo enim privilegio, quave neceſſitate
exlex cerebrum gaudet, viſcus adeò nobile, ut
citra noxam, tantam toleret ſuæ Oeconomiæ
quotidianam ſtragem? Confuſionem corruptionis
& alienationis? Quo pacto in media
tranſmutati cruoris via, ad ſpermaticam vitalemque
mucilaginem, tam ordinaria exorbitatione
cerebrum deviabit, atque digeſtionis abundantis
errore corrumperetur? An non enim
vel indè liquebat uſus alterius,nondumque ſciti
neceſſitas, quæ non undecunque ex abditis (paritate
nempe identitatis ſubſtantiæ ipſius cerebri
& digeſtionis per totum æquabilis) minimiſque
cellulis, ordinato motu, ſuum ac proprium
alimentum corrumpentibus, retrorſum, eadem
vi,qua intraverat,remearet,ut jam in excrementum
abiens, intra abacum aduniretur? Id enim
ſi medio digeſtionis,laboriſve metu, contingat:
Iam id non poteſt non inexcuſabilem prodere
corruptionem, cerebro natalem. Vel ſi in fine
illius digeſtionis id accidat; præter enim heteroclitam,
eandemque & ordinariam tam alienatæ
digeſtionis normam: jam quoque curſus,tractuſque
cruoris in remotiſſima,ſimilariaque cerebri,
recurſuſque excrementi, à ſanguinis relicto
reſiduo: erunt vani prorſus labores,crudelis
digeſtio, intolerabilis error, quotidianuſque atque
8 ſtultus cerebri labos.Si enim quicquam horum
ſit verum, reor cerebrum miſerrimam totius
corporis tabernam: majore nimirum alimento
egere, intentius moleſtias atque labores
cerebri augeri, quo minor tardior, ſegniorque
eſt capitis vis, efficacia & digeſtio. Quid enim
cerebrum eò compuliſſet, quod dum viliores
partes,ſuum ritè conficiunt alimentum, probeque
abſque ulla reſiduitate,totum in aëra diſpergunt:
Solum verò miſerumque cerebrum, tam
copioſa mucci alluvione,ſuum alienaſſet, vividumque
9 alimentum? Tranſeo adhuc Catarrhorum
nugas,depluentium tam largo continuatoque
imbre in thoracem, totumque corporis habitum.
Quo pacto enim conſtabunt ſalvæ principes
poteſtates, quas in capſa cerebri morari
volunt; Dum tantus rumor, confuſio,digeſtioniſque
tam abundans eſt diverſio, tumultus nimirum
redeuntis mucilaginis & ſanguinis euntis
expreſſè ad ſui corruptelam? At ne ſemel
hucuſque cogitatum eſt, unde tanta prodiret
mucci copia: ſed Epimenidis ſomnium dormiverunt
Scholæ, velut loto paſtæ, modò lucellum
è credito Catarrho theſaurizent. Nec eſt 10
enim ordinarius muccus è cruore. Idque facilè
notare potuiſſent Scholæ, ſi ſubſcribendo nugis
non eſſent aſſuetæ. Siquidem à magna ſiti, largus
potus ſtatim in gutture ſtagnantem parit,
loco ſalivæ,muccaginem. Sicque gutturis affectus
morboſi, ſtatim omnem ſalivam inſpiſſant.
Ideoque facultates, quas à neceſſitatis ſuæ uſu,
Cuſtodes voco, non mirum ſi à tota harundinum
noſtrarum propagine, naturaliter ad ſe alium
liquorem,præter cruorem (quem ideò primus
laticem voco,& deſcribam particulari ſyrmate)
allicere, ſuoſque in fines adoptare: non 11
infelicius nimirum quàm renes,à cruore lotium
ſeparant, & ad ſe trahunt. Lotium enim hic inculco,
eò quod non ſit excrementum renum,
quaſi reſiduum foret renis alimenti, vel ſuæ digeſtionis
patratus error. Idem proinde judicium
de mucco ſero. Itaque in Corizza, quamdiu 12
malum ſævit maximè eſtque ferocior boreas:
eò quoque muccus eſt aquoſior, ſub pari
tamen cerebri digeſtione, ſenſuumque tam internorum,
quàm externorum valetudine. Laudatur
igitur ſpiſſior,tenacior, parcior flaviorque
muccus ſub finem digeſtionis (ut ajunt.) Tum
demum conſidero, è pauco cerebro noſtro tantum
excrementi quotidie ſequeſtrari non poſſe,
propter ineptitudinem cruoris nutrititii. Maximè 13
quod hepar, nullum de ſe excrementum,
deque ſuo nutrimento proferat. Nutritur tamen,
deberetque par digeſtionum fortuna &
excrementorum æquale pondus proportionaliter
gliſcere in cuncta viſcera. Tandem memini, 14
ſolidorum nutritionem fieri,cum totius cruoris
tranſmutatione in alimentum, citra ſegregationem
puri ab impuro(quippe quæ nimis moleſta
eſſet oſſibus, nervis, viſceribus, &c.) nec ſolida
proin aliud in ſui alimentatione excrementum
præbere: niſi poſtquam fami partium, liquor
alimentarius ſatisfecerit, totus æquabiliter conſumitur,
in perſpirabilem aporrhœam. Id eſt.
Excrementum ſolidorum omnium non fit,dum
nutritio eſt in fieri: ſed tantùm in facto eſſe.
Nimirum tum exhalat totum, juxta Scholarum
conſenſum. Ergò ſiquidem cerebrum teneatur
legibus ſolidorum & viſcerum cunctorum, quas
præſcribit Archeus: Cerebri non erit muccus,
nec aliud edet loco excrementi, quàm
quod per diaphæreſin,totum aliorum more exhalat.
Denique excrementum eſt relativum ad 15
digeſtionem in alito factam: eo quod eandem
ſuppo-

ſupponat. At nihilominus, muccus non eſt
præfatæ digeſtionis excrementum, vel deſineret
vitalis Archei univoca eſſe in digeſtionibus
16 ſimilarium opera. Quin etiam ſi muccus eſſet
excrementum cerebri, colligeretur à toto undequaque,
& ad ſimilem cellulam ſeſe reciperet;
non autem ad pelvim. Sed difficilis eſſet mucci
(id eſt, excrementi communis, & totius cerebri)
collectio ab imperceptibilibus ac minimis
partibus ſingulis cerebri, quin plurimas poſt ſe
relinqueret obſtructiones, &c. quæ tamen nunquam
obviam veniunt: præſertim quod Cerebrum,
paucis & exilibus venis, per ſuum corpus
nutriatur, nec appareat ductus, vel canales,
17 quibus muccus deducatur. Similiter &
medulla ſpinalis ſuum pariter haberet muccum,
eumque dum evacuare niteretur, id fieri deberet
vel ſupernè per quartum cerebri ſinulum,
vel deorſum cadens (ut corpus alioqui fluidum
vita orbatum, natum eſt decidere ſemper) oppilaret
nervorum moventium commune principium,
ac potiſſimum, quia muccus lentorem
mucilaginis habet, non eſſet ſequax, quin
de ſe ſemper relinquat triſtem oppilationum
18 formidinem. Denique muccus, quomodocunque
ſumtus & tepore agitatus, nunquam citra
reſiduam ſui fæcem totus avolat aut inſenſiliter
diſpergitur: ſed aſſumto ejus vapore, planè
induratur in tophum. Adeoque eſt inutile,
imò impoſſibile excrementum ſolidi cerebri,
19 ſive de toto ſimilari ejus. Repugnat nempè
prorſus denſitati cerebri, quod cum non ſit
canalibus apertum, undequaque deberet tamen
tenaci excremento ubilibet eſſe continuò
refertum: Tandem ad fines reſpiciendo, quorum
ergò res quæque à Creatore eſt condita.
20 Non apparet ſanè ſcopus ullus, quare cerebrum
muccum, ut ſuæ digeſtionis ſuperfluum excrementum
paret, & à reliquis viſceribus ſe exlegem
faciat hactenus. Nam totus liquor alimentarius
tandem ſequeſtratur è toto corpore per
inſenſilem tranſpirationem, abſque ullo ſui reſiduo.
Cum ergò tam conſpicua mucci ſit imparitas
in hyeme & æſtate: non potuit ea, ab
interno miſtionis fundamento, ſed aliunde venire.
Adeoque muccus non eſt ſtercus cruoris,
21 multò minus cerebri. Contingit enim benè valenti
& dormienti, per octo & amplius horas,
nequicquam mucci ejicere: ſub qua tamen periodo,
cerebrum integram abſolvit digeſtionem:
quantò magis, quod facultates naturales
cerebri, ut & totius corporis, nunquam ferientur.
Non ergò muccus eſt excrementum rei,
nec fit digeſtionis naturalis intento. Nec excrementum
peregrinum, ſparſim per Cerebrum
collectum, relatumque in pelvim, ſuum naturale
emunctorium nec digeſtionis vitio fabricatum.
Cum alioqui morbum continuum, ac
præſertim hyeme, cerebrum pateretur. Ergo 22
concidunt Scholarum teſtimonia pro pituita,
dein Catarrhi fundamenta, atque tandem, quæ à
methodo medendi ab utroque præcedentium
depromuntur ſubſidia. Erratum ſcilicet in indicationibus
cauſarum atque remediorum de
mucci materia, efficiente, exordio, loco, ductu,
lapſu ſive decubitu. Quocirca opportunè notandum,
inprimis oculos ſanos nulla habere excrementa
aut ſordes. Amarum autem quod aures 23
ſudant, exiguum eſt benevalenti, eſtque exhalatum
ultima digeſtionum periodo. Quod ſatis
obvium fit: ſiquidem quò profundius intra
aurem ſcalpſeris, eò minus ſordium reperies; in
ſignum, quod fuligine tenus foràs properet. Non
ſecus atque pedum digiti ſuum colligunt diffluvium, 24
pelli furfur adnaſcitur, &c. Enimverò aër
qualibet tempeſtatum procella & alternatione
debebat immediatè intrò trahi, tam ad pulmonem
quàm ad odoratus organum. Proindè rerum
parens, fines atque diſpoſitiones accommodans
ſuis uſibus neceſſitatibuſque tanquam
ſcopo directo ſtatuit infra, in confiniis ultimis
cerebri cuſtodem unam atque alteram in Larynge:
Poteſtatem inquam ante me neglectam,
cui proprium eſſet, quoties aëris inexcuſabilis
injuria partem utramque adoriretur, quod toties
è Latice & cruore erudiore muccum, tanquam
veſtem utque interſtitiam objiceret: in
quem aër ferociens partim depoſita primi ictus
inclementia miteſceret, partimque conceptam
ab aëre labem, intra ſe conciperet: partumque
ſtigma, ſi quod fortè parti impreſſum foret, 25
ſufficienti mucco elueret. Idque inprimis
Corizzæ inſcriptum legitur. Nam offendiculum
veſpertinæ auræ aut frigidioris boreæ flatus
ſuppono occaſionem dediſſe, ut cuſtos objiceret
ſuum muccum, qui exorbitans os ſpongioſum,
(per quod odoratus organum ſuos odores
recipit) obſidet. Quem errantem & aquoſum
muccum, primum copioſo latice eluere cuſtos
conatur. Dein ubi hoc ſibi irritum fit, parit
tenaciorem muccum, dum nimirum alter in oſſe
ethmoides glutinoſior factus eſt. Pariter & raucedines
objecto per cuſtodem mucco contingunt. 26
Etenim cuſtos poteſtas delegata, ut aëris
injurias frangat, partemque muniat à feritate per
errorē, jam laryngem afficit, eiq; affigit muccum

pro tunica. Tum tanquam ſui erroris pœnite-
ret, primùm aquoſa ac dein glutinoſa parit ex-
crementa, quibus eluere intendit ſordes oppo-
ſitas. Id autem quod de raucedine in initio gut-
turis jam ſtatui, Idem cenſeatur ſi demiſſius a-
27 ſperæ arteriæ truncus ſit obſeſſus. Vbi nempe
per tuſſes expectoratur, quod ante jam de rau-
cedine dixi. Muccus ergo narium ſupernè ſtil-
lans, prout & is qui per tuſſes excreatur, à cu-
ſtode facultate ortum capit, excrementum qui-
dem in ſe utile: at ab errore cuſtodis nocuum.
Has autem poteſtates ad utramque januarum
aëris valvam collocatas cuſtodes voco, & er-
rantes ſæpius dum ob frequentem cum exteris
injuriis luctam, non ritè exſequitur ſua cuſtos.
28 Non eſt tamen cuſtos ſub quaternione faculta-
tum (attractiva nempe, digeſtiva, retentiva &
expulſiva) numeranda. Siquidem nedum ſua
expellit: ſed & ſua fabricat, & quidem ſola ex-
crementa. Quæ nec fiunt per digeſtionem: ſed
29 per abortivam vim. Propterea Scholæ hanc u-
tramque facultatem cerebro atque pulmoni an-
te fores præfixam neglexerunt penitus, & u-
tramque ſoli cerebro dicarunt, hujuſque intem-
periem etiam in optimè ſanis accuſarunt dun-
taxat. Quamdiu cuſtos rectè valet, atrocitatis
30 aëris victrix ſuperat: dum verò ob perfractum
robur, primæ ſuæ deſtinationi ex voto ſatisfa-
cere nequit: ſaltem multum mucci fabricat, ut
conceptam eluat labem, quam primitus non
fuit ſeparando. Cuſtos ergo differt à digeſtiva
& œconomica proprietate cerebri. Atque unam
lædi contingit ſoſpite permanente altera. Quam
veritatem nobis ſternutatoria detegunt, quæ
ſtatim poſt expeditum vicinum muccum con-
citant meras aquoſitates à cuſtode irritata, par-
tas celerrimè: adeò ut tandem, ſi acrius fuerit
ſternutatorium, cum tenui mucco procidant
cruoris fibræ, emungaturque aqua ſalſa è rubro
palleſcens. Iuxta proverbium, *Qui nimium e-
mungit, tandem ſanguinem elicit.* Rubens enim
cruor cœpit ſubpalleſcere, qui per ſternutatio-
nis moleſtiam præcociter prolectus eſt, alioqui
31 muccus fuiſſet. Cuſtos ergo inprimis teſtatur
divinam providentiam utrique viſcerum pro-
ſpexiſſe, in tam promta atque frequenti ne-
ceſſitate. Effectus quoque produnt, non qui-
dem digeſtionis cerebri ac pulmonum: ſed pro-
priæ Poteſtatis, quæ nec morboſos parit effe-
32 ctus, niſi à ſcopo deviet. Falſum eſt itaque, Co-
rizzam ſanam dixiſſe: tanquam ſordium emun-
ctricem. Iam enim cuſtodis utriuſque officia,
atque errores obiter tetigi; Nunc porrò in con-
firmationem datæ doctrinæ exorbitationes er-
rantis cuſtodis explicabo: ut præcipuè propter
atrocitates aëris occurſantis, cuſtos ſuam ſuſ-
cepit præfecturam: ita eaſdem quoque mode-
ratur: materiam aſſumens ſuis parentem fun-
ctionibus, ex maſſa nempe totius, laticis vide-
licet, & cruoris. Quæ doctrina quantumvis no-
vitatem dicat, & ob id difficultates ſecum ge-
rat. Attamen ſeculorum ignorantia, nequa-
quam veritati præſcribere valet. Inprimis enim
promta materiæ multiplicitas ſub errore cuſto-
dis, oſtendit eandem non eſſe excrementum
cerebri, ſani alioquin & fortis. Aliunde ergò
ſuſcitatur inſtinctus parandi muccos celeres;
promtos, & diverſos. Sunt nimirum poteſtates,
ad eluendum ſordes atomorum aëris, ideo ad
fores, vel limen viſcerum, aëri perviorum, col-
locatæ. Bellè ſanè ac ordinatim ſingula proce-
dunt, quamdiu cuſtos non ſuos excedit limites.
At cum humana omnia ſint ruinis expoſita, ubi
quotieſcunque cuſtos deviat à ſcopo, ſtatim
Coryzzæ, raucedines, tuſſes, &c. miſerum in
modum nos invadunt. De gravedine Coryzzæ
jam ſat dixi, nunc porro de tuſſi dicam. Tuſſis 33
oritur ex ſenſu noxii infeſtantis laryngem ab ſui
initio, uſque in pulmonum profunditatem. In-
feſtant nempe fumi, fuligines, exhalationes a-
cres, minerales, itemque vapores uliginoſi, fœ-
tidi, &c. Superat demum vim hoſpitii, frigus
atrox: quaſi tendens ad exſtinctionem hoſpitis
vitalis. Tuſſis ergò, effectus eſt ſenſationis:
etenim mox atque ſpiritus, partibus illis inſi-
tus, gravatur moleſtia forinſecus inſiliente, ſta-
tim cuſtos ſuo fungitur munere. Anonyma
quippe iſta facultas, promtè è maſſa laticis ad-
vocat quantum ſibi opportunum videtur, id-
que tranſmutat in muccum, quem roris more
extundit ad Laryngem: quo minus injuria aë-
ris ipſam partem ſolidam, nudè atque immedia-
tè afficiat: verùm frangat ſeſe ad præfatam muc-
ci tunicam. Sed ah! ubi vel externa injuria ma- 34
jor eſt, quàm quæ ſe ſinat ſic deliniri: altiuſve
ferit ipſam laryngis, aut pulmonis ſubſtantiam:
jam titubat cuſtos. Nec ſolùm deſumit auxi-
lium abs latice: ſed ipſam proximi alimenti
ſubſtantiam alienat, deviatque in muccoſam
collam: tantum ſcilicet viſceris proximo ali-
mento viciniorem: quanto altius ad calorem
ex flavo rutilantem, & rubedini vicinius ac-
ceſſerit, reditque ab illo lapſa, in priſtinum,
dum à rufo, ad flavedinem paleæ, atque inde
demum ad albuminis ovi ſimilitudinem pro-
pius appropinquarit. Hinc vice verſa in hecti-
cis,

cis, cruentus evadit muccus, & cinerum obſcu-
rorum colorem aſſumit. Dum ipſamet alimen-
ti ſubſtantia abſcedit tranſmutata, deficientem-
que ibidem vitæ integritatem pandit. Tunc ni-
mirum fœtidus cadaveris incipientis odor in
anhelitu, deliquia prodit Archei pulmonarii.
Muccus itaque interſtitio inſervit inter adven-
tans noxium & vires hoſpitii. Quare ſtimu-
lum ſuæ expulſionis habet advexam ſalſedi-
35 nem, ut ſenſationem laryngis proritet. Sunt-
36 que tuſſes ſiccæ, in paucitate mucci ſalſi. Quia
autem ſenium æquiparatur defectui, eſtque pul-
mo primum deficiens, (ut ſupra) hinc tuſſes ſe-
37 nio, velut ex proprietate geniales, vixque ſi-
lent, ceſſant, aut compeſcuntur: reſtaurationem
non admittente natura exoleta. Hæc de Tuſſi.
De remedio illius, nil ſomniatum, quod profi-
cuum ſit. Primò namque decocta herbarum,
Tuſſilaginum propinarunt, at quam infauſto
eventu, quæque domus luge ſua propemodum
deteſtatur. Decocta demum minus feliciter
uſurpata, Medentem meditari fecit de tabulis
ſaccharo confectis: in ſyrupos denique atque
illinctus receſſerunt, ſperantes (ridiculum id
ſuo loco oſtendi) lentè deglutiendo, ſalivam
cum eclegmate delabi per rimam vocis, in la-
ryngem. Nec retroſpicientes, majoris fore æ-
rumnæ ſtricturam anhelitus, tuſſes, præfoca-
tionem, atque expectorationem, ob alieni ho-
ſpitis admiſſionem, ipſa quam fit tuſſis, prori-
tans tam infauſta juvaminis figmenta. Quæ ali-
bi ex inſtituto ad longum aperui. Ah! & miſe-
38 rum ſubiit remedium de pulmone vulpis, quo
animalculum diuturni ſui curſus poteſtatem
quam vivum poſſidebat, ſaccharo poſt ſuam
mortem impertiatur. Neſciæ enim penitus
Scholæ, harumque diſpenſatoria, quod pulmo
ſit tantum æris cribrum, nec quicquam prorſus
adminiculi ferat, ad motus diuturni inſpiratio-
nes. Neſciæ inquam quod claudicanti, vel pa-
ralytico, nil tribuat ſolaminis, & ſi pedibus le-
39 poris aut cervi veſceretur quotidiè. Succeſſit
demum turba Chymica, quæ dum cerneret ſo-
lum areſcere & ſterileſcere, ubi ſulfur vivum
creſcit, (vivum autem voco nudum, quodque
non è pyrite, vel aliunde exigitur) ſperavit pa-
riter muccum, cuſtodis prolem, exſiccari per
ſulfur, quod Scholæ flore ſulfuris peragere ſpe-
rarunt. Illud alii itaque ſublimarunt ab Aloë,
croco, myrrha, & toſto vitrioli. Alii verò calce
& alcalibus ſolvere deinceps tentaverunt, quod
lac ejus (fœtidum ſanè) nominarunt: Sed id fi-
dem amiſit, poſtquam lac, imò ſulfuris flavus
liquor calce paratus, affuſo aceto rurſus ad ſe
priſtinum ſulfur rediret. Varia nempe larva ſto-
macho impoſuere, ut defectus cuſtodis, in li-
mine laryngis ſitæ, apprehenſaſque nocuorum
lituras reſtaurarent. Sic nempe ægrorum ſpei,
& crumenæ diverſimodè deluſum eſt. Non ne-
go quidem ſulfur aptè reſolutum, Aſthmati ſub-
venire. At iſtud Aſthma non eſt hoſpes pulmo- 40
nis, ex ideopathica epilepſia ejus oriundum:
quorſum nempe iſta ſulfura non habent intro-
itum. Sed illius Aſthmatis nidus eſt circa ſto-
machum. (Quod infrà docebo) quorſum quo-
que auxiliatori ſulfuri eſt introitus. Porro ſul-
furis flores venales, ex vena æris. Lento quip-
pe igne uſtulantur venæ, ut ſulfur inde furti-
vum abigant. Nam aliàs ſulfur magnam æris
prædam raperet. Valorem ergò ejuſmodi reme-
dii quiſque trutinet, qui noverit, cur Arſenicum
nomen fumi metallorum adſciverit. Profectò 41
pulmo, feſtinus, in ſui perniciem auſcultat, dif-
ficiliſque eſt admodum labentis vitæ reſtau-
ratio. Pulmo quoque ab alimentis vix opem
nanciſcitur, quæ per tot digeſtionum officinas,
nativæ ſuæ indolis dotes dudum depoſuere,
antequam ad pulmonem intrent. Parumque eſt,
etſi tantillum priſtini odoris, è ſuo concreto, in
vita ſui media, reſervarint. Eſt nempe id ſat in-
efficax, & reſtaurandæ debilitati impar. Idque
in pulmonis potiſſimum diverſorio tantò eſt a-
pertius: ubi vis cuſtodis, pro lubitu, propria
alimenta proximè aſſimilanda retorquet, alie-
nat, & corrumpit. Quapropter ab hoc ſcopo
abdicavi mineralia (exceptis majoribus arcanis)
utpote quæ nec aditum habent, nec familiarita-
tem contraxere, cum pulmonum Archeo inſi-
to. Remedia alioqui per claſſes examinavi ſin-
gulas, & ſingularitates ſpoſponderunt vulneraria
illa, quæ Archeum pacant, à corruptione de-
mum divertunt, hincque furores vulneri ſoli-
tos compeſcunt. Non autem quod illa ſperem
in priſtina ſui potentia, pertingere poſſe ad pul-
monem aut laryngem (prout alibi ex inſtituto
commodius propalabo.) Aſt ſaltem meditabar,
quod etſi tuſſium defectus, non eſſent continui
ſeparationes, ut neque ſputa eſſent pus. Atta-
men potio vulneraria, quæ toti hoſpitio huma-
no cederet in alimentum ejuſmodi, quod per
ſe reſtaurandæ exorbitationi tam Archei quàm
cuſtodis materialiter & efficienter incumberet.
Cuſtodis ergo utriuſque neceſſitas magna fuit 42
ad detergendum inſpiratas ſordes, quæ aliàs in-
tro adductæ, libenter ſe humidis coſtarum pa-
rietibus affigerent, totiſque thorax inde luto

mox oppleretur. Quo circa tam in limine laryngis, quam ante olfactus organum, exſudare debuit muccus, qui ſordes illas oppoſitas exciperet. Muccus inquam, fuit neceſſarius & non aqua, quia mox guttatim in fundum properaret. Debebant autem partes internæ madere, ne continuo aëris inſpiratu dehiſcerent. Idcirco continuum madorem vis quædam diſtributiva, qualis eſt quæ ſalivam diſpenſat, adeſſe debuit. Madorem inquam moderatum ac lentum, è maſſa laticis mutuatum eſſe oportuit in ſanis: Sed ubi cuſtodes malè ſe habent; continuò plorant partem proprii alimenti, quod ſibi aſſimilare debebant. Id nempe diverſimodè alteratum in forma aquæ, vel etiam mucilaginis diaphanæ vel opacæ, juxta varietatem paſſionum,
43 quibus auſcultarunt cuſtodes. Difficillima eſt autem cuſtodum reſtitutio è debilitate pernicioſiorque laryngis quàm narium, qui tabem minatur, ſemper hiat & cupioſo aëre infeſtatur. Tandem mihi nunquam ſatisfecit, quod muccus narium, quanquam colore, guſtu,& aſpectu
44 à mucco tuſſium non multum diſſimilis: idem eſſet, qualis ab internis pulmonum calamis expectoratur. Non potui enim mihi perſuadere, quod è duobus viſceribus tam diverſis, idem muccus prodiret (etenim ſi idem atque conſimilis: ergo unicus muccus ille non amborum eſt recrementum). Itaque ut cuſtos bene ſe habens, vix aliquem producit muccum: illumque ſaltem juxta opportunitatem: ita laceſſita parit muccum ſecundùm ſuam indignationem & recipientis viſceris proprietatem. Arrepto ſcilicet furore in ſuo mucco parit ſalſum, mordax, acre, virulentum in quali & quanto modum excedens! Hinc namque laryngis eroſiones atque inde Tabes, cruenta ſputa, &c. Etenim etſi vomica pariat varia apneumata & pectoris ſtricturas: vix tamen tuſſes tabidas. Has itaque ſuſpicatus ſum ex læſione aſperæ arteriæ
proſilire. Quod autem cuſtos non attingat cerebri 45
quidditatem; Conjicio ex juvene robuſto mihi noto, qui manè ac ſerò quotidiè miſeris ſubeſt ſcreatibus per annos aliquot: Interim cerebro, nervis & muſculis ſat validus. Vbi autem una facultatum eſt inſigniter læſa, altera verò nequicquam: neceſſe eſt ambas proprietate & eſſentiis diverſas. Quapropter ſaltem cuſtos laryngis & capitis longe diſſident.
Aër ergo poſtquam per pulmonem in thoracem 46
deductus eſt, ipſumque ſeptem tranſverſum (quod diaphragma nominatur) deorſum in formam circularem detrudit, ejus poros penetrat tranſcolatque bibitum aërem diaphragma ideo. Quod ſat docent odores aliquot naribus hauſti, ac tandem per ructum redditi. Sic namque fumus carbonum vomitum citat, citiuſque ſtomachum quàm cor affectat. Imò odor cadaveris longè pòſt ſentitur circa ſtomachum. Sic & prægnans fœtum mortuum geſtans, ipſum cadaver olet anhelitu. Odor enim ille per uterum atque diaphragma tranſiens, docet anhelitum, non ſolo cordis refrigerio; ſed toti inſervire. Sic quoque ex tabaci fumo ſtomachum flavedine tinctum propter fuligines oſtenderunt alii. Ita & laxantium perceptorum odores, licet ipſa pharmaca ſaccharo & aromate palliata ſint, horret ſtomachus, quia odoratu ſuo eoſdem odores percipit. Ergò ſi odor etiam aër ad ſtomachum recta pergit. Peſtis ipſa per inſpiratum anhelitum introducta, plerumque circa ſtomachum cuditur, idcirco vomitus, dolor capitis, ſopor, &c. Stomachum affectum incuſant & oſtendunt.

IMAGO MENTIS.

1. Timor Domini, initium & Charitas eſt finis Sapientiæ. 2. Homo, ad Dei imaginem factus. 3. Tres Atheorum claſſes. 4. Optatus Authoris. 5. Intellectio mentis intellectualis. 6. Mentis integritas intima, à caducis tolerat abſque paſſione extinctionis. 7. Actio Mentis vix ſentitur in nobis. 8. Imagini divinæ irriſores Athei primi. 9. Athei ſecundi, noviter ſurrexere. 10. Manifeſtatur Athea horum inſcitia. 11. Varietas luminum vitalium. 12. Mens ut differt ab Angelo. 13. Intellectualis viſio Authoris. 14. Vanus optatus omnis extra Deum. 15. Miſeria Authoris. 16. Viſio animæ ſeparatæ à corpore. 17. Mentem eſſe figuratam. 18. Mens eſt ſubſtantia immortalis figurata figura Dei. 19. Error vulgaris, circa Dei Imaginem. 20. Error putantium Dei Imaginem in ternario poteſtatum ſitam. 21. Contra Tauleri opinionem. 22. Imago Dei in homine hactenus non deſignata, quia eſt incomprehenſibilis. 23. Mens damnatur per accidens. 24. A morte non eſt amplius memoria vel reminiſcentia. 25. Voluntas eſt menti ſuperaddita accidentaliter poſt creationem. 26. In Cælo voluntas fruſtranea. 27. Voluntas in cœlis apparet non quidem poteſtas: ſed ſubſtantialis eſſentia intellectualis. 28. Si Mens ſit Dei Imago, hæc fuit Platoni cognita. 29. Mentis definitio. 30. Rationem non eſſe imaginem Dei. 31. Authoris opinio. 32. Deliteſcunt hæ duæ quidditates in anima per naturæ corruptionem. 33. Tantum per extaſin ſuſcitatur hic amor: nec aliàs

aliàs in hujus naturæ ærumnis. 34. *Præciſio Intellectus.* 35. *Solvitur objectio.* 36. *Triplicitas iſta, ſive ternarius in mente, in omni Mundi ſyſtemate explicatur.* 37. *Eſt alia longè, quàm Ternarii ſimilitudo, pro Imagine Dei.* 38. *Deſcriptio iterata Mentis.* 39 *Mens quomodo ſeipſam intuetur.* 40. *Phantaſiæ ortus conſtitutivus.* 41. *Longè aliter Mens intelligit.* 42. *Mentis prærogativâ.* 43. *Amoris vivi explicatio.* 44. *Diſcrepantia intellectionum in mortalibus.* 45. *Cur iſtud deſiderium non ceſſet in Cœlis.* 46. *Deſiderii deſcriptio.* 47. *Quomodo peccatum in deſiderio Mentis.* 48. *Amor Mentis ſubſtantia etiam in mortalibus.* 49. *Quantum tenebrarum obtentum Menti, ex naturæ corruptione.* 50. *Imago Dei peſſumdata in damnatis.*

1 INitium Sapientiæ, timor Domini.
Timor autem Domini incipit
à meditatione mortis, & vitæ
æternæ. Sapientiæ verò finem,
modernorum plurimi,rentur cum
Stoïcis,eſſe cognitionem ſuiipſius.
Ego, finem ultimatum Sapientiæ totiuſque vitæ
noſtræ curſus bravium, voco charitatem, quæ
nos comitatur, poſtquam cætera nos deſeruerint.
Quapropter etiam cognitio ſuiipſius juxta
me, eſt duntaxat medium ad timorem Domini.
Et cognitio vitæ, cognitionem animæ præſupponit.
2 Siquidem vita & anima ſunt velut ſynonyma.
Enimverò de fide eſt, hominem ad imaginem
Dei creatum, ex nihilo in creaturam viventem,
ejuſque mentem nunquam perituram.
Animas verò reliquas, cum vivere deſinunt,abire
in nihilum. Cujus differentiæ pondera, alibi
de ortu formarum.Aſt hactenus non ſat conſtat,
in quo iſta ſimilitudo cum Deo, noſtri Archetypo
conſiſtat. Dicam quæ ſentio, ſub humili
ſubjectione Eccleſiæ. Nulla eſt cognitio oneroſior
ea, qua anima ſeipſam comprehendit, licet
nulla ſit utilior. Eò quod tota fides baſim ſtabiliat
ſuper animæ indelebilem ſubſtantiam. Reperi
quidem plures demonſtrationes, circa hanc
veritatem libris divulgatas: at earum nullam
prorſus propter quid reſpectu Atheorum, unicum
& conſtans ab æterno numen negantium.
3 Plato equidem tres ſtatuit Atheorum claſſes. Vnam
nimirum, quæ nullos credit deos: Alteram
dein, quæ deos quidem admittit; noſtri tamen
incurios, rerumque parvarum ſpretores, ideoque
& neſcios. Tertiam tandem, quæ quamquam
deos ac rerum minimarum gnaros credat;
tamen minima precatiuncula flexiles atque indulgentes
ſupponit. Creberrimum hoc genus
Atheorum, inter Chriſtianos hodie, præſertim
qui ſe profitentur perfectiſſimos. Audent nimirum
quidlibet. Onera humeris aliorum gravatim
imponunt, quæ ne digito attingunt; credentium
loculos emungunt, ac morientibus
cœlum venale exponunt, rebuſque ſecularibus
atque ignotis politicis ſeſe ubique immiſcent,
quatenus Religionem rebus politicis nupſerunt.
Seque ludimagiſtros, ut puerorum claſſibus inſtruendis 4
præfectos cernunt: ita & Reip. clavo
ſe aptos ingerunt neſcii. Supremus utique optatus
mens eſſet.Vt Atheis permiſſum eſſet,unico
ſaltem momento deguſtaſſe,quid ſit intellectualiter
intelligere, quo mentis immortalitatem,
velut tangendo,ſentiant. Ego ſaltem regulas,aut
modum lubens ignoro, quibus poſſem intellectum
alterius illuſtrare. Contriſtor tamen meritò,
quod qui ſtudendo inquirunt ſemper veritatem;
nunquam tamen ad ejus ſcientiam perveniant.
Quia litera inflati, charitatem non habent:
ſed avaritia & ambitio in illis occultat Atheiſmum.
Iamdudum autem didici,quod mens
noſtra nequicquam intelligat per imaginationem,
nec demum per figuras, aut imagines, niſi
miſer atque ærumnoſus vacillantis rationis diſcurſus
acceſſerit. Aſt ubi anima ſeipſam, vel in 5
ſeipſa intellectualiter comprehendit, deficit ipſi
ratio, & ſui ipſius imago,qua ſibi ſeipſam repræſentet.
Id eſt, anima nequit ſeipſam apprehendere
per rationem, ut neque per imagines.
Poſtquam cognoviſſem, quod veritas eſſentiæ
& veritas intellectus, ſe pernetraverint in unitate
& identitate: ſcivi intellectum eſſe rem
quandam immortalem, procul à caducis ſeparatam.
Equidem mens non ſentitur; credimus
eam tamen eſſe intus, non fatigari, nec morbis
agitari. Somnus ergo, furor, ebrietaſque non 6
ſunt mentis immortalis læſæ ſymptomata: ſed
aſſeclæ vitæ, animæ ſenſitivæ paſſiones dumtaxat.
Nam & bruta, ejuſmodi paſſiones etiam
tolerant. Nec enim exiſtimo æquum, rem immortalem
pati à caducis, hiſque ſubſterni, aut
ſuperari: Etenim mens ſentit & tolerat cruciatus
inferni: non tamen ſuperatur, ut neque
extinguitur. Ita caduco lumini nexa, patitur
à caducis. Verum ut mens eſt in nobis,
nec tamen à nobis ſentitur: ita ejus continuæ
& inconcuſſæ operationes, ſunt inſenſibiles.
Nam quod in ſe eſt ſenſibile, nequit prorſus eſſe
ſpirituale, ac merè abſtractum. Enimverò tamen
etſi videatur nobis, nos nil intelligere
per totalem diſcurſuum abſtractionem & ſequeſtrationem
ab omnibus, quæ ſub ſenſum,
ſub mentem intellectumque cadere poſſunt

(idque ſubter initia contemplationum); agit
tamen in iſtis mens, ſuo modo inſenſili, & effi-
7 cacia ſpirituali. Quod ſic percepi. Confitens
namque, ſæpè non ſentit contritionis effectus,
doletque apprime illius ſuæ inſenſilitatis. Inter-
rogatus tamen, an peccare vellet: reſponderet
fortaſſis, ſe malle mori. Eſt ergo confitendo,
inſenſilis mentis operatio, ſupernaturalis fidei
effectus. Quia actiones intellectuales, alterius
ſunt Magiſtratus clientes. Proin nempe docent
myſtici, in ſola fide, abſque diſcurſu & cogita-
tione, mentem plus operari, ac operando, etiam
plus proficere: quàm is, qui multis verbis orat
& diſcurſibus, ſibi compunctiones excitat. At
felix ille, cui permiſſum, iſtas inſenſiles mentis
operationes percipere, eaſdemque reflectere in
& ſuper poteſtates animæ ſenſitivæ: ſicut ordi-
tur fides operativa. Vtpote hæc plerumque ſui
veſtigia relinquunt in vitam deinceps, excitant-
que memoriam, in fide de cætero operantem,
8 cum gratia. Athei & Chriſtianorum libertini,
primi rident in nobis, ceu fictam Dei imagi-
9 nem, vel nos ad Dei imaginem, creatos. Alii
verò ſecundæ claſſis Athei, credunt non ſolùm
nos ad Dei imaginem creatos: ſed in nobis,
identitatem cum immenſo atque increato nu-
mine fingunt. Nec hominem à Deo, in ſub-
ſtantia aliàs differre, quàm partem à toto: quod-
que initium habuit cum non principiato. Non
autem in eſſentia, aut proprietate interna. Id
quod ſanè præter blaſphemiam, ſtoliditates ha-
10 bet plurimas. Siquidem quicquid incepit, eo
ipſo eſt creatura. Involvit autem impoſſibilem
imperfectionem in Deo, poſſe aliquid præter ſe
creare in ſubſtantia, aut eſſentia ſibi compar.
Nam etiam per Philoſophiam conſtat, ſingulas
partes infiniti, neceſſariò omnino eſſe infinitas:
non poteſt autem creatura, ſecundùm ſubſtan-
tiam, eſſe magis infinita, quàm fuit ſecundùm eſ-
ſe, exſiſtere & durare, compar æterno enti. ſtul-
tumque eſt ergo credere, animam eſſe partem
ſubſtantiæ divinæ, aut illi eſſentialiter ſimilem,
quæ poteſtate, magnitudine, duratione & glo-
ria, ex nihilo incepit. Si ergo Deus, non potuit
facere animam humanam, tanquam ſuæ divini-
tatis partem, cum infiniti nullæ ſint partes, aut
minoritates: non eſt igitur anima ejuſmodi à
Deo facta. Ergo ex nihilo ſponte effluxit, ſeſe-
que aliàs feciſſet antequam fuit. Immenſum er-
go errant, credentes quidditatem imaginis di-
vinæ, ſitam in mente, per ſubſtantiæ eſſentiæ-
que identitates. Cum diſtent ab invicem un-
decunque, termino infinitudinis. Sponteque in
nihilum mens humana laberetur, unde incepit
rediret, ac diſſolveretur iterum: niſi per divi-
nam bonitatem in eſſe conſervaretur. Habet-
que mens permanentiam æternam deinceps,
non à ſui eſſe: ſed ab eſſentia æternitatis, ſibi
gratis donatæ, & conſervatæ. Itaque aliundè, &
infinities ſe potentiore. Sat ergo. Quod mens
ſit ſubſtantia ſpiritualis, vitalis, & luminoſa
creatura. Cumque luminum vitalium ſint plu- 11
ra genera, atque ſpecies: lumen iſtud mentis,
in eo à cæteris vitalibus diſcrepat: quod ſit ſub-
ſtantia ſpiritualis, ac immortalis: reliqua au-
tem lumina vitalia, non ſint ſubſtantiæ forma-
les: quanquam ſint formæ ſubſtantiales, ideo-
que per mortem in nihilum recedant, non ſecus
atque flamma candelæ. Mens autem ab Ange- 12
lis differt. Quod ſit ad imaginem, ac DEI æ-
terni ſimulacrum. Habet namque mens iſtud
lumen, ſubſtantiamque luminoſam, ex dono
creationis, cum ipſamet ſit lumen iſtud vitale.
Aſt Angelus non eſt ipſum lumen, nec habet
lumen geniale ſibi internum: ſed eſt ſpeculum
luminis increati. Adeoque in eo deficit, à veræ
imaginis divinæ perfectione. Alioqui namque,
cum Angelus ſit ſpiritus incorporeus, ſi ex ſe
eſſet luminoſus, perfectius DEI imaginem ex-
primeret, quàm homo. Porro, quicquid DEVS
plus diligit, id eo ipſo eſt nobilius: ſed DEVS
dilexit plus hominem, quàm Angelum, qui ad
redimendum naturam Angelicam non eſt fa-
ctus figura cacodæmonis: prout Agnus ter glo-
rioſus, Mundi Salvator, aſſumſit naturam ſer-
vi, ut hominem redimeret. Nec etiam his ob-
ſtat, Quod minimus in regno Cœlorum, ſit ma-
jor Iohanne. Nam Filius hominis, non eſt mi-
nor in dignitate, & eſſentia, Angelo; etſi etiam
paulo minus ab Angelo ſit minutus. Quoniam
Filius hominis, ſorte vivendi, minutus eſt pau-
lo minus ab Angelis, dum homo eſt factus. Sic
& Iohannes. Idcircò etiam Angelus ſemper ma-
net ſpiritus miniſtrans: nuſquam autem legitur
amicus, aut Filius Patris, deliciæ Filii hominis,
templumque Spiritus Sancti, in quo Terglorio-
ſa Trinitas ſuam fecit manſionem. Iſta nempe
eſt anguſta prærogativa imaginis divinæ, quam
lux æterna imprimit in omnem hominem, ve-
nientem in hunc mundum. Anno 1610 poſt 13
longam contemplationis laſſationem, ut ali-
quam mentis meæ cognitionem adipiſcerer;
quodque tum adhuc putarem, cognitionem ſui
ipſius eſſe Sapientiæ complementum aliquod:
lapſus forſitan in ſomnum, extra rationis ſemi-
tas raptus, videbar eſſe in aula ſatis obſcura.

A manu læva menſa erat, in qua lagena, cui parum
liquoris inerat, dixitque vox liquoris ad
me. Viſne honores & opes? Obſtupui ad vocem
inſolitam. Obambulavi, mecum penſitans,
quid iſtud deſignaret. Ad dexteram interim
rima viſa eſt in pariete, per quam lux
quædam inſolito ſplendore; oculos perſtrinxit,
quæ me liquoris, vocis & prioris conſilii fecit
immemorem. Quia vidi, quod ſuperat cogitatum
verbo exprimibilem. Actutum dein rima
illa diſparuit. Inde ad lagenam iterum ſed
mœſtus rediens, hanc mecum abſtuli. Conabar
autem liquorem deguſtare, longoque labore,
phialam aperui, ac horrore perculſus, ſomno
excidi. Remanſit autem præcedens ingenſque
deſiderium cognoſcendi animam: quo deſiderio
per 23 ſolidos annos anhelavi. Quia tandem
anno 1633 in anxiis fortunarum afflictionibus,
cum vitæ meæ tamen ſabbatiſmo ex inſontis
vitæ ſecuritate propinato, vidi in viſione
mentem meam figura humana. Erat autem
lux, cujus homogeneum totum erat activè cernens,
ſpiritualis ſubſtantia, cryſtallina, proprio
ſplendore lucens. Obvolvebatur autem in altera
nubiloſa parte, tanquam ſui ſiliqua, quæ
an ſplendorem aliquem ex ſe haberet, non potui
diſcernere, propter fulgorem ſuperlativum
ſpiritus cryſtallini intus contenti. Iſtud tamen
facile adverti, quod nota ſexualis non eſſet niſi
in ſiliqua. Cryſtalli autem ſigillum, erat lux
ineffabilis ſic reflexa, ut ipſa cryſtallus fieret
incomprehenſibilis. Idque non per negationem
aliàs, quàm quod verbo non ſolum nequeat
exprimi: verùm inſuper, quod neſcias
quidditatem rei, quam cernis. Et tum ſcivi,
quod iſta lux eſſet eadem, quam 23 annis ante,
per rimam videram. Ego ſaltem inde comprehendi
14 vanitatem longi deſiderii. Nam utut
pulchra eſſet viſio: attamen inde nequicquam
perfectionis ſibi mens acquiſivit. Cognovi
namque, quod mens in ſomniali viſione, velut
perſonam tertii egiſſet, nec eſſet tanto optatui
15 digna repræſentatio. Quod autem ad Dei imaginem
ſpectat, nil potui unquam concipere,
ne quidem in abſtracta intellectus meditatione,
quod non eadem opera, aliquam præ ſe ferret
figuram, ſub qua ſtaret in conſiderante. Nam
ſive rem concipiam per ſui ideam imaginando,
ſive verò intellectus ſeſe tranſmutet in rem intellectam;
ſemper conceptus ſtetit ſub aliqua
figura. Nec enim potui quidditatem mentis
immortalis, cum exiſtentia individuali, conſiderare
omni orbatam figura; nec quin ſaltem
reſponderet figuræ humanæ. Nam quoties anima 16
ſeparata, videt aliam animam, Angelum vel
cacodæmonem, fit iſtud cum ſcientia, hæc ſibi
adeſſe, dum animam ab Angelo, itemque Petri
animam, à Iohannis diſtinguit. Siquidem ejuſmodi
diſtinctio, ſola viſione animæ propria
contingit, quæ viſio animæ alteritatem externam
ideoque & figuralem includit. Siquidem
Angelus ita eſt in loco, ut ſimul non ſit alibi.
In quo neceſſariò includitur tam localis quàm
figuralis circumſcriptio. Dein. Corpus humanum, 17
ut tale, nequit ſibi dare figuram humanam:
ſculptore ergo opus habuit, qui intra
materiam ſeminis, clauderetur atque in eam
aliunde deſcendiſſet. Is tamen, in quantum
ſortis eſſet materialis, non magis ex ſe quàm
ipſa corporis maſſa vim habet figurandi. Ergo
præcedit aliquid in maſſa, quod immateriale
planè, reale tamen, & effectivum initium eſſet,
cuivis figurandi ineſſet per impreſſionem ſigillarem.
Patrantis ergo anima, dum extrorſum
labitur, luſtratque corpus ſeminis in aura quadam,
ſui ſigillum atque figuram adumbrat, quæ
ſeminum fœcunditatis cauſa eſt. Alioqui, ſi anima
non eſſet figurata, ſed figura ipſa corporis
velut ſpontè naſceretur: jam truncus aliquo
membro, niſi truncum quoque generaret: eò
quod corpus illius generantis non ſit integrum,
at ſaltem in ſpiritu inſito illius membri deficiat.
Si itaque figura ſemini inſeratur: A vitali
extra ſe initio & priore iſtam ſuſcipiet imaginem.
Sin autem anima figuram ſemini imprimat,
non mentietur exoticam, vel alienam faciem:
ſed ſui ipſius depinget Iconem. Sic namque
brutorum animæ, ſpeciem ſuam ſervant
generando. Mens autem, licet ſuæ originis ergo
ſit ſupra naturæ leges: quo tamen pede ſemel
eſt ingreſſa naturæ limen, aliique incorporata,
atque ſociata, deinceps quoque ſuis legibus coercetur.
Eo quod vitalium generationum ſervetur
univocus progreſſus, aſcenſus, deſcenſus, limitatio,
ac finis. Nec enim alioquin abſurditatibus
caret, quod tanti operatio, (qualis eſt generatio
humana, ac ſpeciei continuatio) citra Mentis
cooperationem contingeret. Neceſſe eſt ergo,
ſemini dari fæcunditatem, per vitalium principiorum
participationem, & determinationem
ſpecificam. Quod ſanè non aliàs contingit, quàm
per ſigillationem animæ, in ſpiritu ſeminis,
unde materia requiſitam maturitatem & adumbratam
figuram nanciſcitur: ut tandem à
creatore formalem lucem vitæ, ſive animam
ſuæ ſpeciei, cujus ſimilitudo in figura exprimitur,

18 tur, impetret. Porrò de fide eſt, mentem no-
ſtram eſſe ſubſtantiam nunquam interituram.
Cujus ſubſtantiæ nova ex nihilo fabrica, ſoli
competat creatori. Qui ſi ſibi complacuerit, ſo-
lam mentem in ſui imaginem adoptare. Videtur
etiam conſequens, immenſum & ineffabilem
Deum eſſe figuræ humanæ, idque argumento à
poſteriori, ſi argumentorum aliqua ſit vis hoc
19 objecto. At quia corpus non rarò ſit defectuo-
ſum: putarunt glorioſam Dei Archetypi ima-
ginem, in Mente repræſentatam, conſiſtere
duntaxat in poteſtate rationali. Neſcii, quod
vis rationalis ſit intellectui ſerva, non autem
de eſſentia, ut neque ſocia inſeparabilis. Quod
jam Tractatu de venatione ſcientiarum expo-
ſui. Alii verò tenent, animam, Dei imaginem
proximè exprimere, per ſuæ ſubſtantiæ ſimpli-
citatem univocam, & ſuarum poteſtatum ter-
nionem: Intellectus nempe, Voluntatis, &
20 Memoriæ. Quæ ſimilitudo ſemper viſa mihi
fuit anilis, ut Mens ſingulari valore eſſet Dei
imago: Siquidem imago ſimilitudinem eſſen-
tiæ, atque figuræ; non autem ſolam numeri pa-
ritatem, involvit. Imò ſi anima, in ſui ſubſtan-
tia, repræſentet ipſum Deum, jam intellectus,
voluntas, & memoria, non erunt poteſtates,
proprietates, vel accidentia animæ. Adeoque
ceſſabit ſimilitudo ternionis, maleque quadrabit
ejuſmodi imago Typo, cujus creditur imago.
Deinde abſurdum, perſonas Trinitatis compa-
rare memoriæ, aut voluntati. Cum nulla perſo-
na Sacroſanctæ Trinitatis ſolam voluntatem, aut
voluntas ſeparatam in Deo perſonam repræſen-
tet. Tres etiam poteſtates in anima, nequeunt
ullatenus imaginem, aut propinquius ſuppoſi-
tum, exprimere, quàm nudum ternionem acci-
dentium, in ſubſtantiam animæ congeſtum.
Quo ſenſu, anima minus Dei imaginem deno-
tat, quàm fruſtum quodlibet ligni. Quod nem-
pe per ſui analyſim, ſalem, ſulfur, & liquorem
exprimit: non autem (inſtar mentis, in præfata
ſuarum poteſtatum, & perſonarum divinarum
ſimilitudine) tres dumtaxat poteſtates, ſive nu-
dum ternarium. Quodlibet lignum enim habet
tres ſubſtantias, ſub concreti unitate concluſas,
ſeparatas quidem in ſuppoſitis, quæ in ſui con-
nexione unicam tantum ligni ſubſtantiam fa-
21 ciunt. Taulerus verò animam, non quidem in
tres poteſtates: ſed in duas diſtinctas partes,
ſecernit. Inferiorem ſcilicet, ſive exteriorem,
quam peculiari nomine animam: atque alteram
ſuperiorem, interiorem, quamque fundum ani-
mæ ſive ſpiritum vocat. Qua parte ſola ſpeciali-
ter Dei imaginem contineri ait. Ad quam Dia-
bolo non eſt acceſſus: quia ibidem regnum Dei
eſt. Vtrique autem parti longè diſpares actus,
atque proprietates aſſignat, quibus utramque
invicem diſtinguit. At ſaltem, ſanctus vir ille,
animæ delet ſimplicem homogeneitatem, qua
tamen potiſſimum Dei ſimilitudinem exprime-
re debet. Vel ſaltem, negat hactenus, Dei ima-
ginem propagatam, per totam animam homi-
nis. Certè non facilè credam animæ immortalis
dualitatem, aut binarii alteritatem: ſi in ſui
ipſius eſſentia unitatem exhibere debeat. Quin
potius, credam in ſimpliciſſima unitate, Indi-
viſibili homogeneitate ſpiritus, ſub immortali-
tatis, & indiſſolutionis, identitatiſque ſymbo-
lo, extra omnem connexionem, mentem Deo
magis aſſimilari. Non eſt ergo glorioſa imago 22
Dei, ſeparata ab anima, ut nec ſeparabilis: ſed
ipſa mens eſt glorioſa imago, tam intima ani-
mæ, quàm ipſamet anima ſibi: Idcirco enim di-
ci aut cogitari nequit ſimilitudo, inter mentem
& Deum, cum Deus ipſe totus ſit incompre-
henſibilis, nec unquam cogitari poſſit ideo
identitatis unitatiſque character, in quo funde-
tur iſta ſimilitudo. Sat eſt, Quod mens ſit ſpi-
ritus, Deo dilectus, homogeneus, ſimplex, im-
mortalis, in Imaginem Dei creatus, ens unicum,
cui mors nil addit, aut ab eo aufert, quod ſibi
in ſimplicitatis eſſentia ſit geniale. Et quia à ſui 23
conſtitutione, & deſtinatione, eſt beatitudinis
particeps: idcirco damnatio illi eſt per acci-
dens ſuperveniens, præter inſtitutum nempe,
propterque defectum poſterum. Ergò mens,
ſeparata à corpore, non utitur plus memoria,
neque inductione reminiſcentiæ, intuitu loci,
aut durationis: ſed unicum nunc illi & ibi con-
tinet omnia. Ideoque ſi qua ſuperſtes eſſet illi 24
memoria, fruſtranea in æternum & oneroſa eſ-
ſet. Vt & reminiſcentia: quippe quæ non niſi
per rationis diſcurſum jam mortuæ in actum
deducitur. Adeoque in æternitate non amplius
locum habent. Vt ſcilicet nudæ veritatis aſpe-
ctu, ac fruitione, ſine occaſu, defatigatione,
atque defectu, ſtat anima extra memorandi ne-
ceſſitates. Saltem ſtaret anima beata extra præ-
fatum poteſtatum ternarium, ideoque nec am-
plius Dei imaginem repræſentaret: cujus ſo-
lius ergo tamen eſt condita. Imo penitius in-
ſpiciendo, non reperio in homine mortali me-
moriam ſingularem, aut ſeparatam animæ po-
teſtatem; ſed nudum reminiſcendi modum:
quo immemores, per ſubſidium imaginatio-
nis (quæ eſt intellectus vicaria) memoriam
artifi-

artificialem concinnant, longeque fortiorem,
quàm illorum aliàs memoria eſſet naturalis.
25 Quinimo cum vita, ſimul recedit voluntas ab
anima: videturque ideo accidentaliter, velut
animæ adjecta. Nam Deus, poſt creatum ho-
minem, eandem conſtituit in manu arbitrii
ſui. Quod denotat, nedum poſterioritatem:
ſed etiam proprio modo, voluntatem non eſſe
menti initialiter eſſentialem, quæ ex conceſſio-
ne, talenti inſtar, eſt adjecta. Vt homo viam,
quam eligere mavult, ſequatur. Alioqui ſanè in
tota rerum ſcena, nulla eſt homini poteſtas per-
nicioſior, voluntate libera, quippe quæ ſola o-
mne parit diſſidium, inter Deum & hominem.
Quapropter ejuſmodi facultas, in æternitatis
beatitudine, locum ſaltem habere nequit. Sub-
lata autem volendi libertate, perit quoque ipſa-
met voluntas, aut tormento erit fruſtranea.
Voluntatem idcirco ajunt in Cœlis confirma-
tam, ſeu potius proinde ablatam. Id eſt, cœlites
non poſſe velle, aut velle velle, niſi quod vult
Deus. Quique ſunt in charitate & gloria, non
poſſunt non velle quæ ſunt charitatis. Ceſſat
itaque voluntas hominis, dum volendi liber-
tas eſt liquata. Ac per conſequens, voluntas
eſt poteſtas animæ caduca. Quia nequit ani-
26 mæ beatæ inſervire aut prodeſſe. Dum nec am-
plius in actum deferri poteſt, poſſetque dunta-
xat optatio quæ in Cœlis non eſt, ubi optabi-
lium eſt plena ſatietas & poſſeſſio cum omni
abundantia. Eſſet ergo voluntas animæ beatæ,
oneroſa appendentia. Sat eſto, in hac vita, po-
27 teſtate volendi, theſaurizaſſe. Perit itaque cum
vita, poteſtas volendi, ac ſe manifeſtat voluntas
ſubſtantialis, ab intellectu, mentiſque eſſentia,
nequicquam diſtincta, ideoque ab accidente
volendi libero, diſtinctum habens eſſe. Nam
ſicut vis phantaſtica, per deliria alienatur, deli-
rat, & cum vita perit: ita ceſſat volendi pote-
28 ſtas libera. Platonis Parmenides, aliquouſque
intellexit, quod in Deo non ſint accidentia, nec
ſit dualitas, ab ejus eſſe diſtincta: quocirca con-
cludo, ſi mens ejus imaginem referre debeat,
ſaltem omnis mentis proprietas colliqueſcere
debeat, in ſubſtantiam intellectivam ſimplicis
lucis. Perinde ut fumus, per flammam accen-
ſus, in figura materiaque, eſt idem cum flam-
ma. Sic anima eſt nudus & purus intellectus, &
29 imago increati luminis. Adeo ſicut oculus nil
verius aut proprius aſpicit quàm Solem, cætera-
que cuncta propter ipſum: ſic anima beata non
intelligit quicquam verius quàm lumen, quo
intus illuſtratur & potitur, unde ſcilicet tota-
liter atque immediatè dependet. Sed ſicut ocu-
lus non fert Solis obtutum: ſic mens nequit in-
telligere Deum, niſi quantum Charitatis ha-
buerit, ad cujus menſuram quoque Deum intus
glorioſæ poſſidet. Intellectus enim ejus liber,
intelligendo acquirit rei intellectæ uſurpatio-
nem, quatenus commigrando transformat ſe,
in beneplacito complacendique ſtudio, ad uni-
tatem lucis, quæ ipſum penetrat penetrando-
que beatificat. Sic nimirum mens, principali-
ter atque primariò, Deum contemplatur intel-
ligendo, illuſtratur penetrativè, ſicque Dei ima-
go, quam refert, eandem transformando, ſibi
aſſimulat. Qui verò imaginem Dei in ratione 30
locarunt, argumentantur. Quod lex ſit imago
Dei, lex autem ſit inſcripta animabus noſtris per
Rationem: adeoque animam putant ſimula-
crum Dei, quatenus rationalem. At non conſi-
derant, quod anima ſic contineret quidem Dei
imaginem: ſed non proindè, ipſa mens eſſet eſ-
ſentialiter ipſamet lex. Non aliter quàm lex
& anima differunt eſſentiæ ſuppoſitionalitate.
Nondum enim erat lex, dum anima hominis jam
erat creata. Ego autem de venatione ſcientia-
rum oſtendi, blaſphemum eſſe, in Rationem
imaginem Dei retuliſſe. Cum nulla ſit rationis
ſimilitudo, vel comparatio facultatis incertæ &
caducæ, cum Deo. Dicam ergo mea. Intelle- 31
ctus etenim habet ſibi coæqualem & ſubſtan-
tialiter colliquatam & unitam voluntatem in-
tellectivam, non quidem quæ ſit poteſtas vel
accidens; ſed ipſum lumen intellectuale, ſub-
ſtantia ſpiritualis, eſſentia ſimplex, indiviſa: ab
intellectu ſeparata, per ſuppoſitionalitatem ſui
eſſe, incomprehenſibili modo; & non in eſſen-
tia. In mente pariter eſt tertium, quod defectu
ethymi, dico Amorem, ſive deſiderium perpe-
tuum. Non quidem habendi, acquirendi, poſſi-
dendi, aut fruendi: ſed amandi, ſeu compla-
cendi: duobus præfatis æquale, æqualiter ſim-
plex in unitate ſubſtantiæ. Quæ tria, ſub unica
animæ & indiviſibili ſubſtantia, in unitatem
colliquata ſunt. Non eſt autem amor ille actus
aliquis voluntatis: ſed procedit ſimul ab intelle-
ctu & voluntate ſubſtantialibus, tanquam di-
ſtinctus, & glorioſus actus. Nec demum amor
ille, eſt paſſio: ſed eſſentia dominans, & actus
glorificans. Voluntas ergo & amor hujus loci,
nequicquam commune habent, cum volunta-
te viri, aut carnis: quia ſunt tituli eſſentiales, 32
quibus ſub egeſtate verborum, imaginem Dei
quodammodò mens repræſentat. Eo quod in-
tellectus Deum intelligit, intendit, ac omni

mente amat, indiviſo amoris unicoque complacentiæ,
ſeu deſiderii actu,in omnimoda ſimplicitate
ſui. Ab initio autem creationis fuere
hæc duo cum intellectu, nempe voluntas &
Amor, intellectualia: nec putandum ab obitu
eadem de novo ſuſcitata: cum ſint de eſſentia
mentis ſive imaginis Dei. Sed mox ut intellectus
ceſſit turbidus phantaſiæ ſenſitivæ: ſic &
voluntas, & amor intellectualia, per corruptionem
naturæ voluntatem atque memoriam admiſerunt,
quæ cum anima caduca in nihilum
abibunt,perſtite integritate mentis. In ectaſi enim
ſæpè obdormiunt, intellectus, voluntas &
memoria, ſolo ſuperſtite amoris actu igneo, ſic
autem à tribus illis diſtincto, ut tamen non ſit
ſine intellectu & voluntate ſubſtantialibus, ſibique
33 alioquin adæquatis.Amor ergo,ſopitis velut
aliis, ſtat in ſuperficie, quamdiu alia in ſe ſorbuerit.
In hac vita autem, amor eſt deſiderio
prior, quia eſt paſſio facultatis amativæ, quæ ab
illa mentis ſuppoſitionalitate (quæ ſubſtantialis
amor eſt) procedit, atque corporeæ facultatis
iconem refert in hac vita: Ideoque in ataxiam,
atque in diſſolutionem, prona ruunt ſingula.
Sed in cœlitibus, amor ille nec prioritatem, ut
neque diſtinctionem, à deſiderio conſtituit,nec
poteſtatis naturam habet, ut nec eſt habitus, aut
actus volendi, nec ſubſiſtit extra intellectum.
34 Itaque intellectus eſt lumen formale,atque ipſamet
animæ ſubſtantia, quæ intuitivè cognoſcit,
abſque oculorum ope, prout & ſine oculis
diſcernit, vult, amat, atque deſiderat in ſui unitate,
quicquid in ſeipſo comprehendit, & volendo
indicat. Nec enim tum amplius recordatur,
per repetitionem ſpecierum, rei ſemel
ſcitæ, in imagine: nec per circumſtantias inducitur
amplius ad cognoſcendum. Sed omnium
intellectorum eſt unica ſimul cognitio, & adſpectus
intuitivus, intra ſe. Ita tamen,ut unum
cognoſcat magis perſonaliter quàm aliud, dum
intellectus ſuper intellecta ſe reflectit in veritatis
diſtincta unitate. Non ſecus atque modò,
in memoria artificiali, ubi recordativa illa memoria
non eſt diſtinctus actus, ab inductivo
judicio intellectus. Itaque iſtud eſt magis geniale
menti, jam à turbulentiis phantaſticis intelligendi
35 ſemel expeditæ. Neque enim his
obſtat, Quod in vivis memoria intercidat, ſoſpite
judicio, vel contra. Sunt nempe heterogeneæ
facultates animæ ſenſitivæ, diſtinctæ in
corpore, quia per modum recipientis conceptæ
36 ſunt, per animam mortalem. Prout & non
animatis ſurdam quandam objecti cognitionem
competere annoto: ſenſum item & objecti
affectionem. Quæque ideo ſympathetica
dici cœperunt. Quæ ſurda objectorum perceptio,
eſt illis inſtar viſus & intellectus. Nam
ineſt illis præterea (etenim quæcunque à mentis
ſimplicitate longius recedunt, eo ipſo in
multiplicitates functionum, magis prona) virtus
atque dos quædam vitalis, alicujus bonitatis,
valoris & energiæ, ad fines à creatore deſtinatos.
Prout eſt & tertia poteſtas, ex utraque
præcedentium reſultans: quæ eſt jubili ad occurſum
juvantium, aut averſionis à nocivis.
In quibus ſpectatur quædam affectio erga abjecta,
itemque metus, fuga, &c. Qui triplex
gradus, adhuc manifeſtior, in ſtupidioribus inſectis,
& hominibus veſanis quibus nullus præſidet
intellectus, ſolaque viſualis luminis poteſtas,
gubernatrix elucet. His tamen præterea
adeſt actus virtutum ac functionum vitalium,
propter quas exſiſtunt. Ac tertiò ineſt illis longè
clarior actus jubili, vel averſionis. Quæ in
aliis ſenſitivis adhuc longè potentius explicantur.
Quibus nimirum competit ſenſitiva quædam
imaginatio, cum rationis aliquali diſcurſu,
illis loco intellectus, plus minuſve in ſingulis
eluceſcens. Adeo ut ſagacitas, voluntas, memoria,
illis ſubter apprehenſionem intellectus
cadant. Mutatis tamen continuò objectis &
functionibus, juxta materiem, in diremtiones
ac ſingularitates proclivem. Quæ ſcilicet recipientium
diverſitates ideo accuſat. Eſt & his
poteſtas bonitatis ac virtutum emanativa, qua
animæ plus minuſve propendent, in ſuarum
virtutum feritatumve exercitia. Eſtque tandem
& illis ſua complacentia, tædium ac thymoſis,
in objectorum conſiderationes: ita animabus
ſenſitivis counita, quod vix ſit poſſibile,
duas contueri perſonas, quin mox uni magis
quàm alteri addicamur. Hæcque in corporalibus,
per modum recipientis, erunt ob id in homine
magis clarificata. Finaliter, nolim itaque 37
imaginem Dei in homine conſiderari, ob ternarium
aliquem facultatum: qui aliis rebus in
Mundi ſyſtemate hactenus competit. Quia dignitas
imaginis Dei, non participatur ullatenus
ab aliis creatis. Siquidem imago Dei eſt duntaxat
intima menti, tamque illi propria, quàm
eſt ipſi ſua ipſius eſſentia. Proprietates verò reliquæ,
non ſunt ipſa mentis eſſentia: ſed eſſentiarum
producta, ac poſteriora. Quia non eſt
condignum majeſtate imaginis divinæ, ex
qualitatibus deſumi. Nam aliarum rerum proprietates
colliqueſcunt in animæ eſſentiam,

ex vi imaginis divinæ. Sin autem tanquam
attributa , vel producta cenſeantur : id propter
miſerum vulgò intelligendi modum , aſſuetumque
38 abuſum. Siquidem mens eſt unus actus,
purus , ſimplex , formalis , homogeneus,
indiviſus, & immortalis, in quo, proximè DEI
imago incomprehenſibilis incomprehenſibiliter
eſſentialiterque conſiſtit , mentemque format.
Adeo , ut in iſta imagine , etiam omnes
poteſtates , nedum deponant naturam attributorum ;
verùm etiam ſuas ſuppoſionalitates
colligant in unitatem indiſtinctam. Eò quod
anima ſit in ſe lux quædam ſubſtantialis : ſive
ſubſtantia ita lucida, quod ſuppoſitis non ſit
diſtincta ab ipſamet luce : Ejuſque intellectus,
eſt ita lux mentis, ut ipſa mens ſit merus intellectus
lucidus. In hac enim ſuiipſius luce
mens, ſeparata à corpore tota per totam ſe videt
39 , intelligitque : quorſum nec cerebro,
nec corde opus habet. In quibus nempe organis
ſubſtantia mentis, proprietatum proſapiam
tantum aſſumere videtur. In corpore nimirum,
dum ipſe intellectus abſtractus, utitur
corporalibus organis , quibus obligatur,
& per ſuam ſedem animæ ſenſitivæ in profundum
corruptæ illius naturæ , ut demerſus
eſt, vim qualitativam repræſentet, ac aſſumat,
40 quæ Imaginatio dicitur. Quæ ex ſocietate
poteſtatis phantaſticæ, ipſius animæ ſenſitivæ
& intellectus ſplendore, in organis degenerato,
quadam combinatione conſurgit,
in poteſtatem qualitativam præfatam . Proinde
iſta facultas laſſatur imaginando , ſuccumbit,
non rarò quoque demens fit, ac imaginando
caneſcunt pili. Aſt mens ſemel ſeparata, intelligendo
fatigatur nunquam. Quinimo imaginatio
in vivis nedum laſſatur : ſed etiam à
ſeipſo , non habet ſpecies intellectivas, quas
non hauſit ab objectis ſenſibilibus. Ideoque
vis intellectiva, quæ cum animæ ſenſitivæ functione
phantaſtica concurrit , ſequitur organi
indolem, atque vitæ ſenſitivæ arbitrium , non
ſecus atque alibi in naturalibus effectus ſequitur
41 debiliorem partem ſuarum cauſarum. Sed
anima , quidquid ad noſcendum volendumque,
pro ſemel , aut pro ſæpius , requirit : id totum
à ſeipſa , & non ab alieno extrinſeco , habet.
Non enim animæ beatæ oritur voluntas
bona ſubſtantialis, à re intellecta : ſed eſt ſua
bonitas amoris , per quam mens beata ſubſtantialiter,
42 & non qualitativè eſt bona. Quam
prærogativam habet, quia typica imago divinitatis.
Corpora verò, perpetua labuntur ſponte,
in formarum attributa, heterogeneitatem,
viciſſitudines & diſſolutiones. Ergo Amor deſideriumve 43
mentis , non eſt functio poteſtatis
appetitivæ : ſed eſt ipſa mens intellectualis
& volens. Quæ ſub unitatem indiviſibiliter
ſunt copulata , in identitate & ſimplicitate
quàm maxima. In mortalibus tamen ſeparata
tam propter organorum neceſſitatem , functionum
diſparitates , quàm animæ ſenſitivæ
miſturam. Siquidem nunc ſæpè deſideramus, 44
quæ intellectus judicat non deſideranda , &
voluntas optaret non adventura. Neceſſe eſt
autem res, quarum operationes ſunt diſcretæ,
eaſdem in radice ſui eſſe diſtinctas per modum,
quo ſingula ſeparantur. In mente quidem
ſola ſuppoſitionalitate relativa : In anima
ſenſitiva autem, juxta corpoream & qualitativam
naturam . Ideoque mentis iſtud deſiderium 45
amoroſum, eſt animæ ſubſtantia. Et licet
in Cœlis ſit deſiderabilium plena ſatietas,
fruitioque perpetua : non ceſſat tamen proinde
mentis deſiderium, quod eſt ſtudium complacentiæ,
nec hoc paſſionem menti infert,
pluſquam ipſa Charitas. Quippe quæ in radice,
ſunt unum ac idem. Alioqui ceſſante præfato
deſiderio, vel mox ſatietas, vel inſenſilitas fruitionis,
oboriretur in cœleſtibus. Eſt itaque 46
iſtud deſiderium, ſive amor, fomes delectationis
interminabilis. Patet ergo , in mente intellectum,
voluntatem atque amorem, ſubſtantialiter
counita. In anima verò ſenſitiva, operationes
diſtingui , è radice facultatum diverſarum,
dum intelligimus non deſiderata , deſideramus
quoque quæ nollemus, nec planè noſcimus.
Volumus denique (dum quis tendit ad
ſupplicium) quæ non deſideramus : ſed nollemus.
Vnde contingit, deſiderium ſuperare voluntatem,
ac viciſſim voluntatem cogere deſiderium
: adeoque eſſe mutua atque pugnantia
imperia. Quæ cuncta contingunt in mortalibus,
quamdiu ſenſitiva trahit poteſtates ſuas, in
multiplicem diviſionis ataxiam. Sic ſtultè deſiderantur
impoſſibilia, præterita item , optantur
præſentia, vel non accidiſſe. Sed deſiderium, 47
de quo loquor, occultatum cum mente,
niſi de mentis eſſentia eſſet, non peccaret qui
vidit mulierem ad concupiſcendum eam, ante
voluntatis conſenſum. Deſideramus ergo nunc,
per æmulas mentis facultates, in ſenſitiva, quorum
effectus à voluntate & judicio recuſantur.
In modo etiam, nunc aliter enim operatur
deſiderium, ſive amor, atque aliter voluntas.
Pariter in motu diei ſive duratione, deſiderium

ſæpè præcedit, ſequiturve velle, ſuperatque unum viciſſim alterum, ut quid diſtinctum à 48 ſe coërceat, idque totum in caducis: quia ex animæ ſenſitivæ thymoſi. In cœleſtibus verò reſurgit amor ille, tanquam mentis ſubſtantia: nil enim eſt ibi deſideratum, quod non volitum. Idque, tam quoad actum, quàm ſubſtantiam, in unitatem eſt collectum. Quamquam habeant ſuppoſita in radice diverſa. Quod planè ſuperat modum intelligendi in mortalibus. Quia in homine, Regnum Dei, nunc eſt quidem: ſed incomprehenſibili modo: Poſt mortem verò, idem Regnum cuncta in unitatem ſui colligit. Ergo primaria imago Dei eſt in mente, cujus ipſamet eſſentia eſt ipſiſſima Dei imago. Quæ imago nec corde cogitari, nec verbis in hac vita exprimi poteſt, quia Dei ſimilitudinem refert, extra quam non eſt alia in nobis imago, quæ conceptui offerri poſſit. Proin 49 nempe ipſa mens & ſibi totaliter ignota. Dein, in ſiliqua mentis, ſive ſenſitiva atque vitali forma, eſt eadem imago in poteſtatibus relucens, per modum recipientis: quia per brutalem generationem obumbrata eſt, caduca & deturbata per impuritatem. Corpus tandem, non tam Dei imaginem, quidditativam lucis; ſed ſolam 50 figuram mutuavit. Aſt miſera mens, devoluta in tenebras exteriores, à lumine increato qua ſe ſeparavit, nativum lumen imaginis, ita amiſit propter appropriationem, quaſi ſibi ex condigno proprium: quo deinceps nil intelligat, velit aut amet, præter ſe, ac propter ſe. Ideoque imaginem Dei, in ſe ſuffocatam, reſurgendo non repræſentabit, niſi corporeo Adamicæ propagationis modo. Id eſt, figura tenus. Quapropter etiam cuncta deinceps intelligit, vult, amat, cœca apprehenſione, ſibi ſemper addicta. Novit enim ſuam immortalitatem, ſicut damnationem ſentit, eamque queritur ut injuſtitiam ſibi factam. Quia ſui amor tantum eſt ad excuſandas excuſationes in peccatis, velut patratis inſcitiæ, & innocentiæ diebus, cum multa fragilitate, hoſtium inſidiis, & gratiæ ſufficientis defectu. Nec deberi ex condigno æternum ſupplicium, pro tranſgreſſione momentanea. Furit itaque, Deumque odit, quod præſertim ſciat, damni arreſtum immutabile, & evadendi libertatem, præcluſam in æternum. Spe ergo truncata, in ultimam ac perſeverantem deſperationem, ab ipſo introitus initio, tranſit ad locum, ubi nulla pietas, compaſſio, conſolatio, aut revocatio. Et quia intellectus, naturaliter ſeſe transformat, in ideam rei intellectæ (quod ethnicis notum, Protheique figura depromtum) id eſt, in objectorum cacodæmonum ſimilitudinem. Hinc intus ſemper eſt præſens odium Dei, & beatorum; deſperatio, maledictio, damnatio, & furiales infernalium cruciatus. Omnipotens dignetur ſua bonitate, conterere laqueos, in via, nobis ex odio infernali extentos, Amen. Sufficiant hæc de anima, pro phyſica ſuiipſius cognitione. Nunc igitur ad naturam ingredior, ut animæ ſedem in corpore propalem.

DEMENS IDEA.

1. Dubium Authori circa toxica mortalia. 2. Inſcitia Authoris, ex ignorata Idea. 3. Idearum iſtarum præpotens vis. 4. Medentum ductrix ignorantia. 5. Alia inſcitia. 6. Authoris hæſitantia. 7. Confeſſio & agnitio ejuſdem. 8. Oratio Authoris. 9. Mentis exſiſtentia in nobis. 10. Fluctuatio Authoris. 11. Hiſtoria Authoris circa toxicorum examen. 12. Quid ad hanc Authorem incitaverit. 13. Quid inde didicerit. 14. Intellectum de eſſentia animæ eſſe. 15. Voluntatem & memoriam noſtram, habitare in vita caduca; & cur requiratur dilectio ex toto. 16. Intellectus quomodo vibret in caput. 17. Diſtinctio quorundam luminum. 18. Poteſtatum duumviratus quædam ſenſatio, & modus proprius animæ in ſuo luminum ſtatu 19. Cognitionum differentia quoad locum. 20. Elucidatio remediorum Cephalicorum. 21. Quid circa hæc Scholæ benè, quidve defectuosè doceant. 22. Diverſitas intellectionis ſtatus innocentiæ, & nunc. 23. Difficultates Authoris. 24. Mentalium cognitio procul avia eſt, ab aliarum quarumcunque. 25. Difficultas indagandi pro amentia, & modus Authori propoſitus. 26. Colligatio Mentis, cum ſenſitiva. 27. Cur Mens non in Corde, ut nec ſit in Capite. 28. Quod ſit in duumviratu, probat dilemma. 29. Gloria miſerationis divinæ è noſtris luceſcit languoribus. 30. Primus Amentiæ gradus. 31. Secundus in ſopore eſt. 32. Senſitivæ interna obſtacula. 33. Primò memoria labaſcit. 34. Subſecutivi defectuum adventus. 35. Conceptus tam ſani, quàm dementis, fiunt cum ideis. 36. Ideæ amentes quædam ſemper & ubique æquales: aliæ non. 37 Læſo ſpiritu inſito præcordiorum, dementiæ in vitam durant. 38. Notatu digna. 39. Amentium ſanatorum confeſſiones. 40. Ideæ conceptuales, quid patrent pro Amente. 41. Ideæ excentricæ & venenoſæ, in quo coincidant. 42. Vis in Amente, qua ſuperat frigora. 43. Probatur hinc Mentis immorta-

mortalitas. 44. Quorſum deferatur Tractatus de Amentia. 45. Ideæ Amentis extinctio intenditur. 46. Modus extinguendi connatam maculam, duplexque contra Amentiam. 47. Hiſtoriæ aliquot facti. 48. Remedium Hydrophorbiæ, & morſus rabidi ante Hydrophorbiam. 49. Iterata Amentis hiſtoria. 50. Submerſionis conſiderationes. 51. Ridiculum in remedio Galeni addito. 52. Miraculoſa ſanatio rabiei.

DE Actione regiminis, itemque de
Duumviratu, prout Phyſicum decet,
ſcripſi, ut ſedem phantaſiæ
detegerem, litemque de facultatum
mentalium diverſorio definirem.
Attamen ſuſpenſus dudum
neſcivi, quomodo intelligens degeneraret
in amentem. Sciebam quidem, rebus ſordidis
ac venenis ineſſe quaſdam poteſtates dotales,
non quidem intelligentes: ſed quæ agnatione
illis reſponderent: ſic ut noſtram nobis
invitis intellectionem ſeducerent, in ſui obſequia.
Vt morſus rabidi, ictus tarantulæ, eſus
1 ſolani, &c. Cogitabam etiam in ſordibus febrilibus
ſuas habitare conſimiles facultates. In quo
confeſtim me turbavit caſus. Quod ſcilicet in
eadem febri, atroces furiæ ridiculis ſucceſſiſſent.
Perſuadens inde mihi, quod in Amentiæ
concordia non eſſent diſcordes effectus. Neque
enim prima fronte ſat attendebam venena,
per maturationem miteſcere vel exaſperari.
2 Dein, reſpexi in Lunaticiſmum, quod invaderet
atque recederet, cum ſua aſtri ſyzygia, citra
omnem veneni ſodalitatem. Maniam quoque
repetere atque ſilere, citra ullum intercurrentis
3 vitæ vitium. Totus hæſi neſcius adhuc, præter
corporalia venena eſſe & virulentas imagines,
impreſſiones, ſpirituum vitalium abſolutiſſimas
& efficaciſſimas magiſtras: quibus tam
lubenter, quàm promtè, obedirent poteſtates
noſtræ intellectuales, quamdiu corporis carcere
claudimur. Interim per fidem ſcivi, mentem
eſſe immortalem, eoque jure intellectum
ſuum permanere impollutum à corporis contagiis:
4 quia non decebat, quod immortale atque
infinitum erat, minui aut lædi à caducis. Ex
una parte itaque, lubens fatebar humiliter
meam ignorantiam: ex altera verò, contemplabar
furioſi ærumnoſam, nec unquam indagatam
conditionem, & tam penurioſa remedia in
malis maximis, maximéque commiſerandis. Eò
quod medentes, inani doctoratu, mundo imponentes,
perſuaderent ſe perluſtraſſe univerſa,
5 nec medelam tanto malo eſſe: quia cerebrum
intemperiem inæqualem æqualiter induiſſet,
quaſi veſtem. quam tamen primariam
qualitatum intemperiem, rogati, non potuerunt
condigno etymo, adhuc exprimere. Quapropter
ſpretis Scholarum ſuſurris ſterilibus, poſtquam
annotaſſem, Amentias hypochondriacas
extra controverſiam eſſe præcordiales, dubitare
primum cœpi, an dirum illud virus per ſingulares
quaſdam arterias deferretur ad cerebrum?
At ſaltem ſtatim diſplicuit mihi iſta ſuſpicio, 6
quia quilibet inexcuſabili laboraret inſania,
niſi fortè in ſapientibus iſti canales perpetuò
obturati manerent, adeoque morbidi
eſſent, ne tales evaderent. Saltem notavi differentiam
inter deliria febrilia, & maniam; quod
hæc ſcilicet, per longam ætatem perſæpè, abſque
ſanitatis diſpendio, etiam in ſeros nepotes,
citra ſeminis atque vitæ incommoda, perſiſteret
incolumis. Rem ſanè tum mihi inſcrutabilem
ſæpè deſerui, ſæpeque iterum ex commiſeratione
ad manus deſumſi. Atque tandem vidi 7
clarè, falſis me inniti principiis, abduci credulitate,
& authoritatibus ethnicorum, deludique
me, morborum ignotis qualitatibus: Idque primum
ſic concepi, ſenſimque magis confirmatus,
me denudavi doctrina, quam ſorbueram
in Scholis, de anima & de morbis. Dein, mentem
meam à ſcrutinio functionum intellectualium,
in quiete & paupertate Domino commiſi:
ut de me, quod ſibi beneplacitum eſſet,
perageret. Non ita tamen eram indifferens,
quin ſemper deſiderarem, proximo prodeſſe.
Rogavi itaque Dominum, ut ego mihi innoteſcerem, 8
nedum agnoſcendo meum abyſſale
nihil, moraliter: ſed tanquam Phyſicus, ipſas
mentis poteſtates intueri poſſem. Nil ſiquidem
æquè placidum, atque utile rebar, poſt divinorum
Sapientiam, quàm ſemel intueri animam
meam velut Dei imaginem. Quare ego 9
revolvi quæſtionem de ſede, aut thoro animæ
immortalis, mecumque diſquirebam ideo, an
ſic eſſet tota in toto, ut abſque dependentia
thori, vel centuralis throni, exſul vagaretur,
certis non adſtricta laribus? ſicque tota in digito,
ut hoc amputato, tota à toto decederet, vel
feſtino metus caſu, intrò recederet. Itaque reperi
animam homogeneam, ſimplicem, & indiviſibilem:
aliàs nec fore immortalem. Dein
cognovi, tantùm radialiter totam partibus
ignobilibus affulgere, per modum luminis
Solaris, quæ interim velut in ſui throno deliteret,
& inde luceret per totum, penitus ignota
animæ ſenſitivæ; cujus tamen vita eſſet ipſimet
mens. Perinde quaſi, ut Deus omnium

eſſentia intimè cuique noſtrum adeſt, à nobis
tamen naturaliter ignoratur, nec ſentitur. Dein
10 ſubiit in animum diſceptatio, an plura eſſent
centra, illaque, juxta radicalium viſcerum vitales
neceſſitates, diremta. Sed tandem ſcivi
mentem uni plus adſtrictam viſceri, quàm alteri,
tam quoad videndi, quàm intelligendi munia.
Ac tandem, ſemper ideo redactus ſum ad
unius viſceris thorum individuum. Dumque
inquirerem caput & cor, authorumque ambiguitates
librarem, comperi ſtatim, me (quod
ante adhuc deteſtatus) recidere in ethnicorum
placita, quibus ut fuit Dei veri cognitio denegata;
(ita & cognitio divinæ imaginis, quæ medendi
tamen objectum eſt. Neſcivi itaque unde
inchoarem tantæ molis arbitrium, authoritatibus
11 & ſodalibus deſtitutus. Donec tandem,
permittente Domino, humana ope & opera deſtitutus,
ſub multorum annorum diſquiſitione
& ſpe cognoſcendi torum animæ, caſus inſolitus
mihi acciderit, cujus hiſtoriam narrabo. Invigilabam
enim circa venena vegetabilium, credens,
quod tanti toxica non eſſent Adamo noxia
ante peccatum: cum nec mortem, nec medicamentum
exterminii, creavit Omnipotens,
adeoque emiſiſſe tam atrocia, non quidem ut
hominem interimerent: ſed quia in ſudore vultus
cogebatur panem edere, quibus morbis obnoxius
erat factus: etiam in ſudoribus, medicamenta
12 pro morbis depromeret. Ideoque pollicebar
mihi, toxicum iſtud, per modum cuſtodis
& ſiliquæ, inſignem aliquam & virginem
poteſtatem, in magnos uſus creatam tegere,
quodque per artem & ſudores toxica miteſcerent
& evaneſcerent. Quapropter cœpi diverſimodè
Napellum agitare. Ac ſemel, cum ejus
radicem ruditer præparaſſem, deguſtavi in apice
linguæ. Etenim quanquam nil deglutiveram,
multumque ſalivæ ſputitaveram, ſenſi tamen
mox abinde, craneum velut zona forinſecus
ſtringi. Tum demum præcipitanter aliquot
mihi negotia familiæ obvenere, computum
quendam ſolvi, per ædes oberravi, atque ſingula
pro requiſito peregi. Tandem obvenit mihi
(quod nunquam aliàs) quod ſentirem, me nil
intelligere, concipere, ſapere vel imaginari in
capite, pro more aliàs ſolito: Sed ſenſi (cum
admiratione) apertè, dilucidè, diſcurſivè, atque
conſtanter, totum iſtud munus obiri in præcordiis,
& expandi circa os ſtomachi, idque adeò
ſenſibiliter & clarè ſenſi, imò attentè notavi,
quod quamvis etiam ſentirem ſenſum & motum,
ſoſpites, à capite in totum diſpenſari: quod
tota diſcurſuum facultas notoriè & ſenſibiliter
in præcordiis eſſet, cum excluſione capitis, quaſi
tunc mens conſilia ſua ibidem meditaretur.
Admirationis itaque & ſtuporis, inſolitæ illius
ſenſationis plenus, notabam mecum meas notiones
& examen earundem, atque meiipſius,
præciſiori modo, inſtituebam. Et luculenter inveni,
ac trutinavi, me, illo toto ſpatio, intelligere
& meditari, longè perſpicacius. Adeoque
non poteſt ſenſus ille, quo percipiebam me intelligere
vel imaginari in præcordiis, & non in
capite, ullis exprimi verbis. Eratque gaudium
quoddam, in iſta intellectuali claritate. Etenim
non erat res exiguæ durationis, nec mihi dormienti,
aut ſomnianti, aut alioqui morbido,
advenerat: ſed jejuno & benevalenti acciderat.
Imò quamvis ecſtaſes aliquot antea expertus
fueram: notavi tamen, illas nil commune habere
cum hoc præcordiali diſcurſu & ſenſu intelligendi,
omnem capitis cooperationem excludente.
Quippe quod cum reflexione ſenſibili
(tanquam antea præmonitus eſſem) caput
prorſus feriari, reſpectu phantaſiæ, deprehendi:
quia mirabar, quod phantaſia extra cerebrum,
in præcordiis, ſenſibili operationis feſtivitate
celebraretur. Interim quandoque in gaudio illo
ſuſpenſus timui, inſolitus ne caſus ad Amentiam
duceret: eò quod à veneno incepiſſet:
ſed præparatio veneni, & ejuſdem levicula tantum
deguſtatio, aliud inſinuabant. Interim
quanquam claritas, ſive illuminatio gaudioſa
mei intellectus, inauſpicata, ſuſpectum illum
intelligendi modum redderent: attamen reſignatio
liberrima mei, in voluntatem divinam,
me reſtituit in ſabbatiſmum priorem. Tandem,
poſt binas circiter horas, levicula quædam vertigo,
bis repetita, me invaſit. A priore enim
rediiſſe intelligendi facultatem percepi: & altera,
ſenſi me intelligere more ſolito. Deinde,
tametſi poſtmodùm aliquoties de eodem Napello
deguſtaverim: attamen nunquam amplius
quicquam tale mihi contigit. Perfectè enim 13
multa exinde didici. Ac primùm quidem,
quod ſicut per ecſtaſes eluceſcunt animæ quædam
præludia: ita per præfatam notionis normam
apparet, quod noſtra intellectio, quamdiu
corpori alligamur, originaliter formetur in
Duumviratu. 2. Tantoque id eſt inauſpicatius,
quod ordinaria fabrica diſcurſuum ſit circa os
ſtomachi, non autem in viſcere aliquo: ſed velut
in membrana, ſive, in quaſi indiviſibili loco.
Nec multò ſecus, habitat in uteri membrana,
quædam totius Monarchia. Sic tamen, ut vulnus

nus ſtomachi ſtatim vitam importet; non autem ita Vteri. 3. Quod per duas circiter horas, ſentirem inſperato modo, nil agi in capite: indicibilique modo, totam animam, clariſſimè cogitare in præcordiis. 4. Quod ſimile ferè contingat in oratione ſilentii: magiſque & manifeſtius, in extaſi. 5. Quodque ideo anima inintellectualis centraliter hoſpitetur ibidem. 6. Tum etiam, quod ſicut Amentia eſt defectus intellectualis: ita proin ſuſcitetur ex hypochondrio. Cum eadem facultas, quæ ſanam functionem edit in ſanitate patiatur ſub morbis, defectum ejuſdem. Quoties nempe, intellectio, 14 in ſua ſede eclypſatur. 7. Comperi quoque, in Corde habitare volendi poteſtatem. A Corde enim manant homicidia, adulteria &c. 8. In cerebro ſedere memoriam, ab anima ibidem impreſſam: ideoquè facillimè præ cæteris, per morbum, & ſenium oblædi. Imo ſi quis laboret, ut reminiſcatur rei oblitæ, ſenſibiliter percipit hunc ſibi laborem in ſincipite. 9. Denique cum voluntas & memoria, procul diſtent ab ſede animæ, ſive intellectus, concluſi mecum, intellectum eſſe de eſſentia animæ, 15 inſeparabilemque: voluntatem verò ac memoriam, quatenus habentur in vita caduca, eſſe facultates caducas & vitæ ſenſitivæ. 10. Fieri nimirum peccata in Corde & voluntate, in carne peccati, in voluntate carnis & hominis. Dilectionem ideo requiri totalem ex tota mente, quæ 16 (propter inſeparabilitatem) pro intellectu ſumitur, ex toto corde ſive velle: ex tota anima imaginativa, & poteſtatibus ejus per totum corpus diſperſis. 11. Inveni intellectum radiare luminaliter in caput, medio tamen corporalis connexionis, per ſpiritum aëreum., qui dum ferirat capitis ſinus, vertiginem quandam, & nubiloſam intellectionem induceret. Sic quanquam pro ſenſu & metu, à Cerebro, ſpiritus opulenter diffunderentur, in illo ſtatu: viciſſim tamen opus fuit ſingulari lumine, quod à præcordiis aſcendens, illuminaret medium ſpiritum, per quem tranſibat. Qui luminoſus radius, non aliàs exprimibilis eſt, quàm quod ſit intellectualis, & ſuperans contextum ſublunarem. Quippe qui debet à ſola anima fabricari, quæ in ſe, non niſi merus intellectus eſt, ſive lumen 17 ſubſtantiale & intellectuale. 12. Quod, quia ſenſus, & motus, liberi ſtarent, ſuſpicabar, aliud lumen aliunde allatum; ſive denotabant liberum, in illo ſtatu fuiſſe tranſitum ſpirituum per nervos. Vertigines verò ſignificabant obſcuritatem quandam fuiſſe in capite, prius non perceptam, eamque, novo lumine, infernè luceſcente, in Cerebri ſinibus diſparuiſſe. 13. Quod jecur rectè vegetaret, Cor etiam ſpiritus indeſinenter efflaret in Cerebrum; itemque voluntas agendi requiſita, perſiſterent quidem: ſolæ autem poteſtates intellectuales, ſopitæ in Cerebro, velut dormirent, ſi non à præcordiis illuminarentur. Hoc autem lumen penetrat totum, quorſum radiat. Perinde atque lumen candelæ, trans oſſa digitorum, in junioribus, rubicundè ſplendet, tanquam ſi ipſa oſſa diaphana eſſent. 14. Quod ab illo tempore, ſoleo quoque indicioſiora ſomnia habere, cum diſcurſu formatiore, & clariore, quàm antea. Nam ſemel mens, velut munia ſui corporis reaſſumens, deinceps melius intelligit. Vnde tum deinde aſſecutus ſum, quomodo dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. 15. Certior factus ſum, alium tum fuiſſe ſtatum meum, alium verò inſaniæ, lethargi, Apoplexiæque. Etenim cum circumſpectione meipſum tum ſeriò expendi, an iſta eſſet via, qua ſtulteſcerent homines. Quandoquidem in pleno judicio mei tam expers eram omnis metus, quod res meas, non ut meas contemplarer. Reſpexi enim eas, ex obliquo, velut in caput alterius ſeculi viri vibratas. 16. Didici etiam quod vita, intellectio, ſomnus &c. Sint opera cujuſdam lucis, non requirentis canales: cum lux lucem vitalem penetret. 18 Proinde etiam anima ſe retrahit, diffundit, ſubtrahitque motu ſibi proprio, prorſuſque diverſimodè in ſomno, vigilia, contemplatione, extaſi, ſyncope, mania, delirio, rabie, propriis perturbationibus, ſpontaneis confuſionibus, imò & ſimplicium quorundam violentis impreſſionibus. Quia mens integram Monarchiam in ſpiritualibus complectitur multis generibus atque ſpeciebus diviſam; non minus quàm ipſa corpora inter ſe differrent, ita & luces. 19 17. Tandem, quod intellectio orta per inventionem atque judicium, cum reflectione ad loca, ad circumſtantias, ad præterita, præfata, præmiſſa, adeoque ad abſentia tanquam abſentia, fiat ultimatâ operâ in Cerebro, per affluxum radii è præcordiis, quatenus memoriam præſupponit ejuſmodi intellectio. Sed illa quæ eſſe de futuris, vel abſtractis, citra reſpectum circumſtantiarum, tanquam præſentia eſſent: tota cuditur in præcordiis. Atque hactenus amentes, cuncta, tanquam præſentia, aſpiciunt, garriuntque; tanquam de præſentibus. 18. Proinde venena, quæ vim habent diſlocandi imaginationem, non afficiunt primariò Cerebrum: ſed duntaxat

præcordia. Quod ſat probat hiſtoria Cauſidici,
qui biberat ſemen hyoſcyami, alibi à me recitata.
Etenim quicquid ſtomachus concipit, idipſum
planè tranſmutatur, atque prorſus in aliam
eſſentiam migrat, priuſquam inde tantillum
ad Cerebrum pertingat,ac quicquid ejus eò
pervenit, jam eſt cruor, qui prioris ſortis qualitates
cunctas, in limine primarum officinarum,
exuit. Vel demum labitur extra ſtomachum,
20 & cum ſcoriis, foras protruditur. Adeoque
nulla ſimplicia, quomodolibet ſumta, materialiter
applicantur Cerebro. Falſum eſt ideo,
quicquid de pillulis Cephalicis, lucis, &c.
Scholæ venditant. Siquidem nec pillulæ è capite
quicquam eliciunt, nec aliquid caput dat,
quod non habet, præter muccum, quem ad
21 ſuam pelvim, neque aliò mittit. Sin autem aliqua
caput feriant, alterent, juventque; ratione
præcordiorum totum contingit, quibus eſt inconcuſſa
actio Regiminis in caput, prout jam
ſat ante probatum eſt. Rectè quidem docuere,
vertigines, & commata, ob inferiorum conſenſum
ſuſcitari: ſed nec granum ſine palea. Nam
vapores craſſos, fuliginoſos, acreſque introduxerunt
Scholæ. Deinde, & plerumque in ejuſmodi,
Cerebrum primaria lue affici volunt. Stolidumque
idcirco, capiti remedia applicuiſſe,
ſcopo inquam, & non ſagittario. Quia videlicet,
non noverint veram efficientem internam,
ejuſque connexiones, neque modum fiendi,
morbis ſolitum, quodque actionem Regiminis,
luciſque conſpirationes planè neglexerint.
18. Intellexi & hinc tandem, quod anima immortalis,
& infatigabilis, dum ante peccatum,
ſuum corpus gubernaret ex condigno, intelligeret
cuncta intimè, opticè, citraque laborem,
22 tædia, & laſſationem. Quia penes ſe, in ſui
centro, & unitate, abſque organorum adminiculo,
cuncta intelligebat: Nunc verò alieno
hoſpitio detenta, tota impedita velut, munium
diverſitates tradidit ancillanti animæ ſenſitivæ.
23 Hoc loco de cogitationibus aliorum, rationem
reddere præſumo, qui de meis non ſat
ſpondere, aut dolere poſſum. De occultiori
nempe cogitationum fonte, deque abſtractiſſimis,
philoſophandum propoſui, de vitiis,
& exorbitationibus fluctuantium & incertarum
cogitationum. Imò profundius penetrandum
eſt, ubi ad ipſas vitiatarum cogitationum
poteſtates, collimandum, vitiorumque hujuſmodi
fontales & occaſionales cauſas veniendum.
Res eſt ſanè ardua, obſcura, & invia, in
qua ante limen, deficiunt Scholarum theoremata,
adjumenta corporum, imò & morborum,
quorum cauſæ & effectus ſub ſenſum cadunt,
aut per cadaverum diſſectiones probantur.
In qua inquam patiens imaginatio, ſeipſum
pandit quidem: ſed occultatur agens. In 24
aliis diſquiſitionibus, ex integri notione, vitiatum
cognoſcitur: ſed in mentalibus longè
adhuc facilius conciperetur violatæ intellectionis
cauſa & modus, quam ſanæ: quippe quod
facultas ſana adſcendat ad DEI ſimilitudinem
magis: defectuoſa verò, ad naturæ corruptæ
meditationes ſe magis inclinet. Ideoque integrum
in mentalibus, non demonſtratur à priori:
deficiens verò, ex ruptura connexionis cauſarum,
quodammodò enoteſcit. Inſania quoque 25
ſemper eſt longè difficillimæ doctrinæ, quod
negationem cum privatione in ſe complectatur.
Quocirca alia via in propoſito caſu eundum
cenſui. An fortè inveſtigato modo fiendi,
in una quapiam de inſaniis,invenirem egreſſum
pro aliis. Propoſui itaque Amentiam, quæ ex
forti & aſſiduata contemplatione, metu, paſſioneque
oritur. Exin deinceps concluſi agnoſcendam
rei venenoſæ qualitatem,& diſpoſitiones
organorum, quæ concurrerent ubi aliquod
ſimplex aſſumtum, vel intus generatum, dementiam
concitaſſet Habita verò unius Amentiæ
cognitione, facilius erit, earundem dein
diverſitates metiri, in amplitudinem modorum,
fortitudinis, appropinquationis, applicationis
& varietatis ſpecierum, deſcendendo.
Idcircò enim primum cenſui, inveſtigare ſedem
animæ ſenſitivæ, cujus exorbitationes
ſcilicet, Amentias faciunt. Siquidem conſideravi, 26
quod qua ſede moraretur forma animalis,
eâdem quoque cohabitaret ipſi alligata
mens immortalis, quæ dualitatem, diſcrepantiam
& diverſitates manſionum recuſaret. Nec
enim decebat, mentem iſtam; abſque medio,
corpori alligari, ubi ſemen humanum, non
minus quàm belluinum, ſpontè defluendo, terminaretur
uſque in animam viventem excluſivè.
Adeoque condignum erat, mentem alligari
ſociali formæ, formalique lumini, cum
quo conveniret optimè, ut capite de formis,
& lib. de vita longa de mortis introitu. Decrevi 27
itaque inprimis, animam immortalem
non ſibi elegiſſe domicilium in corde, viſcere
nimirum tam inquieto, totque agitationibus &
corporis diverſis muniis diſtento. Caput etiam
non aptum menti immortali hoſpitium indicavi,
quod regendis motu & ſenſu occuparetur:
Ac potiſſimum, quod præcluſa ab inferis
con-

conſpiratione, unico inſtanti, mentales facultates,
velut abſciſſæ, pereant, nec minimum
meditentur: atque ideo non propriam inhabere
mentis principis operationem. Imò potius,
Duumviratum male diſpoſitum, bene diſpoſitum
caput alioquin, in Amentias plerumque
conturbare vidi. Ideoque Splenis quietem admiratus,
itemque abſtractionem ejus, à regimine
corporeo, conſideravi intentè, hoc dilemma.
28 Si mens Imago Dei, centraliter ſit in capite, erit
vel in finibus, vel in ipſa cerebri ſubſtantia. Non
enim in hac, quippe, quæ ſenſu & cruore caret,
deſtituta commercio, per quod toti corpori, cui
obligatur, præſens ſit. Regere quidem caput,
per ſenſum & motum, à nemine eſt controverſum.
At brutale illud minus & pecuinum regimen.
Regi autem caput aliunde, in ſuſpenſionibus,
& exorbitationibus mentalibus, per
ataxias morborum edocti, credere cogimur.
Hoſpitari autem animam in cavo cerebri, indecens
cenſui, immortalem animam nupſiſſe
vago & fluxili in momenta ſingula ſpiritui, è
cruore indies ſurgenti. Quapropter ſtabilius
diverſorium optabat & quietius, quàm quod in
horas labile foret. In centro corporis, ſive medio,
in parenchymate viſceris potius quievit,
undè cum omnibus colloqueretur pariter
membris, ratione unitatis & continuitatis Archei
inſiti. Sed cum corporea organa, reſpectu
mentis, ſint ſordes & ſiliquæ, nucleum corporis
ſibi delegit, leviculam nimirum igniculi lucem
formalem, ſive animam ſenſitivam, cui
videlicet mens nupſit mandato Domini. Et
quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet abſque
reatu. Dolendus interim ærumnoſus mortalium
ſtatus, quod Mens nimirum ſit alligata
animæ ſenſitivæ. Enti nimirum impuro, concupiſcentiis,
illecebris & voluptatibus dedito,
eique tam facilè Mens immortalis aſſentiatur,
quaſi propria ſui incuria jam æternum dormiret.
29 Aſt non. Tantò nempe major eſt gloria,
miſerationis divinæ, quæ ſua dumtaxat gratia,
gratis reſuſcitat, ſuſtinetque è veterno mortis,
quos vult ſalvandos. Alioqui ſanè, anima ſenſitiva,
morbis & Amentiis ſubnoxia, prona
30 ſemper in voluptates quaslibet. Primus enim
Amentiæ gradus in ſomno elucet; naturalis attamen,
dum honeſtæ recreationis & vacationis
titulo, ſe immergit cum voluptate quietis in
proprium hoſpitium. Somni naturalis excentricitates
porro, vitia, defectus, ac expreſſæ dementiæ,
31 ſunt ſopores omnes. Qui ſcilicet, jam
non amplius, è propria ſenſitivæ libertate, &
voluptate promanant: ſed excrementitiis ſordibus,
velut febrilibus, oriuntur. Perinde enim,
atque naturalis ſitis eſt ſenſus deficientis
humidi: febrilis verò ſitis, ab impoſtoriis excrementi
verſutiis: Sic ſopores non fiunt à naturali
facultate, qua anima ſomnum ſibi concitat:
ſed ab alienis impuritatum impoſturis
ſeducta, vel ſuperata. Sopores ergo, itemque
Apoplexia, Aphonia &c. non ſunt tam vitia animæ
errantis, quàm ejuſdem debilitates, organorum
vitiatorum conjugio contractæ. Impuritatum
namque collegia, ſtatum monarchicum
quamprimum invadunt occaſionaliter.
Non quidem, quod ſit neceſſum, ſeſe in lumen
animatum, ejuſmodi impuritates materiales
diffundant per connexionem. Sufficit
namque, quod vim habeant narcoticam, venenoſam,
animæ ſenſitivæ exitialem: quia imaginativam
alienant perinde, qualis rabientis
ſalivæ, in metu aquæ: ita quoque incuriæ Amentia
introducitur, per illa ſoporifera. Vis
iſta potentialiter, atque ſeminaliter ineſt ſordibus
illis, ab initio, à ſeipſa, poſtquam maturuit,
valde diſſimilis. Non ſecus atque glans à quercu.
Exoticam ergo phantaſiam imprimunt
ſordes invitæ animæ ſenſitivæ, quod manifeſtò
apparet in opio, hyoſciamo &c. Quæque impuritatum 32
colluvies, obſidens animam ſenſitivam,
in ſuo viſcere originali, ſopit actum intellectionis
Mentis, non potens in ita obſeſſam
ſenſitivam liberè lucere. Quapropter ſenſitiva,
rectrice deſtituta, procellas movet tumultuarias,
ſuamque tempeſtatem ſenſim in voluntatis
capſam attollit, undè & iraſcibilis, præcipiti atq;
inverſo ordine, fertur. Caput demum, ſuas ſcitarum
rerum imagines, præpoſtero nexu depromit.
Vnde fit, quod plerumque conſumtis deliriis,
nulla ſuperſit actorum recordatio; quod
ſenſitiva, præcipitanter per obſeſſionem perculſa,
cuncta præpoſterè moverit. Vbi aliàs maniæ,
ſordium ejuſmodi expertes, plerumque memores,
ſunt actorum. Comperi namq; pluries, deliros 33
præſenſiſſe, dimiſſas infernè imagines intellectuales,
turbidas ſurſum, atque primum infirmari
circa memoriam: adeoque & hinc collegi,
vim intellectivam procul à capite ſitam.
Non ſecus atque partes à Corde remotæ, vitalis
irrorationis defectum, omnium primæ ſentiunt.
In deliriis ideo, obſervavi primam vacillare memoriam 34
rerum olim conceptarum. Dein, in ejus
vicem ſuboriri importunam unius rei & continuatam
recordationem, quæ ſe habet per modū
repetiti ſomnii, cum inverſione moleſtiſſima, &

labore ſomni. Quem laborem mox vigiliæ ſe-
quuntur, dum ſcilicet præcedentes imagines
ſomniales, Cerebri memoriam labefactarunt:
ſubit tum ex præcordiis, vigilans quoddam ſo-
mnium cum expreſſo delirio. Neque enim de-
lirium fit cum ceſſatione intellectuali, prout in
Apoplexia, ſopore, ſyncope, &c. Sed eſt con-
fuſa, indeſinens, idearum in præcordiis forma-
35 tarum propagatio, ſurſum vibrata. Cumque in
ſanitate alioqui non fiat conceptus abſque i-
deis: neceſſariò, & in delirio, ſuæ ſunt amentes
Ideæ: Sed omnino ſub hac diſtinctione. Quod
Ideæ in ſanitate formentur à libertate animæ.
Inſanæ verò, ſint ſigillares notæ, invitis nobis,
in ſenſitivam delatæ, ideoque & hanc violen-
ter extra orbitam abducunt. Tantum abeſt,
quod inſanæ ideæ formarentur à mente, ſtul-
36 teſcere neſcia. Nam patet, quod ideæ ſequan-
tur perturbationes rerum, unde fiunt. Quod
maximè clarum eſt in Rabiente & Tarantula:
quorum virus, propriam, determinatam, æ-
qualemque amentiam producit & ideas ſibi
perpetuò conſimiles. Sic quoque, fortis per-
turbatio noſtræ imaginationis imaginem cu-
dit, eamque imprimit in ſordes aliquas, ſin
minus in ipſum alimentum, vel etiam in par-
tem ſolidam & noſtri conſtitutivam Vnde
videlicet, continuata eſt idearum novarum
propagatio, ipſaque diverſitas & amplitudo,
in maniacis. Siquidem à metu, Agonia, in-
vidia, ambitione, Amore, ſtudio, cura, pu-
dore, avaritia, aliiſque conſimilibus perturba-
tionibus, dementiæ fiunt. Tantoque miſerio-
res, quæ ſuſcitantur abſque excrementorum
infamia, quia vel continuò perſeverant, vel
ſtatis recurrunt recidivarum periodis. Alio-
quin abſumtis ſpurcitiis, ſpontè ceſſant labes
prognatæ. Sed inſaniæ, ſive continuo æſtu
ferociant, vel per intervalla repetant, ſaltem
ſpiritum Duumviratus ſic inquinarunt, quod
ſuſceptam imaginum furioſarum procellam,
37 eodem modo radicitùs impreſſerint, quaſi ma-
cula fœtui, à prægnantis matris exorbitatione
inuſta, in vitam durabilis. Perinde nimirum,
ut ſtigma ceraſi in fœtu quotannis viret, fla-
vet, rubetque cum arborum fructibus: ſic &
ideæ maniacæ, perturbationibus ortæ, habent
in ſpiritu præcordiorum, ſua incentiva repe-
titionum, periodorum acceſſuum, & exacer-
bationum intervalla: vel etiam continuatio-
num fomenta indeſinentia. Quod clarè nobis
exprimit Lunaticiſmus, aſtri videlicet illius ſy-
zygiam ſervans. Nec mirum utique Amentias
illas ſe habere per modum maculæ in Duum-
viratu: nam ſpiritus eſt viſivus in oculo, nec
alibi in toto. Proinde, cum Duumviratus, ex
radicali ordinatione Domini, continuò incum-
bat phantaſiis, ideo incidentiæ in illum latæ,
debent imaginationis œconomiam ita vitiare,
ut recidivarum replantationem ſuſcipiat con-
ceptæ Ideæ. Notandum interim Lunaticum 38
ſanari non potuiſſe, niſi ſimul ejecto ſpiritu
immundo, ſive hic comes fuerit aſtri noctur-
ni, ſive demum principalis effector. Ego ſal-
tem in omni mania, reperio egregiam arro-
gantiam, immortificatam aliquam paſſionem
aſſumendo ſocialem, quæ & in vitam perſeve-
rat, & in ſeros nepotes traducta elucet. Quia
Idea Amens penetravit ſpiritum inſitum, unde
demum ſemen violat, ſibi genialis facta. Cu-
rioſus enim inquiſivi plures Amentes, & non
paucos ſanavi, tam qui à magnis perturbatio-
nibus, paſſionibus, aliiſque morbis, quàm qui
aſſumtis dementes facti erant, narruntque mi-
hi, ſe incidiſſe ſenſim in Maniam, cum præ-
vio ſenſu ex hypochondrio illis aſcendere ſoli-
tam, velut obſcuram phantaſiam & nubilam
tentationem amentiæ, quâ primùm velut in-
viti premebantur, donec Idea tandem, ple- 39
num ſibi dominium acquiſiviſſet. In ſe autem
reverſi, erant actorum omnium memores. Fi-
denter enim conqueſti ſunt de omnibus. Quod
nimirum ſpoliarentur primum omni diſcurſus
conſecutione, ſeque manſiſſe in punctuali im-
merſione unius conceptus: extra quem, nil
aliud cogitarent, cum mœrore, moleſtia, &
importunitate. Cogitarent enim non ſecus,
ac ſi in ſpeculo illum ſemper conceptum fuiſ-
ſent intuiti. Imò nec ſciebant ſe tum iſtud co-
gitare, vel ſuo conceptu ſic aſpicere: quan-
quam ſic immobiliter cogitarent, ut tandem
ſub ingreſſum & dominium maniæ, ſi con-
tingeret illos ſtare, ſtetiſſent per dies aliquot,
abſque laſſitudine nec ſcirent ſe ſtare. Conti-
git enim ſic, quod fatuitatis illa Idea, quæ diſ-
curſum abegerat (per quem alioquin ab immo-
derata & inordinata penſitatione, ſublevati fu-
iſſent) ſpiritui, intellectioni præfecto, cum
dominio fuerit impreſſa. Imò quod hi, lon-
ga mora & continuata cogitatione, fecerunt
in ſe; aliis per ſubitam violentamque pertur-
bationem acquiſitum fuit, brevi morula. In-
terim quidam conquerebantur inter fiendum,
quod invita & importuna cogitationum tur-
ma, opprimerentur, velut ſuſcitato infernè fu-
mo: quem, ſi per diſcurſum ſupprimerent,
redi-

redibat tamen æquè moleſta & importuna conceptuum eorundem repetitio. Alii autem, qui ſui non erant juris; vel alioquin extra conſolationem, ſubindè à forti & fixa contemplatione avertebantur, quoties dormirent, aut aliàs vacarent, cum plauſibilitate, in vetitam ſpeculationem, prorſus tamen moleſtam, re-
40 currerunt: ſolitudine ideo gaudentes, ſe abſtrahebant aliorum colloquiis. Eò quod Ideæ conceptuales, adhuc carentes corpore, ſe habent & tenent ex parte lucis intellectualis, ideoque penetrant prima noſtri conſtitutiva: quod cibis, aliiſque corporibus non item eſt licitum. Penetrant igitur & ſe veſtiunt aëreo corpore ſpirituum, hujuſque medio inficiunt
41 formas vitales partium. Hac tamen ſub differentia, ut Ideæ, quæ ab excentricitate conceptuum cuſæ erant, potentius quidem ingrederentur & admitterentur: ſed tardius imprimerentur: Vbi alioqui venena dementifica, mediante morbo, ſuum fermentum, in objecta propria, ſenſim ſeminabant: ſed tandem pertinaciter imprimebant, velut in naturam
42 ſigillata. Eſtque ſingulare maniacis, quod utcunque nudus cubet humi, vel in marmore pernoctet, ſeveriſſimo Boreæ flatu: non glacietur, vel artus commoriantur ſibi, quorſum non ſufficit dixiſſe. Maniacus non ſentit frigus, nec ſcit ſe frigere. Siquidem privatio, vel negatio ſcientiæ, aut ſenſus, nil reale dat, multoque minus calefacit, vel frigori vires adimit, ut proinde deſineret carnem glaciare. Etenim etſi puer in cunis peſtem non timeat, nec ſciat eam adeſſe: non proinde peſtis jus in illum amiſit. Eſt ergo vis aliqua, quæ frigora ſuperat, nec ſublunari tempeſtati ſubjacet. Et hinc maximè elucet, mentem in
43 nobis eſſe immortalem ac impaſſibilem. Nimirum advertens ipſa mens, quod anima ſenſitiva, non pro requiſito noſtræ ſpeciei hominem gubernet, velut ex commiſeratione inſontis cæcitatis, ſua virtute, qua elementis ſuperior eſt, diffluit radium inſenſibilem, qui corpus Amentis, mortali frigoris importuni-
44 tate eximit. Porro, cum omnis Amentia oriatur ab efflorefcente Idea, conceptuali peregrina, inſerta in alienum agrum, ſitque tota hæc ſpeculatio, ad finem aliquem utilem, & nedum ad curioſitatem vel oſtentationem
45 directa. Conſideravi quæque Ideam amentem, jam ſcilicet impreſſam, in radicalia vitæ principia (adeoque & hinc propagari in familias) non poſſe auferri, una cum ſubjecto quod veſtivit: Idcirco inveniendum erat remedium, quod poſſet occidere, necare, tollere, ſive obliterare præfatam illam Amentiæ imaginem, ſive maculam jam characterizatam: non ſecus atque mala fœtui impreſſa, admota manu ca- 46
daveris, longa tabe extincti, omnique vitæ proprietate exuti, donec frigus partem maculatam penetraverit (quod fit ſpatio unius miſerere) de cætero ſpontè evaneſcit. Eodem modo & maniæ Ideam perire debere, ſoſpite interim ſubjecto immediato, cui inhæret. Sive id fiat introducendo mortem Ideæ, vel ingenerando æquivalentem Ideam, aut propollentem fatuæ Ideæ. Hinc factum eſt enim, quod hactenus Amentiæ ſit deſperatum remedium. Quòd nemo hactenus Amentiæ naturam, vel proprietates, ſupra primarum qualitatum ametriam evexerit. Imo ipſe Paracelſus, alioquin in calores & frigora injurius, maniam calori, & Phlebotomiæ, totam emancipavit, ſeſeque in eo ridiculum præbuit. Difficilis (fateor) viſus fuit ſanationis ſcopus, eò quod non ſolùm in intimum intellectionis punctum introducta ſit, & impreſſa, corruptæ phantaſiæ Idea, notaque ſigillaris, & macula: verumetiam, quod reſtauratio ſpiritus innati reputetur planè impoſſibilis. Imploratum fuit quidem Arcanorum optatum auxilium: at lentus horum fuit progreſſus, quod hoſtis intus contumax reſiſteret. Sed adhibita ſunt medicamina, quibus inhabitat ſymbolum: id eſt, ſanioris judicii imaginatio fermentalis. Enimverò ut ſunt venena Mentis, alienativa pro ſpatio, vel in totam vitam: quæ ſcilicet propriam phantaſiam in nos introducunt. Vt rabioſus, Tarantula, &c. Ita ſunt ſui etiam fructus, ſcientiæ boni & mali, in ſimplicibus, prima quidem facie venenoſis: ſub quibus attamen cuſtodiuntur ditiores mentalium theſauri, & redintegrationes. Sed cum non tutum ſit, illa remedia in vulgus Medentum projicere, ob multiplicem abuſum ingeniorum hujus ſeculi. Denique nec ſit opportunum cuivis, adire Corinthum: itaque altera via, quæ eſt mortificationis ſtultarum imaginum, hoc loco gradiendum cenſui. Con- 47
ceptam verò conſiderationem confirmarunt mihi aliquot hiſtoriæ, quas ut imitandas hic recenſebo. Eſt caſtrum ad mare ſitum, quatuor leucis Gandavo diſtans, quod Cataractam vocant. Vidi tranſnatantem navem, & in ea ſenem nudum, funibus vinctum, habentem pondus in pedibus. Subter axillas zo-

na cingebatur, qua ad antennam ligatus erat.
Rogavi, quid ſibi vellet illud ſpectaculum. V-
nus è nautis dixit, ſenem illum jam hydro-
phobum, & à rabiente demorſum fuiſſe pri-
dem. Petivi quorſum illum ad mare vehe-
rent? an necem ſui intenderent? Quinimò (ait
nauta) mox ſanus rediturus. Illamque eſſe ma-
ris benedictionem, quod ejuſmodi rabiem ex-
templò ſanaret. Arrham obtuli, ut me ſocium
& Teſtem aſſumerent. Navigatum itaque per
milliare Italicum, cum nautæ panderent fora-
men in fundo, quo tota navis uſque ad mar-
ginem ferè ſubmergebatur. Vtebantur ſcilicet
illa muria, ad recoquendum ſalem Hiſpani-
cum. Cumque jam iſtud foramen exquiſite
iterum clauſum eſſet: duo viri ſubducta cauda
antennæ, elevarunt ejus cuſpidem, & ſenem
in altum ſuſtulerunt, inde verò in mare præ-
cipitem dedere: eratque ſubter aquas, ad ſpa-
tium Miſerere. Quem dein adhuc binies ſub-
merſerunt, ad ſpatium Salutationis angelicæ.
Tum verò collocarunt illum ſuper vas teres,
ſupino dorſo, chlamyde tectum. Ego ſuſpi-
cabar illum obiiſſe, ſed metum riſit nauta. Nam
ſolutis vinculis, cœpit omnem muriam re-
jicere, quam inſpiraverat. Et mox revixit.
Erat victor Gandavenſis, qui dein rabie libe-
ratus, ſoſpes vixit. Hinc, ut anima noſtra eſt
pediſſequa, ad inveniendas rationes, antea in-
cognitas, ſtatim intellexi, ideam rabiei, & im-
preſſi veneni notam, tanquam maculam in
fœtu mortificatam. Sciebam namque verru-
cas, itemque ulcera, & ſupervenientia exoti-
ca, poſtera, & peregrina primæ conſtitutioni,
eſſe ſeparabilia, manente individui vitali ra-
48 dice. Referebat etiam nauta, Batavos cruda
halece ſalſa, triduo renovata, & ad morſum
rabientis applicata, omnem auferre metum ra-
biei. Vbi verò id negligentia impediviſſet,
ſpectato ſaltem ſubmerſionis modo omnes ſa-
nari. Qui enim aquas horrent, non mirum,
per aquam ſanari. Manſit dein id mihi alta
mente repoſtum: perſuadens id in aliis Amen-
49 tiis non fore inutile. Contigit itaque Antver-
piæ, quod faber lignarius, ſibi perſuadens, ſe
noctu ſpectra horrida vidiſſe, quorum terrore
eſt totus Amens factus. Miſſuſque ad tumu-
lum S. Dympnæ Virginis, ubi ſolent obſeſſi
à Cacodæmone, liberari: Res inde in abuſum
detorta, ut indifferenter Amentes omnes eò
mitterentur. Quaſi obſeſſorum, & amentium
eadem eſſet ſors. Faber ergo, toto anno alitur,
& amens, utcunque ſolita implorarentur re-
media: cumque nummi non mitterentur Ant-
verpia, pro ſemeſtri ultimo, remiſerunt ma-
niacum in curru vinctum. Qui cum vincula
ſibi ſolviſſet, è plauſtro diſſiliit, in ſtagnum
profundum & vicinum. Tandem extractus;
pro cadavere, in currum depoſitus. At dein-
ceps per annos 18 à mania liber dixit. Quo ex-
emplo, in ſpem erectus, cognovi, quod ne-
dum rabies; ſed & mania, ſanaretur inveterata.
Idque aliquoties deinceps tentavi, nec me fe-
fellit eventus, niſi quoties formidine, præco-
citer Amentes ex aqua extraherem. Saltem fa-
bri exemplo didici, perinde fore, ſive in aqua
dulci, vel ſalſa præfata ſubmerſio, ſive Ideæ a-
mentis ſuffocatio, contingeret. Mulier quædam 50
mihi nota, multa probitate commendabilis,
menſe Novembri, alto veſpere, præceps è pon-
te ruit in rivum, cum carro duarum rotarum.
Cumque intenti eſſent circa equum, vetulam
neglexerunt. Manſit autem ſubter aquam, do-
nec currum exoneraſſent aliquot mercibus.
Tandem memores illius vetulæ, illam, velut
ſubmerſum cadaver, ad vicinum pagum detu-
lerunt. In quo, uxor hoſpitis, illam mulie-
rem in menſa, prono ſitu, & capite declivi
poſuit. Factumque eſt, quod ſic aquam in
pulmone hauſtam dimiſerit. Fabulæ inſtar mi-
hi viſum, donec Montibus Hannoniæ adfer-
tur adoleſcens natando ſubmerſus, ad nobi-
lem matronam, itineris mei ſociam, quæ ma-
tri ejulanti, ſuper morte filii, juſſit bono eſſe
animo. Extendit ergo adoleſcentem prono ſi-
tu, ſuper genua ſua. Cumque flaccidus, ſic
penderet prorſus nudus, cœpit tandem, re-
jecta aqua, reſpirare, & revixit nobis aſtan-
tibus. Iterum memini, quod veſpere anno
1606 rediens è Caſtro de Perla, duabus leu-
cis diſtante Antverpia, offendi turbam in ri-
pa canalis Rotomagenſis, quia querebatur a-
doleſcens ſubmerſus, viduæ divitis unigeni-
tus. Quæ accerſita eſt, & reperit cadaver,
humi jacens in ſtramine, græmio excepit, oſcu-
lataque eſt flens amarè. Iuſſi, inverteret corpus
capite & humeris declivibus, ſupinoque dor-
ſo. Cœpitque Adoleſcens poſt quadrantem ho-
ræ reſpirare. Didici itaque non facilè mori
ſubmerſos, cum uterque adoleſcentum præ-
fatorum, forte per dimidium horæ ſubter a-
quam delituerit. Nec ceſſandum ab oratione,
mox atque qui defunctus creditur, ceſſat re-
ſpirare. Galenus, pro rabie, ante metum aqua-
rum obnatum, calcinatos gambaros, vel can-
cros propinat, per dies quadraginta. Si tamen 51
non

non ſtatim initio calx iſta detur, nil proficit, adeoque & ſic ejus uſus obſoletus manſit. Ridiculum interim, quod urendo cancros, addant myrrham, &c. Vel dum argentum pro Seplaſia liquant ut ſcyphum parent, quod Theriacam addant. Quorum antidotum vorax flamma abſumſit ante toſturam animalis. Paracelſus verò hydrophorbiam per ſolutiva acria curari affirmat. At ſanè ſuis promiſſis non reſpondit eventus. Catholici ergo deſperantes, nec fidentes hujuſmodi remediis Academiarum, noſtrates ad S. Hubertum confugiunt, ubi 52 per aliquot ritus ſanantur. Hoc tamen in eo eſt notabile. Quod ſi ritus non præcisè obſerventur, rabies, quæ alioquin adhuc dudum lateret, extemplo adoritur, & ſine ſpe deſeruntur hydrophobi. Eſt ſtola S. Huberti, in arca ſex diverſis clavibus obſerata, à diverſis quoque clavigeris cuſtodita. Quotannis autem præſcindunt ſtolæ illius partem, remanente interim ſtola ſemper integra, ab octingentis jam & amplius annis. Nec eſt impoſturæ locus, quod neſciatur hodiè, an ſtola ſit ex byſſo, lana, lino, vel bombace, adeoque nec poſſet quotannis nova ſubſtitui. Præſcindunt autem de ſtola partem, ut filamentum ſingulis demorſis à rabido, intra cutim frontis incarnent. Inde enim aliud miraculum. Quod qui ſemel ſuſcepto filamento è ſtola, per ritus ſuos convaluit, poteſt alteri demorſo differre terminum, & ſopire rabiem adventantem, per quadragenarias, idque in annos aliquot, dum tandem ſuo commodo adire queant Sanctum Hubertum. Ea tamen conditione, ut tantillum, ſi quis ſupra quadraginta dies exſpectet, nec prorogationem termini (ut dictum eſt) ante impetraverit, confeſtim in rabiem incidat deſperatam. Longobardi enim ſic ad Sanctos Bellinum & Doninum confluunt. Adeoque præſervationem petunt. Et ſanationem poſtulant à Rabie à facto eſſe. At non pro Amentia hactenus, quod ſciam, patronum aliquem invocant cœlitem.

SEDES ANIMÆ.

1. Lis adhuc ſub Iudice. 2. Opinio tertia. 3. Mortuo capite ſupervixit quædam ſponſa ad octo horas ad minimum. 4. Percuſſum os ſtomachi repentinam, atque totalem mortem attulit. 5. Paradoxon Authoris de ſede Animæ. 6. Creatio hanc ſedem docet. 7. Medentes occultè conſentiunt ipſis inſciis. 8. Dominus confirmat Paradoxon Authoris. 9. Rationes aliquot. 10. Contra exſiſtentiam animæ vegetativæ. 11. Cor famulatur ſtomacho. 12. Sedes fixa manet. 12. Conceptuum primos impetus ſentiri in ore ſtomachi. 14. Inviti collocant concupiſcibilem facultatem in ſtomacho & hepate. 15. Quorſum tendat hæc ſpeculatio. 16. Inviti etiam, aſſenſi ſunt paradoxo Authoris. 17. Sedes mentis eſt eadem, quæ animæ ſenſitivæ. 18. Modus exſiſtendi in ſede. 19. Animarum penetratio. 20. Quid anima ſenſitiva. 21. Similitudo exſiſtentiæ. 22. Calor non eſt fons luminis vitæ: ſed vitæ Archealis, ſive producti lumen. 23. Quid mens. 24. Per adventum ſenſitivæ, mors intravit. 25. Comparatio dignitatis amiſſæ & acquiſitæ. 26. Splen, pro Duumviratu. 27. Dignitates officiorum. 28. Cunctæ Amentiæ hinc ortum ducunt. 29. Notabile de remediorum examine, negato ulteriori itinere. 30. Quomodo ſtabat immortalitas. 31. Status mutatio. 32. Corollarium dictorum. 33. Scholarum error.

DVumviratus nomenclatura, Lectorem novitatis terrore conſternat, quare primum etymi rationem daturus ſum, ac dein regimen exponam. Ante omnia, ſedes animæ inquirenda eſt. Nam etſi anima ſit ubique, ubi vita ejus eſt. Attamen ſicut Sol propriè non 1 eſt niſi in ſuo loco, in cœlo, tametſi lumen ejus ſit, quocunque adſpicit. Idem eſt prorſus de loco centrali animæ judicium. Eſt autem de animæ centro, ſive palæſtra in corpore certamen: Atque Anteſignani, velut in aëre ſuſpenſi, ſuper hac re digladiantur, non habentes baſim, quâ pedem figant. Plato enim certat pro corde, cui videntur Sacra ſuffragari, dum ex corde homicidia, adulteria, *&c.* manare docent. Medentes autem caput reſpiciunt, tanquam diſcurſus atque intellectus hoſpitium. Præſertim quod cor, tam indefeſſo agitati pulſus motu, non poſſet non animam turbidam & inquietam efficere. Sequuntur Baptiſantes medentum opinionem. Nec deſunt interim, qui men- 2 tem immortalem ita ubique & æqualiter in corpore ſtatuunt, ut nuſpiam certa ſede morari velint, non magis quàm à corpore ſtringi, vel ligari poſſe. Adeoque rentur animam vagam, gliſcentem, incerti laris incolam, diſperſamque quoquo verſus vita præſens eſt. At non reſpiciunt, quod partes quædam ſoſpite vita amputentur: aliæ verò leviter percuſſæ ſtatim mortem totius adferant. Sæpe aliquis conciſo vultu, & capite velut imminuto, mortem adeſſe ſibi teſtatur; cujus tamen cor, tepore & pulſu ſuo, animam adhuc præſentem promittit.

Idque in dudum agonizantibus eſt quotidianum.
3 Sponſa quædam, volens ſuas nuptias
celebrari in Opdorp, prope Scaldim, quia ibidem
Toparcha eſſet, à clientibus ſalutatur bombardarum
ſtrepitu. Vnus autem illorum, bombardam
ſphærula plumbea onuſtam exonerat,
rhedam autem & tempora ſponſæ penetrat. Statim
concidit, & mortua cenſetur. Diſtat autem
Opdorp 7 leucis Vilvordia, quo cum deducta
eſt, pergens Bruxellam. Caput ejus cadaver
erat, tenue conciſum, ac planè frigidum. Iuxta
cor tamen, teporem & pulſum notavi. Item:
Statua quædam cecidit è ſublimi, in verticem
mulieris, ſic ut ferè binis digitis, totus cranei
vertex, cerebrum depreſſerat. Obiiſſe cenſa eſt:
ſex tamen horis inde, pulſus in utroque brachio
4 exilis erat, fuitque à pluribus notatus. Studioſus
quidam robuſtus, alterum menſæ aſſidentem,
pugno percutit circa ſtomachi orificium,
qui ſtatim corruit ſpumante ore, erectuſque à
nobis in ſedem, confeſtim pulſu orbatus & ante
lectas litanias Lauretanas, toto corpore gelidus.
Auriga pugione circa os ſtomachi transfoſſus,
ſtatim ſpumante ore moritur, omni quoque orbatur
5 pulſu & calore. Dicam ergo ſub humili
Eccleſiæ cenſura novum Paradoxon: Quamvis
vita ſit Index animæ, ſitque hæc, ubicunque
vita; attamen ſicut abſciſſo digito, vel pede,
non evolat anima, nec vita totius: neque tamen
anima, aut vita, in partes dirimi queat, ut anima
in ſui toto integrali ſit ullatenus diviſibilis, videaturque
mors propinqua læſo membro nobiliore.
Certum interim, quod ſtatim pereat vita,
in abſciſſo membro, licet à toto animæ pars non
ſit proinde oblata. Ergo patet inde, quod non
ſedeat anima centraliter, in quacunque parte eſt
operatio & præſentia vitæ. Eſtque neceſſe, alicubi
ſedem animæ eſſe, velut proprium, atque
centrale domicilium ejus. Inde namque dimittit
radios luminares atque vitales, per Archeum,
vitalis lucis organum. Quippe anima ipſa eſt
quædam lux, ſubſtantiaque lucida in mente, in
aliis verò animabus, eſt quidem lux, non tamen
6 ſubſtantia. Vt alibi de ortu formarum. Creator
(cui ſit omnis honos) ſervavit quendam progreſſum
à ſimili, qui nos animæ ſolium inſtruit,
ut à craſſioribus conſideremus magis abſtracta.
Etenim cernitur in arbore (argumentum ab arbore
peculiariter deſumtum, ob prærogativam
arboris vitæ) radix, initium vitale ſui. Siquidem
in radice, velut culina, peregrinus ſuccus terræ
coquitur, alteratur, à priſtina ſimplicitate aquæ
alienatur, ſubitque diſpoſitionem fermenti vitalis,
ibidem locati. Coctus autem inde diſtribuitur,
ut magis magiſque cogatur, ſimilis evadat,
juxta ulterioris cujuſque coquinæ neceſſitatem,
quæ inhabitanti ſpiritui ſanxit leges. Sic
in hominis medio corporis trunco, eſt ſtomachus
qui nedum ſaccus vel pera eſt, aut ciborum
olla: Sed in ſtomacho, præſertim ejus Orificio,
tanquam centrali puncto, atque radice,
ſtabilitur evidentiſſimè principium vitæ, digeſtionis
ciborum & diſpoſitionis eorundem ad
vitam. Quicquid enim Phyſici, de Corde, magni 7
momenti pependere unquam; id totum,
velint nolint, ſtomacho commune fecere. Vt
Cardiogmus cordis morſus, Cardialgia, dolorve
cordis, à ſtomacho, tranſmutativo atque mutuato
nomine ſeducta ſint. Itemque ſyncopes,
deliquia, inſultuſque epileptici, quæque vitæ
frænos geſtare videntur, ab ore ſtomachi originem
ſumant. In phlebotomia enim id quotidianum
eſt. In qua perſæpè ſtatim vena aperta
vertigines, itemque viſus hebetudines & offuſcationes
ſentiuntur manifeſtè, è ſtomacho manare,
ceſſareque iterum quoties digitus apertæ
venæ impoſitus, atque inde remotus, iterum eadem
ſentiuntur ſymptomata, è ſtomacho oriunda,
atque inde ſuſcitata. Denique paradoxum
meum in limine confirmat authoritas verbi,
dum interrogat: *Quæ cogitationes aſcenderunt* 8
ad cor veſtrum? Non dicit, deſcendunt ad cor
veſtrum. Vt neque, quæ cogitationes naſcuntur,
vel ſurgunt à corde veſtro. Nam & multoties
ideo ſtomachus, cordis nomine vocatur,
dum à corde adulteria & peccata oriri cenſentur.
Nam cogitatio omnis, prima ſui origine, 9
alibi quàm in corde, naſci debet. Pulſus enim,
motuſque vehemens cordis, atque indeſinens,
id vetare voluit. Quippe quod cogitatio, in
quiete fieri debeat. Quoties ideo cogitatio cordi
tribuitur, iſta locutio eſt juxta captum vulgi;
Cor pro ſede animæ ſumendo. Et quamvis
ſeminum neceſſitas in plantis, tendat ulterius
ad multiplicitatem functionum, ac conſequenter
etiam pergat in partium heterogeneitates;
non tamen proin, vis vegetans, è priſtino vegetalique
toro abſcedit, quo ſemel ſibi ſedem fixit,
nec migrat, dividitve ſe, propter diſperſionem
culinarum. Id longè formaliori ac manifeſtiori
modo contingit, poſtquam ſeminis diſpoſitio
belluinam figuram ornavit, varietatemque
membrorum ordinavit. Tum enim anima ſenſitiva
motivaque datur, eaque nec alibi ſtabulatur,
quàm in radice, quâ omne ſibi deinceps
fomentum præparat. Propriè quidem loquendo, 10

do, & diſtinctim intelligendo, non eſt quædam
anima vegetans in plantis, aut brutis: ſed eſt
poteſtas quædam vitalis, ac tanquam animæ
prodromus. Anima autem ſenſitiva, habenas
illius poteſtatis Archealis in ſe ſumit, vitaliſque
illa præcurrens poteſtas diſpoſitiva in Archeo
liqueſcit, ac deinceps ſe ſubmittit animæ ſenſitivæ.
Non enim caput adhuc occupatur diſcurſu
animali, vel Cor pulſibus agitatum continuis,
operanſque inceſſanter in fabrica ſpirituum vitalium,
cruoriſque in ſanguinem tranſplantando
apta ſunt organa animæ belluinæ: Sed hæc
ubi in radice reperit hoſpitium ſibi præparatum,
ibidem reſidet, permanet, nec inde aliò
11 migrat. Nam revera cor famulatur ſtomacho,
dum tota vita tantùm incumbat fabricæ ſpiritus
vitalis. Etenim novelli fœtus vitæ limen,
à ſuctu & ſomno incipit, atque aliquamdiu perſeverat.
Quæ ambo contingunt in ſtomacho:
ubi nimirum per animam ſtabiliuntur, ac conſervantur
vires vitales in radice, qua potiſſimum
nutriri, foveri, fomentari, atque increſcere
eadem, in poſterum, ſperat anima. Nec enim
animæ ſtudium, vel officium fuit unquam, vagari,
aut migrare de loco in locum, ut proprium
12 ſibi torum deligat, utpote quæ dirigitur ab intelligentia
non errante, ſua, & certa ſede, ſtabilitur
ab initio vitæ. Idque ab initio Creationis
ſeminum origini eſt deſignatum centrum, cum
mandato & vinculo, ne ſedem anima mutet, aut
aliena loca inquirat, velut ſibi commodiora.
Novit namque fines deſtinationis cujuſque, qui
regit omnia fortiter, & diſponit ſuaviter. Eſt
quidem in animantis Cerebro vis motrix, &
officina ſenſitiva. Non autem quod proinde
anima diſcuſſa originali primordialique ſede,
migraverit à radicali hoſpitio, ipſi per Creatorem
deputato, ad caput. Facultates namque, &
functiones animæ ſenſitivæ, in partium pluralitatem
ſunt quidem diſtributæ. Interim ipſa
anima inconcuſſa manet priſtino loco, ubi vincta
prius fuit, & alligata. Nec enim propter munium
diverſitates, diſcerpta eſt: quippe per miniſtrum
organum Archei cuncta perficit, radioque
13 illo vitali, ubivis velut præſens, adſiſtit. Inprimis
facile ſentitur, omnem primorum conceptuum
impetum, omnemque perturbationum
liminarem atque primitivam agitationem,
contingere circa ſtomachi initium. Etenim ſi
ex improviſo bombarda fragorem emittat, eodem
ictus rumore, circa os ſtomachi percipitur
concuſſio. Sic, ſi repentè, nuncium triſte deferatur:
nuſpiam ſentitur repentina, accelerataque
alteratio, quàm centrali illo animæ hoſpitio.
Adeò ut inviti atque inadvertentes ante 14
me, ibidem locaverint concupiſcibile animæ
diverſorium. Quod quia eſt duratione prius,
diſcurſu, motu, atque ſenſatione externorum
ſenſuum: ita denotat, imò convincit, animæ
primordiale hoſpitium ibidem eſſe. Idque ſummopere
viſum mihi fuit ſcitu neceſſarium in
morborum medelam, ut ſuo loco de Morbis demonſtrabo.
Manſere namque plurimi abſque 15
ſpe emendationis: eò quod remedia fuerint adpoſita
membro functionibus deputato, non autem
radici, undè error promanaret. Ignorata
nempè habitatione, & aula, ubi edicta formantur,
perperam ad loca exſecutionum adhibita
fuere pharmaca. Ignorato namque animæ ſenſitivæ
loco, neſcitum fuit hactenus, quod anima
illa ibidem ſuſcipiat primitivam morborum
plurimorum labem, perturbationem, & contagium.
Atque ibidem deberi medelas appropriari:
ſi à radice, morborum medicamen ſit inſtituendum.
In quo ſanè graviſſimè eſt erratum
hactenus. Saltem primi motus, ſive impetus, 16
qui in noſtra non ſunt poteſtate, jamdudum admittuntur
contingere circa orificium ſtomachi,
& ſurſum ad Caput ſcandere. Certum eſt
autem omnem motum primum à centro incipere,
adeoque centrum animæ eſſe, ubicunque
ſentitur conceptuum initium. Dicuntur autem
impetus qui non ſunt in noſtra poteſtate: eò
quod ſint animæ ſenſitivæ primi conceptus,
adhuc inordinati, nondumque Mentis imperio
luſtrati. Id autem quod de ſede animæ ſenſitivæ
ſcribo: intelligo etiam pro Mente immortali.
Siquidem Mens non habet propinquius, 17
aut ſimilius ſibi ſubjectum in quo hoſpitetur,
quàm illud lumen vitale, quod dicitur
anima ſenſitiva, in qua ſcilicet Mens involvitur,
& mandato divino ligatur vitæ vinculo.
Pereunte autem ſenſitiva, per ſui annihilationem,
non poteſt Mens diutius in corpore ſubſiſtere:
Ideoque ad Ens entium properat, ut ad
deputata ſibi loca tranſeat. Itaque animæ ſenſitivæ 18
radicalis torus, eſt in Archeo vitali ſtomachi,
ſtatque manetque ibidem, tota vita. Non
quidem quod ſenſitiva hoſpitetur in ſtomacho
tanquam ſacco, pelle, membrana, olla, carcere,
cellula, vel cortice: nec eſt in iſta ſede comprehenſa
pro more clauſorum corporum, intra crumenam:
ſed exorbitanti modo, ineſt in puncto
centraliter, ac velut in atomo, unius membranæ
ſpiſſitudinis meditullio: Eſtque in loco nihilominus
non planè localiter: Sed quia omnis

anima eſt lumen , à Patre luminum, rerumque
Creatore , datum : lumina autem , alibi probavi
eſſe immediatè in loco , & mediatè in aëre lo-
cato. Sic quoque ſenſitiva eſt in loco,ſive ſede,
de qua impræſentiarum ſcribo . Mens autem
cum ſit ſubſtantia luminoſa , penetrat lumen
creatum , quod anima ſenſitiva eſt , & viciſſim
hoc penetrat Mentem , eamque obtundit ſua
corruptelæ contagione Adami. De qua lib. de
20 vita longa, de mortis introitu in hominem. Eſt
ergo anima ſenſitiva, caduca,mortalis,mera lux
vitalis, data à Patre luminum , nec alio modo
verbove explicabilis : cum in univerſo nil ſibi
habeat ſimile, præter lucem candelæ : quæ quia
urit, adhuc analogica tantum , ac multum diſ-
pari ſimilitudine, ac velut per exteriorem ſili-
21 quam , comparari igniculo poteſt. Idcirco ni-
mirum ſenſitiva illa,quanquam in loco,localiter
ſit præſens, atque hoſpitetur ; non comprehen-
ditur tamen à loco aliter , quam ſicut eſt flam-
ma candelæ in exhalatione accenſa, eſtque lux,
in illa flamma , tanquam vita , in præfata anima.
Sunt tamen lumina vitalia nequaquam aduren-
tia,ſed totidem diverſitatibus ſeparata,quot ſunt
22 animarum differentiæ. Atque inde à S. Iacobo
vocatur Deus , Pater luminum. Calor itaque a-
nimantum, non eſt fontalis luminis animæ : ſed
vitæ vitalis lux calefaciens : adeoque eſt produ-
ctum vitæ : non autem ipſa vita. Ideoque & lu-
cis ſolaris æmula : prout in piſce , lumen vitale
friget actu , quia de natura lunæ. Atque ob id,
duo tantum , & ſufficientia , fecit Deus lumina
magna,ad vitam ſublunarium. Quorum tamen
luminum luces, ſive ipſæ animæ , ſunt ſubjecta
inhærentiæ. Atque prorſus creaturæ neutræ in-
ter ſubſtantiam & accidens:quia de patria mun-
di intelligibilis. Ergo in anima ſenſitiva (neque
enim alibi uſpiam in caducis)tanquam luce ſpi-
rituali , à Patre luminum facta , conjungitur
mens immortalis , quæque etiam per manum
Omnipotentis,utrobique præſentis,vel per An-
gelum connectitur ſenſitivæ animæ per vincu-
lum vitæ, id eſt , luminis vitalis. Quæ præfatæ
23 lucis eſt inſeparabilis proprietas. Ipſa autem
Mens immortalis eſt ſubſtantia lucida , incor-
porea , immediatè Dei ſui imaginem referens,
quia eandem in creando,ſive in ipſo empſycho-
ſis inſtanti , ſibi inſculptam ſuſcepit. Vtraque
namque anima ſimul creatur , & conjungitur à
Deo,qui ſuum Creatoris honorem nulli tribuet
unquam creaturæ.Ante lapſum Adæ autem,non
erat anima ſenſitiva in homine : quo modo au-
tem illa,cum morte ſimul in naturam humanam
deſcenderit, id ſuo loco. Saltem per adventum 24
ſenſitivæ animæ intravit mors & totius noſtræ
naturæ corruptio,obliterataque eſt prioris natu-
ræ majeſtas & integritas. Siquidem dum mens
immediatè vitæ munia obibat, nec ſenſitiva ad-
huc eſſet, etiam immortalitas aderat , neque in-
tellectum tenebræ belluinæ adhuc occuparant.
Adeoquè naufragium homo in natura ſua qui- 25
dem paſſus eſt , atque irreſtaurabile : ſed per re-
naſcentiam , ſubter tribulationum calamitates,
longè excellentiori modo exaltatus eſt homo,
dum ab imagine Dei aſſumitur adoptatus pro
filio ejus. Porro eſt prorſus neceſſarium , quod
omnis motus impetus primi , primique conce-
ptus animæ , contingat in cubiculo animæ :
quod etiamſi maximè ſentiatur circa orificium
ſtomachi , ſitque Deus admirabilis in operibus
ſuis , quod nimirum in membranis ſtomachi,
Vteri & Menyngum, ſibi complacuerit, diſpo- 26
nere adeo admirandas poteſtates , quod velut
quandam Reipubl. imaginem præ ſe ferant : at-
tamen reperi Splenem inſervire pro fermento
ſtomachi , ejuſque Sole , coctore & directore :
Idcirco amborum viſcerum conſpirationem
decrevi vocare Duumviratum . Nam quan-
quam fermentum digeſtivum , atque ſimilia
ſubſidia, videantur famulatum referre. In vita-
libus tamen famulatus , ut poteſtatem atque vi-
res continet : ita etiam dignitatem & authori-
tatem ſpondet. Adeo ut ſicut in ſtomacho ſunt
ſenſus, deliquia totius , atque coctionum privi-
legia maximè ſenſibilia , manifeſta & aperta :
nihilominus ſpiraculum vitale , tam multipli-
cium arteriarum,tamque potenter ſtomachi di-
geſtiones cauſans , juſſit abſque dualitate, diſſi-
dio aut præferentia potentiali , unam utriuſque
viſceris fieri debere œconomiam , diverſis qui-
dem officiis , in unum ſcopum conſpirantem,
licet utrumque ſingulariter operi ſuo attendat,
idcirco & loco ſeparatum. Vnicus nimirum eſt
Duumviratus niſus , concors conſertaque in-
tentionis chelys. Vicinus ergo Splen ſtoma-
cho foris incumbit , quaſi eundem foveret vi-
tali arteriarum contextu. Non quidem quod 27
arteriæ omnem dent vim Spleni : ſed ſe ha-
bent viſcera per modum Aſtrorum.Nam quam-
vis Aſtra à Sole lumen mutuent ; Ineſt tamen
ſingulis peculiaris ſua proprietas & agendi ro-
bur , quod in Luna eſt longè evidentiſſimum,
circa maris receſſus , æſtus & exundationes .
Eſto ergo , quod arteriæ Splenis vices Solis
habeant. Ipſe tamen Splen geminam at nata-
lem dignitatem ſibi peculiærem obtinuit , licet

cordis famulitio in præparatione ſanguinis &
ſpiritus vitalis gaudeat. Ergo Splen ſedes Archei
eſt, qui cum ſit organum immediatum animæ
ſenſitivæ, determinat actiones vitales animæ
in ſtomacho reſidentis. Vix enim anima
ſenſitiva meditatur quippiam, citra opem Archei,
quia non gaudet abſtracta, ſicut mens, quæ
in ſui receſſu, per ecſtaſin quandoque, citraque
Archei, corporaliſque auræ adminiculis intellectualiter
multa & magna contemplatur. Subminiſtratur
quoque in exorbitationibus Archei,
averſio, confuſio, exorbitatio, indignatioque.
28 Ipſaque ſenſitiva anima, tanquam mentis ſiliqua,
ſemper Archeo, velit nolit, utitur. Hinc nimirum
Amentiæ omnes, (quarum aliquot tantum
enotuere) dictæ præcordiales, hypochondrioque
adſcriptæ. Quæ tamen ab eadem ſede,
ut & eodem animæ fonte, velut unici puncti
29 læſione, promanant. Remedia quoque vix extra
ſepta ſtomachi, materialiter exeunt. Ideoque
rara ſunt, quæ ad Lienem traducantur,
quod in quartanæ difficultatibus ſatis eſt obvium.
Mens enim immortalis, citraque conjugium
animæ ſenſitivæ, Adamo per omnipotentiam
inſpirata legitur. Illudque vitæ ſpiraculum
ſubſtantiam dicit: Ideoque nec illud brutis inſpiratum
30 reperitur: Mens ergo Archeo primitus,
ut organo ſuo alligatur immediatè,
quem proinde quotidie novum, pro lubitu, è
cibis ſufficienter ac ſemper ſubſtituere poterat,
ac perpetuò æquè validum. Atque hinc vitam
31 immortalem, ſe condignam, ſuſcitare. Siquidem,
Mens immortalis utrobique præſens, cuncta
vitæ munia immediatè per Archeum (quique
ideo à Mente ſuam mutuat vitalitatem) peragebat,
qui etiam proinde rebus mortalibus
quodammodò ſuperior, excellentioriſque monarchiæ,
quàm ſublunaris alumnus videbatur.
Hæc ſic ante Adami lapſum. At quandoquidem
eadem tranſgreſſionis die facti fuere mortis
rei, Advenit anima morti ſubnoxia, Mentis vicaria,
& ſocia. Cui videlicet ipſa Mens diſpoſitiones
regiminis corporis mox tranſtulit. Etenim
primùm erat immediatum connubium
Mentis immortalis, cum Archeo. Mox à lapſu,
& ſenſitivæ ſuſcitatione retraxit ſe Mens inſtar
nuclei, in centrum animæ ſenſitivæ, cui per
vinculum vitæ alligata eſt. Mens non alitur cibis,
poterat cibos pro ſuo Archeo eligere, &
præparare: qui nunc indefeſſo ſtudio cogitur
pro ſuo vigilare alimoniæ ſuſtentaculo. Idque
ſenſim minus minuſque appoſitè ſibi parat, &
applicat, ob defecturam animæ ſenſitivæ durationem,
& poteſtatem. Sic ergo de Sede Mentis,
de mortalitatis occaſione materiali, morborum
& ametriæ neceſſitatibus, primum dicere
debui: Siquidem quæ hic requiruntur, in Tractatu,
de mortis introitu in naturam humanam,
ad longum demonſtratur, cum explicatione
Textus: *Ab aquilone pandetur malum ſuper omnes
habitatores terræ.* Pro Corollario ergo. 32
Locus animæ centralis, eſt Orificium ſtomachi,
non ſecus atque radix vegetabilium eſt locus
vitalis eorundem. Mens ſedet in anima ſenſitiva,
cui vincta eſt deinceps à lapſu. Cerebrum
autem, eſt membrum exſecutivum conceptuum
animæ, quatenus præſidet nervis, & muſculis,
quoad motum: ſed quoad ſenſum, poſſidet in
ſe facultates memoriæ voluntatis, & imaginationis.
Deficiente ergo ſtomacho, pallores, tremores,
ſiccitates, Atrophiæ, Tormina, Aſthma,
icteri, paralyſes, contracturæ, vertigines, apoplexiæ,
&c. Mirantur quippe Medentum celebriores,
quod ſæpè defectus extremi ſuperentur
non aliàs, quàm per remedia ſtomachica,
quodque malum ſtomachi pariat diſſitos procul
à ſe morbos. Et Moderniores ſtupefacti, quod
potiones vulnerariæ ſanarent feliciter vulnera
artuum. Quodque apud Paracelſum, Cancer,
lupus, ulcuſve eſthiomenum, per potum ſanentur.
Error ergo partes exteriores malè affectas 33
curantium, tanquam ſi eſſent fundamentales,
quique circa caput, ab inferis læſum, totam
medelam transferunt, provenit hactenus, propter
inſcitiam Sedis animæ, vitæ, atque regiminis.

A SEDE ANIMÆ AD MORBOS.

1. Probatur major ſenſus in ore ſtomachi, quàm in oculo, aut digitis. 2. Vbique incoactæ Scholæ conſentiunt Paradoxo de Sede Animæ, licet apertè inde diſſentiant. 3. Planctus multa Venere exorbitantium. 4. Vita ſtomachi præſidet cæteris digeſtionibus. 5. Fermentum ſtomacho amicus, eſt hoſtile deinceps ſingulis digeſtionum officinis. 6. Diverſi morbi è tranſplantato fermento ſtomachi, ſuſcitantur. 7. Catarrhorum decipula. 8. Morborum baſis. 9. Probat id Arthritis. 10. Plurimi Morbi fluunt centraliter è ſtomacho, qui è capite metuuntur, & medicantur. 11. Commixtio characteris morborum quorundam qualis ſit.

lis ſit. 12. *Periapta quomodò operentur.* 13. *Probatur Sedes Animæ non eſſe in ipſo Corde.* 14. *Notabilia circa characterem morborum.* 15. *Effectus pavoris, cur varient effectus ſuos.* 16. *Idem conſideratur pro cauſa occaſionali venenoſa.* 17. *Appropriantur lumini vitali.* 18. *Objectio.* 19. *Intentio Authoris.* 20. *Dogma notabiliſſimum circa remediorum directionem, potentiam, progreſſum, &c.* 21. *Sanatio remoti vulneris, & notabilis vis Alcalium, è ſtomacho, inhibentium acores remotos.* 22. *Deceptæ Scholæ circa remedia vulnerum.* 23. *Alcali, potentialiter latens in herbis, rebuſque aliis præſtat, quæ Alcali crematorum non ita facilè.* 24. *Vulneris & ulceris diverſitas in remedio, undè.* 25. *Examinatur vis diuretica, in vulnerario, potentiali Alcali.*

1 PErſæpè Os ſtomachi non fert ma-
num adpoſitam, licet coſtis utrim-
que innixam, certo indicio, ibidem
ſubeſſe ſenſum acutiſſimum ac
præciſum, qui alioqui magis in di-
gitorum extremis, ad diſtinguen-
dum palpabilia requiri videbatur. At non poſſe
pati incubantem manum, utut grato tepore ob-
viam, neque ſuo pondere gravantem: idipſum
prodit vitam ibidem omnis ſenſationis fontem:
qui tamen ut primariò ſe ſic affectum accuſat:
ita quoque palam facit, ſe eſſe animam ſenſiti-
vam, primariò nocivis obviam, menti immor-
2 tali obvolutam. Sed ecce ad Scholas retroſpi-
cio, quæ incoactæ fatentur Orificii ſtomachi te-
neritudinem, ſive nimis acutum, accuratum, ac
præciſum ſenſum, cauſare omnem pænè animi
ſyncopem. Hæcque ſic ajunt, nec interim ad
ſua ſeſe reflectunt axiomata, de Corde ſtabilita,
nec conſiderant quod acutus ille ſenſus, ſic ab
illis nuncupatus, nil aliud arguat, præter vitalem
promtitudinem: non autem quod uni magis,
quàm alteri, plures vel magis aperti nervi, con-
tigerint. Non interim ſemel conſiderarunt, vi-
tam, ſive animam illa ſede hoſpitari. Nolentes
in ſacco, vel membrana, animam ſpeculari:
eamque potius in aurium cordis follibus, deſi-
deve cerebro, depoſitam credere maluere. Et-
enim etſi manus vinctas traderent, dum anim-
adverterent in membrana uteri, vires totum
turbantes, aut conſternantes: nondum tamen
Scholis datum eſt, privilegium intuendi & fa-
tendi, pariter id ſtomacho conceſſum eſſe. Mul-
torum quidem querelis, compellebantur ſtulta
Venere laſcivientium: quod ſerotino ululatu
ſe oppreſſos, anxiatoſque circa os ſtomachi
plangerent. At non proin Scholæ revocarunt
in dubium, ethnicorum tradita, nec ſaltem obi-
ter compunctæ ambigere ratum duxere: An
fortè ibidem vitalis initii lumen, ſive introitus
eſſet, qui primariò laceſſentibus cauſis affectus,
primus ſentiret ſui incommoda. Neque enim
decernitur mandatum, niſi ex aula: ut neque
vitæ poteſtas delegatur, quàm à vita præſide, id
eſt, anima. Quippe exin primò manifeſtatur,
quod niſi character ab anima ſenſitiva conceſ-
ſus, imprimatur ſemini: idipſum ſterile ſit per-
manſurum, ac monſtroſum. Non ſecus atque
Peponis flos, cui à tergo exiguus pepo non cer-
nitur adnatus. Igitur ſi anima hoſpitaliter ſe-
deat, unde ſemina originaliter ſuæ fœcunditatis
characterem mutuant. Poteſtates tam vitales,
quàm propagativas, ibidem quoque latere, eſt
indubium. Atque inſuper, quod animæ ſenſi- 4
tivæ iſta ſedes, nedum moderetur ſtomachi di-
geſtivam facultatem, & ad hoc ſuſcitet fermen-
ti ſtomachici anonymam aciditatem, eamque ſi-
nat ſibi juxta legum naturæ vigorem præcidi, &
termino accurtari. Verum, ipſa vita ſtomachi
præſidet cunctis totius digeſtionibus, utcunque
in abditas vel etiam remotas latebras diſperſis.
Id nimirum animæ, ſingulari radiatione, vitæ-
que ſuæ velut participatione, eſt proprium, tan-
quam ſi ſolo nudoque nutu, atque Duumvira-
tus mandato, quoquoverſus obedientiam, & à
quovis ſibi deberi cogeret. Vndè pariter ſe-
quitur, eundem vigorem vitalem dilatari quo-
quoverſus: erroneoque ductu, ejuſdem quoque
exorbitationes tranſplantari morbificè, uſque ad
ultimos digitos. Ita nimirum hoſtile illud aci- 5
dum, quod licet ſtomacho ſit gratum, imò &
peræquè requiſitum: jam tamen in fundis alienis
evadat inimicum. Neque enim eminus mutuan-
da eſt probatio hoſtilitatis illius. Siquidem in
canicularibus ſat obvium, carnes, ſtatim atque
corruptionis initæ lumen ſubintrarunt; juſcu-
la acida dare & colore inſueto tincta. Ergo
delato hoſpite peregrino ſtomachi, per vitale 6
initium, ad agrum peregrinum, ſequitur eo ipſo
ſtatim aliquis defectus peregrinus: qui ſui præ-
ſentiam, plerumque etiam ſtatim prodit. Mor-
bus eſt ſcilicet, qui ſi in venas delatus ſit, erro-
re Duumviratus malè accenſi, febres parit. Sin
verò in habitum corporis, vel ad artus defera-
tur aciditas hoſtilis, mox adſunt diverſa apoſte-
mata & Arthritidis errores, Apoſtemata in-
quam, quæ minima materia, non ſecus atque
ſpinæ, aut ſpicula adacta, mordicant; in pus de- 7
nique, ichor, ſaniemve properant. Hæc nimi-
rum eſt Catharrhorum fallax decipula, quæ
Scholas uſque in modernum diem irretivit, per
varios

varios humorum non exſiſtentium decubitus,
defluxiones, caſus & lapſus. Ac facilè fuit Sa-
tanæ, eò proclives mentes per paganiſmum ſe-
ductas, præcipitaſſe: non ſecus ac Aſtrologi
animadverterunt Lunæ ac planetarum inexpli-
cabilem ſitum, finxere excentricos ſecundum
quid, & ſimpliciter, quos quidem ſciebant eſſe
vanos, atque fictos ad neceſſitatem ſituum, di-
metiendo repertorum. At in medendo id pro-
pinquius fuit Satanæ, ſic decepiſſe ſuos, id eſt
paganos, quod ſenſus ad manum eſſet ſuaſor
induſtrius, & importunus. Cui obvenire ne-
glectum eſt, dum ars ad lucrum feſtinans trahi
cœpta eſt. Siquidem facilè è diductis, Tractatu
de Catarrhis, concludi demonſtrativè, atque
neceſſariò, eſt obvium cuivis, quod nulla ſit
materia pro Catarrhis, non locus item culina-
rius, in quo, aut ubi pararentur, ut neque ca-
nalis, per quem tam diverſimodè defluerent,
8 etiam ad diſtantiſſimas corporis oras. Quin lon-
gè facilius ac propinquius ſit, (obſtat autem ſo-
la ſemel manus tradita gentilitati, perque cre-
dulitatem ſibi præcluſiſſe viam inquirendi ve-
ra) meditari, à principio vitæ, vitam quoquo
verſus continuari; à vitali quoque demum er-
rore, ſpargi errores per totum, in totum quo-
que, vel in partem tam continentem, quàm
contentam. Hoc denique fundamento ſemel
præterito, irritum fore quodlibet remedii ge-
nus, à poſteris Satanico aſtu deinceps deceptis,
temerè ac frivolè excogitatum. Quod utinam
Poſteri ſat mecum contemplarentur. Nam exin
etiam magnam mortalium cæcitatem, tam in
medentibus, quàm paſſim in medicatis, facilè
9 cum lacrymis deprehenderent. Succenturian-
tur enim primi podagrici, accuſarentque ſto-
machum, ſeque ibidem primos ſentire motus,
ac velut agitationes febriles tanquam præcur-
ſores acceſſus, Solo nimirum adſpectu, vita-
liſque luminis irradiatione conceptus, natuſque
ibidem acor, erroneè transfertur in ſeminale
gluten, quod Synoviam jam appellant, eſtque
articulorum tranſparens ſemen nutritivum,
ibique copioſius depoſitum, ob motuum fre-
quentiam, & oſſium fortem compreſſionem.
Siquidem aliàs, quamprimum oſſa mutuo con-
frictu æſtuarent, & ſiccarentur. At fœcundius
quanquam multò, hæc ſint Capite de Podagra,
delineata: juvat tamen me planius dilatare.
10 Occurrunt nimirum diverſi morbi, qui ſuam
originem centraliter è ſtomacho deſumunt,
quorum ortus atque remedium infauſto hacte-
nus omine ignorantur. Sunt namque in con-
cavo ſtomachi, acidum, amarum, ſalſum, ni-
doroſum ſive putidum, virulentum, inſipi-
dum, *&c.* Ac inprimis acidum, fermentale ac
digeſtivum, ſive tranſmutativum, non eſt ſto-
macho proprium, aut geniale: verum ipſi præ-
paratur & inſpiratur à Splenis vicina ſibi ad hoc
culina. Quo nimirum fermento deficiente, eo
ipſo, eſt apepſia domi, bradypepſia, appetitus
dejectus, ciborum nauſea, quæ febribus ſtatim
conſpiciuntur vernacula atque ſtipata: quapro-
pter dixit Senex: *Acidos ructus nidoroſis ſuper-
venientes, bonum*. Nonnunquam etiam con-
tingit, parcum fermentum affluere ad ſtoma-
chum: inde quoque atropſiam ſuſcitari, ciboſ-
que evadere coctu difficiles. Imò ſtomachus,
qui ordinario ſenſu orbatus videtur, nec ſentit
niſi noxia, quotieſque afficitur indignè, à per-
egrinis intra ſe contentis: ſtatim ſub exiguita-
te fermenti, aquoſum liquamen parit, & cum
nauſea extrudere ſatagit. Aquoſum autem di-
co, quod ſubinde nil niſi mera aqua, viſcida
item mucilago, etiam inſipida ſæpè, ac non ra-
rò, peregrino acore imbuta, qui à fermento vi-
tali ſic diſcrepat, ut mortuum à vivo. Adeo etſi
participent in guſtu, longiſſimè tamen ab invi-
cem diſtent, quod videre eſt in amaritudine ab-
ſynthii, & cucumeris aſinini, vel colocynthidis.
Etenim dum potus, ſimulque agglutinandum
alimentum in ſtomacho, peccant penuria vivi-
di fermenti, ſtatim fatiſcunt in amarum flavum
liquamen, quod Scholæ hactenus fel viſcus,
imò etiam unum de quatuor conſtitutivis cruo-
ris falsò dictarunt, neſciæ interim, quo authore
& ductore, bilis in Iecore ſepararetur mera à
cruore ſibi connato, ac intimè permiſto, defer-
returque ſolitaria iſta bilis (multum certè muta-
ta à bile cruori innatante) ad ſtomachum. Cum
non ſit iter ab hepate ad ſtomachum, niſi per
tot devia, quæ hanc Scholarum inventionem
ſtupiditatis meritò accuſent. Dum autem ali-
mentum appropinquat ſtomacho, ut ipſi aſſi-
miletur, eumque alat, deficitque præ penuria
fermenti, vel aliàs oborta in ſtomacho procel-
la, ſtatim putret, & nidore infame fit. Nam te-
pido loco detentum, quod jam limen vitæ in-
travit, ſuſceptumque eſt in numerum mox vi-
talium: ſtatim quoque putret, nidoroſum fit,
imò ſi mora acceſſerit, cadaveroſum evadit. Vn-
dè Colera, lienteria, Cœliaca, &c. ſubinde quo-
que Archeus ſtomachi, vel fermenti acidi pau-
citatem ſupplere volens, indignatur, paritque
acidum acetoſum, crudele; indè Orexes, item-
que tormina, tam in ſtomacho, quàm ipſis inte-

ſtinis, plerumque crudelia. Sin verò acidum moderatum affluat, & ſuperfluat cibi copia, vel aſperitas, tum cibus totus amaricat, flavum iſtud craſſumque excrementum per ejuſmodi degenerationem ſuccreſcit, ac varia inde malorum ſeges, in diarrhœam ſuccenſa oboritur, niſi totum ſimul ſtatim dejectum ſit. Nonnunquam etiam Archeus ſtomachi concipit furorem, accenditurque ſponte propria, ſic aut acor non in cibos feriat, ſed errabundè ipſum Archeum inficiat. Tum ſcilicet concepta eſt Arthritis, & Archeus per totum diffuſus, proximè tamen ſua aciditate afficit ſynoniam, ſive ſemen crudum, proximè aſſimilandis oſſibus adjudicatum, ideoque intra juncturas depoſitum. Contaminat verò ſynoniam partis debilioris in robore naturæ. Cenſeturque ideo Arthritis, pro lubitu, partem quam apprehendit, eligere. Et quia acor ille, in ſtomachi centro ſuſceptus, per Archeum ad remota diſpergitur: ideo falſum eſt, defluxiones à Capite, per nervos ac venas propagari. Sic nimirum ingentia ventris tormina, partium ſyntereſi, acorem in ſtomacho proritant nocuum, qui dein manus pedeſque, non raro portento, contractura vibrat, itemque mox dein quoque paralyſi reſolvit. Indebitus itaque ſtomacho acor, ſi alimentum roridum, ſpermaticumque ejus ſumen apprehendat, utut tenuiter, vertigines proritat, eoque turbidiores, quo hæc magis poſticam ejus partem aſpiciunt. Apoplexia verò ſuboritur, dum alieno planè motu, ac hoſpitio, à cavo ſtomachi, in venas ejus intrat mucilago inſipida circa orificium, ſervatque lateris ſui rectitudinem, magnamque à minori diſtinguit, carentia, vel præſentia virulentiæ. Eſt autem plerumque chronicis ejuſmodi morbis, character aliquis ſigillaris. Sic nimirum podagra profluit ſæpè à parentum initio, in prolem, ibidemque plurimos patienter exſpectat annos, antequam illius fructus proprius ſuam nanciſcatur maturitatem. Ergo in initiis vitalibus, & radicalibus organis ſtomachi (quæ ſunt ipſe Archeus localis, ſive inſitus) hæret poſthumus ille tranſlatuſque hæreditario jure character podagricus. Ac conſequenter pariterque etiam, qui per vitæ inordinationem
11 ſollicitatus acquiritur, ſedet is in Archeo orificii ſtomachi, qui dum tædio affectus, hoſpitis peregrini inſolentiâ, ſeſe acuit pro ejuſdem expulſione, atque inde etiam fructus Apoplexiæ emergit. Nec eſt enim character ille podagricus ſilens, materialiter aliquo intus depoſitus nido, ſegregatoque ſtabulo in plicis aut rugis ſtomachi exceptus, tanquam Tartarus aliquis exoticus adhærens. Sed eſt in ipſo vitæ Archeo concreditus character. Fingamus nempe ſuppoſiti proprietatiſque unitatem, qua character ille, ad podagram, apoplexiam, vel Epilepſiam jacet tumulatus, excitaturque ſtatis ſtationibus maturitatis propriæ, vel commovetur quibuſdam aſſumtis cibis, vel odoribus. Dein conſideremus acorem naturalem ſtomachi) jam degenerem, itemque teneritudinem orificii ejus, ſyncopes, & epilepſias ſuſcitantem (quæ nil teſtatur, præter facilem ſenſum, læſionem, paſſionem, ac perturbationem vitæ, adeoque præſentem hoſtem, à rebus plurimis tumultuantem) itaque ſi excitetur acor præter naturam, qui commiſceatur Archeo, cumque hic præſit digeſtionibus ſingulis, radialiter defertur acor iſte ad peregrinos lares, quibus eſt totus hoſtilis: atque inde Arthritis proſilit. Sin verò cibo aut potui connectitur, adſunt dolores colici, tormina, aliæque partium exorbitationes occaſionaliter. Quod ſi verò acor ſtomachi degeneret, ſeque aſſociet veneno opiato, cum penetratione verſus ſedem animæ, ſtatim adeſt epilepſia. Sin autem ſuboriatur mucilago putida, ad amarorem prona, vertigo, & fortius inſurgens Apoplexiam ſuſcitat. Nec etenim opportunum eſt, præciſè illa invicem diſtinguere, dum materiam ſive occaſionem exhauriri præſtat. Saltem quædam externa periapta cuſto- 12
diunt à caſu, & acceſſu epileptico, quod ſigno eſt, vel impediri fructum characteris, vel applicationem occaſionis, ad Archeum: utroque ſcilicet modo præpediri, extingui, vel annihilari nocuum, ne Archeo commiſceatur. Quinimò ut vegetabilia plerumque ſolent hyeme dormire, ac velut excitari, ſub ver, ut gemmam, frondes, flores, aut fructus edant. Ita character podagricus, epilepticus, &c. ſtata quoque periodo concitatur in maturitatem, niſi anticipet eam importunitas proritantium. Saltem vertigo, & Apoplexia, &c. quanquam intra occaſionales cauſas referantur: ſedent tamen proximè intra ipſum vitæ nidum, in Archeo, qui nimirum inſitus eſt ventriculi orificio. Quàm facili enim compendio, per appenſa, Caducus ſuſpenditur, ac detinetur? Eò quod impeditur cauſæ noxiæ in animam ſenſitivam introitus, eſt nempe penetratio cauſæ noxiæ in Archeo latitantis, ad intrò, quæque idcirco Mentem prorſus tollit: Cordis ſcilicet pulſum qui- 13
dem relinquit: at ſenſum, imaginationem, omnemque animæ principem poteſtatem ita peſſum-

peſſumdat, ut pro illo ſpatio planè ſublatæ vi-
deantur. Vndè & ſtylo ferreo notandum, ani-
mam ita peſſumdatam non habitare in Corde,
14 nequicquam titubante. Podagra autem, ſicut
extrorſum tendit; ita character ejus non tam
penetrale ſive ſedem animæ, quàm Archeum
digeſtionibus præſidem, affectat. Quæ ideo
contingunt, eò quod character podagricus hæ-
reditariùs, ab generationis initio, & dudum
ante empſychoſin fœtui inuſtus eſt: Ideoque
ſolum ſpectat Archeum, non autem animam,
qui ſolus totum in ſe onus tum ſuſtulit. Ille verò,
qui per vitæ exorbitationes, podagræ chara-
cter acquiſitus eſt, tametſi annoſo viro advene-
rit, ſervat tamen naturam ſuæ proprietatis.
Vnde manifeſtum fit, cujuſvis morbi characte-
rem eſſe promiſcuè, in animæ ſenſitivæ gre-
15 mium admiſſibilem. Adeo ut ſicut pavor in-
gens plures fecit epilepticos in vitam: ita con-
ſimilis pavor plures à podagra deinceps reddi-
dit immunes. In uno ſcilicet pavor generavit
in ſyndeſmo, vitæ, & animæ ſenſitivæ, chara-
cterem epilepticum: qui pavor necuit; uno vel
altero gradu dimiſſior, & exterius, characte-
rem podagræ, eumque reddidit vel congela-
tum à pavore, vel ſaltem oppreſſit ejus radi-
cem. Atra bilis apud Hippocratem (quæ cum
nuſquam unquam exſtiterit, pro effectu, bili illi
tributo, eſt ſumenda) in præcordiis ſubſiſtens
(ſedem enim animæ ſive Duumviratum reſpe-
xit, nondum notum) ſi in corpus ſpargatur, epi-
lepſiam provocat: ſin verò in animam, demen-
tiam. Fuit nempe iſta primi ſeculi planities,
quæ res quidem candidè trutinabat: ſed defe-
ctu luminis ſuperni, non adivit ad rei fundos:
16 ſunt quædam ſimplicia, quæ citra cenſualem
abhorreſcentiam; quæ ſuo eſu pariunt veram
dementiam, alia verò ſomnum faciunt; quæ-
dam quoque dementes in vitam, alia autem
tantùm deliria, velut ebrietates quaſdam profe-
runt; Ad quorum quoque paritates, velim cha-
racteres morbidos computari. Vtpote nedum
aſſumtis hoſtilibus ejuſmodi rebus, ſanitas,
Mens, aut vita alienantur: ſed intus conceptis,
partis procuratiſque materiebus noxiis, vel et-
jam ſolis characteribus, introducuntur in vitam,
aut vitæ organum Archeum, diverſæ proprieta-
tes. Eæque nedum bonæ, patrum aut Avorum
inclinationes, in ſemen propagatæ: ſed & mor-
boſa quædam ſeminaria, qualia in ſimplicibus,
velut nobis comminata, connaſcuntur. Quæ
17 quidem ut animadverſionem ſeriam meren-
tur: ita multò magis, quoties illud hoſtile ac
morboſum virus diverſimodè copulatur, nunc
fermento ſtomachico, nunc Archeo inſito, tum
demum ſpiritui arteriali: non rarò quoque ra-
dialiter ipſi vitæ, quæ nimirum nil niſi lumen
centrale eſt, à radiali quoque lumine quovis pe-
netrabile. Sic videlicet, lumen vitale animæ
ſenſitivæ, penetratur à copulato ſibi lumine
peregrino, non ſecus atque lumen, trans vitrum
coloratum, tingit lumen ſimplex in pariete.
Equidem in monarchia vitalitia, quæque de-
ſcendit à Patre luminum, ſunt lumina iſta vi-
ventia, quæ aliàs in ſimplici ſolari, aut in lumi-
ne colorato, lucent, tributæ prorſus caduco.
Eſtque combinatio luminum viventium, planè
viciſſim tolerabilis nedum: ſed & in invicem
activa. Adeo ut hinc conſpicuum ſit, quod Pa-
ter luminum frenos cohibeat vitæ, totiuſque
naturæ. In arteriis itaque lienaribus, vel in
ipſo parenchymate illius viſceris, jam inuſta eſt
proprietas (quam characteriſticam morbi vo-
co) vel demum in ipſa ſtomachi membrana,
venis, nervis, ſive etiam in eorundem Archeo
vitali, quæ proprietas ſeſe in animam ſenſiti-
vam per intervalla propagat, vel continuo fo-
mite tranſlucet, cogitque animam iſtam ſibi
fore pediſſequam. Adeo ut anima ipſa, ejuſve
vita, aut Archeus vitalis, per vices ſollicitata
efferantur in aliquem motum furoris, amentiæ,
ſyncopis, vertiginis, epileſiæ, apoplexiæ, para-
lyſis, contracturæ, &c. Accuſabit (ſat ſcio) pars 18
adverſa, diſcendi incupida, nebulam quam
ſpargo, dum ad vitam, ad lumina vitalia, ſive
ad mundum inviſibilem, ubi Pater luminum
præſidet, hæc ſublunaria detorqueo. Sed quæ-
ſo reminiſcantur, hanc eſſe viam rectam, quæ
aliàs à priori inveſtigari nequit. Sciantque, vi-
tales motus non niſi cieri, & dependere à vita.
Sive interim vitam noſtram contemplemur,
ſive demum vitam, vitaleſque proprietates,
quæ nobis morboſæ, mortales, ac exoſæ appa-
reant. Equidem ubique non intueor niſi bo- 19
num commune proximi, aperire feneſtras, qui-
bus lumen naturæ hactenus obſcuratum, ad-
ventare queat in Scholas, & feliciora me inge-
nia. Submovi propterea complexiones quali-
tatum elementariarum, itemque humores, tar-
taros, atque hujuſmodi ſomnia Scriptorum:
optarem in vicem illorum, introduci veram na-
turæ cognitionem, noſtrique indaginem. De-
nique Catarrhos de medio ſuſtuli, ut vana fig-
menta, fractoſque baculos, quibus innixi fue-
re mortales hactenus. Adeoque quicquid hos
decepit, fraude doloque defluentis humoris,

tanquam cauſæ morbificæ , id totum in fructum
atque productum cauſæ vitalis referendum
eſſe : quodque materialiter è capite defluere,
putatum eſt in Scholis : id à ſede animæ
vitali jaculari , ſagittari , radiari , & propagari ,
communi Archei ductu , vel vitæ participatione
inſtillari. Bone Deus , quantum diſſentio ab
Antiquorum traditis? Vtinam ſint, vel ſaltem
utinam facias, qui me capiant , & ditiore talento
ſpem ægrorum foveant ! Sed tu Deus, facies
in his , juxta beneplacitum tuum , cui omnia &
ſingula , quæ habeo , ſcio, video ac poſſum, totaliter
20 refero & offero. Redeo ergo ad orbitam:
Inprimis herbas vulnerarias operari virtute cujuſdam
innati Alcali, aliàs oſtendi. Docui nimirum
Mercurium, tam præcipitatum, quàm ſublimatum,
facilè revivificari , imbibito per bullitionem
ſucco clarificato vulnerarium . Vndè
conſequens, herbas excellentiores in hoc gradu
eſſe, quarum ſuccus ille bullitus cum præcipitato,&
dein ablutus, facilius atque copioſius Mercurium
revivificaverit. Quapropter & in medendo
præcellit lapis cancrorum, ſi cum vino,
quàm ſi in aqua potetur ; eò quod is lapis in vino ,
facillimè vim atque ſaporem lixivii induat.
Nec quæſo proinde horreat Medicus vini uſum
in vulnere, febri, &c. Nam eo ipſo , ut ſapit alcali,
vini vires atque proprietatem amittit. Sic
nempe propinatur feliciter Alcali è tilia , non
ſecus atque pulvis ille cancrorum. Invitavit nos
enim Dei bonitas, ut propter raritatem,qua pauco
ſpatio lapis iſte ſubſiſtit , mortales trahantur
in admirationem illius , atque inde etiam diſcant
vires,trutinentque proprietatem æquè mirabilem ,
qua vulneratis, contuſis , ac ex alto
21 præcipitatis proficit . Mirumque hic eluceſcit
ſtatim nondum explicatum. Quod nempe ſanatur
vulnus in pede, etiam & crure , ſive in
maximè remotis ab ore partibus : quorſum tamen
nullum Alcali acceſſum impetravit unquam .
Quatenus ſcilicet Alcali hujus lapidis
corrigit acetoſitatem , quæ in membris extimis
ſive habitu corporis accenſa eſt, & parata accendi.
Neque enim à ſtomacho tranſit vis Alcali ,
per venas , uſque in digitos pedum. Sed
neque eo admittitur, & quanquam admitteretur ,
non tamen poſſet per prævias digeſtionum
quæſtiones , atque examina, pergere libera , &
infracta. Nemo enim eſt, qui hoc neſciat, mihique
22 non permittat, quæ dixi. Ergo inde prorſus
liquet, quod Alcali iſtud,etſi non vadat materialiter
uſque ad habitum corporis : attamen
ſufficiat , ut ſui proprietatem radialiter eo uſque
diſpergat , modò in ſtomacho , digeſtionum
fonte, vitæque Archivo aciditatem vetuerit. In
quo manifeſtatur vis ſtomachi in omnes digeſtionum
familias. Quapropter à contrario ſenſu,
percepere quondam , quod vinum , quia facile
nobis intùs aceſcit , accendat atque pervertat
vulnera, niſi adhibito vulnerario Alcali , vis
iſta acida vini miteſcat. Siquidem vulneris detrimentum ,
internus & fermentalis ſolus acor
eſt ; quo abſente, feſtinant labra continui concurrere.
Quapropter Scholæ deceptæ, univerſaliter
vinum vulneratis vetuere. Quod hodie
uſus remedii vulnerarii , in Scholarum dedecus
improbavit. Nec materialiter enim vadit Alcali
ad longinqua, ut acorem inhibeat : cum nec
quidem ad lienem , quartanæ ſedem, penetrare
queat. Sufficit itaque , quod in ſtomacho,
digeſtionum omnium Rectore, acorem cohibeat.
Non quidem quod fermentum acidum
ſtomachi peſſumdet : ſed quatenus corrigitur,
impediturque fermenti tranſlatio ad longinqua.
Quod & ipſum confirmat præfatum paradoxon ,
nempe quod digeſtio ſtomachi præſideat
mille culinarum digeſtioni particulari :
Dein quod materialiter non fiat Alcalium peregrinatio.
Ac præſtet Alcali horum lapidum potare, 23
quàm calcinata conchylia. Eò quod etſi
juvent, ſitque Alcali longe in calcinatis potentius ;
attamen quia ſub actuali vigore , fermentum
ſtomachi vitiavit, vel ſaltem inclinant. Vbi
lapis Cancrorum, non tam in fermentum,quàm
in fermenti productum feratur. Obvia quoque
ratio, cur lapis iſte , illique herbæ ſimiles, ſanent
ingentia etiam remota vulnera : ulcuſculis tamen
in gula, larynge , aut veſica nequicquam
opitulentur. Nam & hinc confirmatur , quod 24
omne vulnus ſtatim aceſcat, ſi impediatur quoque
acor è ſtomacho vitali digeſtione ad vulnus
diradians , remedio eſſe. Sed quia ulcus non
ſuboritur è ſtomachi acore : ſed ex proprio Archei
partium vitio, & ſuſcepto contagio. Quod
etiam proinde non ſedatur aſſumto Alcali : &
arcanis opus eſt , quoquo penetrantibus. Cibi
namque , potus , & pharmaca, vim ſuam amittunt
circa primam ſtomachi digeſtionem : nec
altius vadunt aut feruntur, quia tantum nutriunt
ſimpliciter , atque ideo omnem larvam
nutritioni horridam , ibidem exuunt, & planè
deſpuunt vel alioquin in excrementa mutantur.
Atque ſic etiam inutilia fiunt conceptæ ſanationi.
Quod ſi verò lapis Cancrorum ſit diureticus , 25
non eſt quod proinde ſperandus ſit adventus
ejus , uſque in veſicam , aut quod vis ejus
maneat

maneat intacta, & infracta. Abſit. Sat enim eſto. Si lapis ille totum potum ſpoliet vi aceſcente. Quippe quæ ſola eſt, utut minimum ejus in lotio deferatur, pariendi ſtranguriam, dyſuriam, ardoreſque Lithiaſi familiares. Acor enim, tametſi à felle ſano optime ſubigatur: attamen tantillum ejus, poteſt hoſtile eſſe in lotio, partibuſque illi ſubſervientibus, non minus reſiduæ toti digeſtionum familiæ. Nunc tandem redeo ad jus Duumviratus, ut conſtet, quo pacto anima in ſuo corpore ſua mandata diverſimodè exerceat, agatque per modum juſſus, moderaminis, regiminis, ut etiam truculentiæ, furoris, & tyrannidis, nec ad hoc indigeat canalibus, ventis, vaporibus, fuligine, ac omnium minimè, ope calorum, frigorum, & defluxionum. Scholæ cernentes effectus Duumviratus, ſingulisque cauſas nectere arbitrantes, cuncta in ardores, vel humores, horumque decubitus tranſtulere, quaſi ea quæ in nobis naturaliter obveviant, tantum per urgentem ponderum, calorum, humorumque imaginariorum neceſſitatem contingerent. Cumque ab anima, à viribus viventibus retroceſſerint ad artificilia vel demortua Matheſeos exempla, tandem fruſtra ſe operari cum admiratione, invita experientia, & ſolita vulgi obſervatione, pleroſque morbos in catalogum incurabilium, vel numerum ſponte ſub cura culinæ ſanari ſolitorum, quieverunt modò venam & alvum aliquoties uſque in necem, vel ſpontaneam laſſationem ægrorum deſeruiſſent. Ac poſtremò plerumque agyrta, vel annoſa anus curat, quos ipſæ Medentum experientiæ deſeruerant.

IVS DVVMVIRATVS.

1. ILluſtratur Aphoriſmus Senis. 2. Epilepſia & Mania probantur è Duumviratu prodire. 3. Somnum è Duumviratu eſſe. 4. Argumentum contra Capitis prærogativam. 5. Idem confirmatur ab invito Galeno. 6. Subterfugium Scholarum pro capite. 7. Quid ſexus ſinguli tribuant generato. 8. Vegetans poteſtas in & ex Duumviratu. 9. Fœtus diverſimodè vivit. 10. Phantaſia Cerebri ſtatim interit, niſi ab inferis foveatur. 11. Anima cur dicatur in ſanguine. 12. Conceptus aſcendentes ex hypochondrio cernuntur ſtatim in vultu. 13. Probantur primi conceptus, formari in ſede animæ. 14. Somnum & ſomnia eſſe ex Duumviratu. 15. Incubus eſt in ſtomacho: ergo ſomnus & ſomnia ſunt indè. 16. Odaxiſmus autem à Senſitiva tantum. 17. Scholarum opinio circa Incubum. 18. Notatur abſurditatis. 19. Aſinus Bileam, non eſt locutus verbum Angeli. 20. Hiſtoria præcipitis mei caſus. 21. Recenſentur aliquot Pylori dignitates, & ſtupenda propter facilitatem remedia. 22. De ſede animæ pro Duumviratu. 23. Hiſtoria amentiæ ex pharmaco adhuc exſiſtente in ſtomacho. 24. Idem per lipothymiam. 25. Ab axiomate Scholarum. 26. Ex tolerantia famis. 27. Perturbationes ſpectare Duumviratum, non Caput. 28. Studium nimium parit amentiam, ſenſibilem primum in ſtomacho. 29. Error Scholarum. 30. Per axioma Scholarum certatur in Scholas. 31. Somnum è præcordiis. 32. Remedium opiatorum. 33. Galenum carpit Veſalius. 34. Status innocentiæ qualis. 35. Primos conceptus malè vocari eſſe extra noſtram poteſtatem. 36. Memorandi poteſtas in Cranio, atque aliæ alibi. 37. Memoria Mentis, alia quam phantaſiæ. 38. Sedes concupiſcibilis & iraſcibilis Scholarum. 39. Splenis otia. 40. Caput ſequitur præcordia. 41. Vis narcotica. 42. Vaſa paraſtata 43. Salacitas non reni, ſed ſtomacho tribuenda. 44. Vitam caducam intraſſe, & ſtabulari, ubi & anima. 45. Os ſtomachi eſt centrum totius trunci corporei. 46. Quid ſit Meſſiam in ſuis lumbis geſſiſſe. 47. Remedium enitenti mulieri. 48. Ruit Indiciaria Aſtrologia. 49. Exterus lien quam vim habeat. 50. Cur prægnantis tempore infeſtetur miris conceptibus. 51. Mens non fit amens. 52. Conceptus lienares. 53. Morbi ſanabiles & deſperati, qui ſint. 54. Simplicium dotes. 55. Concluſiones ab inſcitia præcedentium deducta. 56. Soporifera non medentur amentiæ. 57. Cos Lydius pro medente amentiis. 58. Objectio ignorarum. 59. Obeſitas terminata. 60. Admiranda Duumviratus majeſtas. 61. Riſibilitas quid, & unde ſoli homini adveniat. 62. Dominium Duumviratus in Pulmonem. 63. Origo Sputorum. 64. Determinatur vis ſulfuris. 65. Cur ſtomachus imperet Pulmoni.

HIppocratis eſt. *Quibus vena fortiter in hypochondrio pulſat, iis mox mens ægrotat.* Frequentiſſima e- 1
nim eſt arteria lienis: ejus tamen
pulſus non eſt manifeſtus, quan-
tiſper rectè valet & imaginatur.
Dum autem perperam, mox forti pulſu, uſque in
aurem ſiniſtram, non rarò etiam ab aſſidentibus
audibili, amentiam denunciat. Id verò in ſpina
digito impreſſa liquet, cujus pulſus antea igno-
tus, mox dein ante digiti tumorem moleſto du-
roque pulſu agitatur. Ergo è liene ſpinoſo deno-
tatur prodire amentia. Idem Senex atram bilem 2
in præcordiis ſtatuit (nomen enim præcordio-
rum, ſonat ſtomachum cordis vicem ſubire) &
inde præſagit Epilepſiam, ſi in corpus: Amen-
tiam verò, ſi in animam ſubierit. Ergo utram-
que

que mentis impotentiam è præcordiis deſumit.
Vrgent autem potiſſimum, ubi earum cauſa oc-
caſionalis præſto adeſt. Adeoque teſtantur Scho-
læ, ubi officina amentiæ latet, ibidem quoque in
ſanitate, recti judicii eſſe ſedem, juxta axioma.
Eſt functio vitiata ejuſdem partis, cujus eſt in
3 *ſanis functio integra; & contra.* Etenim Amen-
tiæ omnes, (exceptis ſoporum ſororibus) tollunt
vigilias. Certo argumento, quod ſomnus, ſopor,
vigilia, dementiaque eodem degant hoſpitio.
Vt pote ſomnus, vigilia, phantaſia, ſomnium,
ſunt poteſtates verſantes circa idem ſubjectum,
fiuntque eodem organo, & hoſpitio. Fateor qui-
dem ſomnum, vigilia poſteriorem: ſed iſtud
non arguit ſubjecti hoſpitii varietatem. Indu-
bium eſt namque, quod in momento ceſſet o-
4 mnis Mentis operatio per ſuſpendium, &c. Ita-
que ſi caput eſſet proprius imaginationis locus,
perſeverarent Mentis operationes, quæ tamen
intercidunt, ſtatim atque lux ab inferioribus eſt
5 denegata. Galenus proponit cinerem, è com-
buſtis Cancris contra rabiem à cane profectam.
Quæ rabies, in concupiſcibili, ſive metu liqui-
dorum æſtuat; undè illi nomen Hydrophobiæ.
Ergo rabies jacet in parte concupiſcibilis pote-
ſtatis. Nec enim lixivium è cancris, ad Cere-
brum deferri eſt aptum. Nihil enim eò vadit,
quod prius in ſtomacho non ſit tranſmutatum,
nec igitur ad 5 aut 6, niſi per primum & ſecun-
dum. Itaque eſt illa rabies per intervalla, oblato
nempe poculo, in concupiſcibilem furit, nemo
autem potuum concupiſcibilem cerebro dica-
vit. Ergo dum canis rabidus Doct. Baldi digi-
tum momordit, iſtud virus à digito in ſtoma-
chum ſerpſit, tanquam primum animæ ſenſiti-
væ organum. Vt etiam ad Splenem ſibi con-
vexum: quorſum lixivii illius remedium, ut
6 paſſioni hypochondriacæ ſubjectum ſit. At ne
detrahant Scholæ dignitati Cerebri, concedunt
iſtam amentiam habere quidem terminum à
quo, in liene: terminum tamen ad quem, vo-
lunt eſſe intra cranium. In quo nil dicunt ex-
cuſabile. Nam ſaltem etſi ceſſet pro tempore du-
bium: ſufficit, quod in termino à quo, ſit primus
motus vitiatæ phantaſiæ. Reſpondebunt ocius:
cauſam humoralem atque occaſionalem in lie-
ne, non accuſare, proinde frabricam imaginatio-
num fieri debere extra caput. Sed mox plurium
argumentorum robore id ſenſim propalabo. Pe-
trus Bor Chriſtiani, in annalibus Belgii, refert,
7 anno 1564. Bruxellis ſuem peperiſſe ſex fœtus,
quorum primus (qui generando enim ultimus,
ſemper primus paritur à brutis) haberet caput,
vultum, brachia, & crura humana, à collo verò
totus corporis truncus ſuillus eſſet. Sus enim
mater erat indubia. Ideoque Cor, Splen, &
reliqua etiam vegetativæ organa, matri ſimilia.
Ergo etſi caput hominis illi eſſet, ſolam dumta-
xat habuit animam ſenſitivam. Eſt nimirum
monſtrum Sodomiticum matri magis ſimile,
quàm patri. Sic ex ove matre, & patre hirco,
prodit agnus, qui præter lanam, & caudam, cæ-
tera ovina habet. Sic mulus patre aſino, & ma-
tre jumento. Sicque equus è tauro & jumento.
In cuniculis ſeptem demum, à patre glire, &
cuniculo matre, nil præter caudam, patranti
erat ſimile. Si ergo monſtrum iſtud ſuillam a-
nimam habuit: ſequitur ergo anima conditio-
nem non quidem capitis, ſed inferiorum mem-
brorum. Ipſaque prærogativa animæ phanta-
ſticæ, habitat in Duumviratu, quanquam caput
ſit pars conductrix conceptuum formatorum
in inferioribus, ſit nimirum in corporis cen-
tro, ac meditullio. Demonſtravi enim alibi, 8
Splenem inſpirare fermentum digeſtivum ſto-
macho: id eſt dicere, lienem vegetationis ex-
ordium. Potentiam vegetantem autem, eſſe
animæ ſenſitivæ, id eſt, Duumviratus. Siquidem
non eſt ſingulariter anima vegetans: ſed eſt po-
teſtas vitalis, animæ æmula. Fœtus autem ve- 9
getatur ante empſychoſim, ſolo influxu parti-
cipationis è matre. Quamdiu ejus velut eſt pars
integralis: ſed mox ab animatione propria vi-
vit culina. Ideoque ſola eſt anima ſenſitiva in
brutis. Quæ quia eſt & in homine, illique eſt
Mens alligata, idcirco conceptus animæ ſunt
primi in ſede animæ, qui fortè etſi depurentur
in capite, non tamen fontem negant ſuum. Imo
tametſi in Cerebro recuderentur, non tamen
ad hoc motuum ſucceſſione, ab anima in caput,
opus habent, tanquam peregrinatione. Nam vo-
luntatis, quàm conceptuum ſunt craſſiora lon-
gè imperia: attamen concepto vix motus man-
dato fidicinis digitus celerrimè illud exſequi-
tur. Itaque actiones Regiminis, non inter- 10
rupta luce radiant in objecta ſua. Ideoque diſ-
curſus, ſuis officinis adæquatus, utrobique le-
ges ſumit, ac viciſſim aliàs ſtatuit. Laxa alio-
quin ac confuſa ſunt Cerebri phantaſmata, ſi
Splenis noxa intercurrat. Quod patet in ſuſpen-
dio, delirio febrili, hypochondriacis, rabioſis,
Apoplecticis, epilepticis, &c. Vndè ſat liquet,
Cerebrum obedire deliro Duumviratui. Veritati 11
namque maximè eſt conſentaneum, quod ſa-
pientia carnis & ſanguinis (quæ eſt animæ ſen-
ſitivæ) ſitum ſuum habeat in viſcere omnium
maxi-

maximè ſanguineo. Idcirco in Sacris legitur, animam & vitam eſſe in ſanguine. Etenim ſi viſcus lienis, ejuſque ſubſtantiam attendas, cenſebis ejus parenchyma eſſe cruorem noviter grumefactum, pelle obductum, tamque multiplici venarum & arteriarum contextu locupletatum: ut non ſit aliud in toto viſcus, quod in ſubdecuplo totidem arteriis dives ſit. Cerebrum verò, in tota vix ſui mole, venam aut ſanguinem aut parcè habet. Menynges quidem, ſive Cerebri opercula, ſuas habent venulas. Ac licet in ſinu Cerebri, vas ſit arteriale, tranſpirandis ſpiritibus in corde laboratis aptum: Cerebri tamen moles ferè tota eſt exſanguis. Non mirum eſt ergo, Splenem, ſub hoſpite exotico, peregrinas formare Ideas, & conceptus alienos. Cujus hoſpitis expulſionem dum lien meditatur, fortem pulſum excitat, prout adacta in digitum ſpina, præſentem exoſumque hoſpitem 12 nunciat. Obſervavi enim ſeriò oculos, torvumque vultum hypochondriaci, ſtatim quoties ſtultos primoſque conceptus mihi referret: quem dum à delirio incepto interrumperem: ac ſtatim eo ipſo oculi ac vultus, in priſtinum ſanitatis redibant. Mirabar compatiendo, tam celerem totius vultus, toties repetitam, tantamque innovationem ab actione inferioris regiminis, in arcem Cerebri propagari. Porro neque enim dumtaxat rudes atque incompoſiti conceptus, ſplenis ſunt: ſed ſaltem & conſopita Cerebri intellectione ſubter ſomnia, non ſpernendum donorum lumen, Mentem attingit. *Et erit in* Act. Ap. *noviſſimis diebus: effundam de* cap. 2. *ſpiritu meo, ſuper omnem carnem: & pro-* verſ.17. *phetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ. Et Iuvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomniabunt ſomnia.* Nimirum ſignificativa. Nox nocti indicat ſcientiam, ſi vigil prædiſcat cogitata ſua à rebus, loco, motuque ſubducere.

13 Non etiam gratis aſſerui primos conceptus perturbationum ſentiri in præcordiis. Quandoquidem ſi eſurienti affertur triſte nuntium, ſtatim perit appetitus. Ergo nuntium, & appetitus, in idem cadunt hoſpitium. Docui etiam alibi, ſtomachum hepatis, non eſſe inſignem aliquam cavitatem, intra ſuum viſcus patulam: ſed ipſas meſenterii venas, eſſe ſanguificationis thecam, in quam jecur prima ſanguificationis radiat ſpiracula. Lienis verò ſtomachum eſſe ipſum ſtomachum, quem ideo amplectendo fovet, ut digeſtionis Vulcanum illi inſpiret. Splenis tamen alius eſt & proprius ſtomachus, multiplici arteriarum tortuoſitate admirabilis, quo lien ſibi ſoli coquit. Sub qua digeſtione, minimus error ſi irruit, ſplen digerendo ceſſat, debitaque ſtomacho externo fermenta denegat. Quod in febri evidens eſt, dum loco acidæ digeſtionis, obveniunt teſtes ructus nidoroſi, putredinis cujuſpiam æmuli. Cerebrum quoque ſua inſenſibilitate, lienem, ut & Menynges Cerebri, ipſum ſtomachum hac in parte referunt. Actio namque ſtomachi poteſtativa eſt, & Cordis vicariatum in ſe habet, ejuſque munia, invitis Scholis, exſequitur. Nec enim ſplen infractuoſo, vitali, locupleteque arteriarum numero, ſuis floret conceptibus fruſtra: ſed quoties ſuos conceptus alterius 14 alimenti deliciis ſopit, dat ab opere inducias: id eſt, ſomnium. Quæ ſi minus perfectæ fuerint, vel nimia ſolicitudine ſtomachi turbatæ: ſomnia quoque profert confuſa. 15 Nemo Medentum hactenus dubitavit, quin ephialtes, ſive incubus ſuſcitetur è præcordiis: Advenit enim plerumque, ſumta durioris cibi largiore cœna. Vel aliàs laborante ſtomacho: Ideoque id contingit, non quidem cubanti latere dextero: ſed tantùm dormienti in lumbis ſupino, vel ſaltem latere ſiniſtro. Dum ſcilicet penè eſt dormitum ſatis. Sentiunt namque obſcurè, ratiocinantur, putant ſe manibus tangere, & oculis videre: non tamen ſe movere valent. Sentiuntur enim audiri, & ſentiri oppreſſiones. Alioqui dormiendo, alii (etiam ægroti) ſe movent liberè. Eſt nempe onuſtus, ac oneratus ſtomachus, ejuſq; nondum abſoluta concoctio, ideoque contingit ſiniſtro latere cubantibus: quorſum nempe os ſtomachi contortum eſt. Vnde inprimis obvium fit: & ſtomachum imperare motui, ac præcipuè in hoc ſomnium, ſomnia, ſimul & motum moderari. Sunt nempe ſomnia incubi ſemper ferè eadem, ut & movendi impotentia, quamdiu ſtomachus ſic malè affectus, ſomno diſtenditur. 16 Scholæ enim cauſas incubi aſſignant, craſſos vapores medullam ſpinalem invadentes. Et quidem invehuntur in vapores, ob momentaneam noxæ illius ſolutionem. Nam ſi protinus expergefiant ſomniatores: ſtatim quoque ceſſat incubus. Adeoque ad lubitum excitantis, vapores illi ceſſare deberent. Denique obaudio in pleriſque cauſis morborum accuſatos vapores craſſos: ego hactenus 17 fateor, me nunquam 50 ſolidis annis diſtillationum vidiſſe adhuc vaporem craſſum. Sunt quidem exhalationes corporeæ, in quibus res volatilis ſublimatur, ſcanditque ad latera vaſis. Sic nimirum è ſulfure, auripigmento, lignis, arſenico, ſale armoniaco, caphura, urina, item-

que è Mercurio, plumbo, Cadmiâ, ære, &c. craſſæ fuligines ſurſum aſcendunt; ſed vapores, aqueos ſcilicet, craſſos nondum vidi aut novi, niſi inter Academicos, vaporum ignaros. Imò utcunque craſſi eſſent, ſaltem ad excitatoris lubitum, aut craſſitiem amitterent, ſiſtereturque calor extemplò, qui ejuſmodi vapores excitaſſet. Vtrumque ſanè ridiculum. Denique medullam conjiciunt affectam, ob denegatum in ſomnio motum. Adeoque ad excitantis lubitum, omnis affectus medullæ, omniſque oppilans vapor ceſſaret. Quod æquè frivola incogitantia plenum. Sed quomodo ſupinus jacens, vapores craſſos mittet è ſtomacho in lumbos, atque medullam, intra vertebras concluſam, & membranis tectam? quo nempe aliàs ne ventos tenuiores penetrare ajunt? Potiſſimum quod talis cubantis ſitus, ſui natura vapores è ſtomacho potius in Inteſtina proſcriberet, vel ſurſum trans ſtomachum in umbilicum efferret, quàm deorſum ad medullam clauſam, Inteſtiniſque oneratam? Quid commune intercedit loquelæ cum ſpinali medulla? Curve vapores craſſi è ſtomacho petent dumtaxat nervos recurrentes? Incubus enim nedum audire facit internos ſuſurros, & diſcurrere permittit, etiam pavere: ſed etiam audiuntur externa, vera, & apparentia. Linguam autem movere nequit, quantumcunque alii ſomnia inter loquantur. An fortè cogitant Scholæ, motus linguæ fieri à medulla ſpinali? Vapores craſſi illi longè diverſi ergo erunt à ſomnialibus, linguæ uſum & motum, imò totius corporis, non impedientibus. Etenim dum nervos intendunt, ut darent immobilitatis cauſas, ipſæ Scholæ evadent mutæ, & immobiles. Dum nunquam intelligent quæ dicunt, ut neque, qualiter iſti craſſi (id eſt, impoſſibiles vapores) penetrabunt ſtomachum, abdomen, venam cavam per dorſum cum pulſante comite arteria, extentam, itemque ligamenta vertebrarum. Et quomodo iſta ad momentum ſilebunt, pacabuntur, atque ceſſabunt, ſi fortè excitetur, qui Incubum patitur. Rectiùs ſanè didiciſſent actionem regiminis Duumviratus, impedimentum nempe ſtomacho oblatum, ſolo ſui vitali regimine, abſque vaporibus, aut tubis, turbare Cerebrum, nervos, conceptuſque primos vitiare: quatenus interrumpit lienis ſolatia. Sic nempe accidit Apoplecticos, & paralyticos edere, audire, dormire, &c. non poſſe tamen loqui. Scholæ enim accuſant recurrentes nervos oppilatos. Cur ergo Incubus non potius hos nervos, quàm ſpinalem medullam aſpexerit? Cur remedia pro Duumviratu, juvant apoplecticos, vertiginoſos, gradi & loqui neſcios, ipſis inquam pharmacis, in cavo ſtomachi adhuc præſentibus: nervis autem recurrentibus & capiti evanida? An fortè pica, ante ſermonem nervos iſtos habet conſtipatos? An vacca linguam exſerens mobilem in nares, habebit linguam ligatam? nerviſque caret recurrentibus? Vel aliàs, fruſtra habebit, 18 ſi perpetuò & naturaliter obſtructos. Iuſſus quidam voluntarius à capite defertur ad linguæ nervos. Id quadrupedi denegatum: non autem quibuſdam volucribus. Item illud non prima vice, ſed ſenſim conſueta itione. Hunc autem juſſum non dimittit Apoplecticus ad executionem, quia ſtupet propemodum ut quadrupes. Equidem conceptus aſini, permittente Deo, ſemel ad ejus linguam tranſivit. Non quidem, quod aſinus eſſet Angeli organum. Nam tunc judicia Dei: non autem proprios conceptus locutus eſſet, nec eſſet de verberibus conqueſtus. Occaſione aſini, dicam mea. Sedebam anno 1643. pridiè Kal. Ianuarii, ſcripturiens 19 clauſo cubiculo, erat autem frigus ingens, & juſſi adferri teſtam prunis accenſis, ut quandoque rigiditatem digitorum ſolarer. Advenit filiola, quæ ſtatim ut redoluit noxam, teſtam abſtulit, & niſi ſuperveniſſet, ſuffocatus perieram. Nam ſtatim ſenſi circa os ſtomachi minitatam ſyncopen, ſurrexi è muſeo, dum foràs pergerem, cecidi inſtar baculi recti, & pro mortuo ablatus ſum. Erat enim duplex affectus, unus, contuſi occipitii, qui ſuffurabatur guſtum & olfactum, auditum autem obtenebrabat. Alter erat ſyncopticus, è ſtomacho proritatus. Primis diebus enim rotabat vertigine caput, quoties in latus aſpicerem, multò magis ſi ſurſum. Putavi id mihi è concuſſione caſus, nudo occipite repentè & ex tota ſtatura in durum lapidem advenire. At paulatim certior factus ſum, multiſque diebus penes me cuncta revolvebam. Scivi itaque tandem, quod vertigo è ſtomacho prodiret, & ibidem eadem radice, qua ſyncope provenerat, ali. Nam aliquot cibi iſtam mihi vertiginem promovebant, & peculiariter circa veſperum, dum nempe nondum cocti eſſent, adeoque idem Incubo contingere, à concoctis propemodum cibis. Memineram quoque quoties mare transfretaſſem olim, etſi rectè valerem, & edaciſſimus eſſem: tamen multos dies poſtmodum rotabat, vacillabatque caput, donec leviculo vomitu abraſiſſem ſordes è ſtomacho, quibus Idea illa rotans, eſt impreſſa. Comperi enim

quod vertigo comitaretur nedum cibos noxios,
ſed inſuper horam fermè abſolutæ digeſtionis,quodque
aſſumto cibo, & vino moderato,
ſtatim ſemper mitigaretur vertigo. Quinimo
dudum inde, quantumvis liber penitus evaſiſſem,
nihilominus eſu quorundam ciborum, recidivam
patiebar circa veſperum. Experto ergo
(ut dici ſolet) credidi Roberto, omnem vertiginem
ab inferis ſcandere, citra vaporem aut fumum:
ſed per ſolum actionis regimen, caput
auſcultare ſtomacho. Et quod amplius eſt, ſub
vertigine quæ caſum minabatur, diſcurſus omnis
rotare incipiebat, qui ſtatim aſſumto vino,
reſtituebatur. Adeoque comprehendi non
quidem cibum in ſtomacho relictum: ſed primarium
ſyncopes fomitem ſuſcepiſſe, ab indignioris
cibi labe,nocuam impreſſionem. Vnde
per ſulfur Vitrioli quoque immunis factus ſum.
20 Alibi rectorem Pylorum cum ſuis dignitatibus
expoſui, quò conſtet, ſtomachum undequaque
omnique Angulo eſſe ſedem animæ. Ita tamen
quod ſicut os ſtomachi præeſt, atque dominatur
capiti, ac principibus facultatibus: ita &
Pylorus inferioribus imperat. Obſervavi namque
atrociorem colicam tranſire nunc in Paralyſim,
aliàs verò contracturam manuum, pedum,
brachiorum & crurum peperiſſe. Vidi
quoque ſtomachi dolores, præ dolorum acerbitate,
motum omnem abſtuliſſe, & affectum
Tetano ſimilem cauſaſſe, quem ruſtici noſtrates
injaculationem, tanquam à *Sagis* ſuſpectam
& immiſſam, (Geſchot) vocarunt: Eaſque non
rara paſſio Iſchiatica comitatur. Quorſum vidi
venæſectiones, ſolutiva item, enemata, emplaſtra,
unguenta, cauteria, atque ſimilia adhibita,
& evanido eventu. Conatus enim obriſi
illorum, qui ad poſteriora, ſive producta
remedium ſancirent, præterirentque fontes è
Pyloro ſcaturientes. Obſervavi namque ſemina
minora calida plerumque procellam ſedaſſe.
Eo quod Inteſtinorum Archeo intimo ac
domeſtico remedio ſuccurrant, eumque indignatum
pacent. Quocirca lectorem moneo,
advertat Scholarum ceſpitationes, ſuis Catarrhis,
ac pituitæ defluxionibus in ſacram inſcitiæ
anchoram tribuentes. At certò notatu
digna eſt Hiſtoria. Quinquagenarius hernioſus,
vinculi incuria enterocelem paſſus, quæ
ad capitis magnitudinem mox increvit, & induruit
mirum in modum. Tota nocte lacte
& ſtercore vaccino fomenta calida renovabant,
ac reponere tentabant. At fruſtra. *Siquidem*
unicum durum tuber, inſtar ollæ continuum
evaſerat, tollebatque ſpem regredi poſſe, per
foramen decuplò minus. Obtulimus ergo hauſtum
vini ſemel ebulliti cum ſeminibus contuſis
(Aniſi nempe, Carui, Fœniculi & Coriandri
ana) & ſtatim emollita eſt durities, & paſſa
eſt hernia retro impelli. In quo ſtrenuè conſideranda
eſt durities cum tanto tumore. Quæ
nempe non vento, nec ſtercori ſuam exſiſtentiam
debebant. *Sed* durities Pyloro ſubeſt.
Ideoque non videbatur corpus contiguum, ex
ductibus Ilei: ſed continuum unicum videbatur.
Dein non cadebat Ileon decumbenti, nec
proruebat ſpontè in tantam molem: ſed eò à vi
regiminis potentiore protrudebatur. Denique
non in mulieribus tanto tubere, tantaq; duritie
prominet. Quapropter Teſtis injuria, Pylorum
in furorem concitat. Totumque ideo remedium
in mitigatione furoris ejus conſiſtit. Vidi
autem Magnates aliquot miſerè periiſſe, abductos
ſpe, in Medentibus topicè, juxta Galenicas
abſurditates, collocata. Porro hinc redeo 21
ad Duumviratum, in quo ſedet anima. Plato
enim ſtatuit Cor ſedem animæ, tam in homine,
quàm in brutis. *Scholæ* Galenicæ verò, omnem
intellectum, & amentiam ideo capiti
tribuunt, putantque ſe confirmatas ab Eccleſia,
quæ caput baptizat,non Cor. Nec retroſpiciunt
Scholæ, quod à Corde homicidia & adulteria
veniant. Mecum autem ſentit Vulgus, quod
pro initio vitali, ſive animæ ſede, manu oſtendit
orificium ſtomachi, quoties premuntur anguſtiis,
tam ſcilicet corporis vitæque anxietatibus,
quàm afflictionibus mentalibus. Conſidero
namque in fœtu ſenſitivam primùm occultam,
in viſcere nutritioni dicato, eſſeque notionem
juvantium atque nocentium. In infante
demum & puero, ſenſim diſtinctiores conceptus
formari,quibus motus obediant. Ideoque
cerebrum ſuique clientes ſenſum moventur, ut
obediant conceptibus principiantibus. At non
proin anima receſſit à viſcere,quod primò vegetationi
præfectum fuit. Tota nempe ſpiritualitas
ſpectat animam ſenſitivam. Caput namque
baptiſatur,quia ſenſitiva brutalis,per organa,ibidem
pro ſpectatore poſita, ibidem primam Evam
fefellit,ac mors invaſit. *Scholæ* enim ex una
parte irrident vocabula Cardialgiæ, & Cardiogmi,
tanquam ruſtica, aut barbara: ſed dein ſpectarunt
ex altera parte, *Syncopen* immediatè ab
ore ſtomachi ſic manare,quaſi ibidem tota conſiſteret,
inde nimirum proficiſceretur: ibidemque
ſtatim quoque injectis liquoribus aromaticis
reſtitueretur, in ſyncope autem animadverterunt

terunt intellectum,ſenſum,motum,& unà quo-
que pulſum concidere : adeoque è functioni-
bus, quæ capiti & Cordi ſimul adſcribuntur, è
ſtomacho repente ſcandere : Attamen abſque
profundiori indagine, totam vitæ, intellectus,
& animæ craſim capiti tribuerunt : Non poten-
tes concipere principia vitæ Duumviratui
competere, quanquam per ſubminiſtra organa
traderentur in exſecutionem. Quaſi principium
motus eſſet in muſculis,& oſſibus,quia moven-
22 tur! Cauſidicus quidam acceperat binas drach-
mas ſeminis Hyoſcyami contuſas, loco Anethi,
quod in Colica ipſi præſcriptum erat. Confe-
ſtim enim inde ſic inſanivit, quod ne verbum
intelligibile proferret : atque ita inſanus, quod
nil ſtolidius, magiſque fatuum viderim. Sede-
bat quidem juxta focum erectus, ſed totus in-
ſanus ac demens ſtolidus. Per vomitivum ita-
que infra ſemihoram convaluit. Fruſtraq; fuiſ-
ſent errhinni, ſternutatoria, & cucufe capiti, ut
& Cordi epithemata. Quinimò quicquid illius
ſeminis per Seplaſiæ errorem biberat, adhuc e-
rat in ſtomacho, totumque mucilagini involu-
tum, mox per vomitum rejecit, nec quicquam
ejus, inde vapore tenus, ad caput effumare va-
luit. Erat tamen totus innocens ac veſanus,quod
nil prorſus intelligeret, motrices tamen capitis
functiones ſtabant validæ. Vnde collegi vires
intellectuales in Duumviratu collidi. Habui au-
23 tem convivam mecum in prandio. Lipothymi-
ci enim aſſerunt ſe ſentire, omni vaporum acti-
vitate celerius, comminatum in præcordiis de-
liquium, citraque. ſomnum ſuſpendi omnem
conceptum. Vndè quilibet non pertinax clarè
cernet primordiales conceptus animæ formari
in præcordiis, iiſque ademtis,ſtatim quoque in-
tercidere intellectionis lumen. Sic quoque me-
ticuloſus, ſubito in terrore, ſentit in ore ſtoma-
chi pavoris indicium, ſi repente magnus ali-
quis, ex improviſo (puta bombardæ ictum pro-
pinquum) fragor excitus ſit, qui omnem diſ-
curſus actionem præcedit, & præcîdit. Ita-
24 que ſi verum ſit Scholarum axioma, quod ex
læſione actionum enoteſcat pars læſa, reperia-
turque tam amentiæ, quàm ſyncopes, ac defe-
ctus cujuſque ſedes ſub diaphragmate. Sunt
nempe amentes proinde famis & ſitis toleran-
25 tiſſimi. Vidi enim anno 1615. Aloſti, puellam
novennem, ſat petulantem, filiolam villici Xe-
nodochii, quæ jam à triennio nil prorſus come-
derat,niſi quod fortè per octiduum,aut amplius
biberet quatuor circiter cochlearia aquæ puræ.
Etenim à Tonitru,primum inſigniter terrefacta,
edere ceſſaverat. Eſt namque extra controver-
ſiam, quin terror, triſtia, &c. primariò præcor-
dia afficiant, tollantque confeſtim omnem eſu-
riem. Reflectunt ſe nimirum in ſtomachum 26
ſenſibiliter, nec poſſunt proin ad caput referri,
eò quod nulla ejuſmodi perturbationum ſentia-
tur caput petere, neque Cor : niſi os ſtomachi
pro Corde ſumatur. Nec eſt etiam veriſimile,
quod ſi caput primitus apprehenderet, ac ſenti-
ret triſtia, & repentinos pavores, eos in ſtoma-
chum ſtatim dimitteret,& non potius ad nervos
quibus intimius præeſt. Præter abſurdum, cru-
dele enim eſſet,non ſubjectam ſibi partem tor-
quere, & ſubjectam ſoſpitem relinquere. Spe-
ctatur nempe major authoritas ſtomachi in ca-
put,quàm capitis in ſtomachum:quod jam mul-
tis ſuperius demonſtravi. Siquidem ſopor, ſo-
mnus,vigilia,deliria,& quæcunque ſymptomata
capiti ſolent tribui, remediis ſtomachicis, non
autem cephalicis mitigantur, abolentur. Hinc
enim adagium : *O caput helleboro dignum*. Ete-
nim quanquam non deſint multiplicia vomiti-
va : attamen helleboro tribuitur vis peculiaris
pro amente cerebro. Non quidem quod quali-
tas toxica, atque nocua ad caput pertingat; Si-
quidem præſente helleboro intra ſtomachum,
illoque dein rejecto,contracturæ ſuperveniunt,
quales è torminibus ſupra notavi. Sublevat er-
go Amentias eò quod Helleborus niger, præ
cæteris vomitivis, vulgò cognitis, veteres præ-
cordiorum febres,atque lienem exoneret. Nam
per arterias, aut vapores, nil caput ferire, jam
ſupra ex pleno multiſque eſt demonſtratum.
Præfati ergo morbi,eorumque remedia, Duum-
viratum aſpiciunt, nec Cerebrum afficiunt, ni-
ſi per regimen, ſive per deuteropathiam. Stu- 27
dentes enim inordinatè intrò ſentiunt ſatieta-
tem, compoſitam ex vertigine, & anxietate
cum ſuſpiriis, & manu os ſtomachi demon-
ſtrant. Inde verò dolores capitis accuſant.
Quod ſi demum perſeverando inſtent, perci-
piunt circa os ſtomachi, lipopſychin quandam,
ac dein imaginationem ſibi inverti Ideoque
niſi promtè à ſtudendo deſiſtant, tota vita a-
mentiam per intervalla recurrentem ſervant.
Itaque ubi noxa ſentitur, ibidem labes intel-
lectus eſt, & anima principaliter reſidet. Scho- 28
læ econtra, contendunt Splenem atræ bilis
cloacam, eamque ſe in ſtomachum exonerare
ſuis ſtercoribus. Quodque fermentum dige-
ſtionis in ſtomachum inſpiratum voco : id A-
cademiæ excrementum pernicioſi humoris vo-
lunt, adeoque ſtomachi digeſtionem, ab ejuſ-
modi

modi ſcoriâ excitatam. Sed poſtquam certò
ſcivi, non eſſe atram bilem in natura, facile
fuit mihi, tam ab humoribus, quàm uſu partium
à Galeno traditum, recedere, & atrabiliarias
Scholas deſerere. Per axioma illorum
29 concludens: Si amentiæ cauſa ſit in Splene: ergo
eidem loco, debetur hoſpitium judicioſi
Intellectus. Si ejuſdem facultatis, functionis, &
organi ſit actio læſa, cujus eſt ſana, & viciſſim.
30 Vndè quoque ulterius concluſi mecum.
Poteſtatem ſomniferam, locandam in parte, cujus
munus fuit prius, vigilia & fabricari inſomnia,
ubi & vigilando ſuſcitantur phantaſmata. Hinc
nempe eſuriens ſomniat de conviviis. Et
febres priuſquam in deliria deſinant, primum
fiunt ſomni cum labore: dein veniunt noctes
inſomnes, ac tandem deliria. Quæ teſtantur
Duumviratum malè affectum, eumque eſſe
ſomni & ſomniorum fabrum. Senes enim quibus
coctrix eſt debilior, licet parcior ſit cruor:
tamen ſobria cœna melius dormiunt. Ac
juniores, ſub cœna parca ægerrimè quieſcunt. Nemo
tamen unquam putaverit, ſenes plures ad
caput mittere vapores, ſi exigua cœna abſtemii
31 ſint. Sopores tam morboſi, quàm artificiales
ſive opiatorum, optimè debellantur per lixivia,
quæ tamen nullatenus agnoſcuntur pro
remediis cephalicis. Micturiens enim ſomniat ſe
veſicam laxare, & ad angulum mejere
(contingit namque quoſdam, eodem conſenſu ſua
perminxiſſe ſtragula) inhiberi tamen
conſenſum in ſomno datum. Nam etſi Cerebrum per
omnium ſenſuum organa plenè dormiat,
diſcretrix tamen animæ ſenſitivæ vis, non ſopita
eſt in hypochondrio. Sæpè namque in
oculis ſomnum ſentimus, nullum autem circa
ſtomachum, atque exin inſomnes penè noctes
labi. Duo etiam eodem vino poti, & ebrii,
diverſas tamen conditiones explicant. Hic
nempe devotus fit, alter tripudiat, tertius
rixatur, &c. etiam adhuc vino exſiſtente in
repleto ſtomacho. Eò quod phantaſia Duumviratus,
variat conditiones juxta animæ ſenſitivæ
32 peculiares affectus. Galenus finxit arteriarum quendam
plexum, ſive reticulam in finibus Cerebri,
quam Anatome nondum reperiit. Ideoque
Veſalius convincit pluries Galenum, nunquam
cadaver humanum diſſectum vidiſſe, utcunque
ingentia volumina anatomica ediderit. Ac
idcirco ſuſpicandum eadem aliunde verbotenus
deſcripſiſſe, qui ſimiam diſſecuiſſet, ut probat
idem Veſalius: quippe quæ præfatum plexum
in Cerebro habet. Vtque ſaltem Galenus in
plexu iſto, temerè deluſus eſt; tamen judicium in
Capite ſtatuit, propter illum plexum; non
exſiſtentem. Quid ni potius à plexu arteriarum
in Splene, à Saturno Splenis (unde Saturnia
optantur redire regna, primorum innocentia
conceptuum) phantaſiæ initia deſumenda ſunt?
Vt ſua reſcripta, Splen Cerebro communicet,
per influentiam regiminis, citra vapores &
tubos atque in inſtanti, prout ſupra per fidicinis
promtitudines demonſtravi. Non enim erat 33
Protoplaſtus, præſumendus neſcius ſtupiduſve
ante lapſum: quippe qui cunctis animantibus
nomina propria, & eſſentialia indebat: ſed
ſtatus innocentiæ erat inſons circa luxuriam, quæ
neſcio nuditatis vocabulo, tegitur. Etenim
nondum erat ſenſitiva, adeoque Mens immortalis, in
Sede ſua cuncta intuitivè intelligens, in ſeipſam
reflexa aſpiciebat, atque in Dei Imagine,
ſubſtituta ſub pedibus animalia, intimè intra ſe
cognoſcebat. Sed poſtquam viam corruptionis
homo eſt ingreſſus, tanquam è ſilice ignis, ita
poſt peccatum cooperante Creatore prodiit
anima ſenſitiva, hincque conceptus Mentis ſunt
obſcurati. Quales autem conceptus ſint moderni: 34
inprimis, dum primos conceptus ſive
primos impetus, dico in præcordiis formari,
non intelligo impetus poteſtatis iraſcibilis, quos
falsò Scholæ negarunt eſſe in noſtra
poteſtate, quaſi criminis inſontes planè eſſent. At
conſidero ſubinde, per diſcurſum, in conceptibus
animæ rem prorſus ponderoſam, qui
formari ſentiuntur, circa os ſtomachi atque
interim, Mens eoſdem conceptus ad caput,
tanquam memoriæ thecam relegat in depoſitum.
Deinde memoria meminit quidem conceptus
aliquos ſibi concreditos: ſed oblita eſt
diſtinctionis eorundem. Proinde etiam anima in
ſuo toro, non poteſt amplius formare eoſdem
conceptus, quandoquidem memoria eoſdem
amiſerit. Sunt ergo ejuſmodi primi
conceptus, primi motus, motuumque impetus, & qui
non amplius in noſtra ſunt poteſtate, nimirum
quos anima non habet in lubitu, nec recudere
eoſdem poteſt, ſi à memoria non iterum
producantur ad conſpectum animæ. Adeoq, hinc
dicuntur primi, quod ſemel tantùm cudantur,
non ex lubitu voluntatis, ſed ſolius intellectus:
qui niſi in Cerebro, ſive capſa memoriæ
ſerventur, pereunt, donec fortaſſis anima
quandoq; ſponte eoſdem conceptus ſibi formet. Tum
nimirum memoria, lapſus ſui memor, per
reminiſcentiam in mente refricat, quaſi diceret. Ecce 35
hi ſunt conceptus, quos à me, memoria petebas,

& eoſdem tunc amiſeram. Vndè cerno, quanquam
anima ſedeat in præcordiis, memorandi
tamen poteſtatem in capite & volendi alteram
in corde collocaſſè: adeoque ambas has, eſſe in
hac vita caducas, animæque ſenſitivæ comites:
quæ licet centraliter ſit ſyndeſmon mentis in
præcordiis: nil vetat tamen, ſuas poteſtates,
per organa diſtributas, locataſve habere. Non
ſecus atque viſiva, eſt in oculo, guſtativa, in lingua,
nec alibi; & tactiva ferè ubique. Quippe
cum ſint caducæ, atque belluinæ animæ poteſtates:
ipſa, corporum more ſe regulis corporeis
36 ſubjecit. Alioqui Mens indiviſa tota eſt,
ſuamque memoriam atque voluntatem, ſubter
unitatem intellectus continet: at mirum in modum
obvolutas, & ſopitas ſubter vinculum animæ
ſenſitivæ cui alligata & connexa Mens,
legem ſentit, ubique repugnantem legi ſuæ, id
37 eſt Mentis. Scholæ enim concupiſcibilem jecori
aſſignant: Iraſcibilem autem Cordi. Imò
ſi plura reperirent viſcera, ſingulis Mentis perturbationibus,
ſeparata dediſſent diverſoria, in
ataxiam prona: Cum alioquin iſthæc ſentiantur
in Duumviratu egregiè, primiſque motibus
fervere. Abſonumque eſt, concupiſcibilem &
iraſcibilem ſedibus ſegregare. Nam dum concupitæ
rei quis reſiſtit ſi quis iraſcatur: una ſaltem
eademque eſt potentia. Nec enim abſque
injuria aliarum potentiarum duæ præfatæ viſceribus
ſequeſtrantur. Non enim metus, amor,
deſiderium, odium, torpor, gaudium, ſua habent
diverſa ſtabula. Vtpote ejuſmodi omnes
potentiæ, ſunt unius animæ: non autem perturbationum
quarumcunque diſgregatæ famulæ.
Siquidem dum anima iraſcitur, dumque
gaudet, vel amat, licet diverſimodè affectetur,
variaſque velut larvas in Ideis depingat: non
hoc tamen organorum eſt munus vel fabrica:
at unius & ſolius animæ Paſſiones. Quæ quia
ſunt opera carnis & alteritates conceptuum animæ
ſenſitivæ, Duumviratus in ſede fabricantur
ab anima. Splen ergo ſuis per intervalla intentus
reflexionibus deliciis & laſſationum remediis,
tertiam vitæ partem, nobis per ſomnum
38 ſuffuratur; utque ſomnia dormiendo parit:
ita vigilans, paulò diſtinctiores, minuſque ſomnolentas
cognitiones conceptus propagat.
Profectò niſi Dominus ſua nos foveat gratia,
per totam vitam, confuſo conceptu prorſus
ſomniamus, imò, nec nos intelligere ſentimus,
dum turbato ceſſanteque Splenis lumine, Cerebrum
primos Idearum conceptus vix amplius
condignos, excipit. Somnus ergo in præcordiis
ſuſcitatur, & in capite notabiliter ſeipſum
manifeſtat, adeoque caput ad conſenſum
præcordiorum parere non erubeſcit. Suntque
ideo mentiti vaporum, atque frigoris conſtipationes
ſomni parentes. Eſt namque in ſulfure 40
vitrioli Veneris, vis narcotica, ſoporifera calida,
& melle dulcior, quæ in opio amara. Vnde obvium
fit, quod non ſit vis privativa, obſtipans
& infrigidans (præſertim à paſtu potuque vini)
ſed facultas creata, ſupereminens vigiliæ, in
Splene. Sic & quædam venena, Mentem alienant,
ſuamque vim phantaſticam nativam, qua
noſtram diſponunt, (ut in pomo Adæ, rabidi
ſaliva, Tarantulæ punctura, juſquiamo, &c.) ad
ſui placitum. Sic & narcotica ſuſpendunt lienem
ab operoſa phantaſmatum ſeriorum exercitatione,
in Cerebrum præter memoriæ capſulam
dimiſſa, vi lucis regiminis animati. Enimverò
Deus ultimum creationis apicem formavit,
non è pelle, ſanguine, aut axungia viri: at
è coſta circa lienem. Vas quoque Paraſtaton ſiniſtro 41
latere non derivatur in teſtem virilem,
prout dextero. Vnum ſiquidem ſumitur è vena
emulgente, ante renes, alterum verò ex ipſius
venæ cavæ trunco. Non quidem (ut deceptus
alioqui cenſuit Galenus) ad titillationem ſeminis
è ſale lotii mendicandam, ſed ut vas renis
ſemini geniale eſſet. Quis enim dubitat, quin
ſal lotii, ſive excrementi, non tollat omnem ſeminis
fœcunditatem. Potiſſimum ſi ſetæ equinæ
fruſtulum, utut exiguum, intra teſtam ovi
intruſum, ſpem pulli extinguat? Totus excrementitius
& ignarus Galenus, qui noſtri primordia
titillatione indigere putavit, ab excrementis
ultimumque complementum fertilitatis
mendicavit. Paradoxon itaque hujus ignorantiæ
intuitu, ſuperaddam: Scholæ Venerem, 42
ac ſalacitatem renibus nuncupant, ſubſcribitque
Paracelſus, & tota Antiquitas. Quos omnes me
tacente convincunt erroris ſtatim ipſi piſces, &
volucres. Carent enim renibus, & urina volucres,
ſuntque aves ſalaciſſimæ: ego ſaltem credo,
Venerem eſſe animæ ſenſitivæ officium,
adeoque in parte, qua primi motus, etiam dormientibus
nobis, fiunt, collocandam. In nullo
quippe natura plus ſolicita fuit, quàm in ſexuum
diſcrimine. Adeoque ab initio adumbrationis
fœtus, confeſtim occupatur in organis
Veneris. Adeoque & hoc fortè voluere Veteres,
dum Saturno ſplenem Deaſtrorum, primo,
primam aſcripſere paternitatem. Imò proin Faunos,
& Satyras (genus ſalaciſſimum atque ſcurrile)
figura Saturni depinxere. Semper enim

horrui, velut turpe, in rene, lotii cloaca, Venerem ſtatuiſſe, Aſtrum poſt Solem maximum. Profectò aves hac in parte longè eſſent nobis nobiliores. Pollutiones etiam non contingunt inter vigilandum: quia ſomnus eſt effectus ſplenis, huicque à deliciis. Alioqui ecquid renibus cum ſomno commune intercedit? An non frequentius vigilando, quàm dormiendo mejitur? Quatenus (juxta Scholas) ſomnus ſuſpendit quaſvis excretiones, excepta ſudoris, & inutilis ſeminis? Certè vigili ſpontanea alioqui pollutio pronior, quàm dormienti eſſet. Profluit autem ejuſmodi excretio, cum laſciviæ ſomno, ut pandat, ſomni, ſomniorum, & pollutionis idem eſſe organum, ut ſunt unius animæ opificia. Etenim ut ſanguificatio incipit in venis Meſenterii, tanquam jecoris ſtomacho: ſic ſpermatis coctio fit in teſtibus à ſplene. Memini namque calculoſos utroque rene: attamen ſalaces. Abſurdum eſſet autem, ſanam & petulcam poteſtatem, conſtare ſub morbo ſui radicalis organi. Non enim jecore malè affecto, proba emergit ſanguificatio, nec oculo arenis conſito, apta eſt viſio. Nec credam unquam, renes lotio continuo madentes, & expulſioni excrementi occupatos, & nunquam feriantes, luxuriæ intentos. Viſum eſt igitur dogma excrementoſum, ſpeciei propagandæ motus, citationes vitalium facultatum, & Mentis characterem, cudi in ſtabulo ſordium peregrinorum.

43 Primi enim Veneris motus, ſentiuntur mani-
feſtè circa os ſtomachi, non ſecus atque ſalaci-
tatis ſeræ pœnitentiæ. Nam ſi mors introive-
rit per primos motus: conſonum eſt, & vitam
caducam, degenerem, iſthac radicitus initium
44 ducere debuiſſe. Nam in corporis trunco, O-
rificium ſtomachi, centri locum obtinet: undè
radii tam ſurſum, quàm deorſum commodiſſi-
mè ſparguntur. Quod autem Abraham Meſ-
45 ſiam in lumbis geſſiſſe ſcribatur. Id ineptè à
ſplene, ad renes abductum, à viſcere inquam
maximè vitali, ad officinam, & cribrum excre-
mentoſum. Notavi quoque plurimos, qui à
quartana, ſplenem malè affectum retinuerant, in
46 ſalacitate admodum decurtatos. Mulieres quo-
que obſervavi, in partu difficili aliquot dies pe-
riculoſo oblato poculo, mox ad ſummum ante
ſemihoræ ſpatium enixas. Idque ducenties, &
amplius probatum. Pharmaco nimirum adhuc
in ſtomacho exſiſtente, apertum fit os pubis, &
valvæ oſſis ſacri in lumbis, fœtuſque ſtatim
propulſus. Notavi ſcilicet ſtomachum claves
Vteri gerere. Hocque medicamen lubens in
bonum proximi evulgavi, ne deinceps partu-
riens periculum vitæ ſubeat. Eſt autem Iecur
ſimul cum felle anguillæ ſiccatum, pulveratum-
que in vino potum, ad magnitudinem avella-
næ. Donum Dei in hoc ſimplici. Vt cum mu- 47
lier jam parere debuerit in dolore, propter ſer-
pentis invidiam. Deus, cujus Spiritus ſuper a-
quas latus, eas benedictione replevit. Anguil-
lam ſive aquæ ſerpentem, viſceribus poteſtatis
ſanguificandi, voluit pacare illius maledicti ri-
gorem. Idem fortè atque melius hepar ſerpen-
tum efficeret; ſed in Anguillæ experimento,
nunquam fefellit eventus. Saltem ruit ex nunc 48
judiciaria Aſtronomantia, Trutina Hermetis, ac
quicquid nativitatis puncto innititur. Hujus
autem occaſione paululum digrediar: qua parte
fœtus nectitur Vtero per Acetabula, & extra
Secundinarum, ſive involucri fœtus tunicam
habet ſubſtantiam lieniformem, teſte Veſalio:
adeoque velut externum lienem habet, in quo 49
ſcilicet tanquam culinæ cruor, & ſanguis matris
recoquitur (mihi ſuſpicionem exactioris ſan-
guificationis, quam hepatis lien hac in parte
concitat, ut ſcilicet recoctus ibidem cruor, tan-
tuplici arteriarum tortuoſitate, velut ſtomacho,
ad Cor retrocedat. Perinde ut aves & ruminan-
tia duplici gaudent ſtomacho) Saltem manife-
ſtum eſt, quod externus ille lien imperet præ-
gnantis conceptibus. Mirantur nempe ipſæ 50
matres, tam inſuetis ſe conceptibus appetiti-
bus, veſanis terroribus & turbationum procel-
lis tunc affici. At non mihi mirum; cum nil ſit
lienare, aut lieni ſimile, ſi non lienis proprieta-
tibus turgeat. Sed iſtud mirum quod hæc lie-
naris caro, non ſit informata ab anima matris
aut fœtus: ſed vita fruatur propria, utrimque
participata. *Non eſt enim* ei ſenſitiva, cum et-
iam ſit dudum ante empſychoſim: ſed ſe habet
per modum zoophyti. Quales ſunt Spongiæ
atque etiam denſiores mucilagines, mari noſtro
innatantes, quæ ſe dilatant, amplexantur, ſtrin-
gunt, ſugunt, & rara præſentis ſibi vitæ edunt
teſtimonia. Porrò ſi virus rabidi aut Tarantulæ,
determinatam, ſibique parem faciat demen-
tiam: non mirum eſt etiam, hanc lienarem
molem, participativè illuminari, balſamicè vi-
vere, ac mentem prægnantis diverſo motitare
pathemate. Tam quia culinæ funguntur offi-
cio, quàm quod rebus ipſis ſua inſunt phanta-
ſmata. Vt in rabido patet. Cæterùm mens hu- 51
mana imago propinqua Altiſſimi, tota immor-
talis, ſenſitiva quidem, at non paſſibilis à puſil-
lo liquore delirat. Quia paſſiones animæ ſenſi-
tivæ,

tivæ, mentem affectant, quam intra ſe tegunt, obvolvunt & vinculo connectunt. Mens quidem propriè non ægrotat, quanquam animæ ſenſitivæ caducitati auſcultet. Vnde manifeſtum fit, Quod cogitationes ſenſitivæ, à carne
52 & ſanguine ſint, juxta illud: *Non enim caro aut ſanguis hæc tibi revelarunt*. Eſt itaque diſcurſus conceptuſque à Liene, tanquam viſcere omnium maximè ſanguineo, plurimiſque arteriis opulento. Probavi autem alibi, quod conceptus fœmineus, etſi formetur in Splene, rectà tamen plerumque deferatur ad Vterum, ſive fœtus inſit, ſive non: ac proinde principatus uteri ſub peculiaribus inſigniis militat: nec ideo in ſui quiete conſpicuus: at duntaxat dum clientes, pro nefario lubitu atque furore ſtringit, torquet, hebetat, ſuffocat, reſolvit, laxat, cruorem profundit, &c. Sed Duumviratus, vitæ ſymmetriam utrobique cuſtodit, idque tam ſuavi vitæ modulamine, quod hactenus propterea, à Scholis ſit præteritus. Aſt ſimul atque ſuum ſubtrahit regimen, extemplo partium (quantumcumque principium) eclipſantur vires. Sic namque deliquia, Apoplexiæ, Epilepſiæ, palpitationes, vertigines & Amentiæ. Sicque nimirum, ut defectuum quorum radix occaſionalis ſponte conſumitur & evaneſcit (prout in febribus mitioribus) eorundem circuitus & durationes, ſic etiam ſponte ſileant, ut redire obliviſcantur: utut medentum in hoc varient
53 jactantiæ. Etenim quorum radices contumacius adhærent, penitius contemperantur, alioqui proin ſpontaneæ reſolutioni omnino refragantur, illique idcirco conſeneſcunt, unà cum ſtomachi alimentis, ſuoſque in vitæ epilogum recidivos fructus exſpectant. Horumque non ſponte ceſſantium proinde incurabilitatis epitaphium jam ubique adſcriptum legitur. Quia condigno arcano, quo exſtirpentur, hactenus caruere. Horum autem morborum radices, quamdiu ſpiritum influum tantummodò affectant, proles producunt, ſemini ſuo, hoſpitioque proprios. Sic nempe Epilepſia, quia utrumque obſidet ſpiritum, collidit tam corporis, quàm animæ ſenſitivæ facultates. Sicque magnam Apoplexiam à parva diſtinxit: quod minor, ſpiritum influum: major verò, inſitum
54 obſederit. Pariter in ſimplicibus ſunt, quæ inebriant, ſomnum, ſoporem, oblivionem, ſtupiditatem, amentiam, furores, veſaniam, vel deliria adducunt: quia in ſe continent. In pomo enim ſcientia boni & mali erat: ſuntque alia, quæ in amores, iras, imò erga certas tantùm perſonas feruntur. Ita ut conſtante vitæ atque corporis monarchia, ſolas animæ turbent functiones. Suntque præterea & quæ gradus ſervant. Vt qui pridem conquerebantur de obverſantibus moleſtis, tædioſis & triſtibus inviſis: tandem & dementiis obediant. Suntque ideo quæ puſillanimitates addant, ac terrores certorum duntaxat objectorum. Alii quoque cunctorum ſub furore actorum recordantur, ſolumque judicium mentis conquaſſatum cernitur. Hæc inquam ad caput cuncta ferire; non autem à capite oriunda, unica docet paſſio hypochondriaca. Procellam nempe, & acceſſum præſagit, ſi vena fortiter inſuetoque turbine pulſitet. Stetit autem hactenus neglecta actio regiminis, ipſaque animata facultas Duumviratus peregrina oberravit, ſoliſque atræ bilis mentitis purgationibus, Id eſt, virium liquationibus fruſtra eſt inſudatum. (Interea ſemper ſpem Scholarum, harumque jactantias riſit, & abtruncavit quartana) vaporibus itaque atrabilariis tributum eſt Amentiarum, morborumque reluctantium omne imperium. Igitur luce meridiana clarius 55
eſt in Amentiis ſcitum nil, nil inactum in Apoplexia, nil in uteri præfocationibus, nilque demum in Epilepticis inſultibus cum fruge cogitatum, præter inanes corporis torturas, lanienas liquefactivas, & vanas virium jacturas. Sæpè 56
namque per immania ſoporifera, maniæ ſuccurrere, & fruſtra eſt tentatum. In quadruplo ſui nempe vix ſomnum conciliant: ideoque terrore plena eſt eorundem exhibitio. At non minuitur furor per ſopores, aut vincula. Narcotica namque dant ſomnum, ſomniaque moleſta. Nam dementia nil niſi vigil eſt ſomnium. Ideoque opiata, ſomnum nocuum & cum labore adferunt. Quicunque enim non poteſt 57
quartanæ cauſam occaſionalem è Splene reſolvere: is multò minùs ad ſanandum dementiam ſe convertat. Dementia namque abſque materiali errore, in hypochondrio ſedet plerumque, & ob id tradux eſt in poſteros. In 58
hoc nimirum differt mania à Delirio: quod illa ſordibus careat. Ridebunt, diſcere recuſantes, quod unum, vel pauca arcana Paracelſi, in omnem morbum valere aſſeram. Quibus ſuo quandoque limite ſatisfaciam. Nunc autem ſat eſt repetiiſſe, unam in homine eſſe animam in ſtomacho, tanquam lecto ſuo, unde vitales univerſim poteſtates deſumendæ ſunt. Ac quicquid hanc animam turbat; laceſſitve: idipſum per remedii unitatem recedere compellitur, ſi vires atque eſſentiam omnium membrorum

59 brorum in ſe contineat. Quod ut tanto manifeſtius, hiſtoriam adducam. Vidi nempe obeſum corpus; cujus tota pinguedo reſoluta fuit in laticem, qui dein per lotium excretus fuit. Non enim arbitrari potui, renes ſuum habuiſſe munus tranſmutandi adipem, ſub pelle diſtentum, in aquam: quin potius credidi, id illi concedendum facultati, quæ cruorem in adipem formavit. Vt ſcilicet ejuſdem ſit facultatis læſæ, convertere adipem in laticem: cujus antea officium fuit, è cruore adipem conficere. Non eſt autem iſta rerum dignitas, quod nos pingues aut macilentos faciant. Dum non rarò tabidis ac calculoſis renibus, pingueſcant plures. Verum exin liquet manifeſtò, ſtomachi principatus: quodque ut radix totam arborem, hujuſque digeſtionum comœdiam tam in frondibus, fructibus & corticibus, quàm in ligno, medulla & ramulis gubernat: ita & idem in nobis pariter contingat, vi Duumviratus: Sæpè namque occurrit Capuccinus longo jejunio gravatus, potuque pauco, & parvæ cereviſiæ ſaturatus: craſſo tamen corporis habitu dotatus. Ex adverſo autem, cernuntur edaces, lautoque mangonio educati, inſigniter macilenti: Sanè utut utrumque hunc caſum rumino, reperio fontalem ſtomachi digeſtionem gubernatricem
60 cæterarum velut ſibi ſubalternarum. At mirum ſaltem, quo pacto reſolutus adeps oleoſus, in priſtinum aquoſum laticem retromigret, imò in venas, ac tandem ad renes per claſſicam retrahatur. Quod ſanè totum in ſe eſt tenebroſum: niſi unius vitæ, à ſede ſua, in univerſum corpus ſit plena poteſtas, authoritas, & facultas; qua Hippoc. totum corpus ἄπνουν καὶ ἔκπνουν ὅλον dictavit. Cujus contemplatione, alibi dixi hominem, non niſi injurioſo nomine, vocari animal. Etenim qui cunctis animantibus indidit nomina propria: non autem ſibimetipſi: eò quod ſua ſuiipſius deficeret cognitio, quippe quæ intra animantum latitudinem non reperiretur, nec eſſet: ſtatim conſpexit, etſi non reſponderet aliquis character, qui ſe ſibi repræſentaret: adeſſe aliquid, in natura humana, quod ſupra ani-
61 matorum ſortem ſcanderet. Idque cum Adamo, Scholæ ſat indagare potuiſſent, ſi ſaltem ſemel conſideraſſent, cur ſolus homo rideat. Equidem non eſt riſus ex admiratione præſentium, aut præteritorum. Nam infans ſæpè ſalutat ſuo riſu, alloquentes. Itaque fit riſus ex nexu duplicis animæ, quo belluæ carent. Anima quippe ſenſitiva, primorum conceptuum fons & origo, conſiderans aliquid ſibi placidum, illud unà cum brutis concipit in gaudio: ſed dum mens in penetranti lumine, ſentit ſe animæ ſenſitivæ ſociam, in jucundis conceptibus animæ ſenſitivæ velut admirabunda condeſcendit: quaſi admirans, aliquid eſſe, quod gaudio ſit dignum: atque inde riſus. Idem quippe mens facit in riſu, quod alioqui ſola ſenſitiva, agit ſuo in corpore, per titillationem odaxiſmi. Nam quis quandoque ſubſilit, ſi ſaltem titillatorem minantem viderit. Intelligit nimirum novitque anima, ſua in ſede rem, cujus omnem perſæpe non poteſt reperire in capite, licet illud aliquoties diſtinctè noverit, pronunciaverit, & in thecam memoriæ reſulcaverit. Conſtat nempe Duumviratus intellectu proprio, mente immortali, atque inſuper intellectu, ſive vi phantaſtica animæ ſenſitivæ, utentis ſuis organis, diverſimodè diſtributis: quorum tamen collegium intra ſedem animæ celebratur.

Expoſui jam, quomodo Duumviratus jura ſua in Inteſtina, in Cor, in caput, nervos vertigine, imò & in mentis principes facultates exerceat: reſtat modò explanare, quantum in Pulmonem virium habeat. Vbi inprimis obvium eſt, Quod qui propter vitam nimis ſe- 62
dentariam anhelitus facilè ad quemvis motum interceptus eſt, eoſdem ſæpè & unico vomitorio liberavi: ita exinde confirmatus manſi, totam illius difficultatem ad ſtomachi contermina loca ſitam eſſe, ac inſontem pulmonem haberi. Quod autem tuſſes ſpectat, patet ſanè, licenter opiata quædam operari, atque mandare non ſolùm ut melius longiuſque aut quietius dormiant; ſed memini, quod aſſumtum Paracelſi Laudanum, etſi inſomnes propemodum tuſſienti noctes præberet; ita tamen tuſſim pacaſſe, & copioſa flava, compactaque ſputa compeſcuiſſe: quod mox nedum in quanto, ſint imminuta: verumetiam in ſputa muccoſa ſubpallida, ac dein in alba ſint mutata. Potiſſimum etiam quod manè, per vomitum rediens opiatum ſerò aſſumtum, teſtaretur ſuſpenſam tuſſim, ſimulque generationem ſcreatuum, copia & colore horridorum ſtetiſſe.
Inprimis ejuſmodi ſputa, ſive ſcreatus, non è 63
capite in laryngem deflua, alibi ſub deliramento catarrhi, à me demonſtratum abunde autumo. Ergo in ipſo aſperæ arteriæ ductu indeſinenter confici, ſatis eſt apertum. Ac per conſequens, pharmacum adhuc in ſtomacho,

aliis cœnæ cibis permiſtum, compeſcere, ne li-
quor alimentarius laryngis degener evadat, at-
que in ejuſmodi muccum adeo copioſè rece-
dat. In quo conſpicua eſt vis reſtaurans ſive
fortificans, ſtomacho impreſſa, ad pulmonum
œconomum jam deferri, atque inibi jus ſuum
diſtendere. Quæ quidem ut primis annis cum
jubilo & admiratione ſic evenire conſpexi: ita
deinceps ſtudui vim iſtam reſtaurantem deti-
nendo augere, ſuppreſſa interim vi opiata nar-
64 cotica & nocua. Statim enim inde certior fa-
ctus ſum, ſolutum ſulfuris florem efficere hoc
caſu, quæ ab ipſo ſulfuris corpore pariter ſolu-
to, nequicquam contingunt. Idque totum ſci-
licet non in quantum ſulfur ut tale, ad pulmo-
nem intret, nec quidem florum ſub privilegio
admitteretur, vel poſt omnem digeſtionum
metam, conſtans, atque immutatum ad reſpi-
rationis organa quoquo modo deveniret: ſed
duntaxat, quatenus vis anodyna in ſulfure ſic
aperto eluceſceret: quæ adhuc intra ſtoma-
chum detenta, indè jure Duumviratus, ad pul-
monis regimen ſpirituale contenderet. Felix
itaque æger cujus auxiliator Medicus novit le-
thalia è papavere ſeparare, retento auxilio ex-
citatore poteſtatis in Duumviratu. Alioqui ſanè
nocuum cum proficuo ſimul aſſumuntur,
unumque impedit alterius provectum. Itaque
opiata non ſomnum inducant: at ſaltem cohi-
beant receſſum ſpermatici & alimentarii liquo-
ris, in degenerem exſulemque, atque proſcri-
bendum ſcreatum, ſputumque tam frequens
atque horridum. Quod nimirum quo copio-
ſius exſcreatur, expedirique videtur, eo quo-
que abundantius ſuccreſcit de novo. Quapro-
pter cohibitio generationis degeneris, non niſi
vi reſtaurante ſuſcitata intra Pulmonis cannas
contingere ſat evidenter noſcitur. Scilicet vis
opii noxia retunditur, ſic ut citra ſomnum (ſal-
tem non vi ſomnifera) in pace, quiete, & citra
tuſſim, ſibilum & ſtertores, introducatur liber-
tas reſpirandi. Valet autem ſtomachus compe- 65
ſcere productionem tot phlegmatum ſcreatu
rejectorum, quatenus ejus digeſtiva vis præſi-
det digeſtionibus cæteris. Ideoque ſanant opia-
ta præfata productarum mucilaginum, quam-
diu defectus ille promanat vitio fermenti dige-
ſtivi. At non ubi pendet è corruptione roboris
innati. Nam tunc etiam invito ſtomacho in
tabem properat: non ſecus atque ſtomacho eſt
impoſſibile reſtaurare vitam jam in occaſum
vergentem.

MENTIS COMPLEMENTUM.

1. COeca de Mente notitia. 2. Quæ ſit potiſſima Mentis operatio. 3. Quidditas animæ ſenſitivæ. 4. Sagacitas, non eſt ſolius Mentis filia. 5. Probatur. 6. Ab animæ fructibus, petenda ejus notitia. 7. Propinquior Mentis notitia. 8. Differentia ſenſitivæ humanæ à brutali. 9. Fructuum ſenſitivæ, diſpenſatio. 10. Fluunt è praexſiſtente cognitione ſenſuum. 11. Hortatus. 12. Abſtractiores ſunt Mentis operationes. 13. Requiſita ad puritatem operationum mentalium. 14. Qualitas operationum mentalium. 15. Commendatur oratio ſilentii, pro Mentis notitia. 16. Additur ratio. 17. A Sapientia Patris diſcitur Mentis majeſtas. 18. Tres optatus explicantur. 19. Illorum excellentia. 20. Novum & inauditum eſt, quicquid claudit oratio Domini. 21. Optatus amoroſi faſtigium. 22. Locus ſenſibilis fomitis. 23. Sentiuntur, & non eſt verbum par ad exprimendum abſtracta arcana Mentis. 24. Illuſtratio amoroſa Mentis. 25. Author, lubens fatetur ſuum nihil. 26. Nuperi directores Mentis, qui per feneſtras intrarunt, exploduntur. 27. Hi cadent in temporis maturitate.

1 DE ortu, ac muniis animæ ſenſitivæ jam
quædam dixi: at nondum ſatis, multó-
que minus de Mente immortali, ſat di-
ctum: utpote quibus duobus verbis ferè expli-
cantur, quæcunque de humana Mente ex fide
habemus; nihilque eſt prorſus, quod nos in e-
jus apertam cognitionem deducat. Quapro-
pter quicquid de illa ſcrutamur, adhuc obvolu-
tum eſt tenebris, ac planè ignotum. Nec enim
quicquam de Mentis quidditate commentari
poſſumus, niſi quod operando didicimus,
quodque nobis gratuitò datum noſcimus. Et-
enim jubemur, hominem ex operibus ejus no-
ſcere atque diſtinguere. Nec eſt autem potiſſima 2
Mentis operatio iſta, quam poſt præmiſſarum
hauſtam notionem ex concluſione humanum
ſibi judicium format & concipit. Quia nec
ipſum hominis judicium, propriè ad Mentem
ſic ſpectat, ut hujus ſit immediata proles. Quip-
pe tam arcto in nobis vinculo adhæret Mens
animæ ſenſitivæ, ut eorundem diſtincta officia
vix ab invicem hactenus ſeparent humanæ con-
ſuetudinis commercia. Equidem abſtracta o-
mnis ſpeculatio, ſolius hucuſque Mentis opifi-
cium creditur, ſub quo ſcilicet ſentiuntur labo-
res in capite. Præſertim quod belluis peregrina
iſthæc credantur. At jam alibi demonſtravi apes,

numeros obſervare, & ſingulo mane ſuum di-
ſtinguere alveare à vicinis, per numeros: item-
que proin & redeundo renumerare, ne in igno-
tam, ingratamque Rempubl. ſuam deponant
mellis aut ceræ ſarcinam. Nil eſt autem brutis
tam exoticum, ac numerandi exercitium. Sic
quoque in beſtiis quandam obſervamus phan-
taſiam, & non obſcuras diſcurſuum notas, & ut
delectum, ſelectivè unius præ altero. Idque ni-
mirum etiam in contingentibus non aſſuetis,
nec unquam antea viſis, multoque minus à ge-
nitore edoctis. *Serpens* namque *callidior cæte-
ris animantibus erat.* Quare ſi inter bruta, ſa-
gacitatum notentur differentiæ, locus relinqui-
tur ſuſpicandi in homine, eaſdem operationes
longè adhuc ſolertiores, potentiores, eminen-
tiores, & frequentiores, quàm in brutis, homi-
numque animam ſenſitivam ſagacitate ſuperare
animalia: niſi ſenſitiva hominibus eſſet advena,
3 atque ſuæ naturæ prorſus exotica. Quippe qui
totus in Dei imaginem dilectus, & erectus erat,
non autem ut in ſpecificam brutalemque ani-
mam degeneraret, atque ſic imaginem Dei de-
turparet. Inanis ergo tabula manſit anima ſen-
ſitiva in homine: quippe quæ à lapſu, corru-
ptæque naturæ macula, ſuum deſumſit exor-
dium, adeoque etiam vix ita propriam nacta
eſt phantaſiæ dignitatem, quæ non undequa-
que à Mentis operationibus dependeat; ut mox
4 clarius patebit. Et quanquam ſagacitas, filia
judicii atque diſcurſus ſit. Non tamen pro-
pterea adhuc propria Mentis operatio vel fru-
ctus eſt. Etenim quæ jam à primo lapſu, ani-
mæ ſenſitivæ cuncta vitæ munia abdicavit, ju-
ſto quoque merito judicium ſagacitatis ſuæ, ita
animæ ſenſitivæ phantaſiæ complacuit, ut fa-
cultates, quæ in hoſpitio cerebri exercentur,
hominumque differentiam in acumine, celeri-
tate, & hebetudine judicii conſtituunt, non in-
juſto titulo credantur delegatæ, animæ ſenſiti-
væ, & huic velut propriæ, quia inquilinæ.
Quamobrem quæcunque in nobis diſtinguunt
Terræ climata, variant, patrantque ingeniorum
inde diverſitates: non eſt ſanè veriſimile, eadem
ex homogenea mentis immortalis ſimplicitate
5 promanare. Ac ego inprimis dudum in his hæ-
ſitavi, donec Amentias, deliria, ac fatuitates,
vidiſſem introduci per ſimplicia, tam externa,
quàm domeſticis laribus prognata. Vtpote, quæ
ſcirem non habere acceſſum, ad mentem, quam
ne quidem attingunt, multoque minus pene-
trare valent, atque omnium minimè eandem ſu-
perare tentant. Certè in hoc itinere multæ oc-
currerunt ſalebræ, & nulla diſtinctionum ſubſi-
dia. Quæ ſcilicet anteriorum ignavia, nos ar-
cet à cognitione mentis; imò & ſuſpendit à vera
notitia operationum ejus. Citra quas nimi-
rum impoſſibile eſt judicare de vocatione, de-
ſtinatione & directione mentis, in unoquoque
noſtrûm. Adeoque iſta negligentia, nos brutis
hactenus pares fecit, ſervatque in nobis ſpiſſas
belluinas tenebras, ſi eas omnipotens bonitas
per fidem non illuminaſſet. Quare nec men- 6
tis operationes propriæ, diſtinctius ante ocu-
los proponere potui, quàm per orationem ſi-
lentii, utpote quæ propriiſſimè genialis mentis
operatio, planè abſtracta eſt & creditur. In cu-
jus nempe ſplendore, eluceſcit diverſitas ope-
rationis mentalis, ab animæ ſenſitivæ judicio,
diſcurſu & phantaſiæ decretis. Noſque, filios
tenebrarum, judicioſiores, atque ſagaciores fa-
cit, inſtar Serpentis, ac filiis lucis hac in parte
longè præponit. Vivit enim anima ſenſitiva
in nobis, vitæque edit ſuæ non ſegnia teſtimo-
nia: attamen quia brutali, ſpecificaque ſuppo-
ſitionalitate caret: idcirco indiſtincta tantum
luminis vita gaudet, & operationes men-
tis concipit in ſe vitales, eaſque appropriat
ſuis poteſtatum exercitiis: non ſunt tamen ve-
ræ, atque propriæ functiones mentis. Quippe
uti mens nunc à lapſu, obvolvitur lumine ani-
mæ caducæ, ac proin velut planè ab omni
corporis regimine ceſſat, diradiatque ſuæ vi-
tale lumen, in ſui vicariam Senſitivam. At non
proinde ejus actiones ſunt ipſius mentis, quæ
idcirco tantum functiones abſtractas, ſibique
in hoc conſimiles edit. De venatione ſcientia- 7
rum, aliqua ſum contemplatus circa mentis
operationes, ac potiſſimum quæ concernerent
Intellectus dignitates. At non ſat ſunt iſta,
pro mentis aliquali cognitione. Quocirca ut
ejus aliqualem cognitionem per abſtractas ſui
operationes hauriamus, repetam quæ jam ſu-
pra de divina in nobis imagine ſcripſi. Nimi-
rum intellectum, voluntatem & amorem, de-
ſiderium inquam vel optatum, eſſe poteſta-
tes, menti tam intimas, ut ejuſdem deſignent
ſubſtantiam. Amor inquam ille procedens ſub-
ſtantialiter ex aliis duabus. Atque hinc o-
mnem proximè, totamque mentis functionem
ſentio inchoari in nobis. Cæterùm demonſtra-
vi quoque alibi, aliam nunc & corruptam eſſe
vitam noſtram, poſtquam per carnem pecca-
ti ſuſcitata eſt anima ſenſitiva, terrena, mor-
talis, caduca, animalis & diabolica: cui mens
immortalis alligata fuit à peccato. Recordan- 8

dum tamen, juxta doctrinam de ortu formarum
traditam, quod ſenſitiva in brutis non ſit
ſubſtantia formalis: ſed forma ſubſtantialis, vitalis,
quæque in nihilum abit, non ſecus ac lumen
candelæ. Eſſe nimirum lumen vitale à Patre
luminum creatum, & creaturam neutram,
inter ſubſtantiam & accidens. Quæ nimirum
in brutis ſubſiſtit in ſe, abſolutè, & determinata
in ſpeciem brutalem. In homine verò, quia
poſterius, advenit jam corrupta natura, non eſt
determinatæ ſpeciei brutalis: ſed lumen vitale
duntaxat, & non vita ipſa, prout in brutis:
quia vita, ipſi à mente, quam obvolvit, radialiter
inſpiratur, ac velut mutuatur. Non ſecus
atque Luna à Sole ſuam lucem ſuſcipit. Et
quanquam hæc hominis ſenſitiva, ſagacitate
animas brutorum longè ſuperet: nihil tamen
agit abſque mente. A qua enim vitam deſumit;
non poteſt non & inde vim cogitandi
mutuare, cui tam intimè eſt alligata, quod
mens ſenſitivam prorſus penetret. Cogitat quidem
ſenſitiva humana, vi propria: ſed illuſtratur
à mente. Ac propterea tota cogitatio
noſtræ Senſitivæ, eſt totius hominis. Perinde
enim accidit, prout in Luna & Sole. Illa quidem
habet proprium ſibi lumen: at Solis reflexo
lumine, ſplendet (prout alibi de meteoris)
magis, ſuumque in Luna, lumen velut
perit. Senſitiva igitur in nobis, diverſimodè
cogitat, ac gradus amplitudinis ſentiuntur
9 cogitando. Nam inprimis in mania, amentia,
fatuitate, delirio, furore, ebrietate, & ſomniis,
ſunt quidem diverſæ cogitationes totius
hominis: attamen cum tam exiguo mentis
lumine, ut hæc, non niſi nitorem adferat,
quem ſaltem recuſare nequit, propter arctam
vinculi ſui neceſſitudinem. Igitur ipſa Senſitiva,
quia mortalis, ab injuriis rerum caducarum
impetita, illarum ſuccumbit importunitatibus,
propemodum ſola cogitat, puſillo
mentis lumine, ut vitæ adminiculo adjuta.
Quapropter cogitata illa, ſunt peccati expertia.
Eò quod mens in iis non cogitet: ſed
à Senſitivæ contracto contagio obnubilatur.
Porrò quantum cogitationes, ab inſonti illo
contagio, recedunt magis ad diſcurſus abſtractos:
tantum plus de vita mentis, quàm de
10 propria Senſitivæ vitalitate, participant. Senſitiva
nimirum omnis cogitatio, de neceſſitate,
ſenſuum miniſterio adducta eſt, neque
eam excedit, ut ut ſe ſplendidè ab iis abſtrahat.
Quicquid namque ſenſibus percipi poteſt, id
nondum ſolius mentis fundum attingit. Hæc
itaque cogitandi varietas in Senſitiva, judiciorum
noſtrorum tantam parit latitudinem, &
varietates. Denique prout in Luna, Solis lumen,
ſuum amittit calorem manifeſtò, ac peregrinum
ſibi frigus induit: Sic & in vitali Senſitiva,
radius mentis, licet nuditer ſit intellectualis,
transmigrat in dominium Senſitivæ:
adeoque & invenit ibidem legem terrenam,
legi mentis oppoſitam. Quare ſedulò procurandum, 11
ut quantum eſt poſſibile, abſtrahamus
nos ab omni eo, quod ſenſibus concipi
poteſt. Sic namque ad montem Domini itur,
quorſum noſtri itineris ſcopus eſt. Neque enim
hoc dixiſſe ſic obiter, ſat docet nudas
operationes mentis, nec via cernitur, qua mentis
aliquam cognitionem acquiramus. Nam 12
ſunt adhuc ejuſmodi cogitationes, totius hominis,
quamdiu eſt aliqua egoitas, vel mens
aliquid apprehendit extra ſe, cum dualitate, &
nondum rem, ut ſeipſam transfiguratam intuetur.
Proprietates ſcilicet hominis, vel rerum
aliarum, ſic adſpicit totum ipſum: non
autem eſt nudum intellectuale mentis lumen,
quod tum operatur: ſed eſt combinatio amborum
luminum vitalium, ſe mutuò penetrantium.
In quo actu, eheu, ut facile, ita & plerumque
mala aſſuetudine, lubenter paret mens immortalis,
caducæ, Senſitivæ ſuæ pediſſequæ.
Vſque adeo, ut ad optatam puritatem mentis,
in abſtracto purè ac nuditer cogitantis, deveniamus,
aſſumenda primum eſt doctrina S.Dionyſ.
ad Timoth. *Etenim ut divina intelligantur*, 13
(divina enim ſunt, quæcunque imago Dei
nuda intuetur) *& adhuc tenui modo, & ad inſpiciendum*
divina arcana, rejiciendi ſunt ſenſus,
& quæ ſunt ſenſuum, & quicquid ſenſibus
percipi poteſt. Rationem inſuper, actiones Rationis,
& quicquid Ratione cognoſci ac percipi
poteſt: ſive id creatum ſit, ſive increatum; utque
ex teipſo, & ex omni cognitione, omnium earum
rerum exeas, & venias in unam unitatem ejus,
qui eſt ſuper omnem naturam & ſcientiam. Hæc
ille. Etenim mens, eſt proxima Imago Divinitatis:
Idcircò ſicut oculus nil abſolutius aſpicit,
quàm ipſum Solem (cujus tamen luminis
claritatem non tolerat) cætera verò cuncta,
propter illum: ita mens, nil propriè, principaliter
atque intimè cogitat, contemplaturque,
præter illam unitatem, & reliqua cuncta propter
eandem. Vndè manifeſtum evadit, quod 14
quamdiu quippiam cogitatur, quod ſenſibus
vel Ratione percipi poteſt, nondum ſit pura
nudaque abſtractæ mentis cogitatio. Modus
autem

autem eò perveniendi, ſupra quidem deſcri-
ptus legitur, at adhuc eſt procul remotus, &
propemodum invius, propter omnimodam
abſtractionem & proſcriptionem omnium re-
rum creatarum, imò & increati, omnem conſi-
derationem, Id eſt, abnegationem per ſeque-
ſtrationem progredientem, uſque ad omnem
mentis activitatem, quæ nempe proin exclu-
dit mentis omnem cogitationem & contem-
plationem, exſpectatque ſupernè influum lu-
men gratuitum, nihil agendo: ſed tantum to-
lerando poſt exhauſtam omnem egoitatem. At
cum ſic liberari penitus, non omnino conſi-
ſtat in noſtra poteſtate, adeoque potius gra-
tiam raptus monefaciat, quàm veras mentis,
nudaſque, atque puras operationes, quas hoc
capite ſpeculari intendo, pro complemento Tra-
15 ctatus de Anima: Idcirco juxta meam judicii
pauperiem, non propinquius, agendo ſcandi-
tur ad ſupereminentem ſolius mentis & abſtra-
ctam lucis intellectualis denudationem, quàm
per Orationem ſilentii in ſpiritu, in quo deliciæ
Dei ſunt adorari. Eò quod iſtam mentem, ut
ſui denudatam imaginem, ſic in ſpeculo ſuæ
divinitatis reflexam, illuſtret tum emanati-
vè. Hoc eſt nimirum, quod glorioſiſſima Boni-
tas optat.

16 Vt autem fructus, ſive exercitia, prodant
quidditatem Mentis, id potentius nec aliunde
haberi putavi, quàm ab exercitiis ſpiritualibus,
quibus ipſa mens ſeſe extricat à connexis con-
ceptibus rerum creatarum, cognitarumque ſen-
ſuum miniſterio. Liquet enim, quid ſit ipſa
mens, dum ſe abſtraxit à conceptibus, qui illam
maculare ſolent, poſſentve, vel ſaltem impedi-
re, ne ad nuditatem puritatemque ſui perve-
niat, in qua unitatem præfatam adorare queat.

17 Dominus Ieſus itaque via eſt, veritas & vita.
Via inquam ad ſe veritatem, & ad vitam Patris
luminum. Via ergo dirigitur ad conſecutio-
nem abſtractæ veritatis. Cujus optatus eſt, ut
abſtruſa veritas, quam in mente ſui imagine de-
pinxit, à nobis cognoſcatur, & adoretur in ſpi-
ritu. Vbi ipſe eſt præſens Regnum Dei, cum
omnibus ſuis chariſmatibus: Atque ideo non
poteſt modus, mediumque adorandi in ſpiritu,
propinquius ſciri, vel addiſci, quàm à via & ve-
ritate ipſa, adeoque ab oratione quam nobis di-
ctavit, in qua ſunt primum tres amoroſi opta-
tus, ſive amoris deſideria, ac totidem petitiones.

18 Optatus enim iſti, ſunt abſque omni egoitate,
& nudi reſpectus in ipſum Deum, & puriſſimi
idcirco eorum omnium, quæ optari ex amore
& cogitari queunt. Ac primus illorum eſt, de
quo veritas dicit: *Quærite primum Regnum
Dei & Iuſtitiam ejus, & reliqua adjicientur vo-
bis.* Non eſt autem Dei Iuſtitia, ut nobis fiat
Iuſtitia (*nam non juſtificabitur in conſpectu Dei
omnis vivens.*) Sed ut nomen ejus ſanctifice-
tur, quod nedum eſt ipſi debitum, adeoque ju-
ſtum: ſed optatus ille amoroſus nos juſtificat.
Præſupponit enim primùm fidem ipſam Chri-
ſtianam, dein & infinitam ejus bonitatem, qua
dignatur eſſe Pater noſter. Ac quidem in verbo
(*noſter*) egoitas pro Dei bonitate & obligatione
noſtrorum omnium ponitur, quæ alioqui nuſ-
quam in tribus cernitur optatibus. Ac tertiò,
exhibet immenſam ejus majeſtatem, commen-
ſurandam ex habitaculo Cœlorum, quod eſt o-
pus manuum ſuarum. Adeoque iſtis talibus
præmiſſis, accenditur in nobis optatus amoro-
ſus. Qui non deſiderat, ut ſanctificetur ejus
nomen ſolummodò per filium ejus unigeni-
tum, & noſtri mediatorem, ubi Abyſſus Abyſ-
ſum invocat: nec etiam duntaxat, ut cœlites,
& tota militans Eccleſia, ineffabile ſuum nomen
adoret: nec etiam ideo ſenſus eſt, ut ſanctifice-
tur nomen ejus in terra, ſicut in Cœlis; ſed ut
ſanctificetur in nobis, & per nos: renunciata
tamen in hoc omni egoitate & nihilitate. Vt-
que ſit nuda & puriſſima reflexio honoris, &
deliciarum Dei, in eo, quod eſt eſſe nobiſcum,
& adorari in ſpiritu amoris. Ideoque & alter
ſuccedens optatus, non petit ſibi Regnum Cœ-
lorum; ſed Regnum Dei, quod in nobis eſt, ut
adveniat propinquius. Non quidem nudè at-
que ſimpliciter propter nos: ſed quia ſuæ eſt
bonitatis, eſſe cum filiis hominum in deliciis.
Quamobrem etiam optatur, ut ſua voluntas
fiat in nobis, ſuper nos, & per nos, cum plena-
ria reſignatione noſtri velle. Tres ergo opta-
tus procedunt ex anima, citra hæccitatem, aut
reflexionem in nos, quia excedunt omnem
creaturæ perſonalitatem, ut Deus propter ſe ado-
retur. Ideoque excellunt omnem vim oratio- 19
nis, petitionis, laudationis, gratiarum actionis,
imò & ipſius glorificationis. Nam agere gra-
tias, beneficium notat, & complicat recipien-
tem. Glorificatio autem, laudatio, vel ipſamet
ſanctificatio, quatenus egoitatem meam ante
Dei conſpectum defert (quanquam interim ſit
debita & obligatoria) procul recedit à puriſſimi
& amoroſi optatus excellentia, quo deſidera-
tur ſanctificatio nominis divini in nobis, in
qua Abyſſus Abyſſum invocat. Nam quis ſum
ego, qui præſumam reſpectu infiniti, ſanctifi-

care illud? qui nempe non niſi vermis ſum,
peccator miſerrimus? Ideoque optatus amoro-
ſius ſanctificationis, tantum excellit ſanctificetur
nomen tuum per me, quantum miſer peccator
20 diſtat à filio Deiparæ virginis. Laudes enim, &
orationes, tam in lege Moſaica, quàm hodie, per
hymnos, pſalmos, & orationes fiebant. At nun-
quam ante edoctam veritatem aſſecutus eſt ho-
mo, vigorem, altitudinem & profunditatem
optatus amoroſi, ſanctificandi incomprehenſi-
bilem divinitatem in nobis, in quo plus eſt ex-
cellentiæ, quàm omnes ſimul creaturæ queunt
comprehendere. Non enim ſanctificatio iſta
optatur, quia Deus eſt optimus, maximus, li-
beralis, &c. nam iſta includunt laudantis egoi-
tatem, incompatibilem cum nomine divino.
21 Deſiderium itaque, optatuſque animæ amoroſæ
ferventer deſiderantis, nudè & ſimpliciter ſan-
ctificationum nominis divini, non fit quidem
per creaturam infra Deum, ſed per liquationem
mentis, deſiderantis in amore Dei: minimum
enim quod in ſe continet, eſt cum reſignatione
ſui totius, ſe offerre Deo, itemque velle agere &
pati quidlibet, cum cordis, animæ & virium to-
tali oblatione amoroſa, in obſequium voluntatis
divinæ. In qua oblatione amoroſa, incompati-
biliter excluduntur omnes cogitationes, præter
nudum amoris optatum. Eò quod tranſcendat
omnem reflexionem. Etenim quia nudus eſt,
veſtem omnem ſpernit, quam Ratio ipſi poſſet
22 ſubminiſtrare. Amor enim iſte, tam nudus &
excellens, oritur in ſede mentis, ſentiturque
ibidem ubi omnis primus conceptus fit, abſque
imagine & phantaſia. Quamdiu verò verbis ex-
primi poteſt, nondum eſt mentis âbſtracta co-
gitatio nuda, quæ ſcilicet à B. Dionyſio deſcri-
bitur, ſupra omne id quod Ratione, ſenſu, ac
verbis concipi poteſt. Sentitur quidem, at ci-
23 tra diſcurſum, & imaginationem. Quia nudo
veritatis amoroſæ conceptu, ipſa veritas inex-
primibili tum mentis attactu feritur, fruitur &
appropinquat, imò mox penetrat. Alioqui quo-
ties formantur Ideæ, aut conceptus verbis ex-
primibiles, retinent maternam Senſitivæ cadu-
citatem, inconſtantiæ fragilitatem, incertitudi-
nem, ac perturbationes, paſſionibus ſubjectas.
24 In vi igitur Intellectus, nativoque ſcilicet Men-
tis vigore, & amantis animæ cupiditate, gene-
ratur in nobis, tanquam in fœtu appetentis gra-
vidæ, ens quoddam Deiforme, ſive purificatur
ipſa Mens, adeoque Mentem, ipſamque Dei
imaginem rectificat. Id enim non fit per viſum,
ſenſualemque appetitum, qualiter in prægnan-
te, nec concipitur corporeis latebris, ut neque
in alieno fœtu notatur: ſed omnem facultatem
Mentis, animæ, Cordis & virium, requirit: id-
eoque Ideale iſtud ens, amoroſo òptatu partum,
manet in ipſa Mente, quam ſic diſponit, ut ſeſe
tranſmutet in imaginem Deiformem, per gra-
tiam divinitus affluentem. Sed quis ſum ego, 25
qui hæc ſcribo? Profectò vereor ne ſim cam-
pana, fideles ad Templum convocans, quæ i-
pſamet manet in celſitudine turris, foris. Sed
tantum ſpero, ſi in præfatis profecero optatibus,
quod meipſum ſim inventurus, quo magis me-
ipſum humiliando neglexero. Porrò ſurrexere 26
nuper directores conſcientiæ, in ſe transſumen-
tes omnem Mentis libertatem, præſertim in ſe-
xum devotum diſpenſandam, hunc ſexum ad ſe
intra vocarunt, dicentes quod Chriſtus unctus
nedum: ſed & Ieſus Salvator cum illis eſſet. At-
qui hi ſtatim, primo errant limine. Nam con-
vocant ſuas devotas, in exercitia contemplati-
va, gregatim facienda: quæ ipſa Veritas alioqui
clauſo poſt ſe cubiculi oſtio, fieri commendat.
Dein ſibi honorem, reverentiam, atque opes
ſub obedientia, & voto multiplici, deberi po-
ſtulant. Adeoque inimicus homo ſua ſpargit
ſemina pro zizaniis, ut quæ erant etiam ſemi-
na bona, ſupprimat. Atque idcirco Vates Hil- 27
degardis prædixit, quod tandem ſecreta luxu-
ria illis commiſcebuntur, & cadent velut Simon
Magus, per orationem Apoſtolorum, ſive Epi-
ſcoporum & fidelium. Cæterum, dum quis ſe-
mel ſaltem in optatus illius vigorem deductus
fuit, ipſe propriis punctus calcaribus feſtinabit
eò redire, ac quaſi jam factus viarum gnarus,
facilior ipſi erit aditus poſtmodum. Interim
quia non quilibet eò pertingit, fecit Deus varias
uti manſiones in ſuo palatio: ita quoque diver-
ſa ad hoc media ordinavit, per Charitatem; quæ
lubens omitto, eò quod non ſint noſtræ facul-
tatis Medicæ objecta propria. Sufficit itaque
mihi, propoſuiſſe Mentis in agendo amplitu-
dinem, & vagam formandarum Idearum po-
tentiam, tam ad conſiderationem morborum,
& vitæ ſanæ: quàm ad virtutem exercitia.

SCABIES ET VLCERA SCHOLARVM.

1. CVr Author de ſcabie & lepra hoc loco. 2. Repetit dilucidius ſuæ pœnitentiæ exordia. 3. Error in cauſis, indicatione, & remedio. 4. Quæſtio Medentibus & Scholis propoſita. 5. Credulitates in Authore. 6. Seræ conſiderationes. 7. Ex mea hiſtoria xiiij *Concluſiones. 8. Theoremata Scholarum eſſe ſcabioſa. 9. Scabies ſtetit in me, ante intemperiem hepatis. 10. Puſtulæ in Scabie, ſunt ſigna, & fructus Scabiei; non autem Scabies. 11. Notantur radices graminis in apozemate. 12. Cauſæ occaſionales ulcerum. 13. Scholarum ſomnia. 14. Galenus notatur ulceroſus. 15. Inconſideratio Scholarum & Galeni. 16. Abſurda aliquot. 17. Sanies, & Pus, non ſunt excrementa, quanquam ſordes. 18. Corruptor in ulcere, eſt ulcus. 19. Cruor non vitiatur in cavitate ulceris. 20. Inanis Scholarum labor. 21. Vlcerum radix. 22. Vlceris cavum non eſt ipſum ulcus. 23. Puris conſiderationes. 24. Puris & ſaniei differentia. 25. Inſcitia Galenica. 26 Dogmatis Galeni aliquot abſurda. 27. Cauſa occaſionalis in Corruptore. 28. Quàm ridiculus Catarrhus in ulcera antiqua, quamque ſtultè Cauteria eò applicata. 29 Fermentorum ignorantia quid pariat. 30. Quomodo tot ulcerum diverſitates in unico cruore. 31. Corroſiva ſi ſanent ulcera, magis tamen ſedata illorum corroſione. 32. Nugæ Paracelſicæ, de microcoſmico vulnerum ortu. 33. Vrgetur Paracelſus cum Microcoſmi identitate actuali ac vera. 34. Idiotiſmus ejuſdem de alimonia vulnerum, ab extra. 35. Vlcerum medela arcana. 36. Vulnerum ſanatio.*

1 HActenus oſtendi cauſas morborum,
à Galeno & ſequacibus traditas,
erroneas atque fallaces eſſe :
deceret modò, tranſire ad doctrinam
morborum veram, licet hucuſque
ignotam , niſi quædam me
detinerent , atque aliò diverterent , quæ præmittenda
jure videntur . Poſtquam enim de
morborum Regina Peſte , edito codice tractaverim,
& ſimul de Lithiaſi , tanquam monſtro,
tam in nobis , quàm in matulis extra nos genito,
ſub prælo locutus eſſem : atque ibidem occaſionaliter
de Lepra , Apoplexia , Paralyſi, Sopore,
Spaſmo , atque cognatis morbis obiter egiſſem;
nil verò penitus de cutaneis defectibus :
operæ pretium æſtimavi, priuſquam de morborum
eſſentia, tam in genere, quàm in ſpecie, ex
profeſſo hunc meum laborem abſolvam , quædam
particularia præmittere , quæ fores , ad introitum
cognitionis morborum, pandere putavi.
Atque inprimis morbos pellis , velut magis
obvios attingam. Quamobrem libro de febribus, 2
recitavi quidem pœnitentiæ meæ principia,
quibus à Methodo atque doctrina Scholarum
recedere ſum coactus , ut oſtendam axiomatum
futilitates, quibus Mundus fallitur , tam
à potu purgantium, quàm æſtimatione morbos
fieri , atque liberari , per ejectionem liquorum,
quos Scholæ perſuadent eſſe noſtri conſtitutivos,
& errantes in debita ſui quantitate & qualitate.
Idcirco eadem reſipiſcentiæ meæ primordia
huc referre , atque repetere , non piguit :
Adoleſcens cuidam domicellæ valedicturus ,
chirothecam, atque manum aliquantiſper detinui,
occulta ſiccaque Scabie laborantem. Ego
verò inde, non quidem ſiccam, at ſanioſam ſcabiem
mox contraxi , ſolo nimirum ſobrioque
attactu. Ac dein obſervavi pluries , mantilia
ſcabioſorum pſoras; & tineoſorum pileos,tineas
peperiſſe : ut & leproſorum, atque venereorum
contagia, participato fermento , propagata. Idque
ſonat Proverbium in Incorrigibiles relatum.
Quod ſcilicet , unica avicula totum gregem 3
ſua Scabie infectet. Etenim ejuſmodi vitia,
virulento fomite tranſplantata , abſque diſtinctione
tamen , cenſentur à Scholis , in reatu
Iecinoris , deque ejuſdem intempeſtivo calore
excitata. Quaſi unius ovinæ pellis contagium,
hepata cæterarum ovium diſtemperet. Profectò
hæc unica conſideratio , primum lucis adeptæ
mihi fuit exordium. Vnde nimirum maximæ
Scholarum apud me Scabies fuit manifeſtata ;
meque aliò compulerunt , poſtquam cernerem
remedia Scholarum vana eſſe, futileſqué earundem
maximas. Equidem accerſivi duos medicos
noſtræ urbis celebriores , gaudens propemodum,
quod in me jam reſcire poſſem, an ſtudia
reſpondeant praxi. Medentes autem viſa
Scabie , purulenta , illico cenſuerunt , in me abundare
bilem aduſtam , cum phlegmate ſalſo;
adeoque ſanguificationem in Iecore diſtemperatam
eſſe. Gaudebam ſtatim , quod quæ mihi
ceciniſſent Authores , confirmarentur ab expertiſſimis
Dominis ; Vtpote qui in matheſi didiceram,
cuncta theoremata eſſe longè veriſſima,
credebam id pariter medendi regulis, ſive
axiomatibus commune,atque inſeparabile: putans
quod eſſent,id quod eſſe deberent, & ſpondebant.
At ſtatim pro avita mihi curioſitate in-

terrogabam : quænam iſta eſſet intemperies Ie-
coris, quæ uno & eodem actu, bilem flavam ju-
ſto iniquius accenderet, ſimulque plus juſto pi-
4 tuitæ progigneret : cum ejuſdem radicis , ejuſ-
demve ſanguificationis actus , non poſſet eſſe
eodem tempore & viſcere , generatio bifurca-
ta, atque adeo diſpar , quæ ſcilicet igneam bi-
lem , ſimulque frigidam aqueam pituitam , ab-
undanter ederet ? Hæſitarunt expertiſſimi do-
mini, & arcatis ciliis ſtupentes, ſeſe ſunt dudum
intuiti , ac tandem illorum junior reſpondit,
eandem igniti Iecoris intemperiem ideo non
dare veram pituitam ; ſed ſalſam abundantem :
ſalis autem temperiem , eſſe calidam & ſiccam.
Cui ego. An ergo urinæ ſal , jecoris vitio , ab-
undanteque igne fieret : juſcula autem carnium
non ſalſarum, ſalem minimè induerent , etſi ca-
lore bullirent ? Reſpondit ſenior. Hæc in Scho-
lis mihi proponenda , non autem practicis,qui-
5 bus horas in lucrum familia deſtinarat. Rogavit
autem ſtatim , quos mihi Authores conſuluiſ-
ſem ? quidve faciendum didiciſſem ? Dixi ad
hepatis , atque cruoris refrigerium , venam in-
cidendam brachii dexteri ſubter Cephalicam :
dein per apozemata refrigerantia , bilis torri-
dæ reſpectu , progrediendum : ita tamen ,
quod incidentia , & extenuantia temperata eſ-
ſent miſcenda , propter ſalſedinem pituitæ .
Oſtendi ex Rondeletio , Apozema , quod for-
tè 50 ingredientia contineret , in amborum
finium ditiſſimam ſpem faciens. Et dum ne-
ſcirent , in lectionibus aſſiduum , atque im-
pigrum omnium notatorem : voluerunt , ut i-
pſus mihi cuncta deſcriberem . Itaque poſt
cruoris emiſſionem ſat opulentam , in vere A-
doleſcentiæ & ſanitatis alioqui ſaturitate fa-
ctam , ſumſi triduò præfatum apozema , cui
quarto , quintoque mane , indidi Rhabarbari ,
atque Agarici , quantum ſatis : ut videlicet na-
tura inciperet obedire vocanti pharmaco , ipſi-
que peccantes ambo humores redderentur ſe-
quaces. Laudarunt univerſa , ac potiſſimum ,
quod diſcendi & parendi avidus eſſem. Veſpere
autem quintæ diei proferebam Catapotia de fu-
maria , eo quod Cordus (qui Codrus mihi fuit
poſtmodum) utrique humori peccanti condu-
cere ſcribat (nondum enim tum noveram ficto
nomine pillulas ægris imponere : quaſi propter
fumariam & non virulentorum ſolventium fe-
ritatem , ſedes movere) Sexto ergo die , habui
quindecim ad minimum ſeceſſus. Laudabant
interim providentiam meam , qua corpus ad-
eo fluidum præparaſſem. Mox à biduo inde ,
quod Scabies nequicquam ferocitatis depo-
ſuiſſet , idem pharmacum aſſumo , cum inſigni
ſtomachi averſione ; parque ſucceſſit ſeceſſus.
Dicebant ætatem 18 annorum floridam , bili
generandæ pronam . Cumque cernerent , nil
quicquam ob id pruriginis & puſtularum mi-
nui : poſt biduum tertiò ſumendum purgans
decreverunt. Tum enim , ſub veſperum , jam
venæ mihi exhauſtæ erant , genæ conciderant,
vox rauca , totus corporis habitus concidens
tabuerat ; deſcenſus quoque è cubiculo , at-
que greſſus , erant difficiles , quia genua me
vix ſuſtinebant. Hæc ſano mihi , à contactu
ſcabioſæ manus , contigerant . Primis enim
vicibus , cum tam amplas ſordes , tamque pu-
tidas adverterem , gaviſus ſum : ſed ſerò ni- 6
mis conſideravi , me ante pharmaca benè va-
luiſſe viſceribus : nunc autem dejecta appe-
tentia , & digeſtione , multam comparaſſe ma-
ciem : manſiſſe Scabiem verò ſoſpitem cum
voce acuta & rauca . Denique ut cernerem
quantum bilis , quantumque pituitæ ejicerem,
minxeram in matula : & comperi , per aſſum-
tum ſolutivum , ternis vicibus duas penè ſi-
tulas , putidæ atque cadaveroſæ bilis ejeciſſe,
ramentis muccoſis conſperſæ ejectas : quæ
Medentes aſſerebant eſſe illam pituitam ſalſam.
Atque interim dum toto corpore ferè , potiſ-
ſimum in cruribus , purulentas , amplaſque
puſtulas alerem : Interrogabam , an pus non
deſignaret cruorem in reatu eſſe , non minus
quàm bilem , & pituitam. Dixere , cum jam
mihi vires flacceſcerent , ſilere ſe de iterata ve-
næ ſectione , alioquin opportuna , in puris per-
ſtite abundantia . Ego autem conſiderabam
pœnitens , quod antea rectè valerem , excepto
contagio pellis , aliunde hauſto , quodque ex
nihilo , non fieret aliquid : nec aliquid corpo-
reum , locaretur niſi in loco : tardè ergo in-
quiſivi , undè tanta mihi bilis copia profluxiſ-
ſet ? & ubinam latuiſſet ? Venæ namque ſimul
omnes , vix decimam ſordium partem con-
tinere potuiſſent , etiamſi nil boni cruoris con-
tinerent. Sciebam inſuper, tantum pondus nec
in capite , nec in thorace , neque in abdomi-
ne , hoſpitari potuiſſe , quanquam viſceribus
cunctis vacua fuiſſent. Igitur ſeria cum pœni- 7
tentia , meoque damno , ex Matheſi collegi ,
1. Quod nomen purgationis , eſſet impoſto-
rium. 2. Quod ſelectio particularis , educen-
di talem , aut alium humorem , pariter eſſet
falſa. 3. Quia humorum ortus , & exſiſtentia,
etiam falſa eſſet. 4. Quod cauſa Scabiei eſſet
mentita,

mentita, pro bile aduſta, atque pituita ſalſa. 5. Quod jecur eſſet inſons, in contagionibus pellis. 6. Quod Scabies mea adhuc perſeverabat à purgationibus, licet non æquo furore. 7. Quod ejus furor non eſſet remiſſus, eò quod aliquis humorum aut plures putati, eſſent educti, & hactenus eorundem abundantia peccaſſet: Siquidem mox recuperato cruore perſtabat eadem Scabies. Adeoque defectu plethoræ Scabies parum minuta fuerat. Tandem poſt tres menſes fortaſſis, ſulfuris facili unctione, à Scabie convalui. 8. Quod Scabies ſit affectus ſolius pellis. 9. Quod Scholæ, tam bilem quàm pituitam, malè affectos humores, tam in venis quàm extra, tam noxios quàm innocuos, nominarent. 10. Quod purgantia quævis, cruorem & carnem promiſcuè liquarent, reſolverent & putrefacerent, etiam dum in ſtomacho, & inteſtinis morabantur. 11. Quod falſum ſit, cruorem redire in humores, unde genitus eſſet. 12. Quod in hoc contingeret regreſſus impoſſibilis, à privatione ad habitum. 13. Quod impoſtorium ſit, humores illos tres remanere in cruore, carne & ſolidis, ut per purgantia redintegrarentur in id, quod
8 fuerunt ante carnis ſtructuram, &c. Quæ cuncta cum invenirem pugnantia, cum veritate naturæ, & cum congruentia philoſophica, manifeſtè ſcivi, Theoremata Scholarum eſſe ſcabioſa, atque falſa. Adeoque non potui amplius dubitare, an bilis, vel pituita, cauſa Scabiei eſſent. Idque paulatim cum DEI gratia, certo certius ſic intellexi, quod æqua pariter, per intellectualem certitudinem, ac velut opticam ſcientiam, ſciverim, nullam eſſe in natura bilem, nec tres humores cum cruore unitos. Quod autem pituitæ ac bilis utriuſque larva oſtenditur à Scholis, demonſtravi peculiari libro, eſſe ſordes morboſas præter naturam,
9 atque producta vitioſa functionum. Saltem in me, ſolo attactu contracta & nata Scabies, in plena valetudinis fruitione, antequam vel hepar unquam incaleſcere potuiſſet: nam Scabies mea, concepta fuit quadrantis horæ
10 ſpatio. At puſtulæ ſcabioſæ ſucceſſu aliquot dierum mora poſt erupta: non tam Scabies ipſa fuere, quàm fructus ejuſdem. Si ergo Scabies
11 è Iecoris intemperie oritur, ſaltem in me, ipſa Scabies, prior fuit ſua cauſa. Ovis gramine tantum paſcens, ſcabiem ſponte acquirit. Si id ex intemperie calida hepatis: profectò inique gramen præſcribitis, pro hepatis refrigerio. Denique Scabies in me, ove, & cane; ſolis curantis unguentis, ſive ope externa, nec attenditur calor hepatis. Imo pharmaca è ſulfure, baccis lauri, & helleboro albo, nequaquam valent ad fervorem hepatis. Denique Scabies, attactu lintei, repente acquiſita, ejuſdem eſt indolis cum ſpontanea: at ſaltem illa non oritur ex calore hepatis: ergo neque hæc: ſi rei ejuſdem ſint cauſæ eædem in ſpecie, objecto, & ſubjecto. Etenim eo ipſo quo Scabies attactus manus, vel lintei ſcabie infecti concipitur in pelle tangentis: jam adeſt Scabies; cujus ſemen ſive fermentum, eſt in pelle præfata, vel linteo: embryo ejus dein, conceptus eſt in pelle tangentis. Cujus productum tandem viſibile erumpit.

Pariter quoque ulcera fiunt, vel à vulnere 12
malè curato, vel à contuſione, ut Cancer in muliere; vel ab apoſtemate erumpente: vel tandem à veneno intus genito, quod ſui malignitatem plantat in externa parte, ibique fermenti ſui virulenti proprietates figit. Vnde quoque, quicquid cruoris alendæ parti in horas diſtribuitur, id totum in virus vertitur, juxta fermenti ſui proſapiam. Non autem humores, iterato à morte reſurgunt corrupti, qui ab hepate eò mittantur. Scholæ itaque per Galenum 13
creduliter abductæ, ſuis conſignarunt ſomniatis humoribus, è cruore & carne reſurgentibus, propter importunam viſceris cujuſdam intemperiem elementali pugnæ debitam. Galenus 14
enim in Therapeuticis vult, ulcus naturaliter conſtare debere duplici excremento (hanc enim doctrinam poſuiſſe & non probaſſe, ſibi ſat viſum fuit) liquidiore nempe uno Ichore, ſive ſanie, & craſſiore altero. Id eſt, pure. Hinc demum concludit, omne ulcus indicare, exigere & ſanari debere, duplici pharmaco (cujus nimirum peccato, pleraque à Scholis inſperata, ad anus relegantur, in Galeni deſpectum) uno nimirum quod exſiccaret, atque in ſe ſaniem combiberet: altero denique, quod eſſet puris abſterſivum. Quàm ſeriò enim hic vir ſuas texuit fabulas? & quàm illibatæ ſervantur hæ 15
næniæ adhuc hodie? Iam enim quadruplicis humoris, & quadruplicis excrementi inde reſultantis à corruptione illorum nimirum non amplius recordantur. Vult quidem Galenus, pus eſſe cruorem putridum, nec meminit ſui, dum ſanguinem, in corruptione, totum in bilem verti docet. Denique ſi purgantia è cruore ſeparent ſigillatim tres humores ad Medentis lubitum, deberet meminiſſe, id contingere per cruo-

ris corruptionem, dum nempe in ſui conſtitutiva
antecedentia dehiſcit (aut falſum eſt, quicquid
de purgantibus & humoribus commentum
eſt) quapropter in ulcere, non duo ſaltem,
at quatuor prorſus emergere deberent. Imò
apud Galenum erit ulcus abſque pure (puta
Cancrum, Cacoethes, vel exedens ſola ſanie
fluidum) curatu facilius, quàm alioqui purulentum.
Quippe quod ſolis exſiccantibus (puta
creta, aut combuſtis oſſibus) opus habebit.
16 Quam enim eſt ſtupidum atque inſanum, docuiſſe,
ulcus curandum, per excrementorum
fructuum, ſive productorum abſterſionem, &
ſequeſtrationem? Non autem per præciſionem
radicis, quam nuſquam ac nunquam præter calorem
intemperatum, noverunt? Quandoquidem
omne excrementum neceſſariam dicit relationem
ad digeſtionem & partem, quarum reſpectu
eſt excrementum: ita ut verum excrementum
ſit ſupervacanea moles, relicta à digeſtione
& à parte, cui eſt inutilis, ideoque ſequeſtrata:
17 Quia excrementi' nomen expulſionem
continet, impuri à puro. Ideoque ſanies & pus,
non ſunt ulceris aut partis excrementa, ut neque
digeſtionis naturalis: ſed ſunt producta
ſeminum, ſive radicum ulceris. Ideoque plerumque
& in pleriſque fruſtra laborat, qui emungit
ulcus, juxta præſcriptum Galeni, præſertim
in malignioribus. Itemque neceſſum eſt,
quod quæ non nutriuntur, etiam excrementis
careant. Nam natura nuſquam laborat, ut nutriat
18 ulcus. Dum in ulcere habitat proprius
corruptor, qui cruorem alimentarium vitiat,
antequam digeri ſit aptus. Fæx quoque propriè
loquendo, non eſt vini recrementum, ſed reſidentia
mera: eo quod vini nulla ſit nutritio,
nullaque digeſtio. Vlcus igitur, ut tale, non
nutritur, nec natura intendit nutrire illud. Sanies
ergo & pus, non ſunt excrementa ulceris,
ſed producta Corruptoris: ſuntque cruoris in
noxiam materiam depravati indicia, ſigna, producta,
19 effectus, ſive fructus. Etenim ſingulis
partibus alendis, quotidie deſtinatus cruor mittitur,
diſtribuitur Iuſtitia diſtributiva. Nec ſecus
ulceroſæ parti, quàm ſi adhuc rectè valeret.
Quò cum deventum eſt, nec poſſit ibidem in
veram aliti ſubſtantiam commutari, ſubit aleam,
quam ulceroſum fermentum imperat: degeneratque
ideo, & tranſmutatur cruor in radice
partis, qua corruptor locatur, reſidetque: non
autem in ipſa ulceris cavitate, ſive alveo. Alioqui
namque, neceſſe eſſet, merum atque innocuum
cruorem, decidere ſemper in ipſam
ulceris cavitatem, atque ibidem corrumpendo
degenerare. Quod oculus & quotidiana experientia
falſum aſſerunt. Ergo ſi Scholæ ulcus 20
abſtergant, ſive linteo, ſive demum pharmaco;
quanquam idem faciant ambo: non tamen niſi
productum ultimum auferunt, nequaquam verò
cauſam radicalem, vel originem attingunt.
Quod ſi quandoque grumus cruentus, vel mucilago,
aliàs cruenta in ulcus decidant. Id fit,
quia in circumſtantibus (quibus nempe eſt ipſa
ulcerum radix) tanta eſt torturæ procella, quod
venula aliqua propinquior exeſa, proprium
cruorem nequeat comprimere. Adeoque cruor,
qui ſorte ſic in ulceris cavitatem decidit, non
cernitur in pus mutari. Vndè manifeſtum evadit,
cruorem non in ulceris cavitate, ſed in
ejus marginibus degenerare: quapropter etiam
vanitas Galenicæ doctrinæ ſpectatur, quæ ſanationem
ulceris, in ablatione producti collocat.
Radix ergo cujuſque ulceris, eſt in fundo 21
& labris, ſive margine: Id eſt: partibus
cavitati finitimis habitat. Quibus nempe ſua eſt
coquina, qua cruor alteratur in corroſivam ſaniem,
pus, &c. Sanies verò ipſa, eſt productum,
ſive effectus poſitivus ulcerum. Ipſa autem cavitas
ejus, quæ vulgò medentum ulcus æſtimatur,
eſt productum privativum, atque deficiens.
Sicut enim pagus crematus, aut deſtructus,
non eſt bellum: ſed eſt effectus defectum, privationem,
deſertionem, factamque deſtructionem
accuſans. Sic nec ulcus eſt devaſtata carnis 22
cavitas: ſed hæc eſt ſignum, ab ulcere relictum.
In oris ulceris enim circumquaque habitat
hoſtilis corruptor & hoſpes fermentum
virulentum, ad quod cernimus oras, atque fundum,
diverſimodè alterata. Attendant ergo 23
Scholæ, quid doceant, dum ulceris ſanationem
in ablatione poſteri producti tradunt. Pus imò
non fert indolem excrementi, nec ut excrementum
naturæ ab ulcere prodit: ſed eſt fructus ulceris,
exotici ſcilicet Corruptoris cum malignitate
depravatus fermentaliter. Idcirco degenerat,
exedit, rodit, atque depaſcitur. Enimverò
majora ulcera pure carent, ſaniem duntaxat
plorant continuam & ſubinde decuplo plus,
quàm juſta alioqui cruoris diſtributio requirit,
atque in aquas acres, atque depaſcentes,
tranſmutatum ichor diffluit. Quæ Galenici
nunquam ſuis ſiccantibus, etiamſi inſuper ſua
ſuperaddant cuncta abſtergentia, & utcunque
Catageni & Catatopus ſtentoriè glorientur
de ſuis experimentis. Pus enim non niſi in 24
carne clauſa, & aperta procreatur, iiſque nondum

dum prorſus malè affectis: ubi interim cartilagines,
oſſa, membranæ, venæ,nervi, viſceraque
non niſi ichore madent atque liquantur, ſi ulcus
tolerent. Itaque horum, quàm carnis eſſet
longè mitior, manſuetiorque corruptela & ulceris
tempeſtas, quàm quæ aliàs in carne tumultuantur.
Eò quod remedii diverſitas finem,
in quem deſtinatur, diſtinguat: Ideoque ſiccans
medicamen mitiorem affectum denunciat,
quàm quod & inſuper deberet eſſe adſtrictivum.
25 Ergo Galenus & ſequaces ſui, quia
ignorarunt hactenus ulcerum cauſas, fomitem,
uterum, ſubjectum, efficiens, modum
fiendi, ſemen atque fermentum: non niſi ridiculas
curationes, remedia, axiomata atque doctrinam
tradidere. Quocirca nec mirum, cacoethica,
phagederiacaque ulcera, non ſanari
ſolita, remediis Scholarum: quæque ob id potiſſimum
ſeſe ab operibus Chirurgiæ, magno Galeni,
ſuorumque coætaneorum Græcorum, atque
ſequacium Arabum dedecore, exemerunt;
26 prout de Tumulo Peſtis ex profeſſo tetigi. Mitiora
etenim ulcera, quibuſque ſua eſt ademta
malignitas, dumque ad incarnationem & reſtaurationem
relictæ cavitatis feſtinant, ſolo
ſtillant pure, adeoque difficiliores cenſerentur,
juxta Galeni regulas, quàm dum ichore fluerent.
Vlcera autem jam mitigata, irritantur abſtergentibus:
tantum abeſt, quod iiſdem ſanentur.
Sanè, ſi exſiccantia & abſtergentia cunctis
ſatisfacerent ulceribus, facilis foret quorumcunque
ſanatio. Cur enim tàm anxiè Galenica
Schola turbatur, circa electionem pharmacorum,
ubi ſicca lintea utrique ſatisfaciunt indicationi
abundanter? Nimirum unicum linteum
exſiccat, & abſtergit unà pariter? Pudeat ergo,
atque ſeriò illas pudeat, è Cathedris, è prelis, &
ore illarum ejuſmodi nugas, Adoleſcentiæ &
Chirurgis, pro axiomate medendi ſuffundere:
hoſque proinde ſic inſtructos, in necem mortalium,
ſibique fidentium torturam, paratos
dimittere, ſpecioſo medentis & doctoris titulo.
Non itaque pus & ſaniem abſterſiſſe, atque
exſiccaſſe ſat eſt: ſed hoſtilis fabricator, partique
inſidens corruptor, delendus: quippe qui
nil exſiccando, abſtergendoque remittit, miteſcitve.
27 Seminalis videlicet deleterii qualitas,
venenoſaque impreſſio Archeopartis exotica,
bonum cruorem ſibi diſpenſatum pervertens:
ſui dumtaxat ablationem naturaliter indicat.Eſt
ergo virus, fermentum quoddam atque contagium,
fundo inſitum, cruoris atque carius corruptivum.
28 Videant ergo Scholæ, an eidem
Catarrhus, vaporetenus è ſtomacho in capitis
planum ſublatus initium atque fomentum dare
queat: & an Cauteria ad lubitum inflecta,
eundem ſolitum Catarrhum loco remediorum
nedum exſiccantium, & abſtergentium, verumetiam
vice revulſionum ſatisdare queant,
propter connexionis continuitatem in radice
eorundem, proportionem, applicationem, conſonantiam,
imo & dependentem ſymphoniam.
Equidem quotquot fermentorum activitatem
atque varietatem ignorant, neceſſe eſt omnia
creduliter cœcutiendo tentent & explorent. 29
Sunt nimirum totidem ulcerum fermenta:quot
ulcerum diverſæ corruptiones, corruptorumque
diſtantiæ. Quorſum unius panis teſtimonium
plurimum conferet: quippe qui etiam 30
diſputationes hujus index eſſe poteſt. Qui
nimirum in homine, cane, fele, equo, vacca,
gallina, anſere,anate, ove,&c. totidem determinationes
ſuſcepit, quot fermenta ſanguinum,
ſtercorumque ſpecificè (imò & genericè) emanant
differentiæ.Sic & unicus ſpecie cruor, plura
ſpecie ulcera, atque tranſmutatas ſui corruptiones
ſuſtinet, pro fermentorum peregrinorum
alteritate. Atque quantumvis unicus ad
generationem ſatis ſit Archeus: varia tamen
media, vitæ, atque modi ſunt corruptionum:
quot nempe corrumpentium ſunt familiæ. Eſt
ergo plena atque exacta ulcerum ſanatio, fermenti
ſui ablatio: non autem hepatis refrigeratio;
non bilis ſomniatæ, vel ſaniei abſterſio.
Denique nec curantur ulcera,per applicationem
abſterſivorum, adeo ut pro illorum malignitate,
gradus corrodentium abſterſivorum, ſui
augmentum optet. Non enim realgar fixum, 31
per ſalempetræ,atque in adſtringens ſulfur dulcoratum,
ſive mitigatum, ſexaginta fortè ulcerum
diverſitates extinguit: quia rodit, exeditque,
(etenim ſic non ſui dulcorationem
cum repetito ſpiritu vini expoſceret) ſed quia
venenum mite jam habet, quod ipſum ulceris
fabrum, cruoriſque corruptorem, eſt enecando.
Quo videlicet ſemel in totum demortuo,
non ceſſat deinceps caro ſpontè, è fundo ſuccreſcere:
Itaque cavitas ulceris, carnis ſuccretionem,
pelliſque cicatricationem indicat, ut
ablata ſcilicet fiat reſtitutio. Quæque ideo poſterioris
relationem habent, reſpectu necis
Corruptoris. Porro quæ in ſeminale, toxicumque 32
fermentum refero, Paracelſus ſuo more, in
microcoſmi fodinas minerales, atque ſalinas
tranſtulit. Nam ut ulcera, plerumque ſale odioſa:
putavit ſecundùm ſuum Idiotiſmum,

ulcera progenie mineralium, diſtinctiſque eorundem familiis adſcribendo. Non enim in rixas me compono, ut neque me ideo natum ſcio. Quapropter viri inanitatem, & incircumſpectam oblivionem doleo. Vt hominem, quem aliàs etymo, ſive limbo, totius univerſi epitome, deſumtum gloriatur: magiſque illius extracti dignitate, quàm Creatoris Imagine glorioſum fingit, calamitoſiſſimum ait monſtrum, ſolis mineralibus undequaque plaſmatum. Is inquam alibi horum immemor, corpus humanum vocat per totum, Cagaſtricum: non quidem diverſis conſtans amplius ſalium texturis: at unius ſolùm ſaliſpetræ ſtructura ſuperbum. Vnde homines nati durum genus, ergo agæ terræ. Voluit nempe cuncta ſalia, lapides, mineralia, herbas, &c. in homine, velut ſeminariis ſuis, delitere. Prorumpere autem in actum, non quidem fotu confuſorum ſeminum, in Chao delitentium. At ſola ſeparatione liquoris vitalis, à ſibi connatis, retroire ſponte, in priſtina mineralia. Non attendens, quod abſonum ſit, cum macrocoſmus non minus Aſtris & plantis conſtare velit quàm mineralibus, quod potius in ſalia, quàm in plantas & quadrupedia ſeſe reſolveret. Itaque nedum ſeminum, vegetabilium, Aſtrorum, & animantatorum: ſed ſui ipſius eſt oblitus in hoc Paracelſus? Quod ſeminis proprii, unde cruoris iſta moles, à vitalibus humanis ſeparata initiis, potius in hoc, quàm 33 in aliud minerale, retrocederet. Vt enim Galenus caloribus omnia donans, febricitanter delirus, per aliquot ſæcula medendi principatum in ſe traxit. Ita Paracelſus, cuncta in ſubterraneam ſobolem redigens, ſupellectile pretioſa ſuperbiens dementavit aliquantiſper, atque proin in eundem principatum aſpiravit. Sed ſodes quis ille Separator, qui à vitali balſamo, partem ſui adimit, & avellit? Ecquis demum Corruptor ille, qui partem à vitali ſorte avulſam, ſimul in ſalem mineralem (in ſe putrere neſcientem) vel in occultum metallum, ſola fide credibile, mutaſſet? An non de vita longa, mortem vocas balſami dominium? Quomodo ergo nunc mortem vocas balſami ſeparationem? Quiſve in limbo humana diſtinctor ſeminalis, qui unicum & eundem à balſamo vitali liquorem, nunc in alumen, nunc demum in arſenicum torqueat? Profecto, Paracelſe, poſtquam operoſa & ridicula indagine magnas ſtruxiſti fabulas, quia fermenta neſciviſti (ad quæ tamen velut principia activa, & ſeminalia veniendum erat, naturæ initia præteriiſti: ludenſque cum microcoſmi limbo, ad tui beneplacitum, te ridiculum poſteritati exhibuiſti. Fermentorum namque plenaria cognitio facilem invenit viam, ad ulcerum quorumcunque venena cognoſcendum, tollendum, ſuperandum, ſeparandumque. Nam quicquid in naturæ curſu fit, id ſeminum neceſſitate atque ductu fit, moveturque ad ſui ultimam periodum. Non autem ſorte reſoluti cadaveris, aut procumbentis partis nudo arbitrio. Quæ ſcilicet à privatione, in priſtinum ens reſurgendo, feſtinaret. Apage cum tuis nugis. Non enim nobis ſunt fontes ſalini: non reductiones cruoris, in ficta latentiaque metalla. Nec ſunt in nobis mineralia, laſciviendo ſeſe ſubtrahentia ab initiis vitalibus, aut horum ſubtractionum exſpectantia: ut nempe ab eſſe humano, in priſtina atque deſtinata redeant mineralia, ut ſic fiant ulcerum matrices, fonteſque. Nec etiam in nobis ſunt leges microcoſmicæ magis, quàm elementorum quatuor in nobis correſpondentes humores, horumve pugnæ vel ſimultates. Cum Nazianzeno enim, non poſſum hominem ad microcoſmi regulas ludicras conſtringere. Malo enim infinities, me imaginem Dei, quàm corruptibilis, tortoriſque mundi. Nam licet homo vegetet & creſcat cum beſtiis & plantis: non tamen beſtiæ proin erunt plantarum imago. Sic licet homo ſentiat atque moveatur, imo diſcurrat unà cum belluis: nil tamen niſi homo loquitur. Angelus quippe nec loqui indiget, ut neque ſeminis organis. Sin autem avis loqui videatur: non niſi loquelæ tonum, aut articulationes imitatur. Non ſunt enim in nobis grandines, nives, rupes, ſexa, metalla, marmora, ſilices, gemmæ; ut neque centrum mundi, ad quod cuncta ponderoſa deflectant. Nec eſt in nobis Calculus ex creatione, nec ſunt ſpecies Porphyri, Iaſpidis, &c. diſtatque calculus in homine à vero lapide, non minus quàm Pyrum à vacca. Pyrum namque mutatur quidem in carnem vaccæ citius, quàm calculus, in petram mineralem deflectat. Poëticum itaque gentile ac metaphoricum nomen microcoſmicum, non autem phyſicum aut verum. Phantaſticum pariter eſt, hypochondriacum, atque demens, omnes univerſi proprietates, atque ſpecies in hominem, artemque medendi intuliſſe. Aſt ſeria nimis eſt vita humana, ejuſque medela, quàm quod Paremiæ & metaphora nobiſcum ſuam ludant ſcenam. 34 Poſtremò totus eſt Paracelſus ridiculus, docens ulcus & vulnus ali herbis, balſamo, unguentis:

adeo ut vera nutritione, & excrementorum ſecretione, hos defectus per remedia nutriri, deperditamque ſui carnem inde verè, actualiter, & immediatè reſtitui, idque ſeriò ſcripſiſſe viſus. Quod ſanè ſuo lubens indulgeo Idiotiſmo.

35 Tandem pro ulcerum medela, eſt uſus Colcotaris, diverſimodè applicatus juxta ulceris differentiam. Sæpe namque vinum macerationis lotione ſua id facit, aliàs pulvis ejus, poſt accuratam ſalis ſeparationem: ac nonnunquam in oleo lini coctus uſque ad nigredinem, qui probaſi eſt unguenti Fælicis Wurtz in vulneribus. Sat enim dico curioſis. Quod nempe Colcotar enecet omnem vulnerum corruptorem.

36 Tandem pro vulnere ſcias, ipſam continui ſeparationem eſſe quidem immediatam atque ſufficientem cauſam occaſionem, quatenus nempe aperit, contundit, &c. quæque etiam conſolidatione eget, ac per collam in vino ſolutam (eſt quippe è pellibus animantum parata) mox conglutinatur. Præſertim ſi colla è corio hominis violenta morte, id eſt, integris viribus interempti ſit. Aſt alterationes Archei à profuſo cruore, conceptaque vindictæ aut indignationis alterius Idea, genitæ, quas proprio nomine noſtra voco vulnera, & non aliena: ſive quæ forinſecus infliguntur, non ſola indigent diſcontinui conglutinatione; ſed alterati Archei ſedatione. Huc nempe ſpectant olea, balſama, emplaſtra, quæ injuriati Archei inſiti, & localis pacem concilient. Quorſum nata ſunt balſama reſinarum, florum, herbarum: itemque quæ parantur è minio, ceruſſa, vel Colcotare: Huc facit etiam ſal Tartari per ſpiritum vini rectificati, donec adſtringentem guſtum nanciſcatur. Eſt namque balſamus Samech Paracelſi: prout ex Arſenico pro ulceribus, de quo ſupra, eſt ejus balſamus fuliginis: eo quod apud Peritos Realgar habeatur fumus metallorum. Non quidem, quod non ſit ſimplex per ſe natum atque ſubſiſtens; ſed à ſimilitudine: eo quod fumi metallici malignitatem arſenicalem imitentur. Sic claudo doctrinam externorum.

IGNOTA ACTIO REGIMINIS.

1. Impugnatur Axioma: Quod contrariorum ſint remedia contraria. 2. Fundamentum illius axiomatis. 3. Axioma de reactione patientis, ſive ſui defenſione ſub pugna, examinatur. 4. Argumenta in oppoſitum. 5. Idem per robora moventia, per generativa & anomala. 6. Ponderis nulla eſt reactio. 7. Actio reſiliens veteribus neglecta. 8. Ferrum candens agit, & non reagit. 9. Celeritas moventis, non eſt actio: ſed actionis modificatio. 10. Agentia alterantia propriè non repatiuntur. 11. Id probatur per actiones ſpirituum ſalium. 12. Axioma aliud notatur falſitatis. 13. Vnde falſitas illius deſluxerit. 14. Agentia heteroclita & Anomala quæ. 15. Pergit probare, quod probandum ſuſcepit. 16. In quo poſſit ſalvari dogma Ariſtotelis. 17. Explicatio actionis, in tarditate ignis. 18. Actiones in objectum ſuppoſito ſepoſitum. 19. Actio fermentalis & radialis. 20. Actiones hujuſmodi, non referendas in vaporum culpam. 21. Ignoratum hactenus Blas regiminis. 22. Falſitas Axiomatis. 23. Nil patitur, ignis ab objecto cremabili. 24. Differunt determinare actionem & reagere. 25. Actiones novæ. 26. Scholarum ſcotomia. 27. Illarum vacillatio. 28. Item earundem neglectus aliquot. 29. Actio regiminis ignota, non eſt quam vocant per conſenſum. 30. Error undè. 31. Anatome cur in tantam curioſitatem ſurrexerit. 32. Quantum ab Anatome requiratur. 33. Neglectus potiſſimæ partis Phyſices. 34. Scholæ putando deluſæ. 35. Multa in nobis contingunt per actionem regiminis, citra canales deferentes. 36. Ad cæcos halitus, cæcitas cæcos deduxit, ignorata actione regiminis. 37. Admiſſiones Authoru. 38. Actio regiminis eſt abſtracta à colligante medio. 39. Actio naturalis Spiritibus incorporeis. 40. Actio præſtigiatoria quæ. 41. Remedium ungulæ equinæ tollit luxuria. 42. Regiminis exemplum. 43. Vteri regimen in totum integrale. 44. Regimen agit in ſuos ſcopos, intactis interſtitiis. 45. Facultates actionis uterinæ. 46. Furores uterini. 47. Modus fiendi, in nativitate morbi, ex actione regiminis. 48. Cur barbata non ſit frons. 49. Morbos capitales, non oriri per fumos è ſtomacho.

1 EX principio, quo Scholæ poſuere contraria in natura, confeſtim univerſaliter ſanxerunt, nil abſque litibus, bello, pugna & diſſidiis, agi in ſublunaribus. Vſque adeo & jurgia, odia, æmulationes, fuere naturæ fundamenta ſive principia æſtimata, non minus quàm Philautia: quinimò & in aſtrorum Choreas, eadem odio creduli introduxerunt, Aſtronomorum ſuaſu.

2 Saltem ſtatuerunt, in toto ſublunari pegmate, nequicquam fieri, aut generari, niſi per relationem ſuperioritatis Agentis, ad patiens. Ita quidem, ut patiens cum violentia cogatur, dometur, alteretur, perdatur, atque in naturam agentis transferatur penitus, per ſolam relationem po-

3 tentioris in debilius. Dum autem Scholæ Agentia, vel ætate, vel laſſatione agendi, cernerent ſenſim elangueſcere, decreverunt inde ſimiliter, id quidem non tam contingere ſeminum, poteſtatumque exantlatione: ſed reactione ſolius patientis. Itaque ſtabilivere omne patiens, viciſſim reagere neceſſariò, atque eatenus ſimiliter omne Agens repati, nec etiam aliunde 4 debilitari. Vnde per conſequens, mihi omen feci, quandoque naturaliter rerum ſemina penitus indubiè exſtinctum iri, niſi miraculosè conſerventur. Veruntamen utrobique in doctrinis Scholarum perpetuum rus, & continuatam indagandi pigritiam contemplor uſque. Idque unicum repulit à me priorem formidinem. Enimverò poſtquam è natura ſubmoverim contraria, non potui deinde, ſano judicio, in Patiente ullam reactionem invenire, ut nec admittere hoſtilitates alibi in natura, niſi inter animantata. Illis nempè ſolis ineſt contrarietas, quibus eſt actualis defenſio in velle Patientis, contra injurias ab Agente illatas & ſenſatas. Quare: Nuſquam eſt reactio patientis in Agens, niſi ubi eſt contrarietas concepta in anima. Hoc autem ordinarium ordinatumque in natura ſic eſſe, demonſtrabo protinus: Inprimis namque permaneret Vniverſus, pro ut modò ſubſiſtit, infinita vi verbi, ſi ita juſſus eſſet. Infinita inquam eſſent in ſuis ſucceſſionibus, & duratione, non autem unitatis actuali vi infinita creaturæ. Idque quia eſt fidei, probationis non eget. Nullum eſt igitur ſublunarium, ſui poteſtate infinitum. Hinc ſequitur, quod tandem omne agens particulare, ſenſim etiam propria ſponte quandoque fatiſcat, exſolutiſq; muniis, defungatur, per virium diſſolutionem, in ſpatio loci, durationis & roboris poteſtate, circumſcriptarum: niſi fortaſſis, anticipatione termini, vel objecti impedimentis, ſtatutus dies, 5 proprii & limitati defluxus, eludatur. Sunt autem agentium naturalium, quædam habentia vim motivam, quam Blas motivum dixi: ipſa verò agentia, voco robora moventia. Reliqua autem moventia, Blas alterativum dico, quæ videlicet operantur per fermenti vim ſeminalem. Atque ejuſmodi agentia, plerumque generant ſui ſimile. Sunt denique tertiò, Agentia quædam anomala, ſive heteroclita. Dicam ex ordine de tribus illis. Equidem robora agentia, agunt in ſua objecta, 1. Per pondus prævalens. 2. Per figuram rotundam, angularem, acutam, cavam, &c. 3. Per corporis duritiem, mollitiem, &c. 4. Per Blas impreſſivum, à manu, malleo, acu, &c. 5. Per celeritatem. Etenim niſi aries cum celeritate, ad murum, vel malleus, ad clavum concutiatur: licet vis impreſſiva ſit robuſta: Blas tamen ejus erit ignavum. 6. Per impedimentum vacui. Et 7. tandem, per timorem penetrationis dimenſionum. Quod autem Robora moventia, nequicquam repatiantur à ſuis objectis, patet: nam in primis, in præfatorum 6. & 7. natura univerſi potius operatur ne ſint, quàm ut, dum eſſent, operentur: multò minùs repatiantur. Quia non repatitur Agens ab objecto, quod nondum eſt. Cum id quod nondum eſt, nondum agere, aut ex actione repati poſſit. Quo ad primum autem, quod nempe pondus majus, à minori repati nequeat, per aliquam reactionem minoris, patet. Quia pondus minus, appoſitum ex oppoſito, non arguit ullam reactionem in agens: ſed fit iſtud, propter determinationem, factam, vel à ſpatio loci; uti in elongatione ab axe: vel propter modificatam actionem ponderis majoris. Quod, non eſſe veram reactionem, ſic probo. Pondus minus, ſimpliciter, & abſolutè, nil patitur à majori, à quo elevatur: ergo neque pondus minus reagit quicquam, quanquam elevetur, & cedat. Siquidem pondus minus tantùm determinat actionem & gravitatem præpollentis ponderis, quatenus unumquodque agens eſt finitæ & determinabilis actionis. Quod autem ejuſmodi determinatio, non ſit reactio ponderis minoris, Patet: nam 6 idem pondus minus, remanens quantum eſt, ſit majus dum elongatur ab axe. Itaque ſi qua eſſet actio, aut reactio in ponderibus, in præfato caſu, tribuenda eſſet ſpatio loci, & non gravitati ponderis. Cum unum, atque idem pondus, ſolo ſpatio loci, ſit varium, multiplex, ad lubitum Artificis. Spatium autem loci, vel elongationis, eſt quid externum eſſentiæ ponderis, & planè accidentale per accidens. Adeoque nec poteſt dare veram, & propriam actionem, aut reactionem in ponderibus. Determinatio itaque actionum in ponderibus non eſt eſſentialis atque propria actio, vel reactio ponderis, in pondus. Perinde quoque, ut ſpatium, ſive loci diſtantia, non habet vim aliquam internam, aut eſſentiale Blas motus localis, in globum, à bombarda emiſſum: ſed tantùm determinat vim finitam impreſſi motus, ſic ut neceſſariò, per diſtantiam, ſenſim globi Blas acquiſitum, langueſcat. Certum eſt namque, quod globus in medium diſtans operatur: quod intelligo, globo nullam eſſe activitatem, in

ipſam loci intercapedinem, licet hæc tamen, Blas globi ſic determinet, ut tandem pereat, quia finitæ eſt potentiæ. Pariter & in ponderibus: pondus majus determinatur quidem ad certam menſuram, & potentiam, per pondus minus: ſed illa determinatio, non eſt actio vera agentis alicujus, ſi motus localis, per locum ipſum (qui totus eſt externus, & accidentalis motui) abſque reactione limitetur: aut ſi per durationem motus ſpontè langueat. Sin autem locus, & duratio, non patiantur à motu, qui in illis fit: Id eſt, quod motus reagat in locum, & durationem: ergo nec loci, aut durationis, ulla erit vera actio in motum, etſi motus finitus in loco & tempore ſponte ceſſet. Nil refert ergo ad reactionem, quanquam pondus minus limitet majus ad certum, & definitum ſuum terminum. Igitur hinc luculenter ſat patet, plurima cenſeri agentia, & reagentia in ſe invicem, propter noſtri inteſtinam intelligendi fragilitatem: quæ revera in ſe invicem nec agunt, nec patiuntur, itemque nec reagunt, nec repatiuntur reciprocè: Siquidem actio, qua pondus majus elevet minus, & hoc cedit majori, itemque, qua majus determinatur, atque minoratur, per oppoſitum minus, quod alias majori oppoſitum, hoc auget. Non eſt verè actio naturalis; aut proprietatum ſeminalium vis: ſed relativi reſpectus Matheſeos juxta locum, durationem, magnitudinem, &c. Quæ agentibus naturalibus ſunt externa planè, & per accidens. Actiones verò, & repaſſiones in natura, conſiderantur in vera & intima virium conſertione: quæ in ſupradictis locum non habent. Vt autem oſtendam, ejuſmodi Matheſeos reſpectus non habere actionem, manantem à poteſtatibus rerum: ſed tantùm relationem Matheſeos (cujus omnis mera actio, quanquam per corpora fiat: non eſt tamen ipſius corporis, ut talis) ſufficit oſtendiſſe per præfata, determinationem motuum diſtare procul à motuum activitate interna, juxta quam cenſentur res à veteribus repati & reagere, in omni actione. Sic namque plura ſunt in natura impedimenta, quæ etſi determinent, imò etiam planè tollant, vim agentis; non tamen reagere cenſenda ſunt. Adeoque propriiſſimè loquendum, ubi de rerum proprietatibus & actionibus illarum Philoſopho naturali diſtinguenda eſt eſſentia rerum, potiſſimum ubi de vitæ neceſſitatibus agitatur. Pondus enim minus non reſiſtit, multoque minus reagit in majus. Sed unumquodque pendet liberè, quantum ponderat, ſine reſpectu unius ad aliud. Sin autem homo unum pondus alteri opponat: Id eſt, humanum: nec actio ponderis reſpicit invicem. Hinc namque, quæ contra contrarietates activorum ſupra demonſtravi, clarius eluceſcunt. Siquidem unumquodque agens, per modum ponderis majoris, agit liberè, & ſine relatione contrarietatis; ſed agit, quod agere eſt juſſum in natura, & quantum ipſi permiſſum eſt agere. Pondus itaque, ſeu potius res ponderoſa, pendet in ſe, quantum librat, abſolutè & abſque reſpectu ad aliud majus, minus, æquale, proportionatum, &c. nam ejuſmodi reſpectus, ſunt humanæ induſtriæ, quæ propter contrectationes, menſuras invenit, tam juxta extenſionem in longo, lato, cavo, &c. quàm in diviſione ponderum. Axes nimirum ſtatuit, & elongationes, ita ut artificialis, ideoque & mutabilis in identitate & unitate unius corporis tota ſit inde conſideratio. Ac proinde pondera, ut talia, nequaquam agunt, aut reagunt in ſe invicem naturaliter, ſive proprietatum ſuarum commiſtione, licet artificialiter aliquid agere videantur. Sic nempe nil patitur lumen, etſi à patiente muro impediatur continuitas luminis. Etenim alioqui ſi minus pondus revera aliquid reageret in proponderans, ipſum pondus, in re ponderante magis, minoraretur pro ſemper, actualiter, & non ſolùm reſpectivè ad ſtateram: ita ut libra deinde non penderet amplius libram, ut priùs. Et cum de ponderibus utrimque nil ſit mutatum, aut ademtum: patet, quod ſint tantùm artificiales moventium roborum relationes; non autem vera ponderis levioris reactio. Quamdiu enim libra pendet libram, nil acquiſitum, aut paſſum eſt in illa, per aliud pondus oppoſitum: ſed utrimque, unum alteri eſt externum, peregrinum, per accidens, relativoque fundamento determinabile, ut inſerviat conſiderationibus humanis. Et quicquid ſic penes nos agit, aut reagere videtur: revera nil agit. Ad reliqua autem robora moventia quod attinet. Si vis impreſſiva roboris, agat per ſe quidem: ſed interim determinetur ſpatio loci, durationis, vel per impedimenta debilitetur, vel tandem ſi agat modificatè, propter figuram aut duritiem: nulla ſaltem unquam in his eſt reactio patientis, aut agentis repaſſio. 7 Per exemplum. Si quis pugno ferit incudem, & inde vulnus aut contuſio. Non eſt in illo verbere, ulla incudis reactio, vel operatio duritiei, aut anguli in ferro. Nam licet durities reſiſtat, renitens percuſſori pugno, videanturque termini reſiſtentiæ, ſive renitentiæ,

tiæ, aliqualem reactionis vim, de neceſſitate includere: attamen impropria eſt locutio, ab errore populari veterum, promanans. Nam non eſt reactio iſta incudis, ſed eſt ipſamet pugni actio, quam voco reſilientem. Nam ſi incus per duritiem verè reageret: cum non ſit ratio, cur incus pro parte ageret in pugnum, & exſpectaret percuſſionem, ut ageret. Deberet namque tota ſui duritie, & pondere ſimul, in manum etiam quietam agere, eamque de facto, planè atterere. Nec eſſet actio incudis limitata, à fortitudine verberis, ſi eſſet incudis ipſius reactio. Siquidem idem pugno accideret, ſive fortiter, ſive demum modeſtè percuſſiſſet, ſive demum tantum oppoſitus pugnus quieſceret: quia in utroque actu eadem fuit incudis durities. Quare durities illa ferri nil agit, aut reagit, propria agendi vi. Nam incudi eſſet vis, quæ in reagendo per ſui duritiem ſita eſſet, in qualibet percuſſione, æqualiter atque juxta plenariam ſui potentiam ageret: non autem juxta modificationem verberantis pugni, incudi prorſus alienam. Igitur verè pugnus ſimpliciter agit in incudem, & incus patitur ſimpliciter, etſi inde nullam tolleret offenſionem. Pugnus verò patitur per accidens, ſi fortius verberet. Cujus tamen paſſionis agens, non eſt incus: ſed ipſe pugnus. Quia verberationis & læſionis, eſt tantum unica & ſingularis actio, quam ideo reſilientem voco. Adeoque pugnus patitur, læditurque per ſe, à ſemetipſo: per accidens verò, à fortitudine verberis & occaſionaliter, à duritie, aut figura ferri. Quæ tria in unico ictu ſunt notanda. Siquidem quod per accidens, & occaſionaliter, externè agit tantùm, revera non agit propria actione. Ideoque nec incudi eſt aliqua reactio, ut neque actio. Sed percuſſio & durities, ſunt media occaſionalia vulneris. Quorum unum (nempè durities) eſt occaſionale proprium, & internum: alterum (nempe percuſſio) eſt accidentale per accidens.

8 Eſt demum alia actio roboris moventis, quæ multos titulo reactionis fefellit. Vt dum manus apprehendit ferrum candens: manus enim apprehendendo, reverà & per ſe agit, patiturque in apprehenſione ipſum apprehenſum ferrum: hoc verò viciſſim agit, nova quidem; ſed longè alia actione, cremando manum. Nec enim iſta ambuſtio, eſt ferri, quatenus comprehenſi (licet ille attactus, ſit occaſio immediata, & cauſa ſine qua non) ſed eſt actio propria ferri, ut candentis. Sic namque attactus & ambuſtio, ſunt entia prorſus diſtincta & ſeparabilia in radice. Adeoque & objectis differunt ambæ illarum actiones, quamquam inter agendum ſubinde coincidant. Ambuſtio ergo non eſt reactio ferri, ut comprehenſi: ſive, non eſt reactio comprehenſionis. Etſi alterius claſſis actione, actrix manus fiat patiens, quia concurrunt duæ actiones prorſus diſparatæ. Vna ſcilicet manus comprehendentis, & altera comburentis ferri.

9 Denique celeritas, dum aries ad murum concutitur, non eſt propria agentis activitas: ſed eſt modificatio roboris impreſſionaliter moventis: adeoque externa, & per accidens.

10 Nunc quod attinet agentia per Blas alterans, ea nequicquam reactionis tolerant à ſuis objectis: quia generant per abſolutam potentiam diſpoſitivam objectorum. Quæ poteſtas, cum divinitus ſit collata naturæ, etiam agit ſine reactione. Per exemplum. Si totus globus terræ & aquæ, farinaceus eſſet, tandem tota illa moles fermentaretur à fermento panis ſemel indito. Quod utique non fieret, ſi vel minima corporis fermentabilis reactio eſſet. Pauculum enim fermenti ſtatim ſuffocaretur à majore mole objecti: Perinde quoque ſpiritus ſeminales, molem ſubſtratam, pro facultate ſibi collata & innata, diſponunt, & alterant inſigni prærogativa, & citra ſubjectæ molis reactionem. Nec obſtat, quod ſtomachus, duriores cibos coquens, ſentiatur velut repati, ac tolerare reactionem digeſtibilium. Quia ruſticus nimis, & ille medentum ſermo. Quoniam niſi digeſtibile coquatur perfectè, ſtatoque termino, fruſtra digeſtio ejuſdem ſperatur. Nam diutius in ſtomacho morans, corrumpitur, adeoque tunc ſuboritur agens novum, nec amplius digeſtibile priſtinum, dum corruptum eſt. Nec etiam iſtud agens novum reagit, per modum ferri candentis. Quia ſunt in illo digeſtibili, partes incapaces digeſtionis, reſpectu illius ſtomachi. Neque etiam fermentum panis fermentat pulverem vitri, aut arenam ſilicis; quia eſt objectum alienum, & incapax, ſibique indomitum. Sic namque fermentum ſtomachi digerens, fermentat florem farinæ: non autem furfures. Interim nil patitur fermentum farinæ, à pulvere vitri: ut neque ille pulvis reagit, reſiſtit, aut verè renititur. Siquidem fermenta alterantia nequaquam agunt, niſi in habentia ſymbolum: ſed quieſcunt, ceſſant, dormiuntque, ſi non habeant objectum ſibi proprium. Impedimenta ergo agentium, per Blas alterativum, ſunt, incapacitates, durities, impuritates, inæqualitates, & ſpatii requiſita moventia.

11 Itaque horum actio terminatur in objectum proprium,

illudque diſponit decretis ſibi periodis & modis. Impedimenta autem intercurrentia, non ſunt reactiones patientis: ſed ejuſdem incapacitates. Neque enim reagit Argentum, dum à Chryſulca tanto fervore ſolvitur: quanquam hæc intereà fatiſcat agendo, vimque ſuam amittat: verùm eſt ſpirituum innata proprietas, atque dos, qui operantur agendo, ut ad deſtinatum ſcopum pertingendo ſeipſos perficiant, deducantque ſua objecta ad fines ſibi naturaliter injunctos. Quod ſat docet acetum diſtillatum, dum ſolvit lapidem cancrorum, limacum, coralla, &c. Acidus enim aceti ſpiritus ſeſe agendo coagulat, quique alias penitus erat volatilis & liquidus, conſtringitur nedum; ſed & ſaporem mutat. Cogit namque & conſtringit ſe, forma tangibili, quaſi magis gauderet ſolidioris corporis, quàm liquoris ſpecie permanere. Ejuſmodi autem coagulationem atque ſaporis mutationem contingere, proprio ſpiritus aceti motu, non autem reactione corporum in diſſoluto fieri, ſtantium, patet. Quia corporum illorum non fit, vel unius ſaltem grani, in pondere diminutio. Dum interim aliquot menſuræ ſtillati aceti, mutationem præfatam ſubeunt. Adeoque propter ſolam lapidum comminutionem id fieri, non videtur rationi conſonum: ſed ob propriam ſpirituum dotalem explicationem. Propemodùm idem fit, dum ſpiritus vitrioli cum Mercurio incaleſcit. Mercurius namque manet impermutatus, in Mercurii eſſentia atque materia; niſi quod nivis faciem aſſumat: nil quicquam interim de ſui ſubſtantia amittens, attamen ſpiritus vitrioli tranſit in verum Alumen. Sin autem ſpiritus aquæ fortis (qui pro altera medietate ſui, eſt & ſpiritus vitrioli) Mercurio combinetur, non fit nix iſta Mercurii, ut neque ipſe liquor tranſit in alumen. Adeoque hinc apparet, non eſſe actionem propriam Mercurio: ſed ſpiritui vitrioli, ſeipſum ſponte propria diſponentis diverſimodè, juxta innatam propenſionem, ad varia objecta, differenter ſeipſum mutantem. Quapropter ſpiritus vitrioli, qui eſt in aqua forti, forti bullarum excitatarum fervore, atque tempeſtuoſa ebullitione, Mercurium diſſolvit: ac longè ſecùs, quàm dum nudus, atque ſimplex, eſt vitrioli ſpiritus. Quæ ſanè varietas in agendo, vires varias ſpiritus agentis, potius quàm ipſius Mercurii manifeſtat. In una quippe actione, Mercurius fit inviſibilis, qui in altera, nivis inſtar albeſcit. Etenim ſpiritus ſalis marini, etſi acutiſſimus: attamen nequicquam mutatur à ſocietate Mercurii, ut neque etiam in Mercurium agit. Adeoque videntur effectus actionum, & non reactionum. Sic Chryſulca agit in cuncta metalla, demto Auro: Cum ſale autem armeniaco, agit dumtaxat in Aurum: non autem amplius in Argentum. Adeoque ſunt proprietates ſingulares ſpirituum, non autem corporis patientis reactiones: quippe quod in ſui ſubſtantia, aut pondere, ſuſtinet, niſi meram unicamque ſui diviſionem. Ergo ſpiritus, diverſis paſſionibus agendo agitati, varias ſubeunt metamorphoſes: ſin autem ſopiti, atque dormientes maneant, nec agant in objectum, etiam in priſtinis manent qualitatibus. Primum enim apparebat, id contingere ob attactum Mercurii: quippe, qui etiam quidam eſt ſpiritus: at poſtmodum, in Argento, & Auro, id totum ſiluit. Quinetiam memini, calcem Argenti imbibiſſe liquorem ſulfuris, quam ſtagma vocant, qui ſtatim in Argento omnem depoſuit auſteritatem & acorem, huncque in felleam amaritudinem diſtillando commutavit. Nam Argentum manſit idem, quod ante, in ſubſtantia, pondere & pulvere: Itaque ille amaror dari non potuit ab Argento. Atque ea propter, nullatenus ex reactione Argenti: ſed ſponte propria factus fuit, à proprietate ſpiritus ſulfuris: nec eſt enim minor ratio, cur idem ſpiritus vitrioli, diverſimodè agendo, etiam ſeſe variformiter mutet: quàm quod idem argentum, ſub diverſorum ſpirituum ebullitione, in hos diverſimodè reagendo ferociret. Præſertim dum ſpiritu fit varia agendo tranſmutatio: nulla autem argenti in patiendo fiat ſubſtantiæ alteritas, aut ponderis ſui diminutio. Quæ longè clarius per Adeptos demonſtrari poſſunt. Quibus ſcilicet unicus & idem liquor, Alkaheſt, omnia totius univerſi corpora tangibilia perfectè reducit in vitam eorundem primam, abſque ulla ſui mutatione, viriumque diminutione. A ſolo autem ſuo compari, ſubter jugum trahitur, atque permutatur. Senſus nempe quidam rebus ſingulis ineſſe hinc apparet, quo mediante, circa diverſa objecta, ſeſe aliter atque aliter movent, & explicant: non autem, quod periodus motuum, & explicationum iſtarum, varietaſque agentium, proinde reactioni patientium, ſit tribuenda. Perinde nimirum, dum tepor externus, ova ad pullum perducens: neutrum enim repatitur reciprocè. Neque enim ſpiritus vitalis in ovo, quicquam à tepore, ut neque à ſpiritu vitali ovi, ullatenus repatitur tepor ille. Huc facit, quod

ante probavi. Nempe alterantia non agere per
contrarietatem. Non ergo patientia, ſe defen-
dendo, pugnant; nec reagunt, per contrarieta-
12 tem. Falſum eſt quoque axioma, Quod omne
agens agat neceſſariò in inſtanti: quodque ejus
actio retardetur duntaxat, per reſiſtentiam &
reactionem patientis. Quoniam ſeminibus ſin-
gulis, eſſentialiter incluſa eſt durationum &
13 diſpoſitionum ſua atque certa periodus. Flu-
xit enim falſitas illius axiomatis, quod Scholæ,
per Ariſtotelem deluſæ, ignem putarint com-
parandum cæteris agentibus: quem cum cer-
nerent alicubi ferè momentaneum; idem cre-
didere, ad alia agentia, pariter retorquendum.
Cujus occaſione, nunc de agentibus anomalis
14 & heteroclitis dicendum. Manifeſtum eſt im-
primis, Ignem nil prorſus pati, aut tolerare, per
reactionem cremabilis objecti. Puſillus enim
ignis alioqui ſufficeret cremando toti univerſo,
ſi cremabilis eſſet. Quod non fieret, ſi res cre-
mabilis vel tantillum reageret. Equidem nil
patitur amnis, ſi eidem baculus innataverit, &
minus adhuc patitur ignis, ſi Saguntum cre-
met, vel accendatur pulvis pyrius. In natura
quoque nullum ſeminale initium patitur à ma-
teria, in quam operatur. Quia eandem diſpo-
nit abſque reactione, pro ut in negatis contra-
riis incepit eluceſcere. Porrò ut magis cernatur
falſitas præfati axiomatis, nota quod ſemina ſin-
gula ſuas habeant periodos, ſtataque à creatore
momenta, quibus curſum ad maturitatem pro-
15 vehant. Cuniculi enim, canes, volucres, homi-
nes, equi, elephanti ſtatutis terminis ſuos intus
fœtus fovent, perficiunt, & pariunt. Non qui-
dem, quod ſeminalis materia in homine cru-
dior, frigidior, rebelliorque ſit, ſemine felis. Aſt
Deus terminos ſingulorum, pro ſui benepla-
cito diſpoſuit, cujus rationem inquirere, non
eſt judicii humani. Si enim diſpoſitio materiæ
ſeminalis diuturnioris ſit operæ, id non ob ejus
renitentiam, vel robur reluctans, ut neque ex
agentis debilitate, laſſatione, feriis, aut paſſio-
num perturbatione provenit. Siquidem omne
agens in natura, operatur abſque labore & paſ-
ſione; Ideoque & ſine ceſſatione, requie, in-
termittentia, & moleſtia. Cum nimirum fiant
ſingula ob fermenti communicationem, & de-
terminationem deſtinationis. Purè namque
operantur ſingula per reflexionem ſuæ deſti-
nationis, ad deſtinantem voluntatem ſui crea-
16 toris. Sic nempe Chriſtianis philoſophandum
erat. In motu autem locali, viribus motrici-
bus, adeoque & in exercitio Matheſeos, axio-
mata Ariſtotelis inſerviunt quidem, quæ vio-
lento Scholæ imperio, atque importunè, in na-
turam introduxere. Nam ſi lignum madidum 17
non tam obedienter comburatur, atque ſic-
cum. Id proin non fit ligni reactione, aut cum
paſſione ignis. Non enim etſi lignum ceſſa-
ret ab omni combuſtione, propterea ignis plus
à ligno pateretur, quàm ab auro non cremabi-
li. Imò ſi in ligno madido, ut tali, eſſet quæ-
dam renitentia operativa, ſcilicet reactionis:
certè aqua quoque diutius, & fortius reſiſteret
igni, quàm reſina ligni, vel carbonis. At con-
ſequens eſt falſum. Nam aqua citiſſimè, atque
omnium prima evolat è ligno madido, Ante-
quam ignis reſinam ligni accendat. Tarditas
itaque in ligno madido, non arguit materiæ
reactionem, vel robur patientis ligni. Sed ignis
ſuas ſequitur deſtinationum leges, quibus vo-
latiliora primum, ac dein ex ordine, minus fu-
gacia ſeparat. Sic enim etſi ignis ſubdatur re-
ſinæ madidæ, quæ per ſe alioquin eodem igne
mox flagraviſſet; attamen propter prædictas
leges patienter exſpectat ignis torturam, & a-
quæ illius diſceſſum, ferrum quoque, poſi-
tum inter ſtipulam & ignem, impedit quidem
conflagrationem ſtipulæ. At non proin ulla 18
eſt ferri reactio in ignem, aut paſſio ignis à fer-
ro. Quod ſanè non ſat fuit à Scholis indaga-
tum. Nam quanquam hæc illarum axiomata
locum habent in actionibus corporalibus, qui-
bus agens, de neceſſitate, fovet, & tangit ſuum
objectum, atque hactenus ſuam eidem inſpi-
rat vim: Attamen id prorſus eſt impertinens
in Agentibus, quæ in ſuppoſita, loco eminus
ſepoſita, agunt. Siquidem præter cœlorum
actiones (quæ influentia, irradiatione, & motu
feruntur citra attactum agentis: ſed ſolo Blas
virtutum ſuarum, diſpergunt ſeminaria) ſub-
lunaria non ſunt propriè Blas privata. Quippè 19
odores fermentales, maximè activos, atque ſe-
minales effectus producunt, & objectum ſui
ſuffitu, in natura tranſmutant, atque trahunt
poſt ſe in clientelam. Pariter & concurrit in
naturam actio radialis: Vngula enim Alcis
ſic tactu ſuo, cor & caput à caſu præſervare di-
citur. Non tamen in digito ſedes mali, ut ne-
que iter de termino ad terminum. Nec un-
gula, ideo robore minuitur agendo: quin po-
tius confirmatur, ut & magnes alloquio ferri
confortatur. In ſignum liquidum, quod Agens
nequicquam à reactione patiatur, in actioni-
bus ſeminalibus, aut radialibus, & per conſe-
quens nec patiens proinde reagat. Periapta ita-
que,

que, ſive amuleta Blas habent, quo ſibi parere
objecta cogunt, cœlorum inſtar, aguntque in
ſuum duntaxat, & non in alienum viciniuſque
objectum. Citraque omne corporale effluvium,
motum, paſſionem, aut debilitationem, ſua de-
promunt merita. Scio quidem hæc Scholas
non ferre: ſed referre hos effectus, in vapores
20 ab utero, vel minimo pedis digito elatos. utpo-
te qui fæculentæ Minervæ luto ſeſe demerſere.
Sed ſi virgo hyſterica perfectè omnia cernat,
ſaltem uno latere, vel altera tantùm medietate,
acumque quam premit digitis, tantùm dimi-
diam cernat, utut volvat oculos, & caput. Plu-
res (inquam) in turbam collectos videat, ſed
tantum ad zonam uſque vel ſemilateres. An
fortè tum erunt vapores dimidiati, integra ap-
parente nihilominus pupilla? Multa, inquam,
hi vapores ſimul permittant cernere, atque
diſcernere: ſingula autem altera tantùm me-
21 dietate ſui? At neglectum fuit in Scholis incor-
porale Blas regiminis, agens citra effluvium
corporale, prout Luna mare tumefacit. In ſuf-
focatione enim uterina, queruntur quamdiu
loquelæ ſunt compotes, tenſionis intercoſta-
lium, ſtrictamque coſtis zonam cinctam arbi-
trantur, vel baculum ab inferis, ad guttur ex-
22 porrectum,&c. Attendite quæſo mecum Scho-
læ, duplicem in nobis vim motivam, & ab trito
veſtro hoc axiomate declinate. Quod nimirum
ejuſdem ſit poteſtatis actio læſa, qua ſana exerce-
tur. Siquidem in nobis eſt Blas voluntarium,&
ipſum Blas partium (ut alibi de convulſionibus)
notate ſaltem hoc loco. Si motus voluntarius
ſit naturalis, voluntatem quoque nil pati à muſ-
culis à ſe motis, imò nec à muſculis moveri re-
cuſantibus. Nec demum proin ſit laſſatio fa-
cultatis: at ſolius corporis, ſive organorum, De-
nique quod muſculis per Blas importunum
partium motis, non ſit laſſatio partium, licet
dolor ſit intenſus, laſſationemque ſui non ſen-
tiant: eò quod motus convulſivi, à Blas par-
tium exciti, fiant à facultate dementante, & ha-
23 ctenus vix ſentiantur. Nec etiam arguit, quod
humiditas in ligno, vel interpoſitio carbonis,
inter flammam, & intrinſeci ligni reſinam, re-
tardent ignis actionem, ne lignum ſui voraci-
24 tate celerius abſumat. Siquidem impedimenta
non agunt propriè, ut nec reagunt: ſed purè,
ac ſimpliciter patiuntur. Determinant quidem
aliquatenus ipſam ignis actionem, vel eandem
ſecludunt, tanquam interſtitia incapacia, & ni-
hil amplius. Igni nempe proprium & geniale
eſt, aquam, & leviora diſflabilia, primum in va-
pores abſumere, antequam oleoſa cremando
accendat. Tandem, poſt oleoſa, pingue quod
in carbone fixius remanſit, conſumere. Nec
enim aqua reagit contra ignem, aut patitur
ignis. Nam ſive aqua ſit in ligno, ſive non,
ſemper ignis univocè, & pro inſtituto ſuæ na-
turæ, agit liberè, & per modum, quo præfatum
axioma falſitatis convincit. Aurum quoque,
Talcum, marmor, &c. non reagunt in ignem,
quanquam non abſumantur ab igne. Obſtat
nempe horum manifeſta incapacitas, propter
quam ignis non agit in illa per ordinariam con-
flagrationem. Siquidem ignis intendit illa cor-
pora in ſe opaca illuminare, ſic ut fiant quodam-
modò pellucida, quod tandem in candeſcen-
do conſequitur. Nititur quippe ignis ſua for-
ma, cuncta penetrare. Quod dum inflammabi-
lia non ſuſtinent, abſque ſui ruina: ideo creman-
do inflammantur, conſumtaque recedunt. Nec
etiam prætendit ignis, lapides & metalla illu-
ſtrare in momento, juxta alioqui præfatum a-
xioma: ſed ignis in ſua agendi natura ſe accom-
modat, juxta determinationem cujuſque obje-
cti. Adeoque perpetuò verum eſt, quod unum-
quodque agens naturale agat, & recipiatur, per
modum ſui recipientis objecti. Actio ergo pri-
maria ignis, eſt producere in objecto ſuo ignem
ſibi ſimilem. In quo, quædam conflagrant ſub
ignis intentione: Alia verò perſtant, exſpe-
ctantque ultimum ignis intentum. Adeo ut ſi
quædam non ſint cremabilia; ſaltem ignis agit
in illa, quantum poteſt, ut reddat ignita. Simi-
liter & lumen nil patitur quicquam, etſi à Sole
eminus, unico inſtanti, vibret terram, vel, etſi
non tranſmittatur, per medium opacum impe-
diens. Nil equidem lumen patitur à corpore
opaco, ſive tranſiverit illud, ſive non. Semper
enim ſuum intentum aſſequitur, quod eſt illu-
minare, ſive impedimentum interim intercur-
rerit, ſive non. Reſiſtentia enim, ſive reniten-
tia objectorum impedimentorum, non ſe ha-
bent per modum reactionis, (quippe agentia
nil repatiuntur) ſed meræ ſunt incapacitatis.
Itaque ſive fixa illuminentur tantùm ab igne,
& penetrentur à lumine, ſive non, eſt illis agen-
tibus planè indifferens, & per accidens. Perin-
de enim hæc ſe habent, ut fermentum farinæ,
reſpectu pulveris vitri. Nil namque fermen-
tum patitur, tametſi incapacitas vitri obſtet,
quò minus fermentum agat. Nam ſaltem nul-
la eſt reactio, ubi nulla eſt actio. Hæc ſuper
negativum reactionis, luctæ, odii, bellique,
inter agens & patiens: qualem nimirum ſolam

actionem Scholæ agnoverunt. Addam & alia
25 nova. Dixi libro de febribus, excrementum
venenoſum in febribus, præcordiis includi,
producens ſopores, deliria, &c. ergo virus
anodynum eſt, & amens. In caducis pariter
eſſe venenum inſenſitivum, & Amens, pro
ſpatio affligens, in præcordiis ſtabulatum. In
amentiis hypochondriacis, venenum furioſum,
vel cum joco delirans. In vertigine,
virus rotans. In Apoplexia, tollens ſenſum &
26 motum. In ſyncope tandem venenum anodynum,
diſperſivum ſpirituum. Hincque tollens
ſtatim ſenſum & motum. At cum Scholæ
ſe non ſupra rus extendant, cogitarunt horum
morborum materias occaſionales eſſe materiam
morborum ex qua, illamque deferri per venas
& arterias, inferne ſurſum ad cerebrum. Quod
tamen alibi refutavi, ad expoſitionem Aphoriſmi:
Si in continua febri, poſt flavas urinas,
confeſtim aquoſæ ſupervenerint, futura deſignant
deliria; ob raptam (ut vult Galenus)
bilem in cerebrum. Alibi verò Scholæ, dum
notarent ab heſterna crapula, mane vertigines
obortas, maluerunt per anonymos tubos,
& gulam, rectà è ſtomacho, in cerebrum deferri
morborum materiam, ſpecie vaporum.
Adeoque atram bilem, juxta Hippocratem,
deferri, nunc in corpus cerebri, & parere Epilepſiam:
aliàs verò in animam ipſam, & tunc
facere paſſionem Amentiæ hypochondriacæ'.
Idque per incertos ductus, ductores, & ad incertos
27 ſcopos, ſive objecta. At cum unicus humor
melancholicus tantis malis impar eſſet,
hæſitatum deinceps fuit in Scholis (non quidem,
in ſtabilito humorum jam antiquitus quaternario)
in humorum malitia, adhuc non explorata:
ſed indiſcreta. Etenim ne viarum anguſtiis,
& identitatibus, tantæ varietati non ſatisfacientibus,
premerentur, ad fumos & vapores
confugerunt, ut unius atræ bilis varii fumi
in ſinus cerebri penetrarent, variaſque atrocitates
moverent. Tutoque credulis tyronibus has
prætexerunt nænias: ſecuri, nunquam ad deſignationem,
& conſpectum fumorum iſtorum,
ſe compulſum iri. Interim commiſeratione dignæ
Scholæ, in tanta hactenus veritatis indagandæ
ignavia, ad tam miſeras anguſtias compulſæ:
at ſanè commiſeratione ægri digniores,
qui tales auxiliatores, magno ære conductos,
in vitæ ſuæ perniciem paſſi ſunt. Quia tales patientes,
talibus agentibus inferiores & miſeriores
28 ſunto. Neglexerunt itaque Scholæ, materiam
tam diverſorum venenorum, capiti, &
vitæ inſidiantium. Applicationem autem illius
materiæ, ad vitam, ut nempe morbifica occaſionalis
excitaret morbificam agentem: & immediatam
adeoque totam hujus hiſtoriæ mentionem,
non minus quàm conſiderationem, incautæ
tranſtulerunt. Pariter quoque poſthabuerunt
ideo, modum fiendi morbi, deferendæque
activitatis virulentæ, ad objectum vitale. Quia
videlicet ſentinam, unde venena illa deducerentur,
ignorarunt penitùs, & tanquam rem
prorſus inauditam, prætierierunt. Quia neglexerant
actionem propriam regiminis œconomiæ
humanæ. Citra quam tamen cognitionem,
nil planè eorum, quæ intus in nobis obveniunt,
ſciri poteſt. Sola enim actio agentis in patiens,
fuit cognita in Scholis, quam ſcilicet voluerunt
circumventione quadam, cum lucta & reactione
patientis, cumque debilitatione, & repaſſione
agentis, fieri. Sed eſt actio quædam 29
à priore, longè diverſa, cujus nunquam meminere
Anteriores, quam voco actionem regiminis.
Quæ ſcilicet, non ſolum fit ſine reactionis
ſuſpicione: ſed etiam abſque contactu corporeo,
habetque ideo ſuppoſitum diſtans, atque
ſepoſitum. Magnetica & ſympathetica dicitur,
à modernis Scholis deriſa, ubi inter objecta loco
diſtantia conſiſtit: ſed ubi in noſtro circumſcribitur
corpore, ad differentiam magnetiſmi,
actionem meri regiminis dico. In qua, Agens
diſponit de proprio patiente, ſive objecto ſuæ
ſphæræ, tanquam de cliente juris hæreditarii,
juxta innatam ſibi legum ordinationem, ex
ſymbolo ſubjectam. Agens nimirum tutor hic,
& patiens, minorennis eſto. Eſtque conſimilis
in univerſo actio aſtrorum, tam in ſe invicem,
quàm in ſublunaria. Quæ cum citra controverſiam
ibi ſit influentialis, in ſublunaribus tamen
fuit ſuſpecta immeritò, adeoque hactenus jejuna,
& neglecta. Non eſt autem actio, quam per 30
conſenſum partium, ſive per conſpirationem
officiorum, atque neceſſitatum, agnovere Scholæ;
præſens noſtra actio regiminis. Siquidem
regimen, non petit conſenſum. Eſt ergo inprimis
nomen fallax, & ideo vel larvam continet,
vel præter impoſturam, fabulam, id eſt,
nihil continet. Nam in reipſa, volunt hunc
conſenſum excitari, peti, & retorqueri, per fumos,
canales, ductus, vel fibras: quæ ut in natura
non ſunt, nec requiruntur; ita quoque cum
actione regiminis, nil habent commune. Scholæ 31
enim nuſquam admittunt agentis actionem,
niſi medio, velut catena, patienti applicetur
continuato canali. Negant inquam continua-

tionem virtutis, per identitatem medii, diſtentam,
niſi quodam tubo, ad proprium objectum
patiens deferatur. Ac præcipuè in corpore humano,
abſque viarum communicatione nil fieri
decernunt. Hæcque fuit illis revulſionum, ac
derivationum continuata, ridicula tamen neceſſitas.
32 In corpore humano equidem, hac inductione,
exculta eſt Anatome, quaſi morborum
omnium indicatrix indubia, & ſanatrix.
Hactenus namque in ea, tantoperè eſt inſudatum,
ut verum Medicum (Galeni ſui oblitæ
Scholæ metiantur, qui in cadaverum ſordibus
plurimum digitaverit, quique ea, quæ ab Anterioribus
hac in parte, in ſuperſtitionem uſque
evulgata exſtant, propria compererit novacula.
Tantæque curioſitatis ſuperfluæ error, ac inſanæ
doctrinæ faſtus, ab ignorantia Scholarum
laudatus, per vertiginis ſpiritus, & ſcotomiæ
Authorem, introductus cenſendus eſt. Quippe
cui gratum eſt, quocunque titulo, tempus infrugiferè
33 perdamus. Sufficiebat namque pro
Anatome, ſitum, colligationem & uſus partium
noviſſe: non autem tota vita cadaverum lanienam,
ad minimæ venæ ductus inveniendos,
exercuiſſe. Siquidem ad inanem, & ſordidam
jactantiam ſpectant, in qua pretioſiſſimum vitæ
34 ſtadium infrugiferè conſumitur. Nam revera
cognitio, & philoſophica præparatio ſimplicium,
totam totius hominis vitam propemodum
ſibi requirunt. Enimverò cum unus muſculorum
moveri deberet, quieſcente interim
35 altero, ſtatuit rerum ſummus Arbiter, organorum
alteritates, adeò ut mandatum noſtræ voluntatis,
per deputatos dumtaxat nervos, muſculis
denunciaretur; per muſculos autem, & oſſa,
exſecutioni demandaretur. Hinc Scholæ autumarunt,
omnes proinde actiones noſtras, non
niſi concatenato filo organorum, per ſequeſtratas
atque diremtas membrorum eminus familias
fieri. Nec attenderunt, quod inſecta, unico
liquore, per longum ſui diſtento, officia expleat
promiſcua venarum, arteriarum, nervorum, &
viſcerum. Sic ut muſca, abſciſſo adhuc avolet
capite, caputque crabronis (quem cervum volantem
indigetant) cornuti abſciſſum ſextiduò
pòſt, vivere & moveri viderim. Non igitur ex
neceſſitate poteſtatum atque organorum varietates
dependent: at ſolum, quia conditor ſibi
complacuit, per organorun cœcam atque mutuam
dependentiam, quædam munia, & fines
diſtinguere, in perfectioribus animalibus. Interim
non propter hanc membrorum dependentiam,
atque viciſſitudinem reciprocam, ceſſat
in homine actio regiminis: quam in inſecta
jam accuſavi: Verum in ejuſdem œconomia, 36
non pauca adminiſtrantur, citra omnem
canalium deferentium connexionem. Quod
quia ſtetit ambiguum, ideo maximam vitæ &
ſtudiorum gloriam, Anatomiæ conſignarunt
Scholæ. Atque ubi ſyndeſmon incognitum ipſis
eſſet, ad cœcos ideo ſtatim halitus aſcendentes,
vel procumbentes ſine ordine humores,
cum ſtupore rei inſolitæ, ad ſacram ignorantiæ
Anchoram confugerunt. Quandoquidem
poſtquam præfocatos ex utero, ſyncopizatos,
vel epilepticis inſultibus, vel tremoribus
cardiacis exſtinctas, ad libidinem diſſecuiſſent,
nullumque vitæ prædonem in viis inveniſſent,
cui homicidii reatus imputaretur, ad cœcos
vapores, tetroſque halitus in Cor & Caput delatos,
ſe retulerunt. Vt ſaltem tunc, nullo viarum
continuato commercio, vapores illos funeſtos,
quaqua verſus ferri, admittere debuerunt.
Admitto lubens actiones corporales, qua 37
calor ſibi admotum deinceps calefacit, & viam
qua ructus è ſtomacho, per gulam, in guttur ac
nares aſcendit, excrementa demum ſuis gliſcunt
conductibus, & à quibus exorbitare, vel
titubare, luctuoſum: Spiritus vitales quoque,
ordinariò ſuorum viſcerum vaſallis canalibus,
in corpus diſpergi. Amens ſim, niſi hæc fatear.
Admitto denique actionem, qua viſcerum fermenta,
in culinas digeſtionum, certis velut
radiis defluunt, nec obliquo feruntur motu.
Sed non prætereo tertiam, quæ influentialis,
ſive regiminis dicitur, in humano corpore.
Quæ quamvis non extra corpus vagetur ordinariò; 38
eſt tamen abſtracta, à colligante medio.
Etenim nec agit ſolo radio directo, ac Solari:
ſed etiam altero, inſenſibiliter nempe penetrante,
totam partium compaginem, perque
modum lunæ, quicquid obliquè etiam adſpicit,
id afficiat, pro ut jam ante, in noſtris meteoris
novis. Hæc eſt inquam actio regiminis,
ſive dependentiæ, quaqua verſus radians, penetranſque,
abſque colligationis lenocinio: attamen
non niſi ad objectum proprium. Nota
hic, quod alibi dixi barbam à teſtibus generari
in viro, quem ab caſtrato diſtinguunt. Præter 39
hanc enim regiminis actionem, duas adhuc
naturales, ſed portentoſas agnoſco. Eſt ergo
tertia actio Spiritibus incorporeis propria: qui
non requirunt ad agendum, radium directum,
nec aſpectum objecti, nec ejuſdem propinquitatem,
diſpoſitionem, aut colligantiam: ſed agunt
ſolo nutu poteſtativo (carent nempe extremita-

tibus, quibus tangant tam corpora quæ movere prætendunt, quàm etiam ipſa media, quibus corpora moveant) longè vi influentiali efficaciore. Appropinquat actio iſta, qua illi anima arbitrium ſuum, ſive nutum, ſignificat ſuis organis, quibus alligatur. *Minuiſti enim Domine hominem paulò minùs ab Angelis*, per corporis obligationem: alioqui dignior eſt ille, quem majoris æſtimas, qui æſtimando non deciperis. Incarnatus es propter hominum redemtionem: non propter Angelorum.

40 Eſt & actio quædam mendax, nefariis ſpiritibus uſualis: præſtigiatoria ſcilicet, & effaſcinans. Quæ, licet veram in ſe contineat actionem: non tamen edit verum effectum. Sed viſum dementat effaſcinator, dum uni, quæ non ſunt, vel quæ non alteri, aut non pariter apparent eadem. Dementat oculos, ut falſa ſibi repræſentent, & nutu ludificat ſuo. Perinde ferè, ut in febribus naturaliter deliria objiciuntur, quæ non ſunt coram oculis, videturque ſæpè etiam extra delirium, febrilis materia deferri per ſpinam dorſi, ad loca affecta. Impoſturæ enim ſunt, ex contagio ſpiritus influi, participatio labis, tincturæ alienæ diſperſio: non autem corporalium vaporum diapnœa. Regimen eſt, qua una pars paret alteri. In Arthritide id clarè elucet. Quippe præcedit quædam ſtomachi indiſpoſitio, cum febricula, antequam ullum ſignum in artubus eluceſcat. Sic in Syncope, morte repentina, Epilepſia, vertigine, Apoplexia, &c. ſcena peragitur circa orificium ſtomachi, ut hactenus nomen cordis meruerit, & remediis ſtomachicis repentè oblatis, plerumque reſtituantur. Adeoque præſtigiorum inſtar, alibi fiunt, & aliò deferri videntur. Quicquid nempe de vaporibus è ſtomacho & utero elatis ſcribitur, tenebras effaſcinantes, tam circa materiam, viarum ductus, & media, quàm ipſum vitæ regimen ſuffundunt. Alioqui ſunt veræ actiones, & veri effectus. Prout alibi tractatu de Catarrhis diſtinxi. Paradoxum actionis regiminis altius nunc inquirendum. Enimverò inprimis, quod ira, metus, atque alia animi pathemata, nedum arteriis atque nervis, delatum ſpiritum, ipſo ictu oculi celerius diverſimodè affectent, ut genua labaſcant, appetitus pereat, ſtent comæ, vox hæreat, ſpumet ſaliva, ſudores, aliaque excrementa ipſa, perturbationum procella contaminent, vulgo id pernotum eſt.

41 Iumentum enim ungulæ fragmenta dat, quæ frixa & ſumta, ſanant dyſenteriam: ſed ſi beſtia laſciviat, tunc ejus ungula eſt dyſentericis lethalis. Saliva canis, vulnera lambendo curat: ſi rabie verò ſit corruptus, lethale amentiæ ſuæ venenum in alias ſpecies, imò in genera, propagat. Habemus exempla domeſtica.

42 Eunuchi ſunt imberbes, ſtrictioris colli, genubus intrò retortis, &c. Ergò ſaltem barba, à maturis teſtibus efficienter dependet. Imò totus corporis habitus, animæque propenſiones, in caſtratis, differunt ab integris individuis. Quod in bove, tauro, capone & gallo eſt evidens, & quotidianum. Attamen teſtes, non in cutem menti, in plumas galli, vel in cornua tauri, ut neque in animoſitatem, aut crines, ſuos habent canales, fibras, ſatellitia, vaporeſve. Sed eſt teſtium inſenſilis, velut alter Lunæ influxus, vel ab Infante, ante pubertatem incipiens, ſub pubertate quoque vocem mutans. Eſt ergo teſtium actio regiminis, non ſecus atque Luna medullas imprægnat. Sic cerebrum præeſt accretioni, quod luxatio vertebrarum in gibboſis, aut oſſium exarthroſis, ſat indicant.

43 Quod etiam in utero non ſegniùs occurrit: propter ſolum uterum, eſt mulier id quod eſt: barba caret, & licet humidiore habitu, celerius tamen pubeſcit. Alias perturbationes & animoſitates patitur, aliamque carnem, & cruorem à viro diverſum, facit. Adeoque ut & uteri ergo, ſexus devotionem ſibi quadam prærogativa aſſumat. Rector harum actionum ſedet in utero, qui concuſſus, vel orbita ſua turbatus, morbos univerſum omnes, eſt producendo. Ideoque Icterus, Apoplexia, ſtrangulans aſthma, &c. non ſunt à retentis: Aſt à ſublimiore monarchatu originem trahunt. Etenim non raro, unicum in pede, guttureve, tendinem ſtringit uterus, vel gulam totam planè comprimit, tanquam ſi morbus topicus eſſet. cum interim nulla exhalatio ad iſtum nervum, vel locum mittatur, dirigatur, vel recipiatur. Solo enim aſpectu pulmonem contrahit, ut anhelitu in totum privet. Nugæ ſunt, quæ de vapore nocuo huc feruntur. Quippè qui propinquius inteſtina, ſtomachum, & diaphragma convelleret, quàm ad pulmonem ſolùm perveniret. Alibi quoque guttur, ad menti altitudinem ſurgit, ſiditque iterum, nec eſt vaporum iſta merces. Sed dominium, regimen, adſpectus, influxuſque, & præceptum uteri, ſic habet. Partem enim, quam vult afficit, & totum quandoque perimit: quia ſubeſt. Quamdiu enim à perturbationibus animæ non quatitur, recto ſtat pede, imò dormitat uterus:

rus: At ſemel à perturbationibus impetitus, de cætero ſuas parit exundationes per totum corpus,
44 & ſubinde in mortem durabiles. Quoniam ſi uterus, ſua monarchia, totam mulierem à viro diſtinguat, ſitque illius diſtinctionis promiſcuus parens, non mirum quoque, eodem regimine omnes, etiam remotiſſimas partes, non ſecus atque propinquas, exagitare,
45 ubi volet poteſt. Certumque eſt penitùs ſcrutanti, operationes animæ ſenſitivæ, conſimilis ordinis, & progreſſuum in operando, ut ſi uterus ſpiritali regimine feriat ſanitatem, pari privilegio, hoc eſſe indultum animæ, agendo in uterum. Nam ſi prægnans, citata deſiderio (ut alibi repetii) ceraſum aſpiciat, frontemque ſibi attigerit: fœtus confeſtim ceraſum ſuſcipit. Non quidem nudam ceraſi maculam: ſed ceraſum, quod virideſcit, albeſcit, flaveſcit, & rutilo colore rubeſcit quotannis, unà cum fructibus arboreis. Imò quod longè eſt mirabilius. Quod enim in Brabantia fœtui accidit, id longè præcocius eidem in Hiſpania accidit, ubi ſcilicet ceraſa citius proveniunt. Ergò cogitatio petit recta via fœtum: non ſanè per fibrarum, aut rectorum radiorum directiones, ductumque pronitatis, proclivitatis, ut neque per conſenſum cerebri & uteri: ſed ſola reciproca actione regiminis. Cæterùm ſi non adeſt fœtus, non proindè ceſſant Ideæ imaginationis depingi in parietibus uteri. Quæ cum ſint utero exoticæ, is facilè furit, impatiens exoticarum tabularum. Eſt ergo via pervia, ab anima ſenſitiva, in uterum, & viciſſim. Quod Hippocrates primus annotavit. Nempe totum corpus exſpirabile, & conſpirabile eſſe. Vndè fit, quod uterina quædam ſymptomata, ab incantamentis vix diſcernantur. Sic namque pulmonis tunicam tam arctè ſtringit, ut nil aëris prorſus tranſmittat in thoracem. Nulla hic vaporis communicatio, via, acceſſus, ſcopus, aut modus, multoque minus Catarrhis hac parte eſt affinitas, cum abſque materiali affluxu, vel effluxu, incipiat, & terminetur.
46 Sola eſt igitur actio regiminis, qua furens uterus cuncta exagitat. Non autem colligatio, vicinitas, pronitas, aut conſenſus; ſed poteſtatis monarchalis ſuperioritas, & partium dependentia vitalis, ſpectanda ſunt. Agunt enim partes rectrices, poteſtate abſoluta, non locorum vicinitati aut ſupinitatibus obligata, quolibet corporis ſitu, æquè truculenter. Et quod longè anguſtius eſt, abſque mediorum inquinatione, ad terminum, ſive ſcopum, illibata pertingit vis rectrix. Vivit ſæpè uterus, tumultuaturque à morte muliebri, quam intulit. Adeoque Monarchia ſingulari potitur, quam dualitas explicat; nec corpori obedit, cui tum leges præſcribit. Neque enim aliàs, quàm à perturbationibus animæ, violenter ſuccutitur. Quocircà præter ſenſationes odoratus, guſtus & tactus ſingulares, pollet & quodam brutali intellectu, unde furit, fremitque, ſi cuncta ſuis non reſponderint arbitriis. Furit, inquam, ſurſum, deorſum, antè, pòſt, vel ad latera ſe torquendo, indicibili doloris cruciatu. Quamdiu autem is furor ſuo coërcetur hoſpitio, dolores locales quidem excitat. Partes enim quas eminus arripit, vel aſpicit, velut crampo ſtringit & ſtrangulat, non aliàs quàm furore in illas concitatus. Memini, me quondam ſtrangulatas ab utero vidiſſe, quorum cadavera livebant, nigricantia iis partibus, quibus doluerant ante mortem. Neque etiam profluvia profundit, niſi inordinata amentia venas ſuas panderet, ad evertendum inſontem vitæ theſaurum. Sic neque nervos & muſculos contrahit, artus claudos efficit, tendines diſlocat, muſculos reſolvit, & membranas criſpat corrugatque, niſi ſola regiminis actione, & niſi furore agitatus, dualitatem cum vita muliebri cuſtodiret alioquin, unumquodque quamdiu unitatem ſervat, permanere in eſſe deſiderat. Cum ergo furor extra uterum agit, ſyncopes, Apoplexias, ſtrangulatus, tremores cordis, mortemque repentinam pro ſuo penè lubitu cauſat. At furor ſolius uteri, minus malum. Aſt cum in animam ſenſitivam (cum qua ipſi ſymbolum eſſe oſtendi) tranſvolat, veram ſui furoris maniam, ex hypochondrio transfundit. In juvenculis primùm minore voluptate turgidis, menſtrua detinet, ſupprimit, decolorat, & inordinata parit. Tum demum paralyſes, ſpaſmos, palpitationes, tremores & ſyncopes profert, nervos contrahit. Quæ per Coralli tincturam volatilem, oleum ſuccini, ſalem Chalybis, & his ſimilia indies ſano. Mitiora eadem Narcoticis obediunt. Atrociora quoque, majora Chymiæ arcana requirunt. Quæ de regimine teſtium, & uteri jam dixi, non ſegniori privilegio competere ſtomacho, tractatu de Catarrhis, itemque de Duumviratu, multis demonſtravi argumentis, nec aſcendere fumos, ut neque vapores è ſtomacho, ad caput: adeoque impoſſibilem hac in parte fabulam doceri in Scholis. Tractatu item de febribus, & alibi, oſtendi, quo fumo ebrietas fiat: quaque via, in ſinus arteriores cerebri deferantur fumi. Docebo nunc modum fiendi in

Apoplexia, caduco, ſopore, &c. ut cum per
colligatam aporrhœarum catenam negaverim
fieri : ſaltem ſubaudiantur actioni regiminis
47 ſubeſſe. Quorſum repetendum, quod obiter
anteà dixi. Nimirum à teſtibus barbam naſci,
hujuſque diſtinctiones, ætates, varietates & co-
lores inde pendere. Quod cum vulgo notum
ſit, ſaltem intelligi debere moneo, non fieri va-
porem adductum particularium miniſterio :
ſed vim conſiderandam, quæ lucis inſtar, to-
tum corpus, vel objecta ſaltem ſua, afficit & diſ-
ponit, juxta donum & fines ſibi à Creatore ſe-
minaliter implantatos. Diradiat ergo à teſtibus,
vis quædam per corpus, in Archeum, adeoque
& in animam ſenſitivam, cum fœmineum ſe-
xum devotione naturali commendet Eccleſia.
48 Cur ergo barba in mento, & non in fronte, aut
alibi ſuccreſcat? cum ſit teſtium univerſale iſtud
luminis effluvium per totum? Res hæc occul-
tiſſimam Philoſophiæ radicem gerit, Tracta-
tu de mortis introitu in hominem demonſtra-
tam. Nam ſciendum eſt, animas agere in ſuum
corpus, poteſtate vitalis ſui cujuſdam luminis,
quod cum ſit per vitam (in qua præſens ubique
eſt ipſa anima) quoquo verſùs extentum, anima
depingit in illo ſui lumine, ſui conceptus &
mandati ideas, ut deinceps per ſpiritus admini-
ſtros, exſecutioni demandentur in organa. At
lumina illa animata, ſive luminares animæ ipſæ,
non directo conceptu à nobis comprehendi
poſſunt, cum ſint alterius & intelligibilis mun-
di, velut immediati clientes, quapropter Al-
tiſſimus ſe Patrem Luminum vocat. Nihil
enim ſenſus nobis deforis adportant, quod
conceptum animæ depingat in phantaſia. Qua-
re tractatu de formis, hanc materiam pro mea
exiguitate, in novitate tanti paradoxi attigi,
quàm potui luculentiſſimè, alibi adhuc poten-
tius ruminandam. Itaque ne repetitio tædium
pariat, ſufficit hic obiter dixiſſe, animas &
formas ſubſtantiales, prout item & ſubſtan-
tiam formalem (quam diſtinguo alibi à prio-
ribus) eſſe quædam anonyma lumina, à Pa-
tre luminum immediatè condita. Poteſtates
idcirco ab animabus dependentes, & miniſtra
quædam lumina ſatellitia, hactenus etiam lu-
minoſa eſſe. Oſtendi idcirco per matheſin,
ipſa lumina penetrare ſe invicem, reſervare ta-
men priorum luminum eſſentiam atque pro-
prietates. In rebus verò inferioribus, quibus for-
mæ inhabitant, & poteſtates formales, has
ſuum habere lumen actualiter, vel à noſtro Ar-
cheo excitabile, non ſecus atque in ovo pote-
ſtas ſeminis actuatur per fotum. Ineſt ergo ra-
dicibus pilorum, in mento, poteſtas accretio-
nis, durationis, aliarumque diſpoſitionum,
quarum rectrix vis maſcula, unius licet teſtis.
Quæ ſanè teſtium poteſtas, licet abſoluta, non
tamen niſi diverſimodè in locis recipitur, pro
modo ſcilicet & capacitate cujuſlibet recipien-
tis. Quantum autem conducit hæc ſpeculatio,
pro re medica, transſumam poteſtates veneno-
ſas, in locum vitalium. Quippe non ſunt minus
luminares, quàm quæ ſalubres alioqui, ſi à for-
mis ſuis venena immediatè profluant. Sunt
enim dona vel exteriorum ſimplicium primæ
creationis, vel demum deinceps in nobis er-
rore vivendi genita. Eodem privilegio, & po-
teſtates naturales (puta uteri, ſtomachi, te-
ſtium, &c. partium, radiant ſua lumina per
totum, ac penetrant lumen Archei, Actione et-
iam regiminis, à ſuo lumine pendentis: undè
ſcilicet, hic confortatur, infirmatur, aliena-
tur, diruitur, imò perit. Venena ergo in præ-
cordiis, vel alibi nata, agunt vi poteſtatum ſua-
rum formalium, & luminoſarum, juxta ideam
dotalem ſibi impreſſam, afficiuntque lumen
vitale animæ ſenſitivæ, Archeo, adeoque par-
tibus inſitum, atque penetrant ſe mutuò, ra-
dicali unione, idque vel contagio veneni per-
manente, & transplantante innatum partium,
formale, atque vitale lumen: vel tantum pro
exiguo ſpatio, ut in caducis: cum libertate
redeundi vel non, juxta radicis ſuæ exigen-
tiam. Ergo caput nedum præſidet organis in-
feris; ſed etiam hæc præſident viciſſim capi-
ti, quod manifeſto alibi exemplo per ſuſpen-
dium declaravi. Siquidem medulla ſpinalis,
cincta in medio vertebrarum, ſtringi per fu-
nem nequit, ut tranſitum ſpiritui motori an-
helitus deneget. Pereunt tamen eodem inſtan-
ti memoria, intellectus, ſenſus & motus,
propter arteriarum gutturalium occluſionem,
etiam ante omnimodam aëris præcluſionem.
Vndè ſat liquet, lumen aliquod intellectuale
manare continuò ab inferis ad caput, cujus
interceptione, ſtatim in ſuſpendio, & ſub-
merſione, quanquam cerebrum, medulla ſpi-
nalis, ac nervi non lædantur, perit tamen o-
mnis animæ virtus, poteſtas, ac lumen. Vt &
in delirio febrili ab inferis ſuſcitato, perit diſ-
curſus rationis. Eſt itaque reciprocum regimen
inferiorum. Fateor lubens, & ab inferis, *Sco-* 49
tomias, Vertigines, Surditates, Apoplexias, E-
pilepſias, cæteraque id genus mala, oriri: non
tamen per vapores ad caput delatos; Etenim

ſi per œſophagum adſcenderent, ſaltem non niſi aquam ſtillatitiam, & inſipidam darent. Oſtendi autem alibi, ne aqueos quidem halitus ferri poſſe ad planum cerebri, multóque minùs, in ejuſdem ſinus. Vana ergo vaporum, in præfatis morbis, culpa ac reatus eſto. Deinde, neque vapores feruntur è ſtomacho, ad cor, ac caput, per arterias, & nervos, os ſtomachi cingentes. Cum ipſæ Scholæ fateantur, nervorum officium non eſſe, trahere ab exteris. Arterias quidem trahere aërem volunt, ad cordis refrigerium, & fuliginum expreſſionem. Quorum neutrum verum eſſe oſtendi. At ſaltem non iſta heic locum habet, in arteriis deſinentibus in ſtomachum: cum nec è ſtomacho, nec ex abdomine aërem frigidum, non fuligine pariter gravatum, inſpirare ſperent unquam, ut nec recentem. Imò neque demum, eò ſuas fuligines explodere conveniret, ubi multò nocentiores eſſent ſtomacho, quàm detentæ propriis ſedibus. Nam os ſtomachi non ſibi nomen gratis accepit, ut ſit os cordis. Quia potentiora de ſtomacho indicia, ſigna vitæ, ac procellæ perturbationum horribiliores emergunt, quàm aliunde: ergo nec aër hauriendus erat è ſtomacho, multoque minus vapor, tot malorum fomes, & initium, per arterias, vel fuligines, in ſtomachum explodendæ. Id eſt: Non trahuntur vapores vertiginoſi, epileptici, Apoplectici, &c. neque ſponte adſcendunt per arterias. Siquidem ad neceſſitates, & exigentias uſuum creator ineffabilis, omnes rerum ſcopos direxit. Tandem itaque, ſi præfatæ arundines, non trahant noxios & morbificos vapores; multò ſanè minùs ſtomachus mittet, vel explodet illos, per arterias, vel nervum. Cum citiſſimè aliàs ſe poſſet per ructum liberare. Neque enim ſtomachus follis eſt, ut invitis canalibus ſibi conceptos vapores noxios deferre debeat in arcam vitæ. Quinimò paucæ ſunt ſtomacho venæ; hiſque peregrinum eſt, quicquam è ſtomacho mendicare (ut ſuo probatum loco) quare vapores non feruntur per venas. Quorſum enim allicerent, & reciperent, quod præter naturæ eſt inſtitutum? quomodo vapores inſufflaret ſuos ſtomachus, in vaſa anguſtiſſima, cruore repleta, præſertim quæ non valent trahendo? Conſidero enim ſtomachum, non quidem per modum Galeni, ut ſit ſaccus, vel ahenum nudum coquendis cibis dicatum: ſed viſcus vitale, quod guſtu pollet, olefacit, ferturque diverſis appetitibus, tanquam ſi animal eſſet: & ſubinde quædam ita adſpernatur, ut homo ſæpè mori mallet, quàm unam buccellam invito ſtomacho deglutiat. Toti quidem ſtomachus inſervit neceſſariò, & vili famulitio etiam cacabi. Sed hactenus, cætera ipſi obtemperant diverſimodè, & niſi auſcultent ſeriò, vapulant atrociter. Iuxta illud, *qui veſtrum maximus fuerit, tanquam minimus eſto.* Humili certè miniſterio, ſtomachus occupatur ſedulò: non eſt tamen ſtomachi proin vile famulitium, non magis quàm Iudæorum Pontifici, Laneonem egiſſe: ſed ſtomacho collatus, vitæ quidam perſonatus, cum auguſta majeſtate. Si nervus, arteria & vena ſtomacho inſerta videantur: clientelæ nimirum, & retributionum potiùs ſigna, quibus ſe viſcera ſtomacho obſtricta fatentur, quàm quod illi ſint addita in gubernaculum, malum & carbaſa. Imò nec ſanè velim hunc principatum ita ſtomacho deferri, quaſi ipſius membranæ totum competat illius reipublicæ imperium. Ex Splene namque & ſtomacho unicum facio connubium, & thorum unum. In quo, Spleni vices mariti tribuo, primorum motuum, & ſtomacho, primi ſenſus. Eſt ergo ſtomachus lienis, & lien ſtomachi complementum, ſub unico thoro amborum, eſt principatus unius duumviratus. Non ſat tamen admirabile unquam, quid rerum Dominus in nudis Menyngibus, utero, ſtomacho, pericardio, &c. in membranis inquam præviderit, contemplari ceſſo: niſi quod in abjectis coram homine, conſueverit Deus, ſua conſtituere mirabilia. Cujus nomen ſanctificetur in æternum.

DVVMVIRATVS.

1. *Somnus Opinio à poteſtate ſomnifera, & non à defectu eſt.* 2. *Scholarum de ſomno.* 3. *Oppugnatur opinio veterum.* 4. *Contradictiones.* 5. *Opiatorum quidditas.* 6. *A nervorum ſitu oſtenditur impoſſibilitas Theſeos.* 7. *Opiato ſtante intra ſtomachum, ſomnum advenire.* 8. *Ab opii effectu.* 9. *Sulfur è vitriolo docetur.* 10. *Aliquot abſurda, theſin Scholarum comitantia.* 11. *Subterfugium ridiculum.* 12. *Somniis quando fiat.* 13. *A crapula cur dolor capitis.* 14. *Dolor à contractura menyngum, abſque vapore.* 15. *Theſis pro Duumviratu.* 16. *Concluſio.*

POETA ethnicus, moraliter, imò cenſu ruſtico, ſomnum vocat gelidæ mortis imaginem. Aſt ego, cum ſciam 1

ſciam ſomnum poteſtatem naturalem, à ſtoma-
chi principatu, in cerebrum dimiſſam,& vi Re-
giminis demandatam, ut traderetur in exſecu-
tionem, Chriſtianus credo DEVM, ſemper
ſanctificabilem, dum intenderet fabricare mu-
lierem è coſta, immiſiſſe in Adam ſomnum.
Non quidem tanquam ens privativum: ſed fa-
cultatem actualem, realem, ac merè poſitivam.
Ideoque poteſtatem dormiendi eſſe vitalem,
neceſſariam, & deinceps naturalem. Non cre-
dam enim, Deum in homine feciſſe, mortem,
ejuſvè imaginem. Nec decebat mortis imagi-
nem præcedere peccatum, mortiſque occaſio-
2 nem. Equidem Scholæ docent, ſomnum cau-
ſari à vaporibus, è ſtomacho ſublatis in Cere-
brum, oppilantibus, ſive intercipientibus mea-
tus ſenſuum, motus, loquelæ, judicii, &c. Quæ
3 ſanè adhuc adoleſcens, ridicula cenſui. Nam
revera, ſic morbus ante peccatum fuiſſet. Quia
ſomnus morbus eſſet. Flatulenta nimirum, &
vaporaria fuiſſet paralyſis, & temporanea A-
mentia, in corpore tum adhuc impaſſibili, at-
que vita immortali. Turpe eſt itaque, adhuc
doceri ſeriò in Scholis, Paganiſmi ſtoliditates,
præſertim à Chriſtianis, melius inſtructis. Imo
Scholæ in præpoſita ſua Theſi errant. Nam
4 dormientes ſub ſomno ſeſe movent, revolvunt,
deambulant nonnulli, pulicis & cimicis ictus
ſentiunt dormiendo; ſic ut indè expergiſcan-
tur: alii etiam loquuntur, atque appoſitè non
raro reſpondent. Tandem ſicut Scholæ malè
ſibi conſonant, dum ſomnum, & inſomnes Ca-
tarrhos, eadem radice, cauſis, atque fiendi mo-
do confundunt: Ita poſtquam Catarrhi deli-
ramenta exploſi, aſſignatas quoque ſomni cau-
ſas, tanquam inanes fabulas rejeci. Poſtremò,&
Scholæ ſibi manus inferunt, dum ab opiatis,re-
bus (ut ajunt) frigidiſſimis, omnemque potius
5 evaporationem cohibentibus (plus ſaltem quàm
Coriandrum, vapores pro Catarrhis fingitur
compeſcere, &c.) ex ſui natura promtiſſimè,ſo-
mnum, ſoporem,imò & necem, adferri docent:
eóque celerius, quò opiatum fuerit profectioris
frigoris in qualitate & quantitate. Adeoque
quo plus ſincerioris opii fuerit ſumtum, pluſ-
que intus frigefactum: eò copioſiores, magiſ-
que continui vapores à ſtomacho, (etiam clau-
ſo licet œſophago) ferrentur in caput. At ſtupi-
dum ſanè commentum eſt, quod ſomnus à fri-
gore fieret. Nec intelligibile, quomodo uni-
cum opii granum ſat frigoris in ſtomacho cau-
ſet, ſatque vaporis actualiter frigidi in caput e-
gerat? Quomodo item frigoris erit, vapores
ciere, potius quàm compeſcere? Sed hæc per
regulam falſi donata ſupponamus. Ac vapores 6
ſomniferos,à cibis ſurſum deferri: nervos quo-
que ſenſuum atque motuum authores, his va-
poribus oppleri. At utinam prius conſideraſ-
ſent, quod nervorum radices, ſive primæ extre-
mitates, ſint cerebro continuæ, & medullæ ſpi-
nali: quodque alteræ nervorum extremitates,
deſinant in muſculos exteriores,vel in ipſa ſen-
ſuum organa: atque adeò idcirco vapores ſo-
mnolenti priùs deberent materialiter penetra-
re, & planè imbibi, in Cerebri, & ſpinalis me-
dullæ ſubſtantiam, & utramque obſtruere, pri-
uſquam quod ſomnum, ſub Scholarum theſi,
patrarent. Et qua via hujuſmodi vapores ver-
gerent à ſtomacho, penetrarentque trans totam
Cerebri ſubſtantiam, quo uſque ad ipſam ner-
vorum penitiſſimam atque prorſus continuam
radicem, Cerebro inſeparabiliter connexam,
pertingerent? Denique quomodo expergeſa-
ctus, ad excitantis lubitum, ſolvi atque liberari
poſſet tam celeriter ab iſtiuſmodi impedimen-
tis? quidve illos vapores ibidem detineat per
tot horas, abſque ſui conſtrictione, ſive con-
denſatione in aquam, ſiquidem ſemel conſtri-
ctis iſtis vaporibus, pateret aditus ſpiritibus qui
ſomnum ſtatim excuterent? Quidve demum
impediat, ne continuò novi vapores, ad eadem
nervorum principia contendant, ibidemque
coagulati, pariant neceſſarios Catharros quoti-
dianos, & indubias paralyſes? Certè ſi Anato-
micus, aut vir ſanæ mentis hæc ſemel ruditer
ſaltem contempletur, debet neceſſariò has eth-
nicorum fabulas cum ſtupore admirari, præ-
ſertim quod nullam cum conſtitutionis noſtræ
principiis connexitatem habeant. Contingit
etiam quempiam multoties unica nocte exper-
geſieri, ſurgere, & rurſus indormire: adeóque
fermè ad lubitum totidem eſſent nervorum u-
nius noctis, imò unius horæ obſtructiones.
Tranſeo interim,quod ſomnus excitetur adhuc
materialiter exſiſtente opiato intra ſtomachum:
pro ut invita ſæpius commonſtravit experien-
tia. Ergo vel tantillus, ſoluſque odor opii, de-
beret effumare in Cerebrum: vel ſe ibidem
detento, tranſmittere vicarios ſomnolentos va-
pores. Non enim prius. Quia antequam o- 7
pium, ſenſum guſtus, vel odoratus, feriret, o-
pium in lingua, palato, naribus, atque faucibus
perciperetur continuò, & ante ſomnum. Quod
non ſit. Quin-etiam ſulfur vitrioli, ſummè ſo-
poriferum, fixum cum ſit, vapores in caput vi-
brare nequit ſuos, ut neque vicarios à ſe dimit-

tere ſui compotes. Profecto ſuſpicor, Græcos
ſomni authores, ſive pergræcatos, dum ſe ebrios,
perciperent ſomno deditos, æſtimaſſe,
omnem ſomnum non aliundè derivare: nec niſi
à cibo & potu, ne quidem ſummo mane, digeſtiſque
jam cibis amplius ſomnum obrepere
poſſe. Reperio quoque in Scholis, cauſas materiales
vertiginis, nequicquam à cauſis ſomni
naturalis differre. Quæ cuncta alibi de Catharris,
probavi meras inſcitias, inſulſoſque conſenſus,
indagandi ignaviâ, & ſubſcribendi
promtitudine ortos. Sed ſodes, quænam vis
tam frigida ineſt opio, quæ me invito, & ſatis
8 calefacto, ſomnum faciat? Si frigiditas vaporum;
cur vina à prandio ſomnum cient? An
ergo frigidi & calidi eſt unica identitas ad conciliandum
ſomnum? Cur ergo opio ſingulariter
addicitur frigus? Cur calida non æquè cenſentur
narcotica, & dormitiva? Cur lethalia
papavera ſomno à Poëtis decantata, non aliam
præter frigus vim recordari ſuaſere? Cur amaricat
opium? & amaror in Scholis prædominans
calidus cenſetur? Itaque alterutrum eligant
Scholæ, eſt neceſſum. Nempè. Vel, quod
frigus opii non ſit excedens, & per conſequens
opium ſomnum non faciat per frigus: vel quod
amaror ſit fallax caloris indicium in Scholis.
Cur enim frigida portulaca, pro ſuo tertio gradu,
non eſt ſomnifera? Cur manipulus portulacæ
non æquivalet binis opii granis: cum opulentius
frigus ſit, ac potentius refrigeret, in tanta
particula, quàm in tantillo opii? Quarè Solanum
dementat, non autem ſuo frigore ſomnum
parit? Ego autem in opio, ſalem acrem
ſudoriferum, & amarum oleum invenio, longè
ab opii odore recedens, attamen ſoporiferum.
9 Sulfur vitrioli verò, eſt dulce, mellis inſtar, abſque
odore, vapore, & furore opii: quia in ignis
cruciatu fixum, excellens calidum, & ſomniferum.
Sunt enim qui è Colcotare pulverem ſua
ſalſedine privando abluunt. At propemodum
eſt inefficax, utcunque vana promittendo, ſtententur
Tyrociniorum Scriptores. Fit enim legitimum,
& quod philoſophorum vocant, è
ſpiritu viridi vitrioli: qui per repetitam cohobationem,
ultima ignis tortura expreſſus, & inſigniter
volatilis, coagulatur, atque fixatur.
Quod præſtat vulgaris ſal armeniacus, qui inde
poſtmodum auferri debet, per ſpiritus vini repetitas
diſtillationes. Id ſulfur inter Arcana, ad
vitam longam, & catervam aliquot morborum
10 fugandam commendabile. Multos itaque adhuc
loquentes poſt trium momentorum ſuſurrum,
ſomnus occupat. Quomodo ergo in his,
tam repente, omnium nervorum conſtipatio
præſto erit? quare demum ſomnus citius obrepit
jacentibus, quàm ſedentibus, cum alioqui
motus vaporum ab inferis longè facilior eſſe
debeat in corpore erecto, quàm in cubante lateraliter?
Quinetiam etſi donetur, omnes æqualiter
nervos, & ante ſomnum conſtipari (quod
tam eſt inſulſum, quàm ridiculum) atqui undè
poteſtates mentales per ſomnum ſopiuntur?
niſi animam neceſſariò ſuum hoſpitium in arca
Cerebri, ac prope nervos, poſuiſſe mandaveris?
Atque ſinus Cerebri, proindè toto ſomni intervallo,
non quidem ſpiritu animali: ſed peregrinis,
crudis, craſſis, & morboſis vaporibus repletos,
ipſoſque diſcurſuum Authores tantiſper
feriari, dormire, vel procul evagari? Libertari
autem omnia confeſtim inde organa, ad ſonitum,
aut lubitum excitantis? At audivi ſomnum 11
excuſari per titulum ordinarii effectus, quique
alioqui morboſus eſſet, niſi quotidianus, atque
ſolitus. Inventum iſtud anile obriſi. Quod primus
ſaltem ſomnus, ſive peccati pœna, ante
crapulam, in hominem miſſa eſſet. Dein, quod
nuſpiam malum, quod in ſe morbus aut malum
eſt, minus malum ſit, quia ordinarium. Eoque
dato, nunquam ſomnus viribus languentibus 12
ferret ſolamen, ſed perpetuum laborem. Ego
autem, poſtquam ſemel animæ cujuſdam lucem,
aliqua repræſentatione viderim, aut ſenſerim:
Intellexi ſomnum fieri, dum Splen propriè
inſudat nutritioni, cum recreatione ac voluptate.
Tum nimirum veniam dans ſeriis ſuis
imaginationibus, ſe totum demergit oblectando
in plenam fruitionis quietem, ex ſaturitatis
nempe ſuæ percepta ſuavitate, & reſtituti ſibi
fermenti ſtomachici libertate, incumbit perfruendis
deliciis: ideoque & digeſtio in ſtomacho,
eſt infelicior inter dormiendum, quia tardior.
Quapropter fruitio, & ab opera feriatio, primus
in tota natura ſenſitiva optatus ſemper fuit. Vanæ
idcirco atque ludibrio plenæ, cogitationes
primo ſomno. Dum phantaſia Splenis, ſive ſtomachi
abſtrahitur à cogitando, de vegetante
neceſſitate. Quæ mox hoc tractatu clarius elucidabuntur. 13
Interrogatus humoriſta à crapuloſo,
cur manè ſibi caput doleat, ſiniſtro cornu,
ſupra frontem, ad majoris thaleri fortaſſis amplitudinem?
Promtus ille reſpondet, conſtare
per Anatomen, orificium ventriculi, inclinari
ad ſiniſtrum latus: doceri quoque per multa
jam ſecula, quod vapores doloriferi ferantur è
ſtomacho in caput: doleant autem, quia acuti,

acres, atque mordaces, è vino relicti: Itemque quod ejuſdem lateris ſervent perpendiculum, nec extravagari permittantur. Quo dicto, Galeniſta attollit ſupercilia, chlamydem ſuccutit, ſuæque animæ gratulatur, quod credulus alter, tam mendoſa fabula, ſibi ſatisfactum autumet. Etenim quod dolor frontis à ſtomacho rectitudinem lateris obtineat, eximium aliquid, pro actione Regiminis & duumviratu, occultat. At nemo cogitavit, iſtud fieri non poſſe, abſq; vaporum commercio actuali. Nam inprimis vapor nullus, è ſtomacho ferit caput; ut neque ullus etiam acer eſt, ſalſus, amarus, vel ponticus, prout alibi de Catarrhis. Quoniam dolor, de quo jam, eſt continuus, tam jacenti, quàm ſtanti, aut ſedenti, & citra ructus neceſſitatem. Sin autem hic quandoque comitetur, nihilo tamen minus, magiſve infeſtat dolor: nec etiam vaporum ulla proinde ſentitur acrimonia, ſalſedo, amaror: niſi quod in orexi ructus ſit acidus, ac tum præcipuè vix dolor adeſt unquam in capite. Quinimo ſuppoſito vapore, juxta Scholas; ſaltem gula tenet medium ubique colli & faucium. Eapropter ergo vapores, ſi qui eſſent, ferirent recta mediam baſim cerebri: non autem frontem, multoque minus ſiniſtrum latus ejus; nec adſcenderent in decumbente, ſed per os, & nares efflarentur vapores. Quia etſi darentur adſcendere uſq; in planum (quod nullum eſt) infra cerebrum, attamen non penetrarent ad ſinus, abſque lethali ſpirituum confuſione. Atque omnium minimè pertingerent vapores indeſinenter ad menynges: quarum tamen ſenſatio dolorifica cenſetur; non autem cerebri. Imò ſentiretur dolor, odorque ferentis vaporis, magis mox ſupra palatum (ubi falsò ſupponitur cerebri planum) quàm in fronte, aut ſub cranio. Quod falſitates tamen arguent, quotquot un-
14 quam hoſce dolores ſunt paſſi. Ignorarunt ſcilicet Scholæ, actionem Regiminis, citra vapores contrahere menynges, qua parte placuit animæ Duumviratui (ut libro de Lithiaſi cap. de ſenſatione) itaque nonne potius doleret ſummus vertex, quàm frontis latus? prout in hemicrania? Quippe eſt vertex, gulæ perpendiculum. Unde clarè conſtat, caput non magis à ſtomacho per vapores aqueos lancinari: quàm mentum à vaporibus teſtium in barbatis, non autem in caſtratis. Denique doleret potiſſimum cerebri baſis quam vapor primum attingeret: & non menynges, ſive cerebri membranæ. Dein nervi recurrentes palati, linguæ, &c. afficerentur truculenter; priuſquam ſiniſtrum cornu frontis, ſub cranio. Nec tandem iſti vapores, ſeſe clauderent ſub pericranio, vel ſupra menyngum alteram, unius taleri circino. Nec imo uſpiam hemicranium pro capitis ſemiſſe, multoque minus ſubinde pro dextero latere cauſarent: quin potius recta adſcenderent, æqualiterque ſemper è gula totum pariter caput afficerent: cum deſint porticus, quæ iſtos vapores, tanquam per tubos, nunc hac, nunc iſthac, deducant. Cur enim lac febrienti dolorem capitis adfert juxta Hippocratem, ſi ſeri lactis vapores deberent hi potius lenire dolores? Cur Cephalalgiam pacat novus cibus, cum à recenti cibo (præcipuè comitante vino) deberent acres potius, quàm mites, inſtar lactis, exhalare vapores? Ergo conſtituto jam ſemel dolore, paſtus non ſedaret dolorem, ſed potius excitaret, novumque conderet. Quæ cuncta cum refragentur Theſi, & experientiæ; convincunt etiam, præfatum dolorem, citra vapores, per nudam actionem Regiminis, è Duumviratu procedere. Miratus ſum pluries, neminem hæc ante me, ſeriò adhuc meditatum: ſed veterum traditis fabellis, ſubſcriptum continuò per omnes omnino, & per omnia. Verùm tractatu de Catarrhi deliramentis oſtendi, nugaces has vaporum è ſtomacho propagines, ergo etiam ſomno dicatas vaporum cauſas. Probavi denique jam ſuperius, eſſe actionem Regiminis in ſuperiora non minus, quàm hactenus putatæ ſunt ſuperiorum actiones in inferiora. Tum quoque obiter dixi, è præcordiis emanare potentiſſimam agendi craſin in morbis, quos vetuſtas hactenus ſoli dicavit capiti.

Nunc pro Theſi ſtatuo Duumviratum actio- 15
nis Regiminis præſidem, habitare in hypochondrio, Splene ſcilicet atque ſtomacho: partibus, inquam, quas cloacam teterrimi humoris, & ſaccum impuriorum ciborum æſtimarunt Scholæ. Quatuor itaque in tanto paradoxo probanda veniunt, ſcilicet,

1. Quod Duumviratus toti imperet.
2. Quod Spleni & Stomacho, ſit Phantaſia, Venus, &c.
3. Quod ipſi ſit ſomnus, vigilia, &c.
4. Quod ibidem ſit animæ hoſpitium.

Quæ quatuor quaſi in unicum punctum concidunt. Philoſophi unà cum Aſtrologis, Splenem dicarunt Saturno, de aſtrorum parenti, ceu vitæ principio inchoativo. Galeniſtæ verò, qui ſibi in pleriſque contradicere ſoliti, Splenem partim fecere cloacam perverſiſſimæ, excrementoſæ, atque mentitæ bilis atræ: partimque receptaculum

lum amentiæ, non quidem ob materiam in ſe melancholicam: quinimò propter conceptualem quandam irrationalem, atque pecuinam concitationem: quandoque ideo hypochondriacam paſſionem nominant. Atqui cum juxta illorum axioma, ejuſdem partis atque poteſtatis, ſit functio ſana, cujus eſt vitiata; ac viciſſim.

16 Concludam inde, etiam invitis Scholis, imaginationem quandam ſanam atque integram deberi Spleni, ſi vitiata atque præcordialis melancholia inde promanet. Intelligunt nempe plures ſe dementare, ac velut incipere, dolentque ſe non poſſe inhibere ejuſmodi phantaſias, noctu diuque importunas. Adeoque velut duplici mentali conceptu æſtuant. Sic nempe, quos rabioſus momordit, atque in aquarum metum (quem morbum hydrophobiam proin dixere) delapſi ſunt, accuſant invitam rabiem, quam præſentiunt, prædicunt, atque monent adſtantes ſibi caveant. Reſpondent id contingere, non quidem, quia ibidem hoſpitetur aliqua vis imaginatrix: ſed quod inde fumus atræ bilis in caput, thecam poteſtatis phantaſticæ, efferatur. Quæ ſanè, cum ingentis ſint momenti, decet peculiari tractatu de anima, ejuſque ſede, throno, ac hoſpitio, examinari.

TRACTATVS DE ANIMA.

1. Commendatur animæ tractatus. 2. Quid Scholares averterit ab hac meditatione. 3. Cognitio animæ non pro epilogo tradenda. 4. Difficultates putaticiæ Scholarum. 5. Cognitio rerum cur poſtponenda. 6. Per exemplum ex aqua petitum. 7. Actiones mentis in corpore. 8. Quid deceperit Anteriores. 9. Deſtitit Author ab incepto. 10. Conſiderabilia circa mentem.

Imperium ergo Duumviratus integrum,
cum ex anima vitali vigeat,
poterunt profectò tres præfatæ
theſes probari abundè per
quartam. Modò enim conſtet,
ipſam animæ ſedem eſſe in Duumviratu: hujus
principatus quoque ſupra reliqua membrorum
atque viſcerum ſtationes, obviam venient.
Quocirca hic obiter de anima tractabo, quanquam
aliis ante me Scriptoribus, animæ tractatus
extra Phyſicam ſit relegatus, potiſſimum in
ordine, ad cognitionem Theoriæ medendi:
Ac tametſi tot undique amentiarum acribologiæ
nos infeſtent. Enimvero cum nullam opem
ex prædeceſſoribus meis ſenſerim: ſed labor
& dolor tranſierint intima mei, priuſquam
quæ ex gentilitate hauſeram, deponerem: Cenſui,
eapropter omninò, me non ſtringi ad methodum
eorum, penes quos nondum quicquam
reperi, quod in naturæ initia, vel proprietates,
1 rapi poſſit, aut debeat. Meopte ergo libertatis
intuitu, conſideravi, quod ſcibilium nil æquè
nobile, ac eſt ipſa animæ cognitio, à qua, ut omnis
reliqua cognitio ſuum obtinet fulgorem:
ita etiam termini omnes diſtinctam ſuam metam.
Quicunque enim ineptus eſt initio, comprehendere
mentis immortalis motus, exercitia,
effectus, & quidditatem; inhabilis quoque
erit, ad intelligendum naturæ arcana, à mente
remotiora, quàm eſt ipſamet à ſeipſa: Ideóque
vix poterit ire ad ea, quæ ſibi intuebitur aptiora.
Ille verò, qui prius hauſerit animæ præludia,
combibitis poſtmodum naturæ ſuccis, in
reditu, majoris erit capacitatis, quàm erat priore
obiter lectione. Ne tamen videar ut exlex,
gratis calamum in mentem ante morborum explicationem
torſiſſe, dicam quæ me ad hoc moverint.
Inprimis namque (etiam pro conſideratione
phyſica) meditatus ſum, quod mens ſit
naturæ humanæ apex, & conſtitutæ humanitatis
perfectio: quodque ideo eſſet decentius,
ſuam cognoſcere animam, id eſt, ſemetipſum
ex anima, quàm inquirere rapſodia proprietatum
corporearum, harumque è notione, cognoſcere
velle ipſam mentem. Siquidem eſt mihi
viſum, quod ſemel cognita tenuiter ſaltem anima,
reliqua inferiora, & ſubſtituta pedibus noſtris,
adjiciantur nobis. Nulloque quaſi negotio,
aut labore ſaltem ſobrio, comprehendantur,
quæ antea ad ſingulos paſſus, de vero, licito, ſimili,
juſto, proportionato, agente, paſſione, prioritate,
appropriato, mutatione, vel alteritate, ſuſpiciones
ſuſcitabant, vel deſperationem movebant,
vel tandem nimio conſenſu in fallaciam,
clauſis oculis ducebant ſuos ſequaces. Vnde 2
deterrebantur ab indagandi labore, non tam per
ignaviam, quàm per metum ſuſpenſi progreſſus:
ideoque januæ ſciendi clauſuram ad ulteriora
obſerabant. Clarum enim atque indubium
eſt, quod homo nequeat ſeipſum cognoſcere,
niſi prius animæ cognitionem hauſerit.
Quippe ſine anima, eſt homo merum velut cadaver.
Itaque & ipſamet cognitio animæ, ut
timorem Dei, in anima ſigillat: ita & Sapientiæ
initium adducit. Si ergo initium Sapientiæ, 3
à cognitione animæ ſuſcitetur, non eſt

tradenda animæ aliqualis doctrina, pro Phyſices epilogo, pro more olim ſervato. Nam falſum eſt, quod rerum caducarum cognitio, facilitet nobis mentis noſtræ intelligentiam. Quin potius ſciant experti, quod mentis cognitio, etſi procul abſceſſerit à conceptu corporum ſublunarium: attamen ſe extollat, quoties ſeſe applicuerit, ad ſcientias humanas, vel artes quaſlibet. Nam qui ſemel, at obiter tantum, expertus fuit animæ introverſionem, ſive extaſin, novit poſtmodum, ad quæ animam ſuam adpoſuerit cum deſiderio. Non contra. Quoniam etſi quis multarum rerum nactus ſit ſcientiam: non tamen proinde aptus erit introverſionibus mentis. Itaque cum pace cunctorum ante me, dico, meditorque planè neceſſarium, quod homo primum cognoſcat ſeipſum, exin diſcat timorem Domini, qui illum ad veram ſapientiam eriget, ad quam cognitio caducarum rerum harumque defectuum adjicietur, tanquam conſequens ad præmiſſas, vel tanquam adjacens ad
4 principale. Prædeceſſores, poſt rerum quidditates, reſpexerunt tum prius in animam præpoſtero modo, ob duas præſertim rationes. Quarum prior eſt, quod animæ cognitio ipſis viſa ſit longe difficilior, quàm aliarum rerum quarumcunque. Altera. Quod mentis cognitio ſperari atque haberi poſſet, ab indagine rerum externarum, proprietatumque corporalium examen. Sed tametſi horum prius ſit verum: alterum tamen nullatenus eſſe poteſt. Nam ſi animæ cognitio ſit entis abſtracti, & ſpiritualis: ſaltem ea nequit ulla rerum corporalium ſpeculatione, in nos traduci. Quippe ſolus Deus, immediatus faber, & Princeps mentis, ac vitæ vita ipſa. Ergo aliunde cognitio noſtri ſperari nequit, quàm à ſuo fonte, & Rectore. Siquidem cognitio abſtractorum ſpirituum, toto diſtat cœlo, à caducorum ſpeculatione: cum non participent in ullo principiorum, aut proprietatum communi ſymbolo. Igitur corporum quidditas nequicquam ſcientiæ vel luminis continet, ut anima ſeipſam agnoſcat, aut intueatur, niſi per abnegationem, quæ cognitionis quædam eſt deſperatio & proſcriptio. Vndè quoque nullum ſibi lumen acquirit deſurſum, vel è contra ſui, vel etiam tanquam è chalybe & ſilice, ſibi lumen intelligentiæ excutit. Eò quòd modus cognitionis animæ ſit mendicandus à Patre luminum, nec aliundè. Quia divinæ voluntatis beneplacitum fuit, quod homo ſui cognitionem non aliunde peteret, quàm ab initio & fonte ſui: qui eſt totius Philoſophiæ principium, medium, finis, ſcopus, & ſummus verticalis apex: ad quem omnis cognitio eſt adjectitia. Quinimo ſunt rerum ſublunarium cognitiones eſſentiales, & à priori, æquè tenebroſæ, tectæ, & difficiles; atque eſt ipſa Mentis immortalis conceptio, ſi eſſentiæ rerum à priori, earumque cauſæ ſint ſoli Deo cognitæ. Ergo ſimpliciter falſum, quod cognitio Mentis ſit rerum nuda cognitione difficilior, aut poſtponenda ideo. Quippe omnes ſunt nobis æqualiter ignotæ. Quia entium quorumcunque quidditas, eſt eorum veritas præciſa, clauſa verſus nos, & patens ad Infinitum. Idcirco ad ſta- 5
teram dimenſa rerum eſt cognitio. Omnes res corporeæ, ſunt Menti noſtræ primariò extraneæ, ac peregrinæ. Ideoque remotiores à mente, quàm mens à ſemetipſa. Quinetiam cætera, non niſi per mentem, & prius in mente, ſunt cognoſcenda. Proinde enim rerum quarumcunque cognitio, eſt tantum quædam obſervatio, unde formamus diſcurſus, pro cujuſque capacitate. Quare etiam omnis ejuſmodi obſervatio, hincque petitus diſcurſus, utcunque politus, eſt tantum à poſteriori, longéque minus illuſtratus, quàm ſit obſervatio habita de mente. Quippe quis unquam mortalium novit, 6
quid ſit aqua? quæ tamen creatorum eſt maximè obvia, aperta, viſibilis, & tranſlucida? Tantum enim de ea ſcit ruſticus, vel idiota, quantum Philoſophus. Nempè æqualiter illam concipiunt, per obſervationem ſenſuum: quod ſit corpus grave, liquidum, humidum, digito cedens, fluidum, amotoque digito ſe recludens, caloris ſuſceptivum, extenuabile in vaporem. Nemo tamen novit internam aquæ quiddita- 7
tem, vel quare liquida ſit, aut humida. Perinde videlicet ſcimus mentis circumſtantias, vitales, & intellectuales, quæque ſuum hoc ergaſtulum diſponunt in varias alterationes, producuntque non rarò aliquid ſeminaliter extra ſuum concretum. Qualiter dum prægnantis appetitus, producit ceraſum in fœtum ſuum, quotannis efflorecens. Quod etiam adhuc plus de anima ſcimus, quàm de aqua, eſt quod per fidei revelationem ſcitur. Videlicet quod mens ſit ſubſtantia ſpiritualis, incorporaliter etiam per ſe ſubſiſtens, immortalis, vivens, ad imaginem Dei condita, immediatè per ipſum Deum, dans ſenſum organis, ut & motum; quæque ſeparata à corpore, ſentit abſque organis pro nutu, potens etiam movere extra ſe, & coërcita corpore, producere poteſt ens extra ſe (ut de prægnante jam oſtenſum eſt) intelli-

gens, etiam volens, ac memorans, &c. Quarum proprietatum & functionum obſervationes, longè fortiores ſunt, quàm ſit aquæ cognitio. Alioqui res omnes, atque ſingulæ, intrinſeca intellectione, nobis æquè ſunt ignotæ ac imperviæ. Quod autem ſeduxit Anteriores exiſtimando áquæ cognitionem faciliorem eſſe,
8 quàm mentis, proceſſit ab opinione, Quod viſibile neceſſariò ſit notius inviſibili. Sed non diſtinxerunt notionem obſervationis, à cognitione interna quidditatis, juxta quam res cunctæ nobis æqualiter ſunt ignotæ. Neſciverunt inquam, quod cognitio obſervationis non introducat intellectum, in rei quidditatem: ſed tantum erigat ſcientiam putativam. Alioqui namque Intellectus, cauſas anteriores in eſſentia perciperet. Tum etiam à ſimplicitate aquæ ſunt deceptæ. Quam ſimplicitatem cum unitate cognitionis, nobis ignotæ, confuderunt. Dum interim mentis obſervationes ſint numero plures, atque fœcundiores, quarum cujuſque proprietas negat cognitionem à priori: putarunt idcirco, plures impoſſibilitates in mentis cognitione ſubeſſe, quàm in corporis ſimplicis. Adeoque tam ſolus numerus in mente, quam viſualis frequentia corporum, difficultatem illis peperit. Cum tamen alioquin, in entis entitate, tam ſit intellectualiter ignotum viſibile,
9 quàm eſt inviſibile. Intendebam enim mentis doctrinam intellectivam tradere, ut homo primordialiter ſemetipſum agnoſceret, quantum poteſt, ac dein ex ſimulacro divinitatis diſcat contemplari res ſe inferiores. Sed cum id conarer explicare, per actus mentales orationis, id non fuit mihi liberum: quod teſſeram meæ abjectionis, ſuperare cenſerentur, obmiſi illum tractatum lubens. Aliis idcirco me fœcundioribus, ſat eſto digito demonſtraſſe, Chriſtianam naturæ Philoſophiam non admittere, velle res caducas, alienas, procul remotas, quarumque cauſæ à priori ſunt abſconditæ, & neſcire interim, quis ſim ego contemplator, qualis ſit intellectus. Præſertim quod res quælibet non 10
concipiatur, qualis in ſe eſt: ſed per modum recipientis. Id eſt, concipientis. Itaque ante omnia ponderandus mihi videbatur recipiens, affectans rerum intellectionem, quis, qualiſve, qualiterque diſpoſitus, intellectus, in actu comprehenſionis. Quæ demum theca ſit intellectus, ejuſque capacitas, vigor, & modus. Quomodo denique potentia, à ſe quidem indiſtincta, trahatur, atque deſcendat in functiones, & organa ſibi alligata, & ſuppoſita. Poſtremò, priuſquam ſciam an ipſum intellectum ſit verum & bonum: an verò in me, aut propter me, non ſit in ſui entitate mutatum concipiendo, alienatumve à ſuo eſſe, undè ipſa entitatis veritas larvam peregrinam aſſumſiſſet. Cenſui omnino, iſta elucidari debere per actus intellectuales: quos nec alibi promtius, vel felicius mendicari poſſe ſtatui: quàm per praxin. Id eſt, ex mentali oratione ſilentii. Illam verò decernent, ac ponderabunt alii juſtius, quàm ego. Atque in hanc proinde arenam noſui lubens deſcendere.

DISTINCTIO MENTIS AB SENSITIVA ANIMA.

1. COmmendatur Tractatus de Mortis introitu in naturam humanam, tanquam neceſſarius pro mentis cognitione habenda. 2. Remittitur lector quoque ad tractatum de ortu formarum. 3. Mentis ab Euangelio probatur immortalitas. 4. Orditur telam contra hodiernum Atheiſmum. 5. Leon. Leſſius tantum deſcribens, reſcripſit ex Auguſtino de immortalitate animæ.

1 INprimis Libro de vita longa, ad longum demonſtravi, mortis introitum in naturam humanam ſuas habuiſſe cauſas in natura, per media vetita, & extra intentum Creatoris tergloriosi: ſemelque intrò perreptatam, admiſſamque mortem, licet ea non eſſet ex creatoris intentione, deinceps fuiſſe continuatam, atque inexorabilem, neceſſitate naturæ: atque inde à Creatore nedum permiſſam ac conſentitam, ſed & mutato naturæ ſtylo admiſſam, imò etiam velut mandatam, ſub melioratione introducta, regenerando per divinam baptiſmatis gratiam. In quo tractatu demonſtravi neceſſitatem animæ ſenſitivæ, quæ aliàs ſub immortalitate erat fruſtranea. Vndè nimirum introducta eſt lex in membris, contradicens legibus mentis immortalis. Receptaque eſt tota totius naturæ centralis, atque inexcuſabilis corruptio. Quam ideò novam atque inauditam prioribus ſeculis doctrinam, præſuppono inde petendam, ſi modò mentis noſtræ cognitio deſideretur. Etenim ut modò ſic eſt à ſemetipſa, ſuoque eſt initio alienata, quod vi-

deatur modò animæ ſenſitivæ imperiis auſcul-
tare, quæ tamen in ſui eſſentia, ſubſtantia, atque
realitate, eſt immutabilis: ita ſanè incipientibus,
vel reſipiſcentibus, ut addit cognitionem me-
diorum, quibus eſt lapſa, atque penitus degener
facta: Ita quoque præſupponit eandem doctri-
2 nam, velut baſim cognitionis ipſius. Denique
de Ortu formarum oſtendi pariter, quantum
hæc anima caduca, ſenſitiva, atque mortalis, in
nobis diſtet à mente immortali: Quod certè
non minus, quàm infinito modo fieri, eſt indu-
bium, dum Mens nimirum ſit ſubſtantia, non
mortalis: ſenſitiva verò, nec ſubſtantia ſit, ut
neque accidens: ſed creatura neutra mortalis,
& in nihilum periens, deque natura luminum.
3 Quæ doctrina pro parte eſt Euangelii, de vita &
morte æterna animarum loquentis: ſive quæ
cenſet animam humanam Dei Imaginem, nec
in poſterum interiturum: ad diſtinctionem a-
nimæ pecuniæ: quæ ſcilicet cum vita ipſa, in
nihilum revertitur, non ſecus atque lumen can-
delæ. Pro altera autem parte, eſt præſens do-
ctrina planè paradoxa. In quantum anima ſen-
ſitiva relegatur extra prædicamentum ſubſtan-
tiæ, & accidentis. Inprimis enim, demonſtra-
vi animam ſenſitivam, atque belluinam tam in
brutis, quàm quæ in nobis eſt, non eſſe infini-
tam, atque immortalem, vix neceſſe eſt, cum
nemo ambigat, quin omnis res naturalis geni-
ta, etiam ſit corruptioni obnoxia, per legem na-
4 turæ. Mentem autem humanam eſſe immorta-
lem poſthac, de fide tenemur credere. Adeoque
quod mens humana ſit ſubſtantia permanens,
ſive ſpiritus poſt ſeparationem à corpore, in ſe
ſubſiſtens, atque vivens, non eſſet Chriſtianis in-
culcandum, aut demonſtrandum, quibus intel-
lectus eſt in obſequium fidei ſubactus, niſi in
medio noſtri, & Eccleſiæ hypocritis potentiſſi-
mus nuper Atheiſmus conſurrexiſſet, qui per fi-
dei omnimodam abnegationem ſe extricat
principiis, quibus inſolens ejuſmodi temeritas
pacari poſſet. Atque illorum præcipuè, qui o-
mne Numen negant. Alioqui nec meum eſt de 5
mentis immortalitate tractare, ab Auguſtino
conſcripta, demonſtrataque, & à Leſſio verbote-
nus piè deſcripta, atque reſcripta; quippe qui
idem ſat probarunt. At nondum contra negantes omne Numen. Deſiſterem ergo idem reculcando ruminare, ſi ſat contra primæ claſſis Atheos ab ipſis demonſtratum eſſet. Et niſi ſtatuiſſem in natura, differentiam Mentis, ab omni viventium anima. Niſi inquam ad naturæ cognitionem ſpectaret ejuſdem integritas. Illaque integritas, differentiam hominis, ab aliis quibuſlibet creatis deſignatam optaret: idque univocè atque principaliter dumtaxat juxta præcipuam vividamque ſui partem, citra quam homo nil niſi fœtidum cadaver eſt, ſilice vilior, atque quovis vitro citius deſtruitur ac rumpitur. Alioqui ſtante Chriſtianiſmo, ſtat Mentis immortalitas, ejuſq; ſubſtantis ſubſtantia, pro ut ſimul & aliarũ animarũ mortalitas, ſive in nihilum reductio. Quæ eſt annihilatio proprii nominis. Atq; exin vera, ac propriè dicta differentia earundem.

DE ANIMÆ NOSTRÆ IMMORTALITATE.

1. *Atheiſmus, & Idololatria pejor.* 2. *Religioſi Athei, omnium peſſimi.* 3. *Vita novorum religioſorum, ſe cæteris anteponentium, Atheiſmum introduxit de novo, ſub Pelagiani doctrina.* 4. *Hypocritæ Scriptura abutuntur.* 5. *Atheorum perfectorum argumentum.* 6. *Præviſus ab olim Atheiſmus ille modernus.* 7. *Futilitas argumenti.* 8. *Qualis fides Atheorum.* 9. *Ab admiſſis argumenta aliquot, in Atheos.* 10. *Omne intellectum, mendax eſt, dum intellectu per fidem adæquatur.* 11. *Vlterius demonſtratur per Scripturæ auctoritatem.* 12. *Panis, qui de Cœlo deſcendit, prophetatus.* 13. *Ex B. Auguſtino reliquum.* 14. *Mens non poteſt generari à diſpoſitione corporum.* 15. *Neutralitas entium, Scholis ignota.*

IVdæi antiquitus, mox atque ceſſabant mi-
racula, ſtatim ad Idololatriam, & Idolo-
1 maniam rapiebantur. Sæculum autem mo-
dernum verpis ſceleratius, ſponte ſenſim la-
bitur in Atheiſmum. Laïci enim peccatis
quotidianis exſecrabiliter obvoluti, nedum
Deum, omnis boni fontem, inviſibilem
negligunt; ſed & aliquot oppignorati Eccle-
ſiæ, in medio noſtri peccata populi come-
dentes, Deum irrident, nihilque illi ſe debe-
re proteſtantur. Quia nil credunt. Exiſtiman- 2
tes merum phantaſma politicum, ipſam fi-
dem, adeoque omnes religiones eſſe indiffe-
rentes: quippe quas credunt tantum ad coërcendos populos ſubter legem civilem vivendi, introductas: illaſque proinde ubivis ferè locorum eſſe diverſas, & æquè juſtas, ſtatutorum Principum, ſive conſuetudinum receptarum jure, promulgatas. Aliàs namque fore liberum, quidlibet credere, ac facere,

niſi inde hominum perirent commercia. Illi enim qui hæc credunt, & effutiunt, quod ſuis nefariis abuſibus ipſimet Sacerdotes & religioſi clam profitentur. Putantes ad fundum veritatis pertigiſſe, ſe gloriantur ingenia politiſſima, ac ſublimata, & ideo reliquos probos ſub fide, ſpe, & charitate gratiam Dei implorantes, rident ceu ſimplices, ac penè fatuos, ſeque fruſtra ut aſſum piſcem torrentes. Perguntque indies in pejus, excitante eos diabolo, qui circuit tanquam Leo rugiens, quærens aſſiduè quem
3 devoret. Potiſſimum autem Atheiſmos fovent mala quorundam exempla, concionantium & jurantium voluntariam paupertatem, obedientiam, humilitatem & charitatem: qui tamen ſunt penitus extra humilitatem, charitatem, prorſus ambitioſi, invidi, & avari, opibus effluunt, ſectantur proprias commoditates, ut nedum venter, ſed ipſimet toti ſint Deus ſibi. Siquidem ſub hypocriſi eleemoſynas pauperibus deſtinatas atque deſtinandas, in ſe detorquent. Sic ut illorum vita, in deriſum religionis detorta, etiam judicioſiores, & debiliores ideò in Atheiſmum præcipitarit. Hanc autem erroris utrimque amentiam, quandoque reformabit S. Spiritus, qui ſolus poteſt inteſtinas ſordes ab Eccleſia ſua abſtergere, & everrere.
4 Denique Atheiſmum confirmavit, intrans in malevolam iſtam animam ipſa Scriptura, quæ aliàs movere deberet ad filialem erga Deum obedientiam, & amorem debitum, obliquo ſenſu abripitur. Argumentantur enim primùm disjunctivè; ac mox inde copulativè conclu-
5 dunt pro Atheiſmo. Ajunt nempe, Biblia profitentur unicum, atque æternum numen omnipotens, & immutabile. Igitur vel Chronica Bibliorum, ſunt meræ Ebræorum fabulæ; vel numen, quod hodiè Chriſtiani adorant, vel Turcæ, eſt longè aliud à Iudæorum Deo. Nam ſi arborem à fructibus, & hominem ab operibus, cognoſcere, ſit æquivocum etiam numen, quod Chriſtiani cum Turcis, unà cum Iudæis unicum, jugiter immortale perſeverans adorant & credunt, à ſuis operibus, ſeque dignis cognoſcendum, atque credendum erit. Etenim quotquot hoſtes olim in populum Iſraëlis irruiſſe leguntur: pauco fuere numero ſtrati, conſternatisque terrore animis, mutuave cæde ſunt interfecti. Quantumvis eorundem caſtra, inſtar locuſtarum numeroſa, & Cameli eorundem innumerabiles, tanquam arena litoris: attamen panico terrore ululantes aufugiunt à ter centum buccinantibus Ebræis: ſeſeque ſubinde mutuo trucidant gladio, ſic ut non fuerit ſuperſtes, qui univerſam illam ſtragem domi denunciaret. Imò citra pugnantium opem, unicus Angelus 180 millia unicoque gladio morte peremit. Etenim ſi vera ſint, quæ ibidem leguntur, & coluntur: ſitque hodie, idem quod olim, & æquè potens numen: deberet Chriſtianos (jam ſuos) æquè potenter juvare contra ſuos hoſtes, quibus obſidentur, & ſubjugantur indies. Ceſſat namque hodie publica Idololatria, olim in depreſſionis cauſam accuſata: agiturque hodie cauſa ipſius numinis: ſi ejuſdem ſponſa Eccleſia, & Sacramenta ſui corporis vituperoſè conculcentur, jugeque Sacrificium ſuſpenditur, atque magno opprobrio irridetur. Quorum amborum disjunctivum utut ſumatur, ſaltem convincit, antiquum iſtud numen defeciſſe modo, in eſſe, & poteſtate, novumque, vel quod modo adorant Chriſtiani (quorum tam numinum quàm credentium ſunt toto orbe magna diſſidia, ſe invicem hoſtiliter demolientia) non ſit æquè potens, vel æquè benignum ſuis fidelibus, atque fuit priſtinum ſuo olim Iſraeli: quoniam hodie amplius non apparent Angeli, gladii: nec amplius mutua ſeſe trucidant cæde ingentia caſtra. Vt neque territi ejulando aufugiunt à Chriſtianis armatis, in curribus, equitatu, & machinis igneis: concluduntque hinc Athei noſtri, deceptos vivere, quotquot immortale, & omnipotens, id eſt, numen credunt. Atque inde ſubſequenter ulterius rectè inferunt. Si numen aliquod tandem intercidat, vel deficiat: multo magis mens hominum, parentibus caducis prognata. Hæc enim ſunt, quæ Chriſti populum primò ad divini cultus negligentiam, ac tandem ad apiſticum Atheiſmum abducunt: poſtquam diabolus animadvertit Idololatriam, atque deaſtrorum multiplicitatem, apud judicioſos, tanquam laxa ac frivola ſperni media, quibus populum in ſuum alliciat hamum: ſubtilius hoc rete Atheiſmi ſparſit, numeroſioremque prædam collegit. Quem Atheiſmum futurũ, Deus prædixit per Prophetas ſervos ſuos. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non* 6
eſt Deus. Corrupti ſunt Athei, *& abominabiles facti ſunt in iniquitatibus: non eſt qui faciat bonum. Deus de Cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videret, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Dixit nempe Atheus in corde ſuo. Si viderem Deum, Angelũ, vel cacodæmonem, imò, vel ſpiritũ hominis: crederem utiq; illos eſſe. Sed nolo credere, quæ nõ video, vel audio, quæq; mihi inſueta, ideoq; incredibilia videntur. Sed ſentio cum

Ariſtotele, quod omnis ſcientia, omniſque doctrina intellectiva, tantum è præexſiſtente ſenſuum cognitione fiat. Cui reſpondet diabolus. Bonum eſt ſe ſic manere. Et dicit Deus. Qui enim videre ad hoc optat, ut credere poſſit, jam eſt peccati reus. In animam autem peccati ream, non intrat Spiritus veritatis; atque idcirco non convenit, quod videas, quæ videre optas, ut credas. Nec eſt enim peccatum medium pro acquiſitione fidei. Blaſphemum atque impium eſt judicium, negaſſe Deum, vel Diabolum: eo quod ipſi non ſit permiſſum vidiſſe alterutrum, quorum neuter eſt viſibilis, 7 niſi in forma arrepta. Carioſum denique, ac puerile eſt argumentum; Non præſtat Deus Chriſtianis hodie, quæ olim præſtitit quandoque Iudæis: ergo non eſt idem qui olim, vel minutus eſt à priſtina poteſtate. Siquidem res, non tam à poſſe, quàm à velle divino, mutatur. Cur autem non velit modò, quæ olim voluit, Noſtrum non eſt, à Deo, ſui arbitrii rationem percontari. Stultumque ideo argumentum, Non facit modò Deus, quæ olim: ergo non poteſt. Exiguus erat populus Ebræus, ex quo Chriſtus ſurgere debebat, eratque hoſtibus populus ille undequaque cinctus, quique niſi brachio Dei extento, continuoque velut ſuffultus miraculo, mox in rapinam victori ceſſiſſet annihilatus. Vnde tamen Meſſiam ſurgere decretum erat. Sed Chriſtianorum longè alia ſors eſt, & lex. Populus enim Iſraëliticus in duritia cordis, gratiam Dei ab affluentia opum, prolium, fœcunditate fructuum, eorumque pacifica poſſeſſione metiebatur. Nos autem novimus, neceſſaria fore ſcandala, in Eccleſia, tribulationes quoque utut magnas: non condignas tamen exſpectationibus venturi ſæculi. Itemque Deo ſic placitum, ut propter injuſtitiam transferantur regna de gente in gentem. Atqui ad oſtendendum, eundem eſſe Deum Chriſtianorum, qui fuit olim Ebræorum: nam retrò ad Chronica ſcripta non eſt recurrendum: apud quos, nec Biblia ipſa, ſunt alicujus fidei. Colliſum eſt Atheorum argumentum. Cum eorum intellectus admittat, quod non per ſenſus exterius ſit introductum. Tota illorum fides eſt ex ſcientia: ſcientia verò fundatur in præſenti ſenſibili, præterita obſervatione, & abnegatione hiſtoriarum, atque ſucceſſione ætatum. Alioqui namque non minor deberet eſſe Sacrorum, quàm profanorum Scriptorum authoritas. Imò Atheorum omnis ſcientia deſcendit ad oculos, ad viſum, numeros, lineas, figuras, tonos, pondera, motus, odores, tactus, attactus, & guſtus. Id eſt, totum pendet ex initio brutali, ſuntque inepti ad intelligendum, quæ ſuperant ſenſum. Id eſt enim, cur ſe excludant è mundo intelligibili, & calcitrant contra lapidem Angularem. At ſaltem fatentur ſe videre & ſcire, quæ neſciunt. Quod contingit in Theoricis planetarum. 8 Aſt utinam demetiantur Athei mundi ambitum, Saturni inquam realem diſtantiam à nobis. Fatebuntur namque eo ipſo, etiam nolentes, tot millenorum milliarium diſtantiam, quod ipſe illorum intellectus contradicet viſis dimenſionibus. Vel neceſſariò ſe inclinabunt ad fatendum triplicatum Saturni circuitum, reſpectu ſuæ diametri, non potuiſſe ex ſe, aut ſua ſponte ſurrexiſſe: quin potius aliquem eſſe horum Authorem infinitæ poteſtatis, ſapientiæ, magnitudinis, adeoque etiam durationis, &c. Sin verò putet Atheus, tam incomprehenſibilis magnitudinis orbes, tamque regularem viciſſitudinum conſtantiam, ſua ſponte, ab æterno ſic fuiſſe: ſaltem illius æternitatis infinitæ perpetuitas, legem quandam, ordinem, atque ordinatam gubernationem ſequi debet, quæ aliquod ens præſidens, ſempiternum duratione, magnum, atque potens requirebat. Miſerrimi ergo ſunt, qui per abnegationem univerſorum, excludunt fidem, & fidei merita. Etenim conſideremus orbem terræ veſtitum aquis: vel locum illum, abſque terra & aqua, ut nempe omnia ſuopte impetu cadunt centrum verſus. Adeò ut ſi duo homines ibidem eſſent, ab Oriente ſcilicet & Occidente, hi pedibus ſeſe contingerent, & capitibus ſurſum adſpicerent, pro ut hodiè nos & Antipodes. Hoc inquam credit Atheus, quanquam non ipſi ſuggeſſerit ſenſus. Corpora enim gravia docent quidem propenſionem ſuam decidendi deorſum: At cœlum undique ſurſum eſſe, reſpectu unius centri, hanque centri eſſe proprietatem, cui non eſt ſimilis altera, nec tamen illam Atheus vidit: aſt nihilominus credit: imò quidcunque unquam fabricet, contrarium ſemper invenit, & abſque illa centri proprietate credit inquam unicam ejuſmodi naturalem proprietatem in univerſo centro: ſed non intuetur uſpiam authricem ejus cauſam, aut illi ſimilem in minimo, eamque mavult per infidelitatem à ſe excludere. Aſt ſaltem ſi Deus non ſit, nec ubique præſens, & omnia dans omnibus, perinde eſſet, ſi cuncta confunderentur, ſurſum deorſum caderent, gravia deorſum, vel ſurſum ruerent; perirent plantæ & belluæ, vel non. Ergo conſtantia ordinis &

perſeverantia ſpecierum, requirunt de neceſſitate aliquod ens primitivum fontale, undè incepere, ſunt, filoque continuato propagant, quodque cuncta ſuo nutu gubernat, datque continuitatis conſtantiam, ac ſucceſſionem, ne cuncta corruant, & confusè commiſceantur. Vniverſalem nimirum curam gerit, cuſtoditque res in ſuo eſſe. Conſideret denique Atheus, fluxum & refluxum aquæ. Quod nulla ſcilicet aqua adſcendat ſponte: attamen aqua maris, tam in fluxu, quàm refluxu maris adſcendat ſemper. Credit hoc quia videt; ſed ejus cauſam non credit, quia non videt: nec ejus ſcientia intravit per ſenſum, Quippe quæ ſenſibus contradicit. At ſaltem credere deberet, iſta contingere per cauſam, quanquam eandem non noverit, per quam tamen res quæque hauſit ejuſmodi proprietatem. Nam etſi ſpecies ſingulæ ab æterno haberent ſeminum, & donorum hujuſmodi poteſtatem. Nihilominus in univerſo non eſt aliqua univerſalis proprietas, quæ ad ſingula reſpiciat, ut ſint ordinata, cognoſcatque ſingula noviter orta, aut oriunda, niſi ſit extra, & præter naturam ſingulorum. Alioquin eſſent innumeræ Deitates, quæ olim: atque inſuper eſſent continuæ diviſiones, atque ſpecierum diſſolutiones. Negat enim Atheus, credere, quæ non cognoſcit per ſenſum. Aquam verò cernit humidam, at non cognoſcit, quid ſit humidum in aqua, aut cur ſit humida. Credit itaque, quod non cognoſcit, quodque non penetrat. Id eſt tanquam beſtia. Nec enim ſcientia humana, ſe eriget unquam ſupra limites, niſi illuminetur à lumine, quod Atheus excludit, ſolaque conceptus ſui contemplatione cuncta definit, quia cuncta ad ſe ubique reflectit. Totus ſcilicet carnalis, & vanus, quamdiu credit intellectum, 9 ſenſuali ſubjecto oriundum. Quicquid enim per conſequentias, numeros, figuras, proportiones, & adæquationes percipitur, eſt mendax; quoties eadem intellecta præfert, vel æquat intellectualibus per fidem & revelationem. Quid ſi Matheſis abſtrahat ab objectis realibus, & ſenſatis omnibus, & tamen creduntur. Cur difficilius erit credere non viſa, modò revelata ſint ab Ente, quod actibus tranſſcendentalibus, 10 oſtendit pleniorem mereri fidem? Si Atheus hiſtoriis profanis aſſentiatur; cur non etiam Sacris? Moſes enim multis claruit miraculis à toto Iſraële cognitis, hiſtoriam ſcribit creati mundi, progeniem hominum ſucceſſivam denique per Abrahamum dilatavit, eductionem Iſraël è ſervitute, Legem denique præſcriptam divinitus tradit, multis miraculis confirmatam, ante populum infidelem. Viſis nimirum in conſpectu populi, centeni mille, coætanei. Scriptis Moſis ſubſignarunt filii & nepotes, dein confirmatis ſcilicet per Avos traditionibus. Idque per cuncta ſæcula ſubſequentia indubiè creditum. Illaque Gentiles traduci ſolicitè curarunt, & miraculosè quidem Septuaginta duo tranſtulerunt, abſq; ulla verborum diſſonantia. Hactenus autem tam Iudæi & Chriſtani, quàm hoſtes horum fidem dedere Sacris. Per Prophetas 11 demum leguntur prædicta multis ſæculis, antequam ab hiſtoriis profanis poſtmodùm probentur eveniſſe. Abrahamo enim divinitùs pollicitum fuit, quod Meſſias è ſtirpe ſua ſurgeret. Idem Melchiſedech ipſi prædixit, & novum ſacrificium panis atque vini illi idcircò obtulit, qui è lumbis ejus quandoque propagando egrederetur. Nuſquam autem offertur Sacrificium, niſi ſoli DEO. Poſtmodum, in diviſione terræ promiſſionis, erat Bethlehem, ſive domus panis. Inde nempe naſciturum ex Virgine Meſſiam prædixerant Prophetæ. Gentiles quoque viderunt, de Cœlo deſcendere panem, qui caſtra Madian deſtrueret; & DEVS Gedeon dictus fuit, quem tamen nondum Gedeon pro DEO agnoverat. Hunc quoque Meſſiam David dein, è ſtirpe ſua naſciturum prænovit divinitùs, eumque idcirco Dominum ſuum, ſive DEVM nominavit, & futurum ſacerdotem juxta ordinem Melchiſedech: in pane ſcilicet, ac vino, divini flaminis inſpiratione prædixit. Hunc DEVM, ſtellam è Iacob prædixit Balaam, quam poſtmodum didicerunt Magi ab Eoo venientes, naſci debere in Bethlehem, ſive; domo panis, ejuſque ſtellam præeuntem viderunt, cujus monitu ab extremo ortu venerant, ut adorarent puerum, qui ſolus eſt adorabilis. Etenim qui illos de ſtellæ ſignificatione prædocuit, potuiſſet locum deſignare, in quo puer eſſet natus, quem tam remoto itinere quærebant: niſi ſtatuiſſet id è ſcriptis Prophetarum eruendum, in honorem Dei, & populi doctrinam. Ergo ſi qua fides ſacræ hiſtoriæ: ea convincit, eſſe Deum unum; Gentium Deos eſſe dæmonia. Hunc Deum Meſſiam, filium ſuum, ex Abrahamo tandem ſuſcitatum iri, abſque voluntate viri, ex ſola Virgine, eſſe panem Angelorum, qui de Cœlo deſcendit, qui ſalvandos ſalvat gratis. Cumque Intellectus humanus hæc myſteria nequeat comprehendere, multoque minus per ſenſuum adju-

torium prævidere: Ideò neceſſum eſt, Intellectum trahere in obſequium fidei, quam ex ſe nullatenus concipere poteſt. Quia cum is ſit limitatæ potentiæ, & fides profundæ ubique obſcuritatis: nequit Intellectus comprehendere infinitum durationis terminum, ſive animæ ſuæ immortalitatem. Itaque tandem conceſſis, creditiſque ſacris, ſaltem per modum Chronicorum, elucet eo ipſo Deus unus, æternus, immutabilis, immortalis, infinitus, omnipotens, Bonus, Verus, Sapiens, Creator, Author, Suſtentator, Gubernator, & vi-
ta rerum. Conceſſo demum hoc Numine,con-
12 cludunt argumenta S. Auguſtini pro immortalitate animæ, & concedenda eſt vita æterna, æternus ignis, gaudium, pax, luctus etiam interminabilis. Suntque Angeli, Cacodæmones, Pythoniſſæ, ſive diaboli mancipia. Horum autem deſunt conceptus intellectui, qui è ſolis tantùm ſapit ſenſibus, juxta Ariſtotelem: Deſuntque verba linguæ, deficiunt & Idiomatibus ſermones poſitivi, ut explicarent, quæ auris nondum audivit, nec Intellectus potuit capere, quod in cor hominis nondum deſcendit: quodque in ſe eſt indemonſtrabile per diſciplinam ſenſuum,& intellectualem. Nam fides, fidei meritum, & exſpectatio juſtorum, ſuperant o-
mnem ſenſum,& quicquid per intellectum con-
13 cipi unquam poteſt. Porrò ſi mens eſt immortalis, & fruitura gaudio æterno, ſeparata per mortem à ſuo corpore mortali exſiſtit, & vivit reverà. Ergo non generatur à corpore, quod in ſe cum omni ſua diſpoſitione, eſt caducum mortale, & cadaver, quotidianis, & quibuslibet viciſſitudinum importunitatibus obnoxium. Ergò mens eſt ſubſtantia immortalis, vita, de natura luminis æterni, inextinguibilis. Ideoque nec generatur, aut provenit ab homine, parente, aut ſemine caduco. Multò minùs ſurgit, aut producitur à ſeipſa: ſed ab initio aliquo æterno, quod in ſe eſt vita lux æterna, infinita, non alterabilis aut extinguibilis. Verba autem hæc ſunt fidei, & revelationes hujus lucis æternæ, ideoque in æternum vera ſunt. Carnalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Dei; ideoque ſapientia ejus eſt ſtultitia apud Deum, qui eſt ordo, integritas, eſſentia, Pater luminum, rerumque omnium cauſa totalis, independens, abſoluta, abſtracta. Cui idcirco debetur omnis honor, ab omni creato. Creavit autem non ſolùm ſubſtantiam Mentis, ut ſit lumen ſubſtantiale, ad ſimilitudinem ſive imaginem ſui: ſed etiam fecit animatorum lumina viventia univerſa. Quæ quidem non ſubſiſterent extra ſuum concretum in abſtracto: ideo & peritura, cum morte eorundem. Ideoque nec ſubſtantiæ, licet ſubſtantiales, ſive per modum ſpirituum ſubſtantialium. Nec proin etiam de numero accidentium, prout alibi tractatu de origine formarum demonſtravi. Vita ergo belluina eſt ex lumine vitali, vivente & creatura inter ſubſtantiam & accidens neutra. Quæ entium neutralitas, Scholis hactenus ignota, data eſt ab etymo Patris luminum. Ita quidem, ut nedum faciat adurentem lucem Solis, ſplendoremque nitedulæ: ſed & omninò animatorum animas, quarum ipſe ſolus vult manere uſque conditor & herus.

NEXVS SENSITIVÆ ET MENTIS,

1. A & ω. 2. *Corpus eſt cadaver nihili, citra mentem.* 3. *Phyſica authoris longè remota ab Ariſtotelis traditis.* 4. *Oſtendit veritatem hanc Intellectus Adamicus.* 5. *Per Orationem abſtractionis Mens explicari deberet.* 6. *Narrat Author ſuas profeſſiones quinque.* 7. *Ex quinto educit quinque concluſiones.* 8. *Connexus mentis tanquam nuclei, in ſenſitiva tanquam putamine.* 9. *Defectus ex anima ſenſitiva.* 10. *Objectio. Contra peccatum & meritum.* 11. *Reſponſio ad præfata argumenta.* 12. *Per exemplum Solis.* 13. *Corrupta natura, perpetuo gratiæ auxilio eget.* 14 *Mens quatenus Dei Imago, nititur aliquid veluti è nihilo creare.* 15. *Differentia conceptuum admirandorum in gravida.*

PRæmiſſis jam quæ ſuperius pro 1
immortalitate animæ ſcripſi, deinceps pro animæ cognitione, ad Dominum meum Ieſum redeo, qui ſolus paternæ ſapientiæ principium, interminans finis α & ω, ſive ſcopus unicus, in quem tota omnium intellectionum claritas eſt, & terminari debet. Cognita namque mentis immortalitate, anima ſibi debet innoteſcere, quantum poteſt. Siquidem
cum anima corporis clavo Rectrix aſſideat. Nil 2
ſanè in corpore (niſi cum Anatome ſola, ſpectem cadavera) operæ dignum examinari poteſt, abſque vitæ ſive animæ cognitione. Enimverò

verò muloties mecum indignatus ſum, velle concipere res externas & alienas: atque interim neſciri, quis ſim ille, qui extra & ſublimia contemplari audeo. Nondum intellecta enim imagine, quam mens præ ſe fert, nec quis, qualis, quantuſve ſit intellectus. Atque tandem, nec
3 quomodo formetur actus intellectualis. Quapropter mecum ſtatui, longè aliam animæ cognitionem tradendam Chriſtianis, quàm quæ hactenus à Gentilium Scholis eſt edocta. Quantum enim verbis explicari poteſt: tantundem quoque Sacra tradunt. Ac reliquum exercitando acquiritur gratis, per ipſam gratiam: Nec alium mens doctorem admittit, quàm illum, qui ſolus Pater atque magiſter vocari præcepit. Quia reverà omnis doctrina, quæ è præexſiſtente ſenſuum cognitione hauritur, procedit ab anima ſenſitiva, carnali, ſive terrena (quamque ideo Apoſtolus Diabolicam vocat) illuminata quidem, at non ab ipſamet Mente: quæ ſcilicet dumtaxat optat illuminari à ſui initio, quod eſt ſupra naturam, & non à ſenſuum obſervatione. Quorſum ſpectat ſtatus
4 intelligendi in Adamo, ante ſuſceptam doctrinam ſenſuum. Noverat quippe eſſentias, & nomina animantum: quia Mens, in divina ſui imagine, hæc intus contemplabatur dum volebat, ipſoque aſpectu eadem memorabat. Sed poſtquam anima ſenſitiva ſubnata eſt, in quam Mens obvoluta immortalis, hujus ſuſcepit vicariatum ſola ſenſitiva, vix autem ab inde ſoporata mens expergiſcitur: ſaltem non apertius aut vivacius, quàm dum mentali orationi incumbit: ſive id ſit, quod interim de ſe disjiciat frenos ſenſitivæ, vel demum quod Deus in ſolo ſpiritu adorari poſtulans, ſuas vocat de-
5 licias colloqui cum filiis hominum. Equidem oratio ſilentii, profundæque humilitatis intellectualis, alium, quàm jam me ſenem, ignarumque Medicum poſtulabat: Sed cum mentis phyſicam explicationem ſuſceperim: ſitque mentis eſſentia, quidditas, & natura phyſica, planè ſpiritualis, atque reſpiciens ſui initium immediatum, & ſupernaturale: debui omnino mentis doctrinam edere, & explicare per ejus exercitia, ut homo ab operibus prodatur. Itaque veniam rogo, & mereor, ſi non pro rei dignitate rem declaravero. Supplebit divina bonitas meos defectus per alium me digniorem. Antequam autem progrediar, ſciat Lector, quod hactenus Scriptorem non invenerim, qui de penitiori mentis vacuo fundo, & fabrica ſive de creatione idearum entitate, veritate, aut quidditate aliquid cogitaverit: ſed potius hujuſmodi doctrinam, velut anomalam, ignotam, atque deſperatam, ſolaque admiratione in fumum tenebricoſum ſublatam, à tergo ſuſpenderunt, nec amplius retro, ut neque introſpexere. Primum enim 6
meos errores putando commiſſos, detegam; ac circumſtantias narrabo, quæ me quandoque fefellere. Sciebam enim inprimis ex fide, eſſe nobis Mentem immortalem, excedentem ideo quaslibet naturæ poteſtates. Quippe quæ à DEO immediatè Adamo inſpirata fuit: eadem quoque hodie fœtui ab eodem Principe vitæ inſpiratur. Vtpote in qua Regnum DEI ſedem ſuam ex beneplacito ſtabilivit, & hactenus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ſuiſque Deitatis chariſmatibus locupletavit, præſentiaque ſui, cacodæmonem excluſit. Pro qua nimirum Mente, mori dignatus eſt: non autem pro Angelo lapſo. Sciebam ſecundò, ex naturæ cognitione, Bruta habere animas, plus minuſve prudentes, & ſagaces: caducas tamen omnes, atque in nihilum properantes: eaſque perire, non ſecus atque flatum. Lumen candelæ extinguitur, & in nihilum abit. Ideoque belluarum animas, non eſſe proprii nominis ſubſtantias ſpirituales: ſed lumina tantùm viventia vitalia animantatorum. Quæ attamen à ſolo Deo Patre creantur, diſpenſanturque juxta exigentiam ſeminalium diſpoſitionum. Sciebam tertiò, quod omnis anima caduca atque ſenſitiva, à ſeminibus occaſionaliter & diſpoſitivè tantùm emanaret: Ideoque nil ſimilitudinis aut unitatis ſortiretur cum Mente humana. Nam etſi à Deo creatæ ambæ: non ſecus tamen dirimerentur ambæ, quàm ſicut ens caducum, ab immortali deinceps. Vel ſicut lumen per exſufflationem interiturum, à ſubſtantia quæ eſſet Deitatis lucens imago. Sciebam quartò, Quod in ſemine humano ſubeſſent diſpoſitiones, & ſpes, ad ejuſmodi animam caducam: non minus quàm in ſemine canino, ad viventem catulum. Sciebam quintò, Animam ſenſitivam (prout de vita longa, tractatu de introitu mortis in naturam humanam probavi:) in nobis ſubortam à peccato, atque permanere naturaliter deinceps, per ſucceſſivam ſexuum copulam: nec Mentem immortalem à natura, homine, ulliſve mediis naturalibus fieri poſſe. 1. Eo quod eſſet ſubſtantia. 2. Quodque 7
eſſet permanens, ideoque 3. Quod ab ente perituro nequaquam fieri poſſet. 4. Quod Mens idcirco è nihilo fieri debeat, per modum

omnium ſubſtantiarum, abſque auxilio naturæ cooperantis. 5. Quodque propterea ſenſitiva, ante peccatum non fuerit in nobis, ut neque
8 neceſſaria. Sciebam denique Sexto, Quod à tranſgreſſione deinceps, Mens eſſet alligata animæ ſenſitivæ. Eò quod in corpore, morti obnoxio, nil eſſet Menti propinquius, magiſque affine in quo ſederet. Quodque ea propter in lucido illo, vitalique initio, ceu diverſorio ſeſe demerſiſſet Mens, divinituſque annexa fuiſſet
9 uſque in vitæ periodum. Contuitus enim ſum ideo tot Amentias, fallacias, defectus, errores, hominumque perfidias, imo & cunctas inſanias, quæ omnem penitus Mentis uſum denegarent, ejuſque totalem abſentiam potius, quàm præſentiam ſuſpicari facerent. Cognovi ſeptimo, Animam mortalem à lapſu deinceps, ita Mentem ſuo obtenebrare hoſpitio, eamque cooperire deſidem, atque velut ſoporantem detinere: ut nedum actiones regeret corporales: ſed ita plerumque ipſam Mentis præſentiam obfuſcaret, ut nil prorſus expeditè hac vita, quaſi non amplius ſui juris eſſet, agere queat. *Lex enim eſt in membris noſtris, repugnans legi Mentis noſtræ.* Tandem controverſam inquietudinem ſubnatam ſenſi: quæ libertatem ac
10 gravamen peccandi nitebatur excuſare. Nam utcunque Mens vitalem continuo radium (utpote quæ nunquam feriatur, laſſatur, dormitve) de ſe ſpiret, in ſui vicariam ſenſitivam: nihilominus videbatur ſuis adeo facultatibus ſerva animæ caducæ, quod impotens ſit ſuo intellectu liberè frui: ſed inſanum ſenſitivæ lubitum concedere. Quapropter facile morborum ſqualloribus ſeductus, pronus deſcendi, quod cernerem ſerpentes, atque ſimplicia quædam, imò etiam domeſtica nobis excrementa, alterare omnimodò uſum Mentis: Poteſtates verò harumque functiones, prorſus conculcatas, & amentes, evadere, fierique beſtiis longè calamitoſiores, nos in tanta majeſtate, ſub imagine divinitatis conſtitutos. Incitabar enim ad hoc, Quod non videretur æquitati, aut poſſibilitati conveniens: Ens aliquod virulentum, caducum, & Mentis immortalitati impar, calcitrare poſſe imaginem Dei: ut omne jus atque prærogativam, pro lubitu rabientis canis, amitteret: eſſetque infimi poteſtas, dilatata ſuper excellentiam entis, deinceps duratione infiniti: Videbatur namque debere eſſe impaſſibile à caduco: quicquid per ſe eſſet immortale. Quinimo Mens Prudentis obſidetur plerumque à ſtultitia: quod quilibet ferè ſuo laboret vertiginis puncto. Irretitur namque quicunque amat, quod non eſt amabile, & qui inter amabilia non ſervat proportionem adæquationis: jam in hoc adſpicit plauſibilia, ut placida, cum affectu dementiæ. Sic enim Eva aſpexit pomum, ut pulchrum, ideoque ut placidum. *Statim tulit illud &*
comedit. Idque tam eſt ſolitum, ut Sacra dicant, 11
Stultorum infinitum eſſe numerum. In has enim errorum fallacias præceps ivi, quod adhuc neſcirem, quæ eſſet combinationis Mentis, & animæ ſenſitivæ neceſſitudo, atque vinculum. Enimverò, quia Mens connexa erat jam animæ mortali, ſtabat huic, jure hoſpitii, alligata. Adeo, quod etſi Mens ex ſe eſſet impaſſibilis: attamen quia, conjugali unitatis vinculo, atque toro, ambæ ſimul erant combinatæ: ſic ut anima mortalis, Mentis immortalis ſola frueretur vita: neceſſum fuit penitus, quod quoties anima immortalis pateretur quicquam à rebus caducis, noxiis aut ſibi hoſtilibus: idipſum conjugii parilitate, unitate conjugali, & ſociali hoſpitalitatis jure, ipſa quoque Mens etſi immortalis, conſecutivè quoque pateretur. Non quidem quod propterea caduca, vim ſortirentur ſuper ens immortale, ſibi ſupereminens, & fori alieni: Sed voluit Deus ſic mentem pati, quatenus hoſpitii incommoditatibus impeditam, ſuæ amplitudinis libertate orbaretur, auſcultaretque anguſtiis, atque anxietatibus ſui domicilii. Etenim vita immortalis Mentis communicatur animæ caducæ, ſedi, atque hoſpitio. Quæ vita tamen, (ut alioquin omne recipiens per modum, & capacitatem recipientis, recipitur) caduca fit in connexo, ſive in lumine caduco. Quæque ideo & à caducis conculcari poteſt, ut penitus vita exſuffletur. Ac tum Mens ſuo privata hoſpitio, non quidem extinguitur, vel annihilatur: ſed recedere cogitur, propter diſligationem & annihilationem ſyndeſmi. Quicquid ergo Mens ſubter vitam pati videtur, ſoſpes quidem ipſa manet: at non liberè ſua munia exercet: quia ſenſatio
eſt in medio vinculi. Siquidem conſtans conſideravi 12
lumen Solis, maritatum ſplendori nitedulæ: ſic ut ex utroque unicum micaret. Ambo enim connexionis lumina, in nobis, non eſſe quidem lucentia lumina: ſed viventia ac planè vitalia. Vnum nimirum cœleſte, ac conſtans: alterum verò vermiculare. Tum denique finxi, Nitedulæ lumen maculatum, ſeu tinctum. Sive enim id proprio contingeret errore:

ſive demum, quod cortex illi tinctus obtenderetur: Saltem lumen ſolare, quod perpetuò ſibi conſtat, quatenus tincto jam lumini nupſiſſet, translucens per nitedulæ lumen, ejuſdem labem atque tincturam velut aſſumit, ac velut patitur, non quidem quod Sol patiatur, ſed ipſius dumtaxat lumen: quod actiones vitales edit, juxta deturbatos nitedulæ colores. Extinctoque tandem nitedulæ lumine, ſolare lumen perdit conjugem, & abit in primum ſui fontem, ut de præſtitis muniis rationem det. Sic nempe mens tolerat invita omnes inſanias ſenſitivæ, quas carnis ſordes illi obtendunt: clarumque intellectus jubar, nequiens penetrare ſordes, peſſumdatur.

13 Etiamſi in ſui radice ſit penitus impaſſibile. Quod autem jam de vita dictum eſt, id ipſum de aliis Mentis functionibus eſt interpretatum. Certum interim ac manifeſtum, Quod ſenſitiva ut mentis ſedes: ita ejuſdem immediata pediſſequa. Cui cum ſit delatum regimen à lapſu deinceps: ideo in ſe transſumit per indebitam aſſuetudinem, omnem mentis energiam. Non ſecus ac quis manu ſiniſtra panem ſcindere aſſuetus, vix poteſt dextera eundem dividere. Itaque mens ordinariò aſſueta conſentit, quæcunque compartrici patino vitæ radio, anima ſenſitiva brutalis, amplitudine ſuæ libertatis & conſuetudinis licentia, patrat. Quapropter in omnibus & per omnia hujus peregrinationis itinera, egemus auxiliis gratiæ divinæ, pro quibus ſæpè indies orandum: Ne inducamur in hoſpitii noſtri tentationes. Quod diſtinctius patet, ubi mens operatur, diſtinctis planè palæſtris, ab anima ſenſitiva procul diſſitis. Quorſum primò conſideratur vis animæ ſenſitivæ imprægnatæ: quomodo nempe ope radii mentalis (nam ut mens eſt imago Dei: ita etiam aliquid ex nihilo ſoloque nutu, quandoque creare ſatagit) creet, ſolo appetitu, verum ceraſum extra
14 lignum. Imprimis indubium eſt, quod ejuſmodi cogitatio ſit appetitiva, vel formidans, &c. nondum diſcurſiva, multoque minùs nuditer ſoli menti ſubdicta. Deindè ceraſum ſic productum, eſt verum: non autem ſola ceraſi macula. Siquidem quotannis colores mutat ſtatis circuitibus, quibus arbores ſuos fructus colorant. Inde enim actio imaginantis Gravidæ manifeſtior fit, ſeſeque extra cenſum ſolius maculæ extricat. Dum mulier, cernens Bruxellæ in foro aliquem capite plecti, mox parit fœtum decollatum, cujus caput juxta truncum reperiebatur. Idque alibi recitavi accidiſſe in brachii & manus amputatione: ubi tamen brachium, vel manus, non fuere reperta. Saltem actualiter & verè operatur anima ſenſitiva in homine radio mentis illuſtrata: ideoque illud non uſque adeo in brutis eſt obvium. Quodque ſi non pluries contingeret, facile à criticis in ſuſpicionem pacti impliciti cum cacodæmone conjiceremur. Etenim quia non ſola hæc operatur ſenſitiva; ſed radio mentis immortalis illuſtrata: Idcircò eſt quædam creationis ſimilitudo, quæ ab imagine viva ſui creatoris editur: neque itidem bruta hunc æmulantur ideo effectum. Sola nimirum paſſionis conceptione, ceraſum ex nihilo creatur in fœtu, ea parte, qua prægnans foris manum admovet dexteram, ſi dextera eſt; vel ſiniſtram, ſi ſiniſtra fuerit. Eo quod iſta manus ſolita ſit deferre animæ imperia. Creaturque ſimul totum ens ſeminale Ceraſi, extra ſuum lignum, & quidem perfectum: non autem ſenſim per ætates accreſcens, prout alioquin in arbore. Vbi ceraſus poſt aliquot annos, ſuos edit fructus. Aſt extemplo, ceraſum in utero, vel mus fabricatur, &c. Quæ vis fabricans requirit viſum, & inſuper perturbationem, &c. ut deſignetur vis conceptus animæ: non autem diſcurſuum opus. Nec eſt enim vera iſthæc creatio. Quia non 15
fit materia nova, vel ex nihilo: ſed eſt creatio tranſmutativa unius in aliud, ac penè inſtantanea. Quæque dum jam in conceptu eſt creata ente ideali, & veſtita in ſpiritu vitali matris, mox per manum deſignatur locus, quorſum deferri & depingi debeat. Cujus manus defectu, perit hauſtum ceraſi ſigillum, atque annihilatur creatio. Idque in appetitivis. Alioquin in geſtis formidabilibus: quippe tantò potentioribus, non requiritur directio manus maternæ. Amputatur ſcilicet manus, vel brachium fœtus, etſi manus matris quieta manſerit, nec reperitur inter involucra, prout caput. Prout & dum fœtus tranſmutatur in monſtrum. Sed in beſtiis informidabilibus requiritur manus, loci deſignatrix pro fœtu, ut totus immutetur. Eſtque in iſtis formidabilibus diverſa ratio. Eò quod in uno oſtendatur ſolus actus, & in alio ens creatum. In illo enim prætendit ablationem ſolam: in hoc autem æmulari cupit, aliquid creando. Eſt denique in hujuſmodi iſtud univerſale, quod mater efficiens non intendat pro ſuo fœtu id facere: adeoque non in ſe, ſed in ſuo fœtu, has affigit imagines, pro lubitu manus, & non pro velle mulieris concipientis appetibile, vel horribile. Præcedit ſed conceptus aliquis plauſibilis, vel timoroſus, cum appetitu, vel averſio-

ne. Sequiturque inde ſtatim appetitus conceptuum, cum deſiderio vel pavore. Quæ hoc loco ſic dilatavi, ut imaginis divinæ poteſtas ſimilitudinariæ creationis, nos deducat in ſimilitudinem creandi amorem divinum in mente. Dum ipſa nempe proprio motu, nec ſolo ſui radio in animam caducam diſperſo, (prout in gravidis jam relatum eſt fieri) proprioque optatu, intus totaliter in Dei amorem fertur. Ah utinam eò ducamur?

ASTHMA ET TVSSIS.

1. *Pori Pulmonis, & nervorum patent, quamdiu vivitur.* 2. *A capite nil ad pulmonem depluit.* 3. *Capiti in Aſthmate malè applicari remedia.* 4. *Quis Vulcanus Corruptor.* 5. *Quo errore dulcia remedia, & Illinctus, ſint introducta.* 6. *Probatur quod dictum eſt.* 7. *Cenſus medicamentorum uſualium ordinariorumque.* 8. *Remedia Tuſſis, & Aſthmatis, non diſtinxere.* 9. *Duplex Aſthma.* 10. *Calamitas ſexus muliebris.* 11. *Incogitantia Scholarum.* 12. *Vana tentamina.* 13. *Activitas uteri, in Aſthmate.* 14. *Quomodo regat & regatur Vterus.* 15. *Hoſtis in utero.* 16. *In diſtinctione erratum.* 17. *Mulier bis patitur omnem morbum.* 18. *Subdiviſio Aſthmatis.* 19. *Ignoratum Aſthma hactenus.* 20. *Cur medici audiant, quæ audire nollent.* 21. *Hiſtoria Conſulis Aſthmatici.* 22. *Hiſtoria juvenis nobilis venatoris.* 23. *Hiſtoria Canonici.* 24. *Hiſtoria monachi.* 25. *Hiſtoria civis.* 26. *Hiſtoria ſexagenarii.* 27. *Indagatio nidi in Aſthmate ſicco.* 28. *Nidus cur in Duumviratu.* 29. *Aſthma cur Epilepſia pulmonis.* 30. *Qualitas veneni Aſthmatici.* 31. *Hiſtoria Comitiſſæ.* 32. *Locus veneni alius in Conſule, quàm in Venatore.* 33. *Semen & fructus Aſthmatis, quomodo differant.* 34. *Cur ſubitò invadat.* 35. *Cur Aſthma ſiccum ſit extra defluxionis ſuſpicionem.* 36. *Capiti non applicanda remedia.* 37. *Remediorum cenſus.* 38. *Notatur Paracelſi paragraphus de Aſthmate.* 39. *Remediorum dolus in quo ſit.* 40. *Propria Aſthmati remedia.* 41. *Cauſæ uterini Aſthmatis ſunt per accidens.* 42. *Hiſtoria Præpoſiti.* 43. *Aſthma inter ſiccum & humidum, ambigens.* 44. *Artificia Aſthma humidum cauſantia.* 45. *Aſthma humidum ab hauſtu Endemicis.* 46. *Hiſtoria Aſthmatici ſtatim ſuffocati.* 47. *Iudicium erroneum adnati Pulmonis.* 48. *Anatome malis fundata principiis, ſæpè ludicra.* 49. *Vnde mors, & repentina ſuffocatio.* 50. *Notabilia circa Aſthma ſexagenarii.* 51. *Probatur ab eſitatis nocuis.* 52. *Quod iſtud Aſthma ex Splene fuerit.* 53. *Ratio Scholarum rejicitur de motu acclivi in Aſthmatico.* 54. *Aporrhoë quadruplex.* 55. *Examen per Regulam ſuppoſiti falſi.* 56. *Subterfugium.* 57. *Conſiderationes aliquot, pro quæſtione propoſita.* 58. *Ratio per conjecturas ſumta.* 59. *Signa confirmantia.* 60. *Aſthma humidum.* 61. *Differt à comite Tuſſi.* 62. *Quibus de cauſis ſurgat.* 63. *Aſthma promiſcuum.* 64. *Remedium appropriatum tam humido, quàm ſicco.* 65. *De Tuſſi ex gravedine, ſive Coryzza.* 66. *Cur mucus in decurſu Coryzzæ variet.* 67. *Obſervationes aliquot.* 68. *Pro Tuſſi non deſcendere phlegma è capite ad Pulmonem.* 69. *Remediorum altiorum cenſus.* 70. *Hiſtoria ſenis ſtertentis.* 71. *Authoris opinio.* 72. *Deciſio quæſtionis qualis.* 73. *Adprobationem accurrunt ambo Cuſtodes, ſimul cum hiſtoria Laticis.* 74. *Quantum & quouſque Cauterii uſus reſpondeat.* 75. *Potuum deſiccantium applicatio.* 76. *Eclegmatum conſideratio.* 77. *Fumi ſulfurei connexio potui.*

AD Catarrhi nænias quia tranſla-
tum eſt Aſthma, ſitque affectus
non cognitus, & vix ſanatus ha-
ctenus. Idcirco particulatim de
Aſthmate ſcribere cogor. Quor-
ſum repetenda ſunt quædam ex
prædiductis. Nimirum Pulmonem poris per- 1
vium, quamdiu vivitur, non ſecus atque ner-
vos omnes. Quod inprimis patet in opticis, ſi
uno oculorum clauſo, ſpectetur pupilla alterius
grandeſcere. Aſt in morte clauduntur, quæ
alioquin in vivis ſunt pervia: peritque viſibili-
ter, lumen ex oculis morientium, quod clauſis
opticis ceſſet deſitque ſpiritus viſivus eô de-
fluere. Hoc ipſum jam ſua ætate noverat Hip-
pocrates: ideoque corpus totum perſpirabile
& conſpirabile declaravit. Deinde, jam ſat de- 2
monſtratum reor, à capite nil decidere in La-
ryngem, vel Pulmonem, quod frequenter &
copioſè tamen, per tuſſim exſcreatur, adeò ut
nec locus fictæ diſtillationi, vel Catarrho, ſit in-
teger. Verum quicquid Tuſſis ejicit, id fieri in
cannis Pulmonis, vitio proprio. Itaque hacte-
nus eſſe erratum, propter ignorantiam partis
mandantis, patrantis, & recipientis, & propter
materiæ, modique fiendi, incogitantias. Nec
mirum idcircò, & in ſanando actum nihil.
Quippe capiti adhibita remedia, ne faceret, ne- 3
vè mitteret, vel ſponte propria, laberetur in pul-
monem materia, quæ nunquam in capitis fuit
poteſtate: At penes ipſum pulmonem conſtan-
ter fit. Steteruntque ideo ægroti abſque me-
dela: quod omnis medentum cura verſare-
tur partim circa inſons in hoc morbo caput,
partimque circa præcautionem, atque facilio-
rem ſordium ejectionem. Non autem circa
emen-

emendationem illius Vulcani Corruptoris, qui
fabricat ex bono Pulmonis alimento, præfata
phlegmata. Nimirum cauſarum priorum ignorantia,
fecit Scholas perpetuò ad effectum, ac
poſterius, ſuas dirigere medendi intentiones.
5 Nam dum animadverterent, potus & cibos recta
ad ſtomachum deglutiri : nil autem Pulmonem
verſus deflectere, excogitarunt dulcia,
quæ expectorationi inſervirent, quatenus faucium
6 glabritiem facerent. Tum dein ſyrupos
craſſiores invenere, utpote quos putarunt ſenſim
illingendo, majori jure ad Pulmonem pro
parte illabi. Atqui iterum oſcitanter omnia.
Nam inprimis In hoc, capitis, ac dein ſuarum
theſion, oblitæ Scholæ ſunt. Tum denique non
conſiderarunt, quod ſi ejuſmodi eclegmata ad
pulmonem intrarent, plus anguſtiarum & moleſtiarum
cauſatura, quàm ipſæ ſordes ibidem
reſtagnantes & fabricatæ ſenſim. Saltem malum
malo accumularent novo. Non enim
quicquam proficerent ibidem, niſi quod obſtipationem,
multa viarum anguſtia, angerent, anxiamque
7 redderent de cætero. Eo præſertim titulo,
quod roſæ, farfara, pulmo vulpis, ſaccharum,
&c. nequicquam reſpondeant Indicationi
curativæ. Vtpote quæ oblæſæ facultatis commutatricis
redintegrationem dumtaxat poſtulat.
Quæ verò faciliorem expectorationem reſpiciunt,
morbum à tergo, ejuſque effectus tantum
adoriuntur. Cum igitur, qua parte arteriæ
aſperæ extrema deſinunt, ſpirantque in thoracem,
Pulmo pateat : ſatis liquet, quod in Aſthmate
8 corundem pororum ſit ſtrictura. Inſuper
adhuc errant, quod remedia Tuſſis nequicquam
differant à remediis Aſthmatis: dum tamen ambo
immenſum & omnifariam diſtent in radice,
9 & cauſis. Eſt itaque duplex Aſthma. Vnum quidem
muliebre, ex ſolo uteri regimine pendens:
alterum verò promiſcuum, utrique ſexui commune.
10 Miſera certè utrobique fœmina, quæ negotiis
penè omnibus excluſa, ſimplici tamen cujuſque
ſpeciei morbo, non ſat luit. Eſt enim
Aſthma hoc tam frequens huic ſexui, quod omnem
uteri Arithmum (qui permultiplex eſt)
Scholæ dicaverint uteri præfocationibus, unoque
velut capite, ingens volumen morborum
præteriiſſe voluerint. Vidi enim frequentes, quæ
ſuaveolentium odore, præter Cephalalgias, &
comminatas ſyncopes confeſtim in extremam
reſpirandi difficultatem inciderent. Aliàs quoque
obſervavi, quæ ſpirante Borea, ſtatim, vel in
hypocauſtis, Aſthmate plecterentur inſontes.
Denique & alias, quæ ex ira, nuncio triſti, potu
ſacchari, vini Hiſpanici, &c. vel etiam objurgatæ,
luctuoſo mox Aſthmate corriperentur. Etenim 11
Scholæ, ſemper tantùm circa actiones
corporales verſatæ, ſuoſque proin venerantur
perpetuò humores, pituitam utrobique incuſarunt,
depluentem ſcilicet in Pulmones. Quod
ex utero tetri adſcenderent vapores, qui tam de
ſe, quàm aliundè è ſtomacho, ſuſcitarent conſocios
halitus, undè exprimerent omnem muccum
expectoratum, Aſthmatis authorem. Scholæ
enim dedere vaporibus tam noxiis ſalvum
conductum, quaqua verſus penetrandi: quorſum
nempè aëri non eſt liber tranſitus. Quod patet
in anhelitus voluntaria compreſſione, ſive detentione.
Imò quanquam hæc locum tantùm 12
habeant in Aſthmate humido, eadem tamen
ignorantia non deſtiterunt, fruſtranea quælibet
tentare, per enemata, phlebotomiam, cauteriaque,
& ſolutiva, ut fictorum vaporum revulſioni
ſatiſdarent, etiam in Aſthmate ſicco. Neglexerunt 13
itaque, quod uterus, actione regiminis,
modoque penè influentiali, ad nutum iræ, triſtitiæ,
pavoris, &c. præfatos pulmonis poros, qua in
thoracem deſinunt, obſtipet, mortis inſtar, perindè
atque luna, ſolo adſpectu, aquis præſidet,
eo quod uteri vita atque poteſtas toti imperet
mulieri. Cui videl. proin, aliud quàm viro, mentum,
ingenium, caro, pilus, ſanguis, &c. Iterumque
ceſſantibus furiis, & exundationibus præfati
regiminis, confeſtim libera reſtituitur reſpiratio,
ac plerumque citra notabilem exſcreationem.
Nec enim uterus vaporibus tenus : ſed 14
mero regiminis imperio, totam regit mulierem,
cum ſit peregrini hoſpitis inſtar, à corpore non
niſi alimentaliter dependens, prout viſcus ab arbore,
cui innaſcitur. Cæterùm uterus quadra vivit 15
propria, nullumque ſibi, præter animi pathemata,
hoſtem novit. Quapropter non ſervit
animæ: ſed in importunum perturbationibus animum,
non ſecus atque in corpus furiendo, ſævit.
Solæ namque perturbationes animæ, uterum
in diverſos furores agitant: adeò ut nunc in nervos,
tum in inteſtina, oſſa, viſcera & membranas
crudeliter ferociat. Cor item caputve, ſenſus
ac mentem ſuccutiat. Vidi namque non rarò
tendines, magno cruciatu convulſos, ſpontè extra
locum proſilire, miras quoque muſculorum
convulſiones, ingenti ejulatu concitaſſe, reſolviſſe:
imò & ipſamet oſſa ſeriò diſlocaſſe. Obſervavi
ſic quoq; Apoplexias, Paralyſes, Caducos, Icteros,
Hydropes, tormina, hemicraniam, amentias,
multamque morborum tyrannidem ex utero
proveniſſe. Quæ prout à Scholis, virilibus 16

remediis ſunt fruſtrà tentata, neglecta dicam,
atque ad ſolam Aſthmatis præfocationem relata
quodammodo: quaſi ſingulari prærogativa
ſolum guttur utero obediret. Multa profectò
commiſeratione dignus ſexus, in adjutorium
magnarum neceſſitatum nobis datus: ac quaſi
17 proindè multiplici ærumnâ dignus. Siquidem
ſemel omnes propemodum morbos patitur ex
utero, iterumque eoſdem quatenus homo, duplices
corruptæ naturæ pœnas, inſons atque
devotus ſexus, per miſera individua muliebria,
tolerat. At felix ſaltem, quod tribulationes patienter
ferat atque Dei filio hactenus propinquior.
18 Eſt ergo Aſthma alterum, utrique ſexui
promiſcuum. Subdividitur autem iterum Aſthma,
in ſiccum & humidum, ſic ab excretis cenſum.
Steterunt hactenus cauſæ Aſthmatis, ejuſque
fiendi modus, in Scholis ignorata. Ac conſequenter
19 manſit inſolita Aſthmatis ſanatio. Sit
teſtis atque judex Deus inter me, & Humoriſtas,
quantum commiſerer ægros malè exceptos,
ſub infauſtis inſcitiæ obſequiis: atque tandem
ſpe truncos, nummoque emunctos miſerè
deſeri. Id eſt, ſæpè deludi. Agitati namque fruſtraneis
tentaminibus, ſtupuere mecum, tam
ignavam opem, à tot ſeculis & bibliothecis, peti.

20 Vbi interim non raros à vetula, vel agyrta, ſanatos vidimus. Obdormiunt quia Scholæ ad querimoniam ægrorum. Etenim horum ejulatus audiunt quidem; ſed cum Levitis tranſeunt in Iericho: quodque audire nollent, audiunt idcircò inviti. Infauſtas nempè indies ſibi fieri morborum clientelas. At nec proindè vel unguem à prædeceſſoribus recedunt, ut ſemel, de proximi vita ſibi tradita, ſeriò penſitent. Adſtipulari enim veteribus, atque cœcis ductoribus, in ignaviam ceſſit: proindè nec erubeſcunt amplius, incurabiles decernere, quotquot phlebotomo, ſolutivo, ſudore, clyſtere, cauterio, thermis, potu acidulorum, id eſt, vires diminuentibus, non palliaverint. De Aſthmate autem nunc, atque primum hiſtorias aliquot notas deſcribam. Qui autem me ſequentur, eadem ſcrutabuntur melius atque felicius.

21 Conſul magnæ urbis, quinquagenarius, liberalis potator & vir fortis, de ſcala in navi, lapſus in humeros, & occiput dudum ſyncopizavit. rediens in ſe, per menſes octo, benè ſe habuit. Inde febrim leviculam paſſus, per dies aliquot: Compotationes deſerit, quia febri Aſthma illum corripuit. Acceſſus ſinguli, per dies & noctes aliquot, continuò minabantur ſtrangulatum. Finiunt autem, citra manifeſtam exſcreationem. Aſt nox, inſultum Aſthmatis præcedens, inſomnis, inquieta, cum oris ariditate, febrili admonitione, lotii mira abundantia, ac plerumque tribus ſeceſſibus, importuna. Sequenti dein manè, unico velut inſultu, anhelitus, quaſi præciditur abrupto filo, humeros, reſpirando ut alas attollit, utramque manum ad lecti ſpondam premit, quo humeros facilius altiuſque elevet. Vultus rubet, & oculi prominent. Sicque inſomnes aliquot dies & noctes tranſigit, & cum ſuffocatione inſtanti continuò luctatur. Tandem exacto paroxyſmo, rectè valet, edit, ambulat, ſcandit, venatur, equitat & itinerat. Imò nec meminit ſibi unquam in vita doluiſſe caput, aut tuſſibus obnoxium pectus.

22 Iuvenis annorum 24, nullo ſanitatis aut vitæ errore contaminatus, ſtudioſus, nobilis & venationi quoque incumbens. Hinc nempè pedibus curſuque velox. Hic enim Bruxellas veniens, itinere trium leucarum, à cœna moderata, cum ſorore, primùm corripitur Aſthmate, totoque triduo, ſuffocationis metu, laboribus & ſudoribus inter mortem agonizat. Mox dein reſtituitur ſine ſputo, celerque benevalens ſuam repetit domum. Dein toto biennio decumbere non fuit auſus: ſed ſedens juxta focum, totis pernoctat annis. Etenim ſi decumbat, mox ſopitum Aſthma expergiſcitur. Subindè etiam paroxyſmus minatur, imò incipit; at non pergit: una quoque vice crudelius affligit, quàm altera. Exacerbatur lunæ ſtationibus, ut & aëris tempeſtatibus, quas etiam ideò præſentit, atque præſagit. Æſtate ſaltem ſævius atque ſæpius infeſtat acceſſus quàm hyeme. Imò hodiè frequentius atque crudelius urget, quàm primo ſui initio. Diebus autem intercalaribus ambulat, currit, equitat, venatur, atque cætera ſanorum munia ritè obit: ſed noctu non audet decumbere. Montanis locis pejus ſe habet, idcircò Bruxellis vix pernoctare audet. Porrò antè paroxyſmum aliquot horas, ſaliva ipſi ſalſa evadit, ſentit dentes, ac gingivas ſibi contrahi, inteſtina quoque magno mugire murmure: Dolere utrimque latera: itemque copioſam, frequentem, & aquoſam reddit urinam: ac liquidior ipſe alvus ſolvitur ter quaterve. Poſtremò, ſtatim velut ſibi injecto laqueo, Aſthma illum apprehendit, vice ſingula, minatur præfocationem toto acceſſu. Sub finem tandem, quatuor aut quinque ſpumoſa ſputa, facilè abſque tuſſi exſcreat, liberaturque mox velut ablato laqueo.

23 Futuram autem paroxyſmi feritatem, ex magnitudine prægreſſorum ſignorum, dimetitur.

Canonicus quidam, vir conſiſtentis & viridis ætatis, tota æſtate propemodum Aſthmaticus: totaque hyeme liber. Sed qua ſtatione Aſthmate premitur, toto prurit corpore, ſquamas dejicit albas, ac ſpeciem Lepræ exhibet. Matrem pari pruritu laboraſſe, ut & ſororem dicit. Illam quidem ſic occubuiſſe. Hanc verò ſpontè curatam à ſecundo partu.

24 Monachus quidam Ord. S. Franc. de Paula Laïcus, occupatur diruendis ædibus. Atque deinceps quoties locus aliquis verritur, vel aliàs ventus pulverem excitat, mox concidit ferè præfocatus. Mente quidem conſtat: ſed penè præcluſo anhelitu jacet moribundus: tantumque deinceps cubat ſedens. Dumque piſces oleo frixos (pro ordine, & appetitu ſuo) edit, ruit extemplò, anhelitu privus, ſic ut vix à præfocato diſtinguatur. Dicit ſe ſentire ſigna inſtantis Aſthmatis, quæ alter venator refert: Parique ſe ſymptomatum prænuncio certiorem fieri, de futuro acceſſu, ejuſque atrocitate. Id ſcilicet, dum Aſthma ſpontè, & non à cibis aut pulvere irruit.

25 Civis quidam, vir cordatus ac prudens, à Magnate, opprobrio & publica injuria affectus: cui ne verbum reſpondere poterat, abſque timore ultimæ ruinæ: Subticens diſſimulat, atque tolerat contumeliam: ſed mox abindè Aſthma oboritur, quod alioqui benè valenti, magis indies ingraveſcebat toto biennio. Tandem ſub finem Hydrops moderatus, illum paucis diebus extinxit.

26 Puer quidam, mox à cunis cum quartana, toto biennio dimicat; præterque ſpem omnium, per criſin, multaſque ſedes, convaluit. Licet arduo comitiali, pro mortuo habitus. Adoleſcens & Iuvenis, ſat agilis fuit, ſed temeræ valetudinis. Mox à Iuventute, ſenſit in curſu, ſe juſto nimium anhelaſſe, quod vitæ, commoditatibus ſaturæ, tribuit. In virilitate, ſenſit moderatum tripudium, anhelitu breviore juſto ſe luere. Circa annum quinquageſimum autem, manifeſtè ſuſpicatus eſt ſe Aſthmaticum: Idque manifeſto auctum ſenſit circa ſexageſimum. Etenim ab infantia, lienem habuit notabiliter offenſum, atque ſubinde dolentem. Ita ut equitatio unius diei moleſta foret, ob ſuccuſſionem Splenis: atque potiſſimum defatigabatur, ſi curſu veredarii diem tranſegiſſet. Porrò, comitialis ille, quanquam non niſi gravioribus de cauſis ſe proderet, aliàs per aliquot annos ſopitus: non erat tamen convulſivus, verum inſtar deliquii animi. Sentiebat autem gaudium quoddam, circa orificium ſtomachi, mox corruebat. Rara ipſi quidem tuſſis; ſed imò ab adoleſcente exſcreatio frequens. Sputum autem habebat, guttulas ſubcœruleas, liquato tragacantho ſimiles. Sputa rara, tota æſtate: frequentiora ſub frigoribus, adeò ut ingraveſcente ſenio, tota hyeme ſcreatus plurimus ipſi eſſet. Tandem jam totus Aſthmaticus, uno anhelitu totum pſalmum De profundis perlegit, non citato ſermone, modo ſederet. Deambulat etiam in plano per leucam ſat celeri paſſu: ſed ſi plateam, vel ſenſum acclivem, moderato ſcandat greſſu, confeſtim ſalivat, anhelat, thorax anguſtiatur, cor ſubinde palpitat, inordinato interruptim pulſu. Lingua retro ad fauces areſcit, & circa dentes ſpumeſcit. Cæterùm genua penè labant, cum Aſthmate, & juxta menſuram ejus, magis minuſque; cum tamen ante Aſthma, totum crus agile & validum eſſet. Cæterum ſedendo, aut ſtando, imò domi obambulando, nunquam anhelat, ſi non ſcandat. Quoties largiori cœna refectus eſt, noctu anhelat, contrahitur thorax, & ſtertit Larynx murmure quaſi continuo, ſputoque gurgulio tinniret. Quæ cuncta ſedendo, mox ſopiuntur, exſcreatque longè facilius aliquot phlegmata, quibus expeditis, recumbit iterum. Parca autem cœna, ut ſtomacho quietem dat; ita & pulmoni pacem. Percipit autem, ſibi hoc Aſthma nidum habere, ac primitivum fontem, loco inter os ſtomachi & umbilicum medio. Hæc ſic ad longum protraho, quo ſemina Aſthmatis ſint manifeſtiora.

Enimverò tam in Conſule, Cive & Venatore, 27
quàm in Canonico, ſtat Aſthma in ſemine virulento, quod ſpiritum alicujus viſceris, pro radice atque diverſorio, eſt nactum. Seminis autem illius proprietas eſt, contrahere poros pulmonis, quibus anhelitum in thoracem tranſmittit. Cujus conſtrictionis neceſſitas apparet ſtatim in dentibus atque gingivis. Afficit namque totum, quia diſpergitur in organum toti communem Archeum. Renes ideò enim emulgent lotium, alvus ſolvitur, mugiunt inteſtina, ſanguificatio ceſpitat, cor palpitat: atque tandem pulmo contrahitur, non ſecus atque Scrotum, ſub
aſſellandi cupidine. Eſt autem nidus Aſthma- 28
tis in Duumviratu, (de quo agam tractatu ſingulari) undè videlicet totius moderamen pendet: nam alioqui malum non ſedet immediatè in ſpiritu influo: quod ſcil. unica acceſſione terminaretur: etenim niſi ſtabilem intus radicem obtinuiſſet, non repeteret, uti nec perſeveraret.

Tum denique character mali, qui in ſtabili parte tantiſper dormit, non videtur alibi ſtabulari poſſe, quàm undè regimen çorporis pendet, adeoque & cordis prærogativam aſſumſit. Eſt ergo Aſthma, in hoc Epilepſiæ ſimile, quod licet non mentem feriat, non contrahat nervos, aut ſyncopen concitet: dormit tamen in aliqua ſede, unde tandem, contagione quadam Archeum inquinans, ſi non nervos, ſaltem pulmonem contrahat. Reſpicit nimirum ſingulariter illud viſcus: Imò licet pari paſſu, venas, renes, & jecur contrahere videatur: non eſt tamen horum tam manifeſta læſio, qualis in præfocando ſentitur. Quæ cuncta adhuc clarius conſtant in Cive & ſene ſexagenario. Hinc namque ab infantia, lienem malè affectum, ſimulque epilepticos inſultus, retinuit: pulmonem aliàs ſat liberum. Ille verò, per agoniam pudoris, iræ, vindictæ, & rationis imperantis modeſtiam, oſtendit viſcus ſibi læſum, in quo primi conceptuum motus ſtabulantur.

29. Licet itaque libertate philoſophica, Aſthma
nominare caducum pulmonis. Eſt quidem ni-
dus ejus in Duumviratu; morbus totius quo-
que quatenus membra cuncta commovet, ante
acceſſum, adeoque & ſpiritum, totius rectorem,
concutiat. Attamen, in area thoracis fructifi-
cat, reſpicitque ſingulariter ipſum pulmonem,
velut ſuæ proprietatis ſcopum, & objectum pro-
prium: è veneno fit iſte caducus pulmonis, quod
proprietate ſua Pulmonem afficit, non ſecus at-
30 que cantharis lotii organa. Venenum ſcilicet a-
liquod eſt, quod caput, totumque hominem, in
epilepſiam ſternit, multoque inſolentius, atque
mirabilius, quàm quod Pulmonem ſtringeret.
Affectus tamen raritas, non auſa eſt compellere
ad epileſiæ cujuſdam poſitionem. Cum tamen
interim, quicquid epilepticum adultum ſanat,
31 ſanet etiam Aſthmaticum. Ex utero etiam vidi
ſurrexiſſe virus, quod nil præter gulam ſtringe-
ret, ſic ut à trimeſtri vix quicquam deglutiret
matrona illuſtris. Acceſſi, malum cognovi, &
confeſtim ſanavit illam Dominus. Præ macie
enim & fame, continuo caduco infeſtabatur, &
à 37 diebus ſeceſſum unicum habuerat ad glan-
dis magnitudinem. In Conſule quidem conſiſtit
virus in liene, ideoque cum febri incepit, inci-
pitque ſemper, quod febrilibus initiis fuerit ibi-
dem confermentatum. In venatore verò circa
os ſtomachi, cumque eum apprehenderet, fuit
à febrilibus initiis immunis. Adeoque & ſuum
paroxyſmum inchoat per modum caduci, eſt-
que etiam quotidianus ejus inſultus, quod cordis
rhythmum exprimenti viſceri, ſit concen-
tricum fermentum ſui Aſthmatis. In hoc ideò
confabulatur cum excentricitatibus tempeſta-
tum, in eo autem non tam promtè illis auſcul-
tat. Vtrobique enim exſpectare debet ſui ma-
turitatem, & commiſtionem cum ſpiritu totius.
Ideoque montana & æſtiva loca maturant, feſti-
nantque eruptionem illius ſeminis: quod in a-
lio hybernis & paludoſis conditionibus facilius
erumpit, aliàs dudum ſilens, utpote requirens
ſedem febrilem, quæ impactum venenum feſti-
nat, maturatque ad ſuæ eruptionis periodum.
Quare propriè loquendo, ipſum ſemen eſt Aſth- 33
ma, & caducus pulmonis, licet ſileat dudum.
Dum autem ad maturitatem provectum eſt:
jam eſt pomum illius arboris, radicis, fructus,
acceſſus & productum latentis Aſthmatis. Et 34
quia in actum ſurgit vi regiminis vitalis, atque
per modum influentiarum, hinc ſubitò, non ſe-
cus ac collo injectus laqueus, invadit. Aſthmati-
cum namque æſtimo, tam extra paroxyſmum,
quàm intra: eò quod ipſi inſit verum Aſthma:
Prout pyrus tam pyrus eſt hyeme, quàm in au-
tumno, dum pyra habet. Reor interim ſatisfa- 35
ctum unicuique, quod ſaltem præfata Aſthma-
ta, ſuam non debeant originem defluæ pituitæ
in pulmonem, aut putatitio Catarrho, cum re-
pentè invadant, & ſolvantur abſque manifeſta
exſcreatione, quæ pulmonem ſic potuiſſet exer-
cuiſſe. Imò ſi quid fortè ſub finem exſcreetur,
atque tantillum. Id non prioris, aut cauſæ occa-
ſionalis rationem ſubire debet: ſed potius pro-
ducti vicem habet; ex magna ſcilicet coarcta-
tione, & intempeſtiva injuria pulmoni illata.
Quapropter crudelis ſim, ſi capiti catarrhoſo, 36
vel ſtomacho evaporanti remedium propoſue-
ro. Diſcet hinc ergò, quiſquis vir cordatus &
chriſtianus eſſe volet, fruſtraneas in Aſthmate
(præſertim ſicco) expectorationum ſollicitatio-
nes, per illinctus, loch, ſyrupos, per Phleboto-
miam, ac ſolutiva, per Chinæ, Zarzæ aut Saſſa-
fras potus (quos falſo exſiccantes nominant) 37
perque diætæ parſimoniam, ſudores, balnea, cau-
teria, ut ſcilicet antecedentem, aut conjunctam
Aſthmatis cauſam, è ſtomacho ſublatam, vel a-
lioquin è capite depluentem materialiter, ſiſtant,
revellant, evacuent, conſumant, vel avertant.
Fruſtraque ideò indiſtincta remedia quælibet,
tuſſibus hactenus pari indiſcretione tributa, at-
que fortunæ evanidis eventibus explorata, va-
nas demum in tanto malo, florum ſulfuris men-
dicationes, utut variè ſublimatorum: hincque
extracti lactis, & tincturarum fucata remedia,

licet cæteris hæc audentius, & ſpecioſius pro-
mittant, ſpemque injiciant, tanto apparatu ve-
riſimiliorem. Intellexi itidem, vini, cum tuſſi-
laginibus, & pneumonicis remediis, vanas con-
38 fermentationes, & pollicitationes. Cognitaque
mihi cauſa, tum demum, Paragraphum Paracel-
ſi de Aſthmate, in Authoris jactantiam ſtabili-
tum, perſpexi, cum ſuis medelis, è tartaro, ſul-
fure, meliſſo, &c. Sed his inſulſiora inveni, er-
rhina, veterum apophlegmatiſmos, crocuſas, &
id genus alia. Immania ſaltem, ſolutiva, & Phle-
39 botomiæ. Quia virium dejectiones. Fateor
quidem ejuſdem technis, acceſſus leniri ſub-
indè, vel protelari, & dilatari, idque me olim
fefelliſſe. At poſt, mearum ſtoliditatum me
ſeriò pœnituit, Agnoſco me larvas, & pallia,
tum morbis obtendiſſe, ſanaſſe neminem, delu-
ſiſſe verò quotquot ſe meæ ignorantiæ confiſi
ſunt. Poſtquam ergo ab ignorantiæ vulgaris
procellis, ut inutilis ſpuma ad litus ejectus ſta-
rem, ſum impensè demiratus quod Scholæ,
tantorumque ingeniorum acumina, falſis prio-
rum perſuaſionibus, nondum valedicere po-
40 tuiſſent. Cum Aſthma nullo unquam remedio
circumcidatur, niſi remedio arcani, quod per
totum penetret omnes corporis ſemitas, ut nil
relinquat intentatum: adeoque unico medio
caducum cum Aſthmate everrat, & quicquid
immediatè in corporis latebris alicubi ſedem
fixit. Podagram, & ſimiles morbos excipio,
immediatè in vitæ ſpiritu diverſoria nactos.
Cumque interim meam vilitatem, coram tam
magnis ab olim ingeniis, ſeriò ſtupefactus per-
penderem, non potui non, quin ſtatim proci-
dens in faciem, laudarem, in oratione ſilentii,
Patrem luminum, quod parvulis dediſſet ſcien-
tiam, quam Sapientibus hujus mundi occulta-
rat. Cum non ſit volentis, currentis & laboran-
tis: ſed ſolius miſerentis Dei. Cui in æternum
ſit omnis honos & gloria.

41 Quod autem odores ſuaves, triſtitiam, item
dulcedines, Aſthma facerent; nolim intelligi,
quaſi ex illis cauſis per ſe Aſthma fieret. Cum in
aliis mulieribus, eadem ſint grata, & innoxia:
in aliis verò, loco Aſthmatis, hemicraneam, pal-
pitationes, & ſyncopes pariant. Nam ſingula e-
juſmodi proveniunt ex ſingulari amentiæ uteri-
42 næ furore. Presbyter quidam dives, & bonæ vi-
tæ, annos juveniles nunquam Venere aut Bac-
cho triverat, anno 38 repentè rauceſcit, ſenſim
tonum & vocem amittit: verbaque tantum for-
mata per anhelitum expreſſit. A raucedine, to-
tus anheloſus, poſt annum moritur. Diſſecto
pulmone, invenitur ſiniſtri lateris lobus poſte-
rior, durus, & è pumice lapideſcens: intuſque,
quaſi grumus per pulmonem occaluiſſet. Vbi 43
autem aſpera arteria, in quatuor lobos diſpergi-
tur, grumi caſeoſi erant, inter cartilaginem, &
pumicem medii: pluresque ejuſmodi lapilli,
ſparſim per pulmonis regionem, viſi. Perpe-
tuum hic bonus vir Aſthma, non autem recur-
rens tolerabat. Sputa tamen non excedebant.
Vltimæ enim digeſtionis alimentum, à fermen-
to alieno coagulatur, unde Aſthma rarum; inter
humidum & ſiccum, ambigens. Foſſores, Fuſo- 44
res metallici, Separatores, Monetarii, Chy-
miſtæ, itemque Artifices, Chryſulcæ, Ceruſ-
ſæ, Minii, viridis æris, Cinabrii, Deaurato-
res, &c. mox omnes Aſthmate corripiuntur,
quia inſpiratum Gas, cum aëre, canales laryngis
vitiat in ſexta digeſtione. Vnde fit, quod loco
aſſimulationis nutrimenti, totum degeneret in
excrementum, juxta conditionem fermenti
tranſmutantis. Quo detento, atque ſubſiſtente,
clauduntur præfati canales. At quia ipſa dige-
ſtio ſexta labem contraxit in ſui poteſtatibus vi-
talibus, ab endemici impreſſione, vel ejuſdem
adhæſione reali, Ideò quotidiè, imò & in horas,
novum ejuſmodi excrementum ſubnaſcitur, in
mortem uſque. Quæ præ foribus adeſt, ubi
excremento nato non ſufficit vis expulſiva,
explodendi per tuſſim. Ideoque tum Aſthma-
te præfocantur. Nam & quorundam minera-
lium Gas, ex proprietate ſtatim ſuffocat, non
ſecus atque crypta ſicula canem. Fumus nam-
que Mercurii (qui utut larvatus, ſemper eſt ta-
men Mercurius) laryngem ſtatim præcludit
& conſtringit. Etenim, quia veneno horri-
dus, ſtatim ſeſe fauces contrahunt, ab hoſtis
præſentia. Saltem omne Gas nocuum, ſuo in- 45
ſpiratu, Pulmonis digeſtionem vitiat: ſordeſ-
que iſtæ, teſtes illatæ injuriæ, ſtatim tragœ-
diam ad Epilogum traducunt, ſi tenacius ad-
hæſerint, quia nova ſordium ſoboles continuò
ſubnaſcitur. Hauſto igitur veneno Endemici
Gas, ſuccumbens Pulmo, mox Aſthma parit.
Sic quoque inſigne frigus, quatenus viribus pul-
monis ſuperius humidum Aſthma parit, quia
digeſtionem ibidem perdit.

Aſthmaticus alius repentè ſuffocatus, licet 46
ſputa rectè ejiceret. Quæſita eſt cauſa per Ana-
tomen. In pulmone non reperiebantur excre-
menta, niſi pauciſſima: ſed lobus dexter ponè,
pleuræ adnatus erat. Medentes nodum rei re-
periſſe contenti. Ecce, inquiunt, necis repen-
tinæ cauſa. Non enim pulmo ſe movere potuit,

47 ideò & ſuffocatus periit. Obriſi adhuc adole-
ſcens, non credens, quod pulmo, (quem neceſ-
ſariò, & continuò moveri, tum adhuc crede-
bam)una fortè horula,tam firmiter pleuræ adna-
tus fuiſſet retrò: (potiſſimum ſedenti) ipſa verò
hernia, intrò compulſa, ſtrictimque compreſſa,
tam invito concreſceret ſuo conſocio labro, et-
jam ſub quiete lecti. Interim continui hæc di-
vulſi accretio, eſſet ab indicatione naturæ: non
item pleuræ ad pulmonem, utrumque quorum
diſtinguebat ſua membrana, & ſcopus naturæ.
Diſpexi has Scholarum temeritates, deinceps
magis,poſtquam milites repentè cæſos illius er-
go diſſecuiſſem.Vidiſſem nempe pulmonem re-
tro coſtis adnatum, benevalentibus, quoſq; nul-
la antè preſſerat difficultas ſpirandi.Cæteros in-
ter,velociſſimus quidam Hybernus, à pedibus
Marchionis de Wincheſtræ, pugione enectus,
diſſectuſque, utrumque pulmonis lobum coſtis
adnatum oſtendit. Sin vitium formativæ, aut
monſtrum incuſaveris. Saltem avibus conſo-
num,fateberis.Anatomici enim, dum fictos hu-
mores nuſquam offendunt, tamen per novacu-
lam,omnem mortis cauſam ſubſternere promit-
tunt;Primo mirantur,tum etiam ſeriò indignan-
tur mortem abſq; venia illorum adventaſſe. Et-
enim quaſi in cultro, ſpem & remedium habe-
rent, gaudent in cadavere partem reperiſſe, cui
48 necem attribuant. Tumq; clamant: Ecce nobile
viſcus jam dudum putrendo defecit. Nec eſt in
Medico, ſemper relevetur ut æger. Sicque me-
dentes errorem plerumque tegunt, & hæredes
conſolantur per nugas. Agnati ſtupent, & ſola-
men ex necis neceſſitate concipiunt. Quaſi vi-
ſceris putredo,multis antè menſibus præextitiſ-
ſet,quæ in externis gangræna, paucis diebus in-
terimit. Nidus quidem undè mors advenit,ſen-
ſim quidem ad interitum diſponitur;ab inſtanti
autem, morti propinquo, putrere incipit; (ci-
tiuſque, quam alioqui cadavera) putret: quia
49 tepore fovetur. Conjeci, Aſthmaticum illum
obiiſſe, quia dudum anteà palpitationibus, et-
jam cum pulſu intermittente, vexatus, virus,
Aſthmatis proprietates tandem acquirens, po-
ros conſtipaverat, qua pulmo in thoracem ſpi-
rat. Nuſquam enim actio regiminis in Duum-
viratu magis eluceſcit, quàm in Aſthmate, Epi-
lepſia, vertigine, ſopore, Apoplexia, & ſimili-
bus. Vbi ſcilicet nulla in viſcere labes occurrit,
nulla demum viſitur peregrini detentio ejus,
50 quod poros effarciat. Notavi enim ſenem, qui
ſi in lecto diutius meditaretur, mox difficulter
ſpirabat, ſtertor aliquis cum phlegmatum mur-
mure obaudiebatur, cogebatur rectà ſedere, ut
miteſcerent cuncta. Alioquin etſi jacens expe-
ctoraret plurima, nihilominus alia dein ſtatim
ſubnaſcebantur, Nimirum, ſtatim atque os ſto-
machi vexabatur, anguſtia pulmonis aderat, fie-
bantque indeſinenter ſordes illæ à pororum
clauſura. Nam erecto thorace, major pororum
eſt libertas, & proindè orthopnœa levamen ad-
fert: Adeoque ea propter, multa ſputi proge-
nies ſubſtituebatur, quamdiu pororum ſtrictura
durabat: Hæc, ſic ſenſus, diſcurſivam faculta-
tem docuit. Porrò quod eſitatis quibuſdam no- 51
cuis,ſtrictura illa oriatur: ſignum nobis eſt,non
ex pulmone, ſed aliundè, pendere excicatricem
cauſam illius ſtricturæ, & phlegmatum proge-
niem. Ab ore ſtomachi, inquam, (quod jam
nomen cordis poſſidet,quia & ſymptomata pa-
ria infert) primi motus conſurgunt. Quapro-
pter vigiliæ, cum ſollicita meditatione,ſopitum
Aſthma excitant, propter difficultates partibus
in meditando occupatis, cauſatas. Sic etiam
vertigines ab heſterna crapula, vel è maris con-
quaſſatione ſuperſtites, vomitu tolluntur: non
enim quod ipſæ ſordes rotationem in ſe conti-
neant: ſed quia in ore ſtomachi Duumviratum
impediunt. Nunc de Sexagenario dicam. Hic
enim initio nunquam patiebatur ſpirandi mole-
ſtiam,niſi in motu acclivi & celeri. Eſtque alias
illi reſpiratio aperta, libera, & pro optatu. Qua-
propter proprii nominis Aſthmate caret. Pul-
monem enim licet tenerum, & frigoris impa-
tientem, multique excrementi feracem habeat,
frigoribus; horum tamen reſpectu,potius tuſſi,
quàm Aſthmati ſubeſt. Sed cur illi arcta reſpi-
ratio ſub motu? An à vomica, vel concluſo
apoſtemate? Patet autem, quod non ex horum
alterutro: eo quod extra motum, nec dolorem
in pectore ſentiat, nec coactum ducat aërem in
requie. Quod in ipſo notandum, eſt quartana, 52
à puero in Splene reſiduum faciens, ſuas quan-
doque ſyncopes ſuſcitans. In tam tenera vale-
tudine,& Pulmonis conſternatione, quæ ſomno
deficiente,cogitationum laborem non fert,quin
ſtertorea phlegmata fabricet; eluceſcit enim,
quod aliàs dixi: Pulmonem eſſe in homine
membrum primò moriens, magiſque in hoc vi-
ro, ab adoleſcentia ſputoſo. Quid ſi pulmo,
mille poris, aërem in thoracem ſpiret, & 50 eo-
rundem ſint obſtipati; indè verò, nonne frigi-
dis ſtationibus occaſionaliter ſuccreſcent ex-
ſcreationes? Aſt ſaltem non ſolvitur dubium, 53
cur celeri paſſu, per declive, aut in plano deam-
bulans,non æque atque lento gradu ſcandendo,
anhe-

anhelet. Curve tùm ſibi cor palpitet ? Scholæ
enim cauſam addidere promtam. Quod nempè
motus omnis, ſui natura, ſuſcitet fuligines, gravioremque
motum proinde comitentur plures
fuligines : quibus explodendis, citatior anhelitus
requiritur. Sed nil dicunt. Siquidem præter
ſuppoſitionem falſi, adhuc idem quod ante,
dubium ſupereſt. Nimirum, cur celer motus
in plano, celeriorque cum totius corporis ſucceſſione
in deſcenſu, non tantundem fuliginum
ſuſcitet, quàm tardus motus ſcandendo
plateam ſenſim acclivem ? Nam moleſtia tardi
adſcenſus, non eſt viſcerum, aut pulmonis : ſed
tibiarum. Fientne ergò in muſculis crurum
copioſæ iſtæ fuligines, quæ thoracem laceſſant
ad anhelandum, & cor ad palpitandum ? Repetentque
fuligines viam, ab ſuperficie ad centrum,
quas natura per poros mallet expellere,
quàm intro revocare ? Dein explicent, quid
ethymo fuliginum ſubaudiant. Illorum enim
Ariſtoteles duas tantùm recenſet: humidam ſcilicet,
quam vocat halitum aqueum : & ſiccam
ſive oleoſam, quam nuncupat exhalationem.
Chymia quoque tertiam addit, Peripateticis
54 ignotam. Dum ipſum corpus, à connexis fumotenus
aſcendit, & vaſorum ſpondis ſe affigit ;
Sublimatum dicitur. Sic ſulfur, arſenicum,
camphora, mercurius, marcaſite, zinetum, ſal
armoniacum, &c. ſuas dant aporrhœas, à priſtino
corpore indiſtinctas. Ego demum quartam
fuliginem adjunxi. Dum ſcilicet corpus
ſolidum, vi fermenti, diſponitur in flatum, ſive
Gas ſylveſtre. Verùm cum Peripatetici tantum
agnoverint duas priores, Scholæ Galenicæ quoque,
fuliginum nomine utramque indiſtinctim
intellexerunt. Sed inprimis, non poſſe ſumi
vapores aquoſos, vel hinc colligo. Quod nempe
tum ſudores æſtate copioſius effluentes, etjam
quieto corpore, neceſſariò plus hunc Aſthmaticum
angerent, vel quam aſcenſus ſurſum
frigidiore aura. Quod falſum eſt. Quod ſi igitur
ſub fuligine, exhalationem intelligant : Certum
eſt inprimis, eas non ſuſcitari, niſi prius
defecerint aquoſæ. Id cum in vivis non ſic fiat ;
neceſſario quoque ob defectum fuliginis, Scholæ
ſeipſas non intelligunt, in præfata illarum
ratione, ut neque in altera pulſuum columna,
cap. Blas pulſuum, demonſtrata. Nec tandem
fuliginum nomine intelligi utramque ſimul aporrhœam,
Patet. Nam ſi pari gradu caloris,
nequeant pariter ſicca cum humidis ſcandere,
aut ſeparari, à ſuis totis integralibus, ſequitur ;
fuligines in cauſam aſſignatas, non dari, neque
eſſe. Sed agedum, ſupponantur fuligines impoſſibiles,
& anonymæ, quas volunt inſenſili
tranſpiratione è nobis exſpirare, nondum tamen
examinatas, an ſubter vaporum, an verò
exhalationum claſſes militent. Quia ignorarunt
Scholæ, ſanguinem totum, in nobis difflari, alia
longè ope quàm caloris. At ſaltem per regulam 55
falſi, examinemus, ubinam iſtæ fuligines ſuppoſitæ
excitentur per aſcenſum ſurſum, ac moderatum,
quæ alias in celeriori greſſu, quieſcunt.
An enim in ipſo pulmone ? adeò ut hunc ſtimulent
ad difflandi neceſſitates ? At pulmo nunquam
movetur, ſive crura aſcendant, ſive deſcendant.
Supponiturque pulmo alioqui liberè
ſpirans, in præfato ſene. Quid ergò aſcenſus
pulmonem tangit, ut copioſiores fuligines eructet?
Sin autem fuligines, in cruribus, tanquam
fortius laborantibus, excitentur : cur ſaltem à
paſtu, aſcenſus anheloſior quàm ore jejuno?
Ergone ciborum fuligines intelligunt Scholæ ?
At cur illæ crura infeſtabunt à paſtu ? Quod ſi
cenſeantur fuligines fieri copioſiores in corde,
vel viſceribus officinis. At hoc eſt confundere
ſpiritum vitæ, cum fuligine, viſcus, cum emunctorio,
& nihili duxiſſe, rationes capite de Blas
humano allegatas. Quod, ſi fuligines ergò cenſeantur
odores & vapores è cibis ; atqui illos
volunt rectà ad caput ferri, adeoque parere catarrhos.
Saltem nullatenus feruntur in Cor.
Neque enim opportunum eſt, ſed novum eſt inventum,
cor laceſſi odoribus ciborum. Nec eſt
membrana ſtomachi tam pervia, ut alium exitum
præter gulam & Pylorum admittat, pro
ructu & flatu, qui ſunt tamen longè tenuiores
vaporibus. Cur ergò per adſcenſum, cruribus
motis, tot fierent fuligines, quæ Cor petunt?
anhelationem poſtulant? quæque celeriori aliàs
motu declivi, non oriuntur? Si enim fortè in
venis & arteriis, vel extra eaſdem, formentur :
nondum exin tamen conſtat, cur tardior aſcenſus,
motuſque, plures in vaſis fuligines pariat,
quàm celer motus eorundem muſculorum, deſcendendo.
Si verò extra vaſa, fuligo prædicta
naſcatur, præter jam antè commemoratam abſurditatem
; ſaltem qua via, tam repente indè,
ad Cor & Pulmonem pergent fuligines ? Cum
alias non Aſthmatico, celeriter currenti, ſi quæ
eſſent fuligines, unà cum ſudore per cutim citiùs
foras exhalent, quàm retrogrado motu interna
peterent? Quapropter alia eſt cauſa, cujus
ergo thorax ſtringitur, cor palpitat, areſcunt
fauces, licet clauſo ore tantùm per nares anhelent,
ſpumeſcit verò lingua circa dentes, & ge-

nua labant: eâdem nempè causâ, diſtinguuntur omnes rectè valentes Pulmone, & ab omni tuſſi atque Aſthmate liberi, quorum tamen unus alteri præfertur, celeriter & longiùs currendo, abſque anhelatione. Noſter ergò ſexagenarius difficilius acclivia ſcandit, & à paſtu difficillimè, & quoties anhelat, flacceſcunt genua. An ergo cibus potuſque facient fuligines, quibus robur genuum labaſcit? Si hoc verum. At tum iſtud accidet etiam non Aſthmaticis, qui ſumto tamen cibo robuſtiores ſunt. Sed dicent; repleto ſtomacho, vacuum in thorace 56 minuitur. Rectè. Sed hoc eſt receſſiſſe à fuligine, & ad loci anxietates confugiſſe. Cur ergo pariter non omnes à cibo anhelant, in aſcenſu moderato, ſi omnibus ex æquo Locus thoracis minuatur ſumto cibo? An forte deſcendendo, vel ambulando in plano, locus thoracis extenditur? Data quidem eſt ratio minoris reſpirationis à cibo, quàm ante: ſed non quadrat quæſtioni, cur videlicet ſcandendo, modeſto greſſu, quis anhelet, qui celeriore quovis motu, per planum iter non eſt ſuſpirioſus? Quod autem à paſtu id magis torqueat, rectè argumentatum eſt, à loci impari anguſtiâ: Sed pulmo non comprimitur à ſtomacho moderatè repletò, ut inde anheloſus fiat. Aliàs enim, cur lotio & ano ſolutis, flatibus ſimul expeditis, Sexagenarius hic, tamen æquè anhelans, atque ſuſpirioſus in motu acclivi? Sentit nimirum jejunus (& à paſtu fortius) in motu ſurſum, velut zonam in coſtis, pulſum palpitantem, & interruptim incidentem. At nihilominus pro lubitu inſpirat longum anhelitum ſine obſtaculo, id eſt, pulmonem habet apertum liberumque, licet anheloſum, tuncque ſunt illa ſputa frequentia & ſpumoſa: tota verò ſtatione frigida, ſputum multum, cum exſcreatione liquato tragacantho, ſimillima: cæterùm tuſſit rariſſimè. Equidem ut ex anterioribus ad nitorem non habui, pro morborum cognitione; conſideravi primum, aliquod omnibus Aſthmaticis ſubeſſe pulmonis vitium. Obſtruens externum, ibidem concretum, vel internum, quod ſcilicet aſperæ arteriæ externis oſculis, quà in thoracem ſpirant, ſit condenſatum. Sed neutrum arriſit deindè, eò quod repentè quoſdam Aſthma invadat, deſeratque abſque ſputo notabili. Præfatus quoque ſexagenarius, celeriter, liberè, & longum ducit flatum, abſque obſtaculo. Imo ſedens, & quidem in fumo, non minùs liberè reſpirat, ac ſanus quilibet. Conſideravi ergo, an fortè muſculi crurum, aſcendendo altius contracti, elevatique, & qui aliàs in plano, vel declivi ambulantes, velut pendent, globoſus interim muſculi venter, in aſcenſu, ſuam arteriam comprimens, cauſam anhelationis propinquiorem contineret. Ergonè in hoc motu, muſculi, arterias, ſimulque pulſum earundem, per vices alternatim impediunt, ut hinc adſcenſus ſit anheloſior? Denique conſideravi, an in adſcenſu anhelitus paulò magis retineatur, quàm aliàs in plano, vel declivi motu? quiſque nimirum anhelitum magis comprimit, dum aliquid movere intendit robuſtius. Tertiò conſideravi, quod in aſcenſu, anhelitus, ad paſſus ſingulos ferè interrumpatur; non ſecus ac ſi quis ad paſſus ſingulos diceret; Ha, ha, ha: ubi alioquin in declivi vel plano motu eſt unicum ac continuum Ha, non quiete interſectum. Dubitavi quoque, an Pulmo Idiopathia laboret, motuque acclivi intentum ſit viſcus, non ad explodendas fuligines, quantum ut conceptum errorem ſuperet. Inſpexi quoque, quod facilius quis per horas ſeptem ambulet, quàm ſtet quinque. Quod ſtando, muſculus utriuſque patellæ, utrimque tendatur continuò, qui gradiendo gaudet alterna quiete. At magis tamen anhelat gradiens quàm ſtans: eò quod plures muſculi eundo alternatim laborent: ſtando verò etſi tendantur, non tamen moventur. Vndè didici, quod alacer plurium muſculorum motus, faciat anhelare magis. Denique quanquam ſingulæ harum conſiderationum aliquid haberent ponderis, omnes tamen ſimul connexæ, nondum potuerunt ſatisfacere propoſitæ quæſtioni. Nempè cur motus acclivis tardior anhelet, non autem declivis celerior. Quapropter his addidi, quod in motu ſurſum, utut tardiore, muſculi abdominis recti ſeſe tendant, nec ſinant ventrem ſat elevari. Pectus quidem ac coſtæ, anhelando, latius quidem diducuntur: ſed (ut de catarrhis docui) motus coſtarum, non eſt primarius, ac principalis, pro anhelitu: at tantum auxiliaris, dum principalis non ſat eſt. Ventre itaque non ſatis diſtento, mox anhelitus accurtatur, compenſare nimirum volens errores, & defectus præcedentes. Verumtamen quamvis ex præfatis conſiderationibus, liceat anhelandi neceſſitatem majorem arguere. At ſaltem nil convincunt, cur in noſtro ſexagenario ſit arcta anhelatio: In ſano autem alioqui, nequicquam. Cumque Sexagenario pulmo obſtructione careat, prout ex ſuppoſitis ſignis liquet, Neceſſe eſt, & ſuam labem aliundè peti, præcipuè, cum ſentiat in abdomine,

domine, loco ſtomachi, compreſſiones, ſui Aſthmatis cauſas. Eſt ergo ſuum Aſthma ex Splene male affecto, idque ex duumviratu, ſuſcitaturque motu acclivi cauſa (aliàs dormiens) ob conſiderationes ſuperiores, quæ regiminis actione, debilem alioqui Pulmonem ſtringit, ſolo aſpectu, non ſecus atque de Aſthmate ſicco eſt narratum. Quo faciunt, latens Comitialis, dolor Splenis poſt equitationem, totius corporis concuſſio equitando, &c. Porrò ut ſecurius judicium facerem, an pulmo per Idiopathiam, an verò per Deuteropathiam laboraret, Sciſcitatus ſum, an Venerem ſibi ſentiret moleſtam. Faſſuſque eſt mihi, quod antè manifeſtatum Aſthma ſibi Venerem nocuiſſe, à Venere ſenſiſſe frigus in thorace, laxitatem in muſculis, & comminatam ſibi Lipopſychin. In ſpontaneis verò pollutionibus, ſe nil ejuſmodi expertum. Tandem in ſenio, mox à rara Venere, ſtertorem phlegmatum in aſpera arteria, aliàs ſilentium ſe percipe-
58 re. Vnde certò conjeci, quod cum ab infante lienem à quartana & comitiali infenſum retinuiſſet, ſitque lien Veneris nidus, quod in caſu propoſito, Duumviratus rectà feriat Pulmonem, præcipuè robore inæquali peſſumdatum; proritantem, & radicalem Aſthmatis cauſam, in Splene eſſe. Sic tamen, ut pulmo non prorſus culpa careat, licet non primario affectu Aſthmatis laboret: Sufficit namque, quod robore inæquali ſit peſſumdatus, ut Duumviratus in illum ſuam exerceat morboſam tyrannidem: Etenim ſi pulmo, primario affectu Aſthmate laboraret, continuo anhelaret, & difficilem ſpiraret auram. Latet nimirum in Duumviratu tenue virus, hujus Aſthmatis ſicci cauſa, ſopita in ſe ordinario, nec niſi per motum nimium expergefacta: adeoque ſcandendo, citius quàm deſcendendo, ob conſiderationes muſculorum obliquorum abdominis prætactas. Nec virus iſtud exhalatione, vapore, aut fuligine tenus, cor & pulmonem ferit materialiter: ſed actione regiminis. Cumque cor palpitet, pulſus inordinatus ſit, ſimulque anhelatio magna atque frequens deſideretur, & locus inter umbilicum & os ſtomachi anxietur, unica de cauſa, unicoque motu, parique modo excita: indubium ſit, unicum virus eſſe, quod vitalem cordis poteſtatem, atque pulmonem afficiat. Tum etiam angitur quotannis gravius, manifeſtius, & atrocius, eò quod inſidens Spleni ingratus hoſpes, per ſenium in dies fiat moleſtior. Hæcque concluſi mecum validius, quod iſte Aſthmaticus conqueratur, ſibi à multis annis ſiniſtram manum ſubindè ſtupere, & frigere ſubter auricularem in vola, itemque humerum ſiniſtrum, immenſum dolere, levi licet chlamyde gravatum, ſi longius (etiam modeſtè) obambulet. Obſer- 59
vavi namque lineares omnes, dum præ ſenio lien defungi incipit, anhelare. Hoc ergo de Sexagenarii Aſthmate dictum ſatis. Vnum tantùm hîc notabo. Nimirum, manum ſiniſtram, in longitudine volæ, penetranti frigore dolere, itemque digitos ſubinde ſtupere à Splenis incommodis. Id fieri actione regiminis: Sin autem jubeant Scholæ, id fieri ob cœcos vapores, viam ſaltem ſternant Scholæ, qua eò uſque vadant. Sagittator ergo hujus Aſthmatis eſt in Duumviratu: Scopus verò ejus eſt Pulmo. Eſt ergo duplex Aſthma, humidum & ſic- 60
cum. Illud quidem à copioſo ſcreatu nomen invenit, & plerumque fit vitio proprio pulmonis, adeóque continuum eſt, magiſque infeſtat ſtationibus frigida, vel humida, ſenio, debilitati, ac morti affinibus. Siccum verò Aſthma plerumque eſt interruptum. Et pro-ut totum corpus (dentes uſque) tumultuoſè concutit, cum vitalium confuſione, neceſſariò eſt caducus pulmonis, in quo Pulmo ſolus conſtrictionem ſui, ſive convulſionem patitur, quia facit conſtrictionem pororum. In hoc Aſthmate enim Archeus totalis, in radice eſt inquinatus; pars aliqua (uterus nempe, vel lien, &c.) primariò affectat ſpiritum innatum pulmonis, actione regiminis. Ideóque ex inviſibili, & immateriali ſubita procella, totum corpus concutitur, & inſperatæ valetudini rurſus repente reſtituitur. Fruſtra ergo tentantur in Aſthmate ſicco pororum apertiones, neſcitæ hactenus: fruſtraque expectorationes multæ, ac faciles, quia palliativa atque vana ſunt auxilia, quotquot productis, ſive poſterioribus ſunt intenta. Vana ſunt nimirum remedia, quæ tuſſibus adhiberi ſolent, cum tuſſis ab Aſthmate ſicco differat longiſſimè.
Aſthma humidum autem, etſi plerumque tuſ- 61
ſim pariat, ut productam mucilaginem expectoret, tota tamen ſpecie à tuſſi ſecretum eſt. Quoniam pluribus de cauſſis naſci ſolet. Etenim vel habet vomicam, vel ſecretum aliquod phlegma obſtruens, in ipſo viſcere, vel alicujus frigoris, alteriusvè injuriæ impreſſum ſtigma, undè plures mucilagines procreet, propriumq; ſui alimentum corrumpat: ſæpe etiam non tam viſceris malo, quàm cuſtodis errantis debilitate, ſuſcitantur ejuſmodi mucilagines.
Quanquam hoc vitii genus, potius tuſſim quam 63

Aſthma pariat, facilè tamen coincidunt, in Pulmonis
inæquale robur, & obſtructionem ejus.
Succumbit facilè debilis cuſtos, ad oblata quælibet
adverſa. Qualia ſunt fumi, & Gas mineralium,
metallorum, aquarumque Chymicarum
fortium, quæ ſcilicet ipſam viſceris poteſtatem
ſic lædunt, ut de cætero non ceſſet, parere continua
phlegmata, ex propriis alimentis. Quorum
præſentia cogit ejuſmodi artifices luctari
cum perpetuo Aſthmate, tuſſi, & exſcreatione.
Eſt denique Aſthma partim ſiccum, partimque
humidum, quod ſcilicet, propter ſuſcepta Endemica,
tenui ſorbitione hauſta, tenerum pulmonem
affectat. Idque non niſi oblatis quibuſdam
endemicis injuriis, aut alias, vitæ ſub
inordinatione emergit, & exaſperatur. Tandem
Scirrhus, Hydrops, &c. etſi affectus anheloſos
pariant, tamen cum graventur alieno pondere,
non ſunt Aſthmata. Icterus verò, proprio veneno
64 Aſthma ſiccum profert. Poſtremò, remedia
Aſthmati debentur ſicco, quæ Epilepſiæ inveteratæ.
Magna autem confortativa, & reſtaurativa
tam reſpectu Pulmonis, quàm cuſtodis,
requiruntur pro Aſthmate humido.

65 Nunc de tuſſi meas obſervationes addam, ob
Aſthmatis propinquitatem, & Catharri crudelitates.
Soleo namque facilè corripi gravedine,
ſive Corizza, quod caput mihi ſit diſtillationum
injuriis debilitatum, roburque inæquale patiatur.
Corizzam autem deprehendi, quoties cuſtos
errans, muccum circa, vel intra os Ethmoides,
ſive ſpongioſum, impegiſſet. Oborta
ergo Corizza, ſi eodem veſpere, ſternutatorium
ex helleboro nigro, & ſaccharo æqualibus, inſpiravero,
ſequenti plerumque manè melius habeo.
Sin autem inveteratæ Corizzæ id fecero:
non ita facile cedit. Imò profeci tantum illo
ſternutatorio, quod innocuè nunc veſpertinam
auram tollerem, quocirca nec fruſtra à Poëtis
indiget helleboro fatuus. Nam etſi vomitiva
ſint plurima: attamen helleborus videatur capiti
peculiariter prodeſſe. Muccus ergo, initio,
inſtar aquæ ſalſæ, per nares & fauces, eodem latere
(ſi non utrimque) ſtillat, quo os ſpongiæ
obſeſſum eſt: fauces verò inſuetum muccum
ægrè ferentes, ſolent inde cum adjacentibus,
66 mox phlogoſi rubere, & tumefieri. Deinde,
muccus craſceſcit, & flaveſcit: quaſi is, qui oſſi
ſpongioſo eſt infarctus, fermenti vice, deciduum
continuò inficiat. Cuſtos errans nimirum,
ſentiens impactum hoſtem; Primo conatur
illum, tenui mucco eluere. De tuſſi dicturus,
de Corizza incepi, quod hæc, ſi ſit valida,
tuſſim proritet, & præcedat: Idque ſic perpetuum
obſervavi. Primis itaque diebus Corizzæ,
tuſſicula quædam ſicca, cum aſperæ arteriæ prurigine,
infeſtat, quandoque raucedinem facit:
at non rarò ſolam titillationem in larynge, uno
aut altero digito ſubter mentum. Si ſit remedii
incuria, flavus muccus, tenax, & multus emungitur,
imo & facili tuſſi extunditur. Spes
inde fuit, brevi, affectum, ſua ſponte, ſolutum
iri. Creſcit negligentia, inſtatque externa injuria.
Interim canalis ad organum olfactus, ſive
os ſpongioſum, totum alieno hoſpite obturatur.
Inde muccus flavus copioſus, & glutinoſus, per
nares, alioqui ſat patulas, effunditur. Mox dein
muccus ſimilis per tuſſim exploditur. Hunc
autem in Pulmone generari, non autem de capite
ſtillare in aſperam arteriam, jam de Catarrhis
convici: Et addo; quod quantumvis per 67
tuſſim, totum quicquid intra laryngem, ejuſque
viciniores ramos, detinetur, manè ſit ejectum:
ſitque liber dein anhelitus, imò attentus, è regione
ſpeculi, pluries ſuppreſſa lingua contemplatus
ſim, an minima mucilago, caſum in fauces
minetur, & ſcreatu expediatur: Comperi
nihilominus mox inde, quod ſtertor in larynge,
& tinnitus è pectore, obaudiantur, ſubſequaturque
per intervalla croceus ac tenax muccus.
Imò quò plus tuſſivero, eò labor in tuſſim
pronior, & tuſſire plus cogor. Comperi namque
aſſiduam ejuſdem mucci generationem in
Pulmone. Secundò quod Corizza, nedum odoratum;
ſed & guſtatum lædat, & tollat, licet
peculiari organo, diremtum. Sicut ſubindè
non caryophyllum deguſtarem. Didici itaque
meo malo, defectum non ſolùm verſari circa
organum odoratus, ſive in oſſe conſtipato; ſed
etiam in vicinum cerebrum, labem ſenſiſſe propagatam,
undè nervi guſtativi, contagii conſortes
fierent. Quocircà ulterius deprehendi
cerebrum, arrepta labe, ſic contaminatum, inficere
ſuum cuſtodem, qui alterum vicinum
cuſtodem in larynge, ſua debilitate afficit deinceps.
Quapropter ſic tuſſis è Corizza ſæpè naſcitur,
illaque, pro tenore hujus, extenditur,
promovetur, ac continuatur. Sæpè tamen, eadem
injuria, tam cuſtodem cerebri, quàm laryngis,
pari actione ſimul afficit. Quod autem
cerebrum immediatè pulmonem, in hanc labem,
actione regiminis infectet, potuit mihi,
eò quod præfatus ſexagenarius, ſi mentem ferventiore
contemplatione offendiſſet, noctiſque
dimidium inſomne feciſſet, mox abſque cuſtodis
offenſione, ſtertorem obortum, phlegmataque

que ſibi nata, compererit; quæ non ſiſterentur ſubnaſcendo, niſi per ſomnum, prius pacata animi inquietudine. Iuris enim œconomici eſt, ſi duumviratus queat caput, pulmonem, aliaſque partes malè imbuere, quod caput infernas ſibi partes in clientelam ſuam rapiat. Item & hoc obſervavi, quod quoties tuſſis è Corizza prodiret, toties remedia, quæ Corizzam ſanant, medeantur etiam tuſſi. Facileque ejuſmodi tuſſis dignoſcitur, ex febricula lenta, urina coloratiore, & continua magis, mucci eſt tum propagatio. Eſt namque febris iſta, malè diſpoſiti capitis, ſuamque triſtitiam inferis communicantis. Eſt nempe capitis in hoc prærogativa, quod licet tuſſis Corizzæ ſupervenerit, tamen utraque terminatur ſimul; deinde etſi nares omni prorſus mucco mundaveris, oborta tamen tuſſi, extemplo è nare muccus fluit abunde. Capitis ergo, & pulmonis, magnum eſt actionis ſymbolum. Non quidem, ut caput in pulmonem ſuas ſortes deponat: ſed uti ad olfactus læſionem, cerebrum unà, & guſtatum tollit: ita & in ſui unionem, pulmones torquet. Quod ambo viſcera ex uno alimento, conſimilem quoque ambo cuſtodes, eorundem muccum generent, tanquam Principis caſum fleat vaſallus. Tum denique eſt ſtrictior capiti cum pulmone neceſſitudo: quod ambo viſcera conſpirent in regimine cuſtodis inſervientis ad eundem finem. Hæc ſic radicitus ſunt inculcanda, ut ſanatio ad radices, ad Antecedens, id eſt, ad liberationem oſſis ſpongioſi dirigatur. Siquidem tuſſis, actione regiminis prognata, quæque in pulmone eſt per accidens, ceſſat ſublata Corizza. Tuſſiens ſi ſedeat, minus ſtertit muccus in larynge, flatus eſt liberior, faciliorque expectoratio (hinc enim orthnopneæ nomen) cum alioqui ſi muccus ſupernè in laryngem ſtillaret, properaret magis deorſum, ſedendo, quàm cubando.
68 Quod falſum eſt: ergò & Antecedens. Etenim ſi de capite in pulmonem decumberet, minori moleſtia deſcenderet, & in pulmone reciperetur facilius, quamdiu Corizzæ initio per modum aquæ emungitur: Pulmonem inquam tum facile impleret, & flatum, ſui quantitate interciperet: Atqui initio Corizzæ, nulla eſt adhuc tuſſis, nulla denique ſpirandi difficultas. Ergo non eſt mucci è capite in Pulmonem decubitus, in tuſſi. Cæterùm de tuſſi, quæ proprio Pulmonis malo, & non à Corizza fit, jam antè tractavi.

Quod autem remedia attinet. Soporifera inprimis, tuſſim & Coryzzam ſublevant, quatenus utramque ſymptomaticam affectionem ſedant. Tuſſimque ſupero remediis, quibus Pleuritidem. Sunt & aliæ denique tuſſes, nequaquam à Coryzza oriundæ: ſed à Pleuritide à deleteria aëris, etiam ſummi frigoris intempeſtiva impreſſione, quatenus pulmo in ſui vegetatione offenditur, non ſecus atque præ foribus Cuſtos errans. Excrementum autem, quod juſto diutius circa extremitates aſperæ arteriæ reſtagnaverit, induratur, & difficilem, porrò anhelitum præbet. Pulmoque hujus hoſpitis pertæſus, dat indicia ſui tædii, per ſcreatum vitiati excrementi. Idque ſi non per tuſſes profligatur, vel intus, in vomicam, atque tabem deſinit. Vita autem ſedentaria hoc malum ſæpè attulit. Quocirca ſuaſi ſemper exercitia anhelitum citantia, quibus excrementa expectorentur, & reſtagnatio, vi aëris, impediatur. Non ſanè aliàs quàm Maris portus, à retrò fluentes aquas, poſtulant, arenam inde eluentes. Nam alioqui ſorde ſubſiſtente, non poteſt non pulmo læſionem vegetationis ſuſtinere, parere ſputa multa, atque diverſa, juxta indolem ſuſceptæ labis. Tuſſes ejuſmodi adhærentem ſordem, ac peregrinam habent, aliamque ſucceſſivè progignunt. Quæ deinde in ſpirandi anguſtias Aſthmata, vaſorum exeſiones, & parenchymatis viſceris, finiunt. Plerique horum defectuum, quia vitalis roboris in viſcere debilitatem teſtantur, difficulter reſtaurantur: minuſque in ſenio. Aſthma verò inde natum tot cataractas aëris clauſas habet, quot oſcula reſpirationi dicata. Hæcque eſt graduum differentia, in majore atque minore reſpirandi anguſtia. Sordes verò ſive ſputa, quæ his prodeunt affectibus, non tam cauſæ originales tuſſis ſunt, quàm producti rationem habent, ad novas continuò tuſſes. Succreſcunt enim ſemper ſibi de novo, eò quod exoſus intus hoſpes non ceſſet novas ſuſcitare
ſordes ex ultima digeſtionum. Tanta nimirum 69
hujus viſceris ſupinitas, & externorum, in Cuſtodem errantem, imperium. Remedia autem, tam quæ epilepſiam Pulmonis, ſive Aſthma ſiccum, quàm quæ humidum ſanent, debent eſſe renovativa, & ad generis amplitudinem aſſurgere. Quippe quæ reſtaurationem debilitatis contractæ, continere debent. Hæc nempe ſunt Arcana, Paracelſi majora, de quibus alibi. Itemque quæ ſympatheticè morbum omnem ſuperant. Arcana namque per omnimodam depurationem, morbos quoslibet tollunt: At cum non infundant novum robur parti vitiatæ, ut neque malam impreſſionem ſpiritus inſiti tol-

lant: certè non niſi per ſympathetica, robur perditum quadantenus eſt reſtaurandum. Vt autem fructus aliquis ex prædictis decerpatur, Exemplum unum ex ordinariis atque domeſticis referam.

70 Senex quidam ſtertebat mirum in modum; adeò gurgulione canere nunc, nunc quoque ſtertere videbatur, quod non rarò tota nocte erectus, ac ſedendo dormire cogeretur, minuſque murmuris, & parciorum phlegmatum, ederet ſedens, quàm jacens. Medentes illum ideo juſculis conſummatis, fortiori copioſiorique alimento reficiebant, ne multa exſcreatione deficeret, aut Phthiſin, quam minari dicebant, pateretur. Melius ſubter jejunia tamen ac ſub quadrageſima ſenſit, quam mox à Paſchate. Medentes autem nunc boream, tum verò pluviam accuſabant: at non alimenta enchyma & potentiora.

71 Ego verò occaſionaliter inviſi virum, cumque ſingula penes me ſeriò computarem, oſtendi ſtatim generationem iſtam phlegmatum, habere domeſticam ſibi cauſam in pulmone; non autem, quod ſuperne in pulmonem delaberetur, aut quod pulmo deuteropathia langueret. Quinetiam, ut generatio phlegmatis in ipſo fiebat pulmone: ita quoque copia, ſive abundantia ejus, non prodibat ex augmento cauſæ morbiferæ, quin potius ex affluentia alimenti boni, & enchymi. Sic ut malum proveniret certiſſimè, undè bonum venturum hariolabantur alii, qui me cachinno ſecreto obriſerunt. Cumque meam aſſertionem vino abſtergere, & roborare niterer. Quod ſcilicet moderatus vini potus fortificaret, quem exceſſus ejuſdem vini, aliàs multo ſputo obnoxium redderet. At cum nec uno icti telo cadere vellent, deſcendi ad experientiam quadrageſimæ, & Paſchatis jam elapſi.

72 Quodque nimirum à Paſchate deinceps copioſius exſcrearet, & moleſtius ſterteret. In jejuniis verò vix, aut ſaltem parum memor fuiſſet horum. Quapropter ad deciſionem quæſtionis, proba opus eſſe dixi, mihique ad minimum tantum deferendum fore, quantum aliis infauſtis hactenus auxiliatoribus. Quare ſub parciore & duriore cibo (qui eſurienti ſtomacho ſatisfaceret quidem in digerendo, quanquam non adeò deſideratæ cruoris plethoræ) ſtatim minuta eſt orthopnœa, quæ dein continuata mediocritate abſtinentiæ, noctis tranquillitates dedit. Nam ut malè affecto pulmone, plus excrementoſi phlegmatis gignitur: Ità quo materia copioſior adeſt, idem excrementum magis abundat. Quia non fit hoc aliquid, niſi ex materia vicinius diſpoſita. Nec enim phlegma illud, ſive tenue & aqueum, ſive demum craſſius vel tenacius fuerit, niſi ex maſſa materiæ magis affinis & diſpoſitæ. Qua nimirum quoque deficiente, ipſe cruor vitalis tranſmutatur, ac tranſmigrat in hujuſmodi excrementa. Eſt nimirum latex aqueus in corpore ac per venas omnes oberrans, varias aquoſi excrementi larvas ſuſcipiens, & induens ideas: non ſecus atque aqua, cui cortex tiliæ, vel radix conſolidæ, immaduerint, mentitur phlegmatis ſpeciem: ipſum quoque ovi albumen, primo die lacteum eſt, quod mox glutinis ſpiſſitudinem ſpontaneo motu arripit.

73 Quod in Corizza clarius ſpectatur; ubi qui latex primis diebus diſtillat inſtar aquæ ſalſus: dein ſequentibus muccoſus evadit. In Phthiſi autem, dum è cruore ſputum incipit mucceſcere, primum flavus atque ſpiſſus videtur muccus, qui dein cinereus, ac tandem ad atrum magis vergit. Quia tum ſunt cruoris tranſmutati excrementa, non amplius laticis commiſtiones. Hoc pacto ſcilicet uterque cuſtos, qui primum è latice fabricat ſpiſſum muccum: dein cuſtode errante, ſtatim in aqueam myriam faceſſit, iterumque inſpiſſatur, mox ut error cuſtodis corrigitur. Cuſtos etenim tam Cerebri, quàm Pulmonis variis objicitur aëris injuriis ac inclementiis, ideóque laticem undecunque advocat, errore turgidus, ut eum in excrementa, ſuæ paſſioni paria, retroire, vel abſcedere cogat. Ergò ex maſſa laticis, formantur ejuſmodi muccoſa excrementa, cui maſſæ quandoque imprimitur nocua quædam erroris macula, ſic ut liquidior & immaturior cruor, una traſmutetur in muccum. Violenter nimirum, ab utroque cuſtode errante, tam in Pulmone, quàm in capite, ipſe cruor alienatur in muccum, non aliàs, quàm cruor in ulcere, puris aut ſaniei formam aſſumit. Itaque præter cuſtodis utriuſque præfati alterationes: ſingulis partibus inuritur non rara impreſſio, qua cujuſque membri digeſtio potenter læditur, aut intro vertitur. Quo caſu, voco ejuſmodi malam impreſſionem, membri tortorem, digeſtionis impeditorem, atque alimenti ultimi depravatorem. Circa quem nempe totus ſcopus atque cardo medendi verſari debet. Cuſtos ergo laryngis, tam ſuperius laceſſitur injuriis aëris: quàm infrà, atque domeſtica indiſpoſitione proprii Pulmonis. Hæc de maſſa, dicata Cuſtodibus, deque maſſa, irrorata pro ultimo artuum alimento, ſic ſunto. In quibus

quicquid defectu integritatis eſt vitiatum: id quoq; multarum creſcit in infirmitatum occaſiones. Et quò deterior maſſa ſive materia immediata ex qua, alluerit, eò quoque eſt potentior morborum indè natorum ſtimulus. Et per conſequens, abſtinentia, & ſatietas multi cibi enchymi, fœcunda ſunt, tam ad ſanandum, quàm infirmandum media. Non ergò ruit præceps è capite omnis Latex, qui etiam ſpecie muci, albuminis, ſaniei, puris, meliceriſque nobis imponit. Nam digeſtionum aliarumque impreſſionum errore, contingunt peccata ac vitia in membris diverſis faciebus obvia. Quod ſanè diligenter ac ſtylo chalybeato notandum, ubi infirmitatum intenduntur ſanationes, atque
74 medelæ. Confirmatur hinc error Cauteriorum. Fontanellæ enim alicubi juvant, non ſanè, quod deſcendentem Catarrhi materiam evacuent, aliò divertant, diducant, aut trahant: ſed quatenus totalem maſſam minuunt tam Laticis, quàm cruoris alimentarii. Nequicquam interim fontanellæ, de errore membrorum, morboque ibidem characterizato, detrahunt, aut cogitant. Quia deſtructorem domeſticum, ſive morboſam indiſpoſitionem, non ſunt tollendo, aut moderando. Ac proinde nec decidunt Catarrhi deorſum: ſed dumtaxat creantur defectus, à deſtructore, in parte qua hic
75 habitat, ſuumve habet objectum, ac regimen. Conſiderantur hoc paſſu, ptiſanæ, zarzæ, Chinæ ac ſimilium, quæ præterquam elementalem, potum exhibent, longè alienum à vera nutritione, ciboque enchymo ſubſtantiali, atque ſpermatico Ideóque non poſſunt non detrahere de maſſa imbibitionis. Hæc namque eſt ſiccitas, quam Medentes intendunt adducere præfato potu & decoctis. Non quatenus humores deſcendentes, aut pituitam exſiccent (madida namque apud philoſophos, non ſiccant humores) ſed in quantum, maſſam nutritivam cruoris imminuunt quam plurimo aliundè ingeſto cibo enchymo, rurſus reſtaurant, adeóque ſe reddunt ludicros, per ſubſequentum plerumque effectum. Poſſent nimirum parcimonia ciborum plus efficere, quàm omni pellis laceratione, aut truculenta ignium ambuſtione, vel lignorum, radicumque barbararum potu. Hæc igitur quæ dixi, ſuccenturiantur tractatibus de latice, de Cauteriis, de Cuſtode errante, ac de Catarrhis. Interim demiror impenſè, quod 76
dulcibus, & eclegmatis illinctuque putarint pulmoni ſubvenire, hæſeruntque circa pulmonem vulpis, quam indefeſſè currentem ſcirent, & tuſſilagine cocta, macerata, bibita, ac variis modis lambendo illincta ſanationes inſtituerent, per media ſcilicet ad locum affectum nec immediatè admiſſa: & mediatè, ſui priſtino valore orbata. Nunquam autem cogitarint Scholæ, quod ſi æger quotidie remedia ipſemet ſibi contuderit obtuſis ſibi naribus, poterit quædam remedia ad ipſum Pulmonem attrahere, inſpirando ſcilicet minutulum contuſorum pulverem. Hacque methodo queat ad locum affectum immediatè ſibi applicare ſuos balſamos; At fruſtra: ergo adhuc fruſtranea amplius eclegmata, ad pulmonem non delata.
Itemque neglexerunt proficuum hactenus mo- 77
dum, per quem immediatè fumum ſulfuris connectant potui, qui fumus deinceps unà cum potu ſe paulatim explicat in omnes venas: non quidem ſpecie alimenti, ſed ſolius condimenti: non ſecus atque idem fumus cadum vini à corruptione liberat, & præſervat. Nil enim cogitatum hactenus, quo pacto, & viarum ſocio, remedium, quod alioqui per ſe non penitiſſimè intrò admittitur, penetrare faciant. Et quanquam per ſyrupos & eclegmata cernerent in millibus nequicquam profeciſſe, niſi ſuæ crumenæ: attamen abſque ulteriore diſquiſitione, eâdem lutoſa orbita ſemper hactenus perſtitere.

LATEX HVMOR NEGLECTVS.

1. DIſpoſitio docendorum. 2. Quid intelligatur ſub Latice. 3. Nomenclaturæ ratio. 4. Effectus introductorum quatuor humorum. 5. Diſtinctio lotii & ſudoris à Latice. 6. Errores hinc orti. 7. Quid Scholas deceperit. 8. Implicat contradictionem. 9. Laticis neſciti abſurditates. 10. Serum cruoris, quod ſic vocant, differre ab urina. 11. Inſipiditas & qualitatum indifferentia in Latice, propter uſuum ſuorum amplitudinem & libertatem. 12. Primus Laticis ſcopus. 13. Alter. 14. Tertius. 15. Sudor eſt è materia Laticis. 16. Quomodo ſudor promanet. 17. Sudor morientium quorſum conferat. 18. Probatur Sudoris exitus in forma aquæ ſalſæ. 19. Quartus ſcopus. 20. Quintus. 21. Excuſatur Latex. 22. Scholarum abuſus. 23. Partus inſcitiæ Laticis. 24. Scholæ ſi non ſoporatæ, potuiſſent ſuum errorem agnoviſſe per numeros, & pondus. 25. Semper Angina deluſit Catarrhos. 26. Concluditur Laticis neceſſitas, etſi neglecta. 27. Sitis quid prodat. 28. Quid in febri nunciant ſiccitas, fiſſura, & conſpurcatio linguæ. 29. Itinera & clientelæ Laticis. 30. Magnes Laticis. 31. Errantis Laticis aliquot incommoda. 32. Error Scholarum circa Laticem, quæ pepererit. 33. Effectus aliquot errantis Laticis. 34. Cur Latex facile auſcultet peregrino fermento. 35. Author tranſit idiotiſmum Paracelſi de Latice. 36. Sitis in Hydrope unde. 37. Sudor potius vocatur, quàm ſua feratur ſponte. 38. Balnea & cauteria neſciuntur quorſum applicentur. 39. Catarrhi origo, ex inſcitia Laticis. 40. Error Scholarum de uſu Glandularum. 41. Quorſum tam multiplex glandula in nobis. 42. Vnde Anginæ tam facilis muccago, & ſaliva. 43. Morborum curatio hactenus conjecturalis, palliativa, & vada tentans. 44. Author Medentes hortatur. 45. Siccatio Chinæ ex inſcitia Laticis prorupit. 46. Applicatio præcedentis digreſſionis.

1 DE Latice humore unico, & hactenus
neglecto, dicturo probanda
eſt primum quæſtio, An ſit, ſive
quod ſit: dein ejus uſus, atq; neceſſitates,
ſive fines ac ſcopi, quibus
inſervit. Ante hæc tamen omnia,
juvat obiter explicuiſſe, quid illo inſolito nomine
2 ſignificatum velim. Enimvero præter unicum
liquorem alimentarium apertè & palàm
cognitum, quem cruorem vocant, innatat ei liquor
quidam aquoſus, nedum ſalivæ, lacrymis,
ſudori, tenui mucco, œdemati etiam aliis morbis
materialiter ſubſtratus: ſed & variis uſibus
illuſtris. Meminerunt Scholæ quidem illius,
ſub nomine ſeri ſanguinis, illumque tam urinæ,
quàm ſudori communem fecere: At ſanè oſtendam,
eundem procul materia, & uſibus diverſum:
ac per conſequens non inter excrementa,
ſed utiles ſuccos referendum. Laticem 3
enim voco, non autem humorem, ut tollatur
abuſus nominum, poſtquam ſat per librum expreſſum
demonſtraverim, nunquam in humana
natura exſtitiſſe quaternarium humorum,
quos Scholæ per repetitas commentariorum
centurias dilatarunt, adeoq; humores, ceu actores,
in omnium morborum tragœdias introduxerunt.
Qui liber intitulatur Scholarum Humoriſtarum
paſſiva deceptio: ad diſtinctionem
activæ, ne ſcilicet in pertinacia reſipiſcentiæ
malitiam accuſaſſe videar. Quamobrem præpoſtera 4
cruoris eſſentiæ ignorantia, totam medendi
tabulam obtenebravit. Itaque cruori partem
lotii relictam volunt, poſt ſequeſtratam
adhuc urinam, vocantque tam lotium, quàm ejuſmodi
reſiduum illius, ipſum ſanguinis ſerum.
Illamque indiſtinctionem indolui ſeriò,
eò quod calamitatis humanæ ærumnoſa fotrix
eſſet. Lotium namque, ejuſque reſiduum, quod 5
per ſudores erumpit, uno pariter nomine vocarunt
ſanguinis ſerum. Cujus tamen præcipuos
ſcopos præteriere. Etenim mox ab iſta ſua hypotheſi
deflectunt, dum quicquid extravenato
cruori ſupernatat, non amplius ſerum; at bilem,
choleram, ſive fel, unumque ex quatuor cruoris
partibus conſtitutivis nominant: rem ſcilicet
fictam, amaram, acrem, calidiſſimamque, in
nobis nullatenus ſeri, aut lotii qualitatibus conformem
dictitarunt. Verum quid ex Scholarum 6
confuſionibus ejuſmodi, adeo fundamentalibus,
rebuſque tanti momenti, conjiciendum
ſit, præfato libro ex profeſſo, & ad longum, ſum
dimenſus. Ante me enim illas expugnavit, tanquam
expilatæ hæreditatis reas primis Paracelſus:
ſed admonitæ, recuſarunt ſapere velle, etſi
titionem perniciei humanæ, ad promtius urendum
admoviſſe hortatæ ſint, Atque inprimis
ſat demonſtravi, non eſſe utramq; bilem, ut nec
pituitam in natura; Nunc porro oſtendere decrevi,
non ſat Scholis eſſe, neſciviſſe laticem ejuſque
particularem ſcopum: ſed & penitus erraſſe
in ejuſdem conſtitutione, utpote quæ à
propoſitis laticis terminis procul recedunt, per
lactis ſimilitudinem deceptæ. Quoniam ſerum 7
nunquam à lacte ſegregatur niſi poſt ſui lactis
corruptionem, adeoque cadaver comparant latici.

tici. Deniq; ſerum, quod non niſi à lactis caſea-
tione fit, & apparet, erat de nativa lactis conſti-
tutione: non item urina aut ſudor, ſunt de ma-
teria ſanguinis. Ergo ſaltem in eo fatentur, ſi
quod in cruore extravenato natat, eſt ſerum ejuſ-
demque ſpeciei cum corpore ſeroſo urinæ: ergò
jam ſerum à bile formaliter diſtat. Nam quod à
re permanente abeſſe poteſt, non eſt de ejus in-
8 dole eſſentiali. Adeoque planè implicant, eſſe de
interna ſanguinis conſtitutione, & quidditate:
itemq; non eſſe de intrinſeca conſtitutione ſan-
guinis. Ergò abſq; abſurditate, laticem in cruo-
re fluctu autem vivo, non poſſe jure vocari ſe-
rum cruoris, multoq; minus bilem felleam, par-
9 temque igneam ejus. Mandarunt itaque Scholæ,
partem cruoris quam ſerum vocant, ſive uri-
nam, potius ſeparatricis incuria, quàm eſſentiæ
inexcuſabilis neceſſitatis ergo remanſiſſe in
cruore. Quippè non rarus cruor extravenatus
cernitur abſq; ſero. Ideoq; nec ſerum, cruore re-
lictum tradunt, quàm ob faciliorem tranſitum
trans exiguas venarũ hepatis fibras, dilutiorem
nempè cruori conſiſtentiam dando. Ideoque di-
cunt; Superatis exilibus iſtis arundinibus, ſta-
tim natura meditata eſt ſeri ſeparationem, illud-
que deferri juſſit in ultimam Lotii thecam. Re-
linquendo ejus reſiduum, cruori conſocium, ut
facilius quoq; penetret trans exiles venularum
extremarum tubulos. Quâ ſanè doctrinâ, me-
rè excrementitia, polluunt digeſtionum purita-
tem: utpote principales Laticis ſcopos igno-
rarunt, & pueriles uſus ſero cruoris finxerunt.
Ego autem pro baſi indubia, faſſus ſum ſemper,
naturæ Parentem non poſſe fruſtrari conceptis
finibus, nec quicquam lotii, ordinario naturæ
errore, cruori reliquiſſe permiſtum. Denique,
quod quicquid liquidi in ſubſtantia ſanguinis
eſt: id ipſum non eſſe de conſtitutione ſangui-
nis, nec ejus excrementum: ſed eſſe Laticem,
ſuis utilem finibus. Nec enim eſt Latex pars uri-
næ, ut nec pars ſudoris. Nam inprimis ſal ſudo-
ris diſtinctus eſt ſuis proprietatibus, à ſale uri-
næ. Eſtque Latex manifeſti adhuc ſalis expers.
Idque non mirum. Quippè urina, jam fermen-
to ſtercoreo renum, quatenus imbuta, etiam ab
10 eodem eſt tranſmutata. Fit enim lotium ſuis of-
ficinis, ſuiſque completur proprietatibus for-
malibus, ad ſuas functiones, atque ſcopos utilis.
Differt itaque lotium, nedum à ſudore: ſed & à
ſeipſo quantiſper nondum renum fermento, at-
que ſtercoris liquidi inteſtinorum eſt particeps.
Idque ſanè nec aliàs, quàm ſtercus coli, à cre-
more ſtomachi differt, vel chylus à cruore.
Non ineſt ergo pars urinæ ſanguini, nec ali-
mento jam depurato commiſtum eſt excremen-
tum actu corruptum, & alterius corruptivum.
Nam iſte error eſſet nimis quotidianus, & dire-
ctus: pro cujus averſione, natura ubique non ſe-
gniter ita inſudavit, quod in nullo paſſim labo-
ret operoſius, quàm ut moleſta ſibi recrementa
proſcribat ociſſimè. Siquidem excrementa cun-
cta, & ſingula, jam ſunt fermenti ſtercorei im-
preſſione à ſeipſis prioribus alienata, ideoq; non
poſſent non eadem dote ulterius tabefacere, o-
ptima quæq; ſibi admiſta. Profectò Latex in cru- 11
ore oberrat permiſtus, non quidem ut pars cruo-
ris, aut reſiduum lotii excrementum: ſed ad va-
rios ſcopus utilis: Ideoq; & Laticem vocavi, ſi-
ve humorem peculiarem à cruore diſtinctum.
Eſt nimirum in ſe pene inſipidus, & pro primo
ſcopo, contemperat cruoris aciditatem, ut ean-
dem arceat. Potiſſimum namque poſt labores, 12
æſtus, ſudores, balnea, &c. nam in tanta perſpi-
rabilitate cruor valde condenſaretur, niſi habe-
ret aqueam partem admixtam pro ſudore. Al- 13
ter laticis ſcopus fuit, ſcilicet dum in omni cru-
diore Chylo, cremore, & cruore, ſit aliquod ex-
crementum, & cruor ſub digerendo ſalem ex-
crementitium reſervet, etiam dum in purum a-
limentum convertitur: fuit ipſi proin latex op-
portunus ſocius, qui in ſe reciperet hunc ſalem,
eumque everreret. Tertius laticis acceſſit ſco- 14
pus, ut materialiter cauſet, ne ullum denſioris
compaginis reſiduum, in ultima alimoniæ eva-
poratione remaneat: ſed ſimul per diapnæam
explodatur, ratione fermenti arterialis, (ut ſupra
in Blas humano, vel ratione ſudoris eluatur. Su-
dor namque materialiter nil niſi latex eſt, cui
acceſſit ſal ſuperfluus. Quod apparet. Nam à po- 15
tu aquæ, aut cerevişiæ tenuioris, mox ſudor co-
pioſus æſtate profluit: non quidem quod halitu
tenus, ſalſus ſudoris latex, per corpus feratur, ut
ſubter pellem ſalem prius induat, ſimulq; oleo-
ſum quiddam. Sed ſudor expellitur, in forma a- 16
quæ (ut in ſanitate) vel ſpontè ut aqua profun-
ditur in meticuloſis, ſyncopizantibus, & mo-
rientibus. Vbi per impertinens obiter annoto.
Quod morientium ſudor, non ſit tam latex in 17
ſui natura, quantum ros alimentarius reſolutus,
cui mors imperat. Quod patet. Nam ſtatim
corporis habitus ſidit, prout & in ſyncope. Ha-
betque ſudor ille mirificas vires mortificandi
hæmorrhoides, & excreſcentias poſſidet. Por-
ro quod ſudor non feratur per calorem, vapo-
ris ſpecie, patet. Nam cum vapor centuplo ma- 18
jorem locum occupet quàm aqua: tumeret ſu-

dando corpus centuplo magis, quàm alioqui
proprio eſt ejus extenſio. Non eſt enim ſubter
pellem locus vacuus, qui vaporem excipiat; ahenum
quoque aquæ fervidæ, nullum intra ſe
vaporem habet: & quem emittit, è ſuperficie
tantum exhalat. Non oberrat ergo vapor, ſub
19 pelle: ſed liquoris ſola ſpecie propellitur. Sudor
ergo eſt latex materialiter è culinis partium
per quas fertur abradens, vel abluens ſordes, ideoque
plerumq; olidus, idque magis in morbidis,
quàm ſanis. Adeoque & in Criſi ſæpè terminat
morbos, quatenus ſecum effert ſordes pro
ſcopo ſuo ordinario. Cadaverum diſſectiones
admiratæ ſunt Scholæ: ſed ſudoris anatomiam
nondum per digeſtiones, fuligines, electiones,
admiſtiones, reſolutiones, aut expulſores, introſpexerunt.
20 Quintus Laticis ſcopus fuit magis
intimus. Etenim cum oculus liquore opus
haberet ut ejus palpebra innocuè moveretur, &
lingua ſalivâ eguit, ut maſticatos cibos madore
temperaret: abſurdum autem foret, totum cibum
è maſſa cruoris humectari: Idcirco per venas
latex delatus eſt, unde ſaliva, lacryma, &c.
fierent. Nam dum in anginis, & infami Mercurii
ſalivatione, plus juſto ſaliva profluit, alvus
21 ſeipſa ſiccior fit. Latex ergo in cruoris maſſa innoxius
vagatur, ad loca opportuna defertur,
diſtributivæ facultati promtè auſcultans. Qui
quidem ſicubi ſalem cerebri (ut in gravedine)
ſecum rapuerit: non eſt tamen Latex ſui natura
noxius, nec illi piandum in culpam, quod
ipſi inſonti, per accidens, importunè aſſociatur.
Pariter licet in morbis obſequioſus abundet,
œdematoſa crura inflet, id ſorte contingit. Natura
namque generali niſu, odioſum ſibi hoſpitem
parit, eumque excrementis ſarcinat, quæ
abigere optat. Nocte frigidiſſima linteamen invenio
mane tentum & congelatum à nocturno
anhelitu, cujus aquæ quadruplum adhuc exhalavit,
ad minimum. Eſtque anhelitus, æſtivis
diebus non minus: ſed multò magis vapidus.
Igitur aliquot unciæ inſipidi liquoris è ſolo pulmone
efflantur. Sed non eſt illa aqua, excrementum
pulmonis, ut neque cruoris reſoluti
materia. Quapropter è latice petitur, ſive mittatur
à poteſtate diſtributiva Archei, ſive demum
pulmo eundem ad ſe alliciat. Saltem continuò
ſuppeditatur, quodq; alibi præbent glandulæ
miniſterium: hoc idem præſtat pulmonis
parenchyma. Adeoque laticis velut ſcopus eſt,
quod ſuo madore compeſcat, ne pulmo dehiſcat,
22 ſiccitate attracti aëris. Abuſus eſt etiam docere,
Laticem initio Corizzæ eſſe crudum & incoctum,
illumque dierum numero, per calorem
inſpiſſari ſub fine digeſtæ maturitatis. Nam
ſemel expulſus, coqui non exſpectat, ut neque
ſui coagulationem, ut concreſcat. Nec latex ab
initio Corizzæ, ſui inſpiſſationem, in vacuo
cranio unquam potuit exſpectaſſe. Ergo laticis 23
ignorantia multa medendo, ſomnia in catarrhis,
& œdematibus, ſuſcitavit. Turgidis nimirum
ſerò cruribus, foſſulam prementis digiti
retinentibus, & manè evaneſcentibus, pituita
eſt putata, nocturna digeſtione in cruorem verſa.
Inſcitia ergo obſequioſi laticis, fabulas putati
rheumatiſmi peperit. Verùm ſi ſemel ſecum 24
in computum deſcendiſſent, vidiſſent nempè
ſerò, crus utrumque 4 fortaſſis librarum pondere
œdematis gravatum. Quod ſi fuiſſet (ut
ajunt) crudior ſanguis, pituitoſus: cum non ſint
crura cloacæ pituitæ, à Scholis cognitæ, neque
ideo ratio, cur pituita potius in crura decumberet,
quàm alius ex tribus reſiduis humoribus,
vel quam pituita illa in ventrem, femora, lumbos,
&c. decideret. Profectò proportionis juſta
diſpenſatio expoſceret quotidie 40 fortaſſis
libras, in cruoris non maturi diſpendium, in totum
conſumi. Sæpè pelves, atque matulæ, unicâ
nocte ſalivis replentur, & ſtragula cum induſiis,
madore ſtillant: quæ niſi è latice petantur,
& non è maſſa vividi cruoris, corruunt
quæcunque de cibis, digeſtionibus & ſanguificatione
ſunt credita. Ipſa nempè Arithmetica,
& ponderis ſtatera, medicaſtros deludunt, in
ſuis pituitæ figmentis. Sed quis naſutus credet
unquam, ſalivam, lacrymas, ſudores, præterque
lotium copioſum, ex ipſa ſanguinis hæreditate
peti, abſque vitæ inſtantaneo detrimento? præſertim
quod idem chronicos terminos uſque
perſeveret? fingamus enim parvam cœnam,
ſtomachum, ac Pylorum, benè munere ſuo
functos, ſalivationem autem copioſam in anguina 25
feroci, exquiſitiſque amygdalorum gutturis
inflammationibus. Certè iſta ſpiſſior continuaque
muccago non è cerebro defluit, faucium
jam obſtructo meatu, multoque minus è
ſtomacho vacuo aſcendit, & ſub fauciũ jam obſtipatione:
Itaque linguæ & faucibus opificium
ordinarium ſalivæ eſto, cujus materia è latice
petitur, quem juxta ſui fermenti varietatem diverſis
larvis commutat. Sunt nempe ſalivæ aqueæ,
muccidæ, ſalſæ, acidæ, amaræ, tenaceſque,
fili inſtar. Fuit igitur neceſſaria quotidiana 26
laticis copia in venis, promtaque ejus obedientia
ad vocationem Archei: Nam etſi nutriendo
latex ſit ineptus, ſuis tamen uſibus accommodus

modus eſt. Poterant nempe cibi in ſuccum redigi
(quod mures & cicadæ docent) citra potum,
27 niſi & latice ad majora obſequia opus fuiſſet. Eſt
ergo ſitis, præco deficientis Laticis, non autem
cruoris egeſtas (ut alioqui mandant Scholæ) febrientium
quoque ſitis, à ſumto potu perſeverans,
laticem alieno contagio ineptum ad ſua
28 munia factum, denunciat. Siquidem quoties amaror,
ſalſedo, nidorve ſalivam inficit, ſtomachus
apepſia fatigatur, & lingua (indolens alioquin,
& nil mali in ſe habens) ariditate finditur:
ſignificatur latex non tranſire ad venas, debito
inſtructus viatico: quia in ipſo ſtomachi hoſpitio,
ejuſve viciniis, ineptus evaſit, pro ſuo munere.
Non eſt ergo linguæ ariditas, cruſtataque
ejus ſordes, in febribus, effectus, ſive indicium
exhalationis, è ſtomacho (etiam potum non
coquente) ſurſum delatæ: ſed eſt defectus laticis
29 deturpati, vel egeſtate penurioſi. Non ſatis
eſt laticem ejuſque uſus aliquot, & officia
dixiſſe, per neceſſitatum diſtributionem: Iuvat
& ſua detegere itinera, & exorbitationes
commemoraſſe. Lex enim & neceſſitas uſuum
totidem quoque peccata invexere, ſi non quoque
utrimque bina. Cum enim latex non ſit de
ſubſtantia cruoris; ſed liquor fatuus, innocuus,
concurrenſque viarum ſocius. Ideo namque unà
cum cruore, per venas fertur: Non tamen eſt
ſerum cruoris, nec bilis, nec urina: ſed poſt lotii
ſeparationem, ſuam latex recipit determinationem,
ſimul atque intra venarum lares aſſumtus
eſt. Ac quodammodò extra catalogum excrementi
adſcribitur, dum tam facile vocanti,
aut mandanti obtemperat Archeo. Deſunt enim
latici ſal, tinctura lotii, & bilis fictus amaror. Renes
namque emulgent ſalſum lotium, quod jam
vel in Meſenterio ſalem ſibi adſcivit. Alioqui ſi
quis tenuem & pernoctatam cereviſiam jejunus
potet (ut Anglorum eſt mos) mirum quàm
ſubitò, ſæpe & affatim mejat. Id eſt, per ſtomachum,
Meſenterium & jecur tranſvolet.
30 Habet quoque carnoſa pellis, ſive membrana,
proprietatem attrahendi Laticem, ut ſe, ſubjectamque
intra ſe ſupellectilem, eluat: multus
idcirco ſudor confeſtim ſitim propagat. Hincque
etiam vulnera, ſynoniæ, ſive aquæ glarealis,
incredibilem ſæpè copiam effundunt, quaſi
Latex aptaret eluere conceptam in dolente, maléque
curato vulnere, noxam. Corporis nimirum
extima veſtis, ſua proprietate, ſponteque,
ſudorem laticemque allicit: ut cum loturæ inſtar
eſſe debeat, calcar vocationis ſuæ à pelle recipiat.
Cujus tractionis lenocinio, ipſa pellis
facilè axungia repletur. Cum ergo Latex pluribus 31
deſtinetur uſibus, & officiis, ſequitur etiam
eundem exorbitantem, totidem & plurium adhuc
morborum cauſam fieri occaſionalem. Salſuginem,
nempe acredinem, ac putridi commiſtiones
ab internarum partium ſordibus infectos,
ſuſcipit, multaſque ideo ulcerum & exiturarum
diverſitates tolerat. Prout & in pelle ſuas
atque varias prurigines excitat. Errant itaque 32
Scholæ inſcitia laticis, quæ hos defectus in jecur
inſons referunt, ejuſque intemperiem incuſant,
ſuiſque ſtoliditatis pharmacis inſons hepar
lædunt. Nec advertunt, quod unica ovis totum
gregem ſcabie infectet, abſque jecoris labe ulla.
Quodque abſterſiſſe manum linteo, quo ſcabioſus
eſt uſus, ſcabiem propaget, citra jecoris contagium
aut defectum ullum. Quapropter iſta
Scholarum inſcitia, cruorem & hepar ut rea caloris
agitant, imò & innocuum cruorem, ideo
cum vitæ occurtatione prodigialiter, ac repetitim,
ſed fruſtrato eventu effundunt. Sin verò 33
Latex intus aliquid ponticum, acidula ſalſedinis
myria infectum, reperit, vel cum occulto
virulenti fermenti contagio oppignoratum:
Iam ulcera cacoëthica varia emergunt, ac cauteria
ad divertendos catarrhos, falsò invenit.
Synonia autem tam largo imbre pluit ſæpè,
quod ſi cruor vel humor alimentarius, ſive ſpermaticus
ros, eandem cauſarent, paucis certè
horis homo cruoris penurioſus intercideret neceſſariò.
Adeoque ſtupore abundantiæ illius
neglecto, quia Laticem neſcivere, aliò ſuas
nænias falſaque auxilia deportarunt. Saniem
ergo vel ichor ulceris neſcivit Galenus, an ad
pituitam, vel ad bilem referret. Non mirum eſt
autem, laticem in alienam imperii ſobolem
tranſſumtum, varias ulcerum excitare catervas:
dum cruor diverſis ſerpentum ictibus, morborumque 34
tranſplantationibus laceſſitus, in tam
numeroſam varietatem exorbitet. Relinquo autem 35
Paracelſo ſuos fontes ſalinos microcoſmicos,
ſuæque indulgeo libertati lubens, etſi laticem
ignoret cum Scholis. Latex itaque facilè
alienam intus qualitatem combibit. Hinc in hydrope,
multa ſitis, etiam à potu frequenti. Non
enim liquoris penuria; ſed ſalſuginis confectione,
ſitis fit. Mali quoque ſudores ſunto, ſi particulares. 36
Nam quod membra ſingulariter Laticem
in auxilium vocent, à malo eſt. Duo ergo
præcipuè hic adhuc ſpectantur, quod Latex non
tam ſua feratur ſponte, quàm vocatus à ſuperficie,
cui deſtinatus alioqui opitulandę: tum etiam
quod illarum partium ſudores earundem defe-

37 ctum teſtentur. Quapropter injecta ſtragula ſudorem
promovent, quia externè adhibita opera
vocatur. Atque ideò non raro fruſtra propinantur
ſudorifera, & tegmina multiplicantur:
quia tractrix Laticis foris languet. Quod ſi latex
abundet, nec à pelle alliciatur, quia aliena
labe eſt inquinatus, ad partes decumbit,& indolentes
tumores excitat,ſi non etiam qualitate ſit
38 moleſtus. In quibus tam balnea quàm cauteria
ſubindè opem dedere: non quod tam cauſam effectricem,
quàm productum, id eſt, Laticem
minuant. Adeoque remedium palliativum & ad
poſterius applicatum eſt. Denique tota mali ſcaturigo
hujus, in inſons caput humanum, in Catarrhos
39 depluos è capite relegata fuit. Cujus cauſam
ſi erraverint, conſequenter debuere & in remediis
aberraſſe. Memini namque incipientem
pleuritidem, copioſo ſudore mox deſiiſſe. Quale
eſt diaphoreticum, è floribus papaveris erratici,
Stercore caballi, ſucco bellidis, ac ſimilium
40 adjutorio prolectus ſudor. Poſtremò etiam notavi
glandulas inſignes, ſubter axillam, in inguine,
& pone aures; Itemque in ductu urinæ prope
veſicam, ac circa duodenum inteſtinum, &
innumeras penè alias, ad cujuslibet venæ bifurcationem
ſuppoſitas. Quarum unicum uſum,
Scholæ jubent eſſe: ne vaſa ſcilicet lacerationi
ſint obnoxia. At ſanè in nominato uſu error
manifeſtus adeſt. Nam fruſtrà, poſt aures, glandulæ
inſignes eſſent: ubi nullus eſt timor lacerationis,
ut neque intus: quin etiam ipſa carnoſa
membrana non diſtenditur, adeoque non potuere
niſi fruſtra, evanido uſu atque fine, glandulæ
ibidem apponi. Id eſt, erravit naturæ Arbiter
in uſu glandularum: vel errant Scholæ. Cum nuſquam
præfatis locis, quibus glandulæ ſitæ ſunt,
vaſa ab invicem abſcedere poſſint. Meliuſque ac
commodius rapturam vaſis tenue ligamentum,
quàm lacerabilis teneraque glandula præſervaſſet.
Ego ubique animadverto perpetuam Scholarum
41 indagandæ veritatis incuriam. Non enim
animadvertunt, glandulas præfatas non eſſe niſi
ad emunctionem laticis è venis, ut ſudores in
habitum corporis diſpergant. Quod in lingua ocu-
42 lariter eſt manifeſtum. Vbi glandulæ ſalivam
efficiunt, atque ideò Laticem alliciunt. Subter
axillas, & in inguine verò ſudores proferunt.
Non autem lacerationi vaſorum prævident.
Prius nempe, officium eſt quotidianum. Alterum
verò, non niſi inſolens, rarum, atque potius
ridiculum. Reſtagnans nempe Latex, venas
gravat, oppreſſione, eodemque ſi liberentur,
Archeus velut reſpirans, novas ſibi vires inſperato
reſumit. Itaque Laticis ignorantia, cauteria
invenit, & ſuſtinuit; Catarrhos finxit, atque inconcinna
remedia ſive præſidia univerſalia ſomniari
fecit. Nil enim ſolidi, adverſus morbos
penſitatum. Vtpote oſtendam ſuo loco, morborum
initia adhuc hodie incognita latere: ideoque 43
& remedia eſſe vana tentamina, nec certi
quicquam continentia, niſi ſpecifica proprietate
certis morbis dotata ſint. Alioquin incertitudo
conjecturalis, ſibi ſubterfugia parabit, medenteſque
credulitas ægrorum munivit. Quod
diem remedium, etſi morbo diceretur appropriatum,
non quemlibet juvet. Imo nec purgantia,
tametſi indubiè alvum ſolverent, ſolari ægros
propter diverſitatem complexionum humorumque
fictorum pertinacium. Supponunt
enim talem videlicet ex humoribus, peccare,
ſpectantque poſtmodùm per ſolutiva eductum:
attamen cernunt nil de morbi feritate remiſſum.
Ergo cum deberent ignorantiam in humoribus
& purgantibus fundatam, agnoſcere, reflectunt
ſeſe ad varietatem complexionum, &
intemperierum incertam ignotamque differentias.
Quæ ſanè ſi æquo ſpectentur animo, non
alio terminabuntur fine, quàm in plenam principiorum
medendi hactenus cognitionem, inſcitiam
& everſionem. Quapropter medentes 44
adhortor, & exoro ſuppliciter, tempeſtivè addiſcant
Medicinæ inaudita exordia, themata, &
axiomata inſueta. Quapropter hoc loco parum
divagari opportunum cenſui. Etenim ut Atrophiam
vidi occaſionaliter è latice ſuſtentatam.
Ita & pinguedo, ſive obeſitas me ſpectante, unico
bimeſtri, per potum diureticum, loco cereviſiæ
ſummum abacta eſt. Pharmaca autem per- 45
egrina chinæ, zarzæ, Guajaci, &c. quod laticem
per ſudores profunderent, ficto mentitoque titulo,
exſiccantium nomen acquiſivere. Enimverò
jam antè demonſtravi omne corpus viſibile,
quodque elementorum miſtura conflatum
creditur, fieri materialiter ex ſolo aquæ elemento,
quod primordialiter in rebus conſtitutis cunctis,
ſe habet per modum Laticis, quodque &
hic ſuppoſuiſſe, tanquam ſemel ſat probatum,
ſat eſt. Dein axioma Philoſophiæ habet. Quod
corpora non mutentur in invicem, niſi prius reducta
ſint in primam ſui & ſequacem materiam.
Id enim quantumvis applicari velint metallicis
tranſmutationibus: attamen ex ſublunaribus
quorumvis notatis tranſmutationibus, eſt deſumtum.
Non tamen, quod velint corpora, in
primam materiam Ariſtotelis, imo nec etiam in
primam elementorum ſeparationem, eſſe reducenda

cenda (nec enim cibus in ſua elementa putant remeare debere, ut inde cruor fiat) ſed volunt corpus tranſmutandum in proximam ſui materiam, ſeu prioris vitæ ſubjectum retrocedere debere, antequam de tranſmutationis acquirendæ termino, ſpem fixerit. Quorſum, certum eſto. Cibos atque potum in ſtomacho aſſumere naturam Chyli, cum retentione qualitatum vitæ mediæ ciborum. Deſtrui quidem priſtinam ciborum materiam, & approximari ad materiam Latici, ſive elemento aquæ viciniorem: ſatagente nimirum ad hoc fermento ſpecifico ſtomachi, non ſecus atque fermentum hepatis chylum in cruorem tranſmutat, cujuſque comes ac ſocius, non item pars, eſt latex. Fermentorum autem in natura adeo diſcrepantia atque ſingularia dona exiſtunt. Vt quædam viventia ex ſola aqua ſibi faciant cruorem carnem, &c. imo & oleoſam axungiam. In ſulmonis namque ſtomacho, nunquam repertum edulum ajunt piſcatores. Sunt præterea animalcula aquatica in aquis ſalſis, quibus vix aliquid innaſcitur, quæ ſemen quoddam potatæ à ſe aquæ communicant, undè ſibi ſuum corpuſculum augent, & ſuſtentant. Adeò ut aliis piſcibus hujuſmodi animalcula edentibus detur, ingeneratum aquis ſemen, ad vitam tranſgreſſum, & ad vitam mediam participatam deductum. Animalcula autem, quæ ex ſola aqua, immediatè ſibi cruorem, totamque ſui ſuppellectilem patrant, exemplum habent in omni propemodum vegetabili: præſertim in ſaxoſis, arenoſiſque montibus, procul ab hominum ſtercoratione ſemotis (in quibus forte 60 ſpecies reſinificarum arborum notantur, ex ſola aqua pluvia, niveque, ſive leſſas ſaxoſi odoris, ex pleno nutriuntur, & adoleſcunt in ſummam altitudinem arbores adeò pingues, quod ſuffocarentur, niſi eandem effuderint circumcirca. Fermentum ſtomachi in homine facilius cibos in chylum, quàm illorum pinguedines tranſmutat, eò quod pinguedo remotior ſit à Latice, ſive prima materia, quàm ſit cibus. Quæ digeſtio tranſmu- 46
tationis, in ſuccos aquoſos, eò huc adducta eſt, quò conſtet, Laticem, facile concepto in nobis peregrino ſemine, membrorumque fermento, tranſmutari in alienam prolem. Adeoque è Latice, omnium proximè tranſplantari in muccum excrementoſum, jam ſupra oſtendi, ubi memini, à potu æſtivo affatim ſumto, ſputum (quod arida ſub ſiti deficiebat) ſtatim poſt ſcreari mucilaginoſum. Hæc eſt nova Laticis hiſtoria, ad tractatum de Catarrhis referenda, eò quod illius ignorantia, Catarrhis conceptis, ſingularem confirmationem dederit, ut & concipiendis dedit temeritates.

CAVTERIVM.

1. Cauterium nil niſi vulnus permanens. 2. Cauterii igne facti nulla prærogativa. 3. Nomen fontanellæ, impoſtorium. 4. Quæ Deus integra vidit bona, à Scholis laudantur lacera. 5. Pollicita Cauterii, puerilia. 6. Catarrhi negatio, negat Cauterii uſum. 7. Ridicula tutandis Cauteriis neceſſaria. 8. Theſis Scholarum oſtenditur abſurda, & impoſſibilis. 9. Quid purgetur per Cauteria. 10. Concluſiones nomen contra Cauteriorum ſtatuta. 11. Stulta in Cauterio deſideria. 12. Cauteria quibus noceant. 13. Scholarum indiſtinctio. 14. Scopus ſive finis Cauterii ceſſat. 15. Mundum per cauteria circumvenere. 16. Cauterio non eſſe communionem cum Cerebro. 17. Abſurda, ad doctrinam de Cauteriis conſequentia. 18. Vnicus Scholarum aſylus. 19. Reſponſiones. 20. Adiguntur Cauteria in ſcopulos. 21. Quid reſpondeant Scholæ in difficultatibus poſitæ. 22. Multiplicatio, electioque Cauterii, quo auſu ſurrexerit. 23. Hiſtrionicæ aliquot Scholarum nugæ. 24. Podagra Medentum ludibrium. 25. Stulta Cauteria. 26. Fruſtranea in ſuis deſperatis. 27. Nondum à Scholis ſtatutum, quibus caſibus juvent Cauteria. 28. Caſus in quo Cauterium prodeſt. 29. Crudele atque putidum Cauterii remedium, ut antevertatur. 30. Cauterium Medico indignum.

CAtarrhi invenerunt Cauteria. Illis ergò de medio ſublatis, horum tractatus videretur fruſtraneus, niſi initiandis hæc ſcriberem, diffidens eruditis quicquam profutura mea ſtudia. Quare Cauterii 1
fines, & effectum declarare ſtatui: Cauteria itaque inprimis fiunt igne, ferro candenti, corroſivo cauſtico, imò ipſa novacula, vel forcipe, aliquid abſcindendo. Sat: modò carnoſa membrana pertundantur vulnere. Alii verò præferunt vulnus igne, vel cauſtico paratum illi, quod ſcindendo patuit. Eò quod actuali calore, & ſiccitate, fluxum humorum melius præpediri, putent. Quaſi unico momento, ignis 2
ureret aliquid, præter ipſam eſcharam, aliudve exſiccaret, quod poſtmodum fluiturum ad vulnus fingunt. Vtrobique ſcilicet in Scholis, magni fiunt ſomnia. Quippè fontanella, (ſic

enim vulnus cauterizatum vocant, ut quaſi per
fontem morbos exhauriri vulgus credat) nil
juvat, priuſquam demta ſit eſchara, ablatoque
prius caloris & ſiccitatis veſtigio. Eo quod
Cauterii inſtitutio pro objecto habet excretionem,
quæ non ante eſcharæ decidentiam incipit:
minuſque ſemper exhalare poſſit trans eſcharam,
quam alioqui ſanam per pellem. Perinde
ergo poſteriores cenſuerunt, quomodocunque
fontanella facta fuerit, modi continuum
4 diviſerint,& diviſum cuſtodiverint. Quod enim
Deus fecit integrum, ut eſſet optimum, Scholis
videtur melius fore, ſi vulneratum ſervetur.
Vulnerari ergo ſæpè, vulneraque aperta cuſtodiviſſe,
ad Scholarum ſanitatem confert. Mirum
ſanè, quod vulnerari, non tranſtulerint ad
præcepta tuendæ ſanitatis, pro-ut nimirum
Cauteria, ſive vulnera conſtantia, eò ſunt relata.
Inter vulnerari autem, aut uri, tantum intercedit
ſanguinis emiſſio: quæ illo titulo præminere
in Scholis deberet, niſi phlebotomiæ fraus
5 ſe manifeſtaret. Præſumunt nempe, atque decernunt,
Cauterium eſſe novum emunctorium,
per quod Medentes queunt naturam pro lubitu
coercere, ad ſe exonerandum; non quidem qua
fingunt aliàs per Catarrhos defluere, ſeque exonerare,
aut quaquaverſus: ſed dumtaxat per factum
foramen. Id eſt, citant Catarrhos, ut perſonaliter
compareant in loco, ad lubitum Medentis.
Lepidè ſanè, ſi æquè verè. Attamen hæc
prodigia in tantum profecere, ut pueris etiam
ante trimatum jam Cauteria fiant. Aſt ego, inprimis
ſemper in Cauterio intuitus ſum inplicitam
blaſphemiam,qua Creatorem inſufficientiæ
in condendis emunctoriis palàm accuſant.
Etenim ſupra mille fontanellas incarnari juſſi,
cujus hactenus, quod ſciam, neminem pœnituit.
Denique conſideravi, puerilem Medentum
præſumtionem, quod naturam ſuis illorum
juſſibus auſcultaturam ſibi ſeriò perſuadeant:
etiam ſuppoſito defluxu & procubitu
humorum, quem jubent, longè abſurdiſſimum.
6 Ad fundamentum autem meum ſat ſit, Quod
nempe nulla ſit miſſio, aut ſpontanea defluxio
Catarrhi. Quo negativo ſubſiſtente, vanum ſit
fundamentum Cauteriorum. Docent namque
Scholæ, per fontanellas elici malos, imo exitiales
humores, qui alioquin aliò vel mitterentur,
7 vel ſponte defluerent. Bellè ſanè, quod natura
laxo freno exſpectet arbitrium Medentis, & apertionem
Cutis, ut iſthac ſarcinam deponat,
quam alias in nobilius membrum declinaret.
Quaſi mittens natura minaretur, niſi carnoſam
membranam, ubi vobis viſum fuerit, mihi vulnere
apertam ſuſtinueritis, ut per revulſionem
me à furore placaveritis,& à conceptu dimiſſionis
avertatis, væ vobis: Nam quod aliàs ſubter
cutim expurgarem, ad nobile membrum, in
vindictam retrotraham. Sed ſodes, quo centro,
quave fontis ſcaturigine, malus ille humor paratur?
An in jecore, humorum quatuor (ut volunt)
officina? At ſanè difficilis, longa, & ſalebroſa via, 8
ut malus iſte humor à jecore per venam
cavam, adeoque per cor, ad extremam
brachii, cruris, vel cervicis pellem deferatur,
cruorem non incontaminans, ſed ipſe malus
humor ſincerus. Crudele ſanè emunctorium,
quod trans fontem vitæ malum humorem ducit.
Adeoque crudelis Medicus, atque Scholæ
crudeliores, quæ noxium humorem per Cor
deferri jubent. Quod ſi verò adhuc hodiè ignotus
malus humor fontem habeat Cerebrum:
Vbi quæſo? An quavis capitis ſentina malus ille
humor naſcitur? An in ſinibus? vel in pelvi?
non quidem inprimis in uteribus cerebri ſine
præſentaneo necis metu, quotidiana maligni
humoris illius fiet collectio, & nidus. Sin verò
in pelvi fiat malus, qui anteà bonus fuerat. Iam
per nares, atque palatum, ſponte ſolita defluet,
nec egebit Cauterio. Aut quis ille Corruptor,
qui aliqua capitis parte, humorem anteà bonum
ſtudio vitiet, ut jam inde deferat malignum, ad
partem aliquam intercutaneam, quam Medicus
feriri juſſit? Quam obediens enim ille, qui
malus humor (mortuum nimirum jam excrementum)
ſe aliò torqueri & mitti patietur,
qui aliàs, non amplius ſollicitus de vitæ œconomia,
ſolo ſui pondere, ſituum legi paret!
Quod autem malus humor, per cauterium emungendus,
non ſit vapor à ſtomacho in caput,
per cerebrum,menynges,& cranium translatus,
collectuſque, & indè dimiſſus inter muſculos
externos & cutim: id antè de Catarrhis peremtoriè
exploſum eſt. Denique iis conceſſis, etiam
careret eſſentia, & etymo humoris, per conſequens
etiam mali humoris,pituitæ ſcilicet unius
è quatuor. Nam quicquid ſemel vapore tenus à
ſtomacho elevatum eſſet, & in guttas concreviſſet,
nec ſpiſſum eſt,nec tenax, nec unius amplius
de quatuor humoribus factis in hepate:
ſed eſſet liquor poſthumus ſtillatitius. Quapropter
ſi humor malus, cauterii cauſa finalis, non
generetur in hepate, cerebro,aut ſtomacho; quæ
tandem erit officina malorum humorum pro
catarrhis? quæve pars mittens, & excelſa, unde
ad Cauterium declivius ferantur? Etenim in 9

tanta

in tanta nugarum anguſtia coguntur Scholæ
fateri, non malum aliquem humorem dimitti
ad foramen cauterii: ſed cruorem degenerare in
10 ipſo vulnere, labriſque malè diſpoſitis. Nam &
hoc vulneribus, quibus deficit balſamus, geniale
eſt cunctis. Profectò ſi Scholæ Aphoriſmum
examinent, *Dum pus fit, major dolor, labor, &*
febris, quàm facto pure: cognoſcerent, pus producI
materialiter ex ſanguine, per laborem facultatum,
ac conſequenter, in fontanella, iiſdem
finibus pus optari. Quo ſtante, labitur theſis,
ſupponens, per cauteria deduci malos humores.
2. Puris in vulnere facti eductionem, non
eſſe è centro corporis. 3. Non eſſe deflui catarrhi
excrementum. 4. Cauteria non purgare
malos humores, quæ bonum cruorem in excrementum,
cum labore digeſtivæ facultatis, præparant.
5. Cauteria nequicquam facere ad præcautionem
maligni humoris, qui topicè fit in
ipſis labris vulneris. 6. Pus & ſaniem, foramine
ulceris, non poſſe retrocedere, ac labi in partem
nobilem, multoque minus, cruorem bonum,
unde pus fit. 7. Si cruor ſit humor malus, antequam
ad fontanellam deveniat; natura deſtinat
ergo de cruoris maſſa, malum aliquem, ad ſauciam
dumtaxat partem, ut eam nutriat, vel hoc
ipſi eſt ordinarium, in partibus ſingulis. Iam
tota natura vitio laborat fatuitatis. 8. Stultum
eſſe. Quod multum puris feciſſe: ſit bene Cauterium
purgaſſe. Cum iſtud pus, dicat boni
cruoris corruptionem. Adeoque dum homo
malè valet, fontanella, loco puris, plorat ichor.
9. Si ergo Cauterium, faceret ad malorum humorum
evacuationem, oporteret melius ſe habere
hominem, dum ichor fluit, quàm dum pus
fit. Quod in theſi eſt falſum. Hinc ergo rectè
infertur, non ſelectum malum humorem, aut
excrementum pernicioſum, quod alioquin aliò
decideret, evacuari per fontanellam: ſed totum
iſtud, ſive pus ſit, ſive tenue virus, nil aliud eſſe,
quàm merum cruorem alendæ parti cauterizatæ
deputatum, ibidemque vitio partis corruptum:
adeoque corruptionem ſui, metiri bonitatem,
& malignitatem digeſtionis, in loco
fontanellæ. Atque proindè dum Archeus totalis,
quoquo modo laborat, major quoque infirmitas
digeſtionis eſt in fontanella, viciniuſque
pus eſt putredini. Et hactenus fontanella, propter
potentiorem ſolito digeſtionis læſionem
ichor plorat. Scholarum ergò optatus eſt, ut de
cruore innocuo, pus fiat plurimum & album.
11 Idque vocant benè purgaſſe, ſi plurimum cruoris
corrumpatur in ultima digeſtione. Quod ſi
rectè conſideretur: jam palam fiet, Cauterium
non imprimi ad expurgationem maligni humoris,
nec exſiſtere humorem malum: ſed
dumtaxat ad abundantiam ſanguinis diminuendam.
Adeoque intuitu ſolius Plethoræ.
Vnde conſequens, non convenire adoleſcentibus, 12
non remaciatis, non morbo aliquo depreſſis:
ut neque ordinatè viventibus, miniméque
omnium, abſtemiis religioſis. At nondum diſtinxerunt, 13
An pus in fontanella ſit ſolius cruoris,
ſive unius de quatuor fictis; an verò, ex
commiſtione quatuor. Si prius ſit verum, tunc
pus non eſſet ex humore malo, ſed ex optimo
de quatuor humoribus, adeoque fruſtranea erit
fontanella, atque optimum pus, ſive effectus
fontanellæ, erit peſſimum, cum non eſſet niſi
optimi corruptivum. Quod ſi malint commentari:
quod ſcilicet cruor non ſit antè malus, ſed
fiat malus, dum à tribus ſociis ſecernitur. Saltem
tres reſidui, in iſta ſecretione, erunt cruore
adhuc deteriores, & in omnem eventum,
non niſi malo fine, fiet fontanella, ut bonum &
inſontem cruorem corrumperet. Sin verò velint
ex quatuor commiſtis humoribus pus fieri.
Ergo Cauterium errat in fine. Cum non ad expurgandos 14
humores nocuos: ſed ad corrumpendum
bonos, ſibi à natura non errante, in alimentum
dietim miſſos, Cauterium valeat. Denique,
non poterit Cauterium cenſeri inſtitutum,
ac Catarrhi præcautionem: vel aliàs Catarrhi
materia non eſſet vapor, non etiam pituita:
ſed ipſe cruor, quem fontanella in ſe, corrumpit.
Pus namque non è pituita: ſed de ſolo
fit cruore, ut ſat in Schola edoctum, eſt. Itaque
per eſſentiam puris, bene indagatam, in materia,
& efficiente, ceſſant fines Cauteriorum, Catarrhorum,
& humorum malorum expurgationes.
Enimverò, ſublato quovis ſymptomate
vulnerum, in Cauteriis, & ſuppoſita valetudine,
neceſſe eſt, quod continui ſolutio in fontanella
pus proferat, idque non defluat aliunde: ſed in
ipſa ſit parte generatum. Archeus quoque, proportionaliter
tantundem quotidie cruoris partibus
diſpenſat, quanto pro ſui nutritione opus
habent. Ergò pus, eſt cruor vitiatus in illa
parte qua vulnus eſt, effectuſque vitiatæ ibidem
digeſtionis. Vitiaſſe ergo partium integritatem, 15
continuitatem, atque digeſtionem,
cruorem deniq; in pus convertiſſe, idipſum eſt
in Scholis reputatum, Catarrhis obviam iviſſe:
ſive à capite (undè omnes Catarrhos originaliter
petunt) humorem excrementoſum (qui alioquin
ad partem nobilem comminatus erat de-

cumbere) per foramen cauterii extraxiſſe : ſive
interim capiti, cum parte vulnerata, ſit conſenſus,
vel non : perindè enim eſt, modò cutis ſaucia
detineatur. Sive humor ille excrementoſus,
ſit cruor, ſive pus fiat, vel ſanies, perindè,modò
per trita vocabula Catarrhi, præcautionis, derivationis,revulſionis
, & fontanellæ , mundo ſit
circumventum. Contueor enim hornotinum
infantulum , jam dentientem , ac pati febrim,
ſpumam oris , atque indeſinentem ſalivam. Ac
tandem adeſſe tormina, & ſeceſſus ex viridi flaventibus.
Saltem dens ille eſt capitis pars : quapropter
diarrhœa erit Catarrhus capitis . Aſt
quis eſt dentis erupturi , vel tumidæ gingivæ
conſenſus cum inteſtino ? quæve poteſtas ejus
gignendi, immittendi Catarrhi , è ſtomacho infantuli
ad caput ? atque indè in Ileon ? quo jure
ſtillatus è ſtomacho vapor , fiet æruginoſa bilis
in capite ? fortenè ab vitæ initio jam bilis officina
migravit ad caput ? An cauterium poſſet
(ſi infans eſſet tolerando) diarrhœam porraceam
in ſe aſſugere ? pauciſque puris guttulis
compenſare aliquot librarum bilem porraceam?
Cur fabricat Infantuli ſtomachus Catarrhum,
propter dentis dolorem ? Cur mittitur in Inteſtinum,
& non ad dentem dolentem ? An nondum
cernit lector , diarrhœam non eſſe Catarrhum
? Sed indignatum Archeum ubilibet , in
Inteſtino promtum eſſe,ad tranſmutandum alimentarium
cremorem in excrementa, quæ à
Scholis putantur bilis , pituita , &c. Si itaque
diarrhœa non ſit Catarrhus , poſſitque Archeus
indignatus tranſmutare quidlibet in infeſtum
liquorem , ſi modò gingiva affligatur ; An non
poterit quaqua verſus ſe exonerare per ſtatuta
emunctoria ? nec præſtolari apertam pellem
cauſtico ? Ah crudelis hebetudo,ferocire Scholas
16 fecit in mortales ſibi agnatos ? Neque enim
conſiderant, quod in mulieribus , & obeſulis,
carnoſa membrana ſit circa ordinaria loca cauterii
, mera axungia ad duorum ſaltem digitorum
ſpiſſitudinem, quibus tamen perſonis frequentiora
, magiſque proficua , perſuadentur
cauteria. Quare etiam vix in medietate axungiæ
fundus fontanellæ erit : Non eſt ergò via,
qua è cerebro, vel inter cranium , & cutim, ruat
malus, Catarrhi proſcriptus humor fictitius,per
17 medium adipis. Sed quis demum humor ille
ſolitarius, ſuo qui peccato à parte mittente proſcriptus,
per axungiæ ſubſtantiam, impermiſtus
deſcendens , in pus degenerat ? Si ſit exhalatio
vaporum è ſtomacho , cur non erit frequentior
junioribus , & calidis ſtomachis , quàm debilibus
, ſenibus & frigidis ? Quo pacto aqua iſta,
è vapore ſtillatitia, formam puris induet ? Quomodò
per cerebrum , menynges , & cranium,
feſtinabit invenire factum foramen à cauterio,
ut iſthac tantum defluat, & purgetur ? Cur centies
non prius in auras vapor evolat , antequam
ad locum cauterio lubenti deſignatum pertingat
? Quomodo aqua ſcandens à ſtomacho,jam
erit cruor , & puris mater ? Quomodo cruor
(materia puris , juxta Galenum) erit Catarrhi
materia ? Quare cruor redigendus in ſeriem
malorum humorum , qui nondum contaminatus,à
natura diſpenſatur ad locum vulneratum ?
Quare , facto vulnere , ceſſabit natura damnatam
materiam, per & in loca ſibi conſueta , deturbare
? An enim aperta, ad medentis lubitum,
cute, fiet dein viarum neſcia ? An forte laboravit
tantum, ut exitum alicubi reperiret ? eoque
jam facto , deinceps in obſequium vulnerantis
veniet ? Itaque falſa ſunt hæc quatuor nempè,
pus eſſe materiam Catarrhi ; Catarrhum eſſe
materialiter è ſtomachi vapore ; Per fontanellam
excerni materiam catarrhoſam ; hancque
in partem nobilem diverti, niſi per foramen revellatur
aliò. Vnum ſaltem Scholæ habent aufugium.
Nimirum, Quod Cauteria, in morbis 18
chronicis, itemque in pinguioribus , & plethoricis,
non rarò profuerint. Ergo neceſſe eſt,malum
ſaltem humorem , facto vulnere , purgari,
corpuſque exonerari. Cui ſubterfugio , dico. 19
Materiam Catarrhi,eſſentiam, modum,vias derivationis,
& affectum, itemque malum humorem,
& fines Cauterii , ficta eſſe ſomnia , turpis
ignaviæ & ignorantiæ vela . Adeoque eventuum
exempla , non ſat eſſe deſtruendis apicibus
veritatis. Quid ſi Cauteria juverint quandoque 20
: Id ſaltem non è radice & eſſentia Catarrhi
, in ſe nulli penitus : ergo ſi profuerint ;
fateantur Scholæ , prodeſſe Cauteria à mediis,
& finibus , ſibi ignotis : ſeque conjecturale remedium,
incertum , & per accidens , tanto encomio
extollere. Etenim admiratæ meritò ſunt,
Cauteria profuiſſe ab eventu : Si enim aliquis
affectus , ſponte , vel dierum mox maturitate,
ceſſurus perierit ; An proin jus ſibi natum autumant
, ducentos miſerè torquendi fruſtra , ſi
uni per accidens cauterium non fuerit infauſtum
? Quid ſi in adverſum , hiſtoriæ multorum 21
conferantur, quibus cauteria malè ceſſerunt
: confeſtim ajunt , non ſumus empyrici,
nec exemplis movemur. Rationales enim ſunt
Scholæ, nitunturque præterea Veterum authoritatibus.
Idque ſic altè intonant,quoties ratio-
nibus

nibus deſtitutæ, & experientiis convictæ, deſinunt
eſſe domini expertiſſimi, nec per contrarias
ſuis experientias, flecti volunt. Ad rationes
autem anteriorum confugiunt, quas luridas,
ignavas, falſas, & primo veſtibulo ceſpitantes,
22 oſtendi. Siquidem cum deprehendiſſent
Scholæ, aliquos forte fortuna ſenſiſſe juvamen
poſt cauterium, mox ſeton, ſive funis per
cervicis pellem traductus utrimque, creditur
Ophthalmiæ, lippitudini, imò ipſis catarrhactis,
& vitiatæ digeſtionis oculorum remedium.
Cauterium in oppoſito crure, creditum eſt dolori
23 Iſchiadico medela. Tentarunt varia Cauteria,
fabrique ferrarii longam fecere ſupellectilem,
uſtiones etiam Arabicas (ſtercore nimirum
non niſi hircino, frixato in ſartagine) in
pollice pedum eminus, Iſchiadicis, & arthriticis
inſtituerunt. Hiſtrionicas nimirum medendo
ubique nugas, & ſomnia pro veritate venum
dedere. Sed admiratæ tandem Scholæ, quod
unica Arthritis Catarrhis deputata, riſerit cuncta
24 illarum theoremata, & Cauteria. Videlicet
falſum oſtenderit, quod Podagra defluente fieret
Catarrho, quodque Cauterium eſſet irritum
commentum, derivationis & revulſionis pro
25 humore decumbente. Deliria quoque Cauteria
in tabe, defectibus pulmonis, capitis, oculorum,
renum, Catarrhoſis nempe defectibus inanibus,
adeoque lanienam, cum impoſtura magis
26 admiror, quàm vana tentamina æmulor. Sic
namque in epilepticis, citra ſpem ſanationis,
Patavini, Hetruſci, & Montiſpeſſulani, candens
ferrum uſque ad cranii ſuturam adigunt, promittuntque
fumos epilepticos, è cerebro iſthac
ceſſuros, non ut paroxyſmi durationem ſaltem
minuerent; verum ut ſæpè de cætero ſuſpenderent.
Sed hæc ægri tolerant, ſpe ſurda valetudinis:
at ſine exemplo. Nec ſemel expendunt,
ſomniatos halitus non afficere cerebrum,
defectu exitus: ſed vice verſa, morbi tempeſtatem
cauſæ concitent, antequam ad comarum
cutim pervenire queant. Quapropter luridam
& vanam eſſe Cauterii operam & opem, quæ
27 inchoat à poſteriori, ſanandis morbis. Nondum
enim à Scholis determinatum, quibus affectibus
Cauteria conveniant, eò quod rarò, &
per accidens tantùm juvent, adeoque quod impoſſibile
ſit, ſtantibus hypotheſibus ſuis, Cauteria
fore proficua, idcirco etiam rationes, modos,
media atque ſcopos Cauteriorum, invenire.
Cæterùm poſthabitis Scholarum decretis,
de Catarrho & Cauterio, facilè quoque inveniri
poteſt caſus, quo cauteria juvent. Enimverò
propter innovationes cruoris neceſſarias, ſingulis
lunæ ſtationibus (prout de lunari tributo
alibi) videlicet quicquid de veteri cruore ſupra
præcedentis lunæ periodum, abundanti, fuerit
reſiduum; Id totum vel in adipem, vel in excrementum
ultimæ digeſtionis, faceſſere debere.
Quod quia per Cauterium, ſupra quotidianam 28
Diapheреſin diſſipatur, & educitur, idcircò
corpora obeſa, edacia, plethorica, & ſedentaria,
juvamen ſubinde à Cauterio ſentiunt, & non
alia. Eò quod cruoris maſſa, verſus juſtum pondus
& proportionem requiſitam dematur: Cujus
abundantia alioquin Archeum, partes, harumque
digeſtiones, & diſtributiones onerat,
& aggravat. Hactenus namque præcavetur mali 29
inſtantis formido. Totum ergo Cauterii ſperatum
beneficium, ſitum eſt in contemperatione
abundantiæ cruoris, per hujus quotidianam
atque minutulam diminutionem. Crudele aliàs,
& putidum Cauterii remedium, quod exercitio,
juſta parcimonia, vitæque temperamento,
anteverti facile poteſt. Quicquid parcior
victus mederi nequit, non ſperetur per Cauterium
levamen adferri. Eadem namque, quæ ad
vitæ ſanæ & longæ contemplationem faciunt,
excuſant Cauteria. Palliativa ſaltem, ſemper eſt 30
Cauterii medela, & tantum in aliquibus, hactenus
nempe Scholis medicis indigna. Etenim
dici ſolet, niſi continuetur fontanella ſemel impreſſa,
metus grandioris mali incutitur. Sed
mera Scholarum eſto ignorantia, quæ Cauterium,
in omnem eventum, non ad prius, ſive
ad cauſam, atque radicem morbi: ſed ad poſterius
ſive productum applicarunt. Quod nuſquam
fuit mederi ex condigno. Neſcitum eſt
ergo à Scholis adhuc, quibus theſibus, & morbis,
cura hæc Cauteriorum palliativa valeat.
Quia forte fortuna, ac duce ignorantia, tentarunt
omnia, tentantque modo. Sic ut alternatim
jubeant, ſi non heic, non ibi, nec repetitum
Cauterium juverit, nec multum puris &
ſaniei effundatur. Conſultò claudantur Fontanellæ.

VOLVPE VIVENTIVM MORBVS ANTIQVITVS PVTATVS.

1. Gutta falſum hujus morbi nomen. 2. Podagra quotidie increbeſcit magis. 3. Podagra mox diſtinguet electos Medicos ab aliis. 4 Popria Podagræ. 5. Scholarum inconſtantia. 6. Podagra calida non differt per ſpeciem à frigida. 7. Hæreditaria, non ſaltem eſt à Catarrho. 8. Determinatio ſigilli in ſemine, qualis. 9. Characteris, cum ſemine corporeo diverſa ſodalitia. 10. Catarrhoſi nil, in Podagra. 11. Cur abuſiva Scholarum remedia, & præcautiones. Quantiſper erunt infauſtæ medelæ. 13. Podagram non eſſe in pede, ut neque Chiragram in manu. 14. Modus fiendi in Podagra. 15. Cur perpetuus Podagræ locus ſit, inter oſſium contactus. 16. Cur Podagra infectet parentum ſemen. 17. Cur procul à Corde incipiat. 18. Aciditas Podagræ nondum eſt in ſui ſemine. 19. Quo pacto fermentetur illa aciditas. 20. Synonia quid. 21. Creta podagrica undè formetur. 22. Vnde, & quis affluxus, ad loca Podagræ. 23. Iuvantia & nocentia quos inſtruant. 24. Objecta in ſanando. 25. Verum Podagræ remedium. 26. Repetitio dictorum. 27. Nomen guttæ, fecit errorem in ſuppoſito ſenſationis. 28. Podagræ definitio. 29. Ortus & progreſſus ejus. 30. Depingitur à prima in vitam ultimam. 31. In quo decipiantur ægri. 32. Cauteria vana in Arthritide. 33. Nil materiale mitti, labi, aut dirigi, in loca Arthritica, quod humoroſum ſit. 33. Vana remedia Scholarum, tam Europæa, quàm barbara. 35. Irridentur potus exſiccantes. 36. Propria temeritate ſuccumbunt Scholæ, in Podagra, Tabe, Catarrhis, & Cauteriis. 37. De humido & ſicco quædam primò vera. 38. De remediis Heteroclitis Podagræ, alibi.

1 Arthritis, Articularis morbus, Podagræ
nomine intellectus, ita Catarrhis
tribuitur, quod multis
Europæ nationibus vocetur Gutta,
per Antonomaſiam. Cui etymo
adſtipulantur ægri, operamque
ſuam tantæ mortalium cœcitati dedere. Eò
quod ſibi videantur alicujus ſtillæ lapſus inter
oſſium connexus ſentire. Scholæ enim, quæ
univerſum docere præſumunt, ab indiſtincto
vulgi ſenſu didiciſſe gaudent, ſimulque ſine indagine
euntes, Catarrhoſæ factæ ſunt. At cum
jam totam Catarrhi fabulam everterim, detegam
etiam errorem ſenſus vulgaris, in Podagra.
Quod aliàs fieri non poſſe cenſui, niſi ab
2 ovo, Podagræ ſcenam expoſuero. Podagra primis
ſtetit ſeculis incognita, licet genus humanum
vel mundi incunabulis in omnem deflueret
luxum. At ſenſim in hominum debilitatem
creſcente ærumna, primis ſaltem Scriptoribus
tam fuit rara, quod illorum calamo vix digna
cenſeretur. Magis verò deinceps invaleſcente
mortalium carie, luxu maximè diſſolutos, primum
adorſa eſt. Hinc namque Veneri, Bacchoque
emancipatorum, lues credita, in noſtros
uſque dies. Verumtamen cum jam operarios,
& maximè abſtemios Capuccinos, frequenter
infeſtet, omen feci, mox paſſim florituram populariter
Podagram, niſi noſtri miſertus Deus,
hæreditariam partim, partimque acquiſitam cladem
anteverterit. Denique & indè præauguratus 3
ſum, Podagram fore, quæ poſt Quartanam
indicium latura ſit, inter electos & putaticios
medicos. Nam dum ſemel radices jecit, non ſolùm
vitæ comes adſiſtit: ſed in ſeros quandoque
nepotes transfertur inexorabilis. Adeoque,
ut multipliciter propagationis ſuæ fœcunditatem
in futurum erectura, medicaſtros ſpernendos
diſtinguet. Multa enim ſunt, quæ hæc morborum
Princeps, ſibi ſervat ſingularia. Nam 4
præter pervicaciam, non ſolùm per parentum
genituram, in aliquot generationes ſuccedit, ſed
& inſuper, in patientia exſpectat triginta & amplius
annos, antequam prodeat. Quin etiam
Generans, nondum podagricus, ſuæ hæredem
Podagræ ſæpè conſtituit, eodem ferè anno, quo
pariens, poſt generationem, prima Podagræ initia
paſſurus eſt. In parente ergò ſilens, nondumque
lues nata, generat ante ſeminis ſui juſtam
maturitatem, quod aliis in natura ſeminibus denegatur:
quaſi humanæ naturæ labefactatus ager,
ſponte propria, Podagram jam gignat.
Tranſeo, quod calculos, cretam calcemve, alienis
à Duelech initiis, proferat, & monſtrum petroſum,
extra ſolitum locum, & debitum, hominemque
ſuis mutilatum membris, & truncum,
à tam ſuperba ſtructura in monſtrum deformet.
Scholæ enim extra controverſiam, Podagram 5
defluxibus donant; at nondum definitum
ab illis, an Catarrhus ille à ſtomacho ſublatus ſit
more aliorum: an verò à jecore, per anguſta &
impeditiſſima venarum receptacula, Catarrhus
tam heteroclitus, deducatur per venas, non quidem
rectâ, quà deſinunt venarum oſcula; ſed
inſuetis, ſolique naturæ cognitis viis, inter arthroſim
& ligamenta ſiſtatur. Ego verò de fabulis
parùm ſollicitus, utramque opinionem decertare

certare ſino. Pudendum eſt interim, cauſas
morborum tantum problematicè diſſeruiſſe, &
diſputabiles reliquiſſe. Interea certò ſcio, Po-
dagram, ſive per parentum ſemina labatur in
hæredes, ſive demum proprio vivendi errore
contrahatur, unius & ejuſdem ſpeciei eſſe cum
6 omni proprietate illam ſtipante. Nec referre
quicquam, ſive calida infeſtet, doleatque im-
menſum, ſive denique ſegnior mitiorque fri-
gore cenſeatur. Siquidem iſta ſunt vexilla gra-
duum, quibus materia inſignitur; non autem
7 variant ejus eſſentiam. Scio tum etiam, atque
didici inprimis: hæreditariam ſaltem Podagram
non derivari è Catarrho: ſi in ſemine, hujuſque
conſtituto, per triginta annos inſenſilis latuit.
Enimverò cum in ſemine, externi nil contineri
queat, quin eò ipſo fœcunditatem prolificatio-
nis amittat: certum eſto, nil catarrhoſi in ſemi-
ne permanere, nullique materiæ hoſtili ibi lo-
cum eſſe. Ratum eſt ergo, in ſemine, nil præter
characterem ſigillumve rerum in conſtituto a-
gendarum remanere: illudque ſigillum ne qui-
dem eſſe tanti, ut fertilitatem ſeminis excutiat,
ſi inde morbus hæreditarius in filio aut nepote
reſurgere debeat. Denique, nec poteſt iſtud ſi-
gillum in ſemine fœtum monſtroſa deforma-
tione fœdare, quanquam alii ſeminum chara-
cteres, pro indole ſua, ſemen figurent. Quocirca,
etſi Podagræ ſigillum revera inſit ſemini, dor-
mit tamen, ſilet, latitatque, in decurſu figuratio-
nis, ac tantiſper, dum tandem nacta materiæ
maturitatiſque opportunitate ſeſe explicet. Eſt
8 ergo Podagræ character in ſemine, tanquam vita
prima, cum determinatione ſilentii, ut dormiat
uſque in paroxyſmum primum, velut hirundo
tota hyeme. Virtus ergò formativa in ſemine,
nondum defectum ſuum ſentit: ob crimen ma-
terialis indiſpoſitionis. Character ſiquidem in
ſemine, non natus eſt generare ſuam Podagram,
ante ſui maturitatem, quæ characteris maturi-
9 tas ſubinde non niſi in nepote explicatur. E-
quidem licet arcta ſint humani ſeminis cum ſe-
mine Podagræ connubia, ut velut indiſſolubi-
lem unitatem inpoſterum ſpondeant: attamen
certum eſt, morbos non radici ſpeciei adhærere,
niſi cui à conditione creati inſunt, (ut Epilepſia
Alci, hirundinique) ſed duntaxat initiis indi-
vidualibus, quibus velut per accidens alligan-
tur. Ideò ſi catarrhoſi nil, in ſemine Podagri-
co, actu inſit: ergò neque etiam in Podagra indè
10 oriunda. Cum effectus proprii ſuis ſemper cau-
ſis reſpectum referre debeant. Denique ſi Po-
dagra hæreditaria careat catarrho; ergò etiam
quælibet alia. Cum unius rei in ſpecie ſemper
ſint eadem ſpecifica conſtitutiva initia. Porrò
ſi labefactans character ille podagricus tam in-
ſigniter domeſticus ſit ſemini, tam intimè ipſi
ſocialis, tam patienter ſuſpenſus dormiens,
totque annorum circuitibus ac tempeſtatum
procellis ineluibilis, omninò neceſſum cen-
ſui, eundem ſpiritui vitali copulari. Vnde pri- 11
mum liquet, fruſtraneas cruoris & fictorum
humorum putatas ſubductiones, ut præcautio-
ni Podagræ eatur obviam: Quippe, non eſt
cruori character Podagræ ille commiſtus, at
benè moderatori partium ſolidarum. Muta-
tur nimirum multoties cruor, totaque alimen-
ti ſupellex, ante Podagræ hæreditariæ ventu-
rum adventum. Pariter indè conſequens eſt,
ſi Podagræ Character, vel cum parentum ſemi-
ne tranſlatus, in fœtum, vel per inordinatas vi-
tæ procellas adeptus, ſit cauſa connexa, & effi-
ciens Podagræ, adeoque ſit is vera Podagra
formalis: fabuloſum eſſe, quicquid de Catar-
rhis guttiſque commentum eſt. Dato namque
abſurdo, quod Catarrhus depluens, faceret ac-
ceſſum Podagræ; ſaltem quicquid telorum in
hunc morbum eſt retortum: id totum ad effe-
ctus productum, poſterius, ſive fructum, di-
rectum eſt. Nil autem ad cauſæ ſuccifionem. 12
Atqui cum cauſæ veræ in Podagra, Scholis fue-
rint ignotæ, ſtabuntque ignotæ, quantiſper
deliria humorum prævaluerint: neceſſe eſt,
infauſtas ac crudeles medelas hactenus in non
viſum ſcopum delibutas. In digito namque
non eſt Podagra: at duntaxat pomum, ſive
fructus radicis. Ideoque etſi digitum abſcide- 13
ris, non proinde Podagram ſanaveris. Hinc
enim duo ſequuntur. Prius quod Podagra im-
mediatè conſiſtat in ſpiritu vitæ, neque ideò
fructum Podagræ eſſe Podagram, ſive radicem
ejus. Alterum, quod Podagra non defluat ma-
terialiter, ſive (ut volunt) humore tenus, Ca-
tarrho pons ad juncturas. Quapropter ſi pro-
greſſum Podagræ, in fieri eſſe, explicuero, ar-
bitror, ab ingeniis liberis, necdum ullo præju-
dicato contaminatis, aſſenſum iri. Principio 14
etenim, poſtquam character podagricus ſemi-
nalis eſt conſtitutus (perinde nunc eſto, ſive
à ſemine parentum inoleverit, ſeu demum vi-
vendi ametria ſit comparatus) neceſſe eſt cum,
juxta legem fati, rerumque viciſſitudini paren-
tium, habere præſcriptos durationis ſuæ limi-
tes, tam in emergendo, quàm in continuando.
Dum itaque inſtat initium, hujus motus poda-
grici, confeſtim ſpiritus vitalis, corruptivo

characteri obtemperans cliens, induit aciditatem
fermentalem, prorſus ſibi hoſtilem, atque
nobis exoticam. Denique, pro-ut aciditas omnis,
tam in cruore, quàm carne, demonſtrata
eſt putrefactionis initium indiciumque continere:
hinc fit, quod natura, perſentiens illam
aciditatem in ſpiritu, quam concepit ex ſemine,
ſive charactere podagrico, confeſtim excitet
febrim ephimeram, ante Podagræ acceſſum.
Mox quoque loco, ſive utero proprio (ſcilicet
ubi duo ſe ſimul oſſa contingunt) perſentitur
dolor: leviuſculus primùm, deinde verò quaſi
ardentis ſtellæ. Auctus, deinceps dolores, ardores,
ac tandem ſæpe tumores excitat. Tum
nempe conceptus in ſpiritu acor, ſpirituali fermentatione,
activa nimirum alteratione, inquinat
gluten ſpermaticum, quod inter ligamenta
& oſſium congreſſum eſt. Iam ante demonſtravi,
characterem podagricum indole ſua natum
eſſe, inficere, & transferri cum ſemine
(prout nimirum Mercurius inficit os, atque
dentes; ſaliva autem canis rabidi, cerebrum)
tanquam hoſpitio, in quo per longam ſæpè annorum
15 ſeriem latitet. Quapropter vi ſymboli,
conſonum eſt, characterem podagricum, primordialiter
reſpicere ſpermata. Veruntamen,
cum natura tota ſit ſexu anxia, & conſervandarum
ſpecierum ſedula conſervatrix, atque ſalvatrix,
peculiariter, quantum poteſt, proſpicit,
ne character ille ſpeciem inficiat, neve in teſtes
procumbat. Quocircà, non potuit ſaltem præcavere,
ne pro ſua indole infectet immediatè
liquorem ſpermati finitimum, quem Paracelſus
ſynoniam vocat, ubertim inter ligamentorum
capſulas, oſſiumque contactus, effuſum.
16 At ſub illo momento concubitus, Podagræ character
alioquin obdormiens in ſpiritu Archeo,
ſub tanta libidinis agitatione excitatus, cum
ſpiritu, unà ſemini contemperatur, anomalo
planè modo, quod natura, tum regendis habenis
impotens, non potuit cohibere, quin venenum
characteris, libidinoſum ſemen fermentaliter
inficiat. Itaque cum regulariter ſemen,
ſive character Podagræ, ſpermatica contaminet;
Ideo quam promtiſſimè Synoniam, quæ
nuſquam ſolitaria occurrit, quàm ubi duo oſſa
ſe mutuò tangunt. Hinc locus ſive nidus Podagræ
in articulis. Quæ, cùm jam conſtitutis
cauſis ſuccedere debeant, ſaltem naturæ ſua
conſervationis indiga, non ſinit characterizatum
ſpiritum, inficere ſynoniam, niſi procul
17 diſſitis à corde oris. Hinc namque Podagræ,
& Chiragræ nomen mutuatum. Sed tandem,
ubi morbus vires acquiſivit eundo, &
natura ſuas amiſit; etiam propinquiora loca infeſtat
Podagra. Conceptus itaque Podagræ 18
acor in ſpiritu, eſt potentialiter, atque in ſemine,
abſque actuali acore. Prout nempe ſemen
pyri, guſtum fructus non exhibet. Dum verò
tempus maturitatis inſtat, actuatur aciditas in
ſpiritu, huncque contaminat, qui parvo ſpatio
dein contaminat ſuo fermento Synoniam.
Non ſecus atque odor teſtæ acidæ, paulò pòſt, 19
recens lac infuſum, coagulat. Interim autem
dum hæc intus contingunt, totus corporis Archeus
in ſe alteratur. Norunt namque Podagrici
plures, ſibi inſtantem acceſſum prædicere,
ex mutato excremento, intra pedis digitos
naſcente. Quod ſanè non defluxum tam humoris,
quàm ipſiſſimam ſudoris laticiſque alterationem
prodit. Synonia ergo, ex quo ſemel
acida devenit, non poteſt non dolores ciere.
Quapropter majoris atque minoris aciditatis
ergo, tantum diſtant Podagræ dolores, calores,
immanitates, proprietateſque. Eſt autem 20
Synonia, mucilago quædam pellucida, qualis
vitulo mactato, amputatis pedibus, è tibiis ſtillat.
At mox concepta aciditate, Synonia grumeſcit,
caſeiformis, & opaca fit. Adeoque & 21
indè inepta redditur, ut juxta ſolitum tenorem
ſanitatis, tota exhalet, abſque capitis mortui
reſidentia. Fitque hinc degener morboſus
partus, infelix nodorum mater. Suffert enim
tum aquoſarum partium difflationem, retentis,
ex opaca & indurata Synonia, reſiduis.
Hinc illa monſtra, calx & creta. Eſt igitur acor
ille, doloris cauſa, dolor verò, cauſa effluxus
cruoris vicini, boni & inſontis. Non eſt autem 22
affluxus cruoris, defluxus è capite, aut jecinore,
eò miſſus per ambages viarum intellectui
impoſſibiles. Ac licet incautos ſenſus
decipiat, videanturque ſentire defluxum supernè:
ſenſuum tamen dumtaxat ſunt fallacia
judicia, pro-ut dolente dente, in totum capitis
latus, depluere videtur augmentum cauſæ
dolenti. Non ſecus atque ad dolorem Paneritii,
glans ſub axilla apparet. Topico enim remedio,
Odontalgia abit, vel eradicato ceſſat,
& glans evaneſcit, ubi digitus dolore levatur.
Hæc eſt origo & radix Podagræ, hicque fiendi
modus. Qui ſanè per juvantia & nocentia confirmatur.
Non ſanè quod iſtud axioma approbem,
in ſe pudendum: aut quod indè judicationes
curativas deſumi velim: ſed quando- 23
que admiſſi errores, errantes inſtruunt, judicioſos
in charitate ſapere volentes, ſicut bona remedia

media bene operantes confirmant. Ideoque
quicquid ſubtilem aciditatem in ſpiritu prin-
cipiat, maturat, auget, aut promovet; illud et-
jam, Podagræ acceſſus ſtimulat. Cujuſmodi
ſunt vina alba, acidula, parum vini, multum
aceti continentia, largiùs hauſta; Itemque quæ-
cunque ſunt corruptiva laticis, ut Aſpara-
gus, &c. Pariter quoque, quæcunque acorem,
è ſpiritu vitæ, ac latice, ante acceſſum demunt,
introſumta, vel foris appoſita, acceſſum amo-
vent, antevertunt, vel præſervant, ſaltem mi-
24 tigant dolores, nodoſque inhibent. Aſt in ſa-
nando Podagram, non eſt ſpectanda aciditas
producta, (quæ fructus & poſterioris vices ha-
bet) ſed meditandum eſt, quomodo è ſpiritu
vitæ, character ſeminalis Podagræ ſit abolen-
dus. Quo alias perſtite, nil actum eſt, electo
25 medico dignum. Neque enim ad intima ſpi-
ritus vitalis ſcrinia, quivis tabellarius accedit,
niſi legatus amicus. Ideoque purgatio per Ar-
canum corallinum, Podagram in ſui ſemine
interimit. Non eſt autem Arcanum iſtud, co-
lor ſive tinctura coralli (ut rerum Chymica-
rum ignara turba, irridendo interpretatur) quia
appoſita verba Paracelſi, (quod de eſſentia auri
eſt) aliud ſonant. Non etiam auri color, ſul-
fur aut tinctura, alvum ſubducunt: ſed Arca-
num hoc, eſt materia, metallicum; colore, co-
rallinum; ſapore, melleum: & eſſentia au-
reum. Non quidem, quod unquam fuerit cor-
pus malleabile: ſed eſt auri horizon, inconclu-
ſum corpus, & fixum: cujus ſulfur dulce eſt,
& noſtris conſtitutivis commiſtibile. In hoc
ſulfure enim, omnes vires Solis congregavit
omnipotens, cui ſoli omnis debetur honos &
gloria. Qui me intelligit, rarus eſt: attamen
ſcit, quod quæ de Podagra dixi, ſint vera.
Verumtamen cum non ſat dicatur, quod non
ſat intelligitur, juverit fortè, Podagræ ortum,
26 & progreſſum, in Epitomen repetiviſſe. Que-
runtur inprimis Podagrici, ſe perſentire humo-
27 ris ardentis defluxum. Atqui, jam ſat ſuper-
que docui, nullum in natura unquam fuiſſe
humorem noſtrum, præter cruorem, Laticem,
& ſecundarium ſive nutritium alimentum: ac
præterea degener excrementum: nullumque
horum defluere, multoque minus defluxum
ſentiri poſſe: Humorem nuſquam niſi in Gale-
28 nicis libris exſiſtentem. Ergo in ſuppoſito ſen-
ſationis, neceſſarius error eſt. Itaque Poda-
gra, eſt character morbidus, ſeminaliter in ſpi-
ritu vitæ inſertus, qui ſuæ maturitatis termi-
nis fructum acidum fermentalem gignit, ſper-
maticis partibus confermentabilem. Non ex-
ſiſtit ergo Podagra, in cruore, multoque minus
in excrementis. Verùm podagrici primùm 29
agitantur in præcordiis, & tam internas po-
tuum atque ciborum, quàm externas aëris vi-
ciſſitudines ſentiunt, imò & ſæpè has futuras
præſagiunt. Quare patiuntur febriles motus 30
primùm, circa officinam ſpiritus vitalis, ac qui-
dem paroxyſmi initiis. Etenim primi motus
è præcordiis aſcendunt, ſedem animæ ſenſiti-
væ adoriuntur. Conceptus namque in præcor-
diis character, Lunæ atque Mercurii typos ex-
plicat: atque deinde in corde perficitur. For-
matus autem ſive maturatus character, ſpiri-
tum ibidem febrilem induit, quatenus inficit.
Qui ſimul atque acorem ſymboli vitæ ſive fer-
mentalem concepit, motu febrili abigitur ſqual-
lens, & ad loca deſtinata (crudi videlicet ſper-
matis in Synonia articulorum) febriliter defer-
tur. Spiritus, inquam, ſic infectus, & non hu-
mor (quod notandum) Synoniam in ſe tranſpa-
rens, eum aciditate fermenti coagulat in gru-
mum opacum. Adeò ut præ ponticitatis con-
ceptæ gradu, calores, dolores, tumoreſque Po-
dagræ, diſtinguantur. Laticem verò advocari
doloris buccina, & per venas dimitti, ad cluen-
dum, certum eſt, in Scholis confirmaſſe deflu-
xionum errores, jecur accuſatum, caputque im-
meritam luiſſe culpam, & ſuſtuliſſe fruſtraneas
mille medelas. Itaque non quod dolet, quod-
que tumet vel ardet, Podagra eſt: ſed hujus
ſunt producta. Neque enim per pilam bom-
bardæ ſublato pede; ablata eſt Podagra, ſive Ar-
thritis; ſiquidem in ſenſatione, per organum
ſenſus, fit tantum conſenſus partium. Quod 31
fefellit ægros, & medentes, illis credentes. Nec
interim deſcenſum tumor arguit. Qui enim
dolorem ſequitur, illum præcedere deberet, ſi
humoris deſcenſus, ſive tumor, doloris cauſa
eſſet. Adde, quod ardentiſſima Podagra abſque
tumore ſit. Id enim in Odontalgia, in ſpina
parti infixa, ſpectari ſolet, quod localis dolor
mentiatur ſupernarum partium defluxiones.
Sed quid hæc cum Catarrhi fabula commune
habent? E contrà, perſiſtunt Scholæ, caute-
ria infligunt oppoſito latere, ut humorem de-
fluentem in oppoſitum crus revellant, & per fo-
ramen emungant. Sed bona fide, quid caute- 32
ria exſugunt? nil niſi pus & ſaniem. Hæc au-
tem ſunt vulneris fructus, cruoris degenera-
tiones. Ergonè materia Podagræ pus eſt, aut
ſanies? aut ulceris purulenta ſordes? An pus
uſpiam in cretam tranſmutatur? An pus abſque

corroſione quieſcit ? Somnium itaque ſuum
Scholæ vendunt Tyroni : pus inter articulos
deſcendere, aut eſſe aptum in cretam verti : at
bene, corrodendo ſibi aperturam facere. Magiſque
puerile eſt, quod purulentum aliquid,
defluens, in dexterum pedem, à ſcopo ſibi inſtituto
deflecteret,ſi in ſiniſtro crure vulnus ſit;
Quod ſi defluit, ſponte propria decumbit, vel
33 à mandante mittitur, & dirigitur. Tranſeo interim
abſurditates fiendi, & viarum, quas alibi
eventilavi. Itemque humorum è cruore ſeparatorum
decubitum,jam antea cum ipſis humoribus,
extra rerum naturam & ſpem relegavi,
deſtinato libro. Inprimis nullam eſſe partem
mandantem, mittentem, ſagittantem, aut dirigentem,
ſat alibi confectum eſt. Sin autem ſua
ſponte decumbat in latus ſibi perpendiculare :
certè dormienti non caſurus humor, ſi totum
corpus dormiat lecto plano, quoniam deeſt linea
perpendiculi. Nec humor ſui pondere labens,
avocabitur ab inſtituto, licet in oppoſito
34 crure foramen ſit. In Podagra ideo ſanè irriſit
natura vanas Medentum purgationes, extenuationes,
venæ ſectiones, ſcarificationes, thermas
& cauteria, quæ viribus ſaltem detrahunt, vitamque
abbreviant. Certum eſt enim, quod
ruinam ſibi procuratam præſentiens natura, atque
formidans, non raró præfata ſymptomata
ejuſmodi remedia mitigent: ſed crudeliori mox
dolore, & nodorum atrocitate, perſolvenda eſt
pacatio illa. Ergò cuncta,infauſto tentata eventu
hactenus. Inſtituunt denique ſudores ſiccos,
minore quidem vitæ jactura : at pari ſucceſſuum
infelicitate. Tandem, potus ex ultimo
terrarum angulo, barbaro fundamento,propinant,
dumque noſtratia ſenſerint irrita, ſaltem
barbaris remediis humores (nunquam viſos,
nominatos, natoſque) exſiccari ſpondent.
35 At cur hos potus, & in tabe propinant arida?
nonnè ut defluum, & exorbitantem humorem
cacochymum arefaciant ? At primò ſatisfaciant
quæſtioni, an ſit. An decocta aquea ſint exſiccando.
Deinde doceant, quod hi potus,certo
privilegio non exſiccabunt cruorem, ut neque
humores, quos vocant ſecundarios. Sed
ſolos tres alios ſomniatos, in cruore : vel demum
ſola excrementa pituitoſa: denique quod
non vitiabunt requiſitam in cruore compoſitionem,
36 & compoſiti ſymmetriam. Quod ſi
hujuſmodi decocta tantùm exſiccent viſcida &
acria, ſaltem augebunt grumos & nodos,relicto
auſteritatis coagulo. Quod ſi hæc faciant in Catarrhis,
quare non in Podagra ? Aut ſi non in
Podagra, quare etiam non in Catarrhis ? Si exſiccent
pituitam inter articulos ? cum in præcautionem
Podagræ propinantur, quomodo
pituitam labentem in venis, vel in via intercutanea,ad
tophum, & nodos, non conſtringent ?
Si tenax pituita, in tophos exſiccatur per decocta :
nonnè noxam in pulmoniacis auctura
ſunt ? Ideoque cum ſcelere præſcribuntur, &
propinantur ? Si ſicca imbibant humidum, ſaltem
non video, quomodo humida exſiccabunt,
potiſſimum ubi decocti potus ſemper perſtet
humidus. Denique, ſaltem humor catarrhoſus, 37
non poſſet non excrementum eſſe ? At non
conſiderarunt Scholæ, excrementoſa non poſſe
difflari ſine capite mortuo, ut neque exſiccari.
Aliàs docui enim deſiccationem eſſe dumtaxat
caloris & frigoris. Quorum hoc, in aucto gradu,
viventibus vix tolerabili, aquea convertit
in Gas ; Illud verò, in vaporem ſiccitantem,non
eſſe qualitatem operativam, ut neque humiditatem :
ſed ſiccum combibere humidum,& vice
verſa, humidum humectare, quatenus imbibitur.
Exſiccatur verò humidum, non à ſiccitate :
ſed abſcedente humido,per calorem, vel frigus,
abſorpto. Scholæ in defluxibus, calida vetant,
vina prohibent, ptiſanas ſuadent, adeoque mediis
in aquis, nunc humectantibus, nuncque
deſiccantibus (ut ajunt) exſiccare nituntur ; At
neſciunt quid,quo modo, & medio, quia hactenus
anonymus eſt humor, tantorum malorum
author. Ego itaque nec motum, nec modum,
nec media novi, quibus hujuſmodi potus queant
exſiccare, vera exſiccatione, multoque minus
nocua tantùm, præſtentque minimum illorum,
quæ Medentes pollicentur. Natura itaque
ſpernit hæc Medentum ſomnia, irritaque
ſemper fecit, facietque illorum promiſſa. Oro
opt. Deum,ut ignoſcat delictis,quæ ex ignorantia
non pertinaci, ſed humana contraximus fragilitate.
Timeo tamen, ne medentibus obveniat, 38
quod cæteris hominibus : quibus ignorantia
juris,hæreditatem aufert. Poſtremo,prout
Podagra verè eſt morbus primarius : hinc
ejus cognitio pendet ex ſcientia morborum
primariorum, ſub quorum finem quædam de
cura Podagræ annotata ſunt.

PLEVRA FVRENS.

1. PLeuritis Scholarum. 2. Errores definitionis & obliviones ſui. 3. Obmiſſiones aliquot ſomnolentæ. 4. An pondus pituitæ decidentis, pleuram à coſtis avellat. 5. Aliquot craſſiores obmiſſiones. 6. Vena azygos, non ſpectat pleuritidis eſſentiam. 7. Revulſionis ac derivationis vana ſpes. 8. Quorſum conducat phlebotomia in Pleuritide. 9. Deceptæ Scholæ per Artificialia. 10. Cauſæ morboſæ ambæ, manent in ſuis effectibus. 11. Paracelſi inadvertentiæ aliquot. 12. Scholarum incuria. 13. Authoris conſideratio in Pleuritide per exemplum explicata. 14. Aciditatis contemplatio in terminis Pleuritidis. 15. Probatio. 16. Phlebotomiæ vanitas. 17. Requiſita in remedio. 18. Acor probatur in pleuritide. 19. Quomodo avellatur Pleura à Coſtis. 20. Vndè pulmonia. 21. Evulſa ſpina, locus ſæpe ſit ſpinoſus. 22. Vndè Pleuritis. 23. Culina Pleuræ, ubi. 24. Naturæ pænitentia in Pleuritide. 25. Veteres hyſteron proteron aliquid de dolore pleuritidis dixere. 26. Dyſenteria ut ſe ſeparet à Pleuritide. 27. Peripneumonia, & vomica, in quo diſtent à Pleuritide. 28. Quid agat Clyſter in dyſenteria. 29. Notatur Eclegmatum uſus. 30. Scholæ ubique circa curam palliativam morborum occupatæ. 31. Medentum atrox incuria. 32. Remedia torta in Pleuritide. 33. Notabilia circa dyſenteriam abſurda. 34. Cur Clyſter Dyſenteriæ ſit nocuus. 35. Obſervationes Authoris pleuritici. 36. Venæ ſectio tempeſtiva, quomodo à procraſtinata differat.

1 PLeuritis inter defluxiones , ſive
Catarrhos à Scholis numeratur,
eamque definiunt cruentum apo-
ſtema, in quo pleura , ſive ſuccin-
gens coſtas membrana , à coſtis a-
vellitur,cum febri continua,& do-
lore loci. Apoſtema, eſt genus definiti. Adeo-
que, quæ ſemper morbum definiunt diathe-
2 ſin, & inter qualitates ponunt: jam pleuriti-
dis productum, ſive effectus, ad deflui Catar-
rhi poſitionem conſequentes, morbum cen-
3 ſent; interque ſubſtantias locum parant. Non
autem amplius inter Intemperiem, diatheſin,
& actionis læſionem : verùm jam materiale
productum & apoſtema aſſerunt. Incertum de-
nique relinquunt, an phlegmati catarrhone ſal-
ſo, an verò cruori iſthuc expulſo, pleuritidem
adſcribant. Ac ne minimum quoque explicant,
quæ ſit illa furioſa diſpoſitio , quæ ſua thymoſi
divellit pleuram à coſtis. Attamen iſta thymo-
ſis eſt natura & motu prior defluo Catarrho;
& Catarrhus, prior iſta divulſione; eaque divul-
ſio præcedit Apoſtema. Effectum itaque defi- 4
niunt , putant quoque Catarrhum defluum,
ſuo pituitæ ſalſæ pondere, actualiter pleuram
à coſtis avellere. Delinquunt præterea Scholæ,
Quod in pleuritide nequicquam pro pituitoſo
Catarrho remedii decernunt, ut etiam lacera-
tæ jam pleuræ obliviſcuntur: quippè ſolis ex-
pectorationibus per ſaccharatos illinctus pro-
vident. Equidem ſat cernunt Pleuritidem mor-
bum eſſe repentinum , cui pituitæ ſalſedo non
potuit eminus corroſionem in loco produxiſ-
ſe, vel cavitatem feciſſe, quam cruor eò de-
cumbens impleat, atque ulteriùs diſtendat.
Volunt ideò ipſum defluens plegma, ſolo ſui
pondere pleuram à coſtis avellere. Quaſi non
deflueret guttatim, pondusque defluxuræ ſu-
pernè pituitæ, jam perpendiculariter ſuperin-
cumbens, aliquot librarum ſimul , vim faceret!
At nondum declararunt cavitatem, in qua iſtud
pondus pituitæ accumulatæ reſideret. Nam etſi
æger tam cerebro vacuus eſſet, atque eſt in-
ſulſa Scholarum præſens aſſertio , non poſſet
tamen tanta pituita in cranio, pleuram à coſtis
lacerare. 2. Nondum docuerunt vias, quibus 5
è capite continuitas in tranſitu Catarrhi eſſet à
Cerebro ad intercoſtalem membranam, mul-
toque minus, qui ſuo eminus pondere id præ-
ſtaret. 3. Nec etiam iſtum Avulſorem adhuc de-
nominarunt tamque potentem laceratorem,qui
pleuram, coſtis pertinaci, multaque undique fi-
bra adnatam, avellat. Vel qui aquam in ventrem
hydropicum, inſtar tympani tendat. Nec tan-
dem oſtendunt, cur iſte Catarrhus depluat, ad
deſtinatum parvumque locum,qui communi in
cerebro factus, aut detentus eſſet. Nonne enim
ex tot tantiſque incogitantiis Scholarum ſub-
ſecutiva invicem ſubſcriptio ſuſpectæ fidei eſſe
meretur? Nam majoris eſt violentiæ opus,quàm
decumbentis pituitæ, pleuram à coſtis avulſiſſe.
Quotquot enim ad nonum Almanſoris ſunt 6
commentati, longè lateque de vena azigos,
ſive abſque pari, inter coſtas diſtributa, ſeſe ſca-
bunt, adeoque deflui catarrhi obliviſcuntur,
prout & ponderis ejuſdem, duntaxat ad cruo-
ris depletionem converſi. In hoc enim potius
conſiderant remedium, quod unicum habent,
& ruſticis æquè notum, per ſolam nempe ve-
næ ſectionem iteratam, quam ipſam morbi na-
turam, aut ſuppoſitas Scholarum cauſas ca-
tarrhi. Quin etiam eò abſurditatis omnes omni-

no declinaverunt, quod rejecta catarrhi conſi-
deratione inter curandum, putent ea parte pri-
mò cauſam appuliſſe, qua cruor velut per acci-
dens, è vena impari illapſus eſt inter pleuram.
Tantoperè namque ignaviæ ſemper ſuccubue-
re, quod cauſas plerumque effectum meditatio-
ne obumbrent. Nec attenderunt unquam, cruo-
rem à venis non deferri ſponte, ut neque pro-
prio illabi decubitu. Pleuram enim à coſtis la-
cerare, cruorem eò mittere atque ſimilia, ſunt
vitæ munia: non autem labentis liquoris crimi-
na. Sed quid agent Scholæ, quæ tantùm Paga-
nis ſubſcribere aſſuetæ, quorum doctrina non
naturam, ſed ipſam Matheſin in artificialibus
imitari eſt ſolita? Etenim venam azygos, per
coſtas utrimque dilatatam, ac deductam cer-
nunt: ergo & hinc omnem mendicant cauſam.
Non ſecus ac ſi viator dormiens, circa amnem,
& in proximo nemore occiſum cadaver à latro-
nibus reperiatur, proindè dormiens ille, ut Reus
omnem, capite ablato, ſanguinem effundere de-
7 beat. Ergo inſtituunt phlebotomiam, & cruo-
rem educere tentant per revulſionem, è vena
azygos rea, tanquam cauſa proxima immediata,
& continente. Aſt ubi jam veſter manet Catar-
rhus pituitæ, vel bilis, è capite defluus? quique
ſuo duntaxat pondere pleuram à coſtis lacerat?
Cruorem ſaltem retrò revellere intendunt à ve-
na impari nedum fluentem: ſed etiam poſſibili-
ter fluiturum. Eſtque ob id dicta revulſio, pro-
ut & pertuſa vena aliqua proximiore, velut mali
mediatrice, dicitur derivatio. Ah! quam cir-
cumſpectæ ſunt Scholæ in ſermocinalibus, &
artificialibus? quæ in natura nil niſi ludicra
ſunt? Quoniam etiamſi vena cubiti, uſque in
cavam, totum depleat cruorem, & hæc conſe-
cutivè è vena azygos, cruorem extrahat: Scire
tamen deberent Scholæ, ſtatim pòſt, totum ite-
rum cruorem æqualiter in venas reſtitui: adeo,
licet vena cubiti tota poſſet evacuari (quod
nunquam) tamen mox iterum totus cruor æ-
quaretur per totum venarum contextum. Vnde
manifeſtum fit, vanas eſſe Revulſionis & Deri-
vationis nænias: quippe quibus conceſſis, ad-
huc non niſi pro paucula mora inſervirent in-
8 tentioni. Quæſo ergo Medentes conſiderent,
in Pleuritide phlebotomiam non eſſe uſui, pro-
pter Revulſionem & Derivationem: ſed propter
meram ſanguinis viriumque extractionem, &
diminutionem. Vt ſcilicet natura, evacuatio-
nem iſtam exhorreſcens, deſiſtat, ceſſetque mit-
tere cruoris augmentum circa pleuram. Atten-
dant, inquam, an hoc non ſit, cum virium ja-
ctura tam inſigni, & repentina (in morbo, quo
totum onus vires ipſæ ſolæ bajulant) à poſte-
riori mederi, per præcautionem, præventio-
nemque incrementi? An iſtud inquam ſit itum
ad cauſam connexam & foventem, dum non
ad faciens, ſed ad factum eſſe, totam conver-
tunt operam? Stulta prorſus miniſteria ab artifi- 9
cialibus depromta. Torrens quippe fluens ad
quendam terminum minuitur, ſiſtiturque, ſi ri-
pa ejus ad latus aperiatur, & propinquiore, ma-
giſque prono itinere, ad declivem locum laba-
tur. Sed quid iſtud juverit; ſi tantùm ad ali-
quot uncias cruor depleri queat, & quidem
cum notabili virium jactura? nonnè obſtipata
vena, cruor fluet iterum ad locum deputatum,
quamdiu motus initium perſeverat? An non
convenientius fuerit, fluxus principium ſtitiſ-
ſe? cum ex vena ſecta, non aliud bonum, in Pleu-
ritidi queat exſpectari, quàm quod enervatis vi-
ribus ſperari poſſit? Scilicet, quod natura vi-
rium avida, indiga & egena cruoris, ceſſat à
ſymptomatico motu verſus pleuram, quamdiu
debilitata permanet. Atque ideò, non accreſcen-
te Pleuritide pro mora, natura velut rumoris &
procellæ pœnitens, cogitet de maturatione pu-
ris ab extravenato cruore fabricandi. Quæ cun-
cta feliciùs ſequerentur, retento cruore, in quo
habitat vita, id eſt, vires. Vtpotè vita eſt natura,
quæ ſola eſt morborum medicatrix, eaque defi-
ciente, humeros attollit Medicus. Ergò Scholæ
hactenus non attenderunt ad cauſam impulſan-
tem, quæ cruorem extra venas profundit in lo-
ca indebita, ſupra metam modumque, quæque
pleuram à coſtis avellit furiosè, vulnus & cavum
parat. Quæ cauſæ ſimul connexæ, ſunt quidem 10
ante effectum, in eodem tamen effectu, perſe-
verant adeò, ut materialiter & efficienter ſint
ipſimet effectus. Ad quem ſcilicet tardus & im-
potens eſt pituitæ falſæ & ſalſæ è capite (per non
exſiſtentes canales, aut viarum continuitates)
decurſus, ac ſomniati defluxus Catarrhoſi. Pa- 11
racelſus autem hanc pleuræ avulſionem medi-
tans, volenſque illi adaptare cauſam, alias addu-
xit inſulſitates, ut inſanas microcoſmi leges ſuas
in nobis tutetur. Fingit namque novum, & aliàs
nunquam à ſe nominatum ſalem Ogertinum:
utut variè in ulceribus & apoſtematibus, uſque
ad excoriationem, de ſalibus ſibi pruriat. Ac in-
primis hunc Ogertinum, de proprietate Arſeni-
calium (ſulfurum) docet: Interim ejus fodinas,
venas, proprietatem, hiſtoriam, etymon, & e-
tymi rationem, ſubticet. Quia à ſe ſomniatum.
At ſaltem in hoc nil egiſſet ſplendidius: cum eo-
dem

dem luto quo ſordent Scholæ, ipſe non minus
12 impingat. Siquidem nemo hactenus declaravit,
quare recedat pleura à coſtis, quibus continuato
fibrarum filo, adnata eſt, An videlicet
ſponte ſua; an verò per alium laceratorem avellatur:
ſatisfactum dubio contenti, ſi dixerint à
pondere devolventis Catarrhi, avelli à coſtis. In
cujus tamen dubii, tanquam radicis, ſedationem,
tota conſiſtit Pleuritidis ſanatio, & præcautio.
Digna eſt nempe cujuſque morbi radix,
Scholarum muto ſilentio (oſtendam nimirum,
peculiari tractatu, ipſam morborum quorumcunque
eſſentiam hactenus in Scholis neſcitam)
ſufficere illis viſum eſt, ſi ad extera, ad artificialia,
ad ſymptomata poſteriora, ad conſequentes
fructus, ſive producta, doctrinam ſuam
contulerint: quaſi ſcena cauſarum, & radicum
eſſentialium, eſſet ridicula, vel fruſtranea. Paracelſus
quoque ſi aliquid ſolidi ad tanti morbum,
ejuſque doctrinam addere ratum cenſuit: ſi non
ipſum ogertinum ſalem, è cruore, de potentia
ad actum deducere ſtatuit ſaltem inſolitus, anonymus
& incognitus ſal ille deberet attuliſſe neceſſitatem
ſui inventi, ſuæque generationis, ut
aliquis ſaltem præcautioni locus daretur. Hoc
nempe poſtulat Monarchæ Arcanorum prætentus
titulus. Sed cuncta manſere neglecta, eò
quod ſuper inanes ſtipulas Medendi principatus
ſtetit fundatus. Corruiturum itaq; ſpondeo,
quicquid illi fuerit ſuperſtructum. Nam ſive
ignis, veritatis explorator ſubſtruatur, ſive demum
ſpontanea dierum putredo ſtipulas conſumſerit.
Saltem tandem ædificium iſtud corruiturum
13 ſcio. Ego autem in pleuritide conſidero
primum motorem internum ſive calcar:
Ac dein Laceratorem pleuræ. Et utrumque unum
idemque efficiens ſui, ipſam voco pleuritidem.
Cruorem autem eò affluentem, & effuſum,
indéque natum apoſtema, tanquam productum
conſidero, quorſum communem adducam
experientiam in exemplum. Sit ſpina
parti alicui infixa. Cui ſuccedit in inſtanti dolor;
à dolore, mox pulſus; à pulſu, cruoris affluxus:
unde tumor febris apoſtema, &c. Spina ergo
poſt ſe movet cætera. Metaphorica ergo ſpina
Pleuritidis, & propriè loquendo, ipſa Pleuritis,
eſt peregrina aciditas concepta in Archeo,
quam ſi fuget, aut deponat in cruorem venæ
cavæ: ea certè ad venam azygos, imo vel in ipſam
propinquam coſtarum carnem expellitur:
unde apoſtema tanquam Pleuritidis productum.
Denique ſicut apoſtema, natum ab infixa
digito ſpina, non niſi temere curatur per venæ
ſectionem: ſed propter ſolam ſpinæ evulſionem
ſanationem promittit. Ita contingit in
Pleuritide. Etenim ut acor in ſtomacho, eſt 14
gratus, & ordinarius ſapor: Sic extra ſtomachum,
omnis aciditas eſt præter naturam, & hoſtilis.
Quod hactenus neſcitum in Scholis. Sic
nempe tormina ab acido inteſtinorum, in lotio
ſtranguria, in ulceribus corroſio, in pelle ſcabies,
in artubus podagra, &c. Quodque ſi experiri
velis ad manum, emictæ noviter abſque
dolore, urinæ, aliquot ſaltem guttas vini aciduli
immiſce, & per ſyringam injice. Experieris te
invito, quod vera doceam. In latice (de quo
poſtea ſuo loco) quoque pleuritidem notham
(quam ventoſam vocant eadem prorſus cum reliquis
indagandi incuria) ſuſcitat. Aſt ſi Archeus
in cruoris gremium, leviculam ſibi ſiniſtro
applicatam aciditatem, depoſuit: ſtatim
extravenatur, ejicitur à venis ſpreta, & apoſtema
parit, ubicunque id locorum contigerit:
Sin verò profundius id in venis eveniat, peſtilens
aliquod pathema inſurgit. Quod probo.
Quippe cruor aut caro nunquam aceſcunt, abſque 15
actuali putrefactionis conſecutione (quod
alibi per carnes belluarum, ſub canicula ociſſimè
putrefientes, ideò juſculum acidum dantes,
probavi ex inſtituto.) Cruor etenim aceſcens,
mox contra naturam venarum, totiuſque carnis
indolem (quamdiu vivit) coagulatur. Nam
dudum in cadavere cruor à coagulatione præſervatur
à vena, è qua ſi exciderit, ſtatim grumeſcit.
Quod alibi latius. Hinc ſequitur, quod 16
facti apoſtematis in Pleuritide, non poteſt ejuſdem
cruor per venam ſectam evacuari, utcunq;
nomen revulſionis aut derivationis, in morbi
metum, & ægrorum deluſionem, jactitetur.
Itemque nec venæ ſectio impedit, ne quid deinceps
amplius aceſcat. Cum phlebotomia privationis
tantùm vim habeat. Nec poſſit eductus
cruor inhibere, ne, qui intus aciditatem hauſit,
eandem deponat. Aſt condignum Pleuritidis 17
remedium tenetur in Archeo cauſare averſionem
ab aceſcendi conceptu. Si itaque acor
cruoris ſit ejuſdem putrefientis indicium, certum
eſt, quod vena nec putridum, nec putrefientem
cruorem in ſe recipiat, nec putrere ſinat,
ſi adhuc à morte, eandem à coagulatione
defendat. Ergo exorbitans aliqua peſtilenſve
impreſſio in cruore eſt, ſi aceſcat utut tenuiter.
Sin autem ab endimico, in thoracem ſpirato,
vel aliàs intus nato veneno acido, Archeus infectus
ſit, iſque venarum cruorem, vel alium, in
alimoniam deputatum affecerit; ſtatim eun-

dem cruorem, quævis pars putredinem extimeſcens,
à ſe repellit. Hoc inquam eſt calcar efficiens,
atque vera Pleuritidis. Idque videtur
primus Medentum Hippocratis ſenſiſſe, dum
ſcribit: Non calidum, frigidum, humidum,
ſiccumvè, morbi ſunt: ſed quod acre, amarum,
18 acidum, & auſterum eſt. Eſſe autem acidum in
Pleuritide, ex eo patet: quod in Pleuritide lotium,
& cruor vena ſecta elicitus grumeſcant
etiam exeundo, ſive ante cruoris condenſationem,
quæ grumeſcentia, ſive caſcatio, eſt acoris
effectus. Latex autem aceſcens, in intercoſtales
carnes incidens, facit dolorem pleuriticum:
non autem verum aut conſtantem affectum.
Quemque idcirco flatulentam nominant
(quanquam flatus eò nunquam attingant, niſi
aſſumto toxico, tranſmutante. Prout de flatibus)
producit mox leviculo remedio difflabilem: per
19 inſenſiles nimirum tranſpirationes. Igitur aciditas
confeſtim dolorem parit: doloris autem
proprium comitem, ac cauſam (lib. de lithiaſi
cap. de ſenſatione) dixi convulſionem. In qua
convulſione, pulſus anteà latens manifeſtatur,
indureſcit arteria, & comitatur dolor. At quia
convulſio plerumque per intervalla tenditur ac
remittitur (quod parturientium dolor teſtatur)
hinc fit, quod quoties pleura ſpaſmum ſuum,
proprio motus Blas intendit; toties aliquid fibrarum
dilaceratur à coſtis: dumque ſe vel tantillum
remittit, accurrit cruor vicinus, in locum
rugarum, contrahendo fracturam. Hocque
iteratis vicibus, cauſa eſt apoſtematis magni,
juxta frequentiam & aſperitatem contracturarum.
Cruor autem extravenatus, aut alioqui
juſtam doſin ſuperans, ob ſymbolum fermenti
acidi conceptum, hoſtilis fit, & præſto coagu-
20 latur. Quod ſi verò acor in venam arterialem,
vel arteriam venalem (quæ ſunt vaſa pulmonis)
diſpergatur ab infecto Archeo, neceſſitata advenit
Peripneumonia pulmonis. Cernant ergo
diſcernantque Scholæ, an cauſæ continenti, ac
radici medeatur phlebotomon. An verò totus
illarum conatus ſaltem ſeſe extendat, ut cum
procurata virium jactura, incrementum pleuritidis
(quando multum) præcaveant: Sic namque
modus fiendi morborum, per cauſas motivas,
atque vitales, explicari debuit, ſi rectè Tyrones
inſtrui ſit neceſſe, Medentibuſque ſic eſt
conſulendum, ut deinceps quilibet ritè ſuo fungatur
munere, utque æger proximus inde fru-
21 ctum deſideratum carpat. Spinâ enim evulsâ,
facilè ceſſat reliquum. Niſi forte diutina mora
apoſtema ipſum fecerit ſpinoſum. Nam ſemel
formato apoſtemate vel ulcere, licet à tergo
nec radicem in corpore ſint nacta, nec aliunde
foveantur, per ſe ſtant deinceps, ſubſiſtuntque
abſque alia ſui tutela. Incumbendum ergo
ſpinæ evellendæ: Eſtque tabidi ulceris pertinacia:
quod ulcus non ſpinam jam habeat,
ſed ſpinoſum evaſerit. Gignitur itaque in no- 22
bis ſpontè pleuritis, dum primæ digeſtionis hoſpes
in alienam meſſem peregrinus involet: vel
aliàs inſpirato endimico virulento. Tumque
eſt Pleuritis populariter frequens. In multo e- 23
nim æſtu repentinus, multuſque affatim frigidæ
hauſtus, pleuram, non ſecus atque aliud
acidum irruens, contrahit. Non eſt etiam culina
pleuræ, in tenuiſſima, ac indiviſibili ejus
membranula: ſed in contigua ſibi intercoſtali
carne. Nimia namque ejus tenuitas non permittit
intra ſe culinam abſcondi. Mortificatur
ideò citiſſimè, pleuræ ipſius cruor per violentum
irruens externum, ſive acidum fuerit, ſive
repentinum frigus. Eò quod in externa illa culina,
alimentum non ſibi digeratur, atque præparetur.
Vitiato ergo cruore, dum in fieri eſſe
eſt, ad alimentum pleuræ, illicò aceſcit, fitque
vera pleuritis. Pleuritidem autem non quidem
advenire: ſed adveniſſe, & adeſſe ſentiunt,
dum ab externo irruente ea generatur. Nam
generationes naturales velut in inſtanti fiunt.
Ideoque degeneratio cruoris in præfata exteraque
pleuræ coquina, eſt quaſi inſtantanea. Sed
Pleuritis contingens ab acido cruore, aliunde
contaminato, morbos plerumque habet alios
prænuncios. Eſt autem Pleuritidi quoque pro- 24
prium, quod mox naturam ſui peccati pœniteat.
Adeoque horrore admiſſi erroris, delictum
ſuæ digeſtionis libenter corrigat. Ac proinde
ad ſanationem exigitur tantum, ut ſpina
& confuſæ digeſtionis productum auferantur,
in ipſo cruore circumſtante, imò & in ipſo apoſtemate.
At Pleuritis, quæ per phlebotomiam
eſt reſtituta, ſæpè poſt annum recurrit, ſæpiuſque
tabem poſt ſe relinquit. Quia reſiduæ ſpinæ
negotium relinquitur ſolius naturæ humeris
ſuperandum, abſque adjutorio, reſtaurante
characterem ibidem morantem. Veteres quidem
ſenſere, *ubi dolor & calor eò affluere cruorem.*
Sed ſpinam præcedentemque motricem
aciditatem, ut neque ſpaſmodem dolorem, ne- 25
mo (quod ſociam) adhuc attigit: unde tamen
dumtaxat ſolatium ſperari debebat. Dubitari jure
poſſet, quare pleura, à contractura remittens
pauliſper, non rurſus repellat contentum intra
ſe cruorem, ad loca unde venit. Sed jam liquet

quet, cruorem ab acido grumeſcere ſtatim, & huic quoque conſtanter loco inhærere didicit. Alioquin non rarò tumores ſæpè diſparent alibi: eò quod illorum cruor non eſt ab acido alie-
26 natus. Porrò dyſenteria ſe ſeparat à Pleuritide, non tam acore cauſæ materialis, quàm ſubjecti varietate. Neque enim inteſtina à tergo carnem habent pro culina. Ideoque inteſtinum ſuam habet ſpinam, ſuis infixam membranis. Etenim præter duplicem inteſtini tunicam, tertia obvallatur Meſenterii toga. Et quia extra ſe non habet culinam in carne: Idcirco ejus membrana, Apoſtema non fert: quapropter adveniens cruor ad Torminum ſolamen, non induratur aut grumeſcit, nec fibras cruor Meſenterii adhuc nactus eſt, quibus coaguletur, aut in apoſtema tuberet. Quare in dyſenteria affluens ille cruor, in ſolamen pungentis doloris ex acido, effluit non grumefactus. In pleuritide autem, pro una parte cruentum ſputum, non coagulatum (quia nondum acidum) velut ad ſolamen doloris miſſum accurrens: nec ille, nec tale ſputum, eſt cauſa occaſionalis morbi illius: pro altera autem parte cruor, intra pleuram & coſtas ſiſtitur acidus, grumeſcit, apoſtematur; atque idcirco pus fit. Plurimus itaque cruor feſtinans pro ſolamine doloris (ubi dolor, eò occurrit cruor) trans pleuram, in thoracem penetrat, qui moleſtiſſima excreatur tuſ-
27 ſi. Quare Pleuritis à Peripneumonia cauſis occaſionalibus, ut neque remedio differt. Suffunditur nempe cruor in pulmonis parenchyma, juxta ſpinam pleuriticam. In vomica namque licet pulmo cruorem, ac diverſa in ſe contineat hoſtilia, defectu tamen acidæ ſpinæ, non eſt peripneumonia: ſed alii ſunt defectus, procedentes ab excrementis propriæ digeſtionis. Idcirco plures morbi non differunt materiâ occaſionali: ſed membrorum atque functionum diverſis agentibus ac proprietatibus. Quæ plerumque non tantùm variant remedia, quàm adjacentia à proprietatum poteſtatibus depen-
28 dentia. Liquet inde enim, quàm irritum in dyſenteria enematum remedium. Quippe dyſenteria eſt tantum tenuium inteſtinorum, aliquot ulnis diſtantium, à craſſioribus, clyſteriorum capacibus. Itaq; in Pleuritide, & Peripneumonia utuntur phlebotomo, ad neceſſariam cauſarum (ut ajunt) ablationem. Quaſi ſola plethora ſanguinis (quam tamen dicunt unicam & adæquatam ſectionis venæ indicatricem) eſſet
29 illarum genetrix. Cæterùm illinctus præſcripſere igitur, non quidem ad cauſæ remotionem; verùm ad faciliorem ſputorum expectorationem. Illinctus nempe, ex farfara, è pulmone vulpis, &c. Nam cum hoc animal pœnè ſit indefeſſum, putarunt, quod moriens (nam extra putationem deficit Scholis authoritas valida) ſuo pulmoni, legaſſet remedium ſanandi ſuſpirioſos, licet viſcus, ſpinæ in nobis author, remaneat malè affectum perſtite apoſtemate pus comminante. Quodque, niſi ſtato dierum numero (authore Galeno) integraliter ſanetur, phthiſis indubia ſit exſpectanda. Quocirca to- 30
tum Scholarum ſtudium, non tam collimat ad ſanandum, quàm ad præcavendum dumtaxat incrementum. Id eſt, non cauſæ radicalis reſpectu, ſed producti poſterioris obtuitu: ne ſcilicet vergat in deterius. Eſt nempe Scholis perpetuum, onus relinquere ſuum naturæ, in diem criticum ſperare, & differre. Nam cum præter purgationem, & cruoris emiſſionem, vix agnoſcant remedia; tantùm ad diminuentia liquoris & virium procedunt, ſicque ſolam curam palliativam circa effectus, & producta poſteriora occupatæ. Vt nimirum reſiduum in culinæ mangonia, atque præſcriptam diætam relegent, ſive quos beatior diſpoſitio virium cuſtodit, ſive aliter in difficiliores morbos ruerint, ſpeque deſtitutos in incurabilium numerum redegerint. Pariter namque atque de loh è pulmone vulpis dixi, commendant in Paralyſi, cerebrum cuniculi, & leporis, quod veloces ſint curſu. Virgam cervi pro frigidis, eò quod fera ſalaciſſima. An ergò ſi ruſticus manum fidicinis coctam comederit, fortè teſtudinem pulſitet artificiosè. At requirunt Scholæ, ut tractim deglutiantur eclegmata, ideoque illinctus nomine dotata, ut ad locum tuſſis, remedium materialiter deſcendat. Miror interim, cur loh ſanum pariter non paraverint ex cauda equi, tota æſta-
te verrendis muſcis agitata. At nil à Scholis co- 31
gitatum, pro ſpinæ Pleuritidis ablatione: unam tantùm ob culpam. Nimirum, quod eandem neſciverint, & indagare neglexerint, invicem ſubſcribendo contentæ. Vires infirmi interim infirmiores reddunt, & poſthabent, tanquam volentes perdere, per iteratas venæ-ſectiones; quaſi ſtratis viribus, aliquid opportuni deinceps ſperandum ſit. Doleo interim mortalium ſortem, qui tam dolenti morbo tales nacti ſunt auxiliatores, qui cauſam neſcientes, quælibet abſurda tentant, modò prius ægrum cruoris & virium penuria debilitaverint, naturam interim ſuis natantem remigiis deſeruerint. Quod ſi interea infirmum juventutis proprium robur

juverit: ſibi honorem (id eſt, vi præmium) deberi poſtulant & adſcribunt. Alioſque ducentos trucidandi eodem medio, jus acquiſiiſſe prædicant. Vel ſi robur exantlatum; deplente chirurgo, ſuccumbat, longa tabe, luctuoſoque quotidie ſpectaculo extinguatur: ſaltem ſe excuſet Medicus per morbi ſævam ac inſuetam magnitudinem, quod adhibitis optimis remediis, nihilominus in tabem declinaverit. Quorum nil tale contingeret (ſpondeo enim, atque promitto ad pœnam experimenti) ſi ſpreta maledicta venæ ſectione, balſamo vitæ, ac naturæ
32 viribus ſervatis, radicalis ſpina evellatur. Sic nempe ſtatim dolor, ſputum cruentum, atque febris ceſſant placidè, ipſumque divulſum continuum mox incarnatur. Aſt neſcitæ hactenus cauſæ peperere remedii ignorantiam. Sunt nempe mea remedia, quæ neminem in Pleuritide & Peripneumonia derelinquunt. Pulvis de virga cervi, vel tauri, vel cruor hirci, vel ſuccus Cichorii ſylveſtris, flores papaveris ſylveſtris, ac plura talia. Potiſſimum laudo cruorem hirci, non quidem venalem: ſed hircum ſuſpendo cornibus, alligatiſque pedibus poſtremis ad cornua, abſectis teſtibus caſtratur. Cruor indè emanans, uſque in ejus mortem, excipitur, & ſiccatur. Et à venali cruore (qui nil niſi ovillus eſt) dignoſcitur, quod venalis facilè teratur, ejuſque pulvis ſit puniceus: hircinus autem verus difficillimè atque tædioſiſſimè teritur, eſtque picei coloris, pulvis illius. Contritio autem tam moleſta eſt, non quidem ob ſui lentorem: ſed propter meram & incredibilem duritiem. Hujuſmodi namque præſidia, Archeo amica, atque domeſtica naturæ humanæ, cauſam immediatam in Archeo corrigunt, tolluntque acorem, & ad diaphæreſin diſponunt cruorem, dolorem pacant, quia aciditatem extinguunt. Ablato quoque acoris fermento, reſolvunt quantum poſſunt cruoris extravenati, reliquumque, neglecta puris deſtinatione, tempeſtiva dejiciunt per tuſſim. Quapropter eadem remedia propinantur devolutis ab alto, quatenus contuſione grumefactum cruorem diſpergunt, id eſt, ſpinam auferunt, venenum tollunt, & eatenus locum incarnant. Sicque omnibus ſimul indicationibus, unica ſpinæ emendatione ſatisfaciunt. Quibus plura ſimilia condidit divinæ
33 Clementiæ largitas inexhauſta. Non enim dyſenteria poſcit aſtrictiva: nam ſub judicatione ordinaria: ſive ſub conſtipatione, & adſtrictione, mors mox adeſt. Etenim me præſente, & attonito poſt 426 clyſteres fruſtraneos, tandem emplaſtrum diapompholigos, in oleo cotoneorum diſſolutum, cum enemate injectum ab Archiatris noſtris viro nobili. Inſigni Scholarum ſtupiditate. Siquidem abſque enemate, poſt 18 centenos & amplius receſſus, per me ſanatus eſt, remedio oretenus aſſumto. Itemque Scholæ docere pergunt adhuc modo, dyſenteriam non conſiſtere, niſi cum ulcere inteſtinorum: cui ſanando, proindè præfatum emplaſtrum
34 infundebant Medici. Quaſi ulcus inteſtini eſſet ſanabile per emplaſtrum illud! dum ejus vulnus ſimplex cenſetur incurabile. Itemque ſi dyſenteria ſit in gracilibus inteſtinis, quare longa non emplaſtrant? Quis enim Galeniſtarum ſanavit unquam ulcus gulæ, laryngis, vel inteſtini, per clyſteres? cum fiſtulam ani, quam ad manum habent, neſciant ſanare per emplaſtra? Meminerint quæſo Medentes, Quod oculum non mordicet ejus naturalis lacryma, ut neque lotium veſicam. Sic & ſtercus in inteſtino inſenſile eſt, uſque propè exitum. Quia excrementum naturale. Clyſterem verò, quia inteſtino peregrinum, dolere. Idcircò in dyſenteria nocuum. Error iſte fluit à Scholis, definientibus dyſenteriam ulcus inteſtinorum. Quam utut inveteratam, ac pœnè deſperatam ſanari vidi ſæpiſſimè, & quidem cum multa ſecuritate. Exhibendo ſcilicet remedia quædam ſpecifica. At certè cruentum Moloh, Cathedris præſidere conſpicio medicis. Retroſpicite ergò confratres. Nam dirus mundo ingruet horror, ad ſonum tubæ, dum quiſque daturus eſt rationem ſuæ villicationis. Finaliter dicam, quid obſer-
35 vaverim pleuriticus. Tertio kal. Ianuarii invaſit me repentè febris cum rigore leviculo, ſic ut dentes quaterent. Dolor punctilis in latere anteriore circa os Sternum, qui inſpirationem præpedierit: mox dein ſputum cruentum adfuit: tandem merus cruor prodiit. Sumſi ſtatim cervi genitale carptum (nam ad manum erat) & dolor ſtatim imminutus eſt, mox bibi drachmam cruoris hircini. Quatriduo igitur, ceſſavit ſputum cruoris, perſtite tuſſicula rara, cum aliquot exſcreationibus. Perſeverabat autem febris. Nam ſecunda die, dolor circa zonam, latere ſiniſtro ſeſe pandit, cum reſpiratione difficili, febris augmento, & pulſu intermittente. Abſolveram jam annum 63, exſpectabamque, in ſplene coagulari apoſtema. Quippe lien globatus in molem, pondus faciebat. Si enim genua in ſublime attollerem, vel in latus dextrum decumberem, gravis ponderis cadentem globum ſenſi. Adeoque ſuſpicatus ſum,

Pleuritidem è Splene ſuſcitatam, quæ cum juſtis
remediis abacta eſſet è coſtis, Lienem demum
afflixit. Cui ſtatim obveni, potu vini, bulliti
cum lapidibus cancrorum. Et infra paucos
dies, omnis dolor ac ponderis moles evanuere.
Interim viſitabar à nobili, qui ocreas è corio
Prutenico ſuaveolente calcaverat. Quarum odore
ſtatim ſenſi dolorem lienis, & febris recruduit.
Vnde collegi Archeum lienis, Authorem
totius tragœdiæ. Denique notavi, in Pleuritide
incipiente, ſectam venam ſiſtere quidem internam
hæmorrhagiam, & videntur ægri ſe melius
habere. Ac quanquam cruoris emiſſio debilitatem 36
auxerit: eandem tamen non phlebotomo,
ſed Pleuritidi adjudicant. Sin verò tardior
venæ ſit apertio; coagulatus jam cruor, &
indè conceptum apoſtema, deſtinatumque pus,
ad ſuum properant terminum. Hinc namque
frequens, à ſanatione per venæ ſectionem,
Tabes, aut Pleuritis recidivat anniverſaria.
Quæ aliàs remediis præfatis, non ſpectantur
obvia.

TRIA PRIMA CHYMICORVM PRINCIPIA, NEQVE EORVNDEM ESSENTIAS DE MORBORVM EXERCITV ESSE.

1. *Schola cur cedant foro.* 2. *Cur Paracelſus quæſierit alia morborum initia.* 3. *Tranſtulit in ſe furtivè Baſilii inventum.* 4. *Paracelſicorum lapſus facilis.* 5. *Abuſus ſenſim detectus.* 6. *Ab chymicis regulis, malè intellectis, deceptus Paracelſus.* 7. *Aſpiravit ad Medicina Principatum.* 8. *Sub ſarcina defecit.* 9. *Deceptus quoque ab ulceribus.* 10. *Aliquot ejus incogitantia.* 11. *Peccato peculatus obruitur.* 12. *Aliquot incogitantia ejus.* 13. *Doctrina elementorum Archidoxeos notatur.* 14. *Ad aſtra confugit, ne fugientem ſequantur curioſi.* 15. *Adeptum Medendi.* 16. *Iactantia Paracelſi.* 17. *Diſtillatio perfectiſſimo Artis.* 18. *Mirabilis carbo mellis.* 19. *Paracelſus de pratento Monarchatu deturbatus.* 20. *Fabuloſa morborum media.* 21. *Cruor difflatur abſque capite mortuo.* 22. *Qua natura ſemel reſpuit, nunquam denuò reaſſumit.* 23. *Aqua etſi milleſies diſtilletur: non proin tamen ſubtiliatur.* 24. *Aliquot abſurda.* 25. *Figmentum microcoſmi, in modo fiendi morborum.* 26. *Paracelſi ambitio.* 27. *Vnde ejus auſus ad invadendum Monarchatum.* 28. *Tria prima non eſſe in nobis.* 29. *Ignoravit trium primorum vinculum.* 30. *Ignoravit originem ſalis.* 31. *Aliquot illius incogitantia.* 32. *Error in febrium cognitione.* 43. *Exemplum. Quod totus cruor liqueſcat per purgantia.* 34. *Morbi non produnt illa tria prima.* 35. *Tria prima quomodo fiant.* 36. *Galenum & Paracelſum ferè pares audendo, atque errando.* 37. *Impugnantur tria prima.* 38. *Error Paracelſi circa morborum eſſentias.* 39. *Tria prima non eſſe, nec operari in morbis.* 40. *Paracelſus propinquius acceſſit ad veritatem quàm Galenus.* 41. *Tria prima immediatè non ſubſunt vita.* 42. *Tria prima etiamſi non morbi: ſunt tamen remedia.* 43. *Modus operandi remediorum, malè perpenſus in Scholis.* 44. *Quinta eſſentia impugnatur.* 45. *Inconſideratè ſubſcriptum eſt Antecedentibus: quia ignorata manſit morborum eſſentia.* 46. *Tria prima eſſe nuperum inventum.* 47. *Tria prima non praexſtitiſſe ante ſui ſeparationem: ſed de novo naſci.* 48. *Aquam tranſire in oleum.* 49. *Tria illa, mutari invicem, repugnat principiis.* 50. *Probationes Theſium.* 51. *Contra Ariſtotelem, quod duo tantùm ſint corporum initia, qua etiam ſunt cauſa initiantes.* 52. *Paracelſiſtarum incogitantia.* 53. *Tria illa non ineſſe quibuſlibet corporibus.* 54. *Aqua, ut nec Mercurio, ineſſe tria prima..* 55. *Objectiones quorundam Scriptorum Tyrocinii Chymici.* 56. *Pergunt ulterius.* 57. *Adducitur Paracelſus in palaſtram.* 58. *Reſponſio.* 59. *Mercurii immortalitas undè.* 60. *Axiomata Chymia principiativa.* 61. *Baconis veritas.* 62. *Reſponſio ad objectum Paracelſicum.* 63. *Quid ſint tria prima in corporibus.* 64. *Alia inſtantia in arena, ſilice, &c.* 65. *Salem in calce, non eſſe contenti extractum, probatur per Mechanicam.* 66. *Quomodo officiorum neceſſitas, invenerit tria prima.* 67. *Tria prima, non eſſe corpori vernacula, ut corpus eſſet.* 68. *Per Mechanicam, quod ignis ſit faber trium primorum.* 69. *Inſtabilitas trium primorum.* 70. *In digeſtione ciborum, non contingere Trium ſeparationem.* 71. *Cur morbus non ſit trium primorum.* 72. *Tria prima non eſſe corporum principia.* 73. *Sunt ultima, id eſt, principiata.* 74. *Paracelſi inconſtantia.* 75. *Neſcius fuit, undè ſal urina.* 76. *Eſſentia diverſis modis dicitur.* 77. *Eſſentia chymica.* 78. *Quadam homogenea non edunt quintam eſſentiam.* 79. *Vis major quibuſdam eſt ſimplicibus, quàm illorum extracta eſſentia.* 80. *Paracelſi temeritas.* 81. *Putredo etiam alibi fragrantiam generat.* 82. *Quid propriè ſit quinta eſſentia.* 83. *Liquor fœcundans plantas.* 84. *Oleum eſſentiale aromatis, ſive craſis ejuſdem, quomodo fiat Elixir ejus, centuploque potentius.*

1 Poſtquam jam elementa, complexiones, qualitates primas, & tandem Tartarum, perperàm in cauſas eſſentiales morborum,

eſſe introducta à Scholis tam Antiquorum,
quàm Modernorum demonſtraverim. Pergo
docere tria initia Chymicorum, nuperque in-
troducta in artem medicam, falsò in eſſentiales
morborum cauſas intruſa. Quid ergò agent e-
munctiores medici, dum ſat liquidò, nedum re-
mediorum ſuorum miſeram adſpiciunt ſupel-
lectilem: ſed etiam infauſtas ægrotorum eju-
lantium opitulationes? Adeò ut ſeriò, ſecretóq;
mihi faſſi ſint pluries, nil amplius ferè ſuis co-
natibus obedire, omnemque tam acutorum
morborum (de Chronicis namque jamdudum
animo deſponderunt omnes paſſim) quàm mi-
nimorum quorumvis ſanationem, revera nil ni-
ſi curam palliatricem, ſive meram ægrorum im-
poſturam eſſe, ad quam nimirum niſi ſpontanea
ſuccedat, ægrorum naturæ quædam velut reſur-
rectio, remediorum deſtinatum, certumque ſo-
lamen fruſtra exſpectatur. Quinimò hinc fa-
ctum, quod multa anus, paſſim curando quoſ-
dam defectus ſit longè felicior, quàm ſit tota
Schola medica cum cunctis ſuis theorematibus
ſermocinalibus, præſcriptionibus theoricis, diæ-
tæ culinariis præceptis, longa interitus proxi-
morum experientia, & diſpenſatoriorum ſuo-
rum multiplicitate confirmatis. Igitur cum jam
dudum laſſati ingenioſiores, in correctione in-
temperierum, humorum expulſione vana, jam
aliò vergunt, quærentes à naufragio portum, fa-
cilè à Theophraſto Paracelſo ſeducti, inclina-
runt ſua ſtudia, ut quod apud Græcos, atque A-
rabes nondum repertum eſt, inveniant alibi fe-
licius. Hinc nempe ad Tartari figmenta, prono
caſu devoluti ſunt, at ſanè illorum curioſitas
magni habenda eſt. Nam etſi ad optatum non
pervenerit. Non eſt volentis, nec currentis: ſed
ſolius miſerentis Dei. Itaque jam Scholæ jure:
& foro cedunt nam quid agent, ſi non ex ele-
mentis, qualitatibus, contrarietatibus, humori-
bus, Aſtris, ventis catarrhiſque, conjuncta radix
morborum, & ſanandi methodus, ſit depromen-
2 da? At cum moderniores Paracelſi aſſeclas, alii
medendi typi poſſederint: ſedulo adhuc inve-
ſtigandum eſt, ſi morborum cauſæ Paracelſo e-
notuerint. Etenim cum ipſe rejectis veterum
documentis, ſatis deprehendiſſet, nil funda-
menti aut veritatis eſſe in complexionibus &
humoribus, cœpit variè nutando cauſam proxi-
mam morborum inquirere, ipſique poſteritas
proindè laudem debet. Etſi rem acu non teti-
gerit, id vitio verti nequit, ſi Altiſſimus dono-
rum Diſpenſator, diebus Paracelſi, nondum
3 veritatem dignatus ſit aperire mortalibus. Hic
vir ergo à Baſileo Valentino didicerat, per di-
ſtillationem à pleriſque corporibus ſeparari a-
quam, oleum & ſalem, cœpit hæc tria vocare,
nedum entium corporalium prima initia uni-
verſalia: verùm etiam intra morbos, & meden-
di neceſſitates, ſic introduxit, ut omnes morbos
immediatè in aliquod è tribus illis primis refer-
ret. Idque ſic ſuos penè dementavit, quod ab-
jecta veritatis indagandæ ſpe, cuncta tribus pri-
mis conſecraverint. Quæ doctrina ſuas fixius 4
radices egit, quod actualiter è pleriſque corpo-
ribus ſeparentur tria, adeoque non inſtar hu-
morum, fictis initiis ortorum, eſſent indemon-
ſtrabilia. At ſanè abuſus fuit detectus, dum ad 5
morborum quorumvis primordia, hæc tria ini-
tia detorta fuere. Enimverò quia multa corpo-
ra, per ignem diſſoluta, ſalem, ſulfur, & liquorem
(quem Mercurium indigetant) de ſe darent, pu-
tatum eſt, morbos omnes, illis initiis conſtituti-
vis, ſuam debere nativitatem. Hermes inprimis 6
ante natam Græcorum induſtriam; quia in Py-
mandro, omne trinum perfectum notaverat,
conſequenter quoque in Chymicis, metalla
duobus conſtare extremis, (corpore nimirum,
atque anima) prævidit; quæque non niſi leno-
cinio cujuſdam tertii, ſive ſpiritus, cohærere
voluit. Diſtinctius deinceps ſcripſit Baſilius
Valentinus, Monachus Benedictinus, Animam
metalli, ſulfur, ſive tincturam nuncupavit, cor-
pus verò ſal, ac tandem ſpiritum dixit Mercu-
rium. Quæ ſic à Baſilio mutuata, deinceps in
cuncta corporum principia, mirifica indagi-
ne, tranſtulit Theophraſtus Paracelſus, uno
plus ſeculo, Baſilio junior. Cujus doctrinam, 7
ſuppreſſo Auctoris nomine, in ſe rapuit, & in
ſpeculationes medicas propria introduxit li-
centia. Ita nimirum, ut poſtquam omnem mor- 8
bum in catalogum Tartarorum relegaſſet, non-
dumque ſuo ſatisfeciſſet ſcrupulo, tandem ſuum
Paramirum, de tribus entibus primis, mul-
ta audacia adornat. Confingit quidem hæc
tria, omnium velut initia, ac multa, in gene-
re, de morbis declamat; At neceſſitate coactus,
dum morbos in claſſes primorum trium, re-
digeret, ſub ſarcina depreſſus ſiluit. Præter- 9
quam in ulcerum familia, ubi ſalem ſibi viſus
erat reperiſſe: ſaltem utrobique in duobus aliis
initiis, manſit penurioſus, ac penè ridiculus.
Iuſſerat enim ubique credi quatuor elementa, 10
non niſi matrices incorporeas, ac velut corpo-
rum hoſpitia: prima autem initia, ſic vices
corporum ſupplere, ut & mundi elementa, ex
iſtis tribus, omnem ſubſtantiam & ſubſiſten-
tiam

tiam dumtaxat habeant. Alibi quoque horum
immemor, totus elementis inhæſit, horumque
complexionibus, aſtrorum denique atque hominum
inclinationes, proprietateſque addixit.
Singulis quoque elementorum ſuos dicavit
fructus, fructuumque gradus, non autem uni
elemento omnes: neque amplius ab incorporalibus,
tanquam matricibus, prodeuntes
fructus: ſed quod hi ſua mutuarent corpora,
ab elementis ipſis materialibus. Tandem eadem
mutui libertate; & inconſtantia, corpora
nunc in quatuor, nunc verò in tria tantùm,
11 per Analyſim, fatiſcere docuit. Pyrotechniam
equidem ſic in medicinam introducendo, decoravit,
æternum ut nomen ſibi anhelans, &
futurum ſperans, quod Monarchæ Arcanorum
titulo quandoque ſuperbiret. Prævidens Baſilii
doctrinam, non vulgo notam, ideo Auctoris
tacito nomine, ſuam fecit, hactenuſque
ſuos tomos ampliavit. Quapropter ſuus Tartarus,
ſubinde dominium univerſale in morbis
amittens, ſuppreſſus incurrit, trium primorum
12 legibus ſubactus. Quæ tandem ſua tria
prima, auſus incremento, voluit, ut etiam omnium
morborum matres, atque matrices, tam
mentis quàm entis fierent. Hoc ſcilicet dumtaxat
ſuum, & non Baſilii inventum fuit: quodque
dum turmatim in morborum ſeries ſpargere
niteretur, quandoque confuſè eſt aggreſſus;
ſæpius tamen iterum prætergreſſus, latæ
13 ſuæ doctrinæ ubique oblitus. In Archidoxis
namque libellum dicavit ſeparationi elementorum,
ex flamma, aëre, aqua, & terra, educendi.
Atque hactenus ſuam, de tribus primis,
deque matricibus elementorum doctrinam impugnavit,
quod jam quatuor eſſent initia, non
amplius tria prima, & ultima, in quæ longo
tandem labore, tria prima, velut elementis
poſteriora, nec ſic jure prima amplius, deducerentur.
Etenim & ſic uno ditata numero,
longè plures, quàm nuper, morbos gignerent,
quàm dum Monarcha ille prætentus, tantùm
tria mandabat, tam corporum, quàm morborum
eſſe principia. Enimverò ſolum atque
tandem unicum Tartarum, omnium pænè
14 morborum cauſam, ut reum, accuſat. Alibi
verò, peculiaribus aliquot tractatibus omnium
morborum fabrum, aſſiſtentem, & cooperantem,
vocat Cœlum, parentem iratum, atque
vindicem. Incognitam enim ſtellam (zedo)
immediatam, & continentem hydropis cauſam
ait. Sic tabis, podagræ, Apoplexiæ, &c.
ſuam peculiarem (anonymam tamen) ſtellam,
ſuamque, cuique Epilepſiæ propriam conſtellationem
affirmat. In Paramiricis verò, tria
prima omnium morborum immediatas cauſas
affirmat. Id eſt, Omnia confuſa. Explicet,
& excuſet qui volet, Ego enim non dicavi
vitam meam interpretandis aliorum ſomniis.
Indagavi itaque ſeriò naturam, & ſpecies 15
morborum, & contigit mihi non ſecus,
quàm aliis ante me omnibus, donec exutis omnium
Authorum doctrinis, gratiam divinam
ſeriò imploraſſem. Tum enim repentè ſcivi,
cuilibet morbo ſuam obtigiſſe materiam, quæ
proprium ſibi Vulcanum foveat intus, qui etſi
ſiderum curſus quandoque imitetur; non tamen
ab Aſtris enormontica cauſa ejus dependeret.
Poſſident namque ſemina quæque, velut
ſuam Remp. lumen præcipuè ſuum vitale,
quo, virtute propria, ſiderum analogiam referunt.
Ridiculum eſto. Tabem, aut hydropem,
licet ſub diverſis poſitionibus ſeverius mitiuſque
concitentur, ab ſiderum motu atque lumine
patrari: quas alioqui tam clara ſordium
collegia manifeſtà occaſione generant, quibuſque
ſublatis, ſanitas, etiam extra ſiderum veniam,
ſequitur. Cujus doctrinæ exegeſim libro
de Peſte, atque alibi, apud me leges. Materias
autem morborum, cum ſuis ſeminariis
Vulcanis, à prima uſque ad ultimam, ſum proſecutus
cum omnibus dualitatibus, & alteritatibus,
reſpectu vitæ humanæ. Faxit Omnipotens,
ut quantum mihi elargitus eſt, in ſui
honorem, & proximi utilitatem nudè referam,
aliumque me potiorem mundo donet. Paracelſus 16
enim varios libros de vita longa condidit,
ſibimortem elegiſſe, ex privilegio divino,
ſenectutem ſuam ſe ſolaturum, Elixire
proprietatis, non autem remediis ad vitam
longam à ſe præſcriptis; qui extinctus eſt anno
47 ſuæ ætatis. Tanta ideò hujus viri jactantia,
& inconſtantia, me parum ſollicitum
habuere hactenus. Interim plures difficultates 17
me dudum anxium tenuere circa tria prima,
donec divina ope fretus ſciverim, ligna &
herbas ſine omni capite mortuo diſtillari. Mirabar 18
enim pridem, quod è carbone mellis
nullus cinis, & per conſequens, nec cineris
ſal, haberi poſſet. Quæ poſtmodum per univerſalem
corporis analyſim, lubens aſpexi. Satis
enim fuit Paracelſo, omnia ſub dubio involuta
deſeruiſſe, qui tenui hauſtu alterius inventum
biberat, ac nondum in alimentum
converterat, ſuumque è peculatu faciens,
è nido, antè plumas ſufficientes, volare

19 ad Monarchatum contendens, lapſus eſt. Inventi
enim gloriam ad ſe rapiens, complacuit
ſibi, unum idemque pluries ſparſim redixiſſe,
licet interim in ſuis parvum progreſſum faceret.
20 Ridiculum eſt quippe, ac fabulæ inſtar, ſulfur
in nobis diſtillari, ſublimari, reverberari,
calcinari, reſolvi, & hinc varios morbos cauſari,
ſolo nempe viri auſu, ſine pignore, aut
vade, majoris ſe authoritatis. Non novit enim,
nec audet morbos in Eximolegeſim trahere,
nondum plenè ab Inventore ſuo ad hoc
commiſſus. Puerile eſt quoque ſomnium, quod
ſal in nobis diſtilletur, ſublimetur, calcinetur,
circuletur, aliàque tormenta ſubeat; aut
quod Mercurius hæc in nobis examina ſuſtineat,
atque pro ſingula variationum alteritate,
alios morbos, dolores & defectus, pariat
ſingulariter, alioſque rurſus, cum aliis
ſodalibus duobus initiis complicatus, vel diverſis
gradibus atque doſibus larvatus. Nugæ
ſunt item, quod Mercurius, propter eximiam
ſubtilitatis circulationem, foret mortis
omnis ſubitaneæ cauſa: quam ſuis cauſis conſtitui,
21 curare, & præcavere novimus. Inprimis
namque, quotidie aliquot unciæ cruoris,
alendo difflantur, ſine capite mortuo,
dolore, & defectu, imo abſque ſenſu, dum
tranſeunt, & qua tranſeunt: Quicquid verò
ſpecie aquæ, Mercurii, ſudoriſve inſtar, ſemel
expulſioni dicatum eſt, quicquidve ſemel
alendo cenſum fuit ineptum, vel præſtitis
jam ſemel alimoniæ muniis, eſt difflationi
deputatum: Id nunquam deinceps in nobis
diſtillatur, ſublimatur, calcinatur, aut circulatur.
Naturæ enim opera, ſunt nimis ſeria,
22 quia DEVM ultimatè reſpiciunt. Non
enim natura pila ludit, ut excrementa, ſemel
à vitæ commercio avulſa, iterum in gratiam
recipiat. Nunquam in idem punctum
23 redit, quia pergit, & non feriatur. Denique
ſi liquor aliquis centies rediſtilletur aqueus,
proinde acrior erit, aut ſubtilior, quin potius
ſenſim exantlato ſemine vitæ mediæ, magis
magiſque ad ſimplicitatem elementi migrat.
Non enim aqua pluvia, quæ modò decidit
ſupernè, ſubtilior eſt, quàm quæ initio creationis
pluit. Quod ſi aqueum aliquid noſtro
exhalaret tepore, & ſomniatis reditibus acrimoniam
nanciſceretur, ea non eſſet ſubtiliationis
24 Mercurii, ſed adjuncti culpa. Demiror
ſanè, quod tantus Chymicus ignoraverit, quod
cruor non circuletur, nec ſubtiliationum circulos
ferat in nobis, quodque non ſupra Lunæ
curſum unicum in nobis perſeveret, quodque
ideo mulier perſolvat effœti cruoris vectigal.
Quippe quæ plurimo cruore abundare
debebat, tam ad fœtus augmentum, quàm lactis
ſuctum. Vt autem Paracelſus figmentum 25
ſuum melius obumbraret, ſupponit unum ex
tribus primis ſeparatum, illicò ex natura microcoſmica
aſſumere actualitatem in fortuito
alicujus, & unius entis de infinitis, quorum
myriadum ſemina, in unum collecta, continebat;
ideoque propter monſtroſam & peregrinam
nativitatem, hoſtile nobis eo ipſo eſſe, &
morborum cauſam fieri. Adeoque ad minimum
decuplo plures morbos in nobis poſſibiles,
quàm ſint ſpecies earum in animalibus,
plantis, mineralibus atque ſtellis, nimirum totidem,
quot ſunt ſpecies ſalium, ſulfurum, atque
Mercuriorum, illorumque complicatorum
in natura. Edicto inſuper cavens, ne quis ſe
temerè ad medendum ingerat, qui non ſigillatim,
certò, propriè, atque diſtinctim, cuncta
intimè & extimè noverit, per cauſas, eſſentias,
ſpecies, proprietates, proportiones,
alteritates, atque defectus. Vt quiſque credat, 26
ſe Paracelſum, qui hæc docet, ſigillatim hæc
quoque univerſa ſic noviſſe. Prætereà vult nos
microcoſmum ad amuſſim referre, atque ideò
tria corporis noſtri initia totidem morbis morbos
parere, quot ſunt creatorum entium ſpecies.
Præcipitat namque medendi ſcientiam &
Tyrones, in millenas confuſiones, obſcuritates,
ignorantias, & impoſſibilitates, unam tantùm
ob culpam, ut videatur ſcilicet omnium
gnarus, & ſomnia ſua putentur vera. Cognovit 27
quidem facile, Scholarum medicinam inniti
falſis fundamentis; neque enim ideo difficile
ſibi fore, ratus eſt, funditus Scholas evertere.
Quocirca nomen Monarchæ in medendo ſibi
meditatus eſt: ſed cum ad deſtructionem facilem
viam putaret, ad ædificationem ſaltem tanti
principatus, ſibi defuere vires in tanto idiotiſmo.
Tria ergo initia propterea in morbos introduxit.
Ita eſt. Inveniuntur quidem illa tria
in multis corporibus: aut (ut diſtinctiùs loquar) 28
ſaltem è multis ſeparantur tria: ſed virum deluſit
abſurditas quædam inconſiderati auſus,
quia non conſideravit rei impoſſibilitatem pro
morbis. Eo quod nuſpiam, ſive in nobis, ſive
alibi, ſint ſeparata, vel ſeparabilia illa, niſi cum
integri corruptione, & quidem per ignem.
Quorum tamen ſequeſtratam œconomiam
morbos parere nobis cenſuit. Quippe primorum 29
eſſentiæ connectuntur in nobis, per vitam
medi-

mediam eorundem, cujus attamen ſub dominio
coërcentur, manentque ſemper; id quod
30 ſunt. Inprimis enim ſal ipſum fefellit, ut inſulſus
fieret, eò quod ſuum conceptum Paracelſo
confirmaret, in lotio, ſudore, & lachrymis. Nil
attendens, iſtum ſalem non eſſe ex tribus primis
noſtri corporis: ſed merum excrementum,
tranſmutatorum ciborum ac potuum. Hinc
itaque erectus in credulitatem, putando eſt abductus
in errores. Adverterat enim, vulnus
malè medicatum fundere aquam ſalſam, proprium
corporis laticem, ſale alieno imprægnatum,
vel ipſum cruorem per ſui totum degenerare,
ut in ulcere, Hydrope, &c. atque hinc copioſam
meſſem ulcerum, & morborum, pro ſale
collegit, quem deceptus exiſtimavit unum eſſe
ex tribus, & non totum ſimul cruorem, in ſalſam
aquam converſum, citra ſulfuris aut Mercurii
ſeparationem, per tranſmutationes erroneas.
Cenſuit itaque quot ſalis, totidem vices Mercurii,
& pars quoque ſulfuris eſſe, ſibique ſupellectilis
ſatis fore confidens, prædicamentum
morborum lubens deſignaſſet. Sed impar oneri
31 manens occubuit. Atqui erronem ſuum detexiſſet,
niſi audendo magna deceptus. Etenim
ſive ambitionis ſpe, præoccupationumque præcipitio
examinare debuiſſet, ubi ſulfur reſiduum
moraretur, ſi ſal in ulceribus, in hydrope,
&c. tam copioſa ſeparatione, à toto cæteriſque
duobus ſodalibus avelleretur. Suæ quoque
doctrinæ (licet erroneæ) oportuiſſet eſſe
memorem, qua ſalem è nobis fluidum, & intus
præſentem, merum ſalpetræ Cagaſtri vocat.
Adeoque nedum carnes, & cruorem: ſed & totum
corpus, cum vita eſſe ſaliſpetræ, & Cagaſtrica,
perſuadere conatur. Cruor enim (ut aqua
omnes fructus edit) totus ſimularis, venenoſo
aut peregrino fermento imbutus, nunc
in ſalis, tum verò in varias ſtercorum proles degenerat,
ſine ulla Mercurii poſthumi, aut ſulfuris
32 memoria. Denique ut Paracelſus ſuam morbis
inveniat cauſam. Per exemplum: febrim
non rarò definit terræ motum microcoſmi;
quem tremorem terræ quandoque definit, eſſe
caducum noſtrum. Aliàs autem terræ tremorem,
tremoribus ſuffito Mercurio natis, attribuit.
Alibi iterum febrim definit morbum ſulfuris
ac nitri; jactitans cauſam, ſimul ac remedium,
ſuæ iſti eſſentiali definitioni ineſſe. Enimverò
ſub apoſtemate ulcerato, non rarò totum
corpus in ſe obeſum, fit velut ſceleton, nec quicquam
præter pus excernit. Sic vi laxativorum,
ſæpè totus repente habitus liqueſcit in putrilaginem.
Quod per Medentum artem fit, hoc in
Diarrhœa per defectum. At ſaltem idem utrobique
venenum, aliter tantùm applicatum, &
contemperatum. Hydropicus quidem zonam 33
habeat octo pedum, per empiricum autem uno
die, & potu ſolvebatur hydrope, pendebatque
aqua fortè ℔ 40. perendie autem venter ejus
mox rurſus, ad priſtinum tumuit, & poſt paucas
horas obiit. Reſiduum nimirum, nil niſi pellem
& oſſa præ ſe ferebat. Quia caro & ſanguis
confeſtim in aquam ſalſam hydropis ſimul migraverant.
Idque mirum in hoc homine vidi.
Quod hodiè venter planè detumuiſſet; & cras
iterum ad tumoris, tenſionis, & duritiei priſtinum
terminum rediret, & tum moriretur. Si itaque
ſalis iſta myria unum erat ex tribus initiis,
neceſſariò ſaltem 40. ℔ ſulfuris ſuperfuiſſent
ſpectabiles. Vlceroſa quercus continuam plorat
aquam ſalſam, & carie tabeſcit: ſi verò ſal
iſte, unum ex tribus initiis quercus eſſet: ſanè
inſtar tædæ quercus pingueſceret, nec tabeſceret
exſucca, carioſa, & culinis propemodùm
repudiata. Non itaque deſtructionis morboſæ 34
teſtantur hæc initia: ſed totum corpus variè
affici, liqueſcere, atque putrefieri, pro ductu
variorum ſeminum, & fermentorum. Didicerat
enim id ex Galeno, putante, quod cruor
conſtaret ex totidem ſimplicibus, in quot reſolveretur.
Miror ergò inconſiderationem Paracelſi, 35
quod non ſciret, tria prima nunquam ſeparari,
niſi per ignem, deſtructa eorum vita ultima,
retento ſymbolo ſeminis vitæ mediæ.
Non autem eſſe tria ideo initia dicenda, nam
fiunt, adeoque naſcuntur. Multoque minus initium
corporum cenſenda ſunt, dum integrum
ductu alieni ſeminis retroit per tranſmutationem
in aliam naturam. Neque enim vir ille vidit
unquam tria prima, alicujus concreti, ullo
caloris gradu in vivis apparuiſſe, nec aliàs, niſi
per ignem facta, & extorta. Indignor etiam,
quod neſciatur, manentibus iiſdem primis, materialiter
ſub eodem pondere, eſſe tamen variis
tranſmutationibus ſeminum obnoxia. Relapſus 36
eſt quodammodò in errores Galeni, putantis
eſſentialiter elementa in miſtis permanere. Sic
nempè tribus deluſus principiis ſuis. Vtriuſque
enim idem defectus utrobique in principiis
philoſophicis: quæ docent vitam ſolam, operari
in corpore vivente, & in corpus. Formas 37
verò ſubordinatas partium integralium, etiam
trium primorum (ſi hæc inſint, antequam fiant
per extractionem) à forma ſive vita ſuperiore,
coërceri ſub unitate Archei: quod tria prima
nun-

nunquam appareant, operenturque, multò minus
peccent diſtemperie, aut morboſa ſint, niſi
prius ſoluta obedientia, Archeo debita: id eſt,
ſeparata fuerint per ignem, eorumque vita ultima
deſtructa, cum perſeveratione non totalis
ſeminis: ſed tantilli, vitæ mediæ concreti illius,
cujus proprietates æmulantur ſingula illorum
quodammodò, dum ſunt facta ens per ſe
38 ſubſiſtens. Hoc enim ignorato, putavit Paracelſus,
omnem poteſtatem, atque operationes
formales rerum, immediatè dependere, ſic ex
eſſentia trium primorum, quod vegetabilium
proprietates deſcripſerit, quatenus continerent
talem Mercurium, ſalem, aut ſulfur, eaque cuncta
pro ſuo lubitu. Quaſi hæc initia, ſub Archeo
formali clauſa, operarentur, feriante vitali
Archeo. Galenus enim omnia elementis: cui
ſuccenſus proindè Paracelſus, cuncta tribus adoptivis
ſuis initiis tribuit. Inſtar Agyrtarum,
qui oleum, vel emplaſtrum unicum nacti, illud
efferunt ad omnes prorſus morbos, atque
alios inſuper plurimos valere. Non inquam attendit
Paracelſus, plumbum, quamdiu plumbum
eſt, alias vires habere, quàm dum in ſulfur
39 atque Mercurium mutatum eſt. Etenim aqua,
oleum, & cinis, clauſa in lagena, non operantur
extra vas continens. Lagena quidem ut
talis, operatur; non autem quatenus tria continet,
quæ ex ſe poſſent ſeparari. Sic quoque
cenſe de tribus, quantiſper ſub vita communi
40 clauſis. Paracelſus itaque, tametſi propinquius
Galeno naturam indagaverit, quatenus è corporibus
multis tria quædam actualiter eliciuntur,
quod fictitiis elementis ac humoribus non
evenit: uterque tamen in hoc ceſpitavit, quod
ſuas putationes in morbos introduxerit. Cum
alioquin in nobis nil ſentiat ægritudines, præter
ipſas vitales poteſtates. Vita autem per
ſuum Blas ſeminale, materias movet, & alterat,
nihilque materialiter nos intus lædit, quod
non ſit hoſtile, alienum, & excrementum reſpectu
vitæ, adeoque nequit eſſe ex ſuis pri-
41 mis adoptivis. Nec enim tria illa ſubſunt originaliter
ac immediatè vitæ totius: ſed vitæ
mediæ ſeminis illius, cujus fuiſſe dicuntur tria
initia corporalia. Nempe, tria prima carnis,
ſanguinis, cerebri, &c. non ſubſunt immediatè,
imperio totalis Archei: ſed muniali concretorum
balſamo ſeminali. Idque non ante illorum
manifeſtatam nativitatem. Morbi itaque non
debent originem, aut nativitatis ſuæ cauſam,
nativitati trium primorum, aut alicujus ex iis.
Quippe nequeunt eſſe, agere, aut lædere, niſi
ſeparata prius ab invicem, deſtructaque integritate
totius (per mortem) in quo continentur
potentialiter. Si autem eſſent ſeparata, ut queant
lædere, ac nocere: certè id factum eſſet
ab aliquo morbo & agente interno præter naturam,
& priore. Itaque ſeparatio illorum trium
ab invicem, nunquam poſſet eſſe niſi productum,
adeoque & morbo poſterius: nec prius
appareret, niſi ſuppoſito morbo. Ergò non eſſet
morborum cauſa occaſionalis proxima. Et- 42
enim tametſi tria prima non ſint cauſæ morborum,
hoc tamen non arguit, quò minus ſal,
ſulfur, ac Mercurius rerum, ſint morborum
pharmaca. Non eſt enim requiſitum, ut remedium,
& cauſa externa morbi, ſymbolum habeant.
Vtut ſic tamen Paracelſus juſſerit, quo
oppugnaret Galeni axioma: Contraria contrariis
curantur. Toxica namque non ſymbolo veneni:
ſed vincetoxico ſuperantur. Dona enim 43
DEI ſunt illæ poteſtates medicæ, quæ nec in ſe
mutuò, neque in morbos, contrarietatem, aut
hoſtilitatis characterem gerunt. Sed unumquodque
agit ex dono, quod agere juſſum eſt.
Quinimo corpora, mole, clauſura, ſordibus, &
impedimentis liberata, nobiliſſima dona explicant,
& præſtantiſſimas dynames. Prout alibi 44
copioſius. Porrò ſat jam, ſuperque demonſtratum,
naturam non pati quatuor elementa. Nec
illorum admittere congreſſum, ad corporum
concretorum conſtitutionem, & conſequenter
nullam eſſe elementorum contrarietatem, &
velitationem, ad morbum vel remedium. Sequitur
indè etiam, nullam proprio nomine dici
quintam eſſentiam, ſi quintum dicat neceſſariam
relationem ad alia quatuor. Eſt ergò inventum
quintæ eſſentiæ chymicum quidem:
ſed philoſophorum, qui ante me ignorarunt elementorum
numerum, eſſentias, & miſtionis
nullitatem. Quæ ſi Paracelſus ſciviſſet, haud dubiè
eſſentiam, quam quintam vocat, quartam
nuncupaſſet, reſpectu trium primorum. Putavit
nimirum corpus unumquodlibet conſtitui, prout
& reſolvi, tam arte, quàm naturâ, in hæc tria, &
nil præterea ſupereſſe. In tanta enim novitate
inconſtans neſcivit, cuinam lateri ſe præcipitem
daret. Subindè namque elementa negat
corpora; ſed vocat inanes vacuaſque matrices,
loca & ſedes corporum: corpora autem omnia
eſſe nil niſi tria prima, non autem elementa.
Alibi verò antecedentium gregem ſecutus, docet
elementa in ſingulis corporibus ſupereſſe,
reperiri, atque inde ſalva educi. Ita ut illorum
eſſentiæ & corpora in miſto permaneant, tantùm

per

45 per miſtionem conglomeratæ. Certè tam in tribus primis quàm eſſentia quinta, non minus jejunè Paracelſo hodiè eſt ſubſcriptum, quàm fuit hactenus elementorum, miſtionum, & complexionum fabulis. Nupero enim ſæculo cœptum eſt ſine indagatione, novitatibus plauſibilibus invento Paracelſico, fidem atque nomina dari. Quanquam hactenus neminem viderim, legerim, vel audiverim, qui potuerit, multoque minus auſus fuerit, tria prima è corporibus adæquatè ſeparare. Quapropter hanc propoſitionem ſtatuo.

46 Tria prima inventum ſunt nuperum, contra naturæ & rei veritatem.

Theſis prima.

Licet è quibuſdam tria prima, pro parte per
ignem eliciantur: non tamen id fit per ſepara-
47 tionem eorundem præexſiſtentium: ſed quate-
nus per tranſmutationem ab igne factam, ibi-
dem generentur, tanquam nova entia, fiatque,
quod non erat antè.

Secunda.

Surculus arboris adhuc herbaſcens unius li-
bræ, vix dabit olei drachmam: qui ſub Octo-
brim ligneſcens dabit circiter drachmas ſeptem
48 olei. Ac tandem in Februario pòſt, dabit ferè
binas uncias olei: & quintuplo plus carbonis ac
cineris, quàm antè in Auguſto.

Tertia.

Quæ ab initio conſtitutiva non inerant, non poſſunt eſſe prima: ſed ipſamet fiunt, & commutantur in invicem, ut poſteriora, ſeminum directionibus factitia, atque oriunda.

Quarta.

Aqua elementalis fit oleum in vegetabilibus,
animalibus, & ſulfuribus: item omne oleum
49 cum adjuncto, facilè reducitur in aquam. Prin-
cipia autem cæterorum prima, non poſſunt
commutari in invicem, aut eſſe deſinere, id quod
erant antè.

Quinta.

Quædam corpora non continent tria, ſed unico vel duobus tantùm ſunt contenta.

Sexta.

Sunt corpora quædam, undè uſitatis hactenus artificiis nunquam fuerunt ſeparata tria, quæ adæquato pondere, corpori, undè ducuntur, æquilibrent ſemper.

Septima.

50 Quædam corpora ſunt omnino immutabilia, & inſeparabilia, nec continentia dualitatis. Iuvat hæc, in gratiam Tyronum, alienis commentis facilè ſubſcribentium, paulò accuratiùs explanare. Inprimis enim ligna continent aquam, & oleum: non carbonem. Qui non inerat, ſed producitur per artem. Nec inerat niſi materialiter, potentialiter, remotè. Nec unquam niſi per ignem indè fieret. Carbo denique, niſi aperto flagret igni, nunquam tantillum mutatur, tantum abeſt, quod in cinerem aut ſalem vertatur. In carbone, flagrat quidem pingue aliquid, quod immediatè & materialiter reducitur in Gas, nunquam ſpectatum. Hoc Gas tandem migrat in aquam. Sed quamdiu Gas eſt, & ex concreto, ſive carbone eſt ſeparatum, non eſt ſulfur (nam per cremationem abſumtum, & tranſmutatum) non ſal aut Mercurius (nam iſta non in Gas incoagulabile, ſed in Mercurium & ſalem redirent, ſi prima & conſtantia eſſent rerum primordia) ergò aliud quiddam, extra tria illa. Cæterùm, nec totus cinis è carbone reſiduus, ſal eſt. Quoniam demto ſale lixiviali, id quod remanet, nullo poteſt igne calcinari, ut neque verti in ſalem, ſulfur, aut Mercurium. Sin autem per additamenta in ſalem vertatur: ſignum eſt, quod fiat, non autem ſit ſal, adeoque principium naſceretur. Ergo ſal in cinere, non per extractionem, aut ſeparationem, abſumtis per ignem duobus aliis, conſurgit: ſed per tranſmutationem in novum ens, quod antea non erat. Non enim rei ineſt, quicquid ex ea fabricatur. Sic enim pani ineſſent ſanguines, & oſſa, diverſorum generum, & ſpecierum. Nec enim marmor continet vitrum, licet ex marmore, cum adjuncto, vitrum fiat. Aliud eſt namque diſputare de tribus iſtis, tanquam totali rerum materia, actualiterque rem conſtituentibus; atque longè aliud, quod in ſemine inſit arbor, vel in pane, piſcis, os, vel cartilago. Non enim corium, aut lignum, lapis ſunt, etſi quibuſdam fontibus petrificentur. In tranſmutatis namque finis, ſpecie ſaltem à ſeipſo, in initio motus, differt. Demonſtravi quoque aliàs, Alcali fixum in vegetabilibus non præexſtitiſſe: fixari verò cremando. Quapropter doctrina Primorum non ſatisfacit, quod nedum naturam ſubter violentas regulas cogat: ſed quod ſi prima ſint, & initiandi meritum obtineant, debent eſſe ſtabilia (quod nec Ariſtotelem latuit) neque unum in aliud mutari poteſt. Etenim ſi lignum, ſale, oleo, aqua & cinere conſtet, ex cinere, per ſalem ipſum cineris, ſal paretur, oleum etiam omne diſtillatum, in ſalem fit mutabile, ut & in aquam per adjuncta, ſitque iſtorum trium tanta inconſtantia; ergo potuerunt quoque fieri per ignem in ſeparatione, & concreti

51 deſtructione. Neceſſe eſt in corporibus unum primum, atque ultimum, materiale, reale initium ſtabilire, quod eſt aqua: non autem tria, quippe quæ ſoboles ſunt ſeminum, corporum ex aqua concretorum. Alterum deinde principium motivum, & effectivum, quod eſt ſemen eſſentiale, ſive ſeminis ipſa eſſentia Archealis, differens à forma rei. Quod hæc non habeat initiandi rationem, quippe quæ ipſamet generando generatur, tanquam generationis ſcopus, qui ſenſim per diſpoſitiones pervias perducitur ad perfectionem entis, ſimul cum generationis fine. Hæc ſunt duo corporum omnium principia, ut & cauſæ. Nam ſi res quæque per cauſas eſt, & principiatur, vanum eſt, alias cauſas, atque alia rerum principia, more Ariſtotelis, credere. Principia ergò ſunt, quæ nulla unquam viciſſitudinum rotatione, in ſe invicem labuntur. Prius namque eſt ſtabile, perpetuum, corporum reale initium, ac fulcrum, ſeminariumque. Eſtque ultimum, in quod defunctæ rerum tragœdiæ redeunt. Non autem ficta, ignava, & impoſſibilis hyle quæpiam. Alterum verò, eſt initiandi motus principium, cum omni proprietate rerum, ſub ſcena ſua agendarum. Enimverò cum ſpecies in genera nuſquam ſolitaria exſiſtant, ſintque ſola individua, quæ ſunt, & actu reali ſubſiſtunt. Oportuit principia eſſe realia, & individualiter exſiſtentia. Ita quidem, ut materiæ univerſalitas ab efficientis activitate individualiter determinetur.

52 Quamobrem dato falſo, quod nimirum cuncta corpora in tria illa reducerentur, propriæ diſſolutionis motu: non tamen inde adhuc conſequens, hæc tria eſſe corporum initia. Quia immediata corporum reſolutio non arguit principia, ſed materiæ ultimatæ heterogeneitatem. Eſtque ultimæ materiæ poſtrema reſolutio, teſtis dumtaxat ſeminum corporis concreti: non autem principiorum. Nec denique ratio ulla eſt, cur tria dicantur prima, ſi tria in duo, ac denique in unicum redire, aut reduci poſſint. Imo, etſi in initio tria ſpectarentur corpora, in ſe mutuò tranſmutabiliter tranſeuntia, proinde tria cenſenda eſſent, potius quàm duo: ſi mox abinde de tribus, duo tantùm fieri queant. Tria ergò ubi inveniuntur, non ſunt materialia corporum initia: ſed thori ſeminum. Quibus exantlatis, cuncta ſponte redeunt in primævum aquæ elementum.

53 Cæterùm quod non in quibuſvis corporibus contineantur illa tria, adeoque non ſint principia neceſſaria: patet, quod Mercurius è metallo eductus, ſit ita univocus, homogeneus, ſimplex, & indiviſibilis, quod ſit impoſſibile per artem & naturam, ut inde ſal aut ſulfur trahatur. Diviſibilis autem eſt Mercurius nunquam ulla ratione. Ex ſola videlicet aqua elementali, & virtute ſimpliciſſimi ſeminis mercurialis, coaluit in corpus indiviſibile, impenetrabile, & inſeparabile, quod inter generata par
non habet. Alioquin aquæ ſimile, quæ in ſe nul- 54
lo conſpurcata ſemine, conſimilem habet undequaque ſimplicitatem, & ſeparationis impoſſibilitatem. Quod autem quandoque elemento aquæ ſua tria tribuerim, id analogicè locutum eſt: quatenus præter ſpiritus abſtractos, nihil in corporibus ita ſimilare eſt, ut non juxta varias diſpoſitiones diverſimodè affici intelligatur, illaſque diſpoſitiones reſpicere aliquam heterogeneitatem entis, eſt neceſſarium. Sufficit enim, ibidem quoque monuiſſe, partes heterogeneas aquæ eſſe in ſimpliciſſimo elementi corpore, arte, natura, omnibuſque ſeculis indiviſibiles, atque realiter impoſſibiles, conſtantes ſimplicitate extrema. Itaque, licet ibidem tria prima aquæ vocaverim, non ſunt tamen tria compoſitionis, quaſi anteriora, aquæ initia: ſed tria heterogeneitatis. Quam heterogeneitatem, licet aqua lege, qua corpus eſt, contineat, ad minimum in diverſa mentaliter partibilem: cum tamen actualiter à ſe invicem diſtrahi ſit impoſſibile, tantùm conjecturæ locus eſt, ut quamvis iſta non ſint, verum ſulfur, ſal, & Mercurius, ſaltem iis quodammodò reſpondeant. Ergo in aqua non minus quàm in Mercurio, adeſt inſtantia, qua tria prima exin haberi ſeparata
negantur. Suſurros audire videor, quod pluri- 55
mos artificum offenderim, qui Mercurii oleum, ſalem vitriolum, & aquam plenis ſtentantur buccis; quodque illos mendacii arguam, vel impoſturæ, dum præfata pollicentur. Reſpondeo, impoſturam activam parere ſuum impoſtorem, vitâ & felicitate indignum: impoſturam autem paſſivam commiſeratione dignam. Sed qui fallaciam, qua circumveniuntur nondum deprehendunt, argumentantur primò.
Aurum (inquiunt) corpus inter ſublunaria lon- 56
gè conſtantiſſimum, diſſolvitur in heterogenea: ergo potiori ratione, etiam Mercurius. Stringunt nimirum à Minori ad Majus. Iterum urgent. Natura novit ex primis elementis componere Mercurium: ergò novit etiam deſtruere. Via autem compoſitionis, non eſt immediatè ex aquæ elemento facere Mercurium: ſed per diſpoſitiones intermedias materiæ; quæ diſſi-

milares ſunt: ita quoque via corruptionis in
Mercurio procedet per eaſdem diſpoſitiones retrogrado
paſſu, & materiæ heterogeneitate.
57 Quare tertio dicit Paracelſus. Materia rerum,
quæ non poſſunt per artem deſtrui, ſaltem deſtruitur
per naturam. Quia cuncta ſublunaria,
quæ non ſunt morti, ſunt ſaltem termino ſubjecta.
58 Ad primum reſpondeo: Quod aurum quidem
ſit corporum conſtantiſſimum in igne; ſed
ſuæ conſtantiam ſeparationis mutuat à Mercurio:
adeoque ſi ſulfur ejus includat dualitatem
heterogeneam, id Mercurium minimè attingit.
Mercurius enim purus, diſtinctus à ſulfure
combuſtibili (quod Mercurio vulgari plus minuſve
ineſt) reſpuit planè omnem dualitatem.
Id eſt dicere. Natura Mercurii includit perfectam
homogeneitatem. Ad alterum autem dico,
quod natura proceſſerit quidem à puritate
elementi aquæ, ad compoſitionem Mercurii:
nequeat tamen, ſemel admiſſo ſemine Mercurii,
incluſo in penetralibus aquæ redire ad deſtructionem
illius compoſiti. Eò quod iſtud ſemen
non ſit mortale, nec caducum, nec ſublunaribus
legibus obnoxium. ut inquit Paracelſus in
59 vexatione Chymiſtarum. Ratio autem immortalitatis
in Mercurio eſt, Quod ſemen & fructus
ejus, in conſtitutione Mercurii, ſint jam unum,
& idem Mercurius, in Mercurio. Nec novit natura
invenire modum deſtructionis, in re tam
homogenea, ubi ſemen fructus evaſit, unione
perfectiſſima, & anatica. Quandoquidem natura
non poteſt penetrare ad dividendum, ubi nullus
eſt nodus, aut heterogeneitas. Admitto quidem,
quod Mercurius per compoſitionem tranſmutationis,
& maritationem ſulfurum metallicorum,
fiat metallum; & hoc ſit deſtructibile,
ratione dualitatis, ſui ſulfuris: attamen Mercurius
illius metalli manet indeſtructibilis. Hinc
Paracelſus in vexatione præfata: Etſi metallum
deſtruxeris decies millies: attamen à deſtructionibus
ſemper reſurget longè perfectius. Et in
Archidoxis, lib. de ſeparat. elementorum cap.
de metallis. Vnumquodque elementorum in
ſpecie olei deſtructionis metallicæ, poteſt reduci
iterum in metallum album priſtinum, & malleabile,
excepto elemento ignis, quod tincturam
ſive ſulfur continet. Igitur quanquam pars
mercurialis in metallis, adeoque & in ipſo Mercurii
corpore, propter adjuncta, ſuſcipiat larvas
vitrioli, olei, ſalis, vel aquæ: non ſunt niſi oculorum
impoſturæ. Quippe ſemper Mercurius
inde redit, quia ſecundùm naturam, & omnes
proprietates, ſemper ineſt. Teneo ergo cum
principiis abſtruſioris philoſophiæ: *Si Mercurius* 60
eſſet diviſibilis in partes heterogeneas, ars Chymica
non eſſet vera: ac ipſe Mercurius ineptus
operi eſſet. Etenim niſi Mercurium vidiſſem, ita
ſubſiſtentem, negarem artem eſſe veram. Natura
enim nequit deſtruere ſemen, quod mori non poteſt,
nec à materia ſua ſeparari. Nec mori poteſt
per machinamenta ſublunaria hujus ſeculi. *Item*
facilius eſt aurum conſtruere, quàm deſtruere: ſic
& facilius naturæ, Mercurium conſtruere, quàm
deſtruere. Quotquot ergo promittunt auri vel
Mercurii ſeparationes, nec tamen aurum peculioſa
quantitate conſtruere ſciunt, cum neſciant,
quod eſt longè facilius, credant etiam ſe neſcire,
quod longè eſt adhuc difficilius. Ideò Bacon, 61
inquirens primam artis materiam, perque omnia
mundi corpora diſcurrens. Negat aurum,
& argentum, eſſe materiam artis: eò quod ſit
planè impoſſibilis eorundem reductio in ſulfur
& argentum vivum, unde fiat filius ignis, tantus
in amore philoſophorum. Ad tertium tandem
dico. Quod quæ non morti, ſeparationi, muta- 62
tionive ſunt ſubjecta, ſaltem ſunt termino obnoxia.
Id verum concedo, ſi de diſſolutione
mundi & igne Gehennæ in conſummatione
ſæculi intelligamus, de quo nil ego. Alioqui
præfata adſtructio Idiotiſmum continet. Nam
terminus nil naturaliter operatur: ſed peracta eſt
operatio ab agente, in ipſo termino ad quem.
Deficit autem ejuſmodi agens, circa indiſſolubilia.
Denique nec tempus, vel duratio aliquid
operatur per ſe: ſed tantùm operantur mediæ
diſpoſitiones mobilium in tempore contingentes.
Ideo quicquid mutabilium diſpoſitionibus
non auſcultat, multò minus tempori, aut termino
durationis: qui terminus incluſus eſt rebus
mutabilibus tantùm, non autem immutabilibus.
Si jam Mercurius metallicus caret omni
prorſus ſulfure, nobiliſſimum inquam conſtantiſſimæ
unionis corporum, licitum eſt conſiderare
hanc trium primorum legem, inſtar catenæ
diſruptæ, defeciſſe. Cætera proinde corpora,
non eſſe tria prima: ſed unicum prorſus mate- 63
riale initium, diverſis ſeminum deſtinationibus,
finibus, ſcopis, & neceſſitatibus inſerviens,
ludenſque varias ſuppoſitionalitates. Sunt ergò
illa tria, ubi reperiuntur, non prima, ſed facta
per diſſolutionem ignis, illorumque materia,
non juxta ſalis, ſulfuris, & Mercurii principiationem,
ſed ſecundùm fines ſeminum deſponſata.
Nec quidem initia: ſed media ad vitam ultimam
ſubordinata. Denique ſcio ex arena, ſili- 64
cibus, & ſaxis non calcariis, nunquam ſulfur aut

Mercurium trahi poſſe. Fuerunt nempe illorum ſemina, contenta aquæ petrifica coagulatione, abſque deſtinatione pinguedinum, aut Mercu-
65 riorum. Lapides autem qui calcinari poſſunt, ſalis naturam & calcis acrimoniam acquirunt. Sed idipſum eſt tranſmutatio in novam generationem, ab igne promotam: non autem contenti extractio, eductio, aut ſeparatio. Quod Schola chymica ante me ignoravit. Quod probo. Quia novi, ſaxum, & lapides omnes, in merum ſalem, ſuo ſaxo, aut lapidi æquiponderantem, reducere, abſque omni prorſus ſulfure, aut Mercurio, adeoque quicquid urendo ſaxo deperit, unius ſalis potiùs, quàm trium eſto. At quia unitas iſta concreti reſpicit viam ad primam reductionem in aquæ elementum, nec ſit cuilibet operario obvia: ea propter conſuevimus inter chymicos generatim loquendo, de rebus loqui, ſub nomine trium, ſalis nempe, ſulfuris, & Mercurii. Non quidem quod putem illa eſſe rerum principia: ſed quia è pleriſque ſeparantur per ignem, utimur illorum etymo, ad diſtinguendum heterogeneitates corporum concretorum. Idem ſaxo, quod carboni evenit niſi ambo namque aperto igni crementur; in calcem aut cinerem mutantur nunquam. Et licet carbo per flabellum edat flammam, & hactenus quicquid è carbone perit, ſit ſulfuris: attamen cum in ſaxo nil accendatur, aut illuminetur, ſalis potius quàm ſulfuris eſto. Igitur dum lapis, gemma, ſaxum, vel arena, in ſalem artificiosè ſunt reducta, non poteſt ſal ille, propter omnimodam ſui homogeneitatem, ab igne relictam, ſulfur ede-
66 re, vel continere, aut in diverſa trahi. Si denique vitrum per ignem è cinere & arena fiat, non eſt extractio vitri è cinere: ſed fabrica artificii, novaque generatio. Etenim corpora quælibet, cum immediatè ex aquæ elemento materiam deſumant, ſeminum virtute deſponſatam, ſulfur quidem eſto actus ſeminis: ſal verò, ex aquæ propenſione ſpontanea, in concreto naſcitur, immutatus tamen à diſpoſitione ſeminalis ſulfuris. Itaque duo illa entia proſiliunt immediatè è duobus principiis corporum: Rerum Mercurius autem, non eſt niſi mera aqua, non ſat adhuc à diſpoſitione ſeminis, & propenſione materialis initii, maturata. Idque è profeſſo, aut ſtudio naturæ ſic eſt deſtinatum, ut ratione principii aquei, adhuc nondum plenè immutati, accretio ex ſuo elemento, & collocutio cum ſua matre, per ſymbolum concedantur opportunius. Non admitto itaque tria prima eſſe corporum conſtitutiva, ut neque univerſalia. Quod ſanè auſteritati meæ eſt vernaculum, qui 67
non ſoleo è particulari quopiam axiomata univerſalia condere. Id autem faciat, qui volet, malo diſtinctus eſſe, ut diſtinctius intelligam. Reperi enim plerumque, tria illa non prodire è corporibus, quibus trahi putantur, niſi adjuncto tertio, tranſmutativo, vel per compoſitionem: quod potius ſupervenienti ſemini, atque inde natæ tranſmutationi, tribuendum eſt: non autem inexſiſtentibus primis, ut neceſſariis, immediatis, atque univerſalibus naturæ principiis, è quibus, & in quæ, corpora rurſum reſolvantur. Non enim certam fidem facere queunt, ſe eſſe in corpore, ante ſui ſeparationem, prout per ignem exprimuntur: multoque minus præexſtitiſſe ante corpus, cujus partes videntur fuiſſe.
Patet quoque res pleraſque mutari, diſtillando, 68
nec eſſe in concreta ſui heterogeneitate, quales ac quantas, prout dum per ignem fiunt. Quod unico exemplo Tartari liquet. Siquidem diſtillando uncias 16 tartari optimi, elicitur vix unica uncia aquæ; ſalis verò, ad ſummum, unciæ duæ cum ſemiſſe. Reſiduum totum, eſt oleum: id eſt, ex 16 ſunt ferè tredecim partes oleoſæ. Tartarus tamen crudus non eſt, nec agit ut ens oleoſum, nec ardet ut cortex betulæ: ſed ſalis acidi naturam habet. Quapropter per diſtillationem, ſalis acidi natura mutatur in oleum. Deinde iterum, ſi ſal Tartari ſponte ſua fiat lixivium, eique jungatur oleum, conficietur quidem indè ſmegma, quo diſtillato, habebitur pro maxima parte aqua, oleumque priſtinum deſinit eſſe, & mutabitur in aliud. Quid enim clarius hac mechanica, ut eluceſcat, ignem eſſe confectorem primorum: adeoque nec eſſe in ſe prima, neque præexſiſtere talia in concreto, qualia ſeparantur indè per ignem? Si quidem non eſt nuda ſeparatio diſſimilium: ſed tranſmutatio concreti per ignem, juxta activitatem, quàm heterogenea inter ſe peragunt. At ſanè ſi 69
ſingulis corporibus ineſſent tria illa, ita ut nullum corpus illorum expers eſſe poſſet: imò ſi ſingula, priſtinam ſervarent indolem, ſal, inquam, nunquam Mercurius fieret, neque hic viciſſim ſulfur, *&c.* Tum quidem apparenter Paracelſus putaſſet, corporum unumquodlibet originaliter componi è ſale, ſulfure, & Mercurio: Sed cum ſit rerum indubia viciſſitudo, per res rerumque partes minimas, prout & per triplicis vitæ tranſitum, non poſſunt viciſſitudines illæ denotare identitatem trium, nec conſtantium, quorum ipſemet decurſus eſt omnino inconſtans, & inſtabilis perſeverantia ejus. Etenim à Para-

Paracelſo deinceps propemodùm quiſque ſuæ
ſubſcripſit inventioni, nemo auſus eſt penetrare
conditionem trium illorum; ſtupuerunt viſis
heterogeneis, quæ per ignem ſæpius extrahantur,
undè velut loto paſti, abduci ſe ſiverunt,
quorſum illos Paracelſus vocabat. Sed diſcat Paracelſus,
dum ex cibo cruor fit, contingere quidem
ſeparationem puri ab impuro; ſed nullam
70 trium. Quoties enim ens per vitam ultimam
tranſit in vitam novam, mutatur quidem maſſa
in ſuccum, cum diviſione heterogeneorum,
extinctione formæ, ac proprietatum vitæ mediæ:
non tamen in, vel ad tria prima: ſed proceditur
ad deſtructionem radicalem, cum ultimata
vitæ prioris annihilatione. Sub quam tandem
ſemen novam hauriunt, ad novam generationem.
Iſta nempè eſt via recurſus, ſive regreſſio
noctis Hippocratis, ad Diem Orphei. Saltem
perpetuò eſt verum, quod iſta tria nunquam ſeparentur
abſque igne, adeoque ante excultam
71 Pyrotechniam Veteribus illa fuere incognita;
cumque deſit ignis ille, graduſque ejus, ſeparator
in nobis, & quicquid per caloris noſtri gradum
è nobis difflatur, tendat ad caput mortuum,
niſi per Blas & fermentum præcautum ſit
(prout ſupra de Blas humano docui) non poteſt
ſanè morborum origo, ullatenus alicui, aut pluribus
72 ex tribus ejuſmodi, imputari. Nego denique,
ſalem, ſulfur, & Mercurium corporum
principia univerſalia. Quia nec ante corporum
compoſitionem exſtiterunt, nec confluxerunt
ad miſtionem faciendam, neque tandem per
naturalem corporum reſolutionem in vitæ ultimæ
terminum, apparuerunt unquam in natura:
ſed dumtaxat per artem ignis, & tantùm è
quibuſdam educuntur; quatenus ſemina rerum
materiali principio aquæ veſtiuntur, & proprii
efficientis energia roborantur, partim ſalis, &
partim olei proprietates aſſumunt, Mercurius
autem corporum, non eſt niſi pars aquæ, nondum
ſufficienti maturitate efficientis ſeminis,
gravida. Nuſquam ergò per ſe exſiſtunt, nuſquam
principiandi vires obtinent: Eò quod
ſuas naturas, conditiones, proprietates, non
habent ex alteritate, qua præexſiſterent, ſed
partim ex diſpoſitione ſeminum, defluentium
in proprietates concreti: partimque ex ignis
digeſtione, & uſtione inter ſeparandum nacta.
73 Siquidem manifeſtum eſt, quod mutua tranſmutatione,
reciprocè ex ſe invicem fiant. Vltima
ergo ſunt, non autem prima, utut ſumantur.
Cuncta enim vegetabilia, quamdiu non lignoſa,
ſpiritum vini continent, quatenus ex illis, per
fermentum apertis, ſpiritus vini educitur. At
ex eadem materia jam lignum facta, non educitur
amplius aqua vitæ. Fit inquam in vegetabilibus,
per artem ſpiritus vini, qui antea iis non
inerat, ex diſpoſitione materiæ ſucci putreſcibilis,
& fermenti vinoſi ſymbolo. Non enim
proinde ſpiritus vini erit vegetabilium principium,
quatenus cuncta in ſe diverſa, in hoc conſentiant
ſpiritu, & ex ſingulis educi poſſet: ſed
ſpiritus vini habet effectus, & producti rationem:
Sunt igitur ſimiliter tria illa principiata;
non autem principia. An enim ſanguis ſale carebit
in diſtillando, quia ſecrevit lotium, quod
Paracelſus ſalem cruoris vocat? Et, ſi ſal unum 74
de principiis, certè cruor erit æternus in ſuppoſito,
ſi careat initio, vel aliquid, ſine principio
ſalis, poterit ſubſiſtere ex Mercurio & ſulfure.
Quod Paracelſo non viſum eſt alienum,
luctanti cum propria trium primorum doctrina.
Vbi cruorem & carnem leproſorum omni
ſale priva docet. Caditque hinc iterum ulcerum
ſua hiſtoria, ſi leproſorum ſint ſpontanea,
& non ſpernenda ulcera, ſine ſale. Malè enim 75
ſalem potus, à ſale cruoris diſtinxit. Nec cognovit
differentiam ſalis in latice externo, à
ſale qui è cruore per diſtillationem emungitur
tortura ignis. Totus neſcius, undè ſal in urina
eſſet, non eſitato ſale. Quia digeſtionum ignorata
claſſe, naturalis ſcientia, in Paracelſo tenebris
fuit obfuſcata, & per Medentum inſcitiam,
abbreviantur dies mortalium, fiuntque gibboſa
cœmiteria.

De quinta eſſentia quoque ſobriè eſt inquiſitum
hactenus, quaſi glorioſum per ignaviam
ſubſcripſiſſe aliorum commentis, & hæſiſſe in
fabuloſis principiis. Eſſentia itaque, diverſis
dicitur nominibus. Principaliſſimè enim intelligitur 76
de Deo optimo max. qui omnium eſt
vera, immediata, ipſiſſimaque eſſentia, à qua
eſſe rerum defluit, & dependet, inſeparabile
in natura. Eſſentia autem pro eſſe rerum actuali,
in abſtracto, eſt vita in viventibus, ſive animo.
Alioquin eſt forma, propter quam unumquodque
eſt id, quod eſt. Vita autem ſive forma, 77
à Chymicis non eſt in eſſentiam aſſumta,
quod defuncta re, in nihilum redeat: proindè
conſiderarunt præclariſſimam quandam ſubſtantiam,
cui tota craſis, ac rei entelechia inhæret
quale eſt in aromatibus oleum leviuſculum, quo
abſtracto, remanet corpus aromatis, velut ingratum.
Cinnamomum puta, abducto oleo, ſapit
corticem quercus ſua adſtrictione. In rebus tinctis
verò, eſſentia eſt coloratus liquor à rebus

extractus. Quæ ſubſtantiæ, ut ſunt magis activæ
: ita ſe habent per modum vitæ, aut formæ,
78 ad maſſam reſiduam. Adeò ut nomen eſſentiæ
ſit planè metaphoricum. Quapropter plurima
non habent eſſentiam, pro-ut de Mercurio,cryſtallo
, ſaxis, rebuſque homogeneis demonſtravi.
Tum denique non rarò, major poteſtas &
energia eſt in re integra,quàm in ſeparata eſſentia.
Vt patet in magnete, carabe, &c. Plurima
79 namque ſimplicia ,ſpecificam proprietatem per
præparationem, magiſque per ſeparationem, &
ignem amittunt. In ungula Alcis, ac bezoardicis,
quiddam eſt, quod crudis ſimplicibus proprium
eſſe mavult. Herbarum autem formæ,
ſive eſſentiæ, artifici ſubeſſe nolunt. Perindè
enim multa valent, ſive vis (animam vocant)
vegetativa oppetiverit, ſive adhuc inexſtiterit.
Poſtquam autem planè exaruerunt, quædam
eſſentiam proferunt: multæ verò, (inprimis hydropiper)
eandem amittunt. Vtut ergò ſumatur
eſſentia, nomen improprium, & quinta,epithetum
inſipiens eſt. Siquidem quam ſpondent
eſſentiam, vel non ineſt æquè omnibus, neque
paret Artifici, vel non trahitur undecunque.
Sub aliis verò, in cruditate rerum, ridet operoſos
labores. Nec omne generatim aroma ſedet
in vita media, ſed in ultima. Nam flores Iaſmini,
Lilii convallium, &c. putrendo amittunt
gratum odorem,& vires medicas; aceſcunt,nec
priorem fragrantiam reaſſumunt unquam.Alibi
verò ſedet aroma, ſub vita media, quæ nempe
ſub putredine ſervant odorem, quem diſtillando
80 edunt,ut roſæ. Res hæc fefellit Paracelſum,
atque putare fecit, rerum eſſentias ſic putrere;
Atque ſic neſcius, ut in fimo, ſtercoratiſque agris,
in perpetuum ſoſpites manſuras dictaverit.
Neſcius,quod exſolutis, ac defunctis ſeminum
muniis, cuncta ad quietem ſe dedant,primumque
tandem aquæ hoſpitium repetant, vel ſaltem
ſupervenienti ſemini robuſtiori parentia,
in novas ſe colonias, novaſque ſcenas, ſe iterum
duci tolerant. Imò ſunt plura ſimplicia, quæ
fragrantiam,quam ante ſua in ſpecie non habebant,
81 inveniant in ſinu putredinum. Qualia
ſunt moſchus, zibetta, Ambarum,ſtercora quædam
brutorum, atque ligna putrentia. Fracedo
quippe varia illis ſuboritur, undè ſemina fragrantiam
ſibi hauriunt, tranſplantantque in novam
generationem. Aroma ergo, ſi balſamo
vitæ mediæ alligatum, per partium ſeparationem,
in putredine non ſuperatur, commodiuſque
è corruptis ſequeſtratur. Eſſentia ergò chymica,
propriè non quinta, cum non ſint quatuor
aliæ in concreto, neque eſt extractum è
tribus; ſed eſt pars ſeminalis de ſulfure concreti.
De ſulfure inquam, quia ſulfur eſt proles efficientis, 82
adeoque magis formalis. Cinnamomum
enim, dum ſine aromate eſt, cinnamomum
quidem adhuc, pro-ut fœtus, aut fatuus,
ſunt homines. Ego itaque optimam rei partem,
ejus craſin nuncupo,ſive aroma oleat,ſive non.
In herbis non fragrantibus verò, liquorem ſeminalem,
illarum craſim dico. Scio nimirum
ex qualibet planta, vel ſemine,itemque ex trunco
quarundam, extrahi liquorem, qui contineat
ſeminis poteſtatem: qui liquor, licet non ſit ſationibus
aptus, eò quod incluſum illi ſemen,
moram in terra trahere non valens, exhalet: 83
attamen ſuę conſimilis plantam,mirifica fœcunditate
beat, ad radicem affuſus. Craſim namque
ad propagationem continet ſeminalis liquor,
ideoque & verè eſſentialis eſt: non tamen vulgo
notus, imò ne quidem expertiſſimis quibuſque.
Proinde progreſſus educendi quintas eſſentias,
ceu vanos commiſeror. Non mirum
ſanè, ſi omnes vires generati luceant in craſi.
Saltem aromatum olea, quatenus olea,digeſtioni
noſtræ reluctantia, ac invicta, parum juvaminis
adferunt, cum ſcilicet non niſi odoris
gratia, intro aſſumta, reficiant nos parvo ſpatio.
At quando oleum cinnamomi, &c. ſuo ſali alkali 84
miſcetur,abſque omni aqua trium menſium
artificioſa occultaque circulatione, totum in
ſalem volatilem commutatum eſt, verè eſſentiam
ſui ſimplicis in nobis exprimit, & uſque in
prima noſtri conſtitutiva ſeſe ingerit. Aliàs autem,
ubi vis medica in odoribus occultatur
(odores quidem fortes ac pertinaces ſuperant
vires noſtras, & vix ab Archeo ſuperantur, atque
digeruntur, adeoque importunè in nos
agunt; multum namque Archeus laborat, ut illos
deſtruat, & in ſubſtantiam, cui inſunt, ſuos
odores imprimat) & præcipuè ſi fermentantes
fuerint, utut ſolamen promiſerint, quia tamen
non perſiſtunt, ut in prima conſtitutiva penetrent,
conſtans non præbent in medendo ſolamen.
Maximè quod facilè in ſeipſis concidant,
atque degenerent ſpontè: ergò magis, ſi à noſtris
facultatibus ſubigantur. Sic nempe muſcus
& aromata moriuntur, ſi craſis abſceſſerit, licet
corpus in ſe ſoſpes manſerit: adeoque craſis rei
nequicquam tangit rerum ſomniata initia.

DE FLATIBVS.

1. BLas ſive Flatus quadruplex. 2. Gas vitæ, & ventus mundi, toto diſcrepant elemento. 3. Opinio Galenica de flatibus. 4. Gas quintuplex ignorarunt. 5. Pyrotechnia quid doceat. 6. Deceptæ Scholæ. 7. Sibi contradicunt. 8. Error Paracelſi de limbo Microcoſmi. 9. Ridicula ejus doctrina, de quadruplici colica, & microcoſmica identitate. 10. In nobis non eſſe Gas ventoſum, niſi inſpiretur. 11. Cur Paracelſus neglexerit in utero cardines univerſi. 12. Redarguitur Paracelſus. 13. Error ejus de contractura è colica. 14. Cauſæ præfatæ contracturæ, & Paralyſis. 15. Vita muſculorum concluditur ex Blas illorum. 16. Cur non eſt ultimum moriens. 17. Inſana remedia in Flatibus. 18. Quale eſſet ventos pellens, aut diſcutiens. 19. Ignorantur adhuc proprietates Torminum. 20. Vterus proprius caret flatibus. 21. Flatus non extra metas excitantur. 22. Pleuritis flatulenta figmento ortum debet. 23. Conceptos ventos accuſaſſe pudendum. 24. Morborum quorumcunque initium, à pleriſque accuſatur ventus. 25. Qualiter adhæc occurrat frigus. 26. Quid hac in parte noſcendum. 27. Quid deinceps agendum. 28. A quibus ſint inventa remedia uſualia in flatibus proficua. 29. Ileon non eſt inteſtini averſa contorſio. 30. Iſte affectus, in cauſis & modo, fuit huc uſque ignotus. 31. Hiſtoria fraudem Scholarum detexit. 32. De flatibus doctrina nova. 33. Sextuplex in nobis flatus. 34. Nullus poteſt flatus in nobis eſſe halitus. 35. Quid Gas ſylveſtre. 36. Diſtinguuntur flatus. 37. Quidam flatus inteſtino neceſſarius; de quo nemo hactenus. 38. Probatur per monſtrum. 39. Sequelæ aliquot inde profluæ. 40. Conſideratio circa mediocritatem & affluentiam hujus flatus. 41. E cibis vitiatis, aut excrementis vitioſo fermento imbutis, dolores Torminum. 42. Contracturæ inteſtini. 43. Galenus ignarus uſus partium. 44. Scholæ neglectis aliis flatibus, tantum peditum reſpexere, unde pedantiſmus. 45. Flatus Tympanitidis. 46. Effectus fermenti ſtercorei, reſpectu flatuum. 47. Cura laxantibus flatus fœtidiſſimi. 48. Stercora non ſunt rerum ſpontaneæ putredines. 49. Differentia inter flatum ſtomachi, Ilei, & Coli. 50. Schema flatuum in nobis. 51 Tympanias lethalior aſcite. 52. Duæ conſiderationes de flatibus. 53. Conſideratio flatuum. 54. Flatus vitium, noſtrum eſt, non rerum. 55. Alteritas flatuum quid reſpiciat. 56. Flatus in nobis fieri agente patrante, non autem ſeparante. 57. Impugnatur Galenus de flatibus. 58. Iterato aliquoties. 59. Error circa edulia Venerea. 60. Venus ſpectat ad lienem. 61. Generatio flatuum, undè & quomodo. 62. Paradigma flatuum. 63. Flatus non praexſiſti in cibo. 64 Notabile de uva. 65. Notabile de fermento. 66. Reſpectus flatuum & ſtomachi. 67. Mechanica flatuum in triplici monarchia. 68. Notabile Gas Tartari. 69. Flatus ciborum. 70. Sulfur docet materiam flatulentam, ſtercoreique fermenti ſuppoſitionem. 71. Tormina unde. 72. Cur venena tumefaciant plerumque habitum corporis. 73. Cur fermentata Iudæus vetita. 74. Cadaver ſubmerſum, quando emergat. 75. Notabile de ſeminibus calidis minoribus remedium. 76. Iudicium inſpecto cadavere generoſæ matronæ. 77. Vanitas nominis & remedii, pellentis ventos. 78. Diſtinctio Volvuli à Torminibus.

1 POſtquam Medentum judicioſiores, ab elementis, humoribus, & Aſtris opem fruſtra imploraſſent, Tartarum denique, nec non Chymicorum putata initia, incaſsùm ad auxilia ſua invocaſſent, meditati ſunt deinceps, invitis Scholis Galenicis, Quod Cæphalalgia, hemicranii dolor capitis, & qui heſterna crapula relictus eſt, itemque vertigo, deliria, aſthmata, pleuritides nothæ, Spaſmus, Crampus, Satyriaſis, Tympanites, uteri, imò & Epilepſiæ furoris, cum aliquot aliis affectibus, ſpecie diremtis, extra controverſiam ſua debeant initia flatibus, atque vaporibus: Quapropter & catalogum jure pari ampliantes ad librum ϖερὶ φυσῶν Hippocratis, ſuas defluxerunt inveſtigationes. Senex ille omnes omnino morbos ſic flatibus conſecravit, ut ventos promiſcuè confuderit cum vitæ principiis. Cœperunt ergo feliciora Scholarum ingenia non tam inveſtigare flatuum naturam, atque proprietates, quantum datis & conceſſis flatuum hypotheſibus, ulterius ſuperſtruere, atque ædificare omnium ferè morborum naturam, atque cauſas, eaſque dicare flatibus, vaporibus, & exhalationibus infernè ſurſum ſcandentibus. Aut præceps deorſum deturbatis. At cum ſe penitùs extricare anguſtiis nequirent, nec tanti ædificium firmum ſtare poſſet, quod nullo fundamento ſolidioris diſquiſitionis inniteretur, quaſi filum incœpti abruptum eſt nimia contorſione. Equidem Hippocrates flatum in prædicamentum conſtrinxit, ſive vitæ, ſive mortis, ſive demum interitus participes eſſent, & cauſas continerent, ſive cœlitùs per Blas ſtellarum excitarentur, adeoque orbitæ cœleſtis analogiſmos pollicerentur, ſive demum ſublunari, ſive voluntariæ legi parerent. Totum nempe indeciſum reliquit. Adeoque diſruptam reliquit methodum. Stetitque, quia nondum tanta erat morborum neceſ-

ſitas, experientia, frequentia, atque perverſitas.
Nondum enim ſciebatur, quod ſpiritus vitales
lumen vitæ concepiſſent, quod animæ ſenſiti-
væ, quodque formarum Animantatorum eſſent
proximæ ſedes, adeoque totius eſſentiæ craſim
2 continerent. Nemo enim tum materiam illius
Gas, aquam eſſe didicerat, adeoque toto ele-
mento ſpiritum vitalem à vento mundi diſcre-
pare, nemo adhuc ſomniaverat. Enimverò
Scholæ facilè in hanc foveam flatuum decidiſ-
ſent, & pertinacius permanſiſſent, niſi purgan-
tium & phlebotomiæ vana præſidia in ventis a-
gnoſcerent, ſeſeque fruſtra futuros, citra ambo-
rum ejuſmodi præſidiorum opem præviderent.
3 Galenus quidem viderat, olea, & pinguedines,
per ignem ſenſim exhalare, putavit idcirco, &
ventos in nobis liquata pinguedine, vel dige-
ſtionum inordinatione ſuſcitari, utpotè qui di-
ſtinguere nequivit aërem, ſive ventum, ab exha-
4 latione, à vapore, & à flatu. Neſcivit inquam
Schola Galenica hactenus differentiam inter
Gas ventoſum (quod merè aër eſt, id eſt, ven-
tus, per ſiderum Blas commotus) Gas pingue,
Gas ſiccum, quod ſublimatum dicitur, Gas fu-
liginoſum, ſive endimicum, & Gas ſylveſtre,
ſive incoërcibile, quod in corpus cogi non pot-
5 eſt viſibile. Quocirca inexcuſabilis manſit te-
nebrarum naturalium obſcuritas, penes ignaros
ros Pyrotechniæ. Quæ nos inſtruit, quo gradu
aquoſa, quove gradu, & ordine, quævis pin-
guedo evolet, qua demum ſeparatione, quove
fermento, corpora ab invicem diſcedant, pu-
treſcant, quid ſecum ſingula per analyſin aſpor-
tent, quo denique medio ſeminum craſes, &
concreti proprietates ſe referant. Qua tandem
opera, totum quicquid in nobis eſt, citra par-
tium ſeparationem, in diaphæreſin diſponan-
6 tur. Audiverant quidem, ventos in ventre, bor-
borigmos innocuos & doloroſa tormina dein
in ſtomacho, atque colo animadverterunt, in
hyeme verò, ventorum pluralitatem, quocirca
ſomniarunt glaciale phlegma in inteſtinis, & ca-
lida remedia frigidis morbis apponenda. In
quo primum implicant ſibi Scholæ, dum vapo-
rum & ventoſitatum originem tradunt, & has
curare, contrariis (ut vocant) remediis profli-
7 gare intendunt. Nam principiis, medio, atque
modo ſibi contradicunt. Etenim ſi ventoſita-
tes in nobis ſint vapores, aut exhalationes: cer-
tè, major dolorum atque flatuum excitatio, &
partium diſtentio ſequetur, adhibitis contra
ventos calidis, eò quod vapores augeri eſt ne-
ceſſe, cruciatuſque, tam propter diſtentiones,
quàm ventorum acrimoniam, multiplicari. Id- 8
que per totum probat ars diſtillandi. Paracelſus
licet Pyrotechniæ Dynaſta, non fuit immunis
à ventorum turbine. Quippe qui ignoravit
ventorum, & aëris naturam, materiam vapo-
rum ſive flatuum, Gas eſſe aquoſum, illorum
cauſas efficientes, modos, media, ut & mate-
riam, eſſe aquam ſemine imprægnatam. Vt-
pote qui authoritates Philoſophiæ planè ſprevit,
& naturam conatus eſt, ſubter ſuum idiotiſmum
ligare, à naturæ lumine quoque derelictus eſt,
permittente Deo, qui ejuſmodi conatus ubique
facit irritos. Nemo quoque ad ſapientiam per-
venit unquam, qui ſe perveniſſe putavit. Para-
celſus enim conſtanter ubique perſuadet, nos
omnium morbos ac defectus ſentire debuiſſe,
quod ſimus extractum totius univerſi, hacte-
nus, omnifariam. Vniverſum, tanquam paren-
tem filii exprimere debeamus. Ita namque ven-
tos, eorumque varietates, nos continere vult,
Tormina noſtra quoque tempeſtatibus aëris
reſpondere. At nolim, ab auguſta Dei imagine,
vel latum unguem homines diſcedere, ut ma-
crocoſmum potius, quàm Deum in imagine re-
feramus. Credo enim, me non eſſe hominem, ut
morbis ſubeſſem, & ſic referrem pirke olam, aut
holam hapiroud: ſed potius ſcio me morbis
ſubeſſe, ut depravatam naturam & mortalem
oſtenderem, hominem autem me non alio fine
eſſe, quàm ut ad Dei beneplacitum ejus repræ-
ſentem vivam imaginem. Tormina itaque vir 9
ille quadrifariam partitur, juxta quatuor con-
ſuetos ventorum cardines. Quorum ſepten-
trionem inprimis locat in lumbis, cujus ventus
in ſua colica flaret contra umbilicum; In um-
bilico verò Auſtrum ponit, qui diametro ſua in
dorſum flaret. Sic & orientem in dextris, ut oc-
cidentem in ſiniſtris diſpoſuit, ſinguliſque ven-
torum tandem propria adſcribit remedia, ſub
hieroglyphicis ſibi nondum cognitis, involu-
ta. Eheu! quàm triſti pignore hæc cuncta, &
quàm ludicro medio, medendi principatum in-
vaſit, vir ille! ut nimirum microcoſmi ſinguli
ſimus! quàm enim caro pretio nobis vendit,
hanc macrocoſmi ideam! & quam penurioſo
argumento ſua fundat ſomnia! Cum reverà in 10
nobis nulli ſint venti, nec ventorum materia,
quam non inſpiramus, & exſpiramus. Aliàs ne-
que Gas flatulentum in nobis eſſe, niſi una via,
domo, & itione. Nempe à ſtomacho per inte-
ſtina, in anum uſque. Noverat quidem Para-
celſus hæc partim, ventorum denique in ute-
ro, Pleura, Capite, & muſculis eſſe aniles fabu-

las : Veruntamen majores adhuc texuit, ut ridiculos
componeret hos ventorum cardines :
quos potiori jure in uterum, quàm inteſtina
11 tranſtuliſſet. Qui ingenti cum dolore, ſe nunc
in ſiniſtrum abdominis latus, quandoque in
dexterum torquet, obſeditque vel umbilicum,
vel ſe ponè ad dorſum & lumbos inclinat. Sed
dubius manſiſſet, ubinam quintum ventum, in
præcipiti utero, & ubinam ſextum reperiſſet,
dum rectà ſurſùm uterus fertur. Ideoque etſi ad
tædium, de uteri aſtro, libro peculiari declamet,
cardines mundi tamen in exorbitationibus uterinis
dormitans neglexit: Quanquam uterum
etiam mundum, ſed Microcoſmo adhuc minorem,
12 ſeriò vocitet. Sed heus Paracelſe! ſupponendo
aliquot ulnas inteſtini, vento diſtentas,
illumque ventum, utrimque concluſum, (ſi enim
non concluſus eſt, nec dolebit, nec tendet:
ſed ſuo emunctorio ſponte evacuabitur) adeoque,
neque ſpirare, nec lateraliter more ventorum
ferri. Quæſtio mea eſt de nomine, eſſentia,
origine, & remedio venti illius? Deinde,
fortè 40 vicibus, Ileon, tam à tergo antrorſum,
quàm laterali, utrimque ductu, cum extendatur,
quânam quotâque inteſtini contorſione, quatuor
ventorum cardines ſuum habebunt ſitum,
nomen, nominiſque proprietatem? Sic enim in
ſingulis gyris jam eſſent quadraginta Auſtri, totidemque
Septemtriones, &c. Si enim in vigeſima,
vel in ſingula contorſione inteſtini? rationem
addere debuiſſes; cur non in decima,
aut 12. ſi fidem, tibi hæc ſomnianti adhiberi
13 optabas. At ſanè non fuiſti illorum ventorum
fidelis Æolus: Quippe advertens colicam, contractos
ſæpè muſculos manuum, convulſiones
inquam, atque paralyſes dediſſe non erubuiſti
dicere, ventos ab inteſtinis per omnes muſculos
& tendines ferri. Tantoque licentioſius id
adſtruxiſti, quod pronas Scholas invenias in omnem
vaporum atque ventorum famulatum,
pro omnibus fortè morbis. Etenim dum in elementis,
complexionibus, & humoribus, dictante
intus veritatis teſtimonio, ſibi quietem non reperirent:
confuſæ, quæſiverunt modum, quo
per vapores, & ventos, cauſam morborum reperirent.
Fortè enim dum humores ipſas fefelliſſent,
optabant per ventorum inviſibilem
poſitionem redargui non poſſe. Inventum ſanæ
fuit impoſtoris Satanæ, qui cum Dei ſimius
conetur eſſe, per fidem inviſibilium, intellectum
credulorum ſibi deberi prætendit. Ac pro
omnibus morbis ſufficere, modò venter ſuos
borborygmos auribus obſtrepet. Ideoque & de
flatibus agere omnino debui. Miſeror ſanè utrobique
tantam Paracelſi inconſtantiam, &
credentum inſcitiam, quibus ſibi prætentum
Monarchæ Arcanorum titulum præcludit, &
amputat. Neſcivit nempe hoc loco, cujuslibet
veneni, etiam ſpecie amica, purgantium exhibiti,
illam eſſe proprietatem, ut Archeum commoveant,
ejuſque Blas concitent, juxta Aphoriſm.
Spaſmus poſt helleborum lethalis. Illamque 14
colicam, quæ præter conſueta tormina, ex
acido provenientia, inſuper veneni labem continere,
eſſeque convulſionis authricem. Licet
ventus interim non extra Ileon feratur. Sic homo,
cum totali virium extinctione moriens, relinquit
ſuum cadaver generali Tetano, utrimque
tenſum; Aſt ubi violenta abripitur morte,
eſt ejus cadaver flaccidum. Vnde didici, vitam
quandam ſenſationem, & motum, ſive Blas, eſſe
in carne, præter voluntarium. Vita illa nimirum, 15
venena & mortem, cum extinctione apprehendens,
utrimque tendit tendines. Vnde
falſum eſt, cor eſſe ultimum moriens. Superſtes 16
namque manet adhuc vita muſculorum, quæ
inſectis eſt potiſſima, adeoque & avulſo capite,
muſcæ adhuc avolant. Et muliere dudum mortua,
non rarò uterus profligavit ſuum fœtum.
Omnis itaque muſculorum convulſio, ſive ex
colica, ſive ſumto laxante veneno, vel alio, non
eſt ex motu voluntario: ſed ex naturali ſenſatione,
motuque muſculorum: non autem quod
flatus tendens inteſtina, etiam muſculos efficienter
tendat. Prout lib. de Lithiaſi. Tract. de
ſenſu ſenſatione abunde firmavi.

In ſanum igitur eſt decretum. Hoc eſt carminativum. 17
Iſtud ventos pellit; Illud verò flatus
diſcutit. Quaſi per carmina venti abſcederent,
Medentibus ejurandi. Etenim ſi ductus
& exitus patent, ventus nequaquam forinſeco
auxilio eget, ut neque pulſore alieno, ut exeat.
Imò quod magis eſt, Non ſemper tormina ceſſant,
etſi flatibus egreſſus ſit liber. Alioqui ſi via
citra impedimentum eſt, flatus, velit nolit Medicus,
illam inveniet: ſiquidem unica tantùm,
ſibique continua inteſtinorum eſt via. Pellentia 18
verò ejuſmodi deberent aliquod medium habere,
pro-ut piſtillum protrudit contenta enemata.
Illud autem, ut debitè ſit pellendo flatui,
deberet adæquatè ductui inteſtinorum reſpondere,
tam in gracilibus, quàm groſſioribus:
Atque inſuper habere pulſivum Blas. Atqui
ventus concluſus minus dolet, quamdiu
quieſcit: Ita pulſivum omne remedium,
neceſſariò torminum dolores augeret, adeoque

natura indicat, à pellentibus flatus abſtinendum.
Sed meditantur fortè, carminativis vim
flagri ineſſe. Flatus verò inſtar pecudum eſſe?
An enim piſtillo adæquato, ſe, ſuaque carminativa
deſtitui agnoſcunt? vel fortè carminativa,
vocis inſtar habere, pecudes abigentis? flatuſque
19 hortatui carminantium auſcultare? Scio
equidem hinc Scholas ignorare vim, proprietatem,
cauſas & modum, tam torminum, quàm
remediorum. Non enim venti ſunt pellendi,
non denique diſcutiendi. Hoc enim eſt impoſſibile:
illud verò puerile figmentum continet.
nec etiam à probo flatus ſunt ullo carmine compeſcendi,
cujus tamen etymon in Scholis religioſum
20 hactenus manet. Flatus internè, in utero
non ſuſcitantur, quia uterus materia flatulenta
deſtituitur, ejuſque digeſtio non eſt opportuna
creandis flatibus: externè autem, vix aër
intrat in uterum: utpote qui ne vacuum patiatur,
ſua membrana, totus concidit madidâ &
flaccidâ: adeoque ſua ſponte, aëri aditus præcluditur
ſpiranti, niſi vi per organum is injiciatur.
21 Denique nec venti externi ab ore vim mutuant,
ut intrent in regiones inſolitas, utque pertundant
fortiter adnatam pleuram, inter hanc
verò, & muſculos intercoſtales, flatulam concitent
pleuritidem, atque dein mox pleuram à
coſtis lacerent, veramque pleuritidis phlegmonem
22 fabricent. Quia aëri nulla iſtuc eſt via:
imò ſi eò pertingeret, à tergo Blas non habet,
quod alicujus noxæ eſſet. Quaque intraſſet,
priuſquam nocuiſſet enim, exſpiraſſet ideo. Internè
quoque flatus illis partibus nec fiunt, obſtante
23 materia ex qua, & efficiente. Anilis quoque
eſt figmenti ſimile, quod externus ventus,
ſive aëris flatus, pellem, utut poroſam, perforet,
pro-ut & carnoſam membranam, ſimul & muſculos
ſubter eam. Iuxta medentum pudendam
rationem, qua dicunt. Contraxit ſerò ventum,
24 undè partes malè habent. Hanc nempe, omnibus
ferè morbis à capite in talum uſque, cauſam aſſignari,
ſæpè cum mea verecundia audivi. Intemperies
aëris, in capitis, oculorum, aurium,
dentium, gulæ vitia incuſatur. In raucedines,
tuſſes, item defluxiones omnes, apepſias, febres,
adeoque pyxis Pandoræ, aër putatus eſt.
Idque nedum frigoris attactu, ut cauſa extera:
ſed ut intrò hauſtus flatus, ibidemque detentus
indebitè. De quibus alias. Nunc autem de noſtris
25 & internis flatibus ſermo. Concedo quidem
frigus inſuetum, (ut mortis ſatellitem)
partem aliquam nobilem, vel ſervilem afficere
quidem, quatenus ultimam ejus digeſtionem
turbat, unde excrementa partium ſimilarium,
dolores, imò & apoſtemata diverſimodè ſequantur.
Sed in his eſt frigoris facultas tantùm
externa cauſa occaſionalis; Præcautionem, non
item curam, aut qualitatem remedii, indicans.
Valeant ergò Scholarum nugæ. Cæterùm ut 26
aliquis Medentis ritè fungatur munere, noverit
primùm, quid ſit ventus, quid dein ſit flatus,
unde fiat, cur doleat: tum illi facile erit remedium.
Cauſa nimirum flatuum cognita, ca- 27
vendum, ne illorum concretum in Gas vertatur.
Gas autem, quod ſemel factum eſt, facilem
ſibi viam parat. Sin minus, & inteſtinum, qua ſe
eſt inferius, ſi ſit duriore obſtaculo obſtipatum,
hoc eſt ſolvendum. Sed ubi nullum eſt excrementi
interſtitium, & tamen tormina pergunt,
nonne fruſtranea erunt, quæ ventos pellunt? &
ſtulta, quæ diſcutiunt? Siquidem non flatus, ſed
materia, unde contrahuntur, inteſtina, ipſaque
inteſtina flatus generant, averruncanda eſt? Non
inquam ad productum flatum, ſed ad cauſam
producentem, cura convertatur. Video itaque 28
remedia, anethi, carui, aniſi, cymini, dauci, &c.
non à Scholis, torminum cauſas ignorantibus,
eſſe inventa: ſed parvulis atque pauperculis,
commiſeratione divina enotuiſſe, à quibus
Scholæ, ut & reliqua plura experimenta, iſthinc
mendicarunt. Siquidem flatuum origo,
eſſentia, materia, proprietas, proceſſus & hiſtoria,
Scholas latuere. Denique nec eſt volvulus,
Ileon, ſeu barbari nominis, miſerere mei, minoris
inteſtini aliqua contorſio, & apogæum.
Nam præterquam quod eſſet perpetuum, ac 29
neceſſariò recidivum malum, repugnat Anatomia,
quæ inteſtinum veſtiri meſenterio, amictu
ſcilicet externo, veſte tertia, & ſuperpellicea,
eoque meſenterio ad lumbos alligata, propendere.
Itaque ſemel illo vinculo diſrupto, ſpretaque
ſocietate meſenterii, non eſt de cætero,
ſpes reductionis inteſtinorum, in priſtinam
capſam, à qua, diſrupto carcere, ſe liberaſſent.
Adeoque malum forte fortuna reſtitutum, neceſſariò
mox recurreret, atque in pejus ſemper
deinceps rueret. Denique toto inteſtini tractu,
nulla deinceps cum venis eſſet nutritio, nullaque
in vitam chyli attractio; cum tamen interim
morbus iſte facili cedat remedio. Etenim
ſi præter gyros ſolitos, inteſtinum contortum
eſſet, quis eſſet ille motor? quiſve tortor? Ab
extrinſeco enim nullum habet, nullumque timet,
quod glabro omento, & abdominis ſimplici
veſica, contegitur inteſtinum. Ab inter- 30
no quoque, ſi excremento obſtipetur (hoc
enim,

enim, neque aliud, illi accidere poteſt) jam oppilatum
eſt Ileon inteſtinum (in quo nondum
ſolent excrementa indurari) per ſtercus inſolitum:
non autem contortum, non extra capſam
meſenterii diſſolutum. Adeoque ſtupentibus
Scholis, iſte morbus eſt ignoratus in cauſis, &
modo. Memini enim Thomam Balbani Antverpiæ,
me adoleſcentulo, volvulo, ſive Ileo,
extinctum intra hebdomadam, octoginta mille
libras Flandricas ſanaturo obtuliſſe, dimiſſis
veredariis quoquo verſus. Antverpienſes Medici,
tum Scholarum decreto, incuſarunt alto
ſupercilio involutum inteſtinum, & velut nodo
Gordiano intortum, ſuæ ignorantiæ eminus,
per excuſationem, remedium, non autem
ægro proſpicientes. Sed Anatome fraudem, &
31 craſſam ignorantiam detexit. Repertum namque
fuit durum ſtercus in gracili inteſtino, ſedecim
digitis, ſupra monoculum hæſitaſſe,
multamque ſolutam ſaburram per Ileon deſuper
nataſſe. Rarum eſt enim, ſtercora indureſcere
in gracili inteſtino. Quapropter deinceps
neminem, (male vocato) volvulo perire ſivi.
Potandos nimirum dedi aliquot globulos plumbeos
muſquetarum, ut ſui ſolo pondere durum
iſtud excrementum propellant. Quo enim plures
hauriuntur & majores, eo tutior & celerior
ſequitur ſanatio, modò æger ſtet, ambulet, vel
velut ducatur erecto abdomine. Nunc porro
flatuum hiſtoriam, licet ſordidam, enarrabo.
32 Eſt nimirum omnis flatus in ſtomacho, & inteſtinis.
Pro ut venti tantùm ſunt in aëre, non
autem infra aquam & terram. Flatus nimirum
nativitas præexigit acidum aliquod ſtomachale,
& tamen non fermentale ordinarium. Quod
quia alibi non reperitur, quàm præfatis locis,
etiam flatus nuſquam alibi generatur. Pro-ut
poſthac patebit. Denique omnis flatus, vel ſuſcitatur
à cibis nondum digeſtis, vel à cremore,
vel à ſtercore ciborum, vel ab alimento inteſtinorum
33 ſpermatico, degenerante. Eſt ergo quadruplex
flatus in nobis internus, quintus externus
Tympanias, qui extra inteſtinum clauditur.
Vnus naturalis ac requiſitus, ſeu ordinarius.
Septimus verò venenoſus in corporis habitu.
Illorum autem nullus eſt vapor, ſive halitus aquoſus:
quippè qui ſponte, atque propria conſiſtentia,
34 ſtatim & facilem in aquam redit. Nullus
denique flatuum eſt aër, aut ventus. Cum ventus,
ſive aër, non ſit de compoſitione concretorum,
pro ut longè latéque probavi. Ergò reſtat,
quod omnis in nobis flatus ſit Gas ſylveſtre, inter
digeſtiones excitatum, è cibis, potibus, & excrementis.
Vnus ergò eſt in ſtomacho, & ructus 35
dicitur, eſtque inſipidus, acidus, ponticus,
nidoroſus, fœtens, vel ſpecificus. Specificum 36
voco cibi incocti: ſic nempe allium, raphanus,
atque ſimilia, ſuos præbent ſapores in ructu. Inſipidus
verò & acidus, eſt ructus cremoris digeſti
quidem, ſed ſtomachi impotentia excitatus.
Ponticus autem, qualis in Orexi, nidoroſuſque,
fiunt è cibis, in ſtercoream propè indolem degeneratis.
Eſt ergò & alter flatus, gracilibus inteſtinis
ſuſcitatus, vitio fermenti fellei: eſtque
vel inſipidus, acerbus, acer, amarus, ſtercoreus,
cadaveroſus, vel putidus, juxta materiæ varietatem,
& fermenti fellei poteſtatem. Hic flatus
dicitur peditus, nec per pylorum adſcendit unquam
in ſtomachum. Qui ſi putidus aut nidoroſus
ſit, denotat fermentum ſtercoreum præmaturum,
& in alienam meſſem ſublatum. Sunt
præterea duo adhuc flatus in nobis. Vnus planè
heteroclitus, tam in inteſtinis, quàm toto corporis
habitu detentus, atque natus. Etenim ex
fermento venenoſo, & ſtercoreo extrinſeco, oritur
quidam flatus in ultima digeſtione partium
ſimilarium. Dum nimirum aſſumto veneno,
tumeſcunt cadavera, & inflantur: Corruptio
enim acida in carnes intrat, modo heteroclito:
moriturque pars ſolida, ac extinguitur nimirum
ſpiritus inſitus vitalis, & toxici veneno pars
afficitur, unde flatus ſtercoreus, cadaveroſus,
naturæ noſtræ abominabilis. Atque ſic proximum,
ſeu ſpermaticum ſolidarum partium alimentum,
mutatur in Gas ſylveſtre, tumetque
totum corpus, vel pars peculiariter affecta. Eſt 37
& alter, inſipidus flatus in Ileo, naturalis ſcilicet,
& productum aliquod utile, ordinarium nempe
idcircò, & naturale. Cumque fiat plurimis
& multâ fame oppreſſis; concluſi mecum, quod
ille flatus inſipidus, naſceretur ex ipſomet benè
diſpoſito alimento immediato illius inteſtini.
Alioquin enim impoſſibile foret, in cœliacis,
aliiſque ventris diſſolutionibus, tam repentinas
celereſque fieri excretiones, ſi Ileon, in ſui
vacuitate clauſum, concidenſque continuitate
flatus naturalis, quodammodò non hiaret perpetuò.
Id inquam Scholæ indagarunt nunquam.
Quibus & ego majores anxietates addam,
niſi nempe Ileon ſemper, naturaliter, &
mediocriter vento turgeat. Videbantur enim 38
alioquin inprimis aliquarum fibrarum in inteſtinis
operæ fruſtraneæ, ſi continuo flatu Ileon
mediocriter non tumeat. Puer enim, qui herniam
monſtroſam in umbilico patiebatur (tenui
namque velut epidermide, umbilicus totus pel-

lucidus erat, ad ſeſquipalmæ extenſionem) hic enim monſtroſus planè puer, quoties tormina patiebatur, nobis Ilei procellam ſpectandam dabat. Adeò ut inteſtinum iſtud, tanquam ſibi obambulando, ebulliiſſet, contorqueri, & convelli videbatur. Idque maximè, quoties nova tormina infeſtarent. Quæ cum ſub doloribus ſic ſe haberent; volui etiam ſubter ſanitatem contemplari, qualis eſſet inteſtinorum œconomia. Atque tum obſervavi alium ſucceſſivum planè motum, quo ſe inteſtina exercebant. Nam quoties aliquid ſupernè ad anum tranſmittebatur (erat autem in conſiſtentia liquidioris ſyrupi & obſcurè flavum) inteſtinum, ſuis ſe tranſverſis fibris contraxit, tanquam penitus iſthac clauderetur, atque excrementum infra ſe depelleret: fiebat enim hoc, ſucceſſiva fibrarum tranſverſarum contractura, non ſecus atque fidicen digitum poſt digitum aperit, & priorem laxat. Vſque adeò propellebat quidem excrementum ſimul cum flatu, ſed hic retrocedebat illicò ad priſtinum locum. Ingenti ſanè admiratione dignum, Dei providentia, partes intus non feriari, ſed ſic ſine ſenſu & indeſinenter operari, etiam dormientibus nobis. Spectavi denique, quod quantiſper puer dextero incumberet lateri, fibræ tranſverſæ, in inteſtino ſupino ejuſdem lateris ſeſe comprimerent, ut excrementum pellerent ſurſum, in partem pronam: attamen, tum nequicquam laborantibus, aut compreſſis villis declivis inteſtini. Vidi itaque flatum non continuò propelli per Ileon, ad anum, cum excrementis: ſed retrorſum reſilire, & retrocedere ad partes Ilei, mox à ſecluſione excrementi reapertas. Vndè conjeci, naturalem atque utilem eſſe ejuſmodi flatum, minimeque oneroſum. Eſt namque exactiſſima Ilei iſthæc ſui clauſura, priuſquam tenue, labileque ſurſum propelli queat. 39 Quo viſo, mox collegi, primum quod in cœliaca paſſione, nedum erret digeſtiva, propter corruptelam labentis fermenti; ſed & retentiva Pylori: ac præterea, propulſivam inteſtinorum tum ſymptomatico errore furere. Deinde, quod flatus aliqualis ſit Ileo naturalis, à proprio alimento ſpermatico excitatus; adeoque à ſexta digeſtione illius inteſtini oriundus, ſinè fœtore, acrimonia, & moleſtia. Atque adeò ſeſe dirigit in mediocritatem quanti. 40 Quicquid autem hujus flatus, ut ſuperfluum, quantitatem ſuperat; mox foràs expellitur. Vitium itaque in quanto, ſpontè prodit, & facilè proſcribitur. Ex ſuperfluo quidem eſt: 41 ſed tamen nec dolet, nec mordet. At ſi ex cibis vitiatis in [illegible], vel vitiato fermento, inter digerendum imbutis, flatus ſuſcitentur, dolent ſui acrimonia & exotica impreſſione, aſt longè potentius, ſi inteſtina convellantur, præcipuè ubi mucilago tenax, vitiato fermento imbuta, torminum mater, pertinaciter uſpiam adhæſerit: ad cujus nimirum (fruſtraneam plerumque) propulſionem inteſtina ſeſe comprimunt, convellunt, & corrugant. 42 Voco autem contracturam, immanium torminum genitricem, quoties inteſtinum nôn quidem in tranſverſum, aut obliquum circuli; ſed prorſus in longitudinem ſui: potiſſimum, quod contracturæ per tranſverſas & obliquas fibras ſint quotidianæ, naturales, & indolentes. 43 Galenus de uſu partium triumphans, magni à Scholis habitus, à Veſalio oſtenditur 116 locis, ſive erroribus nunquam diſſectionem corporis humani vidiſſe. Quas, illius Anatomici, demonſtrationes facti, ut nunquam Scholæ eluent: Ita ſuſtineo præcipuos partium uſus, formatricis ſcopos, ſive delicias intactas, neque attentas; ſed ignoratas hactenus. Equidem poſt Galenum ſat viderunt, rectas, obliquas & tranſverſas inteſtini fibras, valere ad excrementi propulſionem: neſciverunt tamen quorſum, & quomodo illarum ſingulæ in ſuis miniſteriis ſeſe flecterent. Etenim qui in plexu choroide, in ludicris motibus pulmonis, & præteritis pulſuum uſibus, prolixè ſcribendo, erraruntemerè, ignaviter uſus pulſuum, & inteſtinorum in ſervitiis præterierunt. Hactenus de ructu, & peditu. Itemque de heteroclito flatu, per totum corpus, deque naturali & requiſito flatu Ilei, determinavi. Siquidem nunquam cadaver diſſectum vidi, quod ſpectantibus non offerret Ileum flatu tumidum. Nunc porrò de flatibus torminum morborum, mortiſque authoribus pergam. Tertio loco eſt flatus in craſſioribus, à cœco deinceps inteſtinis genitus. 44 Scholæ ſanè non alium attenderunt flatum præter hunc, quaſi non niſi in Recto, & Colo, flatus conciperentur. Ideo & morbum flatuum vocarunt Colicum, diſtinxeruntque ſolidè, in colicam coli, & ſtomachi, in arenoſam, & ventoſam, ſimileſque confuſionum turpitudines. Tertius ergo flatus oritur à fermento ſtercoreo, & putrefactivo: eſtque duplex, à cibo nimirum jam putrefacto, per fermentum ſtercoreum; & ab alimento ſpermatico, degenere, cadaverato, & inſuper ſtercorizato. Hic eſt enim longè omnium fœtidiſſimus. Eſt & tandem peregrinus, qui etſi non in torminibus locum habeat ut cauſa: ſæ-

pè tamen ut eorundem effectus eſt ſubſecuti-
vus, ac plerumque hydrope deterior, vocatur-
45 que Tympanias. Stercoreum autem voco fer-
mentum, ut extra inteſtinum gignitur, ita &
cui ſedes eſt in inteſtino cœco, ubi excrementa
ciborum incipiunt putrere, ſub ſpecifica ani-
mantatorum differentia, adeoque impreſſio-
nem fermenti ſtercorei, juxta ſpeciem pro-
priam, ibidem mutuant. Nec eſt ſanè otioſa,
vel ſomniata fermenti hujus fictio, quæ ſpecifi-
cam utrobique diverſitatem parit: cum aliàs
non ſit ulla rerum tranſmutatio, abſque peculia-
46 ri fermento. In hoc itaque fermento, oleoſita-
tes volatilizantur, excitaturque exhalatio in-
flammabilis è putrefientibus. Quapropter chy-
mici, cuncta in putrefactionem præmittunt, ut
quæ alias ponderoſa, occulta, atque clauſa, in fæ-
ce remanerent, unà cum aquoſitate rei attolle-
rentur. Carnes enim, ova, juſcula, & quæcunque
ſponte cadaverantur, fœtidiſſima dant excre-
menta, ut & flatus. Sic Ambarum, Muſcus, Zi-
betta, & aromata ejuſmodi, quia in ſui origine
partim ſunt è carnibus, partimque quia fermen-
tum ſtercoreum illius ſpeciei nacta ſunt ſemel,
facilè deinde à noſtro fermento iterum ſubacta,
47 fœtidiſſima pariunt excrementa ac flatus. Hoc
titulo quoque excrementa & flatus, quæ à la-
xantibus proliciuntur, quia jam è cadavere
tranſmutato immediatè ſtillantia, tam fermento
putrefactivo laxantis veneni, quàm loci, ſive in-
teſtini, præter propriam adhuc cadaveratæ ma-
teriæ horribilitatem ſunt longè putidiſſima. Ad-
48 eoque vel hinc patet, quod ſit aliquod fermen-
tum ſtercoreum in animantatis: quippe quod
præter ſpeciei ſuæ proprietatem, adhuc totidem
ſervet in ſe, diverſitates, quot objectorum ſunt
recipientium. Præcipuè quod ſtercora non ſint
rerum ſpontaneæ putredines, aut putrefactio-
nes artificiales: ſed determinatæ, atque ſpecifi-
cæ. Cujus energia, cum non procedat dumtaxat
ab re ipſa, neceſſe habet authore externo, ope-
rante in eodem ſymbolo ſemper, quoque eo-
dem modo, & charactere. Potiſſimum quod
impreſſio ſequatur diſpoſitionem cum ſanam
fermenti ſui, tum etiam ægram. Quod exinde
clarius liquet. Quod ructus, ſive flatus origina-
lis in ſtomacho, prout & flatus Ilei, extinguant
49 flammam candelæ. Stercoreus autem flatus, qui
in ultimis formatur inteſtinis, atque per anum
erumpit, tranſmiſſus per flammam candelæ,
tranſvolando accenditur, ac flammam diverſi-
colorem, Iridis inſtar exprimit. Qui verò in Ileo,
ſive inteſtinis gracilibus formatur, nunquam eſt
inflammabilis, ſæpè inodorus eſt, niſi alterius
miſturam ſecum deferat, non rarò acer, acutus,
ponticuſque lancinat in ano. Differunt itaque
flatus in nobis, materia, forma, loco, fermento,
proprietatibus, adeoque & tota ſpecie. Nec mi-
nus flatus ſuas habent genericas atque ſpecificas
varietates, quàm corpora unde proveniunt.
Nam flatus nullatenus ſunt aër. Imò flatus non
ſolùm diſtinguuntur per materiam ex qua, ſed
etiam fermento & flatuum ſemine. Huc ſpectant
quæ de ortu Gas, ſive ſpiritus ſylveſtris docui,
qui ſanè in priſtino aliàs maneret concreto, niſi
adjuncto fermento loci, & ſemine aciditatis
hauſto, in flatum ſive Gas conficiatur. Repetam
hoc loco genericas diverſitates flatuum in nobis
genitorum, ſpecificatas ſuis fermentis, & pro-
prietatibus rerum, unde conſurgunt. En Sche- 50
ma. Sunt enim duo in nobis flatus anomali,
quorum unus eſt ordinarius, naturalis & neceſ-
ſarius in Ileo. Alter planè peſtiferus & heterocli-
tus, qui aſſumto, vel intus nato veneno, plerum-
que totum corporis habitum in tumorem ex-
tollit. Sunt deinde quatuor flatus, in ſtomacho,
& inteſtinis. Stomachi unus, qui ructus eſt. Hic-
que vel ſpecificus eſt, ex cibo indigeſto, duro &
pertinaci. Alius inſipidus, ex cremore ferè dige-
ſto, ſed digeſtionis debilitate natus: tertius ve-
rò eſt acidus, ex cremore digeſto; ſed impedito.
Quartus ructus, eſt ponticus, à fermento loci
exaſperato productus. Secundus flatus eſt Ilei,
habetque aliquot in ſe diverſitates. Quarum
prima continet peditum, ex abundantia præfa-
ti naturalis oriundum. Altera, amarum, qui à
fæcibus alienis, ac malè digeſtis prorumpit. Ha-
betque præcocis aliquid fermenti ſtercorei.
Succedit & flatus coli, ex cibis non planè ſuo
acido ſtomachali liberatis, ſed corruptis per an-
ticipationem, accedente præmaturè ſtercoreo.
Eſt & flatus ſtercoreus, cadaveroſus, ex reſolu-
tione, & putrefactione viridi, vitaliſque alimen-
ti, partium ſolidarum. Tandem extra canales in- 51
teſtini, eſt flatus Tympanias, naſcens ex cauſa
morbifica, intra convexum inteſtini, & conca-
vum peritonei. Quæ cauſa morbifica proprie-
tatem habet topici, ſed mitiorem. Flatus autem
hinc genitus, non eſt de materia morbifica: ſed
eſt ejus productum, ex eadem nempe materia
eſt, qua naturalis & ordinarius flatus Ilei. Id eſt:
Ex ipſo alimento immediato inteſtini. Morta-
lis autem eſt, tam ex cauſa venenoſa, ſive ex
morbo radicali, quàm ratione loci, quod pro-
ductus morbus augeatur abſque termino, & æ-
grum tandem ſuffocet. Inſtar Aſcitis. Abſoluto

Jam Schemate, ſpectabis, quod materia, ex qua
flatuum ſit concretum illud, circa quod fermentum
operatur. Deindè quod qui propulſione,
ac diſcuſſione flatus abigere, atque ſic morbum
ſuperare contendit, non tollat cauſam: ſed
ad ultimum effectum vadat. Quod ut ad oculum
clariùs enoteſcat, Supponam tres fratres,
iiſdem potu atque cibo nutritos, quorum unus
nullum ferè flatum edat. Alter autem ac debilior,
multos ructus inſipidos, ac ſubindè acidos
pariat. Tertius verò, patiens inteſtinorum ametriam,
53 multos faciat crepitus. Vndè inprimis
conſpicuum evadit, flatus non fieri ex cibis
flatulentis, quorum proindè uſus tantoperè vetitus
in Scholarum diætetice. Sed prout ſatietas,
plerumque plures flatus cauſat, quos ſobrietas
excuſat: ideo conſequitur, ſarcinam eſſe oneri;
onus verò præſupponere laborem, ſive
debilitatem digeſtivæ. Sic poma acidula, ſi torreantur,
plurimum flatum afflant, quæ ſi à robuſto
ſtomacho edantur, flatus ſunt expertia.
54 Vnde ſat liquet, flatum eſſe vitium noſtrum,
non autem rerum. Cui nil obſtat, quod quædam
aptiora ſint producendis flatibus, atque
hinc flatulenta dicantur. Quoniam maximè flatulenta
flatus non gignunt, niſi in defectuoſis.
Etenim ſi flatus per ſe ac materialiter cibis ineſſet,
in omnibus ex æquo flatus prodirent, atque
qui minus flatuum emitteret, retentis iiſdem,
55 eſſet debilior. Quorum utrumque falſum
eſt. Flatum ergo præfata alteritas, agentem potius,
quàm materiam incuſat. Denique ſi motus
eſſet à materia principaliter, ſitque pinguedinoſus
flatus in nobis: ille verò nullatenus cieri
poſſet à tepore noſtro, qui obligatur primùm
humiditatibus vaporalibus, quàm exhalatibus
56 ſiccis, & oleoſis, queat eſſe ſatis. Itaque vel ex
hinc quoque liquet, flatus fieri, agente patrante,
57 non autem ſeparante. Abſurdum denique & illud
Galeni, quod quædam ſunt flatulenta in prima
digeſtione, alia verò flatum emittant in ſecunda,
quam vocat ſanguificationem, adeoque
& hinc venerea nominat. Tertia verò flatulenta
vocat, in ultima digeſtione, prout de cuſtodibus
ficulneorum ait; inflatas carnes, atque
flatu tumidas, ex eſu caricarum. Nam omnis
flatus, qui quomodolibet ineſſet cibis materialiter,
ſaltem dum cibus elixatus eſt, ac deinde
in cremorem formaliter reſolutus, cum cremor,
liquor, ſive aqua, flatum intra aut infra ſe neutiquam
toleret, neceſſariò exhalaret ſtatim per
ructum. Flatum autem, è ciborum cremore,
permanere in ſanguine, ſive peracta ſanguificatione;
Id ſi rectè trutinetur, contradicit Scholarum
Theſi, per quam ſupponunt, ſanguini innaſci
ſpiritum naturalem, ſive hepaticum, non
quidem externum, è rebus ſuſcitatum atque retentum,
Sed de novo factum poteſtate ordinaria
hepatis. Eſſet nempe iſte flatus in cruore,
flatus peregrinus, (puta paſtinacæ, piſorum, &c.)
exoticus, contra formalem cibi in cruorem
tranſmutationem, rebellis & pervicax. Vel ſi à 58
robore hepatis ponatur tranſmutatus in naturalem,
quam ſupponunt cruoris ſpiritum, inprimis
ſpiritus agentis hepatis, non materiæ cruoris,
erit. Cum quoque flatus, qui aliàs, non niſi
digeſtivæ errore, ubique producitur, hoc loco
erit privilegiatus, fietque digeſtivæ vigore. Adeoque
erit robuſti hepatis, poſſe plurimum flatum
è cremore excitare. Ego ſanè debilitatis notoriæ
ſignum autumo, non poſſe reducere maſſam
tranſmutabilem, in ſubſtantiam univocam,
& æquabilem: ſed relinqui flatulentiam peregrinam
& heterogeneam, à jecore ſuperandam.
Contendunt itaque Scholæ, Veneris robur 59
mendicare ex flatu peregrino? Eritne ergo flatus
ex alimentis peregrinis, ſpeciei, & ſpecificæ
propagationi aptus? Vel ex phantaſtico jecoris
ſpiritu, cruori adhuc immaturo, ingenito, per
flatus externi aſſumtionem, in ſpiritum naturalem,
aut in ſpermate humanæ generationi aptus?
Non credam eò inſaniviſſe Scholas, quaſi ſpermatis
atque teſtium primus tutor ſit cruoris ſuppoſita
aura. Multoque minus alimentorum
crudior flatus. Tandem nec Scholæ ſibi in hoc
ſatisfaciunt. Nam ſi flatus ciborum permanſiſſet
in cremore, atque deinde adhuc in ſanguinis
factione ſuperſtes eſſet, non enim actu flatum
materialiter perſeverare poſſe putandum,
ob rationes præfatas: ergo ſaltem volent, aptitudinem
ſive diſpoſitionem materiæ ad flatulentiam
permanere. Atqui hoc ipſum ſeriò impugnant,
nolentes quod idem accidens ſit in
genito, quod prius erat in corrupta. Sed hæc
cuncta Scholarum commenta dormiunt modò,
poſtquam plenè eſt oſtenſum, nullum eſſe in
cruore ſpiritum jecoris, multoque minus piſorum,
paſtinacæ, eryngii, aut ſeminis fraxini, retentos
flatus. Sat enim oſtendi, Gas, quod in
ſanguine vitale oberrat, non flatulentum eſſe,
nec flatus, aut odores ciborum, referre: ſed luminoſum,
ſed formale ens, animæ ſedes. Quod 60
autem materiam, viſcus, proprietatem, alteritates
& defectus Veneris, Scholis nondum enotuerit,
ſuo loco, de Splene docebo. Hic ſufficit,
materiam, aut poteſtatem Veneris, à flatibus ſeparaſſe.

paraſſe. Itaque debilis digeſtio plures parit flatus,
quos fortior non reperit, etiam curioſius
ſingula examinando, ac robuſtius tranſmutando.
61 Aberrans fermentum namque trahit è re,
quod in ea non eſt materialiter: ſed tantùm poteſtativè.
Id eſt, Flatus oritur errore fermenti,
digerendo alienati. Enimverò flatus non educuntur
ex materia, tanquam in illa præexſtitiſſent
concreti, aut coagulari: neque ex ipſamet
digeſtione, tanquam cauſa per ſe, prout calor ex
aqua ordinariò elicit vapores: ſed quatenus ſub
digeſtione oritur fermenti quædam diminuta
diſpoſitio, unde ſpiritus digeſtivus flatum fugat,
tanquam ſibi inconvenientem hoſpitem, &
tanquam ſi errorem fermenti corrigeret Archeus.
Quocirca ſuborta indiſpoſitio rei, eſt
62 nata mutare in Gas ſylveſtre. Quod per exemplum
cape. Sal armeniacus enim, & aqua Chryſulca,
quæ ſingula per ſe diſtillari poſſunt, & pati
calorem: ſin autem jungantur,& intepeſcant,
non poſſunt non, quin ſtatim in Gas ſylveſtre,
ſive incoërcibilem flatum, tranſmutentur. Adeò
ut ſi vas ſit optimè clauſum,ac licet fortiſſimum
& ampliſſimum, tamen diſſiliat, etiam in frigore.
Sal petræ ſimiliter liqueſcit candenti igne,
frigidum eſt, & anginarum remedium: adjuncto
tamen carbone, utrumque ſtatim conſumitur,
& in Gas flammeum evolat. Neque enim
Aſinus & jumentum vertuntur in mulum: ſed
amborum initia ſeminalia, ex conjuncto, producunt
mulum. Sic namque plurima, quæ
materialiter antea non inerant, de novo fiunt,
per adjuncta, fermenta, digeſtiones, errores, alteritates.
Quæque ſub primis fermentis, non
erant flatulenta materialiter: quia tamen non
ex pleno digeſta erant, ac proindè ablegata,tanquam
excrementa, ubi aliud fermentum ſubſequens
tolerant, tranſeunt in flatus inordinatos.
63 Ita quoque flatus non præexiſtit in cibis, multoque
minus in cremore: ſed eſt nova quædam
& monſtruoſa generatio, ex permixtis rerum
ſeminibus, vel indebitè tranſmutata materia,
ſuppoſita actioni alterius fermenti. Quod de digeſtionibus
clarius patebit. Sic namque debilior
ſtomachus cibos putrefacit ante,vel in chylo,
paritque frequentes ructus, etiam nidoroſos,
prout in febribus. Vbi ex vacuo ſtomacho ructus
frequens proſilit, ſanis inſolitus. Sic nempe
putredo colorem roſarum, ſimul cum aromate
& aqua, diſtillando effert, qui aliàs eodem
calore non attollitur. In inteſtinis ſimiliter ſua
eſt fermentorum, ſuaque putrefacti alienatio, &
gradus ſub quibus generantur flatus, & erumpunt.
Quamdiu enim uva in ſua pelle undique 64
clauſa eſt, citius ſiccatur, fraceſcit, vel in paſſam
mutatur, quàm flatum edat; Sin autem uvæ
cutis tantillum lædatur, ſtatim à vulnere,
fermentum putrefactionis aliqualis prævium
concidit, ex quo nec deinceps ceſſat, ſylveſtre
Gas eructare, quamdiu fervor ebullientis fermenti
duraverit: ſive, quantiſper ex ſucco uvæ,
vinum non ſit perfectum. Nam ut farina 65
differt à paſta fermentata, & maſſa farinacea à
pane: Ita vinum à ſucco uvarum. Atque ut farina,
ſi coquatur, non parit flatus; fermentata
autem, ſponte flatus eructat: Ita cibi flatum
natura ſui non continent, quem fermenta eliciunt.
Mirum ſanè, quod Scholæ de his hactenus
nil ſenſerint, nil ſcripſerint: ſed cuncta caloris
imperio, per manus tradiderint. Porrò de
Gas muſti, ac ſpiritus ſylveſtris proprietatibus,
alibi ſatis. Nec ſunto importuna, quæ de fermentis,
de digeſtionibus, de tranſgreſſionibus
ſubter alienam meſſem, atque inde natis tranſplantationibus
morboſis alibi ſcripſi, ad hunc
de flatibus limitem traduxiſſe. Stomachus ergo 66
debiliſſimus, ructus dat inſipidos, minus autem
debilis, acidos: vitioſus, nidoroſos, amaros
& acres. Fortior verò enchymos cibos ritè conficit
quidem, non item cepam, allium, raphanos,
&c. Ructus ergo impotentiam aliquam
teſtantur, ideoque ſapores ciborum referunt.
Sub ſarcina autem multi cibi enchymi, prodeunt
ructus pontici, etiam nidoroſi, præſertim
ſi cadaveriſentur cibi. Ponticitas autem, exaſperato
fermento concitata, Orexim variam
parit. Quod porrò etiam ex non flatulentis generentur 67
flatus, attende exemplum. Acetum
ſtillatitium, dum lapides cancrorum ſolvit, vel
chryſulca, argentum: eructatur ſpiritus ſylveſter.
Pomum auſterum torrendo, plurimos flatus
excitat: non item ſi diutius in arbore per
maturitatem dulceſcat. Si igitur in eodem pomo,
materialiter fuiſſet flatus: per maturitatem
neceſſe eſt, ut maxima pars pomi, quæ flatulentula
erat, & merus flatus, converſa ſit in dulcem
& homogeneam ſubſtantiam pomi. Id eſt,
in non flatum. Ab ſimplici ferè elemento (ut
ajunt) corpus miſtum factum eſſe. Quocirca
totum pomum, ſive maturum, ſive immaturum
ſit, eadem conſtat materia; & quidem non
flatuoſa. Pomum acidum vitro Hermeticè clauſo,
toſtum, cogit vas præ flatu diſſilire. Pomum
verò conſimile, ſimili vitro clauſum, cum tantundem
aquæ, ut bulliat, Gas nullum emittit:
ſed dumtaxat halitum aquoſum. Chryſulca per

ſe diſtillata, tota in vas recipiens tranſit, ſive
Gas ſylveſtri: Sin autem metallum ipſi addatur
diſſolubile, Gas profert, ſic ut vitrum etiam
fortiſſimum, ſi cæmento benè claudatur, diſſi-
liat: cum interim nil de præfato metallo in Gas
68 cedat. Tartarus vini, ne centeſima quidem, olei
ſui diſtillatione, diſtillari poteſt, niſi rima in
juncturis relicta. Alioqui Gas ſylveſtre, vas ut-
cunque magnum, ſubitò diffringit. Quod ſi igi-
tur Tartarus materialiter flatum contineret,
eundem prima ſui combuſtione, ſaltem altera
diſtillatione edidiſſet, qui tamen ſingulis dein
diſtillationibus de novo fit, etiam ex ſolo ejus
oleo, ſive ſulfure. Eò quod huic inſit occulta
vini aciditas, & ſimul Alcali volatile. Vnde ex
69 amborum copula, fit Gas ſylveſtre. Cibus enim,
non ſat in ſtomacho ſubactus, putreſcit, & Gas
facit. Putreſcit enim corruptione loci, quæ
eſt ſtercoris ſtomachalis: ſive actione præter
naturam. Minimi enim ciborum atomi, benè
maſticati, benè in chylum vertuntur: majores
verò in debiliori ſtomacho, tametſi in ſui cir-
cumferentia, & apparentia externa, per dige-
ſtionem reſolvuntur in chylum; in centro ta-
men ſui, cum calorem quidem ſat perſentiant,
non tamen æqualiter fermento fruantur, indi-
geſti manent, corrumpuntur, ſubflavo calore,
plerumque negotium faceſſunt inteſtinis: vel ſi
cum paucula aciditate priſtinam cibi mucilagi-
nem retineant, in vermes mutantur, (qui ſemper
nuncii debilitatis ſunt) mox verò fermentum
ſtomachi quædam reperiens ſibi reluctantia, id-
eoque ſemicocta, ſemiputridaque, exæſtuat, du-
plat, intenditque acorem. Vndè ructus ex ponti-
co rodens, Orexis comes. Quæ maſſa, in inte-
ſtinum decidens, flatus excitat putridos, ac pu-
tidos; ex pingui putrefacto. Per mechanicam.
70 Accipe ſulfuris partem unam, bulliat cum du-
plo olei lini: mox ſulfur putreſcit, apparetque
parenchyma pulmonis avium, odorem humani
ſtercoris ſpirans, prout & diſtillando, par Gas e-
71 ructat. Maſſa ergò malè in ſtomacho digeſta,
deſcendens per inteſtinum, flatus concitat acu-
tos, ſi acor intenſus fuerit, undè Tormina. Si ve-
rò aliquid ejus muccoſum inteſtino adhæſerit,
Tormina pertinaciora, comitante ſubindè diar-
rhœa, fiunt. Et tantò atrociora, quò aciditas, ma-
gis pontica fuerit. Ex flatu enim pontico, colica
exigua, & fluxilis: ex cibis verò, pertinacior
longè, & loca mutat, migratque. Sin autem ex
muccagine pontica adhærente, & affixa: crude-
liſſimè affligit, & convellit. Flatus igitur non ex
materia propriè: ſed ex operatione fermenti,
novam generationem præter naturam, molien-
tis, & Archei irritati errore proveniunt. Hæc de
flatibus naturalibus, & morboſis. Venena au- 72
tem pota, cur habitum corporis flatu tumidum
proferant. Scito, ſub & poſt mortem iſtud fie-
ri. Neque enim cadaver tumeſcit, ob novæ ma-
teriæ acquiſitionem: ſed quia vita eſt præcipuè
in viſceribus, ideo habitus corporis à veneno
primùm contaminatur. Corruptio autem car-
nis, ſemper eſt in ſapore acido (inſigni nempe
myſterio fermentata, vetita leguntur Iudæis)
ſubita ergo & atrox corruptio, in carnes im- 73
pingens, etiam flatum & tumorem in illis gi-
gnit. Sic cadaver ſubmerſum, illicò fundum pe-
tit, tantiſper dum caro aceſcit, ſub putredine:
tum ſcilicet emergit, flatuque eſt tumidum, &
vita muſculorum, à morte adhuc reſidua, fla-
tum operatur. Solet namq; dici cadaver emer- 74
ſurum, dum fellis cyſtis rumpitur. Nec enim
hoc caret ſuo veritatis vigore. Non quidem,
quod literaliter verum ſit, quod ruptâ fellis ve-
ſica, ejuſque eruptio, levitatem cadaveri attu-
liſſet: Sed fel eſt balſamus, cohibens in vivis
corruptiones ex acino oriundas. Quocirca dum
adeſt corruptio, conjicitur fellis defectus. Al-
vus recens ſidit: dum verò ſuccus in ea conten-
tus corrumpitur, emergit arbor è fundo. Porrò 75
dixi, ſemina minora calida, ex commiſeratione
divina mortalibus enotuiſſe, & à bono vulgo, in
Scholas uſum eorundem introductum, ne-
ſcientes cauſam, & circumſtantiam flatuum. Se-
mina ergò illa, corruptionem ſimul atque aci-
ditatem materiæ inhibent, ſuntque ideo inteſti-
norum ſolamina. Solamen autem iſtud hoc ex-
emplo diſce. Hernioſus incurius, cui inteſtinum
excidit in ſcrotum, mox ad capitis magnitudi-
nem ſurgit, induratur, ac tandem liveſcit. Ete-
nim vario lactis fotu, & ſtercoris vaccini tepi-
do fomento, fruſtra tentatur. Videturque per
foramen ſextuplo minus, quàm ſit tuber ſcroti
propter duritiem reditus ſui ſpem deponere.
Dein ſeminum aniſi nempe, carui, fœniculi, co-
riandri, &c. potu in vino, mox evaneſcit duri-
ties tuberis, ſinitque ſe intrò repelli. Quod cly-
ſter, & fotus exterus, non dedere, ergo per ſe
tacens defectus ille loquitur. Quod exorbitata
circa teſtem inteſtina, ſtatim duritiem præter
naturam induant, flatuſque ſuſcitent. Quæ cun-
cta per ſolamen inteſtinali Archeo mox diſpa-
rent: quæ alias citam atque dolentem mortem
cauſarent. Cæterùm aliquid de naturali flatu
Ilei addam, quod à Scholis eſt neſcitum. Mu-
lier nobilis dolore ventris puſillo tentatur, per
cubi-

per cubiculum obambulat, pranſa erat, mox dolor ac dextram mamillam aſcendit, humerum 76 invadit, eamque paulò pòſt necat. Diſſecto cadavere, nil oculis luſtratur, quod necem attuliſſe culpari poſſet. At opportunè, Ileum modico flatu diſtentum vident. Ventum, ventum, inquam, tortorem Doctores accuſant. Delatum ad me judicium, cenſui, dolorem ventris uterinum fuiſſe; adſcendiſſe ideo ad ubera, quibuſcum ordinariò uterus loquitur: adeoque ſtrangulaſſe fœminam. Ventum verò in Ileo, nedum inſontem dixi, ſed in quovis cadavere naturaliter (etiam repentina morte interemto) ſemper Ileon, vento modico diſtendi, quia is naturalis, inſeparabilis, ac proprius eſt. Abſq; vento namque inteſtina conciderent, excrementa difficilius tranſmearent. Etenim niſi à retro pulſa ac liquida, facilè retrorſum reciderent, & velut ibidem abſque progreſſu, nimiam contraherent 77 moram. Si igitur ventus aliquis Ileo nativus incola; non eſt locus querimoniæ, de flatu in Torminibus, multóq; minus carminativis, pellentibus, & diſcutientibus ventos. Tormina ergo eſto mucilaginis ponticæ, plus minuſve acerbæ, ad cujus reſolutionem (ſi adhæſerint) aut expulſionem (ſi fluctuaverint) ſanitatis exſpectatur reſtitutio. Sin interim acerbus flatus ſubnaſcatur, aut Ileon plus juſto ventis turgeat, id facilè ſibi viam invenit. Sublevat quidem à compreſſione, ac diſtentione, flatuum dimiſſio: ſed flatus non facit magni momenti tormina, quin ſibi citò viam pariant. 78 Quod ſi verò infernè, à duriore excremento, flatus ab exitu præpediatur: Iam Volvulus dicitur & à voce Torminum diſceſſum eſt. Sat jam ergo patet, quod flatus non fiant ab aëre: ſed materialiter vel ab ingeſtis, ordinariis, vel à venenis ſimilarem nutritionis liquorem corrumpentibus. Dein non fiant alibi, niſi in prima digeſtionum culina: & ſunt ructus, in ſecunda quoque, quæ in inteſtino Ileo abſolvitur. Nullatenus autem in ſubſequentibus digeſtionum familiis, quibus omne acidum atque ponticum eſt exoticum. Præterquam in aſſumto toxico. Quapropter flatibus pro morbo harum regionum non eſt occaſio, vis aut poteſtas. Quantum autem ſpectat flatum vel halitum à ſtomacho, ab utero, aut aliunde ſublatum. Id ſuo loco frivolum oſtendam. Hæc itaque de flatibus ſufficiant.

CATARRHI DELIRAMENTA.

1. *Quis morborum atque natura hares.* 2. *Suppoſitiones aliquot, loco pramiſſarum.* 3. *Concluſio.* 4. *Probatur ab experientiis.* 5. *Explicatio dati.* 6. *Pulmo primùm moriens.* 7. *Author cur à Scholis receſſerit.* 8. *Ærumnarum ſeni pramiſſa.* 9. *Solutiva cur in his noceant.* 10. *Miſera medentum ſua ignorantia teſtimonia. Quia ſerò ſapiunt Phryges.* 11. *Pudendum axioma, quod à juvantibus & nocentibus deſumitur.* 12. *Errores Medentum.* 13. *Paracelſi inconſtantia undè.* 14. *Modus fiendi catarrhi, anili fabula ſimilis.* 15. *Morbi Catarrhis tributi.* 16. *Quanta inde mortalium clades.* 17. *Quo pacto agros ſibi faciant perpetua mancipia.* 18. *Ordinarium Scholarum ſubterfugium.* 19. *Tredecim theſes.* 20. *Novendecim concluſiones è theſibus proſilientes.* 21. *Per ſufficientem partium enumerationem.* 22. *Dilemma.* 23. *Abſurda aliquot.* 24. *Sola matre ignorantia oriuntur Catarrhi in Scholis.* 25. *Ignorantia eadem fons eſt abſurditatum in ſanando.* 26. *Pudor Scholas facit inſtabiles.* 27. *Negatio principiorum datorum in Scholis.* 28. *Vndè calor hepati* 29. *Probatio à remediis irritis.* 30. *Examinatur iterum Odontalgia.* 31. *Digeſtio dentis & unguis, ab omnium partium digeſtione differt.* 32. *Catarrhus ad interna oſtenditur impoſſibilis.* 33. *Corizza depingitur.* 34. *Abſurda, ad Catarrhum ſtomachi ſequentia.* 35. *Catarrhus in pulmonem ventilatur.* 36 *Quid initio Corizza ſtillet, & quid deinceps.* 37. *Argumentum ab impoſſibili, contra cauſam tuſſis Scholarum.* 38. *Demonſtratur origo materia in pulmoniacis.* 39. *Remediorum vanitas ab inſcitia.* 40. *Potus china, zarza, &c. non ſiccare excrementa, ut nec impedire eorundem generationes.* 41. *Abſurda aliquot hinc patrata.* 42. *Quid ſit in pulmoniacis attendendum.* 43. *Doctrina de motu pulmonis falſa.* 44. *Vſus pulmonis neſcitur in Scholis.* 45. *Rationes peremtoria viginti & una, contra motum pulmonis.* 46. *Error Scholarum de uſu Diaphragmatis, octo rationibus ſtabilitus.* 47. *Septem concluſiones inde manantes.* 48. *Remedia Medentum cur ſint nihili.* 49. *Pracautiones ad inhibendos catarrhos, eſſe figmenta anilia.* 50. *Galenus libris de conſervanda valetudine, totus ridiculus.* 51. *Ignorantia Scholarum miſeranda ac deploranda.* 52. *Decepit Scholas vivi canis diſſectio.* 53. *Novus error circa Eclegmata.* 54. *Supponunt falſum.* 55. *Aliquot probationes.* 56. *Vnde catarrhorum error introductus.* 57. *Inſana perſuaſionis refutatio.* 58. *Quid ſit, quod ſentitur Catarrhi deflui larvam facere.* 59. *Qua ſit materia poſtera & ſuccedens.* 60. *Ignorantia laticis Catarrhos confirmavit.* 61. *Praoccupatio.* 62. *Tortura noctis.* 63. *Paracelſi inconſtantia.* 64. *Liquida, qua nondum vitalia in nobis, non colloquuntur cum Aſtris.* 65. *Medulla non eſt inter liquores.*

TEmpeſtivum eſt modò oſtendere
magnum morborum cumulum,
dicatum Catarrho è capite
defluo, vel in ſummitatem digitorum
pedis uſque abſque obſtaculo,
eſſe anile figmentum, non
niſi pulſore hoſte humani generis inventum;
ne videlicet cognitis morborum cauſis, remedia
eorundem ſimul enoteſcant. Vtut ſit, ſaltem exin
manifeſtum eſt, Scholas etiamnum hodie abduci
gentilium erroribus, in generatione Catarrhi,
putatione, defluxione, modo, viâ, materiâ,
mediis, locis, organis, itemque revulſione
atque remediis, falſum nempe atque abſurdum
eſt, quicquid uni abſurdo, vel impoſſibili ſuperſtruxeris.
Vnde pariter ruit vana ſpes in cauteriis
collocata, pro-ut ſuo loco demonſtrabo.
1 Naturæ ipſæ ſunt morborum medicatrices: Medicus
autem, illarum Miniſter, juxta Hippocr.
Sed id de morbis, quos Natura curat ſponte ſua.
At ubi ſuccubuit, ut ſuis reſurgere viribus nequeat,
Medicus à Domini benignitate electus,
& apud quem omnes morbi ferè ejuſdem ſunt
pretii, (talis enim eſt, qui aliquam univerſalem
Medicinam, inter plures ejuſcemodi, nactus eſt)
manet non amplius miniſter: ſed interpres, Rector,
& herus præpotens. Sit nomen Domini
mei IESV exaltatum in æternum, qui ſuam
munificentiam ſemper dat parvulis, in ſua humilitate
abjectis. Natura enim ægri, impreſſionum
morbificarum præcipua ſuſceptrix, ſenſitivaque
in oppoſitum motrix, ſaltem ubi hoſpitati
morbi prævalent, homo ſuccumbit, vel ſaltem
in poſterum ipſa morte calamitoſus vivit,
niſi à Medente in priſtinum reſtauretur. Non
cuivis tamen Medico contingit adire Corinthum,
niſi vocato, electo, exercitato, & commiſſo.
Sæculo enim Hippocratis univerſales medendi
apices, quæ naturæ tonum in ſe continent,
nondum enotuerant (jejunæ quippe & irriſæ
à Medentum vulgo adhuc hodie) veniam
ergò Hippocrates meretur, ſi totum morbi negotium
per naturam, ut Magiſtram, abſolvi putarit.
2 Porrò dixi aliàs, vel à fœtus initio deinceps,
cuique membro præſidere aſſiſtentem rectorem
ſpiritum inſitum: alterum verò influum
à corde manare, inſiti expergefactorem, & conſolatorem,
qui tamen nec determinatur, neque
individualiter diſponitur, niſi prius ab inſito ſit
ſubactus. Docui etiam alibi, unumquodque
membrum vegetari, juxta virtutem inſiti fermenti,
adeoq; nec ſperari tranſmutationem, ad
novam generationem, niſi mediante fermento.
Conſequenter exindè ſubauditur, omnem vegetationem
à ſpiritibus fieri, adeoque debilitatam
membrorum digeſtionem pendere ex ſpirituum,
horumque fermenti diminutione, juxta
illud: *Spiritus* (fermenti theca) *meus attenuabitur*,
(ergò) & *dies mei breviabuntur*: Sic
ut membrum, quod in ſanitate etiam nullum
viſibile excrementum profert, multum ejus atque
indeſinenter faciat, ſi ſaucium, læſum, diminutum,
vel impeditum fuerit in fermenti vigore.
Denique & hinc ſequitur, quod pro læſione,
& lædentum varietate, difformitas ametriaque
excrementorum gignatur. Non ergò ex 3
uno fonte, capite humano ſcilicet (undè nimirum
omnes catarrhos depluere comminiſcuntur
Scholæ) ſed ex propria cujuſque partis idiopathia,
ſive propria indiſpoſitione, fermentis
topicis, ſuperinducta, morbi oriuntur. Ita nempe 4
vulnera ſanata, recidivam patiuntur, ulcera
& apoſtemata non rarò pariunt. Et mutato ventorum
axe, longo annorum curſu pòſt recrudeſcunt,
dolentque. Sic nempe tuſſes, pleuritides,
ſputa ſanguinis, & Eryſipelata recurrunt.
Excellens namq; montanum frigus, vel repentinum
aliud irruens, nocturnus aër, aura paluſtris,
aut eructatum fodinarum Gas, ſæpè cerebri,
vel pulmonum fermenta, unico inſultu peſſumdant,
ut in vitam deinceps, pro variis excrementis
fiant officinæ. Hoc pacto nimirum,
in oculis, auribus, dentibus, faucibus, excrementa
(non quidem muccoſa à cerebro) proprio
errore fiunt. Sic tuſſes & aſthmata primò
incipiunt, & continuato fermento perſeverant.
Non quidem à capite defluo mucco, ſed intra 5
pulmonem generato, per violatum loci fermentum.
Pulmo enim ab externo irruente facillimè
affectatur, præ cæteris membris: eò quod membrorum 6
ſit primum ſeneſcens, atq; moriens. Vt
patet per tuſſim ſenum, & ſtertores morientium,
licet alio, quàm pulmonis vitio, afflictorum. Id
enim pulmoni proprium, eò quod crudum ſemper
potet aëra, cordique vicinus oppreſſo, ſuas
vires paratus reddat, citiuſque ob id ſibi deficiant.
Enimverò à Scholis inprimis diſſentio, 7
quod hoc vitii genus ſciam partium continentium,
non autem liquorum contentorum. Sunt
namq; contenta ejuſmodi producta quædam radicis,
quæ ab Archeo partium, malè imbuto progignuntur.
Deinde & in hoc diſcrepo, quod ſciã
eſſe malum topicum; non autem impertitum à
deuteropathia capitis. Fiunt nempe tuſſes ſenii, 8
ſub difficili reſtaurationis ſpe, quod extremis
cannæ aëreæ ramulis, in pulmone innati, excrementi

menti tantillum reſideat,quod nedum arundines
obſtruit : ſed ſimul ſui præſentia , fermentum
locale turbat,minuitq;, unde in horas nova
ſuſcitantur excrementa , tuſſium opulenta
ſupellex. Quæ in ſenio vix curantur vulgo notis
mediis. Vtpotè quæ ad loca affecta non penetrant,
imò nec reſtaurandi robur nacta ſunt.
Sunt ergò ejuſmodi excrementa , partium defectus
topici. Eſtq; ſua cujuſq; partis debilitas,
ſive innata,ſive acquiſita ſit,cum diminutione
9 vegetantis fermenti.Adeoque & hinc ejuſmodi
partium excrementa omnia profluunt. Intelligo
itaque inprimis fruſtraneas & nocuas eſſe,in
his affectibus purgationum repetitiones:quippe
quæ dumtaxat circa producta , non autem
circa cauſas inſtituantur. Tum etiam atque primariò
, quia ejuſmodi excrementa non cedunt
per laxantia. Vtut eſt ,nullatenus in nobis primitivam
labem, nocuamq; radicem attingunt:
verùm ſaltem meditantur poſteriora: priora verò,ſive
radices,non valent tangere. Adde,quod
etſi laxativa quandoque pro biduo ſuccurriſſe
videantur , quatenus demta mezaraici cruoris
maſſa , parcior diſpenſatio , atque nutritio , ad
pulmonem deferatur,atque hinc parcior ſcreatus.
Verumtamen laxantia, totius generale robur
, magis magiſque debilitando oppugnant.
10 Quod utique dum Medentes velut per ſetaceum
cernunt , neque ægro profuiſſe per corporis
& exhauſtarum virium diminutionem
cognoſcunt, tandem infirmos,per diætæ regulas,
& per culinæ ſobriæ, unica auxilia tractandos
dimittunt, modò cauterii ope,& leviorum
laxativorum ſubſidio repetito , pergant medicè,id
eſt , miſerè vivere. Qua inprimis hypotheſi,
ſaltem culinam , quibuslibet officinarum
infidis pharmacis præferendam , inſinuant , &
facta experientia,ab his tanquam nocivis abſtinendum
decernunt. Atque utinam poſt tot virium
emunctiones, id ſufficeret, neque iterato
ampliùs deinceps iiſdem præſidiis tentarent
exhaurire ſpem, corpus,venas, vires,& loculos
ægrorum ! Vtinam ſaltem ſui axiomatis eſſent
memores, qua à juvantibus, ac nocentibus,potiſſimam
ſumendam ſuam indicationem curativam.
11 Quæ Regula etſi putenda ſit, & empyricorum
dumtaxat: utinam ſaltem per eandem
jam reſilirent ab erroribus patratis. Nec in tuſſi
atque tabe redirent ad remedia , quæ hactenus
nemini profuiſſe comperêre. Dormirent enim
laxativa,venæ ſectiones,errhina, Apophlegmatiſmi,
illinctus, decoctum Chynæ, Zarzæ,Saſſafras,Cauterium
in ſutura coronali bregmatis,
aliaq; id genus infida auxilia, à Medente adducta
, ut aliquatenus videantur non gratis nummum
recepiſſe. Vtinam ſaltem ex ſua praxi
didiciſſent,quod dum poſteriorum effectuum,
id eſt , excrementorum , ablationes , revulſiones
, derivationes , & præpeditiones meditantur,
oſtendant palàm illos cauſarum cognitionem
latuiſſe,nec per cauſarum ablationem methodicè
ſuos curaſſe ægros,Comperiſſent quoque
victus rationem eſſe lautum , languidum ,
debile , atque deſperatum remedii genus , pro
tanto hoſte jam inquilino,imo & patrono.Non
mirum itaque, quod vulgus, attendens harum
curationum vanitatem , occaſionem dicendi
ceperit: *Optimam eſſe medicinam, medicina non
uti.* Sæpenumero enim quadam commiſeratione 12
indolui, centurias conciliorum medicorum
perlegendo, ac præcipuè ad novum Almanſoris
omnes morbos à vertice capitis , ad pedis
calcem dum perſequûtur,quod ab ovo cauſam
(ut putant,& ſtentantur)catharcticam indagantes
, ubique incuſant naturalem aliquam , vel
acquiſitam ſingularem intemperiem,ſub incertitudine
tamen dubii , an eandem , tanquam
morbum, an verò tanquam cauſam antecedentem
morbi , de quo conſultum eſt , ſtatuerent.
At ſaltem ne errarent; in quibusvis morbis ,
calorem ſimul & frigus accuſarunt. Conqueruntur
nimirum in omnibus pœnè, de frigiditate
ſtomachi ſolitaria,vel combinata, cum caliditate
hepatis, unde catarrhos oriundos ,ac in
varias partes delapſos, earundem morbos multifariam
ariolantur : nedum internos pænè omnes,ſed
& uſque ad cutaneos defectus,proſequuntur.Sic
nempe theoricè & practicè Scholæ
ſuos imbuunt Sic enim oculorum, aurium ,
faucium, linguæ, dentium, thoracis, brachiorum,lumborum,&
crurum defectibus, rei ſunt
catarrhi. Sic tuſſes,tabes,aſthmata, pleuritides,
peripneumoniæ, apoplexiæ, paralyſes , ſubitaneæ
mortes, vomicæ, ſputa cruoris, cauſam in
catarrhis ſuam jam ratam reperere. Sic denique
ſtomachus vomiturit, nauſeat , apepſia laborat
, jecur etiam & lien malè valent. Nam
prolapſo è capite , mucco non digeſtibili , obſtructiones
, durities , hydropes , apoſtemata,
ſcirrhi , febres , tormina locum inter clientes
catarrhos fecere. Quibus Paracelſus, tametſi in 13
Tartaris , atque tribus primis aliàs triumphans
inventione , plerumque tamen catarrhis ſubſcripſit,
nomenque defluxionis (flüſſen) ſemper
manifeſtè agnovit,nutando ſub domina incertitudine.Hanc
enim catarrhorum ſeriò deflen- 14

dam fabulam ita adornant Scholæ, & de manu
in manum invicem tradunt, ut veritatis vicem
ſubeat: Imò idiotæ facti Medici paſſivi, de catarrhis
ſuis, ad longum uſque tædium mecum
declamant. Quibus ſanè, cum mihi ſit difficile,
atque nauſeoſum, ſingulos diſcere inſuetos, è
putata doctrina avellere, veramque Theoricæ
lucem adferre: præcipuè, cum turba ejus ſit animi,
ut inſtar teſtarum recentium, vix primitus
hauſtum deponat odorem. Silere ideo ſoleo plerumque
apud magnates, non morbum, non cauſas,
non ſpecies, nec medicamina declamo: taciturnus,
ad facilem iſtam Scholarum Theoriam,
videor cunctorum neſcius, abire omnibus conſentiens.
Alicubi tamen dico, me aliter inſtructum
eſſe: ſed Idiotas non eſſe capaces Medicinæ,
cum nec pædagogus ſim illorum. Admiror
ſaltem quotidie neminem tantam medentum
ignorantiam hactenus animadvertiſſe: ſed orbem
Chriſtianum, Græcorum hæc ſomnia poſt
ſe traxiſſe, in latriam ridiculam, mendacem, &
humanæ ſocietati pernicioſam. Statuunt nimirum
primigenium catarrhorum fontem, in frigida
ſtomachi, & calida jecoris intemperie, maximamque
mortalium infirmorum partem huic
ſubeſſe tyrannidi. Modum quippe fiendi, eſſe;
Quod ſtomachus inceſſanter, inter coquendum
ab hepate calefactus, non poſſit non jugiter vapores
ad caput mittere; cerebrum verò, eſſe natura
ſua frigidum, & inſtar coperculi, bullienti
ollæ, aut fungi alembici vice, in quem vapores
adſcendant, & cogantur in aquam. Quæ cum
naturaliter defluere debeat, ſuggerit amplam
15 materiam catarrhis, atque generalem. Quæ ſi in
oculos, aures, fauces, dentes, &c. decidat, dolent
meritò partes, ſe cerebrum vicinum habere, &
tyrannum ſuperiorem: ſin verò in pulmonem
pluat, transmutantur in tuſſim, affectus ſuſpirioſos,
in tabem denique, palpitationem cordis,
adeoque & in inopinam mortem. Quod ſi verò
in ſtomachum hi catarrhi depluant; jam ſuæ
culpæ is pœnas luit, per apepſiam, cruditates,
vomitus, orexes, cardialgias, deliquia, obſtructiones,
diarrhæas, cœliacas, choleras, colicas,
atrophias, hydropes, ſcirrhos, ventriſque defectus
omnes. Imò febres, putredines in venis,
ſplenis quoque, renum, atque veſicæ calculos, è
muccore catarrhi, ſua primordia deſumunt.
Quod ſi verò in cerebelli ſinum derivent catarrhi,
jam mors inſtantanea, apoplexia, & paralyſes
præſtò adſunt. Sin verò per nucham, in nervos,
arterias, muſculos, fortè fortuna divertant
catarrhi, Arthritides variæ, pleuritides, paralyſes
partium, ac convulſiones, mox adveniunt. Itemque
chirurgicos defectus dolorum, apoſtematum,
ulcerumque variam prolem, catarrhos
gignere volunt. Sin autem non decidant, ſuoque
ſe cerebrum levet onere per coryzas, & tuſſes;
adeſt ſopor, coma, catochus, lethargus, vertigo,
apoplexia, memoriæ & ſenſuum jactura.
Enimverò præter præfatas caloris & frigoris intemperies,
atque inde neceſſariò natum catarrhum,
nil reſonant Medentum libri, ſermones,
concilia, converſationes, cathedræ, & praxes:
adeoque totus medendi cardo, in purgationibus, 16
venæſectionibus, ſcarificationibus, balneis,
ſudoribus, cauteriis, & in ſumma, non niſi in
corporis atque virium diminutionibus, ſive catarrhorum
exſiccationibus, hodiè vertitur.
Quorſum nempe ab ultimo Eoo radices Chynæ,
& Zarzæ, cum ligno Saſſafras, ad exſiccandum
propinarunt. Diæteticem verò & pharmaceuticen,
plerumque per caloris & frigoris amuſſim
metiuntur: atque hoc pacto ægros nunquam
de manu ſua dimittunt; ſed in clientes 17
perpetuos detinent, velut acquiſita mancipia:
ſub deſperatione tamen manifeſta. Quod nimirum,
cum cauſas & radices ignorent Medici, ſeſeque
fruſtra operari cernant, impoſſibilem curam
ſive ſanationem fore, eò quod naturale frigus
ſtomachi contradicat calori hepatis: adeoque 1
quæ ſtomacho profutura eſſent, nocitura
ſint jecori; & è converſo. Quæ cuncta cum
conſpirent in mortalium perniciem, item Reipub.
atque familiarum deſtructiones; mearum
fuit partium, exſecrandam hanc doctrinæ Medicæ
hæreſin funditus evertere: tantoque potentius
id debui, quod omnes Europæorum animos
iſta lues, inde à diebus Galeni poſſideat.
Diſcunt nempe divites hanc doctrinam proprio
didactro, quæque didicere, alios docent: ſicque
omnes morbi catarrhis ſonant nati. Dicam ergò
per theſes in Scholis conceſſas.

Hominis ſtomachus, quamdiu in vivis eſt, 19
actualiter calet, & ſua membrana, aliquo mado- 1
re eſt imbuta.

Impoſſibile eſt autem, aliquam humiditatem 2
aquoſam in nobis actu calere, quin etiam de ſe
vaporem ſuſcitet eò ipſo.

Via è ſtomacho ſupera, eſt gula, ſive œſophagus, 3
membrana cannæ inſtar extenta, à ſtomacho
in fauces uſque, membranæ ſtomachi ſimilis.

Gula, per ſe, tota actu madet, eſtque clauſa
(cum obliquitus præ vacuo concidat aliàs) actu
& ſemper, non ſecus atque veſica, carens pro-

prio contento:Gula ergo ſeipſam lateraliter attingit, ob neceſſitatem naturæ, quæ non patitur vacuum. Gula nempe, non habens in ſe cibos,potum aut aerem, eſſet neceſſariò vacua, ſi pateret.Quod autem non pateat, aut aërem contineat, liquet ex eo,quod alias unoquoque bolo deglutito, aër qui infra eundem eſſet, & adæquato bolo reniteretur,detruderetur ad ſtomachum deorſum, adeoque totidem ructus eſſent, quot boli deglutiti. Denique cum membrana Gulæ madida ſit, ipſa in ſe neceſſariò concideret, niſi vi quadam circumquaque tenderetur, quod in diſſectionibus neque occurrit, nec ulli ſerviret fini in viventibus.

5 Os ſtomachi naturali motu clauditur:non voluntario. Gulæ autem non eſt alia ſcientia Anatomica, quàm quod anguſta, inferius clauſa,per
6 Pylorum ſive inferum orificium ſtomachi, & in collo humano à plurimis vaſis compreſſa.

7 Gula non haurit aërem, ut neque continet. Concidit nempe proprio membranæ madidæ motu, & contenti penuria.

8 Gula per longum ſui non aperitur,niſi tranſmiſerit alimenta. Quæ ſi ſicciora ſint, hærent in meatu, nec facilè deſcendunt, niſi potu ſuperaddito:quod fieri non poſſet,ſi ſubter bolum aërem contineret, niſi ſubſequeretur ructus. Gula autem circa laryngem patet initio ſui.

9 Gula infernè clauditur jure alieno, ideoque nec aperitur, niſi intrante externo hoſpite, vel erumpente. Aut ſub fame, etiam pandatur arbitrio alieno.

10 Aër nullus, multoque minus vapor, è ſtomacho ſurſum prorumpit, ſine ſonitu ructus.

11 Si calor ſtomacho neceſſarius, vaporem facit,non tamen proinde eundem protrudit, ſurſum violenter, ita quod valeat ſeratum os ſtomachi & gulam diſtendere,ac aperire. Cum poſito aliquo contradictorio,eſſet unicuique continuus ructus.

12 In ſtomacho, non ſecus atque in aliis vaſis, tepidè calentibus, omnis vapor aqueus, minima compreſſione, in guttas citius concreſcit denuo, quàm quod compreſſam membranam per ſui longitudinem elevet,& diſtendat. Ideoque nec vapores faciunt ructus: ſed duntaxat aër, & ſpiritus ſylveſtris, ſive Gas.

13 Quod ſuppoſito ſpiritu cruoris hepatico, venæ omnes per ſui calorem, vel circa partes jecoris, vel in extremis ramulis, parerent catarrhos, à Scholis neglectos.

CONCLVSIO PRIMA.

20 Ex hiſce theſibus plerumque confeſſis,& per Anatomen claris,Sequitur inprimis.Quod nullus vapor è ſtomacho in caput feratur, putataque materia deficiat catarrhis. 1

2 Si tanta cœcitas mundum circumvenerit in manifeſtis; quid non ſuſpicandum de abſtruſioribus?

3 Quod ſtante Scholarum doctrina, ſanus atque calidus ſtomachus multo majores atque plures catarrhos generaret, quàm æger,atque alioqui frigidior: quod jam adverſatur Scholis.

4 Quod potius refrigerando,quàm calefaciendo ſtomacho, incumbendum foret.

5 Quod omnes mortales neceſſariò eſſent catarrhoſi, atque continuò infirmi.

6 Eò quòd eâdem gula, cerebro, ſtomachoque actu calentibus, madidis æqualiter conſtent omnes, & ejuſdem figuræ.

7 Quod omnis homo porcorum inſtar, naturaliter,ad ſingulos ferè paſſus,ructaret, eò quod indeſinens calor & mador continuum vaporem ſurſum neceſſariò emitteret.

8 Quod tametſi vapor, à ſtomacho excitatus, diſtenderet gulam, imo citra ructum adſcenderet; attamen totus per os ac nares continuò difflaretur, antequam per arctam & concluſam membranæ viam ad cerebrum pergeret. Quod vapor ille, à cibo, è ſtomacho adſcendens, neceſſario quoque in quolibet homine, cibos, horumque transmutationes oleret, ſibi & aſtantibus moleſtus eſſet:adeo ut ſi ructus ſubinde ſint olidi, continenter quoque omnis omnium anhelitus, admiſto ciborum flatu fœteret.

9 Quod cum ructus ſit Gas ſylveſtre, & longè ſubtilius vapore, nec tamen cerebrum feriat, niſi clauſo ore per nares elidatur: multo certè minus vapores ad cerebrum deferentur.

10 Quod ructus nunquam à Gula, recta via ad cerebrum deferantur, ſed tantùm per organum olfactus; Ideoque non niſi ore clauſo, odorem præbeant, multò minus vapor ſpontè è ſtomacho ad caput deferetur.

11 Quod, ut vapor, catarrhi materia, aliquatenus adhuc ad caput, ſive odoratus organum, adſcenderet. Oporteret hoc fieri non poſſe,niſi clauſo ore. Adeoque hianti non fore poſſibilem catarrhi materiam: Eſtque proin facile catarrhi hocce remedium.

12 Quod cum duo corpora naturaliter nequeant ſe mutuò penetrare, in eodem loco, ſitque via è faucibus ad cerebrum anguſta, oppleta (non enim datur in organis iſtis vacuum) ſuperius clauſa, nec pervia (anhelitus namque, etſi compreſſus, non exſpirat ſurſum ad caput)non

Poteſt ergo vapor, è ſtomacho, ad cerebri baſim Pertingere. Per exemplum. Canna, ſi ſit ſuperius obſtipata, tametſi ſuper vapores calidos teneatur; hoc tamen non admittit adſcendere, ob aëris præſentiam, quo oppleta eſt.

13 Dato, quod vaporis poſſet ſurſum ſcandere; non offendet tamen planum aut concavum aliquod, ſuper quod concreſceret in guttas. Multoque minus ejuſmodi, quod Alembicum, aut ollæ operculum referat: ſed in baſi cerebri, quorſum vapor adſcendere donatur gratis, eſt pars anguſta, pelvis, ſive infundibuli fundus, qui habet binos tabulos, nares verſus, ac totidem verſus cervicem. Quæ duo poſteriora oſcula dumtaxat adſcendens vapor reperiret. Suntque continuo ferè mucco oppleta, madent, ac ſtillant, ut cerebri propria emunctoria mucco eliminando deſtinata. Atque ideo, ultrò conceſſo vapore aſcendente: non tamen eſſet locus concretioni catarrhi.

14 Vapor, ſi quis è ſtomacho poſſibiliter factus, etiam eò uſque adſcendiſſet, imò & in guttas concreviſſet tam exili ſpatio, ac, ſimul cum mucco decideret, minus noxæ adferret, quàm ipſe muccus, ordinarium cerebri excrementum. Quæ cuncta per Anatomen Scholæ viderunt, & per Matheſin (ſi penſitent) cognoſcent, inevitabilia: attamen eunt, oculos habent, & non vident; aures habent, ac timendum ne nolint audire.

15 Quod licet ructus ſit ciborum Gas, eorumque odorem præ ſe ferat. Vapor ciborum tamen quilibet cumque, inſipidam & innoxiam aquam dat. Per exemplum. Diſtilletur muccus, vel ſaliva, lento tepore, qualis eſt ſtomachi viventis: certè non niſi inſipidam, miniméque glutinoſam aquam, elicies: multóque minus ſalſum, acidum, acremve catarrhum.

16 Quod licet muccus labatur in fauces, haſque diverſimodè ac malè ſæpè affectet, juxta diverſas mucci indiſpoſitiones; Verumtamen nec iſte muccus, neque ejus ſtillatio, rationem catarrhi habere poſſunt. Non magis quàm lotium è rene in veſicam labens, catarrhus eſt dicendus. Quapropter ſi muccus inſipidus, ſalſus, acer, vel acidus, fluidus, aut craſſus, labens ad partes, quibus naturaliter purgandus deputatur, tanquam emunctorio, non eſt dicendus catarrhus, utut etiam malè afficiat partes, pro ut & urina veſicam ſi afflixerit.

17 Quantò minus cenſeri catarrhus debet, fluxus alicujus humoris fictitii, aut excrementi ſomniati, nati, & delati, per modum, media, loca, & itinera naturaliter impoſſibilia? Si cerebrum 18
in vivis actu non frigeat; ceſſat ratio condenſandi vaporis: Sin, minus caleat reliquis partibus: ergone vapor quærit partem frigidiorem, ſenſu, & electione? quia deſiderat magis coagulari, quàm manere ut eſt? Vel pellitur vaporibus 19
undique ab omnibus partibus calidioribus, ad cerebrum, tanquam frigidius? At ſic continuata in ſanis eſſet tempeſtas inexcuſabilis penitus.

20 His tamen omnibus proſtergatis (quæ nihilominus neceſſitate naturaliter ſe habere nequeunt) at nihilominus catarrhi defluerent. Non enim inprimis extrorſum inter cranium ac cutim. Siquidem docent ipſæ Scholæ, vapo- 21
res, ſive antecedentem catarrhi materiam, à ſtomacho ad fundum cerebri ſcandere, atque ibidem planum aliquod (imaginarium, nec per Anatomen adhuc repertum) offendere, in cujus cavo concreſcat illico, ſtatimque à concretione, decidat guttatim. Procul ſanè abinde, quod hoſtis advena, merum excrementum, cerebro peregrinum, ac tantarum infirmitatum cauſa, in infima cerebri planitie, in aquam tranſiens, inde penetraret, trans ipſum cerebri corpus, ſive in forma aquæ, vel demum rurſus, vaporis ſpecie, in præfato plano luſerit. Non enim ſpecie va- 22
poris: quaſi vapor è ſtomacho ad cerebri fundum pertingit; locique frigore concreſcat (ut ajunt) certè eadem frigoris opportunuitate, manebit aqua, neque fiet iterum vapor. Si ergò va- 23
por ille, jam ibidem aqua factus ſit præ loci frigore, non eſt credibile hanc aquam hoſtilem intrò trahi, multóque minus tam ſubtilem evaſiſſe, ut nolentibus recipientibus, cerebrum, menynges, ſuturas, ac cranium, atque perioſtion pertundat, ut ſubter cutim ſiſtatur, atque decurrat. Præter enim inevitabiles atque plurimas abſurditates, erit aqua iſta, tanquam pluvialis, ineptaque catarrhis viſcidis, muccore perdurantibus. Imò catarrhi hinc oriundi, primo caloris ſenſu evaneſcerent, quovis ſudore citius, Galeniſtæ niſi doceant aquam, è vapore tepidi ſtomachi factam, deinceps fixatam. Salſam & acrem quoque evaſiſſe tactu ſolo plani, quod nondum novacula advertit. Deindè cutis cranii, calvaria longè poroſior, aquam illam ocius, quàm mala indè credita fiant, per diaphæreſin aut ſudorem exterminaret. Eſt porrò cutis, quæ cranio obtenditur, huic tenacius adhærens, neque ſufficit loci declivitas ſola, diffluendo catarrho, & cuti avellendæ ab oſſe. Quin-imo aqua hæc, è vapore ſtomachi genita, neceſſariò haberet intus Pulſorem, qui illam trans cerebrum

brum menynges,os, & perioſtion duceret. Atqui iſte non eſſet calor aliquis: nam tunc ceſſaret eſſe aqua, & rurſus fieret vapor, qui fingitur frigore cerebri, in aquam condenſatus. Denique catarrhi, ſenibus, debilibus, & ſtationibus frigidioribus dicuntur magis ſoliti: ergò pulſor ille erit frigus; quod aliàs ſolet partes conſtringere) jam aquam trans cerebrum & quidem in forma aquæ,everſo rerum ordine,pellet.Eritque pulſus ille in aqua, è meris ſtomachi vaporibus nata,vel in cerebro, quod advenienti aquæ ſe aperiret cum menyngibus & cranio. Denique cum omnis ejuſmodi aqua, è vapore condenſata,dicta ſit pendula è baſi cerebri, nec poſſit ibidem detineri ſupra guttæ magnitudinem, quin neceſſariò, ſtatim atque guttatim decidet proclivis, vel cerebrum ſorbebit guttatim hanc aquam excrementitiam, ſui muneris oblitum. Deinde præter Pulſorem, Ductore, aqua opus haberet, qui pellem diſtenderet,& à coſtis avelleret, ut ſibi deorſum properanti, locum (puta in pleuritide) paret. Eſſetque tam ductor, quàm Pulſor in aqua, potentior, quàm Blas noſtrum.

24 Quocunque pretio tandem,Scholarum ſomnia
de catarrhis proſtituam, nemo falſas merces e-
mit, detecta ſimul credulitatis larva. Nec potui
hactenus ſat admirari, quod mundus per catar-
rhos ſit circumventus. In re inquam tam ſtoli-
da, futili, atque penitus impoſſibili, mortales
tantam credulitatem poſuerint, unam tantùm
ob culpam,ſcilicet,ignorantiam. Quod Scholæ,
non reperientes cauſam,cui morborum catalo-
gum adſcriberent, hæc ſomnia de catarrhis cre-
25 di mandaverint. At ſaltem ſudor ſalſus eſt,quocirca latex materiam catarrhi potius tribueret, quàm fictus ille vapor, per tot ambages ducendus, ac mille vix abſurditatibus poſſibilis conſiſtens. Tum quoque laticis aſſueta ſalſedo,dolorum cauſas proximiores habet, quàm inſipida aqua, fictis vaporibus ſurſum delata. Denique ſi aqua trans cerebrum, menynges, cranium, & circum oſſalem membranam vadat: an ergò jam fatigata, cutem perindè penetrare non poterit? vel viarum erit oblita? cur reſiſtet ſudorifera, & poroſa cutis aquæ, quæ cranium penetrare potuit? At ubi ſubter capillos colligeretur,tum vel ibidem in cataractam tumeret, vel ſanè tenui guttularum filo deflueret. Si pauca, ſudore tenus difflaretur; aut ſi collegium faceret, in temporibus, mox digito ſe proderet. Quid ſi inde defluat, ſaltem non poſſet non in termino ad quem motus, tumorum aquæ dulcis diſtillatæ,excitare. At ſaltem, nunquam poſſet in muſculos decidere, vel citius inter muſculos aqua iſta colligi: quippè qui ſinguli ſua veſtiuntur membrana. Quin etiam nec locus, nec via eſt, defluendi inter cutem, & perioſtion cranii, ad muſculos intercoſtales, ut pleuritidem aqua diſtillata faciat. Quæ enim indolens ſub cute & capillis erat, mox tanto furore dolorum, pleuritidem excitaret, ſoloque deſcenſu pleuram coſtis per fibras inſertam & adnatam, nudo ſui pondere avellet. Immanis certè trux, defluendo adveniret. Tandem nequit catarrhus ad dentes, eorumque nervos decidere. Quia nervi, qui utrimque à fundo cerebri intrant ad mandibulam, foris ac intus, tam adæquatè foramen opplent, ut juſtam adeò thecam faciant, & tam æquam, quod locus non ſit intranti decurſuræ aquæ,eòque minus,quòd aqua non ſubeat foramen exiguum, infernè clauſum. Multóque minus defluet ad unicum, ſolitum, & dumtaxat carioſum dentem, quem affligat. Quin etiam catarrhus, ſubter comas collectus, in genas decurreret, non autem ſubter gingivas, trans harum carnes, & cruorem impermixtus, juxta nervorum ductum,ſubter carnem juxta mandibulæ os, ad unum fortè aliquem decumbet. Quinimò, ſi aqua ſupernè deorſum rueret, deturque in doloris cauſam mandibulæ ſuperioris. At nullatenus nec unquam, aqua non viva non poſſet infeſtare inferiorem mandibulam. Quid ſi catarrhus ad oculos vel aures declinèt, ejus ſanè infeſta materia, à plana cerebri, & ficta baſi, in ſinum prius pergeret, conciliabulum ante feciſſet, imò mortem,quàm ophthalmiam,citius peperiſſet. Quin etiam recordor, pleuritidem non eſſe inter cutim, ſive carnoſam membranam externam, atque muſculos intercoſtales, (quorſum tamen à calvariæ pelle rectà defluerent potius,& non introrſum)ſed vel in ipſis obliquis muſculis intercoſtalibus, vel inter hos & pleuram, coſtas ſuccingentem, undè nomen invenit. Qua via ergò catarrhus à capite huc decidet? Dono quidem per ſuppoſitionem, muccum per palatum, etiam in pueris ac ſanis, in ſtomachum decidere. Non hoc tamen ad catarrhum pertinet. Nec muccus à decantato illo ſtomachi vapore oritur: ſed eſt inutile excrementum à cuſtode errante genitum. Vt ſuò loco. Dono inſuper, in Arthritide, atque aliàs, non raròſubeſſe ſalſum liquorem excrementoſum: At ſolus latex, horum eſt vulcanus,cæmentum, & fomes: non autem vaporum è ſtomacho in cerebrum aſcenſus, non humores plures, nec ficta pituitæ, bili

26 conjugatæ diſtillatio. Ipſæmet enim Scholæ
pudore correptæ, quod caput undique reple-
tum cerebro, Catarrhorum eſſet collegium, at-
que inde omnes ferè morbi depluerent, ſtoma-
chum incuſarunt (eheu!) continuis vaporibus
fumantem,& materiam ſuppeditantem. At cum
in ſanis comperirent ſtomachum inſontem, re-
pente autem ad Arthritidem, in ſanis accuſant
defluxus pudoris umbra ſuffuſæ, ſuſurrant, nec
clarè loqui è ſcientia audent: Etenim bilem a-
crem, & pituitam ſalſam, è cruore mutuant, li-
temque ſub judice relinquunt, an humores iſti
è jecore ſint petendi, ſeparenturque in venis à
cruore, ut ad articulos expellantur, an verò è
capite aqua, vel aliquis muccus, vel anony-
mum aliquid, inter cutim eò deferatur. Incertæ
enim ſunt adhuc, eóque magis confuſæ, quod
ignorent, quiſnam ille ſeparator humorum,
quiſve delator eſſet, qui hos ſinceros à cruore
incontaminatos ad artus tantùm deferret, nunc
hanc,nuncque iſtam partem deligeret: debilio-
rem autem magiſq; ſupinam deſereret, novam-
que indies ſibi manciparet, imò nodoſam &
oppilatam invaderet. Quicquid ergò Scholæ
de vaporibus è ſtomacho ſublatis, pro catarrhi
27 materia garriunt, aniles fabellæ ſunto. Nun-
quam enim ſtomachus juſto frigidior eſt, dige-
ſtivo fermento diminutior quidem, cui coctri-
cem tribui debere,non autem calori,jam ex ple-
no aliàs docui. Iecur etiam, nunquam propria
temperie peccat in calore: cum nullus ſit in no-
bis calor,quàm ratione vitæ:Ideoque cadaver o-
mne, extincta vita, friget repente. Moleſtus au-
tem jecoris calor, per accidens ſemper eſt, Per
exemplum.Sit frigida ſpina digito infixa(exem-
plum alibi de febribus adhuc memoratum)mox
28 pulſus à dolore,calorq; & tumor.Non enim hoc,
quia ſpina ſit calida, nec quia vicinus ſanguis,
fervidus eſſet ante ſpinam: at calor propter ſpi-
nam,per accidens adveniat. Sic de jecore cogi-
ta; ſi ferveat enim,ſpinam ſuam habet,quæ non
indicat refrigerium,ſed ſui ablationem.Refrige-
rium namq; nedum facit curam palliativam:ſed
29 ipſum malum in deſperationem trahit. Idque
ſeriò notent Scholæ, vanumque de calore hepa-
tis commentum,multipliceſque ſanandi errores
hinc manatos. Similiter ſeriò notent. fruſtra-
neas & irritas fuiſſe medelas (eheu) capiti, ſto-
macho, & jecori pro catarrhis inſtitutas. Catar-
rhus itaque materiam,locum,viam,conſuetudi-
nem,admiſſionem penetrandi incerebrum, per
meninges, cranium, &c. non habet. Nunquam
enim excremento locus aut jus eſt depoſiti:
Tripano enim quotidie opus foret non minus
pro catarrho, quàm pro pure. Sed cur catarrhus 30
defluere ceſſat,mox eradicato dente? An enim,
quia viarum oblitus? At ſi materia infernè ſup-
peditatur, quorſum hæc quæſo fluet? vel qua
parte decumbet, quæ antea intrare ſolita eſt per
exilia foramina, quibus nervi, tam internum
quàm externum, tamque ſuperum quàm infe-
rum utriuſque mandibulæ latus ſubintrant? An
forte, evulſo dente, ſtomachus ceſſabit, vel non
audebit amplius dare vapores, & materiam ca-
tarrhis? An evulſo dente ſimul effluit cum cruo-
re omnis catarrhorum, etiam futurorum ma-
teria? Vel, an obturata cavea dentis, per con-
feſtim ſubnatam carnem, nec dato exitu foras,
ceſſabit proin catarrhus? At non quærebat ca-
tarrhus exitum, per duriſſimum dentem. Cur
enim in finitimis oris, non ſuſcitabit neceſſa-
rium apoſtema? Cur ad alium dentem, ſæpe u-
no evulſo, deſcendet? An canalis mutatur uno
evulſo? neſcitq; amplius defluere in nervum ſal-
tem dentis evulſi, & in carnem ſubnatam? faci-
liuſque ſibi iter trans dentem,quàm ſuccreſcen-
tem ab evulſione carnem,putat? Quidni viam
quam paravit,tenet? & antequam ſuccreſcat ca-
ro,iſthac ſibi exitum ſervat? miſerè ſanè deludi-
tur per chirurgum iſte, qui putans in dentem
defluere, illumque ſublatum reperiens, cogere-
tur eadem via redire ad partem nobilem,quàm
carnificet in Chirurgi vindictam. Deus ergò
non dolet ex catarrho: ſed vel detecta gingiva,
nimium ſenſilis factus: vel aliàs, male digeſta
ultimi alimenti ſui materia, circa radicem den-
tis putreſcit. Hinc dolor. In hoc nempe differt 31
digeſtio dentis, unguiſque à digeſtione aliarum
partium: quod hæc fiat in culinis ſibi internis,
illa verò, in culinis radici illorum contiguis.
Quod autem catarrhus ad interna, ſtomachum, 32
pulmonem,jecur,renes,veſicam, venas,arterias,
muſculos & nervos non deſcendat, Partim jam
in communi, ſublata fictaque Catarrhi materia,
via, à fiendi modo, ſatis conſtat: partimque
quod è capite, inprimis ad ſtomachum, nil in-
vitis nobis, decidere poſſit, quin exſcreatione
ejici queat. Muccum enim è capite deſcenden-
tem, non niſi incauti deglutiunt. Nec eſt Ca-
tarrhus illius intentionis, ut exſpectet ſomnum,
quo incautum opprimat. Fabulæ faceſſant in
medendo.

Quicquid igitur à capite deorſum ad fauces 33
ruit,eſt muccus naturalis,vel alteratus,juxta Cu-
ſtodis indiſpoſitiones. Sed is muccus, tota ex-
crementi ſpecie, alienus eſt ab expectorato per

tuſſim ſputo. Quid enim ſibi vult Scholarum
inadvertentia? qua ſcilicet jubent, inſpicienda
ſputa per tuſſim rejecta, an aquea, ſpumoſa, clara,
liquida, alba, concreta, flava, cinereave ſint?
an rotunda vel decurrentia, &c. Cur inquam indè
augurari jubent pectoris diſpoſitiones, ſive
pulmonis affectus, ſi ſint ſputa ipſa capitis excrementa
deflua, ſive Catarrhi! Sic nimirum
rheuma, oſſis ethmoidis ſive ſpongioſi, aliqualem
conſtipationem à mucco conſequens,
crudo & aquoſo madet mucco, eò quod natura
mittat eò copioſum laticem, ad ablutionem illius
obſtruentis. Etenim ſi materia hujus è ſtomacho
adferretur, cur obſtipato oſſe ſpongiæ,
ſtomachus vaporibus inſanit ſanus? quomodo
vapores iſti, paulò ſupra palatum condenſati,
ad frontem, juxta organum odoratus, ad eluendum
noxam, ab oſſe ſibi præfixo, in ſpecie aquæ
ſalſæ, devenient? Vndenam vapores inſipidi,
atque inſontes, tantum ſuo tranſitu deſument
ſalis, quod liquefaciant, ſecumque deorſum
præcipitent, ut ſua acrimonia non raras
anginas, aliaſque faucium phlogoſes, ſuſcitent?
34 Cur materia è ſtomacho ſublata, &
ſola in aquam condenſatione (quippe quæ per
mechanicam probata eſt, neceſſariò inſipida)
à ſeipſo prius vapore mutata, decidens in ſtomachum,
tantas illi faciet moleſtias, quæ paulò
antè, cum reliquo chylo, eidem erat grata?
Vnde iſti hæc hoſtilitas? An enim à cerebro,
viſcere principe, vitalibus initiis divite? At ſi
vapor tetigerit ſaltem infimam cerebri planitiem
(ut ajunt) & mox inde confeſtim, atque
ad guttæ completam magnitudinem devenerit,
decidat, cumque non poſſit eſſe tertius alter,
qui unamquamque guttam detineat: non ergo
à paucula illa mora, non à contagio malignæ
partis, nec demum à ſuſcepto ibidem ſemine
nocuæ illius materiæ erit perverſitas: niſi forte
oſtendérint, præter vaporis condenſationem
in guttas aquæ, aliquid aliud interceſſiſſe.
35 Quod hactenus neglexerunt probare. At quandoquidem
plurima ubique commenta, de catarrhoſis
& pulmonariis defectibus, in ingentia
volumina, concilia, diſpenſationeſque ſurrexerunt.
Mei muneris eſt oſtendiſſe, à Scholis
nil unquam negligentius, ſtolidius, & perniciosius
edoctum. Eò quod nullum peccatum
minoris hactenus fecerint, quàm homicidium,
incuria patratum, modò terra culpam tegat, &
excuſentur per tradita axiomata, homicidæ.
Atqui inde conſideravi dæmonium Moloch
Cathedris præſidere, & Catarrhis mundum hactenus
dementaſſe. Quibus materia, nativitas,
locus, efficiens, fiendi modus, capſa continens,
iter, & colligationum ſocietas, ſimul deficiunt,
& falſo ſunt. Ideoque hæc, non niſi antiquus
ſerpens, mendacii pater, docuit hactenus, in
mortalium perniciem: Enimverò quicquid è
capite manat, muccus eſt, & merum excrementum,
non autem è ſtomacho eò deductum.
Muccus eſt albus, craſſus, & viſcidus, benè conſtituto 36
Cuſtode cerebri: ſed ejuſdem revolutis,
& perperam affectis poteſtatibus; muccus eſt
aquoſus, acutus, ſalſus, aſper, flavus, tenax, &c.
& decurrit, qua ſibi via magis apta, è pelvi, ſive
ſui infundibulo, patet. Non enim qui Coryzæ 37
initio ſtillat aquæ formis, merus muccus eſt: ſed
ſalſus latex, quo natura conatur eluere, quod
oſſi ſpongioſo, cerebri finitimo, inſedit ut hoſtis
peregrinus, prout dixi. Deinde, quod declinanti
Coryzæ defluit flavum, & viſcidum, non
eſt idem, qui prius latex, nec ibidem tantiſper
detentus, & inſpiſſatus, (ut tamen Scholæ docent)
cum alioqui totum cranium, cerebro licet
vacuum, tanto excremento in capſam vix
ſufficeret. Creatur nempe in momenta novus
ejuſmodi muccus, à ſano longè diverſus colore,
fœtore, viſciditate, & acrimonia. Ridiculum
porro, hunc putidum muccum, jam coctum, &
à priori latice inſpiſſatum, dici: qui denuo
ſuccreſcit, vitio alieno. Quod autem initio
Coryzæ ſit latex, liquet: nam mox à biduo
alvus ſiccior, & parcior urina. Denique latex
ille, tepidè evaporatus, vix habet unde muceſcat,
quantumcunque mucci latex ſecum defert,
tantundem mucilaginis habet, nec amplius.
Vt ut eſt, & quicquid id eſt, quod è cerebro 38
deorſum ad fauces defluit, ejus ne unica quidem
gutta ad pulmonem intrat, quin prius ſuffocationis
metum, ad quamlibet guttam ſuſcitaret.
Siquidem ſi unica aquæ gutta, incautè deglutiendo,
in laryngem decidens, præfocationis
metum potanti incutiat, quid non faceret tanta
mucci copia, quæ pelves parvo ſubinde ſpatio
implet? Devium enim eſt, quod paucarum horarum
ſomnus, integras mucco pelves, in pulmonem
ſine ſenſu deferat, citraque præfocationis
metum intrent. Pridem enim ſub Tyrocinio
deluſus à Scholis, hujuſmodi ægros ſic collocavi,
ut inter pulvinaria, in vultum dormirent,
ſperans, per nares muccum delapſurum, qui in
pulmonem aliàs laberetur, atque hactenus à catarrhi
effectu immunitatem ſperabam. Sed ſubſequens
mane, per exſecrationes meam irriſit
inſcitiam. Tum enim exploravi orthopnœam,

quæ recta cervice ſpirantes collocat, parum
morari doctrinam catarrhi, eamque ut frivo-
lam convincere. Cum ſupino atque horizon-
tali decubitu ſtrangularentur, quo tamen ante-
cedens catarrhi materia præcideretur. Quapro-
pter cœpi animadvertere, quodlibet membrum
malè affectum, nedum plurimum excrementi
39 ſui; ſed etiam adverſi, fabricare. Sic namque o-
culo diverſimodè affecto, plurima ſanies & la-
cryma acris emanant: faucibus quoque per
anginam præcluſis, è lingua filum viſcidum
continuò propendet. Hinc itaque credidi, pul-
monem aliorum membrorum legi teneri; ad-
eo, ut quoties irritatus, læſus, punctus, injuria
aëris, aut per endimicum Gas oppetitus, oppreſ-
ſus, aut affectus eſſet; pareret diverſa tædii ſui
teſtimonia, proprio errore; non quod proin-
de, illa excrementa tam ſontia, à cerebro (ple-
rumque ſano) labantur inſenſiliter, intra aſpe-
ræ arteriæ exiles conductus. Tunc demum
mirari cœpi, quod Scholæ viderent quidem in
Coryza proprium degenerare, & imitari ex-
crementum capitis: nec interim ratæ ſint, id
pulmoni, æquè ac cæteris membris, accidere
poſſe. Sic quicquid è pulmone effertur, id to-
tum cerebro tribuendum; idque decidere, (ri-
diculum) in aſperam arteriam ſine ſenſu, & in
decurſus exſilio ſenſim decoqui, ut plurimum
citra anhelationem, ibidem uſque in matura-
tionem detineri. Cum ſubinde uno menſe plus
ejiciatur per tuſſim, quàm ſit ampla tota thora-
cis capacitas. Flava atque cinerea tabidorum
ſputa igitur, vegetatricis in pulmone errores
ſunt, & cruor degeneratus, quem ideo totius
40 macies ſubſequitur. Quare fruſtranea & deplo-
randa adhibentur remedia cephalica: vani ſunt
potus refrigerantis ptiſanæ, loch, ſyrupi, &
quicquid deglutiendo deſcendit in ſtoma-
chum. Vtpote quod in itinere multoties for-
maliter mutatur, antequam ad affectam partem
41 deveniat. Quid enim ſtultius, quàm Indicas
radices potandas exhibere ad Catarrhorum
ſiccationem? quid enim Chyna, Zarza, aut
Guajacum ſiccabunt, in forma aquæ pota?
quid enim exſiccabunt, quod exſiccatum ſe-
42 ipſo liquido non eſſet pernicioſius? Cur ad
exſiccationem appellant, quæ remedio, ne
fierent, inhibitivo dumtaxat opus habent? quæ-
que cum facta ſint, non exſiccanda, ſed ejicien-
da poſtulant? Cur ubique Scholæ ad effectus
reſpiciunt, & non ad radices? Quid ſi ejuſmodi
peregrina ac barbara remedia ſudorem cieant,
& laticem cum ægri detrimento minuant, an
proinde ad radicem itum? parca ſiquidem nu-
tritione, atque copioſo ſudore, cruorem mi-
nuunt primariò, ac ſecundariò maciem cum
debilitate cauſant. Quod falsò Scholæ traduxe-
re in ſuperfluorum exſiccationem, Putantes
cruoris competentem quantitatem, & excre-
menti morboſi generationem, ejuſque expul-
ſionem, uno exſiccationis ſynonymo compre-
hendere. An enim propterea indiſpoſitio, &
commutator Vulcanus, qui in pulmone de bo-
no cruore ſputa parit tabida, ſuperabitur? dor-
miet? minuetur? miteſcetque? deſiſtet? qui
Vulcanus interim ſub extrema Maraſmi ma-
cie, nequicquam de ſuo furore remittit. A-
verte Deus bone ſtragem, quam ignara Paga- 43
norum Schola & turba in lucellum inhians, pa-
trat. Tollenda eſt morboſa duntaxat impreſſio
erronea (quam voco Corruptorem pulmoni in-
ternum) quæ membranas venarum, aſperæ ar-
teriæ cartilagines, atque pulmonem integrum,
ſuo alimento deplet, & in varias ſordes inceſ-
ſanter ac continuo filo tranſmutat. Quod ſi au-
tem ſputum cruentum præceſſit, ulcuſque ſit
præſens, diſce parare pharmaca, quibus Para-
celſus tabem curavit. Oretenus inquam ſum-
tis, cancrum & eſtiomena quævis ſanantia,
quod eſt ulcus pulmonis curaſſe. Quicquid e-
nim ulcus femoris aut pedis ſuo potu ſanat:
quidni etiam idem in pulmone faciat! Sed quid
agent Scholæ? ignorant cauſas, ignorant reme-
dia, & ſuſpenſo naſo irrident Mercurium dia-
phoreticum, dulcem inſtar mellis, & fixum: &
Lili tincturam volatilem. Itemque lac, ſive ele-
mentum perlarum. Etenim, niſi univerſaliter
totum corpus tingatur ſuper eminenti balſamo,
nunquam interna ſolidantur ulcera. Pulmo enim
primò ſeneſcens, primùm moriens, à minitata
morte difficillimè recuperat, reſilitivè, atque
vulgi proinde ſpernit remedia. Quocirca Scho- 44
larum continuatus ſuccedit error, quæ citius,
quàm in luridis ſuis pharmacis defectum a-
gnoſcant, naturam defectuum, ejuſque glorio-
ſiſſimum Authorem ſomnolentæ obmiſſionis
accuſant. Decernunt nimirum quatuor pulmo-
nis lobos, inſtar follium, quoad vivitur, inceſ-
ſanter diduci, & comprimi, pro uſu anhelitus,
adeo ut flatus, ſive inſpiratus aër, dumtaxat in-
tra pulmonem trahatur, neque ad cavum tho-
racis pertingat ulterius. Quod ſanè in ſanando
non inſontem inſcitiam dedit. Prout & Meden-
tis ludicrum ſubterfugium. Conantur namque
inceſſata, atque inexcuſabili dilatationis & com-
preſſionis neceſſitate, ſive pulmonis irrequieto
motu,

motu, excuſare ſibi impoſſibiles ulcerum, Ta-
bis, ac cæterorum miſerias. Ah! quaſi de cæte-
ro cancrum ulceratum, quietamque fiſtulam,
45 ani vel oculorum, pro lubitu curarent! Cui er-
rori ſic vado obviam: In aëre obvolitat tenuis
pulviſculus atomorum; neceſſitate autem con-
tinua, trahimus anhelitum, cum pulverulentis
atomis: ideoque & mox totus thorax opplere-
tur luto, niſi pulmonem haberemus, cujus in
anfractibus affigerentur præfati pulveris atomi,
atque hactenus pulmo non aliàs ſuis ſe excre-
mentis deſarcinat, niſi per ſcreationem, ut con-
ceptus nimirum pulvis, una cum quotidiano
excremento pulmonum, irretitus efferatur. V-
ſus eſt ſanè, qui à Scholis fuit neglectus, una-
nimiter pulmonem pervium negantibus. Pilus
quidem in naribus, fibram omnem in aëre vo-
litantem detinet, arcetque ne intrò trahatur:
multiplex deinde cannarum aſperæ arteriæ di-
ductio facit, quo minus tenuior alioqui pollen
A penitus vadat. Porrò ut conſtet pulmonem eſſe
prorſus immotum, nedum ex uſu jam patefa-
B cto, id ſat liquet: ſed inſuper multò magis,
quod pulmonis ſubſtantia ſit diductionis &
C compreſſionis prorſus incapax. Itaque eatenus
avium pulmo (volucri atque nobis, inſerviens
iiſdem uſibus) qua coſtis firmiter annexus, o-
mnem follium dilatationem & compreſſio-
D nem reſpuit. Denique pulmo conſtat tribus va-
ſis adæquatè per totum diſperſis (una nempe ar-
teriali, arteria venali, ac aſpera arteria) circum
affuſo cruoris parenchymate, & membrana
tanquam toga. Tria autem vaſa ſunt canales, æ-
qualiter per totum deducti, quorum duo prio-
res ſunt ſanguine repleti, adeoque incapaces, ut
intra ſe novum aëra inſpiratum recondant. Ter-
tius verò canalis ſemper patet, aëre repletus, id-
eoque & incapax alterius novi & inſpirati aëris,
niſi contentus aër ceſſerit advenæ, in thoracem
intraverit, adeoque tertius ille canalis ſit perfo-
ratus, unà cum membrana pulmonem veſtien-
te. Eſt namque hic tertius canalis, annulis car-
tilagineis, ſibique invicem contiguis, ſemper
diſtentus, & patens, non ſecus atque ipſæmet
aſperæ arteriæ truncus. Quarta autem viſceris
pars, eſt caro ejus parenchymatica, aëris adven-
tantis æquè incapax. Quinta tandem eſt mem-
branula, ſive tunica pulmonis. Itaque horum
nihil capax eſt novi aëris, nihil anhelitus no-
vi ſuſceptivum, nihilque quod dilatationem at-
que compreſſionem ſuſtinere poſſit, vel mo-
tum. Mirum ſanè, quanto nihilominus ſopore
ſtertant Scholæ, quod ſingula jam dicta ſciant,
& admittant, nondum tamen ceſſent docere
adhuc hodie, pulmonem follis inſtar continuo
agitari motu. Porrò tertium vaſorum, ſive præ- E
dictorum canalium, (conceſſo adhuc) quod
non aëre eſſet plenum, ſed planè omni pror-
ſus aëre vacuum: à reſpiratione (cum tamen
pateat alioqui, nec in ſe concidere valeat, inſtar
veſicæ, annulorum vetante id cartilagine) ſal-
tem tantundem dumtaxat aëris in ſe conciperet
novi, quanta eſſet alioqui viſceris pars. Verum-
tamen cum ad lubitum, unica vice pars aëris in-
ſpiremus, quàm totus pulmo ſit amplus. Ne-
ceſſe eſt omnino, aërem non ſaltem inſpirari in
canales aſperæ arteriæ, ad concidendum & di-
latandum alias impotentes: ſed ab his intrò per- F
gere in pectoris cavitatem. Denique, ſi cui muſ-
culi intercoſtales per pugionem terebrentur,
mox vulnus penetraſſe proditur: nam flatu ex-
tinguit flammam candelæ. Sin autem deindè
vulnus claudatur inſpirando, & exſpirando ape-
riatur iterato, ſemper candelæ lumen effluat.
Quod fieri eſt impoſſibile, niſi ductus inſpira-
tuſque aër, trans pulmonem, in thoracem per-
gat. Et per conſequens, ſit pulmo quietus. Ma-
ximè quod in pectore duplex ſit mediaſtinum,
ſive membrana interſtitia à ſummo ad imum
thoracis, cordis tutandi cauſa, ab aëris injuriis.
Quod mediaſtinum, thoracis dexterum à ſini-
ſtris dirimit. Liquet ergò mechanica neceſſita- G
te, anhelitum rectà in thoracem ferri, trans pul-
monem, adeoque & hunc quieſcere. Quod æquè
manifeſtè per pleuritidis expectorationes eſt
obvium. Quippe per tuſſim rejiciuntur, quæ
prius in coſtis, & pectoris cavo, erant extrave-
nata, & putrefacta. Oportet itaque membranam
pulmonis eſſe valdè patulam, quæ cruori & puri
tranſmittendo ſufficiat. Hæc vident, ſciunt, fa-
tentur, & ſcribunt Scholæ: negant tamen, anhe-
litum extra pulmonem, in thoracem difflari:
ſed ipſum pulmonem, neceſſariò follium inſtar
agitari. Concedunt equidem pulmonem poros
habere, per quos cruor & pus in pleuritide ſor-
bentur: nolunt tamen aërem per eoſdem poros
tranſmitti in thoracem: ſed ipſum pulmonem
inſtar follium agitari, æquè pertinaciter jubent.
Neque mirum. Eò quod non niſi cadavera (qui-
bus pori illius membranæ per mortem clau-
duntur) meditentur, tam facta quàm facienda.
Nam & idem nervis opticis, ſpinali medullæ,
interſtitio cordis, & oſculis venarum ad inteſti-
na, contingit. Pulmo brutorum ſupernatat a-
quis quibus bullitur integer, at fruſtratim diſſe-
ctus, ſidit, quia aëre eſt impleta aſpera arteria.

Quorſum (per impertinens ſit additum) ſi aqua
bulliens acceſſum non habeat, dum elixatur:
quomodo catarrhus eò aditum nanciſcetur. Per
H mechanicam idem. Efflà anhelitum è pectore,
quantum potes; metire filo, coſtarum circumferentiam:
tum rurſus, quantum potes, inſpira aërem,
atque iterum metire: Reperies per cubum,
plus aëris attractum, quàm ad magnitudinem
I pulmonis humani. Quantò magis, quod magna
pars anhelitus hanc fallat menſuram. Nimirum
quantum diaphragma deorſum tetenderit ſtomachum.
Experire ergò iterum. Attrahe anhelitum,
quantum potes, & inſpira in veſicam, &
reperies idem quod ante: aëremque inſpiratum
K excedere integri pulmonis magnitudinem. Interim
memento, poſt omnem exſpirationem,
adhuc canales aſperæ arteriæ, apertos ſuis annulis
manſiſſe, & aere adhuc, ut antè, repletos. Indubium
eſt, quin pectus & venter, inſpirato aëre
intumeſcat: quod ſi ergo pulmo extendi poſſit,
(quod nullatenus) at ſaltem non ad ſubdecuplum,
quantum thorax extenditur, eſſet locando
aëri inſpirato. Ergo motus thoracis arguit
L motum pulmonis non neceſſarium. Quod ſi
pulmo totum pectoris cavum impleret (quod
manifeſtè non) rationi conſonum eſſet, quod
coſtarum elevatio pulmonem dilatare poſſet:
ſed cum aër dilatationem & compreſſionem ſuſtineat
(ut dici ſolet) ergo coſtarum elevatio non
traheret adæquatum aërem. Imo cum iſta attractio
adhuc eſſet violenta (timore vacui nimirum)
naturali atque vitali motui adverſa, ſequitur
etiam motum coſtarum non eſſe inſtitutum
ad dilatandum pulmonem. Cumque
pulmo nec in ſe, nec aliundè, motus ſui habeat
principium ullum, niſi à motu coſtarum
(juxta Scholas.) Sequitur etiam, pulmonem
nullo motore moveri, ſed planè ſemper
M quieſcere. Quæ eſt enim major fatuitas, quàm
fateri, omnes aſperæ arteriæ ramulos, cartilagineorum
annulorum contextu apertos; & tamen
docere omnes eoſdem ramulos, attracto inſuper
novo aëre, ſemper ampliari, diduci & comprimi?
N Tandem Sholæ docent, diaphragma nobis
ad ordinarium ſpirandi uſum ſufficere: attamen
ejus officio, muſculos intercoſtales ſubſtituunt.
Tum inſuper non rarus eſt ructus è ſtomacho,
qui odores in pulmonem hauſtos exprimunt.
Ergo pulmo & diaphragma ſunt
membra perſpirabilia. Deplorandum ſanè tam
noxiis negligentiis, atque ludibriis puerilibus,
inſudatum in Scholis. Siquidem ſi ſupino decubitu,
unam manum ſuper abdomen, alteram
verò ſuper coſtas poſueris; moderatum verò,
ſive incoactum anhelitum duxeris: ſenties tum
facilè, ſolos muſculos abdominis operatos fuiſſe.
Ventre nimirum ſublato, diaphragma deorſum O
trahi, & conſequenter, tantundem Abdominis
cavum ampliari, quantum diaphragmatis
planum, (in ſe laxum) ſive diameter, minor eſt
ſemicirculo ſui, deorſum tracti, ac tanto amplius,
quanta & plani diaphragmatis ductilis laxitas.
Imo ſi ſtricta zona coſtas cinxeris, atque
præfatum anhelitum duxeris: ſenties ventrem
attolli, & deprimi, coſtis prorſus immotis. Et
per conſequens, pulmonem, etſi aliàs mobilem
(quod non) toto tamen die ſic poſſe quieſcere.
Sed in ſuſpirio, oſcitatione, ſternutatione, P
& forti anhelatione ſentiuntur (nec enim
antè) muſculi intercoſtales ſuo quoque vicariatus,
& adminiculi fungi officio. Sunt namque
coſtæ ſemicirculi deorſum propendentes, quos
muſculi intercoſtales ſinguli ſingulos ſurſum
attrahunt. Hactenus quoque majores fiunt attollendo, Q
quatenus tum fiunt rotundiores, & ſic
pectoris cavitatem ampliant. Sic nempe recta R
tantùm cervice reſpirantes, alas & humeros in
ſubſidium flatus diducunt, manus utrimque,
ad elevandos humeros, ſedilibus premunt, ut
pectoris cavum augeatur, ac majori tubere diaphragma
deorſum promineat. Vxor Patritii, S
enitendo prolem, (prodibat nempe in lucem
natibus ſuis antrorſum) fregit atque laceravit
ſibi pleuram, inter 7 & 8 coſtam, abſque ſenſu
(major enim dolor obfuſcat minorem) apoſtemate,
&c. Mox à diebus puerperii, ſenſit quoties
comprimeret anhelitum, canendo, vel aſſellando,
ſi thoracem exuiſſet, confeſtim protuberare
ingentem tumorem, flatulentum, qui
digito prementi cederet, atque intrò dimiſſo
anhelitu properabat. Adeoque deinceps, non
niſi ſtricto thorace, dormivit. Vndè liquido T
conſtat, anhelitum per pulmonem rectà duci
in thoracem. Quod & in muliere principe ſimiliter
notavi, quæ à partu ſibi retinuerat, quod
quoties anhelitum comprimeret, alterum gutturis
latus inſtar veſicæ tumidum nobis oſtendit.
Tum quoque huc facit, quod Pulmoniacos, V
itemque difficulter ſpirantes attentè conſideraverim,
ac comperi plerumque illos laterum
uno cubare felicius, atque altero vix reſpirare
poſſe. Etenim indubium eſt, quin iſtud vitium
ſit ipſius pulmonis; quodque Pulmonis prono
latere (id eſt enim cui tum æger incumbit)
quaque parte tum coſtalem membranam tangit,
pori ſint conſtipati, quibus aliàs reſpirare ſolet:

let : quod etiam ſupini tum lateris lobus, uterque
pulmonis, ſint pori morboſè obſtructi,
ſi non omnes, ſaltem pro magna parte, idque
metiendum à proportione deficientis anhelitus.
Quo argumento manifeſtum eſt, pulmonem
non attolli, & concidere inſtar follis : ſed
poris pervium, per quos aër ad & extra thoracem
perfluus,ejus diducti, vel contracti, amplitudini
æquatus reſpondet. Hinc nempe erecti,
quàm jacentes reſpirant melius. Eò quod pulmo
pendulus, undequaque poros liberos habet,
48 qui non vitio oppilationis ſuccubuere. Error
ergò Scholarum eſt, quod doceant diaphragma
eſſe membrum pulmonis motivum unicum,
adeoque proprium, & principiativum efficiens
organum anhelitus. Nimirum, quod dum diaphragma
ſe in ſui centrum contrahit, faciat exſpirationem
: & quantum hanc contractione
laxat, tantundem inſpiremus. 1. Etenim cum
omnis motus voluntarius executivè fiat per
muſculum, retracta cauda ad ſui caput,jam diaphragma,
primus, heteroclitus, & principaliſſimus
muſculus erit, ſuique caput erit in medio,
ſive centro ſui. 2. Quod ſi ergo diaphragma
ſit organum primariò exſecutivum motus, etjam
ceſſante abdomine, & coſtis ; diaphragma
per ſe moliretur motum. Quod falſum. 3. Imo
muſculi abdominis, qui ordinarii ſunt muſculi,
non movebunt : ſed movebuntur à diaphragmate.
4. Sufficeret ergo huic muneri, ſua
ventri carnoſa membrana, ac fruſtra illi muſculi
facti eſſent. 5. Denique cum omne organum
voluntarii motus, trahat movendo ; pectus
deberet tractu diaphragmatis intrò trahi,
& figuram clepſydræ foris circa diaphragma exhibere.
6. Imo exſpiratio non eſſet quies à motu
; ſed ipſe motus diaphragmatis contracti.
7. Adeoque exſpiratio etiam in ſanis, ſemper
eſſet difficilior inſpiratione. Cum 8. inſpiratio
non eſſet motus : ſed relaxatio, ſive quies contracti
49 diaphragmatis. Vndè concludo, 1. Vſum
diaphragmatis hactenus ſtetiſſe incognitum.
2. Vſum quoque pulmonis latuiſſe. 3. Modum
fiendi anhelitus fuiſſe incognitum. 4. Organa
prima & principalia anhelitus fuiſſe incognita.
5. Pro modeſta anhelitus reſpiratione, & exſpiratione,
ſufficere ſolos abdominis muſculos.
6. Quod Pulmo non moveatur unquam, quodque
pro cribro inſerviat, ut aër purus in thoracem
ſubeat. 7. Quod difficultas ſanandorum
defectuum pulmonis non conſiſtat, eò quod ſit
quietis impatiens,& hactenus remedia reſpuat :
ſed quod extremis orificiis obſeſſis, & obſtructis,
in poſterum ſpe deſtituantur, à vulgaribus
remediis exſpectata. Cum eo, rectè nil præter
aërem deferatur,& quod aër præ occluſione inſera
ſit præpeditus, ergo & intercluſus, Itemque
tandem magis exſiccat oppilantes mucilagines,juxta
quas alia ſuſcitantur producta, quæ
dierum tandem numero, ariditatem, acrimoniam
ac malignitatem aſſument. Vndè affectus
ſuſpirioſi, vomica, vaſorum exeſio,ſputum ſanguinis,
ulcus, tabes, & mors. Supponamus
enim, mille orificiis arteriæ aſperæ, omnem aërem
deportari ordinariò in thoracem, & totidem
ſanitati ſatis eſſe, ſi ergò centum illorum
ſint conſtipata, tunc ille homo, celeri motui
diuturno, vel adſcenſioni, decima parte erit
impar, & ſuſpirioſus. Hinc ergo patet,cur ſyrupi, 50
illinctuſque,cum ad loca affecta non pertingunt,
ſint fruſtranea remedia. Imò ſi eò attingerent,
malum aggravarent. Deindè cur nullus
horum defectuum, ſperet medelam, niſi Pyrotechnia
pharmacum, in tonum naturæ, graduarit.
Præcautiones verò, à Catarrhis, quæ 51
Coriandrum, atque huic ſimilia, à cœna ſumenda
jubent, ad vapores, è ſtomacho inhibendos,
quanta ſanè ſunt commiſeratione dignæ ! Si enim
vaporum ortus, ex ſuis cauſis,(humiditate
materiæ nempe, & calore loci) & eorundem
adſcenſio, eſſent naturales ; quid coriandrum
efficeret, quo minus ejuſmodi effectus ſuas ſequantur
cauſas ? An enim coriandrum, aquæ
bullienti injectum, efficiet, ne vapores ex aqua
fierent, aut adſcenderent ? Similia ſunto, quæ
pectendo, fricandoque præſcribuntur, ut nimirum
non ſerò, ſed manè, non in ſinciput, ſed
verſus occiput, Catarrhi ducantur. Nugæ enim
aniles utramque clauſere medendi januam,quia
cauſæ morborum latuerunt, nec iis inquirendis
hactenus magnoperè ſit inſudatum. Quàm 52
frivola eſt enim Galeni doctrina, quinque libris
de tuenda valetudine ? quæ tota balneo, frictionibus,
atque Apoteraxia celebris ! & quamvis
in omnibus ac ubique egeſtatem Galeni
ſim commiſeratus, in nullo tamen manifeſtius
ingenium ejus depræhendi, quàm ubi diſtinctiones
frictionum, in longum, tranſverſum,
obliquum,& circulum tanquam Necromanticorum
ceremonias,indictione pœnæ capitalis obſervandas,
ſtricta ſub obedientia, ſeriò præſcribit.
Sic namque mundus, à Medentum cunis,
in catochum actus, ſtupore paganico oblectatus,velut
titillando obriſit. Pauciores enim primis 53
quinque ſeculis,Romæ morbi erant,& pauciora
cadavera, mitiores quoque morbi, quàm

poſtquam devicta Græcia, triumphaſſet. Quod omnes Europæi, quibus rarus adhuc aut nullus eſt Medicus, libenter confirmabunt. Seriò enim mirantur Scholæ vaſtam mucci molem, per Colocinthida exploſam, attamen nil minuiſſe pulmoniacorum ſputa: adeoque cum antecedentem catarrhi cauſam ſe inveniſſe gauderent, ſtupefacti tamen in effectu luxantium, noluerunt axiomatum pituitoſorum falſitatem agnoſcere. Plus enim Colocinthis, Scammonea, elaterium, &c. uno die corpus exſiccat: quàm potus Chynæ tribus menſibus. Quid ergo ſperandum in Chyna, ubi fruſtra vobis ſunt ſolutiva? & horridus horum uſus? Quocirca antecedentium doctrinis inhærentes Scholæ, ſtatuerunt tandem nil altius indagandum; at curandum, juxta antiqua ac trita artis theoremata, & utrimque aliter res ſemper ceſſerit in praxi, nihilque ſuis regulis cernerent reſpondere, ſub torpore impoſſibilitatis, velum tamen obtenderunt ſuæ ignorantiæ tam atroci, miſeroſque ægros ſuſpenſos manere calamitatibus & evacuationibus maluerunt, quàm quod aliquid ſuper ærumnis proximorum cogitarent. Ac ſanè tot incogitantiarum, abſurditatumque myriades non manſiſſent in Scholis, viris inquam tam acutis, probis, ſagacibus, & exercitatis, (quorum ego me minimum lubens fateor) ſi tantillum ſemel ab axiomatibus paganorum recedere voluiſſent. Obſidentur inquam ab hoſte primitivæ veritatis, qui illos vel arrogantiâ, vel incuriâ, vel atrocitate, vel avaritia, vel pigritiâ, vel ſtupiditate, vel tandem reſipiſcentiæ verecundiâ ſibi devinctos tenet. Bone Ieſu! quando tandem è Scholis, hoc dæmonium tolles? quando tandem erit malorum iſtorum cumulus & maturitas, ut tantam cœcitatem, & mortalium cladem, tuæ veritatis lumine auferas? Reſpondes, remedium non eſſe oppugnanti agnitam veritatem. Igitur,

Iuſte Deus, juſtiſſima ſunt quæcunque probâris.
Tu pietatis Fons, immotaque Regula veri.
Sed quia noluimus tua ſancta faceſſere juſſa,
Facti præda ſumus ſtolidi ludibria vulgi.

54 Sunt enim Anatomici, qui vivum canem diſſecuerunt, & dum ad laryngem eſt deventum, injecerunt oretenus juſculum, peregrino colore imbutum, ut cernerent, num ejus quicquam ad pulmonem ſubintret. Ac repertum eſt, ejus aliquantillum, aſperæ arteriæ tinxiſſe parietem. Clamarunt ergo, à cerebro in pulmonem, inſenſilem, & ordinarium excrementorum decubitum: ſanxeruntque illinctus, extremum fore Tabis remedium, cum ferantur immediatè ad laryngem, atque inde ad exiles quoſque tubos ejus. Crudele quidem id cani fuit tentamen, at longè crudelius & infelicius mortalibus. Eò quod Scholæ ad ejus ſuaſum, de manu in manum tradiderint, & ſubſcripſerint tam pernicioſis nugis. Nam inprimis quid ſyrupi & illinctus patrarent in ramulis arteriæ aſperæ, præterquam obſtructionum noxam? quo fine ergò, naturaliter, atque ordinariò eò properarent, aut mitterentur, aut admitterentur? cum ibidem coqui nequeant, nec in bonum mutari: neque puri, aut muccoribus mederi. Denique ſi hoc fieret ordinariò, ſputa ordinaria ſanorum redolerent putrefacta juſcula, vel ſyrupos illinctos. Et quamquam prima ſubinde ſputa, illinctus referant quandoque: ii non è pulmone, ſed è faucium viciniis veniunt. Neque ideo repetita ſputa amplius illinctus exprimunt, pro ut alioqui repetita ſputa fuligines exſcreant. Tum etjam qui uno veſpere aliquot uncias illingeret, neceſſariò mox abindè nedum Aſthmati, ſed & præfocationi ſuccumberet. Nam pars illinctorum magnam aſperiæ cavitatem impleviſſet. Mirum ſanè Scholas, tam lurido canis experimento ſeductas, non advertiſſe, quod per canis inadvertentiam, in tanto carnificinæ ejulatu, coloratum iſtud juſculum intra laryngem ſit abreptum. Non quod proindè id in ſanis ſit ſolitum, vel in catarrhoſis (ut vocant) obſervatum. Equidem ſi calculoſus reddendo lotium, etiam nolens, anum ſolvat præ dolore, proinde id ſphincteri veſicæ erit proprium, quod ſe laxando, aperiat etiam ordinariò anum? Ob dolorem namque partes ſubinde malè funguntur ſuis muniis, aliaſque ſibi vicinas ſecum in errorem abducunt. Potius fidendum erat hiſtoriæ, qua quendam ob tenuem plumam, alium verò propter pilum, ſuffocatum fuiſſe ſcribitur. Vt ſciant, pulmonem, rerum peregrinarum nullatenus eſſe ſuſceptivum, ſine notabili noxa & anxietate, quinimo ut ſuſpirioſi, ne quidem tollerent ſuffitus fragrantes (ob rationes, de Blas humano, recitatas.) Si itaque ſuffitus opitulantes, pulmoni ſint oneri; quid non erunt illinctus? etſi dentur ad pulmonem poſſe devenire? Idcircò enim quoties quid deglutitur, ſeriò larynx clauditur epiglottide, formam folii hederæ imitante, ne vel minimum quid ad pulmonem delabatur. Et aliquot ſuffocatos novi, qui uno ſaltem latere epiglottidem non ſat arctè clauſam haberent, ob convulſionem partis unius, vel alterius reſolutionem. Atque in eo 55

Scholarum novus detegitur error. Quod vide-
licet aſſerant, illinctus ſenſim deglutitos, in pul-
monem admitti ; non autem illa, quæ affatim
citoque deglutiuntur. An ergò canis diſſectus
illinxit, & non ſorbuit juſculum herbarum in-
jectum ? quorſum enim potandum injecerunt,
ſi ſcirent ſolo illinctu viam patere ad pulmo-
nem? At ſtante hypotheſi, quod pulmo omnem
omnium rerum peregrinarum ſpernat ſocieta-
tem, præterquam aëris nudi, non fumis ſociati :
Sequitur etiam neceſſariò, ſive aliquid illingen-
do, ſive bibendo ſit deglutitum, eandem ſemper
epiglottidis cuſtodis curam agi, eandemque la-
ryngis clauſuram obſervari. Siquidem ibidem
non minor quàm vitæ agitatur jactura. Illin-
ctus ergò, & ſyrupi, etſi reddendis ſcreatibus
partes glabras faciant, tamen inprimis ſtoma-
cho nocent, & pulmoniacis affectibus ne mini-
mum proſunt abſolutè. At dicunt, ſalivam
ſpontaneo lapſu, etiam abſque ſenſu, fluere in
laryngem, & illinctus hoc titulo fore opitula-
56 tores. At neutrum horum ſubſiſtit. Quoniam
utut diſponatur cervix, eadem ſemper eſt na-
turæ cautela, ne quid incautè in laryngem de-
cidat, aut fluat. Viſus eſt nuper Scenicus, ma-
nibus inviſus, pedibus atque corpore erectis,
bibiſſe vini ſcyphum, habens caput propè ter-
57 ram. Ad Anatomen appello, & ferulæ manum
ſubdo. Sunt enim, quibus dormientibus in-
gens ex ore ſaliva fluit; qui ſi ſupini dormiant,
ſpontè actutum ſe in latus volvunt, vel exper-
giſcuntur, periculi imminentis pavore territa
natura. At ſi quid tum in laryngem ſalivæ per
incuriam deciderit, non ceſſat dein tuſſis id ſta-
tim explodere. Sed quid tandem juverit pul-
monem, illinctum ſaccharum, frixo pulmone
vulpis cadaveroſo, vel farfaræ ſucco imbu-
tum, ſi pulmo ipſe, peregrinarum omnium re-
rum horrens, nil niſi per incuriam eadem ad-
miſerit, & confeſtim cum magna anguſtia ex-
plodat ? An enim iſtud reſtaurandis facultati-
bus oblæſis ſat erit ? An ſic catarrhis radix ſuc-
ciditur ? Certè quoquò me vertero, non video
Scholas oppugnare morbos, niſi fictis genti-
lium ſomniis in imagine, in effectibus, & à po-
ſteriori. Idque ob morborum & cauſarum in-
ſcitiam. Sic enim nomen Medici, in comœdo-
rum facetias abiit meritò, quod non cogitent
quid agant, quid dicant, quidve ſibi ſit agen-
dum, ut præcepto ſatisfaciant. Eſtote miſeri-
cordes, ſicut Pater veſter, qui in cœlis eſt, miſe-
ricors eſt. Et, prout S.Bernard. de Clero come-
dente peccata populi, quatenus eleemoſynis
dumtaxat vivit; non enim Medentes cogitant,
an ſatisfaciant mandato, & charitatis exſpecta-
tioni, qui comedunt languores & infirmitates
populi. Non video autem has Ægypti plagas, in
exteriores Scholarum tenebras, eſſe introdu-
ctas, niſi quod malè imbutæ, non raró affectus
offenderint, quibus apparenter, & ſine indagi-
ne, Catarrhorum ſcenam attribuerent. Vtpote 58
aliquis dolens capite, abindè ſenſit cervicem do-
lentem, motum difficilem, noctem inſomnem;
mox dolor ſe manifeſtavit in lumbis, tradux
indè ad femora, dein ſuras, atque pedes deſcen-
dere viſus. Hinc ſurrexit decretum, dolorem,
(cum ſit accidens inhærentiæ) non migrare de
ſubjecto in aliud, niſi materiale aliquid, è cere-
bro per vertebrarum muſculos, labentis proni-
tate, Catarrhi ſordibus locum dederit, etymo-
que recepto Catarrhi quadret. Hanc Catarrhi
perſuaſionem, per Anatomen detecta larva, co-
gnoſci oportet. Enimverò ſi materia dolorifi- 59
ca, è cerebro per cervicem ſucceſſivè ſtillet :
ea ſanè vel per ſinus cerebri eò deferetur, vel
per cerebrum & meninges, vel inter utramque
meningum, vel inter duram meningem, &
calvariam, vel tandem inter cranium & cutim.
Conſequentia enim valet à ſufficienti enume-
ratione partium. Atqui non inprimis per utres
cerebri, eò quod citra Apoplexiam atque indu-
biam paralyſin totius id non ſubſiſteret : ſi mo-
dò horum morborum ſtet rata Scholarum do-
ctrina. Etenim ſi ſucceſſivè, à prioribus, ad
quartum ſinum expellatur : Catarrhi materia
in medullam ſpinalem, non poteſt non pere-
grinum iſtud & acre excrementum illam obtu-
rare, Apoplexiam dein & paralyſin naſci. Se-
cundò, nequit iſta Catarrhi materia, trans cere-
brum ſudando, inter cerebrum & tenuem me-
ningem accumulari, & delabi, ita ut continuam
ſervet ſeparationem utraque meninx, ab ipſa
medulla ſpinalis nervi : eò quod labens Catar-
rhus divulſionem atque continui ſolutionem
pareret, in nervorum radice medullari, per lon-
gum ſui. Quod plurimis non caret abſurdita-
tibus. Pariter ſi meningum inter utramque Ca-
tarrhus deplueret, eſſet inprimis utraque mem-
branula, quæ loricaret ſpinalem medullam, bi-
na : quod oculus hactenus nondum luſtravit.
Eoque poſito, non poſſet ſaltem muſculorum
motum moleſtare, aut dolorem ſcire. Adeoque
eſt error in theſi. Eò quod nervus ſit quidem
organum delativum imperii voluntatis, at non
proindè exſecutivum motus voluntarii. Præ-
cipuè, quod nervulus ſubinde vix excedat

groſſitiem duplati fili : inſertuſque externè in muſculum,non poſſet ſibi impactus humor Catarrhalis , niſi per paralyſin partis inferre, non autem moti muſculi immanes dolores. Denique, ſi inter duram matrem, & calvariam Catarrhus deflueret, docet Anatome,tam adæquatam & anguſtam eſſe nervorum, lateratim per vertebrarum foraminula, egreſſionem, quod nulla ratione detur aditus Catarrho, à ſpinali medulla ad muſculos. Demum ſi concederetur iſti commento locus, ſaltem quæ cauſa eſſet ſucceſſionis, ut humor ſemel lapſus, inter duarum vertebrarum nervulum, remearet ad alios nervos ſucceſſivos ? An fortè Catarrhus, tædio unius muſculi affectus, alios deinceps optat deliciarum clientes? Quomodo enim per nervulum exiguum, ſine membri ſtupore, humor Catarrhalis defluet ? In muſculum inſitione peregrina intrabit uſque ad ejus caudam? inde verò rurſus recedet ad alios muſculos, qui deinceps proniori ſunt loco ? Vel ſi novus fingatur Catarrhus ad alias & inferiores partes pari ſucceſſu defluere ; quomodo ergo partes ſuperæ videntur à malo immunes ? Etenim cum ex eodem fonte cerebro, & per eundem canalem ſpinæ dorſalis medullæ prodiret ; cur non potius jam apertam ſemitam ſequitur? ad debilitatam, pronam affectamque partem amplius decumbit, novaque patrat adulteria? Cur nova quatit, quæritque hoſpitia ? An iſte fortè lubitus naturæ, quod meretricio appetitu, novas ſucceſſivè partes infeſtet, & diducat? Tandem quod locus non ſit refugii, pro Catarrho decurrenti inter cranium & cautim, & muſculos ſua membrana veſtitos, jam antè diſcuſſum eſt. 60 Ergò nulla eſt via, modus, medium, connexio, aut dependentia, quibus Catarrhus in veritate ſubſiſtat. Cumque nil materiale decurrat in ejuſmodi affectibus, pro quibus temerè Catarrhos finxerunt Scholæ : ſciant ergo veritatis amantes, quod quoties in ſpiritum impetus facientem, aura peregrina, odor, fermentum, ſive ſemen exoticum, ſuſcipitur, toties ab Archeo contaminatus ille ſpiritus, à communione vitæ excludatur. Genius autem, ſive indoles ſeminis concepti illius, non minores partes habet, ut etiam ad diſſita potius, quàm ad propinqua loca, mittatur fermento alieno deturpatus ſpiritus. Vt ſuo loco dicetur de Arthritide in duumviratu, & alibi. Sic nempè Mercurius, etiam foris illitus, fauces, linguam, & dentes afficit. Porrò cum hic deturpatus ſpiritus, ad ſuæ miſſionis locum devenerit, confeſtim partis nutrimentum ſuo fermento imbuit, transplantat, atque traducit juxta ideam ſeminis, illudque ſucceſſivis hauſtis afflatibus, peregrinis diſpoſitionibus, munia digeſtionum ibidem interturbat. Vnde copioſam ſupellectilem demum ſuſcitat, ac non raró impreſſionem ibidem ſpiritui inſito, in vitam ſtigmate durabili characterizat. Hæc in humores fictos primarios, & in defluxionum decubitus, Scholæ ab unico cerebro mendicant. Procul ergo à Catarrho ſum, qui materiam,officinas,efficientem, modum fiendi, & defluendi nego; ideoque & cauſas, effectum, ut & ſanationem, longè à Catarrhi figmentis ſeparo. Non ergo decumbunt 61 humores ſalſi, acidi, acres, pituitoſi atque bilioſi : ſed quoties deturpatus ſpiritus ad loca tranſiit, primus qui eò accedet, communi eluendi niſu atque ſtudio, eſt latex: Spiritus enim depravatus exotico contagio, per nervos, arterias, imò & per ipſum corporis habitum fertur: unde cerebrum culpam tulit, ſentiuntque ægri velut decubitum humoris deflui : & quia latex, per venas eò deputatur, non ut cauſa primitiva mali (quamquam per accidens non raró malum foveat diutius) ſed in ſublevamen, & ablutionem : Ideo adhuc dubiæ manſerunt Scholæ, an Catarrhi è capite per nervos vel inter cutim; an verò per venas, è jecore dimitterentur ſaltem in podagricis. Itaque non ex fonte, vel Catarracta fluunt pituita & bilis Scholarum, quaſi caput horum unica cloaca eſſet. Deindè nec ob ſitum proniorem procumbunt, vel ob viarum facilitatem. Siquidem ut in cadavere nulli ſunt ejuſmodi defectus, ſed in vivis dumtaxat : Ita quicquid horum fit,ab impetum faciente,& initio vitali, procedit. In cujus œconomia non eſt difficilior adſcenſus ſuperus, quàm deſcenſus inferus. Cum nihil horum in vivis fluat ſuo gravitatis motu : at quidem dirigatur miſſum, ad certos ſui terminos. Fit & non raró, quod latex,peregrino ſale contaminatus, ſpiritum deinde inficiat, ut proindè ſemper non ab externa aëris injuria, vel à propria intus genita contagii aura, ſpiritus alienetur : quinimo à latice (utpote minùs vivo) thymoſin ſibi aſſumat ſuſcitatus. Comitaturque latex, tam præfata aciditate, quàm quantitate moleſtus,ut miles importunus, invito hoſpite ſubintrat. Quocirca thermæ & balnea plures hujuſmodi defectus reconciliant,& æſtuaria : latice nimirum conſumto, ſanitatem reſtituunt, quam Scholarum ſolutiva & exſiccativa.

Vana ergo Catarrhi è ſtomacho ad caput elati

hiſtoria, & materia, vani quoque inter muſcu-
los atque cutim defluxus, decubituſque, deplo-
randaque ignotis cauſis remedia. Vana quo-
que cauteria, ad revellendos conſumendoſque
humores fictos. Vana tandem potuum exſic-
cantium pharmaca, cum malum à latice, lar-
giorique potu, ſaltem occaſionaliter naſcatur.
Patet ergo, quàm ſalubris potus ſobrius, latex
namque pro ſui inſtituto inſipidus eſſe debe-
bat; aceſcit verò, multo meracis & acidioris
62 vini potu. Suo autem capite debetur laticis hi-
ſtoria, & neceſſitas. Memineris ab aqua omnes
concretorum corporum fructus materialiter
naſci. Fingamus ergo & laticem inſipidum, mox
parvulo ſeminis auxilio aceſcere. Per exem-
plum. Sub ver enim, è vite vel betula, copio-
ſus exſtillat liquor. Si cortex prope terram læ-
datur, inſipidum nempe terræ liquorem fundit.
Sin autem in caudice, vel ramis vulnus fiat,
idem jam ſuccus acidulus eſt. Sic fit in latice, ſui
natura inſipido, recipientium contagio, tandem
aceſcit, vel alienæ qualitatis hæres fit. Scholæ
enim laticem neglexerunt, quia lotium cum la-
tice confuderunt. Sed argumentum ſtolidum,
generatum cum materia ex qua, colliquaſſe,
quaſi muccus, ſaliva, Aqua intercus, & urina, po-
tus eſſent. Iecur ideo malè affectum, ſi ad ſe la-
ticem revocet; non enim inde lotium parat, ſed
œdemata vel anaſarcam: Itaque non ſum ita ho-
mo, quod pleuritidem, Odontalgiam, cæteram-
63 que furiarum rabiem, non entia dicam. Scio
enim, doleoque illarum nimis ſeria in nos im-
peria. Morbos quidem ipſos admitto: at Ca-
tarrhi cauſas, modum, media, vias, finem, ſive
deſtinationes inficior. Cauſas iſtas nego, & in-
dago illas, in quarum ablatione ſanitas conſiſtit.
Agnoſco quidem, rupta pulmonis vomica,
quemquam confeſtim mori: nego tamen, vo-
micam eſſe Catarrhum, aut mortem Catarrho
imputandam. Multoque acerbius nego, quod
vomica è vapore ſtomachi naſcatur. Sic Ta-
bem, non defluxionem in pulmonem nuncu-
po; ſed interno pulmonis errore ortam ſcio.
Concedo podagram, velut ferventi defluente
gutta, præſentiri: non tamen Catarrhum ad-
mitto, materia, modo, mediis, terminoque fien-
di. Pro-ut ſuo capite planius. Latex quoque e-
verrendis culinis dicatus, in ſe quidem inſons
eſt: ſed in via, diſſolutorum ſalium copulam
admittens, apoſtematum, ulcerum, atque pru-
riginum varias conſtituit colonias. Nego igi-
tur vapores in caput ferri, qui trans cerebrum,
atque meninges terebrent. Nec patior denique,
anhelitum, à thorace ad ſtomachum & viſcera
directa via ferri (ut alias Paracelſo placuit.) Sed
tantillum ejus per poros diaphragmatis ſpirare.
Neque enim compreſſo anhelitu, quicquam no-
ta dignum, ſubter diaphragma vadit, nec anhe-
litus loca, quæ ſubter ſeptum ſunt, olet. Pariter
neque à ſtomacho, vapores feruntur in caput,
niſi per arterias, ſi inebriativi ſint. Quicquid
autem vertiginem, deliquia, & id genus alia fa-
cit, alterius quàm vaporum, eſt reipubl. cliens.
Sic nec ab utero, vapores in caput traducuntur,
utut ferina inde capitis dicantur ſymptomata
naſci: non enim ea perſpirabilitatis eſt obliga-
tio, quæ alterius Monarchiæ eſt monomachia,
quâque guttur ad menti altitudinem aſſurgit,
non eſt dicenda vaporum actio: eſt nimirum a-
ctio Scholis incognita, quam Regiminis quan-
doque exponam, cui partes omnes in corpore
clientelam debent. Etenim Vteri in totum cor-
pus, non eſt aliud imperium, quàm illud, quo
teſtes, gallum à capone; taurum à bove; & vi-
rum ab eunucho diſtinguuntur, figura, ſangui-
ne, carne, corio & animoſitate. At quia in Ca- 64
tarrhoſis putatis affectibus, contaminatus latex
ſuum ſortitur dominium aquæ: hinc quotquot
Catarrhis adſcribuntur, plerumque ſub no-
ctem exaſperantur, Lunæ nimirum Blas, vi-
ciſſitudinum operationes in nobis molitur.
Quæ maximè in cerebrum imbelle, vel defe-
ctuoſum, Itemque in nervos, atque membra-
nas, ſeſe oſtentant, hæcque futuras tempeſta-
tes præſentiunt ſæpè, ac præaugurantur, ideo-
que & Torturam noctis appello. Atque utinam
hæc præſagiendi ſcientia, non tam caro nobis
eſſet divendita, quod doloribus & anxietatibus
perſolvi debent. Sæpè enim podagricus, ſuſpi-
rioſus, imò qui vel callum ſub pede gerit, in
lecto, vel hypocauſto, ſomno excitus, futuras
præſentit temporum procellas, cœlo atram ſen-
ſim nubem obtendi, ventorúmque propediem
mutandos apes. Paracelſus autem voluit Mer- 65
curium liquori præſidere alimentario, per to-
tum corpus, illumque proinde alibi (de morbis
minerabilibus) nomine atque re confundit cum
terreſtri Luna. Scio tamen, quod humor im- 66
peria ſequatur ſeminalis partis, cui eſt proximè
aſſimilandus: neque enim ideò liquida, aſtro-
rum collocutionibus adhuc gaudent, quam-
diu ſpiritui vitæ non ſunt radicaliter inſita.
Hinc enim patet, quod medulla ſit pars cor- 67
poris homógenea: non autem liquor ejus.
Lunæ quippe manifeſtè reſpondet & cerebro,
cui oſſa parent. Sic namque quæcunque de-

fluxionum nomine ſæviunt, itemque Lues Veneris, contractura, tormina, ſubter Torturam noctis recidunt, quia latici auſcultant, Lunæ noſtræ dominio, ſubnoxia ad Aſtrorum lationem auſcultantia.

VICTVS RATIO.

1. Diætam pro morbis præſcribunt, qui morbos ignorant. 2. Suſpecta eſt Diætetice. 3. Errores aliquot circa victus regulas. 4. Sanatio non ſubeſt Diætetica. 5. Opinio Authoris. 6. Objectum Diætetices. 7. Probatio à communi eventu. 8. Fines obliqui. 9. Ab enumeratione partium. 10. Diæta clam accuſat remedii ignorantiam. 11. Iuſta pauperum querimonia. 12. Obſervantia Authoris. 13. Ludibria Diætetices. 14. Panis non eſt tam cibus quàm obſonium. 15. Cur panis cibis miſceatur. 16. Cardo præcipuus Diætetices. 17. Regula quædam. 18. Cur infida Diætetices mandata. 19. Theſes Authoris Decem. 20. Quouſque vis parcimoniæ ſe extendat. 21. Maſticationis neceſſitas. 22. Digeſtorum varietates undè. 23. Ptiſanæ examen. 24. Solitæ Authori præcautiones aliquot. 25. Quæſtio de fermento ſtomachi. 26. Digeſtiones præſcribunt Diætæ regulas.

POſtquam abſolviſſem tractatum
de digeſtionibus, lubens Morbos
in pegma adduxiſſem: ſed abtrun-
cata adhuc ponè relinquebatur A-
ctio regiminis, jejuna nimium in
Scholis, ipſiuſque Duumviratus
majeſtas, & ſpiritualis planè radiatio καθ' ὅλον.
Quamobrem intertexui tractatum de Anima,
ut plenum duumviratui ſuum jus cedat. At
nondum adhuc extra ſtomachum abire potui,
quin aliqua de Diæta meæ opinionis exami-
na, mox duumviratui ſuperadderem. Equidem
demonſtrare promiſi Scholas præteriiſſe illa,
quorum profeſſionem maximè jactitant: non-
dum ſcilicet morbum in genere noviſſe, aut
per ſpecies indagaſſe, per cauſas vel per con-
digna remedia tractaſſe. Atque ideo conſe-
quenter ſi qua medentum auxilio ſucceſſiſſe
per conjecturas, ex propria naturæ bonitate.
1 Quamprimum enim poſt univerſalia præſidia
(ſic enim nominant venæſectionem & purga-
tionem) ſtatim dimidiam ſanationis partem,
dedere Regimini victus, & vitæ, quam plerum-
que per calores, frigora, & temperantiam ho-
rum, in reſpectum Euchymiæ æſtimarunt.
Bellè ſanè victus rationem præſcribent ad obti-
nendum finem ſibi ignotum, dum in elemen-
2 torum caloribus & frigoribus volutantur. Enim-
verò præter craſſam ignorantiam victus ratio
mihi ſaltem ſuſpecta dudum fuit, & viſa miſe-
ra quædam medentum impoſtura, ægrorumque
ſervitus, ſub indictione pœnæ capitalis præſcri-
pta, in ægris credulitatem fiduciamque pariens.
Nam inprimis quicquid carò venditur, id con- 3
feſtim maximè ſanum laudatur. Et in medica-
mentis aurum foliatum, gemmæ contuſæ, coc-
cus baphicus, vermis cuchinillo, ſericum cru-
dum, &c. (forte enim araneæ, ſi procul peregrè
deferrentur, magno venales eſſent, ut ſtercus
Crocodilia) in cibis verò, quicquid mangonii
ergo linguæ gratum, nec ſtomacho adeò diffi-
cile, id univerſim, ac ſtatim, prædicatur eu-
chymum, ſanum, & ſalubre. Quatenus quæ
palato maximè arrident, debeant eſſe gratiſſi-
ma, ac ſaluberrima. Ideoque variant hæc juxta
palatum Medentum. Nam quod uni ſanum lau-
datur, ab altero, cui id minus placet, vitupera-
tur. Hoc pacto enim Phaſiani, perdices, ſturni,
merulæ, & capones ſaginati, quadrupedibus
præferuntur: quamquam hæc una nobiſcum
vivum fœtum proferant, & hactenus familia-
riora ſint nobiſcum, quàm aves, piſces, & inſe-
cta, id eſt, animalia ovipara. Sic quoque piſces
ſaxatiles anteponuntur marinis, & panis ſili-
gineus furfuraceo. Delicatuli enim, culinæ
mangonio ſtudent, utque ægris placeant, qui
remediis & ſcientia deſtituti, profeſſioni aliàs
ſterili, ſeſe emanciparunt, qui enim coquorum
didaſcali evadunt. Quàm impigrè luſtrant o-
mnia, ut in culinis & tricliniis ſua exerceant
imperia, utque videantur omnibus ſedulò præ-
vidiſſe, in ægros tyrannidem exercere parati
ſunt. Tanquam ſi cibi & potus graviorum mor-
borum medelæ forent. Profectò me hujus par- 4
tis ſemper inſigniter puduit. Etenim vel ab
adoleſcente jam intus augurabar, ſanationes
eſſe medicaminum, non autem ciborum effe-
ctus. Quapropter ut languidam ciborum ope-
ram ſuſpicabar: ita quoque conjeci, ſtrictam
victus obedientiam, tam in mandante, quàm
obſequente, favore implicitam ignorantiam
veri, & adæquati remedii, vel impoſturam.
Econtra verò, qui ignem habet, is urere poteſt; 5
& qui cultrum, is ſcindere valet. Sic & qui aptum
habet curandi arcanum, is ſanare poteſt, regu-
las victus ſpernere, ac ſupervacaneam hac in
parte

parte Scholarum induſtriam ſive adulationem
præterire. Error enim alioqui, qui à victus electione
ſupervenire poteſt, præpotenti bonitate
remedii facilè anticipatur. Nam ſi Hippocr. aſſueta,
licet in ſe minus ſalubria, non aſſuetis
præferat, nec facilè, nec tutò, nec celeriter ab
aſſuetis mutanda ſit diæta: quid ergo non cenſendum
de aſſuetis electis, optatis, deſideratiſque
cibis & potibus? utpote qui dictante ſibi
intus naturâ, remedium ſæpius præluxiſſe comperta
ſunt, magno Medentum pudore, ubi præſertim
6 eum antea vetuiſſent. Diæta inprimis
non tractat de apertè nocuis: Non enim diſputatur,
an ſanum ſit comedere toxica, vel toſtas
ollarum, &c. Imò nec quidem ſi ſalubre ſit, ægrum
repleri multo cibo, aut potu, etiamſi enchimis.
Vel ſi crapula, ebrietas, & vita inordinata
ſint actus ſani, & juvamina ad ſervandam,
vel recuperandam ſanitatem idonea: ſed
Diæta tota occupatur tantùm in delectu ciborum,
atque potuum. Qui tamen velut nutrimenta
indifferentia, conſiſtunt intra limites
bonitatis, differuntque tantùm in latitudine
neutralitatis. Adeoque idcirco Diæteticem, tanquàm
proditricem ignorantiæ cauſarum, veræ
Medicinæ, ac præpollentis remedii, ſemper aſpexi.
7 Quotuſquiſque nimirum eſt ille, qui
repudiatis regulis ſibi præſcriptis, ſæpè non
convaluit? Medicus interim, ridente intra dentes
inobediente ægro, laudem ſanationis ſuis
arrogat regulis? Hinc nempe Ars iſta Medendi
in omnes trahitur ſcenas, quia pauperiem judicii,
tam in Medente quàm ægro, teſtantur regulæ
8 Diætetices. Vndè non rarò ſperant Medentes
nanciſci occaſionem excuſandæ necis,
per ægrotorum inobedientiam, circa Diætæ regulas
non ſtrictè ſervatas. Quanta proh dolor
committuntur hoc dolo abſurda, quæ mundo
nondum ſat patent! Quod, dum nil ſciunt, aut
habent quo morbum pellant, ſibique obſequi
cogant; ſaltem cenſeantur culinæ blandimentis,
multaque ſolicitudine, impedimenta augmenti
9 velle tollere? Si utilis Diætæ obſervantia
foret, ſerviret in morbo, vel in convaleſcentia.
In morbo enim, quàm eſt importuna, moleſta,
ac impertinens? Dum plerumque appetitus
jacet conſternatus, quique ſui complacentiam,
ne totus pereat, ſuadet? cujuſque conſervatio
tanti eſt momenti, quanti eſt vitæ indicatio!
Statu enim vacillantis appetitus, natura
ſibi plerumque ſuggerit convenientem cibum;
idque non rarò, tum potiſſimùm, dum maximè
opis eſt indiga. Certant tum Medentes cum
hoc naturæ placito, per regulas ſuas victus: à
quibus abſtineat æger, ſi nolit necis ſuæ cauſam
omnem ab infido auxiliatore imputari. Tum
namque, ſymptomaticè furit Archeus, quod
optatum denegatumque fortè ſibi familiarem
cibum denegari ſentiat, adeoque in lite litem
novam ſuſcitant. Perindè ut equus per aquam
tranſiens, & non ſat pro lubitu bibens, inde ſervat
ſibi in vitam ſpirandi difficultatem anxiam. 10
Diæta verò, à morbo, aut ſub convaleſcentia,
mirè quoque moleſta eſt, ſi non etiam irrita,
cum jam natura ultrò ſategerit. Siquidem præſcriptum
Diætæ non poteſt non incuſare, ſufficientis
remedii defectum, adeoque confeſſionem
implicitam infidæ ſanationis. Sanet enim
Medicus ut decet, & natura ſpondet, pro ſatiſdatione
reſtaurationis. Profectò vidit, & judicavit
Omnipotens, quæcunque fecerat, erant
bona. Id eſt, quicquid in cibum deſtinaverat,
erat bonum. Quicquidve in venenum ordinaverat, 11
erat bonum venenum. Aliàs enim imago
jure conquereretur pauper, quod minus paternè
ſecum partitus Deus eſſet, quod media
denegaſſet, quibus egenus, lautis Diætæ regulis
reſpondendo, ſanitatem potuiſſet recuperare:
Divitibus verò, cum opibus ſanitatem quoque
elargitus eſſet. Vtpote media elargiens, quibus
ſibi Diætæ pretia ſolveret. Etenim jam à quinquaginta 12
hinc annis mecum experior, me plures
ſanare, etiam non viſos, ſpretiſque Diætæ
regulis, quàm plures ſimul Medici, qui in noſtra
urbe oberrant. Experior, inquam, me omnes
febres continuatas & intermittentes curare
paucis diebus, imò & plerumque paucis
horis, non admiſſo phlebotomo: ſed permiſſo
vino. Potiſſima ſiquidem Diætæ pars Medentum 13
opipara eſt in adulatione ægri, ad plauſibilitatem
Medentis comparata. Excepto plerumque
vino. Sana quoque quiſque Medentum
prædicat, quæ ſibi arrident magis. Id autem ne
deprehendatur eſſe genus aſſentationis, ſtrictam
injungunt obedientiam, ut iſthac legum
ſeveritate frenos vitæ cohibere putentur. Panis 14
inprimis habetur victus primarius; cætera verò
alimenta ſunt tantùm concibi, vel obſonia.
Ego verò ex oppoſito, cætera alimenta veros
cibos voco; panem autem tantùm obſonium.
Multi namque ſolo lacte dudum vixiſſe reperiuntur.
Hiberni quoque, celeres & promtiſſimi
roboris viri ſolo Chambroch, ſive trifolio,
pro pane alicubi utuntur. Et Septemtrionales
aliquot, ſolo piſce abſque pane vivunt longævi,
pertinaceſque in frigore & morbos conſtant.

Repletio panis peſſima in Adagio : non ſolùm
quia paupertatis ſit index ; ſed quia revera in
15 debili ſtomacho, eſt oneroſiſſima. Vtpote pa-
nis, propter fermentum ſuſceptum (nec alias
enim niſi paſta eſt) liqueſcens in cremorem,
herbas & cibos quibuſcum eſt maſticatus, colli-
queſcere cogit (quod in digeſtione fimi quoti-
die experimur) & hoc dumtaxat nomine obſo-
nium potius,quàm cibus eſt. At ne in nomina-
libus dudum verſer, ſufficit enim mihi, quo-
cunque modo vocetur,modò ſciatur panis uſus,
& neceſſitas ad liquefactionem ciborum valere
16 potiſſimum. Præterea ſemper ſobrietatem ma-
17 gni feci,tanquam totius Diætæ cardinem. Tum
etiam, ſi appetitus circa aliquod objectum fer-
retur, admiſi lubens, attamen cum moderami-
ne mediocritatis. Non tamen is ſum, qui ne-
ſciam unum edulium altero præſtare, eſſe ægro
convenientius: ſed parùm angor,utrum ambo-
rum æger ſumeret,modò ſimul bonum aliquod
18 remedium nactus eſſet.Ratus,ſi remedium non
valeat obvenire malo, ex minus conveniente
cibo, longè quoque minus valiturum, ad ſupe-
randum vel expellendum morbos. Infida id-
circo & languida duxi remedia, quæ è Diætæ
præſcripto ſperantur. Quippè, ut dici ſolet, fa-
cilius eſt non admittere, quàm expellere hoſpi-
tem. Et ex correlativo. Quicunque præſumit,
virtute remedii, ſuperare morbum, certus eſto,
ſe ſupervenientia è ciborum incongruitatibus,
eodem remedio longè facilius ſuperaturum.
Signum ergo debilitatis, atque diffidentiæ, in
medico cenſui, quoties pudibunda culinæ cura
angitur; Is enim condigno carens pharmaco,
ut interim aliquid agere videatur, neve ſtipen-
dium fruſtra capeſſat, ſpem ſuam in criticum
diem reponit, & delectum eduliorum præſcri-
bit. Mea enim hac perſuaſione didici, pri-
19 mum. Quod natura, in nobis, ſapientior ſit
quovis medico, magiſque gnara ſuæ utilitatis,
atque damni, quàm cuncta Scholarum ingenia.
2. Quod natura proinde ſibi ſeligat, optetque
convenientiſſima. 3. Quod pecus nunquam
oppetiit, quia ſiti ſuæ ſatisfecerat, niſi fortè ve-
nenum deglutiiſſet, nimiaque voracitate ſuc-
cumberet, quod potus in febribus plurima ari-
ditatis incommoda ſubvertat. 4. Quod bibere
in ſiti, non eſſet minus naturale, quàm mictu-
rientem minxiſſe. 5. Ideoque cum hoc non
exigat medentis conſenſum : illud etiam non
egeret conſultatione. 6. Quod ſimul cum po-
tu exhiberem aliquot guttas, quibus facilè pe-
netrantibus, præſertim in ſiti, plurimas una
cum ſiti febres, jucunda ægrorum voluptate,
ſuffocaverim multoties. 7. Quod ingens appe-
titus erga rem, apparenter in regulis Diæteti-
ces, nocuam, plerumque ab ipſa dictitetur na-
tura, cui ſuum enotuit remedium, non autem
Scholarum libris. 8. Quod proin parum anxii
eſſe debeamus, circa res optatas parum nocuas,
minuſque ſolitas. 9. Quod ſi remedium de-
beat morbo prævalere, cibi, & potus, in ſui la-
titudine nequeant continere robur entis phar-
maceutici. 10. Quod cibi, ſi non remedium,
ergo etiam vix noxam contineant. Loquendo
de cibis, ut talibus, id eſt, indifferentibus. Ego
hæc mihi ſic perſuaſi, hæc ſic aliis præſcripſi.
Nimirum quod abſtinentia, atque parcimonia,
ſint optima in Diætetice media. Magiſque, ubi
ad lubitum aliquid manditur. Iuxta prover-
bium : Quod ſapit, nutrit. Etenim ſufficit ap-
petitui per qualitatem, non autem per quanti-
tatem. Alioqui ſi ſatietas gravet ſanos, multò
magis ægros atque debiles. 2. Comedant ſci-
licet, non quidem ad repletionem cavitatis ſto-
machi, nec ad voluptatis ſive guſtus dictamen :
ſed quantum ad vitam ſanam tuendam facilè
ſufficit. Idque ſi aſſueſcenti primum ſit diffici-
le ; ſaltem non erit aſſueto. Quàm enim ſtul-
tum eſt, gementi per morbum, ſuas pridem in-
gurgitationes infectas optare. Nolim tamen 20
quiſquam perſuadeat ſibi, hanc vivendi ſobrie-
tatem, ac levem ſarcinam,quenquam præcavere
à Peſte, caſu, vulnere, fulmine vel calculo. In-
cidentia namque externa, digeſtionum œco-
nomiam ſpernunt, quia ſuperant. Calculum ni-
mirum etiam inter externa rejicio, quia à fer-
mento jam alieno fit. 3. Cum cibus omnis 21
debeat mutari in cremorem, ſitque exquiſita
maſticatio, quæ digeſtiones facilitet, hinc per-
petuò maſticationem ſeveriſſimè commendo.
Siquidem unicus bolus, non ritè maſticatus,
plus negotii præbeat in corpore, quàm tres
mandendo contriti benè. Aves enim ideo,
quia dentibus carent, duplici ſtomacho opus
habent, utut digerendo eſſent alioqui poten-
tiſſimæ. Omne quoque pecus ruminans, ut
magni in lege habitum ; ita non ſpernendam
maſticandi neceſſitatem nobis ſeriò inculcat.
Imo ea de cauſa in Sacris pro puro brutum de-
ligitur ruminans. 4. Denique. Quæcunque in 22
crapula ſumuntur, ſupra fermenti ſtomachici
poteſtatem, caleſiunt quidem intus : at putre-
ſcunt, nec etiam eatenus digeruntur : ut in fe-
bribus eſt luculentiſſimum. Quantum verò de
tenerioribus cibis ſub crapula eſt aſſumtum, di-

geritur quidem', labiturque è ſtomacho: At ſecum magnam indigeſti molem præcipitat, tam propter vaſis tenſionem; quàm naturæ onuſtæ, & frænos deſerentis, incuriam. Sin autem digeſtum fuerit, quod eſt longè tenerrimum, idque juſto diutius in ſtomacho moretur, neceſſariò quoque iſtud retentum, nimium aceſcit, vel planè putreſit: deducitur in amarum excrementum manè, non rarò per vomitus rejectum. Quodque Scholæ falsò Choleram dixere. Tinctores enim, unicâ cortinæ tinctura, ſupra centum, diverſos colores mutant, ſi panni prius diverſimodè ſint affecti. Sic quoque unicum aberrans ſtomachi fermentum, univocum cremorem aliàs, ſi adhuc in ſe diverſitates non planè digeſtas contineat, pro partium diverſitate variformiter diſponit atque determinat. Adeò ut licet ordinariò, non niſi partem cremoris digeſtam, tingat ſuo fermento: indigeſtam tamen partem, non deſinit afficere, & pro recipientis defectu perperam imbuere. Quapropter plurima ſic in primæ digeſtionis culina exorbitant. 5. Quicquid aſſuetum, non malignum, ſed optatum aſſumitur; id quoque abſente ſatietate faciliùs digeritur, & tutò in morbis admittitur, ſi ſobriè ac moderatè ſumatur. Eò quod fermenta facilè ſubigant, quæ aſſueta ſunt, & præcipuè ſi deſiderata. Etenim tenuiſſimo victu, in acutis morbis utendum ſuadet Hippocrates, donec nimirum reſurgat appetitus. Laudo enim tenuiores cereviſias, quantum dulces potus, & ptiſanas, 23 ſperno verbis Galeni fretus. Hordeum (inquit) parum coctum, ventoſitates efficit: oppilationes verò, ſi meliuſculè bullierit. Quapropter Avi noſtri, credentes, nullo modo hordeum decoctum eſſe innoxium, illud germinare cogunt (quod tum Maltham vocant) quo opere, tam ventoſitates, quàm oppilationes præpediunt. Ex Maltha verò & lupulo cereviſias conficiunt. 6. Neminem quoque urgeo, juſculis conſummatis colliſiis, ovis, &c. 24 ſi acuta febris adſit, memor præcepti illius: *Corpora impura quo plus nutris, eò magis lædis.* Nam etſi in acutis, abſque cibo, ſoloque vivatur potu, non tamen exinde vitæ diſcrimen ingruit. Imò ſic citius convaleſcunt, multoque minore obſtaculo vires & appetitus reſurgunt. Quoties nimirum putrefactibile, ſive cadaverizabile in ſtomachum ingeritur, carentem ſuo fermento digeſtivo: putreſit digeſtum, & non digeritur. Atque iſta, eſt illius Aphoriſmi juſta explicatio. Nunquam enim optavi, ut ex acutis morbis ægri redirent pingues, aut ſaginati, at benè iſtud unicum intendebam: ſcilicet ut convaleſcerent, & quidem non multum viribus detruncati. Maximam itaque Diætæ partem, in morbis ſtomachicis, traxi ex Aphoriſmo: *Quod ructus acidus*, reparati fermenti, *ſuperveniens nidoroſis, ſit bonum.* Ructus namque nidoroſi, nauſeæ ſpontaneæ averſio, carnium, piſcium, & ovorum, imò ſtomachi gravamina, juſſerunt ſolis potabilibus alendum ægrum: nam aliàs per cadaverizabilia didiceram, exſpectanda accidentia peregrina, defectus animi, aliaque id generis incommoda. Quoniam tum potus humectant, ſolantur ſiti, calorique ſatiſdant, ariditates ac debilitates inde conſequentes arcent. Sub potu autem non hic intelligo ſorbitiones juſculorum, affatim nutrientium, eorum nempe, quæ in ſtomacho calente, citra fermentum digeſtivum, ſponte cadaverizantur: ſed omnino de iis, quæ minimè putreſiunt: qualia ſunt panata, itemque cereviſia vino tincta, cui mica panis ſimul commiſta ſit, ut ſint cibus ſimul & potus. Huc revoco, quæ aliàs prolixè docui. Nempe digeſtionem à fermento proprio, non autem à calore fieri. Quoties ergo averſio carnis, & ructus nidoroſi, ſignificatur calor adeſſe, & deeſſe fermentum acidum. Attende ad hoc, quàm facilè recens caro, pedi, aut capiti calenti alligata, putreat, & confeſtim fœteat. In febriente ſtomacho igitur, calente admodum, ſapiens natura cadaver in ſe fieri timet, ideoque ſtatim carnes averſatur. Sed quorſum tum 25 abiit fermentum ſtomachi in febriente? Anne migravit aliò? anne extinctum? Quorſum enim abiiſſet fermentum, quod nuſquam niſi in ſuis latibulis gratum? nec periit etiam. Quoniam vitale eſt; quicquid autem vitale ſemel periit, non redit iterum à privatione. Fermentum verò redivivum eſt. Id ergo contingit. Vel enim quandoque non pertingit fermenti dimiſſio è Splene ad ſtomachum ob aliquem defectum alterutrius de Duumviratu: vel ſaltem receptum in ſtomacho fermentum, obtegitur alieno atque febrili odore. Quod ſic intellige. Eſuriens aliquis, atque optimè valens, importunis carbonum fumis diutius immorans, mox ſibi nauſeam oboriri percipit, & ciborum averſionem, dein quoque dolorem ſincipitis, atque tandem vomitum. Fermentum itaque ſtomachi, nocuo carbonum odore ut contegitur: ita pariter virulento febrium motarum odore, & nidoroſo contagio, contingit con-

feſtim naſci averſionem carnium, quatenus fermentum ſtomacho vernaculum contegitur illo nidore. Hæc ſic de Diæta mecum concluſeram, & rationem victus intra paucas ſupradictas regulas communes, juxta naturæ curſum metiebar, antequam remediis majoribus potitus eſ-
26 ſem. Sciens attamen, quicquid in ſtomacho convertitur, ſpecie cremoris diaphani, vi fermenti ſui, id initia vitalis ſucci ſuſcepiſſe, licet nondum vitam: atque ob id non ita ſponte putrere. Quicquid verò vel non diſſolvitur, vel ſi in ſe ſit diſſolutum, nec tamen ſuſcepit fermentum, ut latex, ſalis muria: idipſum vel excrementum eſt, vel facile tale fit, atque corruptioni eſt obvium. Igitur in victus ratione potiſſimùm attendendum ad morbos, & cibos, quod ratione morbi, æger aſpernatur, vel appetit. Quippe ancillandum eſt naturæ, nequaquam autem imperandum. Fermentum videlicet, quod cibos conficere debet, illos præſcribat, non autem Medicus pro ſuo appetitu, neque unam ex authoribus formam pro quibuſvis calceis ſumat. Quaſi hominum natura varia non ſe haberet per modum relationis ad aliquid. Exercitia demum, labores, opera, quietes, ſomni, aërque pendeant ex regulis, quas nobis aliarum digeſtionum momenta dictitant. Vt ſcilicet ſucci de cremore generati, felicius ad ſuos perveniant fines. Hæc eſt Diætæ veritas, quam natura ſponte indicat & docet. Illudque unum atque perpetuum eſto. Quod quicunque nactus eſt optima arcanorum remedia, uti ægros mox reſtituit, & à morbo quolibetcunque vindicat: ita etiam non aliam ægris, quàm ſanis Diætam præſcribit. Sanis namque omnia cenſentur ſana, eò quod fermenta digeſtiva potenter quælibet in ſui ditionem trahant, & coërceant. Adeoque digeſtiones præſcribant regulas Diætæ.

PHARMACOPOLIVM AC DISPENSATORIVM MODERNVM.

1. Ars medendi repſit in fabulas. 2. Barbari præcellunt Europæis in re herbaria. 3. Conſuetudo Galeni ſuffurandi aliorum inventis. 4. Herbarum ſexus ſcenicus. 5. Signatum in herbis, ridiculè in Chiromantiam translatum. 6. Paracelſi temeritas. 7. Inane inventum herbas in zodiacum retuliſſe. 8. Quàm parum ſpectatum, quod maximè pendendum. 9. Pudendum dotalia dona ſimplicium à gradu caloris metiri. 10. Cæſpitationes Herbariorum. 11. Vera ſimplicium depuratio, hactenus jejuna. 12. Cruor & ſanguis, differunt etiam in plantis. 13. Quercetanum decepit glacies. 14. Pater luminum ſolus dator cognitionis infuſæ, abſque effectuum obſervantia. 15. Vana media ad noſcendum vires ſimplicium. 16. Specificus ſapor. 17. Deſiderata in ſcientiis ſimplicium. 18. Pyrotechnia viam pandit. 19. Diverſitas agentium in natura. 20. Remediorum Spagyrorum diverſa activitas. 21. Balſamus amnes herbarum ſuccos præſervans à putredine, abſque proprietatis alteratione. 22. Cenſus extractorum & Magiſteriorum. 23. Horrenda ſimplicium confuſio, ac pluralitas. 24. Diſpenſatoria valent tantùm ad expeditionem: non autem ad appropriationem. 25. Authoritate Magiſtratuum parta deceptio clientum. 26. Deus quædam componit, quæ homo non ſeparet, nec illis tertium ſuperaddat. 27. Quando conjunctio eſt admittenda. 28. Sententia de diſpenſatoriorum valore. 29. Dulcibus retunduntur multorum vires. 30. Reſponſio ad objecta pro dulcibus. 31. Syruporum vanitas. 32. Chymia præfertur aliis profeſſionibus. 33. Vſus tranſmarinorum. 34. Craſis, remediorum nucleus. 35. Vitia in decoctis. 36. Defectus in electuariis, pillulis & confectionibus. 37. Contra confuſiones ſimplicium. 38. Solutivorum examen. 39. Qualis præparatio ſimplicium ſpernenda. 40. Bullitio odoriferorum damnoſa. 41. Cornu Cervi uſtura ridicula. 42. Multorum correctio fatalis. 43. Peccata ſimplicium. 44. Abſurda miſcellanea. 45. Tota terra venenum habet, & parit. 46. Sub venenis latent potentiſſima arcana. 47. Error de Aſari caſtratione. 48. Error de ejus cruditate. 49. Nullum venenum in Ente primo verum. 50. Nex Marchionis Spinelli, ex ſtulto hellebori. 51. Examen viperæ. 52. Arſenicalia, quo jure ulcerum remedia. 53. Vt venena fiant remedia. 54. Remedia Chymica officinarum. 55. Examen auri, & gemmarum in Medendo. 56. Vſus oleoſorum. 57. Quid ſaccharo clarificato deceſſerit. 58. Modus applicandi externa. 59. Collectio ſimplicium.

Paſſim Ars Medendi in ſcenas, & vulgi ludibrium trahitur. Eò quod Medentes ſapere nolint, niſi ad conſuetum Scholarum. Quę enim legunt credunt: quæque credunt, exſequenda tradunt fidei Seplaſiæ, uxoris, & famulitii. Inde enim unguentarius 1 quilibet, & vetula, ſe in Medicinam ingerit, Medicos illudit, quia & non rarò in multis excellit. Solent enim antiquitus olim quædam ſibi reſervare in pignus famæ, atque familiæ. At poſtquam ignavia vicit, & lucrum diſpoſuit

Medicinam ut aratrum , juſto Dei judicio , peſſum
ivere omnia. Ante limen officinæ non poſſum
non indignari ſimplicium deſcriptores.
Nam quamvis non ſit campus ſpatioſior , uberior,
jucundiorque, in tota terrarum facie,& ubi
animus magis oblectetur , quàm in re herbaria:
2 vix tamen alibi minus eſt progreſſum. Siquidem
Arabes, Gentiles, Barbari,Sylveſtres, atque
Indi , multò vigilantius ſua ſimplicia obſervarunt
cunctis Europæis. Quippe vel à diebus
Platonis (quibus vixit Dioſcorides , vir miles)
nil ferè rei herbariæ eſt additum : multum verò
eſt diminutum. Galenus peculatus lubitu , hoc
alterius ſtudium , ſuppreſſo nomine. Dioſcoridis
3 verba, planè adioſcorus rapuit. Quæ interim
Plinius multis conſperſit nugis. Vtpote judicio
egenus veriſimile , à vero , & falſo , non potens
diſtinguere , multa undecunque corradens deſcripſit,
ut tomi magnitudine nomen æquet.
Cæterùm , in hunc uſque diem , de herbarum
dumtaxat faciebus , & nominibus , adhuc eruditior
Medentum pars anxiè diſputat. Quaſi cognito
vultu, vires non alloquerentur coram; vires
inquam primo à Dioſcoride traditæ. Velut
in primo Authore , vis medica ad finem pertigiſſet.
Interim quæ maximi fuere momenti ,
4 neglecta ſtetere hactenus. Moderniores verò,
cœperunt herbas in ſexus diſtinguere , multaque
ſe inde deprehendiſſe, rati , conqueſti ſunt
hæc obvelata ſtetiſſe. Quaſi natura , joco , &
non ſeriò laboraret, de ſexu ſolicita fuiſſet , ubi
promiſcuo , & androgyno contenta fuit. Sexus
namque generationem dumtaxat reſpicit , non
autem operationem , aut objectorum parium
relationem. Itaque ne fruſtra vel punctum jotæ
conderet , quæ ad certos fines , ſuo Creatori
cognitos , totam ſe retulit , ubicunque ſexuum
notis opus non fuit ad generandum : etiam eaſdem
poſthabuit in operando. Verùm ſi duorum
ſimplicium , unum ſit altero fortius , aut
aſperius , id non ſanè ſexum denotat , ſed gradum.
Nam dum idem ſimplex putret, & in animalcula
mutatur , ſunt hæc non unius quidem,
ſed utriuſque ſexus . Quod ſanè nequaquam
fieret , ſi iſta ſimplicia jam intus ſexum , aut ſexuales
vires haberent. Ex eadem enim numero
herba naſcuntur promiſcuè tam maſculi
5 quàm fœminei ſexus inſectæ. Fuerunt poſtea &
alii, qui ſignaturas, velut Chiromantiam in herbis
obſervarent : hancque meditationem Satyrionis
radix inſigniter promovit. Atque adeo
hujus præcipuè merito ſcientiam ſignatam, ſive
anatomiam eſſatam , id eſt, nova nomina , &
grandiloquos titulos, ſuis prætexta audaciis, introduxere.
Ego de fide credo , hominem non
naturæ , & ideo viciſſim naturam non hominis
eſſe ſimulacrum, icona aut ſculptrum. Deus ex
Bonitatis & ſapientiæ ſuæ æterna providentia
abundè futuris neceſſitatibus atque ſufficienter
providit. Ipſe fecit dotavitque ſimplicia, ad deſtinatos
uſus cunctarum neceſſitatum. Id eſt,
compoſuit direxitque ad ſcopos neceſſitatum.
Itaque credo ſimplicia in ſui ſimplicitate , eſſe
ſufficientia pro ſanatione omnium morborum.
Ergo plus ſtudendum circa inquiſitionem virtutum,
quàm ad diſputandum quælibet problemata.
Cum in ſimplicibus ſit perfecta cura , &
ſanatio omnium morborum.Et per conſequens,
Diſpenſatoria , volentia componere & nectere
plurima, totum perdunt, & occulta blaſphemia,
quaſi inſufficientiam divinam ſupplere contendunt.
Hinc Paracelſus rectè ſcribit Chirurgis :
Quorſum Symphyto , ſive radici conſolidæ
majoris ſuperadditis acetum , bolum ac hujuſmodi
lurida additamenta ? Dum Deus hoc
ſimplex , contra oſſium rupturas compoſuerit
prorſus ſufficiens ? quicquid demum illi addideris,
id quaſi Deum correctioni tuæ ſupponeres,
facis. Erras graviter. Pariter quoque exiſtimo ,
DEVM perfectè & ſufficienter compoſuiſſe
in ſimplicibus completa morborum quorumcunque
remedia. Scio denique infallibiliter,
vegetabilium Archeo,nullam nobiſcum eſſe
cognationem anatomicam , ſive totum ſive demum
partes ſpectemus . Quippe ſimplicium
dotes , ſunt ex creatione : non autem ex uſurpatione
poſſeſſionis : nam proprietates jam ſuis
inerant herbis , ante peccatum , mortem , & neceſſitatem.
Tandem credo , Deum dare ſcientiam
ſimplicium , cui vult ; ex gratia ſupernaturali :
non autem per ſigna naturæ ! Quid enim
cum pleuritide cognationis Chiromanticæ habet
dens Apri , ſanguis hirci , virga tauri , fimus
equi, vel herba bellis? aut quam habent invicem
ſignaturam iſta ſimplicia ? Laudo equidem Dominum
meum, qui omnia, antequam morbi eſſent ,
ad ſui gloriam primariò creavit : neque
ſimplicia notavit , propter futuros à contingente
morbos : ſed ad decorem univerſi, undè honos
Domino ſcilicet. Obriſi itaque Paracelſum, 6
quod hujuſmodi nugas ſerias , in principia Medicinæ
erexerit. Non defuerunt quoque , qui 7
immenſum catalogum morborum in ſigna Zodiaci,
cujus numerus,cum nimis anguſtus eſſet,
unumquodque ſignorum in triplicem ſectionem
ampliarunt. Vt ſcilicet omnes herbarum

vires in 36 dividerent, & cogerent arcto ſtabulo. Terra enim ex ſe producendi herbas virtutem habet ſeminalem, quam proin non è Cœlis mendicat. Proprietas enim herbarum tota, à ſemine eſt, & vis ſeminativa à terra deſumitur, ſecundùm Sacra: non autem à faciebus luminum Cœli. Ponantur nempe 16 aut 20 ſtellas conficere conſtellationem, ſive unum de 12 manſionibus, atque extendi in 30 gradus. Quo pacto enim potuerunt tam paucæ ſtellæ continere eſſentias, ſemina, facies, & proprietates quingentarum fortè plantarum ſpecie, & internis proprietatibus diſcrepantium? Præter adhuc inanes tot rerum tam humanarum, quàm politicarum mille attributiones? Apage cum nugis iſtis! Seminibus herbarum inſunt proprietates, non autem Cœlo, vel ſtellis. Exoletæ ſunt Aſtrorum vires, quæ caloribus, frigoribus & complexionibus, veteri fabula, adfictæ ſteterunt. Multò enim magis differunt ſtellæ, quocunque ſumantur modo, à plantis, quàm herbæ à nebulis & pruinis, vel piſces à gemmis pretioſis. Elenchus itaque eſto, effectus cauſis tribuiſſe, quæ nil prorſus cauſæ ſimile in ſe poſſident. Id vel vigilem ſomniare eſt, ſi tale crediderit, vel prorſus propria putatione, evagari in
8 dementiam. Mathiolus, Tabernæmontanus, Braſavolus, Ruellius, Fuchſius, Tragus, d'Allichampius, cæterique herbarum obſervatores, hactenus occupantur tantùm circa facies & cognitionem viſualem plantarum: virtutes autem earum, è Dioſcoride omnes pariter deſcribunt; ad gradus quoque caloris & frigoris conſtringunt, quaſi aliquid à fundamento demonſtrantes. Pudendum ſanè, ſimplicium Craſim è calore deſumſiſſe, non autem è fontibus ſemi-
9 num. Dodonæus Friſo, jam factus Batavus, Tabernæmontanus cum paucis aliis, quanquam iiſdem graduum veſtigiis inſiſterent, aliquot tamen additiones ſubjunxerunt è propriis, vel aliunde decerptis experientiis: ſed adhuc confuſa planè, incerta, & perperam diſtincta: utpote quod non è ſcientia, ſed vel è vulgi revelatione annotata, vel caſuali experimento hau-
10 ſta, ſcripſerint. Nemo inter omnes eſt, qui ſcienter proprietates ſimplicium deſcripſit, prout ille, qui ab hyſſopo, uſque ad Cedrum Libani, cuncta deſcripſerat. Certo ſigno, non aliunde petendas eſſe veras ſcientias, quàm à Patre Luminum. Prout alibi de venatione ſcien-
11 tiarum obiter attigi. Animal integrum, & vivum contundi non poteſt abſque ſuo ſtercore. Dolendum idcirco nondum penſatum herbas multum ſtercoris habere, quæ nullum unquam de ſe ejecerunt: adeoque majori cautela eſſe depurandas. Denique in homine, ſanguinem à cruore multis notis diſtinguimus. In plantis au-
tem, ſat viſum fuit dixiſſe. Planta iſta, unico in 12
ſubjecto, diverſis & oppoſitis conſtat proprietatibus: acquietum eſt, nec profundius eſt ingreſſum, quàm per aliquot communes ſapores, & incertos eventus. Etenim è ſcapo papaveris læſo, ſtillat opium. Chelidonia plorat aureum, & Tithymallus lacteum ſuccum. Ex Petaſitide gummi, ex Chameleonte, Ixia, &c. quorum ſimplicia ſi contuderis, alium & inferiorem longè ſuccum, ſtercus nimirum, cruoremque, ſanguini permiſta, exhibebunt, utut clarificentur. Sanguinem enim, à cruore, & parenchymate plantarum diſtinguere, & ſeparare diſcant Tyrones, ſi quicquam laude dignum per ſimplicia egiſſe meditentur unquam: fit enim hinc, quod utcunque ſtrenuè, extrahendo ſis operatus, more à Neotericis edocto, plus tamen efficit drachma una Rhabarbari crudi, pulvere tenus exhibiti, quàm quicquid è ſeſqui drachma extraxeris. Plus enim ſtomachus ſuo fermento reſolvit, quàm quicquid extractionum mediatores ſucci auferant, quia fæci ſimilem, & aſpernatum liquorem paren-
chymatis, abſque diſtinctione reſolvunt. Quer- 13
cetanus enim, cum per Chiromantiam, & Anatomiam, quam vocant ſignatam, non ſatis examinari intimas rerum poteſtates animadvertiſſet, Pyromantiam vocat in auxilium, at in via defecit; Scilicet è cinere urticæ debile lixivium traxerat, quod in teſta, forte fortuna, parum conſtrinxerat glacies, (nam ſi lixivium fortius fuiſſet, glaciari non potuiſſet) mane miratus exclamat. Ehem frondium urticæ figuram, in glacie en conſpicio. Gaviſuſque axioma fundavit. Quod nempe in cinere, ens ſeminale, figurativum herbarum, ignibus invictum, permaneat. Bonus vir ille ſuam principiorum declarat inſcitiam, neſciens imprimis, quod omnis glacies incipiens, dentatas cuſpides, ad figuram folii urticæ, faciat. Deinde, quod Archeus ſit figurator rei generandæ, qui per ignem conflagretur dudum,
antequam carbo vel cinis fiat. Tertiò, ſi Ens 14
ſeminale herbarum, exprimeret lixivium, non ſanè folia: ſed radicem, caudicem, flores & fructus referre deberet. At ſeminum poteſtas figurativa, deliteſcit in Archeo, herbarum rerumque generabilium Vulcano, qui cum oculis carneis non ſubſit: A Deo ſolo impetrandum

dum eſt, ut oculos animæ aperire dignetur, qui Adamo, quique Salomoni, rerum proprietates primo intuitu demonſtravit. S. Thereſa, mentaliter viſo ſemel Crucifixo, ſenſit animæ ſuæ eſſe oculos, quos in vitam apertos ſervavit deinceps, & caro nobis occluſit, per naturæ corruptionem. Neque enim aliàs, de cætero cognoſcimus naturas à priori, neque Archei alteritates modò ſcimus, niſi per nudam obſervationem. Multa quidem nobis ſimplicium legata ſunt; at falſa plerumque & incongrua. Nec librorum lectio, nos facit cognitores proprietatum, niſi per obſervationem. Non ſecus atque puer, qui canit muſicen, non tamen eam componit, ut neque Symphoniæ primas rationes nòvit, ob quas ſic toni diſponendi erant. Hoc ſi accidat in ſenſibilibus ſenſu notis, quorum rationem metitur auditus: quid non fiet in re medica, in qua vires ſimplicium, nullo ſenſu perviæ ſunt? Medicaminum autem quorumcunque deſcriptiones, in officinis traditæ leguntur, cum defectu cognitionis proprietatum, & concordantiarum. Loquor enim de optica notione, qualem anima, ſeparata à corpore, habet, qualemque Deus largitur in hac vita, cui vult, atque hunc hactenus procul diremſit à cœtu illorum, qui libris ethnicis omnem deferunt venerationem. Exorandus itaque eſt Pater luminum, ut dignetur nobis dare cognitionem, qualem olim dedit Bezeliel, & Ooliab, in nominis ſui gloriam, & nudam proximorum charitatem. Sic enim ſtaret in nobis Ars Medica, recta ſub quolibet pondere. Sed verendum ne is, qui permiſit perire libros Salomonis, reſervet hanc ſimplicium ſcientiam in ævum
15 Eliæ artiſtæ. Scholæ enim, per ſapores, ſive guſtus, introitum ad ſimplicium ſcientiam promiſerunt. Per acre, amarum, ſalſum, dulce, aſtringens, acidum, & inſipidum, calores & frigora, ſe demetiri, tanquam proprietatum cunctarum opifices. At ſuperbæ oſtentationes, effectu ridiculæ factæ ſunt. Siquidem & opium valde amarum, quod hactenus calidum volunt, ſummè tamen frigidum docent. Sic acrem Camphoram, juxta ſuas regulas, calidam eſſe debere, frigidam tamen abſque controverſia prædicant. Pariter & Chryſulca, oleum vitrioli, ſulfuris, &c. acida, juxta ſaporum regulas, ſummè frigida eſſe deberent. At ſuo quandoque loco oſtenſurus, Scholas, facultates rerum, nondum cortice tenus adſpexiſſe, ideoque ſeminalium proprie-
16 tatum fontes præteriiſſe. Tandem eſt rebus ſingulis ſpecificus ſapor, qui proprietatem docere deberet, ſi quid aliud externorum ſignatorum. Eſt nempe præter acuitatem Cinnamomo peculiaris gratia in ſapore, quam in ullo vix præterea ſimplici reperias. Sic Gentiana, Enula campana, &c. præter communes amarores, ſpecificum ſaporem habent, qui ſubter regulas, ob ſingularitatem propriam quorumcunque ſimplicium, redigi nequit, ſoluſque proprietatum ſingularum, eſt accuſator, ut & diſtinctor. Porrò quod ſimplicia deligenda ſint in ſtatione, quâ in ſui vigore ſunt, hoc ſcholis, ruſticis & mihi, eſt commune. Semina nimirum, dum propemodum ſunt arida: Caules verò & folia, dum ſucculenta pleno cruore madent: radices quoque, dum viribus tument, nondum generando & coquendo exantlatæ ſunt: ſed multa jam quiete ſaturæ, expergefacto Archeo germinaſcere meditantur. Alii ſuadent Autumnum: Ego plerumque amo Ver. Quod in Polypodio, Brionia, &c. expertus didici. Etenim ſuccus herbarum eſt cruor, qui magis magiſque maturatus, vel cogitur in ſe, vel in fibrarum naturam deſinit, vel ſaltem defungitur, dum vis vitalis de propagando ſemine meditatur. Ergo indagandis, & deligendis ſimplicibus, nil manſit magis neglectum, quàm quod maximè deſiderabatur, & in quo, vel ab initio hactenus, nullus fuit profectus. Poteſtates nempe ſimplicium, earumq; immediata ſubjecta, manſere incognita. Illæ enim 17
præter claram ac velut opticam ſui cognitionem, deſideratam expoſtulant præparationem & appropriationem, Cognitio inprimis ſcientiarum: non autem traditiones ad lubitum narratas, & ſibi invicem tranſcriptas, præſupponit. Præparatio verò, non ſolùm ebullitiones officinæ, aut contuſiones exigit: ſed totam Pyrotechniam. Tandem adaptatio, applicatio, ſive appropriatio requirit fundatam in lumine naturæ theoriam, hominis, morborum, & affectuum, deinde dependentias, mutationes, & alteritates. Non mirum itaque, deſertam ſtetiſſe ſimplicium doctrinam. Sub tanta interim mortalium ſocor- 18
dia, omnipotens dignatus eſt ſuſcitare Spagyros, qui de tranſmutatione, maturitate, tinctura & promotione virium, velut de ſummè neceſſariis meritò cogitarent. Et ſic ſenſim progreſſi ad Medicinæ unitonum, voti compotes evaſerunt ſequaces. Non enim ad fictorum humorum ametriam, luctam, defluxiones, imò nec quidem ad producta, ſive fructus morborum iverunt (ad quorum nempe averruncationes noverant ſequi duntaxat palliationes morborum recidivales) ſed ad anteriora, ſive prio-

ra, ſtudium converterunt: ſcientes, quod po-
teſtativa baſis multorum defectuum, characte-
rizata eſſet in Archeo vitæ. Quocirca per pu-
ritatem, ſimplicitatem, & ſubtilitatem reme-
diorum, ſymbolum habentium, tentaverunt in-
greſſum ad vitam mediam. Vt ſi qua illorum,
non ad prima noſtri conſtitutiva penetrent:
ſaltem in horum limine, dotem ſuam exponant,
excitando noſtras poteſtates, grato ſui alloquio.
19 Siquidem natura, nedum agnoſcit actiones a-
gentium, quæ prorſus intrant in ditiones pa-
tientium (corporalis nempe dumtaxat eſt actio,
ejuſmodi, & nutricis facultatis obedientia) ve-
rum, eſt & agentium altera, non ſpernenda au-
thoritas, quæ eſt dotis nativæ explicatio, in i-
pſam Archei vitam mediam, propter mortali-
tatis, feculentiæ, & turbulentiæ ſequeſtratio-
nes. Qua ſuperioritate, ejuſmodi agentia, à ſuis
patientibus nequicquam tolerant, multoque
minus alterantur per renitentiam aut reactio-
20 nem. Nonnulla enim ſic præparata remedia, ſur-
do ſui connubio, noſtras ſic recreant facultates,
ut certiores nos faciant, ſe ad hoc in mundum
veniſſe. Quædam enim ſui fragrantia nos velut
reficiunt. Sunt & alia, quæ clauſâ, impediuntur
ſuam nobis benevolentiam oſtendere. Vt au-
rum, & gemmæ. Alia demum, ſolutis vinculis,
in gradum deducuntur, velut incrementi favo-
re felicia, poteſtatum ſuarum adepta libertate &
authoritate, nos erigunt à lapſu, & ſolantur.
Non ſane inertius, quàm alioqui lethalia Aco-
nita noſtras vires peſſumdant. Abigunt nimi-
rum corporale, imò & fermentale virus: Non
autem, quod aliquod pharmacum queat extin-
ctas, abolitas, & exantlatas de novo reficere po-
teſtates, partibus inſitas. Cæterùm error ſchola-
rum fuit, ſuccos herbarum, cum ſuo parenchy-
mate, fermento priùs non ſubigere, antequam
21 optimarum partium ſelectio ſit poſſibilis. Tum
quoque neglexerunt indagare, quod ſuccus re-
rum, prælo expreſſus, ſolo odore cujuſdam i-
gnis ſulfurei, maneat deinceps abſque ſaccha-
ro vel alio additamento incorruptus: cujus fa-
vore acquirit balſamicum aliquid, hauſtuſque
æthereos ſibi incorporatos transfert ad ma-
gnam entelechiam. Porro deſcendens ad offi-
cinarum labores. Inprimis enim, quanquam
extracta videantur inertem ſtomachum, à la-
bore ſublevare: illa tamen non magnifacio, ob
22 errores jam ante notatos. Magiſteria verò lu-
bens extractorum vice repono, quibus tota rei
ſubſtantia in primitivum ſuccum redacta eſt.
Qui præparandi modus Medentum vulgo ma-
nebit in ævum incognitus. In qua ſolutionis
retroitione, ſponte ſeparantur ſucci heteroge-
nei, diverſis plerumque fundis, ſibi invicem
ſupernatantes, ſiditque unus rector, diverſitate
inſignis, ens ſeminale continens. Secundò com-
miſeror in officinis, tot ſimplicium connexio-
nes, & confuſas miſcellaneas, proditrices igno-
rantiæ, & incertitudinis. Sperant enim Scholæ, 23
ſi non juvet unum, alterum juvaturum: ſicque
multa aſſociant invicem, Herbariorum præco-
nio, exaltata in eundem ſcopum. Adjunctæ
ſunt mangonii ſorores, elixatio, & condimen-
tum. Diſpenſatoria proinde commendantur à 24
Scholis deſcripta, & à Medentibus uſitata, ad
expeditionem, & promtitudinem (huic nem-
pe promtuaria ſuum habent nomen) non au-
tem ad proprietatem, & exigentiam. Habentia
videlicet dumtaxat generales ac univerſales in-
tentiones, cum ſubſtitutione, & diſpenſatio-
ne unius, pro altero. Vnde Diſpenſatoria dicta.
In quibus omnibus, atque ſingulis, crudorum
ſimplicium concurſus, & confuſio, conjectu-
ralem dant exitum. Vndequaque enim pro ſuo
nummo decipitur æger, tam ſcilicet fide ac
fraude ſeplaſiæ, quàm jurejurando Doctora-
tus. Putans errare, fallere, aut falli non poſſe, 25
qui jurat ſe admiſſum gnarum, & ſufficientem.
Ah utinam Magiſtratus tantæ clientum fallaciæ,
& fraudi Medentum, eant obviam. Ego inpri-
mis in ſimplicibus compoſitionem ſinceram
admiror magnoperè, quæ, componente Deo,
facta eſt. In conſolida nempe, plenum reme- 26
dium oſſifragii reperio, habens cuncta, quibus
opus habet. Quibus ſi bolum, acetum, aliave
aliena admiſcueris: prout ſupra ex Paracelſo
admonui: jam mixturam, à Deo ordinatam,
corrupiſti. Attamen quoties res ſingulæ non ha- 27
bent intentum, adjunctiones ſubinde admitto,
ſi res ſuo congreſſu copulativè acquirant, quod
in ſingularitate non habent. Quod deinceps
experimento docente confirmandum. Cujus
exemplum in atramento & tincturis eſt luculen-
tiſſimum. Enimvero ſub ſtudiorum pœnitentia
ſæpè conſiderabam, quod cum in natura eſſet
quædam proportio materiæ ad materiam, &
formæ ad formam: eandem quoque ſervari
proprietatum ad proprietates, ac per conſe-
quens, effectuum ad effectus. Aſt defectum ho-
rum, mox me ſimplicium compoſitio docuit.
Vbi alteritates ſtatim à commixto ſeminis initio
intrant, & ſeſe demoliuntur plerumque, non ſe-
cus atque multorum ſemina ſimul contuſa, &
confuſa, ſpem ſeminalem excludunt. Scivi dein-
ceps,

ceps, multis laboribus, & expenſis, materias remediorum,
dumtaxat præparatione ſui ad nobiliorem
dignitatem evectas, adſcendere ad
gradum perfectionis,libertatis ſubtilitatis,& puritatis,
& longè antecellerent officinarum decoctis,
ſyrupis,atque congeſtis ſub melle pulveris.
28 Quiſquis enim Pyrotechniæ exercitiis benè inſtructus
eſt, mecum clarè intuetur, nullum in
Diſpenſatoriis pharmacum reperiri, quod non
29 plus nocui, quàm proficui contineat. Scholæ
namque, quæ Hippocratem profitentur,ſi morbos
ex acri, amaro, ſalſo, vel acido, proficiſci
agnoſcant, quod uno melle, unicoque ſaccharo
omnia prorſus larvent, condiant, remediorumque
alias ſat in ſe debilium proprietates retundant:
quaſi morborum omnium unica medela,
30 & apex, in dulci ſtaret. Reſpondent enim, quod
laxativa nihilo infelicius operentur,etſi ſaccharata;
tum quod gratiora ſint palato, ac tertiò,
quod à carie atque putredine ſic præſerventur.
Quod ad primum attinet, Venena quidem admitto,
æqualem habere effectum, ſive ſaccharo
comitata, ſive ſolitaria deglutiantur. Siquidem
laxativorum poteſtas, tota ſigillata eſt in liquefactione
corporis, ut & in putrefactione liquefacti;
adeoque veneno infamis eſſe debeat. Impertinens
ergo eſt Scholarum reſponſio,per venena,
ad quæſtionem de morborum remediis,
quatenus amarorum, acrium,&c. Ad ſecundum
dico, futilem eſſe reſponſionem, donec ad primum
non eſt ſatisfactum.Neſciunt ergo adhuc,
vires remediorum,ſaccharo immutari,& retundi.
Quod multis guſtus aloës gratior ſit, potu
mellis. Denique linguæ cupientes blandiri: nequeunt
tamen ſtomacho, qui cooperta dolo ſacchari
pharmaca, ſolo aſpectu horret. Quod res
paucis guttis faciliùs ſumatur in aliquo liquore,
intuſque conficiatur libentius, quàm copioſo
ſaccharo condita: quod denique convenienti
liquori immiſta, penitius introëant, amicabilius
coaleſcant,quàm multo obtecta ſaccharo. Quod
ſaccharum ſanis licet gratum, mox tamen ægris
horridum fiat, in pleriſque morbis ſtomachi, &
uteri, hoſtile: in aliis verò, adjunctæ medelæ
opem non rarò faciat ridiculam. Saccharum enim
fermento acido ſtomachi,adverſatur è diametro,
ideoque digeſtiones facit difficiliores.
Saccharum enim, lixivio calcis vivæ, & argilla
figulina clarificatur. Etenim ſi acuitatem ſpiritus
mellis, & ſacchari putidas feculentias noviſſent
Scholæ, parciori illorum uſu apud ægros
31 contentæ fuiſſent. Ad Tertium tandem dico.
Scholas in hoc fateri ſuam ignorantiam, quod
neſciant medicamina à corruptione præſervare,
ſine condimento & virium caſtratione. Syruporum
ergo ſat eſt fraus detecta, qui non niſi
decoctis ſimplicibus fiunt, addito melle, aut
ſaccharo. Huc demum facit. Quod vegetabilia
dumtaxat ſuccum, & muccilaginem bulliendo
in aquis deponant. Quæ cruda atque impura,
ſuas ſtomacho irrogant moleſtias priuſquam
cum melle digeſta, nos ſuarum virtutum hæredes
inſtituant. Præſertim quod herbarum gummoſitas,
melle & ſaccharo frixentur, ingrata, &
moleſta evadat ſtomacho, fiatque bulliendo inſigne
virtutum diſpendium. Laudo benignum 32
mihi Deum, qui me in Pyrotechniam vocavit,
extra aliarum profeſſionum fæcem. Siquidem
Chymia principia habet non logiſmis parta: ſed
quæ per naturam ſunt cognita, & per ignem
conſpicua: præparatque Intellectum ad penetrandum
occulta naturæ,ponitque inveſtigationem
in natura ulteriorem, quàm aliæ ſcientiæ
omnes ſimul; & penetrat uſque ad ultimas profunditates
veritatis realis. Quia operatorem intromittit
ad primas radices illarum rerum, cum
dearticulatione operationum naturæ, & poteſtatum
artis, cumque maturatione virtutum ſeminalium.
Laudabilis enim & ſuperglorioſus
Excelſus, qui hanc ſcientiam parvulis dedit
gratis. Rarò quoque tranſmarinis, & ab ultimo 33
Oriente petitis remediis utor: ſciens, quod
Omnipotens fecit ſanabiles omnes nationes
terræ, nec advectas Indo de litore merces, exſpectandas
voluerit: ut neque ante cognitas Indias,
minus mortalibus propitius Deus fuerit.
Bonitas ergo divina perſuaſit mihi, inquilinis 34
morbis ſua domi reperiri remedia. Docueruntque
me theoremata Spagyrica, quod paretur
liquor exiguus, cuſtodiens craſes ſimplicium
incorruptas, abſque condimento alieno. Herbas 35
igitur aqua, vino, vel ſtillatitio liquore, decoquunt
ad tertias, medias, etiam duplici (ut
ajunt) vaſe, ac ſub diplomate coacervatas. In
quibus vires optimæ, ſi non pereant: ſaltem
non elicitur, niſi moleſtus & ingratus herbarum
muccus, ſtomacho digerendus, utut ovorum
albumine depurentur decocta, & ſucci, atque
larventur ſaccharo. Vtpote potantur abſque
ſeparatione puri, ab invalido, abſque reſeratione
clauſarum virium, ſine vitæ radice, ac
participatione, emendatione defectuum, cruditatum,
excrementorum, & poteſtatum violentarum,
quarum activitates natura noſtra,
ſine gravi clade ferre nequit. Electuaria deinde, 36
confectiones, vel pillulæ, ſive ad confortandum,

dum, ſive ad ſolvendum, majoribus adhuc
quàm ſyrupi ſcatent miſeriis: nam citra elixationem,
ſola contuſione, ſeu pulveratione, connectuntur
ex multis ſimplicibus ridiculè, neſcienter,
& incogitanter, quæ ſibi invicem plerumque
adverſantur, nocent, impediunturque
ipſamet, ne mutuam jungant, quam nobis debent
37 operam. Non eſt enim in natura, quod
Scholæ ſpectarunt in numeris, in quibus vires
ſimul in unum conveniunt, quia per unitates
conſentiunt. In natura ſiquidem res quæque
ſingularis eſt, propria vivit œconomia, nec conjugio
gaudet. Hactenus quoque Medendi operatio,
procedit in vitam mediam Archei, quæ
per confuſiones, & connexiones, ſi non planè
intereat: ſaltem manifeſtè debilitatur. Plurium
namque ſeminum complexu, irriti ſucceſſus,
Scholas admonuiſſe debuiſſent, à confuſione
tot tamque diverſorum ſimplicium, abſtinendum.
Quantò magis, quod ſub iſta multitudine
multa ſuppoſita, oppoſita, fruſtranea, pleraque
cæterùm ponderoſa, impertinentia, inepta, impropria,
ideoque languida, effœta, mala, mortuaque
confluant, aut ſaltem fiant. Etenim quanquam
ſimplicium demerita, adulteriaque ſint
plus mercatorum, quàm Seplaſiorum: attamen
illa non diſcreviſſe, tantum ignavi, ignari, vel
avari eſt pharmacopœi. Certum eſt interim plerumque
omnia tandem cruda, dura, immatura,
clauſa, venenata, impura, vincta, atque inepta
ad communicationem ſuarum virium aſſumi,
& depravari magis per commiſtionem. Et
quia ægrotantium ſtomachus eſt in limine, ideoque
& primò offenſus, quia debilis, & ineptus
ad extrahendum vitam mediam, tot difficultatibus
obſeptam. Laboribus itaque & curâ
ſingulari, omnino erat anticipandum, ut languenti
ſtomacho, cuncta præparemus, ſi ad conceptos
optatosque fines jucundè pertingere
ſperemus. Horridus ergò, nauſeoſus, & tædioſus
confectionum cunctarum uſus. Adeoque hinc
38 proverbium: Tolle iſtud. Nam Apothecæ odorem
habet. A Solutivis quoque ſi Scammoneam,
& Colocynthida demas, ruet totum officinarum
in ſolutivis ædificium, ſublatis duabus
iſtis columnis, quibus iſtud innititur. Nam ſolutiva
præter ſcammoneam, colocynthida, Euforbium,
elaterium, eſulam, adeoque manifeſta
venena, eaque adhuc adulterata, ſordida, & horrida,
diminutionis virium & roboris noſtri capita,
continent planè nihil: niſi eadem venena,
in aloë, rhabarbaro, ſena, agarico, manna, atque
ſimilibus, mitigata, tantoque magis imposturæ
obvia ſupponamus. Odi idcirco ſimplicium
præparationes, quoties lotio, ebullitio, aſſatio,
aſſociatio, vel calcinatio virium diſpendia facit.
Nam Aloë, ablutione ſuccum amittit, meraque 39
reſina manet reſidua, quæ ſui ad inteſtina adhæſione,
torminum & hæmorrhoidum eſt concitatrix.
Denique cum aromatum vis genialis, 40
atque præcipua, ſit in odorabili, hoc ſi ultrò evaneſcat,
& ſpontè odoratum feriat, quid tandem
bulliendo & aſſando non fiet, præcipuè ubi gradus
acceſſerit? quod noſtræ nos docent odoriferorum
diſtillationes. Tandem quid in Scholis 41
inſulſius dici poteſt, quàm Cervi cornu, in
inſulſum, & omni privatum virtute, cinerem
redegiſſe, ad magnos uſus? & loco præparationis,
caſtrationem ſeu potius privationem
ſubſtituiſſe? Etenim didici pleraque remedia,
odore, atque ſapore, tam intus quàm extra, noſtris
auxiliari infirmitatibus: ideoque deteſtatus
ſum ſimplicium multorum commiſtiones,
eò quod ſi ad odorem ſanativum, alium deſuper
adjunxeris, qui priorem ſupprimat, palliet,
in ſe convertat, vel ſimul ex utroque neutrum
ſuſcitet; ſcivi exin, vim ſpecificam ſanativam,
abolitam fore, irritumque effectum ab
ægro optatum. Suſpecta igitur mihi aromatum
& dulcium aſſociatio. Porrò odi confectiones 42
cæteras officinarum pleraſque, quia futiles: quibus
ſupereminentem ac violentam rerum poteſtatem,
quibuſdam rebus ridiculis palliare,
atque retundere ſtudent. Imò interim innatum
hujuſmodi medicaminis favorem, tantumdem
promoveri prædicant, quantum poteſtatum adnexis
viribus detrahunt. Pleriſque enim aliquot
grana cinnamomi, aut aliarum futilitatum
admiſcent, ut violentiorum furores ſubigant,
quaſi furiæ laxantium, aromatum aliquot granis,
cicurentur! Quis etiam tenuiter in Chymicis
inſtructus, neſcit in confectionibus aromaticis,
inprimis peccatum pluralitatis eſſe?
dein fruſtra pleraque; illaque peccare in cruditate,
duritie, clauſura, electione, & ſubſtitutione
ſimplicium? Denique iſta confluere adhuc 43
incerta doſi? undè nimirum effectus ſperatus
prævertitur? Et quidem ex errore ſingulorum?
Vtque uno exemplo abſolvam. Quid quæſo in
Lithontribon, quod etymi promiſſis ſatisfaciat?
Quorſum enim cinnamomum, caryophylli, 44
tria pipera, acorus, coſtus, rhaponticum,
caſſia, bdellium, maſtiche, amomum, peucedanum,
ſpicamen, zinziber, lignum & ſuccus balſami,
tragacanthum, chamedrys, euforbium,
olea quoque nardi, & moſchelini? Anne ſingu-
la ho-

la horum, in ſcopum etymo propoſitum conſpirant? vel nunquid ex ſimul commixtis, & intentiones mutuorum fragrantibus, orietur nova virtus, quæ promiſſa compleat? nempe lapidem in rene & veſica confringat potenter? ſtatimque omnes urinæ defectus ſolvat? An non potius opobalſamum in cæteris excrementis atque quiſquiliis periret? Cæterùm in confectionibus opiatis, eadem ſurditas, quæ in Aromaticis, eſt obvia ubique. Quod ut unico quoque exemplo abſolvam. Quorſum enim in Aurea Alexandrina Nicolai, 65 ingredientium confuſio facit? Quorum ſimplicium nulla eſt cognatio cum opio & mandragora, columnis confectionis? Profectò congreſſiones ſimplicium, ad ignari lubitum factæ, Scholas infatuarunt, ægroſque exanimarunt: injecta ſpe fruſtrarunt, occaſioneſque Medendi in momenta labiles, incertis conjecturis venum expoſuerunt, atque præterire fecerunt. Compoſitiones itaque officinarum, ſi ſine mentis præjudicato examines, utrobique in ſyrupis, electuariis, pillulis, eclegmatibus, trochiſcis, atque aliis, utili admiratione ſtupebis, mundum, garritu Medentum, Scholarum ineptis ſtoliditatibus, & noxiis deluſum præſumtionibus. Chriſtiani enim cum Stoïcis credimus, Mundum in humanum uſum coaluiſſe. Idque cum olim mecum impensè contemplarer, mox viſum mihi fuit, humanum uſum commodè carere potuiſſe tantis venenis. Etenim frigidiora climata noſtra, in hoc ſaltem feliciora eſſe comperi, quod reptilibus monſtris, virulentis, atque lethalibus careant, quibus alioqui calidior zona ſcatet. Certè non multa nobis eſt venenorum neceſſitas, familiaritas, abundantia; nec illorum uſus, ulla ratione compenſabit tot calamitates inde oriundas. Imò ſi terra proferat tribulos & ſpinas, in peccati maledictionem: profectò majores longè calamitates in dorſo fert, nobis tam in animantum, quàm vegetalium claſſe, importunas vitæ mortalium: Quocirca minimum quid per tribulos & ſpinas, textus minatur, quod jam maximum in calliditate hoſtilis ſerpentis, homo exploraverat. Sanè ſi benè inveſtigetur, vix aliquid immune natura habet, quod ſuum toxicum ſibi clanculum admiſtum non habeat. Non enim roſas aut violas habemus, quæ nobis non imponant; quin ſub tanta odoris fragrantia, non occultent veneni contagia: putrefactionis nimirum inſignia, corporis noſtri
45 colliquationem, ac virium ſuffurationem. Idcircò ſimplicium cenſum ingreſſi, paucula reperiemus inſontia: imò ſi campos aſpexeris, totus terræ globus, non niſi unica atque contigua aranearum tela eſt. Quinetiam penitus attendendo, eadem hodiè videtur eſſe rerum facies, quæ erat ante unicum peccatum. Adeoque fortaſſis ab initio, plura venena, nocua, & ſontia, quàm bona in terris: non tamen Medicamentum exterminii pro homine: Quia Paradiſus venenis carebat ejuſmodi, etſi ſerpentes adeſſent: vel fortè immortalitatis ergo, venena homini eſſent nihili futura in Eden. Sed contra; vidit Omnipotens, quod quæcunque (etiam in mundo extra Paradiſum) fecerat, erant bona in ſe, & ad fines ſuos. Quare dudum mecum hallucinatus ſum, exiſtimans venena indigna ut eſſent. Cum quia honos Dei non requirebat illorum exſiſtentiam; tum etiam, quod homo lubentius multis venenis indiguiſſet, adeoque venena, nec in Dei gloriam, nec in humanum uſum, condita rebar. Paucula nempe ſunt inſontia, quibus abſque cautela uti tutum ſit: pleraque verò horrenda tyrannide nobiſcum pugnant. Alia quoque ſua nos acrimonia uſtulando rodunt: plurima ubique alia, ſub amica ſpecie, nos illudunt, occultumque intus hoſtem deleterium gerunt. Vniverſim autem, nil non ſcatet ſordibus, ac impuritatibus eſt horridum: cruditatibus demum, ametria, ac invicta perverſitatis pertinacia conſtans. Nam quanquam homo in Paradiſum delatus eſſet; præſcivit tamen ab æterno rerum laudabilis Opifex, mundum homini domicilium fore: terramque ut dedit filiis hominum, ita & eandem cum cunctis contentis ſuis, pro homine condidit. Tandem per Chymiam univerſa clarius intuens, me prioris temeritatis pœnituit, ac ſtolidæ ignorantiæ meæ. Siquidem utrobique, 46
immenſam Architecti Clementiam, & Sapientiam, cum admiratione, ſupplex adoravi. Nam venena noluit nobis eſſe venena, aut nocua. Nec enim mortem fecit, nec medicamentum exterminii in terra: ſed potius ut parvo noſtri ſtudio, mutarentur in grandia amoris ſui pignora, in uſuram mortalium, contra futurorum morborum ſævitiem. In illis nempe latitat ſubſidium, quod benigniora & familiaria ſimplicia recuſant aliàs. Ad majores & heroïcos medentum uſus venena tam horrida ſervantur. Bruta enim vix iis paſcuntur, ſive quod venenum cognoſcant intuitivè, quod odore vel ſapore aliàs non proditur: ſive quod rector brutorum ſpiritus aliquis, ſervet iſta venena in majores uſus, velut maximarum virtutum hæredes. Suffi-

cit ſaltem, quod bruta nobis potiſſima remedia
relinquant, velut è mandato Altiſſimi, cui
plus curæ eſt de nobis, quàm de belluis. Aſarum
enim crudum, quanta cum anxietate vomitum
cit, eique præſens venenum teſtatur ſtomachus
? & quàm facilè bullitione id recedit,
mutaturque virus in deoppilans, diureticum
tardarum febrium remedium, quod occultatum
in eo aroma prodit? Sic Aaron aceto bullitum
miteſcit, magnorumque caſuum medela
fit. Quapropter Scholæ correctiones inſtituerunt
; atqui utinam illas non ridiculas, non caſtrationes,
non virium ablationes potius! Putant
nimirum ex Aſaro laxativum evolare, per
47 ebullitiones, non ſecus atque languentibus
annis, propria carie, res quæque tabeſcit. At
ſaltem radix Aſari, non perinde vino incocta
miteſcit, ſicut ſi in aqua bulliat. In pari tamen
ignis gradu, evolaret ſuum laxativum pariter.
48 Alii proinde putant, cruditatem, in Aſaro, ſolutionis
effectricem; ſed hi olera negligunt
Aſaro crudiora: helleborum verò coctione
non maturari, ſi vomitus à cruditate oriundus
ſit. Scammoneum rebus acidis incoquunt, ut
mitigent: Sed novit jam medentum vulgus
ſic Scammoneam caſtrari, ideo ut ſi acido ſulfuris
vapori exponatur, planè orbetur ſua virtute;
tantumque Scammoneæ decedere, quantum
aciditatis hauſerit. Aſt ego volens paterno
animo corrigere furioſam medicaminum
vim, intelligo, rerum vires priſtinas manere
debere, & in ſui radice introverti, vel ſub ſui
ſimplicitate tranſmutari in dotes alias, ibidem
latitantes clanculùm, ſub cuſtode veneno: vel
de novo partas, ratione additæ perfectionis.
Quo pacto Colocinthis, laxativam atque deleteriam
qualitatem introvertit, emergitque
ex imo vis reſolutiva, morborum chronicorum
49 curatrix egregia. Id enim Paracelſus in
tinctura Lili Antimonii cum laude attentavit;
ſiluit tamen, vel neſcivit, fieri idem in omnibus
prorſum animantium, & vegetabilium venenis,
per ſalem ſuum circulatum. Siquidem
omne venenum iſtorum perit, ſi in entia prima
redierint. Hunc cardinem non Scholæ:
ſed electi DEO medici, quos Omnipotens ex
utero matris delegit, ventura ætate noſcent, facietque
ovium ab hircis diſcrimen. Non caſtranda
ergo, nec mortificanda ſunt, magnarum
poteſtatum ſimplicia: ſed melioranda per
Artem: propter extractionem latentium, vel
per ſuſpenſionem virulentiæ, vel ſubſtitutionem
unius pro altera, per adjuncta ſpecifica
imperativa. Hæc pro iis, quibus datum non
eſt deguſtaſſe potentiam ſalis circulati majoris.
Quædam enim depoſita ſui feritate, per
adjuncta miteſcunt: neutra fiunt, aſſumtis videlicet
utrimque viribus participativè. Nec
proin licet adjuncta hujuſmodi mutuare à receptis
Diſpenſatoriis officinarum, quæ non meliorationem,
aut ſaltem correctiones: ſed internecionem
rerum docent, vel prorſus, non
niſi ludicra corrigentia perhibent. Per exemplum,
Marchio Carolus Spinelli Ligurenſium
Imperator nuper, cum ſerò urbem pedes obambulaſſet,
& cuncta mœnia perſcrutatus, medicos
vocari juſſit, illiſque dixit, ſe quandoque
epilepſia laboraſſe, & à me curatum, & ſubinde
adhuc vertiginem ſenſiſſe, poſtquam in
tranſfretatione ab Aquitania in Liguriam deſcendiſſet.
Corona medentum, ſequenti mane, 50
propinat illi ſcrupulum Hellebori albi, &
pro correctione addunt ſeminis aniſi tantundem:
mox à ſemihora vomit, ac dein fruſtra
meam abſentis opem invocat, homicidas ſuos
incuſat, dicens: *Helmonte mio, voi me lo diceſti,
gli medici t'uccideranno.* Siluit, ac poſt
binas horas, convulſo ſtomacho primùm, dein
toto corpore ſpaſmodes moritur: medici excuſationes
quæritant, & terra culpam eorum
texit. Ita enim Scholarum confectiones, per
diſpenſatoria correctiva, ſtulta, multa in ſarcinam
ſecum vehunt. Opiata inprimis calida
habent adnexa; laxativa autem, plerumque
zinziber, macim, aniſum, ac quæcunque torminibus,
à poſteriori ſolutivorum effectu, mederi
poſſent. Vah quàm impuni licentia furit
ignorantia in mortales! quàm parum intelligunt
Hippocratem ſuum: *Si ea tollantur quæ
convenit*, (id eſt, quæ nocent & onerant) *æger
melius ſe habet, & facilè fert.* Etenim cum
ea, quæ nocent intus, ſubinde vix pendeant
drachmam, oportet omnem purgationem,
quæ ad ſanitatem terminatur, eſſe evacuationem,
vel imperceptibilem, vel ſaltem valdè
moderatam; & cum reſtauratione virium.
Hæc eſt namque, quam cum juvamine ægri
facile ferunt. Correctoria ergo pharmacorum,
ſunt ſarcinæ inutiles, atque ſine rerum cognitione,
à Scholis deſcriptum pondus, adeoque
deſtructiva ſaltem pharmacorum, ſi non
ſimul etiam ægrorum. Hæc medendi pars, ſolertem
requirit, ac gnarum Naturæ Secretarium.
Quia in illa parte, ampliſſimæ medicaminum
opes, & deaurata Glauræ ſupellex
invenitur. Scholæ olim à noſtris Philoſophis
didi-

didicerant, excellentiſſimas virtutes habitare
in ſimplicibus,* quibus venena deleteria in cuſtodiam
præfecta eſſent: ſucceſſit illarum inde
temeritas, quæ expreſſa venena, apertaque
corroſiva, antidotis commiſcuit: Sperantes,
per bonitatem & quantitatem adjunctorum,
ſuperatum iri malignitatem veneni, quaſi conveniens
eſſet ſanitati, Chirothecam peſtilentem,
in cubiculum, ſano aëre repletum, deferri
51 ad convivas. Non enim viperam in Theriaca
hîc accuſo, ſine qua nempe, hæc velut
mortua, ſimplicium eſt farrago. Caro viperina
enim, in ſe innocua, & abſque veneno eſt.
Imò toxicorum antidotus. Paſtilli verò inde
parati, elixando, omnes opes in jure derelinquunt,
quas cruda caro ſervabat. De arſenicalibus
hoc loco conqueror, Alexipharmaco magiſtraliter
ut vocant inditis. Præſumunt enim
Scholæ, propter audaciæ raritatem, fidem
mereri, & ſtudiorum gloriam in authoritate
poſſeſſionis locaſſe. Nec perpetuum eſt, circa
deleteria morari, in eodem ſubjecto, etiam virtutes
excellentiſſimas, ſic ut hæc cooperiantur
52 à venenis. Quippe Arſenicum, Auripigmentum,
&c. quantumvis fixentur, ac dulcorentur,
nunquam tamen ſunt intrò ſumenda, utut
alii ſecus ſuaſerint. Foris tantùm valent,
aliaque ulcerum venena necant, domantque ſi
prius ipſamet ſubacta ſint. Correctiones itaque
medicaminum, ſunt abſque cognitione
proprietatum, partium, & conſonantiarum.
Quid enim aroma ponderat reſpectu veneni?
ſi totum corpus humanum robuſtum & vita
plenum, ictu dentis viperini mox corruat? An
miteſcet Napellus admiſtione caryophylli? An
colocynthis putrefacere deſinet, cum ſuis torminibus,
ſi jungatur Tragacantho? Correctiones
ergo in diſpenſatoriis, gravamina ſunt,
& ſtupida additamenta, quæ virulentiarum non
faciunt moderationes: ſed virium diſpendia.
53 Quemadmodum enim venena, promtitudinem
agendi fermentalem habent, laborandum
ita erat, ut medicaminum robur atque
promtitudinem reſervemus, ſed per inſitiones
Artis, illa ad neceſſitates chronicorum, &
procul diſſitorum morborum, dirigamus. Hoc
unicum reſtabat in hoc negotio, ut ſummam
rei violentiam, cum fermentali propagatione,
54 infringamus, atque domemus. Quamobrem
ut compoſitiones & correctiones officinarum
in univerſum miſeror: ita magis adhuc deteſtor
præcipitationes, vitrificationes, & præparationes
Mercurii Antimonii, Tutiæ ſulfuris,
&c. Itemque adulterationes ſpirituum, ex
aromatibus, ſeminibus calidis, vitrioli, ſulfuris,
&c. nam ad lucrum, à fugitivis ſervis noſtris
parantur, & apothecis comparantur, in
Pyrotechniæ deſpectum potius, quàm ægrorum
defectum. Pudendam pariter deploro 55
ſimplicitatem illorum, qui foliatum aurum,
gemmaſque contuſas, hominibus magna ſpe
propinant, magno vendentes ſuam ignorantiam,
ſi non dolum. Quaſi ſtomachus, inde vel
minimum exſpectet ſubſidium. Subtilior, ideoque
magis condolendus eſt error eorum, qui
aurum, argentum, coralla, perlas, atque ſimilia,
per liquores acidos corrodunt, atque diſſolvere
videntur, putantque hoc pacto intra
venas admiſſum iri, verè ſuas proprietates nobiſcum
communicatura. Neſciunt enim, ah
neſciunt, acidum venis hoſtile; ideoque peregrina
diſſolventium ſuperata & tranſmutata aciditate,
ejuſmodi metalla, & lapides, pulverem
eſſe, ut ante. Qui utcunque in tenuiſſimum
pollinem ſit redactus, nihil tamen à ſtomacho
conficitur, aut nobis ſuas vires partitur.
Quod ut coram videas. Affunde enim ſalem
Tartari rebus diſſolutis, in liquore aliquo pontico
corroſivo, ac ſtatim diſſolutum cadet in
fundum, in forma pulveris. Si enim aquæ fortes,
metalla non mutent in ſubſtantia, licet facta
ſint tranſparentia, quæ ante erant opaca,
quin argentum inde ſoſpes recuperetur. Qua
cœcitate ergo propinant lapides, & perlas, quaſi
per corroſiva relinquerent priſtinam lapidum
aut metalli eſſentiam? Subtilis enim fuit deceptoris
inventum, ut ſua magno apud ægros æſtimet.
Quia ignari deceptores putant, ſi diſſolvens
à diſſoluto per viſum non diſtinguatur,
etiam diſſolutum ipſum verè ſubſtantialiter
eſſe tranſmutatum. Olea denique & pinguedines
non valent pro balſamis, unguentis &
emplaſtris, niſi fortè ut pharmaco conſiſtentiam
dent. Nam primùm, hominum magna pars
non patitur in pelle unguina, quod pruritus puſtulaſque
cum tumore excitent. Deinde, quia 56
prædicta olea plerumque ex herbis parantur,
quarum virtus in mucilaginoſo & gummoſo
ſucco deliteſcit: ſuccus autem iſte per cocturas
in jura trahitur, vel prelo exprimitur, qui
vere non maritatur oleis, ſed tandem indureſcit
fixatus. Ego verò in melle balſamos florum
rectiùs cogo. Attamen oleorum ſimplicium
ſimplicitates magis admitto, quàm compoſitorum.
Vnguentorum idcirco & emplaſtrorum
inconcinnas & ſurdas compoſitiones officinarum

rum potiſſimum explodo: quod nil ſit ſtolidius,
quàm pulverem vegetabilium, ſub pinguedinibus
variis, & ignoranter commixtis, fixando
exuſtulari, ineptumque ſic fieri. Qui ſi mineralis
fuerit, ſe pinguedini non admiſcet : ſed
potius ita intra unguina obducitur & incarceratur,
ut fiat nihili, & ponderi tantum. Nihil
enim oleis, unguentis, vel emplaſtris miſcendum
eſt, quod in iis nequeat per totum homogenealiter
57 reſolvi. Cachinno etiam dignum,
quod ſaccharum Tabarzet, ſive albiſſimum
commendetur, non quia dulcius, & in ſuo vigore
ſit dignius : ſed quia carius, ſæpiuſque cum
lixivio calcis vivæ bullierit. Vbi nomen puritatis
fecit impoſturam. Contuſi flores herbæ,
&c. admiſto ſaccharo tabarzet quieſcunt,
dulciori quæ ſaccharo fermentum arripiunt, &
effervendo vires Simplicis enodant. Mox autem
deinde per caloris clauſam digeſtionem
inhibetur fermentum, fiuntque longè potentiora.
Diverſitas autem fermenti pendet ex lixivio,
quo ſaccharum unum pollet, alterum
verò illo caret. Soleo quoque unguina foris
58 apponere cum delectu. Scilicet in affectibus,
quibus à centro foràs eſt ſanatio, ut in vulnere,
contuſione, combuſtione, &c. tepidè apponenda
ſuadeo. Aſt ubi affectus internus externum
petit ſubſidium, ut dyſenteria, Colica,
ſpaſmi nephritici, ſcirrhus, &c. unguina de foris
lapide calefacto vel arena calida, foveri
jubeo. Idque didici, contuendo paleam, in
aheno aquæ tepentis, ſurſùm ac deorſùm velut
à calore ſubter accenſo, deambulantem : Ideoque
potenti calore, appoſita unguenta animari,
& ſpiritum ſuum cruori noſtro jungere, ſuſpicabar
primùm : deinde comperi, ſic malum foràs
elici, ſiſti impulſiones ſymptomaticas. Et
quæcunque balnea agunt in toto : hoc idem calefacta,
fotaque unguina, abſolvunt in parte,
ſine totius jactura. Later enim fovens, pellit
odorem emplaſtri intrò, attrahitque foràs quæ
aliàs pigriora hærent : Itemque cum cruore
ſpiritus impetus faciens attrahitur, diſpergitur
à calore, aliuſque ſuccedit ſuo loco, vim
medicaminis haurit, & velut ebulliens intro,
revolvitur. Circa collectionem ſimplicium 59
quoque, non ſat ubique conſtat. Determinant
radices colligendas ſub autumnum. Sed ut
plurimùm multa ſub Ver potentiores radices
dant. Polypodium vernum inprimis viret. In
autumno autem canam atque nigram radicem
exhibet : effœtam ſcilicet & ſenilem. Ego cenſeo
ſingula immediatè ante ſtatum maturitatis
decerpenda : nam plena maturitas, declinationis
initium eſt. Ideo maturitatum ſua ſingulis
fructibus, floribus, radicibus, frondibus,
corticibus, &c. ſunto determinata ſpatia. Nam
& ſuccus in plantis primùm affluit, qui in multis
ſubinde mox areſcit, aut in frondes conſumitur.
Varietas ergo maturitatum, collectionum
varietatem parit. Sic namque quædam
folia à floribus vegetiora, alia verò ante frondes
ſuccoſiora. Tum quoque ſunt, quæ ante
fructus augmentum validiora. Nonnulla perpetua
fronte perſtant. Quocirca rectiùs determinant.
Qui demetunt ſimplicia, juxta ſcopi
exigentiam.

POTESTAS MEDICAMINVM.

1. *Conſolatio Authoris in ſuis perſecutionibus.* 2. *Author depingit ſuos Adverſarios.* 3. *Somnium Authoris.* 4. *Senſit qualitates Elementales.* 5. *Senſit coagulationes.* 6. *Senſit Atrophias.* 7. *Senſit ſiccationes.* 8. *Senſit Ariditates.* 9. *Error Scholarum.* 10. *Hepatis calor unde, & quomodo ſubſiſtat.* 11. *Senſit mercatorum adulteria.* 12. *Senſit duos rerum ſapores.* 13. *Notabilia de guſtu, & ſapore.* 14. *Senſit cauſas ſanationis.* 15. *Itemque duplicem modum.* 16. *Senſit ablatam immortalitatis ſpem.* 17. *Senſit bonitatem quandam in natura.* 18. *Senſit fermenta digeſtiva.* 19. *Senſit vera diuretica.* 20. *Senſit proprietates ſalium mutatrices.* 21. *Senſit ſalium ſpiritus à contactu connexorum commutari.* 22. *Senſit propinqua & tarda ſalium obſequia.* 23. *Senſit ſales torminum authores.* 24. *Apex ſalium viſus eſt in primo ente.* 25. *Senſit ſpecificos ſapores.* 26. *Definitio ſaporis.* 27. *Inſipida guſtantur à ſtomacho, quæ non judicantur à lingua.* 28. *Senſit proprietatem occultam, & Scholarum jactantias.* 29. *Venatio occultorum, non propter quid : ſed per quia eſt. Ab effectu ad cauſam juxta Euangelium.* 30. *Senſit deoppilantia.* 31. *Senſit ſalium activitates.* 32. *Mineralium ſenſit ſpiritus.* 33. *Senſit purgantium laxans virus.* 34. *Triplex ſignum laxativi laudabilis.* 35. *Error Paracelſi.* 36. *Chymus.* 37. *Non adæquata judicari diſtillata ſuis concretis.* 38. *Senſit multa tranſmutari ab adjunctis.* 39. *Senſit Hematinum Metalli.* 40. *Senſit diſtillationem plumbi qua Paracelſus ſupra.* 41. *Diverſos morbos curavit.* 42. *Senſit vires planetarias Metallorum, altiori Analyſi, quàm præcedenti, educendas.* 43. *Senſit diverſas auri ſoluti vires.* 44. *Senſit vires Alkaheſt.* 45. *Senſit vires Mercurii vitæ in ſynonymo Lili.* 46. *Senſit actionem renovativorum.* 47. *Sen-*

47. Senſit radicem veneficii Sagarii. 48. Senſit venena 49. Senſit actiones rerum, juxta Recipientis applicationes. 50. Idiotiſmus Paracelſi circa vulneris nutritionem. 51. Salis uſus. 52. Oleorum varietas. 53. Vſus aquæ, & ſalis artificiatorum. 54. Elixir ex Aromate. 55. Laus Magiſteriorum. 56. Cibi conditi cur inſalubres. 57. Cenſura quorundam Mineralium. 58. Senſit ſextuplicem digeſtionem. 59. Senſit quando cruor animantetur. 60. Quid axungia interna & illita patiantur. 61. Senſit actionem Cantharidum & Cauſticorum. 62. Senſit vim amuleticam. 63. Vis lapidum. 64. Senſit unde effectuum diverſitas in agendo. 65. Senſit mortis neceſſitates. 66. Operationum Chymicarum ordo.

1 VExatio parit intellectum, ut nimia preſſura ſuffocat illum. Quanquam in acerbiſſimis adverſitatibus uterer Iobo, & Paulo: tamen Dominus IESVS, DEI filius, ſuis me exemplaribus anguſtiis, præpotentius ſic juvit, ut nedum meos leniret labores: ſed in ſe velut ſuſtulerit. Sit ejus nomen mihi ſemper honorabile præ oculis. Senſi enim exempla Sanctorum, inductiva quidem, at non conferre ullam gratiam per ſe. Mens mea enim in maximis preſſuris, plerumque doluit, quod humano quodam more, ac velut inſenſilitatis pigritia, conſolarer: Stoiciſmum potius arrogantem referrem, quàm quod cum jubilo concentricitatis, tribulationes meas benigniſſimo IESV, purè reſignarem. Timebam enim animæ ſabbatiſmum iſtum, quem innocentia ſuſcitabat, ne ex deſpectu, & arrogantia proficiſceretur, adeoque tribulationes abſque fructu futuras. Potius inquam prophetizati ſeculi, communi bonorum ſorti, & ſodalitio immiſtus, incidiſſem ipſe malus & inutilis. In horas enim ſingulas formidabam, quod indolens eſſem, nec tantillum ſentirem ipſas perſecutiones, à Clero quodam, & Magnatibus illi Clero adſtipulantibus, ac demum à meliori parte populi, mihi illatas, alioquin in viro, tantillum judicioſo, valde ſenſibiles. Timebam enim, ne mihi contingeret iſta animi imperfracta quies ex deſpectu erga inimicos. Rogo itaque, ut clementer judicet Deus, boni omnis fons. Saltem ſæpè conſiderabam exſpatiando per anteacta ſecula, & futuras Chriſtianorum perſecutiones: quod prima perſecutio Eccleſiæ fuerit violenta, & Tyrannorum. Altera deinde, ſubſecuta eſſet fraudulenta, & hæreticorum. Noſtra autem ſurrexit quidem ab hypocritis; compoſita autem eſſet ex dolo & vi. *Sunt namque* (ut inquit S. Hildegaldis Prophetiſſa) *qui primum prælatos, & ſubditos eorum potentes, decipient ſpecie pietatis: & tandem quotquot ſibi non faverint, per Magnatum potentiam opprime*nt. Bone Deus, quid non ſenſi, & quantum teſtari non poſſem? Sed vindictam totam tibi ſoli obtuli: & rogo ex charitate, quod illis parcas, neve illos damnes mea de cauſa. Quia à manu tua omnia ſuſcipio: & neſciunt quid faciunt. Cogitavi tandem modum, quo omnes tribulationes meas in caput Neronis & Tiberii meditarer tranſlatas.
Itaque ſemel defeſſus, refectuſque, ſubitò 3
magna conſolatione, velut in ſomnum delapſus, vidi me in quadam regia, artificiis humanis ſuperiore. Erat autem ibi excelſus thronus, circumcinctus inacceſſibili ſpirituum lumine. Qui autem in Throni ſolio ſedebat, vocatur *Eſt*. Et ſcabellum pedum ſuorum, *Natura*. Ianitor aulæ, dicebatur *Intellectus*. Qui ſine loquela, porrigebat mihi libellum; ex opaco electio, cujus nomen erat: *Gemma roſæ nondum apertæ*. Et quanquam janitor vocem non daret: ſcivi tamen, iſtum libellum mihi devorandum. Extendi manum, comedi illum. Eratque ſaporis auſteri & terreſtris, ut quaſi laryngem mihi præcluderet; ſic ut ingenti tarditate laboris illum deglutirem. Vndè dein totum mihi caput viſum fuit velut diaphanum. Tum dein alter ſpiritus, ſuperioris ordinis, dedit mihi lagenam, in qua erat unius verbi, Ignis-aqua. Nomen prorſus ſimplex, ſingulare, indeclinabile, inſeparabile, immutabile, & immortale. Neſcivi autem, quid mihi negotii eſſet cum eo. Nec aliquid de eo deſuper audivi, & præ pavore magnitudinis, fauces mihi præcludebantur, ac vox faucibus hæſit. Tandem juſta veneratione, ante thronum peracta, conatus ſum multipliciter experiri, quidnam lagena contineret. Ecce præ foribus aulæ erat Pyrotechnia, anus alacris clavigera, quæ ſeras non aperiebat foris, niſi intus janitor priùs peſſulum ſubduxiſſet. Quod non tentabat, niſi ſigno, à Throni lumine ſibi dato. Pulſantibus autem ad fores reſpondebat, tacente clavigera, janitor: *Neſcio vos*. Qui verò per cancellos feneſtrarum inſpicere tentabant; à tenebris percuſſi, decidebant dein veſani, plures circum oberrabant, magna pollicentes, ſine baſi. Steti dudum ſilens, mox deduxit me manus (cujus reliquum de corpore non videbam) ad hortum amœnum. Vbi repentè me adoriebantur omnia ſimplicia, tan-
quam per ſe quodlibet eſſet ſingulare. In quo 4

inſultu, ſentiebam univerſa mundi ſimplicia, non quidem quaſi qualitates illorum agerent in me (non enim unus ſatisfuiſſem omnibus tolerandis) velut illorum objectum: ſed ſingula in me, tanquam theatro, videbantur ſuas repræſentare ſcenas. Atque utinam illas benè calamo explicem! Senſi inprimis omnia calida, frigida, humida, & ſicca, tanquam qualitates momentaneas, rebus conſtitutis ſupervenientes, inſtar colorum. Quæ autem nos calefaciunt, refrigerant, humectant, vel exſiccant, ſenſi id non quidem contingere ratione exceſſus illarum qualitatum, quarum ſortiebantur nomina: ſed reſpectu appropriationis objecti. Hactenus enim cadaver humanum, languida morte extinctum, etſi juxta ignem violenter intepeſceret, tamen tactui videtur eſſe frigidiſſimum, adeo ut manus vix queat inde dudum pòſt recaleſcere. Idque ſanè non fit, generata in nobis qualitate, quæ frigus nominatur: quæ ſcilicet ſui contemplatione, noſtrum calorem totidem punctis ſuperet, ut tanti frigoris exceſſum imprimat: ſed potius, eò quod vitalis ſpiritus, cadaver pertimeſcens, a manu recedat. Pariter namque Camphora, piperis ſaporem gerens, & Opium amarum, refrigerare dicuntur. Quatenus Archeum ſubigunt, aut fugant. Quo pacto etiam Blas febrile, idem numero frigus primò, ac dein calorem, in Archeo ſuſcitat. Senſi itaque, quod calida à primi gradus momento, in Eſcharaticum uſque, non inurant noſtræ temperiei, caloris exceſſum: producendo ſcilicet in nobis ſui caloris ſupereminentiam: ſed ſalium acutorum miniſterio noſtrum ita accendant Archeum, ut eundem magis magiſque exaſperent: atque tandem igneam violentiam, proprii Blas motu, exæſtuando aſſumant. Qualis eſt Prunus, & ignis perſicus. Atque ideo nil ejuſmodi calidorum, calefacit cadavera. Senſi denique nil nos humectare, niſi per appropriationem; Ideoque nec aquam propriè nos humectare, ob defectum appropriationis, quæ approximationis & aſſimilationis cauſa eſt. Verum illa quæ obliniunt, infarciunt, reſolvunt, noſtrique corporis ſubſtantiam, velut per exigua puncta, ſalinare faciunt, abſque ardoris & acrimoniæ ſenſu: illa inquam humectant. Idque tantùm occaſionaliter, ac velut per accidens. Itaque humectare ſenſi, quæcunque diſſolvunt, reſolvunt, & glutinoſa colliquant. Quatenus ſcilicet coagulationis, & arefactionis impedimenta ſubmovent. Ideoque Malva, Althæa, & quæ humectantia creduntur, quatenus poros cutaneos claudunt, ſicque diaphæreſim ſiſtunt: errorem in Scholis peperere. Siquidem ejuſmodi humectatio, non niſi excrementorum eſſet detentio morboſa: non autem humectatio rorida partium. Senſi quoque non alia ſiccare in nobis, quàm quæ extenuando diſponunt ad exhalationem. Sic enim ſudor, licet humectet pellem, & habitum turgidum faciat; attamen merè exſiccat nos. 5 Porrò quæcunque coagulant, ſenſi potius indurare, & grumefacere, quàm exſiccare. Ideoque coagulationis oppoſitum eſt reſolutio: non autem humectatio. 6 Quæ verò Atrophiam inducunt, atque tabefaciunt, ſenſi id non fieri qualitate ſiccativa: ſed quod liquor, aliàs nutritius, aliò ſubducatur furtim: cujus occaſione fermenta, calori connexa, veram ſiccationem perficiunt. 7 Senſi itaque non aliam in nobis exſiccationem, quàm quæ fermentorum reſolutione, & caloris difflatione fieret. Senſi inquam ipſam coagulationem, ſeu indurationem, prodire ex ſuomet coagulo, ſive proprietate ſeminis, liquores in fructum ſolidiorem promoventis. 8 Senſi etiam quod arida, quæ liquores in ſe combibunt, licet actu ſint arida: tamen citò humidis ſatientur, à combibitione ceſſent, nec demum intrent in radicem miſtionis aridorum. Ideoque ſenſi ſitim, non eſſe introductam qualitatem ſiccitatis: ſed ſitim naturalem eſſe ſenſum diminuti laticis, non autem planè deficientis adeo, ut vel principiantem ſiccitatem accuſet. Sic ſenſi ſitim præternaturalem, non eſſe arefactionis indicium. Bibunt namque & abdomen diſtendunt, permanente ſiti ſoſpite. Provenit namque iſta ſitis, quatenus excrementum peregrinum, ſuccum alimentarium ſtomachi liquefacit. Enimverò dum ſenſus meos deſcribo, non tam amens ſum, quod negavero exceſſum caloris externi urere, vulnus & ulcus efficere, vel excellens frigus mortificare, tanquam ſi ureret. Aſt in propoſito ſomno, ſenſi ſaltem, quatenus ſpeculationi medendi inſerviunt. Igitur caloris & frigoris exceſſivi exempla, ſunt enſis inſtar: non autem referenda inter occaſionales & internas cauſas morborum Medico conſiderandas. Si nimirum juxta theoremata per ablationem illarum ſanitas exſpectetur. Quapropter ſpeculatio cauſarum externarum, & antecedentium, non eſt curativa: ſed tantùm ſubinde diagnoſtica, & directiva. Neque enim inflicto vulnere, etſi enſis auferatur, ſanatur vulnus. Nec ignis è foco auferendus, etſi

quandoque ille, eodem loco aliquem ambuſſerit.
Cauſæ ſiquidem morborum internæ, quatenus
connexæ occaſiones : ideo illarum conſideratio,
9 & ablatio, eſt verè medica. Scholæ
verò cum cernerent ignem comburere ſua objecta,
ſimiliter & frigus mortificare, & perimere,
adeoque corpus humanum per excellentes
iſtas qualitates externas diverſimodè agitari :
putarunt propterea effectus, qui ſibi haberent
adnexum calorem, ſuſcitari ab igne. Atque hactenus
in febribus, duo luctari in nobis elementa,
quorum aqua ſemper potiretur priore parte
victoriæ, ignis verò poſteriore. Ignem videlicet
patrare Eryſipelata, prunum, ignem perſicum,
cauſum, &c. Indurare pariter exſiccando
ſcirrhos, calculos, oſſa, & nodos. Remedia
quoque talibus regulis digna, per contrarietates
decrevere. Neſcientes, quo pacto ſpiritus
vitæ, calores ac frigora excitet, abſque igne
& glacie : quia neque ex elementis noſtri corporis,
aut ex fictis humoribus. Aſt utrobique
10 τὸ ἔνορμον Hippocratis neglexerunt. Prout
quandoque exemplo uno, de ſpina digito infixa,
demonſtravi. In quo calor, dolor, phlegmon,
febris, non ab igne ſpinæ efficienter procedunt :
ſed quia ſpiritus ſenſitivus, peregrinam
ſpinam ægrè fert. Sic nempe calor & frigus,
ſunt accidentia, impertinentia ad naturam
febris, pro-ut & in hepate, ſui ſentiuntur calores,
quia ibidem ſuæ ſunt ſpinæ. Eſtque calor
non cauſa, ſed effectus ſpinæ illius. Adeoque
alterationes, quæ in vitali œconomia contingunt,
& in cadaveribus ceſſant, non ex igne,
aut glacie corporis, aut humorum : ſed ex vitalibus
initiis dependent. Imò ſi Scholæ rem, ut
eſt, attigiſſent, comperiiſſent Thermas, balnea,
&c. non arefacere, & comburere nos : ſed
potius humectare, niſi calores illorum inordinati
ſint, & diuturni. Imò nec tunc quidem
aliàs, quàm quia plus conſumitur, quàm aſſumitur,
11 corpus accidentaliter areſcat. Senſi demum
ſtatim, poſt primas qualitates, furtiva adulteria
mercatorum, quibus onerant, defœdant,
alienant, & ſubſtitutivè mentiuntur, exotica
pharmaca. Quibus non eſt opus mea doctrina :
quippe qui metu inferni non moventur.
12 Mox abinde ſenſi duos ſaltem rerum ſapores
diſtinctos, ſi non ſubinde tres, aut quatuor : unum
nempe per quem ſunt acria, amara, ſalſa,
&c. Alterum verò, qui dicitur ſpecificus,
appropriatus ſemini. Priorem itaque ſenſi, eſſe
ſalium dignitates, & officia. Non quidem ſalium
ſeparatorum, è tribus primis, ſive (ut ajunt)
initiis corporeis hauſtorum : ſed ſalium in concreto
gliſcentium. Alterum verò ſaporum, ſenſi
eſſe ſeminalem, odorum naturam, in concretis,
officio formarum fungentem, vel ſaltem explicantem.
Salia namque, ut maximè ſenſibilia,
primùm ſe offerunt guſtatui, cui proinde Hippocrates
tribuit notiones morborum. Amarum
nempe, ſalſum, acre, atque ponticum morbos
indigetans. Calores verò atque frigora, potius 13
ſubaudivit eſſe pathemata ſubſequentia,
quàm morbos. Guſtatui autem judicium aſcribo,
propter præfatas qualitates guſtatiles, in quibus
plerumque profundior ſedet dynamis, ſeminalem
atque efficientem cauſam continens.
Non autem quod proin linguæ, & palato judicium
de morbis competat : ſed guſtatum nomino,
ob qualitates guſtabiles : Alioquin eſt
ſenſus, quo cuncta pollent organa, quorum vis
ſenſitiva, per attactus approximationem, indicia
facit amicitiæ, vel hoſtilitatis, ſuper occulto
ſenſibili. Hoc igitur modo ſenſi, præpollentium
ſalium eſſe officia, quæ vires ſubordinatarum
formarum ſui concreti, explicant, atque
deferunt ad Archeum, velut ſuum objectum,
in quod agant. Itaque ſenſi ſanationes, tam per 14
medicamina, quàm per naturam. fieri per ſedationem
agitati Archei & ablationem ſeminalis,
& morboſi characteris, ab Archeo producti.
Hanc nimirum ſenſi proximam, tutiſſimam, 15
atque ſummam ſanationem. Quæ autem ope
Arcanorum ſuccedit, verſatur circa ablationem
producti. Ideoque ſenſi Arcana, operari tanquam
ſalia. Nimirum ſanationes hujuſmodi
contingunt, auferendo noxium, vel addendo
defectuoſum. Nam alioqui, quæ impediunt
incrementa, vel appropriationes, ſpectant potius
ad præcautionem, quàm ipſam ſanationem.
Noxia verò tolluntur reſolvendo, abſtergendo,
exhalando, vel expellendo. Quæ proprietates
ſalibus ſunt congruæ. Non autem debitè
fiunt nocui ablationes, per venenoſa, liquantia,
& putrefactiva, ut neque per cruoris
& vitæ ſubductiones. Additionem autem deficientis, 16
ſenſi proprio modo non fieri, ideoque
nos retroire paulatim, penuria arboris vitæ.
Quod de facultatibus vitalibus dictum eſto: non
autem de cruoris egeſtate, qui per culinas reſtauratur.
Cæterum ſenſi naturam ſponte velut 17
reſurgere, & aliquos ſibi defectus reparare,
ſi à jacente ſedens facta fuerit. Quorſum etjam
juvant balſamica, & tingentia. Senſi quoque 18
in ſtomacho naſci ſalem acetoſum, volatilem
partim, partimque fixum. Vtrumque

verò deinceps commutari, per ſua viſcerum
fermenta, in varios ſales, qui emancipatus per
arrepta fermenta, ſuam ſæpè ac ſucceſſivè mentitur
19 originem. Mumiali nempè fermento, fit
ſal cruoris, noſtri œconomiam recturus: ſin
verò in Rene diureticus fiat, jam conficitur urinarius.
Senſi itaque, ſola dumtaxat eſſe atque
vera diuretica, quæ augendi ſalis urinarii habent
facultatem, & facilem ſibi faciunt clientelam.
20 Senſi denique, nedum in organorum fermentis
diſpoſitivis: ſed inſuper propter *Magnum
oportet*, in ipſis ſimplicibus, ſuas eſſe ſalium
propagandorum ac immutandorum proprietates.
Quædam namque habent ſales craſſiores,
& ineptos ſuſcipiendo fermento ſtomachi:
ideoq; permanent invicti. Alii denique ſunt,
qui hoſtili adverſantur proprietate, poteſtatibus
vitalibus, adeoque non niſi infeſtis finibus, ad
21 hoſpitia vitæ ſubintrant. Senſi ſalem volatilem
ſpiritus vitrioli, promta obedientia, prima diſſoluti
actione, in merum alumen migrare. Etenim
ſi corpus Mercurii coagulaverit in album
pulverem, etſi nil de materia aut viribus Mercurii
reſervet (id enim declarat pondus Mercurii
priſtinum) attamen mox in alumen tranſit.
Sin verò acidum vitrioli, in ſtomacho obviam
mucilaginem offenderit, eandem liquat, nec
tamen proinde aluminoſum fit. Vt inde ſenſerim,
unum & eundem ſalem tranſmutari diverſimodè
22 à connexo. Senſi itaque ſales quoſdam,
qui in ſtomacho ſordes abſtergerent, antequam
ab ejus fermento ſubigerentur: alios
verò, qui tardè ſuas ſalſedines aperirent, ac non
niſi poſt alteram digeſtionem: idque cum jam
diureticos, vel diaphoreticos ſales, manifeſtarent.
Sicque venas ſuis obſtruentibus feliciter
23 tum liberarent. Senſi inſuper ſales, qui ſuam
indolem, non niſi ſub ſtercorizatione inveniunt,
ſuntque acidi & colici, vel hiſce oppoſiti,
24 inque eſſentiis oleoſis connexi. Summus
autem atque feliciſſimus ſalium eſt, qui ultimam
puritatis & ſubtilitatis metam in natura
attigit, cuncta pervadit, ſoluſque agendo manet
immutabilis; quæque alia pro lubitu, promta
reſolvit obedientia, rebellemque omnem materiam,
non ſecus atque aqua calida nivem liquat,
25 & volatizat. Senſi mox ſapores ſpecificos
(puta macis, croci, &c.) tanquam proprietates,
ſive officina formarum ultimarum, per ſales
præpollentes edita. Non quidem, quod hi
ſapores eſſent vis illius formæ propria: ſed potius
fracedo illius ſeminis, procedentis ad ultimam
26 iſtam formam. Sapor ſiquidem ut talis,
eſt qualitas ſolitaria, medendo inutilis, fermentalis
fracedinis ſuæ teſtis, cooperatrix ſanationis,
quatenus ut nuncius Archeum diſponit, ut
in latentis proprietatis cognitionem deveniat.
Nam niſi res per ſaporem & odorem Archeo
arriſerint, non intrò admittuntur. Imo pharmaca, 27
in prima ſui facie inſipida, ut ſunt turbit,
hermodactylus, zalappa, Mercurius, ſtibium,
&c. multo larvata ſaccharo, ſi tamen iterato
ſumantur, horrorem atque abominationem
faciunt. Alius proinde guſtus eſt linguæ, & alius
in ſtomacho, velut Archei extremo. Grati
ergo ſapores ſtomachici, benignam vitam, noſtræ
cognatam, rei ineſſe denotant. Quare felis
magis delectatur odore fracidi, ac olentis piſcis,
quàm cinnamomi. Perſentimus ſic nempe non
raro, occulta venena, propter ſaporem, & odorem
ſpecificum, noſtris horridum præcordiis.
Saltem quoties in veneno eminet guſtus placidus,
ſenſi ſub eodem ſimplici latere ingens arcanum,
quod depulſo veneno, ad effectus arduos
natum & ordinatum eſt. Senſi deinceps 28
præter ſapores ſpecificos, horumque gratitudinem,
benevolentiam, vel horrores, proprietatem
quandam formalem, emanantem; lingua tamen
imperceptibilem, ſoloque archeo comprehenſibilem.
Stupent ſcholæ, dum ad qualitates
occultas (ut vocant ideo) ventum eſt. Nam dum
nequeunt ſuas nugas caloribus, frigoribus, horumque
mendicatis complexionibus adſcribere.
Scriptores quidem calamum reponunt, atque
medentes attollunt humerum, ac ſupercilia,
quia proprietatem iſtam accuſant, ſibi notam
in effectu, at ignotam in cauſa: ſeſeque hujus
ignorantiæ degunt, quod humano intellectui ſit
impoſſibilis proprietatum illarum indagatio,
quam jam dudum inquiſiviſſent alioqui. Quaſi
dicant. Nos ſcholæ valemus determinare, quantum
mens humana poteſt inquirere. Decernimus
ideo, nullas rerum poteſtates poſſe intelligi,
aut indagari humanitùs, quàm quæ ſunt
primæ elementorum qualitates, aut ex his oriundæ.
Fatemur ideo, facultates formales eſſe
occultas, quia cognitu impoſſibiles. Certè
Scholæ ſunt valdè luteæ, aqueæ, aëreæ, nebuloſæ
& igneæ! quàm ſe oſtendunt ſuorum objectorum
inſcias, & exercitii, quod profitentur,
impares! Ingenia enim ſua ignaviæ emancipaſrunt,
ut nil ſit ipſis gratius, quàm declinaſſe
ad excuſandas excuſationes in ignorantia, &
impoſſibilitate naturæ; qua quiſque ſuam in
particulari velet. Primum enim, Antiqui dum
viderent morbum aliquem, curatum remedio
ſpeci-

ſpecifico, & appropriato, ſtupebant velut ad inſolitæ rei miraculum: At deinceps Scholæ ſuas ſtupiditates, in generalem ignorantiam relegaſſe, ſatiſdatum arbitratæ ſunt. Neque enim, etſi cauſas diſtinxiſſent à qualitatibus elementariis ſibi notis, proinde aliquid incontaminatum, & abſque oculi cataracta dixere. Nam quis unquam humiditatis cauſam in aqua, aut caloris in igne, magis ratione à priori inveſtigavit, quàm trahendi ferrum in magnete? Sunt ergo qualitates elementales, tam occultæ, quàm aliarum ulla. Equidem in hoc cœcutitum eſt à Scholis, quia adverſus doctrinam Euangelicam
29 proceſſerunt. Primitiva enim veritas vult, quod Arborem cognoſcamus ex fructibus: Scholæ autem volunt fructum cognoſci debere ex arbore. Dicam ergo per fructus, quo pacto ad cognitionem arboris deveniendum. Inprimis itaque ad cauſarum occultarum cognitionem, ſupponitur effectus aliquis, itemque cauſa illius, nec dubitatur, quiſnam ſit effectus, quæve ejus cauſa: quæritur autem tantummodò nexus amborum: quo pacto ſcilicet effectus à cauſa procedat; vel vice verſa, quo modo atque medio, cauſa ejuſmodi effectum producat. Præſupponitur inquam cognitio arboris, & fructus ejus. Quæ ſi ad medendum componamus (etenim, ſi totus mundus propter hominem ſit, & tota naturæ cognitio phyſica medenti ideo ſubſerviet) præſupponendæ primùm erunt cognitiones ſuiipſius: ſcil. ut verus Medicus ſciat arborem humanæ naturæ integræ, ejuſque fructum, ſanitatem ſcilicet. conſimiliter quoque Arborem vitiatæ ſanitatis, ipſamque depravatæ ſanitatis claſſem, tanquam fructum illius. Quæ cognitiones requiruntur quidditatis propriæ, cum adjacentibus ſuis. Vt igitur arborem cognoſcamus in ſui radice, & proprietatibus, id ex fructibus fieri oportet: quocirca etiam fructus primùm cognoſcendi ſunt. fructus autem tam integræ, quàm vitiatæ ſanitatis, cum ſint ſcopi, ad quos referantur occultorum remediorum proprietates, ſe habent per modum arboris & trunci, in quem inſeri debeant ſurculi gemmæ, & ſemina rerum, tanquam earundem fructus. Hoc nempe requirit Medendi deſtinatio, ut remedia, licet ſe habeant per modum cauſæ, fiant tamen fructus ſive effectus in nobis: quatenus in noſtra arbore fructificant: adeoque non ſolùm ſunt fructus ſuæ nativæ arboris, undè in natura rerum deſumuntur: quin potiùs fructus ſunt novi, ex inſitione producti, adeoque planè promiſcui, ex ramulo, ſive fructu arboris inſertæ, & ex vitali poteſtate trunci, in quem inſeritur. Ejuſmodi nimirum fructus produnt ſuam arborem. Adeoque ut in omni naturæ progreſſu dualitas ſexualis requiratur ad fructus cujuſque productionem. Non mirum fuit ignoratam ſtetiſſe occultorum claſſem, & applicationes, ſi hactenus neglectum ſteterit ſtatum ſanum & morboſum eodem naſci parente: adeoque & morbi eſſentiam totam, in externas, occaſionales, efficientes, bellantes: non autem in veram, atque internam ægritudinum arborem retulerunt. Supponamus ergo Archeum irritatum, ac penè furioſum, qui à cauſis occaſionalibus laceſſitus, proprium profundit cruorem, facitque dyſenteriam: vel item fingamus Archeum in aliqua parte, ultimæ digeſtioni famulante, conceptum doloris ſtigma iniquè ferentem, ac velut furore percitum, Eryſipelas ſuſcitare. Quæſtio eſt inveniendi remedii ex occulta proprietate. Conſiderarunt ergo Scholæ applicare Eryſipelati refrigerantia, quatenus fructui, & non arbori vitiatæ remedium applicare voluerunt. Rerum autem naturalium Symmyſtæ, attenderunt præfatos furores, per metum coërcendos, adeo ut metus non ſit homini: ſed Archeo incutiendus. Pavidiſſimum ergo animal, leporem videlicet, occiderunt. Non quidem telo, ut in inopina morte occumbat: ſed venando ut per canum morſum intereat: quo vis geminata pavoris, imprimatur in ejus totum. Itaque linteum cruentum in leporis ſanguine tinxerunt, & ſiccatum aſſervarunt. Idque in vino carptim exhibuerunt, & curata eſt dyſenteria. Itemque ſiccum appoſuerunt eryſipelati, & ſanatum eſt. Imò milites Germani, leporem, fumo ſiccatum præbent in potu, & curatur dyſenteria non fallaci eventu. Vndè didicerunt fruſtraneas venæ ſectiones & purgationes, ſive fictos humores ſpectes, ſive demum caloris & roboris unà cum ſanguine diminutionem: Ridiculas item refrigerationes: utpote quæ à poſteriori mederi conantur, radices nequaquam attingunt, eoque nomine, naturam in majores plerumque furores concitant. Eryſipelas ergo & dyſenteria, punctum aliquod commune nacta ſunt, in quo convenirent. Idque eſſe venenum aliquod Ideale ab Archeo natum. Siquidem in arbore humana, omnis Archei exorbitans paſſio, tingit ſui Ideam, in cruorem, imò & in excrementa, non minùs quàm in arbore canina, exorbitatione rabiei, naſcuntur fructus in ejus ſaliva, qui producant deinceps in nobis fructum rabiei

transſplantatæ. Proinde cognitio occultorum,
perperam inquiſita eſt ex fructu. Cognovi enim
quæcunque in mundo fiunt, neceſſitate ſeminum
Archei cujuslibet, adeoque incorporalis
atque inviſibilis entis ergo, fieri. Entia autem
ſeminalia, vi phantaſtica animantatorum, vel
Archei eorundem, conſimili perturbatione
oriri, ſcivi. Adeoque ut ex inviſibili quodam
principio, viſibilis hic mundus continuetur.
In ſubſtratis verò, ſive non animantatis eadem
analoga quadam proportione conſimiliter ſeſe
habere animadverti. Omnem autem exarthroſim
Archei, per ſuas Ideas fabricare ſemina venena
ſuo corpori, ſicque arborem integrum
ruere in vitiatam. Quarundam rerum, quæ
nobis venena naſcuntur conſideravi, ſemina
gerere, non quæ exorbitatione ſui Archei;
ſed noſtri Archei reſpectu, vitiatas producerent,
ſibique naturales Ideas, nobis lethales.
Vndè videlicet ſi fructus, vel ſurculi inſerantur
in arborem integræ valetudinis noſtræ: contingit,
ex utroque, velut promiſcuo ſexu, nobis
ſuboriri vitiatos ſive venenatos fructus. Venena
autem utrobique ſunt inter proprietates
occultas. Iuvantia igitur adæquata, Ideas habeant
ſummè extinctivas Idearum venenatarum:
vel quæ bonitate eminenti, tam productorem
veneni Archeum, quàm ipſum venenum
productum, tranſmutent: undè perſpicaciter
didici, omne propemodùm venenum, ejuſque
Antidotum, adeoque & totam occultorum,
ſive formalium proprietatum proſapiam,
depluere ſeminaliter ex luminis vitalis activitate.
29 Sic namque venena animantatorum oriuntur
ex perturbationibus: quæ quò atrociores
fuerint, eò quoque ſæviora venena proferunt.
Sic nempe ſerpentum venena, ex ira, invidia,
furore, ſuperbia, metuque variegata naſcuntur.
Mineralia verò corroſiva, & putrefactiva, è ſalibus,
Mercuriis & ſulfure, quibus ſuus furor à
ſemine analogo propagatur. At quàm evidens
iſtud in turba vegetabili? ubi perturbationes illæ
ſeminales, ideoque & connaturales, per ſemina,
continuato curſu tranſplantantur. Venena
enim quælibet, per claſſes perturbationum
redacta, licet diſtinguendo pernoſcere. Conſequenter
quoque per Quia eſt ſpecificarum proprietatum
notitia hauritur, ſi ad certos ordines
perturbationum & affectionum reducantur.
Prout latius de Peſte alibi: ſic nempe multa indagantur,
inventaque ſunt: Inde per effectus
ad cauſas itum, deque una cognitione in aliam
per manus ductis. In terminis, venena Eryſipelatis,
& Dyſenteriæ, ex ira Archei, ſanatio
eſt in lepore, cui timor, manſuetudo, fuga,
& vita innocua. Nec valet argumentum contrarietatis:
Nam inprimis contraria in viventibus
admiſi, atque inde proprietates illorum,
quaſi viventium Ideis ſigillatas, quodammodò
contrarias, in prioritate arboris efficientis
dico. Quatenus in hanc deſinunt ſigilla pathematum.
Adeoque hujus Arboris fructus, non
amplius per modum contrariorum pathematum:
ſed ex vi accepti, innatique characteris
ſeminalis, agunt. In quo unumquodque agit pro
talento accepto, prout in ſe eſt: non autem
ratione repugnantis dualitatis, ſive diſcordis
contrarietatis. Cruor itaque, in quo eſt productum
ſeminale, paventis manſuetudinis, & efficiens,
mortificat virus, ex incandeſcentia venenoſa
natum. Etenim amores, odia, terrores,
horumque ſeminalia producta, ſigilla, ideas &
characteres, in rebus notavi: Vndè plurium
occultorum cauſas proximas adinveni; Inventas
verò, mihique ſuggeſtas interpretatus ſum,
cum veritate conſequentiarum poſſibilium, &
apparentium. Hæc de proprietatibus occultis
dixi extra ſomnium, ut occulti Philoſophi eſſe
deſinamus, & manifeſtam doctrinam mitiorum
ſequamur. Nunc autem ſomnium proſequar. 30
Senſi inquam Apium, aſparagum, &
quæcunque ad deoppilandum ſumuntur, habere
quidem ſalem ſpecifici ſaporis, qui cum
vita media, factus ſtomachi cremor, ſuperſtes
manet, licet infractus: languida tamen continere,
ad deobſtruendum auxilia. Siquidem quæ
ſui concreti ſaporem ſervant ſub fermento ſtomachi,
ut cæpa, allium, Macis, terebinthina,
Aſparagus, &c. ea vel cum recrementis præterlabi
ſenſi, eò quod cum ſuo ſapore ſpecifico aceſcant,
ſalis naturam dein ſub felle ſumant, atque
tandem ſub ſtercoreo fermento renum, facultatem
urinariam vel diureticam induant. At
quorum ſapores ſpecifici, cum cremoris aciditate
fraceſcunt, atque pereunt: illa ſenſi eſſe
cibos indifferentes: verùm quorum ſapores
non planè concedunt in aciditatem cremoris,
manentque in ſui quodammodò mediocritate
(cremor namque ſi undequaque pariter fermentum
ſuſciperet & aceſceret: quovis aceto
facile eſſet acrior) illa ſanè, in Mezaraicis facilè
pereunt vi fellis, ut unà, cum tertio, ſive muniali
fermento, in cruorem mutentur. Idcirco
languida ad diſſolvendum, ſive deoppilandum
porrigere ſenſi ſubſidia. Senſi tandem cuncta
ſalia ſimplicia (maris, gemmæ, fontium; petræ,

træ, &c.) ut talia, recedere per lotium atque inteſtina,
atque interim reſolvere ſordes, in illis
meatibus; ac expulſivam, ſui memorem officii
reddere. Salia verò, quæ in ſe mineralem fructum
gerunt, ſenſi naturæ noſtræ aliena, ideoque
vix intrò admitti. Salia autem, quæ ſunt
pars compoſiti, ut lixivia, & Alcalia, virtutibus
ſeminalibus orbata ſenſi, ſolamque habere abſterſivam,
ſaponariam & reſolutivam proprietatem.
Niſi ſint volatilia, quibus ſenſi ineſſe initia
concreti radicalia, & balſamos ſeminales.
Senſi inquam hæc facilè in novum fructum
tranſmutari, quia ſe rebus quibuſque ſociant,
32 aguntque juxta innatas ſibi dotes. Mineralium
ſpiritus corroſivos denique ſenſi à ſeipſis crudis
longè differre, excrementa parietibus vaſorum
primorum adhærentia, reſolvere: non tamen
prorſus noxa vacare, propter occultam arſenici
infectionem ſibi admiſtam ab origine. Senſi
itaque occultas quas vocant proprietates, in Archeum,
ſeminaliter à generante vel efficiente
traductas, explicare objecti ſui præſentiam, &
cognitionem ſympatheticam, quatenus hoſpitantur
immediatè in ſinu formarum. Quædam
ſcilicet per Blas motivum locale, ut magnes, ſuccinum,
gummi, lacca, heliotropium, Adamas
(nam & hic non aliàs quàm Carabe paleas trahit)
&c. ſe prodere: alia verò in alterationem
terminari. Vt venena, item laxativa, periapta,
33 antidota, &c. Laxativa peculiariter ſenſi operari
dumtaxat, propter latens intus ſibi venenum.
Quæ ſemel intrò admiſſa ſecus limen, quicquid
attingunt, fermentare, reſolvere deinceps fermentata,
& reſoluta eo ipſo putrefacere. Senſi
ideo laxativa putrefacere vitales ſuccos; rarò autem
excrementa, morborum occaſionales cauſas.
Etenim cum venena ſint, reſpectu noſtri,
& non excrementorum: hinc nos potius,
quàm morbos adoriuntur. Ac citiſſimè quidem
putrefacere ſuccum crudiorem, ſive nondum
vitalem cruorem, ſive heſternum cremorem.
Quoniam autem vix excrementa debellant,
neque hæc viciſſim illis parent, cum
omnis actio ſive Blas nobis proficiſcatur à ſpiritu
impetum faciente, quo orbantur excrementa:
hinc Medentum nemo, per aſſumta laxativa
ſpondere audet ſanationem. Vera autem ſolutiva,
nec putrefaciunt, nec ſelectivè humores
fictos educunt, neque ideo vitalia reſolvunt;
quæque triplici ſigno ſe prodere ſenſi. Primò.
34 Quod nil à ſano corpore educant, nec moveant,
alterent, aut infirment illud. Deinde, quod
non exigant quicquam foras, niſi quantum
peccat: ideoque non aggravant: ſed ab onere
ſublevant: & mox inde æger ſe bene habet.
Tertiò demum quod non per ſudorem, vomitum,
aut ſedem eliciant morbum: ſed inſenſiliter
reſolvant, quacunque parte hoſpitetur morbus,
reliquum ſatagente natura. Senſi etiam
laxativa ejuſmodi non electivè humores (qui
mentiti ſunt in ſe) educere: ſed (cum non
niſi unico ſucco ſanguine nutriamur, ideoque
non ſanguinis, ſed excrementorum morboſorum
propulſionem intendamus) reſolvere quicquid
alienum intra vitæ diverſorium eſt inſertum,
non autem vitalia: niſi indiſcreta doſi, aut
frequentia ſint aſſumta. Alioqui tantùm reſpiciunt
excrementa; natura intus ad hoc præbente
ſuppetias. Maximeque cum ſint à Deo, tam
per creationem, quàm ſcientiæ donationem:
deſtinationis ſuæ fines, dumtaxat in bonum accepere.
Senſi igitur erraſſe Paracelſum, docentem 35
laxativa non aliàs operari, niſi quatenus à
calcinatione, ſupervenienteque liquido, laxativum
unà cum humoribus reſolveretur inſtar
calcis vitæ. Inprimis namque qui humoriſtis
bellum indixit, jam iterum humores agnoſcit.
Tum etiam totum eſt ridiculum ejus aſſertum.
Minus tamen, ſi vel laxativa prius calcinata aſſumerentur,
vel intus calcinari potuiſſent, vel
ejectiones tantum ad triplum aſſumtorum adſcenderent.
Quid enim folia ſenæ, calcinationis
in ſe habent? nonne Aſarum bulliendo à laxando
deficit? & hactenus calcem neſcit? Senſi 36
præterea Chymiam dare operationes potentiores,
& abſolutiores, & per eandem parari, quæ
antea non erant. Neque enim oleum laterinum
inerat formaliter in oleo olivarum, ut nec ſpiritus
ſalis, ſali; vitriolive, vitriolo, &c. Nam
per ignem, acrimoniam ſumunt, ut mel, ſaccharum,
manna, ros, terra, &c. Alia proinde
corroſionem ſuam deponunt, ut ſuccus citri,
flammula, ranunculus, piper aquaticum, &c.
Errant ergo, qui adæquatè ſpiritus ex concreto 37
æſtimant. Siquidem etſi Aromata, & odora, ſæpè
perſtent in diſtillando: ſeminales tamen
concreti vires plerumque per ignem pereunt,
& aliud fiunt. Quædam enim ſeparatis volatilibus,
fiunt Alcali; calx, cinis, vitrumque, quæ
antea non erant in concreto. Senſi enim nil
concreto ineſſe, quod non manaret è ſuo ſemine.
Ignis enim cum ſit mors rerum, ſemina rerum
ſi non totaliter deſtruat: at ſaltem inſigniter
tranſmutat. Itaque alibi præparatio tranſmutat
materiam totam, ut in Magiſteriis: alibi verò
propter ſequeſtrationem quorundam, relicta

tantùm mutat, acuit, perdit, vel conſumit. Ter-
tiò denique per adjuncta ſubinde, res ipſæ ſimul
cum adjunctis diverſimodè ab igne tranſmutantur,
& neutrum fiunt. Vt vitrum. Quod non
amplius cinis & arena eſt. Sæpè etiam citra ignem,
adjuncta radicem miſtionis penetrant,
idque præſertim intercedente fermento, ac tum
conſtituitur concretum neutrum. Sic namque
ex pane ſecalitio & melle, generantur formicæ:
ex melle & rore, anguillæ: ex baſilicone & fracedine
lapidis, ſcorpiones: ex vitulo ſtrangulato
& rore, apes. Quæ verò ſola fuſione miſcentur,
ſæpè in priſtinum eſſe reduci patiuntur. Sic
enim etſi vitrum non amplius ſit arena. Inde tamen
per artem, imò & per ſenium fracedinis,
arena eadem repetitur: quia adhuc ſemper materialiter
ineſt, impermutata, quia abſque fermento.
Senſi idcirco multa volatilia, ſociata volatilibus,
ob mutuam invicem actionem, tranſmutari
38 in aliquod tertium. Volatilia demùm à
fixis fixari, & migrare hactenus in novum ens.
Alioqui fixa, nexa fixis, permanere in priſtino
39 eſſe. Senſi quoque, remedia mineralia, in ſalis
naturam mutata (non intelligo, quæ per adjunctum
condiuntur ſalem) ſecum geſtare ſua ſemina,
in gradum tamen exaltata. Hæc de metallis
hematinis Paracelſus docuit. Quibus etſi
totum metallum reſolvatur, in alienam diſpoſitionem
(quæ eſt magiſterii) attamen, quia
exin mox Mercurius currens elicitur: quicquid
ſalis reſolubilis naturam verè aſſumſit, non eſt
Mercurius, ſive metalli interior, & immutabilis
nucleus: ſed ſaltem ſulfur ejus. Quapropter ejuſmodi
hematina, admirandas in re medica operationes
perficiunt. Senſi ergo hematina Solis,
& Lunæ, quod etiamſi ex puritate ſui balſami
confortarent: tamen aliquid alieni in ſe continere,
40 reſpectu noſtri. Senſi inquam cruditatem
Saturni, pinguedine fixorum ſalium ſolubilem,
ſolo quandoque igne carptim delebilem,
ſicque dividi compoſiti partes, crudumque argentum
vivum currere permitti. Sulfur figitivum
ſuperans in Saturno, trahere ad volatum,
fixum, inſeparabiliter junctum. Quodque expedict
inprimis Saturni ſublimatio. Cujus expreſſione
nulla eſt elevati ad reſidens, coloris aut
ſubſtantiæ differentia. Vnde etiam caloris, fuſionis,
& mollitiei cauſis, poſt calcinationes &
reductiones, reſiduis medullitùs, ſine igne fuſionem,
ſolitamque mollitiem minimè refutat.
Eadem cauſa dulcedinis Saturni. Calcinata enim
acerrima, ſi, ut in plumbo, temperantur,
concurſu vitriolatorum, cum proprietatibus ſalis
armoniaci reſoluti, & Tartari putrefacti, dulcorantur.
Quorum ſingulorum ſymbola, examinibus
univerſis, plumbo maximè diſtillando,
ſeparando in partes ſalſas, fugitivas, ſulfureas,
coloratas, pingues, acredine aluminis roche, à
ſagaci & induſtrio Chymico, non ſine ingenti
delectatione depræhenduntur. Senſi inquam 41
Metallis ineſſe vires planetarias, ſi in ſalis, aut
ſulfuris naturam reducantur: attamen id fieri
debet extra omnis adjuncti reſiduum. In quo
non Stentor quiſque potuit adire Corinthum.
Etenim poſtquam ſcivi corpora denodare, per 42
conſentanea ſuis principiis radicalibus: tum
primùm cœpi, cum ſalutari tœdio, irridere ſtolidas
credulitates meas, quibus aurum olim diſſolvi:
ejus tamen potabili ſucco minus profeci,
quàm ſimplicis alicujus decocto. Deinceps
verò potui aurum diſſolvere, butyri, reſinæ, atque
vitrioli facie ludere. At nuſquam inveni
virtutes auro tributas, eò quod noſtris ſic etiam
fermentis reluctaretur. Senſi ergo, aurum abſque
corroſivo ſuo proprio eſſe mortuum. Mortuum
inquam, niſi radicaliter à ſuo corroſivo
penetretur, Non quidem quod tunc Solis naturam
referat, viribuſque vitalibus quicquam addat:
ſed dumtaxat quod totum corpus purgando
mundet inſenſibiliter, in tono uniſono. Imò
& uniones, in lac ſpermaticum, iſto corroſivo
mutantur, primis noſtri conſtituentibus ſociabile,
atque hactenus remedium Tabis, Paralyſis,
&c. Senſi tandem quod liquor Alkaheſt 43
mundaret naturam virtute ſui ignis. Nam ut
ignis omnes perimit inſectas: ita Alkaheſt conſumit
morbos. Senſi denique, quod Mercurius 44
vitæ, à Paracelſo inter quatuor Arcana relatus,
præter igneam gehennæ vim, clarificet organa,
non ſecus atque ſtibium ab admixtis purificat
aurum. Quod idem de tinctura Lili, ſynonymo,
cenſeo. Natura interim, optat velut novo
vere, reſurgere ſub his pharmacis: attamen extra
ſpem reſtitutionis in priſtinum ſumus, cum
nobis deſit infuſio novarum virium, immortalitatem
arguens. Statutum eſt enim omni viventi,
ſemel mori. Quia nil in natura eſt, quod æquipolleat
templo imaginis Dei. Senſi itaque cuncta 45
renovativa, operari depurando, & hactenus
exhilarando: alioqui non eſſe veram rejuveneſcentiam.
Senſi deinde Arcana, quæ reſolvendo
& expellendo ſanant, non niſi vires inditas,
in nobis expergefacere, quæ ablatis impedimentis,
quaſi ſub novo vere regerminant.
Poſtremo ſenſi, ſimplicia, quibus non propria 46
formæ emanatio operatur: ſed supervenit alie-

næ forma imperium, ac character, ut conta-
gium facerent inter ſymbolizantia: & inde ve-
neficia, ſive incantamenta naſci. Etenim quæ-
cunque per Bias voluntarium præparantur,
plerumque propagantur ad functiones motus
localis, ad nervos inquam diriguntur, dolori-
bus nempe ciendis, & indolentiis aptiſſima.
Nec enim per ſe, venena, aut fermenta habent,
niſi cacodæmon illa addat, aut per ſibi devi-
ctas copulet. Tum enim cætera venena ante-
47 cellunt, Peſtis veneno cognata. Imò ſenſi etiam
cuncta venena(præter corroſiva) agere ob pro-
prietatem ſpecificam, phantaſticæ æmulam, ſe-
mini inditam, formaliter innatam, & fermenti
48 æquivocè agentis potentias habentem. Senſi
porrò rem unamquamlibet, per modum reci-
pientis, & applicationis, variè diffundere ſuas
activitates. Aliter namque panem intus in no-
bis, & brutis ſingulis operari: aliterque in ſto-
macho, hepate aliiſque culinis, Ob fermento-
rum diverſitates. Carnem ſic ſenſi externis ap-
plicatam, mox putrere, quæ intus à fermentis
reſolvitur, ac tandem aſſimilatur noſtris. Po-
lentam nimirum externis oblinire, & emollire
ſenſi: quæ intus nutrit, calefacit, alvum obſtipat,
& flatus movet. Simplex enim omne, applica-
tum exterius, ſub ſexta digeſtione noſtri, ſuas
explorare nobiſcum vires; quod intus, primis
ferè paſſibus plerumque domatur. Homo vivus,
diu in aqua detentus putreſceret: caro autem
mortua, novo ſemper gurgite diluta, balſami
naturam induit. Sic ſtomachus etſi perpetuò
madeat non inde tamen putret. Operationes
enim naturæ ignoravit Galenus, quia fermen-
49 torum proprietates non olfecit. Paracelſus verò
idiotiſmi ſolœciſmos fecit, aſſeruiſſe, in vulne-
re, olea, & emplaſtra, non ſecus atque in ſto-
macho cibi digeri ac tranſmutari in novam
carnem. At neſcit, non iri in digeſtionem ſex-
tam, niſi gradatim per præcedentes. Hactenus
non fit cruor in ſtomacho; ut neque ulla fit nu-
tritio, ab enemate, in Colo, vel ilei confiniis, de-
tento, utut ſuſurrent Scholæ in adverſum. Nam
jura mox in inteſtinis putrent, nec ibidem eſt
factio cremoris. Abſit autem, quod cruor fiat,
ſi ante non fuerit cremor. Nec jecur eſt officina
cremoris; multò minus incarnatio in ſtomacho.
Minimè verò, quod ex emplaſtro, materiali-
ter caro, aut cruor fiant. Aperta enim cute, mox
illi introducitur putredo, non ſecus atque læ-
ſo ovi cortice, corruptio. Hinc namque Ichor,
ſanies; pus, aqua glarealis, latex vermes, &c.
50 quibus præcavendis tota cura Chirurgi navat,
quibusque ſemotis, ſponte ſuccreſcit caro, non
autem ex remediis applicatis. Salia quoque no-
bis domeſtica, ſenſi, condiendis cibis, diſſol-
vendis quoque & extergendis ſordibus eſſe a-
ptiora, quàm ut in alimentum promoveantur.
Olea verò, vix ſanguificationi propria: mini- 51
mè autem illa, quæ per ignem adſcendunt.
Aquas autem ſtillatas, exiguas habere ſortes
medicaminis. Eò quod natura gaudeat ubique 52
alimento, è corporibus, ſub ſua syntheſi ex-
ſiſtentibus patrato. Ideoque ſalia artificioſa al-
tiùs penetrant, quàm olea. Quæ ſanguificationi
reſiſtunt, nec permiſcentur. Ideoque ſalia aro- 53
matum, ex oleis illorum facta, primi entis il-
lorum vices ſubeunt. Magni habenda eſſe Ma- 54
giſteria, quod horum ſit ſubſtantia integra, di-
geſtibilis, ac fermentis obediens. Ideoque na- 55
turam reſpuere cibos eſſentiis conditos, ob fer-
mentationis difficultates. Omnia enim nimis
graduata, vitam mediam cruoris poſt ſe trahunt:
non autem à fermentis facilè ſubiguntur. In
ſumma. Quæ pertinacius vitam ſui mediam
conſervant, non facilè ab Archeo ſuperantur.
Nec ſolùm digerendo contumacia; ſed pervi-
cacia ſunt, & in nos agunt: quatenus non ſub-
acta. Ærugo autem, crocus æris, ceruſſa, præ-
cipitatus, ſublimatum, &c. aſcenderunt in vi-
rulentiam per additamenta. Hæc autem intra
Mercurii radicem cum non admittantur, foris
tantum circa ſulfur operantur, ibique per mo-
dum recipientis, variè diſponuntur. Senſi tan- 57
dem ſextuplicem digeſtionem in nobis diffe-
rentiam, earumque tres priores occupari circa
diſpoſitionem materiæ, ad alendum deſtinatæ:
quam licet verè transmutent, tamen potius ad
præparatoriam diſpoſitionem, quàm ad vitalem
ejus deſponſationem, præmittuntur. In quarta
ſiquidem, vis vitalis cruori communicatur.
Sicque dirimitur lis, an ſanguis ſit animatus.
Nam cruor non eſt verè animantatus, donec
ſanguis ſit. Qui non alio fine per ſeptum Cor-
dis in Aortam trahitur, niſi ut in illo condo,
vitâ dotetur, & Mente informetur. Nutrimur
autem utroque, non ſecus, atque ex duplicis
ſexus ſemine orimur: Fortè enim myſterium
Lithurgiæ hinc cognoſcitur, cur paucula aqua,
multo vino miſceatur. Vt aqua in cruorem, &
vinum in ſanguinem tranſeat. Quintam ergo
digeſtionem ſenſi planè occupari, circa vitæ
participativam communionem. Sextam verò
tandem operári qualitate diſpoſitiva: ſed fer-
mento gaudere aſſimulativo & humanitatem
inducente. Alia ergo qualitate excitantur, ope-

ranturque externa quàm interna auxilia. Obeſi
tendinum doloribus & ſpaſmis corripiuntur:
quos tamen humana axungia, foris oblita, lenit.
Etenim ſexta digeſtio eſt tota aſſimilativa:
nititur ergo illatam axungiam in ſui vitalem
59 auram mutare. Interna verò pinguium axungia,
jam à fermento aſſimilante ſubacta, cuſtoditur
abſque actione. Sed digeſtio ſexta, intrat
in vitam mediam, illitæ axungiæ, externæ,
quam Archeus noſter ideo ſibi appropriat. Quæ
vita, ejuſque proprietates, occultantur in vita
60 ultima axungiæ internæ. Quinetiam ſenſi,
quomodo Cantharis veſicet in vivis, non autem
in cadavere, ut neque in cadavere cauſticum
Eſcharam ſuſcitat, licet cadaver diſſolvat,
non ſecus atque calx viva pulveratum caſeum
reſolvit. Cantharis enim quamdiu ſicca manet,
non agit: ſed inſenſili roris noſtri effluvio humectatur,
tum prius prurire incipit, undè Archeus
ſub Epidermide furioſe accenditur, non
multū ſecus, ac ſub Eryſipelate, pruno vel cauſtico.
Adeoque Cantharis incipit in Epidermide,
& eſcharoticum in cute, idem quod tandem
Gangræna in habitu abſolvit. Cauſtica enim primùm
criſpant pellem, quam dein in mucilaginem
reſolvunt, poſtquam plenè maduerint.
Tum enim nedum calorem noſtrum acuunt:
ſed & corroſionis propriæ robur aſſumunt.
Tum inquam, nedum Eſcharam faciunt, quæ ex
Archei accenſione conſurgit: ſed totum liquant.
61 Poſtremò ſenſi, quoque amuleta, periapta, & appenſa,
agere vi influentiæ, & directiva, citra evaporationem
illorum, quæ in corporibus fixioribus
nimirum ſedent. Licet alia appenſa ſint, quæ
ſenſim viribus minuuntur, quia aporrhœam
ex ſe dimittunt. Sunt autem periapta oſſea, cornea,
animalia & plantæ. Alia verò metallica,
lapidea, ſalia, tranſparentia, vel opaca. Metalla
autem rarò amuleta ſunt, niſi ſint adhuc aperta,
aut ab externo exaltata. Quia ſulfur habent in
ſe diviſibile: In lapidibus autem eſt magna virtus.
62 Lapidum autem quidam ſunt ſpecula diaphana,
quidam verò opaca. Vt Corallum, Cornalinus,
Turcois, Iaſpis. In pellucidis autem,
Eveſtrum vitæ, benè vel malè affectæ, reverberat.
Gaudet nempe vita ſpeculo lucido reflecti,
qua tum aſſimilatur intellectui, qui in ſuiipſius
lumine alteratur ad objectorum, more
Chamæleontis, aſſimilationem. Nec fruſtra
quoque gemmas ſenſi velut ſpecula opaca benè
polita. Quia nativa, ſibique naturalis dos, ex
natura ſpeculi, potentiùs reflectit radium vitalem
illi communicatum. Etenim continuò,
ac neceſſariò, aliquid è nobis difflatur, vitæ
participatione nondum planè deſtitutum. Idipſum
circum nos, ſervat ſphæræ ſuæ activitatem:
quam dum reperit in ſpeculo polito, facilè
reflectit in totum, unde manavit. Inde enim
primùm ſympathetica enotuerunt. Sed
poſtea ubi notum fuit, quod periapta, vi ſpeculi
in operando applicarentur, mox proin excogitatæ
ſunt ſpeculorum figuræ convexæ, concavæ,
&c, Quibus nexuit Gentilitas hieroglyphica,
ut per figuram denotarent ſignum occultæ
virtutis. Inde crevit in poſteris ſuperſtitio,
qui Gamahen, Taliſmanica, atque id genus
ſcurrilia dæmoniaca unxerunt. Putantes quod
figuræ, non quidem ſigni; ſed cauſæ vires haberent.
Specula autem tranſparentia, vim eveſtricam
recipiunt, quam licet non reflectant,
ut alioquin opaca, propius tamen ad naturam vitæ,
ſive ſpeculi lucentis, appropinquant. Senſi 63
finaliter quod effectuum diverſitas, finis, & appropriatio
medicaminum, non è complexionum
quadripartito figmento prodiret: ſed ex ipſiſmet
ſimplicium poteſtatibus; quarum propterea
electio, doſis, ac præparatio ſtetere neglecta,
quod in radice, ac modo, hactenus non
fuerint indagata. Poſt horum omnium ſenſationes.
Tandem ſpiritus alter à me abſtulit lagenam, 64
quam mihi dederat: ac magno mœrore
tum ſenſi omnes mortis in me neceſſitates, dictis
impares: quibus mox in me redii. Nec ſolamen
accipere potui, niſi dum verè ſcirem,
omnia dumtaxat per ſomnium acta. Quodque
ſi deberem vires rerum recenſere, non meliùs
peragerem, quàm ſi ipſe illa omnia velut intus
ſenſiſſem. Hoc unum ſaltem adhuc memorabar,
quod Chymica potius artis, quàm naturæ vi nativa,
agerent, eò quod illorum initia per ignem
parta & immutata eſſent. Separat nimirum Chymia, 65
fixa à non fixis, quæ prima heterogeneorum,
obviaque eſt ſequeſtratio. Non pauca etiam
quæ ante volatilia erant, fixat: vel vice verſa.
Dein, inter volatilia quædam, ſeparat odora
à non odoris. Quæ diſtinctio putata falſò eſt,
puri ab impuris. Siquidem actio ignis eſt, urere.
Vritque ideo tam purum, quàm impurum. Tertia
dein ſeparatio, per digeſtiones & propria
fermenta fit. Vt partes, pertinaci continuitate
hærentes, fermenti diſcordia invicem diſcedant.
Sic namque ſponte, corpora in plenitudine
vitæ ultimæ, fatiſcunt, & hoſpitatæ vires
ſub lucem prodeunt. Quin etiam coquendo, ac
liquando, partes prius uno freno rectæ, jam in
ſe invicem agunt, ſub quo gradu alias vires acquirunt.

quirunt. Profert ergo Chymia, quæ aliàs in Natura fierent, aut haberentur nunquam. Idque nedum in ſeparatis volatilibus: ſed etiam in reſiduis. Quæq; ideo calcinantur. Verùm ſi per commiſtionem, & confermentationem compoſiti, novæ ſurgant vires: idipſum in Spagyricis magis eſt ſpectabile, non ſolùm, quod omnibus prorſum operationibus, naturam Ars imitetur: ſed etiam peculiari Epyreumatis, & liquationis energia, quæ varias operationes ludunt ſub igne, naturamque mutant. Sic nempe Salispetræ ſpiritus, elevat ſulfur humidum, & embrynatum vitrioli, aquæ venenoſæ unde; quorum tamen amborum ſpiritus ſeparati, erant medendo apti, ac ſtomacho grati. Tandem Chymia, mitiora quædam in gradum adducit, ut venena fiant è melle, manna, &c. Plurima ut violenta, ſub igne etiam manſueſcunt. Adeo ut fixa Alcalia, ſi volatizentur, magnorum pharmacorum poteſtates adæquent. Quippe vi inciſionis, reſolutionis, & abſterſionis, delata uſque ad limen quartæ digeſtionis, tenacitatem coagulatorum in vaſis, fundamentaliter tollunt. Duriſſima namque, & compactiſſima, ita Chymia reſolvit, ut nedum oblita prioris coaguli, & conſtantiæ contra ignem, in ſuccum domabilem retroeant, occultaque palàm fiant: verùm inſuper nobis evadant ſocialia. Imò nedum res ipſas ſic præparat; ſed & media efficit, quibus corpora aperiantur. Sic enim coagulata in familiam reſolutorum abeunt, fixa in volatilia mutantur, ac vice verſa: cruda maturantur; heterogenea in claſſes dividuntur. Torpida denique, virium gradus acquirunt: ac nova multa emergunt, quæ Scholis Gentilium ignorata ſtetere. Tandem, ac tandem Chymeia pro ſui apice, univerſale ſolvens parat, quo cuncta remeant in primum ens, præbentque dotes nativas, abſterguntur labes originales corporum, feritateque inhumana deſerta, magnas & inexplicabiles poteſtates nanciſci eſt opportunum. Quantum autem puritatis acquirat intellectus ſub hac opera, ſolus novit Adeptus. Ah utinam mihi lagena, ſemel poſſeſſa, non ablata! Sed novit Deus, cur capræ caudam tam brevem dederit. Sit nomen ejus in ſecula exaltatum: fiatque ejus ſolius ſola ſanctificans voluntas.

PRÆFATIO.

1. INtentio Authoris. 2. Excuſatio Authoris. 3. Suſpicatur eventus ordinatione divina. 4. Optatus Authoris. 5. Ratio dubitandi de fallacia dæmonis. 6. Quomodo Author ſciverit, ſe non falli. 7. Ratio, docens hoc talentum à Deo eſſe. 8. Trutina Sagacium. 9. Vnico momento totum medendi lumen apparuit. 10. Quid inde Author ſuſpicatus ſit. 11. Cur Author contra Cathedras acerbè ſcripſerit. 12. Eventus præviſus intellectualiter. 13. Abſente cauſa occaſionali ſuſcitari febres frequenter. 14. Relatio terminorum cum non ens ſit, non cauſat ens in actu. 15. Quorſum in ſomno rememorata diſſectio Sexagenarii.

1 DEliberavi in beneplacito divino
palàm facere, quod hactenus co-
ram mundo, & potiſſimum in
Scholis, occultæ fuerint morbo-
rum cauſæ, quidditatum illorum
cognitio atque remedium. Scili-
cet à tot ſeculis, hominumque indiciis, non-
2 dum penetratam morborum eſſentiam. Dolui
quidem ſanè, atque inſigniter, veram hanc eſſe
præteritorum, atque præſentis ſeculi inſcitiam,
adeoque eam per me inutilem ſenem detegi
debuiſſe. Piguit me ſeriò, quod tam pro vita
propria, quàm proximorum, fuerint incurii, ſo-
lique lucro viderentur ſtuduiſſe Medici, niſi illa
eſſet divini Numinis ordinatio, quod quam- 3
diu Scholæ adhærerent doctrinis paganicis, et-
iam perſeverarent in præfatis tenebris: donec
tandem ſub plenitudine temporum, eſſet ali-
quis, qui morborum eſſentiam & quidditatem
proximis aperiret: & quidem coram ipſis Me-
dendi Cathedris, ut nimirum tanquam in fon-
te, abactis erroribus Ethniciſmi, luceat veritas
poſthac, & reſipiſcant, quotquot pertinacia o-
culos non clauſiſſet. Rem profectò toti mun-
do, noſtræque poſteritati propono novam, at- 4
que planè admirandam. Et ah utinam ſolus e-
go, qui primus hæc patefacio, proinde contu-
melias in me contraham, & ſuſtineam, nec pa-
tiatur vita & ſanitas proximi. Nam lubens ſub-
ticuiſſem, nec meum talentum propalaſſem, ni-
ſi hoc unicum ſcirem datum, pro vita proximi.
Dumque adhuc rei magnitudinem penes me 5
contemplor, in tot ſeculorum conſecutione, &
fatali ignorantia, ac continuata corporis igna-
via, ſive negligentia, in re inquam, tanti mo-
menti, quanti eſt vita humana: non poſſum
non præ ſtupore multoties retroſpicere, cala-
mum reponere, ac de mea temeritatis fallacia
addubitare. Quod nimirum in ipſis Academiis,
quibus recentia, ferventiora, ac nondum lucro

deturpata exercitantur ingenia, adhuc prorſus
ignoretur morbus, adæquatum ſcilicet faculta-
tis medicæ objectum, objectum inquam tot le-
6 ctionum à Principibus fundatarum. Sanè pror-
ſus addubitaſſem de mea temeritate, niſi is qui
dat talentum ejuſmodi, eſſet intus diſpenſator
ejuſdem, daretque claritatem ſupra omnem de-
monſtrationem, & erroris formidinem. Durum
fuiſſet alioqui mihimetipſi perſuadere, ac cre-
dere, niſi majoris tituli authoritate & ſecuritate
compulſus intus, me debuiſſem omnium cen-
7 ſuris fidenter objicere. Erit enim primùm in-
credibile, apud viros ſagaces quod doceo, ſi me
ad tribunal tot ſeculorum ſtiterint, qui lubens
me in idoneum fateor ad tantum luminis api-
cem attingere, niſi mecum vivacius gnari con-
templentur divinæ Majeſtatis ſolitam ſupera-
bundantiam. Nemo namque lucidius cogno-
ſcet honorem Dei, in hoc caſu, ac præſens do-
num venire gratuitò à Patre luminum, niſi in
abjecta parvitate, & ignorantia mea, cernant
conſuetam orbitam Deo eſſe, quod parvulis re-
velet, quæ majoribus mundi denegavit ordina-
riò. Vnam ſcilicet ob culpam: quod continua-
to errore, ſeſe omnes, in placita paganorum de-
8 merſerint uſque. Sagaces enim hinc diſcernent,
primùm, non in me, tanquam in hominem, eun-
dum. Tum demum ponderabunt ſuo judicio,
rationes ſcholaſticas, meo ſinu depromtas. Vn-
dè tandem ipſi tanquam ducti per principia, ac
theoremata naturæ, ad longè ſublimiora, & cla-
riora medendi initia ſponte feſtinabunt, quor-
ſum judicii mei teneritudo aſcendere non po-
9 tuit. Enimverò moneo, hortorque Sapientes
hujus mundi, quod errores & inſcitiæ meden-
tum, non ſe mihi paulatim aperuerint, ac ſenſim
intrarint in animam meam; ita quod unum an-
te aliud conceperim, aut meditatus ſim. Nimi-
rum quod primùm conſiderarem Scholas dece-
ptas, circa miſtionum elementariarum congreſ-
ſum, temperiem, complexiones, morboſaſque
diſtemperaturas, inde verò provolutus eſſem,
circa errores Catarrhorum: ac deinceps de-
mum quæſiiſſem radices, cauſas, & quidditatem
morborum, atque remediorum. Nil ſanè ho-
10 rum. Nam ſi unum poſt aliud mihi enotuiſſet,
exiſtimaſſem omnem hujuſmodi progreſſum,
eſſe Rationis & phantaſiæ inductiones, errori-
bus atque fallaciis opportunas. Sed poſtquam
totum ſimul (nempe Medentum inſcitiæ, tam
in cognitione cauſarum, morborum, quàm re-
mediorum & applicationum) unica lucis fulgu-
ratio, conceptum intellectualem obumbraſſet,
indubiè cognovi hoc talentum ad proximo-
rum utilitates datum, ideoque propinandum
Cathedris (à quibus correctio expetitur, exſpe- 11
ctaturque) iiſque ſub indictione gravioris pœ-
næ ſeriò proferendum. Cum ergo jam ſtatuiſ- 12
ſem demonſtrare quod nondum ſciretur eſſen-
tia morborum per intimas atque proprias ſui
radices, nox erat ante quartam mane, nona Au-
guſti, & viſum fuit mihi, quod ſicut quandoque
de cantu galli, formantur ſomnia, me audiviſſe,
ex præconcepta ſcribendi cura, quod recorda-
rer Anatomes, cujus paulò pòſt mentionem
faciam, dumque hæc viderer monitoriè intelle-
xiſſe, dubitavi ſemivigil, quorſum iſta cadave-
ris diſſectio tangeret tractatum, quem de eſ-
ſentia morborum ſcribere ſtatueram. Itaque
incurius ſomniavi, quod viderem virum gra-
vem externum, menſæ meæ accumbentem,
edentemque Sulmonem recentem in ſalſatura
aceti piperati, & tam avidè, quod quaſi ſe ſatura-
ret inde (in patria ſua quippe non reperitur re-
cens) & vidi quod biduo inde, circa veſperum
febricula illum arriperet, dentesque illi quate-
rent: ac deinde typum ſervaret tertianæ. Id eſt,
quatriduo à digeſtione cibi illius. Adeo ut nil 13
de ejus reſiduo putruiſſet, multoque minus ſu-
pereſſet, quod febrilem tumultum ſtatis pro-
ritaret intervallis. Nam quod vulgo ſonat, ele-
mentalem intemperiem relictam, quæ morbo-
ſam impreſſionem pararet. Id enim præter in-
temperierum, atque complexionum abſurda, à
me alibi demonſtrata, non niſi merum Ens ra-
tionis ſignificare videtur. Eò quod impri- 14
mens, & impreſſum, ſint quidem res actu, &
termini relativi: ſed ipſa impreſſio, cum non
ſit niſi relatio, reſultans è terminorum coapta-
tione: tantùm entis rationis vicem continere
poteſt. Quapropter ſaltem impreſſio, vel in-
temperies, ſuperſtes manere nequit, ubi intem-
perans, ſive imprimens ipſum, deſiit eſſe, &
per conſequens deſiit nocere. Neceſſe eſſet er-
gò, quod ipſum imprimens, produxiſſet extra
ſe qualitatem nocuam: eamque in impreſſionis
ſubjectum, tanquam ſuum productum, depo-
ſuiſſet: Idque cum fieret in organo vitæ partici-
pe, oporteret ſaltem illum productum, omnino
atque immediatè intra ipſius vitæ ſinum de-
mergi ſive hoſpitari: magiſque ſi recurrere ſta-
tis debeat periodis, ſilentemque ſanitatis quie-
tem interrumpere, imò agendo hoſtiliter, quo-
dammodò deberet turbatæ vitæ ſigna exhibere.
Vſque adeò morborum quidditatem, hoc ſo-
mnio perfectius confirmavi. Nam prout citra

& extra vitam, hæc non contingunt: ita ipſamet vita, eſt ipſa cauſa enormontica, poſtquam ſemel loco, pace vel quiete eſt diſturbata. Ecce eodem die, à præfato ſomnio vir patritius, quem à multis non videram annis, ad menſam meam hoſpes advenit, cumque eſſet vigilia S. Laurentii, contigit etiam quod bullitus Salmo recens appoſitus fuerit, comederitque ille, non ſecus atque in ſomno videram. Imò biduo inde, in febrim tertianam lapſus ſit. Diſſectum autem cadaver, cujus monitionem acceperam, ſpectat ad eoſdem fines. Siquidem Sexagenarius, ab ineunte ætate tenera vixerat valetudine, ac facilè febricitabat leviculi erroris occaſione. Quem pòſt tandem mors repentina abſtulit, & volens indagare, an cauſam pronitatis febrilis reperirem, locis quibus ſe plangebat dolere, quoties febricitaret. Erat nempe hypochondrium utroque latere, tam ubi jecur, quàm ubi lien aſſervantur. At ne minimum, circa has partes præ oculis viſum, quod opportunè accuſari potuiſſet. Quare collata hac diſſectione, 15 cum viſione ſomniali Tertianæ, ex eſu nimii Sulmonis: percepi ſtatim, cur ſimul utrumque in mentem revocatum, dum præſens caput eſſem ſcripturus. Nimirum ut opportunitate utriuſque rememorati fortius inſtarem circa veram quidditatem morborum, concentratorum in gremio ſpiritus vitalis: fæculentias autem, quas ſcholæ pro immediatis ac continentibus morborum cauſis reputarunt, non eſſe niſi externas occaſionales, utcunque intra venas ipſas intimè eſſent admiſſæ.

IGNOTUS HOSPES

MORBUS.

1. ACtorum hactenus exomologeſis. 2. Objectum, & Intentio Autoris. 3. Artem medendi paganorum Cacodamonis inventum. 4. Oratio pro perſecutoribus. 5. Author ex ſuis perſecutionibus, ſcrutatur Cacodamonem Inventorem paganica doctrina. 6. Labores Scholarum hinc vani. 7. Authoris anxietates. 8. Prologomenon quidditatis morbi. 9. Cauſa morborum proxima, continentes, & eſſentiales. 10. Colligitur neceſſitas Idea ſeminalis. 11. Quàm procul doctrina hac à Scholis recedat. 12. Vera cauſa rerum, & morborum. 13. Morbi antiqua definitio Scholarum. 14. Prima Scholarum contradictio. 15. Altera titubatio. 16. Tertia. 17. Author docet (Tract. de Elementis) non eſſe corpora miſta in natura, ut neque humores, undè tota baſis medendi Scholarum corruit. 18. Quarta ceſpitatio. 19. Quinta. 20. Sexta. 21. Septima. 22. Contra intemperiem qualitatum elementariarum in nobis. 23. Octava vacillatio. 24. Nona. 25. Decima. 26. Vndecima. 27. Error Scholarum detegitur. 28. Ceſpitatio duodecima. 29. Abſurdum ad Theſim ſcholarum conſequens. 30. Incertitudo pradicamenti pro Morbis. 31. Argumenta in oppoſitum, & contra fictam Diatkeſim. 32. Vera Morborum cauſa efficiens. 33. Materia occaſionalis. 34. Tota Morbi quidditas, in quo ſita ſit. 35. Vndè ſint seducta Schola. 36. Duo Scholarum axiomata falſa. 37. Alia Scholarum deluſio. 38. Generatio naturalis, quid. 39. Schola ab Ariſtotele decepta. 40. Aliquot ignorantia hinc orta. 41. Morbus conſtat materia & efficiente. 42. Quicquid generatur, id ſit per Ideas ſeminales. 43. Omnia pradicamenta ſunt in Morbo ſingulo. 44. Lapſus Ethnicıſmi in medendo. 45. Ignoratam hactenus fuiſſe Morbi definitionem. 46. Morbus non eſt ens prima conſtitutionis: attamen in cenſum natura intravit. 47. In quo diſtinguuntur Morbi, à cateris creatis. 48. Error Scholarum ex ſubjecto inhaſionis morborum, & abſurda plurima inde manantia. 49. Chriſtianis non eſſe connivenda ejuſmodi abſurda. 50. Pertinax ignorantia. 51. Fames non eſt morbus 52. Schola diſcedunt ab Hippocrate ſuo. 53. Aliquot neglectus Scholarum. 54. Incogitantia ſcholarum. 55. Non ſpectandam actionis laſionem pro eſſentia morbi. 56. Vnde manaverit iſtud figmentum. 57. Conſequens ad confuſionem cauſa cum ſymptomate. 58. Ablatio cauſa non reſpicit neceſſariò materia occaſionalis ſubductionem. 59. Scholæ ab artificiis deluſa, artificiis deludunt ſuos Tyrones. 60. Quomodo ſemen differat à ſuo conſtituto. 61. Caſpitatio decima tertia. 62. Scientia aliquot primò vera in Authore. 63. Productio morbi qualis fiat per Blas. 64. Efficiens in morbo. 65. Morbus penetrat vitam lumine formali, in puncto. 66. Efficientium differentia quadam. 67. Exemplum in calculo. 68. Calculus non eſt propriè morbus. 69. Dum effectus concluſit occaſionale efficiens, non eſt morbus priſtinus. 70 Attinguntur producta morborum, à Scholis neglecta. 71. Error ſcholarum circa objecta contrarietatum in morbis. 72. Argumenta aliquot in Scholas, ut ipſas pigeat. 73. Reſumuntur morborum Producta, morbi ſecundarii, cum ſymptomatum & fructuum diſtinctione. 74. Debilitas quid. 75. Inpropria morborum diviſio per partes organicas. 76. Diverſa diverſorum actio, unde. 77. Ex mechanica ignis, piperis, Eſcharotici, & cauſtici tredecim concluſiones paradoxa Scholis, ac varia il-

luſtrantur notatu digna. 78. *Ignis ſpeculationi ſanandi parum proficuus.* 79. *Notabilia aliquot de noſtro calore.* 80. *Occaſionum morboſarum claſſis varia.* 81. *Explicatur Hippocrates cum conniventia.* 82. *Quod natura ſemel aſpernatur, id poſt nunquam recipit in gratiam.* 83. *Morbus, eſt de materia Archei.* 84. *Productorum explicatio.* 85. *Natura noſtra regitur ab intelligentia errante, poſtquam eſt corrupta.* 86. *Scholæ iterum per artificialia deluſæ.* 87. *Producere differt à generare.* 88. *Scholæ tantum cogitarunt de ablatione cauſæ occaſionalis.* 89. *In nobis eſt natura ſtans, ſedens, & jacens.* 90. *Explicatur decretum Hippocratis, cum moderamine illius ætatis.* 91. *Anatome, ad excuſandas excuſationes in peccatis frequens.* 92. *Supina ſcholarum negligentia.* 93. *Quomodo mors & morbus evaſerint entia naturæ, poſt creationem, ſuſceperintque cauſas ſecundas, ſui productrices.* 94. *Duæ objectiones Scholarum refutatæ.* 95. *Omen ex bonitate inſeparabili.*

1 IAM conſtituta primùm naturæ
integritate, intra materiam Ar-
cheum nempè, & vitam, ſive for-
mam lucis vitalis, cum ſeminali-
bus atque vitalibus initiis: fer-
mentis item tranſmutationum
authoribus, noviter detectis: rejectis quoque
elementis, qualitatibus, complexionibus, ho-
rumque miſcellaneis, pugnis lucta, & alternatis
victoriis: humoribus item & Catarrhis defluis,
extra naturam relegatis; flatibus demum, tar-
taris, & tribus Chymicorum principiis extra
morborum exercitum proſcriptis: reſtabat
nunc ipſos naturæ defectus, & alteritates me-
2 dullitus conſiderari. Quocirca priuſquam pro-
fundius ingrediar, probandum ſuſcepi, morbos,
in Scholis hactenus neſciri, non ſolùm in par-
ticulari: horumque idcirco ſanationem radici-
tùs latuiſſe: ſed inſuper ipſam morbi eſſen-
3 tiam in generali occultam. Dolendum quidem
in reliquis profeſſionibus, tam ingenioſè ela-
boratum, In ſola autem Arte medendi adeo
ſurdis principiis ceſpitatum hucuſque. In qua
tamen charitas in proximum pœnaliter com-
mendata eſt. Omnia enim obſcuriſſima man-
ſere, pleraque falſiſſima: & intacta quæ maxi-
mè ad ſcopum ſanandi conducerent. Nuſquam
enim ſubtilitas obvia eſt: utrobique verò in-
gens hebetudo. Adeo ut ex præfatis nemo non
colligat facilè, cacodæmonis inventum eſſe,
quicquid juxta doctrinam Paganorum, & con-
tra charitatem mutuam eſt edoctum hactenus.
Idcirco nimirum theorematum paganorum
permanſit ſtabilitas, diaboli perſuaſu. Quæ ta-
men theoremata ſola ſui facilitate, primo intui-
tu, cuique ſanæ mentis, ſuſpecta eſſe debuiſ-
ſent. Itaque nil durius, inhumanius, & crude-
litate plenius, inter mortalium artes, per tot
jam ſecula ſuſceptum, arte illa, quæ per mortes
hominum ſub concentrica ſubſcriptione, ex-
perimenta de novo facit. Quorum Profeſſores
dum claves Scientiæ ſe cuſtodire præſumunt,
nec ipſi adyta intrant, nec alios intrare volen-
tes, admittunt: ſed arcent omnes, omnibus
technis. *Semper diſcentes, & nunquam ad ve-*
ritatis ſcientiam pervenientes. Iuxta Apoſto- 4
lum. *Lux mea Ieſu, mea vita, mea gloriatio, &*
adjutor meæ imbecillitatis, ac corruptæ indolis,
qui in rebus tuis facilem exitum invenis, apud
quem eſt facile, quod apud mortales eſt tanquam
impoſſibile. Tu, qui me cuncta adverſa ſubire fe-
ciſti: offero tibi meas calamitates, atque depreſ-
ſiones Iuſtitiæ. Tu me invicta nihilominus ſemper
confortaſti dextera; præbe mihi manum, ut ſi de
profundo tot tribulationum barathro me eripere
non digneris: ſaltem tua fortitudine, ne peccem
tibi, & reſipiſcant, qui me oderunt gratis: qui-
que adorant potentiam tuam, agnoſcant in me,
quod tu es ſolus Deus, adjutor oppreſſorum, ſpeſ-
que indubia illorum, qui in te fidunt. Induantur
contritione, & apud te inveniant gratiam, &
cantem ego miſer laudes tuæ magnitudinis poſt
hoc ſeculum. Eſt nempe hujus ſeculi caries, quod
occulto tuo judicio, hypocriſis potentum, fidem
fraude faciet, & pietatis ſub umbra neſas ſuum
legat.

In tanto autem ærumnarum mearum turbi- 5
ne, ad mortalium miſerias, & errores Meden-
tum ante mentis meæ conſpectum defectos,
annotare ſum aggreſſus, ſub tuo mandato. Vt
ſicut hypocriſis me, meaſque peſſumdedit for-
tunas, cognoſcam pariter, & primariò, quod
Mendaciorum pater in paganicas ſcholas po-
culum inſcitiæ, aconitumque Charitatis, & ſa-
nitatis, lucro ſternente viam, ſub trita Trito-
num procelloſa calle. --- Etenim mecum mi-
rabitur omnis Tyro venturus, nil æquè impe-
ritè tractatum, ac ea, quæ vitam mortalium
concernunt. Siquidem juxta Thomam à Kem-
pis, Diabolo perinde eſt, modò te incapacem
ad ſerviendum Deo reddat: ſive id ſit per res
veras, vel apparentes. Sufficit itaque ipſi, mo-
dò hominem ſanitate fruſtraverit, vitamque
ejus accurtaverit, in qua DEO potuiſſet ſer-
vire, modò ſe effecerit ſpretorem auxilii divi-
ni, per apparentes Paganorum doctrinas. Scho- 6
læ namque ſcripſere myriades voluminum, de

qualitatum temperatura, & lucta, multum de-
nique, diuque per Galeni poſteros ſuper ejuſ-
modi nugis interpretatum, commentatumque,
repetitum denique, atque indies in novas cen-
turias, & rapſodia eſt relapſum. Tandemque
iſtis qualitatibus adaptarunt fictos humores at-
que excrementitios, qui hominem tam ſanum,
quàm ægrum prorſus ita regerent, ut rebus hu-
manis præeſſent: quaſi mortalium conditio-
nes, mores, ſanitates, appetitus, inſtinctus, pro-
penſiones, lapſus, fortitudines, valores, defe-
ctus, eventus fortunæ, imò & merita damni
ſupplicia, & vitæ æternæ adoptiones inde de-
penderent. Horrendum ſanè, atque intolera-
bile, has nænias tam dudum ſtetiſſe, quodque
de rebus non exſiſtentibus, & nunquam futu-
ris, quæque ab Aſſertoribus ipſis habentur pro
excrementis, tam ſeriæ & pernicioſæ fabulæ
ſint confictæ, & creditæ. Adeoque ab ipſis
Scholis, vix unquam eſt indagatum quicquam,
quod reipſa ſub talibus principiis, revera ſit ve-
7 rum, aut bonum. Doleo interim (iterum teſtor)
non quidem, quod ex longa in proximum
commiſeratione lucem veritatis ſim nactus:
ſed quod hos errores propalare me oportuerit.
Id eſt, doleo quod diabolus Scholas deceperit,
& decipiet quamdiu paganicis fabellis ſe ſinent
deludi, & à veritatis Scholis ſeparari. Id autem
ut conſtet, velut per Prologomenum declara-
bo obiter, ac velut poſitiva demonſtratione.

8 Enimverò Deus non fecit mortem. Idque
eſt fidei. Ergo homo mortalis evaſit aliunde,
quàm ex Deo. Cumque morborum plerorum-
que ſcopus, aut terminus, ſit ipſa mors, (quip-
pe quæ nil aliud eſt, quàm vitæ extinctio) id-
circo morbus, & mors, ſunt diametraliter op-
poſita vitæ. Vnde ſequitur: quòd omnis mor-
bus immediatè agat in vitam. In vitam autem
nil agere valet, niſi illi applicetur, permiſcea-
turque. Non applicatur autem promiſcuè ho-
ſtis morbus ad vitam, niſi partem vitæ obſede-
rit, adeóque in ipſamet vita totaliter, vel par-
tialiter ſederit. Quo facto, pars ipſa vitæ ob-
ſeſſa, vel devicta, recedit à vitali aura, quæque
ſic devicta, & degener facta, fit hoſtilis, vitæ
adhuc reſiduæ, ſive adhuc in ſui integritate
9 conſtitutæ. Sequitur hinc neceſſariò, quod o-
mnis morbus, ut materiam invenit in aura vi-
tæ organica, qua proximè atque penitiſſimè
ipſam vitam adoritur, Ita in eadem vitali luce,
cauſam efficientem reperit. Adeoque ſic mor-
bus materiâ & efficiente inſtructus, hoſpitatur
circa vitam. Nec refert interim ſive illa morbi
contagio, ſit hauſta ex cauſis occaſionalibus:
ſive demum errore vitæ, intus in Archeo geni-
ta. Saltem ſufficit hoc loco, quod vita ipſa utro-
bique ſit principale objectum hoſtili morbo.
At cum ipſa vita ſit ens luminare, non agit niſi
per organum auræ vitalis, ſive per Archeum,
tanquam medium, inter lumen vitæ, fluens à
Patre luminum, & corpus. Non agit autem 10
hæc aura ſive Archeus, niſi per modum, quo
omnis ſpiritus ſeminalis agit in maſſam ſibi
ſubſtratam. Id eſt, niſi per impreſſam notam,
vel Ideam ſigillarem, quæ novit quid, & quor-
ſum ſibi ſit agendum. Ergo omnis & quilibet
morbus, habet notam ſigillarem, ac velut actum
ſeminalem, gnarum rerum ſibi agendarum.
Procul ergò hæc declaratio recedit ab elemen- 11
tari intemperie, ab humoribus, horumque a-
metria, à pugna, & contrarietate elementorum
noſtræ compoſitionis. Vtpote omnis morbus,
non niſi eſt vitæ gladius, vulnerans, vel ampu-
tans totaliter. Nam ſicut enſis vitam exhaurit,
unà cum ſanguine & aura vitali, in quibus, jux-
ta Sacra, ipſa ſedet anima. Ita morbus conſu-
mit eandem auram vitæ, in quam de novo ſi-
gillat hoſtilem characterem, tam à cauſis occa-
ſionalibus depromtum, quàm propriæ indigna-
tionis errore partum. Hac data morbi teſſera,
En accedo ad morbi explicationem. Ac pri-
mum demonſtrabo ex ipſis Scholarum theore-
matis, Morbi quidditatem neſcitam hactenus.
Vnde demum quiſque facilè judicaverit, quid
in remediis & morborum expugnatione ſit pa-
tratum hucuſque.

Promiſi multoties me demonſtraturum,
Scholas hactenus neglexiſſe (id eſt, neſciviſſe)
eſſentiam, radicem, ſive naturam Morbi, in ſua
univerſali quidditate; Idque, cum ab Elemen-
tis, in epilogum uſque, per omnia ſubterfugia
illarum jam ſim proſecutus, jam demum per
particularium Anatomen, ſtabo etiam promiſ-
ſis, ſi in univerſali idem detexero, ac præſertim
ſi non amplius, per figmenta elementorum,
temperamentorum, humorumque id oſtende-
ro: ſed per ipſa verba Authorum, quibus ſuos
tyrones, tanquam contagio corrumpunt letha-
li. In præmiſſis jam à me demonſtratum eſt, 12
ſecula ante me, Peripateticis nugis deluſa,
ignoraſſe rerum naturalium cauſas, materiam
ſcilicet, & efficientem. Tum quoque, rem ipſam
nil eſſe, præter cauſarum ambarum connexum:
hocque idem eſſe in morbis. Præcipuè cum
morbus, licet à peccato adveniens, jam pro fi-
lio prodigo naturæ, ſit admiſſus. Equidem
com-

compulit me ad hoc univoca cauſarum homo-
geneitas, in entibus naturalibus: quâ efficiens
denominatur ab efficiendo, non autem ab effe-
13 ctu, qui efficientiâ ſit poſterior. Itaque Scholæ
morbum inprimis definiunt Affectum, ſive Dia-
theſin, quæ primariò actiones facultatum no-
ſtrarum lædit. In quo adhuc plurimum titu-
bant. Siquidem primò, hunc affectum nomi-
nant intemperiem unius, aut duarum qualita-
tum primarum elementariarum. Ita nempe
idem recinunt: quod fateantur, morbum eſſe
ipſam qualitatem elementalem, quatenus ju-
14 ſtam excedit temperiem. Itaque morbus non
erit amplius iſta diatheſis reſultans ex qualita-
tibus primis, quàm ſupponunt lædere imme-
diatè functiones ipſas. Adeoque fingunt mor-
bum totum, deinceps non niſi in gradu, ſive ex-
15 ceſſu qualitatis elementariæ, conſiſtere. Iterum.
Subinde ipſam qualitatum intemperiem vo-
cant, non quidem morbum: at bene, ejuſdem
cauſam antecedentem. Quatuor inquam ſolita-
rias illas qualitates, volunt eſſe morbos, ſive pro-
ceſſerint à conſimilibus ſibi qualitatibus exter-
nis: ſive verò, in corpore, ſuum ortum ex aliena
16 ametria debeant. Porrò illas qualitates, dein
thoro combinant. E quarum congreſſu, tum
morbum prolem deducunt. Sic nempe ſuis ſo-
mniis elementa ſubſervire credunt. Vt & ele-
mentis totidem, ſociatis ad lubitum qualitati-
bus, reſpondere juſſerint. Adeo ut nudas iſtas
qualitates, vel fictis elementis, ſomniatiſque hu-
moribus ſtipatas, finxerint eſſe ipſos morbos.
17 Hoc loco enim narro ſcholarum intempeſtivas,
imò ludicras varietates earumque pauperem,
egregiè pugnantes. Alioqui ſane, à demonſtra-
tione primò vera, alibi ſat probavi, in rerum na-
tura, non eſſe quatuor elementa; ideoque neque
miſceri, ut inde corpora, quæ mixta vocarunt,
conſtituantur: & per conſequens, nec intem-
peries accuſari poſſe, in morbos. Vt neque un-
quam in rerum natura, fuiſſe quatuor humores,
noſtri conſtitutivos. Quibus ſat ſuperque con-
ſtat, cauſas morbificas, imò morbos, & morbo-
rum Prædicamentum, hactenus ignorata in
ſcholis. Attamen jam diſſimulanter cum illis,
18 per ſuppoſitas earundem theſes agam. Itaque
quandoque Scholæ dictorum pœnitentes qua-
litates elementarias, atque non infrequenter,
ipſis pares humores volunt eſſe, non quidem
morbos: at ſaltem omnium ferè morborum
19 cauſas continentes. Aliàs iterum, quod ex illis
qualitatibus, juſto intenſioribus, oriatur tertia,
ſive neutra, quam Diatheſin ſive ipſum morbum
dixere. Adeoque utut negotium volvant, hacte-
nus morbum inter qualitates habitare juſſerunt:
humores autem, licet intemperatos, plerumque
extra claſſem morborum abegerunt. Cataracta
ſcilicet in oculo, quanquam ut ſubſtantia, im-
mediatè viſum intercipiat, attamen morbus eſſe
non poteſt. Finxerunt ergo quoddam Ens ra- 20
tionis, ac Imaginariam relationem, ſive obſtru-
ctionem, quæ morbi omnem proprietatem con-
tineret, veréque morbus eſſet, rejecta cataracta.
Atque ita ſenſim morbus, ad non entia & pri- 21
vationes devenit. Iamque ridiculè pro morbi
eſſentia, diſtinguunt intemperiem ſimplicem
à conjugata; & utramque iterum, ab humo-
roſa. Cum humor eſſet ſubſtantia graduum ex-
pers. Diſtinxerunt nimirum qualitatum pri-
marum ſocietates, ſymmetrias, & ametrias in
ſtemmata: dein ſpecioſa inde ſchemata erexe-
re, tandemque integra volumina ejuſmodi fa-
bellis implevere. At nunquam ſaltem malum, 22
aut vitiatum in nobis humorem naſci, admiſe-
runt, qui non præſupponat intemperiem ali-
quam elementariam, ſibi matrem. Quocirca
Intemperies in Scholis, tantùm erit cauſa cau-
ſæ, & cauſati: non autem erit ipſum cauſatum,
ſive Morbus, nec demum cauſa connexa, im-
mediata, & connexa morbi. Sæpè iterum mu- 23
tata animi ſententia, ejuſmodi qualitates extra
morborum atque cauſarum cenſum abſtule-
runt: atque dumtaxat in ſymptomatum, ſive
coïncidentium catervam, indiſtinctim relega-
runt: dubiæ prorſus, quid Morbus, quid cauſa
patrans, quidve ſymptoma foret. De morbo- 24
rum verò occaſionalibus internis (quas libro de
febribus, primus in medium adduxi) deque
morborum productis æquivocis, nil auditum in
Scholis. Etenim præter calores, frigora, dolo-
res, debilitates, ejuſque generis coincidentia,
non alium cognovere morbi fermentalem effe-
ctum: quibus tandem pro epilogo, mortem at-
tulere. Atque ita privativa poſitivis confuſè ne- 25
xuerunt. Interim hæſitarunt, cuinam Prædica-
mento morbos inſcriberent. Sæpè namque
morbum qualitatem denominant: aliàs quoque
habitudinem quandam relativam: non raro
quoque qualitatem de numero actionum: ſæpè
de Prædicamento quantitatis ajunt, dum ſcilicet
non ipſas primas qualitates, ſed dumtaxat illa-
rum intemperiem, ſive gradum, vel exceſſum,
morbos ajunt. Dumque ſextum digitum in nu- 26
meros adducunt. Prædictorum autem imme-
mores, volunt reſultantem quandam diſpoſitio-
nem, ab noxia humorum qualitate utramque

morbi paginam implere. Sic nempe,ut iſta
diſpoſitio ſit filia illius noxiæ qualitatis, velut
cauſæ morbificæ. Adeoque tum morbus,potius
læſæ actionis, quàm lædentis actiones, vicem
haberet. Itemque morbus non eſſet amplius
Intemperies, qualitatiſve exceſſus: ſed aliud
productum (adhuc anonymum) ab ipſa
intemperie (puta noxia humorum qualitas) generabit
Diatheſin: quæ ſola, atque unica, tandem verè
27 morbus eſſet. Enimverò Epilepticus,
Maniacus, Podagricus, & Quartanarius, præter &
extra paroxyſmum, ſunt morboſi, morbumque
intus fovent: non tamen habent ejuſmodi
diſpoſitionem, ſive Diatheſin (etenim ſi Scholæ
credant morbos eſſe mera accidentia, hæc ſanè
dormire neſciunt, nec ſunt dum non agunt)
tempore quietis ab invaſione. Ergo ſaltem
in ejuſmodi ægris, nullatenus morbus erit
28 ejuſmodi diſpoſitiva Diatheſis. Iterum ſui
immemores jubent, Si iſta Diatheſis ſit exigua,
quod non ſit habitura rationem vel eſſentiam
morbi: ſed idcirco tum ſtatum pariat neutrum,
ſive ens hermaphroditicum, inter morbum,
& non morbum: adeo ut ejus eſſe,
medietatem participet de non eſſe. Idque tam in ſtatu
decidentiæ, quàm convaleſcentiæ. Quinimo
ejuſmodi exiguam Diatheſim, non inter
morbos: ſed cum debilitatibus ſtatus neutralitatis,
interque ſymptomata referunt. Vtque ibi
patienter exſpectet, donec gradum nacta,ex
29 ſymptomate fiat morbus. Sicque Diatheſis
morboſa non eſt morbus, ſi exceſſu ſuo nondum
manifeſtè læſerit. Quare etiam, non ipſa Diatheſis,
ſed ipſius exceſſus eſt proprii nominis Morbus
in Scholis. Cujus correlativum eſt, Quod ſolus
qualitatum quarumvis gradus faciat, atque
mutet ſuiipſius eſſentiam, & ſpeciem: nec
ſpecies proinde, in eſſe ſpecifico, ſuam habebit
quidditatem: ſed tantùm in puncto exceſſus.
30 Sic tandem morbus migrabit de qualitate, in
31 Prædicamentum relationis. Denique ſi
morbus ſit affectus, lædens immediatè actionem:
utique exinde ſaltem agnoſcere deberent,quod
Archeus ipſe, ſive impetum faciens, dum
irregulariter movetur (puta, dum flammula
veſicat vivum corpus, non item cadaver)
partemque ſui ad hoc deponit, & amittit, debeat eſſe
univerſalis,& primarius omnium morbus.
Prout de febribus demonſtrare minatus ſum.
Agnoſcere debebant pariter, ſi cauſæ materiales
per ſe & primariò, ſufficiant ad lædendum
immediatè ipſas functiones (utputa, cataracta
ante pupillam, per ſe, ac immediatè parit
cœcitatem: prout detruncatio tendinis,motum
tollit, abſque interventu Diatheſis, realiter
diſtinctæ à vulnere abtruncante) quod non ſit opus,
fingere ejuſmodi Diatheſin. Quippe non eſt
oppilatio ulla, ſive Diatheſis, quæ intercludit
meatum urinæ: ſi ſolus calculus id immediatè
faciat,ac materialiter oppilet,totumque
fundamentum relationis ſic in ſe perfectè atque
realiter continet, quod Diatheſis, ſive actio
oppilativa, procedens ab oppilante calculo, non ſit
niſi relatio,ac merum ens rationis, quæ in
morbis inter medendum, ut & in entibus veris,
veréque exiſtentibus, Locum non habet. Quare
Morbi extrinſeci, quales ſunt vulnera, &
quæcunq; meatum aliquem intercipiunt, cum non
oriantur ſeminali initio, nec cauſam foveant,
quæ Archeum concitet, alterius ſunt
monarchiæ clientes. At pro morbis ſeminalibus, 32
propinquius eſt in natura, ac motu, ſupponere
ſpiritum Archeum, quatenus ſenſationis, motuſq;
initium efficiens,immediatè atque proximè
affici à noxiis, cauſamque illam occaſionalem,
atque Archeum, ſe mutuò contingere in puncto.
Vnde Morbus. Materia namque occaſionalis, 33
ſive intrò allata, ſive intus genita, ſive
coagulabilis ſit, ſive putrefactibilis, difflabilis demum,
vel indureſcens; ſemper tantùm occaſionaliter
concitat Archeum, ut inde expaveſcat, ac
diverſimodè excandeſcat. Sub cujus ſcilicet 34
perturbatione naſcitur Idea, informans aliquam
partem Archei. Iſtudque compoſitum ex
materia Archei, & præfata Idea ſeminali, tanquam
efficiente initio,eſt verè Morbus omnis
ſeminalis. Seductæ ergò Scholæ,per proprias 35
ſomniorum libertates,autumarunt,quod quia
conſideratio cauſarum ac principiorum differt à
conſideratione rei,per illa productæ; quod proinde
de neceſſitate formaliter cauſante cauſæ omnes
deberent in fiendo, eſſendo, operando, ac
permanendo, in perpetuum manere ſeparatæ à
rebus cauſatis. Non attendentes,quod plerumque
conſideratio cauſarum, & principiorum, non
differat aliàs à conſideratione cauſati, quàm per
relationem entis mentalis,quæ etſi recepta ſit in
Matheſi, & ſermocinalibus: minimè tamen in
curſu naturæ. Itaq; Scholæ deluſæ per 36
ejuſmodi elenchos,credidere cauſam omnem,
efficientem,de neceſſitate externam: nec proinde cum
cauſato uniri poſſe. Ideoque nec generans eſſe
partem generati. Cum alioqui id natura, ens
proximè generans,ſemper ſit moderator
internus, vitalis, & aſſiſtens Architectus
generationis: adeoque qui in finem dirigit cuncta ad ſco-

pos, ſibi omnia patrat, & pro ſe egit univerſa.
37 Idcirco & deceptæ in morbis, crediderunt cauſam
morbificam eſſe externam reſpectu corporis
humani, vel ſaltem intuitu œconomiæ
38 vitalis. Neſcitum eſt enim, quod generatio nil
dicat aliud, quàm fluxum ſeminis ad perfectionem,
maturitatem proprietatum, explicationem
occultorum, & conſummationem ordinum,
39 ad ſuos fines. Scholas ergò decepit primus
Ariſtoteles,docens interruptim corruptionem
ac generationem, ſibi invicem, per totam
naturam, & ſemper ac neceſſariò ſuccedere. Atque
idcirco ens mentale, merum non ens negativum
(nudam privationem) fecit principium
in natura, immediatum inter generationem &
40 corruptionem. Nec unquam ſcholæ potuerunt
intelligere, quod idem faber,qui è ſemine plantam
facit, non defecerit in plantæ generatione,
non proſcriptus abierit, non exoletus obierit,
nec alius denique in ejus vicem ſit ſurrogatus
ob formæ adventum (cujus faber ille manet organum
immediatum exſecutivum, ad fines à
Deo præcognitos) aut vitæ participationem:
ſed is-ipſus,in vitæ regimine ſolus & ſemper uſque
perſtet. Hinc nimirum, neque intellexerunt,quod
generatum proveniat à cauſis, realiter
atque ſuppoſito, ab eſſe rei non diſtinctis:
imò nec quidem cum aliqua cauſalitatis alteritate.
Quia ſcholæ hactenus plus ſpeculatæ ſunt,
operationes demonſtrabiles,per ſenſum(matheſim
inquam, & artificialia, à natura aliena)quàm
ipſas rerum naturas, in condo eſſentialitatis ſitas.
Nunquam enim attenderunt, quod artis
organum, ipſus artifex, imò ipſæ menſuræ
menſurabilium, nequeant aliquid in natura ſeminaliter
generare, aut introducere diſpoſitionem
ſeminalem, ſubſtantialem, aut eſſentialem,
ad transmutandum producta. Conſequenter
quoque nec intellexerunt morbum, ut ens reale,
atque ſubſtantiale, ſed tantùm per modum
accidentis. Cum alioqui morbus non ſit Diatheſis,
non accidens actiones lædens; multóque
minus ipſamet actionis læſio,procedens ex
duello cauſarum nocuarum cum poteſtatibus
noſtri rectricibus. Sed morbus eſt ens reale, habens
cauſas materialem, & efficientem, à cauſis
occaſionalibus proritatas. Etenim ſi morbus, &
natura, ſive facultates noſtræ, ſtent in diametro
(ſic enim volunt) non poſſunt morbus & vita
ſana, ſimul eſſe in eodem ſubjecto immediato:
Ergò morbus nequit eſſe Diatheſis, quæ ſaltem
poteſtatibus detrimentum adducit: ſed ejuſmodi
Diatheſis, eſſet potius morbi fructus, &
conſequentia morbo poſterior, debilitatumque
mater, atque nutrix. Hanc ideo diſtinguo à
cauſis occaſionalibus, & morborum productis.
Sed fructus morbi, cum reſpiciant terminum
ad quem, morbus ſua iſthæc producta generat,
poſſunt ſimul cum vita coïncidere, ideoque aliquot
fructus ſymptomatici, inter Diatheſes
ſunt, quod ſcholæ nondum explicuere. Defectus
nimirum digeſtionum, motuum, &c. Itemque
debilitates Diatheſes ſunt, quæ à morborum
productis proveniunt quidem, (prout
mox ſuo loco) non tamen ſunt morbi. Quia incidunt
in naturam, in quam ſunt introductæ,
per alienas ſeminum morboſorum violentias,
hoſpitanturque hactenus unialiter in vita. Nec
proinde morbi naturam habere poſſunt. Eò
quod morbus nequeat cum vita, in eodem ſimul
puncto identitatis,commorari. Sed recedit
morbus è vitali condo, non ſecus atque extra
ſanitatem ſeſe ſeparat. Eſt autem vita in ſe quædam
luminis integritas, cum qua morbus cohabitare
nequit: ut neque morbus ſubſiſtit,
niſi in vitio vitæ, ſive vita degenere. Quæ quidem
eſt ſeparata ab ipſa vitali luce, adeoque &
à puncto centrali ipſius vitæ. Sicut enim lux,
quæ eſt ipſa Anima, non eſt ipſa vita: ſic nec
ipſa lux vitæ eſt ipſe morbus. Sed hic ſedet in
abſceſſu Archei vitalis, adeoque & hujus lumen
vitiat: & proinde ob ſymbolum, participat de
vita, eamque ſibi conformem quandoque reddit,
& integraliter vitiat. Quod in Peſte ordinarium
atque manifeſtum eſt. Neſcitum ergò 41
in Scholis, cui Prædicamento morbum darent.
Ego autem dico, quod morbus conſtet materia,
& efficiente, non ſecus atque reliqua naturæ
entia. Efficiens namque Archeus, laborando
per ſuas paſſionem exarthroſes, & parturiendo
ſuarum perturbationum Ideas(quæcunque nam
in natura fiunt, per Ideas ſeminibus incluſas,
oriuntur, & propagantur: Aliàs enim fatui eſſent 42
naturæ progreſſus, qui ductore carerent
interno) procurat de ſui ſubſtantia, portionem
aliquam diſponere, juxta fines,quos in ejuſmodi
iſta ſui alienatione, propoſuit, ſibi atque
toti hoſtiles. Ac eo ipſo, quo materia ad terminum
efficienti Ideæ propoſitum devenit, natus
eſt morbus. Vſque adeo, quod omnis morbus
ſeminalis, conſiſtat in actu reali cauſante
indiſpoſitionem materiæ ſibi genialis, id eſt,
ipſius impetum facientis, nobiſque applicatæ.
Ego itaque didici, omnem Prædicamentorum 43
ambitum in morbis revera eſſe, per modum
verum aliorum entium, in natura per ſe ſub-

ſiſtentium. Hoc pacto enim, non morbos in
Prædicamentis: ſed Prædicamenta omnia, in
morbis reperi. Siquidem in cunctis morbis ſeminalibus,
materiam reperio occaſionalem,
quæ inſtar violenti hoſpitis, impetum facientis,
hoſpitium atque jus violat, & œconomiam
turbat. Indè invenio ipſum Archeum turbari
in ſingulis morbis: hinc namque & alteram
materiam morbi internam conſidero: partem
videlicet Archei, quam deturpavit propria exorbitatione:
in quam partem, Ideam finxit ſuæ
perturbationis, ſeminalemque cauſam morbi
44 efficientem. Sic nimirum ens verum & reale,
omnium Prædicamentorum reſpectus, in ſe
colit. Cujus vel ſolius puncti ignorantia, medendi
ſcholas, cœcitatis contagio, Ethniciſmus
obruit. Creditaque eſt omnis ſanatio, qualitatibus
nudis, graduum exceſſibus, reſpectibus
relativis, & actionibus ſubeſſe. Hinc etiam
contrariorum contraria finxere remedia: nullumque
morbum demulceri bonitate naturæ,
medicaminum manſuetudine, pacationeque,
ac reſipiſcentia Archei, turbati prius. Sola ſed
pugna, velitatione atque bello, reduci in medium,
ſive temperiem primarum qualitatum.
Ita ut cum putent omnem morbum Diatheſim:
remedia pariter cuncta debeant eſſe nuda diatheſis,
aut theſi falluntur. Vndè ſequitur, quod
ablatio calculi è veſica, ex ſe nunquam poterit
45 importare ſanationem ægri. Siquidem cum ſit
remedium ſaltem privativum, ad quod conſequitur
pacatio Archei: non autem ſit Diatheſis,
calculo contraria. Multoque minus prohibitiva
materiæ antecedentis, quàm ſupponunt,
de neceſſitate aliundè ſuppeditari, indeſinenter
affluere, nec ceſſare, ablato per cultrum calculo,
ſi nempe prius non ceſſaverit Diatheſis, generans
materiam ex qua. Itaque juxta ſcholas,
cæſus à calculo, pro tantillo temporis tantùm
ſanaretur, quatenus videlicet auferuntur impedimenta
functionum, à calculo alioqui præſente,
producta, & fota: ſimulque quatenus
Diatheſis mentaliter intercurrens, deletur ſecundariò,
caſualiter, & per accidens. Sed longè
ſecus ſe res habet. Siquidem morbus ſeminalis
eſt creatura, quæ in nobis ſuas materias,
ſuaſque Ideas, Archei jure hæreditario, poſt peccatum
fecit, ac invenit: nec originaliter in natura
habuit. Ideoq; toti ethniciſmo, radix morborum
totaliter ignota eſſe debuit. Cumque definitio
eſſentialis, non à genere definiti, & differentia
conſtitutiva (pro-ut lib. de febribus docui)
ſit petenda, ob multiplices errorum anxietates,
& theſes ridiculas: ſed prorſus à connexa
ambarum cauſarum, entium in natura:
morborumque ideo cauſa primitiva, atque
idealis, ſteterit hactenus ignota: ſequitur, etiam
ignoratam manſiſſe definitionem, cognitionem,
eſſentiam, ac radices morbi. Atque
demum ſanationes, fuiſſe per accidens inſtitutas:
cum ignorantia univerſæ habitudinis internarum
proprietatum, efficaciæ, & alteritatis.
Scio equidem, tanquam Chriſtianus, quod 46
morbus non ſit creatura primæ conſtitutionis;
quippe qui ex peccato in naturæ impuritate
radices egit: quæ dein ſuo vere, tandem germinarunt
in individuis. Nec enim creata venena
morbi ſunt, quamdiu extra nos: ſed tum,
quando eorundem Archeus, nobis factus domeſticus,
per peregrinam vitæ ſuæ mediæ indolem,
ſuſcitavit in Archeo noſtro Ideas ſeminales,
non ſecus atque è ſilice excutitur ignis:
Tum inquam fiunt nobis morbi, mortis præcurſores,
ex veneno occaſionali. Perennant
ergo nobiſcum morbi, cum habeant occaſiones
ſuſcitativas, in natura noſtra ſubſiſtentes, donec
vel abſumatur occaſionalis illorum materia, vel
ſaltem Archeus defungatur perturbationibus
ſuis vel ſuo munere. Etenim morbi ſupervenere
quidem ex peccato; atque dein in natura,
jam corrupta à peccato, adoleverunt fermenta,
& promta materiæ obſequia: ſicque penetrarunt
in cenſum & catalogum naturæ, atque
etiamnum hodie, ſingulari modo, penitiſſimè
penes nos perſeverant. Diſtincti attamen ſemper 47
à creatis reliquis in hoc, quod primæ conſtitutionis
creata habeant in ſe propriam exſiſtentiam:
morbi verò nec eſſe, nec ſubſiſtere
queant, extra nos. Vtpote procedunt quaſi, à
lumine formali, & vitali initio, noſtri conſtitutivo.
Ideoque naturalis Archeus, & morbus, ſeſe
invicem penetrant, quia materiale ſymbolum
habent. Scholæ etenim dum attenderent, morbos 48
nuſquam extra nos exſiſtere, ratæ ſunt corpus
noſtrum eſſe ſubjectum inhæſionis morborum:
& conſequenter, morbos, tantum eſſe
accidentia: ac idcirco ſuſcitari ab intemperie
elementali, eò quod promtiſſimo ruſticoque
ſenſu caperent: Etiam ob id ſperarunt ſe ſatis
ſuperque ſuperaturas morbos, per calores & frigora.
Itemq; ideo decreverunt, omne ſolamen,
opem, & auxilium, quæ natura informata à medente
poſceret, non eſſe ſpecie juvaminis, in
pace & tranquillitate, ſubminiſtranda; ſed in
hoc valere dumtaxat, & deſtinata fore, bella, luctas,
contraria, & diſcordias: quibus confractæ

hoſtiles in nobis qualitates elementales,in ſym-
metriam coactim retrocederent. Vt ſic naturæ
jam corruptæ injurias, contrariis injuriis com-
peſcant, vindicandoque ſubigant. Quod ſanè
ita cenſuerunt, nec aliter intellexerunt: utpote,
quod in natura non aliam actionem ſciverint,
quàm quæ ex agentis ſuperioritate, in patiens
dominatur. At ſanè, non ſapiunt iſta juvamen,
nec eſt lex Chriſti (per quem omnia facta ſunt)
conformis legibus iſtis ſcholarum. Adeoque
(ut alibi latiùs) vel Chriſtus, non eſt naturæ
parens, vel ſibi in natura adverſarius, vel gen-
tilitia ejuſmodi medendi theoremata, ſunt ca-
rioſa. Non conſiderarunt itaque Scholæ, en-
tium multorum materias non conſiſtere niſi in
hoſpitio alieno, ad quod erant deſtinatæ. Qua-
re propter heteroclitum exſiſtendi modum,
putarunt morbum eſſe merum accidens: Ma-
teriam verò, quam morbus præ ſe ferret, à mor-
bo prædicamentaliter ſegregantes. Quaſi em-
bryo accidens eſſet, quod nuſquam niſi in ute-
ro. Placuit nimirum peccati vindici, quod mor-
bi, cum materiis, tam occaſionali, quàm gemi-
na, ſibique interna, non ſubſiſterent,niſi in illis,
quorum morbi & piaculum eſſent: Idque abſ-
que reſpectu eſſendi unius ad alterum. Neque
enim cogitarunt Scholæ ethnicæ unquam, ut
neque modernæ, Paganicis initiis ſtabulatæ,
hanc exiſtentiæ relationem ſibi veniſſe ex con-
ditione peccati, & procreationem ejus ab Ar-
cheo,perturbationibus commoto.Quia ejuſmo-
di cogitationes nunquam ſubintrarunt in eth-
niciſmum. Nec mirum,Gentiles neſciiſſe tranſ-
greſſionis valorem,licet per fabulam Promethei
& Pandoræ, prodant ſe aliquid ab Ebræis didi-
ciſſe. Mirum eſt tamen,illos ignoraſſe,morbum,
antequam noſter fieret, ex intimo vitæ initio
procedere,atque nobis incorporari debere, nec
ideo cauſas occaſionales poſſe eſſe connexas,
conſtitutivaſque morborum: ſiquidem perma-
nent illæ cauſæ adhuc poſt vitam: & tamen ceſ-
49 ſant morbi. At Chriſtianis nullatenus indulgen-
dum, edoctis per Sacra, quod etiamnum nunc
honori putarint, vinctas tradidiſſe mentes no-
xiis Gentilium ſtupiditatibus. Animadverte-
runt quidem, eam quorundam morborum no-
biſcum cognationem,quòd occaſionali materia
tenus,ſic noſtro eſſent corpori connexæ, ut vix
ſuffragio mentis dirimerentur, vel à læſa actio-
ne ſepararentur. Vt in vulneribus, morbis in-
ſtrumentariis, ſeminum robore orbatis. Eſt
namque unguis ſupra corneam, lædens imme-
diatè viſum: ut & calculus, abſque medio,mea-
tum urinæ obruat. Obſtructio autem inde ma- 50
nans, relatio, & ens rationis eſt. Quod ſicut nil
agit; ita nec morbi rationem, nec conſideratio-
nem in natura habet. Maluerunt nihilominus
Scholæ modernæ,eſſentias morborum, concre-
dere diſcordiis elementalibus; quàm quod fa-
terentur corpora naturæ nil aliud dicere,præter
ignotum ſibi connexum ambarum cauſarum
conſtitutivarū. Hactenus ob id,miſeri mortales
ſub hoc cœcitatis onere gemuerunt,ſanationem
exſpectantes ab iis, qui cauſas morborum con-
ſtitutivas ex pleno ignorarent. Quocirca, cum
morbus debeat continere cauſam ſui efficien- 51
tem, intra ſe ſuamque materiam. Hinc facilè li-
quet, quod fames, licet inſtar morbi peracuti
paucis diebus jugulet, non ſit morbus: eò quòd
non conſtet cauſis morboſis, ſive conſideretur
ut ſenſus triſtis, de claſſe ſymptomatum: ſive
demum,ut conſtat realibus defectibus. Quippe
in quantum fermentum ſtomachi acidum (pro
ut Tractatu de digeſtionibus) carens objecto in
quod agat, nec tamen proinde feriari poſſit, re-
ſolvendo aggreditur,humorem ſecundarium,&
proximum alimentum ſtomachi; eſt nempe
Archeus tam in fame,quàm in ſaturitate,nedum
morbi: ſed ipſiusmet ſanitatis cauſa. Carentia
autem materiæ cibalis, privationem: non au-
tem morbum dicit. Quamobrem prorſus ac-
curatè notandum, quod fames, quanquam cru-
deliter enecet,quaſi morbus eſſet: non ſit tamen
morbus,eo titulo,quia videlicet Archeus nulla-
tenus ſit morboſus in fame. Vnde luculenter
conſtare deberet,quod omnis morbus primariò
& eſſentialiter reſpiciat ſui efficientem Archeū.
Ob id ab Hippocrate in ſcholarum incuriam re- 52
ctè eſt decretum,calidum,frigidum, humidum,
aut ſiccum,(nequidem quatenus talia,& concre-
ta)non eſſe morbos,horumve cauſas: ſed acre,
amarum, ſalſum, ponticum, &c. Fortaſſis enim
ætate Hippocratis, nondum diſtincta erat cauſa
occaſionalis à vero morbo. Sciebat quidem in
nobis duplex excrementum. Vnum quidem na-
turale ac ordinarium,adeoq; noſtrum: alterum
verò matre errore, & propagine hoſtili, morbi-
dum, quodque Chriſtiani à peccati vigore pro-
veniſſe ſcimus. Hoc enim cum Senex per ex-
oticos ſapores diſtinxiſſet, ratus eſt, ut ſi non
eſſet ipſe morbus: ſaltem eſſet morborum ad-
æquata occaſio, tum nondum à morbo diſtin-
cta. Cujus ſaltem ablatio utramque medendi
valvam aperiret. At ſtupendum, quòd quem
ducem ſequi gloriantur Scholæ, hunc textum
per ignaviam tranſilierint: ut & alterum Ante-
ſigna-

ſignanum ejuſdem. *Quo omnem motum, ad morbum, mortem, atque ſanitatem, efficienter fieri ab impetum faciente ſpiritu*, declaravit. Itemque quo dixit: *Ipſas naturas eſſe morborum medicatrices:* & per conſequens, *etiam morborum factrices*, ſi enormon ille ſpiritus, ſui agitatione, o-
53 mnia quæcunque in vivis fiunt, operetur. Præterierunt nempe Scholæ plura ejuſmodi, quæ oraculorum inſtar haberi merebantur: quia fictitiis quatuor humoribus deluſæ, & effaſcinatæ, alto ſoporis, torporis & ignaviæ navigio traductæ, neglexerunt liquores, quos ipſemet nominat ſecundarios: quaſi in illis non æquè poſſibilis foret morbus, atque in quatuor fictis primariis. Itaque neglexerunt etiam morbos ex retentis digeſtionum, & tranſplantationum: quippe & ipſas digeſtiones & fermentationes (prout ſuo loco docui) funditus neſcivere. Eheu! quàm penurioſa ſcientia hactenus medentes decoravit, quos alioqui, ſi veri eſſent Medici,
54 honorandos præcepit Altiſſimus. Conſiderarunt nempe, morbum diffluere, ut accidens productum ab Agente, materia morbifica (cui itaque ſuum efficiens ineſſe, ignorarunt in limine) & patiente: quod ajunt corpus humanum. Inprimis, non diſtinguunt Agens à materia, quod huic eſt intimum. Tum morbum negant materialem, quippe quem rentur meram qualitatem. Tertiò, nec diſtinguunt occaſiones irritantes, ab efficiente interno. Quia cum Ariſtotele rentur omne efficiens externum. 4. Secernunt cauſas conſtitutivas à conſtituto. 5. Catenam cauſarum efficientium, cum ſuis productis, neſciunt. 6. Plerumque confundunt cauſas occaſionales, cum ſuis morbis ac ſymptomatibus. 7. Subinde morbum aſpiciunt, tanquam Diatheſin, velitantem, inter cauſarum ſeries, &
55 corpus humanum. 8. Malunt ipſam diſpoſitionem poſteriorem, ex pugna cauſarum (ut ajunt) ortam, eſſe morbum, quæ nempe immediatè (ſic ajunt) læderet actiones, ſive interim actioni vitali ſit contraria, ſive verò effectus illius contrarietatis, quæ functiones offenderit. Aſt ego non attendo functionum læſiones, pro eſſentia morbi: ſed perturbationes operativas in Archeum diſtentas, contemplor in morbis. Nam non rarus moritur, ſine ſenſu actionis læſæ, qui repentè quidem concidit, intus interim dudum morboſus, vel qui ſolo naturæ defectu perit. Quare & inter cætera impertinentia reputo, morborum eſſentiam ad functionum læſiones adſtrinxiſſe. Cum id morbis ſit accidentale, poſteriuſ-
56 que: non autem concomitans perpetuò. Enimverò quia ſanitatem conſequitur, debilitatarum virium reſtitutio ſpontanea. Hinc ſcholæ dimenſæ ſunt morborum eſſentiam, reſpectum debere inſeparabilem, ad læſionem & lædentia functionum. Sic nimirum, ut hæc includerentur ipſi eſſentiæ morborum. Vtpote totum medendi cardinem volvi circa contraria, putarunt. Cum alioqui totum ſit per accidens, ſi functiones in morbis oblædantur. Alioqui quotus quisque eſt, qui negaverit morbum non realiter adeſſe, in ſilentio Quartanæ, Caduci, Maniæ, ac Podagræ? quando tamen nulla ſpectatur functionum læſio? Quis eſt qui non animadvertit in convaleſcente majores ſubinde actionum & debilitatum obices, quàm in morborum flagranti initio? Stupidum itaque mihi ſemper viſum fuit, definiri rem eſſentialiter, per effectus poſteriores, & ſeparabiles. Cumque morbus fiat primariò ab impetum faciente Archeo (ab errante tamen) certè multò propinquior erit hujus actio in facultates ipſas, quàm in earundem actiones. Maximè, quòd quamdiu vires ſunt convaleſcenti quaſi adhuc devictæ, & conquaſſatæ; adſunt quidem impedimenta virium, læſio item, atq; ſuppreſſio actionum: nullo tamen ſuperſtite morbo. Cumque alibi ſat demonſtraverim, cauſam utramque in naturalibus, non differre ſuppoſito, ab ipſomet conſtituto: ergo ſi morbus eſſet cauſa læſioni actionis, tanquam differentia conſtitutiva ejuſdem: neceſſe quoque eſſet, morbum ipſum à læſa actione nequicquam diverſum. Quod jam patet eſſe falſum. Falſumque eſſet, quod cauſa, & morbus, unico titulo lædentis actionem, comprehenderentur indiſtinctim: aut malè decernunt ſcholæ, quod lædens actionem ſit ipſa cauſa morbifica. Læſio autem actionis eſſet morbus; & læſa actio, ipſum ſymptoma. Commentum enim & iſtud nimis puerile. Nam primo eſſet morbus merum ens rationis, conſurgens mentaliter ex habitudine terminorum cauſæ ad effectum. Lædentis nempe, & læſi. Deinde deprehenditur error in definitione morbi, à ſcholis tradita. Nimirum, quod morbus ſit diſpoſitio, primariò lædens actionem. Quippe quæ cauſam, & non ipſum morbum, ſive cauſæ effectum definiret. Tertiò, Si remedium debeat removere ipſum lædens actionem. Illud vel habebit ſingularem monarchiam, qua evocet, & concutiat ipſum lædens: vel remedium ſe junget naturæ ipſi, idque tam unitiſſimè, quod connexis viribus, & tanquam unitum jam unum ſe ſtatuat in termino oppoſito, adverſus ipſum

lædens. Non enim verum eſt prius horum.
Quoniam remedium eſſet tam exoticum na-
turæ, quàm eſt ipſe alioqui morbus, propter
particularem directionem, & arbitrium mo-
tuum, ab Archeo noſtro ſpretum: Nam ſi juva-
re deberet, haberet poteſtatem natura humana
ſuperiorem, tali modo, quod nec legibus mor-
biferis, nec mortiferis pareret. Adeoque cau-
ſam morbiferam, tam è cadavere, quàm lan-
guente, expelleret. Nec item locum habet po-
ſterius. Quia ſi remedium uniretur naturæ, ra-
dicaliter, ac miſtione unitiva, haberet privile-
gium ſupra ſortem alimenti. Non cadit ergo
in definitionem morbi, ipſa læſio actionis. Pe-
culiariter, quod remedium non tam reſpiciat
cauſam occaſionalem, quàm ipſum efficiens
morbificum internum. Vndè verificatur axio-
ma: *Quod naturæ ipſæ ſint morborum curatrices,*
57 *ut effectrices.* Vtrobique ſcilicet morbum cum
ſymptomate confundunt, in ſanandorum per-
niciem. Cum ſanatio in ablatione cauſæ occa-
ſionalis frequenter, nunquam autem in ſym-
58 ptomatum remotione ſita ſit. Et quia ablatio
cauſæ occaſionis exiſtimatur materialis edu-
ctio, hactenus non niſi ſolutiva & diminutiva
contentorum viguere. Vbi alioquin ablatio
cauſæ occaſionalis plus reſpicit correctionem,
vel pacationem efficientis proximi, quàm ma-
teriæ occaſionalis avulſionem: utpote quod à
correctione, etiam citra materiæ occaſionalis
ablationem, mox ceſſatio, inſperataque quies,
imò & ſanatio plerumque obveniant. Quod in
cura ſympathetica frequenter occurrit, & mani-
59 feſtò liquet. Scholæ itaque, per artificialia de-
ceptæ, quodque putarint omnem generationem
inchoari à puncto privativo corruptionis, ne-
ſcivere: quod id, quod jam in materiali quo-
rumcunque initio ſeminali fluit, habeat jam eo
ipſo ſuum eſſe reale, licet immaturum, ſitque
per hoc, hoc aliquid in ſeipſo, ac diſtinctum à
quolibet alio: quodque acquirat per natura-
lem generationem dumtaxat maturitatem, &
illuſtrationem in ſui apice, ob novum agendi
lumen formale. Nec equidem ſemen proinde
à ſui conſtituto differt, per cauſam efficientem
60 internam, & materiam: ſed dumtaxat per in-
dividualem perfectionis alteritatem luminis
formalis, prout alibi de ortu formarum. Se-
men namque, quod prius excitatore opus ha-
bebat, adepto hoc lumine formali, eſt deinceps
61 ſeipſum movendo. Scholæ quoque ſubinde
conſiderant morbum, velut ac ſi eſſet produ-
ctum neutrum, profluens per activitatem cau-
ſæ, & reluctationem naturæ noſtræ. Aſt ego
ſcio, tam formale agens, quàm patiens in mor-
bo, eſſe nobis in illo actu peregrina. Scio ni-
mirum Caducum, diebus ſilentii, non minus
realiter eſſe in nobis, quàm dum in pleno ac-
ceſſo fuerit. Scio quoque, morbum eſſe ens 62
reale, ſubſtantivum. Non autem relativum, non
nudam habitudinem agentis & luctantis ad pa-
tiens, tanquam extremorum ad medium. Nec
demum eſſe conformitatem proportionis, aut
diſproportionis inter extrema. Licet hic reſpe-
ctus formandæ relationis, inter entia rationis,
ſit propinquior effectu nato. Scio præterea, o-
mne agens naturale, natum eſſe producere ſui
ſimile, excepto eo, quod agit per Blas (vis autem
tam localiter motiva, quàm alterativa, quia
nomine carebat, viſa mihi eſt vocari Blas, in
initiis Phyſicorum.) Sic Cœlum meteora, non
cœlos generat. Et homo, per Blas voluntarium;
itemque Archeus per Blas ideale, atque ſemi-
nale, diverſas ſuſcitat alterationes. Agens verò 63
ſeminale, inordinatum, per Blas peregrinum,
abortit monſtrum, quod proprie morbus eſt.
Nam etſi morbus, juxta ſui cauſas, ſit naturalis:
noſtri tamen reſpectu, non deſinit eſſe contra
naturam, tam quatenus à Blas exotico incepit,
quàm quòd Blas hoſtile gerat, ac de ſeſe ſuſcitet.
Ideoque neque hoc monſtrum generat fœtum
ſui ſimilem, niſi per fermenta transferat ſemi-
nale ſuum contagium, faciatque) ſic morbos
in aliis per accidens. Quod autem ad efficien-
tem morborum cauſam attinet. Eſt quædam 64
intus partu abortivo, nata cauſa efficiens (qua-
lis cataracta in oculo, calculus, materia febri-
lis) quæ licet à ſcholis dicatur cauſa efficiens
morbifica, immediata & continens: eſt tamen
dumtaxat occaſionalis morborum, & externa
reſpectu vitæ, in qua ſemper omnis morbus eſt.
Ideoque nec poteſt ejuſmodi viſibilis materia,
non ſolùm veri efficientis rationem obtinere:
ſed nec etiam eſſe de materia, intrinſeca ipſius
morbi, eſſe pars ulla. Permanet itaque concica-
trix, & occaſionalis cauſa morborum. Eò quod 65
efficiens ſeminaliſque materia, ſi facultates vi-
tales, adeoque & vitam immediatè attingere
atque penetrare debeat, utique & in puncto,
vitæ ſymbolum continere, eſt prorſus neceſ-
ſarium. Vſque adeo & illud in morbis ſemi-
nalibus perpetuum eſt, quod morbus, ut nun-
quam eſt in cadavere: ita non poteſt non eſſe
in vivo. Porrò efficientium cauſarum quædam 66
eſt atque manet externa. Vt ferrum vim impul-
ſivam nactum, morbum facit in materia diviſa,

qui vulnus dicitur. Pariformis eſt attritus veſicæ
à calculo factus. Nam quanquam efficientia
quædam externa ſua habeant initia ſeminalia
quibus generantur (ut calculus) reſpectu
tamen morbi, quem pariunt, carent ſeminibus,
ideoque ſunt ipſi morbo externa, ac peregrina.
Interna verò occaſionalia ſemen habent,
quo fovent morbum à ſe excitatum, claudunturque
etiam ſæpè, in facto eſſe. Vt patet
in febri, apoſtemate, *&c.* Sunt demum efficientia
occaſionalia, quæ continua atque fermentali
propagatione contaminant. Vt ulcera, Icterus,
&c. Suntque interna occaſionalia, quæ dudum
ſubinde dormiunt. Vt in Caduco: Podagra,
Mania, Aſthmate, febribus, *&c.* Internorum
quoque occaſionalium, quædam inceſſanter
laborant, ut materiam noſtri corporis, à vitæ
communione alienent. Quibus ſi acceſſerit fermentum
(quod Hippocrates in morbis vocat
divinum) fiunt colliquationes. In febri verò,
occaſionalis materia efficiens, juxta geminam
ſibi proprietatem concitat Archeum, ad propulſionem,
in conſumtionem ſui. Quare nec
aliud poſt ſe productum relinquit: niſi nova
Idea, ex Archeo irrito profluxerit, per accidens.
Qualiter Hydrops febres ſequitur, *&c.* Dolores
autem, ſopores, vigiliæ, debilitates, *&c.* ſymptomata
67 atque diatheſes eſto. Sic quoque efficiens
ſeminale alienum patrat calculum, ibique
ceſſat, licet deinceps in momenta moleſtias excitet,
novoſque motus. Productum autem Calculi
ſunt excoriationes, & novi morbi, qui
68 monſtra ſunt parenti ſuo abſimilia. Nam propriè
loquendo, generatio Calculi, non eſt morbus:
plus quàm ipſe calculus, qui in ſe eſt compoſitum
naturale, noſtri autem reſpectu morboſum.
Quapropter & in matula, & extra vitam,
generatur ſuis cauſis petrificationis. Adeoque
eſt monſtroſus, & anomalus morbus: utpote
qui per accidens, & extra vitam, in nobis
69 naſcitur. Denique ſimulatque effectus, ſive productum
in facto eſſe, amiſit ſuum ocaſionale efficiens,
illud productum non eſt amplius ipſa
ambarum cauſarum connexio, ſive morbus priſtinus:
ſed ſuas ſibi habet cauſas, primarum cauſarum
70 connexione poſteriores. Sic namque Apoſtema
peperit ulcus: hoc verò plorat virulentum
Ichor: hoc denique non rarò excoriat,
priſtinum ulcus mutat, vel novum ſuſcitat. Nil
autem attingit patrans ulcus, ſive ſuum Ichor
deinceps ulceret, ſive non: quia non eſt illa intentio
effectiva, ad producendum ulcus ex
Ichore. Quia ipſa ſanies, ſive Ichor, eſt productum
ulceris patrantis, quod ſuam intentionem
effectivam, atque ſeminalem, ſuſcepit in ſui
eſſe: non autem in propagationem novi ulceris,
quæ ipſi ideo per accidens eſt. Calculus quoque,
eſt productum ſuarum cauſarum conſtituentium,
quas in ſe claudit, ac terminat. Quia
cauſæ ejus, ad finem effectionis delatæ, ceſſant
in producto, & clauduntur tanquam ſepultæ.
Licet is calculus ſit occaſionale medium, ad
quod novi calculi generatio accreſcendo contingit.
Interim calculo per accidens eſt, ſi producat
alios morbos, ſe, imò morte ipſa, atrociores.
In Hydrope autem, efficiens Archeus renum,
in conceptu Ideæ, à perturbatione ſua genitæ,
claudit renes, & fit hydrops. Non ceſſat tamen
priſtinum efficiens, uſque in perſonæ ſuffocationem.
In patrato iſto, productaque & miſſa
aqua, non eſt ulterior intentio, ad quicquam
aliud producendum. Alioqui ſæpè productum
morbi; cum ſit monſtrum innatum, vim
habet occaſionalem propagativam, ex proprietate
efficientis Archei, non clauſi, aut vincti in
producto: ſed liberi in organis vitæ. Vnde nimirum
alia ſubinde producta ſucceſſivè effloreſcunt.
Saltem facultatum atque vitæ diſpendia,
non tam cenſeri debent morborum producta,
quàm illorum deſtinati fructus, atque
ſymptomata, horumque periodi. Nec interim
minori privilegio morbus eſt, qui à fermento
morboſo producitur, quàm fuit morbus, producti
illius parens. Scilicet, nec ignavius corrumpit
aliquod vitale, per aliena ſuſcepta efficientia,
quàm id, in cujus actionis efficiente
primario, eſt ipſe morbus. Cæterùm ſupponunt 71
Scholæ contrarietatem morbi, cum ſanitate,
cum vita, atque iterum cum ipſo remedio. Itaque
uni termino apponunt plures contrarios,
contra naturam relativorum, & contra ſuum
illarum axioma. Quod unum contrariorum totidem
dicatur vicibus, quoties alterum. Etenim
ſtante doctrina contrariorum in remediis: deberet
ſaltem de Medicina exire ſanitas, tanquam
de ovo pullus. Vel cum contraria ſe invicem ad 72
nihilum deberent reducere, deberet de morbo
prodire ſanitas, prout alioqui de morbo exit
debilitas. Etenim ſi morbo ſit remedium contrarium:
utique facultates noſtræ vitæ, nequeunt
eſſe contrariæ morbo: & per conſequens:
morbus non poterit lædere facultates,
aut harum actiones. Erraruntque Scholæ, dum
in criſi, morbum cum facultatibus monomachiam
toto ſui curſu ſuſtinuiſſe, contendunt.
Sin morbus contrarius ſit facultatibus, ipſique

remedio: ſaltem incongruè frigida febri apponent,
facultati vitali non minus quàm morbo
appoſita. Imò ſi à contrarietate Diatheſis naſcatur
morbus: actio noſtra, non deberet tota pendere
ab impetum faciente ſpiritu, ſed à mera
cauſa morbifica: quæque ideo cum motus ſui
principium in ſe haberet, deberet tam in cadavere,
quàm in vivo operari: Eſſetq; adeo tota velitatio
dumtaxat inter Diatheſes alienorum accidentium,
ſe mutuò debellantium. Cujus luctæ,
ipſa vita eſſet tantùm ſpectatrix odioſa, abſque
ſui incommodo. Quid hoc aliud, quàm inertem
ac frigidam finxiſſe Philoſophiam vitalem? frigidosque
eſſe Medentes febrium? Quid ſi morbus
ſtet in qualitate, cujus bellatricem contrariam,
ſenſu notam volunt, & elementalem: cur
ergo tam incerta, languida, tardaque comminiſcuntur
morborum remedia? cum manifeſtarum
qualitatum contrariarum, tam aperta, atq;
promta in Scholis jactentur indicia, remedia, &
73 ſimplicia? Itaque penes me morbus eſt ens ſubſtantiale,
cauſis Archealibus, tam materialiter,
quàm efficienter genitum. Calorem autem, ac
frigus, idque genus concomitantium ſignatorum,
voco fructus, atque ſymptomata, à productis
morbis longè aliena. Sæpe namque morbus
contra nos furioſè movetur, in quo multa
intercurrunt ſymptomata: qui tamen non rarò
abſque producto ceſſat. Vt patet in intermittentibus.
Nec enim inde conſurgit novus morbus.
At ſaltem natura intendit excutere tædioſum
hoſpitem: ſub quo niſu producuntur fructus,
& ſymptomata, ſopores, calores, frigora,
dolores, vigiliæ, inquietudines, vomitus, debilitates,
&c. Aliàs quoque morbus ſæpè convertit
materiam hoſpitii. Dum ſcilicet Archeus, à fermento
occaſionali ſuſcitatus, profert novum
productum: Sive interim morbus prior claudatur
in termino producti, ſive non. Nec rarò quoque
morbus producit occaſionaliter monſtrum
ſibi abſimile. Dum febres cauſat hydropem, cataractam,
ſcirrhum, &c. quia ſunt producta morborum
per accidens: quorum ſcilicet nova Idea
ex Archeo, eſt genitrix. Vt infra ſuo loco patebit.
74 Eſt autem debilitas fructus univerſalis morborum,
horum pediſſequa. Quæ ſcilicet nil aliud
eſt, quàm diſpoſitio, conſequens virium
diminutionem. Eſtque vel totalis, propter notabilis,
vel nobilis partis afflictiones. Contingit
etiam, ob adhærentiam morboſæ occaſionis, ad
partem aliquam ſolidam. Vndè tandem, extincto
ibidem Archeo, partis illius ſideratio, &
totius mox inde mors, quoque profluunt. Vel eſt
debilitas particularis, ob Blas particulare, affectans
per ſui thimoſim, aliquod membrum.
Sic enim è ſtomacho vertigo, dolor capitis, &c.
ut ex utero, partes per aſpectum diverſimodè &
miſerè languent. Quæ certè ſymptomata ſunt, &
fructus Archei, non autem morbi ejus: qui aliàs
naturaliter ſua recondunt in ſe efficientia. Prout
alibi de actione regiminis. Diſtat denique
morbi productum à ſymptomate in hoc, quatenus
hoc eſt fructus, mitigationem quidem ab
ipſo Archeo: non autem curationem poſtulat,
quantum ex ſe eſt. Quia unà cum morbo
evaneſcit pariter. Producti autem morborum,
nullam in Scholis invenio mentionem: ſed vel
cum ſymptomate confunditur, vel novæ cuidam
intemperiei, novoque humorum affluxui
tribuitur. Alii quoque ſolent morbos dicare partibus 75
continentibus: cauſas item, partibus contentis:
ſymptomata verò, in impetum facientem
ſpiritum, relegare. Malè inprimis memores,
quod contentis humoribus, primarum calorem,
ac frigus adtribuant, tanquam morbos.
Denique ſi morbus in Continenti, & cauſa in
Contento. Quibus quæſo cauſam, & morbum 76
movebit, ſi non ſpiritus nobis innatus? Quis
patrabit è cauſa morbum, ſi non ſpiritus? Etenim
ſicut Ira, verecundia, & agonia, calefaciunt
per Blas: ita timor, dolor, & triſtitia refrigerant,
citra humorum opem. Piper autem & calefacientia
calefaciunt vivos (non autem cadavera:
ut neque Cantharides, flammula, vel apium,
hæc veſicant. Cauſtica verò etiam abſumunt
cadaver: idque non effectu proprii ardoris:
ſed ſola vi ſalis cauſtici, qui partes ſolidas
reſolvit in ſalem abſque calore. Pro ut nimirum
calx viva, reſolvit caſeum in mucilaginem. Cauſtica
itaque Eſcharam in vivo generant, non
autem in cadavere: ſed hoc reſolvunt, ſimplici
reſolutione ſui ſalis. At quia in vivo, intus ſimul
accenditur Archeus, Eſchara ab utroque
agentium, (Cauſtico nempe, & Archeo) producitur.
Tandem Ignis indifferenter, tàm vivum,
quàm mortuum cremat: & celerius ipſum
vivum. Quia ignis ab extra conſumit ardendo:
& intus fit ſpiritus ipſe cauſticus, ſui accenſione.
Ex quadruplici ergo mechanica, ignis nimirum, 77
Piperis, Veſicatorii, & Cauſtici, Notabilia
quæ ſequuntur, ſponte defluunt.

1. Quod calefacientium calor efficiens, ſit noſter. In pipere ideo eſt tantum occaſionalis excitativus.

2. Quod febris non ſit eſſentialiter calor; ſed ex proprietate Blas alterativi, tam frigus, quàm

quam calorem genialia habeat. Idque non efficienter: ſed tantùm occaſionaliter, incitativè, & accidentaliter. Solus autem Archeus eſt efficiens caloris & frigoris. Nec enim materia febrilis, in corpore aliàs calido, jam fit frigida, tum deinde calida, ut ad ejus alternitatem totum corpus frigeat, & caleat. Sed ſunt opera, & Signaturæ vitæ: non ſeminum in materia morboſorum proprietates: ſed meræ paſſiones corporis, à calore & frigore Archei, ſic commotæ, per Blas. Ideoque nec amplius contingunt in cadavere, ut neque poſtquam morbus potitur victoria, nec etiam dum morbus ceſſat, remanente interim materia occaſionali.

3. Quod ipſum, quod in nobis efficit calorem, etiam efficienter pariat frigus. Non quidem privativè, reſpectu caloris: quia frigus eſt reale, & actuale Blas Archei.

4. Quod nulla ſanatio, per contraria, ut neque propter ſimilia, fiat: Quia morbus conſiſtit in Idæa ſeminali eſſentialiter, & in materia Archei: At ſaltem ſubſtantiæ non admittunt in eſſe ſui contrarietatem.

5. Quod morbus ſuperetur primitivè, extinctione Ideæ, ſive ablatione materiæ eſſentialis. 2. fontaliter, per ſedationem, & pacationem Archei turbati. Ac 3. à poſteriori. Si nempe auferatur materia occaſionalis, quæ Blas motivum, atque alterativum hoſpitii excitat, ut Idea, ſive morbus, efficienter fiat.

6. Quod utraque cauſa interna, connexa in Archeo, ſit ipſe ſubſtantialis morbus, habens in ſe propriam radicem. Materia autem occaſionalis, utut in corpore recepta, ſemper ſit externa; quia non eſt de radice interna, & eſſentia morbi.

7. Quod ſymptomata ſint accidentia per accidens, per excitationem proſilientia, juxta varietatem recipientis cujuſque. Eſtque potius error avius, aut furor poteſtatum noſtrarum.

8. Quod Archeus, qui nos in utero formavit, cuncta dirigit etiam, moderatur, movet durante vita. Idcirco cauſæ occaſionales percipiuntur dumtaxat in Archeo. Qui dein, juxta conceptam inde perturbationem, parit ſuas Ideas, quæ immediatè Blas habent, quo movent, dirigunt, commutantque, & peragunt, quicquid in ſanitate & morbis contingit. Partes autem corporis, tam continentes, quàm contentæ, itemque morborum cauſæ occaſionales per ſe, ſunt mortuæ, atque deſides, nec ſe, aut aliud quicquam, movere poſſunt. Cum nil moveatur à ſeipſo, quod per ſe ac primariò vitale non eſt. Excepto pondere naturaliter decidente deorſum.

9. Quod producta, & morborum effectus, ſint generationes, ſeminales, dependentes ſic à ſeminibus, quod horum proprietates referant.

10. Quod calor, frigus, calores, *&c.* cum non ſint cauſæ propriæ morbi, neque morborum vera producta: ſed tantùm accidentia ſymptomatica, & ſignaturæ morborum, ideo nec per ſe ſubſiſtunt etiam: ſed ita à morbis dependent, ut unà cum illis, umbræ inſtar, recedant. Vtpote ſunt errores luminis vitalis, ſive Blas erroneum, è morbis concitatum.

11. Quod morbi ſint entia ſeminalia (exceptis extrinſecis, vulneribus, attritu, combuſtione, *&c.*) ideoque effectus Archei, reſultantes in vera actione, ab occaſionalibus excitantis, accidentaliter, in noſtrarum poteſtatum Archeali errore obnati.

12. Quod etſi extra velle animale, in natura reperirentur contraria: per hæc tamen, nulla poſſibilis eſſet læſarum virium reſtauratio, ut neque Archei pacatio: & per conſequens nulla ſanatio, ſi verum uſque ſit. *Quod naturæ ipſæ ſint morborum Medicatrices, earumque miniſter Medicus.* Probatur id equidem per ignem. Qui præ aëris frigore intentiſſimo (quod alibi probavi, frigore aquæ longè immanius) fortius flagrat, & urit. Tantum abeſt, quod ignis per frigus (quod falsò ſibi reputatur contrarium) extingueretur. Quinimo nec Scholæ ſciverunt ignem non extingui per aquam, quia frigida, humida, aut contraria ſit: ſed ob ſolam ſuffocationem. Quod in noſtris fornacibus quotidie videmus. Nam ut ignis eſt momentaneus, ſibique filo continuo exhalationum connexus; hinc unico propemodum ſuffocatur momento. Sic namque aqua, quia fluida, intrat in poros rei ardentis, obturando ſuffocat ignem. Sic quoque metallum, vel vitrum, ignita & candentia, ſplendent dudum in aquæ frigidiſſimo fundo: & interim carbo ignitus, in inſtanti ſuffocatur ab aqua. Quia ejus pori ſtatim obſtipantur. Cuprum candens ideo citius extinguitur argento, & argentum auro. Vitrum autem ignitum, quia poris caret, pari auro ſplendet ſub aqua diutius. Imò aqua fervens, 78 celerius ignem ſuffocat, quàm frigida, quia citius poros penetrat. In eo quoque hebetes manſere: quod calorem noſtrum ſemper collatione ignis facta, conſiderarent. Nam etſi ignis ſit ens naturæ; attamen quia in uſus mortalium,

ab Altiſſimo directus eſt, ut in naturam velut
deſtructor intraret, & eſſet velut mors artificia-
lis: ideo ſuos fines artificiales proſequitur: non
autem habet quicquam in ſe, quod ſit vitale,
aut ſeminale: Nullus eſt ideo in natura ignis, ſi
prius in debitum deſtructori gradum non ſur-
79 rexerit. In quo ſpeculationi medicæ, nil, aut
parum eſt proficuus. Sanè calor noſter non eſt
graduatus, ideoque nec igneus, nec tanquam
refractus ab igne procedit: ſed eſt calor luminis
formalis, ideoque & vitalis: nec proin ultimo
ſui gradu, perinde atque ignis ſubſiſtit: latitu-
dinem enim admittit, ejuſque gradus diverſifi-
catur pro concitatione Blas. Nam etſi ſit è lu-
mine formali, eoque vivat: attamen tam in
ſanis, quàm in ægris, per Blas ſæpè ultra aſcen-
dit, vel citra premitur. Denique altius exorbi-
tat per furores, tumque confeſtim lumen vita-
le, tanquam combuſtum, exuit, & Alcali cauſti-
cum aſſumit. Quod cernitur in fœno madido,
& compreſſo, ubi ignis conſurgit ſpontaneus.
Sic in affectibus eſcharoticis calor noſter, vitæ
prioris oblitus, tranſit in gradum ignis. Radio-
rum namque luminarium congreſſu, ſpirituum-
que ſalis degeneratione, prout in fœno, verus
ignis naſcitur, noſque conflagraret, ſi Archeus
hunc ſcenæ terminum, ante mortem exſpecta-
ret. Calor quidem noſter eſt in igne, quatenus
in quadragenario eſt binarius: non tamen ignis
eſt in noſtro calore. Adeoque nec calor noſter
dici poteſt igneus. Vt nec binarius eſt quadra-
80 genarius. Cæterùm morboſa occaſio, quando-
que ſolo gravat pondere, ſuique exoſa præſen-
tia: qualis eſt odioſi hoſpitis. Dein ſæpe è mi-
tioribus cunis, poroſa adoleſcit qualitas, de
claſſe guſtuum. Tertiò, vel tandem putret.
Quartò. Fermentum arripit peregrinum. Ac
poſtremò, infamis veneni contagio, nobis mi-
natur exitium. Peregreque vel advenit, vel in-
tus ſuboritur morborum ſeminalis dira occaſio.
Sæpe quoque in ultimis degenerat, quas ſcho-
læ neglexerunt, quia ſuis humoribus primis
contentæ ſoporarunt. Separatur inquam à vi-
talibus inſontibus, aliquid nocuæ zizaniæ, &
commiſta occaſio morbi fluctuat inter alimen-
ta proba, iiſdemque vel tenacius nupſit, adhæ-
ſit, torumque localem elegit. Vtrobique autem
proprietates hoſtiles morboſorum ſeminum,
ſua diverſoria variè ludendo exagitat. Non er-
go à calore & frigore: ſed ab excellenti gu-
ſtus qualitate, & peregrino ſodalitio afficitur
Archeus, & Ideam ſeminalem morbi effingit.
Demirorque, quod Scholæ Hellenicæ Anteſi-
gnanum profiteantur Hippocratem: hunc ta-
men medendi cardinem, in illo ſpreverint, ſe-
ſeque in meros calores, ac ſtulta qualitatum
connubia, uſque demerſerint. Morbus nam-
que Hippocrati fit ex bono, vel antea damnato
liquore, in excrementum verſo. Ego verò 81
condono hoc, illius ætatis adhuc indiſtinctioni.
Ideoque ejuſmodi recrementa, non morbos
ipſos: ſed horum cauſas occaſionales dico. Ex-
crementum enim, ſuis digeſtionum, vel ultimis
culinis vitiatum, vel alibi diutius hærens, ſuæ
tarditatis mora, primùm pigritiæ notatur: ac
dein, adſpernantis ſtabuli activitate, ut mole-
ſtus hoſpes corrumpitur. Ex titulo, quatenus
deſtitutum balſamo vitali. Faber enim Archeus
noſter, cum ferietur nunquam ſine crimine,
nec unquam deſtituatur fermento locali com-
mutativo; igitur calore, fotuque continuo, ex-
crementa intus nata, vel aliunde allata magis
magiſque exagitat, inque fines deſtinatos con-
turbat. Ideo nec poteſt dudum aliquod excre-
mentum priſtino in ſtatu ſui, permanere. De-
ſperandum quoque omnino, quin ſemel aſper-
natum, iterum unquam natura in verum civem
recipiat, initave reconciliatione rurſus adoptet,
(quale eſt figmentum, quod è pituita fiat ſan-
guis, è cruore torrido, bilis flava: & ex hac por- 82
racea, æruginoſa, atque tandem humor melan-
cholicus.) Natura namque non poteſt non con-
tentum hoſpitem exoticum, ſorte ſui alterabi-
lem, alterare, & ad fines ſuos promovere. Idque
ſi intra diverſoria propriæ digeſtionis conti-
gerit, erit excrementum longè mitius, quàm ſi
ſemel ad alienos lares, & extra ſuos limites, de-
latum. Tum nempe fructus iſte adulterinus,
iſtique parti ſuppoſitus fœtus, recuſatur, ut ho-
ſtis advena, ominoſus, ac tumultuarius, in
quem ideo peregrinum alterius meſſis fermen-
tum, de neceſſitate irrequietæ alterationis in-
troducitur. Vnde ex Retentis, primùm ſimpli-
citer moleſtis, fiunt noxia, ac tandem Retenta
tranſmutata. Quibus ſi inſignis ſapor non inſit,
plerumque ſaltem mox oboritur, ab Hippocra-
te, loco citato deſignatus, pro morboſa ſignatu-
ra. Etenim quamdiu liquor alimentarius, freno
balſami naturæ coërcetur, ſaporibus ſanguinis,
& aſſimilabilis nutrimenti jure potitur: bene ſe
habent ſingula: At ſemel ab Archeo repudia-
tus, mox quoque ut indolem exoticam: ita &
ſaporem aſſumi, dierumque agitatione, mali-
gnitatis gradus variat. Eſt nimirum iſtud acre,
amarum acerbumque, de quibus Senex per ſua
oracula quæritur, omnes propemodùm mor-

bos ſcaturire. Hoc enim, licet in quanto, puſillum
in pondere, leve, & viſu, vix perceptibile:
eſt vera tamen morbi occaſio. Morbus autem
penitius ſedet: nempe in initiis vitalibus, magiſque
activis, ac imperativis, quàm quæ excrementa
vocantur. Omnis namque morbus
ſeminalis, cauſaque occaſionali fotus, ut ab ente,
immediatè ſenſitivo, & concupiſcentiæ ſubjecto,
paſſionibus, perturbationibus, atque inordinationibus
pleno, incepit: ita quoque non
in alio ullo ſedet quàm in motuum omnium
fonte, principe, ac rectore. Senſim tamen non
unico malignitatis telo certat: quin contaminata
ſui mora, ipſam quoque oppleat partem, ſaltemque
vitæ continuitate ac communione orbet:
ſi inſuper ſuæ impreſſionis noxa, non gravet:
vel ſimilari in parte hauſto fermenti tabo,
83 extinctionem non minetur. Morbus ergo de
materia Archei incipit, quatenus per Ideam exoticam
in nos furit ex concepta injuria, quam
cauſas occaſionales feciſſe ſibi æſtimat. Actio
autem concomitans, reſultanſque ex efficientis
propria exorbitatione (ut Cephalalgia,
delirium, *&c.*) ſymptoma eſto. Quicquid verò
de morbo patratum manat, ſive ob dolorem;
ſpaſmum, partium regimen, vel actionem fermentalem;
ſi in ſui radice realiter id ſubſiſtat, eſt
84 id morbi productum. Productorum verò quædam
ſunt ultimati effectus, à morbo relicti, ut
ſcirrhus, vel Hydrops à febri. Vel in fieri eſſe,
proſiliunt. Vt mictio mucilaginis calculoſis.
Quæ nec propagationem alterius mali, ut nec
morboſæ materiæ, vel deinceps productorum
meditantur. Hæc iterum ſunt ſimilia ſuis patrantibus,
quippe quæ à fermenti contagio ulterius
ſerpunt: prout ſcabiei, lepræ, lui veneris,
&c. familiare eſt. Alia verò intrò progrediendo,
ſe penitus dilatant, generantque modo anomalo.
Vti Apnœa, convulſio, *&c.* ex utero,
ſtomachove. Sicque tormina ex acidis facta,
diarrhœam, hæmorrhoides, dyſenterias, aliaque
id genus mala, proferunt. Imò quieſcente
morborum ſemine, per intervalla, ex occulto
Archei ſeminario, aliquid inſuetum atque diſcontinuum
germinatur. Quale Caducus, Podagra,
85 Mania, *&c.* Profectò in his omnibus, eſt
manifeſtus Scholarum error, docentium totam
naturam regi à rectore, ſive intelligentia creata
non errante, noſcente omnes fines, & propter
hos, agente optimo modo. Siquidem indubium
eſt, quin vulnus poſſet ſolidari, abſque labiorum
tumore, dolore, pure, & inflammatione: quin
ſpina queat è digito, majori compendio excuti,
quàm quòd digitus proinde in purulentum apoſtema
ſurgeret. Nam leporis pinguedo uncta,
ſpinam una nocte extrahat, non deſunt Archeo
modi, quibus idipſum ſecurè, ac citò peragat
(prout in quibuſdam facit ſponte) niſi Archeus
noſter, quibuſlibet ſubjectus paſſionibus,
quaſi pueriles indignationes conciperet, de minima
corporis læſione. Nec mirum itaque, quod
ens naturæ ſublunaris, nullatenus juſtitiæ ſe ſubdens,
inordinatis paſſionibus ſuis ſuccumbat:
cum & totus homo, cui mens præſidet intellectualis,
juſtæ rationis orbitam in multis excedat.
Illud demum notabile, quod in artis operibus, 86
efficiens ſit ſemper extra: Illiuſque errore
deceptæ Scholæ, neſciverunt, in naturalibus
ac ſubſtantialibus generationibus, agens eſſe
internum. Idcirco enim naturalium cauſarum
catalogo, efficientem, ut externam relegarunt.
Imò neſcitum eſt, ambas naturalium connexas
cauſas (ut ſuo loco demonſtravi) non differre
ab ſuo effectu, niſi fluxus prioritate. Quæ res
decepit, quotquot per artificia naturam ſimilitudinariè
ſunt contemplati. Neque enim alibi
cœcutitum amplius, quàm dum iſtam ſuæ ſpeculationis
inconcinnitatem, in morbos introduxere.
Nam non ſolùm artificialia, ſeminalibus
fecere paria, theoricè: quin etiam conando ſanare,
totam medendi praxim, contrarietatibus
magna conſpurcarunt falſitatum confuſione.
Putatum eſt enim, producere & generare eſſe 87
prorſus eadem. Dum interim generans dicit,
aliquid de ſui ſubſtantia proferre: Producit verò
is, qui activa ſaltem copulat paſſivis, licet de
ſuo contribuat nihil. Facit etiam, qui quomodolibet
quicquam agit. Porrò ſæpe etiam admiror,
quod dum Scholæ ſanationis beneficium in ablatione
cauſarum conſtituant, quo pacto potuerint
Intemperies, intra morborum ſeriem collocare;
cum calidus, atque notiſſimus morborum
repente, atque ſua ſponte in frigus labatur,
& valeamus confeſtim caloris intemperantiam,
pro lubitu amoliri, abſque febrium ſublevamine.
Dein, cum cauſam vitalem, in morbis enormonticam, 88
nunquam ſuſceperint pro efficiente
morborum; Non niſi de cauſa occaſionali auferenda
ſtatuerunt. Nam Archeus, licet ſit vera
& immediata cauſa, tam ſecundùm materiam
(quam vitiatam, & de ſinu ſuo profert)
quàm etiam ſecundùm Ideam ſeminalem, atque
efficientem, tamen Archeus ſui ablationem
non indicat. Contra verò Scholæ agunt, dum
phlebotomo purgativis, omnique demum medio,
vitam muniente, ſuas moliuntur ſanationes.

89 Qua autem id baſi, ipſæ viderint. Porrò in morbis,
eſt natura ſtans, ſedens & jacens. Natura
ſtans, ſuis ipſamet medetur morbis, ſpontanea
bonitate: ut febres ſalubres. Itemque quartana,
quæ proprio naturæ ductu; non autem Scholarum
adminiculis ſanatur. Et natura ſtans, mox
quoque ambulare poteſt, quod ſolius eſt ſanitatis.
Sedens verò natura, etſi ſua ſponte ſtare, atque
tandem ambulare poſſit: ſurgere tamen cogitur,
antequam ſtet, atque ideo ſurgit difficilius.
Quòd ſi verò tentetur remediis inordinatis
ad ſurgendum, è ſede proſtratur, jacetque
humi, nec inde parum conquaſſata dolet, &
quandoque ex lapſu ſuccumbit. Imò etiam dum
multi, ne malè valeant, utuntur conſiliis, quæ
ſenectutem & mortem accelerant plerumque,
ac non rarò etiam privant vita. Aſt natura jacens,
nunquam ex ſe ſurgere poteſt. Vt lepra,
Caducus, Aſthma, Calculus, hydrops, &c. Nec
imò ſat eſt ſurgere: nam niſi nervi firmentur, facilè
90 recidivant. Porro Hippocrates Medicum
vult naturæ dumtaxat miniſtrum: naturas autem,
ſui ſolius medicatrices. Idque ſuo ſic ſeculo
juſſit. Alioqui naturæ jacentis eſt Medicus
patronus, atque herus. Qualem ſi Senex nondum
agnoverat: multò certè minus ſchola ethnica
poſtera, in hunc uſque diem. Poſtremò cadavera
diſſecantur, quod fit ad excuſandum excuſationes
in peccatis. Vix namque poſt mille
annorum Anatomen, moderni aut melius morbos
agnoſcunt, aut felicius abigunt. Gaudent
quidem imminentem in parte cujuſpiam corruptionis
notam offendiſſe, infida illorum ſubſidia,
impoſſibilitatis clypeo tegentem. Mundo
ſcilicet ſic imponitur alto ſupercilio. Nec enim
iſta corruptio ante biduum ibidem erat, etſi locus
doleret dudum ante: tantum abeſt, quod
medentem, tempeſtivè accerſitum, excuſet: quin
potius ejuſdem culpam pandat: qui ſcil. alligatum
excrementum opportunè diſcuſſiſſet. Nihil
enim partium continentium deſtruitur in
vivis, quin vitæ commercio prius ſit orbatum.
Quinetiam, nec poteſt vitæ balſamo dudum privari,
nec pars demortua multas exſpectat horas,
in corporis tepore, quæ non pariter feſtinanter
putreat, fœteat, atque totum in ſui conſpirationem
91 trahat. Liquet itaque inde, quod
corruptio, in diſſecto cadavere obvia, paucis ſit
horis antè facta, pauciſque ante obitum diebus
inceperit. Vomicæ enim, malignis conciliabulis
excitatæ in pulmone, morborum quidem
continet ſemina; at partium internarum mortificatio,
obitus diem non multis paſſibus anticipat.
Admirandum ſaltem unicè, Scholas 92
quidem agnoviſſe ſpermaticum alimentum, quo
immediatè nutrimur: utpote, quod in quatuor
humores partiuntur ſecundarios: neſciviſſe tamen,
eoſdem non rarò in via digeſtionum degeneres
fieri, atque multorum morborum occaſiones.
Verùm quod in vitiis cutis tantùm
hepar culpam luat immeritam, id ignorantiæ
plenum, ac commiſeratione dignum. Vnico
tandem adhuc argumento Chriſtianos medentes
alloquar. Nimirum fidei eſt: Quod Deus non 93
fecit mortem pro homine. Quia Adam ex creatione
erat immortalis, & morborum expers.
Nam de vita longa expoſui, quomodo morbus,
ac mors, ad eſum pomum, tanquam effectus ad
cauſam ſecundam, introierint in naturam. Itaq;
hoc loco commonefeciſſe ſat fuit: concupiſcentiam
carnis, à tranſgreſſione ortam, peperiſſeque
quoque carnem peccati; ac proinde naturam
corruptam, per concupiſcentiam, produxiſſe
morbum. Optarem itaque, ſcholæ aperiant
colligantiam & connexionem cauſalem, inter
vetitum pomum, & elementa, vel horum complexiones:
ſive interim ſpectentur tanquam
cauſæ morbiferæ; vel tanquam morbi ipſi. Doceant
nempe. Si corpus humanum, à prima ſui
creatione, conſtabat miſtione quatuor elementorum:
quomodo naturaliter ipſæ cauſæ ſecundæ,
ſive commiſta elementa, quæ nunquam alias
prœliatura fuiſſent, per ſolum pomi eſum, diſruptis
pacis vinculis, & naturæ humanæ repagulis,
demum hoſtilitates, omnemque tyrannidem
exercuerint. Quid inquam pomo commune intercedit
cum elementis conſtitutivis noſtri?
Quod ſi hoc miraculosè ac ſupernaturaliter factum,
quod peccati pœna, mors facta ſit. Ergo
Deus feciſſet mortem efficienter: homo tantùm
dediſſet occaſionem ad mortem. Sed hoc eſt
contra Textum: imò & contra rationem. Vtpote
mors, cum belluis facta eſt in initio, prout & hodie
cuique ſua obtingit, Id eſt, Curſu naturali,
nexuque cauſarum ad effectum. Neceſſe eſt ergo
juxta fidem, quod mors irrepſerit naturaliter
in naturam. Adeo ut homo factus fuerit mortalis,
per modum brutorum. Certum eſt namque
ad eſum pomi, introductam eſſe brutalem carnis
concupiſcentiam: nec aliam demum ſcientiam
boni & mali introductam legimus, ſub apertione
oculorum deſignatam, quàm quod ſcirent
ſe eſſe nudos, & ſuæ ipſos, tum primum puderet
nuditatis. Quocirca dudum obſtupui,
ſcholas præfatum textum examinaſſe nunquam,
ut habitudinem cauſæ morbificæ naturalem ad

effectum explorarent. In quocunque die comederitis de fructu vetito, morte moriemini. Quod non quidem ſumendum eſt, ac ſi Deus dixiſſet per modum minarum: Si comederitis de ligno vetito, ego vobis creabo aut faciam mortem,morbos,dolores, ærumnas, &c. in pœnam peccati. Sive per condignam maledictionem indignationis meæ, vos & poſteri veſtri moriemini. Iſta ejuſmodi interpretatio namque repugnat bonitati divinæ: quod pro peccato duorum parentum maledixiſſet æqualiter omnibus poſteris, irrevocabili maledictione ſuæ indignationis: qui poſt perpetratum peccatum & diluvium ipſum, benedixit promtè Noacho, per Creſcite & multiplicamini, *&c.* quapropter verba illa: Morti moriemini; admonitionem paternam continebant. Quod ſcilicet per eſum pomum contraherent omnimodam naturæ impuritatem, tanquam ex cauſa ſecunda, ſitam videlicet in concupiſcentia carnis peccati. Aſt cum ejuſmodi concupiſcentia nequaquam conſiſtat in qualitatibus elementalibus: ſat liquet etiam, quod morbus & mors non connectantur ut effectus elementis, horumque qualitatibus. Sed concupiſcentia carnis ut unicè Archeum infectabat: ita & eundem unicè quoque reſpiciebat. In Archeo igitur omnis morbus ſibi deinceps ſtabilivit, ac invenit hoſpitium unicum, & immediatum. Adeoque & hinc Archeus totus eſt factus irregularis, inordinatus, impetuoſus, & immorigerus. Quippe qui exinde ſibi fabrefecit imagines & ſigilla inordinata, cum deperditione propriæ ſuæ ſubſtantiæ, tanquam illius ſigilli ceræ. Imagines enim primùm quidem, mera entia mentis, incorporalia: ſed mox ubi in corpus Archei ſunt impreſſæ, corpus ejus ſibi induunt: fiuntque entia potentiſſima, ſeminalia, dominæ ſigillares, magiſtræ, & architectrices quarumcumque paſſionum, & inordinationum. Quod tractatu de morbis poſthac clariùs elucidabo. Tandem poterunt adverſarii objicere. Perinde fore, ſive morbus cenſeatur Diatheſis, intemperieſve primarum qualitatum, vel ametria humorum, vel demum ſive vocetur indiſpoſitio, vel confuſio: Itemque quale eſſe, ſive cauſa morbifica, vocetur occaſionalis, vel morborum cauſa materialis, interna atque conjuncta. Siquidem unica utrobique naturæ atque Medentum eſt intentio, circa ablationem illius materiæ, pro ſanitatis conſecutione. Itaque me non movere niſi inutilem rixam, de nomine. Reſpondeo negativè, & quidem, quia utrumque ſuppoſitorum eſt falſum. Nam quoad prius, id enim manifeſtum nedum continet elenchum non cauſæ ut cauſæ, & non entis pro ente. Verùm inſuper inde ſequitur clades, & nex mortalium. Nam eo ipſo, quo adhibetur remedium ad corrigendum intemperiem, diſcraſiæ, aut diſproportionis humorum (rerum quippe non exſiſtentium in natura) ſaltem inficiari nequeunt, nobis diſputationem eſſe de rebus: non autem de ſolo nomine. Vbi videlicet morbum pro cauſa, aut viciſſim accuſant, curant, aut ſanare ſuſcipiunt. Res inquam vanas nunquam poſſibiles attrectant, tanquam ſi coram eſſent. Dein & falſum obtrudunt. Quia ſcilicet nuſquam dixi, nudam confuſionem vel indiſpoſitionem Archei, eſſe morbum: ſed affirmo materiam immediatam ac internam morbi, deſumi ex mole ipſiuſmet Archei. Efficientem verò, impreſſam ideam ſeminalem voco, à perturbationibus Archei natam. Quod autem alterum ſuppoſitorum attingit. Procul quoque invicem diſtant, cauſa occaſionalis, ſive incitativa, à cauſa continente interna, ſive ipſo corpore morbi. Per exemplum: Adeſt cauſa occaſionalis intermittentium, extra paroxyſmum. Quod non eſſet, ſi cauſa occaſionalis eſſet ipſa febrium materia interna. Vidi nempe centenos aliquot curatos, à variis morbis, per appenſa quædam ſimplicia, citra ullam materiæ occaſionalis migrationem. Natura ſcilicet reliquum ſatagente. Tertiò, morborum acceſſus ſæpè terminantur, præſente atque permanente cauſa occaſionali. Id autem præſente continente, & interna morbi materia, eſt prorſus impoſſibile. Sunt demum morbi, quibus nulla eſt materia occaſionalis. Quibus tamen ſub periodum ſua excutitur materia connexa, velut ignis è ſilice: non habentes, inquam, aliam ſibi occaſionem præter impreſſiones ideales. Qualis eſt Podagra, Caducus, Mania, Aſthma, &c. Quorum ſcilicet perfecta ſanatio conſiſtit in characteris ſeminalis, & incorporei fermenti ablatione, non item in materiæ cujuſpiam ſequeſtratione. Sic namque odor aliquis per nares hauſtus, multos ſtrangulavit, abſque aporrhœa materiali ad uterum miſſa. Vtut ergo luctentur mecum, deprehendent, ſecumque fatebuntur, antehac neminem ad morborum cognitionem perveniſſe: cœcutitumque hactenus in ſanando. Sit veritati venia. Sat fuit ergo mihi, demonſtraſſe morbos in nos ſuum ducere exercitum, per ignorata ſeminaria, & initia inviſibilia, juxta illud antiquum: Quod omnis directio ſublunalunarium dependeat à mundo inviſibili. Hinc factum eſt, quod tametſi ſub incertis tentaminum curis ſæpe ſiluerint morbi, atque eſſe prorſus deſierint: hactenus tamen nil actum ex præcognitione mediorum, ac finium, in morbis ſtantis, aut ſedentis naturæ. Quia & perſæpe ſua ſponte atque ultro ad terminum metæ decurrunt. At in morbis jacentis naturæ, nil præter deſperationes incurabilium miſerorumque ejulatus, auditum hactenus. Quæ igitur de natura morbi prælibata ſunt, prolegomena eſto ad illa, quæ de morbis mox dicenda reſtant. Vbi ex profeſſo morborum omnium cauſas in puncto unitatis attingam. Obiter hic tantùm propinans, in naturam depravatam atque impuram, eodem nunc planè modo morbos defluere, quo olim primùm inceperunt fabricari, atque manare. 95 Atque iſtud ſcholæ non inficiabuntur, ethnicos latuiſſe, ac ſequaces illorum. Poſtremò, nuper ad nos venerunt morbi novi, & antiqui, deinceps vix amplius reſpondent ad nomina, & deſcriptiones Avorum. Quia ſigna & proprietates alienas induerunt, quibus larvati incedunt, ac medentibus, ſub antiquorum præcepto imponunt. Conjicio enim inde ſummam fere morborum perniciem futuram: atque adeo & hinc tanto propinquiorem fore Dei miſericordiam mortalibus. Placuit nempe Altiſſimo, Paracelſum tranſacto miſiſſe ſeculo, qui medicaminum altiores præparationes, quantum licuit, mundo proponeret. Hodie verò deinde, etiam morborum cognitionem aperire dignatus. Quapropter propediem exſpecto venturum alium, cujus non ſum dignus eſſe diſcipulus. Neque enim ideo ejuſdem adventum me exſpectare permiſit Altiſſimus, qui me ejus ebuccinatorem præmiſit. Siquidem penes ipſum omnis ex æquo morbus ſua inveniet remedia ſub unitatis tono: cum intuitiva morborum ac remediorum ſcientia. Rogo Deum ter optimum maximum, ut eundem præſervet ab arrogantiæ vanitate, & morte repentina, ab oſoribus minitata.

IGNOTVS HYDROPS.

1. TAndem oſtendit Author eandem inſcitiam Hydropis eſſe, quæ aliorum. 2. Diſtinctiones nominum Scholis uſitatorum. 3. Primùm circa cauſarum occaſionalium differentiam cum Scholis luctandum. 4. Damnoſa ignorantia Laticis. 5. Error Scholarum digito monſtratur. 6. Crudele remedium. 7. Opinio ridicula. 8. Comitantia abſurda aliquot. 9. Hiſtoria. 10. Anatomes abſurda. 11. Hiſtoriæ aliquot notabiles. 12. Examinatur radix graminis. 13. Titubatio Scholarum ut labantur. 14. Octodecim argumentis reſpondet Author. 15. Ruminatur cauſa occaſionalis. 16. Probatur cauſa occaſionalis. 17. Notatur Paracelſus. 18. Remedium è Mercurio ſecuriſſimum à Paracelſo deſcriptum. 19. Notabilia aliquot. 20. Deſcribitur Hydrops per cauſas, perque novendecim theſes. 21. Objectio Paracelſi refutatur. 22. Virulentus furor Archei renum. 23. Salvatur axioma. 24. Incuria Scholarum admiranda. 25. Author indagat quædam occulta. 26. Examen rei, quæ Matheſi repugnare videtur. 27. Laticis diſcrimen ab urina. 28. Neglectus uſus renum peperit Hydropis inſcitiam. 29. Quæſtionis novæ dilucidatio. 30. Furor renum, cauſa Hydropis efficiens. 31. Modus fiendi in Hydrope. 32. Probatur, per ſanationem ſpontaneam. 33. Quid efficiat abſtinentia potus in Hydrope. 34. Sitis nullatenus exſiccat hydropem. 35. Quomodo abſtinentia potus ſanaverit Hydropem. 36. Omnis ſitis oritur à rene: non autem ab hepate, ut ab exilibus venis juxta Scholas. 37. Ignorantia cauſarum, Hydropem neglectum reddidit. 38. Vanitas Hydrogogorum. 39. Remedium Hydropis. 40. Notabile de bryonia. 41. Regimen renum hactenus ſtetiſſe ignotum. 42. Definitio Hydropis per cauſas & modum fiendi. 43. Tympaniæ examen. 44. Hiſtoria probavit ad nares, quæ dicta ſunt. 45. Vanitas carminantium. 46. Cur Paracelſus fimos ſuadeat. 47. Commendatur Mercurius. 48. Hydrops ſpurius & novus. 49. Præcipioli præparatio, & Arcanorum Hydropis remediorum. 50. Arcana univerſalia, & pacifica, potentius adhuc operantur.

1 DE febribus tractatum dedi. Cumque non rarus Hydrops ſit malignarum febrium metamorphoſis, viſum mihi erat, tractatum Hydropis febribus ſubnectere. Tamen dein, cum cernerem, Hydropem ſolvi per renes, dubitavi, an potius poſt tractatum de Lithiaſi conſiderandus Hydrops eſſet: An verò per modum exempli, ſubjungerem tractatui de morbis. Siquidem ſi defectu lotii tumeat venter, itaque ad oblivionem renum, referendus Hydrops videbatur. Sed Calculus expulit tractatum Hydropis: ſingularem ergo ſibi fecit. At minùs de ordine ero ſolicitus, modò propoſitus mihi ſcopus ſanationis, cum fructu attingatur. Palam feci neſciri cauſas febrium, Lithiaſis, Apoplexiæ, Paralyſis,

Lethargi, Lepræ, Spaſmi, Peſtis, Icteri, Colicæ,
Diarrhœæ, ſimiliumque aliorum. Tum deni-
que jam abſolvi demonſtrare, eandem inſcitiam
circa morbi cognitionem in univerſali. Nunc
porrò idem circa Hydropem velut plurium
morborum hæredem contingere, oſtendam.
In ſcholis triplex obſervatur Hydrops, Anaſar-
ca nimirum, Aqua intercus, quamque Leuco-
phlegmatiam dicunt, quaſi è pituita oriundam,
eamque plerumque cum œdemate topico con-
fundunt. Aſcites dein ſequitur, qui proprii eſt
etymi Hydrops, in ventre, & cruribus ſubinde
manifeſtus. Atque tertius eſt Tympanias, ſive
ventoſus Hydrops, ſolo ventre concluſus. Quia
ſcilicet ex flatu ſolitario, vel pauculæ ſeroſitati
miſto, utque non ſecus atque aqua, abdomen
diſtendat, atque tandem miſerè præfocando
2 trucidet. Rarior atrociorque eſt Tympanites
Aſcite, facileque ab initio, ab Aſcite diſtingui-
tur. Quod patiens, in latus revolutus, non ſen-
tiat aquam fluctitare, pro ut alioquin id in Aſcite
eſt manifeſtum. Enimvero Authores vix diſtin-
guunt Anaſarcam ab Aſcite, cauſis vel loco, præ-
cipuè dum hic incipit circa malleolos, eodem
cum Anaſarca, & œdemate, ſeminario loco.
Quæ ſi altius in ventrem ſubeant, tum Aſcitem
nominant, ceſſante œdematis & Anaſarcæ ap-
pellatione: Sicque ſolus gradus ſpeciem morbi
in ſcholis variat. Sin verò totus habitus, velut
ſumto veneno, turgidus appareat, ſtatim pitui-
tam crimen feciſſe putant, & Leucophlegma-
tiam dicunt. Quare Aqua intercus, ſolo videtur
gradu ab Aſcite iterum diſtingui, ideoque am-
3 borum unicum fontem hepar accuſarunt. Cum
ſcholis ergo loquar de cauſis occaſionalibus:
quippe cum ignorantia cauſæ efficientis imme-
diatæ, hactenus Hydropem ignotum fecerit in
nobis hoſpitem. At nunquam potui capere,
quod jecur cauſa foret Hydropis, ſi totus Hy-
drops ſolvatur per urinam: adeoque non pec-
cat hepar, generando urinam (quippe quæ eſt
conſtitutionis naturæ noſtræ productum natu-
rale) quantum renes peccant, non emulgendo
eam. Quapropter vitium potius in Rene mihi
ſubſiſtere viſum, quàm in hepate. Adeoque to-
tus vel ab initio ſcholis deficio, in ſeminario,
atque fonte Hydropis. Nam quod pituitam in
Anaſarca, Leucophlegmatia, œdemate, & caco-
chymia culpent, non videtur id Aſcitem tan-
gere, quem ex accumulata urina, vel ſanguinis
quodam ſero, naſci putant. Cum revera totis
principiis urinam (quam ſerum cruoris quoque
indigetant) à pituita, plenis buccis diſtinguant.
Dum ſcilicet urina, ſui origine excrementum
ſit: pituita verò dicatur cruor, nondum ad ma-
turitatem coctus. Hæc enim ideo in cruore per
totum natat (ſic enim jubent) hujuſque pars in-
tegralis eſt. Vbi interim urina, ſeroſus latex, &
excrementum, nunquam nutritioni aptum aut
dedicatum fuit. Non eſt enim jocandum in
principiis Medicinæ, in regulis, in cauſis mor-
borum. Siquidem de pelle humana, de everten-
dis familiis, imò & de damnatione animarum,
agitur ſeriò. Non eſt enim perinde, Hydrops
ex pituita, vel ex urinali liquore pendet, & utro-
bique vitium unius hepatis accuſaſſe. Segniter
enim atque cæſpitanter progreſſum, in mor-
borum indagationibus, dum unius hepatis in-
temperiei, fortè ducentos morbos referunt.
Interim oblitæ modi fiendi, & mittendæ pitui- 4
tæ, aut lotii ad abdomen, & non alio peregrè.
Autumarunt itaque aquam Hydropis eſſe me-
ram urinam, vel metamorphoſim pituitæ, inau-
dito hactenus modo, liquatæ in urinam. At ſal-
tem laticem ignorarunt, inter principia Phyſio-
logica, ab urina diſtinctum. Perinde enim ut
cibus ſtercus non eſt, licet hoc ex cibo poſtmo-
dùm fiat. Ita nec latex urina eſt. Porrò, Hy- 5
dropem univerſaliter tantùm ex errore jecoris
oriri, ſic in confeſſo eſt, quod cum quondam
ſcripta conſultatione cenſuiſſem Comitem De-
ſtaires ſive Stegrium, laborare Hydrope pulmo-
nis, à ſiniſtro mediaſtino, in tumidum brachium
diſtento. Archiatri paradoxum hoc meum ca-
chinno exploſerunt, quod ſedem Hydropis
extra jecur quærerem. Attamen cum à morte
pectus ejus aperiretur, fortè binæ ſitulæ aquæ
profluxere, quæ inter ſiniſtrum mediaſtinum,
& thoracem, in brachium & digitos excurre-
rat. Anaſarca ergo, cum eſſet velut minor ac
incipiens Hydrops, per aperitiva in jecur dilata
eſt. Itemque reſiduum, album phlegma, cru- 6
diorem cruorem, urinam, & ſerum hydropi-
cum (quatuor iſta confundunt hoc loco, unica
à potu abſtinentia capitali remedio, exſiccatum
iri ſperant. Veſpere enim cernunt tibias tumi- 7
das, mane, graciles concidiſſe. Ajunt ergo, cruo-
rem dormiendo concoctum, abſumtum autem,
vel conſumtum dein in alimoniam, nec audent
aſſerere, nec dicunt quò abierit. Neque etiam
auſint dicere, tam parvo corporis, & duratio-
nis ſpatio, tantundem pituitæ in cruorem ver-
ſæ, per inſenſilem cutis tranſpirationem, è ti-
biis abactum, ſi non pari proportione, unius
ac ſingulæ noctis, & totius corporis, duas ſitu-
las cruoris conſumtas indies adſtruxerint. Adi-
gun-

guntur ergo fingere, cruorem crudiorem, ſive
phlegma, jam ſemel in habitu tibiarum extra-
venatum, circa malleolos recoqui in probum
cruorem, extra officinam ſanguificationis, at-
que jecoris dominium. Id eſt, Exotico agente,
atque organo inidoneo, ſemel extravenatum
coctumque cruorem demum recipi in gra-
tiam, retrogradi inſpirato motu in venarum
oſcula, & muniis vitalibus parem aſciri. Sed
quorſum tantum operæ inſumunt, in exſiccan-
da Hydropiſi, ut vix poſſibilem unius anni ab-
ſtinentiam à liquidis imperent. Si Hydrops u-
nius digeſtionis hepaticæ ſit vitium? Cur inter
morbos, humiditate ſola peccantes, referunt,
quod digeſtioni ſemiplenæ adnumerandum
9 erat? De jecore enim primùm diſputabo, ac ſub
eodem parergo, cauſam occaſionalem Hydro-
pis detegam. Vidi ſimplex quoddam inſipidum
(nec ullatenus manifeſtandum) à Medente ex-
hibitum in ſuſpicione calculi renum, ſuſpen-
diſſe urinam per octiduum, & uſque in mortem,
quæ mox ante obitum ſolveretur, atque tum
ſtragula permejeret. Aliud ſimile morbus pepe-
rit. Siquidem nec in uretere, aut veſica, ullum
obſtaculum apparuit à diſſectione. Habebat
autem Renem ſiniſtrum triangularem, ab o-
mni obſtructione & calculo indemnem. Dexter
verò Ren, illi planè erat monſtruoſus, & vix a-
vellanæ magnitudinis. Non impedito ergo Re-
ne ſiniſtro minxerat 76 annos. Itaque inſons
hepar eſſe in Hydrope, meas experientias nar-
10 rabo. Quia enim ſcholarum placita, minùs mi-
hi ſatisfacerent in Hydrope: idcirco ſoleo, ad-
huc juvenis, etiam non vocatus, accurrere ad
hydropicorum diſſectiones, ut Hydropis nata-
litia examinarem. Cogitabam enim. Quor-
ſum jam à bis mille annis Anatome, ſi hodie
non ſit felicior Hydropis ſanatio, quàm olim?
Quare enim cadaverum laniones ſimus, ſi à ve-
terum erroribus non diſcamus? ſi non emen-
demus præterita? Cum præjudicato enim ad
Anatomen confugimus, loculoſque hæredum
emungimus, ſi cauſas mortis non inſpicimus,
ut ſanationes diſcamus. Siquidem diſſectio nil
prodeſt mortuo. Hæredes quoque non expen-
dunt pecunias, ut mortuo per Anatomen me-
deantur; multoque minùs, ut eundem vulne-
rent, ne fortè reſurgat. Nec etiam ut ſanare
alios diſcant, qui mederi nolunt. At ſolùm pro
medente aperitur cadaver, utque addiſcat, hæ-
res didactron ſolvit. *Sic vos non vobis fertis
aratra boves*. Medentes autem cum vix am-
plius diſcere ſperent, adſtant, nares obtundunt,
ſperantque hæredum expenſis, plerumque ne-
cis notam evadere. Iuriſperitus, poſt diuturna 11
tormina, obiit Hydropicus. In diſſectione verò
vidimus ejus hepar, abſque labe. Anglus mihi
vicinus, eſu porcelli aſſi ſatur, in diuturnam di-
arrhœam, mox dein lapſus in Hydropem, obiit,
diſſectuſque, viſum ejus hepar innocuum. Huc
ſpectat etiam tragœdia Comitis Stegrii. In Au-
tumno anni 1605 ex Anglia Antverpiam re-
diens, reperi aliquot centenos, poſt malignam
atque popularem febrim, Hydropicos: multos
ſanavi, multique ſub infauſtis aliorum tentami-
nibus interim perierunt. Populus autem iſte
perſuaſum ſibi habet, niſi omnis aqua è cada-
vere hauriatur, in proximum hæredem, hydro-
pem migraturum: adeoque ſoliciti ſunt, de
diſſectione. Et certò affirmo, quod neminis he-
par labefactatum reperirem. Civis quidam, du-
dum inter nothas coſtas doluit, nec citra dolo-
rem reſpirabat, tentatis medentum conjecturis
tandem Hydropicus obiit: jecur autem abſ-
que noxa viſum fuit. Fiſcalis Brabantiæ, à mi-
ctu cruoris repentino, dudum per medicos agi-
tatus fruſtra, ideoque ad fontes ſpadanos à ſuis
oblegatus, rediens, cœpit duritiem ſiniſtro ab-
dominis latere ſubter coſtas oſtendere, tumuit-
que inde tibia illius lateris. Archiatri verò, at-
que Lovanienſes, etſi urinam illius ſanis ſimi-
lem cernerent, indicarentque inde ejus hepar
inſons: non deſtiterunt tamen, à continuo uſu
ſolutivorum, deoppilantium & diureticorum:
imò chalybem contra hepatis obſtructiones,
diverſimodè larvatum, propinarunt, tandem-
que immenſo abdomine, Hydrope periit. Nec
enim ſe tardè vocatos dicere, excuſationi lo-
cus, qui ab hora cruentæ mictionis adfuerunt.
Diſſecto autem ejus cadavere, fuit hepar in-
ventum inſons: ſed Ren ſiniſter grumo cruo-
ris extravenati (qualis farcimini elixato ineſt)
intumuerat, & juſto major. Tribunus mili-
tum, à dyſenteria tandem pacata, hydrope ex-
tinctus, cujus hepar tamen abſque labe, utut
ſcholæ ringantur. Mercator quidem quadrime-
ſtri Colica, lecto affixus, in Hydropem incidit;
diſſectus verò, jecur citra culpam habuit. Sexa-
genaria, noctu audiens fures ad cancellos, ſur-
genſque, ventrem ſupra os pectinis, in angulum
menſæ impegit. Primùm enim doluit, dein
menſtruum erupit (ut putabat) quod etſi pau-
cum, non ſtetit tamen, niſi ortu Hydropis, & in
tympani majoris molem excrevit. Diſſecta au-
tem, hepar incontaminatum præbuit. Alia anus,
crudeliore marito vexata, poſt inordinatum

menſtruum, periit Hydropica, ac hepar incul-
patum oſtendit. Ancilla quædam lotas telas,
ſupra ſtaturam altius ſuſpendens, lapſa in ute-
ri profluvium, tandem hydrope obiit, nec reum
hepar ſpectantibus obtulit. Sacellanus Bruxel-
lenſis ætatis 31 annorum, conqueritur apud
me de anguſtia anhelitus: tibias oſtendit in-
flatas, & ventrem tumidum. Dicitque ſibi
ſcrotum ad capitis magnitudinem tumidum.
Videbam enim, quod vultum punctis rubeis
velut vibicibus maculatum haberet. Miſſam
adhuc celebrabat, cum difficultate tamen: mox
triduo abinde repente moritur. Diſſectus au-
tem, venter repertus abſque aqua. In pecto-
re verò multus cruor illum præfocaverat. Ad-
eoque venula diſrupta anhelitum difficilem fe-
cerat, ſimulque Hydropem mentiebatur Vbi
autem ruptura venæ, lacera magis, cruorem
profudiſſet, virum ſuffocavit. Hydropicus
quidam & unicus mihi viſus, bullam nigram
& fœtidam in cavo hepatis oſtendit. Barth. Ca-
brollius Anatomicus Montiſpeſſ. ſe plurimos
ſanaſſe hydropicos ait, per paracentheſim in
ipſo umbilico prominente, idque in utroque
ſexu. At ſanè, ſi error in jecore eſſet, non poſ-
ſet cum aqua per umbilicum emanaſſe. Vel
jecur mortaliter contaminatum, reſtitutio-
nem admitteret. Quod ſcholæ non admittent.
Quapropter memini, me ſupra bis mille Hy-
dropicos, etiam quorum lotium jam è cruen-
to nigricaret, & tota nocte vix cochlear unum
minxerant, in priſtinam ſanitatem reſtituiſſe,
quorum hepar, ſi vel mediocrem (& non mor-
talem) culpam habuiſſet, fateor non illos ſa-
naſſem. Vidi quoque vulnerato inſigniter he-
pate, evaſiſſe, qui quanquam deinceps aëris
procellas præſentirent, non tamen Hydro-
pem. Vidi inſuper, quibus lenta febris ulti-
mum diem clauſerat, in quorum hepate la-
pilli ſuccreverant, non tamen Hydropem mon-
12 ſtraverant. Boum hepati familiare, ſcatere la-
pillis, licet continuo paſcantur gramine. Vn-
dè ſaltem didici, radices graminis nequa-
quam tollere obſtructiones hepatis. Dicent
13 ſcholæ ad hæc. Non fit ſanè Hydrops ex viſi-
bili hepatis corruptione, vel obſtructione; ut
neque ex ſale ficti Iameni aluminis (ut alioqui
viſum fuit Paracelſo) ſed à mera ejus intem-
perie frigida & humida. Sic nempe largum
cruoris profluvium, quia adducit intempe-
14 riem præfatam, Hydropem cauſat. Atqui hic
totus garritus, aniles fabulæ, & inanes fiſtu-
læ. Nam inprimis miſtionum ac temperierum
nullitates ſat demonſtravi, non amplius repe-
tendas. 2. Plures vidi, quibus tabes omnem
cruorem evulſerat, ſic ut vix binæ unciæ ſu-
pereſſent, evulſis corde, pulmone, & hepate:
hepar autem ſubflavi caloris, quia exſangue
erat. His tamen nulla intemperies frigida &
humida, ut neque fictæ matris ſuppoſitus filius
Hydrops. 3. Si multa Hæmorrhagia genera-
ret intemperiem frigidam & humidam, id ſa-
nè non aſſerunt ſcholæ fieri, niſi ob ablatio-
nem ſpiritus vitalis, qui ſolus cauſa eſt caloris
noſtri. Cujus autem defectus, cum includat
privationem, non poteſt inducere ens poſiti-
vum, quale eſſet intemperies frigida & humi-
da, & Hydrops. 4. Itemque cum velint contra-
ria ſub eodem genere; non poteſt calor vitalis
(quem volunt reſpondere elemento ſtellarum)
habere frigus elementale ſibi contrarium. 5. In-
ſignis hæmorrhagia neceſſariò facit frigus. Id-
eoque ſi frigida intemperies, orta ab hæmor-
rhagia, eſſet neceſſaria mater Hydropis, ad
quamlibet inſignem hæmorrhagiam neceſſa-
riò adeſſet Hydrops: ſed conſequens eſt fal-
ſum: ergo & Antecedens. 6. Quinetiam, cum
frigus ex hæmorrhagia ſit univerſale, non eſt
ratio, cur potius abdomen, quàm pectus, aqua
oneretur, quorſum nempè continuus aër in-
ſpiratus frigus auget. 7. Si Hydrops, filius il-
lius intemperiei in hepate; unde ergo ſitis in-
ceſſata? 8. Si expulſio aquæ in abdomen, ſit
actio intemperati jecoris; cur ſua non utitur
hepar expulſiva eadem, dum venæ lotio tur-
gent, intercluſæ per exitialem calculum? 9. I-
tem cruor hydropicorum, prout & urina, eſ-
ſent valde aquoſa, ſi Hydrops frigidæ intem-
periei jecoris eſſet. Non autem eſſet urina adeo
ſubrubens & cruenta. 10. Denique, inter Hy-
dropem, & frigidam intemperiem, ab hæmor-
rhagia ortam, intercederet neceſſariò cauſa po-
ſitiva, tertia à frigore: quam ſcholæ hactenus
nominant, quia non entis nulla eſt indagatio.
11. Neque etiam ejuſmodi intemperies, cum
aqua ſalſa in abdomine, pariunt ſitim. Cum
non ſitiant qui urinam ſalſam per omnes venas
confertim detinent, in calculo utrimque renes
obturante. 12. Si Hydrops ab intemperie fri-
gida: nunquam ergo à febri, aut torminibus
exſpectandus eſſet Hydrops, ſi cauſarum non
ſit inuſta confuſio. Fruſtraque ad intemperiem
frigidam pro Hydrope confugiunt, qui à cau-
ſis etiam oppoſitis veniret æqualiter. 13. Omnis
ſenex & decrepitus, jam neceſſitatem Hydro-
pis foveret. 14. Intemperies frigida, cum

ſimilis ſit in radice, morti, extinctioni, ſenio, at-
que privationi, Hydrops omnis contineret ne-
ceſſariam ſanitatis deſperationem ; non ſecus,
atque ejuſmodi intemperies reſtaurationem ne-
gat. 15. Si jecur eſt jecur, & non pulmo, ob
ſui elementalem contemperationem (ut ajunt
ſcholæ) adeoque ex unico ſemine, confuſa ele-
menta ſingula vadant, vagenturque hinc inde,
ut deſtinatorum organorum ſint conſtitutiva !
ergo jecur recedente ſua naturali temperie, de-
ſinet eſſe jecur, eritque Ren, pulmo, aut lien. 16.
Saltem membrum paralyſi ictum, non abſume-
retur , ſed Hydrope quadantenus turgidum
eſſet. 17. Tandem, ſi cruor reſolvatur in qua-
tuor, aut tres humores iterum , undè vel natu-
raliter componitur, vel inſunt appoſiti, & com-
miſti, in cruoris ſubjecto : nunquam cruor po-
terit in aquam hydropicam mutari. Cum hæc
non ſit humor aliquis, ex conſtitutivis cruo-
ris. Vidi tamen ruſticum , cui omnis aqua 12.
horarum ſpatio per Circumforaneum ademta
erat ; irriſit enim me, mihi factus obvius : ſed
ſequenti mane , priſtina ventris mole turgidus,
extinctus eſt. Non enim ſenſim ſuccrevit Hy-
drops , prout initio ſui creverat : ſed ſtatim ad
extremam tenſionem properavit , atque deve-
nit. Obſervavi enim , quod caro ejus atque
cruor, liquata in aquam , ad abdomen ſeceſſum
feciſſent. Nam unica illa die , in extremam
maciem devenerat. Ergo caro & cruor jam in
humorem hydropicum , ſive quintum, migra-
bunt, per intemperiem jecoris frigidam. Con-
donarem fortaſſis, quod jecur refrigeratum de-
inceps frigidiorem cruorem (orbatus enim ſpi-
ritu vitali, omnis naturaliter cruor friget , quia
cadaver eſt) generet: ſed quod carnes, in aquam
hydropicam , hepar frigidius liquet , Id nulla
ratione ſtabiliri poteſt. 18. Scholæ negare ne-
queunt, quin Hydrops quandoque ſolvatur per
renes : atqui nulla eſt ratio, cur renes tam perti-
naciter in mortem uſque ſe claudant, quia jecur
juſto frigidius eſſet. Hæc argumenta, intempe-
ratis frigore humoriſtis, adhuc modò ſufficiant,
ut ſalvetur jecur à peccato lethali. Nunc ali-
15 qua de cauſa occaſionali ſuperaddam ; Reſu-
mam ergo factum noſtri fiſcalis , qui nil præter
extravenatum, atque induratum, in Rene cruo-
rem , in diſſectione exhibuit memorabile , Hy-
dropis , & mortis cauſam occaſionalem. Dum
tamen calculus, Renem confertim opplens, non
pariat Hydropem, imò etſi totus Ren occalue-
rit lapillis, ac præter pellem, nil parenchymatis
reſervarit. Ergo obſtructio Renis ut talis , non
eſt cauſa occaſionalis Hydropis : ſed cruor ex-
travenatus. Sic namque Sexagenaria, ad men-
ſæ angulum colliſa, Hydropem contraxit. Sic
vulnerati in abdomine , & malè ſanati , hydro-
pici fiunt. Sic cruor extravenatus, menyngi
incumbens , vultum hydrope tumidum mox
reddit. Sic tandem ingentia tormina cruorem
extra venas profundunt , in ſpatium convexo
inteſtino conterminum. Sic dyſenterici, ſicque 16
potatores, Hydropem induunt, quatenus aliquid
cruoris in convexo inteſtini accumulatur. Hoc
autem didici in cranei fractura, inque Hydrope
pulmonis. Illic enim reſtitans cruor , totum
caput & vultum velut Hydrope inflat. Heic
verò , circa ductum venæ arterialis conſtitiſſe
cruorem animadverti. Nec enim forma puris,
cruor degenerat , niſi in cavitate carnis coctus :
extra carnem verò in loco libero , cruor ſtatim
grumeſcit , mox dein aridior factus induratur,
fermentumque virulentum ſtatim concipit, un-
dè Archeus Hydropem ſuſcitat. Docuit me
nimirum noſter fiſcalis , quod cruor extravena-
tus, & grumefactus , faciat hydropem ventris ;
atque inſuper , quod Ren ſit adæquatus artifex,
patrator , exſecutor , & arbiter veri hydropis.
Confirmavit id mihi quod ſubter hydropem,
Ren vix lotium faciat : & viciſſim quod excita-
to Rene , ad reddendum lotium , ipſe è ventro
totum depleat Hydropem. Quapropter & a-
quam in abdomen relatam , Rene arbitro. Va- 17
num ideo eſt Paracelſi commentum, quod ſtel-
la zedo, unicus ac ſingularis ſit architectus hy-
dropis. Cauſa enim in noſtris penetralibus eſt,
ac ipſis vitæ initiis , non autem tam procul pe-
tenda, & medenda eſt. Non eſt enim Hydrops,
ſtellarum opificium, neque ſtellarum iſta eſt de-
ſtinatio. Nec refert , etſi Mercurius , ſeparatus 18
mortuus à ſua vena , verè & perfectè curet tri-
plicem hydropem. Mercurius enim , nomen
analogon eſt fictumque , nec ſtellam deſignat :
ſed metallum currens. Quid enim nomen me-
taphoricè fictum, ad fictum zedonis aſtrum atti-
net? Mercurius enim metallicus, nec aſtrum eſt,
nec ſtellam necat, nec ejus operationem impe-
dit, nec ſtellæ nobiſcum conjunctionem (ſi qua
eſſet) disligat. Stellæ enim meteororum occa-
ſiones ſunt : morborum verò , dumtaxat occa-
ſiones per accidens. Primariæ enim ſunt cauſæ
temporum , & Blas meteori : ſecundariò verò
atque per accidens corpora noſtra exagitant,
morbos cieunt, vel maturant occaſionalem ma-
teriam. Cauſæ autem per accidens , non ſpe-
ctant ſanationes : ſed præcautiones , potiſſi-

mum ubi cauſæ per ſe penes nos operantur,
proprio ſeminum ſuorum motu, ac deſtinatio-
19 ne. Enimverò Ren ſiniſter fiſci, cruore aridio-
re conſtipatur : ſiniſtra pars abdominis tendi-
tur, & indureſcit ſtatim, ſoſpite dextera. Tumet
quoque ſtatim crus, & femur deinde, ſiniſtro
latere : Ideoque ventris tenſio, non ob aquæ
quantitatem ſolùm : ſed ab ipſo morbo mem-
branæ tenduntur, non ſecus atque arteria, ſub
pulſu duro. Tenduntur autem & contrahun-
tur membranæ, etiam ante copioſam aquam, ab
eodem opifice, qui Hydropem gignit. Contra-
hit nimirum omnes membranæ poros, ne ven-
tum vel liquorem tranſmittant. Cum alioquin
in vivis (id eſt, ſanis) corpus ſit totum perſpira-
bile, & conſpirabile. Fiſcus ergo, primùm pa-
rùm mejit, mox ſenſim Hydrops ingruit, inci-
pitque illi à latere ſiniſtro. Ideoque ſtatim ab
initio crus ſiniſtrum ab œdemate obſidetur, at-
que dein totum tumeſcit. Sed cur dexter Ren
lotium non trahit, non tranſmittit, quod aliàs
Rene uno, per Lithiaſim obſeſſo, accidit? Du-
plex enim propterea Ren à natura, & ſimplex
eſt Lien. Vt unus alteri ſubveniat in ſuis mole-
ſtiis, & excrementi proſcriptionibus. Imò &
hinc ſat conſtat, lienem non eſſe cloacam, nec
emunctorium. Ergo in cruore extravenato,
detento, & condenſato, eſt fermentum excita-
tivum, quale calculo deeſt. Dicam ergo totam
rei ſeriem, quatenus me mea obſervatio docuit.
20 Latex enim, ſcholis ignotus, quamdiu cum cru-
ore in venis vel ad glandulas fertur, communi
vita potitur, nec regulis hydraulicis paret. Sur-
ſum verò atque deorſum neſcit : quia non ha-
bet. Aſt extra vitæ conſortium ſemel rejectus,
jam excrementi naturam ſubit, deorſumque
properat, proprio gravatus pondere. Vilis ita-
que pretii latex eſt. Ideoque quoties unum-
quodque viſcus malè afficitur, ſtatim laticem
negligit, eumque à cruoris ſui conſortio exclu-
dit : ſatiſque ſibi negotii, in ſui tutelam reperit
domi. Ergo latex ſemel alibi repudiatus, vitæ-
que ſodalitio ſpoliatus, excrementi ſtatim in-
dolem ſuſcipit : quia ſuam, ſibique nativam.
1. Hæc eſt cauſa Anaſarcæ. Vel, præciſè loquen-
do, Aqua non eſt Hydrops, ut neque ipſa Ana-
ſarca : Nec ventus eſt ipſe Tympanites : ſed A-
qua in abdomine, & latex in Anaſarca, ſunt pro-
ducta Hydropis. Vt ventus in Tympania. Hy-
drops ſanè interiore contubernio hoſpes reci-
pitur, magiſque nobis intimus eſt, qui vitalia
principia, facultateſque vitæ aggreditur, ante
natam aquam : adeoque omnis morbus per
cauſas occaſionales, immediatè vitalia alloqui-
tur initia, in quibus tandem materiam & effi-
ciens invenit. 2. Notavi dein, quandoquidem
omnibus univerſim hydropicis pauca ſit, & ſa-
turati coloris urina, quod latex eſſet materia, ut
urinæ, ita & hydropis: nec enim formaliter uri-
na; ſed hujus materia, antequam inde lotium,
per aliorum commiſtionem, & fermenti urina-
lis ſuſceptionem fieret. 3. Intelligo autem in
Hydrope triplicem materiam. Primam nempe
occaſionalem, qualem dixi cruorem extrave-
natum. Alteram deinde, quæ eſt ipſa aqua, ipſe-
que latex in abdomine. Qui eſt productum
quoddam. Et tertia demum materia habet ſuum
internum efficientem, in internis vitalibus prin-
cipiis Archei Renum, ortum. 4. Sicuti defi-
ciente potu, nihilominus adhuc Renes urinam
cruoris eliciunt, licet parcam. 5. Ita & in Hy-
drope, urina eſt cruoris, non potus, non laticis.
Renes actualiter Hydropem concipiunt, fabri-
cant, & continent. Abdomen verò, per actio-
nem regiminis renum, diverſorium præbet, &
Ren laticem, tanquam ſcenæ productum, eò
mittit. Non enim, quatenus per aliud viſcus, la-
tex furtim abripiatur : ſed ſolus Ren laticem
proſcribat, ad loca ſibi ſubjecta. 6. Latex autem,
in œdemate & Anaſarca, minus vitæ conſuetu-
dine primus, quàm in Aſcite : etiam rurſus ſor-
betur in venas, & ad Renes labitur, ut ultimam
lotii determinationem ſubeat. 7. Aſcites regula-
riter ſanatur, ſi Ren multum & affatim minxerit
ſponte, vel per remedium. Recidivam autem
patrat : ſi non penitus ſublatus è Rene morbus.
8. Aqua intercus, retrogrado motu, laticem du-
cit in oſcula venarum, inde per venas, in Renes
ſugitur, & lotio tenus excernitur : cujus tantil-
lum dumtaxat per diaphæreſim exhalat. Ideo-
que abuſivè docent, laticem eſſe pituitam in œ-
demate, eamque recoqui in legitimum cruo-
rem. 9. Itaque imperium & actio regiminis Re-
num, ſe extendit nedum in renes, ureteres, &
vaſa urinaria: verùm inſuper in cavitatem ven-
tris, inter peritonæum, & muſculos abdominis:
itemque in venæ cavæ divaricationes, ſe infe-
riores, uſque & in pedes ac tibias. 10. Non ergo
Renes cadere ſinunt laticem, proprio pondere:
ſed verè mittunt, non ſecus atque verè iterum
trahunt eundem, trans omnem venarum cruo-
rem, dum ſcilicet ſanatur Hydrops per mictio-
nes. 11. Quinimò Ren ſemper cooperatur, &
principaliter operatur, in fabrica Hydropis; de
neceſſitate igitur primariò afficitur : ſiquidem
devius à finibus agendi. 12. Cumque Ren ſit

principalis effector Hydropis, quanquam aliud ſubinde membrum cauſam occaſionalem contineat. 13. Sanatio idcirco incipiens, vel inſtituta per ablationem aquæ, ſemper eſt ſubjecta recidivæ, & plerumque fruſtra tentatur. Quia nunquam ſanatio condigna inſtituitur ab ultimato agente. 14. Hydrops itaque Aſcites, ſemper eſt effectus immediatus Renum; adeoque exigit ejuſdem ſanatio reſtaurationem expulſivè Renum, ſive defectus occaſionaliter ſuſcitetur, ſive demum in ipſo Rene conſiſtat. 15. Quapropter procul recedo à doctrina ſcholarum, quæ præteritis neglectiſque Renibus, continuò jecur adſpicit, eoque vota ſanandi dirigit. 16. Non eſt autem Hydrops abuſus devius, ſive Archei exorbitatio in rene, occluſio ejus per calculum aut muccaginem: ſed vis quædam anodyna virulenta, in cruore extravenato, aut ſimili materia, hoſpitata: cujus importunitate, Ren primò ſui muneris obliviſcitur, habenas ſeparandi laticis abjicit: mox inde quoque furorem arripit, dum laticem in abdomen inordinato motu relegat. 17. Perinde ut dixi ante quod ob lotium ſimplex, Renem clauſiſſe, uſq; in obitum excluſivè. 18. Conſimilem ſcilicet meditor in Hydrope, deviam qualitatem cruoris extravenati, cujus contagio occaſionali, Ren ſui muneris fit oblivioſus: cujuſque veneni tempeſtiva ademtio Renem à ligatura, adeoque abdomen ab aqua liberat. Errorem enim à ſe commiſſum dum cernit Ren, probéque admonitus, per juſtum medicamen, pœnitet ſeriò, ſorbetque iterum dimiſſum ad ſe laticem, & foras expellit. 19. Ergo verus Hydrops Aſcites, eſt in Renibus. Sive, ſolvere pertinacem ſeram Renum, eſt ſolvere Hydropem: pro ut ſolvere cruorem congelatum, eſt ſolvere cauſam occaſionalem ejus. Id eſt, cauſa immediata, tam materialis, quàm efficiens, veri Hydropis, eſt Archeus Renum errrans, quatenus ſcilicet exorbitat, ac in furorem velut percellitur à cauſa occaſionali, Ideam gignit, ſive ſpeciem, quam ipſe inſitus Renum Archeus contumax fovet, atque alit: per quam ſcilicet non; aut vix ſeparat urinam, aut cura illi incumbit ſui officii, ſuæve deſtinationis. Imò nec ſolum ſua munia præterit atque negligit: quin etiam velut furioſus dimittit laticem ad abdomen, ut ſui velut internecionem procuret. Solvendum eſt itaque pertinaciæ vitium Archei, ita ut mictio ſequatur, ſi ſpe-
21 randa ſit ſanitas. Paracelſus fingit in Hydrope, cruorem per ſtellam zedonis verti in mucilaginem; hinc verò in aquam: ſanationem verò conſiſtere in aquæ abductione, & materiæ primæ, ſive illius præfatæ mucilaginis ſubductione. Sed quid hoc eſt aliud, quàm à poſteriori mederi? dono quidem lubens, quòd, quoties latex non ſuppetit ad manum, Archeus Renum, ut ſuo furori faciat ſatis, citius cruorem liquefaciat, quàm ab errore incepto deſiſtat. Sed ubi copioſus eſt latex, non eſt operæ pretium, liquefactio carnis & cruoris in laticem. Nam revera quantum poteſt ociſſimè, omnem laticem ad loca Hydropis abigit, nec feriatur, quia furit tanquam ſi in laticis abactione ad abdomen ſibi finis utilis exſpectandus eſſet. Nec enim lotium detineret, ſi ſtudium Archei eſſet carnem
aut cruorem liquefacere. Quibus uterque Re- 22
num obſtipatur à Calculo, moriunturque tandem præfocati à lotio, non ſunt tamen proinde hydropici: quia lotium manet in venis, quo nimirum Ren ſe exonerare intendit: ſed non poteſt. In Hydrope verò valet: ſed non intendit ſe exonerare. In Hydrope ergo, furor virulentus eſt Archei: non item in obſtructione à calculo. Ideoque uno Rene, per cauſam occaſionalem virulentam agitato; ſimul ſemelque & alter pariter furit. Quod in occluſione à calculo non item evenit. Requirit autem Hydropis eſſentia, ut nedum Ren negligat laticis ſeparationem, claudatque ſeram urinæ: verum inſuper neceſſe eſt, ut ſimul etiam laticem ad loca abdominis dimittat, imò & poros membranarum arctè claudat, ne ſcilicet quippiam laticis aut ventorum tranſpiret ac erumpat. Magna profectò ſtultaque ſolicitudine, furit Archeus Renum, ut Hydropem faciat. Stultaque pertinacia ejus furor fovetur, quod dum vires naturæ conſternatas ſentiat, nihilominus nequicquam tamen de concepto furore remittat. Si ergo occluſio à calculo, morbum atque mortem inducat, non Hydropem. Hydrops quoque morbum atque mortem adferat, ſine totali, imò vel materiali obſtructione Renum: manifeſtum fit, eorundem morborum diverſitatem pendere dumtaxat à luxu, & intentionali furore Archei, veneno cruento ſuſcitati: non item à materiali laticis errore. Axioma eſt, quod omne
ens eſſe atque permanere deſideret. Quod ſanè 23
intelligendum eſt de ente gubernato per Deum, per naturam communem, ac ordinatam, ſive regularem: non autem de ente ſtulto, atque per virus furibundo, quale eſt Archeus à corruptione ſui per peccatum, & concitatus per cauſam occaſionalem morbi virulentam. Perinde enim eſt, atque homo furioſus, equus aut

bos, qui ſe è ſublimi præcipitat, ſuique finem procurat. Sic namque Archeus, in ſuis furoribus velut ſtudio pertinaci, ſibi exitium procurat. Quod ſcilicet in multis morbis eſt perpetuum, in quibus proinde, licet dementias, atque furores Archei accuſare, furioſas quoque imagines, & dementes effingi, quibus ſeminaliter ſuos furores potenti fermento communicat. Vndè quoque dici ſolet, hominem à nemine immediatè potentius lædi, quàm à ſemetipſo. 24 Porrò quanta incuria, & quàm levi pede, ſcholæ humoriſtarum, conſiderationem morborum tranſilierint, non ſolum ſpectari poteſt ex intemperie frigida hepatis, quam unicam & ſolam ſupponunt in præſenti morbo, adeoque quaſi eo poſito, plenariè ſatisfactum eſſet, altumque dixiſſent oraculum, ſe quieti reponunt: Abſque conſideratione tamen, quod frigida ejuſmodi intemperies, reſtaurari nequeat; hydropici autem, paſſim ſanationem admittant. Sed maximoperè incuria Scholarum ethnicarum eluceſcit, quod inter tot myriades ſcriptorum adhuc primus deſit, qui cogitare auſus fuerit, qua via, quove modo poſſibili, jecur ſuam aquam inter abdomen & muſculos deponeret. Nemo inquam hactenus novit, laticem differre ab urina. Cumque ſubinde hydrops, per multos menſes, languidos ad feretrum ducat, urina neceſſariò putreret, ſi ſibi ſtercus liquidum ſive ſcoriam (quam de Lithiaſi, de febribus, atque alibi copioſo ſermone explicui) vel pro tantillo comitem aſſociaret: quæ tamen ſcoria ad urinæ integritatem requiritur. Si quam autem hydropicus ab inteſtino in Mezaraïcas aſſumſerit: ſaltem illa cum tantula urina remanet, nec Latici commiſta ad abdomen mittitur. Omnes itaque Scriptores hactenus hunc nodum Gordianum ita formidarunt, quod ne verbum quidem ejus meminerint. 25 Conſideremus ergo quod alii ante me neglexerunt. Enimvero naturaliter, regulariter, ac ſemper, omnis ſuccus, ſive chylus ſtomachi, per inteſtina delabens, attrahitur, & ſugitur à venis mezaraïcis, quarum ſcilicet oſcula, ſive extremitates, deſinunt in inteſtinum. Hactenus quoque jejunum manſit, quomodo tranſeat quotidie, tam copioſus Chylus, trans inteſtinum, in oſcula venarum mezenterii, abſque ullo foramine: itemque quare venti ab inteſtino preſſi, non per eoſdem poros, in venas mezenterii pergant, cum chylo tanto ſint rariores, & ſubtiliores, quanto levius eſt corpus, quod nullum pondus habet, chylo ponderoſo. Sed hæc paulatim ſub explicatione ſe manifeſtabunt, quæ quia velut impoſſibilia, ſaltem vel inſcrutabilia naturæ miracula, cenſa, omnem Scriptorum calamum ſuſpenderunt, per excuſationem cauſarum occultarum, cuncta ſuſpendiſſe contentæ ſunt ſcholæ. Eja ad examen mecum. Omnis liquor ab inteſtinis aſſugitur (id enim abſque controverſia dono lubens) rapiturque in venas mezenterii, tam is ſcilicet, qui in cruorem deſtinatur, quàm qui quomodolibet excrementis quandoque deputatur. Deinde verò, non eſt ulla via venarum mezenterii, niſi ad venam portæ, quæ ſe in hepar inſinuat. Ergo materia, ex qua hydrops uſque in hepar fertur, non ſecus atq; omnes fibræ radicum tandem deſinunt in truncum ipſum, qui radix dicitur. Sed qui ſunt canales, quibus hepar materiam ſive aquam hydropis, tanquam per manum deferat ad ſpatium abdominis? Si ſunt venæ illæ ſobriæ, quibus membrana illa abdominis, aut Peritonæi nutritur. Cur ſaltem hepar, has potius venas delegit, hæcque loca affligit, cum longè commodius ejuſmodi ſuperfluam aquam, antequam jecur ſua importunitate ac pondere gravetur, per hæmorrhoïdes abigeret? quippe quæ ſublevandis oneribus nuncupatæ videntur. Interim certum eſt, laticem, ſive materiam hydropis, natare in venis, quæ infra jecur ſunt, cum non ritè ſecernatur tum per lotium. 96 Saltem utut ſumatur, non valet hepar ad abdomen, jam in immenſam molem atque duritiem tenſum (propter aquæ cumulum) vel unicam guttulam ampliùs ſuperaddere, quin apertis illarum venarum oſculis, velut diffracta cataracta, aqua hydropica toto ex abdomine retrocederet, regurgitaretque in hepar. Nam inprimis oſcula venarum, deſinentium in abdominis membranam, non habent appoſitas ſingula valvas, inſtar pilarum ventoſarum, inſufflatum ventum, ac laticem, intus cohibentes. Deinde, ſi ejuſmodi valvas haberent, jecur ſaltē caret vi expulſiva tanti roboris, quin potius ipſum jecur, & venarum canales, citius dehiſcerent, creparentq;, quàm quod contentam aquam ſuperaddant abdomini hydropico, in immenſam duritiē tento. Deniq; ſi quæ ejuſmodi venæ ad hydropis carcerē deſinunt, pro ſui nutritione, ſaltem ſunt filiæ, venæ cavæ. Adeoque omnis hydor eſſet in jecore, & vena cava antequam in abdomine, eſſentq; in immenſam duritiem turgida viſcera. Imò omnis cruor hydropicus, nil niſi mera aqua eſſet. Quod falſum eſt. Mihique ultrò concedunt ſcholæ, quod aqua hydropica per renes eſſet emuncta, priuſquam ad abdomen

veniret, niſi vitium atque peccatum potius eſ-
ſet Renum, quàm hepatis. Etenim ſanguifica-
tio eſt jecoris; ſeparatio autem laticis à cruore,
prior eſt, & alterius opificis, quàm hepatis. In-
eſt quippe ab initio latex cibis ac potibus, ſepa-
raturque eſſentialiter per fel, dum ſalis alicujus
naturam aſſumit, mutatque aciditatem ſuam in
ſalſedinem, permanetque localiter permiſtus
cruori, donec lotii ultimum nactus ſupplemen-
tum, à renibus attractus, expellatur. Sunt ergo
Renes moderatores laticis, ut jecur cruoris.
27 Dein aqua hydropica latex eſt, non item adhuc
urina; cujus fermentum cum ſit ſtercoreum, &
à Renibus imprimatur, latex ille nondum uri-
na eſt. Expulſio igitur laticis in abdomen, po-
tius eſt officium Renum, quàm hepatis. Ideo-
que Renes velut poſtliminiò reſipiſcentes, non
rarò quoque depoſitam in abdomine aquam re-
petiverunt, & ſanitatem ab Hydrope ſponte
reddiderunt. Tum quoque non oblæditur in
Hydrope ſanguificatio, nec areſcunt hydropi-
ci, penuria cruoris, quantum laticis copia ſuf-
focantur. Sin autem in hydrope cruor non ab-
undet, non fit tamen id, quod jecur cruoris fa-
bricam deneget: ſed quia exotico fure, etiam
cruor minuatur. Imò, nec jecur à ſe factum
cruorem vitiat: cum ſint oppoſitæ, & incom-
patibiles actiones, ſanguificatio, & cruoris de-
28 ſtructio. Ren enim aquæ dominium ſuſcepit;
adeo ut deficiente potu, cruorem vitiet, & in
urinam tranſmutet: Quibus ignoratis, infauſtæ
ceſſerunt medelæ jecori intemperato. Quid
enim ſtolidius dictum eſt unquam, quàm quia
hepar eſt officina cruoris: ergo & officina aquæ
eſt, & venti, pro Tympania? Aqua frigidior eſt
cruore: ergo hepar in hydrope laborat intem-
perie frigida? Non enim tam aqua generatur in
hydrope, quàm reſervatur, quatenus non ex-
pellitur. Sed undè in toto morborum ſyſtema-
te, tam ſupina cœcitas ſcholarum? undè tam
luridæ experientiæ circa ægrotos? An non re-
periunt ſe à veritate DEI deſertas, quia ſe tra-
diderunt doctrinis gentilitiis cum pertinaci
ignavia? Equidem in modo fiendi hydropis,
quandoque hæſitans, credebam olim Aquam in
ipſo abdomine fieri: non autem eò deferri,
cum per eoſdem canales alioqui quibus defer-
retur, regurgitaret, ob nimiam tenſionem: ſci-
rem autem, omni folle fortius ſpirari aquam,
vel ventum, in abdomen, ſi per canales eò du-
ceretur. Præcipuè, quod ſucceſſivè, & frequen-
ter, meatus iſti aperiri deberent, & hiare, quo-
ties guttatim nempe aqua ad tentum abdomen
ſecederet. Sed poſtquam vidi ultrò, hydropem
ſanari perfectè per lotium, totamque remedio
aquam, per Renes expelli: indubitanter quoque
credidi, per eaſdem vias, aquam deferri in ab-
domen, per quas repetita ad Renes pergit, in
ſanatione hydropis. Ergo debui alias agnoſce-
re vias, & deſerere opinionem priorem. Potiſſi-
mum etiam, quod parcas urinas in hydrope ſiti-
culoſo, & potatore reperirem. Laxatur ſcilicet
aqua per eoſdem meatus, quibus delata erat in
abdomen. Hæc ſcivi, & credidi, quia vidi: ſed
non potui devenire ad cognitionem viarum il-
larum, ut neque illius violentiæ, quæ folle for-
tius abdomen tenderet, & nihilominus conti-
nua adhuc ſtilla illam adaugeret. Viæ illæ Ana-
tomicis hactenus incognitæ, moduſque, quo
tumor in tantam tenſionem ſurgit, à nemine
tactus, vel leviter perveſtigatus. Magnalia DEI
in natura ſupplex veneror, & immenſum ad-
miror. Furores enim Archei ubique excentri-
cos horumque varietates ſtupeo, quibus jam
aquam, aliàs ventum, carcere abdominis clau-
dit, in totius uſque ac propriam perniciem.
Rem ergo aperiam, quantum me mea indu-
ſtria capere permiſit. In natura enim eſt du- 29
plex actio, una ſcilicet, qua corpus corpore
clauditur, ut vinum in lagena, & Aqua hydro-
pica inter Peritonæum & abdomen. Imò mor-
boſè pori clauduntur harum membranarum.
Corpus enim perſpirabile in ſanitate: & ſudor
laticem, per totum minuit. Adeo ut potus a-
queus in æſtu, mox per ſudorem, trans pellem
affluat. Sed ſudor, pleſumque inutilis in hy-
drope, adeo, etſi ſudet venter, non minuat ta-
men aquam hydropis, multi multa utcunque
vanum circa has nænias tentarint. Eſt & altera
actio regularis, & heteroclita in natura: per
quam, alibi pluribus oſtendi in nobis, corpus
aliquod ſolidum (puta cultrum, ariſtam, acum,
ſpicula, oſſa, conchas atque ſimilia) tranſmitti
trans ſtomachum, uterum, venas, abſque horum
læſione aut vulnere. Adeoque in natura cor-
porum, penetrationem ſolitam, & neceſſariam.
Prior enim iſtarum actionum, ut eſt paſſim co-
gnita, fit quatenus corpus ſuis repagulis ſuper-
ficiei, duritiei, ponderis, canalium, &c. omni-
no obedit, unumque reſpectu alterius velut
mortuum eſt. Altera verò actionum tota eſt vi-
talis, ſpirituſque vitæ, qui non eſt veſtitus cor-
poris craſſioris amictu: ſed is ipſus, eſt ipſiſſi-
ma veſtis illius corporis. Quodque ideo tradu-
cit per aliud corpus vitale, ſibi ſubjectum. Sic
namque Chirurgi, abſceſſus notarunt per ipſiſ-
ſima

ſima oſſa fieri. Sicque Authores fide digni (quos
allegavi, capite de injectis) admittunt penetrationem
dimenſionum corporearum, quoties
culter per ſtomachum tranſit, & cum apoſtemate
purulento per coſtas, abſque ſtomachi
vulnere, redditur. In Hydrope igitur duplex
præfata actio occurrit, circa eundem laticem.
Nam hic, quamdiu vita quodammodò venali
potitur, per ſolida ducitur, veſtitus ſpiritu vitali
lucido, vias negligit, cum ſibi nulla ſit invia.
Deducit autem ad carcerem hydropis, ibique
tam per ſtricturam pororum in membranis,
quàm ſingulariter atque præcipuè propter veſtientis
ejuſdem ſpiritus deſertionem, deponit
tanquam excrementum jam mortuum. Quodque
nec inde ideo reperit, niſi iterum ſpiritus
vitalis illud veſtiat, & circum amiciat. Hæc eſt
nimirum vis iſta ſpiritualis, quolibet folle potentior.
Quam in penetralibus gerimus, cujus
potentiam quotidie admiramur, nunquam ſcivimus,
& vix per demonſtrationes admittere
30 adacti, credimus. In Hydrope ergo furorem
Renum, erranteſque poteſtates reperi, qui furor
claudit, & vix eſt qui aperiat, & qui aperit & deponit,
nec eſt qui regurgitare faciat. Cum itaque
actiones iſtæ furoris, in propriam perniciem
conſpirantis, ſint planè ſpirituales (etenim
ſpiritum ubique ut Medicus contemplor, ut auram
vitalem è ſanguine ſuſcitatam, non autem
mentem immortalem attingo) nec agant ejuſmodi
ſpiritus, niſi per imagines, à ſe fabricatas,
31 compellantur. Ideo ſanè furores voco Archei,
dum Ren ceſſat, ac penè obliviſcitur ſui muneris
atque deſtinationis, in ſeparando laticem à
cruore, proinde ſe claudit, & velut indignatus
exorbitanſque, laticem aliò deponit. Hunc autem
furoris tenorem, analogicè concipere &
exprimere ſi debeam. Primò conſidero cruorem
extravenatum in Rene detineri, vel ſuper
convexum inteſtini latêre, *&c.* qui cruor, dum
malignitatem fermentalem induit, mox Ren,
laticis moderator, indignabundus ſuſcipit anodynum
virus illius cruoris. Laticis autem deſtinatio
eſt, eluere ſordes, ſi quæ alibi in corpore
detentæ ſint. Cumque Ren nequeat per laticem
eluere extravenatum iſtum cruorem, eò quod
latex eò non deveniat, accumulatur hic in venis,
faſtidio ergo, tædioque Ren inde adeò afficitur,
quod munus ſibi injunctum nequeat obire.
Ideoque mox claudit exitum urinæ, ut
quod copia regulari laticis nequit, per abundantiam
ejus perficiat. Quaſi cogitet. Tu latex non
vadis, quò te velim mittere ad eluendum cruorem
extravenatum: ego te non dimittam per
conſuetos ureteres. Ejuſmodi ergo eſt furor
indignati Archei Renum, qui tandem aſſurgens
in gradum veſtit laticem, eumque deducit, quò
vult. Cæterùm hunc furorem Archei confirmat 32
nedum eventus in fiendo: ſed & in ſiccando,
præſertim dum ſponte propria quandoque
hydrops ſanatur. Siquidem id fit, quaſi reſipiſceret 33
Archeus, atque pœniteret actorum. Novi
Comitiſſam de Falaix, quæ dum juvencula hydrope
tumeret, ſuaſu cujuſdam Medici (quippe
à cunctis deſperata habebatur) abſtinuit ferè
per ſolidum annum à potu, ſolidiore cibo, &
juſculis contenta. Et evaſit ſana, vivitque modò
ſeptuagenaria. Inprimis ſitis, ſive ſumatur 34
pro ſenſu deficientis, vel pro ipſo defectu humidi:
ſaltem neutro modo exſiccat aquam hydropicam.
Nam etſi nil potus bibatur, ſaltem
juſcula, quæ cruorem ſufficientem præbent, etiam
urinæ tantillum dant, & laticis, quantum
ſubſiſtentiæ hydropis ſat eſt. Denique nec ſitis,
nec ipſe potuum defectus, cauſam occaſionalem
hydropis (quæ plerumque eſt cruor extravenatus)
tollit, quinimo magis areſaciunt, &
pertinaciùs ſibi reſervant, ut reluctetur reſolutioni, 35
per abſtinentiam fictæ. Sed ſitis iſta continua,
cum ſpe & perſuaſione ſanitatis, errorem
ſive indignationem in Archeo Renum conceptam, 36
pacabant, unde dididi, quod ſitis oriatur
à Rene regulariter; non autem ab hepate: multoque
minus à ramis minoribus venarum, ſugentibus
majores, donec defectus humidi ad
orificium ſtomachi delatus ſit. Sed ut cruoris
defectus reſtituitur per cibos, potuſque meraciores:
ita laticis defectus compenſatur per
aquoſa; id quod experientia docet. Sitis ergo
à moderatore Laticis, & non à viſcere ſanguificante,
procedit. Eſt nempe tanta laticis neceſſitas,
quanta fuit hactenus hebetudo in ejus præteritione.
Authores aliquot commendant buſones
vivos, utrimque renibus alligatos, ſolvere
Hydropem per lotium. Saltem vidi ruſticum
hydropicum, ſanatum, alligata anguium Senecta
per ventrem & Renes. Inducitur nempe
Idea metus, renibus, qua indignationem amittant.
Eodem videlicet titulo, Sitis Ideam triſtitiæ,
ſive denegatæ appetentiæ, ſuſcitat: undè 37
Ren ſuæ indignationis obliviſcitur. Ex præfatis
igitur, ſat liquet ignorantia cauſarum in hydrope,
quanta demum obſcuritate, circa intemperiem
hepatis, & aquarum depletionem
ſit ſudatum. Quàm inaniter cogitatum de diureticis, 38
de veſicatoriis, deque ſolutivis. Eſtque

hoc loco advertendum, quod impiè Cholago-
ga cathartica propinarint hydropicis: utpote
quæ carnes & cruorem in fœtidam flavamque
ſaburram tanſmutant, ſine juvamine hydropis:
ſed cum deſtructione hydropici. Hydragogum
autem differt à Cholagogo. Quod illo epoto,
venter detumeſcat, nec fœtida excernat: niſi
39 vis Cholagogi adjuncta ſit Hydragogo. Mercu-
rius igitur præcipitatus juxta præſcriptum Pa-
racelſi, curat omnem Hydropem, non quatenus
purgat, ſed in quantum materialiter tranſiens
per inteſtina, reſolvit extravenatum cruorem.
Sin autem unà vomitum, vel alvum cieat, id hy-
40 dropi eſt per accidens. Nota hujus ergo. Quod
Brionia alba, raſa, ſuperpoſita contuſioni, in qua
cruor ſubter pellem nigricat, paucis horis cruo-
rem illum reſolvat in aquam, quam pariter per
cutim exigit. Quocirca vim Hydragogi in Brio-
nia proficuam attende, ſi virus ſolutivum ab ea-
dem abſtuleris. Obſervavi nimirum, ſi Antimo-
nium in liquorem vertatur, ac poſtmodum in
pulverem, qui tantum per ſudorem purget; ha-
beri remedium, quod omnem hydropem mo-
deſtè tollit, extra metum recidivæ. Siquidem
tollit tam cauſam occaſionalem, quàm ipſam fu-
rientis Archei ametriam. Ejuſmodi namque re-
media, quæ permanente illorum & ſoſpite dote,
per inteſtina feruntur, quæq; apta ſunt reſolvere
ideo cauſam occaſionalem, liberant naturam
impedimentis. Vndè Archeus Renis propriam
præteriti furoris ſui amentiam advertens, venas
aperit, aſſugit, ac tranſcolat aquam, pro debito
atque ſolito, excentricoque, & oppoſito Laticis
motu, pertinaciam præteriti furoris, ſedulitate
piat, dolens, quod propriam impar intenderit
41 perniciem. Vnde conſpicuum evadit, Renis re-
gimen in abdomen, ac venas, hactenus igno-
42 tum. Eſt ergo hydrops, morbus ex cruenta ma-
teria depravata, occaſionaliter oriundus, velut
initio fermentali: ad cujus incitamenta Archeus
Renum, Ideam indignationis format: cujus po-
teſtate, ureteres venas occludit, affluum Lati-
cem corrumpit, ac divertit, huncque in abdo-
minis ſpatium tranſmittit: abdominis interim
membranas, harum poros ita ſtringit, ut nihil
penitiùs tranſmittant in mortem uſque.

43 Tympanites autem plurimum ab hydrope
differt: nam alia eſt ipſi cauſa occaſionalis, alius
modus fiendi, materia demum alia, nec non ef-
ficiens: alia itaque diſpoſitio: & productum a-
liud. Non enim generatur aqua, ſed ventus.
Dein, nec arbitro Rene fit Tympanias: ut ſolum
præſide fermento toxico alimenti ſpermatici,
in convexo inteſtini hærentis, atque deturpati.
Neque etiam venas vento turgidas hactenus
luſtravit Anatome. Nec propter tormina inte-
ſtini, piare hepar debet, licet tormina ſequantur
tam Hydrops, quàm tympanites. Si etiam fla-
tus inteſtini fierent ab hepate, remedium Iecori,
non autem carminativum inteſtino dandum:
vel Scholæ aliter medendo, ſe reas faciunt. Et-
enim ſi theorematis ſui memores eſſent: Quod
ejuſdem ſit facultatis, actio ſana, & infirma: co-
gnoviſſent ructus atque flatus ab inteſtino, &
ſtomacho generari. Adeoque convexum inte-
ſtini, non minus aptum generandis flatibus,
quàm ejus concavum. Ex aſſimilandis, ſed de-
generibus liquoribus infeſtat Tympanias. Fit
enim ventoſitas ſive flatus in inteſtino, à qua-
dam indiſpoſitione localis Archei, qui tum ci-
bos ſubinde nequicquam flatulentos in flatum
mutat. Cum ergo in Tympanitide eſt extra, ſive
in convexo inteſtini: conſideranda eſt eadem
indiſpoſitio flatulenta foris, quæ intus eſt in in-
teſtino. Fit nempe à ſimilari alimento degene-
rante, quo fermentum ſtercoreum adveniens,
ipſe Archeus loci indignatus, & malè affectus,
vertit, non quidem præfatam cauſam occaſiona-
lem: ſed proprium membranarum alimentum
in flatus. Ad hoc autem pars fermenti ſtercorei,
à Cavo ad convexum inteſtini migrat. Ideoque
flatus ille non eſt inſipidus aut acidus ructuum,
ut neque ſtercus olet, quia non fit à materia ſter-
corea: ſed ab alimento degenerato, & cadave-
roſo. Vir quidam, ſuaſu medentum, paracen- 44
theſim à latere umbilici ſuſtinens, qui hydro-
picus cenſebatur, utque aquam elicerent: me
juvene ſpectante, extracto Chirurgi phleboto-
mo, repentè ſidit abdomen, & quamprimum
periit: editus autem flatus immenſè putidus,
& cadaver olebat. Patet ergo: quod materia oc-
caſionalis, denique vera materia, internuſque
effector, cum omni cognitione medicum ho-
neſtante, ignota ſteterint. Patetque vanitas re- 45
mediorum, atque inprimis carminantium, quæ
convexum inteſtini non reſpiciunt. Fruſtraque
fingunt ventos diſcuti per extenuationem. In
quam namque vento ſubtiliorem materiam,
ventos extenuari ſperant? quidve profuerit,
ventum ſe ſubtiliorem donare, ſi majorem tum
locum requirat? & moleſtias tenſionis augeat?
Vernaculum eſt namque ſtultum remedium,
ex fabulis hauſtum. Cabrollius, Anatomicus 46
Montis peſſulanus, narrat, ſe ſanaſſe octuage-
narium, qui Rondeletii ſuaſu, non niſi ſalſa
ederet, ac ne ſiti obrueretur, ſalſaturas, ſive con-
dimen-

dimenta, ex aceto & ſaccharo, cibis miſcebat. Fomentabat quoque bis indies lixivio, cui ſal, alumen atque ſulfur incoxerant. Ac inde, fimo vaccino pro cataplaſmate utebatur. Et tandem evaſit & ſupervixit centenarius. Non fruſtra enim dantur, quæ conſumant cauſam occaſionalem, neque ideo fruſtra commendat fimos Paracelſus: cum ſint ſalia ciborum putridorum, quibus datum eſt reſolvere materiam occaſionalem hydropis. Mira certè utrobique Archei actio, tam ubi claves detinet, quàm ubi clauſtra
47 reſerat, ſuumque expellit hoſtem. Paracelſus autem ſuum præcipiolum, ſive mercurium, è ſua minera mortuum eductum, præ reliquis approbat remediis: cætera autem ſimplicia, pro gradu affinitatis, quo mercurium hunc metallicum attingunt. Phraſis eſt ſuæ libertatis. Ego ſimplicium dotes, ut à Deo oriundas, non autem quatenus conſanguinea ſint mercurio minerali, veneror atque ſuſpicio. Fateor interim, quod votis meis ille mercurius ſemper obſecundaverit. Difficilis quidem eſt ejus acquiſitio: ſed duorum granorum doſis ſufficit, ter quaterve exhibita. At ſemel nacto mercurio diaphoretico, multis ægrotorum myriadibus ſufficit, tam pro ſe medente, quàm pro poſteris
48 ſuis. Tandem vidi notham Hydropiſim, cujus nemo ante me meminit, quod ſciam. Vidi enim frequenter, ex jecoris inordinata accretione, ventris tenſionem mentiri Hydropiſim. Imò & in tabe extinctis, ſumméque macilentis, vidi jecur ſupra modum excreviſſe, penitus licet exſangue. Vim ergò creſcitivam mercurius ille enecat, non ſecus atque argentum tremulum, in arborem, terebra uſque in medullam fo-
49 raminatam injectum, eandem occidit. De proprietate itaque mercurii eſt, vim accretricem hepatis extinguere. Id autem ut pro voto ſuccedat, oportet mercurium mori, abſque ullo ſalium externorum ſodalitio, aut ſpirituum alienorum conſortio. Sic tamen mori convenit, ut vivum maneat in plauſtro, quod queat in vita media mercurii deferre ad loca deſtinata. Gratulor illi, quem ignis docuit me intelligere. Huc refero remedium ſtibii ſolutivi. Siquidem remedia ejuſmodi, omnem cauſam occaſionalem alibi latentem, detentamque reſolvunt, conſumunt, everrunt. Iſta nempe eſt Arcanorum ſanatio, quæ per ablationem cauſæ occaſionalis acquiritur: ſufficitque unum aliquod ex Arcanis, quod indifferenter, quicquid in corpore (duelech excipio) præter naturam eſt concluſum, reſolvit, abſtergit, diſpergit. Morborum ſiquidem quorumcunque, etſi duæ ſint columnæ, quibus ædificium morboſum innititur (materia nimirum occaſionalis, & materia cum efficiente Archeali) alterutra tamen columnarum ſublata, ruit totum, quod illis ſuperſtructum erat. Arcana itaque Paracelſica omnem morbum à conſequenti tollunt, quatenus cauſam occaſionalem demetunt: Atque deinde 50
occultior via eſt alia alterius arcani: per quod ſcilicet inducitur pax, quies, & ſolatium Archeo, ne ſcilicet indignatus morbum pariat, partumque potius deleat: imò etiam profligationem cauſæ occaſionalis ipſius meditetur. Perinde enim, ut infixa ſpina, pinguedine leporis extrahitur, trito manſuetoque remedio. Alioquin Archeus mox intranti ſpinæ velut iraſcitur, tumultuatur, tumet locus, ſuſcitaturque varia ſymptomatum exorbitatio, ut ſcilicet facto tandem pure, putrefactoque loco, ſpinam excludat, quam ſi mitiùs aggrederetur, eruiſſet, prout ſub ſuaſu pinguedinis leporinæ. Pariter inquam eſt in natura Arcanum, quod omnem ferè ſanat morbum, quatenus indignationem & confuſiones Archei tollit, pacemque huic imperat. De quo Arcano, primus conabor viam aperire. Laxet ergò vias Archeus Renum, & inſurgat in cauſam occaſionalem profligandam, non ſecus atque pertinaci furore ſuiipſius exitum quærit in Hydrope. Et verificabitur axioma Hippocratis. Quod naturæ ipſæ ſint morborum medicatrices: Medicus verò tantùm illarum miniſter. Ergo ex præfatis concludo, Arcani ſedativi, adhuc longè pacatiorem, & optabiliorem fore ſanationem, quàm Arcanorum Paracelſicorum. Magis namque faciunt pro cuſtodia vitæ longæ. De qua peculiari libro.

PVERILIS HVMORISTARVM VINDICTA.

1. Finis paradromi emiſſi. 2. Authori accidit prout aſtimaverat. 3. Clamores eorum qui vapulant. 4. Non propalanda ſecretiora arcana. 5. Reſpondet literis ad ſe ſcriptis. 6. Decem contumelia.

Edideram jam aliquot inaudita hactenus opuſcula. Nimirum de heteroclitis fontibus acidulis, ac potiſſimum de Spadacrenis, atque origine fontium. De febribus, de

lithiaſi, de deceptorum humoriſtarum ærumnoſo
1 ſtatu, & de Peſte. Vt paradromum totius
Phyſices referrent, tutóque inde diſcere
mortales ortum, modum, medium progreſſumque
medendi poſſent. Inprimis reprehendit
liber de febribus ignaras medendi ſcholas,
circa cognitionem infirmitatis tam vulgaris,
quo reſipiſcerent, hujuſque voluminis editionem
excuſarent. De lapide autem monſtro in
nobis accidentaliter nato, deque Peſte, velut
irregulari mentis parergo, ut diſcerem ego,
quale judicium eſſet doctiorum, de rebus hactenus
2 ignotis. At comperi, quod major numerus
ſpreverit quæ docui, præſumenſque ſcire
omne ſcibile, contemſerit diſcere ex alienis
laboribus, eò quod acerbius carperem errores,
non quidem viri alicujus infamiam: ſed ſcholarum
in univerſali inſcitiam. Errores inquam,
qui in ipſis Cathedris pœnæ infernalis indictione,
caſtigari aliquando debebunt, & criminis
rei apud Principes gnaros cenſebuntur. Potiſſimum
ubi admonitio fruſtranea, conatus
charitatis vanos effecerit. Delicatiores itaque
judicium tulere juxta ſuam cujuſque intenſionem,
3 & extenſionem. Atque illorum plerique
offendebantur, quod nova, inaudita nedum
adferrem & demonſtrarem, ſupra captum multorum;
ſed quod antiqua medendi initia deſtruerem,
nec alia meliora edocerem, quaſi tantum
laboris onus, unius eſſet diei menſura.
Multi autem optarunt, ut clanculum ſemel à
me præmaſticata, buccellatim, in fauces intruderem:
ut citra laborem meliora dogmata, &
remedia addiſcerent. Quapropter aliquot curioſiores
ad me ſcripſere, laudantes quidem operam,
inſumtoſque labores, & ſumtus: ſed non
tolerantes, quod arcana remedia ſub denſis tenebris
obvoluta reliquiſſem, nec totam Chymiæ,
abditamque Philoſophiam propalaſſem
contra Euangelii præceptum, quodque margaritas
ante porcos, id eſt immeritos, non projeciſſem.
At ſanè utrobique præſtiti quantum potui,
4 & fieri lubet. Nam per experientiam ſecurè
didiceram, quod anno 1602 in patriam redux,
curarem inſperatos aliquot, per ſpiritus ſalis, ſulfuris,
vitrioli, perque vomitoria vitriolata, *&c.*
quorum nullum apud Belgas fuerat veſtigium
memoriæ. Ideo Archiatri, & celebriores alii decipulam
meis obtenderunt remediis. Nam ſi
cui aliquid dediſſem præfatorum, ſtatim procurabant
ad ſe deferri, ut me imitarentur, ac ſuperarent.
Ipſe ergo in publicum propoſui medicamina
chymica per ſervos meos, jam uxoratos
venalia: quippe qui jam ſe meo famulatui ſubduxerant.
Hi itaque panem ſuum lucrabantur.
At ut cuncta mox ruinis ſunt obnoxia, ſeſe alii
interſerunt fugitivi externorum, qui hujuſmodi
venalia obtruſerunt viliori pretio. Sicque
mille fallaciis adulterata ſuppoſuere: optima
quæque habita ſunt, quæcunque viliori pretio
venderentur. Hinc nil hodie reperitur è factitiis
pharmacis, quod non ita ſit adulteratum,
quodque majoris lucri ſpes, non adhuc magis
labefactet indies. Ideoque hinc edoctus didici,
non amplius hac orbita eundum: ſed quicquid
rarioris Philoſophiæ eſt evulgandum, id omnino
ſub hieroglyphicis peritiorum eſſe præſtandum.
Ignoſcant ergò mihi, quotquot ad me 5
ſcribunt hæc verba: Sodes explica te, loquere
apertius, de Arcanorum præparatione. Quia
iſta eſt nova addiſcendæ Philoſophiæ methodus,
quam addiſcere oportet, modo quo eam
didici. Vendit enim Deus ſudoribus artes. Etenim
nil in Spagyricis ſcriptum ea intentione,
ut intelligantur promiſcuè ab omnibus, ſed
dumtaxat ne intelligantur. Idque Chymia præ
cæteris diſciplinis ſemper ſervavit ſingulare, è
mandato Domini: ne roſæ ante homines & porcos
ſpargantur. Scripta namque noſtra ſunt exhortationum
loco, ut quiſque propriis proficiat
laboribus, quantum ſupernè ſibi indultum fuerit.
Tandem contumaces, & indoctiores, contumeliis 6
agunt, inſultantque in me, dicentes.

1. Quo vultu audet temerarius hic ſenex moroſus, nugator, indoctus, aſtruere unum idemque remedium calidum, valere contra morbos frigidos? frangere etiam antiquorum axioma primò verum? Contrariorum contraria dumtaxat eſſe remedia?

2. Quo auſu dicit, citra purgationem & venæ ſectionem, tolli affluentiam humoris noxii?

3. Si juſtam temperiem elementorum ad pondus, Paracelſi arcana adferre putet, an proinde os fractum diſlocatumve reponent? aut herniam ſanaverint?

4. Quid ſi arcana materiam peccantem abſtergant, hoc juverit, ſi non unà efferatur per pharmacum ſolvens.

5. Quidve hoc commune habet cum morbis Amentium, ut uno Arcani velut cultro, omnem amputari morbum credamus?

6. Itemque in hæreditariis quibuſque nulla reſidet amurca: ſed connata quædam atque incorporata nuda remanſit intemperies, per quam ſtatis intervallis, ſuſcitantur inſperatæ nebulæ,

novorum paroxyſmorum authrices, quid ſolaminis ferent Arcana, unum ſemper cuculi tonum unius qualitatis ſonantia?

7. Annè virorum & ſeculorum tot induſtriæ fuerunt nihili, quibus nempe melior tutiorque Minerva placuit?

8. Sanamus & nos morbos quoſlibet, abſque phlebotomo, quoties volumus. Sed timemus recidivas pejores: dum intus relicto humore nocuo, imponeremus ægris, per ſoporifera & ſedativa. Ideoque non procedimus ex præſcripto jactantiarum fumivendulorum: dum ſalus infirmorum nobis cordi, perque rationalem methodum ab hiſce empyricis nos ſeparamus. Solus enim Helmont cuncta novit, noſque ſtipites fuimus hucuſque.

9. Ad ſe enim cunctos convocat, ut creduli autument, Medicinam, quam de terra creavit Altiſſimus, ab igne dimanare. Non enim ſic viri docti ſtudiis Academicis valedicunt, longa annorum ſerie medendo roborati.

10. Melius enim viris Principibus perſuaſum, qui alios præter Academicos non admittunt, quibus vitam fidant ſuam, &c.

RESPONDET AUTHOR.

1. Quod unum aliquid, omnes ſanet morbos. 2. Reſpondet demum appoſitè ad ſingula. 3. Verum laxativum quale. 4. Solutio objectionis. 5. Retorquetur axioma Hippocratis in Scholas. 6. Dictum Scholarum in Scholas reflectitur. 7. Cur laxativa ſtultè exhibita. 8. Satisfacit directè & regulariter, ſuis injurioſis contumeliis. 9. Author provocat Humoriſtas, totius mundi, in certamen actuale. 10. Ad larvas formidinis, per Humoriſtas objectas, reſpondetur. 11. Itur obviam adverſariis. 12. Intentiones Authoris. 13. Vetus abuſus, non dat jus. 14. Principum ærumnas eſſe, vivere cinctos adulatoribus, & ideo extra veritatem. 15. Aula carent optimis Medicis.

PRobabo primò, quod liquor Alkaheſt, ens primum ſalium, lili, primus metallus, Mercurius diaphoreticus, ſive aurum horizontale, unum inquam, quallecunque ex illis (nam cuncta unius diſſolventis conſanguinitate, conſpirant in uniſonum) ſat ſit ad quorumlibet morborum ſanationem utut momis crepent ilia. Inprimis norunt Adepti mecum, quantum hinc diſtent diſpenſatoria Seplaſiæ, imò & quàm remoti abſint Scriptores, qui Baſilicas, & Tyrocinia chymica ingenti gloriolæ pruritu, adhuc ipſimet Tyrones ediderunt. Probabo autem aſſumto hujus capitis, ſponte inſtar nivis liqueſcent reliquæ in me ſuſcitatæ calumniæ. Quapropter Spagyrorum poſtremus præfatum aſſumtum ſic probo.

1 Ipſa ſanitas non conſiſtit in temperie juſta corporis: ſed in vita integra. Nam temperies corporis alioquin eſt adhuc in cadavere, recens mactato, ubi tamen jam mors: non autem vita, non ſanitas. Eſt autem ſanitas unica, homogenea vitæ integritas, & inculpata diſpoſitio. Requirens illius integri conſervationem in ſanis, & reſtitutionem in ægrotis. Idque Hippocrates ex tunc olfecit, aſſerens ſolam naturam (quæ unica eſt) eſſe morborum medicatricem: Medicum autem miniſtrum, ut & pharmacum medium reducendi naturam exorbitatam. Itaque ſanitatis integritas eſt in uniſono, & unicus tantùm eſt vitæ moderator, nec plures. Hic ergo ſolus in morbis malè ſe habet. Is enim ſolus eſt impetum faciens, tam in ſanis quàm in ægris, ejuſque ſolius ruptura œconomiam vitalem lacerat. Etenim etſi nil foris laceſſat, nihilque à parentum ſemine nos turbet: ſponte tamen propria, ſubinde Archeus ille fatiſcit, diſſolviturque hinc noſtra integritas: multisque inde modis, poſtliminiò ſubnaſcuntur impuritates Monarchiæ vitæ inſidiantes. Equidem cum natura ipſa, teſte Hippocrate, ſit mediatrix morborum; ergò ejus unitas conſervanda, & reſtituenda integritas. Id autem unico remedio ſat ſuperque fieri poteſt. Eſt namque unitas alteratæ naturæ, unitas ſanitatis læſæ, & unitas ideo ſpiritus, ſubter morbum agitati, dumtaxat conſideranda: non autem multiplicitas varietatum occaſionalium morboſarum. Cumque unum è præfatis Arcanis opulenter habeat in ſe cuncta requiſita, ex dono Dei, perque præparationes Artificis. Ergò unum ex illis Arcanis eſt ſufficiens pro omni, & quolibetcunque morbo. Atque ideo non dicit Textus, quod Omnipotens creaverit de terra medicinas; ſed medicinam: numero ſingulari. Quam alioqui medicinam, jam præparatam, pro Arte medendi non creavit de terra. Medicina ergò iſta penetrat corporis penitiſſima, quæ ſuopte Bonitatis dono, membra quælibet confortat, & confirmat. Ac demum potentiſſimè reſolvit, quicquid alicubi ſordium congeſtum fuerit. Quo ſemel liquato, natura ſatagit per cognitum ſibi iter diſpergere nocuum.

2 Notent hoc loco Tyrones, quod pro conſueta ſtoliditate petant principium, poſtquam jam abundè conſtare fecerim, non eſſe contraria in natura, non temperiem elementorum, multoque minus qualitatum elementalium intemperiem: nec item humores, quibus ſanitas, & per conſequens infirmitas, juſto titulo patrationem debeant.

3 Similiter etiam de febribus, ſic abſtuli fidem ſolutivis, ut non niſi cum Scholarum tædio, eadem iterum commemorem. Perfecta nimirum purgatio ægros dumtaxat, non autem ſanos, laxare deberet. Eſtque ob id perfectiſſima, quæ primò inſenſibiliter conſopit, pacatque Archeum, qui poſtmodum (cum ſit natura, ſola medicatrix) morbos, horumque cauſas occaſionales, demetit. In tono enim inauditum, coram diſcere recuſantibus, Tyronum diſcere cupientium impeditoribus. Ac ſoli me capiunt, quotquot prius jam annotata intelligunt.

4 Objiciunt enim pro ſuis purgantibus. Nil referre, tametſi laxans pharmacum, laudabilem è venis Chymum ejiciat, potiſſimum quod fortiori jure, & breviori compendio, abiget fæcem morboſam. Nec magnoperè curandum, etſi ſolutiva vires cum crudiore cruore parum diminuant. Negant at libri de febribus & humoribus, ſub conſenſu experientiæ, quòd purgativa tollant humores nocuos, aut morbum ullum iiſdem humoribus dicatum. Tum, quia non ſunt in natura ejuſmodi humores, nec itidem morbi ulli reſpondent iiſdem. Tum, quicquid profligant exterminantque catharctica, non eſt unius de tribus humoribus, quos peccare ajunt: ſed eſt cruor, per virus pharmaci mactatus, cujuſque cadaver fœtens per anum ejicitur.

5 Ideoque nec audent propinare purgantia,
ne quidem in acutis febribus, niſi poſtquam
materia turget. Quod eſt dicere, poſtquam na-
tura victrix evaſit: quando nimirum fortaſſis,
devictus hoſpes morboſus, ſponte ſua mox re-
ceſſurus, pro parte, cum aliis ſordibus à phar-
maco patratis, excidet: niſi indignatus Archeus
ingeſto pharmaco virulento, morbum recidi-
vum ſuſcitet. Quod ſæpiſſimè accidiſſe memi-
6 ni, & ſcriptis catalogis annotavi. Idque non
ignorant Scholæ, quæ dudum jam ſerio chara-
ctere aſſerunt, ſolam Aloem eſſe innocuam. Er-
gò omne laxans, abſolutè nocuum, ſi non et-
iam ſimul fruſtraneum. Reus ſim itaque coram
Deo, ſi non prorſus ſuadeam, omnino à laxati-
vis abſtinendum. Neque enim, ſi non ſtulta ſit 7
natura, laxans pharmacum, ad venas aſſugitur:
nec abſque diſcrimine in diſcrimen ſe præci-
pitaret, quæ virus intra venas nocuum trahe-
ret. Igitur ſolutivum virus adhuc tantiſper ac
in ſtomacho detinetur, putrefacit, & contami-
nat quicquid in meſenterio eminus, ad melio-
res uſus, erat depoſitum· trahitque in vicem
putrefacti theſauri depuratum cruorem è ve-
na cava, eumque ſenſim contagio virulento
contaminat, & fœtido fermento cadaveris li-
quat. Hinc nempe virium jactura à laxanti-
bus, & monarchiæ vitalis turbatio, citra ſpem
ſanationis inde. Durat autem laxantium fu-
ror is non ſolùm, quantum illorum præſen-
tia: ſed & quantum lugubre virus, ſuo con-
tagio ſtomachum & inteſtina aggravat. Sic
nempe artificioſa conſurgit Diarrhœa, quæ ſub-
inde in necem uſque perſeverat, ridetque ad-
ſtringentium pollicitam opem, tentataque ſub-
ſidia.

Ad 2. & 3. &c. dico pariter, ſat alibi demonſtratum, nec temperari elementa pro miſtis, falsò creditis: nec ob temperiem ergo eorundem, multóque minus juſtam, & ad pondus adæquatum. Ergo præſupponunt ſcholæ falſa. Imò & ſophiſmate certant. Nam etſi Arcana os fractum curent, tanquam Symphytum, vel lapis oſſifragus: requiritur tamen utrobique reponi oſſis fracturam. Herniam item benè ligatam, ſanatam memini citra exſpectationem, quod ex oſſifragio quis dudum lumbis decubuiſſet. Nec igitur Arcano indiget. 8

Ad 4. ſimul & 5. ſufficit, quod Arcanum cauſas occaſionales abſtergat, reliquum nempe ſupplente natura juvata.

Ad 6. cohibeant linguam ſcholæ: nam Arcanum ſanat morbos, quos incurabiles ſub blaſphemia adſtruxerunt. Quod pro me teſtantur hoſpitalia incurabilium, ſi cum epitaphio Paracelſi conferantur.

Septima autem contumelia, prorumpit neſciis è faucibus, proprio ſcilicet conſciæ mentis teſtimonio.

Ad 8. & 9. certum eſt, quod clamantes doleant, dum vapulant: ex ſenſu enim doloris, os contumelias loquitur. Sin autem è myriadibus Spagyrorum, vix unus ad optatum finem ſurgat; vitium id non eſt artis. Quia dos non pendet ex arbitrio volentis & currentis: ſed quia nondum eſt dierum plenitudo, qua hæc magis erunt vulgaria. Sat eſto mihi, quod nuſquam appareant ſigna, niſi inter Potitos Arcanis,

nis, id eſt Adeptos, quodque Humoriſtarum nullus eò unquam pervenerit, nec etiam perveniet. Itaque locus contumeliis contra ſcientiæ Medendi veritatem, nullus eſt, niſi ubi nullus eſt ordo, & ſempiternus horror inhabitat. Fugiunt enim veritatis lucem noctuæ, & veſpertiliones monſtruoſi. Quia paſcuntur decumano mendacio, nempe quod norint curare febres, citra evacuationem: cum nec quidem utroque tam venæ ſectæ, quàm laxati alvi præſidio, febres ſciant certò atque tutò ſanare. Sanent enim febrim ut adſtruunt: an ſaltem eo ipſo non adferent requiem ægro? tutoque dein, quod reſiduum ajunt, tollent? quod non ita commodè licebat, quamdiu vita cum morte, & morbus cum ſanitate conflictari credunt. Aſt fugiunt lucem veritatis, ſub pallio mendacii: ſic dictante ignorantia, ſicque jubente lucro, ſeſe miſelli tutantur.

9 Medicina enim non eſt nudum verbum, inanis jactantia, aut ſermo vanus: poſt ſe namque opus relinquit. Quocirca ſperno contumelias, jactantias ambitionis, & vanitates miſeras. Eja mecum ad rhombum. Si verum dicitis, Scholæ, quod poſſitis ſanare quaſlibet febres citra evacuationem: ſed nolle, præ metu deterioris recidivæ. Ad luctam deſcendite, Humoriſtæ. Sumamus è Xenodochiis, è caſtris, vel aliunde 200 aut 500 pauperes febrientes, pleuriticos, &c. partiamur illos per medium: mittamus ſortes, ut mihi illorum una medietas cedat, & altera vobis. Ego illos curabo citra phlebotomiam, & evacuationem ſenſibilem; vos verò facite ut ſcitis (nec enim vos adſtringo ad jactantiam phlebotomi, vel ſolutivi abſtinentiam) videbimus quot funera uterque noſtrum habiturus: præmium autem certaminis ſint 300 floreni, utrimque depoſiti. Hic veſtrum agitur negotium. O Magiſtratus, quibus cordi eſt ſalus populi! Pro bono publico certabitur, pro veritatis cognitione, pro vita & anima veſtra, filiorum, viduarum, pupillorum totiuſque ſanitate populi. Ac tandem pro methodo curativa, in actuali contradictorio diſputata. Superaddite præmium, honorarii loco, ex officio. Compellite nolentes intrare in certamen, vel palæſtra obmuteſcentes cedere. Oſtendant tum, quod modo oblatrando ſtentantur. Sic namque diplomata oſtendenda ſunt. Cedant verba, & jurgia, agamus amicè, & per experientias mutuas: ſciatur poſthac, utra methodus ſit vera. Siquidem in contradictoriis, non ambæ quidem propoſitiones: at tantùm altera, vera eſt.

10 Sed jam Humoriſtæ pavorem incutiunt, dum quis ſe mihi ſanandum committit. Ne nimirum novorum dogmatum authori ſe dedant; potius autem vias ethnicorum eant, ne cenſeantur novitate dogmatis, vitam in ancipiti poſuiſſe, fretique potiùs veteri abuſu, tritas calles ingrediantur. Ah utinam ex altero ſeculo, mundoque intelligibili redirent, ut teſtarentur quibus ſua debeatur nex. Statim, qui jam naſutuli, vitæ ſuæ conſulere videntur, agnoſcerent ſe incurrere in vitæ perniciem; & jacturam: dum malunt vitam ſuam credere pluralitati ob ſolam veteris erroris, & abuſus conſtantiam, quàm velle flecti ad monita veritatis. Quaſi adhuc modò ſagittis & fundis bellandum foret: quia iſtud armorum eſt genus antiquiſſimum. Verumtamen ſed nec noſtra adeo ſunt nova, ut milleſima tantùm ſint in ſe experiente: quæ centies millies, veritate experientiis ſunt facta conſona. Medentes ergo quotquot hujuſmodi objiciunt debiliori animæ, & artis ignaræ, ſunt truculenti impoſtores, hoſtes Chriſtianorum, invidi propter lucellum. Siquidem augent timores in ægris, ægroſque angunt, ut ſe & ſua extollant.

11 Et dicunt. Libenter enim ignoramus, quæ mala ſunt: quoniam remedia chymica (utimur enim iis, quandoque ubi opus fuerit) nova atrocia, nocua, æſtuantia, & periculoſa. Chymicum autem ſi admiſeris, tu ſolus eris cum tuo Chymico: nos omnes domi manebimus. Quia Idiotæ ſunt, ſtentoreſque, qui nobiſcum non conſentiunt. Mementote interim, quod plus cernant oculi, quàm oculus. Ergo in lacera puppe, naufragium quæris, ſi à tuto litore abſceſſeris. Adducunt in confirmationem turbam Chymiæ apoſtaticam, itemque Iudæos, ac viros nequam. Quaſi pariformiter omne meretricum & nebulonum ſedimen, & ſpuma, non ſe ingerat ſub nomine Medentum Humoriſtarum. Etenim ſi rixæ apud me valuiſſent, non fuiſſem compulſus ad ſcribendum.

12 Nam ſi vos charitas, aut veſtrarum animarum cura angit, eamus ad provocatum certamen! Promitto enim, ſi viceritis, quod lubens meo malo, poſtmodùm in veſtram totus ivero doctrinam. Denique dum depurata medicamina præfero veſtris, & vera medendi principia Paganicis nugis: non fit hoc, intentione lucri captandi, aut alliciendi. Nec enim decet me ex avara mente veſtra judicari. Ego enim pura intentione veritatem medicam concionari inſti-

tui, ut **Medentes** reſipiſcant, & diſcant quæ
neſciunt, tutiorem viam ingrediantur, atque
malè vitam proximi tractando ceſſent: ceſ-
ſent inquam perdere viduas, orphanos, & pro-
prias animas. Scio namque, quod ſub dierum
maturitate (*nil enim tam occultum, quod non
revelabitur*) manifeſta fiet doctrina, quàm mo-
dò per hoc volumen evulgavi. Opto ſaltem
tempeſtivius id accidat, ob animarum ſalutem,
& familiarum cuſtodiam. Ad me autem quod
attinet, jam à multis annis ægros non invi-
ſo; nec quenquam invito, ut mea utatur ope-
ra, quod noſtratibus ſat cognitum. Quippe
qui quæſtum ex alienis miſeriis non paro: æ-
grorum autem neminem citra conſolationem
à me dimitto. Ceſſent quoque ſcholarum ſten-
tamina, authoritatem à poſſeſſionis vetuſtate
implorantia. Siquidem non cadit præſcriptio
13 in naturam. Dono namque paganiſmum Chri-
ſtianiſmo ſeniorem. Præſuppono quoque ſcho-
larum errores mox cum paganiſmo incepiſſe.
Nova & inaudita quæ doceo, quia Deus no-
ſtri generis miſertus, ſub hac dierum plenitu-
dine, theſaurum veritatis aperuit, quando ſi-
bi placuit. Pro cunctis paganicæ ſcholæ alu-
mnis, ut diſcant deinceps tutiori aſſentiri do-
ctrinæ. Etenim præ veteri abuſu marcida,
carioſa, & verminoſa ſunt, quæ veri ſucco
demonſtrantur orba. Quia univerſaliter & ſin-
gulariter verum eſt, quod falſum & tenebro-
ſum ſit omne donum, quod non deſcendit à
Patre luminum: non eſt autem credibile, Ad-
eptum medendi illuminaſſe Scholas Genti-
lium, quarum poſteritas tanta theorematum
cœcitate adhuc medetur, orbataque eſt me-
dicaminum favore, vigore, honore. Faceſſant 14
& jactantiæ, quod à Poteſtatibus mundi cele-
brentur, quotcunque ſermocinali doctrina præ-
fulgent. Non enim aulœdi ſunt medici, quos
creavit omnipotens: ſed in compaſſione cha-
ritatis medentur peculiariter pauperibus, eo-
que ſymbolo agnoſcuntur. Pater autem pau-
perum benignis oculis adſpicit, qui obſequiis
miſerorum ſuorum vacaverit, in ſui Chriſti
memoriam. Subtrahunt ſeſe populi, & magna-
tum adulationibus ſuo jure vivunt, injurii ne-
mini. Vnicoque ſigno à medicaſtris diſtin-
guuntur, quatenus benè agendo, ab his vili-
pendium patiuntur, & lubentes tolerant. **Imò**
populus (cui ſunt benefici) obloquitur, & ob-
gannit. Quia iſta eſt ſors, quam ſuis perpetuò
reſervat Dator luminum. Etenim abſque ſpe
lucri, procurant eſſe miſericordes. Sin autem
illis ſponte detur nummus, recipiunt quidem;
ſed non niſi in priores uſus reponunt. Sunt
autem rariſſimi, nec obvii in aulis principum.
In epitaphio Imperatoris olim ſcriptum erat.
Turba medicorum periit: Adeo hominum ſunt
infeliciſſimi Principes, quibus nemo verita-
tem dicit: ſed adulatoribus ſtipati, nil niſi
blandimenta audiunt, ac deceptionibus alun-
tur. Non ſaltem eſt Principum, noviſſe elige- 15
re optimum medicum, cui vitam fidant: ſed
hunc commendatum, vel adſcitum à priore
medico, ſuſcipiunt. Sicque in aulis, continua-
ta ſerie perſeverant. Ac proinde Princeps ple-
rumque non eſt numerandus inter vita longa
dotatos. Nam etſi honoraverit patrem ſuum:
longævitate tamen ſibi promiſſa ſpoliatur ab
infidis auxiliatoribus.

TANTVM.

TRACTATUS
DE MORBIS.
INTRODVCTIO DIAGNOSTICA.

1. REſumtio totius operis. 2. Cur tanta Authori reprimendo auſteritas. 3. Deum invocat, dum ſe humano ſentit privum ſubſidio. 4. Pauperies & fucus Logices detegenda erant. 5. Nuditas auſcultationis Phyſices Ariſtotelis. 6. Inaudita inveſtigandi methodus. 7. Cur ſcholæ caruerint morborum cognitione. 8. Morbus è prævaricatione fluxit. 9. Eiſagoge in Morbi cognitionem. 10. Morborum ſchema ex Hippocrate. 11. Schola Loto paſta, deſeruere ſuum Hippocratem. 12. Medullaris contemplatio morborum.

1 NEceſſarium viſum fuit, ab Ele-
mentis, qualitatibus, miſturis,
complexionibus, contrarietati-
bus, humoribus, & Catarrhis in-
cepiſſe, ut demonſtrarem ſcholas,
morborum naturam attendiſſe
nunquam: ideoque ignoraſſe rei medicæ veros
ſcopos, ſive morborum principia, theorema-
ta, modos fiendi, cauſas adaptationis; conſan-
guinitates, conſenſus, alteritates, atque pro-
prietates, remediorum item inventiones, de-
lectus, præparationes, exaltationes, appropria-
tiones: Id eſt, ægrorum ſcientificam ſanatio-
nem neſciviſſe. Credidi namque per ejuſmodi
initia procedendum mihi: eò quod ægritudines
omnes (paucis forſitan exceptis) retulerint in
qualitates elementales, atque innata naturæ
diſſidia. In humores, catarrhos, flatus, fumos:
adeò ut in fumum & vapores ablata ſcholarum
ſcientia, in fumum evaneſcat. Tandem per
Tartari errores, ad Tartaros devenit, ut o-
ſtenderent ſe tenebris involutas, ceſpitaſſe in
2 viis ſuis. Detegere enim impigrè illa debui: ſi
reſipiſcendum Tyronibus poſthac. At non ſa-
tis fuit, errores, inſcitiam, ignaviam, & per-
tinacem conſtantemque ignorantiam oſten-
diſſe: niſi doctrinam veram in nugarum vicem
rependero. Etenim per plurimos annos ſuſpe-
cti mihi remanſerant axiomatum abuſus (quod
lib. de febribus ad vivum depinxi) priuſquam
ad ſolidam veritatis cognitionem pervene-
rim: dudumque Theoriæ veritatem perluſtra-
veram, priuſquam juſta aliquot medicamina,
quæ initiatis ſat eſſent, quærendo inveniſſem.
3 Quamobrem cum de morbis, ſub tanto para-
doxo, rerumque pondere, dicturus eſſem apud
veteres, & juniores modernos autem offende-
rem neminem adjutorem, Deum ſeriò invoca-
vi ac etiam propitium inveni. Statui itaque an- 4
tequam ſcriberem invocare Logicen, ut per ſuas
mihi definitiones, morborum eſſentias demon-
ſtret: per diviſiones verò, ſpecies, atque alte-
ritates illorum; Ac tandem per Argumentatio-
nem cauſas, proprietates, media, atque remedia
ſuggereret, cognoſcendi atque ſanandi. Sed ad
meas acclamationes, etiam in os ejus factas, ſur-
da fuit, ſtupuit, nil audivit, muta manſit, nec
minimum juvit me miſerum. Quia tota impo-
tens, ſine ſenſu. Dein igitur in ſubſidium vo- 5
cavi ſcholarum auſcultationes Phyſicas. Tria
nempe illarum jactata principia, cauſas qua-
tuor, fortunam, Caſum, Tempus, infinitum va-
cuum, motum, imò & monſtrum. Vndè tan-
dem detexi totam Phyſicam verè monſtro-
ſam: Habentem initia ficta, falſa, ludicra, non
principiantia, ~~multò~~ minus vitalia in conſpe-
ctu *Regis cui omnia vivunt*: Cauſas item non
cauſantes. Phantaſtica quoque entia Rationis,
milleque abſurditatibus obſepta dogmata ob-
trudentem. In quibus ne veſtigium ullum na-
turæ adhuc integræ reperi: multoque minus
defectus ejuſdem, alteritateſve facultatum, aut
functionem vitalium. Minimè autem ex tali
principiorum ſtrue, notitia cauſarum natura-
lium, vitalium, morborum, remediorum, ac
ſanationum, petenda fuit. Quorſum tamen
ſcientiam naturæ, ceu in objectum ſpectare ſco-
pum, ſum ratus. Quicquid namque à ſcholis pe-
terem, & per Theoriam contrectare aggrede-
rer; Id totum ſtatim natura riſit in Praxi, habi-
tumque eſt pro pedantiſmo. Me inquam ridicu-
lum (diſtinctius loquendo) cum ſcholis riſit.
Ac tandem mecum conqueſta eſt tam invictæ
ſtupiditatis. Tum Logica ſuam penes me de-
ploravit impotentem nuditatem, vanamque
ſcholarum jactantiam. Quippe quæ mediorum,
cauſarum, terminorum & ſcientiarum repertrix
ac ſcrutatrix huculque ſalutabatur, doluit fateri
debuiſſe, quod in morbis non minus, quàm in
tota naturæ compagine, muta eſſet, ſuoſque
etiam profeſſores in tanta ærumnarum neceſſi-

tate deſerere deberet. Imò riſiſſet ſimul uno
cachinno Phyſica Ariſtotelis , ſtolidas mundi
& tot ſeculorum credulitates, ſi ipſamet non
fuiſſet figmentum non-ens, ſolo ſuperbiæ flatu
6 turgidum. Quapropter , cum natura nusquam,
niſi in Individuis exſiſtat , aut cernatur: mihi
de morbis ſcripturo , opus eſt particularium
cauſas apprimè noviſſe , prout & Medenti neceſſum,
illas , ſub reatu pœnæ infernalis, individualiter
perſpexiſſe. Viſum itaque fuit mihi:
rerum tam integrarum quàm læſarum quidditates
inveſtigandas fuiſſe , per modum de venatione
ſcientiarum traditum. Atqui cum ſic
hauſta cognitio queat explicari. Tyroni ſtatui
quod per cauſas, harumque proprietates , definitio
eſſentialis ſit exponenda. Quæ nil aliud
eſt , præter cauſarum connexum. Non autem
genus definiti, & differentia. At inaudita eſt hæc
explicandi Methodus, prout mentita eſt Logica
ſcientiarum repertrix. Simulque cum ea omnis
facultas , ſermocinali Philoſophiæ inſerviens.
Fruſtra namque ad genus definiti , & differentias
ſpeciei conſtitutivas recurritur pro morbis,
7 quæ nunquam & nuſquam cognita fuere. Itaque
cum hactenus ſit ignoratum, quod res ipſæ
nil ſint extra vel præter connexum materiæ, &
efficientis. Conſequenter quoque caruerunt
ſcholæ verâ definitione: id eſt , juſta morborum
cognitione. Si ergo morborum quidditas,
ac proprietatum morbidarum conditio , ex
cauſis ſuis immediatis eſſentialibus profluant:
neceſſariò quoque præfatorum cognitio ex iiſdem
cauſis eſt deſumenda. Eò quod conſideratio
cauſarum prior ſit conſideratione morborum.
Itaque rerum naturalium eſſentias, jam
ad tædium uſque , oſtendi eſſe materiam & efficientem
, connexas in agendo : ergo & morbi
cujusvis eſſentia, duabus iſtis conſtat cauſis, ex
iisdem petenda eſt cognitio, per juſtam definitionem.
8 Inprimis morbus eſt quoddam malum,
vitæ reſpectu. Ac quanquam è peccato oriundus
, non tamen eſt malum , inſtar peccati , ex
cauſa deficientiæ , cui deeſt ſpecies , modus &
ordo. Sed morbus eſt ex cauſa efficiente ſeminali
, poſitivo , actuali & reali , cum ſemine ,
modo , ſpecie , & ordine. Et quanquam intuitu
vitæ , ſit malum : habet tamen ex ſuo ſimplici
eſſe naturam boni. Nam quod in ſe bonum eſt,
per accidens producit aliquid, ad cujus poſitionem,
facultates partibus innatæ , occaſionaliter
læduntur & pereunt per Adaſtriam: Sunt
9 ideo defectus à cauſa externa , facientes impetum
ſupra vel præter vires vitales , in partibus
celatas: Suntque ab hoſpitibus peregrinis ,
intrò receptis , & valentiore Archeo dotatis.
Atque hinc importunitate temporum , quantitatum
, roboris , ſuperioribus. Sunt denique
defectus occaſionales , qui (cum bonum parturiat
malum per accidens , profluatque ſæpius à
noſtriſmet poteſtatibus vitalibus ,) propriis
ſunt proprietatibus prædititi, tanquam initiis ſuis
ſeminalibus ; ideo tendunt immediatè ad expugnationem
noſtrarum poteſtatum tanquam
finem. Quos ideo morbos poteſtativos voco
alibi. Nec eſt autem ens poteſtativum illud ,
quod ſcholæ vocant morbum per conſenſum,
perque vaporum colligantiam fieri putant : ſed
ens poteſtativum continet regimen coactæ facultatis
, tam ſcilicet reſpectu authoritatis vitalis
, quàm ipſius morbifici entis. Quod ſcilicet
motu proprio natum eſt, ſuſcitare morbum
poteſtativum ſuæ claſſis. Perinde ut Cantaris
ſuſcitat ſtranguriam. Idque etiam fit internæ authoritatis
poteſtate , & vi partium , in partes.
Sic ens Apoplecticum epilepticumve in ſtomacho
vel utero adhuc præſens , animam quatit ,
imò & inde cerebrum, cum pediſſequis potentiis
, in ſui famulatum , velit nolitve , traducit.
Poteſtativum ens itaque nedum deſignat functionum
læſionem : ſed & regimen partis , &
entis morbiferi vim occaſionantem , prorogatam
in facultates ſubordinatas, tanquam imperii
in vaſallos. Perinde etiam ſive partes procul
invicem diſtent , ſive prope ſint. Nam ſunt debita
proprietatum tributa Enimverò primus 10
Hippocrates , inſinuavit morbos diſtingui per
hoſpitia & ſapores. Atque utinam poſteri hunc
ſervaſſent tenorem. Sed œſtro velut afflatus Senex
ille , futuros præſagivit ſequacis ſcholæ auſus
, monuitque præcisè , ne crederent calores,
frigora, humiditates, acrimonias vel amaritudines
eſſe morbos : ſed ipſum amarum , acre ,
ſalſum , ponticum , *&c.* Aſt coram ſurdis, vel
egregiè perforatis auribus hæc cecinit. Siquidem 11
ante acta ab olim ſecula , in inquirendi
ignaviam & facilem credulitatem prona,
arripuere caliditatum & frigiditatum ſcabioſa
theoremata , iisque ſubſcripſere ob plauſibilem
facilitatem , ſuoque valedixere Magiſtro
: qui morbos juxta diverſoria dividendos
ratus , corpus noſtrum in tres diviſit claſſes :
nimirum in continens ſolidum, ſive vas ipſum.
In contentum , ſive liquidum : & in Spiritum,
quem dixit impetum facientem. Qui nempe
Gas æthereum ac vitale eſt , nobisque concitat
omne Blas in utrumlibet finem. Quam

morborum diviſionem licet expreſsè non dictaverit: ſat tamen eandem inſinuavit. Etenim paucula tantùm ſcripſit, quæque circumferuntur
12 omnia, penè ipſi ſunt ſuppoſita. Atque ideo utinam poſteritas ſua ingeniorum acumina juxta Senis illius mentem direxiſſent! fortaſſis cauſarum morbidarum intellectum Dei permiſſu hauſiſſent. Sed unius poſtmodum Galeni authoritati ita ſubſcripſere, quod velut in ſoporem obdormiverint, attonitæ dum à me excitantur. Cauſarum autem nomine, in ipſa morborum medullari integritate, materiam, ſuo efficiente proprio inſtructam, intelligo, internam ſcilicet, proximam, vitalique initio oriundam. Quare etiam externas & occaſionales nomino, quotquot non ex ipſa vitæ radice fluunt. Ideoque de cauſis ago, quæ ſunt ipſe morbus. Panis namque maſticatus & deglutitus, adhuc externus eſt, quia rejici poteſt. Sic & chylus inde in ſtomacho coctus, adhuc externus eſt. Quinimo poſtmodum domeſticus factus, atque interior noſtræ œconomiæ licet ſit factus civis: dum tamen à vivo ſeparatur, & in morborum culinam ruit, eo ipſo ut hoſtile factum; ita & externum vitæ reſpectu, cenſendum. Sic & aër peſtilens intrò attractus, licet intus venenum ſparſerit, & internum ſit reſpectu corporis: nondum tamen internum eſt reſpectu vitæ: adeoque nondum eſt morbus ipſe: cujus videlicet dumtaxat occaſionem in ſe continet, nec eandem occaſionalitatem deponet unquam. Sed Peſtis eſt, dum Archeus applicato ſibi contagio, partem ſui infectam à toto ſegregat. Ad cujus proſcriptionem reſiduum Archei collaborat anxietaturque ſeriò, ne ob ſymbolum penetretur, & pereat. Conſimile occurrit propemodum in morbis reliquis. Siquidem vita proximè non læditur niſi à veneno quodam ſuo, ſibique proprio, quod ſibi applicari permiſit.

IN PVNCTO VITÆ SVBIECTVM INHÆSIONIS MORBORVM.

Vita perfectè ſana non habet morbum: quia ſanitas integritatem præſupponit, quam morbus lacerat. Adeoque ſanitas & morbus ſibi contradicunt. Vita quoque extincta, non eſt morbus, nec morbum in ſe admittit. Eò quod propriè loquendo, vita illa eſt merum nihil, nec amplius exſiſtens: Morbus autem eſt hoc aliquid. Tertiò denique, cadaver, utut virulentum, aut tabo infectum, attamen nullatenus capax eſt morborum. Quapropter tametſi corpus dum vivit, ſit domicilium morborum: non tamen eſt verum morborum efficiens internum. Multò etiam ſanè minus ſordes, ſive excrementa (quæ humores noſtri conſtitutivi putantur (jus habent aut proprietatem morborum. Verùm ſi qua pars morbi adſcribenda ſit inordinatis fæculentiis: illa profectò tota vergit ad cauſam occaſionalem. Siquidem morbus eſt ens verè ſubſiſtens in corpore, conſtructumque ex materia & efficiente interno ſeminali, adeoque etiam hactenus ſeſe ſequeſtrat longè à cauſis occaſionalibus. Præſertim quod interna rerum initia conſtituant ipſum ens, ſintque inſeparabiliter de ejus eſſentiali quidditate. Sic nimirum ut ſi loquamur de corpore, vel anima humanis: rectè utrumque dicitur homo, licet non integer.

Sic nempe materia morbi, verè eſt morbus: prout & efficiens ejus ſeminale eſt verè morbus: licet non propriè integer ſit morbus. Itaque quandoquidem morbus ſit dumtaxat in vivo, non autem in mortuo, neceſſe eſt vitam eſſe immediatum morbi domicilium, ſubjectum internum, imò & opificem ejuſdem. At cum vita non ſit corporis, nec corpori eſſentialiter propria: ſed corpus citra vitam ſit cadaver, ſitque morbus in vita: neceſſariò quoque omnis materia ſive domicilium & efficiens morbi, non excedit vitæ limites: Id eſt, neceſſariò omnis morbus habitat intra capſam Archei, qui ſolus eſt immediatus vitæ teſtis, exſecutor, organum, ut & hoſpitium. Apoſtemata autem, ulcera, ſordes, excrementa, &c. ſunt tantùm vel occaſiones mortis ac morborum: vel eorundem producta poſteriora, in novam tragœdiæ ſcenam ſuſcitata. Nec ſanè ideo mirum, quòd unà cum vita, morbi omnes in nihilum abeant, ſi vita ſit immediatum ſubjectum domiciliumque morborum: ſed dudum admiratus ſum, quod hactenus nemo medentum ſciverit, in quo eſſentia morborum gliſceret. Sed circum qualitates elementales, humores, complexiones, contrarietates, & diatheſes vagati ſint. Nec ſemel quidem animadverterint, quod ſicut ſordes non ſunt morbi; ita nec morbi in ſordibus: at tantum in ipſamet vita degant, atque in eadem ſic incluſi oriuntur, adoleſcunt, & pereunt, quòd cum nullibi ſint extra vitam: debeant eſſe vitæ intimi atque domeſtici fures. Hæc de morborum proprio receptaculo. Porrò cum morbus citra controverſiam admittatur ens exſiſtens in nobis tanquam hoſpitio, potiaturque ſuis ac ſingularibus proprietatibus, ac ſymptomatibus diverſis: neceſſariò morbus non eſt de numero accidentium: eò quod accidens non eſt accidentis ſecum combinati, & à ſe tota ſpecie diſtincti: Siquidem aciditas, vel amaror, non eſt proprietas albedinis, nigredinis, levitatis, aut caloris: ſed ſingula quæque ſtant pro ſeipſis. Quapropter ſi morbus eſt ens, & non accidens, ſi denique de ſe proferat, nedum alterationes, varias diſpoſitiones, debilitates, &c. verùm inſuper generet ſubſtantias, degeneres ab ordinario naturæ ſuæ inſtituto: neceſſariò debet conſtare materia, & efficiente ſuo interno, ſive ſeminali. Denique cum morbus ſit internus ipſi vitæ, de neceſſitate quoque conſequens eſt, quod materia morbi ſit Archealis, & ipſius efficiens ſit vitalis. Ac ut clariùs loquar, Morbus neceſſariò omnis eſt vitalis poteſtatis actus Idealis efficiens, induens ſibi veſtem ex Archeali materia; atque acquirens formam vitalem & ſubſtantialem juxta differentiam tarditatis, & celeritatis ſeminum idealium. Quæ quidem hactenus fuerunt à mortalibus ignorata, & magis longè adhuc quæ ſequuntur, nituntur theſi huic: DEVS non fecit mortem. Atque tantundem à morte ſemper eſt alienus, quod recuſet vocari DEVS mortuorum. Inprimis etiam licet mors quandoque invadat, abſque morbo: plerumque tamen mors morbos ſequitur, quod nemo addubitet, quin mors iſta ſit morborum filia, ſive cauſa ſecunda ex qua, & propter quam vita extinguitur. Id eſt, mors adeſt. Sed cum Deus non eſt ullatenus mortis author, per quem ſcilicet mors in hominem, alioquin immortalem introiverit, idque non magis, aut potiori jure in initio mundi, quam hodie: Inquirendum eſt ſedulò medenti, unde mors ab initio & etiamnum hodie cauſaliter irruat, ut inde conſtet, unde morbus ſui integritatem hauſerit. Siquidem quanquam ſat obvium ſit, quod mors, velut privationem ſive exſtinctionem vitæ continet; ita nec in ſe, aut pro ſui exſiſtentia non requirit formam ullam ſubſtantialem, multoque minus vitalem. Ac certè morbus non dicit, ut talis, privationem: ſed ens verè ſubſiſtens, agens, actu nocuo vitæ, & vitæ inſidians: ita quoque oportet morbum conſtare formâ ſuæ quidditatis, quam vita in ſe capere queat, illaque informari. Sed cum morbus eodem ſurrexerit initio, quo mors; nec Deus ſit mortis author unquam. Sequitur omnino, quòd DEVS non ſit author vel creator morborum. Neque idcirco licet morbus habeat formam aliquam ſubſtantialem; non habet tamen vitam, nec lumen vitale, niſi quod à vita ipſa mutuavit: quatenus ſcilicet in lumine vitæ noſtræ, vel pecudum gliſcit. Non autem quod morbus pro ſui ſeminis eſſe requirat, aut impetraverit à Patre luminum, lumen vitale: quod in ſe potius lethale nuncupandum eſt, ac prorſus à Dei creatoris bonitate alienum. Itaque tametſi Deus ſolus creet omnes omnium rerum formas, & Pater luminum det omnem formam eſſentialem, ſcilicet vitalem, ſubſtantialem, adeoque & ſubſtantiam formalem, abſque competitore ſecum ullo: Attamen id locum non habet in morbis, quibus videlicet formandis ſolus homo præſidet. Quia hominis vita cauſas ſecundas ſola continet morborum, & mortis. Idcirco quia Creator Deus negat ſe feciſſe mortem: ideoque & morbum. Stat enim morbus in vita hominis, adeoque omnis ejus quidditas è vita hominis dependet; idque nedum ſeminaliter, prout alioqui proprium eſt cunctis rerum quarumcunque ſeminibus: verum inſuper & formaliter, adeo ut vita archealis, ſive caro & ſanguis, ſint & maneant morborum totalis cauſa formalis, ſive effectiva formarum morbi. Nam qui ab initio recuſavit mortem, aut morbos effeciſſe, deinceps demum nec mortem nec morbos feciſſe volet unquam. Pater enim luminum ſuum honorem nulli tribuet creaturæ, creandi lumina formalia: exceptis formis lethalibus morborum, quorum, ut neque mortuorum Deus vocari voluit. Itaque homo manet mortis ſuæ (qui pridie immortalis erat) ut & ſuorum morborum opifex: quaſique mortis creator. Sic quidem ut ubi fecerat DEVS lumina vitalia, homo creet Ideas morboſas, obſcuras & lethales; tantumque diſtat ejuſmodi Idea, à lumine vitali, quantum calor ater à luce. Actus ergo formalis mortis, atque morborum, ex actione peccati originis manavit, & manabit uſque in ſeculi conſummationem. Eadem enim cauſa quæ initio mundi fecit mortem, ſive cauſa eadem ſecunda naturalis, quæ dedit introitum mortis naturalem in humanam naturam: eadem prorſus & hodie facit mortem & morbum. Cum gloria namque Creatoris pugnat, non feciſſe mortem ab initio, eamque

que factam per hominem, deinde ſibi aſſumſiſſe gloriam ſciendi fabricare eam : quaſi ab homine id didiciſſe debuiſſet. Quod autem jam de morte dictum eſt, id de morbis pari jure intelligendum : quippe cum ex eodem ortus puncto mors & morbus profluxerint. Itaque ſi dicatur Deus dare morbos , vel mortem : non eſt quod jam velit eſſe Creator eorum, quorum antea fabricam penitùs recuſavit : Sed dicitur permiſſivè author , & princeps vitæ & mortis. Quod ſicut eſt verus ac ſolus vitæ Author , eamque ideo moderetur , & tollat pro ſuo lubitu : ita permittit , ut hic cedat , & alter cadat , & quod cauſæ ſecundæ tam directè , quàm irregulariter incidant , undè homo oppetat , vel morbus vigeat. Aſt creatio morbi , ut entis ſubſiſtentis, ex materia & efficiente, ſeminali atque ideali, malo & lethali : nequaquam ex Deo procedit. Nam dum hominis in arbitrium collocaſſet, poſſe citra mortem permanere , vel eadem die morte mori : eodem paſſu quoque in hominis manu poſuit, fabricare mortem & morbum ipſum , tanquam mortis præcurſorem , ac præparatorem. Introitus mortis in naturam hominis conſideratus , pro ut illum alibi paradoxo notabili explicui , probat exquiſitiſſimè , morbum non ſolummodò conſiſtere in parte vitali hominis : ſed & morbum ipſum , naſci ſeminali Idea ex ipſo Archeo. Breviter autem id probabo. Ex concupiſcentia carnis, orta eſt caro peccati : ideoque & mortalis Archeus in illa , & per conſequens quoque inde Archeus, in quantum eſt vitalis, in carne peccati , agit omnem actionem; producitque omnem actum formalem nocuum atque lethalem , quem Deus recuſavit facere , permiſitque hominem ſibi cudere cauſas mortis, & morborum. Non eſt tamen homo proinde creator, licet faciat ſibi actus formales, ſive formas ſubſtantiales morborum , ſive vitæ nocuas: ſiquidem illi id conceſſum fuit vi verbi , quod quacunque die comederet de fructu arboris ſcientiæ boni & mali, morte moreretur, & ſatellites ad mortem deſtinatos ſibi faceret. Idque ex natura ipſamet mortis, in carne peccati neceſſariò partæ. Actus itaque , qui eſt de eſſentia, exſiſtentia & ſubſiſtentia , prout etiam de propagatione, contagioniſve fertilitate morborum, pendet omnino in vita , ex vita , per vitam : intra quam etiam clauditur. Miſeri ſanè mortales , atque longè miſerrimi infirmi , qui hactenus Medentes magno caroque pretio ſtipendiarunt , ignorantes , quid ſit morbus , à quo oriatur , in quo conſiſtat atque ſubſiſtat. Admiror autem, hæc ante me non olfeciſſe priores , ut nec Neotericos : utpote quorum Sacra anchora plerumque eſt in ſpe Criſeos , & de Criſibus , ad excuſandum ſuas ignorantias plurima commenti ſunt. Siquidem Criſis in morbis nil præter Archeum probat: ſi credant ſuo Hippocrati, dicenti, Naturas ipſas morborum medicatrices, & auxiliatrices unicas. Luna namque non facit Criſes cauſativè, ſed ſolus Archeus, lunæ inſequens rythmum. Dies namque metitur luna , magiſque in probationem actionum Archei, quàm in cauſalitatem ſpectat. Semper enim Luna 14 die , eſt oppoſito loco , quo erat prima die : ergo & vires oppoſitas Archeus habet , qui lunæ rythmos æmulatur. Sic & de 7. die, *&c.*

Concludo itaque pro notitia morbi , quòd morbus vel habeat fomentum, vel duntaxat excitamentum à cauſa occaſionali: vel ſponte motuque proprio ſurgit , ſuoque ſeminis contagio perſeverat , ut dum epilepſia ſemel concentrata eſt , vel podagra radices egit , propriâ nempe ſponte quoties lubet expergiſcitur . Perinde quoque , biduo triduoque , vel amplius ceſſat morbus , atque iterum ſtatis recurrit periodis, licet cauſa occaſionalis interea perpetuò ſit præſens, ſicque poſt aſſumtum ſolutivum nocuum, licet poſt paucas abinde horas expellatur , inquinato tamen inde Archeo furit obeditque hauſtæ veneni labi . Sic quoque connaſcuntur nubis proclivitates , hæreditariique toti alicui familiæ vernaculi morbi: quia vitæ ipſi concentrati ſunt , ac velut notæ characteriſticæ impreſſaque noxiorum ſigilla.

PROGREDITVR AD MORBORVM COGNITIONEM.

1. MEdicina ſcientiarum occultiſſima. 2. Præteritorum ſeculorum ignorantiæ ideo excuſabiles. 3. In quo habitent morbi. 4. Ortus morborum. 5. Vndè inceperit morbus. 6. Morbus immediatè , cur in ente primorum motuum. 7. Ignorata cur fuerit morborum eſſentia. 8. Morbus nupſit enti vitali. 9. Semina cuncta quomodo profluant è mundo inviſibili. 10. Ortus efficientium , & proprietas Idearum ſeminalium. 11. Ab inviſibili Idæa, rerum cunctarum ſeminalia initia. 12. Ens ſeminale quomodo ſuſcipiat ſui complementum. 13. Explicatur vis Idealis ſeminum per claſſes. 14. Mors, & morbus quanquam eo-

dem initio orta ſint; differunt tamen, quod morbus Ideas habeat, non autem mors. 15. *Ridebunt Scholæ Ideas: ſed ſcholarum ignorantiam carpit Author.* 16. *Probat inſcitiam earum, uno ſaltem exemplo.*

1 IAm aliquoties, nec fruſtra aſſerui, artes & ſcientias in faſtigium properaſſe; ſolam autem medendi artem, ſi non retroiiſſe, ſtetiſſe ſaltem, ac circa idem fallax punctum circumiiſſe. Hinc quoque conjeci difficillimam humanitùs fuiſſe morborum cognitionem, atque inde dependentem medelam. In quam tot felicia ingenia per tot ſecula ſuos conatus fruſtra impendere. Idque non hoc à ſolo contingenti, ſive eventibus conjicio: quod nimirum neglecta huc uſque fuerit morborum notitia: ſed quia ex parte cauſarum, tota ſit inviſibilis, & invia. Quapropter etſi ignorantiæ ſcholas taxem, non id à me factum velim vanæ gloriolæ ergo, ut neque animo conviciandi totum corpus facultatis: utpote quod in me non peccavit: verùm ſolo ſtudio docendi mortales. Non quidem quod mihi perſuadeam, Dei bonitatem humanæ invidere ſanitati hanc doctrinam. Dum vel ab initio per mundi ætates diſperſit ſuum donum per quoſdam, medentem quoque ſummoperè commendent Sacra. Aſt plerique, per ignaviam indagandi, & credulitatis promtitudinem, in ſe ſuffocarunt 2 lumen iſtud dotale: adeoque ſtruente diabolo ſemper falſis ſuperſtructum fuit Gentilium initiis. Itaq; difficillima ſcientiarum medicina, ob morborum inviſibilitatem, & dolum, ab ethnicis theorematibus inoletum, nullo ingeniorum acumine penetrabilis fuit. Quas auxit difficultates inventio, & cognitio tantorum ſimplicium, remediorumque inde petitorum præparationes, appropriationes, & applicationes, juxta labentium occaſionum varietates, & celeritates, in quibus ſingulis, utrobique ſui ſunt ſcenæ Actores inviſibiles. Quos niſi quis perfectè noverit, vel remedium ſuperexcellens ſit adeptus tela ſua profectò ad poſteriora: non autem ad ipſas radices perdet. Stetit ergo medendi janua, ab mundi cunis clauſa, quam mihi aperire mandavit acceptum talentum (hujus enim jactantiæ me inſigniter puduit. Teſtis ſit Deus) quare cardines, & poſtes prius à ferrugine ſolvere debui, ut fores panderem intrare volentibus. Clavem itaque unicam & auream, in Archei archivis hactenus occultatam, ad ignem pyrotechnicum, lumenque veritatis exponere debui. Vt quiſque introeat in aulæ abdita, quantum ſibi deſuper conceſſum fuerit.

Morbum inprimis non appello diatheſim: ſed ipſum ens prævaricans, quod ex ipſo Archeo cuditur vitali. Non ergo intueor morbum, velut abſtractam qualitatem. Idque mihi ſic ab olim induxi, ut inſtar vitæ, ſit vitæ ipſi ens vernaculum. Ratio, cur morbus tam celeri paſſu penetret in vitam propter ſymbolum. Quare Apoplexia, Lepra, Hydrops, vel Amentia, quatenus qualitates in abſtracto, penes me non ſunt morbi: ſed quatenus ens Apoplecticum, leproſum, maniacum, *&c.* ſcopum & cauſas ipſas morborum in ſe complectitur.

Morbus quidem à peccato incepit. Non enim in naturæ noſtræ integritate, puritate, & innocentiæ vigore, mors erat, multoque minus morbus. Mors enim comminata erat, non morbus, niſi quod comiter intelligerentur ad futura. Ergo morbus non aliter quàm ipſa mors, ſui natura, vitam oppugnat, ejuſque poteſtates, quas ideo vitales dicimus: quod illarum deperditione, lenta vel ſubita mors adveniat. 4

Fide credimus mortem idcirco, omnemque infirmitatem, à peccato intraſſe in hominem, & per concupiſcentiam carnis peccati, propagatas in poſteros omnes. Idcirco neque à Gentilitio morborum ac mortis introitum, diſci non potuiſſe. 5

Vtpote rationabile fuit, ægritudinum omnes claſſes radicatas in eadem concupiſcentia carnis, per quam morbus intravit. Etenim ut concupiſcentia in conceptu non peccat ante conſenſum, fingentem plauſibilitatis ideam: Ita neceſſe eſt omnem morbum in carne peccati oriundum, conſiſtere in peregrina imagine, ſive idea ſeminali corruptæ naturæ. Legi inquam erat conſentaneum, ut ens quod ſub voluptate concupiſcibili conſenſit, & peccavit, primariò quoque morbis plecteretur. Ita quidem ut nedum externis ſuccumberet violentiis: ſed ſuis exorbitationibus propriis, vindicias peccati in carne experiretur. Vt ſcilicet ipſe Archeus, rector carnis peccati, paſſionum ſuarum eadem libertate, erroneas ſibi fabricet imagines, quæ ſibi tanquam veneno forent. Nimirum ex concupiſcibilis voluptatibus, paſſionibus iraſcibilis procellis, item turbulentiis etiam ſpontaneis ſubjectus ſtaret propriæ ruinæ, quam ſibi cuderet. 6

Quæ nimirum imagines, ut entium morboſarum ſemina, ſibi prorſus deinceps eſſent intimo vitæ thoro nubiles. Durus hic ſanè ſermo, 7

ſermo, in auribus non ſupra nugas calores, &
8 lutum audire aſſuetis. Quapropter ſi quis miretur tantam Archei ideati, idearumque ſeminalium efficaciam, ut morbos, ipſam pariant mortem: is nondum agnoſcit omnium omnino rerum naturale initium ex parte ideali in ſemine quovis pendere. Quare conſideret, ſicut lumen unitum in ſublunaribus, ſiquidem vix aliquid eſt lumine ſpiritualius, utpote quod ſolidum vitrum, imo etiam ipſum locum penetrat) accendit ligna & ædes: ſic & idea quævis ſit lumen, tam quatenus à ſpiritu, vitalis luminis participe, cuditur, quàm ex proprietate
9 eſſentiæ ſuæ ſit luminoſa. Alioquin ipſæmet ideæ, quatenus conceptæ, nil ſunt, præter lumina vitalis animæ, reflexæ in ſui cogitationes: quæque ideo nec concipiuntur, niſi in ſpiritu luminoſo, in quo ſuſcipiunt figuram rei conceptæ. Id eſt, fiunt ibidem ipſa intellectualis idea. Itaque quamvis ipſa cogitatio ſit merum nonens: attamen ex ipſo ſuæ nativitatis jure, quælibet res concepta conſtat materiâ conceptâ, & lumine vitali, intelligibiliter in illam reflexo. Cumque imaginatio ſit intellectus ſimia, licet non ſe transformet in rem conceptam, pro more intellectus; tamen hanc concipiendo, figuraliter in ſe transſumit, ſigillatque ejus conceptum, depingitque quandam rei imaginatæ ideam ſeminalem, cum lumine, efficacia, & omni operandi modo. Idque totum ſub unitate atque ſimplicitate ſui maximâ. Adeò ut ſi in ſeminibus prolificantibus, & continuantibus univerſi perpetuitatem, hæc contingere appareant, atque operari per lumen, ingenti efficacia. Quidni hæc eadem non ſecus fieri in morbis cognoſcemus? Præſertim dum fortiori iſthæc apprehenſione ſculpuntur?

10 Nam concepta nos docent, ex paſſionibus, vel perturbationibus, non-entibus, oriri imagines veras, reales, actuales: non ſecus atque prægnantis cogitata, imaginem realem, quantumcunque peregrinam atque exoticam, cudunt. Quamobrem ſic nempe venena parit phantaſia, quæ hominem proprium interimunt, variiſque ærumnis affligunt. Vſque adeo ſicut imagines iſtæ primariò procedunt à poteſtate imaginativa, cujus organum immediatum eſt ipſe Archeus: ita prorſus neceſſum eſt, qui picem tangit, inquinetur ab ea. Id eſt, oportet ipſum Archeum primariò & immediatè concipere, atque novam illam induere imaginem, eâdem affici, & afficere vi ſymboli, cætera à ſe dependentia, juxta ideæ illius nocuæ proprietates. Illudque fermentum ſemel in illo, impetum faciente æthere, depictum, eſt morbus. Qui exinde in cruorem, liquorem proximè aſſimilandum, atque in partes denique ſimilares, atque in ipſa corporis recrementa ſe diffundit, juxta proprietatemve ſuæ illius ideæ. Hinc nempe morbi diſtributionum atque digeſtionum, Quid ſi ſpiritu inſito, cerebri aut lienis hoſpitio, ideæ formentur, imaginando, quæ & in brutis ſint omnium motuum Blas principale & organum: Nil vetat, quin ipſe Archeus, partibus inſitus, ſingulares fabricet & ſubinde exorbitantes ideas, vi imaginativæ non abſimiles. Sic nempe ſaliva Rabidi, Tarantulæ, vel Serpentum, itemque Napelli, Aconiti, vel Solani ſuccus, nobis invitis, ſuam furoris imaginem communicat. Quocirca nil vetat pariter, primarium imaginandi organum, formare ſibi inquilinas imagines, ſeminales, fermentales, venenoſas, &c.

11 Quicquid natura ſui, per ſe, atque immediatè poteſtates vitales affligit, debet eo ipſo eſſe de proſapia, & conditione illarum poteſtatum. Non enim alioquin haberent ſymbolum, aditum, conſonantiam, vires, aut penetrationem in invicem: ut neque per conſequens applicationem, & activitatem. Etenim cùm poteſtates ſint ſigilla inviſibilia & intangibilia Archei, qui ipſus eſt inviſibilis, & intangibilis, non poſſunt illæ attingi, multoque minùs penetrari, aut ſuperari à corpore. Quia ejuſmodi poteſtates, utcunque vitales, carent tamen extremitatibus, quibus tangantur. Vndè ſequitur (quod hactenus eſt neſcitum) quod omnis morbus (utpote gliſcens in vita) quia de vitalium poteſtatum indole, debeat immediatè cudi, & oriri ab ente quod natum eſt producere ſeminales ideas.

12 Cumque nil inter conſtituta fiat à ſeipſo originaliter, neceſſariò tam morboſarum, quàm vitalium poteſtates, pendent ab ideis, vel ipſius generantis (undè morbi hæreditarii) vel generati Archei. Verùm ut id clarius conſtet. In ſemine brutorum & hominis eſt poteſtas formativa, ad ſimilitudinem generantis. Vtpote quæ cum ſit diſpoſitiva, ac diſtributiva totius regiminis in figurando, ejus activitas à nemine eſt controverſa. Scientiam ergo à generante infuſam habet ſemen, ad fines ſibi agendos accommodata. Alioquin enim ſemen, quod in ſui ſubſtantia eſt ſterile, fæcundum fit per imaginem, in libidine concitatam. Nimirum imaginativa generantis, primò parit ideam, quæ ſui exordio

prorſus eſt non ens ; veſtiendo autem Archei amictum, fit ens reale ac ſeminale. Idque tam in plantis, quàm ſentientibus. In vegetabilibus namque ſemen ab initio prodit inviſibili (plantæ ſiquidem data vis eſt prolificandi per ſemen, adeoque conceptum habet analogicum, qui format ideam ſeminalem propagando) ſuam fœcunditatem, vitæque primordia mutuat, non autem vitam ipſam, (prout alibi de formis) itaque ſcientia, dona, radices, diſpoſitioneſque materiæ ſibi deſponſatæ ad vitam, ſemen mutuat ab idea ſeminali, omnis nempe fœcunditatis cauſa. Idque olim ſubodorati, dixere omnem generationem à mundo inviſibili ſuam trahere originem.

13 Terglorioſus omnipotens, ſuæ cogitationis nudo puroque mandato, conceptoque verbo (fiat) totam creaturam ex nihilo fecit : illique vires ſeminales, in ſeculum durabiles, indidit. Creatura autem deinceps receptum propagat donum, non quidem ex nihilo, ut neque proprio mandato : ſed potentiam à Deo recepit creandi imaginem ſui ſeminalem, transferendi, ſive depingendi eandem in ſuiipſius Archeum. Hæc ſcilicet eſt vis ſeminalis, hominis, brutorum, & plantarum. Non autem quod in plantis hic conceptus ſit pecuinus, nec à libidine ſuſcitetur. Sat eſt namque, quod modo analogo contingat, quo veteres conſenſere omnia in omnibus eſſe. Quem modum, deſumta à nobis ſimilitudine, oſtendunt ſympathia & antipathia rerum. Sentiunt enim mutuam præſentiam, excitantur mox illo ſenſu, in dotium ſuarum explicationem. Quippe quæ aliàs manerent immota. Senſus autem, non poteſt non virtuti imaginativæ quodammodò æquipollere. Quod de Peſte alibi ex profeſſo latiùs. Aſt mihi jam ſcopus, non de plantis philoſophari : ſed dumtaxat de morbis noſtris. Sufficitque ideo, quod ipſa imaginatio, à formatione imaginis dicta, ideam cudat, cujus ergò ſemen omne fertile. Cumque in nobis vis illa phantaſtica ſit quaſi brutalis, terrena, & diabolica, (juxta Apoſtolum) ideo eſt ſuis morbis obnoxia, poteſtque cudere imaginem in ſuiipſius immediato Archeo organo. Hinc nobis materialiter, ac efficienter, omnis in nobis morbus.

14 Etenim quicquid naſcitur, aut fit ; id totum contingit cujuſdam ſeminis neceſſitate: habetque omne ſemen ſuum hoc aliquid ab idea, ſpiritui indita ſuo : morbus autem eſt ens reale, fitque in vivo dumtaxat. Vnde conſequens, quod etſi morbus vitam oppugnet, ut mortis præcurſor, naſcitur tamen à vitali, eodemque in vita initio, nimirum à carne peccati. Verumtamen mors, & mortua quæque, carent radicibus quibus producant. Atque adeò cum mors interitum dicat, ſive privationem, caret imagine ſeminali, in quo à morbis diſtinguitur. Vita quidem eſt ab anima, ideoque & primæ conſtitutionis præmiſſus character : ſed morbus à confuſionibus ac perturbationibus impuri Archei prodiit, ſibique radicaliter inſertus, ſic permanſit deinceps inſeparabilis, nimirum quo ad potentiam formativam idearum infirmarum. Morbus itaque coaleſcens ab ideis, tanquam ſui ſeminali initio efficiente, induit materiam ſibi aptam ab Archeo mutuatam, & in ens reale conſurgit, per modum aliorum entium naturalium. Cumque in Archeo formata jam ſit idea, confeſtim quoque hæc agere incipit, nec feriatur, quin partem Archei contaminet. In qua ſubinde fermentum, tanquam cauſæ efficientis medium, ſuſcitatur per averſionem à vitæ integro: hujuſque tandem adjutorio craſſiorem corporis molem vel contaminat, vel ſaltem turbat digeſtionum œconomiam.

15 Ridebant (ſat ſcio) ſcholæ Platonicam doctrinam, quod ideas ſeminales, poteſtates ideales, & activitates formales morbis aſſignaverim. Mallent namque quatuor qualitates, fictis humoribus ſtipatas, agnoſcere, ringunturque has nugas à me peſſumdatas, neſciæ, cui cauſæ morborum quidditates atque medelæ deberentur. Neſciæ inquam, quod potentius, vicinius, magiſque domeſticum ens, exercitum in humanam vitam conſcripſerit, de quo etiam dictum fuit divinitus, quod hominis domeſtici ſint inimici ejus. Etenim obſtructiones, ab injuriis ſpurcitiarum occaſionaliter inductas, tanquam morbos, ubique inſigniter accuſant : quæ non tam ipſum obſtruens, vel etiam obſtructum, tam notabiliter arguunt, quantum actionis, paſſionis, atque relationis majeſtatem in obſtruente repertam, alto ſemper notarunt ſupercilio. Quaſi ipſa obſtructio, ſive ipſamet relatio, eſſet morbus : fundamentum autem illius relationis, cauſæ morbificæ rationem clauderet. Totus videlicet ſcholarum error, ex ignorantia morbi, conſiſtentis immediatè in ipſamet vita : non autem in ſordibus, atque ſpurcitiis erroneis, vitæ peregrinis, & extrinſecis. Bone Ieſu, Sapientia Patris luminum ! quanta tenebrarum confuſione ceſpitant humana iudicia, niſi tu illa regas ! Siquidem dum veſicæ calculum, omnes denique rerum ſordes, miſturas, poteſtates, pro-

prietates,effectus, effectuumque libertates,agi-
litates, & alteritates, ſolis elementorum con-
greſſibus & bellis conſecrarunt, eadem metho-
do ſignificarunt, ſe non ultra calores & frigora
16 ſapere velle, ac poſſe. Sic nempe calculum in
medio lotii areſcere, ſiccari, atque indurari per
calorem, abſque pudore & judicio docuere ha-
ctenus, eodemque quidlibet audendi privile-
gio,totam naturæ hiſtoriam, ac rerum nativita-
tes neglexerunt, ſeque ventura ætate miſeran-
das, quia ridiculas fecere. Quamobrem tecum
ſæpe conqueſtus ſum, Bone Ieſu, ô vitæ Prin-
ceps, quàm difficile foret ſcholis, tanto nuga-
rum lenocinio, & nebularum præſtigio, à pue-
ro conſtanter nutritis, vera rerum principia aſ-
ſumſiſſe. Niſi clavum navis teneas,veliſque ſe-
cundum ventum inſpires, ominor, quod ini-
micus homo mea ſcripta in chartas Voluſianas
ſit traditurus. Aſpira Deus, pro bono imaginis
tuæ, ut ipſa ſemina teſtentur ſibi adeſſe Ar-
cheum, qui niſi ſola generantis concepta idea
fœcundetur, in molam atque informe mon-
ſtrum recedunt, cui non minus figurandi,quàm
proprietates explicandi vigor deeſt. Teſtentur
inquam, me tacente, morbi, ſe eſſe entia activa,
in naturam admiſſa à principiis naturalibus.
Fateantur juxta Triſmegiſtum, ſupera & infera
ferri eadem proportionis lege, ac principiis
conſimilibus. Meditatione unius olim inchoa-
ta univerſa, eadem adhuc hodie ſubſiſtere, &
perpetuari. Vnius illius meditatione atque idea
recipere ſuperiorum & inferiorum entele-
chiam. Verum eſſe quod dixit, eamque verita-
tem victuram omnem fortitudinem fortem, &
penetrare omnia ſolida.

DE IDEIS MORBOSIS.

1. Diviſio dicendorum. 2. Splen ſedet in trunco medio corporis. 3. Formatio realium imaginum phantaſiæ, confirmatur exemplo. 4. Cur idea deſcendat à matre in fœtum. 5. Conſequentia inde deducta. 6. Menſura modicitatis vini. 7. Penetratio idearum. 8. Puer declinat à nativa indole. 9. Quid intelligatur per Agoniam. 10. Idea atrociſſima. 11. Potiſſima educationum cura. 12. Diſcrimen in motibus Animi. 13. Doctrina deſideriorum. 14. Ortus & progreſſus deſiderii. 15. Diverſitas peccati commiſſionis & obmiſſionis. 16. Cur Deus peculiari favore ſexum muliebrum dotaverit. 17. Donum devotionis ſexualis, quid ex ſe operetur. 18. Cur Author egerit de moralibus. 19. Repetit Author octo ſuppoſitiones de Ideis Archealibus. 20. Vagatur Author circa Ideas peregrinas. 21. Fundamenta Phyſiognomiæ. 22. Ratio, cur ideæ tam potentes in nobis. 23. Quid ſit abolitio cauſæ morbificæ. 24. Cauſa morbifica eſt inviſibilis. 25. Locus natalis morborum. 26. Author deducit ad diem, illud Hippocraticum divinum in morbis. 27. Cur morbi æmulentur proprietates & activitates vitæ. 28. Exemplum in calculo. 29. Duabus ſuppoſitionibus opus, ad introductionem notitiæ morborum. 30. Concluſio inde tracta. 31. Probatio mechanica in faba. 32. Eadem in Cancro. 33. Progreſſus Cancri. 34. Entia creationis quomodo differant ab entibus prævaricationis. 35. Quidditas Cancri. 36. Quædam morborum producta, cauſalitatem occaſionalem amittunt. 37. Methodus ſanandi erronea, hactenus ſervata. 38. Cauſa Cancri erronea Scholarum.

CVm ergo ad morbi eſſentiam re- 1
quiratur materia, & efficiens, ſit-
que idea ipſum efficiens morbo-
ſum: utrumque explicandum eſt.
Ac primò quidditatem idearum,
efficaciam,& fabricam deſcribam,
ut morbi efficiendi actio & nativitas eluceſcant.
Ac primùm declarabo ideas ab homine con-
ceptas, dein tractabo de ideis Archealibus, at-
que tandem de ideis peregrinis. Poſtremò at-
que tradam materiam morbificam, ut ex utriuſ-
que cauſæ connexu conſtet quidditas morbi,
ejuſque immediata eſſentia. Primò nimirum 2
docui alibi, quod vis primorum motuum ſit
effrenis quædam imaginativa, in arbitrii pote-
ſtatem non redacta, ſtabulata in ſplene. Quod-
que omnipotens tanti facultatem, etiam in me-
ris membranis, atque propemodum exſangui-
bus marſupiis hoſpitaverit, ſic ut tam ſtoma-
chi orificium, quàm ipſe uterus, jure merito-
que cordi æquiparentur, ob inſignem videlicet
agendi craſim, ſibique viciſſim ab aliis viſceri-
bus præſtitam obedientiam. Cujus poteſtatis
prærogativa, ſplen ſituatur ferè medio inter u-
trumque loco: paulò tamen demiſſius incli-
natur, quia radicis integralis vices ſubiit. At-
tingit nempe ſtomachum, ſui amplitudine, cu-
jus reſpectu duumviratus ſubſiſtit: uterum
verò altera ſui extremitate attingit, ſuis nem-
pe ligamentis, annexum lumbis. Dein dixi,
quod quanquam in principio imaginatum non
ſit niſi merum ens rationis: non tamen tale

permaneat. Siquidem Phantaſia eſt virtus ſi-
gillifera , vocaturque hactenus imaginativa ,
quod formet rerum conceptarum imagines , ſi-
ve ideas , eaſque in ſpiritu ſuo vitali characteri-
3 zet. Fiatque proinde iſta idea, ens ſpirituale,ſe-
minale , potenſque ad perpetrandum res magni
momenti . Quod juvat prægnantis exemplo
oſtendiſſe. Prægnans namque , ſi ſua imagina-
tiva concepit magno deſiderio ceraſum , ideam
illius in fœtum,(pro-ut de Peſte alibi) ideam in-
quam ſeminalem , ſigillarem , atque ſponte in-
delebilem , imprimit. Vtpote cujus idea viri-
deſcit, flaveſcit, rubeſcitque quotannis in car-
ne, iiſdem anni ſtationibus , quibus alioqui ce-
raſa hæc dant ſuæ viciſſitudinis indicia in arbo-
re. Cur autem idea ceraſi , aut muris , non in
matrem, at in fœtum imprimatur, atque jam
ſtatim in alienum ab imaginante migret ſubje-
ctum : quod etiam propria ſæpè quadra vivere
4 incepit : Cauſa eſt indeſinens, neque ficta ma-
tris affectio,qua naturaliter plus pro fœtu,quàm
pro ſeipſa vigilat. Matris itaque interna , natu-
ralis , & inexcuſabilis ſolicitudo , fœtui velut
continuò incubans , ideam à paſſionibus geni-
tam , uno radio ad fœtum ſuum dirigit. Et
quia manus eſt organum activorum principa-
le : ideo ſolicitudo , deſcendens ad manum,
quaſi ad defenſionem ſui fœtus , conceptam
ideam recipit, pergitque ulterius in fœtum. At-
qui cum ideæ ſint quædam lumina ſeminalia :
ideo penetrant ſe mutuò, abſque unionis ſtu-
pratione. Ergo concepta ceraſi idea , ſuperve-
niente idea curæ maternæ, dirigitur ad partem
fœtus , qua manus , matris corpus attigerit.
Enimvero cura quælibet eſt ſemper propter fi-
nem, ad quem manus operatur. Manus ergo,
tanquam organum exſecutivum voluntatis,de-
pingit concepti ceraſi ideam, parte ea, qua ma-
5 ter ſibi manum admoverit. Vndè ſaltem in li-
mine conſtat , quomodo cogitatio, quæ merum
non-ens eſt,fiat ens reale,& qualificatum. Dein-
de liquet hinc , quod ſpiritus primariò imbua-
tur illa imagine , ſemelque aliquapiam idea im-
butus , deinceps impar fiat exſequendis aliis
muniis ; eò quod ſemel concepta idea , ſit ſigil-
lum ad determinatas tantum res agendas. Ita-
que character ille imaginis ſeminalis , ſemel in
parte aliqua Archei impreſſus : facit , quod ad
alia deinceps officia ſit incâpax. Nam propter
æthercam ſimplicitatem illius ſpiritus , ſe ita
iſti ideæ maritant , ut inpoſterum ab invicem
non ſeparentur materia ejuſq; efficiens , quam-
diu ſuppoſiti fuerit identitas. Cum ipſa idea ſit
ſemen in illo ſpiritu , qui proinde illa idea ſpo-
liari nequit abſque ſui diſſolutione. Neque e-
nim perinde Archeo , atque metallis contingit,
quæ liquando redeunt in priſtinum , ſolamque
amittunt artificis operam. Aſſimile eſt , dum
prægnans terretur ab Anate. Eo ipſo enim i-
deam entis à quo terretur, imprimit imaginati-
va in ſpiritum : ita ut idea iſta fiat ibidem ſemi-
nalis. Atque ita quidem nedum embryonem
jam formatum deſtruit : ſed hunc transformat
in anatem. Vndè ſaltem liquet , nedum pote-
ſtas & authoritas imaginativæ : ſed etiam, quod
idea ab imaginatione hauſerit vim figurati-
vam , atque habeat vim ſeminalem & figurati-
vam ; imò & potentiam metamorphoſis. Sé-
quiturque ex præfatis , quod vir multæ phanta-
ſiæ , neceſſariò etiam viribus enervetur. Quo-
niam non ſecus laſſatur , quàm qui operoſo la-
bore diem tranſegit, totuſque tam mente quàm
corpore deficeret , niſi refectus grato collo-
quio , ſociali deambulatione , converſatione a-
mœna ; & potu meraciore. Iuxta illud, Vinum 6
modicè ſumtum acuit ingenium. Nec eſt mo-
dicitas illa ſub tetrica medentis criſi per uncias
liberanda , dum à Sapiente cuique pro capaci-
tate eſt reſoluta. Vinum, inquit,ad hilaritatem :
non autem ad ebrietatem , eſt conditum. Tri-
ſtibus ergo defeſſis, exhauſtis, oppreſſiſque ſuc-
currendum eſt vino, uſque ad hilaritatem. Ergo 7
ideæ, tanquam lumina formalia , ſe invicem pe-
netrant , ſuique ſimulacra imprimunt , in par-
tem Archei , cujus ſunt imago atque ſemen.
Itaque ideam ſeminis prolifici primùm pene-
trant ideæ inclinationum , ad mores ſcilicet,
ſcientias , affectiones , morbos atque defectus.
Idcirco namque ideis conſtituentibus , conne-
ctuntur facilè ideæ gravidarum : quæ bonos a-
lioquin ut mores ſæpè corrumpunt,imò & ſtul-
tos quandoque gignunt. ita non raro alios quò-
que ab utero emendant. Alioqui plerumque for- 8
tes gignuntur fortibus & bonis. Puer enim per
educationem rigidam , vel mollem, incipit de-
flectere à nativis inclinationibus . Tum de-
mum , ubi diſcretione aliquali præditus eſt, per
exercitia & conſortia, in varias incidit affectio-
num ideas, quibus plerumque in vitam obedire
cogitur , quia à teneris unguibus implantantur.
Mox deinde in adoleſcentia ideæ æſtimationis
vigere incipiunt , quæ licet plerumque ſint ad-
huc inſontes : ubi tamen his ſe aſſociaverint
ideæ paſſionis cujuſpiam, inclinationum manu
introductæ : tum priores ideæ penetrantur à
fortioribus , puta odii,amoris , vindictæ, luxu-
riæ,

riæ, &c. Verùm ſi timor inſignis acceſſerit: in-
de tam vehemens idea conſurgit, quod ægri-
tudinem violentam cum perpetua puſillanimi-
tate incutiat. Sunt autem idearum mitiſſimæ,
amoris, gaudii,& deſiderii,quæ tandem ſua ob-
lectant ſuavitate, totamq; ſic irretiunt animam,
ut delectationibus ac voluptatibus continuò
inhient. Violentiores ſunt ideæ iræ, triſtitiæ,
agoniæ, invidiæ, metus, arrogantiæ, deſpectus,
terroris, vindictæ, temulentiæ,zelotypiæ,& de-
9 ſperationis. Vbi & hoc notandum: Agoniam
non eſſe colluctationem ſolius ſpei & timoris:
ſed etiam iræ & metus, iræ & diſſimulationis,
ſpei & iræ, odii & timoris, ſpei & triſtitiæ, &c.
Etenim ut in ſolis conceptibus eſt contrarium;
ita & in ideis inde genitis. Quæque non ſunt
contrariæ, complicantur, & ſeſe penetrant.
Contrariæ autem ſe deſtruunt viciſſim, quod
quandoque in ſanatione morborum per hiſto-
rias palàm fiet. Conſurgunt igitur in unitatem,
quotquot ideæ ſe mutuò penetrant, & compa-
10 tiuntur;retenta potioris ideæ prævalentia. Sunt
autem repentinæ omnium atrociſſimæ, & ma-
ximè lethales: quia ex improviſo imaginativam
quatiunt,adeoque totalem velut Archeum con-
taminant. His dein ſuccedunt diuturnæ: quia
quadam aſſuetudine fiunt fures domeſtici, no-
verunt theſauros, horumque clauſtra. Hinc
fortis conſuetudo ligat animam,quatenus ideæ,
in Archeo influo conceptæ, tandem & inſitum
partibus ſpiritum, contaminant. Enimvero
ideæ inclinationum, ad virtutem ſupernatura-
liter dantur, poſtquam natura tota corrupta eſt
11 à peccato. Ad moralitatem verò, artes & defe-
ctus, nobis ab ideis ſeminalibus parentum, im-
plantantur: vel à puero, per educationem in-
ſtillatæ, abeunt in naturam, quatenus nativas
penetrant, & iiſdem coaleſcunt. Sunt autem
affectiones, proprii nominis producta inclina-
tionum, paſſionum, & affectionum exerci-
tia, & non abſque idearum nova propagatione
contingunt. Quæque ideo vitæ inſtar verna-
culam in nobis parant habitationem & habitu-
12 dinem. Paſſiones autem, ſunt internæ animi
motiones, circa quarum frenos totus verſatur
Stoïciſmus. Perturbationes tandem ſunt paſ-
ſiones, plerumque à cauſis extrinſecis ſuſcita-
tæ ideæ. Paſſionumque cunctarum commu-
13 nis mater deſiderium. Hoc enim in ſe bonum
vel malum eſt. Nam quod indifferens, ſive
neutrum eſt, facillimè naturæ corruptionem
induit,& pervertitur. Deſideriorum autem ma-
lorum unicum remedium, voluntatis reſigna-
tio. Quia naſcitur deſiderium hoc modo. Cor- 14
rupta enim natura jam naturaliter in ſe verſa
eſt, ideoque libenter meditatur ſibi plauſibilia.
Quatenus continuò verſatur circa objecta con-
cupiſcentiæ peccati. Et ſicut ignis è ſilice: ita
à plauſibilitate objecti, deſiderium. Cui niſi per
ſurculum inſeras timorem Domini (qui ideo eſt
initium Sapientiæ) pro freno, ſucciderisve
conceptuum plauſibilitatem, in primo ſui ger-
mine primorum conceptuum: jam fomitem
in natura corrupta reperit, accreſcit malitia,
nondum præ ſui exiguitate patens: trahitque
ſub ſe mox totam animam. Adeo ut ſerva ad-
veniat illi appetitui; per quem de majeſtatis
throno fuit expulſa. Puta ſi ambitio, vel con-
cupiſcentia major ferveant in deſiderii ſartagi-
ne; illa vel ſunt ſpe poſſibilia, abſque ſpe, vel
contra ſpem. Si homo perſeveret in deſiderio,
hæc duo poſteriora ipſum dementabunt. Cum
omne deſiderium corruptæ naturæ, ſemper
aliquid fatuitatis & anxietatis annexum ha-
beat. Sin verò deſiderii finis cum ſpe eſt, fer-
tur ſaltem in objectum nondum præſens, &
tum impoſſibile, adeoque habet exſpectatio-
nem faſtidioſam,atque moleſtam comitem. De-
ſideramus namque ea, quæ non ſunt. Pœnoſum
ergo deſiderium, malum plerumque quoque
ex ſui natura. & ex ſuo affectu longe pejus. Ac
tandem ex conſequentia, malum. Quia ſtatim
deſideria ſponte declinant in iram, odium, vin-
dictam, moroſitates, tetricitates, intolerantiam,
arrogantiam, contemptum, &c. Semper enim
deſiderium naturale ruit in pejus, eo quod de-
ſcendat à philautia, formetur à corrupta natu-
ra, circaque objecta peccati plerumque verſe-
tur, anxietates, exſpectationes, & moleſtias co-
mitetur, atque libertatem volendi incurvet:
quatenus autem ſupra ſe & in futurum reflecta-
tur, parit impatientiam, libertatem affectat,
morbificationi reſiſtit. Moroſitates, anguſtias,
intolerantiam, & ſubinde deſperationem ad-
fert. Deſiderium bonum ſemper ex gratia da-
tur ſupernè, cujus productum eſt Amor, nitor-
que animæ producens perfectionem. Virtutes
ergo, quatenus ex gratia obveniunt, transſcen-
dunt ab imaginativa, cum ſuis ideis, in intel-
lectum: adeoque tingunt animam: Pro ut &
vitia paſſionum, exercitia peccati, & ſubdu-
ctionis à timore Domini, tingunt animam,
ut quaſi belluina fiat. Hinc lupi rapaces: Ge- 15
nimina viperarum, dicite vulpi, &c. Idcirco
in anima quandoque erunt conſpicua, peccata
commiſſa, abſque indagationis ſcrutinio. Sed

peccata merè negativa , quia non entia nec
quicquam actualitatis habent, non tingunt animam
(qualia ſunt obmiſſionis) ideoque hæc ſola
in judicio extremo improperabuntur : cum
16 cætera , ſolo viſu diſtinguentur. Porrò licet
Deus non ſit perſonarum exceptor : quia tamen
omnia ex ſui beneplacito diſponit ſuaviter,
mulieres peculiariter diligit : nedum quia eas
plurimis morbis , (ex utero oriundis) anguſtiis,
miſeriis , & tribulationibus circumdedit : (dicit
namque Deus mulieri : *Multiplicabo ærumnas
tuas*) ſed potiſſimum quia eas, in ſolamen, dono
devotionis compenſavit. Hinc namque oriuntur
ideæ compaſſionis miſeriarum in proximos,
manſuetudinis, contritionis, & compunctionis,
quæ pro fundamento , timorem Domini
17 & charitatem præcedunt. Eſt nempe devotio
iſta (licet ſexualis) donum gratiæ, gratiam
lucrans, deſiderium orandi , loquendi ſuo
DEO , cum humilitate, amoroſa, fide perfecta,
18 & perjucunda. Hæc enim mundus ignorat.
Medicus enim, moralem hic agere debui ex
inſtituto , utut rideant alii. Idque non ſolùm
quatenus indiſpoſitiones animæ , valetudinem
inquinant, & labefactant. Sed illo potiſſimùm
titulo, quod cum morbus ſit filius peccati , nequeat
cognoſci perfectè, ſi ignoretur facultas
concupiſcentiæ peccati , undè omnis ad morbum
impetus , per ideas, in Archeum derivat.
Hactenus autem de ideis , hominis cogitatione
conceptis, & genitis, de quibus ſub capite
19 conceptorum adhuc liberalius agetur. Reſtat
nunc explicare, unde ideæ humanitùs factæ,
tantæ ſint fortitudinis , ut ſæpè morbum , imò
etiam mortem accerſant imaginanti. Ex præmiſſis
ergo reſumendum. 1. Ideas cudi in imaginativa
per cogitationem. 2. Imaginem ſui
imprimere in ſpiritum vitæ. 3. Eſſe media operativa,
quibus anima corpus movet, & gubernat.
4. Eſſe imagines ſeminales. 5. Graduari
autem juxta potentiam & fortitudinem imaginativæ.
6. Quapropter embryonem humanum
mutari in varia monſtra. 7. Omnem hominem,
per imagines triſtitiæ, terroris, &c. formari
ſibi ſeminalia venena, quæ peſte tenus, vel
violento aliàs languore, conſumunt. 8. Quod
etiam extra corpus imaginantis egrediantur.
Quia concepta imago à prægnante regulariter
migrat in fœtum, etiam ultima die geſtationis,
tum tamen extra controverſiam eſt, quin
fœtus propria potiatur vita, anima & quadra
vivat propriâ. Conſtat ergo ex præfatis, non
tantùm de quæſtione , An ſit; nimirum ideis
ineſſe vim potentiſſimam, ad operandum : verum-etiam,
quia ſeminales ſunt, penetrare, &
operari naturaliter quælibet. Siquidem ſi materiæ
ſeminum non inſit idea aliqua rectrix, &
formatrix, à Generante formata, ſemen per ſe
ſterile prorſus permanet. Denique ideæ iſtæ
debent immediatè eſſe non quidem in anima
humana : ſed immediatè in Archeo impetum
faciente : ſiquidem abſque idea ejuſmodi, planè
omnis actionis, operationis, & propagationis
exſors Archeus maneret. Ergo & ab ideis, omnis 20
motio naturæ, & actio, tam in remediis quàm
venenis, omniſque poteſtas naturalis ſeminaliter
à parente quolibetcunque eſt impreſſa : imò
introducuntur ideæ exoticæ, alienæ, aſcendenteſque
in jam conſtitutas : quia ideæ, non ſecus
atque lumina, ſe mutuò penetrant, & ſymbolum
Archei, cum Archeo perpetuum atque ſyngamicum
ſervant. Quæ ideæ, dum materiam capeſſunt,
jam morbus natus eſt. Etenim ut ideæ
ſeminales, & primitivæ, in ſemine plantatæ à
parentibus, figurant hominem, brutum, plantam,
&c. ita quoque ſupervenientes ideæ inclinationum,
affectionum, &c. determinant vultum 21
humanum ad Phyſiognomiæ delineamenta:
quæ dein quoque variantur per ideas poſteras
morum, conſuetudinum, &c. Bruta enim
per ideas moleſtas libidinis non pingueſcunt,
pro ut caſtrata. Eunuchi verò, ſi incurii, pingueſcunt:
qui aliàs per ideam tædii etiam macileſcunt.
Vndè autem ideis tanta ſit potentia : 22
ſcitu dignum, quod tabula, ſive materia, ſuper
vel in aquam, Phantaſia ſuas depingit ideas, ſit
ipſamet Archei ſubſtantia; quæ ſemel per ideam
conceptam deturpata, & tanquam ſeminali
principio inſtructa, deinceps ad alia munia eſt
inefficax. Ideo nimirum incurii tardè caneſcunt:
& à ſenſu contrario, ſolicitudines autem
multæ ſenium præcipitant, ac maturant. Iuxta
illud : *Spiritus meus attenuabitur , & dies mei
abbreviabuntur.* Rectè ergo ab Antiquo dictum,
Quod morborum perfecta ſanatio conſiſtat 23
in ablatione cauſæ, ſive radicis. Quæ ſi eſſet
ipſa materia viſibilis peccans (prout nihilominus
ſcholæ eam indigetant) jam febris, aut conſimiles
morbi, ſanari non poſſent, niſi omnis materia
occaſionalis prius ſublata eſſet. Quod tam
manifeſtè falſum eſt, ac ſilere febres , perſtite
cauſa eadem occaſionali, eſt longè veriſſimum.
Sic nempe non rarò colicam Cholêram, diarrhœam,
dyſenteriam, alioſque morbos perfectè
ſuſtuli, per verum Laudanum abſque opio, reſidua
licet maſſa intus adhuc hoſpitaretur.

Omnis

24 Omnis itaque materia viſibilis, atque peregrina,
deforis vel adveniens, vel ſponte ſua intus
prognata, quantumvis fuerit de ipſa ſolidorum
nutritione degener, atque ſeparatus liquor, proprio
nomine ſemper ſe habet per modum occaſionis,
& cauſæ irritantis; ſive id fuerit pro
morbo primario, ſive verò fuerit productum &
conſtitutum à morbo primario, conſequenter
deinceps ſtimulans Archeum ad novæ procellæ
25 ſive morbi erectionem. Adeoque omnis morbus,
de ſpiritu enormontico, per ideas conceptas,
in proprio Archei ſubjecto, patratur. Cujus
ſolius culpa vivum, non autem cadaver,
morbos omnes patitur. Quod ſi autem hæc
morbi ſoboles in familias digeſtionum ſpargatur,
producit materias occaſionales quidem, ad
morbos ſecundarios: quæ natæ ſunt, irritare deinceps
eundem Archeum ad nova morborum
26 ſeminaria. Sic nempe ubicunque Hippocrates
non reperiit viſibilem aliquam materiam, morbi
occaſionem, divinum in morbis incuſat initium,
quia inviſibile, ex occulto ſeminum promtuario,
ex mundo inviſibili, ſive ex orco Plutonis,
aut ex chao viciſſitudinum. Itaque in omnibus
prorſus admiror hoc divinum (ſit licentia
Hippocratica dictum) in morbis initium, ut puritatis
diſruptæ judex: ita vindex latentis impuritatis,
& concupiſcentiæ, in carne peccati.
Ideoque etiam perſeverantis, in radicali ataxia,
27 vitalis principii. Quatenus autem immediatè
ſedet, atque ſuſcitatur à principio vitali, atque
ſeminali: Conſequenter hinc etiam morbi habent
proprietates, directiones, proportiones,
durationes, affectiones, atque reſpectus ad
membra & loca. Quæ certè in bono intellectu
nequeunt attribui ulceroſis calorum & frigoris
prædicamentis, ut neque diſtillationibus, & Catarrhis
ſpontaneo ponderum decubitu fluentibus.
Iuvat autem hanc morbi hiſtoriam uno
28 exemplo palàm feciſſe. In calculo enim, morbo
maximè materiali, manifeſtoque. Non eſt
enim calculus morbus: ſed primaria Lithiaſis,
& verus morbus Duelech, eſt ipſamet idea, in
poteſtatibus Archei Renum, vel veſicæ, radicaliter
inſita. Quæ ſcilicet deeſt in ſanis, ideoque
neque in ſanis regulariter ex urina (quæ tamen
omnia in ſe materialiter continet ad Duelech
actu neceſſaria) fabricat, actuat, aut ſeparat, inexſiſtentem
potentia proxima, calculum vel
arenam. At ſemel fermentis, in renum, partiumque
ſubordinatarum Archeum, introductis, ſtabilitur
ibidem idea actuans, & efformans ejus,
quod propinqua potentia in materia latebat.
Sicque fit calculus, vel arena. Quæ ſunt productum
veræ Lithiaſis. Idea inquam ejuſmodi,
in Archeo inſito illarum partium habitans,
eſt morboſus ſeparator, & faber, imperans facultati
inſitæ illius organi, eamque ducit vindictam,
ad lubitum ſuum erroneum. Superinducitur
enim facultati inſitæ, & vitali renum, eminentior
poteſtas, ſeminalis & fermentalis ideæ.
Productum verò, ab hoc primario morbo procedens,
in via generationis, eſt ipſum monſtrum
Duelech. Idem in aliis æquè manifeſtè, 29
ex duabus ſaltem ſuppoſitionibus. Vna ſcilicet,
quod omnis morbus ſit in ente vivo, adeoque
in Archeo motore: non autem in ente per ſe
mortuo, & immoto. Altera, quod morbus ſit
ens ſubſtantiale, per ſe in nobis ſubſiſtens. Vndè 30
concludo. Quod morbus, per modum aliorum
entium naturalium, procedat de nonente ad
ens, & naſcatur ſeminaliter. Quod ſic probo
mechanicè. Faba, ut ſeminum notiſſima, ſit
demonſtrationis ſubjectum. In hac enim concurrunt 31
ideæ umbratiles, concreatæ mox à
mundi initio, & per propagationem ſeminaliter
illi connatæ. Quia inter binas ſquammas,
quæ fabæ corpus conſtituunt, invenitur germinis
præludium, habens bina folia cum radice:
In quibus ideæ ſeminalis umbratiliter dormit.
Eſtque alligatum utrique fabarum ſquammæ,
tanquam utrique ſexuali initio. Non ſecus atque
vitello ovi adhæret craſſius albumen, ſeminis
entelechiam continens. Faba ergo, terræ
commiſſa, ſtatim combibit terræ liquorem vel
actualem, vel vaporoſum: atque illo intumeſcit.
Terra autem, in ſe, ſuam habet fracedinem, ſive
vim imprimendi odorem fermentalem: reſpectu
cujus, illi collata eſt poteſtas, motrix, abſque
viſibili ſemine commiſſo ſibi ſponte germinandi.
Per conſequens imbibito terræ ſucco,
eadem huic vis fermentalis traditur, quæ eſt
aliàs terræ. Qui ſuccus, habens in ſe fermentalem
fracedinem, determinatam ab odore ſpecifico
fabæ, excitat latentem ſeminis ideam in faba,
quæ dein ſponte propria pergit agere. Quapropter
non naſcitur germen, quod alioqui terra
illius loci ex ſe produxiſſet: ſed ex idea ſeminali
intrinſeca, & inviſibili fabæ, naſcitur germen,
quod eſt herba faba. Sic tamen ut vis ſpecifica
fabæ flectatur juxta indolem fermenti fracedinis
terræ. Hinc nimirum vinum variat diverſis
locis, licet vitis eodem palmite plantata
ſit. Sic nempe fluunt ſemina, in deſtinata munia,
fructus, ac fines. Quod in Carcinomate
explicabo. Inprimis verus cancer, nuſquam 32

niſi in ubere, & utero mulierum oritur. Non autem inſunt, & dormiunt in utero, ideæ cancri: prout alioquin ideæ fabæ, in germine fabæ. Quia morbi naturaliter quidem fiunt : non tamen inſunt. Niſi fortaſſis à ſemine generantis connatæ, ut in morbis hæreditariis. Atque iſta eſt differentia entium creationis, ab entibus morboſis. Suppono igitur pro occaſione cancri, quod ubera mulieris, compreſſionem aut contuſionem patiantur, & glandulæ, lactis effectrices, conquaſſentur. Dein, ſtatim Archeus ſenſitivus, organo iſti inſitus, dolorem, velut ſpinam pungentem, concipit. Ergo conquaſſatio, & dolor, ſe mutuo contingunt in ſenſatione : & tanquam è ſilice & chalybe, anonyma paſſio furioſa, loco fermenti, exſurgit. Hinc ignea idea ſeminalis, furens (atque ideo venenoſa) excutitur, ſucco loci imbibitur, & confermentatur. Vndè tum demum tumor dolens, punctilis, pulſatilis, quia etiam venenoſus, à furore. Excitatus ergo, & indignatus Archeus, pro indole conceptæ indignationis (neque enim omnia paſſim ubivis : ſed heic injuſſa vireſcunt gramina, illic felicius uvæ, arborei fœtus alibi) ſic neque Archeus in digito, pro ut in oculo, videt. Iſto ergo ſpinoſi doloris tuberculo, conglomerat Archeus venenum, à ſua indignatione partum, quatenus ibidem Archeus ſe mamillis ita nupſit, quod harum pars nulla illo careat. Iſtud autem tuberculum eſt productum cancri, in indignatione ſeminati, tam eſſentialiter cancri, quàm is, qui poſtea ſanie diffluit fœtidus. Neque enim ulcera, aut apoſtemata, in uberibus, cancroſa unquam ſunt, niſi furor ille Archei adfuerit. Imago ergo ſeminalis, ab Archei turbulenta tempeſtate exſurgens, & in loci Archeo depicta, eſt verus cancer; ſive apoſtema adhuc, ſive demum ulcus fuerit. Nam Archeus mamillarum, vitalis motor, illa ſcilicet parte, ſatellitium uteri furioſi agens, agitatus furiis, topicè cudit ideas virulentas, ſibique imprimit eodem jure, quo imaginativa, imagines ſuis paſſionibus conſentaneas fabricat. Non aliter inquam, quàm uterus, cor, cerebrum, ſtomachus, quàm ipſamet vis ſeminalis vegetabilium propagatrix : imò nec aliter, quàm ipſis in ſimplicium excrementis (puta Rabidi ſaliva) elucet. Sic inquam naſcitur cancer, ſuaſque propagat ideas, proximum in alimentum
33 ſimilare. Primarius enim cancer, in
Archeo topico, per contagii dependentem connexionem, ulterius in partem conterminam diſtenditur. Prout autem ab initio, uſque in ultimam maturitatem, unicus tantum eſt idealis ac ſeminalis fabæ rector : Ita ab initio conceptæ ideæ cancri, in mortem uſque, non eſt niſi idem venenum. Atqui cum cancer ſit in ſubjecto ſenſitivo, Archeus proinde quotidie de novo furiat, novas ideas atque venena antiquis ſubſtituat Non item faba. Quæ ſingulari initio incipit, & per fluxum pergit in continuitatem ſui fili. In creatis ſiquidem primæ conſtitutionis, 34
quamvis idem cum morbis ſit ideale initium, & fiendi progreſſus à non-ente ad ens : In facto tamen eſſe morborum progreſſus diſcrepat. Proinde quoque faba quotidie, exteriori vultu, mutatur creſcendo, licet floreſcens à germinante non differat vitali initio. Pariter & morbi ſigillati in Archeo, vel topico, vel influo, ab hujus varia inſania venenum diverſificatur. Etenim quamvis fundus cancri exulcerati, aëri expoſitus, fuerit objectum primum, ubi conceptus & natus fuit : attamen fundo illo per corroſionem abſumto, ſemper penitior alter ſuccedit, novo contagio infamis, velut ac ſi nova faba indies germinaret : Ideoque morbus, nedum à matheſeos locali centro prodit : ſed à centro phyſico. Quod eſt furialis & ſeminalis idea Archei. Idem judicium & paritas eſt de cunctis aliis venenis, intus genitis, quale eſt jam præfatum in Chirurgicis. In brutis namque (pro ut alibi de Peſte) omne ſpecificum virus non niſi ab imaginis idea profluit. Vndè in Adagio: *morta la beſtia, morto il veleno.* Sic nempe procedunt lepra, lues veneris, Caducus, Apoplexia, itemque morbi primarii omnes. Verumtamen aſſumta venena non proin morbi ſunt, aut ſurgunt : donec Archeus mutuato illorum contagii fermento, ſibi injuriam fecerit. Tum quidem non tam ſibi cudit proprio furore peregrinas ideas : quàm eaſdem à ſimplicibus ingeſtis mutuat, iiſdemque tandem ſuccumbit. In quo agone miras ſibi format ideas, quas per ſymptomatum varietatem tragicè explicat. Itaque Cancer non eſt ulcus cavum, quod cernunt oculi, nec cruſtata ejus lividaque labra, quæ tangit manus : non 35
denique eſt ſubnigricans, putredine olidus ulceris fundus, aut ſanies inde ſtillans, quam nares olfaciunt : abſque his namque, jam cancer erat adhuc ſua pelle veſtitus. At hæc ſunt effectus, ſigna, ſymptomata entis, cujus ſunt fructus. Enimverò cum effectus, ſive productum, dicat inſeparabilem reſpectum, ad cauſam ſui producentem : ideo morbus debet eſſe ens, continens cauſas, & proprietates ſuæ entitatis.

titatis. Ideoque tam Cancer Apoſtema, Cancer eſt, quam dum jam ulcus factum eſt. Ideo namque plerumque morbi primarii in Archeo gignunt productum æquivocum. Vt eſt calculus 36 reſpectu primariæ lithiaſis. Moleſtum enim Duelech vulnerat, læditque digeſtionem veſicæ, obſtipat urinæ meatum, &c. Eſt etiam ſubinde productum, ſola ſui præſentia moleſtum, ut pus in Apoſtemate, vulnere, &c. Aqua in hydrope, coagulatum in Scirrho. Atque ejuſmodi producta, magis naturam effectus morboſi, quàm morborum occaſionis habent: niſi fortaſſis veneni compendia in fermento hauſerint. Tunc enim vices aſſumti veneni agunt, in Archeum compellunt occaſionaliter, & novi morbi concilia. Ergo morbus eſt ens verè ſubſiſtens, in principio inviſibili, proprietatibus variis dotatum: non autem intemperies, vel diatheſis, ex contrarietatis pugna, miſtione, gradu, & humorum fictorum comitantia ſur-
37 gens. Verùm primarii morbi ignorantia, ut remedium ignorare fecit: ita & ſpem ſanandi ademit. Quia non niſi in mundandis productis erroneis & occaſionalibus cauſis incubuere, potiuſque palliativæ præcautioni conſultum eſt, neve morbi increſcerent, aut redirent, ſubſtructo à retro remedio. Nil autem cogitatum fuit, contra ſpontaneas furoris procellas, quibus Archeus à nemine majorem patitur injuriam, quàm à ſemetipſo. Interim nil actum, niſi furor ille Archei ideas germinans ſiluerit, natumque inde perſtans virus ſuffocetur. Neque enim occiditur per corroſiva: imò ne quidem in ulceribus, niſi & corroſivis vis necandi inſit. Vtpote quæ furorem aliàs magis accendunt, quàm placant, aut interimunt. Vir quidam, meis diebus, in tractu Iuliacenſi, Cancrum unumquemlibet ſanabat, inſperſo pulvere indolente: atque tum demum emplaſtro incarnante ſolidabat. Cujus ars ſecum ſepulta eſt. 38
Etenim ſcholæ attonitæ, quoties Cancer & phagedena non pacantur ſuo Ægyptiaco, menſtruum accuſant, ſive humorem atrabiliarium. Interrogatæ autem harum utrum cauſæ adhæreant, nutantes, ad utramque ſe tenent. Iam viri à Cancro prorſus immunes, ut & fœminæ menſtruo defunctæ. Fœtus in utero nutrietur mero veneno. Menſtruum peccabit non ſola quantitate. Imò nec inſons erit detentio menſtrui in prægnante, nutrice & emaciatis; longaque infirmitate ſubactæ, nutrientur veneno. Citraque convaleſcentiæ ſpem omnes peribunt. Cæterùm ſi Cancer non à menſtruo, ſed atra bile, oritur: Cur ergo ad offenſionem uberum Cancer advenit? Cur non minus Iovialibus advenit fœminis, quàm triſtibus? Quidve lien cum uberum contuſione habet commune? Vel ſi atra bilis ad mammas peregrè adſcendat, cur lac non atrabilioſum? cur lactentibus ordinariò non eſt cancroſum? Cur aſſumtis purgativis epitymo, lapidibus Lazuli, armeno, &c. ne minimum unquam miteſcit Cancer? Morbos enim per idiopathiam & deuteropathiam quidem olim diſtinxerunt, tantoque infelicius, quanto indiſtinctius. Adeo ut ad colem alliſæ Scholæ, hos affectus, de morbis, ad ſymptomata tranſtulerint. Vt dum ex utero hemicrania, ſtrangulatioque, vel ex dolente apoſtemate pedis, glans in inguine. Conſenſuales ſive ſecundarios affectus quidem nominarunt: ſed non prout è ſuo ſemine prodeunt, agnoverunt unquam. Prout alibi latius de ignorantia eſſentiæ morbificæ à me demonſtratum eſt.

DE MORBIS ARCHEALIBVS.

1. *Idearum Archealium ultro irruentium neceſſitates.* 2. *Schola utrobique in nobis neglexerunt motorem primum.* 3. *Ariſtoteles, Galenus & Paracelſus, circa hanc tragœdiam dementarunt.* 4. *Explicatio dati.* 5. *Demonſtrationis præparatio.* 6. *Quæſtionis dilucidatio.* 7. *Explicatio idearum Archealium.* 8. *Solvitur objectio.* 9. *Archei paſſiones, alterius fori excentricitates habent.* 10. *Ignorantia Authoris.* 11. *Ideas Archeales probat quadruplex, morborum caterva.* 12. *Hæreditarii morbi ideam præſupponunt cum idea prolifica connexam, non tamen à generantis intentione productam.* 13. *Voluptas reflectit Archeum in ſeipſam.* 14. *Mors incepit à concupiſcentia carnis.* 15. *Cur truncus brachio, non gigneret truncum.* 16. *Cur non omnes parentum morbi æqualiter tranſplantentur jure hæreditario.* 17. *Morbi ſilentes probant ideam Archealem.* 18. *Idem probant morbi Aſtralis ſyzygia.* 19. *Qui morbi pertineant ad robur inæquale.* 20. *Robur inæquale, fecit initium figmento Catarrhi.*

IAm ſatis dictum erat, Archeum etiam bene diſpoſitum alienari à paſſionibus, atque perturbationibus humanis: itemque ab alieni Archei exotica imagine, illum penetrante, quodque ab aſſumtis pharmacorum & venenorum poteſtatibus de-

1 leteriis, citò peſſumdetur. Aſt dum nullum premit
aſſumtorum vitium, nec externorum in
nos procellæ ruunt, nec demum quatiunt perturbationes;
nondum enotuit, quo fœdere, via,
modo, quove perſuaſore & ductore, Archeus
ſponte declinet, ut bonum in ſe, tanto labore
eatenus deductum, humorem inquam alimentarium,
atque ſpermaticum, inconcuſſa ſub valetudine,
deturpet, quidque quod in vitalem
ſocietatem præparatum & aſſumtum erat, confeſtim
corrumpat, & ſcoriam tam hoſtilem inde
fabricet, ut ſe, cum ſuo hoſpitio, in vitæ detrimentum
Archeus ducat. De his nil ſcholæ,
niſi quod catarrhos, proprio pondere volubiles
& ad ſuum illarum lubitum ductiles, excogitarint:
non inquam de humore alimentario; at
ſaltem de diſtillatis muccis, mentionem faciunt.
Abſque conſideratione enim, tranſſilierunt
hunc torrentem, ſimulque neglectum manſit
medendi negotium, dum horum corruptorem
ipſum neglexerint hactenus. Recte quidem
cenſuerunt, nil moveri à ſeipſo: agnoverunt
quidem Motorem primum, ſuaſque intelligentias,
2 cœlorum motrices formas; ſed motores
proprios, ſeminibus inhabitantes; qui ſuum
Blas, inſtructis ſibi ideis, ſponte propriâ, mobile
primum in nobis efficerent, non ſat conſiderarunt.
Multoque minus, in morbos & negotium
medendi, hanc philoſophiam traxerunt. Nunquam
enim cogitatum eſt, quomodo ens ſeminale,
Rector vitæ, perniciem ſui intendat, ac ſibi
mortale Blas excitet. Cum unumquodque,
3 eſſe & permanere optet. Apage Ariſtoteles, cum
meretricio appetitu tuo materiæ impoſſibilis.
Nugis enim iſtis alibi ad tuum pudorem uſque
eſt ſatisfactum. Galenus, ad hujus campanæ
pulſum, in catochum modò devolutus ſtertit,
ita, ut ne quidem de tono hoc unquam ſomniarit.
Paracelſus tandem, qui putavit rerum eſſentias,
harumque liquores perire nunquam, diſſolutionem
vitæ à trium primorum ataxia inchoavit.
Vix enim credidit Archeum fatiſcere,
qui ne quidem in fimo agrorum, eſſentias herbarum,
in pabulo aſſumtas, interire aſſeruit.
Imò Archeus (inquit) nunquam diſſolvitur propter
ſenectutis deliquia: ſed ſuffocatur tantum,
per corruptiones, penes naturam adultas. Adeoque
nec tum interire putat Archeum: ſed alienis
rebus obvolutum obfuſcari, & ab agendi
munere violenter ſuſpenſum abire, ac redire ad
primum ens ſacramentale. Riſu ſanè, & commiſeratione
magis, quàm reprehenſione hæc
digna. Circa enim producta morborum, & occaſionalia
intrò allata, tantum verſatum hactenus.
Paracelſus enim cum ſequacibus, tartaros, in
cujuſque morbi efficientem intimum, introduxit,
forte nec ante nocuos, niſi dum ad ultimam
ſui lineam perducti, coagularentur. At viri illius
errores antehac rejeci, credulamque poſteritatem
jam detecto mendacii fuco, meliùs inſtruxi.
4 Quia ſcio, Archeo ſuum eſſe Blas motivum,
& alterativum, naturaliter ſibi datum, &
vi ſeminali proprium. Vtpote qui vel à primo
conceptu, tam animal, quàm vegetabile unumquodque,
ad nutum propriæ deſtinationis movet,
figurat, alterat, auget, &c. Adeoque Archeum
eſſe impetum facientem, apud Hippocr.
extraque, vel præter quem, nil moveri, ſentiri,
vel alterari in animantatis. Denique ſcio, quod
Archeus ſe regulariter moveat, juxta ideam, vel
ſibi à generante relictam, vel aliam, aliunde aſcititiam.
5 Vndè quoque credidi ejuſdem entis
& facultatis eſſe, qua per ſanitatem omnis motus
& alteratio fiunt in regularitate ordinata, &
qua hæc eadem irregulariter fiunt. Ergo neceſſum,
à ſolo Archeo naturaliter non minùs morbum,
quàm ſanitatem derivare. Ita ut ſi per imagines
ſemini impreſſas ſit vita, ſitque ſanitas:
per conſimiles quoque, ſed præpoſteras ideas
fiant morbi. Sed undè hoſpites illæ imagines 6
proſiliant, ſi nil externum quatiat, nihilque internum,
ne quidem labe hæreditaria turbet.
7 Enimvero de ideis humanis affectionum, inclinationum,
paſſionum & perturbationum jam
egi: ſed ſat nondum de Archealibus, dum proprio
luxu ſponte exorbitat Archeus, & Prothei
inſtar, ſeipſum voluptuosè transformat. Etenim
ut regulares ideæ (undè Archeus omne ſuum
Blas habet) ſemini, à libidine generantis implantantur.
Sic quoque ab impuritate naturæ,
luxualem voluptuariamque inordinationem omnem
reſervavit concupiſcentiæ, quæ planè
nunquam deponitur, quamdiu vivitur in carne
peccati: quia deturpatæ in paſſionibus naturæ
eſt prorſus vernacula. Sic namque Archeus contriſtatur
quodammodo, iraſcitur, odit, angitur,
deſperat, ſibique ſit tædioſus: tametſi homo
nil tale ſibi procurarit, aut in ſe ſenſerit. Fiunt
nimirum exundationes in Archeo, hactenus
anonymæ, quia ſibi propriæ, & humanis perturbationibus
non uſque adeo cognatæ, undè
quoque excentricæ atque virulentæ imagines,
mera pariunt venena. Spontanei enim veluti
mœrores ſunt, qui vitam, ut tinea veſtem, rodit,
juxta ſapientem. Hæ ſunt ſcilicet anonymæ
ideæ, quæ latentem aliàs morbum, vel hæreditarium

tarium characterem, in medium proferunt. Verum ſi cerebrum, cor, lien, *&c.* ſint aulæ, quibus Princeps Archeus ſua celebrat concilia. Quid ni ipſum principale, originale ens, motivum imaginativæ, ſibi etiam genialem phantaſiam habet? Et in natura, per concupiſcentiam corrupta, dant irregulares exorbitationes in ente, potiſſimum dum ſe animæ imperiis velut ſubtrahit, ſuique juris mavult eſſe!

8 Nec obſtat, quod in homine non ſentiantur Archei propriè ejuſmodi paſſiones: quæ alioqui requiri viderentur, ſi ideas morbificas & ſigillares depromere debeant. At certè, Archei propriæ inconcinnitates, abſque organi & animæ commercio contingentes, nequaquam ſentiuntur in homine. Neque nimirum, cum ſomnia pleraque neſciamus; imò neque ſciamus nos ſomniaſſe, niſi facultatum quædam ſit facta mutualis traductio in hoſpitium. An enim generans ſentit ſe formare ideam, quæ tam ſuperbum ædificium mox ſtruet? An enim ſemel cogitat de formando ſaltem fœtu? de rebus agendis? In libidine enim mens alienatur quodammodo, ſeſeque velut ſubtrahit interim dum Archeus ſui imprimit imaginem, abſque imaginativa.

9 Archeus itaque retractus, abſque ſuæ aulæ comitiis, penes ſe, intus quodam velut tædio, conflictatur (nec enim irregularitates Archei ſe ſtringunt ad regulas paſſionum, & idearum mentalium, dum præcipuè à ſuis muniis, imò & à mentis imperio, violenter exorbitat.) Vndè ideæ, ignaviæ authrices; Hincque digeſtionum tarditas, negligentia, obmiſſio, cum quadam vitæ inappetentia, *&c.* Ejuſmodi ſunt luxus eſſendi, dominandi, ſciendi, habendi, domandi, ulciſcendi, fruendi, *&c.* Adeoque horum conceptuum ideæ, gignunt diſſolutiones, deſideria, profuſiones, & intolerantias. Vnde demum digeſtionum, diſtributionum, & regiminis incuriæ, diſpendia, titillationes, irreſolutiones, gravamina, tetricitates, *&c.* Vndè tandem Peſtes, etiam ignota toxicorum monſtra, itemque morbi diſſoluti, & Atrophiæ inopiæ. Sunt quippe ideæ ejuſmodi, conſilii inopes, & extra curias ſolitas formatæ. Ideoque illarum matrimonia, & miniſteria, non magis regularia, quàm earundem nativitates. Ergo Archeus in proprias luxualeſque irregularitates lapſus, totus ſymptomaticus, atque impatiens, velut furit, habenas regiminis (quod alioqui feriari nunquam poteſt) nunc deſerit, nunc iterum interruptas arripit, quandoque tardior operatur, tædioque ſui corripitur. Imò media voluptatum ſatietate, tormenta ſibi excitat, ens planè irrationale. Interrupto namque digeſtionum exercitio, humor alimentarius in ſexta, per nimiam detentus moram, exoticum exuberantis digeſtionis concipit fermentum, ſuoque fruſtratur fine. Hinc namque iterum, velut perterritus Archeus ſuæ velut incuriæ pœnitens, præpoſterè cuncta movet.

10 Sed nequeo dignè media explicare, quibus Archeus ſuas ſpontaneas excentricitates facit, neque harum ideas proprio etymo depingere ſi ſint inviſibiles, imperceptibiles, & in abſtractione Archei à muniis corporalibus factæ. Non enim modum novi, quo initia ſeminalia ſuas dotes exprimunt, qui planè ut à priori mihi ignotus eſt. Conjecturis enim tantùm à ſimili aſſecutis, ludo. Equidem per regularia in homine, conjecturas feci, quas alter me judicioſior explicet. Mihique autem viſum, non fore operæ pretium, penitus hæc ſcrutari jam ſecundùm individua: ſufficere verò tam in cognoſcendo, quàm medendo, generatis ideis obveniſſe, & ſuſtuliſſe ab Archeo omnem ataxiam, unico fortaſſis Arcano: de quo poſtea latius. Pacem ergo optatam ſtudiis, & infirmorum querelis daturi, quærite, & invenietis.

11 Cæterùm doctrinæ jam traditæ, adſtipulantur morbi omnes poteſtativi, quique velut abſque ſordium omnem contactum incrudeſcunt. Atque ejuſmodi ſunt inprimis morbi hæreditarii, à generante, cum ſemine infuſi. Quorum videlicet ideæ aliquot annos patienter expectant, antequam in prole, imò & quandoque in ſero nepote manifeſtentur. Secundò idem convincunt morbi, per longa dierum ſilentia dormientes, atque ſubinde recidivi. Tertiò, Morbi concentrati, quos Torturas noctis alibi voco. Et quartò, Idem explicant morbi virtutis diſproportionatæ, quos inæquale robur voco. Quantum autem hæreditarios & poſthumos morbos concernit: Certum eſt tranſplantari ideam morbificam in ſemine parentum depictam.

12 Non quidem quod Generanti ſit conceptæ alicujus paſſionis, aut morbi character, generando ſibi propoſitus, ex fine deſtinato: ſed (ut dicere jam ceſſo) Archeus in generationis actu concipit voluptatem, per quam à corpore, in ſui centrum abſtractus, debet, tanto vicinius, in animam, velut alterum à corpore extremum, ſe reflectere.

13 Vndè non poteſt non vitale lumen ſuſcipiens vigorari, atque ſuſcipere ſui imaginem ſeminalem, fœcunditatis ſcilicet cauſam. Eſt namque voluptatibus univerſis proprium, cum beneplacito, ſeipſum in ſui

ſpeculo contemplari, & cum jucunditate
plauſibili, quæ philautiam, & quandam
arrogantiam, in primis naturæ cunis, uſque peperit,
diverſam tamen in ſe, pro voluptatum varietate.
Etenim dum Archeus ſe ſubtrahit,abſtrahitque,
ut dixi: attamen non poteſt non eſſe in
corpore, tanquam loco. Abſtractum ideo voco,
non quidem à corpore; ſed ab aula, ſive trono
ordinario. Non fit autem abſtracta Archei
contemplatio, in corde, quaſi fluctuaret, continuo
agitationis & pulſuum motu: ut neque ſinus
cordis, ſunt aula conſilii Archei abſtracti. Imò
neque in ipſo cordis parenchymate: at
penitius ipſa regia eſt. Nimirum in ipſo ſtabili
ſpiritu, ſpleni inſito. Concepta nempe iſthæc, ſub
libidine, imago ſuiipſius, particulam ſpiritus, à
quo patratur, induit: quæ ſub ſynteresi
Chymiæ, eſt 8200 pars totius. Quæque particula
minima ejus ſic depicta, tranſit deinceps in
ſpiritum influum, cordi domeſticum, unà cum
idea libidinis ac deſiderii. Sunt autem ideæ
deſiderii, ſolæ directrices motivæ (prout alibi de
ſympatheticis) atque proinde concepta Archei
humani imago, per iſtam directionem, ſemini
14 materiali inſeritur. Quare mors à venere ut
incepit: ita quotidie acceleratur, pro ut &
defunctio plantæ incipit à concepto ſemine:
quatenus inde minuitur potenter vis vitalis. Denique
id ſanè veraciter, & non per dolum
phantaſticum fit, quo ejuſmodi idea nedum ens
integrale humanum repræſentat; ſed individuales
ſimul propenſiones, proprietates, & defectus.
Hinc enim, uno truncus brachio, non proinde
15 mutilum generat. Quia idea formativa non
aliunde quàm à viſcerum inſito Archeo, in
generationem tradux eſt. Ergo morbi hæreditarii
inoleſcunt fœtui, ab ente morboſo. Idea
nimirum, ſpiritui ſeminali impreſſa (cum ſit ipſe
morbus, adhuc in vita prima ſeminis
deliteſcens, & ſigillatus) adhuc dormit, & ſui
maturitatem exſpectat, donec expergefactus ab
Archei agitatione prorumpenſque, producta ſua
parere ſit apta. Sic nimirum furores
innaſcuntur, ac propagantur in proles, cum tota
16 inclinationum ſeminalium proſapia. Porrò & inde
conſpicuum, non omnes morbos parentum in
proles transferri: ſed illos dumtaxat, quorum
ideæ contaminarunt Archeum viſcerum in
parentibus. Neque enim aliqua podagræ, aut
furoris materia occaſionalis, cum ſeminis genialis
integritate, transfertur ſocialis. Nam
præterquam quod alienigena dualitas ſterilitatem
ſeminis continet;etiam ſuppoſita illa morbi
translati materia putreret, loci & fermentorum
importunitatibus digeſtionumque iterationibus
victa, fœteret, putreret, vel dierum ſucceſſiva
multiplicitate evaneſceret. Non autem in
periodum vitæ comitaretur, ſuaſque excitaret
recidivas. Quantum autem morbos ſilentes, 17
licet acquiſitos attinet: etenim id habent
vernaculum: quod ſtatis periodis importuni
reſurgant. Sic namque Comitialis, per menſes &
annos ſubinde dormit, imò & nunquam
excitatur, niſi per Venerem, Iram, Mœrorem,
partum, &c. Neque eſt enim ulla materia, fomes
caduci, alicubi detenta. Quia vel putreret,
areſceret, conſumeretur, vel priſtinam veneni
labem amitteret: quod cum non fiat, verùm in
vitam perennet: aliud proin exordium, atque
hoſpitium immediatum, quàm recrementa
delegit. Sigillatur quippe in idea entis activi, &
conſtantis per totam vitam. Itaque ſpiritus
vitæ, in organis concluſus, ſuas patitur procellas,
ab ideis ſuis morboſis: quas quoties ſpiritus
influens inde recipit, earundem toties contagia
ſtatim in actum deducit. Etenim ut Comitiale
virus inebrians eſt,ſoporiferum,& quodammodò
furioſum; primitus circa ſtomachum
eluceſcit, ac dein maximè in capite percipitur,
ejuſque clientes ſingulariter afficit. Ita Archeus
capitis cudit imagines virulentas, qui ipſi
Archeo inſito ſunt exoſæ, & venenoſo contagio
ſuſpectæ, facileque inde totus fit apogeus.
Sunt tertiò, morbi quidam concentrici in 18
materia, & efficiente: attamen cum ſint fœtus,
concepti in irregularitate Archei exorbitati;
hinc ſunt excentrici, quo ad ſanitatem,
concentrati autem in penitiori Archei fundo.
Hactenus namque aſtra reſpiciunt, & ad lunæ
præſertim ſyzygiam moventur. Ventorum item
apes in futurum prænunciant. Neque enim
Archeus ſe Aſtris obligari oſtendit, niſi per
morborum importunitates. Quapropter morbi illi
vocantur vulgo Ephemerides ægrorum. Rectè
ergo valentibus, Archeus non regitur ab Aſtris.
Quia verò lunam ſingulariter ſectantur (quæ
Aſtrum nocturnum eſt) noctuque ideo magis
ferociunt. Ideo torturam noctis appello, quod
per conſimile Blas ferri, & cum Aſtris
confabulari videatur. Idque ſanè non competit niſi
Archeo: cùm craſſior corporis compages non
ad hoc idonea ſit. Sunt ergo ſigillati, in ſpiritu
vitali, organis principalibus inſito. Nil autem
ſigillatur ibidem, præter characteres ideales.
Archeus eſt ens fontale, quod ſuo Blas omnem
in nobis impetum concitat juxta Hippocratem.

Permanet autem ens fontale, utcunque nitidè ablatis productis morboſis. Nam etſi ſubinde tam contenta, quàm continentia vitiet: attamen Archeus reſervat ſibi ſolitarium vitium, impreſſum, quo omnem procellam ad lubitum concitat. Morbi tandem, quos quarto loco voco 19 ſub robur inæquale, ſunt innati, vel adepti. Et quia robur dicunt, palàm quoque ſubter poteſtates ſe ſcripſerunt. Difficile autem ſemper fuit in natura, ſingulis organis deſideratum robur, abſque aliquorum querela partiri: quin perpetuò unum alteri prævaleat, debiliuſve ſit. 20 Ad quam equidem non defluunt, aut decurrunt, ex inſonte capite humores, vel muccoſa recrementa: prout alioquin in ſcholis, fictitiis humoribus atque Catarrhis tributum eſt. Quin potiùs inſitus debiliori parti Archeus, diſtributionis penuriam advertens, & injuſtitiæ inæqualitatem ſentiens, fit querulus, ac ſeditioſus, velut in novercam. Cujus in paſſionis ideas cum aliò mittere non ſit opportunum, in ſeipſum tetricus torquet, triſtitiæque effectus in ſuis digeſtionibus parit. Ergo ipſamet ſeminalia morborum initia in diverſos fines diſtrahuntur, licet unico ſubjecto immediato inhæſionis gliſcant; quia recipiuntur per modum recipientis. Id eſt, humani corporis, partiumque diverſitate, difformitatem in manſionibus ſuſtinent. Quin-etiam Archeus ipſe pro motuum diverſitate variam concitat ſymptomatum ſupellectilem. *Spiritus* (inquit Hippocrates) *tres in nobis motus fecit, intrò, extra, & in circuitum:* ſecumque movet, & tranſmutat ſingula, etiamdum ordinatus eſt. In ſui autem irregularitate quicquid peregerit, ſuæ ataxiæ quoque memores effectus edet.

ORTVS IMAGINIS
MORBOSÆ.

1. *Morbi deſcriptio per enumerationem abnegatorum.* 2. *Quid morbus.* 3. *Vana Medentum putatio de morbo.* 4. *Hoſpitium vita eſt morbi.* 5. *Probatur vis idea morboſa per vegetabilia.* 6. *Per Blas meteoron.* 7. *Ex præmiſſis probatur idea Archealis Blas in nobis.* 8. *Morborum ſedes ordinaria.* 9. *Perturbationum imagines citantur.* 10. *Ex nonente mentali fit hoc aliquid.* 11. *Duplex idea morbifica Archealis.* 12. *Idea delata ad cruorem.* 13. *Regula Iuris in medendo.* 14. *Cur Author ſervet veterum nomina.* 15. *Probativa idea ſolo Archeo fabricata.*

INauditam doctrinam entis morboſi, à me promiſſam, jam ad longum deſcripſi, ut medentes diſcant, fontaliter morbum introſpicere, & deſueſcant ſeduci paganis opinionibus. 1 Quapropter morbus non eſt qualitatum elementalium quæpiam intemperies, horumve è lucta continua promanans victoria, pro-ut hactenus ſomniarunt Galeniſtæ, nec item eſt morbus, unus è quatuor fictis humoribus, craſim ſuam ſuperans, & quatuor elementis æquiparatus. Nec demum morbus eſt materia aliqua degener, ab elementorum impreſſione ſuſcitata. Sed omnis materia excrementitia, vel eſt nuda præcedens morbum materia, morbique ideò cauſa occaſionalis: vel eſt morbi productum, ab errore partium reſultans, adeoque morbi effectus quidam poſterus: licet dein occaſionaliter morbum alium ſuſcitet, vel antecedentem aliam cauſam foveat, augeatve. Nec demùm morbus eſt qualitas noxia, è veneno aut contagio alterius, & nocuæ materiæ, pullulans. Veruntamen iſta ejuſmodi peccata, accuſant dumtaxat ſui præſentiam: non autem effectum inde tantùm occaſionaliter dependentem. 2 Eſt itaque morbus, ens quoddam natum, poſtquam nocua quædam poteſtas peregrina violaverit vitale initium, hujuſque vim penetraverit, ac penetrando excitaverit Archeum, ad indignationem, furorem, metum, &c. quarum ſcilicet perturbationum anxietates, ac moleſtiæ, ideam ſibi conſimilem, imaginemque imaginando debitam, excitant. Promtè ſcilicet iſta imago cuditur, exprimitur, ſigillaturque in Archeo; eoque veſtita, mox morbus in ſcenam intrat, corpore ſcilicet archeali, & efficiente idea, conſtructus. Archeus nimirum ſibi noxam parit, quam ubi ſemel admiſit, mox dein quoque importunitate illius cedit, fugit, alienaturve, aut deturbatur, vel inquinatur, cogiturque ſubire alienum imperium domeſticéque ſibi excitatum bellum civile, ſuſtinere. Eſt nimirum Icon aliena ejuſmodi, materialiter impreſſa, ſurgenſque ex Archeo. Verum inquam ens morbificum, quod morbus appellatur. 3 Etenim quanquam Medentes ſolummodò occupentur circa diſſolutionem, abſterſionem, & expulſionem noxiæ materiæ occaſionalis: non valet tamen putatio noſtra variare morbi eſſentiam. Vt nimirum, quia Medicus laborat in

proſcriptione nocui occaſionalis, proinde etiam morbus debeat eſſe id, quod præpoſtero ordine deceptus ille medens expellere intendit. Morbus namque eſſentialiter eſt id quod eſt, ſive abſit Medicus, ſive adſit. Nec enim medentis initio magis morbum determinat, quàm ipſum terminat. Vtpote qui ſe non accommodat ad putationem aliorum: ſed eandem irridet quotidie. Quare ut ſanitas conſiſtit in vita
4 integra: ita morbus, in ipſamet vita oblæſa. Vita autem ſubſiſtit unicè atque proximè in ſede animæ: anima verò non operatur extra ſe, niſi vi organi officialis ſui, quod eſt aura vitalis Archei. Ideoque mirum, quod hactenus ignoratum fuerit, quod morbus ſedeat immediatè eodem hoſpitio vitali, quo vita fruitur. De quo pòſt latiùs. Vix etenim credent Oſores, omnem ſublunarium potentiam excitari, & contineri in ideis. Id enim obiter jam ante perſtrinxi,
5 juverit tamen id fortius ligari. Novimus enim, & fide credimus, herbis datam vim propagandi ſibi ſimile. Eſt autem iſta vis proprietaria, ens reale, actu exſiſtens, quod in ſemine jugiter & ſucceſſivè manifeſtatur. Nec eſt ejuſmodi vis, quæpiam accidentalis poteſtas, ſive nuda qualitas: ſed eſt vis ſeminalis, qua planta parens in ſuo ſemine depingit ideam, continentem figuræ & proprietatum, juxta quas ipſum ſemen excitabit, delineabit, & creſcere faciet plantam filiam. In ſeminibus namque manifeſta cognoſcitur imago, gnara rerum, in
6 propaginem novam agendarum. Pariter mare non facit, ſed patitur horridas tempeſtates, quas ventus efficienter concitat. Et ventus quidem non à ſeipſo, ſuaque ſponte movetur: verùm ab inviſibili Aſtrorum influxu, juxta illud. *Erunt vobis ſtellæ, in ſigna, tempora, dies, & annos.* Tanta nempe primariorum elementorum procella prorumpit, ab ente, quod lucis inſtar eſt. Non eſt autem Blas elementorum concitatum, à mera luce Aſtrorum: Etenim quantumvis ſit incorporale, & immateriale Aſtrorum lumen, non eſt tamen lux quædam ſimplex; ſed quæ præter lucis ſolitariæ proprietatem (quæ eſt dumtaxat illuminandi) habet Blas motivum in ſe, itemque durationes directioneſque ſecundùm loca, fortitudines, & debilitates, non minus quàm Blas alterativum, ad omnem temporum viciſſitudinem, & periodos. Hæc ſolent antiquitus adſcribi adſpectibus diverſorum luminum, qui tamen ut tales, non ſuperant efficaciam ſuam, quæ eſt luminaſſe. Sed excitare temporum tam diſſimiles ſtationes, & tempeſtates etiam præviſas, id eſt, ante ſtellarum adventum, ad loca adſpectuum illorum, majoris ſanè ponderis effectus eſt, quàm ſolius luminis ſimplicis. Reor itaque, per adſpectuum diverſitates condi imagines ſpirituales aſtrales inviſibilis mundi, quas in aërem deponunt, ad excitandum Blas, juxta imaginem illarum proprietatum. Siquidem momentaneus eſt tantùm ſtellarum adſpectus, ut & inſtabilis locus, effectus autem perſeverant aliquamdiu. Ergo neceſſe eſt luminares adſpectus, præter lumen momentaneum, depoſuiſſe in aëre ideam Blas, operantem, uſque in ſui conſumtionem, temporum irregulares regulas, repagula, obices, calcaria & periodum. Eſt ergo ejuſmodi imago de natura luminis, ut ſtato tempore operetur: nam alioqui multorum annorum curſu vix ad nos pertingeret, niſi de natura luminis eſſet. Itaque ſicut plantis ineſt vis ſuſcitativa imaginis ſeminalis, ad prolificandum: ſic & Aſtris vis eſt fabricandi ideam motivi luminis, quæ eſt inchoativum motus initium, faciens quicquid ſibi in exſecutionem eſt demandatum. Archeus autem noſter, ſive 7
habeat vim terræ, vel Aſtris ſimilem, perinde eſt, modò intelligamus ipſi proprium eſſe, Blas tempeſtuoſum in nobis excitandi, poſt inobedientiam Protoplaſti. Sive illi ejuſmodi proprietas à peccato inoleverit, vel demum illa, proprio nutu, adſpectuque ſuæ perturbationis de novo ſuſcitet, perinde & ſat eſt. Modò agnoſcamus, quod omnis vis, tam regularis vitæ, quàm inordinati regiminis, non niſi ex initio hoc vitali promanet. Suntque idcirco omnes morbi, 8
horumque typi, conceptus quidam depicti, ab inviſibili hoc Rectore, ad perpetrandas noſtrarum calamitatum procellas. In æthere ergo Archei depinguntur ideæ aſpectuales, tam ex profunditate ſtellati Cœli ipſius animæ, quàm ex erronibus ſeptem viſcerum inſitis ſpiritibus formatæ. Sic enim pavor Peſtis, Peſtem creat. Pavor ſubitaneus mortis, ſæpè podagram necuit. Pavor item amiſſi, vel amittendi honoris, 9
ſi per diem unum duraverit, Epilepſiam fecit ſubinde. Triſtitia paupertatis, inſaniam adduxit: aliis verò Scrophulas peperit. Maniaci omnes plerumque è ſuperbia devoluti ſunt. Et ſapiens teſtatur: quod triſtitia vitam hominis, ut vermis veſtes, rodat. Triſtitia autem eſt triſtis cogitatio: hæc autem eſt nonens, quia ens mentale. Quod quia nonens, nullam ideo ex ſe agendi potentiam habet. Ergo cogitatio triſtis, parit 10
ideam activam, fitque hoc aliquid ex nihilo, non ſecus atque in prægnante perturbatio monſtrum

ſtrum parit, & fœtum humanum, in belluinam tranſmutat. Eò quod imaginativæ poteſtati ſit vernaculum, imagines condere, tam in mentalibus, quàm Archealibus. Triſtitia igitur, quæ eſt lenta perturbatio, parit ideam, quæ vitam conſumit, roditque: eò quod ejuſmodi idea, pro ſui materia, habeat auram vitalem Archei degenerem: quæ idcirco prætendit reſiduum Archei, ſui ſimilitudine pervertere. Hæcque aura degener in duumviratu corrumpitur. Ideoque mox à triſtitia, continua ſunt ſuſpiria. Hæcque ſic accidunt viribus phantaſiæ triſtis. Idem quoque contingit in poteſtate phantaſiæ propriæ Archei, ſive influi, ſive inſiti: quorum uterque (pro ut de tumulo Peſtis alibi) phantaſiæ imagines
11 potentiſſimas condit. Quapropter duplicis Archei, duplex quoque Archealis idea morbifica, morbum tranſientem à Chronico diſtinguit. Quapropter qui poſthac ritè attendent, reperturi ſunt omnem animæ perturbationem, quæ fortis eſt, diuturna, nec deſcendit emanatione extra Archeum viſcerum, dicatorum muniis phantaſticis, ſive extra duumviratum, parere amentiam diverſam, ſive diſtinctam, per idearum varietates. Reperient ſimiliter ſimplicia, tam intus degenerata, quàm forinſecus aſſumta, modò ipſum Archeum forinſecus affectent. Duumviratus parere parem Amentiæ Ideam. Quod manifeſtum fit in Rabidi leviſſimo contagio. Quales etiam morbi concentrati in membris vitalibus, colloquentibus cum Aſtris, unde Robur inæquale, Tortura noctis, hæreditarii, repetenteſque periodicè, cernuntur promtuarium inviſibile intus habere, principiumque inchoativum tragœdiæ, undè pro maturitatum, vel apogææ excentricitatis, juſſu, repetuntur Ideæ, tot procellarum Authrices.

12 Ideæ autem, ſi cruorem informent, vel liquorem proximè aſſimilandum, & alimentarium, naſcuntur tempeſtates, conformes tam Ideis perturbationum, quàm hoſpitali Archeo. Proprio ergo luxu, tædio ſpontaneo, corruptela, defectu, Blas furioſo (nomina enim deficiunt, ubi res à priori incognita latet) intus ſic laſcivit Archeus, quod etſi foris nil quatiat: attamen habenas regiminis, vita deſerat, ſuſpendat, ſpernat, averſetur, furiatque neſcio homine. Sic nempe ſurgunt Ideæ, quæ in omnem diſſolutionem, ac morborum effrenem tyrannidem, liberæ prorumpunt. Cumque medenti occulti motus ſint laſcivientis Archei, adeoque nequeamus abjectas ſemel habenas in manum ejuſmodi Archei reponere: à poſteriori, univerſale quoddam Arcanum conſopitivum, & ſedativum Archei, eſt adhibendum. 13
Incaſſum ideo plerumque laborat, quicunque deſtitutus Arcano univerſali, non pacato prius Archeo, averruncandis cauſis occaſionalibus, operam locat ſuam. Quod ſanè ſtylo aureo accuratè notandum eſt. Contingit enim ipſi non 14
ſecus, ac qui non obſtipato jugi fonte, exhauriendo aquam, rivum exſiccare præſumit. Interim cum ignoto tramite Archeus procedat in ſuis imaginum fabricis, cogor in morborum explicatione, antiquata ſervare nomina, & nomenclaturas ſequi: ut cauſarum occaſionalium trita via, deveniamus ad cognitionem occultarum quidditatum morbidarum. Sufficit autem mihi hoc parergo oſtendiſſe: quod Ideæ ſeminales, in toto mundi ſyſtemate, ſint inchoativum principium omnis Blas ſeminum, generationum, viciſſitudinum & procellarum. Attamen priuſquam ad morborum ſchema contendam, cum adhuc nimis ſit jejunum, Ideas ab Archeo formari, non minùs quam à vi phantaſtica; juverit id Tyroni uno argumento oſtendere. 15
Etenim cadaver humanum, ſpontaneo fluxu mortuum, friget ſuper omnem glaciem, non quidem quod revera frigidius ſit cadavere vaccæ, ſpontè demortuæ (id namque per organum qualitatum ac gradus ambientis diſtinguens, clarè demonſtratur) quanquam tamen id noſtro attactu ſic cenſeatur. Contingit id enim, ſolius Archei pavore, qui contactu mortis in cadavere pavet. 1. Sentit mortem, quam fortaſſis phantaſia adhuc ignorat. 2. Pavet. 3. Retrocedit ſpiritus influus. 4. Inſitus autem manui, pavore turbatur & concidit, adeoque initium mortis ſibi è pavore concipit. Non inconcinnè ideo Sacra, ut qui mortuos tangeret, impurus & ſemimortuus cenſeatur. Quam mortis imaginem Archeus, velit nolit, concipit, eamque ſic mordicus aliquamdiu retinet, quamdiu ſuperſtes eſt illa pavoris Idea: quod intra horam vix ad focum recaleſcat. Ergo pavoris Idea realiter ibidem eſt: ſiquidem operatur effectum, eſtque formata ab Archeo, & non ab imaginativa hominis. Igitur, ſi Archeus pavore fugiat tremens: pari quoque ratione triſtabitur, iraſcetur furore aliiſque paſſionibus concitabitur. Et quarumcunque perturbationum Ideis conflictatur, ſibi fit moleſtus, & noxius, juxta idearum lubitum, quas ſibi finxit propriâ vi & libertate.

ADITVS PRÆCLVSVS AD CONDVM VISCERVM.

1. COncluditur è ſede animæ ipſa ſanandi morbi difficultas. 2. Quartanæ exemplum. 3. Notabile de remediis hactenus contra quartanam uſitatis. 4. Purgantia in quo incautos hactenus fefellerunt. 5. Quandoque per accidens, purgantia ſanarunt. Atque hoc dolo permanſere. 6. Cenſus incurabilium. 7. Diſtillatio parit nova generata. 8. Singularitates in rebus per ignem productis. 9. Decocta differunt à ſtillatis. 10. Scopus authori quis olim. 11. Deceperunt Authorem quædam remedia. 12. Remediorum examen. 13. Digeſtionum examen. 14. Hydro-remediorum examen. 15. Valores ſtomachi. 16. Prima conditionum varietas undè.

1 POſtquam deprehendiſſem, ſtomachum
radicem arboris , ſive radicem
tam digeſtionis univerſalis ,
quàm particularium quarumcunque :
cognoviſſem æquè ſeriò, ibidem
habitare animam mortalem
ſeu ſenſitivam , actionum in nobis quarumlibet
heram , ac vitæ diſpenſatricem per totum. Sitam
videlicet quoque ibidem primorum conceptuum
fabricatricem ; ſomni item , non minùs
quàm vigiliarum & amentiarum officinam:
Duxi rationi conſonum , nuſquam decentiùs
mentem immortalem , ſive Dei ſimulacrum
ſtabulari, aut connecti potuiſſe , quàm in præfato
formali , atque vitali lumine: principio ſcilicet
ſpirituali , ſibi ob id quoque propinquiſſimo
: quia agnato. Cumque tandem perveſtigata
vitali monarchia cernerem , opticéque cognoſcerem
, morbum omnem eſſentialiter in
vita conſiſtere, atque ex eadem conſurgere, ſeſe
obtulerunt mihi cauſæ difficultatum in ſanando
morbos , præcipuè , qui ſponte ſua non ſilent,
aut qui ſuopte impetu ad periodi finem non feſtinant
; ſed vitam , quam acerbè infeſtant, comitantur.
2 Quapropter è morbis diuturnioribus,
vidi quartanam, atrophiam , cacochymiam, debilitates
item , ac dein tam qui in extremo corporis
habitu cubile delegerunt (quales ſunt Lepra,
Paralyſis, Iſchiadica, ſpaſmus, Podagra,&c.)
quàm qui alligantur alicui viſcerum (ut Apoplexia
, Epilepſia , Aſthma , Lithiaſis, Hydrops,
Amentia, &c.) non ſanari , non quidem defectu
deſiderii ſanandi : verùm ſolius remedii penuriâ.
In remedio autem illo dudum laboravi , ac
retroſpexi multoties , donec cognoverim, quod
ipſum vitæ fontem reſpiceret , ſive animam
ſenſitivam . Quapropter primò , ante manus
ſumſi ipſam quartanam, utpote obviam, tædioſiſſimam
, ac planè cognitam : quæque dum
ſperneret Medentum uſitata remedia ; irritam
redderet eorundem ſpem. Inprimis per eandem
certior factus ſum , quod ubicunque lateret
aliquod materiale productum morboſum,
requireretur pariter remedii convenientis applicatio
: vel alioqui ſoſpes formidaretur permanſurus
effectus, à cauſa illa occaſionali ſuſcitatus
. Atque idcirco ab hujus enunciationis 3
correlativo comperi nulla hactenus medentum
remedia: utcunque fama ſui jactentur deoppilativa,
reſolventia , abſtergentia, vel purgantia ;
eadem tamen tantum devenire , aut deferri, ad
ſummum ſolummodò uſque ad limen lienis:
qui ſenſibili teſtimonio ſe prodit quartanæ hoſpitium.
Itaque hinc certò inſtructus , conjeci,
vim illam remedii deoppilativam, &c. mox vel
in ſtomacho perire , miteſcere , domari, vel per
inteſtina proſcribi , ſi prius ſaltem non interierit.
Sin verò qualitas aliqua remediorum , ex
vita ſui media , ſoſpes perſtiterit , aliquantulum
perfracta , penitiuſque aſſumta penetraverit
(qualiter macis , vel terebinthina , in lotio , ſaporem
ſui, ex neceſſitate magni Oportet , retinent)
At ſaltem eadem ſic caſtrata ac delumbata
occurrit , ut nequicquam eorum efficiat,
quorſum , & propter quæ , deglutiuntur pharmaca.
Ova quidem & carnes belluarum referunt
ſapores alimoniæ , quæ ipſas ſaginarunt.
At ſanè,dum in œconomiam vitalem tranſeunt,
tametſi guſtus prioris veſtigia retineant: adeoque
ſanitatis quædam teſtimonia contineant ;
ſunt tamen tam ſegnia horum auxilia , ad eradicandum
productum aliquod morboſum;
quod diuturni lentique morbi,jamdudum, irritam
hujuſmodi remediorum jactantiam patefecerint
, imò & ſpem ſuſtulerint. Sola autem 4
purgativa maximoperè fefellerunt, falluntque
tam medentes,quàm incautos Medicatos hactenus,
quia cæteris auxiliis ſubtiliùs impoſuerunt.
Etenim ut ſunt de venenorum proſapia, (quod
lib.de febrib. ex inſtituto oſtendi) confuſionem
ſtatim circa primas radices , digeſtioniſque matres
, ſuſcitant : atque adeò , quicquid pridie eſt
aſſumtum,vel aliàs etiam ritè ſubactum,id ſolutiva
ſtatim quoq; corruptionis charactere contaminant
, totumque foras confeſtim propellitur,
attracto crudiore cruore , è Meſenterio, in
vicem ejecti liquoris contaminati. Quod nimirum

rum,ibidem confeſtim pariter corrumpitur,donec
virus ſolutivorum agendo ſaturatum & extinctum
ſit. Putatum eſt hactenus,quòd hoc putidum
liquamen cruoris & carnium, eſſet ipſa
morborum materia. Sive, procul per ſolutiva evocatum
liquorem, jam cadaveroſum ac fœtidum,
eſſe humorem unum de quatuor,præ aliis
ſelectum,ac magneticè attractum. Potentiſſimè
idcirco hæc perverſa doctrina hucuſq; mortales
5 decepit: eò quod effectum aliquem ſolutiva
ſponderent, & exhiberent, evanidum licet plerumque,ac
ſubinde truculentum; non tamen ſanitatis
authorem, niſi quandoque per accidens,
natura ſuam ſarcinam, primo limine detentam,
unà excidere permiſerit. Qui effectus per accidens,
etſi rarus, tamen nomen fumoſum ſolutivis
dedit purgationis, fecitque jus, ſolutiva,tanquam
aſylum implorandi,eorumque opem impendendi,
interim intacti manſere morborum
6 plurimi,& atrociores.Nam quotquot ſua ſponte
non decurrunt ſtatim ad terminum, habiti ſunt
incurabiles,& ſolutivorum ſpectata vana tyrannide,
quieſcere ſunt juſſi. Interim quotquot remedia
conabantur inſigni truculentia naturam
in ſui lubitum cogere,extemplò ſenſere vitæ noſtræ
reſiſtentiam,atq; eo ipſo noxia:quia vitæ inſidiantur,
dum cruorem in virus cadaveroſum
mutant.Nocua inquam evaſere,& periculoſa auxilia.
Nam ſi veneni, aut graduum tyrannidis
ſuſpecta erant: ſtatim ut aſſumta, rejiciebantur
tanquam infamia, eò quod inſignem perturbationis,
confuſionis, & lipothymiæ procellam,
nilque præter comminatam turbulentiam aut
7 ſtragem excitare viſa.Sola autem atq; unica,majora
Arcana, quibus vis naturæ dotalis ſupernè
eſt inſtillata,vel puritatis atque ſubtilitatis encomio
glorioſa, omnem morborum tyrannidem
ex æquo ſupplantarunt, uno reſtaurantis vitæ
compendio, in univerſalem ſic medicinam ſurrexere.
Dixi alibi, omne diſtillatum eſſe novam
creaturam, per ignem productam: adeoque non
ex primo ſui concreti inſtituto.Perinde ut ignis
eſt res quædam pro artificiis facta, naturalis tamen:
ita quicquid per ignem prodit, etſi ſit naturale;
tamen profluit è principio naturæ obliquo,
ſeminalia initia detorquente, ad ignis lubitum.
8 Hinc quicquid per ignem conficitur,vitam
primam,mediam,atque ultimam ſimul acquirit,
liquanturque ſimul junctim. Quatenus unicum
ſeminale principium, quod in materiam confluxit,
variis terminis antea ſubjectum,ac diſtinctum,
per ignem coadunatur, ſimulque inde fit
nova creatura, ſurgens quidem ab initiis, concreto
in exſiſtentibus: attamen ſic iſta initia ſeminalia
per ignem alterantur, quod quadam
colliquatione ens novum inde ſuſcitetur,& tres
vitæ proprietates unà conſurgant. Quapropter
etiam cuncta diſtillata à corruptione ſunt immunia:
quia alioquin in vitarum trium ſuſcepta
ſucceſſione, rebus familiaris eſt. Liquet hinc 9
enim, decocta non eſſe entia, qualia per diſtillationem
proliciuntur. Sed tantùm tranſlationes
unius entis, in medium ſibi peregrinum;atq; ideò
facilè putrent, & alterantur. Porrò inter ſimplicia
quædam ſeſe manifeſtarunt,nullo quidem
ſignato prodita: quæ tamen proprietatem particularem
nacta ſunt ad vitæ exorbitantis reſtringendos
in morbis typos.Illa enim,quamvis
ad generum amplitudinem non aſcendant: videntur
tamen à rerum Datore glorioſo,ſpecificè
directa, in morborum quorundam eradicationem.
Etenim qui jam dudum deflexeram ab
horrore purgantium,& circumquaq; perluſtrando,
remediorum propemodum nullitates, vel
infauſtas applicationes notaveram, ac iterum
dum arcana Pyrotechniæ,ſuo tenebrarum velamine,
tecta forent, ac ſpecifica ſimplicium ejuſmodi
energia lateret. Inquiſivi ſedulus, an non 10
poſſem (dum per ignem renaſcuntur ſubnaſcendo,
novæ creaturæ) per artem remedia parare,
quæ vel profundè penetrarent in venarum
propagines: vel ſaltem leviculam ſui proprietatem,
unà cum cruore vel urina, ſpargerent, ſigillarentque
inter vitæ œconomiam? Quæ quidem
levicula qualitas, non intelligitur guſtu
prodire: ſed quæ in digeſtionum culinis ſic maneret
ſoſpes, & imperfracta, quod abſque notabili
ſaporis inclementia poſſet ad ſcopum, in
Creando Medicinam de terra, habitum pertingere.
Arriſit inprimis diureticorum contemplatio: 11
quæ ſcilicet ab ore, per renes, uſque in
veſicam diſpergi videbantur: Perſuaſit idem
potus vulnerarius, uſque in externos artus,
ſuos edens fructus. At tandem manifeſta cognovi,
ipſa diuretica, non quidem materialiter
deſcendere in veſicam; ut nec potus vulnerarios,
in vulnus remotum: verùm omnem diureticorum
& vulnerariorum opem, fabricari in
ipſo ſtomacho. Per exemplum lapidis Cancrorum, 12
vel fixiſſimi oſſifragi, auxiliaris tam vulnerum,
quàm lotii difficultatibus. Hic enim non
diſſolvitur à ſtomacho humano, nec proinde
etiam penetrat ad procul diſſita, in materia ſui
lapidea,aut lactiformi.Verùm ſi non in primum
ſui ens reſolvatur, etiam nec in lactis ſubſtantiam
remigrat. Sed acor ſtomachi, ejuſque nativum

vum fermentum, reſolvit quantum poteſt de ingeſtis lapidibus, non quidem reſolutione retrograda, verſus ens ſui primum: ſed dumtaxat per modum acidorum, diſſolvit lapides iſtos. Id eſt, in pulverem. Pro ut lib. de Febribus ex profeſſo mechanicè demonſtravi. Hinc namque ſi prius diſſolvantur in aceto, potentius præbent auxilium, quàm ſi vino prius ebulliantur. In vino etiam acidulo, quia plus diſſolvuntur, quàm in aqua, aut cereviſia: ideo etiam potentius ſuccurrunt, quàm ſi in jure carnium aut aqua potentur. Eò quod acida comminuant lapides iſtos in ſubtiliſſimum atomum, cumque cremorem adhuc nativum in ſe habeant à ſtomacho domabilem: Ideo & quò ſubtilius moliuntur, eò etiam ſtomachi fermentum, plus illius cremoris nanciſcitur. Saltem etſi aſſumantur macis, Terebinthina, &c. & odorem lotii mutaverint: non tamen niſi languida ſunt illorum auxilia, in dyſuriâ, & lotii ſuppreſſione. Nam reverà cuncta intra ſtomachum annihilantur prioris vitæ ſimplicium teſtimonia: & non niſi flaccida guſtuum remanent veſtigia. Adeo ut nux myriſtica, & terebinthina (quæ plurimum ſaporibus ſuis diſcrepant) unicum tamen ſimilemque ſpirant in lotio odorem. Quod ſignum patefacit, in prima ſtomachi officina, perire quidem primitivas rerum aſſumtarum craſes, ſed exſurgere novas, coquendo acquiſitas. Nam alioquin ex terebinthina, ejuſque oleo & mace, non poſſet reſultare odoris identitas in lotio, ut neque violarum inde gratus odor. Sic Aſparagus fœtet in lotio, quatenus putredo aliqua ſibi adnata, eundem in exilium feſtinat. Potus autem vulnerarii non alias ſubveniunt vulneri: niſi quatenus in ſtomacho, acorem injuſtum ſic minuunt, ut etiam è vulnere, aciditatem (quæ omnis extra ſtomachum, noxia eſt, morboſa, putrediniſque comes: ut alibi demonſtravi de digeſtionibus) inhibeant, atque arceant.
13 Siquidem generalis ſtomachi digeſtio
præeſt, quibuſque ſingularium digeſtionum coquinis. Enimverò aves, toto corpore actualiter & inſigniter calent, adeoque nocturnos hyemis rigores ſubdiu tolerant. Non mejunt autem: quia renibus & veſicâ carent. Ergo, quicquid potatrix columba bibat, totum recedit per inſenſilem diapnœam. Hinc ergo liquet, quod ſoli renes faciant urinam; quæ aliàs eſſet ſudor: differtque urina in homine, non quidem materia primi laticis; ſed ſolo efficiente renum fermento. Patetque etiam quod aves, citra ſudorem, omne ſupervacaneum excrementum inſenſiliter ejiciant. Lotium itaque differt à ſudore, plus quam ſola materia: non præter propriam lotii eſſentiam formaliter à rene ſuſceptam, recipit in ſe ſtercus liquidum & tingens. Quod ſurſum non attrahitur ad venas in ave, nec ſudant, etſi laſſatæ. Ergo quod ſudor in homine non diffletur inſenſiliter, pro ut alioquin in ſue, Ren humanus culpam habet: pro ut etiam, quòd ſtercus liquidum ſeparetur, & trahatur ab inteſtinis ſurſum, intra venas, Ren culpam habet. Vſus verò illius tractionis, propter duelech, alibi oſtenſus. Non autem tingitur lotium, ut promtius ejiciatur: nam acrius lotium eſt, magiſque pungit, quoties eſt abſque tingente ſcoria. Vt ergo Ren eſt cauſa lotii, ac præfatorum: ita & eſt cauſa Hydropis, quatenus Ren ſe claudit indignatione proprii Archei. Cujus indignatio, ſi compeſcatur debito remedio ſtomachi, in quantum ſuus duumviratus
præſidet Reni: certè ſubvenitur mox Hydropi. 14
Etenim ſeroſitates Hydropis non raro abiguntur è tumido, tenſoque abdomine: per hydrocathartica, ipſis ſolitivis adhuc intra ſtomachum tantiſper morantibus. Sed mox repetit idem Hydrops: quia Ren, ut ante, indignatus perſeverat in clauſura, & lotii diverſione. Aqua enim, quam Ren in abdomen depoſuit, ſtomachus inde repetit, & per alvum dejicit, adeóque oſtendit ſe renum ineptiis & indignationibus imperare poſſe, ut etiam per ignotas vias, reducere ſeroſitates ad inteſtina. Non ſanè quod ejuſmodi ſolutiva, materialiter & præſentialiter adeant, uſque in abdomen, ac vi catharctica virulenta, ſecum reducant depoſitam Hydropis ſarcinam: Minimè. Sed unius ſtomachi ſunt hæc facinora, & vitæ vitaliſque duumviratus privilegia. Canales quidem ignoti nobis: 15
ſed vita, horum directrix & magiſtra, ſeſe ad ſedem, ſive centrum ſui, id eſt, ad animam, reflectit. Ideoque, ab ipſamet vita animæ petendæ ſunt poteſtatum functiones, munia, vigores, valores, horumque defectus ſinguli: Anima quippe officia cuncta partibus diſtribuit, eaque per vitam moderatur. Nec ſolum officia diſcriminat per partes, adeò ut in ipſo vaſe ſtomachi diverſitates tam in orificio, quàm in pyloro ſejunxerit: verumetiam ipſas poteſtates connexuit, homoiomero initio quidem: ſed quæ ſingulæ ſuas præbeant ſcenas. Quod ſanè nuſpiam 16
apertiùs cernitur, quàm in morbis, adeoque in facultatum defectibus. Vtpote quod ſternant viam ad ataxiam, unitatiſque diſcerptam diſcordiam. Quandoquidem mens immortalis credi-

creditur univocæ identitatis : atque ideo conditiones, inclinationes, ferocitates, &c. animæ mortali aſcribendæ veniunt. Quæ nimirum ſequitur materialem diſpoſitionum varietatem.

Hinc itaque ſtupiditas, barbaries, furores, amentiæ, ut & ſalacitates, ſagacitates, ac denique ſcientiarum interitus, memoriæque extinctiones, &c.

CONFIRMATVR MORBORVM SEDES
IN ANIMA SENSITIVA.

1. SVpponuntur decem paragraphi alibi probati. 2. Repetuntur duodecim ſtomachi proprietates. 3. Aliquot morbos habitare in vita ſtomachi. 4. Solvitur objectio. 5. Vita muſculorum. 6. Apoplexia conſideratio. 7. Poteſtatum vitalium incomprahenſibilitas. 8. Somnus eſt poſtrema facultatum. 9. Cur ſomnus ante peccatum immiſſus. 10. Sedes morborum univerſalium. 11. Boulimi, & ſitis inextinguibilis conſideratio. 12. Potiſſimas morborum ideas fabricari in duumviratu. 13. Repetitur idearum poteſtatis amplitudo. 14. Remedia plerumque non ſe dilatare extra ſtomachi lares. 15. Scholæ hæc non attendentes, erravunt in remedii applicatione. 16. Delectus medicaminum. 17. Oſſifragi lapidis notabilia.

VT autem clariùs pandantur radices vitæ, aliquot præludia alibi à me fundata, indeque mutuata, in Theſes conſtruam.

1 Mens immortalis, proxima divinitatis imago, poſtquam vitæ regimen delegavit animæ ſenſitivæ, mortali, & caducæ : etſi mortali huic lumini poteſtatem ſuam tradiderit : manſit tamen eidem connexa, per vitæ ſymbolum, tanquam cognitionis proximæ ſyndeſmon, colligata. Quod ſenſitivum lumen vitæ, quia ſedet hoſpitatum in ſtomacho, tanquam radice vitæ mortalis : idcirco & ipſa mens ibidem torum ac thronum ſuum delegit. Quod alibi de anima ex profeſſo fortius confirmavi.

Anima ſeminavit ſuas facultates, pro vita neceſſarias, per organa corporis. Quapropter non videt talus, nec auris ambulat, ut nec hepar aſſumtos cibos in chylum tranſmutat.

Facultas vitalis organorum, in ſanitate, edit actiones ſanas, eademque quoties vitiatur, edit actiones vitiatas.

Non vitiatur autem facultas vitalis, niſi à morbo.

Qui proinde non eſt, niſi facultatis reale & actuale vitium : ens inquam poſitivum, atque ob id conſtans materiâ & efficiente, per modum entium aliorum naturalium.

Cum autem ipſamet facultas vitalis claudat eſſentialiter in ſe, ipſum morbum : ſequitur hinc, quod ipſe morbus in formalitate ſui efficientis ſit facultas, non quidem vitiata, ſed vitioſa : quæ nimirum vitiat ſive lædit facultatem vitalem. Adeoque eſt morbus, facultatibus vitalibus poteſtas perſimilis, atque ſic intima, ut & in quibuſdam caſibus, tam lethalibus & hæreditariis, quàm centraliter radicatis, unita ſit.

Vitiata verò ſive oblæſa facultas, vel eſt particularis alicui organo propria, ut cœcitas, ſurditas, paralyſis, &c. vel communi Archei influentis vehiculo quoquo verſus diſpergitur, idiopatheticè, deuteròpatheticè, vel ſympatheticè. Ac ſanè utcunque, & quomodocunque facultas lædatur; diſcernitur ſaltem, atque clarè cernitur, ubique ſubeſſe vitium vitale, morbumque omnem proximè hoſpitari in principio vitali, id eſt, Archeo ipſo.

Vniverſales nempe ſedent in univerſali vitæ initio, ſive interim Archeus particulatim ab aliquo organo ſit infeſtatus, vel ſive à fonte vitæ, ac animata radice, ſuſcitatus, atque indignatus. Etenim id quanquam morbi ſpeciem variet; non tamen ejuſmodi varietas aufert morbificum.

Anima ſenſitiva præfecta eſt omnibus ſuis facultatibus vitalibus, ſive ſint per organa diſtributa, ſive demum communi Archeo fomentatæ. Saltem inde pendet, quod morborum penè omnium ſanatio conſiſtat, & perficiatur, in radicali vitæ diverſorio. Id eſt, Animæ ſede, ac vitæ centro. Niſi quandoque fortaſſis pars organica quæpiam ſibi combiberit genialem morbum, eidemque facultas vitalis, hoſpes ejus, ſeſe nupſerit.

Vndè conſpicuum evadit, omnem propemodùm ſanationem morborum, (vulnera, itemque ejuſmodi Chirurgicalia non excipio) in ſtomacho, ejuſque Duumviratu ſolicitandam : adeoque nec ibidem incongruè ſolicitari : Nam ſic etiam non raro defectus exteriores interno ſtomachi remedio tolluntur, alioquin externis pharmacis fruſtra tentati. Non mirandum itaque, quod remedia vix ſuperent ſtomachi imperium, claſſem, aut materialiter longius diſpergantur.

2 Quibus ſic obiter præmiſſis, ſubdam nonulla ſtomachi privilegia, 1. atque inprimis iſtud ſtomachi jus geniale, & particulare, quod ſibi primariò coquat: pro toto autem, tantum per accidens, indirectè, atque extraordinario jure præ cæteris membris. Quia ſic tulit ordinatio divina. Vt præparet pro aliis omnibus, ex rudi ciborum materia alimentum. Ipſe autem ſtomachus, immediatè alitur chylo, à ſe confecto. Non ſecus atque radix vegetabilium, ſucco terræ Leffas alitur. Non autem, quod ſtomachus ſanguinem à jecore, pro ſui nutrimento alliciat: ut neque radix vegetabilium, ſuccum à ſe ſemel dimiſſum, ſurſumque diſperſum, repetit à cortice iterum, ut inde nutriatur. Quapropter ſtomachus, paucis venis, pro tantæ molis officio, ac tantæ capacitatis vaſe, fruitur. Quia nempe cruore non nutritur, per conſuetum aliorum membrorum modum. At ſolo chylo paſcitur, quem dein in ſpermaticum liquorem, ſibi congruum, adaptat. 2. Venæ autem ſtomachicæ non diffundunt idcirco cruorem extra ſe, nec læſus vulnere ſtomachus cruorem plorat. Idemque jus ſibi reliquæ membranæ à ſtomacho mutuarunt. 3. Venæ ſtomachicæ nequicquam de ciborum confecto chylo traſmittunt, vel aſſugunt, ut eundem ad venam portæ deferant, pro conſueto alioqui venarum mezaraicarum. Idque alibi de digeſtionibus fortiùs confirmavi. 4. Denique nec venæ ſtomachicæ incumbunt nutritioni ſtomachi. 5. Ideoque venæ ſtomachicæ, puro cruore plenæ, vim habent liberam, vitalem, non perturbatam, aut ſuctui chyli, diſpergendove cruori, deſtinatam. Quorum tamen alterutrum, venis cæteris omnibus eſt domeſticum. 6. Non fruſtra tamen venæ & arteriæ, nexæ ad orificium ſtomachi, diſtenduntur: ſed anima hoſpitata in tenuitate membranæ ſtomachi, quaſi ibidem non eſſet, imò vix alligata loco, ſpirat vitæ ſuæ ſpiraculum in organa (cor ſcilicet, lienem, jecur, cerebrum, renes, teſtes, &c.) modo inſenſili, atque incredibili canalium anguſtia, & tenuitate. Hinc nimirum repentinæ eclipſes, Apoplexiæ, epilepſiæ, vertigines, ſyncopes, &c. quoties nempe anima ſenſitiva ceſſat radiare ſuum lumen in organa. 7. Ineſt namque arteriæ ſtomachicæ canali, vis vitalis, illius animæ, diradiandis ad cor, quantiſper benè ſe habet. At ubi perperam ſe gerit, ſuſcitantur ſtatim quoque palpitationes, deliquia, vertigines, apoplexiæ, epilepſiæ, ſopores, vigiliæ, amentiæ, cephalalgiæ, convulſiones, &c. Denique & ſua ſpiratur vis vitalis ab anima, vitalium facultatum moderatrice, per venas ſtomachicas ad jecur, adeoque ab unitate animæ defluunt variæ dotes, ad organa ſingula: ſiquidem ſemper, & utrobique, ab uno puncto, cuncta tam in univerſo, quàm in nobis, manant. Etenim anima iſta mortalis, & ſeminalis, corporis conſtans rectrix, cum ex ſanguinis diſpoſitione occaſionaliter impetretur: Neceſſariò quoque in organis habitat: tam in cruento ſplene, quàm exſangui membrana ſtomachi. Perinde ut cerebrum, ſenſationum fons, atque judex, ſenſu potiſſimum caret. Ideoque & in Sacris pluries occurrit, quod anima hominis in ſanguine habitet. 8. Sufficit proinde hoc loco, quòd anima ſenſitiva, hiſce ſedibus locata, vires ſuas ibidem explicet, atque inde diverſimodè emittat. 9. Enimverò ſomnus, vigilia, appetitus, digeſtio, fermentum, alacritas, &c. detegunt ſua functionum pluralitate ſanitatem: pro-ut & eodem ſtabulo, ac centrali fonte, hoſpitari Apoplexiam, Epilepſiam, vertiginem, maniam, furorem, oblivionem, &c. Siquidem unica anima ſenſitiva, eſt cauſa immediata, centrum, nidus, fons, & origo, facultatum & actionum vitalium quarumcunque. Cæterùm, hoc tramite ſufficit recitaſſe (quod alibi ex profeſſo demonſtravi) in penitiori tunica ſtomachi, velut thalamo, habitare animam mortalem, eamque intra ſinum ſuum obvolvere mentem immortalem. Poteſtates autem ejuſmodi omnes eſſe vitales, in functione quidem diſtinctas, licet non in vitalitate, adeoque animæ ipſi tam proprias atque peculiares, quod etymon proprietatis inde manarit. 10. Quare, extra controverſiam etiam reor, morbos univerſim omnes (utpote in poteſtates animæ inſurgentes, adverſarios atque hoſtiles) adoriri quoque immediatè animam caducam, atque mortalem. In quam videlicet ſua ſpicula vibrare queunt, eandemque penetrare, ob paritatem ſymboli ſublunaris. 11. Quæ lucta nimirum contingit primùm in ipſo Archeo, animæ janitore, atque inde penitius deferuntur, penetrantque uſque ad nucleum ipſius animæ. 12. Morbi quoque, qui forinſecus ac peregrinè intrò adducuntur, ſtant tam clienter obnoxii huic juri, quàm qui intus ſponte propria efferveſcunt, vel Archeali ſilice excutiuntur. Quapropter quanquam remedia jam pleraque accuſaverim impoſſibilitatis penetrandi: ſufficit tamen Medenti, ſi medicamen, in ipſo animæ memorato diverſorio, eandem penes ſeipſam alloquantur. At certè nova, inaudita hæc, atque

que inſperata eſt medendi Philoſophia. Verùm novitas ipſa parum deterrere nos debet, modò
3 vera demonſtretur. Inprimis difficillimum eſ-
ſet perſuadere, amentias omnes è ſtomachi regione manare, niſi ultrò ac ſponte mihi conceſſum eſſet: Maniam aliquam eſſe præcordialem, itemque ſtomachum ipſum eſſe ſedem concupiſcibilis facultatis: ſomnum item atque vigilias inde ſuſcitari, &c. Niſi inquam Epilepſia frequentiùs ſentiretur è penu ſtomachi, in Cor & Caput attolli, adeoque ſuperas partes, plerumque deuteropathia inferarum languere. Sin autem Epilepſia quandoque à pedibus ſuſcitari videatur; at ſaltem nunquam abſque ſyncope irruit, nunquamque ſenſus tollit, niſi prius ipſam animam ſenſitivam, ejuſque facultates principes conſternarit, ejuſque conſternationis proportio, acceſſus proportionem determinaret. Adeò, ut etſi in capite aut pedibus putetur nidus occaſionalis, nunquam tamen recedit paroxyſmus epilepticus, qui poſt ſe non relinquat ſitim, eoque ſigno prodat ſtabulum ſuum fixaſſe in ſtomacho, animamque ſenſitivam feriri, ea potiſſimum parte, qua ſiticuloſam poteſtatem plantavit. Cum autem mentales poteſtates univerſas ſternat epilepſia, cum ancillante ſibi inſenſilitate, ſpaſmo, atque ſubſultu: certò deſignatur, ipſam animam ſenſitivam penetrari loco ſuo nativo, atque ſolito; eamque ibidem & inde eſſe rectricem ſenſuum omniumque facultatum principum. Quinimo cum non contingat ejuſmodi facultatum ſpoliatio, velut per manus: ſed unico ictu, omnium ſimul conſternatio, idcirco regimen illarum facultatum in centro percuſſum denotatur, membraque longius à ſtomacho remota deteguntur per deuteropathiam, ut pati morbi illius inſultum: ita pariter quoque nec poſſidere ex proprio, ejuſmodi poteſtates vitales, quas amittunt. Nec ſtupeat aliquis, putetve inane doctrinæ genus, quantumvis duumviratus majeſtatem intra tenuitatem membranæ ſtomachicæ locavero. Id nempe animæ proprium eſto, quod in loco, quaſi ſine loco detineatur. Itaque epilepſia doloſè ac improviſè irruens, omnem ſuperioritatem animæ ſenſitivæ, in ſtomacho ſedentis, ibidem arguit ipſam animæ ſedem: non autem à fumis, aut vaporibus lentè ſurſum ſublatis, contingere epilepticos inſultus. Quod de Catharris, atque alibi pluries, opulenter confirmavi. Contingunt namque ejuſmodi eclipſes, non ſecus, atque ſi foramen ſubitò claudatur, per quod lumen in locum obſcurum alioqui diradiatur. Repente enim lumen intercluditur, ac ceſſat: adeò quod id ſit tam vernaculum Apoplexiæ, quod apud Germanos, & Belgas, nomen ictus, ſit ſortita, quam tamen recentem multoties procurato vomitu ſuperavi: vel diſtillatis ſtomachicis validioribus rebusque aromaticis.

Porrò quod in Epilepticis concidat omnis 4
ſenſus, non item motus: Id enim proinde non arguit, animam ſenſitivam non eſſe fontem utriuſque. Nam etſi intercidant omnes intellectuales poteſtates, ſolaque concuſſivi & ſubſultantis motus permaneant teſtimonia, quantiſper iſta eclipſis durat: attamen deſignantur omnes iſtæ poteſtates, ab anima defluæ in corpus, tanquam ſibi propriæ: ſed quas ipſa plantavit in Archeo, organis inſito, eſſe ſub Eclipſi, & animæ conſternatione tumultuentur; ſubſiſtunt tamen obſcuratæ, quia vita non tollitur, nec pulſus
ideo ceſſat. Quod autem motus ſpaſmodes in- 5
voluntarius etiamdum perſtet, id non tam animæ, quàm vitæ muſculorum ſingulari, tribuendum. Quam nempe alibi oſtendi, adhuc à morte aliquamdiu perſeverare, Tetanumque inchoare dudum à morte: adeò, licet vita muſculorum ab anima ſenſitiva promanet; ſortitur tamen peculiarem quandam energiam, ut & loci ſtationem. Ideo minus mirum, vel abſurdum, proinde proprio motu tumultuari muſculos, ſi citra mortem ſenſerint vitam commu-
nem eclipſari. In Apoplexia autem, & ſynco- 6
pe, etiam motus muſculorum planè intercidit, excepto motu intercoſtalium; quippe totales tenebras ſubit tum anima ſenſitiva. Itaque juxta diverſas ſuarum perturbationum ſcenas, directrix vitæ anima multipliciter ſuos ſatellites, in organa ſibi ſuppoſita, dimittit. Vita autem quævis, cum ſit de indole luminum, à Patre luminum deſcendens, ſuperat humanum intellectum. Adeoque inepto vocabulo vocatur Pater luminum à Scholis, Mundus intelligibilis, qui minimè ſub intellectum noſtrum cadit. Nec enim ſolùm Pater luminum glorioſiſſimus, ipſiuſque Reſpub. tota, nobis eſt incognita prorſus, juxta teſtimonium Veritatis ad Nicodemum: ſed & eſſentia, quidditas, directio, diſtributioque poteſtatum vitalium, ca-
ptum noſtrum excedunt. Quam ſtupenda eſt 7
enim Intellectus, Memoriæ, imò vel ſolius loquelæ privatio, ſtante præſertim motu, ſenſu, appetitu, imò & ſanitatis integritate? Quamque terribilis eſt horum intercidentia, ad quemlibet epilepſiæ, ſyncopes, vel ſoporis inſultum?

Quantumque ſuperat humanam induſtriam, tam diverſas facultates oriri, & habitare uno in ſtomacho? Eò quod adeo diverſa ſymptomata eaſdem facultatum læſiones prodant? Singula enim nos ad ſtuporem miraculi, vel portenti præcipitant. Ideoque tot undique procellis ignorantiæ, atque ineptitudinis noſtræ admoniti, fatemur unicam iſtam ſenſitivam animam, vitæ fontem, vitam quoque, multiplicium poteſtatum ſcaturiginem, & diſtributricem tam in ſanis quàm in ægris. Proinde etiam (ſi ſecurim ad arboris radicem admovere debeamus Medentes) intenti ſumus, pro Arcanis univerſalibus, quæ vitam conſervent, præſervent, plantent, & ædificent, in ipſo vitæ fonte, mortis morborumque non minùs, quàm ſanitatis authore. Specto enim jam animam caducam; non autem Mentem incorpoream, & immortalem. Quam credimus originaliter æqualem, ac æquè perfectam omnibus inſpirari. Ideoque conditiones, inclinationes, domeſticæ aut ſylveſtres, mites aut feroces, dociles, humiles vel ſuperbæ, nobis inſtillantur ab anima mortali. In qua, tanquam ſubjecto locove, localiter diſponente, varietatum inclinationes explicantur: quæ aliàs à mente, ſive imagine
8 DEI, exſulant naturaliter. Somnus itaque non inerat naturaliter homini, ex parte mentis, niſi poſtmodùm à Creatore fuiſſet immiſſus. Ante natum verò ſomnum, ſenſus, motus, atque appetitus aderant. Quia mens, quatenus deinceps immortalis: etiam infatigabilis erat, ſomnoque aut quiete opus non habebat.
9 Fuit tamen ſomnus ante lapſum miſſus in Adamum: non tam quod ſomno indigeret, paucis horis, præſertim mox à creatione, quàm potiſſimùm, quòd per ſomnum nondum cognitam mortem expaveſceret, ipſi comminatam propter eſum pomi. Somnus alioquin otia inertia, ſtultaque inſomnia de ſe profert, mediæque propemodùm vitæ jacturam cauſat. Vndè etiamnum hodie, ex priſtino ſomno, in Adamum miſſo, ſomnia adhuc retinuerunt, *quod Senes ſomniabunt ſomnia, juvenes prophetabunt, & nox nocti indicabit ſcientiam.* Poteſtas enim ſomnifera, quæ ante lapſum menti immiſſa fuit, eandemque quoque, velut à mortalis animæ connubio, quadantenus liberam, in primævam quodammodò prophetandi prærogativam trahere vellet, niſi obnatæ & ſuccenturiatæ animæ, tenebræ eandem obfuſcarent. Dum autem ſtomachum ſenſitivæ animæ hoſpitium declamo, morborumque eatenus ſentinam, ſtomacho nuncupo. Conſideravi quidem 10
occaſionales cauſas ibidem vicinas, ſedere tam in cavo, connexoque ejus, & velut peregrina dumtaxat, ibidem hærere, itemque in duodeni inteſtini (quod eſt fellis, & Pylori ditioni deputatum ergaſtulum) contubernio, vaſorum & glandularum complexui Anatomicis moleſtiſſimo, quàm in Archeali innati non minus, quàm influi thecis. Quorum nempe conſpirante ametria, diverſimodè agitari ſenſitivam animam, hujuſque pediſſequas facultates conquaſſari omnes vitales, adeoque iiſdem labefactatis conſurgere exercitum morborum, tam radicalium ſive Chronicorum, quàm citò feſtinantium, jam dudum multis experientiis edoctus cognovi, adeò ut Boulimon, & ſitim 11
inextinguibilem febrientium, cernerem non tam propriè, ex materiæ acrimoniâ irritante, quàm ex ipſo ſenſitivæ furore, prodire. Alioqui namque thorexis, ſive generoſi vini potus, non ſolveret famem, niſi fames, pacando velut inebriata, obdormiret. Sitiſque proinde in febribus, non niſi ſuis ſtationibus affligit, licet eadem materia, imò & atrocior calor, in vigore premat quàm aliàs.

Iam utcunque dilatatum eſt ſtomachi imperium: tum etiam oſtenſum ſenſitivam ibidem morari, tanquam in prima ciborum culina, vitamque ibi habitare. Siquidem potentiſſimæ tranſmutandi atque digerendi poteſtates, ſua illic exercent officia: Nedumque ergò 12
ſordes ibi colliguntur culinariæ: ſed & fabrica noxiarum imaginum cuditur: ſiquidem nullibi promtius fabricari queunt, quàm ab anima iſtarum partium inquilina. Nemo enim non ſentit horrores, timores, pavores, iras, excandeſcentias, triſtitias, ſuſpiria, omnemque concupiſcibilium perturbationem, ſibi circa os ſtomachi ſuboriri, & agitari. Etenim ſi inopinè bombarda explodatur, quis non ſentit repentinum alicujus formidinis ſubſultum? quis demum eſt, qui paratus menſæ accumbere, inſigni edendi appetitu inſtructus, non percipit aliquando, triſti nuncio ſibi allato, ſuſpendi actutum omnem edendi aviditatem. Igitur vigent facultates ibidem, quarum effectus ſentiuntur. Vidi enim ſæpius mulieres, quibus metus ſubitaneus, alias quoque quibus inſignis mœror, epilepſiam ſuſcitaverat. Alias denique, quibus lenta continuataque triſtitia amentiam hypochondrii moverat, imò & alibi ſcrophulas cauſaverat. Sic peſtis pavor, peſtem ſæpiſſimè creat. Prout & ſubitus mortis pavor,

quandoque podagræ characterem enecuit. Superbia
quoque frequenter amentes fecit. Novi
& alios, ignominiam paſſos, nec vindicare eandem
potentes, incidiſſe repentè in apepſiam,
in Aſthmatis anguſtias, cordiſque palpitationes,
anguſtias, & oppreſſiones. Alios, qui repentino
contumeliæ ſenſu, ſtatim in Apoplexiam
ruerunt. Itemque longo defeſſos mœrore
novi, in Hydropem, Icterum, lienareſque
tumores proruiſſe. Perplures item utriuſque
ſexus, qui ex ſubita ira in Apoplexiam; alios
verò, qui in varias contracturarum ærumnas
13 præcipites ivere. Quorum morborum fabricæ
ſentiuntur manifeſtò, circa ſtomachi orificium.
Podagræ enim proinde paroxyſmos præcedit
quædam febricula, tanquam diaria, ſub
qua character emergit, qui à ſtomacho in artus
dimittitur, ut ibidem ferociat. Apoplexia proinde,
ſive ex vita inordinata, ſive demum ex
ira, vel mœrore erumpat: at ſaltem ſemper è
ſtomacho ſurgit, ſagittaturque in caput. Icterus
namque nuſquam alibi viget magis, quàm
in atrio ſtomachi, undè ſuas excitat anxietates,
& ſuſpiria, deſignans ibidem teſſeram ſuæ
14 ferociæ verſari. Quapropter etiam docui ante,
quantumvis potus vulnerarii cohibeant in extremitate
pedis, puris fabricam, accidentiumque
formidinem: non tamen idcirco ampliori
privilegio, potus vulnerarios potiri, quàm alioqui
reliqua pharmaca. Non enim materialiter
ad vulnus properant remotum: ubi interim
reliqua viam ad ſplenem pro ſuffragio quartanæ
15 ignorant. Quæ ſchola medica hactenus
neſcivit, quanquam ſint artis medicæ fundamenta.
Vtpote quæ nedum vim medicaminum,
horumque expeditionem, applicationem
& appropriationem reſpiciunt: veruntamen
præter modum agendi, & ſpem inde reſultantem,
principale morborum efficiens declarant.
Cujus ideo ſolius ignorantia, deſidiam atque
torporem in Medente: in ægro verò deſperationem,
cum triſti dolorum & incommoditatum appræhenſione, cauſarunt; tandemque
(proh dolor) tot viduas, cum luctuoſis orphanis,
peperere, in rei medicæ vilipendium.
Quantum autem delectum medicaminum ſpectat, 16
vagari lubuit per mineralium, vegetabilium,
& animalium claſſes, illaſque ſumere in
ſui ſimplici integritate, qualiter à natura promanarunt,
eaſque iterum per ignem diverſimodè
agitare, atque adeo in ſalem, ſulfur, ſive
pinguedinem atque Mercurium, ſive ſuccum
ſeminalem dirimere. Ac inprimis vires dotales
rerum, quas divina bonitas ex dono pro ægris
dedit, plerumque carent guſtuum teſtimonio,
adeò quod vel ſolo iſthoc ſigno prodant,
ſe dotaliter à DEO inſtillari pro uſu mortalium:
nec eluceſcere, niſi quibus DEVS ſua
dona S. Spiritus dedit, atque hactenus ab indigna
Medentum cognitione ſubtraxit, qui parvulis
hujus mundi atque ignaris revelat ea, quæ
magnatibus occultavit. Sunt quippe in ſimplicium
exercitu diſperſa dona, per quæ ad
amplitudinem generis adſcendunt: adeò ſane,
ut appropriata atque ſpecifica agnoſcantur à
Deo directa ad omnimodam quorundam ſanationem.
Eſt enim lapis oſſifragus, nuperæ inventionis,
qui oſſifragii ſanationi ſuum nomen
debet. Eſt autem ignibus invictus, nec calcinabilis; 17
ſed guſtu ſuo inſipido inſignis, ſtomacho
indomitus. Mirum tamen, quantum tam
circa viſcera & interna vulnera, quàm in extremis
oſſium fracturas victor edat. Ex hinc primò
liquet ex digeſtione & cura ſtomachi, pendere
curas & regimina digeſtionis ſextæ, per
totum. 2. Non neceſſum eſſe, pharmacum deferri
ad locum affectum. 3. Pharmacum, ſolo attactu
Archei ſtomachalis, poſſe longinquos ſanare
in corpore morbos. 4. Non opus eſſe, quod
ad ſanandum agens tangat patiens remotum.
5. Quod ſicut oſſifragus, vel lapis cancrorum,
in ſtomacho ſuam perſolvunt curam: eodem
modo, & pharmaca purgativa. Atque reliqua
quæcunque.

MORBORVM PHALANX

SECVNDVM CAVSAS OCCASIONALES.

Ens morboſum, in Archeo inordinato. Nam ſive ex idea hominis primariò ſuſcitetur, ſive ex idea Archeali immediatè conſurgat, ſemper tandem in Archei hoſpitium recidit.

- Primarium. *Recepta.*
  - Injecta à ſagis.
  - Inſpirata ab Endemicis.
  - Suſcepta ab irruentibus.
  - Aſſumta
    - potu.
    - cibo.
    - veneno.
    - pharmaco.
  - Heteroclita
    - Tortura noctis.
    - Robur inæquale.
    - Sterilitas.
- Secundarium. *Retenta.*
  - Relicta ſive excrementa in 1. 2. 3. vel 6. digeſtionibus.
  - Tranſmutata in 1. 2. 3. vel 6. digeſtionibus.
  - Tranſmiſſa ab una digeſtionum in alteram.

Horum fit mentio à veteribus ſub nomine qualitatis abſtractæ, vel relationis terminorum: adeoque nomine tenus dumtaxat agnoſcuntur, quatenus cauſam occaſionalem, id eſt, remotam agnoverunt. Cujus ratione hanc diviſionem retentis nomenclaturis manere juſſi.

DIVISIO MORBORVM.

1. M*Orbi eſſentia repetitum depingitur.* 2. *Methodus explicando ſervata.* 3. *Diviſio morbi.* 4. *Recepta quæ dicantur.* 5. *Recepta injecta quæ.* 6. *Quænam retenta.*

HActenus de morbis, velut procœmii loco, dixi. Nunc deinceps eorundem ſchema attingam. Nam & diviſio dat membra, quæ ſigillatim explicata, lucem adferunt. Morbus quidem omnis 1 (quod ſemel dictum ſufficiat in poſterum) fabricatur quidem ab Archeo in ſemet-ipſo. In parte autem ſui, qua ſigillariter conſtituitur: etjam materialiter ibidem, tanquam hoſpitio proprio, ac ſeminario, conſiſtit. Plerumque autem habet, vel materiam occaſionalem excitantem, vel parit de ſe productum, ſecundarii morbi excitativum occaſionale. Pro cauſa autem efficiente, habet ideam morbificam: cujus ut materia deſumitur, mutaturque ex ipſomet Archeo vitali: ita etiam non ſecus Idea inde prognaſcitur, quippe quæ ab Archeo ipſo cuditur, & limatur. Sunt itaque inprimis tot morborum ſpecies, quot idearum morboſarum. 2 Non enim plures, uti nec pauciores: eò quod morbus quilibet ſuam hauriat ab idea morboſa quidditatis entitatem. Conſequenter itaque totidem idearum morboſarum ſunt ſpecies, quot ſordium diverſitates in nobis. Sive enim illæ deforis intrarint, vel intus prius explicatæ ſint, digeſtionumque erroribus ſurrexerint, vel demum ſive ab alimentario, ac vitali ſucco inchoaverint, perinde illud eſt hoc loco. Denique & totidem ſunt ideæ morboſæ in nobis, quot ſunt entium poteſtativorum hæredes. Puta, aſſumto ſolutivo nimis violento: etenim etſi ipſum mox per alvum ſecernatur; non tamen deſinit ejuſdem toxicum, ſtomacho & inteſtinis domeſticum permanere: adeò nempe ut in obitum uſque fœtida perſeveret diarrhœa. Sic quoque inſuper venena quævis, amiſſa materia primitiva, lentâ quandoque cæde, longaque in poſteros lue relicta, jugulant. Tamque id ſi extrinſecè ſint aſſumta, quàm ſi intus patrata. Tandem ſic & morbi hæreditarii, eorumq; conſortes, ſeminaliter nobis connaſcuntur, è ſuis ideis profluì. Sic nempe Podagra, Epilepſia, &c. citra viſibilem ſordium materiam, ſuos explicant rhythmos, & in vitam protelantur. Eò quod ideas firmatas ſunt nacta Archeo, ſive ſpiritui inſito rectori velut intimè cognatas, & adhærentes. Quæque ideo ſuis tantum terminis, ſibique nativis periodis infeſtant. Quibus poſitis, ac ſcitis jam, conſequenter dico, quod in expeditione Diviſionis morborum, varietatem 3 morborum occaſionalium ſequar: ne ſcilicet nomina, omnemque morborum determinationem, velut ab ovo invertere vellem, multo lectorum tædio. Qui ejuſmodi omnimodam novitatem, vel ægre ferrent, vel cum nimia moleſtia aſſequi poſſent. Ideoque cauſam occaſionalem etſi pro morbis nominem; nolim tamen id intelligi, quaſi cauſa occaſionalis foret ipſe morbus: ſed potius quod morbus, ut ens inviſibile, ſubaudiatur cudi occaſionaliter à materia externa.

Itaque duo inprimis ſtatuo morborum genera. 4 Recepta ſcilicet, & Retenta. Sunt autem Recepta, injecta, concepta, inſpirata, vel tandem ſuſcepta. Quæ quatuor prius ſigillatim exponam. Ac tum prius demum de Retentis agam, tam ex parte corporis, & diſtributionum, quàm digeſtionum, & tranſmutationum.

5 Sunt ergò Recepta, quæ proditoriè forinſecus intrant in nos, Archeum commovent, vel affectant, ſic ut damnoſo ſibi concilio ideam morboſam intra ſe fabricet, eamque in ſui materiali parte ſigillet, Atque ſic veri morbi verus parens fiat. Recepta enim ante introitum & applicationem ſui, indicabant præcautionem, & præſervationem; non autem ſanationem: quia ſcilicet nondum erat morbus. Nec eſt ſanatio, niſi à morbo ſolo. Sed ex quo ſemel Recepta fecere vel clanculum ſaltem ingreſſum, fuerintque vel obiter admiſſa, totam mox Archei œconomiam & quietem invertunt.

Retenta verò noſtri vitio, & defectu proveniunt. 6 Sunt namque ut plurimum recrementa, vel aſſumta, vel intus penes nos prognata: quæ tanquam è Republ. noſtra expulſi cives, ut unitatis & concordiæ hoſtes, non habent partem in hæreditate vitæ nobiſcum.

RECEPTA INIECTA.

1. CVr Schola de Injectis nil. 2. Triplex Atheorum turba inter Chriſtianos hic repetitur. 3. Carichteri ſtatera. 4. Perſuaſio diaboli. 5. Quantum diabolus in exercitiis diabolicis agat. 6. Theſes octo huc adducta. 7. Diabolus non habet liberum: ſed à pravitate ſua coactum arbitrium. 8. Satanas ſuos deludit miſerrimè. 9. Diabolica media ſolius pacti vi operantur: non autem vim operativam in natura habent. 10. Solvitur objectum argumentum. 11. Apex operationis in effectibus Sagariis. 12. Cur diabolus impotens. 13. Diabolus dumtaxat poteſt liberè, malè velle. 14. Probatur actus hominis, in operibus ſagariis. 15. Hominis prarogativa in operando. 16. Quod operetur in hoc, deſiderium. 17. Sepulta, vel ſuſpenſa, quomodo nec eant primo intranti ignoto. 18. Vilibus animalculis ineſt vis directiva ſua voluntatis. 19. Quomodo per nudum attactum transferantur incantamenta. 20. Cur repercuſſio attingat conceptum carmen, vel maleficium.

1 REcepta injecta autem ſic voco, quæ ſunt portenta velut ſpiritualia, cooperatore Satanæ perpetrata. De his ſilent Veteres. Quippe qui & manifeſtiorum tractatus pleroſque neglexere, eò quod nullum ex fundamento noverunt. Malunt ſiquidem ſcelus inhumanitatis & crudelitatis admittere, quàm Injectorum ſcientiam indagare, agnoſcere, vel ejus inſcitiam fateri. Eliguntque citius, aſpicere proximum, extremis ſub ejulatibus deficientem: quàm quod tantillo remedio, tam atroci malo opitulari diſcere vellent. Theologi quidem & Iuriſconſulti diſquiſitiones ſuas quidem tractarunt: ſed Scholas medicas, obmiſſionis accuſo. Etenim id factum cenſeo, quod Cacodæmon ſit hujus mundi princeps, qui ideo in Cathedris, Curiis, & Aulis, ſuos ubique nactus eſt patronos, per quos velut ipſus præſidet: totuſque revera mundus in 2 maligno poſitus. Horum enim quidam, in Atheiſmum proniores, diabolos, præſtigias juxta atque incantamenta negant, aſſeruntque ſe non induci poſſe, ut contrarium credant, niſi viderint. Vndè tandem immortalitatem Mentis, Deique timorem, tanquam inventa politica, ad coërcendam plebem, penes ſe rident. Alii dein, Sacrorum decreto, diabolos quidem eſſe credunt, & inferni ſatellites: non tamen cacogenios humanæ ſodalitati, quin potiùs ſodales, atque affines amicos. Adeoque præſtigias ſagarias, pro fabellis fallacibus, hypochondriacis nugis, atque anilibus ſomniis, habent. Suntque inter literatos demum alii, qui diabolica opera, Sagarum quoque incantamenta, Sacrorum authoritate admoniti, admittunt quidem: artes meras tamen æſtimant nec alio titulo damnandas, niſi quod Satana edoctæ, & ad malum duntaxat ſint inſtitutæ. Et hi auda-

ciſſimi ſunt in omne ſcelus, fidemque hodiè
hypocriſi velant. Ego itaque à diebus Platonis,
jam tres Sagarum patronos, conſtanter floruiſſe
inter Atheos,conſpicio. Ominorque tam diram
labem, non niſi eodem Præſide perſtitiſſe hac-
3 tenus. Nemo Medentum interim, quod ſciam,
unico Karichtero excepto, hanc materiam tra-
ctavit. Qui quidem modum fiendi, atque re-
media ſanandi aliqua propoſuit, at non parum
ſuſpecta vanæ ſuperſtitionis. Theoriam quoque
nec attigit: quia ignoraſſe viſus: Trementibus
interim Medicis, ne conſcii Magici criminis
haberentur, dum opem, (quam neſciunt) ſub
tantis ærumnarum ſtricturis, proximo, fortè
4 fortuna impendiſſe æſtimarentur. Subterfu-
gium tamen iſtud aſtu Satanæ, ſic vulgo per-
ſuaſum: ut remedii indaginem, in propriæ fa-
mæ & conſcientiæ ſatiſdationem, neglexiſſe vi-
derentur. Proximum verò languentem, tan-
quam infideles Scribæ, atque Phariſæi tranſeun-
tes, in ſummis deſeránt deſolationibus. Etenim
nullus reputatur alioqui morbum procuraſſe,
vel ejuſdem ſtructuram noviſſe, pro quo deſcri-
bit remedium. Nemoque creditur venenum
propinaſſe, qui inquirit cauſas, atque remedia
decernit. Minimeque æſtimatur vulnus infli-
xiſſe, qui accerſitus, manum auxiliarem, com-
miſerando ac gratis attulerit. Vt nec fur eſt,
qui furum latibula & concilia detegit. Abſit er-
go ſubterfugium, pro infami haberi, noviſſe
incantamentorum media, progreſſum, fines,
atque medelam: Cum aliunde hæc ſciri & ha-
beri debeant, quàm doctore diabolo. Etenim
cum diabolus intra aream naturæ coërceatur,
non eſt deſperandum, quin benigniſſimus Ie-
ſus remedia ſurrogarit pro tam atrocibus ma-
lis, in ſui gloriam. Qui nuſquam bonitati,
gloriæ & ſapientiæ ſuæ defuit. Vir bonus ita-
que recta graditur via, nec ponè ſe reſpicit,
quidve mundus de ſe judicet, non curat: cu-
jus nimirum pleraque judicia, ſtulta ſunt &
mendacia. Sufficit namque viro bono, quod
impeditor vel deſtructor mali, vacent crimine.
5 Dicam ergo pro mea capacitate, quantum Dia-
bolo competat in actionibus Sagarum. Quod-
que ut fundamentaliter contingat, repetam per
Theſes octo. 1. Quod omnis forma vitalis ſit
lumen vitale ſui corporis. 2. Quod quantum-
vis inanimatorum formæ diſcrepent ab anima-
bus, in gradu, & indole illius luminis: ſaltem
omnes conveniant in aliquo eſſentialiter lumi-
noſo. 3. Quod luminis ergo, ſeſe attingunt im-
mediatè, & penetrent. Sicque connexæ formæ
in invicem operentur, prout unum lumen aliud
interiecat. Nam radii ſolares, collecti per vi-
trum in conum, licet enim in punctum coïe-
rint: Inde tamen rurſus procedentes, qui in
vitro erant à dexteris, uſque ad conum, tranſ-
eunt deinde, refracti in vitro ad ſiniſtram: ſer-
vant tamen illibatam prioris luminis identita-
tem: ut neque proinde ob penetrationem in
cono factam, contagio laborent. Quod alibi
mechanicè, per figuram demonſtravi. 4. Quod
idcirco diverſa in genere aut ſpecie, lumina for-
malia, ſe mutuo, inſtar luminis, immediatè pe-
netrent, operenturque communicativè, & abſ-
que laſſatione. 5. Quod omnes corporum for-
mæ ſint vera lumina, non tamen ſubſtantialia,
licet entitata, ob rationes alibi de creaturis neu-
tris allegatas. Sola autem Mens humana, ſit ſub-
ſtantia formalis, immortalis, atque indelebilis.
Hactenus etiam operetur cum ſuperioritate, at-
tingat, penetretque omnem aliam formam ſe
inferiorem (ut de venatione ſcientiarum alibi.)
illo præſertim titulo, in fidem & naturam rece-
pto, quod ſit vera Dei Imago, eique inhabitet
Regnum Dei. Quique ideo cuncta ſubſtituit
pedibus ejus. 6. Quod ideo Cacodæmon ex ſui
creatione non habeat potentiam attingendi ali-
quam formam, ut in ea, abſoluto ſui nutus im-
perio, perficiat velle ſuum. Eſt namque ſpiri-
tus abſtractus ab ente corporeo, & ligatus, ac
deinceps à peccato, ſcurra miſerrimus. 7. Sola
autem poteſtas loco motiva corporum illi re-
manſit, quorumque motus non cedit in da-
mnum mortalium. Nec enim unicam feneſtram
per ſe poteſt diruere, abſque adjumento liber-
tatis ſuorum clientum. 8. Nec enim movet ele-
menta per attactum (quandoquidem extremi-
tatibus caret, quibus corpora tangat, ne quidem
illa quæ aſſumit) quo aliquid apprehendat aut
moveat: ſed ſolo ſuo nutu movet aſpectu in-
tuitivo, qualis eſt Aſtrorum in Meteora, per
Ideas, vel noſtri velle in ſua organa. Quæ mu-
tualis poteſtas, ut naturaliter fuit Angelicæ na-
turæ indita: ita & Diabolo relicta. Blas nimi-
rum natale habet, quo aëris procellas, æſtuſque
maris, concitat quoties Deus illi permittit. In- 6
primis namque adeo malus eſt diabolus, no-
ſterque hoſtis, quod nequeat vel tantillum be-
nè velle. Quare nec habet liberum volendi ar-
bitrium in malis. In bonis verò nullum, niſi
invitum & coactum. Nam ens, unum, verum,
bonum convertuntur. Ideoque à ſenſu contra-
rio apparens, falſum, malum, ac multiplex ſunt
proprietates Satanæ. Ac per conſequens, ex ſuo
nutu,

nutu, naturalique poteſtate, ne quidem poteſt
liberè, & abſque permiſſione divina, operari
quicquam, vel abſque cooperatione liberâ Mentis
humanæ. Cerberus namque ligatus eſt, nec
operari poteſt in formas, harum corpora, vel
proprietates, niſi cooperatricem ſibi adſciſcat
mentem humanam, cujus pedibus ſubſtituta
ſunt ſe inferiora. Hactenus itaque dolo, ſua miſerè
circumvenit mancipia, pactoque obſtringit,
ſaltem ut ſic magis à Deo recedant. Quaſi
in pretium icti fœderis, ſit edocturus Arcana,
per quæ, ſub certis ſtatisque formulis, fictis
verbis, invocationibus impiis, exſecrationibus,
conjurationibus, votiſque, lineis demum, figuris,
notis, ſigillis, characteribus, numeris, horis,
momentis, vegetabilibus, imò & rebus ſpurciſſimis,
horumque omnium litationibus, conſecrationibus,
depuramentis, inquinamentis,
vaniſque & irritis ejuſmodi ſuis nugamentis,
ſint effecturi incredibilia. Et quidem mala omnia,
in Dei deſpectum, atque hominum perniciem.
Quibus, poſt fœdus, ſuos facilè infatuat,
ſuique crudelitate dementat. Vtpote quos
ex pleno poſſidet, iiſque mandata ſua committit.
Perſuadet enim quicquid vult, his, qui gratiæ
divinæ renunciarunt, polliceturque nefaria
præſtiturum per vires, quas ſibi mentitur
geniales. Etenim ſuas ſcrofas, in hirci adorationem
infandam rapit, quaſi omnium moderamen
penes ipſum ſtaret, ſoluſque operandi
miracula donum conferret. Quia ab initio ſemper
mendax impoſtor. Interim vituperoſiſſimus
ſemper ille, mera tantum operatur ludibria,
7 & præſtigias dumtaxat inanes. Alioquin
enim ſe media à ſe præſcripta, ullam operandi
vim in ſe haberent, quam apud ſuos jactitat, de
neceſſitate quoque naturali, ſemper, ubique in
cujuſque manu, & æqualiter idem efficerent,
abſque reflexione in pactum, vanaſque circumſtantias.
8 Nec valet argumentum. Satan ſuis præſcribit
vana verba, ſuperſtitioſa, & in ſe omnino
impotentia; ergò totus illorum effectus, qui incantatis
accidunt, ex ſolo ſunt Satana. Siquidem
licet media in ſe ſint vana, nulliuſque momenti,
potentiæ vel efficaciæ (qualia ſunt verba non
ſignificativa, figuræ, characteres, numeri, Gamahen,
Taliſmannica, adorationes, cum omni
vanarum obſervantiarum ſuperſtitioſo exercitu)
9 attamen concurrunt inſuper alia media operativa,
quæ non ſunt Satanæ. Quandoquidem
diabolus non habet vim idealem, ſeminalem, &
ſigillarem, qualem habet homo ex dignitate
imaginis divinæ, qua ipſius pedibus ſubſtituta
ſunt bruta, &c. Ergò diabolus has mutuat Ideas
mentales, & operativas Sagarum, quas poteſt
ſigillare in ſordibus, & venenis. Ille ergò maledictus,
totuſque miſerrimus, & à gratia Dei derelictus,
per ſe eſt inefficax eorundem operum,
niſi adjutus per animam ſui mancipii. 1. Quia 10
non habet vim formativam Ideæ operativæ.
2. Nec attactum immediatum, acceſſum, multoque
minus introitum ad lumina formalia,
(quibus ſcilicet nihilominus, omnes rerum
proprietates typica Idea ſunt inſcriptæ) ut per
hoc agat. 3. Imò nec habet ullam potentiam liberam
agendi, multóque minus, ad damna eorum,
qui ſibi non parent. 4. Ipſe enim ſuperbiſſimus
totus, nollet petere permiſſionem à
Deo, ut homini, ſibi non obedienti, nocere poſſit:
Sciens Bonitatem infinitam hoc illi nequaquam
conceſſuram. Licet cacodæmone utatur
ſubinde, tanquam carnifice, ut in hiſtoria Iobi.
Etenim iſtud hoc loco notandum ſeriò. Quod
in Inferno, & penes omnes damnatos, non ſit
ullus honos, aut ſanctificatio nominis divini:
ſed continua maledictio. *Non enim mortui laudabunt*
te Domine, neque omnes qui deſcendunt
in Infernum. Attamen in nomine Ieſu, flectuntur
genua inferiorum civium. Videlicet, quoties
DEVS utitur cacodæmone, ut carnifice: toties
id illi ſuperno mandato injungitur, in nomine
Ieſu tremendo, eoque nimirum audito,
totus infernus ſua flectit nolens genua. Alioqui
namque quod dici ſolet, permiſſione Dei Diabolum
nocere homini: Id eſt intelligendum,
vel per præfatum mandatum, tanquam Tortori
datum: vel mutua vi operativa naturali, quam
Deus contulit Imagini ſuæ. Ipſe autem creaturarum 11
miſerrimus diabolus, ex ſe nil poteſt, niſi
malè velle. Quia quicquid à Deo receſſit, id
eſt malum, & ideo non poteſt non malè velle.
Quia qui per velle à Deo abiit, in ipſa voluntate
fontaliter debet eſſe malus. Ergò diabolus ad
omnem alteritatum fabricam in natura, per ſe
totus impotens, quia incapax eſt. Et per conſequens,
neceſſe habet ad operandum mendicare
naturalia, habentia in proprietate, poteſtatem
liberam, quam optat applicare. Imò nec
quidem eandem idcirco abſolutè, ac immediatè,
adminiſtrare valet, niſi per devinctorum ſibi
animas & manus. Attingentes ſcilicet ex dono
Creationis, lumen formarum immediatè ſibi
ſubſtratarum. Ideoque prima operatio per Sagas,
in armenta & greges ferocit. Vtens nimirum
Satan poteſtate illa libera, & mutuata, exigit
contactum alienum, ut formatas à cliente
ſuo,

ſuo, & mendicatas mutuataſque Ideas connectat
in medio, atque ſic, vi alienâ, diradiet in
formas homini ſubſtratas. Adeoque impoſtor
mendax opus ſuum mentitur, ac pro eo adorationem
expetit: quod planè eſt humanum,& in
quo ipſe Scurra nimium operatur. Profectò
miſerrima alioqui mortalium conditio, ſi mala
12 cognita à Satana exſequi poſſet. *Non eſt enim*
inferorum regnum in terra. Per exemplum.
1. Homo poteſt ſuis perturbationibus nocere
ſuæ prudentiæ, valetudini, & vitæ. 2. Ejuſmodi
tempeſtates, quæ ſunt mentis, non permanent
entia rationis: ſed cadentes ſeminaliter in
materiam imprimunt ſuarum perturbationum
Ideas conſtantes. Quæ probantur à prægnante,
murem horridâ, quæ ſi manum alicubi apponit,
ſtatim murem hirtum, eadem in fœtu parte,
ſigillat. Imò ſi ejuſmodi perturbationes præmaturè
fiant, non rarò totum embryonem in
monſtrum transformant. 3. Quicquid autem
prægnanti eſt naturale, & ordinarium, id nemo
dubitat, quin ſagæ non gravidæ, naturale
eſſe poſſit. Nimirum poſſe formare Ideas quaſlibet.
Quas ergo impreſſiones, quaſve Ideas, &
ſemina ſigillaria, cacodæmon ſuſcitat in ſuis,
& inde mutuat, eaſdemque imprimit in ſordes,
quas ſuis ſubſternit, ut illas infectent. Adeoque
jus, illas Veneficas, ſive factrices venenorum,
vocat. Non enim quod venena propinet
potanda tantùm: ſed potius, quod ex
non venenis, venena conficiant. Illa autem
applicantur, tam per locomotivam diabolo
vernaculam, & liberam: quàm etiam, quòd
transferantur ad intentum objectum, ſolo deſiderio
motore, & directore. Vt poſtea latiùs.
Saga itaque, illas ſordes, à ſe, per ens Ideale
contaminatas, ſuſpendit, ſepelit, propinat, imò
& manus ſuas ungit, lavatve iſtis ſordibus,
diriſque venenis imbuit, ut per contactum
illa venena transferat in objectum, cui nocere
voluerit. Enimverò Ideæ illæ ſeminales, monſtruoſæ,
& venenoſæ, cum jam ſunt alterius, &
peregrini Archei cives, introductæ in corpus
incantati, adeoque extra locum & ſubjectum
proprium, confeſtim per illas contaminatur
atque corrumpitur Archeus incantati. Quapropter
cum hoſtis naturæ ipſam applicationem
complere ex ſe nequeat (aliqui namque
miſeri mortales incantati omnes ſuccumberent
voto diaboli) ſuſcitat Ideam fortis deſiderii,
& odii, in Saga, ut mutatis iſtis mentalibus,
& liberis mediis, transferat ſuum velle
per quod, quodque afficere intendit. Quorſum
inprimis etiam exſecrationes cum Idea
deſiderii, & terroris odioſiſſimi, ſuis ſcrofis
præſcribit. Eſt namque homini liberum nocendi 13
arbitrium, per quod hominem homo occidere
valet cultro; atque inſontem quemlibet
ſic perdere: quod diabolus non item poteſt.
Ideoque ut cultri, ita & veneni applicatio, eſt
diabolo æquè vetita pro ſuo lubitu. Atque ideo
etiam prorſus impoſſibilis: Id eſt, abſque homine
libero,ſive mancipio ſibi devoto. Etenim
nec homo quidem occidit alium cultro, niſi acceſſerit
deſiderium, in conſenſu libero, & reſolutæ
voluntatis imperio. Vndè ſat patet, Quod
imprimis diabolus non habeat creationem ideæ
ſeminalis, actualiter & poſitivè ſubſiſtentis,
qualis imagini divinæ conceſſa eſt. Itemque
quod nec diabolus nactus ſit nutualem applicationem
ideæ ejuſmodi, niſi aliunde ſortitus
ſit facultatem liberam, non ligatam, & per deſiderium
accenſam, ſive proritatam. Quippe
deſiderium iſtud, ut eſt paſſio imaginantis: ita
quoque creat ideam, non quidem inanem: ſed
exſecutivam atque incantamenti motivam. Idcirco 14
nimirum Scurra ille hoſtilis exigit attactum
ad corpus incantandum, vel ſaltem ad aliquid,
quod primariò ſit affectum, & corpus incantandi
demum, ut in illud vi ſympathetica
ac naturali (qualis eſt qua Chalcanthum naturaliter
abſens vulnus ſanat) ideæ receptæ agant,
atque deinceps in corpus,cujus ſympatheticum
commercium, ejuſmodi effluvia naturalia tenent,
tanquam media. Denique ſepulta ſub limine, 15
vel ſuſpenſa, nocent: imò & in primò
intrantem dumtaxat, ſuam explicant virulentam
feritatem, abſque Sagæ contactu ad corpus
incantandi, citraque notionem, odium aut deſiderium
nocuum contra intraturum primò.
Sed eſt difficilioris reſolutionis negotium; ſubtilioris
nempe noxæ, & propagationis, quæ in
natura viſum Baſiliſci vel Torpedinis directiones,
ſibi pro approbatione adſcivit. Nam perinde
ut Baſiliſcus radio viſivo, ſuum virus ſpargit
in objectum, non in locum, & non in aliud
corpus quodcunque licet ſibi vicinius: ſed in illum
dumtaxat, in quem primò oculi acumen
direxit ac vibravit: & ſicut Torpedo, non in
propinquiorem quempiam, fortè jacit viſus ſui
venenum, ſed potius atque ſolummodò in trahentem
eminus funes.Sic nempe ideæ ſeminales,
connexæ ſordibus ſuſpenſis vel ſepultis, vigorantur
ab Idea deſiderii accenſi, tanquam à
voluntate Baſiliſci vel Torpedinis,exercentque
illam in objectum determinatum dumtaxat.

Ac licet ſimilitudo non uſquequaque reſpondeat
in amborum terminorum identitate. Sufficit
ſaltem demonſtraſſe, homini nedum, ſed
vilibus animalculis naturaliter ineſſe vim attributivam,
& exſecutivam intentionis illorum,
quibus ſolo viſu, intentione, deſiderio,vel odio
17 nocere inſtituunt. Quippe dos iſta ſe extendit
etiam ad quæcunque magneticè vel ſympatheticè
ſua commovent eminus objecta. Quæ media
adhuc excellentiori modo, homini naturaliter
tributa inexſiſtere, non eſt abſonum, dum
18 cuncta ſuis ſubſtituta pedibus legimus. Quapropter
pariter attactu, vel ictu ſimplici,ſua incantamenta
ſagæ transferunt in objectum: at
longè craſſiori modo, quàm præfato. Ideoque
& medio ſympathetico, quid ſimile in ſe tegit.
Longéque adhuc ſtrictius, dum ad cruorem,
pus, vel aliud effluvium obligantur ejuſmodi
incantamenta: ſed imò etiam ipſum objectum
neceſſariò tangunt, aut feriunt. Nec verò ſympathetica
huc adduxi, ut eadem infamarem:
quatenus modum applicationis ad medium per
illa demonſtraverim. Quin potius ut oſtendam,
Sagas uti naturalibus modis & mediis, alioquin
in Torpedine & Baſiliſco conſuetis: ut
omnem fraudis diabolicæ ſpem à ſympatheticis
extinguam. Ac per naturalia ſcilicet conſtet,
quàm falsò atque mendaciter ſibi ſerpens
infernalis, adorationes & Liturgias præſcribat
19 pro iis, quorum penes ſe nulla eſt poteſtas. Cæterùm
percutientem Sagam repercutere, ut naturaliter
reflectit incantamentum in ſui Authorem:
ſic fortè poſſet ab indiſcretim ſcrupuloſis, ſperni pro medio ſuperſtitioſo. At ſanè ut naturali jure licitum eſt vim vi repellere, præſertim ſi id non tam ex ira aut odio, quàm ex defenſione ſui, & noxæ averſione contingat: quod moderamen inculpatæ tutelæ ſecernit. Quamobrem pro ut jam demonſtravi, quod vis incantamenti potiſſima pendeat ab idea naturali Sagæ: ita & conſequens eſt præfatam repercuſſionem eſſe prorſus licitam, propter naturalem ideam deſiderii, quo quis ſe eximere optat, ac ſtudet incantamento. Adeoque in repercuſſione nemo ſequitur, aut proritatur vi pacti cum Cacodæmone. Imò ſola iſta repercuſſio, vim incantamenti prorſus naturalem manifeſtat, ſicut & dæmonis impotentiam. Interim infeliciſſimus ille, totuſque ſuperbus, pudibundus ſuam fateri impotentiam, ſuos decipit credulos, putantes illum iſtius malignæ atque nocivæ activitatis ſolum herum datorem & rectorem. Quare & eundem ſerio cultu adorant, & in omni ſcurrilitate obediunt. Venena ergo ſic parta, cum Satan nequeat, pro optatu ſuo inficere & conficere, ut neque pro lubitu adaptare, multoque minus applicare! Iubet id totum compleri per ſua mancipia, ut fiant venena emanativa, in proprium deſiderii objectum. Sic namque venena, quæ ante erant vel prorſus materialia, vel res omnino indifferentes, nec niſi aſſumta fortè nocere poterant: jam jactis ideis formaliter, ſeminaliter, atque fermentaliter virulentis.

HÆC QVÆ SEQVVNTVR, RELIQVIT AVTOR IMPERFECTIORA, INDIGESTIORA, ET INCORRECTIORA PRÆCEDENTIBVS.

POſtquam jam demonſtratum eſt, morbum omnem conſiſtere in vita animæ ſenſitivæ, hujuſque organo vitali Archeo, hic autem unitatem atque identitatem in ſe concludat; deinceps hinc quoque docendum eſt in unitate remedii conſiſtere ſanationem, & à morbis cunctis reſtaurationem. Argumentabuntur autem Scholæ humoriſtarum in adverſum, dicentque, *&c.*

Iam ergo probatâ neceſſitate convaleſcentiæ ex pace cauſarum occaſionalium cum vita: adeoque univerſalia arcana propemodùm ſingula valere ad præfatam vitalis Archei ſedationem & pacificationem: jam demum oportet ad ipſamet arcana deſcendere, eaque non ſolùm denominando propinare: ſed etiam quantum charitas in proximum permittit, eadem gnaris Philiatris deſcribere. Non licet autem illa propalare, ut ignari ſolique inhiantes lucello diſponant de iis, Seplaſiæ autem ejuſque uxori committant. Abſit! nam edoctus ſum, *&c.*

Dicam ergo, quantum ordo charitatis permittit circa Arcanorum revelationes. Inprimis itaq; natura produxit ex bonitate Dei remedia ſingularia in monarchia vegetabili, quibus morbi quoque ſingulariter reſtaurantur & ſanantur: quæ N. hactenus per indagandi ignaviam, lucri avaram cupidinem & invidiā dæmonis manſere occulta. Sic enim Elixir proprietatis apud Parac. curat Aſthma, Epil. Apop. Paralyſim, Atrophiam, Tabem, *&c.* At quia non paratur iſtud Elixir, niſi à peritiſſimo Philoſopho: qui non putando, ſed ſciendo perfectè, atque adhuc dupliciter ad hoc ſit electus, adeoque Adepti titulum conſecutus eſt. Hinc ego ex commiſeratione mediam viam exponam. Accipe aloës lucidæ myrrhæ opt. & croci optim. ana. unc. j. ſi enim plus ſumſeris, fruſtra id factum reperies. Duo priora terantur accuratè; crocus verò quia non teritur niſi exſiccatus, potiùs conglobetur tundendo. Ponantur in vitro capaciſſimo & forti, ſigilleturque liquato collo vitri. Et diſtilletur moderato calore, ne vas diſſiliat, donec videris totam offam in fundo coaluiſſe, & circulari oleum clarum cum aqua in parietibus vitri. Tum aperiatur collum vitri, & infunde ℔ aquæ cinnamomi, & diſtilla per arenam madidam, cui aqua bulliens ſenſim affundatur. Donec non amplius è roſtro alembici quicquam ſtillet, & hoc medicamine tam quartanam quàm continuam ſtatim abſolvi. Adeò quod qui noctu ſuſceperat ſacroſanctum viaticum, & olei extremam unctionem me in prandio convivam circa lectum habuerit.

Natura produxit etiam in Monarchia ſubterranea minerale quoddam, quod ob ſui ſingularitatem vocatur à Parac. Metallus primus ſive maſculus. Qui ab indole metallica neceſſariò veſtitur Mercurio & ſulfure metallicis. Mercurio nempe liquido nec digitis adhærente, & ſulfure cremabili in flamma cœrulea. Hoc ſulfur autem cum ſuo corroſivo diſtillatur, totieſque cohobatur, donec in forma olei rubei per alembicum tranſcendat. Quod tum demum accuratiſſimè ab omni prorſus corroſivo mundatum eſt oleum, non quidem per ſeparationem ſui ſalis & Mercurii paratum: ſed anaticè totum in formam olei redactum. Id enim quatenus adhuc oleoſum eſt, à tota tamen poteſtate animæ ſenſitivæ non eſt alterabile aut applicabile vitæ. Quapropter debet tranſmutari in ſuccum mercurialem, quem Parac. docet vocatque vinum vitæ. Eò quod non per modum reliquorum Arcanorum ſanet morbos, per abſterſionem & proſcriptionem noxii cujuſlibet: verùm inſuper renovat vires deperditas in univerſali, ac roboris inæqualitates reſtaurat. Ideóque nec fruſtra Paracelſo vocatur membrorum eſſentia, ad vitam longam ſolus apex nimirum, & culmen ſpei. Quantum autem lucis attulerim ſcriptis Paracelſi, ſolus ille novit, qui Paracelſum mecum intelligit. At cum non transfertur ſulfur iſtud, ut poſſit in ſanguinem verti, imò ſpiritum inſitum membrorum ac viſcerum reſtaurare & renovare, licet ſit in ſe mirabilium naturæ culmen; tamen tum tantum velut tranſeat per duas digeſtionum priores, non ſatisfacit ſuæ vocationi, ob quam tam anguſtis dotibus fulget. Adeoque vel hinc obvium eſt, vitam longam non eſſe niſi pro electis viris: iiſq; nec quidem omnibus, non tam quia principum juventus in venere & voluptatibus filum vitæ abbreviant, adeóq; remedium vitæ longæ per modum recipientis recipitur, & vitæ applicatur: ſed potiſſimum quia deſunt Adepti, quibus datum eſt ſolis hujuſmodi Arcana è ſiliquis enucleare. Suppono nimirum, quod hic metallus maſculus, quia facilè ſinit ſulfur à ſe ſequeſtrari, ſeparatumq; hoc ſulfur in oleo cinnamomi nucis myriſticæ liquatur vel in oleo, quod ſtillat è reſina abiegna, dum in optimum colofonium coquendo coagulatur. At ſaltem quanquam inſignes vires ſic ſulfur reſolutum habeat: quia tamen odorem fœtidum haurit, reſervatque liquati ſulfuris reſiſtentiam, nec poteſt ad intima tranſire; ſed tantùm agere velut tranſeundo, per ſui attactum obiter ſui doni reminiſcentiam ſuperficialem excitare. Idcirco plus diſtat à vino vitæ, quàm carbunculus à ſilice. Attamen ſi liquatum iſtud ſulfur in oleo aromatis ſic uniatur, ut per alembicum utut fœtens tranſierit, ac dein cum alcali debito modo circuletur: atque tandem in elixir ſalis volatile tranſeat, quodammodò æmulatur vires & virtutes vini vitæ, & eſſentiæ membrorum. Siquidem elixir iſtud rectificatum in opt. ſpiritum vini omnem fœtorem amittit, reſumitque aliquid de geniali dote, ut difficiles chronicoſque morbos ſaltem adimat: tametſi non ad ſummam entelechiam viſcerum aſcendat, ut ſit renovata membrorum eſſentia.

IN VERBIS, HERBIS, ET LAPIDIBVS EST MAGNA VIRTVS.

Locus eſt in Sacris, qui Lapides pro corporibus mineralibus ſumit. Verba quidem, quatenus mandantia ex poteſtate ſupernaturali, imperant creaturis; quæ quia ſubſunt, etiam parent. Virtus dein herbarum, eſt pharmacorum, non autem comprehendit cibos herbaceos. Eſt itaque plantarum vis medica, ſimplex quidem: at plurimùm excellens, ita ut plerumque in gradum virulentiæ aſcendat, quia amplitudinem noſtræ naturæ ſuperat;

ideóque & infeſta nobis. Etenim olera, legumina, cerealiaque debent prorſus ſubigi, & reſolvi in ſtomacho, id eſt, ſede animæ, in quam dum infractis viribus incidunt, eandem quoque recenti ſua hoſpitalitate, legibus comprimunt. Sic nempe ipſa ſedes circa rudia adhuc ſimplicia laborat, ac operando tolerat vegetabilium hoſpitatorum cruditates, noxas, & moleſtias. Hactenus namque quidcunque non ritè ſubigitur in ſtomacho, poſt præfatas ſui moleſtias, foras per inteſtina mandatur, ut excrementum inutile & nocuum. Quamobrem plantæ atrociores, dum non ſpondent alimentum, nec directè in cibos trahuntur, ſi non nocuerint notabiliter, ſaltem totaliter ſequeſtrantur, ac foras cum labore & anguſtiis pelluntur. Quod hactenus patuit in quartana, notabiliter, quæ medentum pollicitam opem ac ſpem medicaminum irriſit. Nam etſi materia occaſionalis quartanæ, tantùm circa Splenem, ac in viciniis ſtomachi, hæreat: nondum tamen pharmaca vegetantium, ad quartanæ limen pervenere. Interim robuſtiora, cum gradus ſupra vires naturæ noſtræ ſortita ſint, plerumque ob id ſpernuntur, aut caſtrantur: adeoque per media correctiva planè alienantur atq; degenerant, & ſic in peregrinam tranſeunt familiam. Incaſſum quoq; plerique tentarunt ſeparare poteſtates virulentas ab appropriatis, ſubter illas latentibus. Vt ut hodiè aſſuetum eſt, ſunt pharmaca ejuſmodi robuſtiora horrida, moleſta, nec admittuntur in penitiora noſtri. Quia adoriuntur & labefactant vitales vires, atque omnifariam anxietates comites adducunt. Nam quantumvis non nobis in alimenta abeant, nec admittantur penitiùs, quàm ipſum limen intrare: ſolo tamen attactu, nudoque ſui tranſitu, imò & velut ſurdo aſpectus inquinamento Archeum alterant, huncque in ſui clientelam ſubjiciunt, & abripiunt. Hæc eſt cauſa, cur vegetabilium remedia robuſtiora, plerumque atrocitatis & virulentiæ, ſuſpecta ſint. Quæ adhuc longè dilucidiùs ſpectantur, in mineralibus arcanis, altioribuſque pharmacis. Quippe quæ nulla ſui commiſtione: ſed ſolo velut aſpectu, peragunt munia ſua, & ſcopos dotium ſuarum aſſequuntur. Sic namque matres intingunt laneum fruſtum commiſturæ argenti vivi, idque intra zonam veſtium conſarciunt: ſcientes nimirum, etſi argentum vivum non effumet quicquam extra ſe (eſt namque tam homogeneum, quod non ſit diviſibile in partem heterogeneam, ac à ſe diſſimilarem) per totum tamen corpus impedire pediculorum præſentiam & generationem. Deſcripſi etiam . . . . quomodo argentum vivum vulgare reducatur in offam niveam, ſi ab illo ſpiritus vitrioli diſtilletur. Qui nimirum ſupra Mercurium coagulatur, & in alumen tranſmutatur: ablutione verò ſeparabile ab argento vivo. Quod nempe fit pulvis flavus, qui facilè redit in priſtinum, ſibique æquiponderans argentum vivum. Sic nimirum totus ſpiritus vitrioli, in ſe acidiſſimus, nudo attactu Mercurii, & abſque ulla amborum commiſtura radicali, vertitur in ſalem aluminoſum. Idque fiet millies, nil tamen argento vivo de pondere vel natura deperit. Argentum vivum namque abſque ulla ſui aut de ſuo participatione, imò & citra ullam de ſe commiſturam radicalem, commutat quicquid ſpiritus ſulfurei attigeris. Quæ radialis commiſtio argenti vivi, adhuc magis admiranda eſt. Si nempe argentum vivum maceretur in magna aquæ communis quantitate. hæc namque, etſi ne minimum quid de argento vivo in ſe ſorbeat, aut ad ſui naturam convertere queat: attamen ab argento vivo proprietatem, non item ſubſtantiam mutuat, ſic ut pota aqua ejuſmodi necet lumbricos univerſos & aſcarides, exſiſtentes etiam, quo potus iſte nunquam pervenit: quippe qui mox totus in lotium rapitur. Fitque aqua iſta contra lumbricos validior, ſi ſemel cum argento vivo bullierit. Sic unica uncia argenti vivi millies poterit menſuram aquæ inficere, attamen permanere in pondere & proprietate priſtinis. Sic nempe Scholæ etiam invitæ addiſcunt, quod quædam agentia citra paſſionem, aut reactionem patientium, liberè, ſemper, indefeſſiſque viribus agant, & perſtante eodem ſui ſemper pondere. Argentum vivum nempe agit in aquam, eique imprimit ſui characterem; non tamen viciſſim quicquam ab aqua repatitur. Manifeſtum eſt itaque, quod vis quædam medica transferatur, mutetque ſuum ſubjectum naturale, & abeat in objectum peregrinum, ſolo velut radio, vel aſpectu ſui. Ita tamen, aut licet objectum peregrinum acquirat exoticam ſibi vim, agens tamen inſpiranſque initium nequicquam de ſuo priſtino robore aut pondere amittat, remittatque. Fit nempe id abſque ulla argenti vivi paſſione, diminutione, mutatione, debilitate, aut alteritate. Exemplum ſanè hoc loco adductum inſervit argumento, poſtmodùm de virtute propemodùm infinita remediorum, celebrando. Quæ res poſtquam in mineralibus ſæpè ac diverſimodè ſubter experientiam tracta fuiſſet, me edocuit tandem, quod antehac nemo mortalium fortaſſis, adhuc opticè atque intus perſpexiſſet, qualiter remedia abſtruſiora operarentur: quodque nimirum citra ſui diſſolutionem aut interitum, citra ſui penetrationem, introadmiſſionem, commiſturam, & commutationem liberè etiam eminùs agant in ſopitum, vel ſuccenſum Archeum: ſolo quaſi ſui aſpectu, irradiatione, vel ejaculatione ſuarum virium, in medio productarum, retentis adhuc priſtinis, & non mutatis, pondere & proprietatibus. Adeoque teſtantur ejuſmodi arcana, ſe infinitæ bonitati propinqua, dum propemodùm ac quaſi infinitas ſenſim vires ſpargant. Quapropter non impunes manebunt Medici, dum pauperes quandoque ſe neglectos ejulabunt in Iudicio noviſſimo, qui abſque impenſis ullis facilè atque obiter ſanari potuiſſent. Igitur Arcana nequeunt unquam abire in alimentum: quia ſervant ſuos fines, ut quæ non in cibos, ſed in pharmaca ſunt deſtinata, pharmaca perſeverent etſi intrò aſſumta. Incipiunt namque in ſtomacho (quem animæ ſedem alibi ex profeſſo demonſtravi) radium directum ſuarum virium, ac virtutem dotalem exponere, & quorſum à Deo ſunt deſtinata. Vndè demum in totum corpus ſpargitur hauſta in Archeo vis radialis irrorata, & ſanitas inde ſuccedens avidè ſuſcipitur. Sic nimirum oblatis hujuſmodi univerſalioribus remediis contingunt ſanationes, quales prodidi in fonte naturæ contingere, ac eidem deberi, qualeſque Paracelſus pollicitus eſt, ac dein Butlerus, me ſpectante, minimâ videlicet confermentationis applicatione, eſt exſecutus. Certè poſtquam hæc ſpeculatio penitiori contemplatione me ſub ſe attraxit, clariſſimè ac opticè quaſi cognovi in cauſis occaſionalibus, atque in productis excrementitiis quidem hærere ſordes, peculiarium morborum ſuſcitatrices: attamen ipſum morbum totum, ejuſque remedia, conſidero in Archeo ſcilicet alterato, vel pacato: adeoque minimo attactu, vibratione, jaculatione, imò ſola radiatione, ſive illuminatione (modò in ſede animæ, ſenſitivam vitam attigerint) perfici ac compleri ſanationes, non habito cauſarum occaſionalium reſpectu. Idque potentius adſpicio in mineralium remediis ſulfureis, puta in ſulfure Veneris, ſtibii, ac potiſſimùm in ſulfure Glaure Augurelli, quæ Nympha alio nomine proprio caret hactenus. Etenim hujuſmodi ſulfura, quia longiùs diſtant ab humana natura, quàm tota vegetabilium cohors, atque interea inſignes dotes à Datore obtinent: ita quoque pleniſſimè & pertinaciter reſiſtunt, ne à digeſtiva in alimentorum rempubl. deflectant, atque ideo ſervent geniales ſui poteſtates liberas & infractas, manet nimirum mineralium, craſis integra, aptiorque ad diſpergendum radium ſui induumviratum, ſedem animæ. Sic nempe Mercurius diaphoreticus ultimatum ſuæ entelechiæ ſcopum acquirit, per ruborem ſulfuris adſcendentis, cui ſulfur Mercurii, unione indiſſolubili nectitur. Hactenus enim mineralium ſulfura ſub Vulcano adipiſcuntur extremum intentionis Medentum complementum. Hortor itaque Tyrones, addiſcant ſulfura ſpoliare vi peregrina ac virulenta: ſub cujus nimirum cuſtodia abditur ignis vitalis, Archeum in ſcopos deſideratos placidiſſimè deducens. Sunt videlicet ſulfura quædam, quibus correctis atq; perfectis tota morborum cohors auſcultat: utpote quorum pluralitas in unitatem Archei, tanquam in pugnantem pugnum contrahitur. Hoc pacto in ipſa animæ ſede combinatoq; duumviratu Amentiæ, Apoplexiæ, Caduci, Paralyſes, Vertigines, Aſthmata, Hydropes, Atrophiæ, immaneſque defectus annihilari vidimus: ſtupente ſcilicet ipſa natura. In lapidibus ergo magna virtus à Sacris prædicatur, quæ hactenus tam in Academicis quàm Chymicis Scholis occultatur, donec Reges atque Reſpublicæ in Scholarum reformationem proſpexerint. Laboris piget, qui lucrum per abuſum venari ſperant. Laborare neſciunt, nec optant, nec volunt: qui virtutum ſtudioſos derident: Etenim ſi unquam antehac, nunc ſaltem totus mundus in maligno poſitus, deterruit calamum meum, ne margaritas ante ſues ſererem. Dicam filiis noſtris, ut ex ungue Leonem. Extrahe ſulfur antimonii, quod vix à vulgari diſcrepat viſu, niſi quod parùm in viriditatem vergat. Fac Cinnabarim hanc adhuc ſexies, per ſe, ſublimabis, ut ſublimatio inſerviat pro reverberio Lili. Accipe ſemi-unciam tritæ hujus Cinnabaris, ſuſpende per horas 24 in dolio vini, cujus unicum cochleare per aliquot dies ſumtum, miraberis effectum. Eſtque eadem Cinnabaris ſufficiens multis centenis doliis, iterum æquivalens, ſi iteratò reſublimetur.

De magna virtute verborum quædam ingenuè dixi, quæ plus admiror, quàm applico. Herbarum quidem notiſſimus uſus, non tamen valor illarum ſat notus, ut nec adæquatè circumciſus. Idque nedum ob poteſtatum ignorantiam: ſed præcipuè propter inconcinnam cauſarum morbidarũ adaptationem, defectus ſcientiæ

tiæ cauſarum ad effectum, complexionum graduumque ridicula, atque fabuloſas dimenſiones, quas alii ante me ſat exſibilarunt. Non enim hic commemoro mille ſimplicium confuſiones, facultatumque devaſtationes, & omnimodas extinctiones. Sed potiſſimùm deploro defectum ſcientiæ applicationis cauſarum ad effectus: ſive adæquationis rei applicabilis & applicandæ. Nam ante omnia ſciendum, rerum ut tardè quarundam ſunt nativitates ac promotiones: ita proportionaliter quoque habent virium exſpectandas magnitudines, æſtimationumque varietates. Nam prout ex proverbio: quod citò fit, etiam citò perit: ita nec res in longam protrahi valet maturitatis ſpem, quæ ſuæ conſtantiæ non habeat occaſiones intimas. Fruſtra ſiquidem per octingentorum annorum exſpectaretur moram, ut aliquod metallum ritè in uſus humanos maturaretur, ſi aliquot menſium curſu vegetabile aliquod illi ſit æquiparandum. Enimverò ſubter cenſum herbarum, arbores ac frutices quoque intelligo: adderemque lubens animalia, niſi fortè per textum Legis, pleraque animalia, horumque partes, inter impura corpora abdicata legerem & abominata. Inſectarum namque totum genus, ad medicamina magnarumque poteſtatum commoda directum, quàm pro hominum ſervitiis, extra uſus fuit proſcriptum, abdicatumque quodvis remedium inde mendicatum. Tantumque ideò de verbis, herbis & lapidibus facta fuit commendatio. Certum eſt etenim herbas digeri poſſe, & à noſtro ſtomacho ſubigi, niſi malignitatem comitem habeant. Exiguus ſanè olerum atque cerealium eſt numerus in claſſe herbarum: quæ paucitas ſanè malignitatem aliquam accuſat, qua ritè ſequeſtrata, tum prius, nec antè, proderint poteſtates, tanquam ſcopi ſuæ miſſionis, quos venenoſi cuſtodes ſub ſe tegebant. Profectò agunt in nos vegetabilia dumtaxat tantiſper, atque ſtomachus operatur circa illa. Nec ulterius pergunt, quin prius omne deponant fermè remedii robur. Etenim malè aliàs ageretur nobiſcum, ſi ſtomachus, non valens domare aſſumtum vegetabile, illud nequeat ſubigere ſubter Archei ſui regulas. Alioqui namque, ſi vegetabile integris pergeret viribus, excrementorum conſors quoque fieret, vel aliàs turbaret ſanguificandi œconomiam. Alioquin enim quod reſtitiſſet actioni ſtomachi, jam aſſueti, crudis ſimplicibus: quomodo poſſet tranſmutari, ac domari, in digeſtione ſecunda, inſueta crudis cibis. Majoris utique difficultatis, atque operoſioris operis effectus talium remediorum eſſet, quàm fructus inde exſpectandus. Denique eo dato, concedenda eſſet indiſtinctio, confuſio, ac perpetua œconomiæ noſtræ turbulentia, ſi quippiam prius non ritè in ſtomacho ſubactum, ſequeſtratoque inde prius excremento, intrò pergeret ad vitalia. Siquidem indifferenter inde quidlibet, abſque repulſa, intrò vel ſponte pergeret, vel gratioſè abſque delectu admitteretur. Ergo neceſſariò debet vegetabile pati digeſtiones, harumque tranſmutationes formales: ipſæque facultates digeſtivæ, operando etiam patiuntur ordinariò à peregrinis (id eſt, non cibiformis) vegetalium facultatibus. Res ſanè plerumque periculoſa, difficilis experimenti atque judicii. Tum demum inſuper, omnibus ad amuſſim libratis, vis omnis vegetabilium aſtricta eſt determinataque ad ſuum gradum, poſtquam nempe ſub digeſtione ſe flexit proſtratam. Nec iſtos egreditur limites, habetque interim difficultates, virulentarum ſcilicet atque vitioſarum tyrannidum imperia. Quæ certè ſive in ſuarum virium cuſtodiam, vel tegmen, ſive verò in defenſionem, denegationem atque impedimentum ſint addita: ſat eſt ſaltem, quòd illorum pleraque ſuam habeant adnexam crudelitatem, infamiam, immaturitates, ſcabiem, cariem, exantlationes virium, præter adhuc multiplices ſordes, ac impuritates: quippe cum emunctoriis, excrementi vacuationi dicatis, priventur: totum ſuum alimentum excremento plenum eſſe, eſt neceſſum. Longéque eſt crudeliſſimum, nullum in Scholis excogitatum fuiſſe remedium adverſus hos defectus, præter ſimplicem decoctionem. Tandem extra horum cenſum, ſequeſtratiſque plantarum injuriis (quarum tamen gravamina, abſque ingenti clade natura noſtra ferre nequit) tanta præter inſuetam proterviam, illorum eſt debilitas, quod vix aliquid laude dignum ſperandum ſit è ſinu vegetabilium. Cum nedum ferocitatem in limine ſeponere cogantur, ſi intrò penitiùs admittenda: verumetiam prorſus formaliter denudari, ab omni illorum benignitate, antequam cives noſtræ evadant Reipubl. Vnivocus nempe naturæ noſtræ ſcopus, unicam intendit ex ingeſtis ſanguificationem, ad nutriendum. Quæ cum non ex quolibet promiſcuè; ſed tantùm ex verè tranſmutatis, atque in ſeminalia, ſpeciei noſtræ congruis, procedere debeant: certè fruſtraneum eſt, quicquid pro digeſtionum penitioribus familiis, de vegetabili proſapia propinatur, ſic ut priſtinam ſuorum parentum poteſtatem retinere putetur. Quod inprimis quartana, morbique omnes excrementis occaſionaliter ſollicitati, qui Scholas opprobrio habuere hactenus, confirmant ſatis. Quippè quæ non ſupra lactucas coctaſque herbas meditatæ ſunt. Obvia quidem ſunt vegetabilia, primorum ſeculorum morbis reſpondentia. Sed pro Chronicis, vegetabilium infami truculentia plerumque auctis, longéque ab ore, ſua corporis atque ſpirituum penetralia nactis, quàm difficiles ſunt per vegetabilia reſolutiones, integra ſpondent hoſpitalia, quibus continui infauſtorum planctus ejulant. Quare hinc quiſque domi ſuæ, protervum ferè ac indeſinentem morbum inter ſuos aſpicit quotidie, medenteſque pegmatum fabula facti, quia vix aliquid gratiarum actione dignum egerunt. Fatentur enim illorum aliquot ſuas, ſuorumque Authorum imbecillitates, plureſque clanculùm ad remedia chymica incognita confugiunt inviti, pleraque illorum adulterio, ſtuproque ſcatentia. Ad libros, non item ad fornaces, refugiunt: Tyrocinia enim pollicentur ampliſſimos fructus, ſtentanturque illegitima atque ridicula quæque. Quæ dum non intelligunt Academici, atque ex altero latere, marcidum Galenum tam inopem aſpiciunt, nutabundi ad cauteria, fontes acidulos, atque balnea transfugiunt. Vah quàm infauſtum ægris, ſibique inane refugium, tanta peperit in Scholis tenebrarum offenſio! Dicam ergo. Textum, nomine lapidum, ac magnam illam jactatam virtutem, intelligere omnia penitus mineralia, horumque medullam metalla, præ cæteris. Vtpote quæ vix alia imagine quàm lapidum, aut ſaxorum ſe oſtentant. Enimverò ditiſſima hæc eſt, ac conſtantiſſima naturæ proles, & theſaurus præcipuus: adeò ut in eo conditæ ſint Aſtrorum ſyzygiæ. Quinetiam proprius, ac extra Gentilium profundum idiotiſmum loquendo, Aſtra duntaxat meteoris præſunt cauſaliter; metalla verò, ſuis remediorum excellentiis, longè aſtra ſuperant. Docui ſiquidem, juxta Textum ſacrum, Stellas nobis non eſſe in cauſas: ſed dumtaxat in Signa, tempora, dies & annos. Nec licet homini munia Aſtrorum longiùs protendere. Quapropter nuſquam meo voto, numerum Aſtrorum nupſi erronibus aſtris, & nec utrorumque illorum officia atque dignitates parilitate compeſcui. Quippe ut procul invicem diſtant: ita & diſparata habent munia, ac officiorum fines invicem diremtos. Hoc autem lubens unum admitto: Metalla ſcilicet, longis paraſangis ſuperare plantas atque mineralia medendo. Ideoque metalla eſſe quædam ſpecula lucentia, non quidem ratione nitoris: ſed potiùs, quod quoties aperiuntur, liberanturque eorum virtutes, agant lumine dotali, & contactu vitali. Operantur itaque metalla per modum Aſtris tributum, nempe per aſpectum, atque attactum Blas alterativi. Quæ per mechanicam lucidiora evadent. Nam metalla ipſa ſunt ſpecula, optima inquam proles inferioris globi, ſuper quam videlicet tota vis centralis, per aliquot prius ſecula, prodigaliter ſuum profudit theſaurum, ut hoc terræ liquamen, hoc ſumen, hancque divinæ Providentiæ ſobolem ditiſſimè deſponſaret ad fines quos naturæ debilitas requirebat. Sunt itaque ſpecula Auri, Argenti, Mercurii, Saturni, Veneris, Martis & Iovis, horumque marcaſitæ, nondum clauſa, *&c.* Voco autem ſpecula lucentia, quæ ita vim habent penetrandi, illuminandique Archeum, à ſuis erroribus, furoribus, atque defectibus, quod illum reſtituant in nitorem, tinctura dotalis perfectionis. Etenim quanquam hujuſmodi mineralia non ſint cibalia, vel de ſorte corporis humani: habent attamen internam vim ſpeculi, maximéque efficacem poteſtatem, Archeo humano integro, ſedatoque contiguam, qualis erat Archeus ante conceptam Mentem, quæ ſcilicet poſtmodùm à recto ſui tramite alienata eſt, poſtquam anima ſenſitiva (cui mens inſidebat) in ſe regimen corporis traxit, quæ nempe tota in ſe caduca atque brutalis fuit. In ſpeculis autem lucentibus (ad diſtinctionem vegetabilium, ſcilicet non lucentium) adhuc typus quidam prioris immortalitatis reſiduus manſit, & hactenus modo imperceptibili, nedum communicantur ejuſmodi ſpecula: ſed & ſuſcipiuntur libenter ab Archeo. Quinimò diutiùs perſeveraret Archei reſtauratio, ſi ipſa ſpecula non proſcriberentur actutum. Quod patet in præparatione mechanica Veneris, Martis, *&c.* Hæc de arbore vitæ, libro de vita longa proſequor, ut ſit remedium ſtabile, in humanam naturam tranſmutabile, aſſumendum à pueritia, præcipuè quamdiu accretrix viget. Hoc inquam, ſuperat vim ſpeculi lucentis ad vitam longam, non item pro vita ſana. Porrò quicquid de lapidibus ulterius dicendum eſt, id fuit, vel quatenus participant de tinctura aliqua metallica, ſulfurea, vel de ſale minerali. Quatenus autem ens minerale eſt, nec cibale, nec nutritium, nec vitale eſſe potuit:

Priuſquam autem ad Arcana (quæ hoc loco dicitur lapidum virtus magna) tranſivero, juvat ſanè intrare in ipſam corporis ſedem, ac introſpicere, ibidem quantum remedium quodlibet operetur. Quorſum inprimis obviam eſt, quod jam ſupra dixi. Stomachum nimirum non coquere quicquam, niſi ut univoco ſcopo, inde tandem ſuo toti alimentum fabricet, atque eo ipſo intentionem habet, inde facere liquorem alimentarium, cruorem videlicet, ac dein ſpermaticum humorem primis conſtituentibus alendis aptum. Adeò ut verti queat in ſubſtantiam, alendis atque augendis partibus idoneam: quamdiu nempe apponuntur intra terminum accretioni deputatum. Vndè neceſſariò quoque conſequens, non niſi materias aptas, ac cibales, à ſtomacho confectas atque digeſtas, tranſmitti in ulteriores digeſtionum officinas. Quare inprimis ſemovi plantam omnem, qualicunque truculentia infamem, à Mezenterii limite: eò quod omne ineptum his finibus, eo ipſo per ſtomachum depellatur, excrementisque aſſocietur. Quicquid autem jam in chylum tranſivit, depoſuit actutùm omnem peregrinam qualitatem, per quam velut per delectum agat. Si qua verò, ex Magno Oportet, qualitatis ſpecies, priſtini ſui concreti, adhuc perſtiterit, certè ea torpens, languida, ſegnis, laxa, atque vana eſt; ideóque Medentes plerumque fallit in chronicis, longéque per venarum obliquitates latentibus morbis. Quam ut pro me veritatem tueatur, quartana præſtò ſe offert. Spagyrica quidem ſchola, languidam admirans, ſperanſque remediorum opem, dudum animadvertit quidem, in mineralibus nobilem latere medendi theſaurum: ſed hæſitavit dudum, qua ratione poſſent diducere penitiſſimè, ad internum partium ſimilarium condum. Inprimis vanum atque irritum priores ſperarunt, ad prima noſtri conſtituentia, per ſua remedia devenire; cumque in vegetabili regno deſperarent, fruſtra quoque mineralium claſſem torſerunt, quippe quæ nequaquam in cibos noſtro arbitrio tranſmutari poteſt: cum artifex nequeat inducere pro lubitu formam eſſentialem: imò neque natura id unico ſaltu digeſtionis, ſuoque immediato nutu id unquam aſſequitur. Quidam enim fallaci metallorum ſpe abducti, nedum etiam guſtantes, aut ſcientes, quantum in ſpeculis lucentibus, apertiſque metallorum liquoribus, energiæ ſitum ſit. Ideo quidam è ſuis laboribus quandam propemodùm immortalitatem polliciti ſunt, ac Paracelſus ſubinde in annum Aniadim, in annum Ignis; ac dein ſaltem in annum Mathuſalem ridiculus ſe extendit; alii dein ſui ſequaces, ad annos ſexcentos prolapſi ſunt. Vbi deinceps poſteriores ad renovationem virium perveniri poſſe ſpoponderunt: aliis dumtaxat ſanatione morſa contentis. Quieverunt nempe in abſterſione puri ab impuro. Ac quamvis ſubinde corpus juxta ungues, dentes, ac pilos renovari daretur; non tamen intellexerunt appoſitè, haudquaquam pyrium à ſenio ſuo revocari, quantumvis quotannis frondes renovaret. Interim temeritas horum, atque ignorantia œconomiæ noſtræ, vana præfatorum ſtentamina ſuſcitavit, & quiſque in tenebris vanæ ſpei, ad proprium tactum, abſque viſa cognitione progreſſus eſt. Itaque dum quiſque ſua penitiſſimè introducere ſperaret remedia, nec tamen poſtmodùm introrſum admitterentur; utpote quæ morbi graviores, & carentia nutritionis, viriumque refocillationis excluderet, cogitarunt deinde Arcana aliquot levioris ponderis, in ſpeciem ſalis larvare mentitam, ut ſaltem non poſſent ſeparari à Latice, imò hactenus licentiam acquirerent vagandi per totam venarum provinciam. Ac quanquam quædam remedia ſic adaptarint, quòd naturæ congruitati non eſſent prorſus aliena, aut deteſtabilia: utut eſt, non potuerunt ſaltem eò devenire, ut introrſum prorſus admitterentur. Sin autem errore ſecretionis tantillum eorum intrò penetraſſet; id confeſtim ſtuporem in penitioribus culinis viſcerum induxit, ut & Archei pœnitentiam. Similiter qui arborea remedia tentarunt, abſtinuere confeſtim: utpote quod duriora difficilioraque eſſent herbaceis, minuſque penetrationi opportuna. Caro ſiquidem ac cruor, non ſunt pinguia: arborea verò, ſunt pinguia: reſinoſa, & infracta à noſtris poteſtatibus. Paracelſus inprimis ratus eſt, quod cum fixa igni reſiſterent, etiam eadem operâ, digeſtionum inſumtos illuderent labores; ideoque ſanxit univerſali decreto, ne ullum minerale fixum, oretenus aſſumeretur, eò quod ſalibus, quæ iſtud redderent potabile, abſumtis per digeſtionem, illud idem fixum corpus, membrorum internis parietibus, atque arundinibus, quibus iſta ſalia commutantur, affigeretur tenaciter, atque inſperata deinceps adnexione, in vitam continuaret. Voluit itaque nedum cuncta mineralia remedia, nedum fore potabilia, ſed & inſuper volatilia. Quæ admonitio licet non prorſus vana: exceptis croco martis, plurimiſque lapidum aſſumtorum præparatis pulveribus.

veribus. Attamen mineralia iſthæc non proinde aſſumunt naturam cibalem, nec etiam è conſequenti digeruntur, aut penitiùs intrò ad ſedes morborum intrinſecas adeunt. Nec etiam ſat conſideravit, volatilia mineralia habere in ſe vim prorſus activam, (prout alibi de lithiaſi demonſtravi) ac plerumque adeò peregrinam, ut non promiſcuè queant, abſque inſigni errore, intrò admitti, niſi dixerimus, non eſſe amplius ullam in natura electionem, aut delectum, quo reſpuuntur ab Archeo, quæ ſuis minus conveniunt finibus. At non quodlibet potabile, indiſtinctè intrò admittitur, imò nec quicquam, quod non fuerit cibale, digeſtumque in ſtomacho, atque tranſmutatum in chylum humanum. Neque per hepar tranſcendit quicquam, quod prius in Mezenterii venis (utpote quæ ſunt ipſius jecoris ſtomachus) non fuerit obſequioſa diſpoſitione ſubactum. Atque idem de viſceribus ulterioribus eſto judicium. At cum ſtatim tam vegetabilia, quàm mineralia aſſumta, ſuam exerceant tyrannidem (quod ipſa ſolutiva, promta teſtantur obedientia) adeòque & hinc conſtet, venena quævis poteſtativè intrare penitius, ſi nimirum in diſtantia loca ferociant. Proin reconciliandæ ſunt duæ opiniones: ex una nimirum parte, Quod nil, non cibale, priusque per digeſtiones elaboratum, intrò ſcandat. Et ex altera parte: Quod tam ſimplicia, quàm arte elaborata remedia, utcunque exotica, aut ferina, etiam procul ab ore, atque eminus, ſuam exerceant operationem. Ad quam controverſiam ſpectat illuſtris actio regiminis, ſimulque præpotens duumviratus præpollentia. Neque enim fruſtra antiquitus Cardiogmus & Cardialgia cor notant, ipſumque ſtomachum, cordis ac vitæ etymo deſignarunt. Nam revera, in membrana ipſa ſtomachi, Anima ſenſitiva, ipſeque Archeus habitant, diſtinguens rerum cunctarum convenientias, proportiones, ſimilitudines, ac adaptationes. Quarum dum ipſa Senſitiva apprehenſiones haurit, eaſdem quoque per totum diſpergendo communicat, cuique nimirum pro neceſſitatis exigentia. Etenim ſolutiva purgant, atrociterque infeſtant, quamdiu in ſtomacho prioribusque inteſtinis detinentur: ideoque ut citò ac celeriter penſum abſolvant ſuum, propinantur juſcula, quò promtius nimirum eluantur è ſtomacho. Enimverò Arcana mineralia (in Lapidibus namque eſt magna virtus) potentiſſimè quidem operantur: at non proinde materialiter prorſus ad viſcera intrant, ut cives vitæ noſtræ conparticipes fiant. Neque enim itur ad tertiam aut ulteriorem digeſtionum officinam, niſi prius per primam itum ſit. Quocirca inprimis ſedulò conſideravi cuncta remedia operari juxta dotem, quam illis Omnipotens contulit, ſive vegetalia fuerint, ſive mineralia. Atqui cum vires remediorum potentiſſimæ, non ſint de ſubſtantia cibali & cruoris; multòque minus de ſubſtantia excrementoſa (inteſtina ſiquidem tantùm ſaccus & cloaca ſunt) nec detur opportunum medium inter cibale & excrementoſum: Idcirco requiritur, ut remedium, quod adeò illuſtres dotes habet, ſit quidem non cibale (quoniam cibale jam ante docui debere eſſe languidum) attamen remedium, quantiſper inter nonexcrementum & excrementum ambigit. Id eſt, quamdiu in via, ſive in fieri eſſe ad excrementum in ſtomacho detinetur. Vt ſcilicet, cum non detur medium finale, intra ens cibale & excrementum: ſaltem ſit medium mediativum in eſſe remedii. Quantiſper nempe indeciſa eſt determinatio, an aſſumtum remedium ſit profligandum, unà cum excrementis. Hoc enim eſt, quamdiu detinetur in ipſo ſtomacho, in quo diſcretor Archeus potentiſſimè lucet, & imperat. Quin etiam nonnulla in hac taberna acquirunt vires, quas antea non erant in nucleo ſui. Quod alibi oſtendi, per laticem decurrentem è ramo Betulæ, potentiorem ſcilicet, quando jam inter alimentum ſuæ arboris, atque exortæ mox corruptionis initia vagatur. Ergo jam hinc elucet abſtruſa hactenus remediorum veritas. Nimirum omne remedium immediate atque principaliter dumtaxat agere in Archeum ſtomachi (qui ideo etiam cor dicitur) hunc verò ſucceſſivè deinceps, juxta hauſtam diſpoſitionem, ſibique generatam ex dono dotali remediorum. Vlterius quoque ſequitur, quod remediorum unumquodque, excedens limites cibales, agat ſuo attactu, per modum ſpeculi. Siquidem citra commiſtionem ſui materialem, ſolo attactu ad Archeum agit. Archeus ipſe nimirum hauſtam à remedio dotem primum ſentit. In ſenſatione autem iſta, ſibi fingit Ideam rerum ſibi agendarum: ſequendo dotis illius diſpoſitiones: undè ſibi conſequenter pacem, requiem, aut iram ſuſcitans, harumque partas Ideas aſſumens, eaſdem mox in viſcera, actioni regiminis auſcultantia, ſigillativè diſpergit, peragens, munia fauſta vel oppoſita juxta imperium vitalis Archei. Remedia igitur quævis, ſunt ſpecula & quædam lucentia alia ſuo tantùm contactu, odore, guſtu, atque potentia. Cæterùm cuncta atque ſingula remedia manent reſpectu vitæ externa: hactenus quoque eluunt, abiguntque innatam, vel conceptam labem ex Archeo. At nunquam proinde valent vitam à continuo defluxu detinere, vel novas vires ſuggerere, novaſve ad immortalitatem potentias creare, aut ſuſcitare. Quia remediorum vires nequeunt cum ſui ſubſtantia penetrare, aut transmutari, in materiam noſtri vitalem, ita ut primis conſtituentibus admiſceatur per accretionem. Quicquid namque agunt, id totum occupatur circa Archeum ſtomachi, atque vitæ principem, clavique gubernatorem. In quem ſcilicet clavi rectorem, centrum vitæ, ac duumviratus nauclerum, omnes quoque morbi ferociunt primariò, vel per deuteropathiam. Hactenus namque, nec antiqua medullitus radicata podagra, è ſinubus inſiti ſpiritus vitalis, quibus ſigillata eſt, erumpit, quin ante ſui acceſſum infeſtet circa os ſtomachi, totalemque inde integri diſpoſitionem violet, concitetque: quam adventantem podagram quædam præcedens febricula plerumque prodit. Quocirca hactenus quoque remedium atque morbus, ſe invicem contingunt, imò etiam penetrant. Nam quis non obſervavit aromatum odores, dumtaxat guſtatorum, confeſtim Lipothymicos reficere, non quidem quòd iſti odores, aëri commiſti, ſint additamentum auræ vitalis, ut novum de ſe velut ſpiritum vitalem, in locum deperditi, ſubſtituant. Quoniam operoſioris molis eſſet, ipſa ſpiritus vitalis reſtitutio, ex aromate, quam è ſanguine. Nec eſt odor placidus aromatis, quatenus ſimilis ſit ſpiritui vitali, è ſanguine parti: ſed ob dotes remedio innatas. Pariter nec olea Cinnamomi, Cariophyllorum, &c. materiali ſuo nexu reficiunt ſpiritum vitalem partium: (neque enim ſpiritus vitæ, oleo nutritur) ſed quæ odore aut ſapore grata ſunt, totidem ſunt ſpecula, quæ ſuæ attactu adſpirationis, vel reflexionis, tanquam dotali munere, ſpiritum vitæ gravatum reficiunt, ſolanturque. Etenim prout quorundam ſpectra movent nauſeam, vomitum, inappetentiam, iram, indignationem, &c. quatenus ſunt ſpecula viſualia. Ita ſunt dotalia ſpecula, concitantia Archeum, in pacem, tranquillitatem, ſoporem, gaudium, ceſſationem à mœrore, contracturâ, dolore, *&c.* Sunt ejuſmodi dotalia ſpecula, quæ rectam ſuorum officiorum, ac ordinatam ſollicitudinem in Archeo admovent, & occaſionaliter movent. Pro ut vice verſa, ſunt venena, deleteria, ſuntque exaltatæ rerum poteſtates, quæ labem ac tabem, omnemque in Archeo concuſſionem ſuſcitant. Superantque venena in hoc remedia quævis. Quod hæc nequeant ita connecti vitæ, quod hæc ſcilicet inde reſuſcitetur, aut creſcat in indolem perfectiorem. Vbi venena interim partes necant, privant penitùs innato robore, atque prorſus in ſuam trahant ſimilitudinem, vereque transmutent ideo partes vitales. Quod remediis nullis eſt datum, ut partium defectus renovent in priſtinam juventutem, & immortalitatem pariant. Quoniam remedia penitiſſima unione non identificatur cum Archeo, vel membro malè affecto. Adeoque nec valet præſtare ſtabilem effectum, ex unione agentis cum paſſo, quod venenis alioquin eſt conceſſum. Sunt igitur ſpecula tangentia, quæ ſolo tactu dotem, quam gloriatur Omnipotens, ſe rebus de terra diſcerptis, ac erutis, elargitum eſſe, diſpergunt, integro manente illius ſpeculi concreto. Etenim ut quædam appenſa, foriſque geſtata, vel ſtrictiùs alligata, plurimos planè tollunt languores, vel ſaltem ſuſpendunt. Ita præclara quædam remedia ſtabilia ſunt, ac ſtabilem de ſe effectum proferunt. Sunt etiam alia, quæ non tam vi ſpeculi tangentis, ac foventis, quàm tranſitorii facilè odoris, magnos proſternunt morbos, ſola ſcilicet Archei indignatione ortos atque fotos. Sunt nempe etiam multa, quæ inſignem aliquem guſtum, per quem licet à ſtomacho non digerantur paſſivâ transmutatione: tamen ſeparant purum ab invalido, licet longiùs à ſe remotum. Quatenus Archeum quaſi vinctum, atque obligatum ſuis dotibus, trahunt ad tales effectus patrandum. Sunt tamen ſpecula, quæ tangentia nomino, plerumque fixa abſque odore ideo, & guſtu, commoventque Archeum, non tam mundando, ac ſequeſtrando impura, quantum ſedando ejus dolores, turbationes, ac continuam Idearum, ſucceſſivamque foventium ſubſtitutionem. Paracelſus enim fixa remedia metallica, ac mineralia univerſa vituperans, commendat tamen ſui immemor mercurium diaphoreticum, apprimè dulcem, fixum tamen, atque in igne non mutabilem. Quique tametſi aſpernetur omnem digeſtionum laborem; facit tamen in morbis, quantum Phyſicus atque Chirurgus optare jure volent. In ſuperficie enim ludit dulcedo furfuris ejus; pars autem mercurii, per ſulfur obtecta externum, latet, nec operatur, niſi per ſpeculum, lucens trans ſulfur, & ſic Archeum ſui ad lubitum affectans. Alioquin illa diaphoretici dulcedo eſt ſulfuris, ex igne Veneris hauſti. Qui eſt ejusdem ſaporis cum diaphoretico. Quapropter ignis ille eſt anodynus, ſoporiferus innocuè, doloris pacator, ſedatque omnem iram, dolorem, motionem, turbationem, tempeſtatemque Archei. Itemque imprimit in Archeum, voluntatem reſolvendi omnia coagulata. Quo reſpectu tollit omnem morbum occaſionaliter, materialiter, & enormonticè, excrementis quibuſcunque tributum. Saltem hîc obvium eſt, quod iſte mercurius diaphoreticus, permanens quidem in ſtomacho indigeſtus, nec intrò penetrans, quia immutatus perſeverat, fixus & forma pulveris pervicax ac indomitus, cauſet præfatos effectus omnes, non quidem quod ipſemet illa operetur effectivè efficienter. Sed quod Duumviratum cuncta peragentem concitet. Hæc enim ſic fieri debent, non quidem actuali excrementorum contactu, quæ vincta proſcribuntur, & edutuntur: ſed impreſſione dotis ſuæ (lapides nempe habent virtutem magnam) in Archeum. Qui omnis ſanationis eſt effector; prout eſt ipſa origo & fons morborum, undè nimirum oſtendi ſuperiùs, quod omnis morbus immediatè promanet à peccato deinceps indies.

Vulneratus curavit ſe ſolano hortenſi, & citra ſtigma.

Nota, quomodo id contingat. Ergo, apponendo circa ſedem animæ.

Quid & qualiter internè ſedet, & pacet. Idem aſarum.

Citra ignem debent iſta fieri.

In Lapidibus eſt magna virtus.

Oſſifragus. Lapis fixus ut non calcinabilis. curat os fractum aſſumtus per os. & quomodo id fiat. 2. An non curet Lithiaſin, podagram, *&c.*

BVTLER.

IAM præcedenti tractatu demonſtravi ſatis, quod morbus non exſiſtat niſi in vivis, ac nedum proprium ſibi ſubjectum elegerit corpus vitale: quinetiam quod intrinſecum vitæ organum ipſum ſit faber morbi, efficiensque internum. Imò demonſtravi, & materiam, ſpiritualemque auram ipſius Archei, nedum eſſe objectum, in quod primum omnia morborum ſpecula acuuntur: verum etiam eſſe ipſam materiam, ex qua, & circa quam, illius fabri æſtuationes, exundationes, atque exorbitationes, circa propriam perniciem contingunt. Illam nimirum eſſe peccati ſtultam ſobolem, dum ſe homo à Deo avertit, non niſi deinceps omnia ſtolidè in proprium exitium convertere. At cum res quæque in natura ſubſiſtat, ex materia & efficiente dumtaxat (quod & aliàs proprio tractatu ampliſſimè docui) resque in natura ideo tantùm definiri requirat, per immediatam ac propriam materiam, ejusque efficientem cauſam internam (ſiquidem tota rei eſſentia, atque exſiſtentia, nil præter connexum earundem cauſarum ambarum ſunt) certè jam ſat liquet, morbum eſſe ipſam materiam vitalem Archei, in quam ſeminalis Character, ſive idea malè affecti Archei, natus, aut inſertus eſt. Sive interim Archeus perſeveret in ſua illa abominatione à recto tramite, noxia inquam exarthroſi, ſive demum in aliquod productum, ſparſerit eaſdem iræ ſuæ Ideas, ac deinceps ceſſaverit: id perinde morbo eſt, cum huic ſit per accidens, foveri, aut non, à cauſa enormontica. Siquidem Archeus ſubinde ſigillat ſtatim conceptam à ſe Ideam, in excrementum aliquod ſui corporis, quod parat, ſi illud non invenerit antea ſibi paratum. Vnde & in quo morbus deinceps per ſe ſubſiſtere valeat. Alibi verò Archeus, non peregrè, extra deturpatam à ſe materiam vagatur: ideoque vel continuo fotu eandem vegetat, vel in ſpiritum inſitum organorum, conjunctione ſymboli, admittitur, indeque velut ex arce, vel continuò vires membrorum oppugnat, vel ſaltem ſtatis dormit expergiſciturque periodis, eò quòd ſibi inuſſerit, in principio vitali, hoſpiti & œconomo vitæ inſito, & non ſolùm fluxerit in ſpiritu Archei fluidi. Quicquid porrò ſordium ingeſtum, admiſſum, aut vivendi errore obnatum eſt, ſive id cauſæ procatharticæ, ſive demum producti familiam ſectetur: totum prorſus nil niſi óccaſionale eſt: ad cujus ſcilicet importunitates Archeus ipſe commotus, veram morbi repræſentat ſcenam. Vndè inprimis perſpicuum eſt, tam eſſe morbos reales dum ſilent, dormiuntque: quàm quos contingit expergefactos in ſuo meditari paroxiſmo. Debui nimirum hanc morborum tragœdiam ſic inculcare repetitim, ſi fructus è re tam inaudita, tantique momenti, ſit ſperandus poſteris. Arbore ergo & fructibus morbi cognitis, cum connexu & progreſſu cauſarum concurrentium, contemplanda deinceps eſt arbor remediorum, tantoperè ſuſpirata atque ignorata hactenus. Inprimis ſanè conſideravi ſextuplicem morbi invaſionem, & capeſſendæ poſſeſſionis ſuæ libertatem: quaſi à Cacodæmone primùm proritatus, proinde quoque creationis hebdomadam ſectaretur. Vnde continuò ſextuplex etiam remediorum in natura ſupellex conſideranda eſſet, niſi divina ſupereminens bonitas ſuæ unitatis typum, ubique in natura emananter erectæ: intellectui humano maluiſſet communicare. Quippe quæ potentiſſimè, unitate ſimplicitatis, remedia ditiſſima paſſim erexit in morborum ſtragem. Quibus proinde natura intellectus humani imbecillior, per ignaviam fota, facileque auſcultans, Paracelſica inquiſivit Arcana, quibus poſſet omnibus naturæ lapſæ erroribus potenter ſubvenire. Hoc jam potiſſimùm fulcro tutiores, poſthac tentabimus morborum expugnationes, poſtquam unicum vitæ fontem, jàm à ſcopo aberrantem, conſpexerimus, integrum infirmitatum prædicamentum ex aſſe erexiſſe. Non diffiteor interim, quin diverſimodè morbus quotidie intret in noſtram meſſem: quin inquam diverſis hoſpitiis cauſiſque occaſionalibus proditionem molientibus, exceptus ſit indies. Primò nimirum irrumpunt neceſſariò, ſpontaneo naturæ decurſu, per defectum atque extinctionem virium vitalium, undè demum functionum difficultates, & illarum poſtmodùm ſuſcitata recrementa oriuntur. 2. Adveniunt ex robore membrorum inæquali. Vndè mox ametria, ſive ataxia, præfatæ perſimilis. 4. Ex vitæ inordinationibus aſſumtis, immodicitate ſua gravantibus facultates, harumque munia. Sub quam vitæ lubricitatem Venus, phlebotomia, viriumque qualiacunque diſpendia militant, præcocemque mortem tandem à morborum exordiis accelerant. 4. Proveniunt morbi à perturbationibus, ſeu paſſionibus animi manifeſtiſſimè. Et longè occultius à perturbationibus ipſius Archei luxualibus ſpontaneiſque, vel proritante materia occaſionali hauſtis, ac ſubnatis. Horum eſt inprimis ampla ſeges, ac numeroſus in nos ductus exercitus, hucuſque propriis ſuis non attributus, quia ignotis. 5. Prorumpunt morbi ex Cœli inclementia, injuriis inſtabilium tempeſtatum & endemicorum infauſtis hauſtibus, quibus hoſtis intrò adducitur, admittiturque hoſpes, ut familiarem ſe faciat. 6. Tandem intrat morbus per irruentia externa, vulnera ſcilicet, oſſifragia, lapſus, contuſiones, combuſtiones, glaciationes, aſpidum puncturas, *&c.* At ſaltem cuncta uni inſidiantur vitæ, tutorique Archeo, undè principium deducunt. Itaque ad unitatem perpetuò collimando, Deum contemplabimur, ut vitæ unicum fontem glorioſiſſimum, Præſidem, unicumque morborum quorumcunque permiſſorem: ita & eundem datorem remedii in unitate ſui typi, occaſionaliter, ampliterque magis venerabimur. Quocirca licet obiter aliàs de Arcanis ſcripſerim, quorum unumquodque in ſingulari, omnes penè morbos, unica falce demetit, per ſeparationem ſcilicet, ac mundationem à ſuperfluo: attamen ejuſmodi arcana, pro ut difficillimè parantur, imò & in occulto, in ævum, penes ſymmyſtas manere debent: Ita quoque ſanatio, eorundem ope inſtituta, non ita reſpicit immediatè morborum, quantùm inprimis vel ejuſdem cauſam occaſionalem antecedentem, vel morbi ſaltem poſterum productum. Itemque parciſſima ſunt ejuſmodi remediorum Arcana, quibus pleraque mortalium pars privatur, ac ſpe deſtituitur. Adeoque non mihi videtur, quod infinita Dei Bonitas, tam parco remedio communicari ac emananter notificari voluerit. Quapropter conjicio inſtare tempus, quo omnipotens Bonitas, ſuis fidelibus, morborum hactenus incognitam ſcientiam & eſſentiam manifeſtabit. Sed præfata Arcana, non niſi in gloriam ſuæ potentiæ, pauciſſimis tantùm detexit, ne mundi commercia ſecus pereant. Nec enim aliàs credibile eſt, divinam Bonitatem, poſt detectam hanc morborum intimam eſſentiam, deinceps etiam ſuæ unitatis dotalia remedia, fidelibus abſconditurum, morborumque medelam in ſola Arcana deberi deſeri. Opportunum itaque mecum indagare remedium, quod univoco conatu ſpectet arborem vitiati Archei, quomodo libet alterati. Siquidem natura prius eſt quid integrum, quàm corruptum. Ideoque vita, & Archeus, quatenus ſunt ſimpliciter cauſa ipſius eſſe, antiquiora ſunt, quàm vitium in iis conceptum. Etenim ut immediata cauſa quarumvis indiſpoſitionum, eſt vita ipſamet: ita ſanè principalior, magis intima, jure prior, atque nobilior eſt ſpeculatio ſanationis & redintegrationis vitæ alteratæ, vel debilitatæ, abſque omni incommoditate ac gravamine: quàm ſanatio, quæ per Arcana, ſive per excellentiſſima mundificativa, perficitur. Etenim Arcana ejuſmodi, quanquam ſæpè occaſionem anteriorem magis ſpectent, ac abſcindant: eſt tamen velut ſecundaria, ad ſanationem, quæ procedit à cauſis internis primariò alteratis, & affectis: quæque ideò primùm, atque principaliſſimè, ſui ſedationem requirunt, indicatione naturali, atque omnium capitaliſſima. Siquidem naturæ ipſæ vel ab olim fuerunt cognitæ, morborum medicatrices: prout & ſub tecta nube etymi, ſpiritus impetum facientis, venerata fuit natura vitalis, tanquam quorumlibet morborum factrix ac procreatrix. A diebus tamen Hippocratis, ad Galenum, & poſtea, dein neglecta manſit ſtetitque morborum ſpeculatio. Iejunum ideo, ac impervium eſt hactenus, quicquid dixi de ſanandi modo, pacando atque ſedando Archeum, ſubmovendo ſcilicet ejus alteritates. Quapropter de Synarthroſi, pace, quiete, ac docilitate Archei, principaliter contemplando, primùm per hiſtoriolas aliquot me explicabo. Hybernus quidam Butler nomine, magnus olim apud Iacobum Regem Angliæ, detentus in carcere Caſtri Vilvordiæ, miſertuſque cujuſdam Baillii, monachi Franciſcani, celeberrimi concionatoris Gallobritanni, etiam incarcerati, formidandum Eryſipelas, in brachio habentis, quodam veſpere, cum penè deſperaret æger, in cochleari lactis amygdalini, intinxit celeriter quendam lapillum, ſtatimque inde retraxit. Dixit autem cuſtodi carceris. Porrige iſti monacho hanc ſorbitionem, & quantumcunque inde cœperit, ſaltem infra horulam ſanus erit. Quod etiam ſic evenit, cum ſumma cuſtodis admiratione, ægroque inſcio, unde ſibi tam repentina ſanitas alluxiſſet, cum ſe ignoraret aliquid aſſumſiſſe. Brachium namque ejus ſiniſtrum, immensè antea tumidum, concidit, ſicut ſtatim ab altero vix diſcerneretur. Sequenti manè, à Magnatibus rogatus, Vilvordiam veni, ut teſtis actorum ſui. Contraxi itaque cum Butlero amicitiam, Vidi dein ſtatim vetulam, lotricem, ab annis ſedecim, aut circiter, intolerabili hemicrania laborantem, ſtatim etiam curatam, me præſente. Nimirum eundem lapillum obiter intinxit cochleari, olei olivarum, atque lapillum ſtatim abſterſit lambendo, atque in thecam thoracis repoſuit. Iſtud autem cochleare olei, infudit in lagenulam olei. Cujus unicam guttam juſſit inungi capiti præfatæ anus. Quæ inde confeſtim ſanata eſt, ac ſana remanſit in annos aliquot, quot atteſtor. Stupui, quaſi alter Mydas factus. At ille me obridens dixit: Chariſſime, niſi eò devenias, quod unico remedio queas curare quemlibet morbum, manebis in tyrocinio, utcunque ſenex evaſeris. Adſtipulabat facilè, quia de Arcanis Paracelſi, jam id viſu ac ſpe certior factus, didiceram. At novum ſanandi illum modum fatebar lubenti animo, mihi inſolitum, & incognitum. Dixi itaque, quod princeps juvenis, aulæ noſtræ, vice comes Gandenſis, frater principis d'Epiſuoy, de domo molum, totus ita podagra decumberet. Quod deinceps jaceret unico tantùm latere, multiſque nodis miſer, ac deformis. Ille itaque dexteram meam apprehendens, dixit, Vin' ſanem iſtum juvenem. Sanabo in gratiam tui. Aſt ego. Eſt enim ejus pertinaciæ, quod malit mori, quàm pharmacum vel unicum bibere. Eſto, inquit Butlerus, neque enim aliud exigo, quàm quod lapillum quem vides, ſingulo mane, attingat apice linguæ. Poſt tres namque inde ſeptimanas, proprio lotio, dolentes, indolenteſque nodos lavet quotidie, & videbis ipſum mox deinde ſanatum atque incolumem ambulantem. Vade & gaudens nuncia illi, quod dixi. Lætus itaque Bruxellam redeo, atque nuncio quæ dixerat Butlerus. Dynaſta verò reſpondit. Eja dic Butlero, ſi me reſtituat, ut dixiſti, dabo illi quantum poſcet. Pete pretium, ac lubens depoſitatum ſequeſtrabo in ſui ſecuritatem. Cumque id Butlero ſequenti die denunciarem, excanduit, dixitque: Inſanus & miſer ille princeps. Ideoque nec unquam illum juvero. Nec etenim ſuæ pecuniæ ſum indigus, nec illi cedo, aut inferior ſum. Imò nec unquam potui inducere illum, ut præſtaret quæ antea fuerat pollicitus. Quapropter cœpi dubitare, ne præcedentia, quæ videram velut ſomnia eſſent. Contigit interim, quod amicus, fornacis vitriariæ Antverpiæ præfectus atque herus, valde obeſus, à Butlero obnoxiè petiverit liberari à moleſtia pinguedinis, cui Butlerus obtulit fruſtulum illius lapilli, ut lingeret ſemel, ſive celeriter attingeret apice linguæ ſingulo mane. Et infra tres hebdomadas, vidi thoraces ejus, uno ſpithamo ſtrictiores factos, atque abinde non minus incolumem vixiſſe. Quapropter rurſus cœpi credere, idem in præfato podagrico evenire potuiſſe, quod ſpoponderat. Interim miſi Vilvolodiam ad Butlerum, pro remedio, in caſu oblati mihi veneni, per occultum hoſtem. Miſerè enim languebam, dolebant artus omnes, atque pulſus dicrotus, tandem intermittens factus, deliquia animi, atque virium extinctionem comitabatur.

tabatur. Confeſtim Butler adhuc carcere detentus, juſſit famulo meo, quem miſeram ut ad ſe deferret lagenulam olei olivarum, intinctoque præfato ſuo lapillo, (ut aliàs) iſtud oleum ad me miſit. Iuſſitque, ut unica olei guttulâ ungerem unicum ſaltem doloris locum. Vel ſingula loca, ſi vellem. Quod feci, nil tamen ſubſidii inde ſenſi. Interim hoſtis meus moribundus ſua ſorte, juſſit peccati ſui veniam peti à me, ſicque quod ſuſpicabar, venenum aſſumtum agnovi. Ideoque etiam omni curâ extinguere procuravi lentum toxicum. Et favente Dei gratia evaſi. Vxor mea, jam ab aliquot menſibus, dolore lacerti dexteri premebatur, ſic ut nec attollere manum poſſet, multoque minus aliquid attollere ſurſum. Quin etiam præ dolore & triſtitia mei, jam ſenſim utroque crure à pede uſque in inguina, atroci œdemate languebat, quod intinctum digiti veſtigium, ad ſecundum uſque articulum, ſua fovea oſtendebat. Etenim quia præ mearum tribulationum mœſtitia, hæc contraxerat, medicamen aſpernabatur, quamdiu mœror non ceſſaret. Videns ergo operam olei Butleri irritam in me, volenſque coram domicellis aliquot meam irridere credulitatem, unicam illius olei guttam unxit in brachio dextero. Et confeſtim ille liber motus, cum robore priſtino eſt reſtitutus præter ſpem. Mirabamur omnes tam repentini eventus prodigio. Quapropter utriuſque tibiæ inunxit malleolos, unica utrimque guttula, in orbem malleoli circumducta. Et mox infra horæ quadrantem evanuit omne œdema. Etiam annis 19. poſtmodùm adhuc divino favore vivit ſana. Ancilla quædam ut in hera id audivit contigiſſe, popoſcit aliquot illius olei guttas, quia in tibia dextera ter eryſipelas malè curatum paſſa, oſtendit crus plumbeum atque tumidum à genu uſque in digitos pedum. Veſpere ergo, eundo cubitum, quatuor guttas illius olei, parti oblæſæ affricat, ac manè nullum apparuit prioris mali veſtigium. Adeò ut quæ jam antea, vix uno die in forum ire poterat, eodem mane, ad ædem Divæ virginis Deiparæ in Laken profecta ſit, alacriſque redierit, mihique de fonte D. Annæ aquam attulerit, procul inde remoto. Quo audito, domicella quædam vidua, utroque brachio jam à multis menſibus afflicta, quod nunquam manum ſurſum elevare potuiſſet, paucis guttis illius olei, unico mox veſpere, in plenam ſanitatem reſtituta eſt, atque manſit. Dein interrogavi Butlerum, cur tot mulieres confeſtim ſanarentur: ego verò dum atrociſſimè conflictarer cum ipſa morte, omnium artuum atque organorum doloribus quoque ſtipatus, nequicquam levaminis ſentirem? Petiit autem, quo morbo laboraſſem? Cumque venenum intelligeret morbi ortum dediſſe. Dixit. Quia cauſa, ab intrò foràs venerat, debebat oleum aſſumi, vel tingi lapillus. Quod dolor internè fotus, non eſſet topicus, vel externus. Obſervavi quoque, quòd iſtud oleum ſenſim exueret medendi energiam. Quia lapillus, obiter illi intinctus, non medullitus oleum, per totum commutaverat, ſed delebili tantùm odoris aſperſione beaverat. Siquidem lapillus iſte oculis & lingua, ſalem marinum fuſum exhibebat: ſatiſque notum eſt, ſalem non permiſceri intimè oleo. Sanavit Butler quoque Abbatiſſam ſatis cognitam, quæ annis 18. brachium dexterum, inſolita motus privatione tumidum habuerat, digitoſque extentos, ac immobiles, ſolo attactu linguæ ad lapillum. Perplures enim horum prodigiorum teſtes, ſtatim ſuſpicabantur latens aliquod veneficium, pactumque diabolicum. Vulgus namque pro more habet jam ab olim, Quod quicquid ſibi ignorantia ſtatuit pudibundum neſcire, id pro ſubterfugio inſcitiæ, ad præſtigias cacodæmonis referat. Sed non potui eò declinare, quia remedia ſupponebantur naturalia, nec quicquam præter quantitatem inſolitam habentia. Non enim ritus, verba, vel quicquam aliud ſuſpectum requirebatur. Neque enim licet, pro humana intelligendi potentiâ, Gloriam Dei, in natura oſtentatam, referre in cacodæmonem. Nulla enim iſtarum mulierum petiverat à Butlero, tanquam à ſuſpecto ullatenus nigromantia, auxilium. Imò primitùs tentata fuerunt obridendo, citraque fidem ac confidentiam. Suſpecta attamen apud plures hujuſmodi ſanationis facilitas, atque celeritas permanebit adhuc dudum. Vulgi namque labile & otioſum ingenium, in arduis ac inſolitis, ad judicia, ejuſdem ſemper tenoris promtum, ob facilitatem, ideoque & flaccidum eſt. Diabolicæ enim fraudi, tantam reſtitutionum benignitatem libentiùs conſecrat, quàm divinæ bonitati, humanæ naturæ Conditori, Amatori, Salvatori, Refectori, pauperumque Patri. Idque ſanè nedum vulgo: ſed etiam literatis ſequentibus, perperam medendi initia inveſtigantibus, nondum inſtructis, aut communem ſtolidamque normam obſervantibus. Quia ſapiunt ſemper ut pueri, nunquam limen maternum egreſſi, ad ſingulas fabulas pavidi. Enimverò qui neſcivere hactenus totum morborum ambitum concludi intra impetum facientem ſpiritum vitæ, vel ſi obiter lectis meis ſtudiis poſthac, ſibi hoc momentum medendi impreſſerint, quia nihilominus jam antea, ab ipſis ſtudiorum exordiis aſſuefacti, humoriſtarum præceptis, facilè demum à me recedent, reſilientque ad conſueta & antiqua Scholarum dogmata:

Quo ſemel imbuta eſt recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Ad decumbentium humorum importunitates ſe denuò facilè recipient. Ego verò propinquiùs inveſtigando, nolens beneficia Dei in diabolum referre, comperi inprimis, res omnes in natura conſtare ſemine inviſibili. Oriri inquam, ſuſtentari, atque regi ab ente quod primum ab imaginante libidine, vel traducta potentia, magnus incepit, ac ſtat deinde per totam ſui eſſe durationem. Fieri autem dein viſibilia, ſive hoc aliquid, ſolo veſtitu, & apparatu corporum ſibi deſponſatorum. Morbos autem potiori ratione, inviſibiliori ſemine oriundos, docui. Quapropter Ideam morbificam dnmtaxat expugnandam, abolendam, & extinguendam. Quia morbus monſtroſum & æquivocum eſt generatum, & peccati proles, non ſpeciei humanæ idea, ſed tantùm individuis adhærens modo anomalo. Quia cum à prævaricatione, propemodùm à nonente inceperit. Penitiùs enim inſpiciendo, inprimis plurima cedunt mala, propter appenſa foris amuleta. Pro ut in Peſte, Caduco, aliiſque morbis obvium fit. Denique quotuſquiſque eſt ille, qui linteolum à peſtilenti ulcere detractum vel ſudore peſtilentis contaminatum, ſibi apponi gaudebit? nec timeat ſibi confeſtim inde ſibi naturaliter communicari peſtem poſſe; atque ſanitatem vidimus reſtitutam uncto olei Butleri? Siquidem nuper patefactum eſt remedium ſympatheticum, quod ſanat eminus. Doctor theologus quidam retulit mihi, quod cum non poſſet aſſequi, ſubeſſe in Chalcantho vim naturalem ſanandi vulnus abſens, ſi linteo cruento adſpergeretur: ideoque reputaſſe opera diaboli, iſtam ſanationem contingere: ex altera autem parte, vidiſſe aliquot experientias, à viris probis factas. Itaque in re dubia, & caſu conſcientiæ, ſe feciſſe experientiam rei, hoc modo. Inſperſit nempe pulverem optimi Chalcanthi linteo cruento, cum proteſtatione expreſſa, ſe nolle quicquam experiri, aut ſanatum iri, ſi vel minima eſſet pacti, aut cacodæmonis cooperatio: ſe vidiſſe tamen, vulnus ſolito citius ſanatum, cruorem quoque ſtatim ſedatum. Adeoque deinde ſe credidiſſe, cauſas naturales, quanquam nobis ignotas, operari in præfata ſympathetica ſanatione. Quæ nihilominus ab aliquibus nondum ſat intellecta, per cauſas, adhuc modo, in Satanæ illecebras rejicitur, hoc argumento. Agens naturale ut agat, debet eſſe applicatum, & approximare ad patiens: ſed remedium ſympatheticum non debet eſſe patienti approximatum. Ergo remedium ſympatheticum non eſt agens naturale. Reſpondeo. Si intelligatur, quod agens naturale debeat immediatè attingere, immediatione ſuppoſiti, patiens, in quod proximè agit: remotè autem, mediantibus aliis corporibus, interjacentibus, per quæ communicatur iſta objecto diſtanti. Conceditur Major. Quia ſat eſt, quod agens tangat patiens, ſive objectum proprium atque diſtans, immediatè, immediatione virtutis: ideoque tunc negatur Minor. Quia remedium ſympatheticum adeſſe debet immediatè, immediatione ſuppoſiti, illi ſubjecto, in quod primùm recipitur actio: non autem parti affectæ, in quam ſecundariò ac ultimatò recipitur, mediantibus organis ſuppoſitis, per intervallum vagantibus, aut diſtentis. Non eſt enim ignis in manu calefacti, nec Sol Cœli, in cubiculo. In hoc autem ſympathetica, influentiis paria eſſe, enotuerunt hodiè. Quod ſcilicet nedum aër, ſed rupes tecta, corporaque opaca, ſint ſubjectum ac organum capax hujus actionis, non minus quàm aſtralis influentiæ: Nec enim quicquam obſtat ſublunaribus, quo minus Deus non potuerit, aut voluerit, illa in hoc, quodammodò paria feciſſe. Cum avi mores, non in filio: ſed quandoque in ſero nepote eluceſcant. Sonus quoque, per clauſa adæquatè corpora, procul penetret, &c. Quare ſi ſphæram activitatis in ſympatheticis ſtupeas, ac in aſtralibus dones. Doleas vel tu, vel de tua inſcitia illorum, vel de credulitate horum. Siquidem principium actionis ſympatheticæ, eſt facultas influentiis affinis, agens per irradiationem in objectum ſibi appropiatum. Novitque Deus, cur iſta ſic fiant. Qui ſua creata dotavit pro ſuo lubitu. Liberum namque illi fuit, tradere ſuas dotes, etiam rebus abjectiſſimis, nec impunè ejuſmodi dona in diabolum traducere poteſt Chriſtianus. Nec enim hoc loco ſympathetica ſpeculor, ut credam Lapillum Butleri agere vi ſympathetica. Siquidem hic demit diſtantiam objecti, donatque applicationem ad objectum. Remedium ſcilicet eſt humano Archeo familiare, eſtque vis ejus graduata in millecuplum ex Dei bonitate. Adeoque reſpicit pacem ac quietem Archei in ſui ſimplicitate. Reſpiciant namque Tyrones, ante judicii ſui terrores, quod ad morſum anguis ſtatim membrum tumeat in immenſum, cum ingenti dolore propter exacerbati Archei procellam, quodque irata apicula, ſuo ictu, ſtatim tumorem excitet durum, dolentem atque conſcriptum. Quid enim ſi lepra, Peſtiſve nos ſuo inquinet celeriter contagio, quid impediet, quo minus Archeus noſter contagium tam præpollentis remedii ſuſceperit lubens, ſi invitus venenis contaminetur? Si ad minimum par authoritas remedii & veneni, bonitatis divinæ, & malorum in natura eſſe debeat? Cogitet quæſo, quod fluxus tam ſubitus malorum, oppoſito refluxu ſedatus, pariter ſtatim queat retrocedere. Vidi namque, cui paneritium digitus ſpoponderat, diſtinctus fortè ad brachii amplitudinem, perque noctes aliquot inſomnes torſerat miſerè, cui cruor, & recens pellis talpæ circumducta, mane craſtino digitum, cum nocturna quiete reſtituerant. Ratio namque poſcit, quod Antidotus ſaltem ad minimum æquivalere debeat veneno. Celeberrima namque Ornietani antidotus, ſumto, & in convulſiones uſque ferociente veneno, ita omnes anxietates, atque inſtantes ſyncopes ſtatim conculcat, ac ſi nullum intrò admiſſum virus foret. Quoniam ſicut morbus eſt naturæ, prævaricantiſque Archei defectus: ita remedium eſt meræ bonitatis Divinæ, quæ etiam in naturam delapſa, omnem defectum ut compenſare, ita & ſuperare prorſus debet. Igitur ex parte longè potentius atque anguſtius eſt remedium, quàm delictum, ideoque & quantitate minus, & mora celerius longè eſt. Illaque potentiæ amplitudo atque nobilitas, non tam concernit ſuperioritatem, quæ cum accretione, paulatim per maturitatum conſequentias acquiritur: quàm præſentem & effectivam rerum majeſtatem, per quam res ipſa medica, dotali virtute explicata, impedimentis, atque furoribus Archeum ſolvit atque compeſcit: ſimulque imprimit excellentiam eminentem, facultatis opitulativæ, cujus ergo eſt creata. Hæc modo & celeritate operandi. Cæterùm quod attinet ad tantæ bonitatis remedia, horumque efficaciam. Inprimis liquet, quod lapillus ille Butleri, utut leviter cochleari unico olei intinctus, ſi cochleare illud olei in cantharum, imò in cadum olei effundatur, totum fiet remedium. Non ſecus atque peſtilens odor, totum vas inficit ſuo contagio. Quid ſi odor ſympathetici remedii, paucis guttis cruoris in linteo aſperſus queat vulneri, oſſifragio, imò & ulceri ſubvenire, totumque Archeum eminus agitatum pacare, quid mirum, ſi remedium ipſi ægro adhibitum id faciat? Quinimò nec remedia Chirurgorum aliter ſanant, quàm ſolo attactu ad partem vulneratam. Quoniam emplaſtra, vel olea, non intrant in compoſitionem vitalem fundi, aut in alimentum partis vulneratæ. In ulceribus autem topicalibus, natis, factiſque in loco, qualia ſunt Cancer, Lupus, &c. ſolus enim attactus remedii potentis, ſat eſt ad extinguendum virus, ab indignato ibidem Archeo ortum. Idemque atque par eſto judicium de apoſtematibus, excreſcentiis, exituris, & ſigillatis in ipſo loco, licet aliunde prius natis, ſed devolutis, atque tandem depoſitis in loco. Quia externa remedii oblinitio, quædam conſecutione contiguitatis, totum domat Archeum non ſecus atque Dens rabidi, etiamſi optimè in vento deterſus, tamen rabiem quandoque adfert. Ita & remedia lapilli noſtri internis medentur affectibus. Plus tamen citiuſque ſuos vibrant effectus, ſi oretenus aſſumantur. Non ſecus atque venena quædam ſunt irrita, niſi in apertam cutim deferantur. Sin autem vel obiter linguam attigerint hujuſmodi remedia, non mirum, quin ſtatim totum Archeum, potenti ſui benevolentiâ afficiant, deviumque Archeum, à furore ſedent, leniantque ab omni exacerbatione. Quoniam Lapillus ille eſt de natura ſalis, qui nullatenus oleo illiquatur, nec quicquam illi materialiter decedit, quod oleo cui intingitur excipiatur, præter lenem odorem, qualis eſt odor peſtilentis veſtigii in peſte. Viſumque mihi fuit in Sacris hujus lapilli præludium. *Quod unguentarius conficiet pigmenta ſuavitatis*, nec conſummabuntur opera ejus. Id eſt, Quod etſi lapillus oleo intingatur, vix tamen centrum virtutis medicæ minuitur. Idcirco ſi hoc excellens remedium intrò aſſumatur, tum nedum commutat cruorem in medicamen, balſamo ſimile: ſed ipſamet hominis excrementa (puta lotium) tincta remanent ſupereminenti bonitate ſui. Non ſecus atque ova gallinæ fagopyrum comeſtum ſapiunt, lactantiſque infantis lotium, redolet aniſum, ſi nutrix oleum aniſi oretenus ſumſerit. Ac prout lotium redolet eſum aſparagum: ita & lotium, propria lotione vel unctione, ſanat unumquemque morbum in habitu corporis ſedentem. Tanta nimirum eſt Dei bonitas, quod unicus lapillus multis ſufficiat myriadibus, ne ſe Medicus excuſet circa pauperes , ſumtuum impenſas exagitans. Breviter, Morbi omnes ſanantur unico remedio , unctione ſcilicet, vel linguæ attactu , ſive ſolo guſtatu. Eò quòd lingua ſit ſimilis apertæ pelli, potiſſimùm , ſi mox ſuccedens ſaliva deglutiatur. Quod autem tanta hujus remedii ſit poteſtas, non ſolùm à venenis , adeoque à ſimilitudine peſtilentis auræ demonſtrandum : ſed quod quia longè potentius debeat eſſe remedium , omni malo, ſi illud ſuperare debeat, & quidem velociter , adeoque ſigillum divinæ Bonitatis aliquatenus exprimere debeat. Quamobrem ex indicatione ipſius Philoſophiæ ſtatim conjeci , iſtud remedium inprimis requirere , ut ſit corpus ſemel reſuſcitatum, ſemelque deſtructum , ac deinde quaſi à reſurrectione quodammodò glorificatum. Adeoque nec ſit amplius deinceps inquinabile à ſublimariis vitiis, atque maleficiis. Hinc ſequitur , quod ideò debeat millecuplo quolibet veneno peſtilenti eſſe potentius , & operativum abſolutiori modo . Cum venenum Peſtis ſit ſimplex , ſedeatque in aura corporali. Venenum enim peſtilens confermentatur quidem familiarius, propter ſymbolum humanum , ſed non eſt proinde potentius virus. Virus namque producit quidem virus, juxta prioris veneni normam , atque fermentum : ſed nequit ſupra ſe exaltare potentiam ſui producti. Aſt in remedio reſurgente à morte , benefica ſui ſimplicis bonitas adaugetur in millecuplum , tenuique contactus odore diffunditur, dilataturque in medium , ſtatimque in objectum Archeum imperat. Vt ſcilicet juxta pacem atque virtutem ſe componat. Sic nempe introducit arcanum , ſuæ poteſtatis alumnum , ſpes atque jubilus Archei, verè exſiſtens , vitæque ſupereminens. Conſideravi denique, hoc remedium non eſſe de monarchia vegetabili , utpote quæ facilè obnaſcitur , labileſque nimium ſortitur propagines , quæque ideo per Artem vix renaſcuntur. Vtpote quæ inſtar animalium, facilè ſub artiſta moriuntur ; vix tamen à morte reſurgunt, cum ſub ignis tentamine vel prorſus pereant , vireſque priores omittant : vel ſi quaſi reſurgere videantur, nova tamen ſunt potius entia , à priorum ac parentum orbita omnino ſeclusa. Quicquid autem Paracelſus de quatuor ſuis Arcanis Archidoxorum ſpondet, quod vim habeat ſupra elementalem , ac propemodùm infinitam ; pro primo, quod homunculum ſupponit, infandum, & Sodomiticum eſt, diabolicum , & nullâ ratione commemorandum. Reliqua autem tria Chymica ſunt , quibus non competit promiſſio extendendi ſe in decimam uſque generationem. Aſt loquor hoc loco de pigmento, cujus opera non conſummabuntur ; nec erit morbus, aut venenum illi reſiſtens, ſive ut habet Textus . Non erit medicamentum exterminii in terris , fecitque Omnipotens ſanabiles omnes nationes terræ. Penitiùs autem inſpiciendo ; morbi omnes , quia ab Archei fonte manant , cedunt vel propter appenſa amuleta, periaptaque, vel propter balnea , unguina, emplaſtra : quorum ne minima fit unitio, cum corpore morboſo : ſed dumtaxat odor offertur, vel ſi intrò aſſumantur , digerantur ut pharmaca ; attamen vel mox in ſtomacho tranſmutantur , alienoſque ſapores ac qualitatum typos ſtatim induunt , ut plenè omnem prioris vitæ ſortem vel exuant , niſi ingrata , vel virulenta malint cenſeri. Imò dein , ita verè tranſmutantur prorſus, ut prorſus prioris entelechiæ ſimulacrum ponè relinquant , aut vix poſſediſſe reputentur. Hac parte ſcilicet magnâ ob id copia aſſumuntur , ut tantillum aliquid in hominem penitiùs ſpirare videantur. Quantoque id damno fiat, nôrunt , qui quandoque explorârunt, medicè vivere , eſſe vivere miſerrimum. De aſſumtis ergo , vix aliquid priſtinum ens refert, ac ſi referat , væ aſſumenti. Quapropter ſi qua vis pharmaco infuit , fuit ſanè illa , priuſquam propriam ſui naturam , atque ens priſtinum deponeret. Defecit nimirum ſtatim atque ſui odorem duntaxat repræſentavit. Ergo cujuslibet medicaminis vis , propemodùm in contactu odoris, ac ſuffitu quodam ferè momentaneo concluditur : nec eſt proinde tanta ratio commoti rumoris, quod ſcilicet per lapillum condita olea, ſuo ſtatim odore ſanent. Sunto ergo murmura Tyronum , circa aſſueta alitorum. Vana prorſus , tametſi mira videbitur ingeniis nondum inſolita meditantibus , verùm ſoli ſubſcriptioni aſſuetis ; quomodo ſcilicet Archeus in furorem actus, tam repentè vel caduceo attactus obdormiat, vel correctus, abſtineat ab incepto ſui nocumento . At certè minus id mirandum . Cum naturaliter unumquodque eſſe, atque permanere optet , faciléque à ſua ipſius noxa abſtineat , modò docile fiat , aut ſit ad pacationem mœroris aut furoris concepti. Quid ſi hæmorrhagia, ulcus , vulnus, oſſifragium ſtatim compeſcantur , ac tutò ſanentur , ſi extravenatus cruor, pus ſanieſvè , remedio abſente obtegantur : an non poterit lapillus , oleum ſuo contactu imbuere, ut queat illitum ſubter ſe ſanare morbum latentem ? Siquidem nil aliud his denotatur verbis : *Vnguentarius conficiet pigmenta ſuavitatis, nec conſummabuntur opera ejus.* Cur enim minus ſanaverit lapillus attingens linguam, quàm Aconitum linguam ſuo contactu timefacit ? Paria ſaltem in authoritate fecit Deus beneficia reſpectu morborum, ſi non multò anguſtiora atque plura. Tantum abeſt quod diabolo hujuſmodi effectus conſecrarem: quod movear potentiùs admirando divinam Bonitatem, ad adorandum Ieſu Chriſti Domini mei paratiſſimas miſericordias, quibus, abſque medentum Pharmacopæorum aliorumque opera, qui inſtar pediculorum, alienis dumtaxat ſaginantur ærumnis, quo ſcilicet miſeris ſubventum eſt tutius atque celerius. Patefecit nimirum nuper horum exempla in externis, vulneribus ſcilicet atque ulceribus, ut honorem Deo debitum è medio noſtræ ignorantiæ cauſarum rependamus, ceſſemuſque ad nefarias præſtigias, atque ſuperſtitiones incertas, adeoque ad opera Satanæ referre, quæ ſunt amoris divini emanantia pentacula, afflictiſſimis profundæ ignorantiæ medicæ tempeſtatibus divinitùs manifeſtata, in miſerorum pauperumque ſolamen, qui nempe Pater pauperum vocari voluit, quia debuit. Prodiit inquam, Deo permittente primum, atque jam noviter, in vulneribus hoc genus ſympathetici remedii, ut ab externis ſcilicet magiſque apparentibus, ſenſum manu ducamur, ad internorum abſtruſiorumque morborum ſolamina. Quod autem minimo fere puncto medicaminis, morbi profligarentur, Butlerus ſcilicet vi propemodum infinita aliquot myriades quotannis ſanare poſſet, perſuaſit mihi Textus, quod opera unguentarii illius non conſummabuntur. Atque dein teſte oculo id credere debui, quod attactus ſui lapilli, primò olei cochleare, atque deinceps, lagenulam integram olei, beaverit vi medica. Multa ſanè diuque ſum expertus, ac tentavi circa lapilli illius fabricam. Didici quidem in vegetabili familia eſſe Chamæleontem, itemque Perſicariam, quæ ſolo attactu dolores atroces confeſtim tollunt, vel ſaltem ſublevent : vidi inquam, os brachii Bufonis, ſtatim primo contactu odontalgiam tollere, nonnulla caducum, ſimileſque calamitates auferre. Credidi itaque, & in herbacea familia remedium latere pro omni morbo, at ſanè particularium tantum energiam obtinere; nequaquam autem adſcendere ad univerſalem auguſtamque in omnem morbum gubernationem. Quapropter tranſcurri ad mineralium proſapiam, longo ætatum fluxu ditatam. Inprimis magnam eſſe lapidum virtutem, Sacris admonitus credere debui. Atque inprimis ſcivi, quod omnis gemmarum color atque potentia, è metallicis mendicetur. Quod etſi in gemmis claudantur vires metallicæ, præ cryſtalli duritie, ſint tamen in Sacris commendatæ pro magnis. Conſideravi itaque, quod in metallicis corporibus eædem vires gemmarum, familiariùs confabulentur nobiſcum. Picus enim ad uxorem aliquot libris rimatur, cur pretium tantum ſit auro, etiam jubente atque æſtimante Domino ? At nequivit ſuam denotare quæſtionem. Certum eſt enim atque indubium ſeptem metallis, nomina planetarum indita, quibus vires cœleſtes tam luculenter collatas credamus. At ſaltem totius globi terreſtris ſumen ſumto : ideoque & rerum pretio, & contrectationum deſideria, atque præmia. Sed Pater pauperum, non Solem & Lunam, aurum inquam & argentum, in uſus morborum diſpoſuit pauperibus, pro quibus tamen eminenter ſollicitus fuit, ideoque aurum & argentum tam firmiter clauſit, quod omnem plerumque illudant artificum operam : adeo ut quando maximè pandita putantur, nil quicquam de priſtinis obicibus remiſerint. Argentum autem etſi videatur quoddam tremulum, adeoque & hactenus pervium, nil attamen in tota naturæ ſerie, æquè eſt concluſum, pro ut alibi longo ſyrmate, in ſervos fugitivos noſtros demonſtravi. Vix ergò centeſimo milleſimus Artificum (nedum ſervorum laborantium) potitur Arcanis è Sole, Luna, atque Mercurio parabilibus. Sunt ergo præterea quatuor metalla, quæ faciliùs ductui, & optatui Artificum parent. Adeo ut non fruſtra Paracelſus glorietur, ſolo plumbo, fortè ducentas morborum claſſes ſuperari poſſe. Nihilque æquè victorioſè in humidum radicale agere, atque primum ens cupri, vel ad vitam longam ſulfure vitrioli eſſe benignius, utpote quod idcirco Sulfur Philoſophorum indigetat. Mars demum quanquam pretio viliſſimus, numeroſaque prole ſpretus, non poſtremus tamen pugnaci natura à Paracelſo reputatur. Profectò, metallica corpora, juxta ſuos Mercurios clauſa ſunt ſigillo anaticæ homogeneitatis æqualiter : Sed ſulfura illorum nequaquam nobis indignata, colloquia præbent, modò familiaria reddantur. Porrò circa lapillum Butleri diu, anxiéque ita meditatus ſum, quod nil ſecus, ſub ſomnio cogitarem. Sæpè namque videbam juvenes Chymiæ inſudantes; qui trochiſcos effunderent candentes lapillo Butleri ſimiles. Quapropter dudum deinceps tentavi illius fabricam: ac tandem quanquam intus mihi aliquid adſtrueret, eſſe indubie eundem, quem videram lapillum penes Butlerum: attamen non ſucceſſit pro voto negotium. Ac tandem cognovi meos errores proceſſiſſe ex ſolito & antiquo Scholarum errore. Nam quotcunque hactenus mederi per cauſæ occaſionalis ablationem intenderunt, hi conſequenter atque neceſſariò opus habuerunt certa mora, ac remedii quantitate, qua ſcilicet ſuperioritatem acquirerent. Aſt qui deinceps, ſola reſtauratione, & alteritatis Archei reſtitutione, morbum conculcare intendent, fermentum ſcil. placabile inducere contendentes: hi ſanè ſpreta quantitate remedii, ſoloque fermentalis odoris attactu ſcopum attingent. Itaque adhuc ſeductus antiquo errore, eſſentiæ morbificæ neſcio, credebam quod magnus morbus quilibet, non niſi magna remedii quantitate, longaque medendi mora profligandus eſſet. Magnitudinem remedii ſcilicet, non quidem ex poteſtate dotali; ſed ex mera, ſolaque quantitatis abundantia dimetiens. Pro more Scholarum namque ex artificialibus exempla deducens, etjam erravi cum earundem doctrina. Seductus putavi enim, ſicut duo equi fortius trahunt unico, potentiuſque alit panis integer quàm ejus mica, putavi ſimiliter, pro remedio reſtaurativo Archei requiri unciarum & drachmarum quantitatem, quæ viribus ac pondere, morborum producta ſuperaret. Nondum ſcilicet depoſueram contractam antiqui erroris labem, qua metiuntur morbi dumtaxat ex cauſa occaſionali, ejuſque pondere: non autem ex vero morborum efficiente. Nondum enim adhuc ſat confirmatus, memorabar, quod omnis morbus à vitali Archeo, vita nempe ipſa, fabricaretur, ac regeretur. Multoque minus adhuc perpendebam, errantem vitam vinci atque ſubigi nolle, per remedii quantitatem. Quapropter mox conſiderabam iterum, quæ ante dixi. Nimirum quod dens rabidi, viperæ, colubri, etſi ſaliva prius in veſte eſſet abſterſa, occideret tamen ſolo attactu, extra omnem ſui quantitatem. Conſiderabam item notum mihi liquorem, quo leniter inuncta manus, & exſiccato, ſi mentum viri attingeret, paulò pòſt excidere pilos barbæ, ſuperciliorum, ac totius capitis. Etenim ſi hujuſmodi venena, leviculo attactu, vitam, imò & pilorum (qui non rarò in funere accreſcunt) vegetativam extinguant: quod & remedia poteſtativa, quæ ſcilicet ſolo attactu compeſcent vitæ errores, facili compendio, citraque ullam perceptibilem quantitatem, Archeum oblinirent ac pacarent. Seriùs equidem id potui apprehendere, partim erroribus præfatis Scholarum præventus, partimque quod cernerem, ſi venena unico grano occiderent, id una drachma efficere potentiùs atque celeriùs. Nondum enim ſat perpenderam, quod morbi omnes procederent, ab Archeo errante, vel irato, adeoque remedium poteſtativum, habere ſupereminentem, & non vulgarem bonitatem, qua reſtaurat errores irati, ac ſuccenſi Archei. Multoque minus adhuc perpenderam, ideo poteſtativam medelam admitti intrò debere, velut inſcio Archeo. Alioqui ſi ſuſpiciat, ſuam indignationis & alterationis turbulentiam, per remedia attentari, ſive peſſumdari tentari, certè mox in furores concidet, non admittet juvantia, qui apagæus jam ipſus proprio errore exorbitat, ac in majorem excandeſcentiam, ac pertinaciæ conceptus, ſuæ morbificæ Ideæ fabricam, exſurget. Quapropter approximavi ad Butleri attactus ſolo linguæ apice, vel dimidii gravi pondere exhibita remedia. Lapillum namque Butleri, atque ejuſmodi poteſtativum, fermentaleque remedium, defectu nominis, noſtra vernacula, Drif, vocavi. Quod denotaret arenam, ſive terram virginem; Itemque in ſenſitivis, ſimul propulſantem animoſitatem, non ſecus atque ſabulum bulliens, excutit quicquid peregrini ſibi eſt inſertum. Itaque 1. dicam requiſita, Drif, ac dein compoſitionis modum, quantum Philoſopho permiſſum eſt, declarabo, ne roſas ante porcos proſtravero. 1. Drif igitur inprimis, pro ut dixi, exigit, ut ſit corpus quoddam metallicum. Vtpote quod longa ſui mora, conſtantiam, non autem acceleratam corruptionem ſignificat. Cœlique longo favore, ſuam complevit generationis orbitam. Quodque particulari deſtinatione, ab Omnipotente directum videtur, pro miſerorum pauperumque ſublevamine. 2. Non eſt Drif, de arcanis illis inſolitis, à Deo, non niſi pauciſſimis Adeptis, certis tantùm ſuis electis diſcipulis elargitis. Siquidem noſtrum Drif, dumtaxat in pauperum ſolamen deſtinatum videtur. 3. Requirit Drif, ut ſit è corpore naturali quidem, metallicæ benignitatis participe, ſed quod antea, prius ſit per mortem obſequens, apertumque. Non quidem cum extinctione ſuarum virium, velut ſpontè defuncti cadaveris inſtar: ſed retentis ſuarum dotium beneficiis, fit ab Artifice reſeratum, repagulis liberum, ac velut reſuſcitatum: imò ens ditatum ac planè novum, recenſque ab igne ſurgens. 4. Adeoque debuit reſurrexiſſe velut à morte omnino volatile, atque ſpirituale, ſive bis terve ſublimari, cum ſibi additis aliis. 5. At quia volatilia citò pereunt, diſſipantur, ac diſſolvuntur, etiam antequam intrò admittantur, penetrent, ſuaſque excellentias de ſinu depromant, aut ſic Archeum pacificare queant. Idcirco requirit Drif, ut poſt ſui volatilitatem adeptam, alicui corpori amicabili connectatur, quo detineatur, ſuique toro, ſit corpori humano communicabile, noſtroque Archeo gratum, ac familiare. Idque proin debet, inter facile, & non facile diſſlabile, medium velut ſortiri locum. Itemque debet medio connecti, dum jam ejus fervor maximus penè, manſuetus fuerit, ne ſcilicet volatile connectendo, magna ſui parte evolet. 6. Debetque hactenus, nedum ſua corporis conſtantia, ſed virium ſuarum extentione, eſſe planè fermentale: adeò ut minima ſui odoris participatione, queat extendere ſuas vires in Archeum, eundemque ſopire, ac demulcere. Quo ſenario ut deſcribitur Drif: ita pari numero ejus detegitur confectio. Inprimis libro de Lithiaſi, in ferculo Tyronum, expoſui diſtillandi modum, quo ſpiritus ſalis marini, cum terra figulina exſiccata prolicitur. Eſt nempe ſal maris nobis affinis, & deſiderabilis, nec ullo ſui tenore adverſus. Ergo pro Drif, requiritur ſal maris reſiduum, in fæce remanens, extractum ſcilicet à fæce, quæ caput mortuum dicitur. Sal inquam iſtud, jam ſuorum ſpirituum noxia, appetit alienos, eoſque intra ſe recondit: non tamen prorſus pertinaciter fixat. 2. Docui ſimiliter, Veneris ens primum non poſſe ſequeſtrari, niſi per mortem ac ſeparationem Mercurii ſui, à ſulfure. Quinimò, nec haberi iſtud ſulfur, niſi penes Adeptos, quorum numerus ut electus, & rariſſimus: ita & prorſus exilis eſt. 3. Docui inſuper, in vitriolo, utut Venere jam depravata, ſæpiuſque diſtillata, adhuc tamen ſupereſſe ipſam Venerem actualem. 4. Quamobrem ipſum Drif poſtulat ſaltem ſequeſtrationem Veneris à fæce vitrioli, quæ nec aliàs, quàm per ſublimationem completur. 5. Quæ ſublimatio neceſſariò quoque fit, & adimpletur per ens peregrinum, fermentale, Archeo tamen omnino amicum. 6. Ergo fuſo ſale marino, è fæce extracto, ante omnimodam ejus condenſationem illi commiſceatur ſubtriplum entis Veneris, reſuſcitati ſublimando, & comitati ſuo peregrino fermento: ſtatimque tigillum cooperiatur. Dum autem prorſus refrixerint, contunde in pulverem ſub marmore, illique adjunge Vſnee ſubdecuplum reſpectu entis Veneris. Quem pulverem cum Ichtiocolla ſoluta, in trochiſcos ſuper lapide compinge. Et habes medicamen Nobile.

DE INJECTIS MATERIALIBVS.

1. DE injecta materialia qua. 2. Aliquot hiſtoria. 3. Res facti admittitur; diſputatur tamen de injectionis modo. 4 Penuria indicii in diſquiſitore rerum magicarum. 5. Non ſuperare naturam, quod corpus ſolidum abſque comminutione traducatur per viam ſe longè anguſtiorem. 6. Hiſtoria per Gemmam recitata. 7. Aliquot hiſtoria, penetrationis corporum. 8. Probatur penetratio corporum in tranſitu ad locum. 9. Idem in tranſitu è corpore. 10. Humana natura fuit genialis penetratio dimenſionum. 11. In rerum ſeminibus modò perſtat eadem proprietas. 12. Quomodo illa contingant naturaliter. 13. Exemplo ſimili, in corporibus opacis, qua deſinunt videri. 14 Ratio per conjecturam. 15. Vis pracipua concurrens incantando, & libera, ideoque & homini naturalis. 16. Homo quatenus Imago Dei, creat quadam entia, qua aliquid ſunt amplius quàm nonentia. 17. In ente imaginato, ſive Idea formata, ineſt jus entitatis. 18. Quomodo excidat Idea ab Imaginatione. 19. Quomodo annua humana creat Imagines. 20. Solvitur objectio. 21. Aliquot paradoxa imaginantis anima ad Idea conſtitutionem.

1 SVnt deinde etiam Injecta, quæ materiam ſupponunt viſibilem. Cujuſmodi ſunt ſpicula, ſpinæ aciculæ, paleæ, pili, ſerraturæ, lapilli, teſtæ ovorum ollarumque, putamina & ſiliquæ, inſectæ, lintea, acus, artificum organa, quæ inſenſiliter quidem injaculantur, & inviſibili prorſus modo intrant; diris tamen cruciatibus detinentur, & ejiciuntur. Sintque licet non rarò majora ſuo foramine, per quod intromitti potuerunt. Nam nuper per poros cutis pelle integram ſervante, injecta fuit pars corii bubalis, quem Chirurgus forcipe extraxit, ad volæ magnitudinem. Prius tamen maturato apoſtemate. Saga autem Brugis cremata, faſſa eſt, ſe in virum bonum, corium iſtud injeciſſe. Sic olim vidimus Liræ pueros orphanorum, per vomitum rejeciſſe equuleum, manibus aſtantium extractum. Scamnum ſcilic. quadrupes, ſua rota atque funi-

culis inſtructum. Quocunque autem ſitu lo-
caretur equuleus, erat facile duplo major gut-
ture. Vidi Antverpiæ, anno 1622 puellam, quæ
conglomeratim fortè, bis mille aciculas, pilos
unà & ſordes vomeret. Alteram virginem anno
1631. Mechliniæ, quæ, nobis præſentibus, quiſ-
quilias ligneas, dolabra lævigando deraſas, cum
multa mucilagine vomebat, ad duorum pugno-
3 rum magnitudinem. Res eſt frequens, paſſim
viſa, à viris doctis admiſſa. Hærent tamen na-
ſutiores, quod nequeant intelligere, per exi-
guum ductum exire longè majora. Quidam
enim excuſant rem, adeò ut licet per vomitum
rejecta videantur: volunt tamen nunquam in-
trò admiſſa, ludibria inquam æſtimant, ac ocu-
lorum effaſcinationes. De novo apparere dum
exeunt, atque adportari eminus. Res quidem
veras admittunt. Nam inſectæ vivunt, metalla
liquantur, & ligna ardent: cuncta ſenſim egre-
diuntur ſponte, vel manu extrahuntur. Alii
verò autumant, revera ejuſmodi intro injici, &
ſagittari in corpus: ſed neſciunt modum. Del-
rio cum ſuis, admittunt intrò inferri, & eſſe re-
vera, qualia apparent, ac proin præcedentem
opinionem refellunt. Quo ad modum introi-
tus autem & exitus, aſſerunt, illa prius commi-
nui à diabolo, in tenuiſſimum pulverem, reſti-
tui intus in corpore, in priſtinam integritatem,
figuram & conditiones. Dum autem foras pro-
deunt, iterum teri aſſerunt in pollinem, cum-
que in inſtanti egreſſus, & cis angiportum, ite-
rum reduci in priſtinum ens. Bis nimirum li-
gna, acus, bufones, viva animalia comminui in
pulverem, totieſque reduci ad priorem habi-
tum, & reviviſcere. Hi enim negant ſe præce-
denti opinione conſentire: dum tamen idem
cum illis dicant, pro exitu & introitu. Nimi-
rum non illa revera intrare, aut exire, prout a-
ſtantibus alioqui videntur. Cum non integra
intrent, & exeant: ſed prius pulverata. Suppo-
nunt eandem oculorum effaſcinationem, pu-
4 tantium integra, quæ tantùm ſunt pulveres. Id
enim Martino Delrio frequens, ſua nempe in-
fringere judicia. Etenim de diſquiſitionibus
magicis, tractatu de Chryſopœa, cum furtim è
Gebro, & Bono Ferrarienſi, ad verbum argu-
menta deſcripſiſſet. 18. contradictoria tandem,
ubi ſuum depromit judicium concinnat. Cre-
do equidem cum pietate pugnare, ſi diabolo
tribuatur poteſtas naturam ſuperans. Nempe
facere, deſtruere, iterum reficere, totieſque à
privatione ad habitum reducere eandem rem,
cujus ſemen diſpoſitivum, ad finem jam deve-
niſſet. Verùm naturæ ignari, præſumunt ſe na-
turæ ſecretarios, per librorum lectionem: quic-
quid autem ipſos latet, vel adynaton, vel fal-
ſum, vel præſtigioſum, atque diabolicum eſto.
Quaſi Satanas ſupra naturam eſſet, operaretur-
que naturæ impoſſibilia. Dono quidem, mo-
dum operando exoticum: at ſanè adhuc intra
naturam coërceri oportet. Itaque oſtendam, 5
non planè opus eſſe auxilio Satanæ, ut corpus
aliquod ſolidum, abſque ſui comminutione,
traducatur per viam ſe longè minorem. Quia
& hoc conſtans. Quod ſcilicet omnes ejuſmodi
injectiones, immediatè fiant per hominem,
non autem per Satanam. Cacodæmon namque
etſi Blas motivùm habeat: contra pietatem ta-
men eſt, quod inſontibus nocere poſſet pro lu-
bitu. Quod ſanè fieret, ſi paſſim ejuſmodi inji-
ceret, pro nefario lubitu, puerulis, inquam, in-
ſontibus, virginibus piis, atque Deo ſingulari-
ter dicatis, hæc eveniſſe vidi. Corn. Gemma de 6
Coſmocriticis, meminit, fruſtum ℔ 3. ſive un-
ciarum 48. ſe vidiſſe, de bombarda ænea, quod
virgo, vietoris filia, per anum excreverat, cum
ſuis characteribus ſive literis, ſimul cum an-
guilla, ſuis ſecundinis obvoluta: Eſt autem na-
turæ impoſſibile pulveratum in nobis metallum
liqueſcere, priſtina figura, tantoque menſium
intervallo, in inteſtinis detineri, anguillam cum
ſuis involucris toties conteri, & à morte re-
ſurgere. Fruſtaque ligni, & corii, toties com-
minui, iterumque reſtitui in priſtinum. Bru-
xellæ enim vidi anno 1599. quod bos ſumtis
tribus herbis, evomuerit draconem, cauda an-
guillari, corpore coreaceo, capite ſerpentino,
perdice non minorem. Neſcitur modus, quo id
natura faceret. Æquè neſcitur modus, quo id
Satanas faceret. Lucrantur ergo nihil, qui opus
naturæ in diabolum referunt. An verò pec-
cent, viderint alii. Pigritiæ ſaltem enim im-
menſæ inventum fuit, omnia in diabolum re-
tuliſſe quæ non capimus. Invenio equidem, na-
turæ contiguam dimenſionum penetrationem:
licet non ordinariam. Nec velim diabolum in-
vocatum, ut noſtris ſatisfaciat quæſtionibus,
per temerariam poteſtatum attributionem. Eſt 7
hiſtoria ruſtici Poloni, nuper à filio D. Ericii
Puteani viſa. Agreſtis homo tentaverat ſibi an-
guinam in gutture aperire, brevi cultro, quem
incautus deglutivit, eundemque tandem dex-
tro abdominis latere, cum multo pure, poſt-
que multas anxietates reddidit, & incolumis
ſupervixit. Item Vilvordiæ anno 1636. ruſti-
cus mihi notus, volens ſaginare vaccam, illi
quoti-

quotidie poculum dedit:cui incoxerat olera cum furfuribus. Tandem emaciatur indies magis, cœpitque dextero crure claudicare: cæſa vacca, inventus eſt brevis culter uxoris ſuæ, in capulum buxeum retortus, inter coſtas & homoplatam abditus: ruſtica enim, concidendo rapa, cultrum inter olera reliquerat, eumque vacca bibendo deglutiverat. Item Ambroſius Paræus refert, de quodam, quem latrones coëgerant deglutire cultrum, quem dein ſoſpes reddidit, per apoſtema lateris. Alex. Benedictus, alterius meminit, cui ſagitta in dorſum penetraverat, cujus uncum dein, latitudinis trium digitorum, per anum excrevit abſque læſione. Idem narrat de puella Veneta, quæ acum deglutiverat, eamque poſt biennium eminxit, calculo incruſtatam. Idem Ant. Benevenius, quod mulier Hetruſca, acum cupream deglutiverat, quam triennio inde, juxta umbilicum ſana excreverat. Valeſius de Taranta, de puella Veneta (fortè eadem) quæ acum trium digitorum, cum urina rejecit. Capucinus quidam Eburo, dictus Bullonius, cognomine Hampteau, araneam ingentem, quam decidiſſe viderat in calicem, ſub jugi Sacrificio, vivam, cum multa animi averſione bibit. Infra paucos dies, illi oborta eſt phlegmone in dextero femore, ac ſub primo pure, inde araneam integram (mortuam tamen) reddidit. Mercator juvenis ejus Antverpienſis, Venetiis ludens immatura ſpica hordei, in ore, ingenti ſuffocationis metu, eandem deglutivit. Poſt tres inde hebdomadas, ſiniſtro latere ſupra zonam, apoſtema apparuit, ac tandem cum pure eadem ariſta, jam lutei coloris, extracta eſt integra. Ipſe autem ſoſpes evaſit. Apud Fernelium, ſtudioſus ab ipſo legitur reſtitutus, qui ariſtam per coſtas dedit. Commemorant quoque Scriptores, fœtum, quandoque in utero mortuum & conſumtum, ſua oſſa dimiſiſſe, trans uterum & abdomen, per umbilicum, & quandoque per anum. Plura apud Authores paſſim ejuſmodi occurrunt, fide digna. Quibus conſtat corpora ſolida, ſatis magna, penetraſſe ſtomachum, inteſtina, uterum, omentum, abdomen, pleuram, veſicam, membranas inquam, tanti vulneris impatientes. Id eſt, abſque vulnere, cultros per iſtas membranas transmiſſos. Quod æquivalet penetrationi dimenſionum, factæ in natura, abſque ope Diaboli. Quod autem corpus humanum ducatur per exiguum foramen, quo ſaltem felis tranſire queat, non tamen trans murum. Imò quod diabolus nequeat frangere feneſtram chartaceam, abſque conſenſu heri, videri eſt ex proceſſu, & arreſto, contra Ludov. Goffredi Sagum, pronunciatum Aquisgrani Narbonæ ultima Aprilis 1611. Tandem ubi delituerunt ℔ 3. æris, tormenti bellici, notati per ſua grammata? quomodo tot menſibus gliſcent ſcoriæ: qua parte fruſtum æris, inteſtino majus detinetur? Etenim dum neceſſarium in aere vacuum tractarem, promiſi me declaraturum, quod etſi corporum penetratio, primaria lege naturæ, & vulgari artificum modo, ſit vetita: attamen dum corpus totaliter in ditionem ſpiritus tranſit, ac tranſſumtum eſt, eoque velut infirmatur, tum corpora ſe mutuò penetrare naturaliter, qua ſaltem parte ſunt poroſa: eò quod ſpiritus tum corpus ſub ſe claudat, adeoque dimenſiones velut adimat. Præmittam aliqua. Prægnantem, 8
libido invaſit edendi conchylia nigra. Edit autem aliquot præcipitanter, ut & teſtas crudas, bis terve dente conciſas devoraret. Dein mox infra horam, fœtum parit ſanum & adultum, cum iiſdem ſemimanſis teſtis, & vulneratum in abdomine. Ergo teſte, absque apertura membranarum, ſtatim penetrarunt ſtomachum, uterum, & ſecundinas: vel novæ teſtæ, generatæ ſunt ſuper fœtum. Neque enim hoc poſterius, verum eſſe poteſt. Nam fuerunt vera fragmenta conchyliorum, non autem ad imitationem figuraliter æmulata. Dein, appetitus non fertur in incognitum: ergo appetitus edendi conchylia non erat fœtus: ſed mulieris. Igitur non erat neceſſe, conchylia nova generari circa fœtum. Appetebantur namque à matre, ut ſibi, & non fœtui, nutrimentum fierent. Alioquin eodem identitatis argumento, quæcunque appetuntur, ſemper circa fœtum generantur; à quo cum nequicquam digererentur, ſemper vel circa fœtum reſidua fierent, vel ibidem putrerent. Quod utroque modo eſt falſum: nam ſi putreret, abortum faceret, quod eſt appetitum, vel ibidem conſervatum, reperiretur regulariter. Etenim fœtus dumtaxat nutritur per umbilicum: quapropter illa conchylia externa, nec fœtu optata, nec eidem proficua erant. Et per conſequens, neque à natura de novo ob finem facta ſunt: ſed dimiſſa ad fœtum, quatenus appetitus fuit uterinus. Appetitus à fine ſemper dirigitur; prægnans autem, appetit conchylia, non teſtas, nec etiam ut conchyle animal integrum maneret in priſtino ſtatu, in quo ma-

tri eſt inutile, nec ſuo ſatisdat appetitui. Ergo multò minus, occaſionem habuit generandi novas, ac inutiles teſtas circa fœtum. Tandem utut ſumatur, appetitus non erat ad teſtas bis terve confractas. Nam ſi conchylia conchis exciſa fuiſſent, mandiſſet ipſa conchylia, relictis teſtis. Adeoque appetitui fuit accidentalis teſtarum, comitantia, & conciſio. Reor ſanè, quod ſicut deſiderium, terror, &c. generant Ideas ſeminales, quas manus prægnantis ad fœtum dimittit, ſtatoque loco depingit: ita gaudium reperti ejus quod fuit appetitum, deducit illud ipſum ad fœtum. Sic nempe deglutiti cultri mœſtitia, horror bibitæ araneæ, ariſtæque devoratæ, repellit eadem, trans membranas vulneris impotentes abſque nece. Hæc de injectis, intrantibus vi ordinaria naturæ, extra ſuſpicionem diabolicæ cooperationis. 9 Simile quid in ablatis internè forâs, quæ unico aut altero exemplo claudam. Sartoris uxor Mechliniæ, præ foribus vidit militem, in conflictu, manum amittere: ſtatim perculſa horrore, peperit filiam una manu, altero autem cruentoque brachio exſtinctam, quod manus ejus non reperiretur, & hæmorrhagia infantem interimeret. Vxor Marci de *Vogeler*, Mercatoris Antverpienſis anno 1602. videns militem mendicantem, cui pila ferrea in obſidione Oſtendana dextrum brachium abſtulerat, illudque adhuc cruentum circumferebat: mox abinde filiam peperit, orbam brachio, & quidem dextero, cujus cruentus adhuc humerus per Chirurgum ſolidari debuit. Nupſit mercatori Amſtelodami, cui nomen Hoochcamer, illa adhuc anno 1638. ſuperſtes. Cæterùm nuſpiam reperibile fuit brachium dexterum, nec oſſa, nec ulla apparuit putrilago, in quam brachium contabuiſſet parva horula. Attamen nondum conſpecto milite, fœtus bina habebat brachia. Nec potuit brachium avulſum annihilari. Ergo clauſo utero, ablatum eſt brachium. Quis autem avulſerit naturaliter, & quorſum ablatum ſit, certè non quadrant triviales rationes in tanto portento, aut paradoxo. Non ſum qui hæc dicam, Hæc dicam ſaltem: non fuiſſe brachium ablatum, ut neque avulſum à Satana. Deinde, minoris operæ eſſe, deferri aliò brachium avulſum, quàm fuit brachium à toto avulſiſſe, abſque nece. Vxor mercatoris cognita nobis, ut audivit quod uno mane decapitarentur 13. (tempore ducis Albani contigit Antverpiæ) ducunturque inordinatis appetitibus, prægnantes, ſtatuit ſpectare detruncationes. Adſcendit ergo cubiculum familiaris, ſibi viduæ, in foro morantis. Viſoque ſpectaculo, ſtatim illam adorſus eſt dolor parturientis, peperitque maturum infantem cruento collo, cujus caput nuſquam apparuit. Non invenio ſaltem, humanam naturam abominari penetrationem dimenſionum, cùm ſeminibus rerum ſit frequentiſſima. Paries in dolore filios, pœna eſt peccati. 10 Ante peccatum ergo, naturaliter peperiſſet citra dolorem, fœtus proceros, illius ſaltem magnitudinis, qua modò naſcimur. Non autem, quod mulier ante peccatum fuiſſet inſenſilis: ſed quod utero clauſo exiiſſet. Ergo geniale à creatione fuit humanæ naturæ, dimenſiones ſe invicem penetrare. Quia erat conditus, ut ſecundùm ſpiritum in carne viveret. Sed corrupta natura, periit iſta authoritas ſpiritus ſuper corpus. Atque ideò brutorum more, deinceps parit mulier. Imò commemorant Scriptores, trans oſſa fieri abſceſſus, ſuſque deque ferri cuncta abſque vaſorum ductu, vel commercio. 11 Equidem in rerum ſeminibus adhuc conſiſtet primæva illa penetrandi corporum energia, non autem vi, arte, aut arbitrio humano ſubjecta. Nam multa ſunt corpora pluries ponderoſi, quàm materia, undè conflantur. Neceſſe eſt inquam concidere partes plus quindecim aquæ, in unum, ut unica pars auri inde fiat. Etenim pondus, non fit ex nihilo: ſed arguit ponderantem in æquilibrio materiam. Ergo aqua naturaliter toties penetrat ſuum corpus, quoties aurum aquæ præponderat. Domeſticus ergo, & quotidianus ſeminum progreſſus in generationibus, requirit corpus per condenſationem ſeipſum penetrare. Quod artifici eſt prorſus impoſſibile. Demus aquæ ineſſe poros; hi tamen nequeunt decies quater tantundem ſui integri continere. Eſt ergo ordinarium in natura, quod aliquot partes aquæ ſe penetrent in unicum locum. 12 Hocque agunt ſemina, vi ſpiritus cujuſdam Archei. Archeus enim tam in præfatis ſeminibus, quàm in nobis, tametſi corporeus ipſemet; dum tamen agit actione regiminis, & materiam in ſe abſorbet, edit plures effectus, incantamentis non abſimiles: quia propriè loquendo Archeus non imitatur incantamenta, ſed incantamenta ſequuntur normam ab Archeo præſcriptam, quatenus ſcilicet operatur longè aliter, quàm corpora in invicem. Vt in uterinis affectibus, nervi ſponte diſtenduntur, diſſiliunt tendines extra locum, rurſuſque reſiliunt. Oſſa item diſlo-

cantur nullo motore viſibili, collum ad menti
altitudinem, tumidum ſurgit, præcluditur aere
pulmo: venena inauſpicata obnaſcuntur,
cruorque inſolitos ſordium vultus ludit. Quantum
autem penetrationes corporum ſpectat,
Archeus noſter corpora in ſe abſorbet, ut fiant
13 quaſi ſpiritus. Per exemplum aqua fortis ſuo
ſpiritu æs, ferrum vel argentum, manantia in
ſui natura, opaca, facit ita tranſparentia, ut videri
nequeant, & per chartam emporeticam,
quæ aliàs ne tenuiſſimum pulverem tranſmittit,
metallum, adhuc in ſpecie metalli eſſentialiter
manens, traducit. Non autem quod ſimilitudo
penetrationis dimenſionum, cum propoſito
metalli exemplo uniformiter quadret. Quia (ut
dixi) non quadrant rationes tanto paradoxo, ubi
modum, à priori, indemonſtrabilem, lubens
agnoſco. Prout nemo ſcire poteſt, quo pacto
impreſſa ſeminibus Idea figuret, dirigat, atque
diſponat ſua conſtituta. Ideoque à poſteriori
idem venabimur. Inprimis ratum eſto, diabolo
nullum in nos invitos jus aut imperium eſſe,
14 niſi peculiariter permittente Domino. Neſcitis
enim, quia templum Dei ſumus? ipſumque regnum
Dei habitet in nobis? Quæ res eſt ab origine
reſulcanda. Primò ergo, de fide eſt, nos
eſſe ſanctuarium Spiritus S. Sacroſanctam Trinitatem
apud Iuſtum, ſuam facere manſionem.
Delicias Dei eſſe cum filiis hominum, quibus
dedit poteſtatem filios Dei fieri. Sunt autem
pueri baptizati, inſontes, juſti, ipſorum eſt regnum
Cœlorum, accommodatum templum
Dei. Pueri tamen, cæteris faciliùs, incantamentis
necantur. Ergo neceſſe eſt id contingere ex
facultate aliqua libera: cum excellentia Chriſtiani
(præcipuè juſti) concludat, diabolo nullum
jus intrandi, aut introducendi ſua media.
15 Cum perinde ipſi ſit, per medium nocuiſſe,
aut per ſe. Eſt ergo alia longè poteſtas incantamenti,
præter diabolum: atque proinde naturalis
& libera. In virum juſtum, non ulli eſt
imperium. Poteſtas autem, ſi libera eſſet incantandi
diabolo, etiam illi æquè liberum eſſet,
occidendi per cultrum vel malleum. Et ſic nemo
immunis. Imò ſi diabolus poſſet, nollet in
pellem juſti intrare, ob divinam Regni cœlorum
præſentiam. Alio nimirum modo, Deum
in juſto præſentem intuetur diabolus, quàm
ubilibet alibi. Quæ cauſa ſempiterni in nos odii.
Nec ergo intrat, etſi poſſet, ſed circuit ut
Leo rugiens. Ergo Saga, per ens naturale imaginativè
format Ideam liberam, naturalem &
nocuam. Quam nequit formare Satanas. Eò
quod formatio Idearum requirat Imaginem
Dei, ac poteſtatem liberam: atque idcirco Sagæ
operantur virtute naturali, non minus in
juſtos atque inſontes, quàm in viros nequam.
Imò cum faciliùs inficiant incantamenta pueros,
quàm adultos; mulieres, quàm viros ſtrenuos:
ſignificatur quædam naturalis potentia,
limitata incantamento, cui per pugnacem, &
robuſtum animum, facilè itur contra. Diabolus
ergo offert ſuis clientibus ſordes, vel venena,
ut Ideas in Imaginativa horum formatas, fermentaliter
connectat. Imò iſtud Ideale virus
præſervat, ne per ventum diffletur, aut terra
coopertum, fracedine deſtruatur. Defert autem
iſtud virus localiter juxta objectum incantandum:
applicare tamen, aut in hominem ferre,
nullatenus valet. Itaque deinde, homo etiam
dimittit medium aliud executivum, emanativum
& mandativum, ad incantandum hominem,
quod medium eſt Idea fortis deſiderii.
Eſt nempe deſiderio inſeparabile, ferri circa
optata. Quibus omnibus, diabolus tantùm ſpectator,
in commeatu aſſiſtit. Quia revera, ipſa
media operativa demonſtravi jam eſſe ſolius
hominis. Etenim ſolus Deus eſt creator ſummè 16
glorioſus in infinitum laudabilis, qui univerſum
creavit ex nihilo. Homo autem, quatenus
eſt ſimulacrum Dei, creat ex nihilo quædam
entia rationis, ſive nonentia in ſui initio,
idque in propria virtutis phantaſticæ dote. Quæ
tamen ſunt aliquid amplius, quàm merè ens
privativum aut negativum. Nam inprimis dum
ejuſmodi conceptæ Ideæ, tandem ſe corpore
veſtiunt, ſpecie Imaginis, fabricatæ per imaginationem,
fiunt entia jam ſubſiſtentia in medio
illius veſtimenti, cui per totum æquabiliter
inſunt. Et hactenus fiunt entia ſeminalia,
atque operativa: à quibus videlicet ipſa ſuorum
aſſumta ſubjecta totaliter mox diriguntur.
Hæc autem poteſtas, data eſt ſoli homini. Alioqui
virtus ſeminalis, ad propagandum, data
eſt Terræ, brutis, plantis, &c. Itemque canis
poteſt per rabiem, ſalivam ſuam in venenum
transferre, quia ſuæ ſpeciei eſt vernaculum.
Quod etiam in diverſis animalium venenis eſt
obvium. Sed formare Ideas, abſtractas à ſua
ſpecie, & proprietatibus adjacentibus, id nemini
præter hominem eſt datum. Penitius id 17
quoque intuendo, videtur, ſi in Idea, per Imaginativam
formata, non præeſſet jus alicujus
entitatis, quod non poſſet ſe veſtire, aut corpus
aſſumere: imò nec poſſet per imaginativam
corpori Archei aſſociari. Siquidem quod merè

in ſe nihil eſt, nihil efficit, Ius etiam ad nihilum,
negativè habet. Adeoque conceptus mox
à conceptu periret, nec Ideam patraret: Imò ſi
merum nihil eſſet, mox quoque in nihilum migraret.
Sed cum Phantaſia, à conceptu ad Ideam,
ſive Imaginem formatam, procedat, &
hinc ad ens ſeminale: ſequitur, conceptum
fieri hoc aliquid, in Imaginativa. Id eſt, Imaginativam
creare aliquod ens ſeminale, quod ſit
initium diſpoſitivum ad formalitatem entis in
potentia. Prout ex chalybe & ſilice oritur ſcintilla,
18 undè incendium maximè operativum. Sic
imaginativa objecto, per conceptum, ſe confricat,
undè Idea: Ideoque Imaginationis actus
non eſt tam nihili, ut non habeat aliquod in ſe
fundamentum, accedens ad realitatem principiantem.
Habet enim Imaginativa ad hoc, vel
proprias ſibi conformatas imagines cum anima
(ut multi credunt) vel ſaltem, quandoque præſentes,
per memoriam excitatas, & revocatas
19 iterum reminiſcendo. Ego autem conſidero
hæc, non quod præexſiſtant præludia, Idearum
in nobis, ante id quod imaginativè concipitur:
ut ſint imagines proprii nominis conceptæ:
ſed quod fiant per contactum poteſtatis actu
Imaginantis (id eſt, formantis imaginem) & objecti
imaginati. Adeoque de ſinu ſuo, anima
nuditer format imaginem, quam niſi ſtatim liget
in Archeo, perit quoque, & ſterilis fit eo
20 ipſo. Nec obſtat, quod in febribus aut vigiliis
morboſis, umbras imaginum inviti experiamur.
Quæ ſcilicet fatuæ umbræ imaginum obambulant,
abſque connexione & diſcurſu, coram imaginativa.
Quicquid autem nobis invitis, nec
volentibus imaginari, obambulat ſponte, imò
& labores adfert, idipſum præexſiſtere eſt neceſſe.
Quaſi umbras reconditas, ante reflexam
ſuper illas vim phantaſticam. Sed confusè ejuſmodi 21
Ideæ, ſunt è penu memoriæ recurrentes,
quandoque impreſſæ: non autem quod ante
omnem imaginandi actum præexſtitiſſent.
Itemque nec arguit: Quod præfatæ Idearum
umbræ ſint confuſæ, ridiculæ ſæpè, & falſæ, adeò
nec unquam antea conceptæ, per ſanam
imaginativam: Siquidem naturaliter deciſis ſemel
imaginibus & conſtitutis ſeriò, ſuperinducitur
altera, tertia & ulterior, complicantque &
penetrant ſe mutuò: undè confuſio. Alioquin
ordinatim ſubſequens imago, deſtruit priorem
ſi ipſi eſt oppoſita: ſin minus, ſique priori conſentiat,
confortatur: vel ſi aliqua obliquitas inter
utramque eſt, utraque confusè indeterminatur,
vaganturque umbratiles. Quod ſanè nullatenus
opem fert ſuppoſitæ Idearum præexſiſtentiæ.
Mihi ſemper id viſum fuit, Ideas de
novo cudi, per actum Imaginativæ, inſtar ſcintillæ,
per confrictum chalybis & ſilicis de novo
factæ. Nec hoc activitati Idearum quicquam
derogat, non amplius, quàm ſcintillæ ad magnum
incendium. Reſpondeo itaque primæ
objectioni. Quod ſicut non præeſt ignis in
chalybe & ſilice, ante concuſſionem: Ita neque
ullum entitatis præludium, vel imaginis
veſtigium ante conceptum, & confricationem
imaginativæ ad objectum præexſtitit: Sed oritur
omnis primordialis entitas Ideæ, in actu
conceptus. Fitque vera Idea, dum ſcintilla (quæ
aliàs ſtatim periret) cadit in fomitem, & concepta
imago cadit in imaginantem fomitem Archei.
Vndè ſequuntur potentiſſima incendia
morborum. Veruntamen quia Tractatus Idearum
tangit proximè Concepta, differo & ſuperſedeo
ulterius de Ideis diſſerere.

INIACVLATORVM MODVS
INTRANDI.

1. Vnicum medium, quo diabolus cooperatur injaculando, eſt oculorum præſtigium, ut inviſibiliter intrent. 2. Blas motivum, & determinatum competit diabolo. 3. Quantum homo ad hoc contribuat. 4. Sanatio injectorum primaria. 5. Sanatio naturalis. 6. Varietas donorum in ſimplicibus. 7. Nominatim procedit Author. 8. Karichterus commendatur. 9. Præcautio in herbis. 10. Modus, quo Injecta ſemel foràs expulſa, accelerant rejectiones.

Pergam nunc ſupplere modum, quo Injaculata, Injectave, intrant, vel admittuntur: ſimulque illorum remedia ſubnectam.
Injecta inprimis introëunt inviſibiliter. Et hoc 1
unum eſt merè diabolicum. Siquidem miſerrimus
ſcurra, cum nihil habeat reale, quod ipſi
ſit relictum in libertate, tantum habet vanas apparentias:
quippe pater mendacii, res ipſas
mentitur, & falsò apparere facit, ab mundi initio.
In præſtigiis hujuſmodi, nil cooperatur homo
diaboli mancipium. Quo autem modo Satanas
res in ſe viſibiles faciat non viſibiles, ſivè
illas involvat ſuo ſpiritu inviſibili, ac res ipſas
circum apprehendat, vel demum id agat per
oculorum effaſcinationem: vel etiam eo ipſo
quo,

quo res aliqua corporaliter aliam penetrat (ut
jam ante profuſè per exempla eſt oſtenſum) fit
fortaſſis eatenus inviſibilis (quicquid enim dimenſiones
corporis amittit, poteſt etiam viſum
fallere) ſaltem curioſus indagator non ſum operum
Satanæ,quæ ſibi in proprietate competunt.
Sufficitque mihi, quod quæ credita ſunt illius
eſſe, oſtenderim homini propria,detexerimque
omnimodam Satanæ pauperrimamque miſeriam.
Res igitur injiciendas, factas inviſibiles,
transfert diabolus ad objectum, dirigente iter
Idea deſiderii humani. Etenim quia diabolo
non eſt permiſſum ullatenus,introire in hominem,
multò minus ut eum lædat, atque omnium
minimè, cum onere inviſibili, quod
3 ipſus circumvolveret: Ideo utitur Blas libero
hominis ſibi devincti. Homo ergo ſuum Blas
motivum liberum imprimit in corpus, inviſibile
factum; diabolus autem defert,uſque ad hominem
in quem injicitur. Et ſicut culter, per
deſiderium atque conſenſum vulnerantis, infigitur
in carnem vulnerandi: Ita hoc corpus,
factum inviſibile, per diabolum; injicitur in
corpus incantandi, per Ideam Blas motivi Sagæ:
conſpirante ad hoc Satana, propter directionem
ferientis hominis.

4 Sanatio injectorum abſolvitur, partim remediis
ab ortu Eccleſiæ primitivæ celebribus. Quæ
operantur,non niſi miraculosè: Cur autem non
regulariter ſemper,ubique & apud omnes ſuum
ſortiantur effectum, aliis relinquo. Ego autem
inſcrutabilia Dei judicia,non attingo: ut neque
5 remedia, quæ ſunt extra forum naturæ. Partimque
etiam habetur ſanatio, per quædam ſimplicia,
quibus Omnipotens Bonitas dotem à Creationis
initio indidit, reſiſtendi, præcavendi &
corrigendi veneficia; itemque exigendi Injecta.
Quale legitur ſuffimigium jecoris apud Tobiam.
Qualeque illud Salomonis, vel Eleazari,
6 apud Ioſephum lib. 8. c. 2. Quædam namque
ſimplicia, cacodæmones arcent (miſera hominum
turba, quæ dulomaniam exhibet diis, reſiſtere
non potentibus, ſimplicium efficaciæ naturali.)
Alia demum tollunt penetrationem luminis
formalis, alligati excrementis. Nonnulla
item ſaltem impediunt attactum, introitum,vel
applicationem. Multa tandem, quæ ejuſmodi
venena corrigunt, interimuntque. Inprimis 7
electrum minerale immaturum Paracelſi, collo
appenſum,liberat,quos ſpiritus immundus perſequitur,
quod ipſus vidi. Illius potum verò,
plures à veneficiis ſolviſſe, memini. Nemo autem,
qui appenſo illo ſimplici, non præcaverit,
ne Injecta intromittantur: vel ab importunis
ligationibus confeſtim non ſolvatur. Barth.Karichter,
Maximil.2. Archiatrus, inter medentes 8
primus, (quod ſciam) Germanicum tractatulum,
proximum miſeratus, hero ſuo dicavit. In
quo paucis herbis, quoslibet & quomodolibet
incantatos ſanat. Anteſignanum ſuum Daurant
(Phu eſt Dioſcoridis) floribus purpureis,(ultima
Valerianæ ſpecies, in ultima editione Matthioli
eſt) omnibus prætulit. Magnifacio quoque verbenam
flore purpureo, Hypericonem herboſiorem
flore minuto, Abrotanum, Adiantum, Rutam,
&c. Itemque Corallum rubrum, ejuſque
eductam tincturam,multum ſolaminis attuliſſe,
ſum expertus. Vtendum eſt herbis crudis, conciſis, 9
non autem coctis. Quoniam poteſtas illarum
integra, conſiſtit in integritate Concreti.
Contuſione ideo perit vis Idealis herbarum.
Decerpuntur autem herbæ,& radices effodiuntur,
ſtatione, qua magis vegete, ideoque etiam
mox oriente Sole. Propelluntur nempe Injecta
foras, non ſecus atque anguis ab igne. Theologi
verò, ſolent Injecta, quæ rejiciuntur, igni abſumere,
in vituperium cacodæmonis. Rectè 10
quidem ſic illa pereunt: non ſic tamen impediuntur
illorum recidivæ. Rectius ergo,expulſa
Injecta, involvuntur ſimplicibus, quibuſvis
expulſiva ineſt, & aſſervantur. Pari eum ratione,
qua ſympathetica,abſens vulnus ſanant,hæc
ſimplicia dotalia, arcent Injecta, detinent, cohibentque
ne injiciantur,vanamque Magi operam
deludunt. Infirmitas ergo entis injaculantis,
meritò ſuſpecta eſt, quæ Injicienda non
poteſt intromittere, quia adeſt, & præeſt herba
quædam impediens. Vis ergo quæ Injecta intrò
defert, non eſt Principis hujus mundi, & potentiſſimi
ſpiritus: ſed entis cujuſdam Idealis,
& infirmioris,quod tam facilè præpedit omnem
introitum deinceps.

DE CONCEPTIS.

1. Splen primorum conceptuum ſedes. 2. Idea tam Imaginationis, quàm Archeales, è fonte Splene manant. 3. Ideo & hypochondriam olent. 4. Peſtis ſemper circa ſtomachum incipit. 5. De conceptis animantatis. 6. Idea ex utero. 7. Dementia. 8. Irreligio demens. 9. Realitas conceptorum ex parte materia & efficientis. 10. Præſumtio omnes ferè occæcat mortales. 11. Occulta inſania. 12. Concepta *morboſa.* 13. *Vterini morbi.* 14. *Phantaſtica uterina.* 15. *Inſtructio monarchiæ cujuſque.* 16. *Duplex regimen in muliere.* 17. *Vterus non malè valet, niſi à conceptis.* 18. *Miſer ſexus muliebris.* 19. *Differunt morbi uterini à ſuis productis.* 20. *Sanatio furoris ultimi.* 21. *Conceptorum Idea duplex.* 22. *Ortus & progreſſus delirii febrilis.* 23. *Progreſſus Idearum in maturitates ſuas.* 24. *Limen omnis boni in fide.* 25. *Paſſionum effloreſcentia.*

INjectis porrò ſimile eſt ens morboſum,
quod Conceptorum dico.
Nam etſi hoc non extrinſecus
adventet, nec aliunde foveatur,
imò neque illi cooperetur Satanas:
attamen quia ſui radice, fiendi
modo & effectuum quadam paritate, ab Injectis
quibuſdam, non multùm diſcrepat, non
inconſultò retuli Concepta, inter ſpiritualia
Recepta. Ad quorum dilucidationem, multa
1 jam præmiſi prolegomena. Quamobrem, in
Splene, jam aliàs demonſtravi, Imaginativam
primorum conceptuum, eamque inde ad ſtomachum,
duumviratus ſocium, etiam & hinc
facilè ac primordialiter (in altero ſexu) ad uterum
2 diſtendi. Splen ergo, tam fons eſt Idearum
conceptarum in Imaginativa hominis,
quàm ipſius Archei. Archeus ſuas habet & peculiares
Imaginationes, ſibi proprias (ſive enim
veri nominis ſint phantaſiæ, vel ſaltem metaphoricæ,
mihi perinde hoc loco) quarum ergo
antipathias & philautias continuò ſentit, atque
3 inde deductos motus ſuſcitat. Certè concepta
Archei, extemplò, præfatis locis potentiſſimas
aſſequuntur determinationes. Quia locum natalem
olent, hypochondriacæ ſunt, primorum
& indiſcretorum motuum monumenta ferunt.
Et quanquam Imaginatio animantata, quæ abſque
fortitudine impreſſionis, vel alicujus præjudicati
inclinatione, ibidem cunctatur, tandem
velut ſomnialis, indiſtincta, & penè confuſa
fiat, quapropter nimirum raрò tempora caneſcunt
incuriis: attamen quæ in ipſis primorum
motuum officinis ſuſcipiunt alicujus paſſionis
deliberationem, etiam ſpiritus in cerebro antiquatos,
ad ſe alliciunt, contagium loci ſubeunt,
fiuntque, ac cuduntur judicio orbatæ Ideæ, ſeminaliterque
pariunt affectus, ſuis cauſis conformes.
Hypochondriacæ nimirum amentiæ,
confuſionis, ac perturbationis ſuſpectos. Ideo
nempe ſuos patimur ſinguli manes. Archealis
tamen jam dicta Imaginatio, ut conſenſum animæ
nec optat, ita nec exſpectat: contingitque
4 ideo inſenſibiliter, ac nobis inſciis. Ideo nimirum
Peſtis, ſive ex terrore in anima concepto
fiat, vel demum proprio Archei vitio, ſemper
tamen circa orificium ſtomachi prima tenet
conciliabula. Potentiſſimæ namque ſunt Archeales
Ideæ, morborum quoque feraciſſimæ,
quia irrationales, nobis inſciis, atque invitis
contingunt, ideoque & incorrigibiles, atque
exleges plerumque ſunt, noſque ideo inauſpicato
modo invadunt. De conceptis animantatis, 5
utpote diſtinctioribus, atque ſenſibilibus,
nunc agam: quicunque primorum motuum
perturbationibus, harumque conceptis
Ideis, ſeipſos velut infirmant, infatuant, atque
ſubinde incantant, aleam ſubeunt præfatis cauſis
debitam. Ac licet hoc vitii genus, etiam
viros doctos & judicioſos ſubinde invadat,
moroſitates, atque tetricitates pariat: attamen
mulieri eſt magis ſociale, ob uteri conſonantiam,
& propinquitatem. Eſt nimirum uterus 6
(licet mera membrana) Lien tamen alter.
Ideoque proprio velut ſeminis inſtinctu, ſtatim
ſecundinis fœtus, velut alterum Lienem
externis obducit. Vt ſuo loco alibi. Non quidem
quod mulier, hoc naturæ vitio, cudat
Ideas hypochondriacas, exſecrabiles in aliorum
perniciem, per modum Sagarum: ſibi verùm
ſunt nocuæ dumtaxat, ſeſeque tanquam incantant,
infatuantque ac infirmant. Cudunt nempe 7
ſibi Ideas, quibus ſæpè non ſecus atque deſperationis
maligno ſpiritu circumactæ Sagæ,
gubernantur, abripiunturve ad ea, quæ aliàs
nollent, propriamque & invitam nobis plangunt
dementiam. Sic namque teſte Plutarcho,
juvenculas omnes arripuit deſiderium mortis
per ſuſpendium, in Inſula Chio: nec niſi per
verecundiam, poſt mortem, minitando, ſiſti
potuit. Cum ergo Conceptorum vitium etiam 8
viros tangat, avertat lector tædium, ſi diutius
in his morari debuerim, qui primus hunc tonum
in medendo tangam. Itaque ſi mortales
impegerint in præſumtionem fidei, abſcedant
à verbo DEI, & ad proprii placiti explicationes,
velut in ſpeculo complacentiæ ſuiipſius,
ſe contueantur: Iam inde ſibi cudunt Ideas
vacillantes, & incuriæ religionis, ex uno primùm
puncto dubii, diſputant incerti de pluribus,
ad Atheiſmum vadunt, per apiſticam irreligionem.
Sin verò in ſuperſtitiones ceciderint,
Ideas nigromantiæ conformes cudunt, undè
in ſtygias vanitates animam pronam parant.
Quibus perfacilè (ut dementatis) jam ſe aſſociat
hoſtis mortalium. Præſertim ſi ſuperſtitio
pertinax, fortique deſiderio odii, vel alterius

peccati, eſt ſtipata. Cudunt nempe ſibi Ideas, 9 voluntariæ cœcitatis ſecundas. Cumprimis hoc iterum memorandum: Imagines ideales omnes eſſe ſeminales ex parte entis realis, per Imaginationem parti. Dein ex parte ſpirituum (quatenus vitalium, & concepto ſemini nuptorum) cujus aſſumunt materiam, ſive tabulam, in quam depinguntur, fiunt organum, exſequendis Idearum finibus aptum. Hæc igitur prærogativa, utraque penetrant Archeum, eumque alienant, ad peregrinos ſuarum perturbationum ſcopos. Si ergo fides, confidenſque ſuperſtitio, peccent ſola credulitate, jam cudunt Ideas, per quas ſe exiſtimant incantatos, incurabiles, & deſperatæ amentiæ ſervi fiunt. Proſternatis enim viribus emaciantur, palleſcuntque dementes. Sin verò ſcrupuloſitas indiſcreta, atque inordinata angat; ipſa ſibi fabricat Ideam anxiam, timore Inferni turbidam, undè ipſis vita horrida, omnium converſatio formidoloſa, penè atque ſi diabolica eſſet. Fatuitatem enim generant, quam agnoſcunt, fatentur, plangunt: quia non ſe ab illa liberare valent. Ac tandem ita ſuccumbunt impotentes, ut Ideam tanquam animam arripiant. Sin autem ſcrupuloſitas, ante totalem victoriam, pro deliberatione recurrat ad mentem, & nihilominus 10 interim novas inordinataſque cudat Ideas: migrat inſtabilis facilè in oppoſitum, quaſi jam prioris ſcrupuli horrens, libertatem ſpiritualem, cum præſumtione meriti, & aliorum deſpectu, aſſumit. Quoquo enim ſurgere nititur altiùs, mergitur eò profundiùs. Eſt namque præſumtio, nil niſi vana dementia, alienis ſemper ſuſpenſa arbitriis: attamen pleriſque mortalium velut genuina. Nam propter virtutes, ingenium, doctrinam, genus, divitias, formam, robur, audaciam, artes, loquacitatem, aut vocem, cudit quiſque Ideas ſibi applaudentes, quæ totum penè mundum dementant. De quibus dicitur: Stultorum infinitus eſt numerus. Nocentiſſima autem præſumtionum dementia, eſt in politicis, eſtque audaciæ, quippe quæ ſuos non rarò ſubſternit tortori. Rara ſanè inſania abſque præſumtione eſt, ſi non cognata ſit ſtupiditas. Enimverò Ideæ fidei, deſperationis, ſcrupuli, irreligionis, arrogantiæ, æſtimationis, &c. quia potentias magis abſtractas & intellectuales reſpiciunt, gratiamque infuſam magis oppugnant, dementiam plerumque tam occultam patrant, quod à viris ſpiritualibus, multumque exercitatis, non niſi tardè deprehendatur. Quas dementantes Ideas ſubſequuntur ex ordine, quæ turbationum ſunt magis corporearum. Dura enim inprimis ut infernus eſt æmulatio zelotypiæ, quæ hominem in ærumnas quamplures præcipitat. Tum dein libidinis atque fornicationis Ideæ præter dementias, etiam complures excitant ægritudines. 11 Omnes autem exorbitationes perturbationum, ſi ſubitæ, fortes, crebræ, aut diuturnæ, cudunt Ideas & infirmitates ſibi pares, etiam in vitam ideo durabiles. Sunt nimirum qui rectè ſapiunt; in materiam autem, cujus Idea illos dementavit, ſi inciderint, confeſtim occultatam produnt amentiam. Repentinus inquam terror & mœror, ſæpè aliquos morte improviſa extinxere: aliis quoque ſaltem ſyncopem fecere. Pleriſque mulieribus profluvium ſuſcitarunt, in vitam durabile. Sin autem vis Ideæ non ferocierit in cruorem, huncque ideò non, ut exoſum, proſcripſerit: ſed penes ſe, in hypochondrio cuſtodiverit: ſigillat ibidem morbum comitialem. Mœror lentus verò, quique per intervalla, ſolatio tantillo interruptus, Ideam cudit, unde melancholia hypochondriaca in mulieribus, in viris autem Icterus: ſi in cruore ſigillentur Ideæ: ſin autem in viſcere Lienis ipſo, Aſthma & præfocationem molitur. Sin mœror cum Idea deſperationis connectitur, Paralyſin, aut Contracturam parat, præſertim virginibus. Sed mœror lentus, cum præmeditata ira, vel odio, jungatur, ſingultum, cordis tremorem, vel menſtrui ſuppreſſionem contumacem edit. Imò ſi ejuſmodi paſſiones fortes fuerint, caducum faciunt & abortum, vel præfocant geſtantes uterum. Si ira ſubita eſt, quæque tamen coërceri, aut diſſimulari debuit. Ideam cudit, unde uteri decubitus, vagantiæ ad latera, cum dolore intolerabili; viris autem aſthmata, apneam, atque febrim, quæ demum in Icterum, vel hydropem tranſit. Si violentus terror, vel timor irruat: Cuduntur Ideæ epilepticæ, quæ in vitam perennant. Odium autem, & avaritia, maciem, ſive atrophiam generant; cudunt inquam Ideas ſuis deſideriis reſpondentes: eóque fatuitatis declinant, quod propriam vitam, atque ſuorum fortunas parvi pendant, credentes turpi vindictæ ſatietate, nihil obvenire in vita jucundius. Emaciant enim ejuſmodi Ideæ, & quia lentis naſcuntur reſolutiſque perturbationibus, increſcunt indies, & in vitam plerumque perſeverant. Nec etiam ſemen corruptum, detentave menſtrua, morbos uterinos ſuſcitant: ſed ſunt hæc producta poſteriora, & defectus ſupervenientes Ideis alterationum.

Vterus namque ut particularem habet monar-
13 chiam : ita & morbos. Quippe omnis exorbi-
tans uteri affectus, eſt inſania quædam ſive de-
mentia Archealis in utero. Perinde enim at-
que ſalivæ canis rabidi, ineſt fermentum furo-
ris dementis, Idea inquam, quæ demorſum
paulo poſt dementat : Ita nonnullis ſimplici-
bus, ineſt facultas ſigillifera dementiæ, ſigillata-
que, quibuſdam excrementis detentis, aut ute-
ro furiente genitis, amentia furoris ineſt, quæ
conceptam maniam vel in proles propagat, vel
cum ſterilitate perſeverat, in radicalis furoris
14 conſummationem. In utero nimirum, contem-
plari lubet poteſtatem phantaſticæ primorum
motuum parem. Blas, velut ſtellarum, poten-
tiſſimum, vertens, evertens, ſuſque deque o-
mnia. Vterus enim ſuum regimen uſque ha-
buit, & ſervavit in totum integrale, imò exer-
cuit crudeliter in miſerandi ſemper ſexus con-
15 ſternationem. Ad inſtructionem autem monar-
chiæ cujuslibet, ſemper primariò requiritur re-
ctrix quædam facultas (qualis in malicia, & u-
terinis affectibus, elucet prodigioſa) & Iraſcibi-
lis altera, quæ per varias affectionum thymoſes,
ſub vita muliebri explicatur. Quarum faculta-
tum perturbationes, indéque natæ exundatio-
nes, certè nil minus quàm uteri furorem præ-
ſupponunt. Quid namque dementius fieri pot-
eſt, quàm quod uterus collum mulieris ſtringat,
& ſuum ſubjectum miſerè perdat ? poros pul-
monis contrahat ? totum cruorem præcipitan-
ter profundat ? Siquidem ad ſuæ mulieris inter-
necionem, neceſſariò ſubſequatur propria uteri
mors ? ergo hoc ipſum eſt ſui excidium, per
conſequens, vi deliberata cauſare. Vnde ſpecta-
tur ſaltem duplicis monarchiæ argumentum in
16 fœmina. Ex dualitate nempe uteri cum cor-
pore mulieris, hoſte unitatis, fomite diſcordiæ.
Quanquam autem plerumque, ex animi per-
turbationibus, & inde ſuſcitatis Ideis, initia
ſumat ejuſmodi ſuffocatio, quæque funeſta, to-
tius ortum, decus, vitamque, crabronum inſtar
excitatorum, delet : ſupervivit tamen uterus
mulieri, adeò ut defuncta parturiente, uterus,
poſt multas quandoque horas, ſuum fœtum ex-
pulerit. Itaque thymoſis, furorque quidam, eſt
utero à conceptis Ideis, ab ente quodam vica-
riatum mentis exercens, eſtque utero pro vita
ejus ſingulari. Eſt ergo morbus omnis uteri
poteſtativus, ab uteri regimine directus, vel in
ſeipſum, vel in corpus mulieris. Vnde non ine-
ptè, integræ, à corruptis diſcerni poſſunt. Et-
17 enim cum gubernet ſeipſum uterus, vivatque è
cruore alieno, proprio orbe : ideo vix malè va-
let, niſi infirmatus ab ente Conceptorum : Imò
ſemper quodammodò inſanit, quoties malè va-
let. Nam ſive ſteterint menſes, ſive immodera-
tè fluxerint, decolores ſunt, aquoſi, nigri, gru-
moſi, paucitate peccent, gonorrhœæ proma-
nent, vel uterus ipſe, loco motus, deleat immen-
ſum excentricus, ſive demum immotus, Blas
pariat alterativum, producatve effectus incan-
tamento conſanguineos, ſive tandem ſuſcitet
ens apoplecticum, epilepticum, paralyticum,
vertiginoſum, hemicranicum, cardialgiacum,
Ictericum, hydropicum, ſyncopticum, Aſthma-
ticum, ſpaſmades, Cardiacum, &c. perinde eſt.
Quoniam non niſi per ſcenas, furor ſuus variat,
quibus ſua abutitur poteſtate, luditque uterus
libertate monarchali in totum integrale. Siqui-
dem abſque aporrheis materialibus, claves gerit,
quibus pandat venas, hæmorrhagias incredibi-
les ſuſcitet, citraque ſui motum ullum, poros
pulmonis ex voto claudat, imò totius corporis
diapnæam tollat ſuo nutu. Etenim lunæ præſi-
det in corpore, ætatem, naturam, maturitatem,
præcocitatemque ſpernit. Itemque abortus fa-
cit, & fœcunditatem tollit, atque interim ſuum
furorem voluptuarium complet, tyrannide de-
ſpotica. Iectigationes artuum, loquelæ priva-
tiones, exarthroſes condylomatum pro furoris
luxu perficit. Et licet mulier tantis ſub malis 18
non dementet, inſanit tamen uterus in præfatis
omnibus exorbitationibus. Miſera ergo, quæ
tali ſubjacet imperio : ſubeſt inquam tot mor-
bis, quatenus homo : & iiſdem paret iterum ex
ente uteri. Duplex enim & hodie luit piacu-
lum, quaſi in Eva duplicis peccati rea. Non eſt
attamen uterus, pars hominis, ut homo eſt. In-
eſt quidem homini, vivitque ex ejus cruore,
non ſecus atque viſcus ex arbore : totique pars
illa ſexualis imperat, multò potentius, quàm te-
ſtes in gallo taurove, qui in ſuis caſtratis, inſi-
gnes varietates exprimunt. Siquidem nedum
quælibet pars auſcultat utero : ſed inſani uteri
violenta imperia, corpus muliebre, unà cum
vita, luunt. Paſſiones ſcilicet animæ, dumtaxat
uterum, velut dormientem canem excitant, &
uterus inde ſævitiam ſumit, ſuæque inſaniæ,
mox inſontem mulierem pœnitere cogit. Quin-
imò & non raró in ipſas poteſtates mentales, à
quibus pridem fuerat irritatus, ſuum reflectit
furorem, ut abſolutum in omnia ſibi imperium
jactitet. Ideæ namque paſſionum animæ, quo-
ties utero importunæ, ſi in vim iraſcibilem uteri
introducantur, eamque penetrent, confeſtim ut

peregrinæ & exoſæ,illam turbant. Vndè impa-
tiens,in varios furores ſeipſum concitat. Quod
& Platonem vel inde non latuit, dum uterum,
19 animal furioſum nuncupavit. Denique quam-
vis ab uteri furore, propria tam ejus coquina
laboret, quàm aliarum partium, à ſe apprehen-
ſarum, atque inde varia ſuſcitentur excremen-
ta, ſeminalibus furiarum Ideis inſignita: ſunt
attamen iſthæc dumtaxat producta. Id eſt,
Quanquam amentiæ à Conceptis ortæ, pariant
ſtultas ſuas Ideas, eaſque depingant in alienis
excrementorum tabulis, ſui inordinatione par-
tis (pro ut rabies canum tranſit in ſalivam) at-
tamen per ablationem occaſionalis producti,
licet morbi allevientur, non ſanatur furor ute-
ri. Quia iſtud productum ablatum, poſterius
erat, nec priorem in radice inſaniam cauſans:
ita nec attingens; ſed tantùm aggravans. Et-
enim ſanatio amentiæ, è Conceptis, in utero
conceptæ, requirit Ideæ furoris extinctionem,
20 per arcana appropriata(nam per oppoſitas Ideas
ſuperari nequeunt, cum jam mulier inhabilis
eſt, ad formandum Ideas ſibi ſalubres, tantiſper
atque à furore uteri, compeſcitur) atque dein-
de, organi rectificationem: Alioqui namque,
perfacilè repetit inſania. Helleborus quidem
(qui Amentiæ ſingulariter commendari anti-
quitus ſolet) alleviat Conceptorum gravita-
tem, in quantum aufert aliquid de producto
aggravante: at certè non ſanat eam, niſi in na-
tura ſedente, ipſaque ſibi opituletur: ut amens,
qui proprio ente deliro, ex propriis ſui excre-
menti Ideis, dementavit. Verumtamen quæ
ex repentina eſt nata perturbatione fatuitas,
quanquam ſæpè ejuſmodi remedio abeat, ſata-
gente Natura reliquum ſui bonitate, fomentatis
ſcilicet Liene, & Cerebro, ſi pigrius ad conva-
leſcentiam proceſſerint: ſed quia Concepto-
rum amentiæ ſurgunt ex Ideis mentalibus,
hinc ita profundè penetrant, ut etiam ſemen
prolificum, radicaliter in ſpiritu contaminent,
traducaturque inſania generantis in poſteros.
21 Concepta erga Idea, in vitæ ſenſitivæ imagina-
tione, eſt duplex. Quædam enim è morboſis
ſeminibus rerum proficiſcitur. Cernimus nam-
que vitulum dementare, canem rabie mori:
Lupum ſimiliter quotannis rabidum, incredi-
bili jejunio reſtitui. Quod Paracelſus tardo O-
rionis aſtro ridiculè adſcribit. Proficiſcitur in-
quam occaſionaliter introducta potentia ſemi-
nis exotici, in nos, donec Archeus noſter inde
mutuet Ideas furoris, quas ſibi ipſe ſuſcitat, &
ipſus induit. Sunt quidem in quibuſdam ſim-
plicibus, naturaliter Ideæ infatuantes; non
quidem quod Cerebri temperiem deſtruant.
Quippe quod abſque temperie clarè intelligit:
ſuntque ejuſmodi temperamenta,mera ſomnia:
ſed quod ſuum characterem Idealem conferant,
& in ſpiritum, phantaſiæ organum, occaſiona-
liter imprimant, & conformes ſuis Ideis ſuſci-
tent. Sic nempe Tarantulæ, vel canis virus,de-
terminatas, ſuaſque tantùm, atque proprias fa-
tuitates propagant. Sicque incurii, aſſumtis
quibuſdam, dementant, juxta illorum innatas
Ideas. Altera ergo Conceptorum amentia, ex
intus genitis conſurgit. Sic inprimis deliria in
febri, non ex aſſumtis: ſed ex degeneratis in-
tus Ideis ſunt excrementalibus. Eſtque intus
conceptarum Idearum bipartita adhuc varie-
tas. Vna quidem amentia, ex Ideis inſanis pro-
gnata, per devium Imaginativæ abuſum: ſe ſi-
gillat in Archeo, adeoque ex ſymbolo altius
penetrat, & in vitam ſe diſtendit continuò, vel
repetitim: Altera verò naſcitur in excremen-
tis febrilibus, & hoſtilibus, quatenus in iiſdem
aliquid ſimile occurrit, quod in præfatis ſim-
plicibus novimus naturaliter inhabitare. Ac
proinde hujuſmodi amentiæ, quia in ente cor-
porali, exotico, & odioſo hoſpitantur, non tam
profundè in Archeum innatum imaginativæ
penetrant. Primò namque, ſordes febriles pa- 22
riunt inſomnietates, dein ſomnia interrupta vi-
giliis, ac tandem magis continua,quorum labor
atque tædium ſuas pariunt Ideas in excremen-
tis, undè deliria videntur ſomnia, vigilantibus
obverſantia. Etenim ſi ex ſimplicibus, vel ex-
crementis, analoga ſimilitudine ludentibus,fu-
rores deliri in febribus naſcerentur: Certè pri-
mo acceſſu deliria nobis exorirentur, nec die-
rum exſpectarent cumulum. Niſi Ideæ tædii,
& laboris ſomniorum,manifeſto delirium pro-
gignerent. Quid ſi Ideæ ſomniales,Iudicii ten-
dines præſcindant, quid non patraverint Ideæ
apprehenſionum? affectionum? paſſionum? at- 23
que æſtimationum? maximè quoties in faſti-
gium delatæ, Archeum defœdant? violenter
corrumpendo, vel fermentaliter conſpurcan-
do? Tres enim priores,vix ſponte commoven-
tur: ſed prævia paſſione aliqua, agitantur &
commoventur. Etenim perſuaſio abuſiva, &
credulitas,ſive æſtimatio falſi, primò hominem
ſeducunt, in præſumtionem deſpectivam alio-
rum,ſive in indignationem Philautiæ,Iræ,odii,
vel excandeſcentiæ in proximum. Vndè nimi-
rum quoque religio apiſtica, ſuperſtitio, ſcru-
puloſitas, impœnitens arrogantia, & temulen-

ta deſperatio, cum incuria. Etenim ut fides eſt janua ad humilitatem, quæ eſt veritas intellectus: Ita credula falſi æſtimatio, eſt præſumtionis & arrogantiæ introitus, & prima animæ inſania. Vix enim ideo, inter miracula, legitur fatuus ex imaginatis, reſtitutus ſanitati: quippe ex ſuperbia impœnitente, & recuſante redire in veritatem, plerumque tales deſipiunt. Perturbationes verò, ut amor, deſiderium, triſtitia, metus, terror, potiſſimùm excitantur ab extrinſecis: ideoque non ſolùm in anima: ſed & in corpore, ſuos proferunt effectus. Initio namque paſſiones ſingulæ ſomnum tollunt, deinde appetitum edendi, actum prius infirmant. Tandemque per longam, immodicam, fortem, vel repentinam inordinationem, Ideæ Archeum infatuant. Quarum fortitudo demetienda non eſt aliunde, quàm à penetratione & commiſtione exquiſita, cum multa vel pauca Archei quantitate. Senſim enim anima apprehendens, vel diſcurrens, aſſueſcit ſine lucta ſequi, quò ſæpè atque violenter abducitur, volens cum plauſibilitate, vel nolens, propter ſuperioritatem apprehenſionum. Anima nempe itineris illius, licet avii, conſcia fit: quia aſſueti. Suntque deviationes manifeſtæ, latenteſque, vel incognitæ, continuæ, vel interpolatæ. Manifeſtæ quidem ſuam produnt ſtatim amentiæ excentricitatem, in omnibus, ac circa omnia, conſpicuam, occultiores verò, latenteſque, non niſi in quibuſdam punctis, ac conceptibus apparent: per quos nimirum anima ſemel loco diſcuſſa fuit, conquaſſatumque judicium. Quorum ſcilicet Ideæ in organum fuerunt impreſſæ, propter diuturnitatem, vel plauſibilitatem: Id eſt, propter fortitudinem ac ſuperioritatem. In reliquis verò punctis, videntur rectè ſapere.

Quantum autem ſpectat ſanationem Conceptorum, eandem trado ex profeſſo poſtea ſingulari capite, & themate planè paradoxo. Nunc autem hyſtericas ex directo aſpicio. A poſteriori namque ad credendum inducor, in Incantamentis potentiſſimam totius ſcenæ partem pendere ab Ideis mancipiorum diaboli, adeoque à Conceptis originaliter procedere, pro ut ſuo loco demonſtravi: eò quod naturaliter quæ juvant incantatos, ſanent etiam paſſiones hyſtericas, & vice verſa. Vterum autem aliàs quietum in thymoſim excitari per Iram atque mœrorem, tam eſt extra controverſiam, quod ipſis cognitum ſit mulierculis, & vetulis. Nec lædit quicquam virtutes utero inſitas, quod planè eſt nonens (ut eſt cogitatio) niſi in formam entis approximetur, ad originem omnium motuum in nobis. Hunc autem progreſſum in Ideis multo verborum ſyrmate convincere ſtudui: quapropter etiam in Incantamentis parem nativitatem adſcribere cogor. Enimverò etſi odora & grata aromata multas infirment mulieres: non tamen idcirco olida ſive putida quævis, illas ſanare debent. Per exemplum non enim Aſſa, aut odor fumantis ſulfuris recreant hyſtericas, quatenus fœtent: neque enim ex æquo omnes pariter fœminas reficiunt ſemper, aut ſimpliciter: ſed quia cohibent ſive interficiunt Ideas, extra utero impreſſas. Sic etſi infirment dulcia; proinde amara, ut talia, illas ſanant. Docui namque inprimis non exſiſtere contraria in Natura. Quare argumentum à contrario ſenſu, etſi in Iure valeat: minimè tamen in natura, quia litigia & jurgia Iuris non reperiuntur in natura. Nec putandum interim remedia uterina conſiſtere in temperato, quaſi extremorum medio, qualitatum mutuo confractarum aſylo, ab extremis exemto: ſed prorſus in Arcano libero. Ita quidem, licet nullum ſimplex ſit exors primarum qualitatum, minimè tamen, illarum reſpectu, appropriata ſanant hyſtericas. Eſt autem ejuſmodi Arcanum Ignis, ſive dulcedo ſulfuris, è vitriolo Veneris: Itemque tinctura Coralli, volatilis, eſſentia Succini, Gagatis, Vrtica non pungens flore albo cucullato: Ribes nigrum, Ballote, Ruta, Abrotanum, Salvia, Nepetha, grana Sambuci, Ebuli, Aſſa fœtida, Verruca poplitis equini. Corallus rutilans ergo eſt herba lapidea, vel lapis herbaceus in veneficiorum deſtructionem natus. Nam prout veneficia fiunt ab Idea, irregulariter tranſplantata in ſordibus, quæ videlicet Idea jam ante erat ſeminalis in ſuo ſpiritu: dum tamen ſordibus inſeritur, migrat in virus. Sic nempe vis ſeminalis in Corallo inſeritur in materiam petrificam; Si ſit ergo qui vegetabile ſeparet à lapide Coralli, jam acquiſita eſt dos naturæ, ſive Idea illius ſimplicis vindicans, tranſplantanſque Ideas tranſplantatas in virus. Obſervavi namque quàm invitò hunc lapidem diabolus toleret. Quod noverim nobilem incantatum, cui etſi armillaria è globulis corallinis fortiter alligarentur, ſtatim tamen inde diſſilirent. Cujus ſimile occurrit in eo, quod fœminis malè valentibus, rutilans Corallum mox palleſcat, velut compatiens illis: qui tamen priſtinum ruboris nitorem reſumit, cum muliebris uteri ſanitate. Cæterùm non quævis ſimplicia ex æquo incantatos ſanant, ut neque omnes pariter hyſtericas: Nam ſuas ſingula dotes habent Ideas, tolluntque compares nocuas. Abrotanum ſcilicet, Salvia & Ruta, Ideas timoris abigunt. Artemiſia, Vrtica, Ballote & Ribes nigrum, valent in caſibus à mœrore contractis. Aſſa autem, Caſtoreum, grana Acitis, Gagatis eſſentia: in caſibus ex Ira patratis.

Nepetha autem, Valeriana & Adiantum: in caſibus ex Idea odii reſultantibus. Prout hypericon, & Phu tertium in Ideis furibundis. ſic Lepus ſiccatus, teſtes quorundam beſtiarum, fumo arefacti, virga Cervi, Agnus caſtus & Succinum in Ideis, per libidinis ſuggeſtiodem natis. Electrum autem minerale, corallus præparatus, & majora Arcana, adſcendunt ad univerſale quodammodò. Quibus approximant ſecundini maſculi primogeniti, fel anguis, &c. Profectò majora Arcana præparata per artem, aut appropriata per dotem naturalem, vix aliquem deſtituunt. Porrò quantùm propoſita Methodus, à Scholis deviet, ipſæ judicent. Morbos namque uterinos agnoſcunt more ruſtico. Nimirum dumtaxat noverunt, menſtrui inordinationes, & gonorrhœas. Quoniam Malaciam, & præfocationes inter ſymptomata referunt. Retenta enim menſtrua, ex oppilatione ponderant', atque aperientibus fruſtra ſanare intendunt. Tam enim aſſueverunt non ſanare ſuos, quod ſanationis nomen in oblivionem iverit, ejuſque vicem obtinuerit Curatio. Immodicos enim ſic menſes, per inordinatam venarum apertionem curari volunt, indiſtincta cum plebejis obſervantia. Denique ludibrio plenum: quod per ſolam phlebotomiam, tam retentis, quàm profluentibus ſubveniri nitantur. Modò venam malleoli in retentis; in profluis verò, Iecorariam in brachio tundant. In utroque caſu inquam, cruorem æquabiliter detrahant. Quod compererint quandoque, naturam tam periculi, timoriſque plenam, quàm cruoris atque roboris vacuam, ab incepto fluoris furore, ſubinde pro ſpatio deſtitiſſe. Simile fortaſſis fuerit, ſi nimis petulantem equum, tendinis læſione claudicare fecerint. Deficiente autem menſtruo, oppilationum oblitæ jam Scholæ, ac quaſi ſuppreſſio neceſſariam involveret plethoram, jubent incidi venam: quod eſt effectum, non autem cauſam oppilantem oppugnaſſe. Neſciunt inquam detenta menſtrua, furore poteſtatis rectricis peccare. Subinde ſolutiva iterato propinant, & quæ calida tertio finguntur gradu. Immemores interim horum, Chalybem, diverſimodè vexatum, propinant. Vtinam noviſſet mundus, quàm vanis præſidiis mulieres exagitent, quantùm deoppilationibus toto orbe chriſtiano deſudent, & quàm occupatæ ſint Scholæ, ut ignorantiæ ſuæ errores, in aliorum obmiſſiones traducant. Strictam enim diætæ obedientiam injungunt, cui mandato, ſi vel odoretenus ſemel non paruerint per omnia, declamant ſe fruſtra laboraſſe, & ſtuduiſſe. Picam interim ſive Malaciam per ſuas purgationes fruſtra tentari etſi deprehenderint: dum tamen melioribus deſtituuntur, purgationes nihilominus ubique uterinis curationibus adhibent. Præfocationibus quoque, diris lethi ſpectaculis obvenire nituntur per fœtida naribus appoſita, alii Theriacam olfactui objiciunt: plerique verò conſervam rutæ, cum caſtoreo per os violenter intrudunt. Neſcii ſaltem quantum ſacchari dulcedo, ſopitum uteri furorem concitet. Tandem in tanto agone per fœtida & beneolentia, diverſis locis applicata, ſperatur conjecturalis ſanatio. Ah immane ſcelus, furibundum uterum, revulſione phantaſtica pacare velle! Vana Medentum conſilia & auxilia, ignoratis cauſis immediatis adhibita. Ne digitum enim, ſublevando malo apponere ſciunt, totumque humeris mulieribus onus relinquunt, donec vel ſponte deficiant ſtrangulatæ, vel forte fortuna in ſe redeant, circulo furoris emenſo. Crebri interim viſitatores, loculos & vires exhauriunt. Mitiſſime Ieſu, qui vivus tantam viduarum atque virginum curam geſſiſti, jam cœli terræque Monarchatum ſolus adminiſtrans, miſerere medentum, ut inſontioris & ærumnoſioris ſexus poſthac condignam gerant curam, ac remedia inquirant debita; flecte illorum animos, ut diſcere non recuſent, ac ſub beato uniſono, unum meditemur pariter omnes, prorſus neceſſarium, quod eſt, amabiliſſimam voluntatem tuam complere adorando, cum annihilatione noſtræ voluntatis, in empyreum oceanum ſanctificantis voluntatis tuæ, Amen, ah utinam Amen.

PRo actione inlocaliter diſtans, vina nobis demonſtrationem ſuggerunt. Vinum namque quodlibet, licet extra provincias conterminas natum, itemque tempeſtivius alibi floreſcens: attamen turbatur dum floret vitis noſtras, nec ceſſat ejuſmodi confuſio, quamdiu flos viti non deciderit. Quod ſanè contingit vel à cauſa motrice communi vitis ac vini: vel à particulari diſpoſitione vitis, quæ vinum ſcilicet turbat, ac velut ſurſum deorſum confuſa tempeſtate commovet. Aut viciſſim, quod ipſum vinum ſua ſponte ſe ita turbet, propter flores vitis. Quorum amborum poſteriorum ſi ſit prætacta conformitas, conſenſus, condolentia, vel congratulatio: ſaltem non poteſt non id fieri, per actionem in diſtans. Puta, ſi vinum turbetur in cellario ſubterraneo, cui fortè per aliquot milliaria, nulla vitis vicina eſt, nec ulla collocutio aëris ſubterranei, cum flore abſentis vitis. At ſi cauſam communem, pro tali effectu incuſare velint: Oportet vel ad Aſtra recurrere, quæ à noſtris voluptatibus, & audendi libertatibus nequeunt redargui: vel inquam, recidimus in confeſſionem actionis in diſtans. Videlicet quod unus aliquis idemque atque adhuc ignotus motor ſpiritus, vinum abſens, & vitem longè diſſitam regat, eaque colloqui & compati faciat. Quantum autem ad Aſtrorum potentiam attinet: nolim, uti nec auſim ex mea licentia vires, potentias, aut fines Aſtrorum extendere, ſupra aut præter textus ſacri authoritatem. Qui dicit, elogio divino pronunciatum: Quod Aſtra nobis erunt in ſigna, tempora, dies & annos. Qua regula, nequaquam vis Aſtris tribuitur ut vitis, vinum peregrino ſolo natum, eminuſque advectum, turbet, moveat, ac confuſum reddat. Etenim viris aliquando receperat potentiam creſcendi & multiplicandi ſe, ante natas ſtellas. Erantque vegetabilia ante ſtellas, harumque putatum influxum. Quocirca etiam in eſſentia nequeunt eſſe conjuncta, quorum unum abſque alio conſiſtere potuit. Imò floret vitis alibi tempeſtivius: anniſque pluvialibus aut frigidioribus tardius floret vitis noſtra, cujus tamen florem ac ſcenas effloreſcentiæ vinum imitatur, adeoque nec Aſtra reſpicit, ut ad illorum nutum ſe turbet. Denique nec vinum auſcultat effloreſcentiæ capparum quorumlibet, ac ſolius vitis. Adeoque non in cauſam univerſalem, mundanæ viciſſitudines œconomicam rectricem auram confugiendum, ut ſcilicet potius ad adynata & abſurda recurramus, quàm ad proxima ſymboli, unitatiſque commercia, licet hactenus Scholis impervia. Porrò in Cereviſiis id longè manifeſtiùs adhuc apparet. Cum olim avi noſtri vidiſſent ex hordeo, quomodolibet ebullito, non niſi inanem ptiſanam, vel pultem etiam coqui; meditati ſunt hordeum, prius germinari debere (quod tum Maltam vocant) undè demum cereviſias ſuas vinorum æmulas coxerunt. In quo inprimis aliquot notabilia coincidunt. Nimirum excitatur in hordeo germen vegetabile, quod ſiccato deinceps hordeo interit, ſpemque creſcendi amittit, tantoque magis per commutationem in farinam, ac dein per poſteram ebullitionem, deſpondet à virtute creſcitiva: attamen his non obſtantibus retinet ſpiritum vinoſum, aquæ vitæ, ac inebriantem, quem tamen nondum actu poſſidet: ſed tandem dierum numero vi fermenti acquirit. In unico ſcilicet unius grani gremio, unicus ſpiritus diverſis poteſtatibus inſignitur, caſtraturque una, relicta altera. Quod ſanè adhuc longè mirabilius eluceſcit. Vbi cereviſia ex malta, ſeſe, non ſecus atque aliàs vinum ſolitum eſt, turbat dum hordeum floret. Adeoque hinc conſpicua eſt poteſtas in abſens longè diſſitum. Siquidem ſunt urbes, à quibus amœna prata arcent hordei ſationem per multa milliaria, tantoque potentius probant cereviſiæ conſonantiam ſui, cum abſente hordeo florido: quantum caſtratio potentiæ germinandi, creſcendique ſpes abſtulere: ac demum aqua vitæ, detenta ac recluſa intra cereviſiam, cadum, carceremque cellarii, non poteſt ſoſpite cereviſia divagari per aliquot leucas ad florentem hordei ariſtam, ut inde redux procelloſa, reſiduam cereviſiam multa turbet confuſione. Certè longè tranquillius eſt iter, pro conſenſu magnetico inter quædam agentia procul invicem diſtantia: quàm eſt ſomniare peregrinantem aquam vitæ è cereviſia cellarii ad florens hordeum, indeque redire ad priſtina pennarii & cereviſiæ receptacula. Atqui opportunè æquè lucidè magnetiſmum, ſui operationem in diſtans confirmat, ſignum à prægnantis appetitu fœtui impreſſum. Eſto ſcilicet gravida, quæ ceraſum appetat alienum, digito ſibi frontem ſcalpat. Extra dubium, fœtus in fronte ſignatur ceraſi imagine, quæ deinceps ſingulis annis virideſcit, albeſcit, flaveſcit, ac tandem rubet, juxta tenorem arborum. Et adhuc multo mirabilius eaſdem viciſſitudines maturitatum exprimit: quod idem fœtus, in Hiſpania (ubi ceraſus floret ſub finem Februarii) imitatus ſit præfatas ceraſi ſcenas longè citius, quàm penes nos. Adeoque confirmatur per hoc nedum actio in diſtans: ſed & conformitas eſſentiarum ceraſi, in trunco ligneo & carneo: conſanguinitas entis, parti per imaginationem inſtantaneam, & per nuclei ſucceſſivam annorum ſeriem explicati. Sanè non debent doctiores ad cacodæmonem rejicere, quæ ſua debilitate ignorant: nam ſanè utrobique occurrunt in natura, quæ noſtra tenuitate explicare non valemus. Non enim inſolenti temeritate caret, ad diabolum referre dona DEI in natura, quæcunque noſtra exiguitas non capit. Præſertim ubi omnis cauſarum demonſtratio à priori exſulat à nobis, ac potiſſimum ab Ariſtotele, qui totius naturæ ignarus fuit, privuſque dono bono, quod deſcendit à Patre luminum, cui omnis ſit honos & ſanctificatio.

DE SYNPATHETICIS MEDIIS.

DIſtuli ſuperius claudere tractatum de Injectis, donec de conceptis ſat ſuperque conſtaret. Conjunxi namque Injecta conceptis, quod in Imaginativæ radice connexa ſtarent. Vtrumque autem oſtendi, quantùm nos lædat & infirmet; unum quidem tanquam ens peregrinum, aliunde deſumtum, eminus delatum, variam calamitatem accumulans: alterum verò domi penes nos natum. Reſtabat modò ſcrutari, an furfures nihil haberent adhærentis ſiliginis: an ab iiſdem initiis peti non poſſet, quod tantis compenſaretur pro malis? Deprehendi itaque inprimis, media ſynpathetica ſimul colligari. Anno 1639 exiit libellus, cui titulus: Ericii Mohy Eburonis pulvis Synpatheticus, quo vulnera ſanantur, abſque medicamenti ad partem affectam applicatione, & ſuperſtitione: Galenicarum & Ariſtotelicarum rationum cribro eventilatus. In quo Ariſtotelicè ſat probatum, quæ pollicetur titulus: ſed vim directricem neglexit, quæ ſynpathetici pulveris vires, in cruento linteolo receptas, deferat ad vulnus diſtans. Cruor quidem è vulnere, vel pus, ſanieſve ab ulcere, linteo excepta, recipiunt quidem balſamum, ab ente ſanativo, pulvere inquam vitrioli, poteſtatem medicam, connexam in præfato medio determinatam: addiriguntur vires accepti balſami, ad objectum vulneratum, non quidem vi Aſtrorum influentiali, & multò minus ſponte evolant ad objectum diſtans. Ergo Ideæ applicantis remedium ſynpatheticum connectuntur in medio, & fiunt directrices balſami, ad objectum ſui deſiderii. Prout ſuperius de Ideis deſiderii, in Injectis adhuc meminimus. Mohyns potentiam ſynpatheticam ex Aſtris dimanare retur, quia influentiarum æmulam. Ego verò ex propinquiori longè ſubjecto deſumo. Nimirum ex Ideis dirigentibus, matre charitate, ſive deſiderio benevolo genitis. Hinc namque felicius operatur iſte pulvis ſynpatheticus per manum unius, quàm alterius applicatus. Optimè idcirco ſemper proceſſum obſervavi, ubi cum amoroſo deſiderio, & cura charitatis inſtituitur remedium: parum autem feliciter ſuccedere, ſi operans incurius ſit, aut ebrius. Adeoque hæc aſtra mentis deinde pluris feci, in ſynpatheticis: quàm Aſtra cœlorum.

Quod autem conceptæ Imagines, in diſtans ferantur, probat prægnans manifeſtò. Quippe quæ ſuorum conceptuum Ideas illico omnes transfert in fœtum, à matre non aliàs dependentem, quàm communione univerſalis alimenti. Equidem cum deſiderii directio ejuſmodi, ſit planè naturalis, non mirum, quod cacodæmon exigat ſuarum ſcrofarum Ideas, deſiderii in medium à ſe oblatum connexas. Ideæ ſcil. deſiderii per modum influentiarum cœleſtium, jaciuntur in proprium objectum, utcunque localiter remotum. Diriguntur nempe à deſiderio objectum ſibi ſpecificante, non ſecus atque viſus Baſiliſci, vel nutus Torpedinis, reflectitur in objectum volitum. Oſtendi namq; jam in prædictis, ne quidem diabolum aliquid in directionibus Injectorum tribuere: ſed opus habere directrice & operatrice libera. Non enim quod velim infamare remedia ſynpathetica, eò quod diabolus operetur aliquid circa Injecta.

Quid enim commune habent ſynpathetica, licet diabolus in Injectis cooperetur per nefaria media naturalia, à ſuis petita mancipiis. Res enim quæque à finibus & intentis res vel bona cenſebitur. Sufficitque, quod ſynpathetica cum Injectis, conveniant in mediis naturalibus.

DE INSPIRATIS.

RErum indiſtincta novitas me dudum in mentalibus Receptis detinuit. Nunc demum proſequor tertium Receptorum genus. Inſpirata voco. Forinſecus enim in nos intrant, & plerumque unà cum aëre. Ex antris nimirum, paludibus, fodinis, montibus, ventis provincialibus, ſerpentibus, ſordibus, cadaveribus, vel creſcentibus. Sunt enim rerum exhalationes, quæ proditoriè atque inſenſiliter vitam noſtram ſuffurantur. Etenim Illyricum, Dalmatia, provinciæ olim populoſæ, itemque celeberrimæ olim Alexandria, quanquam fertilis glebæ ſolum habeant: nunc penè deſerta, ob dirum virus, quod confeſtim ad vitæ tendit epilogum. Spagyrus ſic quotidie, ſylveſtre atque pernicioſum Gas, è carbonibus aquis ſtygiis, & fuſionibus mineralium haurit, ſemelque intro attractum, Archeum turbat juxta indolem cuique veneno propriam. Sic aër loci importunis fermentis infectus, Gas profert, quod locis ſolitas ægritudines dat. Quas perperam alii in locorum Tartaros retulere. Enimverò per moram, fuligines quævis ſuos inquinant vaſorum parietes; undè videlicet ſub ſexta digeſtionum, diverſa excrementa cuduntur, putrefaciendis ultimis alimentis, corrumpendiſque vaſis aptiſſima. Quoniam ſi fuligines ſalium, nocua miſtura ſtipantur, mox intus liquata, teneritudinem harundinum penetrant atque rodunt. Mitiora tamen, quàm quæ ſicco fumo ibidem collecta ſunt. Nam ſi tenues aſperæ arteriæ ramos obſederint, illos occludunt, ſpem reſolutionis præſcindunt, quibus ſi excrementa loci ſubnaſcantur, ſic ut à retro aërem præcludant, continui hoſpites fiant, partemque ſic ſarcinant, ut & ipſe corrumpatur, & vomica fiat. Quæ verò unà cum vaporibus intrant, conſumtis aqueis, atrociter partibus ſimilaribus ſociantur. Sic nempe plura endemica, provincias fecere inhabitabiles. Quinimo mare utut ſalſum, à tantis malis nondum immune. Quod litora per Scorbutum variamque febrium cladem teſtantur: atque omnium manifeſtiſſimè linea æquinoctii. Miniſtri ægrorum demum, crudelia inſpirant, jam per ſymbolum fermentata. Sic qui deaurant, plumbum, cuprum, marcaſitas, &c. liquant. foſſores, item ſeparatores, & coctores mineralium. Nam etſi ſtatim vitam non tollant: breviant ſaltem, eamque variis cladibus ſubjiciunt. Sic qui Cinnabari, Arſenico, Auripigmento ſublimatis, ſtibioque laborant: quive Minium, Ceruſſam, viridi æris, Zaffaris lazurium parant, pictoribuſque inſerviunt. Sunt namque ſubterranea longè conſtantiora, quàm quòd noſtro calori auſcultent, domentur, expellanturve: multoque minus, ut in alimentum cedant. Solent enim ideo horum producta, in vitam durare, niſi adſcendente nitore benignioris ſulfuris, ipſimet hoſtes convertantur in amicos, aut tempeſtivè recedant. Morbi mineralium enim à nemine præter Paracelſum tacti; ſed à Scholis neglecti, quæ ſemper ſuper avorum commentaria novas ſomniarunt Iliadas, ideoque tranſeuntibus Levitis in Iericho perſimiles: quippe vix extra calores & frigora caput extulere. Enimverò quandoque probavi, quod ſtomachus odores rerum hauriat in ſcypho propinatarum. Contremiſcant nempe hypochondria, ad oblata pocula, utut grato aromate larvata. Ergo & aër, odores ad ſtomachum deferens, per diaphragma tranſit. Hinc enim omne endimicum, natum eſt afficere immediatè convexum ſtomachi, ibidem imprimere odores, fuligines, & fermenta: ſic ut liquori alimentali nupta, digeſtionis miniſteria confundant, & excrementa varia pariant. Sic nempe Peſtis, cum endimicis Inſpiratis, circa ſtomachum primordialiter plerumque furiunt. Ductus Laryngis namque cum aëris inclementiis ſubjectus ſtaret, ſua armamenta, à Dei bonitate ſuſcepiſſe credendum, non minus quàm veſica contra lotium, cyſtiſque contra ſuum fel, ſunt loricata. Sed ſtomachi magnæ molis membrana, plurimùm ſuis digeſtionibus occupata, cum endimicis interpellatur, ente endimico turbatur. Tuſſis ergo, Aſthmata, vomicæ, palpitationes, atque plurimæ anxietates, ab endimicis, occaſionaliter pendent, impreſſis ſupra ſtomachi convexum. Eadem eſt ratio febrium malignarum, caſtrenſium, aliorumque morborum populariter infeſtantium. Fernelius non contentus Galeni doctrina ſedem omnium febrium,

brium, infra Pylorum quærens, fictitiis humoribus ſe non extricavit; nec quicquam de convexo ſtomachi ſomniavit unquam, quodque leve endimicum inſpiratum, ſufficeret transplantando alimento ſextæ digeſtionis. Cedo, quid aër, tempeſtas temporum, tangat humorum ametriam? An enim calidus aer æſtivæ diei bilem, vel excrementum pariet, quod dies temperatior, in vitalem tranſmutaſſet cruorem? Sic ergo in pulmone, omni Iuris prærogativa, conſtituetur officina humorum primaria? Ego didici, digeſtiones eſſe tranſmutantis Archei generationes ſubſtantiales, non caloris interni, ac minimè externi aëris. Digeſtioneſque turbari hauſto endimicio nocivo, aut ſaltem moleſto: errores quoque digeſtionum vix carere producto morbifico: eò quod digeſtioni proprium, digerendo, aliquid producere. Non nego quidem intenſum frigus, vel calorem, lædere tenerum pulmonem, vel cerebrum: cum & cutim amburant. Sed noxa ejuſmodi, tantum in gradu, natura humana ſuperiore conſiſtit? eſtque quædam amplitudo in gradibus ſingulis, quæ infra noxam conſiſtit. Nunc Inſpirata reſpicio. Mineralia autem inſpirata, nullam exſpectant remedii ſpem ab vegetabilibus. Admitto quidem ſuffitus, fuliginum citam adhæſionem in cannis noſtris impedire. Ac ſemel poſſeſſionem intus nacta, illam per vegetabilia non recuſabunt. Vix enim medelam, niſi per arcana ejuſdem monarchiæ ſuſcipient. Quapropter nequicquam auxilii, à manna urticæ, itemque à decocto ſempervivi, in coloſtro lactis, &c. reperi. Quod cum venia Paracelſi ſic aſtruo, & qui volent experiri, mihi ſubſcripturos confido.

SVSCEPTA.

QVartum Receptorum genus, Suſcepta voco. Qualia ſunt vulnera punctim, vel cæſim, jaculando, verberando, jaciendo, lacerando, mordendo, contundendo, congelando, amburendo, vel ſtringendo facta. Item oſſifragium, dislocatio, vinculatio, conſtipatio, atque in ſumma, quæcunque Chirurgo proximè ſubjacent. Siquidem ulcera, quæ non à vulnere perperam curato, nata ſunt, cum aluntur à principio interno, ſpectant ſingulariter ad Phyſicum. Eaque evidentiùs, quod ulcera quævis, & quantumcunque maligna, perfectè ſanentur per Arcana oretenus ſumta. Nactis igitur Arcanis, Chirurgus quandoque penurioſus deſes erit, manuali dumtaxat labore circa Suſcepta occupandus. At quia dierum plenitudo nondum Arcana in uſum traduxit, hinc Chirurgis licentia invadendi in Phyſicum. Interim non moror differentiam inter morbos membrorum ſimilarium, & organicorum, tantoperè in Scholis dilatatam. Quia morbum ex cauſis Archealibus & immediatis, non autem ex functionum læſionibus metior. Potiſſimùm quod omnes partes utut organicæ, non egrediantur ſui homogeneitatem. Neque enim referre arbitror, ſive plura in unam partem concurrant officia, ſive ſingularium munium ſit ſingularis defectus. Quia effoſſo oculo, non morbus ſuccedit; ſed mors viſivæ poteſtatis. Ideoque ſuperinducta incarnatio ſanitatem vulneris facit, mortem autem non reſtaurat. Nec item mecum pugno, etſi alibi omnes morbos oriri atque foveri ſeminalibus principiis dixerim. Suſcepta verò hoc loco, vulnera enſe, per modum artificialium operari intrando doceam. Quia morbi Suſceptorum non ſunt, quamdiu ſunt in fieri eſſe: ſed tantum à ſuſcepto eſſe. Habent enim Suſcepta iſtud peculiare, quod per ſe potiùs mortem, quàm morbum introducant. Per accidens enim eſt, quod vulnus partem carnoſam, vel ipſum Cor, arteriamve præſcindat. Adeoque vulnus, ſui initio, minitatur mortem parti, cui infligitur: ſemperq; Suſcepta ſapiunt naturam artificialium. Suſcepta enim deceperunt primitus Scholas. Argumentatæ enim ſunt hoc modo. Enſis vulnerat, diviſum continuum vulneratur. Diviſio autem non eſt niſi relatio terminorum: & tamen vulnus eſt morbus. Ergo morbus omnis tantùm in relatione conſiſtit, vel ſaltem in Diatheſi, ſive effectu illius relationis. Quod eſt dicere, vel morbum eſſe ens rationis ſive nonens(quale eſt relatio terminorum) vel oriri ens reale ab ente rationis. Ego verò qui cauſas internas connexas, non diſtinguo ab reipſa: Venena, cibos, enſem, &c. voco occaſiones: vulnus dico mortem continui abſolutam, vel minitatam. Dum autem vim ſuam in Archeum intulerunt, adeo ut hic excanduerit per ſibi applicata, inter primarios morbos refero, quod à Suſceptis eſt impreſſum. Statim enim ut enſis diviſit continuum, adeſt actio cauſæ occaſionalis violentæ, in Archeum vibrata, & hic ſuas mox orditur tempeſtates, id eſt, Morbos.

RETENTA.

REceptorum abſoluto tractatu, ad Retenta jam pergo. In Rententis autem hoc ſemel atque ſeriò monuiſſe ſat eſto. Quod quanquam ſint dumtaxat cauſæ occaſionales morborum, morbos tamen juxta Retenta volui diſtinguere, ut nomina morborum antiquata retineam. Sufficere autem in præcautionem eorum, quæ de Retentis ſunt dicenda, caput, cui tit. Hactenus ignoratam ſtetiſſe cognitionem morbi in ſuo univerſali. Quorſum lectorem remitto. Siquidem Retenta ſingula ſuas in Archeum invaſiones, atque inde morborum quoque differentias ſuſcitant. Sunt autem Retenta, quæ vel forinſecus aſſumuntur, vel intus domeſtica naſcuntur per internam inordinationem. Seminalia namque ſive peregrina fuerint, ſive domeſtica, utrobique ſuæ ataxiæ memorem effectum in Archeum ſuſcitant. Quod vel in ſimplici oculi lacryma eſt obvium. Vtpote quæ ſano motu ſpiritus tota difflatur abſque ſenſu ac moleſtia, male diſpoſito ſpiritu oculi, tota denſatur, grumeſcit, vel in ichor rodens mutatur. Retenta denique non ſolùm ſui difformitate variant: verumetiam propter corporis diſpoſitiones mutantur. Corpus enim, quatenus perſpirabile plus minuſve, morbos variat. Quædam enim retenta difflantur, nec pòſt, radicem recidivæ ſuſcitandæ relinquunt. Subinde quoque hujus benignitatis obliviſcuntur, materiam occaſionalem, & cum hac non raro impreſſiones, fermentales adulteras relinquunt, ut ſoboles, quæ novos de ſe hæredes, ſive producta in Archeo ſuſcitant. Sudant quippe etiam pori interni, quatenus totum corpus perſpirabile eſt, atque in alienam meſſem deportantur liquida. Quæ quia extra proprios lares delata, vita proinde mox communi ſpoliantur, citiſſimè coagulantur, (ut dixi de oculi lacryma) vel in liquidum virus reſoluta permanent. Sic nempe tuſſium materia, Hydrops, Coriza, Diarrhœa, Diabetes, Apoſtemata & ulcera naſcuntur. Quorundam enim Retenta coagula, pertinacius hærent, tardè, aut nunquam reſolvuntur: vel ſponte de reſolutione ac liquatione cogitant. Vel ſymptoma impreſſionale in Archeo deſerunt, ſubſtitutum in recidivarum perpetuam memoriam. Sic namque morborum ſemina aliò ire parata, diſtorta abeunt. Sicque variant demum morbi, ex parte digeſtionis ſextuplæ, impeditæ, inverſæ, ſuſpenſæ, extinctæ, vel vitiatæ. Variant quoque morbi Retentorum ex parte diſtributionis digeſti. Proportionata enim diſtributio, vim Iuſtitiæ diſtributivæ, cuique parti debitæ, exercet. Sin autem diſproportionantur, jam eſt infirma & neceſſitata diſtributio: idque tam reſpectu naturalium functionum nunquam feriantium, quàm continuæ perſpirationis, atque inde indeſinentis neceſſitatis ergo. Ea autem diſproportio eſt ſpontanea, ac velut exundans diſtributio, ratione ſymptomaticæ expulſionis, propter conſpirabilem thymoſim agitantis Archei. Vel demum diſproportionatur diſtributio, quatenus neceſſitata eſt ex parte penuriæ, undè tandem etiam toti non rarum damnum ingruit. Puta dum in parte aliqua degenerat alimentum, ejiciatur, & ſic abſumatur. Quale eſt ſputum tabidum in pulmoniacis, muccoſum gluten in Calculo, in gonorrhœa, &c. Etenim cum pars, deturpato, degenereque ſemel alimento, nunquam alatur deinceps: ſed illud aſpernetur, atque detrudat, ob penuriæ ſenſum tamen id non ceſſat continuò, novum à diſpenſatrice alimentum efflagitare, atque ſua importunitate obtinere, ut ſuæ neceſſitatis ſiti ſatisfaciat. Ergo novum illi multoties alimentum ſubminiſtratur, aliiſque contubernalibus detrahitur, quia deficit ſufficiens pro omnibus. Inde ergo macies, atrophia, tabes, totiuſque neceſſarii depauperatio. Sic nimirum Diarrhœa, Dyſenteria, apoſtemata, ulcera & purgativa nos emaciant, & exhauriunt. Partes enim infirmæ ſunt inſtar filii prodigi, quia abſumunt, & inutiliter projiciunt, quæ male perdiderunt, quicquid illis eſt diſtributum, lugentque iſtam deperditionem partes cæteræ.

Aſſumta Retenta peccant ſola qualitate, vel quantitate, vel Indiſcretione, ſive Inordinatione. In quanto enim ſi immodica, ſi frequentia, vel nimis rara (nam numeris in quantis eſt) unicuſque error quandoque morbo initium dat, ubi interim aliquamdiu aliàs natura reluctatur. In qualitate autem nocent primariò aſſumta venena, pharmaca ſolutiva, itemque alterantia nimis graduata. Diſcretio etiam in aſſumtis peccat, ſi præpoſtera, extra horam, & modum aſſumantur. Vt ſi menſes proritentur prægnanti, aut profluo utero; Indiſcretio enim inordinationem frequentem parit ubique, ubi ignoratis cauſarum & indicationum ſcopis indebitum aliquid ingeritur, aut poſtulatur. Vitiantur etiam innocua ingeſta, ſola ſui mora, & detentionis diuturnitate; fiuntque hoſtiliora, quo magis familiaria, aut ulterius promota fuerint. Siquidem propter conceptum quandoque ſymbolum, fermentant citiùs, penitiúſque ac potentiùs ſuas imprimunt inimicitias. Et ut ab aſſumtis tandem ſubinde fiunt Retenta innata: ita ab Inſpiratis fiunt ſæpè morbi Retentis ſimiles. Nam inſpirata quædam retinentur, eaſdemque partes, quas Retenta, affectant. Differunt alioqui radice interna, quantum anhelitus à potu, quantumque cibus à cruore.

Antequam verò ad Retenta innata deveniam, neceſſe eſt primariorum morborum ignotam tragœdiam repræſentare. Quod Retenta innata, plerumque à primariis morbis initientur. Enimverò jam ante diſtinxi morbos omnes, quod vel afficiant Archeum partibus inſitum, vel influum; quanquam utroque caſu procedant morbi per formationem Idearum. Quod de primariis intellectum volo: è quorum ſinu videlicet oriuntur vel degenerationem recrementa anſam facientia novis Ideis ſive morborum inſultibus. Vix enim poſſibile eſt, Archeo inſigniter per Ideam hominis vel Archei ſpontaneam perculſo, non oboriri in inferiore corporis œconomia adraſtiam, undè inprimis ipſæ digeſtiones à ſcopo aberrantes ſibi fabricent pernicioſa recrementorum Collegia, quibus foventur primariæ Archei diſcraſiæ (ſi nempe proceſſerint ex eadem radice. Id eſt, ſi radix primarii produxerit ſibi ſimile, perſtite videlicet priore exorbitationis Idea) vel novæ morborum ſuſcitantur propagines. At ſaltem utroque modo, præfata excrementa, producta ſunt primariorum. Primarii autem vel ſunt Ideæ Archeizatæ, ex propria ſcilicet ſubſtantia Archei influi, defluentis in corporis compaginem, quam nimirum pro rabie ſua devaſtat. Atque ejuſmodi morbi non rarò per opiata ſedantur; imò etiam funditùs evelluntur. Vtpote ſunt plerumque ignavioris turbulentiæ proles. Flamma paleæ, vel ſpontanea motu deficiens, vel ad conſumtionem Archei, vitiata Idea informati, ſilens. At Ideæ ex inſitis vitalium ſpirituum afflictionibus oriundæ, ſive ſimilarium partium, ſive organicarum ſint moderatores ſpiritus, totam plerumque vitæ œconomiam turbant, præſertim ſi in viſcere aliquo principe, Archeus malè commotus, Ideas ſuæ læſionis formaverit. Potentiſſimas enim tum parit afflictiones, imò quandoque in vitam ſoſpites. Etenim ut majoris ſunt nobilitatis, eminentioriſque poteſtatis rectores: ita & efficaciores Ideas depromunt, jacentiſque naturæ morbos propagant. Quippe ipſæ partium nobiliorum inquilinæ poteſtates iiſdem imaginibus, tanquam ſigillis contaminantur, quas producta inde morboſa, velut ſuſcepto ſigilli in ſe veſtigio, catenatim deinde per claſſes digeſtionum exprimunt. Sic nempe viſcerum morbi primarii ſcaturiunt, nec remediis, niſi penitioris ſyngamiæ, auſcultant, imò & in nepotes hæreditates legant. Cujuſmodi Arcana lib. de vita longa recenſui, quæ nimirum univerſalis medicinæ majeſtatem repræſentant ſingula. Quanquam inficiari nolim defæcatioribus ſimplicibus quibuſdam ineſſe quæ particularibus morbis primariis medeatur. Rident Galeniſtæ generalitatis ſponſionem: Sed avis quæque juxta ſui roſtri modulamen, vocem edit. Loquiturque quiſque de nundinis, juxta atque in iis profecerit. Ex prædiductis jam patet. 1. Fruſtra intendi ſanationem morbi ſecundarii, niſi averruncato, peſſumdatoque prius primario, qui illum foverit. 2. Quod tum ſecundarii ſanatio, in ſola ablatione producti verſetur. 3. Quod primarii perſeverent, etjam à generatione ſecundarii, ſi ex inſitis ſpiritibus Ideæ promanent. 4. Quod primarii etjam ſpontè ceſſent, quorum Ideæ in primis inſultibus deſierunt. 5. Quod neſcita hactenus cauſalitate, ſucceſſione, & propagatione morbi, de morbo, ignorata ſteterit eorundem ſanatio. 6. Quod Scholæ æſtimarint, ſecundarios, imò & morborum producta, eſſe eorundem cauſas: adeoque totam Medendi operam ad poſteriora direxerint. 7. Quodque rectiùs proceſſiſſent per ablationem producti, quàm per qualitatum contrarietates, debitaque exquiſiviſſent remedia, quæ virtute ſoſpite, ad loca affecta penetrare poſſent. 8. Quod quicquid ſub ſanando feliciter ſucceſſit, id conjecturæ & ſoli naturæ bonitati, ſit adſcribendum: quia falſis ſeductæ perſuaſionibus, circa intemperies, humores, catarrhos & tartaros oberrarunt per ſolutiva, non electivè educentia; ſed quidlibet furioſè putrefacientia. 9. Quod quædam remedia à vetulis, vel ruſticis didicerint, quæ præter ſcholarum axiomata ſpecifico dono morboſis Ideis mederentur. 10. Quod incurabiles cenſuerint, quotquot primariorum ex ſui fermento perſiſterent, neque ſuos vigores tranſplantarent in ſua producta. Etenim plerumque morbi primarii ſpectant tranſmiſſiones cauſarum ſeminalium in Ideis, turbantque actionem regiminis. Vndè nedum morborum fabrica; ſed & eorundem liberationes emanant criticæ, ſpontè per inſolitas expulſiones, devias conſpirationes, labores, anxietates, ac impetus convulſivos, præſertim ſi ſemine, efficienteque fermento in materia ſubſiſtant: quibus videlicet ſignis, ſeſe à ſymptomatum familia diſtinguunt. Primariorum autem doctrinam confirmavi ſuperius, per hæreditarios. Robur inæquale, Torturam noctis, & Silentes, qui ſcilicet nedum Idearum neceſſitates: verùm inſuper & primarios præſupponunt. Equidem natura non minus in defectibus, quàm in integro variè luſit: ſed & ubique per Vniverſi ſyſtema conformis ſibi, viſa eſt obambulare, ut & in heteroclitis, analoga congruitate ſcipſam ubique repræſentet. Feci jam quantum promiſi initio operis. Demonſtravi errores Scholarum in Phyſicis, quatenus medendi facultatem concernunt: quodque nil ignorarint magis, quàm principia, media & fines: quidditatem ſcilicet & cauſas, modum procedendi, ac fiendi, media præparandi & remedia.

De Retentis aſſumtis, utpote per ſe notis, aliquid dixi. Nunc ad innata, morborum producta, domeſtica, intraque lares degenerata, veniendum. Peccant enimverò retenta noſtra, abundantia, qualitate, intimitate loci, ſive ſui peregrinitate, diuturnitate moræ: & quia in alienam meſſem, vitio diſtributivæ perreptarint, quæque ideo Tranſplantata vel Tranſmiſſa voco. Reliqua verò Retenta Tranſmutata dico, ad diſtinctionem Aſſumtorum. Equidem Retenta, ſive ſint Tranſmutata, ſive verò Tranſmiſſa, ſemper tamen intrinſeca inſigniuntur Idea, ente inquam morboſo, undè degenerationis hoſtilitatem ſuſceperunt. Quare & radix primarii morbi plerumque ipſis adhæret, eandemque ideo æmulantur, ac repræſentant: quatenus ipſius ſunt producta. At quia Retentis domeſticis, inprimis ſingulæ digeſtiones ſuos contribuunt cives, nimirum liquores alimentarios, ſuis culinis præparatos, inque ſolidam noſtri corporis ſubſtantiam alioqui deſtinatos. Ideo Retenta domeſtica degenerarunt à ſcopis naturæ. Retenta autem domeſtica adhuc ſeco, ut quædam ſint aſſumtorum ſtercora, quæ Relicta dico, vel ex bono cive degenerarunt in proditorem. Vndè nimirum Tranſmutata, atque Tranſmiſſa deſumſi. Quæ nempe deſcendunt digeſtionum ac fermentorum è vitio, ſpiritus videlicet influi peccato univerſali, vel particulari inſiti errore, laſcivientis Ideæ ſpontanea deturpatione, ab humanis vel Archealibus paſſionibus productæ. Ad hoc etiam non infrequenter ſuppetias ferente, Aſſumtorum, Inſpiratorum ſuſceptorumque Relicto. Itaque in palæſtram productorum, primò poſt Aſſumta, ſe offerunt Relicta. Etenim quanquam Aſſumta & Relicta, non ſint primariorum morborum Producta; imò non raró producant primarios: conſuevi attamen illa ſecundariis & Productis annumerare. Non enim quod neſciam, nullam illorum fore relationem, ad primarium, tanquam parentem: ſed inter Producta refero, propter ſtrictam affinitatem cum illis. Vbi iterum ſeriò monendum, abuſum eſſe, cauſas intimas à morbis diſtinguere. Siquidem cauſalitatis quidditas obſcuratur, ſi tantillum è ſerie morborum proſcribatur. Externæ enim, quamdiu externæ, ſunt tantùm occaſiones per accidens: poſtquam autem admiſſæ & digeſtionum vi tranſmutatæ ſunt, quanquam videantur internæ: attamen non morbi, ſed occaſiones per ſe fiunt, quæ Archeum turbant, Ideam excitant, partemque materialem Archei deturpant ſigillo Ideali. Sic enim Aſſumta in Relicta migrant, ſuique infeſtam memoriam deponunt in Archeum ut confeſtim tumultuetur: morbumque prolem ſuſcitet. Non enim ſunt Producta, licet Productorum inſignia mentiantur: ſed Relictorum ſub nomine foràs proſiliunt. Etenim ſi proprio malignitatis vitio, jus hoſpitii violaverint, ejiciuntur plerumque cruda, ſemidigeſta, maléque imbuta, per vomitum, ſedem, urinam, imò & ſubinde per abſceſſum, in Tranſmiſſa migrant. Vnde dolores, tormina, apepſiæ, diarrhœæ, lienteriæ, ſtranguriæ, & partium, quibus tranſeunt, miſeriæ. Sin autem vitium in officinis digeſtionum ſubſit, nec ab Aſſumtis prognatum: Iam ſupponitur primarius confuſionis parens, qui Aſſumta neglexit, deturpavit. Non raró quoque Aſſumta in Relictis vix mutata perſeverent, quæ Cœliaca, ſive ventralis dicitur: ſtante edendi voluptate, non minus, quàm dejecta appetentia ingruens. Vt cognoſcamus in lienari fermento, latêre diverſa munia, ac proprietatum diſpenſationes: digeſtionis ſcilicet & appetitus Aſſumta quoque minus grata, vel convenientia, ſi fluctitent, diaria fiunt, nidoroſa, anonyma contenta, orexes item, *&c.* Sin verò contumacius hæſerint, varias unius ſtomachi & pertinaces clades pariunt. Vnde ſingultus, ſyncopes, lipothymiæ, convulſiones, Tormina, alvi diſſolutiones, vomitus, Atrophiæ, *&c.* quæ ſat manifeſtò apparent in Duumviratus labore. Quod ſi verò fermentum in prima digeſtione fuerit minutum per ætatem, aut progreſſas morborum difficultates: Aſſumta, quantumvis bona, vitiantur. Siquidem fermenta non ſecus regunt Aſſumta atque Relicta, quàm ipſas digeſtiones. Quare Lienteriam, Diarrhœas, Choleram, quia tam Aſſumtorum, & Relictorum, quàm Tranſmutatorum hæredes ſunt, ad digeſtionum vitia refero. Stranguriæ autem tametſi ex Tranſmiſſis primæ ad Tertiam, contingant ſæpiùs, quatenus nativæ rerum aciditates, in Aſſumtis permanſerint pertinaces (prout inprimis conſpicuum in potu cereviſiæ novellæ) attamen contingunt defectu fermenti ſecundæ, eſtque proinde ejuſmodi Stranguria, ſenio familiaris. Idcirco Strangurias tam Relictis, quàm Tranſmutatis in ſecunda, adſcripſi. Obiter quoque monuiſſe ſat eſto, quod ubique de nitore ac ordine diviſionis, minus accuratus fuerim in tantis paradoxis, quàm de rei quidditate. Nec enim Aſſumta peccant ſola duplici delicto, Relictorum nempe & Topicorum fermentorum errore. Verumetiam ipſa digeſta, dupliciter malè afficiuntur. Etenim ſtomachus, non ſolùm pro toto: ſed & pro ſe coquit. Sic etiam de organis pluribus: in quorum diverſis digeſtionum atque functionum officiis, ſui errores Producta alienant. Stomachus tamen manifeſtè duplici calamitati ſubjacet. Propriæ nempe digeſtionis, & Sextæ. Quippe pars quælibet, propria vivit culina, quæ in ſtomacho, irruenti Aſſumto ſubjecta, turbatur facillimè, etiam qualibet animi concuſſione. Itaque in Prima, Secunda, atque Tertia, obviæ, manifeſtæ, atque frequentes digeſtionum ceſpitationes, obmiſſioneſque contingunt. In Sexta verò, quanquam propalam utrobique Producta delinquant, Hæc tamen Scholæ ad fictas quatuor heterogeneitates cruoris retulerunt. Imò & longè adhuc abſurdius, vitia Sextæ plerumque dicarunt mucco, per ſtomachi mentitum vaporem ſublato, ac inde diſtillato. Quapropter Catarrhos in Rempubl. Sextæ, decidere commentæ ſunt: ſed & pituitam, quam vitali origine, in Iecore unà cum cruore generatam contendunt, jam caſuali artis diſtillatione Relictam, inverecundè aſſerunt. Aſt in Quarta & Quinta (utpote prorſus vitalibus, ab inquilinis cuncta ſordibus, multa cura prius depurantibus) quanquam tam aperta non ſint Aſſumtorum recrementa: attamen non eſt abſonum ibidem procreari Retenta innata, quod natura mortalium, jam tota corrupta, nuſquam omni vacet labe. Authores recitant ulcuſcula in ſinu Cordis reperta: itemque mulierem quadrimeſtri dyſuria exſtinctam, duos calculos in Cordis parenchymate, cum aliquot puſtulis, oſtendiſſe diſſectoribus, *&c.* Quanquam ſanè hæc potiùs vitium Sextæ, quàm Quartæ, aut Quintæ, convincant. Sed quotidianæ palpitationes Relicta accuſant, vel Tranſmutata potius, licet non planè aperta. Sufficit, Ideas veneno tinctas, in ſpiritum vitæ quàm maximè atque ſæpè vigere, inopinæ mortis cauſas. Neque enim canum rabies, aliàs per dentem, ſpiritus diſcurſuum authores corrumpit, quod ſui indole vitiatus, capſas tam Cerebri quàm Lienis infectet, qui relicti virulenti naturam aſſumſit. Simplicia quoque licet ſemel tantùm aſſumta, ſæpè in vitam dementant: quatenus viſceris ſpiritum ſic contaminant languido veneno, ut ipſus in Relicti veneni ſortem degeneret. Quinimò & ipſe odaxiſmus, ſive titillationis teneritudo, in nudo ſtabulatur ſpiritu ſenſitivo, ut quoties ſemel emancipatus retrogrado motu in arterias fertur, iſtam ſenſationem cauſet in ſanis, quatenus extra proprium cardinem raptus, peregrino ac infatuante veneno luxuriat. In ægris verò præfata titillationis origo, jam aperto veneno luxuriante ſatur, per arterias in caput traductas, choream S. Viti, ac Tarantulæ tripudia proritat. Idem quoque Spiritus, quia ſalinæ eſt proſapiæ (ut de vita longa alibi) in hoc puncto degener in ſe virulentiam ſuſcipit, propriam in ſe ſuſcitat Ideam, ac proin in cutim fugatus, labem pruritus in ſe ſuſcipit, undè pſoræ, ſcabies, imò eryſipelata, ulcerumque varia caterva emergit. Quorum aliquot proprio dein fermenti veneno ſe ibidem ſuſtentant, & ſubinde propagant. Ergo ſuas quoque labes ſpiritus influus per Quartam & Quintam patitur. Interim occaſione devii ſpiritus, ſi is qui ſemel motui eſt dicatus, iteratò in caput remeet, atque inde in nervos rurſus diſpergatur; quia duplata exercendi motus Idea inſignitur (quas ſe mutuò penetrare ac compati docui) jectigationes membrorum parit: ac fatui ſeipſis quadruplo fiunt fortiores. Enimverò ſi in Prima, ſi Aſſumtum non reſpondet fermento ſtomachi

(multi namque plurima non appetunt, non ferunt, non coquunt) utut bonum in ſe fuerit, degenerat in relicta, ſuique non mediocres ſæpe parit moleſtias, easque in partibus ſigillat. Suntque quorundam delicta, dum minium, nimis durum, fœtens, vel rebelle eſt ingeſtum. Sunt autem rebellia, quorum vita media per fermentum ſtomachi domari ac tolli nequit. Quæ quiſque invitus experitur, & agnoſcit. Dixi dein duplex ſtomacho eſſe fermentum. Vnum quidem pro Prima, quod ipſi ex Liene affluit. Aliud verò proprium pro Sexta, quod ſibi ex inſito ſpiritu vernaculum, ac ſuæ coquinæ proprium. Vtrumque autem minuitur, alteratur, alienaturque per morbos, mœrores, ætatem, &c. Infuſum enim à Splene fermentum peculiariter ſilet, alteraturque in febribus. Pro acido namque ſtatim nidoroſum ſubſtituitur, quo ova, carnes, piſces, & jura averſantur, putrentque citius intus, quàm verè coquantur in chylum. Hæcque vocat Hippocrates corpora impura, quæ quò fortiori refectione recreare ſtudueris, eò magis lædes. Etenim calor fortius tum in ſtomacho æſtuat: ſed fermentum à ſtomacho retrotrahitur: ergo ingeſta non digeruntur, ſed putrefiunt. Sic ſub canina fame duplatur lienis fermentum. Denique ſi non ipſum fermentum, ſed aliena aciditas increſcat, dolores acres ſtomacho, compreſſiones thoraci, orexes, Cephalalgiæ, Cholêræ, &c. Similiter exorbitante fellis fermento, deficiente, vel alioqui vitiato per exoticam virulentiam, mox prodeunt producta illis radicibus conformia. Hinc nempe Vertigines, Syncopes, Apoplexiæ, Diarrhœæ, Cholêræ, itemque amaræ, vel cruentæ vomitiones, Atrophiæ, &c. Iterum moneo, quod etſi nomina morborum antiqua relinquam: intelligam tamen abſtractis nominibus Ideas patrantes horum. In Prima ergo, Secunda, Tertia, vel Sexta, vitioſas tranſmutationes fieri intelligo ab Ideis morboſis ibidem genitis, ac tranſmutatis. Excernuntur autem ejuſmodi Relicta vel Tranſmutata, per ablutionem à ſudore vel lotio factam, vel per alvum, inſenſilemque tranſpiratum excernuntur. Primæ nempe Relicta, per conſueta emunctoria: Secundæ verò atque Tertiæ regulariter cum lotio abiguntur. At quia in plerisque inordinationes obveniunt, ideo Tranſmutatis, atque Tranſmiſſis locus eſt. Sunt autem Tranſmutata, producta primariorum morborum excrementa, vel fructus aſſumtorum. Quæ quia ſemel fuerunt domeſtica, ideo à tranſmutantis Archei vitio parta, Enimverò Retenta Secundæ, fiunt vel præ debilitate fermenti, vel ejuſdem luxuali exorbitatione. Hinc acor Primæ reſiduus, nec ſat correctus, ad inteſtina pergit pro torminibus. In venas porro tranſiens, febres varias excitat, contracturam abdominis, Hydropes, Meſaraicarum obſtructiones, Paralyſes item artuum, & Stranguriæ. Sin autem fermentum Secundæ nimis increverit, aut vitiata qualitate ſociatum: Hinc Icteri, amara vomitio, deliquia, vertigines, &c. Sin autem digeſtum Tertiæ nimis cunctatur ſub Tertia: quanquam enim cruor in ſe deliquerit nihil; increſcit tamen duplatum officinæ fermentum, & hactenus alienatur per inordinationem. Siquidem intus feriatur nihil; pergunt cuncta ad ſcopos ſibi deſtinatos, non ſecus atquè aqua defluentis rivi. Cruor ergo, etſi humanæ vitæ theſaurus, ſupra juſtum terminum detentus, degenerat in menſtruum, hæmorrhoides, &c. Ac generatim quæcunque Scholæ attribuunt atræ bili, non ſunt niſi Retenta Tertiæ in Tertia. Cæterùm cum membra non alantur, niſi ſub quadam proportione, mortalibus incognita, videlicet cruoris venarum, ad ſanguinem arterialem: neceſſe eſt in ſexta inordinationem ſubnaſci, quam Scholæ calori hepatis attribuunt, ac falsò per refrigerantia ſanare intendunt. Iecur enim, in ſe cadaver eſt, & friget, niſi per ſpiritum vitæ foveatur. Adeoque omnis calor, hepati advena, exoticus eſt. Perinde enim ſe habet, pro ut digitus, in ſe ritè temperatus, cui ſi ſpina infigatur, etſi actu & poteſtate ſit frigida, tamen mox tumet, pulſitat, caleſcit, & inflammatur digitus, &c. Ita quoque nunquam calet hepar, niſi moleſtam ſpinam in ſe conceperit. Quocirca etiam evellendæ ſpinæ, non autem refrigerandæ, ſedulò incumbendum. Duplex ergo ſpina hepati eſt. Vna nimirum ex Retento noxio: altera verò ex Retento moleſto: ſcilicet aggravante cruore. Sæpè enim ſic hepar ex Retento noxio Apoſtemata & vitia cutis foras ſagittavit, quæ multipliciter in via ratione Tranſmiſſi degenerant, pellemque ſic coinquinant, ut quicquid demum ad eam cruoris pro alimonia diſtribuitur, in eadem contagii titulo corrumpatur. Cujusmodi ſunt ulcera, quæ ſi ſolidentur, majorem intus noxam minitantur. Itaque in Retentis Tertiæ, non rarò Cauteria opem præſtiterunt, in Scholis ex fundamento ignoratam, nitentibus conjectura, & ſpe eventuum incertis. Rari namque defectus ſunt ex pluralitate cruoris boni non vitiati (pro ut l. de febrib.) facileque binorum dierum parcimonia, cruorem abundantia ſuſpectum, in ſymmetriam reducit. Peccat itaque cruor, ſi comitem ſpinam habeat: dein, ſi ſupra debitum intus moratur, ut dixi. Atque tertiò, ſi diſproportionatur Cruor cum ſanguine. Ingluvies horum trium plerumque mater. Vnde dici ſolet: *Plus ferit enſe Gula*. Naſcitur etiam plerumque cruoris pluralitas, non quod plus juſto cruoris gignatur: ſed quod juſto minus conſumatur, ob defectum exercitii, vitam deſidem, axungiæ abundantiam, &c. Podagra enim, & qui Catarrhorum ſpurii partus putantur, ab hac ſerie ſe eximunt. Quippe quod ſemen habeant proprium, adeoque & ſub cruoris penuria non raró ſæviant. Aſt hoc caſu viget robur inæquale, cum debiliora organa citò ſaturentur, onerentur, nec affatim nutriri optent, juxta atque robuſtiora. Hinc namque debiliorum Archeus contriſtatur, mora & impatientia excandeſcit, varioſque ſibi morbos cudit; In quibus dum fontanellæ copioſum pus & Ichor plorant, malleoli ſerò tument, muccus è capite copioſior, & inauſpicata è pulmone phlegmata extunduntur, ſub conſenſu Cuſtodis errantis: nimirum totale Archei cataclyſma, juxta cujuſque debilitatem prona excrementa ſubnaſcuntur. Lex enim quantitati cruoris præſcribit terminus lunaris, ut in utroque ſexu abſumatur, nec moram diuturniorem faciat. Hinc namque quia ſub frigore pauca diaphæreſis, ſputa frequentiora. Plus etiam ſub frigore, cibi ingeritur, non tamen proinde plus cruoris conflatur. Summatim in morbis Roboris ſemper adeſt diſtributivæ vitium. Saltem ex præfatis conſtat, vim appetendi, non commenſurari à ſanguificatione, ut neque à cruoris conſumtione.

Cæterùm Tranſmutata ſextæ fuerunt neglecta à Scholis, ſuiſque humoribus & catarrhis dicata. Quaſi omnes morbi, ex vitio hepatis, & capitis deflua pituita orirentur. Neglexerunt inſuper Continentium membrorum peccata primaria, Archei inordinatis impulſibus tribuenda. Non autem Retentis. Vidi nempe hepar libras 16. pendiſſe Brabanticas, in duce Catafractorum abſtemio. Conquerebatur enim de tumore ventris: Acidulos fontes biberat, ac tandem vinum chalybeatum, qui cum à Medicis pro hydropico variè agitaretur, & per plateas pridie obambulaſſet, repentè occubuit. Vidi mulierem cælibem, perpetuò ſiticuloſam, morboſaque ſiti preſſam: Putabatur enim hydropica, multiſque torta ſolutivis obiit. Sed cum à morte perforatus venter aquam non daret, eviſcerata ſoſpes intus apparuit, niſi quod innoxium viſu hepar penderet libras 21, & paulò amplius. Vidi virum, qui à longo ventris cruciatu, membranas multas excerneret, quæ exſiccatæ, & clavis aſſeri affixæ, pergamenum mentiebantur. Stomacho cujuſdam Præſidis adnatum ſacculum lapidibus refertum vidimus. Item ſaccum novum abdomini mulieris accreviſſe, cui inerant aquæ libræ 14. & amplius. Sic perſæpè alterum renum, calculis obſtipatum monſtroſè excreviſſe. Qui morbi primarii, topico ſpiritui partium continentium attribuendi ſunt. Credidi aliquando, ceſſante accretione, poteſtatem creſcitivam extingui, quia ſingula ſiſterent augeri. Sed poſtquam viderem multa per errorem creſcere, quæ eſſent primæ conſtitutionis, putavi accretricem detineri à progreſſu ſuo, ſola materiæ oſſalis inobſequentia. Sed pori fractis oſſibus obnaſcuntur, & coſtæ longiores evadunt, thoracis ampliatione, dudum à ceſſata accretione. Varicoſa hernia de novo naſcitur, ſenſimque nervi inſtar nanciſcitur. Lobus quotannis hepati lupino accreſcens, ætatem ejus prodit. Quare carnis excreſcentias inſignis magnitudinis, dolore moleſtas, & pulſatili motu dotatas, inter morbos continentis, à Scholis neglectos, refero. Sicut & muſculis novas fibras ſubortas, paralyſin attuliſſe, iiſque ſublatis, hanc ſanatam obſervavi. In axungia enim non ſola dumtaxat pinguedo naſcitur, ſed ſimul fibræ, ſive favi ejus, qui de ſorte ſolidorum ſunt. Sic cartilaginum & ligamentorum ſupercreſcentiæ ſunt notabiles, quæ Chirurgo ſubſunt, non tanquam morborum cauſæ occaſionales: ſed tanquam erronea producta, auferenda, ſuis quandoque morbis primariis annexa. Sæpè etenim ex oſſe-injuriato liquor depluit alimentarius, qui oſſis duritiem mentitur (cum carie tamen) quatenus coaguli oſſalis particeps. Continentis ergo morbos ſi inter Retenta recenſuerim, id factum puta, quia radice aluntur propria, nec niſi per mortificationem auferuntur. Ad hos ſpectant quoque ſpontaneæ excreſcentiæ, gibboſitates, luxationes & exarthroſes. Quæ quia innatam roboris inæqualitatem ſequuntur, ſemini parentum plerumque, vel nutricum defectibus acceptum referunt. Hinc nempe integræ familiæ in hecticam, Aſthma, Podagram, Lithiaſin, Icterum, Hydropem &

amentias propenſæ. Nam ſi non è parentibus, è nutricibus hauriantur. Facilè namque fœtus, defectus aliquot cum lacte bibit, traducitque in partes ſimilares. Etenim cum poteſtates noſtræ operentur indeſinenter, hinc nequeunt Retenta in priſtino ſtatu & loco dudum moram facere, quin ſui peracto motus termino, à priore deſciſcant indole, ac in pejorem alienata declinent. Sic namque Retenta degenerant in Tranſmiſſa, tam quia peccant inordinatione propriæ materiæ vitiatæ, quàm exorbitatione diſtributionis ab Archeo laceſſito patratæ. Inter Tranſmiſſa enim, primus ſe offert tabellarius Latex, qui fluctuando multipliciter errat. Etenim cum ad eluendas partium ſordes ſit deſtinatus: peccat primùm vitio alieno, quod ſibi contraxit. Vndè aliquot cutis vitia; quæ demum adſcito fermento, frequenter perſeverant. Atqui ſi attractrix laboret, fiunt œdemata, reſtagnatque latex in hepar & venas. Vnde dyſuriæ, diabetes, variaque morborum ſupellex. Vti & in anginis, Odontalgia, & alibi ſæpè eſt obvium: præcipuè ſi ſingulari lenocinio ad partem quampiam deferatur Latex. Sic quoque Coryzza, Cataractæ, ſuffuſioneſque aurium atque dentium defectus, oriuntur, ſi latex vel digeſtionum vitia reperiat, vel aliena ſecum eò deferat. Quippe qui ex inſtituto, alienos partuum defectus combibit. Sic & Latex propria libidine, in Synoniam labitur, undè Torturam noctis ſuſcitat. Fluctuat enim juxta ſtationum ſubalternas viciſſitudines, lunæque moderamini ſe ſubdit. Quare nervos, tendines, ligamenta, ac membranas affligit, tam ſuæ tranſmutationis ergo: quàm hauſtu ſeminis exotici. Denique ſi ſcoria (quam alibi ſtercus liquidum voco) ab inteſtinis cum latice jungatur ſupra juſtam proportionem, & intra venas fluctuet, jam aderit Duelech. Vel demum ſi putreat, deliria, variaſque febrium claſſes adornat. Pro ut alibi de Hiſtoria Laticis; de febribus, itemque de Duelech. In Tranſmiſſis quoque præſertim ſpectantur Tranſmutandorum errores, illorumque effectus æſtimantur juxta qualitates, qualitatiſve gradus, ſive potentias. Quæ potiſſimum ſcilicet varietates morborum occaſionaliter utrobique determinat.

Porro. Si tranſmutata Primæ, deferantur ad ſecundam: peregrini hoſpites & exoſi nimium, pariunt febres, Tormina, nauſeas, Lipopſyches, &c. Sin verò pergant uſque in Tertiam: ſubſunt Hydropes, Cachexiæ, Icteri, lotii difficultates, dolores hypogaſtrii, &c. Quod ſi verò Primæ defectus delati ſint in ſextam, oriuntur febres repentinæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, &c. Quod ſi Tranſmutata Secundæ, regurgitent in Primam, excitantur Apepſiæ, vomitus amari, Ileon, Cholera, Lienteria, Cœliaca, diarrhœa, &c. Sed ſi Secundæ pertigerint in Tertiam. Iam præſto ſunt Cachexiæ, febres, Icteri, oppilationes variæ, &c. Denique ſi Tranſmutata Tertiæ deferantur in Primam, prodeunt vomitus cruenti, dyſenteriæ, hæmorrhoides, &c. Sin verò in Secundam; naſcuntur diarrhœæ, febres variæ. Etenim Retenta utrobique ſunt hoſtilia, ac multò magis Tranſmutata Tranſmiſſa: adeoque non poteſt non Archeus procellas febriles ſuſcitare. Quod ſi verò Tranſmutata Tertiæ in Quartam pergant: mox ad palpitationes, Syncopes, ac mortes repentinas ventum erit. Sin autem Tranſmutata Primæ, in Sextam ſtomachi eant, hinc vertigines, Apoplexiæ, paralyſes, &c. Itemque ſi tranſmutata Retenta Tertiæ, in ſextam, mox apoſtemata, & mala topica ferè omnia; ſiquidem errore ſextæ culinæ contingunt morbi tam proprii tranſmutati, & tranſmiſſi alieni, quàm quidquid falſò defluxionibus è capite eſt attributum. Sunt autem tranſmiſſa, quandoque mitia, & quæ unico errore, velut facti ſui pœnitentia, reſipiſcunt, unicaque ob id importunitate ceſſant: aliàs verò fontalia ſunt, quæ ſuæ continuitatis ſubſtitutionem debent parti tranſmittenti; ſi non etiam cum ſpiritu inſito loci, ſint concentrata. Hauſto namque inde ſuæ deturpationis fermento, venenoſa ſunt, partemque permanente quodam contagio contaminant: ſic ut ibidem ſui depoſito fomite, unico velut ictu, ſibi centrum ſtabilierint. Coloniam inquam deinceps lationibus Aſtrorum importunis auſcultantem erigunt. Errant ergo devii, quotquot per venæ ſectiones, ſolutiva, diaphoretica, cauteria, veſicatoria, balnea; corporis viriumque diminutiva, ſperant fontalia tranſmiſſa ſanari. Ejuſmodi enim Arcana renovativa deſiderant, per modum Lepræ. Vt de Lepra ſuo loco. In ſexta ergo, vel alimenta, mox ante aſſimilationem degenerant, acceptumque à loco, ſoliditatis ſuæ coagulum, deinceps deponunt in morbum durabilem. (Tartaros cruoris incuſant moderni) vel ſi tranſmiſſum, loco eſt exoticum, nec dumque venenum adſcivit: ſtatim poteſtates conſpirant in ſui exilium, cum virium plerumque multa conquaſſatione. A Scholis autem, quanquam ſtatuantur quatuor liquoris alimentarii gradus: in nullo tamen errorem, degenerationem, aut morborum cauſam invenere. Et quanquam vomicam in pulmone, atque alibi magnam obſtructionum meſſem advertant, cuncta tamen in quatuor primos atque fictitios humores referunt, quaſi neſcirent, humani corporis liquores, in horas eſſe, labiles & corruptioni obnoxios. Ego verò, multam occaſionum morboſarum ſupellectilem, ſtatuo, in liquorum immediatè alentium numeroſa averſione & degeneratione. Itemque numerum non pono, non ſcio, quia ſcio non ſcibilem, ubi unica res continuo decurrit filo, per ſubalternarum diſpoſitionum multitudinem. Demiratus ſaltem, in tranſmutando, nullum errorem à ſcholis excogitatum creditumve hactenus, dum tamen degenerationes aliquot viſui ſe offerant, & quælibet degeneratio ſuos occaſionet morbos. Sic enim vertigo ſenſum atque motum ceſpitare facit, quia liquor alimentalis degener, vim inebriantem aſſociavit. Sin etjam ſoporiferum fuerit, finitimum evadit Apoplexiæ. Quodque ſi ſtupefactivum quoque fiat, jam Caduci conditiones gerit. Advertant quoque qui amentes per ſoporativa ſanare intendunt. Nam Narcotica vix ſomnum amentibus conciliant quadruplata doſi. Sed amentiam augent; nam dementia non eſt niſi vis ſoporativa errans: quia omnis amens, vigilans ſomniat. Narcotica ergo ſomnia adduntur ſomniis deliris in vigilia. Semper enim character ſigillaris in demente, præſupponit membri reſtaurationem, atque veneni correctionem, ſua antidoto: non autem narcoticum venenum. Interim nil vetat tranſmutata naſci erronea, itemque aberrare digeſtiones importunitate tranſmiſſorum, ac parere prolem condolentiæ ſuæ impedimento conformem. Vnde diarrhœæ dolentes, acido Primæ Chylo commotæ, itemque febres complicatæ, atque duplices. Nec vetat etiam morbum primarium complicari cum ſuo, vel aliunde nato ſecundario. Qualiter febris primaria, pariens productum, undè reſolutio cruoris in putrilaginem malignæ diarrhœæ, fermento febrili adæquatam. Tandem nec eſt neceſſarius tranſitus trium Primarum ad Sextam per Quartam & Quintam. Eò quod maxima cruoris pars nunquam ad cor deveniat, multoque minus in ſiniſtrum ſinum rapiatur. Quia partes ſingulæ aluntur cruore non minus, quàm ſanguine. Hinc contingit nempe vitia trium primarum, non rarò immediatè tranſcendere in ſextam. Ideoque tranſmutata trium primarum, ſi ad ſextam pertigerint, non peccant proprii nominis tranſmiſſione; ſed ſola tranſmutatione: eò quod tranſmiſſio de Tertia in ſextam, ſit regularis, legitima, & ordinaria. Addam de ſplene. Si de Prima aciditas chyli, immediatè deferatur in Splenem, adeſt mox quartana, è coagulato ſcilicet ibidem peregrino. Sin verò ſexta in Splene turbetur, cum ſit conceptuum primorum cubile: excrementa, ſive Tranſmutata quæ ex proprio alimento fiunt, plerumque vi imaginativa (qualis in multis ſimplicibus, & oculatiſſimè in ſaliva rabidi occurrit) dotantur: quæque ideò voco inebriativa, ſomniativa, vel infatuantia. Ideò nempe unius vini, multiformis eſt ebriorum conditio. Id eſt, unicum vinum diverſas ſuſcitat amentias. Claudicat namque venenum amens, cum vini ſimilitudine. Nam venenum amens præ excellenti poteſtate, non ſequitur conditiones hominis: ſed ipſæ hominis conditiones coguntur obedire veneno. Vt luculenter in veneno demorſi, à cane rabiente. Venena ergo, quæ ex degenere alimento in ſexta naſcuntur, ſequuntur naturam ſuam. Quo enim propinquiora fuerint aſſimilationi, eò infatuant potentius. Nam quo propinquius fermentum viſceris, ſpirituſque inſiti irradiatio ipſi adfuerint, eò quoque viciniùs cujuſdam imaginativæ Ideam ſibi adſcivit, quam demum tranſplantat in venenoſum virus, non quidem tam exitale vitæ, quàm poteſtati illius viſceris. Poterit autem deinceps ex prædiductis, quiſque ſibi morborum ſcenia erigere. Mihi autem oſtendiſſe ſat fuit, omnem morbum primarium, objectivè ac ſubjectivè, cadere in Archeum, adeoque in vitam ipſam. A qua videlicet immediate formatur. Secundarium verò morbum objectivè quidem in Archeum: ſubjectivè verò in materiam: vel ſolidam continentis, vel fluidam contenti. Sicque nimirum morbos, per cauſas, radices atque eſſentiam, juxta hoſpitia, in natura diſtributos oſtendiſſe, calamum repono.

Sterilitas quoque cum inter defectus præter naturam ſit, huc ſuum dilatavit tractatum. Quamobrem non eſt frigiditas, calor, humiditaſvè in alterutro ſexu, cauſa ſterilitatis, utut altum hoc vociferentur alii. Siquidem inprimis nulla eſt in vivis ſiccitas poſſibilis: humidumque uteri vitioſum, non eſt complexionis: ſed merum digeſtionis vel tranſmiſſionis recrementum. Sic denique calor & frigus ſigna ſunt defectuum in natura, non autem cauſæ. Quia hæ qualitates carent ſemine, proprietatibus vitalibus, ac poteſtativis conditionibus. Ideo nimirum ſterilitas & fœcunditas in unoquoque mundi climate eſt. Eſt tamen Æthiopiſſa longè calidior calidiſſimâ muliere Moſcoviticâ. Humiditas autem excrementitia, & ſupervacanea uteri, eſt effectus morborum: imò ſi fuerit comes ſterilitatis: non tamen ejus cauſa continens. Nam cauſa interna non differt ab ente ipſo. Sic nec menſtrui defectus eſt cauſa ſterilitatis: ſi defectus iſte negationem contineat, procedatve ut effectus propinquioris indiſpoſitionis. Impuberes, vel etiam ante menſtrua, non rarò concepere, & maturiores ſilente menſtruo. Non rarò quoque hyſtericæ, multis peſſumdatæ anguſtiis, feliciter concipiunt juxta atque pariunt. Interim ſteriles aliquot rectè valent. Inſtanti quoque menſtruo plures concipiunt: ut & ſilente deinceps menſtruo, multas conceptus decepit. Aliquæ toto geſtationis curſu; plures verò aliquot tantùm menſibus, ſua notant menſtrua. Enimverò quanquam ſterilitas reſpectum quodammodò dicat privativum: eſt tamen ens merè poſitivum atque morboſum. Nam oritur ex ſingulis poſitivis defectibus. Quia per ſe, & in ſe, eſt malum naturæ. Pro ut fœcunditas dicit cauſam integram. In viro enim non caſtrato, non ſpadone, non impedito, non maleficiato, vix locum habet ſterilitas. Hinc namque adhuc ſenex generat. Vndè ſequitur, non tantundem perfectionis tribui, ut neque requiri in mare, quantum in matre. Impeditos autem mares voco, qui gonorrhœa laborant, aut inde vitium retinuerunt: Itemque qui notabili alicujus viſceris vitio laborant. In fœmina, menſtruum ſuperans, deficiens, irregulare, aquoſum, flavum nigricans, viſcidum, putidum, dolor in lumbis, ventre, coxis, motuſque uteri ſurſum, deorſum, laterales, ſunt quidem languorum uteri teſtes & ſigna, adeoque & conceptum retardant, reſtagnant, abortus movent, & profluvia: attamen prorſus non tollunt conceptus ſpem, nec morbus ſunt qui dicitur ſterilitas. Nam vetulæ ſanè ſine omnibus iſtis ſteriles ſunt. Enti enim poſitivo, quod dicitur ſterilitas unicam adæquatam, & coævam cauſam in Sacris deſcriptam invenio his verbis: *Deus uterum Saræ aperuit*. Etenim eſt donum Dei, in naturam delatum: quo pergamenum uteri, ſuis plicis optimè clauſum, aperitur, & dilatatur congruo congreſſus momento. Blas eſt inquam magneticum, trahens: per quod, metus vacui iſtam apertionem ſequitur attractus ſeminum, & adæquatè repletio apertarum rugarum. Apertio nempe præfata, ſuctum facit metu vacui. Qui ſi indebito momento fiat: jam fruſtra fit. Vterus enim virginis, vix duorum digitorum amplitudinem oſtendit: quippe qui per minimas plicas in ſe rugatur. Sui autem apertio, non conſiſtit in hominis arbitrio, ut neque in titillatione aut luxu: at prorſus in divino beneplacito; undè dotes in naturam quoque diſperſæ Aperiendi, & claudendi: adeo ut ſimplicia quædam hanc vim obtinuerint. Nec ſat eſt uterum ſtato aperiri momento, niſi adveniens hoſpes loco gratus ſit. Nam ſi labe ſit inquinatus, de cætero irrita cum illo viro generandi eſt ſpes: quia indignatus uterus abhorreſcentiæ furorem vix placabilem concipit.

PRÆFATIO.

DEmonſtravi jam alibi, Scholas præter iiſſe cognitionem morborum, rerumque, quarum negligentia, crimen: nec mirum ideò, ſi de inauditis nil hactenus. Etenim à ſcholarum opinionibus recedendo ſapere velle, inſolitum atque difficile fuit, dum deficerent, quæ pro agnitis erroribus in vicem ſubſtituerem. Pauci quoque, qui ſolius proximi charitatis ergo philoſophantur. Plerique provectiorum diſcere recuſant, quaſi cuncta ſciviſſent Græci & Arabes, deſperantque plura ſciri poſſe: Ideoque ignaviam, ut pellem induerunt ſuam; Frequens eſt autem, qui mox à promotione de domo in domum tranſcurrit, ſoli lucro intentus, venalem ſanitatem pro viſitationibus proſtituit. Rariſſimus ideò qui ad penetrale admittitur. Multus interim ad fores Chymiæ ambulans, magna ſtentatur, vanâ deluſus ſpe. Enimverò vitæ ac mortis hiſtoriam primus (nî fallor) ſcripſi, ſperans, quod DEO inde ſuus cedet honos ex dono gratuito arboris vitæ atque uſusfructus illis, quos Ipſe ad vitam longam reſervat poſt me. Nam qui ante me de Vita longa tractavit Paracelſus, titulum quidem dedit, at materiam prorſus ignoravit. Interim niſi Dominus averterit, juſto metu ominor, vitam mortalium indies accurtatum iri,ac tandem in viridi ſpica ad funus tranſituram, peccando venæ ſectione & purgationibus. Niſi inquam Deus nova penè faciat omnia. Eſt quippe acquiſitio arboris vitæ difficillima, multum operoſa, & paucis revelata: Oportet namque ut per Montem Domini adſcendat innocens manibus & corde, qui non accepit in vanum animam ſuam, nec ſtruxit dolum proximo ſuo. Is enim ſolus accipiet hanc benedictionem à Domino. Donec tandem extremis temporum confuſionibus,homo hominem docere audebit, quæ alioquin ob hominum contrectationes conſervandas manent in occultis. Hodiè enim Medentum plerique ſe ſat ſcire rentur,ſi paganicam doctrinam avorum initiati diteſcant ſaltem,ac per regulasScriptorum excuſentur à nece apud vulgus. Plerique eorum quoque vitam longam irrident,quia neſcii: ſed horum quandoque ſua erit ſatietas, eorumque ludibria in ſuos cadent authores. Quia venturâ ætate tædebit Deum tanti in proximum & pauperes neglectûs. Vitia quoque catenatim per ætates ſibi ſuccedunt invicem. Quandoque jam honori fuit plures hauſiſſe ſcyphos, aliàs Monomachum plures occidiſſe. Fraus & dolus floret hodiè titulo ſagacitatis, & virtus inter paucos rara latitat, licet jugiter nominetenus æſtimetur. Invaleſcet iterum, dum pernicioſorum ingeniorum numerus à lautis ſtudiorum otiis & malis curioſitatibus ad artes & opificia recedet. Temporum nempè naſcetur tranquillitas, abacta vermium ex otio & alieno viventium turba, pietatis palliò tecta. Ventura tandem reſipiſcentia reformationem ſperare jubet. Cui felici ætati de Vita longa ſcribere decrevi, laudans Dominum, quod incolatus meus propediem ad periodum ſit devolutus. Inaudita autem dum pando, anteriorum errores ſicubi detexerim, id coactus egi, ne qui me ſequentur, in ſalebras impingant, & ſcopo veritatis orbentur. Nam ipſe ab adoleſcentia ſenſim intuens vanas ſiliquas, quibus naturæ initia incruſtabant, apoſtata à Galeno haberi cœpi, ac Medentum vilipendio me lubens expoſui, ratus laudabile meas ſtupiditates rideri, ab ignorantibus: quia totâ vitâ auram vulgarem neglexi. Etenim ab Oſoribus Paracelſiſta vocor, ſcholarumque deſertor,æſtimorque tamen arcanorum aliquot Adeptus. Et quanquam à binis Imperatoribus hoc titulo invitatus in aulam, honores tamen & aulœdam vitam recuſavi, qui totâ vitâ ſprevi odores ambitionis; ac multo jam magis (ad arginem foſſæ per ſenii ripam detentus) devito incurius & negligo, quicquid de me vivo aut defuncto ſenſerit poſteritas, quia moriendo animæ opto meæ tranquillitatem. Proteſtor itaque ubique, quod ſcholarum errata, neglectus adnotaverim nunquam, niſi ut meæ ſatisfacerem vocationi, ac prodeſſem credulis mortalibus.

DE TEMPORE.

1. *CVr primum de tempore agat Author.* 2. *Propoſitio Tractatûs.* 3. *Profeſſio Autoris.* 4. *Tempus nil commune habere cum ullo motu.* 5. *Negationes temporis.* 6. *Error Scholarum.* 7. *Abſurda aliquot inde conſequentia.* 8. *Quid deceperit Scholas.* 9. *Differt conſideratio matheſis à natura veritate.* 10. *Error tertius.* 11. *Quartus.* 12. *Quintus.* 13. *Sextus.* 14. *Emanant inde aliquot abſurda.* 15. *Concluſio inde deducta veras temporis proprietates contra ſcholarum nutum explicat.* 16. *Septimus error probatur.* 17. *Falſa temporis definitio.* 18. *Motuum duratio eſſentialiter includitur rerum ſeminibus.* 19. *Tempus nequit eſſe motuum interna menſura.* 20. *Octavus error.* 21. *Aliquot abſurdi errores inde ſequentes.* 22. *Vnitatis encomium.* 23. *Schola per ſuam indagandi ignaviam decepta.* 24. *Quid Auguſtinum in tempore decepit?* 25. *Authoris aliquot conſiderationes circa tempus.* 26. *Quid ſit in Geneſi dixiſſe, In principio.* 27. *Error Ariſtotelis de loco.* 28. *Duratio magis intima rei, quàm ſit locus aut res ſibiipſi.* 29. *Temporis vera eſſentialiſque proprietas.* 30. *Cur tempus non ſit de prædicamentis.* 31. *Malè inſtituti etiam malè aſſueſcunt.* 32. *Quid Heroës deceperit in temporis conſideratione.* 33. *Demonſtrationes aliquot, etiam è Sacris pro Autore.* 34. *Difficulter prioritas abſtrahitur à tempore.* 35. *Duratio non dicit reſpectum ad res.* 36. *Probantur jam ſolidatè hypotheſes.* 37. *Lex fati.* 38. *Conſequens ad poſitiones Scholarum.* 39. *Prioritas in reſpectu fati: non autem temporis.* 40. *Quid ſit ſucceſſio.* 41. *Tractatus de ævo, reſpectu temporis.* 42. *Reſpondetur objectioni è Sacris allata.* 43. *Demonſtratur error per Angelorum operationes.* 44. *Argumentum Scholis contradicens.* 45. *Probat Author multipliciter.* 46. *Profeſſio Authoris de tempore.* 47. *Hebetudo quædam in vera motuum diviſione & menſura, quoad motum diei.* 48. *Horologia.* 49. *Error horologiorum.* 50. *Menſura ab Authore excogitata.* 51. *De diebus Criticis.* 52. *Notatur Paracelſus.* 53. *Criſis medenti parit infamiam.* 54. *Frivolitates.* 55. *Anni climacterici conſideratio.* 56. *Aſtrologorum pertinax ſubterfugium.* 57. *Iam deficiunt*

ciunt pro medietate ab aſſerto numero climacteterico. 58. Numeri Sabbatharius, Iubilai, enneaticus, &c. ſpectantur. 59. Hebdomas non tàm ob numerum, quàm ob perfidiam Iudaicam introducitur. 60. Concluditur tractatus pro vita longa.

1 DE Vita longa ſcripturo viſum fuit tractatum de tempore præmittere, eò quod vita longa inſeparabilem debeat reſpectum ad durationem. Nec tamen id à me ſic primo loco ſtatutum, quaſi vellem vitam metiri per tempus, quin potiùs propriè loquendo, Durationem vitæ computo, in relatione ad dies & annos, quos mox demonſtrabo non eſſe tempus. Paradoxa quidem (fateor) at nihilominus vera doctrina. Etenim Ariſtotelem alibi oſtendi initiorum naturæ penitus ignarum, & materiæ Phyſices penurioſum, ac proin tempus, locum, vacuum, infinitum, fortunam atque ejuſmodi abſtractas conſiderationes, planeque peregrinas in ordine naturæ, tanquam Inſtituta Phyſica eſſent, totus ridiculus expoſuit. Ego autem vitæ longæ præmiſi ſpeculationem Temporis hactenus ignoti : Quapropter in ejus elucidationem hanc ſtatuo

PROPOSITIONEM.

2 Tempus non aliter, ab Æterna duratione ſeparatur, quàm lumen diei, non apparente ſole, à lucidiſſima luce corporis ſolaris.

3 Credo enim viam, veritatem, vitam, & re-
rum omnium eſſentiam eſſe DEVM ſummè
glorioſum. Item eſſe Principium, in quo uni-
verſa ſunt principiata, vivunt & moventur. Di-
co itaque, quod etiam non dato corpore vel
motu : attamen tempus, locus, ſitualis habitu-
do invicem, atque diſtantia eſſent eadem, quæ
modò ſunt. Siquidem extra cœlos creditur lo-
cus interminatus, omni privatus corpore &
motu : repletus tamen Spiritu, ſuâ magnitudi-
4 nis infinitudine illi adæquatus. Pariter tempus
intelligo non loco, non corpori, non denique
motui alligatum : ſed ens ab iiſdem ſeparatum.
Proin nec tempus mendico ex circumſcriptio-
ne motus cœli primi mobilis. Nam prout mo-
tus cœli fit in loco, ac ſi eſſet loci quædam men-
ſura : tamen ſicut locus non eſt motus, quan-
quam in loco fiat : ſic neque motus eſt tempus,
quanquam in tempore contingat. Neque enim
tempus poteſt generari per motum, vel in ute-
ro motus, ſi generatum ſit in ſpecie ſimile ſuo
generanti. Enimverò Annus, Dies, Menſes & 5
Nox non ſunt tempus : ſed menſuræ & acci-
dentia rerum in tempore contingentium, planè
peregrina & externa tempori. Sic nempè dies
noſtra, alterius nox eſt. Interim ubique idem
Tempus in toto univerſo. Ver, æſtas, autumnus,
hyems, non ſunt tempus: ſed alterationes aëris,
ordinatæ in alteritatem & viciſſitudines rerum.
Pueritia item, adoleſcentia, juventus, vigor &
ſenium non ſunt tempus : ſed nomina alterita-
tum corporis atque vitæ. Etenim Scholæ, præ- 6
terquam quod doceant Tempus, vel eſſe ipſam
menſuram primi mobilis, vel ſub eadem ſal-
tem concludi (nondum enim id determina-
tum) volunt inſuper, quod indiviſibile quod-
libet punctum temporis phyſicum in ſe habe-
ret actu & realiter infinita puncta mathemati-
ca. Quandoquidem poſitivum reale infinitum,
prout & indiviſibile actu, quod in ſe non eſt
poſitivè intelligibile, quodque ideo Scholæ ne-
gant poſſibile : jam in quolibet temporis mini-
mo puncto donant ultro, id eſt, meris ſomniis
conſpurcant naturæ cognitionem. Neceſſariò 7
itaque ex datis illarum ſuppoſitionibus ſequi-
tur, unamquamlibet partem temporis non eſſe
temporis, ſed punctum aliquod mathematicum,
indiviſibile, atque adeo ſine duratione extra &
præter tempus. Itaque quod etiam tempus con-
ſtaret vel ex indiviſibilibus partibus, vel tan-
quam aliquod productum eſſet, ex connexio-
ne indiviſibilium & infinitorum punctorum
durationis. Vt nec ſic quidem reverâ eſſent in-
diviſibiles atomi ſive puncta durationis : ſi per
ſui connexionem in aliquid diviſibile conſur-
gerent. Non attendunt, inquam, quod indivi-
ſibile negativum nunquam poſſit per conne-
xionem coaleſcere in eſſe aliquod præſens, a-
ctuale, longum, breve, magnum vel parvum,
eò quod in ſe comprehendat merum nihil in
ente phyſico, id eſt, reali. Itaque ſibi in verbo 8
(indiviſibile) contradicunt. Aſpexerunt quidem
longum & breve Tempus: atque hactenus ſub-
ter quantitatem reduxerunt. Demum etiam
temporis eſſentiam ac totam circumſcriptio-
nem conſtituerunt in ſucceſſione, quæ actuali-
ter infinitis & infinitè indiviſibilibus duratio-
nis punctis, in minimo quoquo inſtantis phyſi-
ci puncto connexa ſtaret. Profectò utrobique 9
ſe nimium addixerunt Matheſi, dum naturam
inculcâſſe ſibi ſunt viſæ. Matheſis nimirum
ſupponit in quoquo continuo infinita ſubdivi-
ſionis poſſibilia puncta, quas ſuppoſitiones in-
terim natura neſcit, negatque phyſica : Quippe
quæ

quæ attendit res, prout ſunt, & non prout inſerviunt
10 ſpeculationibus menſuræ ſituum. Separarunt
dein Scholæ conſiderationem magnitudinis
à conſideratione numeri, voluntque
Tempus numero ſimilius, quàm continuo;
Quaſi ſpecies ſimiarum, quatenus homini ſimiles
ſunt, eſſet inter homines referenda, non autem
inter belluas. Ridiculum itaque Tempus
11 à numero non ſeparâſſe toto cœlo. Putarunt
tandem numeros ejicere unitatem: dum tamen
unitatum connexio omnes pariat numeros. In
quo & iſtud ſtolidum, quod zero pro unitate
habeant, dum mille zero ſubſcripta ne unitatis
12 principium contineant. Poſtremò & hoc frivolum,
quod Binarius à ternario, ſpecie differat,
ut & hic à quaternio, licet duo binarii quaternarium
faciant & fiant: Idque non quidem
per generationem novi entis: ſed per colliquationem
utriuſque Binarii: quare nec ſpecies in
numeris agnoſco; ſed tantùm ſolas alteritates,
commiſcibiles & reductibiles. Non enim patitur
natura ſe ad Scholarum lubitum ſubter regulas
coërceri: ut ſcilicet numeri ex ſe generarent
Species ſpecificas, quarum ſingulæ eſſent
13 mera totidem individua. Species itaque ejuſmodi
atque metaphoras à natura alienas ſcio.
Tempus itaque, quod in puncto infinitè indiviſibili
conſiſteret, à Scholis pro columna Phyſices
reputarunt. Quapropter magis confirmor,
quod quicquid Scholæ à Gentilibus deſumunt,
14 ſit inutile Sophiæ labumen. Etenim ſi alioquin
in actu indiviſibilibus & infinitis durationis
punctis, aliquod infinitè correſpondens minimum,
ligaret proportionata infinitudine puncta
Temporis per ſubſecutionem durationis
(præter plurimas abſurditates) tempus neceſſariò
ſuum actuale eſſe haberet, antequam eſſet,
id eſt, eſſet non quidem in eſſe, ſed totum ſimul
in fieri: imò nec quidem ſic fieret, eſſet, aut eſſe
poſſet, ut eſſet, ſed ut periret antequam eſſet.
15 Igitur Tempus (contra Scholarum præſcriptum)
nec longum nec breve, nec antè nec pòſt,
nec menſura nec menſurabile eſt. Piguit ſanè
detegere debuiſſe, quod in tota Ariſtot. auſcultatione
Phyſica nil reperiam, niſi craſſam inſcitiam
abſurditatibus atque impoſſibilitatibus
ſtipatam. Quare compulſus fui vera ſcribere
ex commiſeratione Iuventutis per credulitatem
16 abductæ. Inprimis itaque Scholæ jubent, tempus
ſuæ conſiderationis eſſe motuum menſuram,
cum jam ex ſuppoſitis falſitatis convictis
conſtet, quod tempus nequeat metiri, nec judicare
de duobus motibus eadem duratione
(ſic loquar) factis, uter alter ſit celerior. Nam
ſecundùm præfatas ſuppoſitiones tempus neceſſariò
ſe ſemper propinquiùs jungeret motui
celerrimo: eò quod ſit indiviſibili propinquior
ac ſimilior. Denique ſi ſucceſſio temporis concurſu
& auxilio indiviſibilis infinitudinis contingeret,
& quod omnis motus juxta durationem
conſcriberetur termino, & quod nulla ſit
adæquatio ſive proportio finiti ad infinitum;
miniméque, ubi utrumque ejuſdem durationis
obtuitu conſideratur; neceſſe eſt ex Scholarum
doctrina, Tempus fore Primi motûs aut mobilis
menſuram incommenſabilem, vanam, mendacem
& incomprehenſibilem. Quippè definiunt 17
Tempus, ut ſit menſura motuum, in relatione
ad durationem, ac velut per accidens
appropriaretur motui & ſucceſſioni per ſe,
nempe propter durationem. Enimverò ſi motus
ſit ita, ſuper aliquod immobile, ut hinc
Ariſt. conjecerit (licet falsò) Primum Motorem
neceſſariò immobilem: quidni ſtabilitatem etjam
durationi donent? Sub qua nimirum omnes
motus & ſucceſſivorum proportiones debeant
commenſurari; Seminibus quippè univerſis 18
ab initio ineſt, nedum principium cujusvis
motûs, ſed & ſua durationum determinata
periodus, cuique motui propria: cum omnis
varietas quarumcunque alterationum pendeat
ex tarditate vel celeritate motuum. Igitur motuum
duratio includitur ſeminibus eſſentialiter,
intimè, originaliterque, velut principium
formale atque directivum eorundem; Non autem 19
quod tempus ſit extera quæpiam conſideratio
menſuræ motuum, reſpectu durationis:
cum ejuſmodi conſideratio ſive habitudinis relatio
ſit tantùm externa accidentaliſque rebus
ipſis, adeóque merum ens rationis: non autem
primordialiter eſſentialiterque inſita ipſis ſeminibus,
prout eſt duratio. Denique ſcholæ ſupponunt 20
ſpecies naturales in quantitatibus continuis:
Cum tamen continuum vel diſcretum
non ſint res, ſed nudæ conſiderationes rerum
ſecundùm menſuram. Res habent quidem ſuas
ſpecies reipsâ, ſed illarum conſideratio tanquam
ens rationis caret eſſentialibus ſpeciebus
in Phyſicis: Pudeat igitur, quod tempus inter
menſuras & entia rationis ſive non entia ſtatuerint.
Pudeat, inquam, ſcholas Phyſicas, plus 21
ſe contemplatas Matheſin, quàm ipſam naturam.
Futile eſt itaque, ſpecies in numeris, per
quas in rerum natura diſtinguerentur, agnoviſſe:
neſciiſſe tamen unitatem eſſe numerum:
Vtpote unum, in ſui alteritate non minus eſt
diſtin-

diſtinctum per unitatem à quovis alio numero,
quàm eſt denarius. Neque enim ulla eſt ratio,
propter quam duæ unitates magis conſtituerent
22 numerum, quàm unica; ſiquidem in
binario adhuc ambæ unitates ſunt diſcretæ &
diſtinctæ, imò integræ in ſuo illarum eſſe, nec
deſierunt aut abierunt in aliquod tertium propter
earum connexionem: Nam binarius nil
deſignat præter binas unitates. Vlceroſum eſt
itaque, duas res permanere in ſui priore eſſe
connexa, attamen ob ſolam iſtam connexionem
generaſſe ſpeciem, à ſe utraque diverſam.
Quocirca unitas propriiſſimè eſt omnis numerus,
eò quod ex illa fluat omnis numerus, eſtque
omnis ideò numerus nihil præter unitatum
connexionem. Vnde ipſa unitas Divinitatis typus
eſt: eò quod exin omnes fiant numeri, atque
23 iterum in eandem reſolvantur. Equidem
ſcholæ quoties per Matheſin aliquid concepere,
id ſtatim ſubter regularum generalitatem in naturam
contorſere. Sic namque ex quatuor putatitiis
elementis quatuor qualitates, complexiones,
ac humores confusè adæquando, hæ rixæ
tranſlatæ ſunt uſque in aſtra, cunctaque ſuis figmentis
24 conſentientia ſtatuerunt. Quâ nimirum
methodo continuum ſpeculatum in Matheſi
aptarunt punctis linealibus, & tandem quoque
tempori. B. Auguſtinus fatetur quidem, tempus
aliquid eſſe, ſed neſciri temporis quidditatem;
quia ſcilicet falſis è Paganiſmo theſibus
imbutus. Quare erubeſco etiam atque etiam,
temporis eſſentiam velle explicare. Sed hunc
oſorem non timeo, qui jam in cœlis veritatem
adſpicit.

25 Inprimis namque à tempore ſucceſſionem
omnem abſtuli, qui jam magnis authoritatibus
Ethnicarum ſcholarum jugum excuſſeram. Siquidem
initiò meditabar, ſtetiſſe cœlos, non tamen
aliud tempus fuiſſe ſtante Sole, quàm modò.
Itaque cœpi iſtam durationem abſque ſucceſſione
motus cœli dimetiri: Et conſequenter
ſenſim didici, omnem à tempore ſequeſtrari
ſucceſſionem: & hanc duntaxat motui accommodare:
Tum dein inſanum reputare, Solem
quandoque ſtetiſſe, & nihilominus adhuc hodiè
tempus intra cœlorum motum demergere.
Nam etſi detentio iſta Solis ſit miraculoſa, attamen
duratio proin non fuit miraculoſa. Dein
conſpexi, quod ab initio tempus jam eſſet, nondum
exiſtente die, ſive ante natam lucem & ſegregationem
ejus à tenebris. Cœlum ergò, Terra,
aquarum abyſſus, tenebræ, & dies ipſamet
26 erant, antequam cœli orbita definiret diem. In
principio inquam creaturarum, non autem in
principio temporis. Quia iſtud rerum initium
includit aliquod Dum, ut ſenſus ſit: Quanquam
Deus ab æterno ſtatuerit res creare: Dum tamen
infinitæ Bonitati placuit emanare in operationem
ad extra, tum *In principio creavit Deus cœlum
& terram.* Atqui ante creaturam erat illud
Dum, quia Deus non habebat opus creaturâ, vel
creatâ duratione, nec res creandæ habebant opus
creatâ duratione, imparis concurrente dignitatis
principio ullo cum Creatore infinitæ
poteſtatis. Nam ſi creatura non dependeret originaliter,
totaliter, abſolutè ſcilicet & intimè
à Deo, tanquam à durationis ſuæ initio & fine,
utique nec Deus etiam eſſet immediatum ac totale
principium, ut neque immediata vita rerum,
id eſt, non foret α & ω illarum; Igitur intellexi
inde, ſi natura quandoque ſtetiſſet radicata
in duratione profluente citra medium ab
ipſamet æternitate: illam & hodiè ſic ſtare debere
ob eaſdem neceſſitatis regulas. Scivi namque 27
mox inde, quod Duratio, quam tempus nominant,
ſit ens reale: Itemque ſi tempus ab initio
fuerit ante factam creaturam, non poterit
utique reputari inter creata. Nec enim eſt facta
mentio creati temporis. Perpendi etiam, quod 28
ſicut mobile eſt ita in loco, ut locus nedum exteriùs
circumdet mobile (utut interim ſic putet
Ariſtoteles) ſed quaquaverſus locus penetrat ipſum
mobile, ita ut intima quæque pars corporis
non minus ſit in loco, quàm ejus ſuperficies:
non tamen proinde vice verſâ locus à mobili
comprehendatur: Ita ſcilicet & adhuc multò 29
abſtractiùs Duratio eſt quidem rebus intima;
non tamen à rebus afficitur, clauditur, vel apprehenditur.
Locus etiam certam atque determinatam
poſitionem quidem, mutabilem à mobili:
penitùs tamen ab omni prorſus loco inſeparabilem.
Atqui ipſa Duratio ſic eſt à rebus inſeparabilis,
ut ab his nullatenus unquam migret
aut mutetur. Itaque cum duratio ſit ſupra &
intra eſſe rerum, & ab his inſeparabilis: imò magis
intima rebus, quàm ipſæ res ſint ſibimetipſis:
Hinc igitur in tempore durationem planè 30
divinam ſum meditatus, adeóque illo reſpectu
ab æternitate non diſtinguendam: diſtributam
tamen rebus, pro modulo cujuſque recipientis.
Atque ſic ſat probavi præfatam propoſitionem.
Quamobrem tempus nec partes habet, nec admittit 31
diviſionem ſui, & per conſequens neſcit
ſucceſſionem. Neque etiam ſomnia probat.
quæ ſcilicet puncta actu infinita, copulata vel
diſrupta in ſe recipiant. Imò nec tempus eſt duratio

ratio magna vel parva, magis quàm plana, rotunda,
longa, profunda, brevis aut lata. Quia
revera non eſt intra prædicamentorum ambitum;
eò quod Infinitum actu exſiſtens eſt tantum
unicum, Deus nimirum,qui eſt omnia. Etenim
ſi bonitas, vita, veritas, eſſentiaque abſtracto
modo ſint Deus ipſe in creatis, negari pariter
nequit, quin in iiſdem ipſa Duratio Deum
repræſentet. Credo itaque verum tempus impermiſtum,
ſine macula creaturæ, ubique &
ſemper immutabile, nec ullo modo ſucceſſivum.
Vtque hoc propinquius conciperem, abstrahebam
à tempore cuncta corpora, atque omnem
ſucceſſivorum alternationem ſive motuum
ſuccedentes viciſſitudines; Tumque primùm
clarè intellexi, quod Tempus in ſuo eſſe
nullam ferat aut debeat reſpectum ad motuum
inſtabilitates, varietates aut menſuram. Siquidem
tempus eſt id quod eſt, ſive motus atque
mutationes fiant, ſive non: quippè non inveni
Durationem relativam ad motum aut viciſſim,
motum ad durationem niſi per accidens,& propter
mentalem menſuram unius ad alterum.
Quod prorſus eſt impertinens: Siquidem tempus
non habens ſucceſſionem,non poteſt inſervire
32 commenſurationi. At quia ſublunari loco
concluſi, Scholiſque Ethnicis perperam imbuti
ſoliti ſumus in temporis duratione prioritates
& celeritates cum ſuis correlativis indefinitè
conſiderare,eò quod frivolo abuſu,motuum atque
mobilium determinatio attributionis juxta
ſpatium conſueta ſit menſurari. Quæ tamen relationes
prioritatis, ſi in trutina veritatis ponderentur,
ſunt duntaxat attributa motuum, nequaquam
autem Temporis vel durationis; Eò
quod prioritas,tarditas, &c. dicant tantùm relationem
inſeparabilem ad partes motuum inſequentes,
& tarditas comparat motuum celeritates
invicem; adeoque prioritas, tarditates,&c.
non tam metiuntur tempus ſive durationem,
ſed tantùm in reſpectu motûs diurni. Humana
ſiquidem & indiſtincta imbecillitas peculiares
omnes motus cum diario ſive diurno, emenſa
eſt per quandam ignaviam & hebetudinem.
Vtpote non reſpiciunt motuum prioritates,
non propriè ipſam temporis durationem,
ſed potiùs motus generalis univerſalem diſtantiam.
Ac quanquam in cunctis inſit & adſit ipſa
duratio temporis, hæc tamen eſt prorſus aliena
à ſucceſſione motuum: Hinc proinde cœptum
eſt, tempus velut ens ſucceſſivum atque caducum
per inſtans ſingulum conſiderari. Præſertim
quod Scholæ ſtoliditates vulgi imitatæ
tempus tandem cum cœli motu confundere
conſuevere. Non mirum igitur, ſi talibus initiis
magni Heroes, temporis quidditatem conſiderantes,
eandem concipere non potuerint.
Quippe cum involvat actuale infinitum (quod
unicum eſt æternum) ex ſeipſa eſt neceſſariò
per finitum incomprehenſibilis. Etenim tempus 33
putatum eſt ſuccedere ac partes habere,
quia partes in motibus ſeſe ſubſequerentur.
Cum tempus & motus ſint res diſparatæ,& tam
procul diſſitæ ab invicem, quantum res caduca
& finita ab infinito. Non enim etſi motus fiat
in tempore,plus poteſt motus per tempus commenſurari
ab homine, quàm poteſt homo metiri
per Deum ipſum hominem, qui in Deo eſt,
vivit, & movetur. Si enim DEVS vellet inpoſterum 34
omnem cœli curſum inæqualiter ſic inordinatum,
ut ad illum nullus motus adæquari
poſſet,an proinde & tempus in ſeipſo fieret inæquale?
Vel an deſineret eſſe, quod modo eſt?
Imò ſi ceſſaret (ut olim ceſſabit) motus cœlorum,
an proindè ceſſabit tempus pariter? An
ipſum nunc non ampliùs nunc eſſe? quid enim
ad tempus attinet, quod in tempore contingit?
Siquidem ſuum eſſe habet liberum, ſine reſpectu,
reflexu vel reciprocatione ad aliquid aliud.
Tempus ſanè non eſt nobis datum in menſuram,
vel ut in ſeipſo ſit menſurabile: Sed habet
eſſe liberum in eo, unde omnis eſſentia. Per
exemplum: Deus ineſt unicuique creaturæ. Etenim
bonum quatenus omne bonum, non autem
hoc & iſtud eſt Deus: In quantum verò eſt
hoc vel iſtud bonum,non eſt omne bonum; atque
in tantum habet eſſe in creatis.Equidem ut
DEVS eſt unicum in omnibus bonum, ita viciſſim
& omne bonum eſt eſſentialiter hoc unum
verum bonum: Similiter DEVS omnibus ubique
præſens,& ſua duratio eſt duratio omnium
ac ſingulorum. Pariter quoque lumen Solis eſt
ens & aliquid in ſeipſo (illuminat quippe & calefacit)
extra tamen aut citra Solem eſt nihil;
Eodem modo æterna duratio in creatis eſt tempus:
quod extra vel præter æternam durationem
eſt merum nihil, privativè & negativè.
Quapropter *quamdiu* erunt ulla creata, nunquam
deſinet eſſe tempus. Dixit Dominus: *Tu
es filius meus; hodiè genui Te.* Quia æternitas
non eſt,niſi unicum nunc, unicum hodiè. *Ex
utero, ante Luciferum genui Te.* Chriſtus ex utero
natus in tempore, & tamen ante Luciferum.
Quia in tempore nulla eſt prioritas vel ſuceſſio.
Ante ergò deſignat prioritatem ſucceſſionis
motuum & excellentiam dignitatis: non

autem prioritatem temporis. Quia ab initio in conſumtionem ſeculi non niſi unicum nunc. Sic nempe agnus ab origine mundi immolatus, ejuſque mors ſalvat defunctos ante incarnationem Domini; quatenus incarnatio beatifica motum reſpicit. Salvat nimirum anteriores, juxta curſum vitæ præcedentes, ac reſpectu motuum inter ſe invicem collatorum: non autem obtuitu durationis. *Vt non rapiat eas leo, nec infernus devoret.* Preces enim illæ pro defuncto dudum poſt mortem, cum tamen mox ab exſpiratione plerumque ſuum judicium ſubeant animæ. Quare preces ejuſmodi fruſtra eſſent, ac ſerò nimis inſtitutæ, ſi tempus eſſet ſucceſſivum. Eccleſia ductore triumphat Paracleto, novit proin, omnia futura eſſe in eodem temporis nunc, ac ſi antequam oppeteret, contigiſſent preces. Sapiens enim adſtruit, DEVM omnia ſimul feciſſe; Geneſis verò ſextidui hiſtoriam ſcribens totidem quoque dies conſumtos ait. Quæ proin contradicerent, ſi tempori detur ſucceſſio. Sex ergò dierum ſpatio cuncta ſunt creata: Vnico tamen temporis permanente puncto. Sic namque Diabolus futura prænovit, in ſucceſſione motuum: quatenus præſentia in unico temporis nunc. Stellæ quidem ſunt in tempora, id eſt, ad temporum viciſſitudines ſive motuum varietates: non autem ad durationem vitæ noſtræ, cujus eſt ſtatutus terminus ab Omnipotente. 35 Enimverò prioritas difficillimè ſequeſtratur à tempore. Nam quamvis abſtrahamus tempus à loco, motu & corpore: attamen propter oppoſitam conſuetudinem, reique novitatem, perquam difficile eſt à prioritate in tempore deſueſcere, non ſecus atque quis ſiniſtra panem ſcindere, id illi eſt dextra moleſtum, licet plura alia per dextram ritè obeat. Proinde tamen difficultas vel diſſuetudo intelligendi nil quicquam in rebus mutat, aut temporis eſſentiam obligat, ut noſtris ſe accommodet erroribus. Quid enim ad tempus attinet ipſa prioritas motuum in corporibus? Quidve nocet tempori prioritas, quæ ſoli debetur motui? ſi per inſcitiam in tempus ſit tranſlata? Quia autem motuum prioritas in ordine ad durationem dicit immediatum reſpectum ad alium motum (dierum ſcilicet & annorum) per quem omnes alios metimur motus, idcircò prioritas abuſivè eſt traducta in Durationem. Alioqui ſanè prius conſtare deberet, quod ideò iſte diei motus eſſet tempus, eò quod in tempore contingat: quo probato, prioritas tum poſſet referri ad Durationem, & non aliàs: ergò nunquam. Mihi autem in rerum diſtinctionem ſat eſt, quod duratio ex motu in ſui eſſentia nequaquam dependeat, ſed in ſe ac præ ſe ferat quandam Divinitatis uniformem conſtantiam, per quam nempè ita ſit permanens, quod ab omni viciſſitudine ac prioritatis ſucceſſione maneat prorſus libera, aliena atque à rebus rerumque ſucceſſivis motibus planè independens: Ergo in nullo prædicamento collocanda eſt duratio. 36 Cumque nullo modo in relativorum ſeriem pertineat, ideo per conſequens duratio nullum dicit internum reſpectum ad res, niſi per accidens: idque etiam non niſi juxta miſerum deceptumque rationis diſcurſum, facientem proportiones inter mobilia; & adhuc duntaxat in quantum ſunt mobilia, in ordine ad motum localem vel alterativum: non autem in ordine ad eſſe reale illorum. Spectant nempe ad caduca mobilia, certi fluxus prioritatum & poſterioritatum in ſuis motibus, cum quibus ad deſtinatos periodi fines, adeoque ad interitum ſuum properant. Sed totum iſtud quid refert ad tempus? An enim propterea etiam Tempus currere debet cum omni atque ſingulo motu? Vtique ſic tot eſſent tempora ac durationes, quot motus. Vel ſi unicum tempus currat univerſaliter cum omnibus & ſingulis motibus, cumque ipſum ejuſmodi tempus celerrimè omnibus aliis motibus præcurreret, tardus curſus vitæ corvi fluet inæquali tempore cum gyro volubilis rotæ. Quapropter non ſub unica duratione ſimul fluere poterunt. Itaque tempus ſuum eſſe vel eſſentiam habet immobilem, immutabilem, impartibilem, ac impermiſtam rebus, non ſucceſſivam, ſed ſimplicem & liberam ab omni reſpectu ſui intrinſeco ad creaturam. Quantumvis tempus ſit magis intimum rebus, quàm ſint res ipſæ ſibiipſis. 37 Suppono itaque tempus in Deo terglorioſo eminenter & eſſentialiter: In creatura verò dependenter, ſubjectivè & ab emanatione ad extra participativè. 38 Lex fati quidem permittit motus vitæ inſequi juxta inhærentem mobilibus diſpoſitionem affixam ad certum præſcriptumque deſtinationum ordinem. Sed ejuſmodi affixiones & ordines non ſunt ipſius temporis; Conſequuntur videlicet ſuum ante & poſt, ſuum tempeſtivum, opportunum & ſerò ad ſubſecutionem motuum & mutationum eorundem, non autem temporis. 39 Nil namque poteſt cogitari abſurdius, quàm quod unicum tempus ſucceſſione quadam moveretur, ſubſequeretur atque ſeipſum faceret

Vaſallum ad infinita puncta,indiviſibiliter quidem,
in ſui prioritate & diviſa inter ſe per ſuppoſitionalitatem
: quæque tamen in inſtanti
minimo ,ſingulo eſſent conjuncta , & quæ abſque
ulla ſui extenſione perirent ſucceſſivè ante
ſui connexionem : Et quod talis chymæra
eſſet menſura certiſſima cunctorum motuum.
Imò quod tempus per ejuſmodi indiviſam punctorum
copulam mutuamque atque indeſinentem
ſucceſſionem cogeretur moveri atque ſubſequi
ſucceſſivè : & hunc tandem infinitis indiviſibilis
puncti motum eſſe diſtinctam omnium
motuum regulam & temperamentum. Hæc
tamen adeò ſtolida dogmata propinantur adoleſcentiæ
ſub primo ætatis vere pro naturali
40 Ariſtotelis auſcultatione. Prioritas igitur nequaquam
terminatur reſpectu temporis , ſed
fati , relati in ordine ad motus : ſine reſpectu unius
motûs ad alterum. Nam motus localis
non tangit eſſentiam loci : ſed res quæ ſucceſſivè
movetur per locum , dicit duntaxat reſpectum
per accidens ad locorum ſitum ; Interim
reſpectus ſituum ſive loci ad locum manent ſtabiles
, immoti , immutati , nec in minimo tangunt
locum, ſive res ſit mota in ſitu , ſive non ;
Cum ſucceſſio motus localis ex parte motus ſit
peregrina loco. Potiori profectò jure hæc intelligo
fieri cum tempore, eò quod tempus non
ſit relativum ullâ ratione internâ , ſed ſit quid
abſtractius æternitatique propinquius in intellectu
41 & in re , quàm ſit locus. Tempus igitur
neſcit ſucceſſionem nec ex parte motûs nec
rei motæ : quippe ſucceſſio nil aliud eſt, quàm
proportio ſucceſſivorum in ordine ad motum ;
& quanquam inſit motui ipſa duratio, non proinde
tamen hæc induit naturam ſucceſſionis
motuum. Quotquot autem putarunt tempus
ens ſucceſſivum partibileque; illud quoque laſſatis
habenis cum mundi interitu occaſurum &
periturum credidere : ævum verò ceu novam
creaturam in ejus vicem , abſque ſucceſſionum
42 medio ſubſtitutum iri. Hoc nempe ſic autumatum,
neſcita temporis quidditate. Etenim dum
hoc de tempore dicunt, manifeſtant, ſe non loqui
de tempore, & ignorare ſui durationem :
quia tantùm loquuntur de motibus, horumque
viciſſitudine,in durationis contingentia. Siquidem
etſi duratio rebus inſit & adſit , nil tamen
habet cum rebus commune,ſive comburantur,
ſubmergantur, putreſcant, moveantur , dormiant
, incipiant vel eſſe deſinant ; quia duratio
non retroſpicit ad res, ſed inperfracta , ſemperque
43 ſibi æqualis perſiſtit. Forſitan enim illos
abduxit Textus. Poſthac non erit tempus amplius
, non attendentes tempus ibidem ſumi
pro diebus anni, pro meteoron viciſſitudine,&
opportunitate pœnitendi. juxta tritam nimirum
locutionem. Non autem quod cum mundi
interitu ceſſaret duratio,quæ modò eſt, ſemper
fuit, & erit. Nam ævum quod Angelis deputatur,
nullatenus diverſificatur à duratione, quam
temporis vocant. Cogita nempe animam corporis
inquilinam, diem , noctem , nec item ſenium
experiri , ut neque ſucceſſionem habere :
Eſt tamen in unica & eadem duratione , & in
eodem nunc, quo altera anima, à corpore ſeparata,
exſiſtit. Quippè loci & mutatio conditionis
animarum nequicquam tangit, afficit durationem,
aut eandem ſibi obligat, ut proin in ſui
eſſentiam migret. Sed eadem duratio æternitatis
fluit emanativè in omnia, & ſuſtentat ſingula
: ſui proinde tamen ſimplicitatem non amittit,
quanquam res eam participantes eandem aliter
atque aliter ſuſcipiant. Res enim in & ſub
duratione ſubſiſtit: à qua ſi exciderit,in nihilum
abit. Angelus enim ideò in ſui ſubſtantia & eſſe 44
fruitur tempore continuo ſine ſucceſſione &
partibus,cujus nihil eſt magnum, parvum, longum,
breve,prius,poſterius, menſura & menſurabile.
Cum igitur juxta Scholas ſit ejuſmodi
duratio pro Angelis , quam ævum dicunt , & à
tempore ſublunarium diſtinguunt , idque ſive
in Cœlis exſiſtant , ſive in terris : admittuntque
opera Angelorum commenſurari tempore ſucceſſivo
& diſcreto,concludo, cum Angelus nequeat
eſſe ſimul in duabus durationibus , toto
cœlo & genere differentibus, quarum una ſcilicet
competat ſibi & altera ſuis operibus : quorum
utrumq; interim unicum durationis nunc
continet , neceſſarium fore , quod ambæ iſtæ
durationes in unicam prorſus liqueſcant , diverſam
tantùm accidente reſpectuum , id eſt,
ficto mentalique non-ente : unicam , inquam,
neceſſario reali actu exſiſtentiæ numeri. Adeoque
tempus eſſe idem planè reipsâ cum ævo &
manere immutatum in æternum. Sat autem
mihi , quod Scholæ agnoſcant aliquod tempus
continuum nec ſucceſſivum , quod ævum vocant.
Ego non cogor ob illarum mentales diverſitates
tempus ab ævo disjungere. Nam ſi viciſſitudo 45
rerum motuumque tempus ab ævo ſeparent,eo
ipſo reſpiciunt magis ipſam viciſſitudinem,
quàm durationem ; cujus tamen determinationem
ac definitionem attendere ſe putant.
Siquidem id convincit,quod,ignorata hactenus
temporis quidditate, fruſtrà tempus diſ-

cretum ſegregaverint à continuo ſive ævo.
Cum nulla uſpiam ſit neceſſitas ſucceſſionis in
duratione, eóque magis, quod aſſignent utri-
que præfatæ durationi quoſdam reſpectus, qui
toto, ut ajunt, cœlo exulant à natura durationis.
Vtpote qui duntaxat pariunt differentiam ra-
tionis ſive non-entis, quod æquivalet, ac ſi du-
rationum ambarum diverſitas ſit in reipſa me-
46 rum commentum. Id quod ſic convinco: Tem-
pus eſt ens: Ergò creator vel creatura: Si ſit ens
ſucceſſivum, ergò non eſt ſubſtantia creatoris
vel creaturæ. Sin autem velint eſſe accidens
(nam de ènte neutro inter ſubſtantiam & acci-
dens Scholæ nondum mentionem fecere) ſal-
tem ſubjectum inhærentiæ pro tempore deſcri-
bere debuiſſent. Conjiciam itaque: non ſubje-
ctum temporis erit cœlum, nam ſic caduca &
ſublunaria non haberent temporis durationem
ſibi propriam: eſſet duratio peregrina advena,
præſtitaque caducis. Itemque ſi ſublunare u-
num de Tempore, ut de accidente ſibi proprio
participaret, non proinde & aliud ſibi vicinum
de tempore gauderet. At ſi malint caduca ſin-
gula participare de Tempore cœli: ſaltem crea-
ta ſingula non haberent differentem duratio-
nem, ſed ſingula permanerent in eadem cœleſti
externa duratione participativè. Imò citiùs
ſublunaria haberent reliquas omnes manifeſta
cœlorum qualitates atque proprietates, quàm
eorundem durationem. Ergò non participant
de mutuata cœlorum permanentia in duratio-
ne. Quod ſi verò ſua competat duratio ſingu-
lis propria, adeò ut res ipſæ ſint ſubjecta inhæ-
rentiæ, durationis non aliunde petitæ, ac tan-
quam eſſentialiter initiis ſeminalibus incluſa
eſſet durationis determinatio, jam apparet lu-
men Divinæ providentiæ in tempore, ut ſit re-
gula creati, non autem ipſum creatum; in Deo
quippe ſumus, vivimus & movemur. Sic etiam
in duratione, quæ nec etiam eſt creata. Alio-
quin enim ſi tempus velut accidens aut conco-
mitans inhæreat rebus ſingulis, præter innume-
ra enim abſurda, ſaltem tot erunt diverſa tem-
pora, quot rerum atomi. Et quicunque nunc
ſimul in eadem duratione ſubſiſtunt, habebunt
totidem diverſas durationum eſſentias & exſi-
ſtentias, eritque tempus actu diviſum in infini-
tum: Et omne accidens, naturaliter alicujus
ſenſuum objectum non erit ullo ſenſu percepti-
47 bile in duratione temporis. Quamobrem co-
gor in tempore agnoſcere univerſalitatem
quandam, ſimulque & ſingularitatem ſingulis
rebus propriam, & rebus magis intimam, quàm
res ſint ſibiipſis. Item fateor regulam atque de-
terminationem propriam, quæ rebus ſingulis
largitur durationem præciſam, viciſſim tamen
à rebus impaſſibilem, inapprehenſibilem aut
coërcibilem. Quapropter agnoſco tempus eſſe
ens, quod dat & diſtribuit omnia omnibus, jux-
ta deſtinatam participationem Durationis æter-
næ, idque in confuſionem atheorum. Conſide-
ro itaque tempus tanquam æternitatis emanan-
tem ſplendorem, quique citra vel extra æterni-
tatem non magis ſubſiſtit, quàm ſplendor lucis
citra lucem. Tempus itaque nobis eſſe debet
manuductio ad ſuperintellectuale unum, æter-
num, infinitum, intimum cuilibet rei, nullate-
nus tamen permiſtum, concluſum, apprehenſi-
bile, aut detentibile; In quo omnis rerum eſt
quidditas, cui ſit laus & gloria in ſui æternitate!

Paganica ergò locutio eſt barbara & abſurda,
quod tempus nos conſumat aut devoret, quo-
niam nulla eſt actio aut paſſio temporis in nos,
aut à nobis: Non temporis vitio perimus, nec
mors eſt facta à tempore magis quàm à Deo.
Motuum enim diſpoſitiones cauſæ ſunt ſecun-
dæ mortis, non autem tempus eſt de natura
motuum. Iudicia quippè divina diſponunt
quælibet ob rationes ſibi notas.

Mirandum interim, quod dies ſit menſura 48
motuum, tamen diei nullam præſcripſerint
præciſam menſuram. Subdiviſiones quidem fe-
cere horarum, minutorum, ſecundarum, &c.
per ſexagenarium. At nemo hactenus oſtendit
præciſum ſpacium unius ſexageſimæ minuti;
Hæſitatum nempè in praxi. Imò præter meri-
diem, nullum eſt diei ſtabile momentum. Id et-
jam ferè ubique variat, adeò ut puncti meri-
dionalis certitudo non tam ex Solis cœlique
motu, quàm ex reſpectu ſitus ſphæræ pendeat.
Nemo itaque certum definitumve nunc vel
conſtans punctum edocuit, quo aliquid conti-
gerit, niſi habito Eclipſium reſpectu. Imitati 49
globum mundi, dum Sphæram diviſerunt per
punctum meridiei & poli altitudinem: at cum
Sol non ſemper nec ubique pro voto conſpi-
cuus, rotas excogitarunt, aliquot vicibus per
diem circumvolutas, quæ quia ſeipſas non eſ-
ſent movendo, pondus appenſum eſt, ſicque
diem menſi ſunt. In quo mox error obortus, eò
quod pondus ob funium longitudinem accre-
ſcens inæqualitatem face[illegible]t. Incertior adhuc 50
dierum menſura per invitam chalybis contor-
ſionem; quia hactenus nondum certò conſtat
exquiſita proportio inter robur, cujus intorti
chalybis renitentis & intra cochleam ſive funis
tenden-

tendentis elongationem ab axe. Eſt namque
flante boreâ, ſeipſo, ſolitoque contumacior.
Nondum ergò proportiones minimorum minutorum
in motu. Semifuſa Muſices adhuc eſt
incerta, eò quod ad pauſam integri reſpiciat, quæ
51 ad lubitum citatior eſt. Ego ex menſura motuum
in duratione primùm dimenſus ſum bombardarum
& cujuſque pyrii pulveris robur ac bonitatem.
Nam ſi catapulta diſtet à muro demoliendo
200 paſſibus, emittens pilam 22 librar.
cum pulveris notæ, bonitatis libris 10. Notetur
autem, quantum pilæ ictus tardet poſt accenſum
pulverem; jam verò diſtando per 250 vel 400
paſſus cum ejuſdem ponderis pila non excavata,
ejuſdemque pulveris æquo pondere, notetur
an ictus ſegnities reſpondeat proportioni diſtantiæ.
Idem periculum fiat in bombardis majoribus
& minoribus. Itaque ſegnities ſive tarditas
ictus deteget, quantum renitentiæ aëris diſtantia
pariat, quantumque bonitas pulveris acceleret,
quantumque cavitas in pila ferrea demat,
vel ſi ponderato plumbo repleatur. Ego autem
ejuſmodi motuum celeritates, poteſtates
atque proportiones, diei item minuta ingenti
quandoque jucunditate ſum dimenſus. Appendebam
ad clavum pondus libræ unius tenui
filo, longitudinis unius pedis, pendebatque
pondus liberum in aëre; Movebam autem pondus,
ut pulſaret in aëre batilli campanæ inſtar.
Dico igitur, quod omnes ac ſinguli pulſus conſequentes
ad ultimum uſque erunt ubique locorum
primo pulſui æquales. Nam quantum
primus pulſus major eſt, tantò conſequentes
ſunt minores, atque ideò tantò poſſunt eſſe tardiores
in motu, non autem in initio aut eorundem
fine. Item ſive filo appendatur unica libra
ſive plures, non tamen proinde erunt inæquales.
Sed ſi filum ſit bipedale, erunt ſinguli pulſus
præcisè duplo tardiores, Igitur juxta fili longitudinem
accelerantur aut retardantur pulſus.
Sicque mora cujuſque motus præcisè notari
poteſt. Æqualitatem autem pulſuum iſtorum
notabit Muſicus. Denique cum vis motiva ſit
utrobique unicum initium motus æquale, moderativum
celeritatis juxta loci diſtantiam: idcircò
neceſſum eſt, pulſum tàm unius libræ,
quàm plurium eſſe æqualem. Suppono itaque
pulſum bipedalis longitudinis eſſe mediocris
pauſæ, poterit ergo ille pulſus in 16 minores diſtinctos
ſubdividi, poteritque in gnomone obſervari,
quot pulſus fili pedalis dederit horæ
quadrans. ſicque annus præcisè commenſurabitur.

Quantum autem ad dies criticos attinet, obſervatio 52
quidem in natura baſin habet, quatenus
Archeus noſter cœlorum rhythmum explicat.
Equidem Luna ſemper 14 die proceſſit ad locum
ſibi oppoſitum, quo ferebatur primâ die.
Cenſetur idcirco natura Archei vires oppoſitas
nacta: Pariter ſic & ſeptima dimidium oppoſitionis
habet, ut & Lunæ aſpectum quadratum
ad punctum initii. Proinde namque 7 & 14 dies
ſunt mali reſpectu morbi: boni autem reſpectu
Archei humani. Rara ergò dies critica extra
morbos acutos; utcunque aliter ſenſerit Paracelſus.
Sedulò tamen notavi, quod nuſquam ſit criſis, 53
ubi Medicus artis ſuæ gnarus morbum ante
criſis exſpectationem ſuſtulit. Etenim ut natura 54
ordinariis gaudet motibus, iiſque aſſueta eſt, &
unitate virtutis motricis gubernatur lubens: ita
quando totum morbi negotium ſuis incumbit
tantum humeris, ſtatas ipſa cit criſes, quas alioqui
medelæ anticipat bonitas pravitaſque retardat
vel perdit. Sic nempe dies criſeos 14 in quadrageſimum
protelata eſt. Boni ergo & fidelis
Medici eſt negligere criſes; Præſtaretque ægros
Medente caruiſſe, quotquot per criſin evadunt,
multò magis, quorum criſis tardior eſt. Glorientur 55
enim Scholæ de criticis, criſin ſtatuant, doceant
naturam prœliari cum morbo, ſit ipſis criſis
ſine lite & judice. Mihi ſaltem viſa impertinens
ſimilitudo prœlii illius & ineptè criſeωs
tranſſumtum nomen. Commenta enim hujuſmodi
de manu in manum tradita, quibus omne
agens ob ſolas contrarietates litem ſuſtinere
creditur; Vno enim abſurdo dato, plura mox
ſubſequuntur catenatim. Docui namq; alibi, naturam
neſcire contraria, nec morbum prœliari.
Naturam ſcil. plus morbo, ut ovo, incumbere,
quàm quod ſit contraria: Si natura ſola ſit morborum
medicatrix. Sicque cuncta maturat, ut ad
finem perveniat, adeoque ſic etiam morbi finem
intendit maturando media. Ita nec morbus repugnat
naturæ, dum maturatur, non magis,
quàm ovum, dum fovetur, cum fovente gallina
pugnat. Morborum namque ſeminibus deſtinata
eſt ſua periodus: non quidem quæ myſticis
dierum numeris debeatur, ſed ſolis maturitatum
exigentiis. Nam ſi cocta & non cruda ſint
movenda juxta Hippocratem; Sagax ac mitigatus
naturæ Rector ſtatis momentis ſuas novit
maturitates, quas ipſe ſolus perficere cogitur,
non quidem ob diſtinctam morborum animoſitatem
in certamine: ſed, maturatis ſordibus, deſiſtunt
adhærere ſolidis partibus. Aſt quorſum tantus
criticorum dierum commentarius (Iunior

quinque libros de criticis conſcripſi, quos dein Vulcano obtuli) ſi oporteat ſic eſſe inſtructum Medentem,ut morbum periculoſum reddat inſontem, & longum abbreviet, id eſt, præcidat, ne in criſin proteletur? Criſis ergò, ut judicium ſonat,eſto judex & accuſatrix medentum,& bajulantis ſolius naturæ teſtimonium : quia tantùm contingit Criſis, ubi viſcidum adhæret vel ſonticum concluditur, & ultimatâ maturitate ſequeſtrari optet.

56 Quantum verò ſpectat ad annum Climactericum
tractum ex productione numeri ſeptem
in novem, nimirum in annum vitæ 63, ſtolidum
eſt inventum : quippe ſeptuaginta anni,
dies hominis, &c. ergò impoſturam falſi incuſant
Sacra apud Chriſtianos ; adeoque Dæmonis
eſt inventum, qui hoſtis vitæ noſtræ procurat
mortis metu ſenes ante ſtatutam horam
percellere. Alioqui namque quid facit numeri
in numerum productio ad curſum vitæ? Anni
quidem in ſuas meſſes atque maturitates properant
& recurrunt. Quare & annorum revolutiones
revolutionumque numeri potiùs recurſuum
identitatem, quàm numerum aut vitam
reſpiciunt directè, nulloque modo ad numerum
præteritum ſe referunt, eò quod anni
ſinguli deſinant in præciſam ſui ſingularitatem,
nec ſe reflectant ſuper præcedentium pluralitatem?
57 Inter reliquos aliquis ſtupidè ad numerum
numerantem. Profectò ut pium eſt &
Chriſtianum vitam agnoſcere à manu Conditoris,
Principis vitæ : ita perditorum eſt vitam
à Planetis & numeris mutuaſſe. Etenim quanquam
DEUS certo ſpatio cuncta diſpoſuerit ex
ſuo lubitu & beneplacito, ſtultum tamen eſto
cauſalitatem attribuere numeris. Si plantæ prolificandi
vim habuerint ante natas ſtellas, & vi
verbi vegetent, eſt pudendum Chriſtiano vitam
humanam ſuæque durationis & exſiſtentiæ
poteſtates dediſſe numeris numerantibus. Annus
ergò climactericus, ſive aſtrorum numeratos
recurſus, vel numerum recurſivum,ſive demum
numerum numerantem ſpectemus, inanis
eſt garritus, Sacris repugnans, quæ vitam
à 70 ad 80 annos miſeram vocant,non ob annos
præteritos, ut neque ob illorum numerum numerantem,
ſed quia inoletæ ſunt ſeminibus neceſſitates
à Principe vitæ ſic ſtatutæ.

58 Sed ſtentantur de numero Sabbatario, quia
ſeptimus eſt. Ad id repugnat quinquageſimo,
qui eſt Iubilei totuſque Sabbatarius, atque adeo
annus ſeptuageſimus, quia ſepties decimus
plus ſabbatizat, quàm ſexageſimus tertius; quia
annus nonus eſt enneaticus, qui nil ad Sabbatiſmum
confert. Si namque dies ſeptimus eſt
Criticus propter poſitiones Lunæ, ergò non ob
numerum ; nec Lunæ cum numero annorum
63 climacterico quicquam intercedit commune.
Etenim Aſtrologi jubent annum 56 in nocturnis 59
nativitatibus propter Saturni (pudibundam
ſanè) frigiditatem duplatam : annum
verò 63 in diurnis genituris, propter ridiculas
ſiccitates Mercurii & Martis, maximè periculoſum
: Sed hi præterquam quod pro medietate
ſaltem climacterico anno valedicant, contradicunt
textui : *Septuaginta anni*, *dies hominis*,
&c. denique deſciſcunt à numeris, dum
qualitates elementorum in opem vocant, eaſque,
delirando, in aſtra traducunt. Si mors in
valle miſeriarum ſit calamitatum finis, deberet
annus Climactericus eſſe quinquagenarius,qui
Sabbatarius eſt ac Iubilei. Deus quidem hebdomadem 60
in dies 7 diſtinxit, non ob numeri
myſterium aut dignitates ; ſed quia prænovit,
vix ſibi vacatum iri, niſi mandaſſet quamobrem
ſaltem ſeptenum diem ſibi deberi voluit, ut toti
vacaremus ſemel ſaltem in ſeptimana ; Non 61
enim quod numerus ſacrum vel myſterium
contineret, ſed ſuæ benignitatis teſtabatur indultum,
quod de ſeptem ſaltem unicum poſceret
: Eja, ſi ſeptimum ſibi conſecravit, cur addis
& nonum,non ſibi conſecratum? Cur ſacro numero
(ut ais) nubitis profanum, ut inde fabricemini
climactericum? An tibi licitum eſt dies
Deo ſacros feciſſe? Quomodo demum ſi ſeptem
& novem myſterium in ſe haberent, facies,
quod numerus ex producto ſeptem in novem
ſacer erit ? cum ſpeciebus numerorum juxta
vos nil poſſit addi vel demi, quin continuò ipſa
mutetur ſpecies? Dies decem pro pane azymo
ante & poſt feſtum præcepit Deus ; ſed quid
authoritatis iſtud dat pro denario? Vacandum
ſibi imperabat Dominus diebus, quibus beneficus
illis fuerat, nec nobis obſervandi ſunt propterea.
Ideoque nec ſacrum numeris addixit.
Itaque poſteras Iudæorum perfidias continet
iſta doctrina, quæ dein ex Aſtrologorum futilitatibus,
melancholiciſque ſive amentibus putationibus
artes atque regulas ad inanem lubitum
accommodatas finxere, quorumque aliquot
maniacis remediis jam curavi, cum ejuſmodi
obſtinatio ſuâ non careat amentiâ. Finaliter 62
ergò conſtat, quod vita longa,quam tracto,
non ſit reſpectu Durationis ſive temporis : ſed
motuum ab initio uſque in finem defluentium,
quorum ſcilicet menſura in Durationis conſtantia

ſtantia non ſit ipſa Duratio, ſed motus alter, qualis eſt dies, qui ſolâ ſui pluralitate vitæ metitur longitudines, quare Sacra disjunctim dicunt: In diebus illis. Itemque per dies virorum rerum contingentias deſcribunt, non autem per temporum ſucceſſiones, quas paganiſmus introduxit, locutione penitùs fabuloſâ, quia temporis nulla eſt pars, ſucceſſio vel alteritas.

VITA LONGA,
ARS BREVIS.

1. *Vita abbreviari debuit meritò.* 2. *Conſideratio vitæ longæ ex dono Dei profluit.* 3. *Aliquot factiones diſcipulorum Paracelſi circa vitam longam.* 4. *Objectio pro deſperatione de vita longa.* 5. *Quanta ſit vitæ longitudo penes autorem.* 6. *Cur terminus vitæ longæ tàm diverſus?* 7. *Probatur vita longa.* 8. *Notatur Galeni inſufficientia.*

1 DE vitæ brevitate conquerimur ferè omnes, at ſpatium vitæ ſat longum, dierumque pluralitas ſatis magna, ſi tota benè collocetur. Perpende enim, quantum ſomnus, otia, vanæ occupationes, parentes & amici tecum de vitæ ſpatio diviſerint actum diſcernes, noſtram de vitæ brevitate querimoniam eſſe mendacem. Hæc Seneca quandoque cenſuit. Chriſtiani verò, qui mortem introitum ad vitam ſperant, de vitæ brevitate nequaquam plangere debent. Nam certus eſt Electorum atque reproborum numerus, qui ut citiùs impleretur, propter multorum iniquitates dies vitalis accurtari debuit, ut & numerus accelerari ob feſtinantiam diei noviſſimæ. Alioquin enim, licet mundus totâ ſui amplitudine eſſet fertilis, non tamen ſufficeret alendis omnibus, ob præfatam feſtinantiam editis & edendis, ſi horum quiſque ad vitæ longæ terminum attingeret. Porrò quantumvis Iuſti meritò gaudere deberent de vitæ ſuæ brevitate, & à contrario ſenſu injuſti plerique optent vitæ longævitatem (fortè namque in ſenio emendabuntur) attamen cum nemini conſtet, an in Dei conſpectu juſtus cenſeatur; Potiſſimùm quod *in conſpectu ejus non juſtificabitur omnis vivens.* Iudicavi proinde, incumbendum unicuique ſeriò pro antiquæ benedictionis adeptione, obedienti parentibus pollicita. Vita ergò longa viſa eſt mihi totius Philoſophiæ apex, eò quod jucundam atque utiliſſimam pendat meditationem. Dolenda inprimis ſummoperè mors perſonæ, quæ mortalibus, patriæ ſuæve familiæ columna foret, niſi propter aliquod melius ex mandato vel permiſſione Dei obiret. Quiſque enim idcirco in vitæ longæ amorem, deſideria & optatum ſuâ fertur ſponte, ſolâque valetudinis aut fortunarum ærumnoſâ jactura optatum mortis ac vitæ tædia adducit deſperatis. Aſt vitæ longæ adipiſcendæ ſola deſperatio indagantes terret, eò quod anteactis ante Paracelſum ſeculis Scholas, de vita longa meditatas nihil, docent muta illarum ſilentia. Vtpote aſtu 2
Satanæ mors irrepſit, ejuſdem proin dolo quoque vitam longam hucuſque ſuppreſſam non immeritò auguror, cum generis noſtri ſit juratus hoſtis. Quem tamen vitæ longæ ſcopum Omnipotens nuper in mentem humanam inſtillare eſt dignatus, ut de his tanquam nomini ſuo glorioſis, nobiſque neceſſariis, poſt novorum morborum conſcriptum in nos exercitum, ſeriò penſitemus. Licet donum arboris vitæ maneat in manu Domini, quamdiu ejus diſpenſator manere decreverit. Adepti nuperi ſpernentes qualitatum primarum connubia, humorum collegia, prærogativas, decubituſque, ſenſim ad medendi unitonum aſpirarunt, ſub quo remediorum ingreſſum ſe inveniſſe primùm rati, ſe voti compotes factos, gloriati: quibus ſucceſſere, qui reperirent rerum ſubtilitates, ſeu medicinarum puritates nondum ſufficere ad tantum faſtigium, quod nempe ad vitæ longitudinem ingredi poſſent, eò quod peractis accretionis noſtræ muniis ad prima noſtri conſtitutiva non ampliùs penetrarent ſeſeque commiſcerent. Dotem, inquam, quam accreſcendo res ſunt adeptæ, ſi non intus ad primum limen exuant, ſaltem non procul intrò verſus radices homogeneorum deferant: Longè autem adhuc abſunt, ut poteſtates vitales à fluxu ſuo ad interitum detineant. Idcirco enim 3
doctiores à Paracelſo deinceps in varias opinionum factiones atq; in deſperationem vitæ longæ defecere: Alii quoque majori animo & ſpe allecti per pollicita Paracelſi magis quàm rerum teſte experientiâ ſuffulti, multa promiſerunt, quibus non reſponderunt poſteà eventus: eò quod vitæ longæ radicem una cum paracelſo neſciverint. In arduis quoque deſponderunt ignaviores dicendo: *Conſtitutus eſt vitæ terminus, quem nemo præteribit.* Fruſtraneum itaque 4
cenſentes, quicquid audaculi de vita longa promiſe-

miſerint. At non ritè perpendunt, quod qui vitæ deſtinavit terminum, eadem opera etiam quælibet media ad iſtum vitæ terminum requiſita ſimul deſtinaverit; Fruſtrà alioquin arbor vitæ in Paradiſo, fruſtráque de terra Medicinam creaſſet ab initio, niſi rerum termini naturales prolongari medendo poſſent. Etenim ſi non utar remediis, ſtatutus eſt mihi terminus, quem non præteribo; juxta illud: *Hei mihi, quod incolatus meus prolongatus eſt*! Si Adam non edat de ligno vitæ,ſtatutum habebat vitæ terminum:
5 at ſi comediſſet,utique nec fuiſſet mortuus. Eſt ergo ſpes ad vitam longam, ſola autem defuit cognitio medii. Nec enim loquor de Vita longa è Sciolis deflua; Ejuſmodi fabulas Paracelſo relinquo. Nec denique is ſum, qui annos vitæ longæ ad dies Methuſalem extendo. At magnifacio Neſtoris ætatem, aut Iohannis de temporibus. Sed Paracelſus vitam tercentum annorum, deſpecto nomine, brevem, phyſicam & accuratam vocat, imò ſi non ad annum ignis prorogetur, ſe indignam æſtimat, polliceturque ſuorum arcanorum vi vitam Neſtoream, nullo quaſi negotio ſecuturam. Aſt apud me vita longa terminum habet 120 annorum, ultimum verò trecentorum annorum, utpote quos aliquot animalia quotidiè ſpontè attingunt, homo autem rariſſimè, idque non niſi inſolitis
6 quibuſdam locis. Cur autem vita longa tanta exſpatietur amplitudine; fit, quod utrobique recipiatur per modum Recipientis. Non enim arbor vitæ moderna me amplius nunc capacem redderet minimæ dignitatis vel termini, ob depravatam, per multas procellas, vitæ meæ lucem, cujus filum adhuc in lino præſciderunt. *Implebit in bonis deſiderium tuum, & renovabitur ut aquila Iuventus tua.* Nec enim dicitur ut aquilæ. quia aquilæ non redditur juventus priſtina. Sed aquila renovatur non ſecus atque ſerpens ſenectam & cervus cornua exuunt, licet interim non ceſſent ſub iſtâ renovatione ſeneſcere, adeò ut aquila feſtinet in canas plumas. Igitur ſic de vita longa loquor, non quidem quæ uſque in noviſſimum diem, juxta Paracelſi temeritatem,extendatur: Vt neque loquor de vita ſana, quæ ſit à morbis planè immunis: Sed de illa, quæ ſub virium aliquali protectione finem vitæ dilatat aliquandiu. Quæ media ſi puero & robuſto infanti exhibeantur, eoſdem ad præfatum terminum ſunt deductura, ſi iiſdem uti pergat. Quid ſi demum climata 7
quædam vitam protrahant, an pharmaco,cui vitæ longæ dos eſt, id denegabitur? Sæpè namque qui anno 50 perſpicillis uti cogitur, ſponte dein propria 80 ætatis ſuæ anno clarè denuò videt. Quidni ergo in toto fiet per artem, quod in oculis contingit ſpontaneo vigore. Ego autem ſemper ratus ſum, quicquid ſemel fuit naturale (puta in Neſtore) poſſibilitati naturæ non repugnare. Nec etiam me movet,quod Archiatri hunc locum intactum mutumque invenerint, ideoque & reliquerint: Quoniam Scholæ jam- 8
dudum deſperant ſapere ſupra Galenum, qui tamen inſtar Seplaſiæ quid pro quo ſubſtituit, & quidem pro vita longa libros. De conſervanda valetudine edidit ridiculos. Hanc enim totam circumſcribit frictionibus rectis, obliquis, tranſverſis & circularibus, magnum nempè in his, quæ ſuæ ſunt inventionis,agens morionem & circulatorem, prout & ignarum exſcriptorem aliorum. Etenim quoties deficit,unde exſcribat ſeria, miram ſic detegit ingenii pauperiem, ut in figurali frictione per aliquot libros deliraſſe ſit viſus. Atque ideò poſterorum nemo hactenus libros Galeni de tuenda valetudine commentario dignos cenſuit, aut de ſolo elevare eſt aggreſſus: quin potiùs poſtera interpretatione Galeni iſtam doctrinam quiſque in culinæ mangonia,atque diætæ obedientiam ligavit. Sic nempè aſtu Diaboli vita longa in ſanitatem tuendam, atque inde in culinas migravit. Ars ergo aliquot annorum, brevis, & vita longa, ſi ad ſpem reſpiciendum vitæ, quam laxa Ethnicorum doctrina neglexit.

MORTIS INTROITVS IN NATVRAM HVMANAM DECVS VIRGINVM.

INDEX CONTENTORVM.

1. CVr de morte priùs quàm de vita actum. 2. Cauſa finalis non eſt in naturalibus, ut nec cauſarum prima. 3. Abſurda aliquot Ariſtotelis. 4. Autor ſubſternit hunc tractatum cenſura Eccleſia. 5. Mortem quidem fecit Deus brutis: non autem pro homine. 6. Quid etymo mortis deſignetur. 7. Diabolus non potuit facere mortem hominis. 8. Homo effectivè ſibi paravit mortem. 9. Qualis Protoplaſtorum immortalitas. 10. Quo medio ſtabat in homine immortalitas. 11. Quare mens ſit impaſſibilis. 12. Anima *ma ſenſitiva neceſſitas.* 13. *Pomi eſus continebat in ſe cauſas ſecundas ad mortis neceſſitatem.* 14. *Interna pomi illius proprietates.* 15. *Homo ante lapſum carebat animâ ſenſitivâ.* 16. *Mens imprimit ſui imaginem in ſemine.* 17. *Catena ex eſu pomi fluens.* 18. *Autor quorſum hunc tractatum ſcripſerit.*

1 VIta quidem erat, priuſquam mors
eſſet: adeoque quanquam naturâ
& duratione prior ſit vita
morte, attamen pro hoc tractatu
mortis introitus in vitam
humanam præcedit vitæ, eò
quod non de vita immortali (qualis erat ex intentione
Creatoris ante peccatum Protoplaſti)
ſed de longævitate ſeu de prologanda vita
duntaxat agerem, cujus quia finis morte clauditur,
terminatur ac definitur, debuit mors,
tanquam tranſpoſitiva termini vitæ, ſuis primùm
2 cauſis determinari. Equidem non ſtudui
imitari Ariſtotelem in hoc, docentem, finem
eſſe cauſarum primam. Nam alibi opulenter
demonſtravi, quod Ariſtoteles totius
naturæ fuerit planè ignarus: quamobrem iſtud
axioma ſuum tam intra quàm extra naturam
3 eſt falſum. Quoniam ſi de primo motore Deo,
omnium Archetypo, deque mundo inviſibili
ſit ſermo, certum eſto, quod apud eum non
ſit ulla cauſarum prioritas, ſed omnes coincidant
in unitatem, apud quem omnia tantùm
ſunt unum. In natura pariter, cum, quicquid
fit aut generatur, ſeminum neceſſitate fiat
aut generetur: adeóque hactenus ſint ſemina
rerum primordialia principia & cauſæ naturales,
agantque ob fines, non quidem ſibi, ſed
ſoli Deo cognitos: neceſſitate Philoſophiæ
Chriſtianæ cauſa finalis locum non habet in
natura: verùm duntaxat in artificialibus. Adeóque
& hinc verificatur (quod alibi ſat probavi)
Ariſtotelem nil minùs quàm naturalia intellexiſſe,
ſuaſque Scholas feſelliſſe per artificialia:
Eſtque totus impertinens hoc loco, quod artificialia
ſubter catalogum cauſarum naturalium
reduxerit. Imò penitiùs introſpiciendo
manet Ariſtoteles æquè ridiculus. Siquidem
ædificator, ante finem ſive ædium figuram ex
charta factam, præſupponit cognitionem loci
acquiſitionem mediorum, calcis demum, laterum,
lapidum, lignorum & ferramentorum:
quorum mediorum computatio figuram ædium
antecedit. Adeóque nec etiam finalis
(ſi qua ſit) cauſa eſt prima cauſarum artificialium
in mente autoris. Stultum eſt itaque inter
cauſas naturales recenſere ens rationis, ens
mentale, ſive non-ens. Porrò lubens ad metam
properâſſem, quam de vita longa mihi propoſui,
niſi mors intentum filum præſcinderet,
prioritatem ſuam velut remoram intercalariter
præfigens. Cujus etiam paradoxon lubens
inter arcana detinuiſſem, niſi tractatu de vita
longa jus ſuum à morte exigeret, per quod
naturaliter ingreſſum in hoſpitium humanum
ſtabilivit. Paradoxon certè, inauditum hoc 4
Dei myſterium, quodque iccircò humiliter
cenſuræ Eccleſiæ ſubſterno. Loco propoſitionis 5
autem eſt: quod Deus non fecit mortem.
Id enim protinùs intelligo negatum pro homine
duntaxat: Nam alioqui brutis ante creatum
hominem jam mors deſtinata erat naturaliter,
& quidem ex eadem radice, per quam mors
in hominem intravit. Siquidem pleræque belluæ 6
non niſi mutuâ vivunt cæde. Denique
mors hoc loco non ſignificat nudam ſeparationem
animæ à corpore, ut meram privationem
deſignet, ac ſi ſenſus eſſet: quod Deus
non fecerit non-ens, quod mors dicitur; Nam
ejuſmodi enunciatio eſſet in Sacris ridicula.
Ipſum namque verbum (fecit) ejuſque negatio,
idem eſt, ac reſpicit, quod *ipſe fecit &
facta ſunt*. Adeóque ejus negatio dicit entis
poſitivi & non privativi abſentiam: & æquivalet
huic propoſitioni: Deus condidit hominem
abſque inclinatione ad mortem: nec
cauſas in eo fecit naturales, quibus mortalis
eſſet. Denique nec Cacodæmon fecit mortem: 7
quia non eſt inferorum regnum in terra,
multóque minùs in Paradiſo. Nec poteſt Satan
ullo modo mutare eſſentias à Creatore inſtitutas,
eas invertere, abolere, vel occidere, quas
Deus feciſſet mortis expertes. Incepit mors in
nobis à Cacodæmone quidem ſuggeſtivè & excitativè,
modò planè per accidens & externo:
Nec potuit producere cauſam mortalitatis in
ſubjecto per gratiam creatoris incapaci. Itaque 8
ſi nec Deus nec Cacodæmon facere mortem
hominis efficienter, ergò à ſufficienti partium
enumeratione, ſolus homo ſibi fecit mortem,
cauſaſque ſibi applicuit tanquam ens poſitivum,
unde mortalis evaſit, & mors naturalis
facta ſit. Quod namque diabolus non potuit,
potuit homo habens moriendi poſſibilitatem,
non autem neceſſitatem. Erat enim in 9
poſſeſſione immortalitatis, poteratque non mori,
ſi voluiſſet, quia mors erat ipſi contingens
liberum; enimverò quia corpus Adami opus
habebat arbore vitæ, ideo ex parte corporis
non erat abſolutè immortalis, ideóque & ali-

mento indigebat: erat autem futurus immortalis
ex gratuita Creatoris bonitate. Et ille qui
præſervâſſet Adamum à morte per gratiam, dotemque
ligni vitæ dederat, eundem quoque à
quibuslibet injuriis defendiſſet: Itaque immortalitas
in homine per lignum vitæ continuata
fuiſſet, fuitque ideo è Paradiſo proſcriptus,
ne etiam poſt eſum pomum *extendat manum
ad arborem vitæ, & comedat*, &c. Nam ſicut
pomum includebat cauſam mortis: ſic lignum
vitæ continebat ſuperioritatem vitæ ſupra cauſas
mortis. Non conveniebat enim hominem,
qui mortem ſibi ediſſet, non mori, mortemque
comminatam illudere, atque iccirco exulari
10 debebat in Paradiſo. Erat autem homo immortalis,
quatenus mens ejus immortalis, cuncta
munia corporis immediatè præſtabat, dabatque
vitam de ſe immortalem. Etenim cum
ſit interitus neſcia, nec rerum caducarum ideò
importunitatibus ſubjecta, oportet, ſi immediatam
corporis œconomiam ſi rectura eſſet,
quod ſuo corpori parem quodammodò immortalitatem
communicaret, ſaltem quoad
præſtantiam poteſtatum rectricium: licet quoad
alimenta corporis ſenſim defeciſſet homo, niſi
ligno vitæ ſuffultus fuiſſet. Imò diſtinctè loquendo:
11 Omnis poteſtatum pluralitas erat
in unitatem mentis abſorpta: Et hodiè mens
impaſſibilis eſt duratione & alterationibus rerum
caducarum, eò quod his deſit ſymbolum,
per quod mentem immediatè attingant aut penetrent.
Itaque ut mors acceſſum atque introitum
ſuum faceret in hominem, oportuit mentem
prius deſtitiſſe ab immediata priſtinaque
functione munium corporis, aliamque animam,
caducam ſcilicet, ſenſitivam ac ſeminalem
12 velut corporis ſyndeſmon ſubintrâſſe. Quæ
ſanè longè à Mente diſpar, per auram vitalem,
naturæ curſu, à Patre luminum, vitæ datore
impetratur (prout alibi de ortu formarum) peritque
cum hominis interitu. Etenim ſi ſemen
canis ſpontè defluat uſque in animam viventem,
excluſivè, decebat ergò hominem concipi
abſque ſemine congreſſuque virili, vel ſaltem
ſemen humanum non fore citra vitæ ſeminalis
diſpoſitionem: ſed communi creatæ naturæ
ductu terminari, in animam viventem,
excluſivè, cujus modum explicabo poſteà.
13 Porrò in pomi eſu ſitam fuiſſe mortem, id eſt,
mortis cauſam naturalem, productricem (diſpoſitivo
modo) animæ ſenſitivæ (quâ alioqui
caruiſſet homo) per ſemen, & quidem brutorum
more, & mentem proinde deſeruiſſe corporis
regimen, tanquam horrentem contractæ
inde belluinæ impuritatis, manifeſtum fiet in
ſequentibus. Nam ex quo momento homo fecit
intra ſe ſemen ad ſuæ ſpeciei propagationem,
adumbravit (ſaltem diſpoſitivè) eâdem
operâ, occaſionaliter primordia animæ caducæ,
tegumentum & involucrum Menti, ut
totum corporis miniſterium in ſe ſuſciperet. In
natura ſiquidem jam Creator ſe obligaverat rerum
ſeminibus, ut quoties ſenſitivorum ſemina
ad metam multiplicandi perveniſſent, ipſe
quoque vitalium luminum Parens animas ſeminibus
ſingulis condignas influeret: quod &
alibi de Ortu formarum ex profeſſo proſecutus
ſum. Adeóque in pomo erat vis producendi 14
ſemen prolificans, brutalique more ſeminalem
Archeum diſpoſitivum fœtus continens, animamque
caducam à datore vitæ ſibi impetrans.
Eadem enim die, qua de fructu arboris ſcientiæ
boni & mali ederent, morte morerentur;
quia animæ ſenſitivæ appulſu facta fuit altera
novaque generatio, propter quam Mens conſternata
ſeſe à vitæ clavo ſubtraxit. In hoc ſcilicet
ſtabat mortis & immortalitatis neceſſitas.
Caruiſſet enim homo anima mortali, quamdiu 15
immortalis eſſe optâſſet; non ſolùm quia unica
mens immortalis ſatis erat regendo corpori;
nec conveniret, quod ſimul duobus Dominis
corpus inſerviret: ſed inſuper, quia non erat opus
ſemine, quod in ſe diſpoſitionem ad animam
caducam contineret. Itaque tota diſpoſitio
ſeminalis ad propagandum ſemen fuit in
Protoplaſto, mox ab eſo pomo, & ante natam
ſenſitivam tam in ſe, quàm in ſuis poſteris. Inde 16
nimirum patet, quod Mens, quantumvis
à corporis clavo manum abſtraxerit: nihilominus
non minùs in qualibet ſeminis prolifici
productione ſit rea, quàm fuit olim ab eſo pomo.
Id ſcilicet continent verba textus: *In peccatis
concepit me mater mea*. Quomodo autem
ſub medio diſſuaſi pomi, caſtiſſima definiretur
innocentia, immunis à carnis concupiſcentia
& à brutalis impuritatis contagio, poſtmodùm
ex profeſſo demonſtrabo. Sat ſit autem jam obiter 17
dixiſſe, quod per concupiſcentiæ carnis libidinem
ortum ſit atque conceptum ſemen vitale,
ad animam ſenſitivam impetrandam, more
brutali, in quod Mens imprimit ſui ſigillum:
ideoque nec cum ſpecificæ brutalitatis ſimilitudine
aut determinatione. Abſque quo ſigillo
omne ſemen ſterile eſt, in molam aut monſtrum
alioqui deſinens. Itaque à concupiſcentia
carnis, ut ſemen, ita & anima caduca, ejus-

que vita ac per conſequens caro peccati ſuum traxere ortum: & per conſequens etiam mors. 18 Enimverò Athei & Libertini etiamnum hodiè textum diſſuaſi pomi cum origine pro allegoria ſumunt. Quod Eccleſia pro hæreſi jamdudum proſcripſit, & ab olim damnavit. Ergo vera eſt facti hiſtoria, quam Geneſis deſcribit. Sed quare & quomodo ille pomi eſus naturaliter mortem in poſteros omnes, æqualiter continuatam patraverit inevitabiliter, irremiſſibiliter & irrevocabiliter, ſic ut unica monitionis transgreſſio inter nefandiſſima peccata commiſerit crimen originale, ac deinceps cauſæ ſecundæ rationem propagando in ſe clauderet de mortalitatis inexcuſabili neceſſitate: Sive, quomodò in unius pomi manducatione vitæ ablatio, mortiſque cauſa ſint neceſſitata, optabam Divini beneplaciti rationem, decretique motum à priori vel à conſequenti non indagâſſe, cum mihi abundè ſufficiat, quod ſciam & credam ſic à Deo eſſe ſtatutum, niſi profectò ad ejus gloriam, caſtitatis ſplendorem & Libertinorum inſtructionem fore ſperâſſem, hoc paradoxon penitiùs trutinâſſe, ideoque & tractatui meo de vita longa applicuiſſe. Iam namque hora, quâ ex aquilone pandetur iſtud malum ſuper omnes habitatores terræ.

THESIS.

1. SVbſtantia theſews. 2. Objectio ſummaria ex lege, peccato & maledicto conglobata. 3. 4. 5. 6. 7. argumenta ſunt contra objectionem. 8. Nova objectio. 9. Solvitur objectio. 10. Qualitas peccati in Protoplaſtis. 11. Serpens cur adorſus ſit mulierem. 12. Non maledicitur viro. 13. Non maledicitur mulieri. 14. Textus, qui putatur continere maledictum, confirmat theſin. 15. Paritas conceptus & partus à lapſu, & non ante lapſum, roborat theſin. 16. Textus probat theſin. 17. Octavum argumentum contra maledictum. 18. Nonum. 19. Decimum. 20. Vndecimum. 21. Duodecimum. 22. Decimum tertium. 23. Decimum quartum. 24. Oſtenditur, quod peccatum non cauſaverit mortem, multò minùs ſi qua fuiſſet lex. 25. Qualis ſcientia eſſet pomo incluſa. 26. Duo elenchi non-cauſæ ut cauſæ. 27. Quibus cauſis naturæ orta ſit corruptio. 28. Vnde originis peccati continuatio. 29. Errores aliquot circa abuſum elenchorum iſtorum. 30. Corruptio naturæ, qua ex cauſa immediata proceſſerit, qua occaſionali, & quâ cauſâ mediatâ. 31. Argumentum decimum quintum contra maledictum. 32. Decimum ſextum. 33. Decimum ſeptimum. 34. Decimum octavum. 35. Decimum nonum. 36. Vigeſimum. 37. Viceſimum primum. 38. Viceſimum ſecundum. 39. Viceſimum tertium. 40. Viceſimum quartum. 41. Quo pacto mors pomo inerat. 42. Conjectura è præcedentibus. 43. Probatur conjectura. 44. Iurgia de lana caprina. 45. Viceſimum quintum. 46. Concluditur ex veritate textus. 47. Mors non exſpectat hæccitatem, ut neque peccatum. 48. Intentio Creatoris in Textu poſita probatur, eò quod nuſpiam admiſerit inceſtum inter præcedentem & ſubſequentem in generatione. 49. Indagatur locus corruptæ naturæ humanæ octo argumentis. 50. Additur & nonum. 51. Caſtitas textus celebratur. 52. Præcellentia Renatorum ſupra felicitates Adami.

1 OMnipotens ex ſui immenſa & ſpontanea amoris bonitate, hominem ad hoc peculiariter dilexit & erexit, ut ſui imaginem intimè & quamproximè exprimeret. Quapropter eandem ſui imaginem tanto divinæ majeſtatis ſuæ decore ornavit, tamque benigno amoris ſui intuitu prævenit, quod ex ſui beneplacito Evam creaverit, deſtinaveritque ut eſſet totius humanitatis futura mater (& vocavit Adam (poſt lapſum) nomen uxoris ſuæ Heva: eò quod mater eſſet cunctorum viventium) ſuas conceptura proles, non quidem ex copula carnali, ac brutorum more, neque ex concupiſcentia carnis aut voluntate viri, ſed ex Deo, ſive ex obumbratione ſolius S. Spiritus, per modum quo concepta eſt & nata humanitas, in qua & per quam regenerari oportet omnes ſalvandos. Id eſt, manente matris virginitate integra, & utero clauſo peperiſſet abſque dolore, eratque Eva conſtituta ſupra virum.

2 Hoc nimirum eſt magnum at novum paradoxon, quod hoc tractatu ſuſcepi demonſtrandum. Quapropter in limine ſunt removenda obſtacula obvia & devia. Ac inprimis objiciunt textum: *Terra proferet tibi tribulos & ſpinas. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos. In dolore paries filios tuos, maritus dominabitur tibi. Morte morieris*; Et per conſequens, morborum ſeniique calamitatibus conflictabimini. Quæ cuncta ex maledicto peccati inobedientiæ profluxere in poſteros, uſque in mundi interitum, cenſu irredimibili, nulloque actu ſanctitatis piabili. Quia Deus legem Adamo ſtatuerat, ne

de fructu arboris ſcientiæ boni & mali comederet: cujus transgreſſio uti in peccatum originale defluxit: ita quoque in maledictionis perpetuitatem æqualiter à Protoplaſtis in poſteros omnes ſuſcitavit. Hæc ſic edocta ſunt hactenus: quibus tamen ſub pace & cenſura Eccleſiæ, meos concentus humiliter ſubjungam.

3 Primò itaque negativè aſſero contrà. Quoniam verba textûs non continent præciſè maledicta ulla, niſi in Serpentem, & terram; nequaquam autem in hominem: Cui ſi ſemel maledixiſſet ille, apud quem non eſt viciſſitudo aut mutatio, manſiſſet verè ac ſemper
4 maledictus inſtar Cacodæmonis. Ineptum enim eſt credere, quod Deus nunc malediceret homini, cui dein mox à peccato, & abſque interventu contritionis aut actu pœnitentiæ benedixit multâ fœcunditate, totam dedit terram, & ſubſtituit pedibus ejus cuncta animantia. Imò in medio maledictionis ſerpenti prolatæ, benedictione ſexum muliebrem replevit, dicens:
5 *Mulier conteret caput tuum. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius.* Quod cum non intelligatur de ſemine viri, ſpondet futurum Meſſiam mundi Salvatorem ex ſemine mulieris. Tantum abeſt, quod homini ibidem maledixiſſet.

6 Secundò, nego latam legem, & per conſequens, etiam contraventionem legis. Sequitur enim, ubicunque non eſt lex, non intervenit transgreſſio nec inobedientia: & per conſequens non cadit ibidem maledictio. Probo autem quod non fuerit lex per ipſa verba textus: Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. Verbum (præcepit) præceptum, adeóque & legem includere videtur; Attamen unicum iſtud verbum non magis pro affirmativo (ex omni ligno Paradiſi comede) quàm pro negativo (ne comedas) vim legis aut præcepti ſortitur. Non enim peccatum involvebat, etſi non ex omni ligno Paradiſi comediſſent. Adeóque non legem aut mandatum continebat magis pro inhibitione unius arboris, quàm pro licentia cæterarum omnium. Itaque textus paternam licentiam pro affirmativo & conceſſione pariter, ſicut & paternam admonitionem cautelæ pro negativo continebat. Non ſecus ac ſi ruſticus viæ gnarus viatori dixerit; Si iſthac iveris, peribis & morte morieris. Sic monitio Creatoris (ne comedas; & quacunque die comederis, morte morieris) non legem, ſed ſuaſum & optatum dicunt. Transgreſſio autem, ſpretæque monitionis actus peccatum quidem continet, ſed non inobedientiæ: tantumque inobedientia à ſpreta monitione diſtat, quantum lex à monitu ipſo. Prohibitio ergò (*ne comedas*) admonitionem ſonat, ne videlicet mortem ſibi comederet & poſteris reatu inextinguibili, eò quod in pomo, non autem in contraventione manducationis mors ſita eſſet: Eſſetque ideò mors iſta ex pomi eſu naturalis, admonita, non autem comminata ex lege maledictio. Minæ enim mortis, quæ Adamo erat incognita, eundem terrere non poterant: adeóque irritæ fuiſſent comminationes, non autem admonitio. Etenim Adam nondum cadaver viderat, & qui antequam videret animantia, ignorabat eorum nomina: multò minùs ſcire poterat, quid mors eſſet: ac longè minimè Eva ſciret, quid eſſet mori in Paradiſo. Itaque apud Protoplaſtos mors adhuc erat non-ens & ignotum; nonentis autem & ignoti nullus reſpondet conceptus, & nulla penitùs eſt formido. Idcirco nec Deus in minas terroris aut legis pœnas prædixit mortem: ſed ex mera ſui bonitate. Vt, dum comediſſent de pomo diſſuaſo, ſcirent, quod DEUS non feciſſet mortem: ſed ipſimet ſibi. Nec his obſtat textus cap. 3. *Quia co- 8
mediſti de ligno, ex quo præceperam, ne comederes*, &c. Verba enim bonitatem præcedentis 9
moniti apertè denunciant, non autem legem. Nam idem verbum (*præceperam*) quod ante c. 2. (*præcepitque ei dicens*) monitionem duntaxat & non legem ſignificat. Alioqui ſub æquali peccato originis edere obligati fuiſſent ex omni ligno Paradiſi: quod nemo ſanæ mentis unquam aſtruet. Peccatum enim grande fuit in ſu- 10
ſpicione doli, falſitatis & fallaciæ DEI, quodque plus crederent ſerpenti, quàm Deo, quodque ſpreverint paternam & benevolam monitionem. At non erat inobedientia, quia non erat lata lex. Erat quidem actus contra gratitudinem, amorem erga Deum, debitamque & rationalem obligationem. Non ergò maledixit ipſis DEUS, quoniam ſibi pœnas morborum, mortis & ærumnarum in ſupplicium comedendo contraxerant. Non autem poſt lapſum loquitur DEUS de morbis: quia ſat erat ſemel mortem prædixiſſe futuram, dum admoneret, ne comederent. Denique callidus ſerpens non adorſus 11
eſt mulierem tanquam fragiliorem; ſed quia admonitio ex ore Dei data fuerat Adamo, mulieri tantùm ſignificata ex viri relatu. Ideóque primò

12 mò DEUS ab Adamo computum exigit. Inprimis maledictionem viri non continet, *quod terra eſſet maledicta in opere ſuo, & pareret zizania, quodque in ſudore ſui vultus panem totâ vitâ ederet*: Sed reminiſcentiam continent prægreſſæ ante lapſum monitionis amoroſæ.

13 Denique nec maledictionem ſonant, quod *mulier deinceps marito* obediret, ſubeſſetque, quanquam in eo eluceſcat intentio Creatoris, quod mulierem ſcilicet deſtinaverat, ut caput eſſet, apex & ultima creatura, ſupra virum: nunc autem ob geminum peccatum ſubeſſe deberet marito. Id enim potiùs commeritam pœnam, quàm maledictum ſignificat: Prout non maledicitur ſuperiori, qui ob commiſſum
14 errorem deponitur. Aſt ubi dicitur: *In dolore paries filios tuos*; textus expreſſè myſterium paradoxæ theſeos confirmat. Nam exin apertè conſtat, 1. quod Eva non eſſet creata, nec deſtinata, ut peperiſſet in dolore. Quapropter hoc nuncium non dicitur illi in maledictionem: ſed ipſi ob oculos ponitur, quantum calamitatis ſibi cauſata fuiſſet, quod conciperet deinceps & pareret more brutorum in dolore. Indubium enim eſt, quin bruta non ſint peccati rea, pariant tamen in dolore: non quidem quod peccaverint in Adamo, tanquam patre, aut peccati ipſius ſint participia: quia peperiſſent in dolore, ſive Adam peccâſſet, ſive non. Nec etiam Divinæ eſt bonitati conforme, quod immeritam pœnam bruta ferrent, dum vi naturæ & ex creationis ſtatuto in dolore pariunt.
15 2. Si pariant bruta in dolore, denotatur paritas conceptus & partus in brutis & muliere poſt lapſum; quæ paritas cum non fuerit ante lapſum, roborat ideò hic textus theſin. 3. Si non comediſſet Eva pomum, & ex pomo conſecutivè concupiſcentiam carnis ex ſeminis corrupti titillatione, utique peperiſ-
16 ſet citra dolorem. Vbi textus virginitatem concipiendo & pariendo, adeóque perpetuam propagando virginitatem deſtinatam ſpondet: quod nimirum clauſo utero concepiſſet & peperiſſet. Quid enim hoc aliud eſt, quàm id quod reliqui putant eſſe Evæ maledictionem; ſit reverà duntaxat commemoratio deperditi boni per copulam viri, ſeminis & concupiſcentiæ carnis in carne peccati brutorum more deinceps? amiſſa, inquam, ſpes concipiendi ex S. Spiritu, poſtquam ex voluntate viri concepiſſet, ut omnis mater in peccatis.

17 Etenim ſi alioqui mors ex pœna infractæ legis eſſet, & non ex concupiſcentia carnis, totidem eſſent mortes novæ quotidiè, quot ſunt prævaricationes: Vel DEUS non tanti faceret ſua Decalogi mandata, quanti admonitionem cautelæ ab arbore ſcientiæ boni & mali. Non enim æquè ſeriò obſervandas leges voluiſſet, quas non æquo ſupplicio caſtigandas voluit. Itaque ſuppoſito adhuc, quod lex fuiſſet de negato pomi eſu, prout lex eſt prohibitæ adorationis idolorum, adulterii, &c. Hæ autem leges non puniuntur continuata in poſteros ineluibili impuritate, qualiter contraventio illius manducationis. Ex hinc ergo facillimè liquet, peccatum originale non fuiſſe tam ex vi inobedientiæ mandati, quàm ex effectu deturpatæ generationis Divinæ, commutatæ in belluinam. Alioqui namque non eſt juſtitiæ diſtributivæ paritas, nec iccirco in Dei bonitate conformitas, ſive Protoplaſtorum ingratitudinem, ſive demum inobedientiam contra legem ſpectemus: quod prima inobedientia lueret pœnam traductam in omnes, etiam inſontes poſteros potiùs, quàm decima vel centeſima quævis deinceps, quamque innumera & longè immaniora peccata. Equidem arbitror, quod eadem juſtitiæ regula penes eundem Legislatorem, cujuslibet mandati, præceptivè & defenſivè lati & pronunciati infractio ſemper æqualem poſt ſe trahere deberet culpam, nec proinde poſteris cunctis & inſontibus luendam, ac tum nemo mortalium in pœnas originales ſuorum avorum morteſque centuplatas (ſi nempe mors à contraventione legis originem ſumſiſſet effectivè & immediatè) nec quilibet ſatis unus futurus erat, vel DEUS immutabilis ſua mandata poſtera non æquè atque primùm obſervanda ſtatuiſſet, ſi mors ſuam in natura radicem non haberet, cujus radicis applicatio ex ſolo fuiſſet homine.

18 Itaque ſi mors ex maledicto peccati, immediatè ex ſolo Deo eſſet; Iam mortem feciſſet DEUS, adeóque ex fide falſum crederemus.

19 Denique ſi mors ex maledicto proveniſſet, eſſetque è radice ſupernaturali, adeóque nec hodiè noſtra mors cauſas naturales in nobis reperiret, vel mors noſtra non eſſet ejuſdem generis cum morte Adami. Imò quod longè abſurdius eſſet, mors noſtra non prodiret ex eodem primitivo initio, quo Protoplaſtorum mors incepit. Ac per conſequens, mors 20
noſtra non eſſet effectus peccati originis:

21 Adeóque niſi aliunde, quàm ex pœna legis &
peccati maledictio mors obveniat, id eſt, niſi
carnis generatio Adamica ſive belluina ex carnis
concupiſcentia & copula mortem naturaliter
in ſe contineat parem belluis, reverâ inſontes
22 poſteri luerent pœnam immeritam. Deniq;
ſi mors ex maledicto vel ex peccato immediata
cauſata eſſet; nonnè inappoſitè textus diceret,
eadem die morte morieris; dum non diceret: ſtatim,
eodem momento morieris. Quippe maledictio
non indiget 24. horis ut operetur, ut
neque pariter peccatum pro reatu pœnaque
ejuſdem commerita intervallum expedit. Quod
expreſſè viſum fuit, dum homo impurus, conans
currum vacillantem, quo Arca fœderis
vehebatur, à caſu vindicare, repentinâ morte
auſum ſuum piavit. Sed cum mors in procreatione
ſeminum vetitorum & concupiſcentiæ
carnalis conſiſteret, pomi eſum ejuſque digeſtioni
23 præſupponebat. Ideoque verba illa: (*eadem
die morte morieris*, ſive, mortalis fies) &
morte duplata in te & poſteris lues. Theſis noſtra
propoſitam veritatem roborant.

At peccatum nullum, à primo deinceps, habitum
eſt originale, vel in omnem poſteritatem
irremiſſibiliter delatum, niſi quod ab eſo
pomo deinceps totam deturpavit naturam;
quia propagationem generis humani in carnem
peccati tranſtulit, de qua dicit Deus: *Spiritus
meus non permanebit cum homine, quia caro
24 eſt*. Illud autem peccatum, ſi à Prædeceſſoribus
non ſat ſit indagatum, addam liberè, quæ
ſentio.

Enimverò in hac Geneſis hiſtoria ſimul concurrunt.
1. Peccatum diffidentiæ ſive ſuſpicionis
malæ fidei, doli, fallaciæ & falſitatis in
Deo. Eva enim inquit Diabolo: *Ne fortè moriamur*;
Adeóque dubitavit mortem admonitam,
neceſſariò adventuram. Itemque peccatum
ſpretæ admonitionis, quodque plus fiderent
Serpenti, quàm Deo, nec erat inobedientia,
ubi nondum lex. 2. Actus comeſtionis pomi,
non tam vetiti, quantum de cavendo admoniti.
3. Effectus comeſti pomi. Nam in medio
Paradiſi arbor erat, cujus proprietas dicitur
vitæ: Ne *comedat*, *& vivat in æternum*;
eratque arbor altera, cujus proprietas erat ſcientiæ
boni & mali, cui non erat par alia: Sed reliquæ,
exceptis his duabus inſerviebant ſoli alimoniæ.
Proprietas ergò & effectus hujus poſterioris
arboris erat ſuſcitare pruriginoſam
concupiſcentiam carnis ſive luxuriæ amentiam.
25 Dicitur autem ſcientiæ boni amiſſi & mali
adepti. Neſciebant enim, ſe nudos eſſe, erantque
ſine pudore, id eſt, ſine carnis concupiſcentia
inſtar puerorum; quia carebant ſemine.
4. Concurrit copula carnalis: Inde tandem
generatio quædam belluina, caduca, mortalis,
contra intentum Dei, nolentis hominem concipi
in peccatis. (In peccatis concepit me mater
mea) non quidem, quod omnes dein matres
ederent de illo pomo, ſed quod mox ab
eſo pomo omnis conceptus non fieret niſi ex
voluntate ſanguinis, carnis & viri: adeóque
inde neceſſariò prodiret omnis caro peccati.
Itaque dum peccato inobedientiæ adſcribitur 26
immediata cauſa corruptæ naturæ & mortis:
vel dum peccato, ſuſpecti doli in Deo attribuitur
cauſa immediata corruptæ carnis, elenchi
ſunt non cauſæ ut cauſæ. Nam propriè 27
loquendo: Ipſa noſtræ naturæ totalis corruptio
& carnis degeneratio non ex maledicto, ut
neque immediatè ex peccato comitante profluxit:
ſed ex his tantùm occaſionaliter, & tanquam
ex cauſa ſine qua non; At natura noſtra
totaliter corrupta & incapax æternæ gloriæ
reddita eſt propter concupiſcentiæ & brutalis
generationis cauſalitates effectivè & immediatè
cauſantes virgineæ ablationem caſtitatis, &
ſpem omnem generatum iri ex S. Spiritu deinceps,
& ex Eva virgine. Eſtque ideò originis 28
peccatum in omnes omnino poſteros defluens,
eò quod poſt ablatam Evæ virginitatem hominum
propago, non eſt poſſibilis, niſi ex voluntate
viri, carnis & ſanguinis, quos alioqui Deus
ſtatuerat ex S. Spiritu generandos. Eſt ergò
cauſarum indiſtinctio, ſuaque inepta effectuum
ad cauſas proprias applicatio, quæ nondum attendit
antehac 1. quare iſtud pomum, tam alto 29
tono præcautum ſit, ne de illo ederent. 2.
Quòd maledictum æſtimârint, quod non erat.
3. Quòd peccatum originis uni adſcripſerint
inobedientiæ tanquam cauſæ proximæ & continenti,
immediatæ. 4. Quòd inexcuſabilem
mortem conjecerint in maledictionem & pœnam
infractæ legis. Etenim tametſi peccatum 30
grave concurrerit cum originali declinatione
generationis à Deo intentæ, cum impuritate
carnis, naturæ corruptione per carnalem copulam:
non tamen corruptio naturæ, degeneratio
generationis, ut neque mors ex peccatis
originalibus parentum diffidentiæ, &c. tanquam
ex cauſa immediata proceſſerunt: verùm
ab effectu manducati pomi, tanquam novo producto
neceſſariò inde naturaliter dependente;
Id eſt, mors proceſſit ex ſuis cauſis ſecundis

naturalibus, pomo inexſiſtentibus: Prout &
naturæ corruptio totalis inde promanavit; quia
ambæ nituntur unicâ & eâdem neceſſitatis radice.
31 Cauſæ autem harum cauſarum naturalium
per accidens in unitono,comeſtionis colligatæ
fuerunt peccatis diffidentiæ, &c. Nam
peccato ſuſpicionis malæ fidei; fraudis & fallaciæ
Dei ſuus manebat reatus piabilis per Protoplaſtos
per modum peccati, per contritionem
ſcilicet & actus pœnitentiæ pro more aliorum
peccatorum. Non autem quod proinde tota
natura depravari debuiſſet, mors & omnis corporis
ærumna deberet intrare & perpetuare in
omnes poſteros, etiam quantumlibet animas
haberent inſontes. Deus enim peccata parentum
ſubinde punit in unam aut alteram generationem:
at nuſquam legitur, in omnem dein
poſteritatem caſtigâſſe peccatum avi, qui
ante quinies mille annos malè egiſſet. Excedit
enim iſta punitionis pœna amorem Dei erga
hominem, cui mox à peccato tantoperè benedixit:
Excedit, inquam, regulas juſtitiæ, ſi ad
ejus ſtateram referatur ſupplicium inſontis in
32 illo peccato. Quinimò opinor, ſi Deus ex ſua
bonitate non admonuiſſet Protoplaſtum mortis,
ſi comederet de ligno ſcientiæ boni & mali:
ſin verò Dæmon propriâ atque innata ſibi
hoſtilitate tranſtuliſſet pomum de illa arbore
ſubter aliam quamlibet, & comediſſet de pomo
uterque hominum ſexus; quod æqualiter ſucceſſiſſet
concupiſcentia carnis & copula: adeóque,
etſi ſine ullo peccato id contigiſſet, attamen
generatio inde ſecuta de neceſſitate &
proprietate eſi pomi ſuſpendiſſet intentum
Creatoris, nolentis de Spiritu Sancto concipi
filios Dei & poſteros Evæ poſt corruptam ejus
virginitatem. Adeóque mors, morbus, ipſaque
naturæ corruptio ac belluina inverſio originalis
fuiſſent, & non tamen ex peccato: eò quod
pomum continebat cauſam naturalem effi-
33 cientem luxuriæ. Etenim quàm ineptè concordant
ſimul: Mors proceſſit ex peccato infractæ
legis, adeóque ex maledicto ſupernaturali:
Et illa verba textus poſt eſum pomum
& ante proſcriptionem è Paradiſo prolata:
*Ne extendat manum ad arborem vitæ,
comedat de illa, & vivat in æternum.*
Nam contra maledictum Divinum non valet
ulla creatura reſiſtere. Hinc ergo conſpicuum
evadit, quod pomum contineret cauſam
naturalem deturpatæ generationis & ſuæ
mortis: quodque arbor vitæ pariter contineret
naturaliter vitæ æternæ conſervationem;
id eſt, ſuperioritatem ſuper mortis neceſſitates.

Tandem ſi ex lege, peccati ſupplicio & maledicto 34
mors adveniſſet, falſum eſſet, quod
Deus non feciſſet mortem; quia reverâ & immediatè
mors ex Deo proceſſiſſet, & non ex
cauſa naturali, ſive naturæ corruptæ. Ac jure
tanto potiore, ubi Nomotheta, juxta & exſecutor
ſunt eadem perſona, creator omnipotens.
Poſtremò: Peccatum eſt ens mentale, ſive 35
non-ens, quod non poteſt producere ens
reale & actuale. Atque iccircò non proceſſiſſet 36
mors ſui initio è cauſis naturalibus, prout hodiè
in brutis æqualiter atque in nobis ſurgit
mors, eſſetque proinde mors ſui initio, toto
genere alia ab hodierna. Ac propterea ridiculum 37
textus diceret: *Deus non fecit mortem*, ſi 38
propter inobedientiam maledixiſſet naturæ, ut
moreretur. Eſt itaque neceſſum, quod mors
hominis, ſui initio inceperit & facta fuerit,cauſis
ſecundis prorſus naturalibus, quibus hodiè
morimur. Reciprocè quoque hodiè ingruit
mors cauſis naturalibus deturpatæ naturæ,
prout olim in ſui principio. Equidem etſi eſo 39
pomo Adam mortalis evaſerit, tamen ejus
mors, non niſi poſt aliquot ſecula evenit naturaliter
& ex ſenio velut cauſis ſecundis. Abeſt
ergo lex, contraventio, peccatum, maledictio
in origine mortis poſt tot ſecula apparentis
ex cauſis ſecundis, coram velut loquentibus.
Omnem ergo cauſam atque totalem, qua
homo ſibi mortem immediatè condidit, in
theſi videre eſt. Etenim etſi ſimus jam mortales, 40
non tamen morimur dum volumus, dumque
optamus: quia non ex voluntate, vel ex
peccato: ſed ex pomo mors prodiit. Nec quidem 41
quod in pomo ipſa eſſet mors, tanquam
in lethali veneno, ſed inerat pomo concupiſcentia
carnis, incentivum libidinis, inebriativum
luxuriæ, ad generationem belluinam in
carne peccati, quæ caro ſecum vehebat cauſas
naturales defectuum, & mortis neceſſitates.
Quocirca veriſimile eſt, ſi Serpens non potuiſſet 42
obtinere ab homine, ut peccando ederet
pomum, quod decerptum inde pomum ad
radicem alicujus arboris licitæ projeciſſet, ut
hoc medio mortem introduxiſſe gauderet hoſtis
vitæ noſtræ. Idque ſatis colligitur ex textu, 43
qui non dicit, ſi comederis de arbore illa, ſed
dicit: *In quacunque die comederis, morte morieris.*
Quaſi denunciaret iſtud mortis venturæ periculum
fore prædeſtinatum. Ad hoc enim
creatum mundum, & generationis organa viro

ro data, eò quod præviſa eſſet naturæ
corruptio, regenerationis neceſſitas in Salvatore,
44 virgineaque ejus puritate. Ceſſent ergò jurgia,
an Eva comederit pomum, an verò ficum.
Textus enim pomum vocat, viſu placidum;
ficus autem non ita ſui viſu allicit. Fuitque
unica illius proprietatis arbor, cujus par tùm non
erat, nec hodiè, inter creata, altera exſiſtere
45 legitur. Finaliter verba textus: *Multiplicabo*
ærumnas tuas, & conceptus tuos; tantùm abeſt,
quod Dei indignationem, multóque minùs
illius maledictum ſignificent: Denotant imò
ejus amorem erga devotum ſexum. Siquidem
nemo neſcit, quo ærumnoſior vita devoti
ſexûs fuerit, eò etiam vitæ filii hominis
viciniorem eſſe; alioquin enim tribulationes, quas
Deus mittit Sanctis ſuis ipſumque martyrium
46 eſſent maledicta pari jure. Addam poſtremò,
quod ſicut opera carnis ſunt Diabolica; ita
textus: *Ponam inimicitias inter ſemen mulieris &*
ſemen tuum. Hanc theſin ex aſſe confirmo. Nam
inprimis mulier, de cujus ſemine Deus
ibidem loquitur, eſt Deipara Virgo: quæ ut
Virgo nullum aliud ſemen reliquit, inimicum
ſerpenti, niſi filios lucis, filios Dei & renatos ex
S. Spiritu, qui nullas inimicitias habent cum
ovis reptilis alicujus, ſed tantùm cum filiis
Diaboli & tenebrarum, in quantum cuſtodiunt
ſemina peccati. Promittit ergò textus ibidem
regenerationem futuram in Deipara virgine;
vocans non-renatos ſemen Diaboli; quia caro
47 ſunt Adamica. Itaque attentis quæ ſupra jam
demonſtravi, Peccatum originis non propriè
exſpectat empſychoſin aut hæccitatis
momentum. Etenim quamvis anima nequeat rea eſſe
peccati, antequam ſit: attamen cum
peccatum originis ſit in contagio carnis, ipſum eſt
ſtatim in ſuppoſito concreti per modum ſui
recipientis, ſimulatque eſt miſtura ſeminum
ſexualis; juxta illud: *Ecce enim in iniquitatibus*
conceptus ſum (ante animæ adventum, quia)
in peccatis concepit me mater mea: Eſt nempè
peccatum in eodem puncto, quo mors
conſiſtit: quod ſanè eſt in ipſa ſeminum miſtione.
Mors enim in Archeo immediatè eſt, non
autem in anima; quod probat ipſa quandoque
Archei indiſpoſitio mortalis, unde conceptus
fit irritus; qui antè jam vitalis erat totâ ſpe. Et
quanquam impuritas materialis ſuppoſiti ſit
ante carnem inde generatam, ideóque & ante
animam, non eſt tamen propriè peccatum, niſi
anima illud induerit. Eſt proinde alia longè
peccati originalis infectio, quàm aliorum
quorumcunque, requirentium animæ conſenſum.
Cætera namque peccata perpetrat ipſa anima:
Originale verò contaminat animam non
conſentientem, quia quidditas originalis ejus eſt
ipſa caro peccati; Neque enim proinde
vocatur anima peccati, ſed caro peccati, quia
anima à carne contaminatur. Diabolus autem non
aliunde, quàm à ſeipſo. Ideò homo miretur
miſericordiam, non autem Diabolus. Itaque
ex Creatoris beneplacito pomum in ſe nedum
gerebat carnis concupiſcentiam, ſed etiam
conſequenter generationem ſeminis: At non
proinde pomo vis inerat propagativa animæ
ſenſitivæ. Arbiter mundi in creando ſe voluit
obligare ad creandam omnem animam viventem
in quolibet corpore animantato, dum
diſpoſitiones corporeæ deveniſſent ad terminum
animationis. Idcirco enim pomum, ſtatim
poſtquam manſum eſſet, diſpoſuit ſanguinem ad
ſemen, atque inde in animam ſenſitivam.
Idque nulli alimento geniale, quod iſti pomo,
adeò ut Protoplaſtis paucis abinde horis
genuerit nedum ſemen, ſed etiam diſpoſitiones ad
impetrandam animam ſenſitivam à creatore.
Quodque ſtatis dierum terminis alioquin in
fœtu contingit, certiſque digeſtionum
gradibus perficitur; id mox in ipſo vitali Archeo
parentum primorum completum eſt. Idque
peculiare in pomo textus inſinuat, quod eadem
die, quâ de pomo comederet, morte
moreretur: eò quod pomum, etiamſi terminum
anticiparet; aliquem tamen exigeret, ut
poſtquam in cruorem verteretur vitalem, etiam
ſtatim animâ ſenſitivâ eſſet dotandum. Nam qui
ipſo creationis puncto in virum & fœminam
formati, fuerunt & non in pueros, brevi
quoque ſpatio in maturitatem ſeminum,
omnemque mortis neceſſitatem & cauſarum
ſecundarum proprietates conſenuerunt eodem die.
Rectâ enim viâ hoc totum cadit
perpendiculariter in poſtem fundamenti meæ theſeωs, quo
rotatur noſtræ mortalitatis hoc uſque
vertiginoſum negotium.

At ſaltem cum Eva facta ſit de coſta viri, 48
idipſum innuit notam pudicitiæ, vetitamque
carnis copulam: quippe quæ inceſtum præter
ſtuprum continebat, quod nec Adamum
latebat; de quo tamen Omnipotens poſt peccati
lapſum diſpenſaſſe viſus eſt, concedens
matrimonium. Itaque ſupereſt hujus occaſione
indagare, an actus libidinis fuerit in Paradiſo
completus. Multi volunt Paradiſum fœditatis
immunem, eò quod textus dicat cap. 4. *Adam*

verò cognovit Hevam uxorem ſuam, quæ concepit & peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per Deum. Sed hi mihi ignoſcant. Nam contrarium ex ipſo textu apparet: Inprimis nil convincit citatus textus, niſi quod ſtuprum veræ virginitatis (quia cruentum) non admittat comitem conceptum. Ideóque non primâ vice
49 conceptus ſit Cain, ſed extra Paradiſum. Alioquin enim 1. eadem die morte morieris, juxta veritatem theſeωs deſignat ibidem commiſſam turpitudinem. 2. Mulier non vocatur ante lapſum Vxor Adami, ſicut immediatè pòſt. Nomen autem uxoris non datur, ne quidem rato matrimonio, ſed tantùm conſummato. 3. Dictum fuit ſoli viro, *De hoc ligno ne comedas*. Proinde de exilio hominis faciundo legitur in ſingulari, non quidem, quin uterque ſexus peccaverit, ſed quia vir ſingulariter ob ſtuprum exulari meritus erat. 4. Idcirco dicitur: *Ne extendat manum ad arborem vitæ, comedat de ea, & vivat in æternum.* Non autem dicitur: Ne conjuges comedant. 5. Primo beſtiarum conſpectu novit Adam eſſentias & proprietates illarum, iiſque juſta quoque indidit nomina. Viſâ autem muliere, primùm *vocavit illam viraginem; quia de viro eſſet ſumta.* Poſt lapſum autem *vocavit illam Hevam, ſive matrem omnium viventium.* Quod primo conſpectu nondum neſciebat; ut neque adhuc illam proprietatem ex viro habebat, eamque non niſi à peccato didicit, quia indidit ac ſuſcitavit. Cur enim mulieris eſſentiale nomen mutaſſet, ſi non ſimul totam mutaſſet ejus naturam? 6. Ac demùm illam potiùs ad patrandam ſuam fœditatem ad arbuſta deduxit, quàm ob tegmen pudoris. Poterat ſiquidem ficulneis frondibus pudorem texiſſe, & abſconſionem per arbuſta neglexiſſe, ſi non habuiſſet ſimul corruptæ caſtimoniæ ſigna. 7. Siquidem ſi vera eſt theſis mea, quod ſola carnis luxuria mortem cauſata fuerit, non eſt ſubſecutum exilium niſi poſt turpitudinis actum. 8. Is enim qui jam ſtatim antè neſciebat ſe nudum, quomodo ſciebat mox uxorem, omnium viventium matrem, niſi quid perpetraſſet?

Ac tandem textus dicens ſerpenti: *Ponam inimicitias inter ſemen mulieris & ſemen tuum:* denotat clarè mulierem, quæ antè carebat ſemine, ejuſque omni prorſus titillatione, jam habere ſemen. 50

Vtut eſt, ſaltem non poſſum non inſigniter admirari excellentiam caſtitatis textus, qui nuſpiam, ſurdam ſaltem aliquam mentionem concupiſcentiæ carnis fecit: verùm ſummo utrobique tegit ſilentio carnis fœditatem per acquiſitam ſcientiam pudoris, & obvolvit ſummo myſterio mortis inductam neceſſitatem & regenerationis exigentiam, Statuens, quod tandem dierum completâ maturitate, *ex aquilone pandetur malum* ſuper omnes habitatores terræ. Quod mox manifeſtabo. 51

Tandem degenere jam naturâ, complacuit ſibi Omnipotens lapſum Adæ erigere per renaſcentiam: & quanquam non reſtauraverit nobis intellectus claritatem priſtinam, mentiſque expeditam cognitionem intuitivam, attamen dignitatem noſtram longè altiùs erexit. Siquidem Intellectus in obſequium fidei reductus per gratiam pergit in humili reſignatione ad bravium amoris, quo innitimur & compellimur. Eſtque minima amoris illius morula longè glorioſior, quàm deſes tota vita Adami in Paradiſo. Ante lapſum enim ignorabatur fides, virtutum proſapia, potiſſimùm quoque amoris Divini ſuperexcellentia, ſolâque vivebatur puritatis innocentiæ felicitate. Ideóque Deus permiſſione ſuæ præſcientiæ & deſtinationis inæqualitatem beatitudinis, à renaſcentia emergentis, cum quadam præpollentia delegit: quia non ſunt condignæ hujus vitæ tribulationes ad immenſa, quæ nobis renatis Divina bonitas præparavit. Malim namque ſcire, quæ DEUS per unigenitum mundi Salvatorem revelavit, quàm noviſſe claro intellectu animantium & herbarum facultates. Abundè mihi ſufficiens habere in DEO humanitatem, quâ nos in filios Dei adoptavit, & ſimiliores ſibi longè fecit, quàm fuiſſet Adam in ſumma ſui felicitate. 52

DEMONSTRATVR THESIS.

1. PRima Theſis probatio. 2. Secunda. 3. Modus generandi Divinus nequit ab homine concipi. 4. Conjectura à pari. 5. Repetitio Demonſtrationum. 6. Argumentum pro theſi. 7. Alterum. 8. Tertium. 9. Quartum. 10. Quintum. 11. Sextum. 12. Mentem non creare animam ſenſitivam, ut nec aliam mentem de lumine mentis ſumi. 13. Septimum. 14. Mens imprimit in ſemen imaginem corporis: non autem Dei, id eſt, ſeipſam. 15. Probatur. 16. Octavum. 17. Quid à peccato per parentes genera-

tum. 18. *Vſque ad art.* 74. *Ratio è Sacris.* 75. *Repugnare Chriſtianiſmo, quod homo vocetur animal.* 76. *Patrum aliquot conformitates cum theſi.* 77. *Dilemma pro theſi ex Auguſtino.* 78. *Argumentum ſolidum pro theſi.* 79. *à regula falſi.* 80. *Progreſſus Satanæ.* 81. *Faunorum & Nympharum ortus.* 82. *Tudeſquillos in Canariis.* 83. *Objectiones contra theſin uſque in art.* 88. 89. *Anomala piſcium propago.* 90. *Aqua nulla eſt figura, nec decidit orbiculariter.* 91. *Trutarum prolificatio.* 92. *Seminis maris invaliditas.* 93. *Piſcium felicitas theſin roborat.* 94. *Vermes reſurrectionis monitores, abſque materiali maris ſemine.* 95. *Pullus è vitello formatur, & ſemen galli manet materialiter extra.* 96. *Septima objectio cauſas diluvii explicat.* 97. *Vulgata textus hujus explicatio confirmat theſin.* 98. *Interpretatio circa motivum diluvii.* 99. *Gigantes non de prima creationis intentione.* 100. *Probatio Prophetiſſa.*

1 Sublatis ergo nunc legis, inobedientiæ & maledicti ſuſpicionibus, ad theſeos demonſtrationem procedo. Pro qua in frontiſpicio præmiſſa eſt glorioſiſſima filii Dei incarnatio, ex puriſſimo ſanguine immaculatæ ſemper Virginis ſuæ genetricis. 2 Dein mihi viam ſtravit textus: *Niſi regenerati fueritis ex aqua & Spiritu S.* id eſt, niſi comparticipes ſitis, in nova regeneratione ſalvandorum, illibatæ & caſtiſſimæ Incarnationis Domini Jeſu, ſitiſque tanquam membra illius capitis, & velut filii adoptivi, non eritis palmites illius vitis. *Nam quicquid de carne peccati* & ex carnis concupiſcentia *naſcitur, caro eſt, incapax vitæ æternæ & regni cælorum. Et qui* 3 *ſeminat in carne, in corruptione metet.* Et quicquid meſſuerit, caro eſt, ipſaque corruptio. Etenim quomodo S. Spiritus generaſſet in Eva omnem hominum poſteritatem, id humana mens aſſequi non valet, niſi viam ejus ſacer textus manifeſtâſſet in Deipara virgine; 4 quæ nimirum non concepit ex, ſed de Spiritu S. quem proinde Gabriel prædixerat duntaxat obumbraturum ipſam virginem perpetuò illibatam. Ideóque Eccleſiæ Patrem æternum, ſacræ Trinitatis perſonam primam vocat Patrem Filii æterni; nec permittit S. Spiritum vocari humanitatis Chriſti Patrem, eò quod materialis generatio Chriſti ex ſola ejus matre ſumta eſt: quare nec ejus conceptus de Spiritu Sancto includit ullam paternitatem. Atqui ut iſta generatio proceſſit abſque patratione S. Spiritus (qui nimirum circa conceptum Chriſti occupatus fuit abſque patratione) ita contemplari nobis integrum eſt eodem prorſus ſupernaturali atque divino modo obumbrationis in Eva ſtabilitam fuiſſe generationem adoptivorum & divinæ Imaginis. Itaque Pater luminum ſolus eſt Creator omnium animarum, ut & ſupereminenter mentis immortalis: Ergo generatio humana ex Patre luminum, datore vitæ, in mentis creatione abſoluta fuiſſet ex ſubſtantia Evæ & de cooperatione S. Spiritus concipiendo. Etenim ut ille hominum conceptus fuiſſet planè ſupernaturalis: ita & caſtimonia matris ſupereminens in ſtatu Innocentiæ, qualis modo in regeneratione ex aqua & Spiritu Sancto.

5 Quamobrem ſtatutam theſin primùm ratione phyſicâ conabor ſtabilire, eamque dein ratione & authoritate è Sacris petitâ confirmare, ac tandem per dogmata Patrum fortificare. 6 Inprimis eſt rationi conſentaneum: Si Deus volebat in carne facere ſui imaginem, eamque per poſteros beare, id debuiſſe fieri in Virgine matre: non autem in muliere per Adamum ſtuprata, ne Deus virum competitorem haberet in intenta ſuæ imaginis incarnatione. Alioqui ſi hanc ſanctam & impollutam humani generis productionem (propter quam Univerſum condidiſſe eſt viſus) contingentem in obumbratione S. Spiritus, vir anteverteret & præveniendo everteret, etiam dein omnis hominum ſic producendorum generatio brutali modo eveniret, quicquidque ex illa naſceretur, eſſet æternæ gloriæ naturaliter incapax. Rationi nempè eſt conſentaneum, quod Mens immortalis ante eſum pomum nunquam feciſſet prolem immortalem duratione, eò quod nihil queat de ſe vel ex ſe producere infinitum duratione, niſi Deus ſolus, quem proinde adhuc hodiè in Adamica generatione, Eccleſia fatetur eſſe animæ immortalis unicum creatorem. 7 Alioqui ſi mens, infinitæ deinceps durationis poſſet extra ſe producere infinitum aliquid & immortale, quodque ideò eſſet ſubſtantia; jam neceſſariò deſineret eſſe creatura, eſſetque creator. 8 Ergo mens nunquam potuit aut poterit producere ſubſtantiam immortalem, & per conſequens pugnat cum Divinitate, quod Mens, quæ ante eſum pomi immediatè totum corporis regimen in ſe ſuſceperat, de ſe generâſſet imaginem Dei infiniti; generâſſetque ſubſtantiam duratione infinitam: quapropter eſt diſpar penitùs ratio, qua lumina mortalia vitæ ſive animæ mortales proſiliunt, & qua ſubſtantia immortalis creatur. 9 Adeò na-

turæ toti eſt impoſſibile, quod mens generaret
ſubſtantiam ſibi ſimilem: cum producere ſubſtantiam
ſpiritualem, immortalem ſoli reſervetur
Deo, etiam omnium omnino conſenſu.
Siquidem ejuſmodi productio præſupponit
creationem ex nihilo. Alioqui ſi mens intendiſſet
ante lapſum producere ex nihilo ſubſtantiam
ſibi ſimilem, cum id ſibi ſit penitùs impoſſibile,
ſeipſam debuiſſet partiri, atque in
10 partes ſeparare. Denique nec unquam fuiſſet
mentis intentio generare animam caducam ſeu
ſenſitivam, quippe quæ eſt præter & contra
11 deſtinatum ſuæ vitæ regimen. Quare ex ſufficienti
enumeratione concludo, quod ante eſum
pomi nec immortalem mens animam generare
potuerit, nec mortalem generare intenderit,
ne quidem diſpoſitionem ullam ſeminalem
aut ſubſtantiam ſeminis: Ideóque nec
proinde ulla per virum facta fuiſſet generatio,
nec ullam ad generandum in ſe ſenſiſſet proclivitatem.
Atque hactenus neceſſariò in pomi
eſu latuit cauſa mortis naturalis per carnalem
generationem explicata: In qua generatione
eſt ſeminalis diſpoſitio cooperans ad animæ
mortalis impetrationem: Eaque Creatoris intentionem
circa propagationem ſuæ imaginis
prævertit & pervertit. Sic nimirum anima mortalis
per brutalem concupiſcentiam carnis ſibi
ſemen diſpoſitivum produxit ad animam brutorum
more perituram: quæ ſcilicet brutalem
quoque conditionem mortalitatis ſecum introduxit.
Nam mors brutis indubiè à creatione
fuit connaturalis, quæ ſcilicet animas duntaxat
12 habent mortales. Atqui licet per regulam ſuppoſiti
falſi confirmare, quod ex fide tenemur
credere, nimirum Mentem à Deo immediatè
creari: non autem à parentum anima velut lumen
de lumine ſumtum accendi. Nam ſi anima
generati fiat ab anima generantis, erit hoc
vel à patris anima, vel à matris anima, vel ab
utraque; Sed nullum horum eſt verum: Ergò
nullatenus anima generati fit aut deducitur à
ſpiritu parentum. Probatur quoad primum:
Siquidem cum de progreſſu naturæ ſit ſermo,
qui proindè ordinarius eſſe debet, ideóque &
in brutis id conſtanter contingeret: atqui hoc
non contingit: Ergò non à progreſſu naturæ.
Probatur Subſumtum per fœtum ex patre glire
& cuniculo matre, qui ſcilicet, exceptâ caudâ
glirinâ, totus eſt cuniculus, tam intus,
quàm extrà, etiam in pelle & pilis. Sed ſi à patre
vis ulla animæ manaret, in ſe vim neceſſariò
haberet paternam & non maternam. Sed
dato exemplo patet contrarium: ergò non à patre;
Nec tamen proinde animæ prolium mendicantur
ab anima materna. Nam alioquin à
quo procedit anima, ab eodem ſaltem & ad minimum
procederet quoque vis formativa: Et
per conſequens, nedum ſemper fierent proles
ſexus materni, ac matri perpetuò ſimiles; ſed
etiam nunquam fieret mola, ubi effœta vis ſeminis
maris defluit. Ut neque prægnantis imaginatio
tranſmutaret fœtum jam in utero matris
formatum, in monſtruoſam, alienam, imò
& brutalem figuram: quia ſemen jam habens
animam mutuatam à parente, non eſſet ampliùs
obnoxium ſtultæ imaginationi maternæ,
præſertim dum jam fœtus proprio orbe ac culinâ
ſuâ alitur. Idem argumentum quoque valet
ſupponendo, quod anima gigneretur ab utriuſque
parentis anima: nam quicquid negatur
disjunctivè, rectè negari poteſt copulativè.
Quorſum etiam ſpectat hæc concluſio; nimirum
quòd eo poſito, jam ſemen actualiter eſſet
animatum ab initio ſui: Itemque quòd ex duabus
animabus quoddam compoſitum atque
mixtum lumen animatum atque ſpirituale fieret;
quod repugnat ſimplicitati formali propter
concretam dualitatem. Itaque univoca animæ
homogeneitas adverſatur dualitati & heterogeneali
compoſitioni animarum. Unde concludo,
ne quidem in brutis deſumi à parentibus,
tantoque minùs in homine. Quapropter animæ
omnes immediatè creantur ab ipſamet vitâ
& Patre luminum, qui ſuum Creatoris honorem
nulli tribuet creaturæ: quare hinc obvium
eſt, quod homo nequeat producere mentem
immortalem, nec ſimulacrum Divinum.
Adeóque & hinc patet, quòd prima Creatoris
intentio non eſſet, quòd vir ulla ratione ſeſe immiſcuiſſet
in generando: Sed quod omnem
fœtum ſola manus Creatoris perfeciſſet, quæ
ſola creat omnes animas, potiſſimùm autem
atque ſingulariter æternam illam deinceps,
quam in ſui imaginem deſtinatione eſſentiali
direxerat. Denique naturaliter neceſſum eſt, 13
quòd vera imago fieri nunquam queat, niſi à
ſculptore proprio: nullus eſt autem ſculptor
proprius, qui non perfectè cognoverit illum,
cujus iconem ſculpere intendit. Sed homo
creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei;
nequit tamen Deum cognoſcere, ut nec ejus ullam
ſimilitudinem mente aut verbo exprimere,
quam ignorantiam quiſque fateri debet; Ergò
nequit eſſe ſculptor proprius imaginis Divinæ;
ac ideo quamcunque ejus imaginem fa-

bricaretur, eſſet planè monſtroſa & durationis
finitæ. Et per conſequens in Creatoris intentione
homo non fuit conditus, ut generaret
hominem. In natura quidem omnis ſpiritus generantis
ſeminis comprehendit (quia continet)
ideam rei generandæ: homo autem,cùm ſit Dei
immediata ac vera imago,non poteſt ullo modo
in ſuum ſemen transfundere Divinam imaginem,
14 quam in ſe & extra ſe planè ignorat. Sed
cùm in natura ſimile generet ſui ſimile, poteſt
homo in ſemen ſuum imprimere imaginem corporis
humani,facti etiam ad imaginem Dei. Poteſt
itaque homo generans imprimere in ſemen
ſigillum ſive umbram ſui:non autem imaginem
Dei, ſubſtantiamque mentis immortalis: quinimo
demonſtravi alibi, quod cæteræ animæ
univerſæ ſint tantùm lumina formalia, non autem
15 ſubſtantiæ. Idcirco ſi mens deberet aut
poſſet imaginem Dei producere, jam vel mens
ceſſaret eſſe imago ipſamet Dei, vel Deus non
eſſet Creator mentis. Quamobrem eſſentia pura
imaginis Dei in conceptu creandi vel generandi
requirebat omnifariam ipſum Deum, immediatum
ſui Creatorem & Patrem unicum,
qui in cœlis eſt, & præter quem nulla eſt paternitas
in cœlis. Alioqui paternitas carnalis eſt in
homine & brutis ideóque, textus ait: *Honora
patrem.* Et alius: *quòd nulla ſit paternitas, niſi
in Patre cœleſti.* Ergo deſignatur, quod pro homine
non ſit paternitas mentis, niſi in ſolo Deo:
ejuſque proinde primordialis generatio ac propagatio
penes Deum creatorem reſervata fuerit:
16 ac præſertim, dum menti immortali infinitæque
in duratione deſit ſua ipſius cognitio,
qua ſibi ſeipſam repræſentet, ut videlicet ſignatam
ſimilitudinem ſui in ſemine depingat.
Idcirco nempe nec mens immortalis poteſt unquam
ſemen humanum ad id deducere, quod
ipſamet in ſe habebit nunquam, ut nempè extra
17 ſe depingat imaginem Dei. Eſt namque ſic
homo factus ſimulacrum Dei, quod ſit indumentum
Deitatis, theca regni Dei, id eſt, templum
S. Spiritus. Homo itaque eſſentialiter in
DEI imaginem creatus, poſtquam ex ſe imaginem
Dei, non quidem per aliquod monſtrum,
ſed per aliquid ſibi umbraliter ſimile
generare, cum Evæ ſtupro, temerè præſumſit,
non generavit quidem Dei imaginem, ſimilem
illi quam Deus voluit ideò inimitabilem
(quatenus Divinam) ſed in aura ſeminis
vitali generavit diſpoſitiones ſolicitaturas quandoque
animam ſenſitivam, diſcurſivam & motivam
à Patre luminum, fonte omnis paternitatis;
mortalem tamen ac perituram, cui tamen
ex ſui bonitate inſpirat ordinariò ſpiritum
ſubſtantialem mentis ſui imaginem referentis.
Adeóque homo hactenus brutorum non niſi
more per ſeminum copulam generare eſt anniſus
imaginem ſuiipſius, quæ tandem impetraret
à Creatore lumen animatum, quodque animam
ſenſitivam vocant. Proceſſit nempe inde
generatio altera, more belluino concepta, mortalis,
& æternæ vitæ incapax, beſtiarum ritu,
doloribus partus, morbis mortique obnoxia,
tantóque ærumnoſius, quantum iſthæc propagatio
in Protoplaſto intentum Divinum invertere
auſa fuit. Præmonuit iccircò ineffabilis bonitas, 18
ne de ligno illo guſtarent, prædixitque
alioqui eadem die morte morituros, ſenſuroſque
omnem calamitatum turbam, quæ mortem
comitatur. Meritò itaque Dominus parentum
utrumque beneficio ac ſede immortalitatis privavit.
Succeſſit videl. mors ex conjugali brutalique 19
copula: nec manſit Spiritus Domini cum
homine, poſtquam caro eſſe cœpit. Porro quia
iſtud Evæ ſtuprum deinceps continuabitur in
propagatione poſterorum in mundi uſque exitum:
hinc peccatum ſpretæ admonitionis paternæ
& naturalis prævaricationis, jam in impuritatem
per generationem inverſam, carnalem
ac propemodum brutalem, inter cætera
peccata eſt, & appellatur verè originale, id eſt,
proinde homo, ſeminatus in voluptate concupiſcentiæ
carnis, neceſſariam mortem in carne
peccati metet ſemper. Scientia autem boni & 20
mali, quam DEus in pomo diſſuaſo conſtituit,
continebat concupiſcentiam carnis, id eſt, occultum
vetitum congreſſum, diametrialiter
oppoſitum ſtatui innocentiæ, qui ſtatus non
erat ſtatus ſtupiditatis; utpote cui ante prævaricationem
jam notæ erant eſſentiæ quorumcunque
animantum, juxta quas ex proprietate
erant nominanda, primoque intuitu eſſentaliter
diſtinguenda. Quinimo S. Hildegardis ad
Moguntinenſes ait: *Adam digito Dei (qui Spiritus
Sanctus eſt) formatus, in cujus voce ſonus
omnis harmoniæ & totius muſicæ artis,delinqueret,
ſuavitas erat:Ita ut ſi in illo ſtatu,quo formatus
erat, permanſiſſet, infirmitas mortalis hominis
virtutem & ſonoritatem vocis illius ferre
non poſſet. Cum autem deceptor ejus audiſſet,quod
homo ex inſpiratione Dei, tam ſonorè cantare cœpiſſet,
& per hoc ad recolendum ſuavitatem canticorum
cæleſtis patriæ imitaretur* (ecce quàm
procul nunc inde vir diſceſſerit raucâ ſua voce)
machinamenta calliditatis in ſuæ irritum iræ videns,

dens, ita exterritus eſt, ut non minimùm inde torqueretur; & multifariis nequitiæ ſuæ commentis ſemper deinceps excogitare & exquirere ſatagit, ut non ſolùm de corde hominis, ſed etiam de ore Eccleſiæ Divinas laudes perturbare non deſiſtat. Hæc illa. Myſticorum devota eſt opinio, quod volucres canant laudes Deo. Ego ſub humili correctione aliter cenſeo. Nam ſi iſtud verum eſſet, canerent toto anno, nec ceſſarent mox expletâ generandi libidine. Quod argumentum inſervit noſtræ theſi. Siquidem cum mares ſoli cantent, non autem fœmellæ: quod ex natura communi Adam ſalacior atque incontinentior fuerit, & ex ſexu ſuo libidinoſior, quàm Eva, cujus proinde caſtitas, Deo dilecta, videtur ſexui propria. Acquiſivit ergò homo per eſum pomum ſcientiam, quod amiſiſſet innocentiam radicalem, & pro ea cambium feciſſet ſordidæ concupiſcentiæ carnis. Nec enim ante eſum pomi tàm erat hebes aut ſtupidus, quod ſe neſciret aut non ſentiret nudum, ſed cum pudoris & concupiſcentiæ brutalis effe-
21 ctu tum priùs ſe declaravit nudum. Etenim textus Sacer tàm caſtus ubique eſt, quod Altiſſimus noluerit ipſam carnis concupiſcentiam ſaltem nominare proprio nomine, imò nec etiam accuſare, dum eſum pomi in mortis neceſſitatem præmoneret: ne homini brutalis iſta concupiſcentia vel nomine tenus innoteſceret; ideoque nec concupiſcentiam in Geneſi nominari voluit ob promtam populi illius perfidiam; ſed vocavit amiſſam innocentiam ex acquiſito pudore, quod ſuis circumſtantiis tandem in Eccleſia pendi voluit. Adeóque proinde Adamum mox à creatione de terra in paradiſum tranſtulit, ac mulierem quoque ob id in Paradiſo formavit, ne illa, quam fecerat atque deſtinaverat virginem permanſuram, adſpiceret brutorum copulam in
22 terra. In initio enim creavit Deus cœlum & terram, omnemque creaturam in ea contentam. Fecit autem ac formavit materialiter iſta per verbum paſſivum & imperativum (fiat) dixit nimirum iſtud verbum, & creata ſunt omnia: ſextiduo autem deinde fecit formas rerum conditarum, & facta ſunt ordinatim omnia in vitam & animam animatorum. In eo nempè diſtabant, dicere fiat, & facere. Etenim ſexto die ſive ultimo formatus eſt Adam. Septimo autem Deus quievit: poſteà demum tranſtulit Adamum de terra in Paradiſum, deliberavitque facere mulierem de coſta viri, non autem de renibus, femore aut ventre ejus. Ergo die octavâ, ut eſſet initium novæ hebdomadis ad novam & ſupernaturalem venturæ prolis generationem. Quapropter colligi poteſt, quod mulier tota exlex adſcenderit in novum electionis cumulum, vas electionis. Qua- 23
litatem autem generationis humanæ ante lapſum in Eva virgine quodammodò conjicere licet ex glorioſiſſima Incarnatione Domini. Enimverò Pater, cui omnis paternitatis nomen ſingulariter ac ſolùm debetur, & quem Filius ſuus ut Patrem ſemper adorat, ab æterno generavit quidem ſemper Filium ſuum, qui tamen non legitur ſuæ incarnationis Pater. Quod pro immenſo myſterio uſque veneror, magiſque poſtquam ejuſdem bonitatem infinitam tàm à primo creationis virginali conceptu, quàm in reſtauratione, per hominis regenerationem ſum aſſecutus. Voluit nimirum Pater omnipotens, quod glorioſa incarnatio Chriſti conciperetur de perſona Spiritus Sancti quæ ſcilicet ipſamet proinde non eſſet generata: ſed ab æterno procederet ex Patre & Filio. Divinus nempè Spiritus in virginis Evæ ſanguine arteriali cordis cauſatus fuiſſet conceptum humanum prolium, ſimulacrum Divinitatis cum cunctis chariſmatibus ſuis abſque carnis voluptate. Mens autem ſic in veſte ſanguinis, concepta in utero virginis in ſpecie humana, incrementum ſumſiſſet ac plenariam inde maturitatem. Ille enim, qui clauſo utero, clauſiſque januis in mundum venit, & ad ſuos etiam è capſa cordis, in qua conceptus eſt, conſenſu præeunte, virginis ad uterum delatus ſervatuſque uſque in corporis maturitatem: Omnia nempè membra penetrans delatus eſt in uterum. Ideo namque Dominica incarnatio prorſus præter naturæ ordinem nunc conſuetum contigit. Nam 1. non contigit incarnatio Domini in utero, ſed primùm in ipſa cordis virginalis theca. 2. Ex ſanguine puriſſimo & vivaciſſimo cordis: non autem ex ſemine Virginis; Siquidem Deipara virgo illo ſingulari reſpectu non ſolùm mundata fuit à peccato originali, ſed concepta prorſus libera à peccatis, ut ſcilicet tanto amplius expers eſſet omnis ſeminis, quàm puer recenter natus. Etenim ſemen ex miſtura cruoris & ſanguinis, ſive ex commiſtione ſanguinum conficitur, quæ miſtura nullatenus, ne quidem materialiter, fuit in conceptu Filii Dei: *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis aut viri*: ſed ex ſolo Deo conceptus, & ex virgine natus. 3. Non habuit virum patrem, nec materiam maſculinam,

unde fieret; quod ſanè confirmat, materiam fœmininam, excellentiorem præfectam, & ab initio ſolam prælectam. 4. Prælegit caſtiſſimam & illibatam virginitatem matris, quam Divinâ manu plaſmavit. 5. Ex ſolo puriſſimoque arteriali ſanguine materialiter conceptus eſt: in quem nempe ſigillum S. Spiritus mentem humanam ſuique puriſſimum ſimulacrum à Patre Deo conditum inſpiravit. 6. à corde in uterum Virginis, cum penetratione dimenſionum delatus eſt iſte conceptus. 7. Tandem incrementum ac juſtam nativitatis maturitatem, velut in Sabbatiſmo, exſpectavit. Porrò quod ſcientia boni & mali, nil niſi carnis concupiſcentiam ſignificet, apertè teſtatur Apoſtolus, vocans eam *legem atque deſiderium peccati*.
24 Vnde ſcilicet primum, brutale atque originale peccatum, reliquorum fomes, immediatè profluxit, & duraturum deinceps, in continuatum mortalium ſemen. 8. ad Rom. *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis.* Originale, inquam, quod ſit originis, humanæ generationis initium, per quod omnis impuritatis lues in poſteros trucidatur, & mors facta fuit homini, prout belluis naturalis. Adeò quanquam eſus pomi contineret notam diffidentiæ & ingratitudinis, quæque etiam cuilibet peccato comes eſt, etiam tamen proptereà unumquodlibet deinceps peccatum eodem ſupplicio, neceſſariò quoque ad poſteros deberet deſcendere: niſi inſolita amoroſæ monitionis tranſgreſſio non tàm conſiſteret in inobedientia comedendi, vel abſtinendi, quantum in horrida dubitationis diffidentia, & fidei Diabolo adhibitæ confidentia. Adeoque generatio carnis peccati (quæ eſt effectus concupiſcentiæ carnis) in mortem neceſſariò defluxit, etiam ad poſteros
25 omnes. Placuit nempe rerum Domino, inſerere pomo incentivum concupiſcentiæ carnis, à qua ſcilicet tutò abſtinere poterat non edendo pomum, diſſuaſam proptereà. Alioqui namque nullo unquam momento tentatus fuiſſet à carne aut membris ſuis genitalibus, quæ ideo Aquilonem vocari in Sacris poſtmodùm oſtendam. Itaque paſto pomo mox concepit vir ex naturali pomi proprietate libidinem luxuriandi; atque inde factum eſt ſemen animale, quod in animæ ſenſitivæ diſpoſitiones prævias properans, legemque aliarum cauſarum ſubiens ſe reflexit in vitalem Spiritum Adæ: qui iccirco ſtatim ignis fatui inſtar Archeum ſive Rectorem Spiritum animalemque auram, latronem, inquam, domeſticum ſuſcipiens, poteſtatem propagandi ſeminis animalis & caduci, in vitam deſinentis, concepit: Cujus demum appulſu, Mens immortalis vitæ atque corporei gubernaculi habenas exuens pediſſequam ſibi ſenſitivam ſubſtituit. Hinc igitur belluarum more concipimur, naſcimur & morimur. Pridie enim antè Mens immortalis omnia in omnibus agebat, eratque ipſamet vita immortalis in toto: quia ſola & tota in toto immortalis. Sed ipſa tanta naturæ pulcritudo in Protoplaſto mox vitiata eſt, poſtquam brutalis generationis ſimilitudine induta fuit. Tum enim 26
Mens immortalis loco mota deſcendit, ut ſui ſigillum imprimat in ſemen vetitum. Tunc, etiamſi Senſitiva nondum nata eſſet; adfuit tamen præſto omnis diſpoſitio naturalis, requiſita ad illam à Creatore impetrandam. Cumque duæ ſimul animæ unico corporis plano præſidere perfectè nequeant abſque diſſidio, non magis quàm eſt licitum duobus ſimul heris inſervire: Ceſſit ideo in intima mens immortalis: Sive id fuerit mandato creatoris, vel impuritatis corporeæ tædio pigens, deinceps ſaltem ſui corporis regimen delegavit animæ Senſitivæ, in qua modo ligatur, quia obvolvitur, quamdiu vivitur. Hinc nempe deinceps brutali more plerumque adoleſcimus, ac vivimus. Mens autem in animæ caducæ hoſpitium ſeſe 27
recepit, ac inde in hanc ſua inſpirat chariſmata, quanquam plerumque alioqui dormiat, (Perinde fortaſſis atque corallus ſubinde colorem amittit, eundemque iterum recuperat) unde corpus omnem impuritatis ataxiam ſubiit. Mortalis autem animæ connubium, deſtinationi mentis peregrinum, occaſioni eſt, cur Mens in abdita ſeſe locaverit, ſic ut ſub judice adhuc lis ſit, ubinam principalem thorum elegerit: Sitque apud Atheos non credita Mens, eò quòd animæ caducæ tàm in profundum penetrando ſe demerſerit; quòd mentales notiones adhuc hodiè ſubeſſe imaginationi appareant, quorundam quoque ſimplicium veneficiis ita obedire, ut ad morborum voluptatem atque imperia Mentis principatus videatur conquaſſari; quod febrium deliria, mania lienariis, rabidi morſus, atque punctura tarantulæ pro Atheiſmo fortiùs perſuaſere; In priore enim vita immortali Mens per ſe ac immediatè condebat immortalitatem, perfectamque dabat quoque animantum & herbarum cognitionem. At poſteà in brutali generationis fœdita-

ditate, icon Dei in mente quidem remanſit
ſoſpes, ejuſque figura extera, in corpore: ſed
tanti corruptio Mentem ad penetrale animæ
caducæ coegit recedere. Itaque ſub Mentis felici
imperio degebat immortalitas ejus: atque
ideo exſulabant morbi, ætatum declinationes
& mortis minæ. Atque ideo ante lapſum homo
à beatitate diſtinguebatur per poſſe peccare,
cadere & mori: Sed in glorificatione
Mens iterum immediatè vivificabit corpus, idque
in ſe tranſſumet: quæ nimirum ante lapſum
tantum lucebat ſuper corpus, per immediatum
ſui nitorem, mox à reſurrectione per
tranſmutationem abſorbitivè corpus clarificabit.
Etenim idcirco ſtatus fidelium, etſi per totam
vitam, etiam in ipſa morte, ſit primitivo
ſtatu longè ærumnoſior; eſt tamen eo felicior,
quanto eſt majeſtate plenius eſſe ſimiliorem
Filio Dei, incarnato, mortuo & glorificato:
quàm cum Adamo vixiſſe liberum à morbis,
& tandem ſublatum abſque prœlio: quia *nullatenus
ſunt condignæ retributiones vitæ pro gloria
28 *aut exſpectatione futuri ſeculi.* Porro ad perfectam
theſin compulit me paſſim textus ſacer,
faciens Evam adjutricem Adamo ſimilem,
non quidem ut conjugis nomen vicemque
ſuppleret; prout mox à peccato nominatur.
Virgo enim erat in Creatoris intentione, &
poſtea ærumnis repleta. Necdum enim, quamdiu
ſtatus puritatis præſidebat innocentiæ, voluntas
viri ſuperabat. nam tranſlatio viri in Paradiſum
aliam vivendi ſortem, quàm belluinam
præfigebat. Adeoque pomi eſus caſtiſſimo
nomine tegit concupiſcentiam carnis, dum
ſcientiam boni & mali hoc nomine complectitur,
ejuſque ignorantiam ſolam ſtatum vocat
innocentiæ; Siquidem illius præfatæ ſcientiæ
adeptio nocentiſſimam mortem vitæque æternæ
privationem irrevocabilem fovebat. Nam
ſi homo non deguſtâſſet pomum, vixiſſet expers
concupiſcentiæ, & proles prodiiſſent ex
29 Eva virgine de Spiritu Sancto. Manſo autem
pomo, ſtatim aperti ſunt oculi eorum, cepitque
Adam libidinosè concupiſcere nudam virginem,
eamque ſtupravit, quam Deus ipſi in
nudum adjutorium deſtinaverat, non ſecus ac
Princeps in adjutorium eſt ſuis miniſtris. Sic
enim vir prævertit intentionem Dei per alienam
generationem in carne peccati: Ad
quam proinde prioris naturæ eſt inſecuta corruptio,
ſive caro peccati comitata eſt concupiſcentiam.
Nec ſanè textus aliam inſinuat
ſcientiæ boni & mali notam, quàm quod cognoſcerent,
ſe eſſe nudos, illoſque puderet ſuæ
illius nuditatis, ſive (propriè loquendo) corruptæ
ſuæ virginitatis. Tota nimirum boni atque
mali ſcientia clauditur circa pudorem &
intra ſola pudenda. Ideoque Levitici 18. & alibi
paſſim ipſa pudenda non alio etymo vocantur,
quàm turpitudinis. à copula enim carnis
ſtatim oculi illorum aperti, quia noverant bonum
amiſſum attuliſſe degenerem naturam,
turpitudinem, fœditatem, mortiſque inteſtinam
atque inevitabilem obligationem, etiam in
poſteros relegatam. Ah ſerò nimirum intellexerunt
ex concupiſcentiæ illius inſueta novitate
& turpitudine, cur Deus tàm amoroſæ eſum
pomi vetuerat. Pudebat videlicet illos magis 30
corruptæ caſtitatis & tranſgreſſæ monitionis,
quàm ſuæ nuditatis. Adam namque qui beſtiarum
naturas ſolo adſpectu judicaverat, nec
eandem ſcientiam legitur deſeruiſſe, ſuæ quoque
corruptæ naturæ fœditatem ignorare non
poterat: atque adeò potiùs hujus pudore,
quàm nuditatis ergò ſe abſconderant. Fuit nimirum
tanta pudoris tàm multiplicis confuſio,
ut parùm defuerit, quin in dementiam
ruerent: quod ex inappoſitis reſponſis Adæ
ſat liquidò eſt notabile. Vocat enim illum
DEVS, & interrogat, ubi eſſet, & reſpondet
accuſando ſociam & adjutorium ſimile ſibi,
ut ſe nondum accuſatum excuſaret. Stultoque
prorſus niſu, frondibus nuditatem oſtentabant
notam Creatori, ſperantes corruptionem
caſtitatis tegi poſſe frondibus, modò ſe
abſconderent. Nuditatem ſuam accuſat, non
audens mentionem amiſſæ caſtitatis facere.
Craſſioris namque ſtupiditatis eſt, credere latitare
poſſe à facie Domini, quam neſciiſſe,
ſe eſſe nudos: Præſertim apud eum, qui illos
creaverat nudos. Itaque velle latere accuſat
reatûs, & effectum concupiſcentiæ, delinquendo
patratum. Alioqui mera nuditas
non pudibunda eſt coram Deo, ſi non corrupiſſet
caſtitatem, quam cognovit læſam, &
ſub pomo vetitam. Non enim in extremo
judicio erit pudor nuditatis: ideoque pudor
nuditatis involvebat potiùs commiſſum caſtitatis
errorem, irreſtaurabilem, in pomo velatum;
Cujus effectum niſi perfectè jam ſentirent
& agnoſcerent, potiùs in pœnitentiam
comeſtionis, quàm in ſui occultationem, &
tegmen pudendorum ſe convertiſſent. Pudor
ergo nuditatis involvit caſtam textus locutionem
coram populo Iſraëlis. Aliàs enim ex 31
textu ſat liquet, quod iſta ſcientia boni & mali
ſit

ſit *carnalis*, *terrena*, *&* *diabolica*, ſolius concupiſcentiæ
carnalis & mera quædam corruptæ
naturæ ſtultitia, reſpectu ſcientiæ, quâ paullò
antè nomina propria indebat beſtiis. 2.cap. Geneſ.
32 17. *Soli viro vetatur fructus arboris illius*,
& 2. c. Geneſ.25. *Erant ambo nudi ac ſine pudore*,
3. Geneſ.7. *Manſo pomo, oculi eorum ſunt aperti.*
Etenim licet Eva prior de pomo guſtaſſet,
virumque ad edendum proritaſſet: attamen
Omnipotens virum, nondum caput mulieris,
alloquitur, & hic ſe excuſare annititur;
quia illam primò concitaverat ad congreſſum,
ſenſitque membrorum inobedientiam: quod
patet. Nam ſolus accuſatur, nondum caput
mulieris, quem diſſuaſum utrique ſignificavit
mulieri. Nam Eva ad ſerpentem dicit, utrique
æqualiter injunctam arboris illius abſtinentiam.
33 Significans hic locus in textu, quod etſi
idem caſus ſpectaret utrumque ſexum, prænoverat
tamen Deus ſalacitatem viri atque pruriginem
caſtivam: & quia voluntas carnis non
erat propriè in virgine, quam ſibi caſtitatis decore
adornaverat Omnipotens; Idcirco per antonomaſiam
vocatur iſta concupiſcentia à Ioanne
voluntas viri, quæ eſt carnis & ſanguinis.
Vnde didici, Evam tenacioris pudicitiæ,imò &
perfectiorem fuiſſe creatam in ſuo corpore, &
ſtupratam à viro; quia pomum cum eſſet medium
ad præfatum finem,& ab Eva prius deguſtatum,in
Evam tamen tardius operari potuerit.
Sed priorem deliquiſſe Adamum, Evam verò,
ut facti pœnitentem, diutiùs reſtituiſſe, & ab
Adamo vi ſtupratam dudum reluctatum; quod
inde ſat liquet: Siquidem voluntas viri (& non
mulieris)pro occaſione æterni damni reputatur,
idque Ethnicis non fuit incognitum, qui ſeculo
argenteo pudorem mulieribus,ut dotem nativam
adſcripſerunt, à viris tum dudum neglectum.
34 Levit.3.& 4. jubet Dominus *hoſtiam
cum cauda offerri*, ut turpitudo tegatur, neve
aliquid non tectum pudore offeratur. Ideoque
tanti fuit ſemper & ubique oblati agni æſtimatio.
Etenim Adam creabatur juvenis, imberbis,floridus,
qualis Raphaël foribus Tobiæ adſtitiſſe
legitur. Quamobrem ut primus verecundiæ
infractor virginiſque ſtuprator enoteſceret,
35 Deus mento, genis atque labris Adami
pilos obnaſci voluit, ut multorum quadrupedum
compar, ſocius & ſimilis eſſet, eorundem
ſignaturam præ ſe ferret, quorum more ut ſalax,
ita & vultum pilis hirtum, oſtenderet. Etenim
ſignavit DEVS primum homicidam in
fronte ut conſpecto ſigno ſtatim horridus fieret
& infamis fratricida. Sic & primum caſtitatis
infractorem fabrumque primum peccati originalis,
ſignare voluit caſtitatis Amator, circa
os, guttur, buccas, &c. quibus ſcilicet primas
illecebrarum voces ac dein minas locutus fuerat:
Evam verò pudoris ac pudicitiæ tenaciorem
vultu polito decoram retinuit. Sic barba 36
etiam cadaveri inhumato ſuccreſcit, ſi in vita
libidinoſus fuerit, & repentinâ morte vivere
deſierit, id eſt, retentis adhuc menti ſui viribus
ſuccreſcit mortalitatis ſignum, etiam poſt mortem.
Sic & vox rauca Adamo oboritur, circa
juventutem, qui immediatè ante amiſſam caſtitatem
ſuaviſſimè cantabat. Inter ſigna namque 37
quibus Angeli in apparitionibus diſtinguuntur,
unum capitale eſt. Si apparuerit barbatus
Angelus, malus eſto. Eudæmon enim nunquam
barbatus apparuit,memor caſus,ob quem
viro barba ſuccrevit. Barbam igitur, quam
horrent Angeli,viri ſibi in ornatum datam credunt,
quam tamen non ignorant ſibi cum fœtidiſſimis
hircis communem. Nec ideò homini
barba naſcitur, niſi circa annos incontinentiæ:
ut certò conſtet, non niſi propter carnis
concupiſcentiam inſtar larvæ turpitudinis adductam.
Adeò ut non niſi pudenda ruptumque
pudorem deſignet in vultu. Ideò nimirum
Eunuchi quoque barba deſtituti ſunt,ut & pueri
ac adoleſcentes; quanquam bruta, quibus
congreſſus ſexuum à natura inditus, primis ſtatim
diebus ſint barbata. Denique bruta parturiunt 38
hodiè non ſecùs ac ſi non peccaſſet Adam:
in dolore nempe ſuos edunt fœtus, quia cum
carnis concupiſcentia eos concipiunt, exceptis
piſcibus, qui proinde Monachis caſtitatem
amantibus in cibos deliguntur. Et Eva poſt
conceptum peperit carnem peccati in dolore,
Spiritus meus non permanebit cum homine, quia 39
caro eſt: id eſt, homo jam caro peccati eſt, non
autem ampliùs caro primæ creationis. Plerumque 40
enim mulier à conceptu nauſeat dudum,
variiſque circumagitur miſeriis, quibus bruta
carent; quod ſanè arguit, mulierem concipere
ſeminaliter à viro præter primum intentum
creationis. Quare ſi homo creatus fuit, ut (ſaltem 41
ex præſcientia conſequentis) Cacodæmonum
locum in cœlis adimpleret, debuit vel
magno ſimul numero creari ab initio, vel ſucceſſivè.
Si ergo qui ſalvandi erunt, non poſſint
naſci ex voluntate viri, carnis aut ſanguinis:
eratque unicus tantùm vir creatus, ergo debebant
ex ſolis mulieribus ſucceſſivâ continuatione
naſci in paradiſo, loco ſcilicet natalitio mulieris,

lieris, ac neceſſariò concipi à Deo & naſci de
muliere virgine omnes poſteri, quibus dein-
ceps dedit poteſtatem filios Dei vocari, & fieri
cum excluſione voluntatis ſanguinis, carnis &
viri; quæ caſtitas ſemper placuit Deo, placet
hodiè, ac placebit ſemper. Et quicquid ita ſe-
mel placuit fonti caſtitatis, nunquam illi denuò
42 diſplicere poteſt. Adeóque *ſoli mundo corde*
Deum videbunt, *& Filii ejus vocabuntur*; qua-
re Propheta canit: *Cor mundum* (quale Adamo
ante lapſum) *crea in me Deus*, *& ſpiritum re-*
ctum (caſtæ & priſtinæ innocentiæ) *innova* (per
Sancti Spiritus & aquæ regenerationem) *in*
viſceribus meis. Quia viſcera mea jam impura
contraxerunt ſpiritum concupiſcentiæ carnis
peccati. Enimverò homo quamdiu immorta-
lis & purus erat, vidit faciem tuam, Domi-
ne, & allocutus es illum: *quam faciem dein-*
ceps non videbit homo, *& vivet*. Poſtquam au-
tem homo conſpurcavit ſua viſcera per con-
cupiſcentiam, projeciſti illum à facie tua extra
paradiſum. Quæſo itaque, *ne projicias me à fa-*
cie tua, *& Spiritum ſanctum tuum* (caſtita-
tis) *ne auferas à me. Redde mihi lætitiam* (re-
generationis) *ſalutaris tui*, *& ſpiritu* (Para-
cleto) *principali confirma me* (contra innatam
carnis impuritatem.) Siquidem *Docebo iniquos*
vias tuas (regenerationis tuæ: quas inter) *oc-*
culta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi, *& impii*
ad te convertentur. Saltem *libera me de ſangui-*
nibus (de ſexuum concupiſcentiis, Tu qui es)
Deus (caſtitatis) *Deus ſalutis* (ut novæ rege-
nerationis) *& exaltabit lingua mea juſtitiam*
tuam (juſtumque judicium, quo damnaſti ho-
minem è ſanguinibus & voluntate viri natum
in concupiſcentia & è carne peccati, quatenus
ſe fecit incapacem tuæ hæreditatis) *Ecce enim*
in iniquitatibus (præfatis) *conceptus ſum*, *&*
in peccatis concepit me mater mea (ſub legiti-
mo licet thoro) fateor itaque quod præter pri-
mitivum Creatoris ſcopum generatio Adami-
ca ſurrexerit in mortem naturalem, ſitque in
43 peccatum originale devoluta. Mulier ergo ut
more brutali concepit, etiam in dolore pare-
re incepit. Maſculus etiam in lege ſolus cir-
cumcidebatur, tanquam in myſterium ſtu-
pri Evæ. Uterque tamen ſexus piare debebat
commiſſum peccatum in pudendis, quibus
nempe deliquerat. Quod licet caſtè in textu ſit
inſinuatum: attamen tectum id coram Iſraël,
in omnem alioqui perfidiam promtiſſimo, ne
ſcilicet Deus matrimonii deinceps à lapſu in-
ſtituti ſpretor videri potuiſſet. Mulier itaque
non circumcidebatur, & tamen ſalvabatur
Non autem quod dolor partus aut obedientia
mariti piaſſent peccatum originale in ea: nam
& cælebs virguncula moriens ſalvabatur, uti
& uxor ſterilis. Itaque hinc pateſcit myſterium,
quod ſcilicet Eva, quantum potuit, reſtiterit
inſolentiis Adami, fueritque per vim in Para-
diſo ſtuprata. Adeò & primi parentes fuerant 44
homicidæ omnium poſterorum per concupi-
ſcentiam: ita & primus natu fratricida fuit.
Etenim ablatum præputium neceſſariò occa-
leſcentiam glandis cauſabatur, quo ſcilicet mi-
noris voluptatis, concupiſcentiæ & titillatio-
nis particeps fieret, quicunque in catalogum
populi Deo dilecti adſcribi optaret. Rabbini
quoque fatentur circumciſionem inſtitutam
propter virtutes immundas, ambulantes in cir-
cuitu; quod interpretor, Diabolica concupi-
ſcentiæ ac primitiva ad mortalitatem incita-
menta non latuiſſe Hebræos, ſaltemque ſenſu
obſcuro inſinuatum peccatum, inde ortum.
A templo quoque olim arcebantur illegitimi, 45
& cœlo, qui eſſent adulterino conceptu na-
ti, quia penitùs generationem Adamicam re-
ferebant; qui autem legitimo thoro naſceban-
tur, impuri adhuc erant, donec ablato præ-
putio, renunciare viderentur concupiſcentiæ
carnis: Et hactenus repræſentabant in umbra
& à longè renaſcendos Divino Spiritu & lava-
cro regenerationis. Porrò theſin ex profeſſo 46
confirmat ipſum veritatis verbum. 1. Ioan. 3.
Niſi quis renatus denuò, non poteſt videre regnum
Dei. 6. Niſi quis renatus ex aqua & Spiritu S.
non poteſt introire in regnum Dei. c. quod natum
eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex Spi-
ritu, ſpiritus eſt. d. Spiritus ubi vult, ſpirat: vocem
ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quò va-
dat. e. Sic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. f. ſi
terrena dixero vobis, & non creditis, quomodo,
ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? g. Nemo ad-
ſcendit in Cælum, niſi qui deſcendit de Cælo. h. &
ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in diſerto; ita ex-
altari oportet Filium hominis. Chriſtus Jeſus de-
ſcendens de Cœlo non aſſumſit carnem peccati
ex generatione Adamica, aut ex voluntate viri:
ſed *formam ſervi accipiens* in ſimilitudinem A-
damicorum factus, *habitu inventus ut homo*. A-
damicus, verus tamen homo, qualiter Adam
noviter creatus. In ſimilitudinem autem homi-
nis Adamici factus ſeipſum *exinanivit*, *formam*
ſervi accipiens. Non eſt autem ſervus, aut impu-
rus factus. In hoc Evangelio autem viſionem
Dei negat, ſive viſionem regni Dei, & 6. introi-

tum in regnum Dei. Non enim, quod videatur gloria beatifica, non introeundo in cœlum, aut fruſtra idem bis dicatur: aut quod a exigat aliam renaſcentiam, quàm 6. ſed a continet negationem participationis cœlorum ante reſurrectionem pro animabus defunctorum, quam 6. negat etiam corporibus poſt reſurrectionem: oportet ergo renaſci ex aqua & Spiritu S. Etenim ſicut ab initio homo erat creatus, nec proceſſerat regeneratione carnis: Sic quicquid deinde naſcitur ex carne, eſt caro. Aqua verò, ſanguis & ſpiritus ſunt unum & idem in Chriſto, Ioan. 5. & tria hæc indifferens & unicum in valore baptiſma denotant. Quapropter ſola ad vitam renaſcentia eſt ex aqua & Spiritu in ſola participatione virginalis corporis Chriſti. Siquidem introire & videre regnum Dei eſt carni æquè impoſſibile atque in cœlum proprio motu adſcendere. Idq; nemini permiſſum, niſi Filio Virginis, qui eo fine deſcendit de cœlo, quique erat in cœlo, dum idem hæc loquebatur Nicodemo, quique paulò pòſt adhuc debebat eadem de cauſa exaltari in cruce. Idem ergò, qui de cœlo deſcendit, ut de materia virginis incarnaretur, eſt is, in quo aqua, ſanguis virginalis & S. Spiritus unum ſunt. Spiritus itaque, qui ex aqua hominem corruptum & Adamicum facit renaſci, hominem internum de nova generatione in ſpiritu ſic regenerat, ut fiat verus Spiritus glorificandus reſurgendo, cujus vocem audient Adamici, neſcient tamen, unde veniat, aut quò vadat. quia Spiritus regenerator eſt Deus ipſe glorioſus, qui ſpirat ubi vult, vocemque illius per fidem & Sacramentum audis nunc. Sic omnis, qui renaſcitur ex Spiritu S. fit Spiritus, & unitur illi, qui neſcitur, unde veniat, aut quò vadat. Terrena hæc voco, etſi generationem ſpiritualem atque renaſcentiam attingant: quia habent in natura ſublunari quædam ſibi ſimilia, quæ non quiſque paſſim novit, ideóque nec credit. Nam ex aquoſo liquore & Spiritu ſeminali contingunt brutorum generationes. Non ſunt ideo tamen iſta terrena planè atque intelligibilia naturaliter vulgo, quæ Dominus loquitur Nicodemo: quia non magis concipitur ratio amoris Divini in hac renaſcentia, quàm ſuæ bonitatis infinitæ. Inpervium ſcilicet permanet, cur voluerit hominem adoptare in filium & cohæredem ſui regni, imò redigere in Spiritum Deiformem, qui materialiter fuerit ex aqua renatus. Nam iſtud amoris myſterium ſuperat omnem Angelorum intellectum. Imo credere ac contemplari actualem perſonam Chriſti in ſene, muliere, juvene, morbido paupere, miſero homuncione atque nudo, intelligere nemo poteſt naturaliter, niſi per fidem compulſus intellectum fidei ſubſtraverit. Sic nec concipere poſſumus nos per iſtam baptiſmi renaſcentiam, in Chriſto, quid unum omnes fieri abſque ſexuum aut nationum diſcrimine, niſi juvemur per fidem. Tandem non ſat fuit amori Chriſti naſci in forma ſervi, & ſic ludibrio exponi: quin inſuper debuit pati mortem acerbiſſimam & longè ignominioſiſſimam: quam ipſe mortem adeò immanem atque vituperoſam in amoris ſui exuberanti bonitate vocat ſuam exaltationem. Adducit autem in ſimilitudinem exaltationem ſerpentis Nehuſtam. Non quidem quod ſerpens plus repræſentaret formam Filii hominis, quàm furca crucem; ſed duntaxat ſimilitudinem impuri hominis, lapſi in mortem, ſuaſu ſerpentis, cujus ſervi ſimilitudinem Dominus erat aſſumturus. Exaltari itaque debebat Filius hominis non quidem in furca illæſus, aut tanquam inſenſilis æneus ſerpens, quique vivus alioqui ſat erat reperibilis ad ſuſpendendum aptiſſimus. Sed filium hominis exaltari oportuit vivum, amore plenum, ſimulque tandem in cruce illa mori, ut commerita renaſcentia poſſet per ſuam mortem effectuari. Siquidem aliàs abſque morte & exaltatione Crucifixi non ſucceſſiſſet participatio renaſcentiæ ex aqua & Spiritu S. nec mors periiſſet: Adeò ut alto planè myſterio petita ſit furcæ ſimilitudo, crucis & Salvatoris, in ſimilitudinem ſervi incarnati & comparati cum æneo ſerpente. Nec etiam Iſraël adorabat in ſerpente Deum (alioqui Moſes, juſſu Dei, autor idololatriæ fuiſſet) nec furcæ ideo alligatus vivens ſerpens, ut neque ejus ſaltem cadaver: Sed ejus ænea tantum imago, vitæ incapax; ut hoc myſterio conſtaret, totam ſimilitudinem in exaltatione furcæ & crucis conſtitiſſe, nobiſque luceret, carnem peccati (quam ſimilitudinariè repræſentabat Filius hominis) planè eſſe vitæ incapacem ac regni Dei, non ſecus atque erat ſerpens æneus. Eſt igitur ſimpliciter atque abſolutè verum, niſi homo renaſcatur ex Deo, ac participet de immaculata virginitate, quam Dominus Jeſus traxit in glorioſiſſima Incarnatione de ſubſtantia materiali Virginis matris, in æternum ſucciſa eſt ſpes ſalutis. Quapropter & hinc patet, à creationis intento, non niſi deinceps generationem virginalem requiſitam: Et per conſequens genera-

nerationem ſeminalem, impuram, belluinam
& Adamicam, aſtu Dæmonis è pomo, cui inerat
fomes libidinis, hauſtam eſſe, ac depromtam:
ergo niſi iterùm caro Adamica moriatur,
reſtituaturque pro ea in nobis per favorem Spiritus
S. (qui ſalvandos ſalvat gratis) immaculata
caro Virginea, primi intenti Creatoris noſtri,
certum eſt, fruſtra fore, quicquid fiat aut ſperetur
ſecus. Etenim in initio ſat erat naſci,
quippè & tum ex Deo nati fuiſſent. à lapſu autem
deinceps oportet mori atque interire carnem
Adamicam, iterumque renaſci ex carne
Virginea, quam nobis ſuſcitat Spiritus S. ex
aqua, dum membra illius capitis & palmites vitis
illius eſſe optamus. Regeneramur ergo in
corpore Dominico per gratiam ad vitam immortalem
venturi ſeculi, utque reſuſcitemur in
virginitatis participatione, oportet intervenire
mortem, & deleri, quicquid in nobis eſt Adamicum.
Omnes quidem reſurgemus, at non omnes
48 *immutabimur*. Soli enim mutati reſurgent,
qui in virgineo regenerationis corpore reſurgent
glorificati: quam mutationem intellexit
Apoſtolus, quod quoniam qui non eſt renatus,
non poteſt intrare in regnum Dei. Ideóque qui
reſurrexerit non renatus etiam ex conſequenti
non erit mutatus à priſtino ſuo eſſe, ſi reſurrexerit
à morte, nec proinde etiam ingreſſum habebit
ad regnum Dei; quia per renaſcentiam totus
homo fit Spiritus; Ideóque qui à renaſcentia
reſurget, reſurget in natura ſpirituali. Alioqui
natus ex carne & non renatus ex ſpiritu, audiet
quidem vocem renati ex ſpiritu; ſed neſciet,
unde veniat, aut quò vadat. Hæc ſcilicet
eſt corporum mutatio in Spiritum, & mutatio
corporum in reſurrectione, ſive eſt glorificatio
ſalvandorum à reſurrectionne. Cætera
verò peccata per pœnitentiam expiata, ſunt
quidem cum victoria & triumpho agni: ſed amiſſio
illius virginitatis ac primitivæ puritatis
abſque regeneratione æternam reſervat impu-
49 ritatis & incapacitatis maculam: Non ſecus atque
conſervatio integritaſque Virginalis fidelium
renatorum Aureolam ſive Laureolam dat
renatis virginibus, martyrio adæquatam. Chriſtus
igitur, ut hujus virginitatis Pater, ita & futuri
ſeculi Pater; Salvandi autem ſunt ſua nova
creatura, novaque regeneratio. Qui nempe
ipſis *dedit poteſtatem, filios Dei fieri, his qui
credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus
neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate
viri: ſed ex Deo nati ſunt*, modo caſtiſſimo Spiritus
Sancti, per quem ante natam brutalem concupiſcentiam
carnis omnem prorſus hominem
ex matre virgine naſci debere decretum erat.
Chriſtus ergò caſtitatis apex & amator, homines
tam hoc ſeculo, quàm in cœlo diſtinguit
per caſtitatem, eoſque inimitabili atque æterno
privilegio decorabit. *Sequebatur enim* 50
*turba magna agnum, quocunque iret, & cantabat
canticum, quod nemo alius cantare poterat*.
Hi ſunt autem, *qui cum mulieribus non ſunt inquinati*.
Sunt nempè utriuſque ſexus virgines.
Quia non erit ibi Iudæus, aut Græcus: ſed unum 51
*omnes in Chriſto. Delegit nempè Omnipotens ſuos
caſtratos, qui ſe propter regnum Dei caſtrarunt,
quorum eſt regnum Cælorum*. Idcircò cenſentur
conjugati, cum mulieribus inquinati, & matres
concepiſſe ſuas proles in peccatis: Ac virginibus
in hoc longè inferiores. Enimverò
quia Evangelium promittit mortalibus, non
ſolùm, quod Dei filius ſit incarnatus, & paſſus
pro ſalute illorum: ſed quod inſuper hæc duo
myſteria (ne aliàs fruſtra ſint) individuis ſunt
applicabilia, ego ſanè hanc applicationem ſic
contemplor: quatenus homo per libidinis peccatum
non minus fregit intentum, quàm monitum
Dei, quodque humana natura ideo deinceps
fuerit radicaliter corrupta, ſecutaque ſit
inde altera ac propemodum brutalis degeneratio
illius. Ergo lætum nuncium incluſit aboli- 52
tionem tam peccati originalis, quàm aliorum
inde conſecutivè defluentium. *Qui mortem noſtram*
(non ſuam: quippe quam non habebat)
moriendo deſtruxit. Quod non de morte temporali
intelligitur (nam moritur adhuc hodiè
Juſtus perinde, ut ante paſſionem Domini) ſed
de morte æterna. Igitur cum homo poſt lapſum
non ampliùs ex Deo, ſed ex ſanguinibus ſexuum,
ex voluntate carnis & viri naſci, creſcere
& multiplicari deberet, nec amplius inde ex ſe
unquam poſſet reſurgere, amiſſamque ac priſtinam
puritatem reaſſumere, nec deſinere, ut iterum
aliter atque meliùs eſſe inciperet; Ideò lætum
nuncium nobis certificationem attulit,
quod Baptiſmus eſſet in remiſſionem peccatorum
per renaſcentiam ex aqua & Spiritu ſancto.
Vt mens noſtra tanquam nova hoſpitii ſui nativitate
ex regeneratione particeps fieret illibatæ
virginitatis & humanitatis Dominicæ. Quæ renaſcentia
animam quidem in priſtinum ſtatum
reponit, tollendo ſcilicet peccatum ſive debitum,
ejuſque fœtores: ſed ob continuationem
Adamicæ carnis, in qua degit mens immortalis,
non tollitur antiqua poſſeſſio ſive inclinatio ad
peccatum, nec tranſlatio corruptelæ, hauſtæ ab

impura ſanguinis Adamici origine. Hoc autem
53 realiter ſic eſſe, perſuademur credere. Nam
manifeſto DEVS quotidiè permittit, ſenſibiliter
traduci in corpus baptizatorum teſtimonium
actualis illius gratiæ & puritatis acquiſitæ
per veram & ſubſtantialem regenerationem
tàm in corpore, quàm in anima. Siquidem hoc
ſolo fine atque titulo baptizantur Mahumetani
in proprium opprobrium, eò quod de facto
baptiſmus, utut illegitimè datus & receptus,
tollat ab ipſis impoſterum innatos ipſis fœtores,
alioquin in vitam duraturos; quales in Ebræis
omnibus, paſſim, cum nauſea, & tædio
quotidie obſervamus. Relucet ergò regenerationis
verus effectus, ejuſque compromiſſus
character, in baptiſmo etiam exteriùs, in defectuoſo
corpore. Nobiſque ad hoc in invitos
teſtes inſerviunt, ipſi nominis Chriſtiani hoſtes.
Imò perpetuitas ejuſdem effectus confirmat
baptiſmi indelebilem characterem ac ſcelus repetiti.
At nondum renaſcentia ex baptiſmo ob
id tollit mortis neceſſitatem. Baptiſmus nempè
ſuos deſerit, cum ſarcina inquinati & Adamici
corporis, geniti ex voluntate viri. Atque eatenus
& animam vitiis corrupti corporis, corruptæque
pridem voluntatis, obnoxiam. Quamobrem
ob fragilitatem impuræ naturæ, inclinationem
quoque, frequentiamque obviam
peccandi, vix fuit ſat baptiſmus adultis: Iunioribus
54 aliàs abundè ſufficiens. Idcircò Sacramentum
Altaris *vinum eſt germinans virgines*. Quod
ſonat, quaſi finis atque ſcopus Incarnationis
Dominicæ, ſive inſtituti Sacramenti Euchariſtiæ
eſſet germinare virgines: demonſtrans intentionem
Creatoris ab initio ſolam æſtimaſſe
virginitatem, quantæque (num. 25.) abhorreſcentiæ
ſit luxuria in conſpectu Domini. Nam
licet olim bigamus, itemque uxoris dimiſſio
multaque laxatio matrimonii diſſimularentur:
Phinees tamen, non Iudex, nec princeps, ſuopte
zelo, *occidit fornicatorem Zambri, & Cosbi*
meretricem, eoque facinore nedum *avertit*
iram Domini ab integro populo Iſrael: ſed etiam
quamvis homicida, eſſentque homicidæ repulſi
à ſacrificiis: attamen propter ſimplicem iſtam
necem datum eſt illi ſacerdotium perſeverans
in prolibus ipſius. Theſin denique confirmat ager
figuli, akeldama dictus, acheldamach, ſive
ager ſanguinis, quamdiu agri nomen retinuit,
eò quod nimirum ſupernaturali miraculo cadaver
inhumatum unico ſic die conſumat, quod
præter oſſium ſceleton, nil maneat ſuperſtes.
quem effectum eſſe ſupernaturalem probo.
Nam alioqui ſi naturaliter contingeret, id extra
dubium fieret propter vim corroſivam terræ:
quæque proinde tota eſſet ſal corroſivus, vel
ſaltem plurimo ſali commixta vena mineralis
quæpiam. 1. Atqui inprimis non ſolùm iſta carnis
corroſio Hieroſolymis accidit, quamdiu ager
fuit, ubi ſuſpicio eſſet ſuccreſcentis alicujus
mineralis, ſed etiam delata inde terra idem in
Cœmiterio Romæ (dicto ob id campus ſanctus)
accidit; In quo nimirum ejuſmodi terra vix altitudinem
unius pedis adæquat. 2. Sive autem
ſupponamus ſalem corroſivum, ſive demum
terram ipſam ſalſam: cum ſali ſit proprium atque
à ſale inſeparabile liqueſcere per aquam affuſam.
Ergò dudum à tot ſeculis vis iſta ſalis
corroſivi per pluvias, nives & grandines liquata
uſque in ſabuli fundum commigraſſet: magiſque
Romæ, ubi natalem ſibi locum non reperit:
ceſſaret etiam propterea, nec ſoſpes uſque
continuaret, vis iſta corroſionis. 3. Eoque
magis, quod ſalium corroſio rodendo paulatim
ſaturetur, atque deſiſtat. 3. Denique non
reperitur uſpiam terrarum ejuſmodi corroſivum
terræ, ſive venam arſenici, auripigmenti,
aliamve quamlibet ſpectaveris. Nam omnis
ejuſmodi corroſivorum activitas mox ſubdiu
miteſcit ac ſaturatur. Igitur à tot ſeculis perennans
proprietas illius agri clarè commonſtrat
(invito atheiſmo) quod ager comparatus pretio
vitæ, ſanguinis & mortis Salvatoris, carnem
Adamicæ generationis ſtatim abſumat:
Vtpote ad cujus abſumtionem & renaſcentiam
ex corpore Chriſti, quod venundatum fuit 30
argenteis, in pretium illius agri ſolutis adventus
glorioſiſſimæ Incarnationis, tanquam ſcopus
unicus divinitùs directus creditur. Incompatibilitas
ergo illius terræ cum carne peccati
per tot jam ſecula continuò perſeverans
(utut rumpantur ilia Atheo) convincit honorem
Salvatori ceu Filio Dei debitum in æternum.
Denique cadaver humanum ſepeliiſſe 55
ſemper fuit honori & merito; in lege tamen
cauſabatur impuritatem pro tempore: quia nec
labefactabat animam, ſed corpus duntaxat pro
facto meritorio. Iſtaque impuritas indifferenter
quemlibet affectabat, non quatenus cadaver
vermibus deputatum eſſet, (nam vermes
ſuo contactu non leguntur impuritatem cauſati
eſſe) ſed quia caro Adamica horrida eſt in conſpectu
Domini, qui nimirum promittit ſe reſuſcitaturum
in noviſſimo die, quotquot reverenter
Euchariſtiam ſumſerint. Etenim omnes
quidem reſurgent digito Dei, vi ſcilicet ſu-

pernaturali. Igitur quicunque reſurgendo immutabuntur, cenſentur tantùm reſuſcitati à Domino Ieſu; in quantum nempe corpore, quod ex vino germinante virgines acquiſiverunt, reſurgent participes immaculatæ virginitatis Ieſu: *Reſuſcitabo illos noviſſimo die.* Quid quæſo aliud deſignat iſta promiſſio, niſi quod electi reſurgent mutati & reſuſcitati à Domino, non quidem in carne peccati, ſed in carne Dominica, quam participarunt per Baptiſmum & Euchariſtiam. Horrida ergò & damnata caro peccati, non immerita impuritatis labe, tangentes ſuos conſpergit. Eſt igitur diſtincta virginalis puritatis diverſitas: Prima obviam venit Adami ante lapſum, quæque ideò quandam ſuffragio arboris vitæ immortalitatem continebat. Secunda autem eſt illorum, qui in utero matris fuerunt ſanctificati: quæ in ſe adhuc duplex eſt. Nam ejuſmodi ſanctificatio licet originis peccatum dimitteret, reſtitueretque integritatem ablatæ puritatis; quia tamen ex voluntate viri & ex ſanguinibus ſive ex carne peccati concepti erant, erant adhuc mortales. At ſanctiſſima mater-Virgo mox à miſtione ſeminali parentum præſervata fuit à nexu, noxaque peccati originis, ante hæccitatem ſive animæ adventum. Hieremias verò & Iohannes idem obtinuerunt, ſed poſt empſychoſin: In hiſce duobus fuit quidem peccati admiſſi remiſſio; In Deipara autem virgine fuit præventio, antequam peccatum animam ejus tangeret, ideoque in cœlum cum corpore aſſumta eſt: Non autem Ioannes, aut Hieremias. Tertia demùm puritas eſt in renaſcentia ex aqua & S. Spiritu; quæ etiam dupliciter advenit: Puerulis nimirum & adultis; In his enim regeneratio remittit nedum originale, ſed etiam quodlibet grave peccatum: In parvulis verò remittit ſolùm originale, quia nondum invenit aliud. Vtrobique autem mortem relinquit & carnem in cadaver properantem, quia ex congreſſu Adamico ſuſcitatam. 4. Spectatur puritas illorum, qui ſe caſtraverunt propter regnum Dei: Idque bivio adhuc itinere. Nam vel à puero virginitatem ſuam devoverunt Agno, & obſervarunt eam: Ideoque & eundem ſequuntur, quocunque vadat, canunt hymnum, &c. ſed id totum poſt mortem. Alioquin enim ex carne peccati ſunt, ideoque neceſſariò etiam mortis & putredinis rei. Qui verò puritatem amiſerunt proprio errore, ac deinceps reſurgentes voverunt aut obſervarunt caſtitatem; Hi quanquam caſti, tamen inter virgines non ſunt referendi: quinimo poſtquam generatio matrimonialis eſt conſtituta à Domino, regeneratio ex Sancto Spiritu & aqua non præexigit virginitatem. 5. Apex omnis puritatis & caſtitatis eſt ipſe Dominus IESVS, qui non conceptus ex ſexuali congreſſu, verè enim erat immortalis (primuſque, qui ideo vi propriâ ſurrexit à mortuis) niſi legatio amoroſa, ob quam venerat, feciſſet ipſum electivè naſci in forma ſervi. Deciſa ergo jam mihi viſa eſt quæſtio, quæ multos circa Deiparæ Virginis immaculatam conceptionem anxios in malas rixas pepulit. Porrò injungitur nedum regeneratio per Baptiſmum: Sed etiam, *niſi manducaverimus de pane ſuperſubſtantiali, non habituri ſumus vitam in nobis;* Quod puritatis vitalis beneficium, ſupremum eſt *pignus datum pro mundi vita*, ſive pro vita caduca, Adamica, miſera, & mortali: quia panis ille cœleſtis, qui de Cœlo deſcendit (qui eſt vinum germinans virgines, idemque ſuppoſito) de libera ſui proprietate tollit labem ex Adamo & perfracta Evæ virginitate contractam; quia paſſionis merita in iſto pignore participato de illibata virginitate corporis Dominici communicantur. Communio itaque caſtiſſimi illius corporis, unit nos ſuo myſtico corpori, redditque nos participes incomprehenſibilis & amoroſæ ſuæ Incarnationis, quatenus renaſcendo virginitatem ejus (in qua ſalvari debemus) participativè induimus. Natus eſt enim Chriſtus, ut pro nobis crucifigeretur. Mors ergo ejus erat, ut nobis daret vitam, idque in univerſali pro tota hominum ſpecie: In individuo autem, quoties ex pane fit corpus Domini, quaſi iterum Chriſtus renaſcitur, non quidem ut denuò crucifigatur: Verùm ut iſti individuo humano, quod ibidem manducat renatum Agnum, tribuat ſuæ Incarnationis intentum ſcopum, id eſt, paſſionis ſuæ merita. Duo nimirum principales fines ſunt ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ, videlicet, ut nobis unitivè communicetur natura virginea Chriſti, & merita ſuæ paſſionis. Equidem pueri baptizati reſurgent quidem in corpore glorificato, tanto tamen minùs luminoſo, quantum à beatifici corporis unione fuerunt remoti. Et tametſi non appareant modò ſigna viſibilia tanti effectus, qualia ſuperiùs de baptiſmo retuli, reverâ tamen communicantur menti immortali. Vtpote quæ proinde quandoque ſuum corpus in formam ſpiritus reducet. Alioqui namque de novo non ſuccreſcit regeneratio in reſur- 56

rectione, quæ in ſeculo non præexſtitit renaſcendo. Nec fides eſt de fictis non-entibus, ſed de rebus primò veris, licet non continuò viſibilibus, eò quod primariò operantur in mentem immortalem, quæ eſt inviſibilis. Quare etſi
57 ſymbolum unionis cum Deo per Euchariſtiam ſit prorſus inſcrutabile, ejuſdemque fructus ſint nobis inviſibiles: attamen myſtica atque realis renaſcentia cenſetur in ſermone ad Nicodemum adhuc terrena ac tanquàm naturalis: quo titulo ſanè inter phyſicas conſiderationes hanc puritatis dotem gratuitam tranſtuli; ut ſcilicet ſub doctrina de vita longa etiam loquar de immortali, quatenus à veris Chriſtianis intelligitur, & in verum uſum actualiter deducitur: Contemplor nempè ſalvandorum regenerationem vitæque participationem in communione Euchariſtiæ contingere & cenſeri inter terrena, eò quod alibi in terrenis quippiam ſibi ſimile offenditur; Perinde propemodum ac in pro-
58 jectione lapidis chryſopeji. Etenim illum aliquoties manibus meis contrectavi, & oculis vidi realem tranſmutationem argenti vivi venalis, proportione ſuperantis aliquot mille vicibus in pondere pulverem chryſopeijum. Erat nempe coloris, qualis croco, in ſuo pulvere ponderoſus, & micans inſtar vitri contuſi, ubi minùs accuratè tritus eſſet. Data autem ſemel mihi fuit quarta pars unius grani. Voco etiam granum ſexcenteſimam partem unciæ. Hunc ergò pulverem ceræ ab Epiſtola quadam abraſæ involvi, ne projiciendo in crucibulum per fuligines carbonum diſpergeretur: quem dein ceræ globulum ſuper libram argenti vivi ferventis & recenter emti, in vas triquetrum crucibuli projeci: ac confeſtim totus hydrargyrus cum aliquanto murmure ſtetit à fluxu, reſeditque inſtar offæ. Erat autem fervor illius argenti vivi, quantus prohiberet ne liquatum plumbum recoagularetur. Mox dein aucto igne ſub follibus liquatum eſt metallum, quod everſo vaſe fuſorio reperi pendere octo uncias auri puriſſimi. Facto igitur computo, granum iſtius pulveris convertit 19200 grana impuri ac volatilis metalli per ignem delebilis in verum aurum. Pulvis nempe iſte ſibi uniendo præfatum hydrargyrum, eundem uno inſtanti præſervavit ab æterna rubigine, carie, morte ac tortura ignis, quantumcunque violentiſſimi, ac quatenus fecit immortale, contra quemlibet artis ignisque vigorem atque induſtriam, tranſtulitque in virgineam auri puritatem. Vnicus ſaltem in hoc requiritur prunarum ignis moderatus. Sic nempe modò juſtus fervor fidelium adfuerit, tantillum hujus myſtici & Divini panis ſupercœleſtis regenerat, reſtaurat, atque innovat immenſum electorum numerum. Qui ſanè ſcopus fuit unicus tanti Sacramenti. Ideoque dicitur: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum.* Ignoſcat mihi Theologus de mundi vita ſcripturo, ſi ex terrenis demonſtrationem per ſimilitudinem, ſuaſu Domini ad Nicodemum hauſerim ad confirmandam realem at cœleſtem puritatis regenerationem & humanæ recidentiæ reſtaurationem, argumento quia eſt à terrenis deſumto. Illum autem, qui ſic eſt regeneratus, & contra ignem ac mortem præſervatus, reſuſcitabit idem Dominus in noviſſimo die, qui *vitam ſuam dedit* manducanti juſto, *pro vita mundi* Adamica. Sic nempe amoroſæ Incarnationis Dominicæ unitio nos facit participes ſuæ integritatis, quatenus virginitatem Chriſti, in qua ſalvari debemus, participativè acquirimus per regenerationem. Hæc nempe eſt propriiſſima periphraſis verborum: *Vinum germinans virgines.* Ac citra hoc remedium reſurgent aliquot non mutati in priſtino ac ponderoſo corpore Adami, ſolâ mortis optatâ neceſſitate illis ademtâ. Redeo ad puritatis illius privilegia, ut conſtet, quàm proximè cælibatus accedat ad primitivum innocentiæ ſtatum: adeóque etiam inde diſcamus Creatoris intentionem fuiſſe in cælibatu. Subinde enim mihi in mentem ſubit 59
vox illa veritatis, quæ in ſalvandis ſub indictione pœnæ infernalis exigit parvulorum ſtatum: deſperandumque ſit de ſalute, niſi fiamus illis ſimiles. In quibus tamen reperio ſubitam, celerem, indiſcretam, frequentemque iram, verbera, calcitrationes, mendacia, inobedientias, murmura, convicia, paratum in luſu dolum ac mendacium, gulam inſatiabilem, inverecundiam, moleſtias, faſtidia, inconſtantiam & ſtupidam innocentiam, nullos denique devotionis, attentionis aut contributionis actus. Cæterùm non ſunt autem iſta in parvulis, quæ requiruntur pro ſalvandis, ſub pœna æterna damni. Denique nec carent parvuli ſuâ vitæ ſuperbiâ, deſpectuque aliorum, ac præſertim pauperum odio, vindictæ quoque frequenti cupiditate, atrocitate, acquirendi prurigine, & oculorum concupiſcentiâ, totique ac perpetuò ſunt in aurophiliam dediti demerſique. Aſt neque ſunt iſta, quæ in ſalvandis exiguntur ſub DEI indignatione. Solâ ſed carent carnis concupiſcentiâ. Hæc nimirum nota eſt, quæ tàm

altis tonis requiritur pro ſalvandis. Quippe
quæ fuit primitivæ intentionis in creando. Atque
ideò à ſenſu oppoſito argumentor, præcipuum
crimen lapſûs eſitati pomi verſari circa
illius caſti pudoris infractionem, id eſt, quòd
peccatum originale ſitum ſit in virginitatis fractione,
actu concupiſcentiæ, & propagatione
ſeminis: non autem in ipſo actu inobedientiæ
ac ſpretæ monitionis & diffidentiæ de veritate
ſermonis Divini. Nam & B. Hildegardis lib. 3.
60 vitæ ſuæ idem teſtata videtur. *Matronam* (ait
autor) *Sybillam de civitate Lauſanenſi trans
Alpes, quæ ejus adjutorium per nuncium expoſtulavit,
miſſis ei ſubjectis literis, à profluvio diuturno
ſanguinis liberavit. Hæc verba inter pectus
& umbilicum pones, in nomine ejus, qui omnia recte
diſponit. In ſanguine Adæ orta eſt mors; in
ſanguine Chriſti extincta eſt mors. In eodem ſanguine
Chriſti, impero tibi, ô ſanguis, ut fluxum
tuum contineas. & matrona his ſcriptis verbis
eſt ſanata*; quod alii pluries experti ſunt. Ergò
mors eſt exſtincta per effuſionem ſanguinis
Chriſti, ejuſque participationem in renaſcendo,
id eſt, per oblationem puræ caſtitatis, Deo
61 Patri, pro renaſcendis in ſuo ſanguine. Quinimò
ſi benè attendamus, agnoſcitur, quod Deus
prædilexerit mulieres, præ viris, in ſuo ſexu, ob
innatum pudorem. Cui ſexui ideò devotionem,
ut naturæ donum gratis dedit, quo eſſet
aliqualis ei vis naturalis atque virtus propria
ſexui, mediatrix ad ſalvationem. Prima namque
Apoſtola, ante adventum Paracleti, unicâ
concione Samariam, caput Iſraelitici regni (pertinaciſſimum
alioqui) convertit. Solæ mulieres
à Galilæa in mortem ac ſubter omnem ignominiam
conſtanter, licet vituperosè, inſervientes
adhæſerunt Chriſto, derelicto à Diſcipulis,
tot miraculorum teſtibus; idque primo adverſitatis
flatu. Gaviſæ enim mulierculæ opprobriis,
modò Chriſtum crucem bajulantem ſequerentur.
Magdalena prima quoque Euangelium
reſurrectionis, non credentibus, ſuis concionata
eſt, dubitanteſque in fide confirmavit,
meruitque eſſe prima adſpectrix Chriſti à morte,
quia maximæ devotionis fervore eundem
quæreret. Deus, inquam, hunc ſexum plurimis
morbis, adverſitatibus ac ſubjectionibus
cumulavit; ut filio ſuo eſſet eatenus ſimilior ac
vicinior. Mundus autem ſpernit mulieres, &
mares præſupponit: ſed in plurimis judicia DEI
oppoſita ſunt judiciis mundi; adeo ut & mundus
ſpernat pauperes, quorum ſe patrem, non
62 autem divitum, vocat Chriſtus. Tum denique
Chriſtus ſe vocat paſſim Filium hominis; cùm
autem virum patrem non habuerit, ergò mulierem
Virginem per Antonomaſian vocat hominem
abſoluto dignitatis nomine, & ſexui
muliebri condigno; quaſi ob id nomen (Homo)
à peccato deinceps debeat eſſet analogon,
ſtetque pro muliere in famoſiore ſignificato.
Oſtendens ſaltem in hoc, Matrem-Virginem
fuiſſe à peccato Adami, unicum hominem, qualem
ſibi Divinitas in univerſi creatione deſponſaverat,
ad replenda loca à Cacodæmone deſerta.
Quodque Eva deſiit eſſe per caſtitatis infractionem,
id Maria, virgo glorioſiſſima, fuit nimirum
ſalvandorum mater unica, in regeneratione
puritatis. Nec enim ſexus illius panegyrum
ſuſcepi. Sat modò oſtendiſſe, quòd Deus
dilexerit ſexum muliebrem ob caſtitatis amorem.
Nam *virgo quæ Dei ſui ſunt cogitat. Viduas* 63
*quoque, quæ verè viduæ ſunt, honorandas præcepit
Apoſtolus*. Et antiqua lege cenſebantur impuri, 64
quotquot (etiam conjugaliter) cognoviſſent
ſuas uxores, ſi non ſeriò abluti; erant &
templo arcendi, niſi debitè priùs eloti. Morte 65
quoque lapſus ruit ſubitanea, quod impurus ejuſmodi
(quanquam bono zelo) manum vacillanti
currui apponeret, quo Arca fœderis (Deiparæ
Virginis imago) vehebatur. Vtrobique ſcilicet
ſibi conformis veritas deteſtatur atteſtaturque
fœditatem impuræ generationis Adamicæ:
Etenim impuritas, quæ à menſtrui ac ſeminis
quocunque profluvio naturali, ſoloque
attactu contagium conceperat, cenſetur æqua
illi, quæ à contactu cadaverum ſerperet, ac pianda
eodem ritu. Vt textus conformiter denotaret
mortem à carnis concupiſcentia in fructu
pomi latitante inchoaſſe; Idcircò unica quoque
tantæ impuritatis ab attactu contractæ medela
in ablutione conſiſtebat, cujus imagine fides
ſpeſque, quæ in Baptiſmo affulſere, roborantur,
à fratricidio enim, ut Adam cognoverat, quem 66
generaverat in concupiſcentia carnis, mortalium
primogenitum, inſontem fratrem atque
juſtum occidiſſe, prævidénſque inde venturos
mortalium errores nefandos, in ſe tum quoque
proprias perſentiens ærumnas; ſciens certò ex
concupiſcentia carnis hauſta à pomo ſibi adveniſſe
has omnes calamitates, in poſteros inevitabiliter
defluas: conſultum ſibi putavit, deinceps
prorſus ab uxore abſtinere, quam violaverat,
luxitque ideò in caſtitate ac mœrore
centum annos ſolidos. Sperans ſtultè proprio
abſtinentiæ illius merito, tanquam concupiſcentiæ
carnis oppoſito in priſtinam ſe denuò
redi-

rediturum puritatis majeſtatem. Sed peractâ
ſeculi unius pœnitentiâ, probabiliter ipſi revelatum
fuit Incarnationis Dominicæ myſterium.
Nec hominem unquam ſperare poſſe ad priſtinæ
puritatis fulgorem vi propriâ retrocedere,
multóque minùs ab interitu ſuos ipſum poſſe
poſteros reſtaurare. Ideóque beneplacitum eſſe
matrimoninm, moxque à lapſu divinitùs ſibi
indultum. quia nempe ſtatuerat ſuæ juſtitiæ ſic
ſatisfacere ſub temporum plenitudine. Quod
genus humanum ad nominis ſui gloriam & Satanæ
confuſionem eveheret ad eminentiorem
beatitatem. Abinde ergò cœpit Adam cognoſcere
uxorem, & terram multiplicando implere,
juxta benedictionem ſibi olim datam & injunctam
legem. Sic nihilominus, ut quamvis
matrimonium ob propagationis penuriam, ac
Divinæ generationis primitivæ impoſſibilem
alioqui alteritatem ſit admiſſum, tanquam fidelium
67 Sacramentum : attamen quia tandem ob
neceſſitatem tanquam diſſimulando, indultum
videretur : proinde ab Eccleſia, dictante Paracleto,
contra Græcos ſtatutum eſt, quod Sacerdos
(cujus opificio corpus Domini in ſacrificio
incarnatur) debebat eſſe prorſus alienus ab actu,
per quem mors & impuritas naturæ ſunt introducta.
Neceſſitas enim propagationis ſic quidem
olim excuſavit alteritatis delictum in generando.
Nam, teſte Auguſtino, *ſi alio modo hominum
propagatio poſſet fieri, actus conjugalis
eſſet illicitus.* Quare non immeritò bigamus
arcetur ab Epiſcopatu : uti conjugium actuale
à Subdiaconatu. Nam utut ſit Sacramentum,
eſt tamen Sacramento Altaris indecens, per
quod nimirùm caſtitas primæ conſtitutionis &
intentionis Creatoris compenſantur. Sprevit
enim Deus ſibi cruorem offerri, etiam in Holocauſtis,
& hominem cruore veſci, memor, quod
cruor (in quo anima ſenſitiva) è pomi eſu prodiiſſet.
68 Cæterùm bruta timent quidem, iraſcuntur,
blandiuntur, lugent, condolent, inſidiantur,
eaſque paſſiones homo ab anima ſenſitiva
cum brutis communi poſſidet. Imò & Elephantos
pudet, ſi quid minùs generosè improperetur
à ſe factum. Sed nullum animal pudorem
ſentit ex ſexuali congreſſu. Hinc manifeſtum
fit, quod concupiſcentia carnis ſoli ſit homini
Diabolica : quæ brutis eſt terrena & naturalis.
Si igitur utrumque parentum mox eſo
pomo puduit, ſola ſibi ideò pudenda cooperuit :
ergò pudor iſte præſupponit & accuſat
aliquid patratum contra juſtitiam, intentionem
Creatoris, adverſuſque propriam ſui naturam :
ex conſequenti, generationem Adamicam non
eſſe de primitiva naturæ ſuæ conſtitutione, ut
neque de primordiali intento Creatoris, ergò
dum Deus prædicit, quod *terra producet tribulos
& ſpinas*, quodque *vir in ſudore vultus veſcetur
pane ſuo*, prout jam ſuprà probatum, non
erant exſecrationes, ſed monitiones, quod ejuſmodi
obvia eſſent in terra, quodque bruta in
dolore parerent, in ſudore ararent, paſculo ſuo
cum labore & metu veſcerentur, terra quoque
præter agricolæ intentum produceret plurima,
adeóque quod brutorum inſtar ali deberent, qui
brutorum more generare cœperant. Dein ſi 69
penitiùs conſideretur textus, nunciatur Evæ à
tranſgreſſione, quod eſſet paritura proles ſuas
in dolore. Indubitatò enim inde ſequitur, quod
ante peccatum abſque dolore peperiſſet, hoc
eſt, clauſo utero ut concepiſſet, ita etiam peperiſſet.
Quid ergò dolor partus commune habet
cum eſu pomi, niſi pomum operatum fuiſſet
circa conceptum ſive concupiſcentiam carnis ?
Et per conſequens niſi pomum congreſſum incitaſſet ?
eumque diſſuadere intendiſſet Creator,
dehortando eſum pomi ? Cur enim plectuntur
genitalia membra mulieris doloribus
partus, ſi oculus videndo pomum, manus decerpendo,
& os edendo peccaverint ? Nonne
enim ſat erat vitam morte & ſanitatem plurimis
morbis caſtigâſſe ? Cur inſuper uterus (qui
edendo inſons eſt) dolore partus per modum
brutalem affligitur, ſi conceptus beſtiis permiſſus,
homini non eſſet vetitus ? Poſt lapſum
ergò oculi eorum ſunt aperti, eoſque puduit.
Deſignat quod ex fœditate concupiſcentiæ cognoverint
vetitam ſibi fuiſſe in naturæ innocentiſſima
caſtitate copulam carnis, ipſoſque
pudore ſuffuſos, dum turpitudinem commiſſam
apertis oculis intellectûs cernerent. Aſt 70
in ſerpentem & Cacodæmonem tantummodò
fuit caput totius maledictionis, prout & mulieris
privilegium, ac benedictionis prærogativa
myſterioſa ſuper terram. Quod nempè mulier
(non autem vir, etſi in caput mulieris eſſet jam
conſtitutus) caput ſerpentis aliquando contereret.
Adeóque non eſt poſſibile, quod parere
in dolore eſſet maledictio, ſiquidem eodem
ore Domini ſtatim pronunciatur Mulieris benedictio
& victoria ſuper infernum. Quinimò
ſubeſſe viro non exſecrationis loco fuit mulieri
injunctum. Sed humilitatem in nova lege electam,
aliamque vivendi methodum à Filio hominis
de novo ſtatutam in mente Divina denotabat.
Humiliavit nempe ſeipſum Filius hominis

nis uſque in mortem. Ignominioſâ quoque
morte extingui, exaltari vocavit. Ergò dum
mulierem deprimit, ſub viri poteſtatem, eandem
coram ſe exaltavit Dominus, ſibique ſimiliorem
effecit. Alioqui quod ſerpens in poſterum
per terram reperet, id non ex maledicto,
ſed ipſi à condito reptili fuiſſe proprium,
nomen ſerpentis arguit; idque Adamo ſat conſtabat.
Etenim in hoc non tàm ſerpenti, quàm
Cacodæmoni ceſſit maledictio, quod in viliſſimo
reptili ſe occultâſſet mendax impoſtor;
Cujus caput proinde, & non alicujus reptilis,
71 conculcavit mulier. Quod autem bruta quævis,
olim pro impuris cenſa, culinis etiam atque
humano uſui interdicta ſint, quæ diutino
coitu generant (inter quæ non poſtremo loco
ſunt reptilia) &c. Theſis noſtra continet & viciſſim
confirmat myſterium: Scilicet quod
noſtræ naturæ impuritas à concupiſcentia carnis
ortum ducat, ideóque in beſtiis congreſſus
DEO videtur notatus, diſtinctus & impurita-
72 te contaminatus. Demùm etiam in lege menſtrua,
mulier, eamque tangens quidlibet impuritatem
adferre cenſebantur. Quod alioqui jam
in cauſam ſecundam & naturalem verſum deberet
eſſe planè inſons; niſi menſtruum naturali
curſu derivaret ex iiſdem cauſis, unde
mors nobis advenit. Adeóque & hac de cauſa,
horridum DEO, cenſebatur in lege planè im-
73 purum. Quod autem ſola mulier præ brutis
patiatur menſtrua, nullam ſanè generis noſtri
prærogativam, ſed omnimodum potiùs defectum
atteſtatur; Nimirum in pœnam caſtæ
pudicitiæ & in cauſſas ſecundas eſſe relatum,
inſigni planè myſterio noſtræ theſis. Nec his
obſtat, quod caſtæ virgines menſtruo pareant,
ſitque monſtruoſa, quæ datâ opportunitate,
non eſt menſtruoſa; Quia generatio ipſa Adamica
cogitur portare non minus importuni-
74 tates naturæ ſuæ, quàm ipſam mortem. Imò
cùm caſtitas non excuſet virginem à menſtruo,
indicio eſt, menſtruum non ex maledicto, neque
à pœna peccati eſſe, ſed prorſus ex cauſis
naturalibus: Non ſecus atque ipſa mors à cauſis
ſecundis incepit pomo diſſuaſo inſertis, licet
antehac ignotis, neque perpenſis. Menſtruum
itaque in ſola duntaxat muliere, non
autem in brutis accuſat prævaricationem ſpretæ
monitionis paternæ contigiſſe in ipſis pudendis,
perpetuo ſigno propterea ſtigmatizatis,
tanquam ſigillo ſanguineo immundo. Quæ
ſanè non locum haberent, ſi congreſſus ſexualis
in hominis propagationem non invertiſſet
intentionem Creatoris, magis quàm in brutis.
Hoc loco occurrit paradoxa ac impertinens 75
conſideratio, velut per parentheſin interjecta,
quod Adam cum ſit creatus in poſſeſſione immortalitatis,
non intenderit Deus, quòd homo
eſſet animal, nec naſceretur, conciperet, viveretve
ut animal: ſiquidem creatus eſt in animam
viventem, utque eſſet imago Dei proxima.
Diſtabat igitur tam procul à natura animali,
quantum immortale à mortali, atque Deiformis
creatura à bruto; Quod ſanè eſt amplius, quàm
toto prædicamento. Summéque eſt admirandum,
& indignè ferendum merito, quod Scholæ
Chriſti hæc credant & fateantur: attamen
hominis eſſentiam adhuc modo, ab animali natura,
eſſentialiter deſumunt: quoniam, quantumvis
homo mortem ſibi dein conſciverit, ac naturæ
animantum proinde vicinior factus videatur,
non ſtetit tamen in manu ſua poſſe imaginis
Divinæ ſpeciem invertere. Prout nec Cacodæmon
de ſpiritu eſt factus animal, etſi odio,
vitiiſque brutalibus propinquior animanti evaſerit.
Itaque homo manſit in ſuæ ſpecie, qua
creatus eſt. Etenim quoties homo vocatur animal,
& talis ſeriò putatur, totidem vicibus falſificatur
textus, qui dicit: *Sed & ſerpens erat callidior
cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus
Deus.* Siquidem loquitur de calliditate naturali
illius reptilis. Denique ſi vera eſt theſis,
homo non fuit directus in ſeminis, aut carnis
propagationem, nec proinde in animam ſenſitivam
adſpirabat. Ideóque generationis Adamicæ
anima ſenſitiva non eſt ſpeciei brutalis; quia
ſuſcitata per ſemen, carens origine, deſtinatione
& determinatione alicujus ſpeciei. Adeóque
ut anima ſenſitiva in homine præter intentum
Creatoris & naturæ ſurrexit: ita nullius eſt ſpeciei
brutalis, nec ſubſiſtere poteſt, niſi continuò
ſit alligata menti, unde in vita ſuſtentatur.
Quapropter dum homo nullius ſit ſpeciei brutalis,
non poteſt eſſe animal ex parte Mentis,
multóque minùs ex parte animæ nullius ſpeciei.
Prægnans enim dum ob repentinum pavorem
mutat fœtum humanum in brutum aliquod,
non quidem mens in animam brutalem migrat:
ſed mens abit, & ſubſtituitur anima ſenſitiva à
creatore impetrata. Cumque ſit ab idea prægnantis
promota duntaxat abſque primordiali
deſtinatione, ideo hujuſmodi generata citiſſimè
moriuntur. Et proles Adami pariter ſtatim
periiſſent, niſi conſenſiſſet Deus illi matrimonium.
Quapropter in nativitate Cain dixit verè:
Poſſideo hominem per Deum. Abſit ergo

hominem inter animantia locaſſe. Indulgendum
profectò eſt paganis illud neſcientibus:
At non æquè Chriſtianis paganicam doctrinam
nimiùm adorantibus. Fatentur ſaltem ſcholæ
progreſſum naturæ ordinarium, à non ſentiente
in animal ſentiens: ſed vitam atque ſenſum
hominum immediatè infundi à manu Omnipotentis.
Fatentur denique conditiones eſſendi,
vivendi & ſentiendi in homine tota diſtare
ſorte ab animali natura, eò quod ſequatur vim
formæ rationalis ſive Mentis immortalis. At
turpiter credunt hominem tam primæ conſtitutionis,
quàm modo per Sacramenta divinitus
regeneratum eſſe eſſentiale animal. Vah pudeat
neſcire, hominem, Cacodæmonem, totamque
ſimul naturam non poſſe eſſentiam ab æterna
Conditoris præſcientia ſibi datam ullatenus
mutare, quin continuò is maneret, qualis fuit
creatus: quanquam interim alienas ſibi proprietates
induerit, ut naturales ex vitio ſui arbitrii.
Vt enim abſurdo non caret, hominem
glorificatum inter animalia cenſere, quia non
eſt abſque ſenſu: ſic eſſe ſenſitivum, non dicit
inſeparabilem eſſentiam animalis. Cumque aliàs
cujuſvis rei definitio ſit ab ipſa rei eſſentia
(ut volunt) homo verò juxta ſui eſſentiam factus
ſit in plena poſſeſſione immortalitatis ac
æternæ deinceps durationis juxta ſuam animam:
non potuerunt Scholæ hominem ob ſolam
ſenſitivam credere eſſentialiter animal:
præſertim dum ejus eſſentiam crederent pendere
ab æterna duratione, & incorruptibili animâ
ſive formâ. Quæ abſurda cuncta in Scholas
irrepſiſſe & permanſiſſe agnoſco propter ignoratam
76 noſtræ theſeos veritatem. Theſin hucuſque
è Sacris ſtabilivi. Nunc idem iterum per
Patrum authoritates. Quam materiam præ cæteris
intellexiſſe viſus eſt B. Auguſtinus
14. de civit. Dei. 17. inquiens: *quomodo ante legis tranſgreſſionem*
hominem puduiſſet, cum ipſa membra
pudorem non noviſſent? quaſi diceret,
membra concitata ad concupiſcentiam
atque actus pudendos mox ab eſu pomi.
lib. 4. contr. Iul. 10. *Patebant oculi eorum: ſed ad hoc non erant*
aperti, ut cognoſcerent, quid eis indumento
gratiæ præſtaretur, quando membra illorum
voluntati repugnare neſciebant. Et
non erubeſcis morbum illum, vel quod tu,
quamvis pudibundus, fateris iſtam libidinem
lib. de nupt. 12. *in paradiſum introducere? Et tribuere*
conjugibus ante peccatum? Sine carnis
concupiſcentia naſci voluit, qui futurus erat
ſine peccato. Non in carne peccati: ſed
in ſimilitudine carnis peccati. Quaſi dicat:
Quicquid ex concubitu naſcitur, etiamſi
in Paradiſo & ante peccatum natum fuiſſet,
fore atque eſſe carnem peccati. *Cum*
ſola, quæ non eſt nata ex concubitu, non ſit
caro peccati. Quæcunque proles naſcitur ex cap. 24.
concupiſcentia, ſive ex carne peccati, eſt
originali peccato obligata, niſi in illo renaſcatur,
quem ſine concupiſcentia Virgo concepit. lib. 5. contr. Iul. 15.
Caro Chriſti mortalitatem de mortalitate
corporis materni traxit: quia concumbentis
concupiſcentiam non invenit.
Enimverò ut peccatum originale non traducitur
in poſteros alio modo, quàm per
carnis concupiſcentiam: ita neceſſe eſt in
pomo incluſam fuiſſe concupiſcentiam,
unde ſtirps humana generando degeneravit
ac vitiata eſt. *Siquidem ſi proles aliter,* lib. 5.
quàm per copulam carnalem generari contr.
poſſent, eſſet actus matrimonialis illicitus. Iul. 12.
Cui ſervit hoc dilemma: Actus ille ante eſum 77
pomum vel erat illicitus, & non cogitatus; vel
erat licitus. Si illicitus; jam probata eſt theſis noſtra.
Sin autem licitus; ergo falſum, quicquid ſuperiùs
ex Auguſtino deſcripſi. Cùm ergo comeſti
pomi effectum ſive concupiſcentiam carnis
actualiter in Paradiſo jam ſenſiſſent in membris,
ſtatim illos puduit, quod membra, quæ ad nutum
antè regere poterant, proprio dein libidinis
incentivo moverentur. Tandem quantoperè
ſemper virginitas placuerit ſponſo animæ, ex
variis Sanctorum hiſtoriis ſat dilucidè apparet.
Et quidem in Cana Galileæ ſponſus ſecutus eſt
Dominum Ieſum; ſponsâ relictâ, eſtque diſcipulus
ille, quem tantoperè dilexit idcirco Ieſus.
Idem Alexio, Ægidio, pluribus aliis, præſertim
mulierculis Virginibus familiare. Enimverò 78
infinita bonitas proprio complacentiæ motu ab
æterno hominem tanto amore creavit, & prædilexit,
quod ſtatuerit ſuam Divinitatem illi
connectere, eumque illuminare luce, quæ illuminat
omnem hominem venientem in hunc
mundum; & adoptare in filium Dei, dans illi
poteſtatem filium Dei fieri per renaſcentiam,
quæ renaſcentia ante peccatum non erat neceſſaria.
Cùm itaque requirat ex DEO renatos,
ergo ante peccatum fuiſſent omnes ex Deo nati:
quod cernens Lucifer cum ſuis, pulchritudinis
pridem ſuæ ſuperbia, totuſque factus poſt
caſum invidus, ratus eſt, ſe ſapientiorem Deo,
qui vilem creaturam eò altitudinis evexiſſet.
Quapropter adſpiravit, ut Deum (quem nondum
viderat) ſuperaret, ac de Majeſtatis ſede

dejiceret: Mox dein atrocius indignatus, poſtquam
peccatorum ſuorum pœnas lueret, cerneretque
Evam virginem abſque omni merito ex
ſola bonitate Dei, gratiſque jam deſtinatam in
adoptionis illius præfatum organum, & hominum
matrem. Conatus itaque eſt impedire
amorem Divinum per manducationem pomi.
Vtpote cernens, eidem implantatam eſſe laſciviam
atque carnis concupiſcentiam, diametraliter
oppoſitam intentioni Divinæ. Itaque pomi
manducatio non fuit homini vetita per legem,
ſed per paternam admonitionem. Nec eſt peccatum
originale ex tranſgreſſione Legis, ex
comeſtione pomi, tanquam cibi vetiti, ſed propter
effectum è pomo ſurgentem & proprietates
pomo inſertas. Alioquin tranſgreſſio ſive
comeſtio tantùm peccabat in actu voluntario:
non autem pro poſteris, niſi naturaliter, & per
cauſas ſecundas brutalis inde congreſſus. (Alioquin
in Protoplaſtis impoſſibilis) ſecutus intentionem
generationis Divinæ invertiſſet. Imò
non tam propriè peccatum originale cecidit in
poſteros inſontes, quàm effectus generationis,
qui ſcilicet peperit generationem adulteram,
belluinam, Diabolicam, ac planè incapacem
regni cœlorum, unitionis & fruitionis Divinæ.
Propter cujus ſimilitudinem adulterio nati à
79 cœli participatione excludebantur. Fingamus
autem oppoſitum, nempè legem pomi vetiti
latam, conſciis parentibus, à Deo creatore univerſi,
& pro tali habito, mortem ſibi ac poſteris
omnibus prædictam, & indubiè adventuram:
At ſaltem enorme peccatum tam audax
ſcelus, tamque impium atque atrox in omnem
poſteritatem dimitti non poterat abſque magna
contritionis nota. Nec Deus utcunque miſericors
atque bonus, mox tam repente tantâ
benedictione hominem iſtum fœcundaſſet,
ſubſtituiſſetque cætera viventia pedibus ejus:
non ignorans, quod neuter eorum doleret, pœniteret,
oraret, ſed tantùm ipſos puderet, niterenturque
ut ſtulti ſe abdere à Deo & tegere pudenda
80 frondibus. Colligo itaque exin, eadem
die nedum mortalitatem intraſſe per concupiſcentiam:
Sed inſuper intraſſe & in conceptam
mox ſtatim genituram: Cujus reſpectu eodem
quoque die è Paradiſo abacti ſunt. Igitur peccatum
originis effectivè natum ex concupiſcentia
carnis: occaſionaliter tantùm in manducato
pomo ſpretâque admonitione. Venenum
autem concupiſcentiæ ſitum erat in arbore
monita (vel potiùs diſſuaſa) eique radicaliter
erat inſertum proprium atque implantatum.

Dum autem Satan præter ſpem ſuam, non obſtante ſtupro virginis, cerneret hominem de medio non tolli juxta præmonitionem (neſcius namque, quod Dei filius ſe vadem coram Patre pro homine conſtituerat) corruptam quidem ac degeneratam introſpiciebat naturam humanam, adeóque ſublatam poteſtatem uniendi ſe Deo infinitæ majeſtatis, gaviſus eſt ſummoperè; ſed indoluit, poſtquam ſciret jam matrimonium conceſſum: Divinam ſcilicet bonitatem adhuc in hominem propendere, & ſuas Satanæ ſic illudi fallacias, dolos & putationes: adeóque & hinc conjiceret, Filium Dei reſtauraturum omnem labis defectum, & proinde fortaſſis incarnatum iri. Rimatus eſt, an poſſet ſtirpem è matrimonio ſurrecturam animâ mortali ſic contaminare, ut omnem Dei conceptum redderet vanum. Idcircò ſuſcitavit nedum ſuos fratricidas atque facinoroſos, ut *multum mali eſſet omni tempore*: ſed procuravit, ut ſurgeret atheiſmus, & cum gentilitate coaleſceret ac invaleſceret; quo ſcilicet ſi non poſſet impedire mentis immortalis connexum cum anima ſenſitiva, ſaltem hominem ſub lege naturæ interimendo, infernali pœna ſecum abduceret. Sed potiſſimum meditatus eſt, quo pacto mentem immortalem ſenſim è ſtirpe poſtera expungeret. Suſcitavit itaque concubitus nefarios in ſuis Atheis libertinis. At vidit quod exin non niſi feralia monſtra prodirent, ipſis parentibus horrenda, eſſetque hominibus congreſſus cum mulieribus, longè plauſibilior, hâcque methodo æqualiter conſtanterque perpetuaret hominum generatio. Nec enim ſatis erat hoſti infernali hominem reddidiſſe incapacem cœlorum, ſed inſuper conabatur præpedire, ne unquam ſpes eſſet reſtaurandi reſidua, id eſt, impedire Incarnationem Filii Dei; Intentavit idcircò, num poſſet per applicationem activorum fabricari ſemen virile, juxta nefarium ſuum lubitum. Quod cum reperiſſet irritum atque ſibi impoſſibile, tentavit iterum an ſcrofa ſaga non eſſet prolifica per Sodomiam; Cumque nec ſic eventus omnifariam ſuæ reſponderet intentioni, cerneretque aliunde ex aſino & jumento naſci mulum, matri magis, quàm patri affinem: Ex cuniculo pariter & glire patre naſci verum cuniculum, ſolâ caudâ glirinâ à matre diſtinctum, ſuas deflexit technas. Enimverò horum reminiſcentia, lex vetus adhuc perhorreſcens ejuſmodi commiſtiones ſpecierum declaravit DEO horridas: quanquam hodiè inter Chriſtianos ſic admiſſas, ut Eccleſiæ Primates in monſtris equitent

81 tent Deo horridis. Inſtituit itaque Satan connexionem
ſeminis virilis (priùs aliquantiſper
foti) cum ſemine, & in utero junioris ſagæ, ut
diſpoſitiones ad mentem immortalem (quam
Deus, inſtituto à ſe matrimonio, promiſit ſe
creaturam in verbo multiplicamini) ab ejuſmodi
interpolato conceptu excluderet. Ac dein
prodiit adultera quædam generatio Faunorum,
Satyrorum, Sylphorum, Gnomonum, Nympharum,
Dryadum, Nereidum, aliorumque
monſtrorum juxta variam diſpoſitionem, quam
ſemen virile ſubibat. Cumq; Fauni & Nymphæ
ſylvanæ cæteris præferrentur pulchritudine,
generarunt deinceps inter ſe ſuas proles, harumque
poſteri iterum inter ſe ſuos concubinatus
contraxerunt, ac tandem cum viris connubia
inſtituerunt, mentientes, ſic ſe animam immortalem
nanciſci (teſte Paracelſo credulo) pro
ſe atque prolibus ex illo congreſſu naſcituris.
Id autem mentiebantur, ſuaſu Diaboli, ut homines,
tanquam opus pium facientes, illa monſtra
ad copulam carnalem admitterent. Quod
ignaris facile etiam fuit perſuaſum, quaſi creatio
animæ immortalis ejuſque nexus ad animam
caducam penderet ex libero velle & ſemine
humano: quod falſum eſſe infra docebo tàm ex
Sacris, quàm ex relatu D. Antonii in vita Pauli,
primi Anachoretæ per Hieronymum deſcripta.
Ideóq; ejuſmodi Nymphæ antiquitùs ſuccubæ
nuncupatæ ſunt. Quanquam Satan dein ut nefas
pejoraret, ſe utroque ſexu, incubi & ſuccubi
ſimulatis perſonis frequenter tranſmutet. At
non concepere à maribus verum fœtum, niſi ſolæ
Nymphæ, quas ſcilic. cum jam indiſtinctim
atque paſſim filii Dei (id eſt homines) ſibi duxiſſent
in uxores, coactus fuit Deus totam ſtirpem,
hujuſmodi nefariis nuptiis genitam, per aquarum
diluvium delere, ut Cacodæmonis intentum
82 fruſtraretur. Mercator Oenopola, noſtras,
vir probus, aliquoties ad Canarias ſive Fortunatas
inſulas navigans à me ſciſcitatus eſt ſerium
judicium ſuper creaturas quaſdam, quas ibidem
pueri è montibus domum, quoties vellent, referebant,
eaſque *Tudeſquillos* ſive Germanulos nominabant.
Erant enim cadavera exſiccata, ferè
tripedalia, quæ uno palmo facilè quilibet puerorum
portabat, erantque formâ humanâ: ſed
totum iſtud cadaver inſtar pergameni pellucidum,
oſſaque erant, tanquam cartilagines, flexilia.
Cernebantur quoque Sole adverſo viſcera
atque inteſtina. Quæ cum pòſt ab Hiſpanis inde
natis ſcirem vera, conſideravi quod hodiè ibidem
ſit deleta Pygmeorum proſapia. Voluit
nempe Omnipotens vanas atque irritas reddere
Cacodæmonis exſpectationes, ſubſtructas generi
humano. Etenim ſalvavit nos ideò multipliciter
ab aſtu circumeuntis leonis, cui in extrema
jugique confuſione debetur æternum
ſupplicium ad æternam Divini nominis ſanctificationem.

Nunc autem contra theſin noſtram aliquot 83
dubia proponam: Primò itaque, nil obſtat, quod
meritiſſimum conjugatorum opus ſit ipſa carnis
copula. Quia inde non ſequitur, matrimonium
ab initio creationis fuiſſe licitum. Imò nec id
alio ſenſu verum eſt, niſi poſtquam non procreantur
liberi citra copulam carnis. Si quis nimirum
conjugatorum vixerit, ut decet, & habentes
uxores ſint tanquam non habentes, &
uxoribus nunquam utentes, niſi ad prolificandum,
in honorem Dei. Hi ſanè merentur gratiam
peculioſam. At longè adhuc diſſident ab iis, quibus
ſolo caſtratorum titulo promittit Deus regnum
cœlorum. Conjugatis verò dicitur, quando
cuncta hæc feceritis, eritis adhuc ſervi inutiles.
Sed abſtinenti à licitis (in patientibus & non
agentibus) id nuſquam legitur: miniméque id
tangit virginitatis florem. Non abſtinentes enim,
& caſti quadam præelectione videntur ſanctificati,
ad ulteriorem gradum perfectionis etjam
promoti: Ideoque ſequuntur agnum, quocunque
vadit. Etenim benè agentes ut ſpem
præmii ſupponunt: Ita virgines abſtinentes &
tolerantes ſeſe continent intra amorem, & humilitatem.
Nec arguit in contrarium quod 1. c. 84
Gen. 27. *Deus creavit virum & fæminam.* & 1. c.
Gen. 18. quòd illis benedixerit, *ut creſcerent &
multiplicarentur, ac terram implerent.* Quaſi
conjugium de inſtituto ac prima intentione
Creatoris fuiſſet. Nam c. 1. Gen. totam hiſtoriam
creationis ſuccinctè abſolvit. Cap. 2. verò atque
3. proſequitur creationem mulieris in Paradiſo,
peccatum item, &c. Ideóque benedictio generationis
non fuit deſcripta c. 1. Gen. 28. Non
ſiquidem ante creatam mulierem tanquam data
fuiſſet benedictio generationis initio creationis,
quæ nec data fuit in Paradiſo poſt conditam
mulierem: ſed à peccato, & poſt proſcriptionem
è Paradiſo in terram. Nam dicitur,
quod replerent terram prolibus, non autem Paradiſum.
Datumque eſt illis plenum dominium
in bruta terræ. In quo manifeſtatur Creatoris
bonitas, quod creaturę reę nec adhuc pœnitenti
benedixerit in prolibus, etiam corruptis ac impuris.
Præſcius nimirum reſtaurationis, pro qua
filius ſuus ſe vadem ſtatuerat coram juſtitia Patris.

tris. Alioquin enim eadem die, quâ de pomo
guſtaverant, actualiter ac neceſſariò oppetiviſ-
ſent, niſi Pater filii ſui mortem in remiſſionem
85 peccati ſuſcepiſſet. Tertiò objici poſſet: Deus
nil fecit fruſtra. Parentibus autem ab initio con-
didit ſexualia generationis organa: quæ dum
deſtinationis neceſſitatem denotarent, etiam
Deus ab initio ſuam intentionem & modum
generandi modernum ſat expoſuit in corpori-
bus illorum. Reſpondeo, concedendo, quod
creator ipſis membra atque libertatem arbitrii
contulerit, fruſtra alioqui peccandi libertas per
concupiſcentiam carnis collata eſſet, ſi organis
caruiſſent. Vt igitur Dei intentio pro futura re-
generatione non rectè vertitur ad arbitrii pec-
candi libertatem: Ita multò minùs rectè eadem
intentio propter organorum fabricam infertur.
Argumentum enim hoc ſimile eſt, ac ſi dice-
retur: DEVS fecit remedia contra morbos &
mortem, ergo Deus fecit mortem & morbos.
Conſequens eſt falſum, ergo & Antecedens. Ab
æterno namque prævidit Omnipotens Adæ la-
pſum: nec ideo ſolo Paradiſo contentus terram
inſuper creavit, & de terra Medicinam contra
mortem & morbos. Sic & genitalia fecit primis
parentibus. Sat erat Adamo, quod nec à mem-
bris, nec à conſpecta mulieris nuditate nullum
unquam ſibi ſenſiſſet ſtimulum; ut neque viciſ-
ſim mulier à viri ſocietate, quæ inſenſibilitas
vocata eſt ſtatus innocentiæ. Alioqui pariter
concludi poſſet: Deus creavit hominem, ut in
Paradiſo viveret felix, ergo fruſtra creavit ter-
ram ante prævaricationem; præſertim, ſiqui-
dem peccatum erat ex contingenti libero. V-
trumque enim præfatorum argumentorum eſt
à non præmeditato contingentium fine; Ideó-
que implicitam continet blaſphemiam. Non
enim DEVS pro ſe & brutis terram creaverat;
ſic & organa ſexualia, futurorum quidem præ-
ſcientiam, non autem in creando divinam in-
86 tentionem denotant. Luctantur demum Athei,
voluntque textum fabuloſum & ridiculum,
quod effectus vel inobedientia eſi pomi iret in
poſteros omnes. Cui argumento jam itum ſat
87 eſt obviam. Itemque argumentatur: Si pudor ſit
à peccato originis, etenim ut peccatum omnes
æqualiter tangit: ita & pudor pueros, adultos,
Atros, Americanos, Ægyptios, Abyſſinos, &c,
Atque ne quidem Chriſtianos ſacerdotes Abyſ-
ſinos puduit hactenus: Ergo pudor non ab eſo
pomo, non ab inobedientiæ peccato, ut neque
à generandi inſolitâ novitate vel carnis con-
cupiſcentia. At neſciunt Sophiſtæ, pudorem
ſenſim in Barbaris oblitum, obnatamque ve-
recundiæ amiſſionem per ſcurrilem aſſuetudi-
nem, veſtiumque præviam penuriam. Quem
pudorem ne ideo amitteret populus Iſrael (pro
magna ſui parte nequam) non permiſit DEVS,
quod 40. annis veſtes ejus attererentur in de-
ſerto. Illo inquam miraculo continuo Deus
avertit pudoris amiſſionem, eoque ſigno oſten-
dit, nil ſibi æquè exoſum fore atque eſt pudo-
ris amiſſio. Vnde conſpicuum evadit acquiſi-
tum pudorem per eſum pomi non fuiſſe DEO
moleſtum nec vetitum: ſed ſub pudoris etymo
latere caſtum Sacrorum ſermonem, quo tege-
bat carnis vetitam concupiſcentiam. Deni-
que, quotcunque barbariem deponunt, etiam
viciſſim amiſſum prius pudorem reaſſumunt.
Imò neque mirum eſt, pudorem populos a-
miſiſſe, illius ſcurræ monitis, qui pudorem
docet, in ſcientia mali eſſe. Oppugnant tan- 83
dem Athei, quod ridicula ſit fabula, ſi creda-
tur ſerpens humanâ voce locutus, ſuadenſque
Adamo, qui propria brutis nomina dederat,
nec ideò ignorare poterat, ſerpenti loquelam
deficere: Nam ſtupere debuerat Adam, non
autem credere ejuſmodi perſuaſori. At fallun-
tur miſeri. Vultum hominis mentiebatur ſer-
pens, cujus portento ſi monſtri nomen nondum
Adam dederat, non mirum: Idque ſi ex eſſen-
tia (ut cæteris brutis) dare debuiſſet, illum ſer-
pentem vocaſſet animal rationale ſcholaſticum
& loquens: Cui non abſimile B. Antonio in e-
remo apparuit. Primò enim ei venit obviam
monſtrum quadrupes, quod loqui cum ince-
piſſet, imperfectè locutum eſt & aufugit. Ac
dein aliud, quod ſatyri formâ, perfectè loque-
retur idioma patrium: Nec enim æſtimandum,
monſtrum iſtud fuiſſe Diabolum (quippe qui
pro ſe apud Deum preces nunquam expetit) ad-
eoque ab Eccleſia, ejuſdem authoritate, quâ Pau-
lus, Eremitarum primus in Sanctorum nume-
rum relatus, animal: Non autem Diabolus aut
Spiritus dicitur; ſuiſque depingitur per B. Hie-
ronymum indiciis, à B. Antonio mutuatis. Pote-
rat ergò Adam ſerpenti loqui, non ſecus atq; An-
tonius Satyræ. Textus præſens ideò Geneſeos
neminem hactenus, poſt Origenem & Atheos,
hæreſiarcham habuit, quia veram ac literalem
hiſtoriam refert. Addam poſtremò quædam, vel- 89
ut per impertinens. Enimverò dixi piſces ge-
nerare quidem, at non per ſexualem copulam,
quanquam genitalia organa habeant. Inprimis
exiſtimo generationem piſcium oviparorum eſ-
ſe univocam. Vnius ergò exemplo ſat dixero:

Nec enim mihi opportunum fuit, piſces ſubter
aquas per ſpecies indagare. Piſcis quidam ſaxa-
tilis, carnivorus, piſciumque facilè velociſſi-
mus, truta noſtratibus dictus. Prope rivolum
enim, qua Tiberis de excelſa rupe perpendi-
culariter cadit, cernitur rectâ ſcandere lineâ
totam rupis altitudinem, ad minimum quin-
gentos pedes: triplo ergò celeriùs natat adver-
ſo gurgite, quàm præceps aqua deorſum deci-
90 dat. Falſum hîc inprimis Scholarum dogma,
aquam ſcilicet ſemper decidere figurâ orbicu-
lari, nam ibidem cernitur quælibet aquæ gut-
tula cum cuſpide ponè, eſtque cuſpis retrò acu-
minatior, quò altiùs decidit. Idque convincit
aëris renitentia. Nam etſi velint aquam orbem
imitari, quia ſphæra eſt figurarum capaciſſima:
ob eandem ſuæ magnitudinis rationem difficil-
limè findit aërem, qui proinde impedit feſti-
91 nantiam caſûs. Porrò fœmella truta, grande-
ſcentibus intus ovis, ſentit membranam ſecun-
dinam frangi, ſenſimque dehiſcere, quâ ova,
ut marſupio hoſpitantur, moxque ova eniti-
tur, deponitque fundo arenoſo. Imò ipſa tru-
tæ imaginatio ova perdit. Nam ſi ſolum habeat
fundum ſaxeum (ut in noſtris fontibus calce
cæmentatis percepi) non prolificant ſua ova;
ſin autem fundus ſabulo ſubſternatur, pariunt
ova. Mas autem parta ova ſemine adſpergit, id-
que ovis inſtar telæ aranearum foris incubat.
Ac tandem loricata ova in piſciculos migrant.
In hac igitur ſpecie non eſt copula carnalis,
eſſetque copula fruſtranea, quæ intùs ne mille-
92 ſimam quidem ovorum partem attingeret. De-
nique nec cernitur ovis annexum ſemen incu-
bans: adeóque nec maris ſemen de conſtituti-
va piſcium parte. Quanquam ova deſtituta ſe-
93 minis tegmine nunquam fiant vitalia. Vide-
tur namque, quòd piſces in hoc penè ſervave-
rint umbratilem imaginem pro generatione
humana ante lapſum deſignatam. Eſt autem
oviparorum piſcium ut innumerabilis fertili-
tas, ſic & vitæ longæ poſſeſſio, licet adeò fa-
cilè acquiſita longævitas, tenaciſſimè tamen
hæret. Quinimò plures in totam vitam creſce-
re videntur. Etenim quò longiùs recedunt à
carnis copula, eò fœcundiores ſunt & diutur-
nioris vitæ. Sic in lacu Lemano truta non rarò
ad libras centum adſcendit. Lucius quoque ap-
penſo ſigno ad tercentum annos vixiſſe notatur
& excreviſſe ſtupendam in magnitudinem, ac
tum necdum obiiſſe, niſi nece violenta. Anguilla
in fluvio Lirano prope pagum Rumſt, Bruxel-
lam ad Cæſarem Carolum V. miſſa obſervatur
longitudinis pedum 17. Vermes (in bombyce, 94
claro exemplo) poſt mortem aut bimeſtrem
ſomnum degenerant in papiliones. Umbram
reſurrectionis figurant (quia enim nunquam
congreſſi antè, reſurgunt mutati) nec fœmella
præter chaos inſpiratum concepit, dum mas ex-
ſanguis planè totaque fœmella in ova ſua liqua-
tur. Vermis is ſuo ſe velut funere claudit in
goſſipio contextim, mortis & fidelium reſurre-
ctionis imaginem exhibet, dum ales inde evo-
lat non anteà volare edoctus, nec ciborum poſt-
modùm indigus; Abjectis quippe reptilibus do-
cemur, quanti ſit apud Deum à congreſſu totâ
juventute & virilitate abſtinuiſſe. Quin etiam ſi 95
penitùs introſpexeris, ipſum volucrum ſemen
maſculum vitello foris adhæret (propemodùm
pro more piſcium) attamen è ſolo vitello ma-
terialiter formatur pullus, utut ringantur Ari-
ſtotelici contrà: idque poſt 12. dein, confra-
cto quotidiè ovo, ſpectare, & contra idiotas pro-
bare licuit. Profectò galli coagulum vitello ad-
hærens ſenſim liqueſcit, ac putrenti albumini
permiſcetur, pullo interim ſe formante de vi-
tello. Inde enim didici, quod Galli coagulum,
ſpiritum quidem, vitæ excitatorem, at non for-
matorem, ſpiret; Idque nobis cuniculus caudâ
glirinâ planiùs confirmavit. Saltem fœcunda
eſt piſcium multitudo, atque felix benedictio,
minorque requiſitorum ad partum exigentia,
vitæ longævitas, frigoris & famis tolerantia
conſtans ac facilis. Agilitas quoque & motûs
velocitas, pariunt demum abſque dolore, quod
non item belluæ maris congreſſum admitten-
tes, adeóque explicant aliquid de primo Dei in-
tento in homine. Ultimo tandem Sophiſtæ A- 96
thei ſe opponunt per textum Geneſeos, quod
Deus cataclyſmate mundum deleverit: *Quia fi-*
lii Dei delegerunt & ceperunt uxores ex filiabus
hominum, quæ pulchræ eſſent: quodque hæ gene-
raſſent Gigantes fortes & famoſos à ſeculo viros.
Idque ibidem recenſetur pro multa malitia, quæ
literaliter tamen nulla in verbis textus ſpecta-
tur, poſtquam jam matrimonium ſtabilitum
eſſet & licitum. Imò præcipuè quod dudum
pòſt concubinatus diſſimularetur in lege, quam
pro illa potiſſimùm impuritate Moſaicam, non
autem Dei Legem nuncuparunt. Siquidem tex-
tus non meminit peccati Davidis, niſi in nece
Uriæ, Bethſabeæ adulterio, & computo popu-
li ſuperbo. Quapropter hunc Gen. textum ſo-
lent referre ad filios Dei religioſos ac filias ho-
minum liberas. Sed fruſtra viſum eſt mihi con-
fugiſſe ad cœlibatum ac vota monaſtica, Evan-
geli-

gelicaque conſilia, dum ex mandato requirebatur hominum pluralitas. *Creſcite & multiplicamini, terram adimplete*; Quæ verba nempè concubinatum excuſabant. Tum demum cum Virgines ſint longè proniores in cœlibatum, verecundiam, item in pudicitiam ac vota monaſtica, quàm viri; potius inverſo ſexu diluvium eveniſſet, ſcriptumque fuiſſet, quia filiæ Dei filios hominum in maritos duxiſſent. Quin etiam nec probabiliter doceri poteſt ullus cogitatus ſervandæ caſtitatis, qui Filios Dei tum à virginibus ſegregaſſet, nec Apoſtaſia ulla, illis 97 ſeculis, quæ Dei indignationem ad diluvium provocaſſet. Id tamen ſi ita ſit (quod nullatenus per ſomnium mihi perſuadere poſſum) ſaltem exin probatum eſt pro mea theſi, ſolam pudicitiam diſtinguere filios Dei à filiabus hominum, & Virginitatis ſtuprum ideò procreaſſe 98 originis peccatum. At cum nulla fuerit ante diluvium cœlibatus, aut caſtitatis promiſſio, votumque Monaſticum nondum in mentem venerit, quamdiu multiplicatio in mandato & benedictione ſtetit: ſuſpicatus ſum (ſub humili cenſura Eccleſiæ) Filios Dei fuiſſe poſteros, ex viro & fœmina genitos, veram Dei imaginem habentes: filias autem hominum fuiſſe filias, procreatas ex filiis Adæ & Nymphis, quarum ortum Satanicum Deus plurimum ſemper horruit. Erat autem horum incredibilis multitudo in deſerto, quorum unus ad B. Antonium miſſus eſt. Diebus quoque Conſtantini vivus Satyrus circumlatus, oſtenſus ac dein ſale conditus monſtrabatur. Sic quondam ab Oceano etiam diverſa monſtra hauſta ſunt loquentia, diverſis artibus inſtructa, adeóque rationalia: Inter noſtrates etiam vixere. Animalia nempè rationalia tam in aquis, quàm diſertis ex nefario coitu concepta. Cùm igitur prima monſtra ex filiis Adæ genuiſſent proles ſexu muliebri, diſtinxerunt filios Adæ nomine filiorum Dei, & hujuſmodi monſtra nuncuparunt filias hominum: haſque deinceps à diluvio paganiſmus, Nymphas, Dryades, Nereides, Najades, &c. nominavit. Quæ cùm eſſent pulchræ adſpectu, haſque ſibi in uxores duxiſſent homines, Deus à tanta turpitudine & ſpeciei humanæ devaſtatione (quam textus vocat multam malitiam omni tempore; abhorrens, ſtatuit mundum cataclyſmate abluere. Ex illo monſtrorum atque Nympharum concubitu generarunt Gigantes fortes, atque famoſos à ſeculo viros; Quoſque ideò gentilitas dudum adoravit ceu Deos & Heroas. Alioqui namque frivolæ rationes diluvii videntur ſecundùm literam. Nempe quia viri cum mulieribus conjugati eſſent, & hæ generaſſent Gigantes, fortes & famoſos à ſeculo viros. Ergo textus indignationem Dei, & cauſam diluvii adæquatam complecti debuit. Eſt monſtroſitas nedum in figura & corporis formatione, prout initio degenerationum: ſed ſenſim ablata diminutaque deformitate ſtetit monſtroſitas in anima ſenſitiva, quam non comitabatur Mens immortalis, utcunque exteriùs 99 eſſent animalia ratione utentia. Saltem ex præfato textu patet, poſteros Adæ veros non fuiſſe gigantes, ſed de ſtatura Chriſti Domini, eodemque ſtatuario fabricatos. Exſecrabilis autem in facie Domini ſemper fuit omnis diverſarum ſpecierum copula, ne homo ad imitationem ſequatur. Vetuit ideò lex, ne eodem campo plura ſeminarentur, neve telæ ex lino, & lana combinarentur. Ampliſſimæ nempe multæque illius malitiæ memor, ob quam mundum delere debuerat Deus. Fuit autem tam ſolita ac ordinaria ante diluvium ejuſmodi virorum cum nymphis commixtio, itemque Faunorum cum puellis congreſſus, quod paucis tantùm exceptis atque in Arcam ſalvatis, tota ſtirps Adamica eſſe contaminata, & ideò ſub ſilentio præterita. Omnem ideò viventem creaturam Deus delere ſancivit, ut rationale monſtrum ſons pariter extingueret. Præter paucos enim, quos Arca recluſit, non erat, qui cum Diabolica progenie iſta conſanguinitatem non contraxiſſet. 100 Scribit namque B. Hildegardis vates (Prophetiſſa enim hujus libri in Synodo Trevirenſi canonizati) ad clerum Trevirorum: *Plurimi etiam populi ex filiis Adæ ſurrexerunt, qui oblivionem Dei habebant, ita quod ſe homines eſſe ſcire nolebant. Vnde turpiter peccando ſecundum mores pecorum vivebant, exceptis filiis Dei, qui ab iiſdem hominibus & amoribus eorum ſe ſeparabant: De quibus Noah natus eſt.* Hæc illa, quæ filios Dei in utroque ſexu agnoſcit, meamque interpretationem hujus textus clarè approbat. Tentaverat nempè Satan hoc medio delere ſpeciem humanam, mentemque immortalem præpedire, ut non eſſet, unde Filius Dei naſceretur. Itaque nedum ad peccatorum correctionem, ſed ad totius ſpeciei ſalvationem diluvio opus fuit. Alioquin enim Cham non erat ſalvandus per Arcam: nam totus ab atheiſmo jam perverſus erat. Quapropter textum (ſub humili tamen Eccleſiæ cenſura) interpretor: Ut ſcilicet filii Dei (qui ſimulacrum Dei in anima immortali & in corpore gerebant) duxerint filias hominum; (quæ duntaxat ſimulacrum humanum in animæ ſenſitivæ rationalitate & venuſtâ pulchritudine oſtendebant) in uxores, quia pulchræ erant: Et *ex illis generarunt Gigantes, fortes atque famoſos à ſeculo viros. Multa enim fuit malitia omni tempore, ſic ut Deum pœniteret, ſe creaſſe hominem*, juxta illud: *Omnis caro corruperat viam ſuam*, id eſt, omnis homo nedum reliquerat vias Domini; ſed viam, quam ſibi delegerat, adhuc corruperat. Deus enim propoſuerat adumbratione Spiritus S. generare hominem, Deitatis ſuæ proximam imaginem, eique ſe intimè conjungere: Homo autem divinum intentum prævertit. Quare dein Deus totus bonus conjugium permiſit. Dein iterùm homo maculavit generationem Adæ: atque ad interitum ſpeciei penè devenerat, niſi diluvii miraculum acceſſiſſet. Ac tandem Diabolus per paganiſmum Dei intentum prævertiſſet iterum, niſi in plenitudine temporum commiſeratio Dei obſtitiſſet, mittens Filium de corde ſuo, Cui ſit omnis ſanctificatio. Deus utut non eſt exceptor perſonarum, ergò neque ſexuum; complacuit tamen ipſi ſexum muliebrem anguſtiore tribulationum menſurâ ſarcinare ob judicia ſua imperſcrutabilia. Etenim capilli capitis numerati ſunt, & frons de arbore non cadit, niſi permiſſa; Multóque minùs naſcitur muliercula ſive puella, quam digitus Dei non plaſmavit. Ego pluries inquiſivi per Parochias poſt paradoxi hujus cognitionem, & ubique inveni in libris annuè baptizatorum, ad minimum duplo plures filiolas naſci atque baptizari maſculis. Duplo quoque ad minimum plures maſculos extingui morbis, peregrinationibus, bello, duello, naufragiis, &c. quàm puellas; unde ſequitur, Deum plures creare quotannis filias, pluresque adoleſcere; ac hinc demùm patet, adeò completum puellarum numerum non ſtatui à Deo, niſi ob virginum electionem. Quandoquidem qui luxuriam & adulterium vetuit, nihilominus copioſiorem puellam creat & conſervat, parcumque marum catalogum: Deſignatque in eo, gratam ſibi eſſe cœlibatus in muliere conſtantiam: quatenus nempe eò propiùs accedit ad primæ intentionis in creando puritatem atque innocentiam. In concluſionem hujus tractatus adducam, quæ S. Hildegardis ad Griſeos Monachos pag. 186 ſcribit: *Virginitas Solem ſignificat, qui totum illuminat mundum: quia Deus virginitatem ſibi adjunxit, quæ, viro relicto, illam genuit, quam radius Divinitatis perfudit, qui & omnia regit. Rex namque qui cuncta regit, Deus eſt & virginitas eſt illi conjuncta, quando Deus & homo de Virgine natus eſt. Sic adſtitit Regina à dextris ejus, in veſtitu deaurato, circumdatâ varietate: quoniam Diabolo repugnans adſtitit virginitas virtuti Divinitatis in opere fulgente, ubique comprehenſa multitudine diverſarum virtutum. Divinitas quippe virginitatem ſibi deſponſavit, cum primò Angelus ad ſiniſtram partem cecidit, & nunc etiam populum ſalvationis in Adam ſibi elegit, quem dexteram ſuam nominavit: de quo populo virginitatem ſibi adjunxit, quæ maximum opus protulit. Quia ut Deus per verbum ſuum omnia creavit: ita & virginitas per calorem S. Divinitatis, Filium Dei genuit. Sic virginitas abſque fæcunditate non eſt. Quoniam virgo Deum & hominem, per quem omnia facta ſunt, genuit. Sed & hoc modo omnes virtutes Veteris & Novi Teſtamenti, quas Deus in Sanctis ſuis operatuſs eſt, velut veſtimentum auro decoratum, deauratæ ſunt: Et has Virgo ad ſe liberè colliget: quoniam ligatura viri eam non conſtringet. Roto quoque, quam Ezechiel vidit, virginitatem præſignavit: Quia eadem Virginitas ante Incarnationem Filii Dei in lege præfigurata eſt. Poſt incarnationem autem Ejus illa mirabiliter plurima oracula operatur; Quia Deus per ipſam omnia piacula purgavit, & unamquamque Inſtitutionem rectè ordinavit. Virginitas quippè vetera ſuffert, & nova ſuſtinet, & ipſa radix & fundamentum eſt omnium bonorum; Quia ſemper & ſemper cum illo fuit, qui ſine initio & ſine fine eſt. Nam natura hominis, quæ propter peccata perdita fuit, per Virginitatem in ſalvatione revixit, cum per alienam naturam peccata hominibus abſtraxit.* Hæc vates. In quibus ſanè confirmantur, quæ hactenus de mortis introitu in naturam humanam dixi.

SVPPLEMENTVM DE SPADANIS FONTIBVS.

PARADOXVM PRIMVM.

1. QVi fontes ſint dicendi. 2 Opiniones diverſæ circa expoſitionem hujus. 3. Fundorum in terra diverſitas. 4 Semina incorporea, ſunt Rationes, in elementis hoſpitata. 5. Rupium radix metallorum hoſpitium. 6. Vltimus fundus, fontium verorum ſcaturigo. 7. Terra virgo. 8. In ultimo fundo vivunt aquæ. 9. Quando velut mortem aquæ ſubeant. 10. Quomodo ultimus fundus in ſupremis ſit montibus. 11. Ratio vitalis fontium ſimilitudine microcoſmi. 12. Quid mare ſit in Geneſi. 13 Mare externum fructus maris majoris eſt. 14 Bulliens ſabulum milleſies majus eſt ipſo mari. 15. Explicatio paradoxa textus Sacri. 16. Fundus ultimus eſt mare internum. Explicatio paradoxa textus ſacri. 17. Explicatio paradoxa textus Eccleſiaſtis. 18. Regreſſus aquarum à mari interno ad externum, & viciſſim. 19. In hoc regreſſu aquarum & mineralium beneficia nobis dantur. 20. Nox, Tenebræ, Oromaſis, Iliadus, idem. 21. A Simili, vita interno mari ſua attributa.

1 FONTIVM originem ante omnia generatim perſtringere neceſſe eſt. Fontes equidem nomino, non aquarum quoſcunque, cum vulgo, etiam continuos, & indefeſſos prolapſus. Etenim tametſi fatiſcens nix, iterataque pluvia, manantem aquæ, per cœcos ſcopulorum ductus, ſaxorumque intervenia, vel anfractus declives, aſſiduum jugemque decubitum dederint, fontes
proinde nomino. Caſualis ſiquidem nimium,
2 & accidentaria, adeóque demortua, aquarum iſta congeries eſt. Itaque quò conſtet, vitale aliquod in fontibus principium & ſcaturiginem eſſe, conſiderandum initio venit Iheſu Sirah hactenus obſcurum, veriſſimum attamen elo-
3 gium. Quò flumina univerſa (per conſequens etiam fontes) à mari prodire, ac manare, & in mare poſtremò, ſuum finire curſum voluit. Anxiam hactenus profectò Philoſophorum poſteritatem Sirach reliquit, qualiter nempe à mari, aquæ ſurſum contendant. Quandoquidem maritimum terra ubique labrum coſtituens, victoriam retinuit: quia ſuperioritate ſitus compeſcuit. At nondum proinde ſatis conſtat, quînam mare (cùm aquarum congeſtarum in imani terræ vallem proluvies ſit) quiret altiſſimos prætérea conſcendere ſcopulos,ounteſque ibidem concitare. Hydrauliſis certè hic ſilent regulæ, *ſi ſervanda, ut fieri debet, Scriptura ſit*. Intactum idcircò quidam hunc locum negligunt: alii verò, cum modulamine explicandum ſuſcipiunt. Ut nimirum ex mari flumina, vapore-tenus elicita ſcilicet, pluviis tandem, nivibus, & imbribus, ſcenâ metamorphoſis larvatæ interjecta, mare repeterent. Atqui hoc eſt contendere, fontes omnes ex pluvia ortos eſſe, aut ſaltem ex aëre condenſato. Deinde ex terra nequicquam vaporum, ſed ex ſolo mari, peti, iniquè jubent, aut fruſtra ſacra pagina, ex ſolo mari flumina, & non pariter è vultu terræ non ſpernendo, halitu tenus, mendicata aſſeret. Quæ anguſtiæ, cùm multis inextricabiles viderentur, in ſcopulos quendam Spadanorum Authorem, fortè adegerunt, & colliſerunt. Etenim quanquam humanum quidvis in eodem diſſimulavero, Chriſtiana tamen pietas in viro probo, publicam non patitur blaſphemiam, non admonitam tranſire. Quem idcircò obteſtor, meæ indulgeat libertati. Ariſtoteles (ait) ex aëre in aquam reſoluto naſci „
omnes fontes, fluminaque voluit. Non le- „
gerat, credo, etſi Platonis diſcipulus in Phæ- „
done quatuor illa paradiſi flumina, juſſu Dei „
proſiluiſſe. (Quidni ſodes, ſi & hodie ingentia flumina, ſolâ aëris conſtrictione nata ais, etiam Phædone lecto, virgine adhuc natura, eadem à creatione deinceps emanaſſe? eumque, qui mundum ab æterno credidit, Phædonem neglectum reliquiſſe? nec aëris ullam concretionem exſpectaſſe. Niſi fortè ante Goropium Becanum deliravit. Quatuor illa flu- „
mina nil aliud fuiſſe, quàm Oceanum in „
quatuor orbis plagas fluvios emittentem: quo „
ſenſu etiam Siracides Eccleſiaſtes ait, omnes „
aquas venire ex mari, rurſumque emenſo „
curſu ſuo, mari ſe reddere. Quæ ſic ſonant „
in ſcholis. Goropius deliravit, & Plato ante eum, ſi ſine ulla aëris concretione, Oceanum

quatuor fluvios in oras mundi diſpergere dixerit:
quo eodem ſenſu tamen, Eccleſiaſtes id aſſeveravit:
ergò eodem ſenſu Eccleſiaſtes deliravit.
Atqui nondum ſatis dictum, nondum inquam
3 ſatis obvia ſacrorum interpretatio? Fundorum
itaque in terra diverſitatem & ſtrata, ob
oculos inprimis ponere neceſſe eſt. Alibi enim
terra nigra, fimis & ſordibus ſcatens, lutea, argilloſa,
pinguis, ſterilis, paluſtris, metallica,
arenoſa, ſaxea varioque decore ornata, in vultu
occurrit, juxta ſoli cœlique temperiem, ſtellarum
influxus, imbriumque adaptationem:
quia nimirum fructus, non autem elementum
ſunt. Quam ſi pertuderis primam naturæ ſoleam,
plurimis locis ſaxa, metalla rurſus, aut
minerales ſuccos deteges; nonnuſquam verò
arenam, eamque hîc flavam, alibi cineream,
ibi cœruleam, inde parum viridem, juxta latentis
ſpiritus protheam ac multiformem azygiam
(quippe ſolo natura ſubeſt) Archeique
hypogei deſtinationem à condente Verbo acceptam.
4 Latent videlicet in elementorum condo,
ac ditiſſimo promtuario, hoſpitatæ ab initio
Rationes, in ævum durabiles, ſcientia rerum,
ſibi in tempore futurarum, pro uſibus ingrati
hominis, inſtructæ, patienterque à condito
orbe, rerum completas digeſtiones, temporumque
plenitudinem, ſeu maturitatem,
exſpectantes, quibuſque chaos architectonicum,
τὸ ἔνορμον chaos, ſpiritus inquam, noſtris
limitatus neceſſitatibus, ideis rerum, in progreſſu
ſuo futurarum repletus, aſſiſtit. Porrò
fundorum, non par ubique profunditas exſiſtit.
Alibi namque multa arenæ, alibi verò terræ
plurima occurrit. Mox autem ſub ſabuli
fundo, alter plerumque ſaxeus eſt. Is enim noſtris
5 *Keyberg*, cui rupium propago innixa, metallorum
hîc, denique atque mineralium ditiores
claſſes, ſua habent diverſoria. Ac tandem
ſub longam multamque ſabuli difformitatem,
ſcopulorum rudimenta ſubter, ſabulum
illud, illud ſabulum inquam nitidiſſimum occurrit,
metallicæ qualitatis, & inquinamenti
peregrini expers. Quod inquam naturæ fundus
eſt ultimus, & impenetrabilis, non rarò tamen
in terræ ſuperficie obvius. Adeò namque
natura ſuæ indulgens libertati, noſtras ridet leges;
ac prædicamentorum repagula, univoco
6 fundo ſpernit. Ultimum illum naturæ fundum,
Noſtri *Quellem*, Galli verò *Sablebovillant*,
nominant, quem ligo hactenus non
tranſivit. Quoniam utut multum arenæ, multumque
inde aquæ depleveris, mox alia indeſinenti,
celerique curſu advolant, priorem
defectum ſuppletura. Hinc itaque concludo.

Fundum prædictum, ut ordine ultimum in
natura: ita continuare in centrum uſque, niſi
fortè Infernus, aliquot meditullii milliaria teneat.
Sequitur deinde, ſabulum illud materiam 7
terræ eſſe, non viciſſitudini obnoxium: ſed
perpetuum & conſtans cribrum, quo natura indeſinentes
aquarum theſauros, fonteſque limpidiſſimos,
in Univerſi communionem transcolat.

In hoc inquam, vigorem vitalem ebullientis 8
aquæ eſſe. Quamdiu enim in eodem verſantur
fundo, vividæ ſunt aquæ, non reſpectibus ſuperioritatis,
aut inferioritatibus locorum obnoxiæ,
nec demùm legibus Hydraulicis parentes.
Quia enim vivæ ſunt, vitalem proprietatem
non minùs quàm centrum ipſum, cuſtodiunt
illæſam. Attamen quàm citò inde decurrunt, 9
non aliàs quàm ſanguis extravenatus, aut amputata
manus, actutum moriuntur. Tum enim
primum, corporum graviorum legibus, locorum,
ſituumque poſitionibus importunis, obedire
coguntur. Ut ſcilicet non ceſſent abinde,
per declivia, in mare ruere, tanquam priſtinæ
hoſpitium quietis repetentes.

Quartò notandum. Quod prout fundus hic, 10
aëri expoſitus in ſuperficie terræ, non minùs
vernaculas proprietates exprimit, quàm qui inde
centenis aliquot ulnis, infra terræ horizontem
latitat: ita quoque memineris idem ſabulum,
per ſaxorum commiſſuras, lataque intervenia,
in ſummam montium altitudinem, ipſumque
ſubinde apicem aſcendere, atque inde
fontes vertere aſſiduos, caloribus æſtivis nequicquam
imminutos. In homine enim, quamdiu 11
ſanguis venis fluctuat, tam in fronte, quàm
in pedibus, par reſpectus ſituum eſt; tamque
ſuprà, quàm infrà ignorat: extravenatus verò,
illico gravium ſortem induit. Ita quoque in Macrocoſmo,
quamdiu aqua priori in hoſpitio
communi vita fruitur, ſurſum deorſumque ſine
labore properat, quia neſcit. At ſemel vitali diſcuſſa
hoſpitio, non ceſſat feſtinare, donec
beatos quietis receſſus, in Iliado recuperet. Aquas
itaque ſpiritus intus alit, vaſti quoque marmoris
æquor, totam diffuſa per artus, mens
agitat molem. At hinc nondum ſatis enotuit
mare, quod fontes rigat, & flumina evomit,
quorſumque eadem tandem indefeſſè properare
Scriptura dicit. Quod etenim Scriptura mare 12
vocat, aquarum omnium, in anum ac con-

13 tinuum abacum congregatio eſt. Cujus collectionis,
ſpectabile hoc & externum navigabile
mare, non niſi eſt fructus, in umbellam diſpoſitus.
14 Quocirca omnium omnino aquarum receptaculum,
congregatio, radix, & collegium,
bulliens iſtud ſabulum continet, milleſies utique
locupletius, majus, & proinde totidem plus
aquæ continens, quàm Oceanus. Vtpote totum
fermè terræ diametrum adimplens, ad cujus
duntaxat extimum labrum externum mare, unius
aut alterius leucæ ad ſummum, profunditatem
15 adimplet. Separavit namque Archetypus
aquas ab aquis. Non quidem mare à fluminibus
(vel mare non omnium aquarum eſſet congregatio)
aut hæc utraque à nubibus: ſed mare
verum & internum, ab externo hoc navigabili,
primis disjunxit diebus.

16 Hoc mare, internum inquam, inviſibile (hactenus
abyſſus) & magnum, ſunt aquæ illæ, quibus
Vates mundi fundamenta inniti cecinit:
quæque hactenus etſi neglectæ ſteterint, à rerum
17 Conditore in Geneſi, mare vocantur. Abinde
ſcilicet quoque Eccleſiaſtes pariter fontes,
18 & flumina petivit, eò reverſura. Decurrunt itaque
ex hoc fundo, metuque vacui, mare externum,
rurſus penetrat idem ſabulum velut
colando, & ſalſuginem ſuam mox primis ferè
19 paſſibus ſequeſtrat. At quia fontes & flumina,
paulatino decurſu, mineralium omnium (quæ
in gremio antea cuſtodiebant, quorumque
commercio humana vita vix carere poteſt) ſemina,
ac materiam diſpenſarunt. Celeriter proinde
ad mare externum properant, quò rurſus
ad mare internum, Orphei noctem, Plutonis 20
tenebras apud Hippocratem, Oromaſim Perſarum,
Iliadum Paracelſi (ubi Rationes, ac Dona,
mineralium inquam adhuc nondum corporibus
ſociata ſemina, jacent) fœcunda repetant
hoſpitia, ſeminibus iterum aquæ impregnandæ.
Non eſt itaque otioſus aquarum in Oceanum
delapſus. Intelligentia quippe gubernantur,
& tanquam ſi intellectu pollerent, ſua munia,
Bonitatis, & Providentiæ infinitæ teſtimonia,
non ceſſant edere. Mirabuntur certè, hanc primâ
fronte quotquot Cabalam aſpicient, veriſſimam
tamen. Neceſſe eſt utpotè, plurima ignorantes
admirari plurima. Atqui conſentaneum, 21
quippiam Oceanus quotidie ante oculos
bino fluxu & receſſu propinat. Aſcendentem
ſcilicet aquæ umbilicum, contra Hydrauliſim,
tumenteſque pro ſyzygia lunæ, fluctus.
Vivit namque propemodum ſuo quodam
jure mare: ſilente nimirum vento, ſpontaneos
æſtus concitans, lunæ analogum ſitum curioſè
obſervans, fluctibuſque turgidum, eidem obviam
vadens, variegata demum temporum,
luminis, ac motuum viciſſitudine, continuataque
aquarum mole, nunc hîc, nunc alibi,
per ſtata intervalla, ſuas in altum exundationes
attollens. Itaque naturæ portenta, tametſi
quotidiana in Oceano quiſquis vides; interioris,
veri, vividique maris, ac longè auguſtioris
abyſſi, vitales, fontaleſque concitationes,
uſibus humanis dicatas, mirari deſine.

PARADOXVM ALTERVM.

1. FOntes nulli ex aëre denſato. 2. Elementa non mutantur, aut pereunt. 3. Quicquid generatur, ex ſemine generatur; & quicquid fit, ſeminis neceſſitate in natura fit. 4. Duo tantum ſunt primitiva elementa, & duo ſecundaria. 5. Explicatio paradoxa. 6. Probatio mechanica. 7. Cœlum peribit & terra, non aqua & aër. 8. Ars diſtillatoria Phyſicam explicat. 9. Quid vapor. 10. Probatio contra Ariſtotel. 11. Probatio 2. mechanica. 12. Quid ſit magnale, & quale. 13. Cur guttulæ in vapore & nivibus non decidant, & quando cadant. 14. Probat. contra Ariſt. 15. Proba. 16. 17. Mechanica.

1 DE fontium ſcaturigine, proximo
generationis ortu, ac nativitate
breviùs, quàm paradoxon, at
tædioſiùs (fateor) quàm Spadanorum
doctrina exigeret, egimus
(difficilè nimirum in cunctis modum tenuiſſe)
quatenus ſcilicet, à ditiſſimo aquarum
diverſorio, ad ſuas deſtinationes, aquæ pergant.
Etſi interim quam primùm aëra petant,
ſubinde, nonnunquam verò per longa terræ,
ſaxorumque itinera, & tubos, præcipites decurrant,
antequam luci ſe dedant: eadem tamen
fuit utrobique inſtituti Ratio, neceſſitas &
finis. Voluntas ejus nempe, qui noſtris cuncta
uſuris creavit. Reſtat cæterum, veniam petere,
noſtræ ut indulgeant libertati Manes Ariſtotelici,
ſi fontes ex condenſatione aëris naſci,
æſtimavero ſomnium, naturæ impoſſibile. Enim
verò & iſtud primò verum eſt. *Nullis aërem
unquam ſæculis, aquam fuiſſe, aut futurum:
prout neque aquam, aëris formam aſſumturam.*
Elementa nimirum primigenia, ſunt 2

& rerum conſtantes matrices, à condito orbe
ſtabiles, & in terminum perſeverantes. Quicquid
autem viciſſitudini, per generationum
claſſes, ſeſe ſubſcripſit, ſive terreum videatur,
ſaxeum, vel liquoroſum, id totum ex maſſa
trium principiorum, ſcenæ generationis dicata,
derivat, non autem ex elementis primis, non
niſi ſtabili perennitate gaudentibus, & quæ demeritos
ſuos fœtus, in priſtina receptacula denuò
condunt, donec ad novæ ſobolis generationem
matura ſint ſemina, quæ eadem corporum
principia, digeſtionibus interim permutata,
3 iterum veſtiant, & reaſſumant. Ex inviſibili
namque & incorporeo ſemine, in elementorum
matricibus hoſpitato, corporumque principia
induente, omnis fit in univerſo generatio, quæ
ſpontanea dicitur. Id alii fluxum de nonente ad
ens dixêre. Quæ, quo dilucidiora evadant, notandum
ad rei cujuſque productionem, duos
tantùm ſexus, ſi non unum ſaltem promiſcuum,
4 concurriſſe. *Proinde etiam eadem mundanæ
harmoniæ lege, primordialiter duo tantum in univerſo
eſſe elementa, aërem videlicet, & aquam,*
à Textu ſacro ſatis inſinuata, per Spiritum, in
mundi incunabulis, aquarum abyſſo ſupernatantem.
5 Terra igitur & ignis ſive cœlum, elementa
ſi ſint, ſecundaria duntaxat appellanda,
6 à prioribus prodeuntia. Quicquid namque terrarum,
ſaxorum, gemmarum, ſabuli, &c. exſiſtit,
vel in vapidam aporrhœam effluit, vel in
cinerem, calcem vel ſocietatem ſaltem alicujus
additamenti, in ſal primò commutatur, (aquæ
ſobolem) mox dein cuncta, ſumma volatili,
ſummam fixi ſuperante, *aërea fiunt effluvia, &
vaporoſa, in aquam feſtinato impetu ruentia.*
Adeóque quicquid terreum, durum, ſolidum,
compactumque eſt, id totum ad ſimpliciorem,
tenuiorem, puriorem, prioremque ſubſtantiam
permanentem reductibile cùm ſit (da veniam
novitati, PRINCEPS SERENISSIME) neceſſe
eſt, nullam prorſus habere elementi energiam:
7 ſed aëre & aqua aſſe poſteriora. De cœlo
itidem dicimus, quod cœli mutabuntur, veteraſcent,
& peribunt: adeóque cœlum & terra
tandem peribunt, cujus internecionis ſimile
nuntium, de aëre & aqua non reperies. Denique
nullis unquam ſeculis, aqua vel aër, in
aliud corpus prius potuerunt arte aut naturâ redigi.
Hæc itaque elementorum eſt facies, hæc
deſtinatio, hoc denique officium, combinatio,
fatum atque finis. Ut nimirum immutata duorum
ſimpliciſſimorum eſſentia, & inpermixta
ſubſtantia, ſeminibus, fructibuſque, vitalem
præbeant uterum, ſive fulcrum, donec tandem
generabilium expleto numero, principiorum
moles, ſimul cum ſeminibus, familias,
& colonias alienas, thoro ſeparato, beatiori
ſede conſtituant. Plurima nempe ſomnia, 8
quibus mundus ſe hactenus circumveniri paſſus
eſt, Mechanica ars Vulcani illudit cachinno.
Aquam equidem in vaporem facilè mutari,
quis negaverit? At vapor ſive halitus, tantum
deeſt, ut ſint aër, ut citius pulvis marmoris,
aut ſilicis, aqua ſint. Ut oſtendimus. Etenim 9
vapor reipſa nil aliud eſt materialiter, & formaliter,
quàm atomorum aquæ, in altum ſublata
congeries. Quod Schola noſtra, luce meridiana 10
clarius oſtentat. Aër itaque ſive calidis, ſive
frigidis vitris exceptus, atque compreſſus, nunquam
aquam dabit, niſi quantum in ſe vaporis,
id eſt, extenuatæ aquæ continuerit. Separatur 11
verò aqua in guttulas minutulas, adverſo
ſole, trans vitrum, initio diſtillationis, quamdiu
parietes frigent, conſpicuas; dum ſcilicet
caloris vigore, in halitum extenuata evolat.
Idque nimirum contingit non aliàs, quàm per 12
proprium magnale (quod in rebus mixtis, adeóque
etiam in aqua ipſa, æther eſt, aëre rarius,
& ab eodem diſſociabile, ejuſque compreſſionem
atque dilatationem ſuſtinens, inter corpus,
& non corpus, medium ambigens, externorum
ſoli ſui natalitii aſtrorum, impreſſiones
ſuſcipiens, omnibus prorſus rebus intimum,
ratione cujus ſolius, & non aëris, anhelitum 13
ducimus) proprium inquam magnale, & ens
ſpirituale in aqua, in altum nimirum aquam
ſuſtollit, alleviatam calore, magnalis divulſionem
procurante. Quod idem divulſum magnale,
proportionatam ſibi aquæ quantitatem,
divulſam ſurſum detinet, tam in vitris, quàm
in nubibus, & à caſu præſervat, donec ſuccedentium
fortè atomorum compreſſione (ut fit
in diſtillatione) priores guttatim concreſcant,
& priſtinum magnale, ſive ens vitale, in ſe concludant.
Vel calore, idem aquæ magnale rarefactum,
mox dein, externi frigoris ope condenſatum,
intra ſui imperii limites cogat, ſuoſque
eoſdem coërceat guttularum atomos. Ad 14
te Stagyrita redeo. Si aër frigore in aquam condenſetur,
cùm aërem, aquâ in humiditata excellentiorem
doceas, cedo, cur frigus aëri geniale,
aëris naturam mutaverit, in materiam
ſuaptè naturâ nimis humidam? Denique jam frigus, 15
& non amplius calor, vitale generationis
principium habebit. Quocirca etiamſi vapor ſit 16
aër, ex aqua formaliter tranſmutatâ generatus

atque ex eodem rurſus par aqua concreſcat:
jam à temetipſo diſcrepas, qui receſſum tam
frequentem, & facilem, à privatione ad habitum
17 admittis. Tandem & hoc mechanicum
ſuſtine. Aër, in canna ferrea unius ulnæ, comprimi vi poteſt, ut vix quinque digitorum ſpatium oppleat, qui dein, in ſui expanſione, inſtar ſclopeti ignibus acti, ſphærulam explodit. Quod utique non contingeret, ſi ferri frigore, compreſſus aër, aqua fieri poſſet.

PARADOXVM TERTIVM.

1. *Dediata.* 2. *Semina, à quibus libera.* 3. *Probatio.* 4. *Optimi fontes qui, ubi, & quales.* 5. *Flumina ab acidulis.* 6. *Eudæmon fontium cuſtos.* 7. *Calculum generantes fontes. Vnde rupes in ripis.* 8. *Plures fontes, pluralitatem mineralium faciunt.* 9. *Ab inviſibili, fit viſibile.* 10. *Sal eſurinum hermaphrodita eſt.* 11. *Duplex excrementum in nobis.* 12. *Quid tartarum.* 13. *Multiplex ſal eſurinum.* 14. *Optimum vitriolun ut fiat.* 15. *Alterum vitriolum optimum.* 16. *Ferrum non mutatur in aris fontibus.* 17. *Tertium vitriolum.* 18. *Quartum Vitriolum.* 19. *Aciditas eſurina non eſt vegetabilium.* 20. *Sulfuris ſal fixatur.* 21. *Sal eſurinum eſſe fontium.* 22. *Naturale cur ſit nobilius artificiali. Error quorundam.* 23. *Manna aluminis.* 24. *Vnde materia vitrioli.* 25. *Error neglectionis. Vitriolum in aliis metallis.*

AD Spadanos jam propiùs accedentes, reaſſumere inprimis, quæ dicta ſunt, convenit. Metalla ſcilicet, lapides, ſaxa, ſulfura, ſalia, atque adeò totam mineralium claſſem, in aquarum matrice, ſua reperire ſemina; Rationes, dona, ſcientias, progreſſiones, deſtinationes, officia, & durationes eorundem continentia. Quæ dum ſui ortus exſpectarunt digeſta ſatis tempora, ſub diem erumpunt cum aquis matricibus, quæ in terram, ſuos paulatim fœtus, aëri aſſuetos, deponunt: non ſecus ac terra; ſuam etiam vegetabilium familiam, in alienum aëris uterum, exponit. Ergo jam ex iliado aquæ, emergentia ſemina (quæ in finem durabilia, vox Verbi ibi depoſuit) ſuo prout exordio ſunt proximiora, ideo etiam nobiliora. Natura ſcilicet eſſentia, exſiſtentia, donum, ſcientia, duratio, deſtinatio, primùm in radice ſeminum connexa fuerunt, quæ poſtmodùm donorum explicatione, ac functionum neceſſitate, in pluralitatem ſenſim diſtracta, ataxiæ obnoxia evadunt. Hinc
1 admirando elogio Hippocratis oraculum continet: auctis numeris videlicet (in generando) diminutas eſſe proportiones, & viciſſim, auctis in decremento proportionibus, imminui numeros. Vnde indubiè conſtat, quo corpus entibus primis & ſeminalibus ſive in natura, ſive per artem vicinius fuerit; eò eſſe potentius, nobilius, & auguſtius. Quocirca ſemina, 2
mundum ingredientia, initio à colorum, ſaporum, imò & quantitatum dimenſionibus adhuc
libera (verbi gratia. Humanum idem ſemen, 3
nunc ſimplicem, nunc multiplicem fœtum patrat, ſola locorum ſimplicitate, vel numeroſitate receptum, adeóque numerorum & quantitatum imperio, primis nondum momentis ſubnoxium) hinc nempè fit, quod in ſummis rupibus, 4
longè à fæce, & inter ſaxa, ſabulumque, oriantur acidi fontes, cæteris cunctis præſtantiores: ſic autem vocati, non quòd acorem præ ſe ferant (ſunt namque inſipidi) ſed quòd acidorum inſtar, ſint medicati, ideò acidulis nobiliores, quo gratiores & potiores, ſemen ſalis eſurini, à ſaporum explicatione adhuc liberum, amplectentes. Etenim cum natura noſtra, fœdus amicum fontes illi pepigere, quod palati bibentium cum ſuavitate, intimaque ventriculi benevolentia, licet maxima quantitate, hauriantur. Refocillatione autem naturæ, tam proximè univerſalem illam medicinam, ſanitatem nimirum tutelando, propagandoque poteſtates vitales æmulantur, *Moly* Homericum, quòd in apicem quaſi medicinæ, adſcendiſſe viſi ſint. Talem Paracelſus, lib. de morbis tartareis in Veltin, pagulo Helvetiæ, ſcaturire voluit, qualem totus mundi ambitus, vix alterum continere in valle (nam in excelſiſſimis rupibus plures ſunt)' credidit. Danubius ſiquidem, Rhenus, 5
Rhodanus, Sanus, Padus, &c. ejuſmodi fontem ſcaturigine prima obtinent. Amplius addam. Quid ſi Gargani antro, exercitus cœleſtis 6
Præſes, in cuſtodiam præfectus fuerit non è re erit credere hujuſmodi fontibus Eudœmonem aliquem præfixum; non ſecus ac vetuſtas ſuos ſemideos, pocula in origine fluminis vertentes, apponebant. Vtut ſit, fontes illi, ſunt Iliado proximi, enteque primo eſurinorum referti. Contrà, alii ſunt fontes, quibus ſuccus petreſcens 7
commiſtus eſt, qui delabente paulatim undâ, tam in fundo, quàm alvei parietibus, ſaxa, & ſilices, perque cœcos venarum conductus, rupes in ripis diſſeminant. Moſa enim exem-

plo erit, hic namque ab ortu ſuo, margine, longè
latéque lapideſcentem ſuccum imbibente,
colles ſternit, hinc inde Viſetum uſque. Quo
ſucco jam abſumto, ſuamque deſtinationem
permenſo, Moſa deinceps rupes non adſpicit.
Nec enim lapis ſimplex eſt, verùm hîc carbones,
ibi fodinas ferreas, propiuſque adhuc, ſulfureas
marcaſitas, juxta riparum decurſum diſſeminat:
alibi verò plumbi mineras, vel meras,
vel cæteris permixtas androgyno ortu exhibet
juxta fontium originem. Quam fodinarum
diſpenſationem per Trivalem lineam, in ſuos
9 Peroledorum fundos, Adepti diſtinguunt. Porrò
hæſitatum eſt, cur fontes acidi vocentur, &
unde acor iſte petendus. Breviter dicam. Semina
enim ſalium, ut diximus, cuncta in aquis ſita
ſunt: attamen nondum ſaporem induerunt,
niſi dum corporum principia conſentanea, uteroſque
terræ debitos repererint. Tunc enim,
nec antè, ſalſuginem exprimunt, & ſal veſtiunt.
Hîc enim in alumen, ibi in marinum, fontale,
10 alibi verò in nitrum, &c. prorumpunt. Quocirca
notandum, ſal quoddam exſiſtere hermaphroditicum
metallorum, quod defectu nominis
eſurinum ſive acetoſum, re & nomine vocari
cœpit. Generale equidem, & ad omnia
metalla accommodabile: adeóque ſi non primam,
velut & remotiſſimam, eorundem materiam,
putare placeat, ſaltem eſt metallorum ſecundina,
quibuslibet metallis congenialis. Sal
iſtud itaque alienæ commiſtionis expers, acidum
eſt, corporique noſtro debita quantitate
gratum, eò quod omnem omnino humorem
non vitalem, tartarumque detergat, & conſumat.
11 Eſt nempè duplex excrementum in nobis.
Vnum noſtrum, quod putredini, & fœtori
ſubjacet: aliud autem rerum, quod hoſtili coagulatione,
ſuam proditor perficit tragœdiam,
generali etymo, tartarum dicitur. Sal acetoſum
itaque, ſubinde embryonis inſtar, in ordine
ad metallum conſideratur: non rarò quoque
velut individuum ſolitarium, at nondum ſua in
12 deſtinatione completum. Exemplo vitrioli ſive
chalcanti, rem exponam. Optimum enim artificialiter,
pro medicina, ex cupro fit, ad naturæ
imitationem: eſtque proinde longè optimum,
quod ex ſolo cupro, ſine terrenis ſordibus,
& peregrinorum miſtura, confletur: quæ
tamen non nequeunt in naturæ uteris confluere.
Fit autem hoc modo. Liquato æri ſulfur
injicitur, donec totum flamma abſumſerit: confeſtim
verò æs fuſum, aquæ pluviæ infunditur,
unde vireſcit: idque toties repetitur, quoad æs
omne in aquam tranſactum migraverit. Exhalata
tandem aqua, vitriolum habes. Etenim
quod antea cuprum erat, nunc inſuper ex ſulfure
ſalem acquiſivit. Secundò, vitriolum præſtantiſſimum 13
naturaliter creſcit, fodinis, quibus
natura ſal iſtud eſurinum peperit, venam æris
feracem corrodens, & fontis lambentis liquore
diſſolutum, quem poſtea cortinæ in chalcantum
coquunt. Laudatur Cyprium, Hungaricum,
Romanum, & omnino, quod in ſui examine
plurimum æris contribuit. At ſuccus illi 14
vitrioliferus, putatus eſt ferrum in æs mutare,
deluſionem ſcilicet viri metallarii vix agnoſcentes:
eò quod ferri abſumit locum, æris ſuccedentes
atomi explerent. Nec animadvertentes
uti æs, argentum ſolutum, aliàs in chryſulca
inviſibile, reddit ſpectabile, & corporeum: ita
ferri proprietatem eſſe, ſolutum in chalcanto
æs, ad ſe rapiendo manifeſtare, ſimulque eodem
actu, ferrum ipſum diſſolvi, atque in fonte
evaneſcere. Teſtes ſint mihi fontes. Siquidem
aquæ vitriolatæ longè ſeipſis pauperiores in
cupro fiunt, poſtquam ferrum, recuperati æris
beneficium receperint. Propterea quoque nimirum
extra fontem (ubi, quotieſque continuum
novi, è gurgite, æris alluvium deficit)
putatitia alioqui ferri tranſmutatio, haud contingit.
Tertiò demum, fit arte vitriolum, ex 15
pyrite ſive marcaſita æroſa, ſulfure imprægnata.
Equidem abſtracto inde ſulfure, reſiduum
corpus æroſum aëre expoſitum, currente dierum
numero, ſal acidum, ſenſim ſuis medullis
reſolvit, quod eâdem reſolutionis acuitate, æroſum
quippiam in ſe diſſolvit; quodque inde,
aquæ juvamine depromtum, mox etiam coctum,
vitriolum fit. Adeóque quicquid prima
vice, ſalis eſurini roſioni reſtitit, repetita ſulfuris
crematione, totum tandem concedit, ac in
vitriolum evadit. Quartò denique, ſal eſurinum 16
connaſcitur, concretum in pyrite, quod
concrematione, & reſolutione, æroſum quippiam,
inde ſecum fert, & vitriolum fit. Vnde
manifeſtum fit:

Primò, quod ſal eſurinum, etſi acidum, differat 17
tamen plurimùm à quavis alia aciditate,
quantum differt vitriolum ab ærugine, quæ per
aceti auram, adeóque concepto intus ſale aceti,
fit.

Secundò, quod etſi ſulfur, totum ſit pingue, 18
& φλογιστὸν, attamen in æris penetratione, ſal
quoddam acidum (quod aliàs inter comburendum
avolat, & per campanam in ſuccum cogitur)
ſemifixum relinquat.

Tertiò,

19 Tertiò, ſal acidum, & eſurinum fontium, in
viſceribus terræ ortum, ſal eſſe cujuſpiam ſul-
furis, embryonatum: eatenus tamen artificiali
20 ſale, è ſulfure petito nobilius; quo primo enti,
& ſeminibus Iliadi propinquius eſt. Vt ſuprà
legitur. Idcirco procul vagari agnoſces, qui do-
tes Spadanorum, ex contentorum mineralium
proprietatibus, prout in ultimam jam ſunt pro-
greſſa materiam, æſtimant. Siquidem patet ex
ſuperioribus, ſalia eſurina ſulfuris, longiſſimè à
proprietate ſulfuris diſcrepare: quinimò, quod
magis eſt, artificiale ſal eſurinum ſulfuris, tan-
tum diſtat à naturali, quantum hoc embryona-
tum, primis ſeminibus eſt propinquius in radi-
ce. Toto inquam cœlo errant, qui ſalia eſurina
plumbi, cum plumbo comparant, quod inde
immenſum diſtinctum eſt. Salium namque
perfectorum, puta aluminis, nitri, vitrioli, atque
eorundem nondum perfectorum, peregrina
admodum eſt ſimilitudo, Exemplo patet. Sal 21
enim eſurinum aluminis, ſaccharo quovis dul-
cius (manna dicitur aluminis) aſtrictionem ne-
ſcit, primo enti ejus ſimile.

Quartò. Cùm itaque præſtantiſſimum vi- 22
triolum ſit materialiter nil aliud, quàm ſal eſu-
rinum ſulfuris embryonati, quod æris partem
quampiam eroſit, vilioris verò vitrioli, ſal è per-
fecto hauſtum ſit ſulfure; rerum idcirco analo-
gia ducti, idem vitrioli etymon tranſſumſimus,
ad omnes metallorum conſimiles diſſolutiones,
quod ab aliis, de Spadanis ſcribentibus, non-
dum annotatum reperio. Siquidem tam in ar- 23
tis, quàm naturæ progreſſu, ex quovis metallo,
vitriolum (excepto auro) fit quotidie. Quate-
nus ſcilicet ex metallo, & cujuſdam ſalis eſurini
connubio, liquor metallicus, coagulabile in-
quam vitriolum efficitur.

PARADOXVM QVARTVM.

1. Contenta in Spadana juxta aliorum opinionem. 2. Probatur poſitionus falſitas. 3. Ingredientia Spadanorum. Quid ſit vitriolum martis. 4. Coagulatio nunquam fit ſine diſſolutione, & vice verſa. 5. Corpora non agunt in invicem. 6. Inter actionem eſt odor ſpiritus diſſolventis. 7. Spiritus diſſolvens coagulatur. 8. Qui ferri vena ſit in aquis inviſibilis. 9. Cur aquæ ſulfur oleant. 10. Cur aciditas in aquis pereat, & quando. 11. Manifeſtum fit occultum, & occultum manifeſtum. 12. Cur non ferrum, ſed vena dicatur in eſſe. 13. Sal fontium non creſcit in vena ferri. 14. Cur unus fons altero ſit fortior. 15. Differentia contentorum in fontibus. 16. Cur non transferatur Savenirius aliò. 17. Cur aqua ſit levior Savenirii. 18. Aliquamdiu ſpiritus ſalis operatur ſuper venam.

1 Continens Spadanorum, aquam fontium, Scriptores univocè aſſerunt. Diſcrepamus verò ab iis duntaxat in origine: utpote quæ non parum momenti, ad nobilitatem eorundem adferat. At contentorum in aquis ratione, procul nobiſcum diſſident. Aſſerunt nimirum Spadanæ ineſſe vitriolum, & deprehendiſſe, calchitim, myſy, ſory, melanteriam, ſal, nitrum (ineſſe inquam nitrum, diſtillationis examine ſibi repertum, quod alibi ſe nunquam vidiſſe, quippe quod inde poſt Hippocratis ævum defeciſſet, teſtantur) bitumen, ſive ſuccinum liquidum, carbonem foſſilem, alumen, bolum, ochram, rubricam, matrem ferri, venam ferri, ferrum, æruginem, calchantum aſſatum, alumen exuſtum, æris etiam florem, & ſulfur. Hæc inquam ab Authoribus Spadano fonti legimus tributa, ſub incertitudine Domina: adeóque nutantes, cuinam Duci tantum fidant exercitum, concludunt, fontes quoſdam eſſe, in quibus eminens ſubterraneum, ægerrimè dignoſcas. Alibi, chalcanti fervorem, frigore rubricæ, & æris in Spadanis, temperari. Alibi, Spadanos frigidos, & humidos actu, poteſtate verò ſeu virtute (quam unam examinant medici) calidos atque ſiccos, ideò potiſſimùm, quod ſitim extinguant. Tandem ajunt, his fontibus, ferri, ſulfuris, chalcanti, aliorumque foſſilium vim ineſſe, qualitatum tamen primarum proportione manente incerta, ſive varietatem ſubterraneorum conſideres, ſive bibentium diſpoſitionem diverſam. Atque illud notandum etiam lego. Quod fons Savenirius, vires foſſilium magis, quàm ſubſtantiam ſibi induat. (id eſt, vires ſupra, extra, vel non ſubſtantiales) Alibi namque ajunt, ſolo vitriolo fontes aceſcere, eſſeque chalcantum ſaporis acidiſſimi: alibi cum Dioſcoride, in chalcanto plus ingratæ & terreæ adſtrictionis, quàm aciditatis reperiunt. Denique, prout non niſi extrema ignium tortura, oleum è vitriolo (ſale videlicet eſurino & ſulfureo, ſpiritus æroſos elevante) acidiſſimum elicit: ſic fontes hinc, nec aliàs aceſcere rentur: in terra videlicet ejuſmodi ardorem, ſpiritus chalcanti acidos, ad terræ ſuperficiem concitare, qui ibidem

dem à frigore coacti, & in acidam mutati, vici-
no fonti commiſceantur. Quam poſitionem
2 multæ comitantur anxietates. Primò, Eo quod
nulla ſit ejuſmodi ſpontanea diſtillatio in Vni-
verſo. Deinde, quod ſaltem æſtate frigeant in-
trinſeca terræ juxta Hippocr. quando Spadana
nimirum optima. Tertiò, Quod ſpiritus chal-
canti, terram aut ſaxa quæ attingit, nequeat
non erodere, atque idcirco aciditatem omnem
exuere, fruſtra dicatam fontibus. Quartò,
Quod æſtate, terræ frigus non ſit in ſuperficie
tantum, quod ſit condenſando ſpiritus magis,
quàm interiora, unde caloris vi, fugatos ſpiri-
tus comminiſcuntur. Quintò, Quod ſpiritus
vitrioli, aquæ, tametſi negligenter obſeratæ, im-
miſti, nec aciditatem deponant, nec rufo colo-
re tingantur: quod attamen fontalibus aquis
prorſus eſt ſociale. Hactenus aliorum me de-
3 torſit opinio. Meam fatebor cœcitatem. *Diſtil-*
lavi aliquando ſeriò, Savenirium, & Pouhon-
tium: & ſane non tantum mineralium catalo-
gum, imò nil quicquam in iis offendi, præter a-
quam fontanam, & vitriolum ferri, ab aliis ante
me ſcriptoribus neglectum. Conſtat autem martis
vitriolum, ſale eſurino embryonati ſulfuris, &
vena (non ferro) ferri, quam ſal eſurinum, ad-
4 huc volatile, lambendo corroſit. In quo corro-
ſionis actu, fit aliqualis diſſolutio ipſius venæ,
& coagulatio ſive fixatio ſalis volatilis. Sal in-
quam quamdiu volatile eſt, id eſt, aptum ut ab
igne preſſum evolet, inter ſpiritus recenſetur.
5 Corpora autem non corrodunt corpora, quate-
nus talia, neque fixa in invicem agunt: ſed dun-
taxat, quatenus alterum eorum volatile eſt, id
eſt, ſpiritus, ſive is concretus ſit, ſive liquidus.
6 In omni denique ſolutione (uti videre eſt in
activitate aquæ fortis, aceti ſtillatitii, &c.) ex-
citantur aliquot exhalationes, antea quietæ,
quæ uti ſylveſtres, iterum coagulationi non pa-
rent, aquæ ideò evolant neceſſariò, vel vas coer-
7 citæ diffringunt. Cæterùm & illud deinceps
notabile eſt, quod quantum ſpirituum, corporis
ſolutionem complevit, tantundem quoque in
corpore ſoluto, corporalitatem aſſumſit. Patet
igitur hinc ratio, cur Spadanæ in tanta perſpi-
cuitate, corpus opacum venæ ferreæ, in ſe ab-
8 ſcondant. Denique cur in activitate ſalis eſuri-
ni, ſulfur redoleant, abſente tamen corporali
9 ſulfure. Tandem quoque obvium eſt; cur ſub
finem activitatis (Illa enim ſolutionis feſtivi-
tas, plus minuſve temporis, in diverſis fontibus
perſeverat) aquæ aciditatem amittant, ac vena,
antea tranſparens, tum rufa appareat. Fugatis 10
nimirum jam partim ſpiritibus, vel iiſdem, ad
finem activitatis delumbatis, & coagulatis, im-
bibita vena ſidit, ac manifeſtatur, quod antea
occultum ſteterat: genuinam interim, aquis re-
cuperantibus ſimplicitatem. Porrò non otiosè 11
negatum, ferreum, aut ferri ramenta Spadanis
ineſſe, ſed ferri venam. In vena ſiquidem, plus
virtutis, quàm in ferro occurrit, earum ſcilicet
partium ſubtilium, quas fornax inter fuſionem
ſuffurata eſt. Quocirca ſuccus, ſpiritus, ſive ſal 12
eſurinum (voca ut lubet) non creſcit intra ve-
nam ferri, ita ut ſit par amborum colliquatio in
aquis; abſit, alios nactum eſt ſal, in terra uteros,
unde præterlabens unda, illud liquat, & ſecum
rapit, tanquam germanum nepotem, alterius
olim filium undæ. Quod ſi itaque inſigni cavi- 13
tate circa venam detinetur diutius, plus venæ
in ſe ſorbet ut Pouhontius, hocque adhuc am-
plius fons Geronſter. Tonneletius verò, ſale
eſurino, præcedentibus duobus ditior, iiſdem
tamen in vena pauperior eſt. Hinc namque fri-
get, & ſtomacho moleſtior. Quicunque ergò
magis alvum cit, venæ feracior eſt. Equidem
nec illud Antiquis incognitum, qui ſquamma
ferri, ad ventris ſubductionem utebantur. Vir- 14
gines quoque, ſtomoma, ſive aciem ſumentes,
primis quoque diebus vomere aſſolent. Geron-
ſter igitur plus venæ aſſumſit, quàm Tonnele-
tius: ſalis autem tantundem, ſed mitigati pro-
pter activitatem venæ in ſe receptæ: ideoque
ſal iſtud craſſius, & corpulentius evaſit. At Sa- 15
venirius, aquis longè dilutior, venæ, ſaliſque
eſurini minimum, ideóque citius abſolvit actio-
nem ſalis eſurini & venæ, citiuſque medicata
unda emoritur. Atque eâdem de cauſa, facilli-
mè ſtomachum tranſit, conficitur, & penetrat
citiùs. Spirituum itaque agentium in venam, 16
præſentia, poros in aqua dilatat, & leviorem ad
libellam efficit fontis aquam. Ampliùs notan-
dum eſt, Quod prout in vinis & omphacio e-
bullitio fermentalis fit: ita ſua fit actio ſalis eſu-
rini. Ac nedum ſuper venam, dum eandem 17
rodit & permeat: ſed etiam ſuper eandem ſe-
cum raptam, aliquandiu operatur. Pouhontius
inquam, longè diutius, quàm Savenirius, &c.
donec exantlatis ſpirituum activitatibus, tam
agens, quàm patiens, diſſolvens inquam, pariter
& diſſolubile, fatiſcant eâdem operâ.

PARADOXVM QVINTVM.

1. Virtutes ſales eſurini. 2. Effectus obſtructionis. 3. Quouſque fontes agant in homine. 4. Quos non juvent. 5. Effectus per ſe & per accidens exemplum. 6. Mulier duplicibus ſubeſt morbu. 7. Vires vena ferri. 8. Objectio. 9. Solutio. 10. Quomodo ferrum aperiat, & quomodo ſtringat. 11. Probatio per affine exemplum. 12. An calculo conveniant, & quouſque. 13. Palliativa cura tantum qua pellit calculos. 14. Spadana in cauſa, ut facilius recreſcat calculus. 15. Cura calculi vera in quo ſita. 16. Vnde petendum remedium, & quale. 17. Qualitates prima in fontibus. 18. Aqua, non aër, eſt internè humida. 19. Vires relollei & Cherionii. 20. Objectio. 21. Dilutio.

NVnc de viribus Spadanorum brevi
complexuri methodo, ſupplementique
norma dicturi, reſumemus,
non alias inveniri dotes,
niſi quæ ex eſurino, & ſoluta ferri
vena depromuntur. Quapropter
1 cùm ſal eſurinum diſſolvat mucilagines, abſtergat,
conſumat, foraſque amendet; Ideò inprimis,
obſitis mucore ſtomachis opitulatur: eandem
quoque viſciditatem præternaturalem
(quam coagulabile rerum in nobis excrementum
vocavimus) altiùs atque penitius paulùm,
tam in venarum, quàm viſceris cujuſpiam penetralia
proreptam, eadem opera expedit, ſed
tardiùs eo, quò longius ab ore iter inſtituit.
Hinc ortis hepatis, lienis & renum obſtructionibus,
atque inde natis febribus, hydropi, ictero
non ſegniter ſuccurrit. Etenim obſtructio, obſtruente
conſumto, ceſſat; quæ aliàs, cùm impediat
quo minùs vitæ ſpiritus, per omnia liberè
2 gliſcat, muniaque ſua obeat: idcirco partes,
quæ poſt ſe ſunt deinceps, vitali communione
privat, ac conſequenter putrefactiones accerſit.
Igitur omnibus prorſum morbis epotæ Spadanæ
conveniunt, qui ex hoſte tartaro, præter
naturam intus recepto, & coagulato, conſcendunt.
Modo conſtante vitæ radice ſufficiente,
3 id eſt, ſatis tempeſtivè hauriantur. Determinatione
attamen illa adjuncta, quod poteſtas aquarum
non tranſcendat hypochondrium. Non
enim ſupra renes, ad cor videlicet, pulmonem,
4 aut cerebrum aquæ attingunt: quocirca etiam
affectibus illis ex idiopathia genuinis, niſi per
accidens ſuccurrunt Spadanæ. Ratio eſt. Siquidem
cùm minerales ſint, ad alendum prorſus
ineptæ, ultimo cum ſalium excremento
urina, è corpore proſcribuntur, cujus nempe commercium,
vividus amplius ſanguis non
patitur. Proinde ſi quicquam capiti, cordi, aut
pulmoni juvaminis adferre videantur, id totum,
ſublatione affectus, diſcraſiam inibi, per
deuteropathiam, & conſenſum cauſantis, evenire
putandum eſt. Denique nec potæ Spadanæ
in epidemicis, endemicis, & aſtralibus morbis,
ut ſunt Peſtis, pleuritis, prunella, &c. ut
neque conferunt plurimum, quibus venenum
ſubeſt, vel aſſumtum, vel intus genitum, vel
contagio participatum. Vt etiam neque in
morbis tincturæ, quales ſunt lepra, lues Veneris,
morphea, cancer, epilepſia, &c. Quocirca
non bene convenimus cum illis, qui ad omnes
omninò morbos Spadanam commendant ſine
delectu. Adeóque eandem in blaſphemiam uſque
extollunt. Scilicet, *Non eſſe, quod jam deinceps,
nactis Spadanis, veterum aquarum miracula,
vel Siloës piſcinæ, vel Iordani Naamum
ſanantis, ſtupeamus: cùm hic, & attonito morbo,
convulſione, paralyſique laborantes, leproſoſque
curari videamus.* Apage! Miracula inimitabili 5
conſtant digito: præterea effectus per accidens,
ab iis, qui per ſe ſuis debentur cauſis,
ritè diſtinguere oportet. Qualiter ſi deficiente
menſtruo virgo, ſuffocatione, epilepſia,
vel paralytico affectu laboret: prodeuntibus
autem bibita Spadana menſtruis, ab annexa
diatheſi liberetur, non eſt quod proinde apoplexiam,
aſthma, epilepſiam, aut veram paralyſim,
Spadanis fontibus curandam commendemus.
Morbi namque in univerſum, ex utero 6
prodeuntes, alterius ſunt monarchiæ clientes,
& aliena conſtant radice, quàm qui ex conditione
microcoſmi, tam in uno, quàm in altero
ſexu prorumpunt. Quos equidem ſi quis non
diſtinxerit, cachinnum à diſcretiore ſibi parat.
Cæterum jam dictum, quantum ſal eſurinum 7
in fontibus proficiat: deinceps autem
quid ferri corroſa, atque ſoluta minera agat, dicendum.
Ea itaque manifeſtè adſtringit inprimis,
ideoque ſtomachum, ac vicina quæque
roborat. Laxis ergo, & diſſolutis morbis, Spadanæ
congruunt, puta lienteriæ, diarrhœæ,
cœliacæ, atque dyſenteriæ, &c. Quibus objectum 8
iri exſpecto, quod menſes provocet,
quicquid ferreum offertur, jecinoris atque lienis
effractus levet, atque adeò hinc potius aperire,
quàm adſtringere Spadanas, conſentaneum.
Ob quas fortè ſalebras, nonnulli ad diſpa- 9

res , in marte partes potiùs nutantes confu-
giunt. Reſpondeo ex Adeptis. In nobis , non
rarò oberrare ſal quoddam reſolutum, & mine-
rale , planè excrementitium , tartarum inquam
reſolutum , vel in prima , vel in materia ultima
exſiſtens ; cujus ſive uterus, hepar, lien, renes,
pancreas , meſenterium vel ſtomachus fodina
ſit, perinde nunc cenſemus : modò conſtet, in-
10 ſignes parere laborantibus moleſtias. Epoto
itaque ſtomomate, id eſt,chalybe, vel ferro,pul-
vere tenus : quamprimum ſal iſtud nocuum
(quod purgantium mandatis non auſcultat) ad
ferrum præceps accurrit,eique adhæret,ut illud
diſſolvat , & vim exſerat ſuam : adeóque juxta
illud coagulatur , ſimulque cum ferro foràs va-
dit. At ſi ferrum vel acies, in liquore acri,nobis
tamen non hoſtili,diſſoluta potentur (puta Spa-
danas) natura abſumtis, & penitiùs intrò admiſ-
ſis iiſdem liquoribus , ferrum mox (utpote ad
alimoniam ineptum) à commiſto ſeparat, & per
inteſtina amandat. Vt videre eſt in ſtercorum
11 Spadanorum nigrore. In qua ferri ſequeſtratio-
ne , confeſtim ſalium mineralium confluxus
ſpontaneus fit , non ſecus atque argentum in
chryſulca, ad æs appoſitum , & æs ſolutum , ad
ferrum advolant. Liberat itaque ferrum ſum-
tum, ab obſtructione, & aperit per accidens,ab-
lato ſcilicet ſecum obſtruente victo: non tamen
quod per ſe,proinde deſinat eſſe conſtrictivum;
12 Aperit inquam poteſtate ſpecifica & appropria-
ta,conſtringit verò qualitate ſecunda. Iam por-
rò , quandoquidem animum & ſpem auxit mi-
ſeris, potiſſimùm calculoſis, potus aquæ,meum
dicam judicium. Certum eſt Spadanas eluere
urinæ regionem, cùm quia facilè tranſeunt,tum
quia multæ , affatimque hauſtæ , & minerales,
earum ſal eſurinum impedit , quo minus ſpiri-
tus lotii (ſolus calculorum architectus) quic-
quam ingenitâ ſibi proprietate petrificet. Quip-
pe ſal aliud potentius, jam eundem in ſui ditio-
13 nem velut vinctum traducit. At quia iſta dun-
taxat eſt cura palliativa , etſi facti calculi & are-
næ expellantur , quaſi labentis aquæ abſterſio-
ne : imò quamdiu aquæ fuerint ebibitæ , impe-
diant nova calculi collegia , attamen ſiquidem
mox abinde recreſcunt, infida cenſemus calcu-
14 loſis remedia. Etenim eò quidem promtius
accreſcere feſtinat calculus, quò uterus ille,alter
calculi parens, nitidior fuerit. Nonne enim lo-
tium , facilius calculum , ad nitidam matulam,
quam ad oleo inunctam agglutinabit ? Hinc
namque fortè renes brutorum plurima ſcatent
axungia. Curam itaque perfectam calculi,opta- 15
tamque requiem , longè aliam ſcimus : In qua
exturbatis ſuaviter calculis minoribus (quod
minimum eſt) majores verò , in ſuccum priſti-
num retrograda concretionis analyſi redeant.
At neque id ſatis fuerit , niſi tollatur inclinatio 16
petrifica , reſtaurantibus Remediorum nempe
paucorum collecta meſſe, quiſque integram,ex
calculo non minùs , quàm febre , & optatam,
ſperare poteſt valetudinem. De quibus in aliis
ſcripſimus, & remedia dedimus. Virtus etenim
medendi , ſtat recta ſub quolibet pondere , id
eſt, omnes morbi apud illam, unius ſunt pretii,
à nullo morbo minui poteſt. Deſiderantur tan-
tum nobiliores remediorum poteſtates, quæ in
cœlum ad Conditorem clamant,ſe velut fruſtra
veniſſe , nec eſſe pænè quenquam , qui vincula
earum ſolvat. Maturè à querelis abſtinendum,
ulceroſo ſeculo. Itaque quod ad primas quali- 17
tates Spadanorum attinet : quanquam de iis,
utpote momentaneis , & anatomiam vitalem
non habentibus , minimum anxii ſimus , quo-
ties non admodum infeſto gradu infames ſunt ;
decernimus tamen, ſal eſurinum in primo gra-
du caliditatis & ſiccitatis eſſe : ſolutam verò
ferri venam , frigiditatis & ſiccitatis ſecundum
attigiſſe. Aquam verò ipſam, humidam ſummè, 18
frigidam verò remiſsè indulgentia Ariſtotelis
ſentimus , & ſupradictis deductionibus oſten-
ſum fuit. At quia , tam aquæ , quàm minera- 19
lium, illæ qualitates ſunt relolleæ, nequicquam
curationis habent : ſed rebus conſtitutis præ-
poſterè adveniunt, inſtar colorum : idcirco il-
larum ſpeculationem aliis relinquimus , con-
tenti adeptione qualitatis cherioniæ. Poſtremò 20
tamen objectioni reſpondendum eſt. Quam-
obrem videlicet Tonneletium ſalis eſurini , &
calidi copia, frigere magis , & ſtomacho mole-
ſtum dictum ? Satisfaciam. Sal eſurinum etſi 21
primis qualitatibus ſit calidum ; non ſecus at-
que oleum chalcanthi, ſulfuris , aqua fortis, &c.
frigefacere tamen , tertia , & propria qualitate
cherionia , quatenus ſcilicet vel nimietate no-
xium calorem noſtrum debilitat , potiſſimum,
quod ſecundarium humorem , ſive alimentum
proximum ſtomachi ſua aciditate diſſolvat , &
alendo inidoneum reddit : cujus liquoris vividi
penuria , non mirum eſt , ſi influens ſtomachi,
& mendicatus calor, patiatur.

PARADOXVM SEXTVM.

1. QValiter cibi non nocituri. 2. Contra diateticem paradoxum ex textu ſacro. 3. Probatur etiam experimento. 2. Ex Inſtitia diſtributiva Dei. 3. Ex indicatione remediorum. 4. ex regula. 4. Vnde diata venerit neceſſitas. 5. Vnum praceptum. 6. Sobrietatis encomium. 7. Vt aqua celeriter tranſeant per pracordia. 8. Purgatio. 9. Modus & requiſita potandi. Quantum bibendum. 10. Ænula campana praparata commendatio. 11. Celeriter bibendum, & quare. 12. Rediens quomodo. 13. Quando prandendum. 14. An Spadana mero miſcenda. 15. Et quidem à prandio. 16. Tres digeſtiones. 17. Cur non dormiendum ſit à prandio Spada. 18. Hora cubitus.

1 DE diæta , & modo utendi Spadanis ,
nunc paucula ſubnectam.
Iſtud inprimis in diætetice,experientia
duce, vicimus : *nuſquam*
qualitatem ciborum, quatenus talium,
nocumentum adferre,niſi ubi
delumbatum clinicum ac defectuoſum adeſt
2 remedium. (Vidit namque Deus, quodcunque
fecerat bonum eſſe, & conſequenter, quodcunque
in cibum ordinaverat , bonum eſſe cibum)
ſolam verò quantitatem obeſſe poſſe. Ede enim
cibos quoſcunque voles , exempli gratia , & ſis
vulneratus , modò in quanto non exceſſeris,
ſintque tibi apti balſami, & potiones vulnerum
conſolidatrices , nullam preſſuram ſenties ex
cibis , nullumque detrimentum , non ſecus ac
3 delicatiſſimo delectu ciborum alitus. Cujus rei
teſtimonium milites ac pauperes dabunt : quibus
ſeverus viſus fuiſſet rerum Arbiter , ſi phaſianis,
perdicibus,ac cætero culinarum mangonio,
in morbis veſci debuiſſent. Spernit enim
curioſitatis regulas natura , eo ſubſidio tuita,
quod fruſtra opem , & præſidia , contra morbum
optatura ſit à remedio , quod præveniendis
defectibus , à ciborum exigua quantitate,
non ſit ſatisfaciendo. Quicquid enim morbi
monomachiam aggredi debet , potiori jure ſanè,
ſymptomata à cibis oriunda , avertere debet,
id inquam, quod averruncandis læſionibus
4 propinatur , vel inſtituitur. Diætæ igitur neceſſitas,
à penuria altiorum medicaminum,
non cibariorum lenocinio invecta creditur.
5 Vnum iſtud diætæ præceptum ſervandum,Spadanas
bibenti conſulo , ut ſobrietati ſtudeat,
6 edatque parcè inſtar accolarum. Quid enim
juverit , ſanitatem accolarum ex Spadanis accuſare,
ſi lautiores , & nimis ſaturi, vivamus.
Supremum itaque longævæ vitæ præſidium
(etſi inſuetis crudele) eſto ſobrietas. Quæ ſapiunt
aliàs , optimè nutriunt. Et concocturus
facilè, quæ ſapiunt maximè , famelicus. Ea ſola 7
diætæ normâ , aquæ permeabunt tutò , celeriter
ac jucundè. Cæterùm juverit , ſordem à
ſtomacho, à meſaraicis verò crudiorem, & minùs
ſincerum chylum , verrere. Quod commodè 8
fiet , Si triduo continuo ſumatur ante
aquas doſis una in aurora, pillularum rufi,debitè
præparatarum,& non ſuaſu lucri. Vel, ſi non
lubet triduum exſpectare , infundat conſervæ
roſarum ſeſcunciæ, Pouhontii uncias octo, addito
ſcrupulo ſalis tartari . Bibat colaturam.
Spadanam bibiturus , conetur primùm ventrem 9
exonerare , diluculo ac ſub crepuſculis,
uncias duodecim Pouhontii bibat , & montem
ſcandat : quo cum deventum erit , viginti , aut
30. primò manè uncias Savenirii bibat . Etenim
ad non conſueta paulatim tranſeundum.
Vti etiam Pouhontius , non onuſta quantitate,
vrinarios meatus præmeditatim aperiet. Addendum
quantitati indies , ad tolerantiam uſque
: ut quiſque ſibi ſit judex. Quod exinde
facile conjicietur. Quoniam ſi quantum oportet
biberint , bene ſe habent , & facile ferunt,
Hippocratis imitatione. Inter bibendum autem, 10
loco aniſi, myvâ ex ænula campana aſſumtâ,
facile epota aqua per præcordia tranſcolatur.
Bibatur autem ſtatuta doſis celeriter , cùm fontis 11
feſtinatus ſit progreſſus,ideóque prima aqua
cocta (ſi modò verè coqui dicendum , quod
non in alimentum cedit) & expulſa, antequam
ultima adveniat . Quod interpolatam nativi
calidi reddit,fruſtratamque actionem. Rediens 12
ad pagum à fonte , lentè procedat , ut non ſudor,
ſed urina, quæ in votis eſt, cieatur. Sit autem 13
hora prandii , cùm ſtomachus aquis fuerit
expeditus, ne reſiduum aquæ , penè concoctæ,
crudum ſuccum præcociter in venas auferat.
An Spadana mero miſta conveniat, dubitatum. 14
Dicam. Sic vina fient facilè meabilia , & meatus
ſervabuntur meabiles , ideóque cum accolis,
cibis (id eſt, potibus) fontes admiſcere conſulam.
Atque adeò quia parcè comedendum, 15
circa decimam aut undecimam ; hora tertia
Pouhontius adeundus ; quia non ſaginationem,
ſed ſanitatem intendimus : ſi cœlum permittat
nempe , non chartis aut aleis, non denique
ſomno pomeridies emancipandus venit :

16 ſed deambulationibus. Siquidem tres in homine
complentur concoctiones : prima ſcilicet
in ſtomacho ; altera in hepate : tertia verò in
ſingulis membris. Quandoquidem partes ſingulæ
nutriri debeant. Prima & ſecunda decoctio,
feliciùs in vigilia & motu ſuccedunt, ideóque
excrementorum omnium uberior expulſio,
quàm Spadæ præcipuè attendimus. Tertia
verò ſub ſomnum, dum nempe vitale lumen,
ſeſe humori cocto, propter aſſimilationem inſpirare
debet, eſto. Qui etiam omnem excretionem
compeſcit, præterquam ſuam, quæ eſt
ſudoris. Horam autem ſomni, præcedentis aurorae 18
maturatio, & ſequentis crepuſculi feſtinatio.
Per ſomnum ipſum admonebit.

Benedicite fontes Domino : laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

SVPPLEMENTORVM
PARADOXVM NVMERO CRITICVM.

1. CAuſa dua calculi apud veteres. 2. In veſica calculo multa prodit mucilago. 3. Curatio antiquorum triplici conſtat præſidio. 4. Sollicita cura veterum. 5. Varia ſupellex ſaxifragorum. 6. Cur ſaxifragia irriſa à plurimu. 7. Abſurda objectioni reſpondetur ſub finem. 8. Deſperatio apud Veteres. 9. Qualis curatio Veterum. 10. Moderna opinio paradoxa. 11. Cur à veteribus deflectere quis poſſit. 12. Cur Veteres in cura errárint. 13. Materies lapidum. 14. Tartari, & pituitæ differentia. 15. Tartari hiſtoria. 16. Paradigma mechanicum. 17. Vnde nomen tartari. 18. Ratio eſſentialis in paradigmate. 19. Cur non è viſciditate ſit coagulatio. 20. Generationes ſubſtantiales determinatis abſolvuntur ſeminibus, non caſuali qualitatum primarum congreſſu. 21. Quæ, & ubi ſemina lapidum. 22. Phyſica, per Analyſin, optima docetur. 23. Ratio altera contra Veteres. 24. 3. Ratio. 25. 4. Ratio in macrocoſmo. 26. Objectio. 27. Pro nobis. 28. Gemmæ viſcoſitatem neſciunt. 29. Contra efficientem Veterum. Prima, Altera ratio. 30. Vnde in rene calculoſo calor. 31. Exemplum. 32. Cur in calculo veſicæ, non conquerantur caloris. 33. Cur mucus in calculo veſicæ. 34. Ratio prior. Altera. 35. Incognitis cauſis removendis incognita fuere remedia. 36. Salutaria remedia coindicationibus opportuna. 37. Remedia exteriora cujus ſint pretii. 38. Paradoxum in diſtinctione effectus per ſe, & per accidens. 39. Quatenus juvantia ſint. 40. Quid ſolum ſit aperitivum pharmacum. 41. Non fieri ureterum dilatationem per potus. 42. Quid dilatet ureterem. 43. Objectio ſyncopizans. 44. Diſtinctio effectuum ſecundum cauſarum pertinentiam. 45. Ratio. 46. Cenſura remediorum veterum. 47. Methodus curativa. 48. In omni urina calculus. Quis ſit dicendus calculoſus. 49. Quid ſit inclinatio ad calculum in rene, aut veſica. 50. Quid ſpes in curationem dederit. 51. Quomodo auferatur inclinatio. 52. Qualitas remedii, inclinationem tollentis. 53. Aroph medicamen. 54. Oblatratio. 55. Hermetica & Pythagorica Philoſophia congruunt 56. Remedii qualitas calculum reſolventis. 57. Reſponſio ad objectum abſurdum.

Quandoquidem frequens in homine
monſtrum lithiaſis, pleroſque
ad Spadacrenas vocet, perfectæ
ſanationis ſpe ; juverit profectò
hunc paragraphum liberaliùs explanare,
ne compendium obſcuritatem
pariat. Dicendum itaque, quid Antiqui,
quidque Moderniores, Hermeticæ ſcholæ
diſcipuli, de calculorum ortu & curatione ſentiant.
Materiam calculi inprimis, phlegma, pituitam, 1
mucilaginem, ſeu excrementum humanum :
Efficientem verò cauſam, calorem
actualem, excedentemque in membro, incuſavêre.
Quid nî, inquiunt, cùm è calculoſo rene 2
multum ſedimen, è veſica verò, calculis obſeſſa,
continua muccago, turbetur præceps ? &
quanquam nullus in veſica calor, ſufficit ſaltem,
eundem in lumbis manifeſtum, calculoſos
experiri : Ergo cum contra manifeſta, ac
ſenſu nota, nemo niſi cœcus ad ſolem reluctetur,
rata calculi permanere debebunt, jam data
cauſarum teſtimonia, authoritatum, & dierum
numero approbata. Cæterùm his poſitis, ad curam 3
itum eſt. Vbi humectantibus, aperientibus,
& detergentibus, confiſa ſunt præſidia.
Clyſteribus inquam, balneis, fomentis, unguentis,
& potionibus madefacientibus, aperientibus,
& abſtergentibus, utrâque ſunt inniſi manu.
Quo ſcil. jam partus calculus exploderetur, atque
venienti ſaburræ fortè fortuna coagulandi
adimatur conciliabulum. Venturæ autem nil
quicquam eſt proviſum. Non ſegniter nimirum 4
amygdalinum, aut huic ſuccenturiata, ad ureterum
ampliationem, primo curationis introitu,
propinanda arbitratum, ut deinceps ſequentibus
abſterſivis expellendo facilius calculo locus ſit.
Hiſce nempe hypotheſibus, facilitate artis, non 5
parum ſuſpectis, in tanto naturæ incommodo,
ac diſpendio, calamitati noſtræ atque adeo Indicationi
curativæ, abundè ſatisfactum, arbitratum

tum eſt : niſi fortaſſis quædam ſaxifragia,tam ex
herbis , radicibus, ligno,ſeminibus & fructibus,
quàm ex certis lapidibus in pulverem contritis
glorioſo titulo , à Primoribus accepto, in lithon-
tribon petita medicamina , prioribus adnexen-
da videantur. Sic autem dicta , eò quod non-
nulli calculum confringere ; alii , imminuere ;
6 plurimi , neutrum crediderint. Pulcro quidem
arrident nomine à Veteribus tradito : at ſic ex-
hibita , hactenus infido eventu, atque promiſſis
7 nequaquam reſpondente auxilio. Alii proinde
longiùs deflectentes, citiùs ſtomachum , venas,
reneſque pertuſa, ac perforata iri , vel corroſio-
ni inſigni , vel confringendi poteſtati violentæ ,
ceſſura, quàm quod lapis , illis longè durior , &
fodina ſua ab ore ſeparatior , ſiccitatis , & con-
ceptæ duritiei , innatum recuſet veſtigium, illis-
8 que remediis in clientelam nomen dederit. Id-
eóque quicquid ſecundis , & tertiis qualitatibus
repugnans ; pharmaco non paruerit, id velut Al-
cide indomitum , velut monſtroſum , clavâ du-
rius , ac fatale , incurabilium catalogo addica-
9 tum. Unde intelligere eſt, totam calculos cu-
randi methodum , non ſanationi perfectæ , at
palliationi ſaltem,ſtare concreditam. Siquidem
non inſudatum hactenus , niſi excludendo cal-
culo , jam facto : fiendo autem , nullatenus ob-
viam itum eſt : ut neque impreſſionis, ſive pro-
clivitatis in calculum , exſtirpationi , quicquam
eſt conſultum. Manſit itaque imperfecta , reci-
divas minantium calculorum curatio : Trium-
phum quaſi ob id clamantes cæteri morbi , eò
quod omnes in fines ſufficiens Providentia , ſe-
cum videretur liberaliùs egiſſe : uni autem inſi-
diatori calculo,ut hoſtiliter & proditoriè ingreſ-
ſo, recuſaſſet remedia.

Nunc autem , per claſſes, Juniorum decreta
10 dabo. Ac primum quidem de ſtatutis deflexiſſe
canonibus, vitio non erit , ubi hucuſque , incer-
ta plerumque advertamus eorum auxilia, lan-
guidamque non niſi experiamur opem , deque
Proximorum vita & incolumitate propoſitum
11 ſit. Etenim ſi artes cæteræ proficiant indies,
non eſt , quaſi in nobis effœta ſit virtus animi ,
cur ab ulteriori indagine Veri , nos priorum ca-
nones deterreant, inque deſperationem contur-
bent.Solo namque Ariſtotelis ſtatuto,quod con-
tra negantem principia non ſit diſputandum ,
Philoſophia in obſcurum delata manſit. Etenim
ſi non imperandum , ſaltem nec ſerviendum, li-
berrimis judicii muneribus eſt , antecedentium
gregem ſequentes , non quia ſic eundum , ſed
12 quia ſic ſit itum. Artium itaque inventor Ignis,
mechanico , ac manifeſto opificio , Hermeticos
edocet, calculorum originem non conſtare aſſi-
gnatis , materiâ & efficiente. Etenim nec ob id
mirum,quod non ſat cognitis cauſis; improviſa,
& imparia huic languori, hactenus deſcripta ſint
conſilia Quantum itaque materialem cauſam at- 13
tinet,ea ſuccus quidam petreſcens eſt,(deficiente
enim etymo,à me ſic vocatus)permultis liquori-
bus, ita intimè aſperſus, ut iiſdem propemodùm
genialis videatur, neq; ſecus divortio obnoxius,
niſi ea calamitatum de cauſa, ut noſtræ fragilita-
tis millecuplæ, nos reddat perpetuos memores.
Proinde non muccus , non pituita , non deni- 14
que excrementum aliquod noſtrum & putre-
factibile, materiem calculo ſubrogaſſe putamus :
ſed eſt excrementum rerum , hoſtili coagu- 15
latione , ſuam proditor intus perficiens tragœ-
diam (tartarum diximus) quod ubi non ritè ſe-
paratum , in thecis , ſeparando excremento di-
catis , intrò ſanè cum ſuccis genialibus ac vitali-
bus mixtum ſerpit : Tandem autem ad examen
revocatum (quippe ad aſſimilationem , & ani-
mæ informationem ineptum planè, & inefficax)
vel unà cum lotio foras exit , velut conceptæ
proditionis pœnitens : Vel ſi ſubtiliùs,vitali nu-
trimento nupſerit , penitiùs ſubit, paritque mox
digeſto tempore , ſuæ in nobis familiæ , exſor-
tes affectus , & conditiones monſtroſas , ac inſi-
gnia planè tyrannica , quibus , peſſundata tan-
dem natura, auſcultare cogitur. Quæ cuncta vel 16
unico patebunt , & non exotico exemplo. Ob-
vium enim eſt , unumquemque noſtrûm , etiam
optimè conſtitutum , urinam edere ſanam , ful-
vam , lucidam, ſediminis & muccoſitatis exper-
tem : quam ſi diutius contingat , etiam limpido
vitro , aſſervari , aliquot tamen abinde horarum
emenſo ſpatio, calculoſam exinde dicimus , eò
quod per totam urinæ ditionem , quaquaverſus,
ſuſque deque ,tenui ſabulo,matula ſit infecta,pa-
rietibus adhærente (æhem planiùs quid , vino- 17
rum tartaro , coagulabilis excrementi in nobis,
ſecus peregrini,nomen dederit?)attamen nec ul-
la proinde erat craſſioris amurcæ viſibilis præ-
ſentia , nec caloris ulla aderant teſtimonia , præ-
ſertim dum ſabulum iſtuc conſpicuum evade-
ret.Siquidem jam antea dudum deferbuerat lo-
tium , priuſquam coagulandi iniiſſet conſilium.
Atqui tamen par utrobique ratio, eſſentia, cauſa, 18
& proprietas , calculi in nobis orti , cum eo, qui
ejuſdem identitatis , & ſubjecti materialis , in
urina foris circum matulam coagulatur. Ad-
dam præterea , nonnullos ſanos detinere uri-
nam honeſtatis ergò , per aliquot horas, ſine

ulla arenarum apparentia: quam tamen urinam
vitro receptam, æquali tempore ſuum ſecreviſſe
19 calculum, eſt prorſus indubium. Sequitur hinc
ergò ſaltem, viſciditatem materiæ non in materialem
cauſam eſſe calculi: occultioris profectò,
atque adeò altioris indaginis in natura,
propagine conſtat, quam quod limoſitatibus;
ſoliſque primis qualitatibus, generationem naturalem
20 conſcribi putemus. Quæcunque namque
in natura fiunt, ſeminis neceſſitate, & fluxu
fieri, putandum eſt. Semina idcirco lapidum
in ſuccis latent; quoad tandem, fluxu ſeminum
21 maturato, in actum erumpat poſtrema
deſtinatio, ſeu finis eorundem. Calculum itaque
non niſi lapideſcibili ſucco, debere familiam,
ſimilitudine fontium in majori mundo
ſuprà docuimus. Errantque idcirco, qui in aquis
limpidiſſimis & diaphanis, ſuccum, lapideſcente
potentiâ inſtructum, ut non cernentes,
ſic ignorantes, lutoſitatibus, atque muccoſitatibus
pituitoſis, oriri calculum contendunt.
Profectò id enim non ſupra ſenſum, non ſupra
22 ruſticos, quicquam ſapere eſt. Quapropter Analyſis
per ignem adeunda eſt, quæ ſanè, ut recluſionem
corporum, ita eorundem compagem
certam, ante oculos proponit, certioremque
ſpondet ſtudio, quàm, quæ de materia prima,
privatione, fortuna, caſu, infinito, & vacuo,
inſomnia, jejuno adhuc ore, Adoleſcentum verterit
23 doctrina. Cedò amabò, ſi pituitoſum quicquam,
calculo, eſſe materiale daret neceſſariò,
& per ſe, illudque actualis calor & excedens, in
lapidem coqueret; iſtud utique fieri putandum,
eò quòd calor exſiccaret phlegma in lapidem.
Atqui iſtud in homine eſt impoſſibile, qui nuſquam
non, nunquam non, (imò adhuc pluſculùm
in renibus & veſica) ſuo actuali madore,
tantam excludit exſiccationem. Eóque fortiùs
quod in ſubitaneo tranſitu urinæ per renes nequeat
inſtantaneò, muccaginem quampiam, urinæ
permiſtam, in lapidem exſiccare, & quam
urina ſuccedens, non à ſiccitate vindicet inſuper.
Tæderet profectò, hiſce diutius immorari,
niſi uſque iiſdem ſomniis deluſi eſſemus. Re-
24 ſumam igitur. Expediamus idcirco, num arefacta
per calorem muccago ulla in lapidem, an
verò in tophum abeat. Mucco enim narium,
omnium videlicet tenaciſſimo, exſiccato, tophus
friabilis, at non lapis unquam editur. Vetat
inſuper exemplum pridem datum, de urina
perſpicua, à viſibili vicoſitate prorſus expedita,
25 & tamen granulatim calculum ſpondylibus affigente,
ejuſmodi cauſam agnoſcere materialem,
obſtatque tartarorum in macrocoſmo univoca,
itemque lapidum par progenies. Quod 26
ſi verò dicamus, calorem non exſiccare muccaginem,
dum calculum patrat: ſed cogere ſeu
coagulare proprietate non quidem ſiccativa, ſed
calefactiva, ſive pepaſmo: cujus nempe ſolius
imperio, coërcita materies, poteſtatem coaguli,
ſibi interni per calorem excita, induat. Atqui 27
iſtud, aliquid pro nobis dixiſſe, nobiſque ultrò
datum eſt. In materia videlicet, proprietatem
coagulationi ſubſcriptam agnoſcere, ſive viſcida
illa interim fuerit, ſive clara atque diaphana.
Aliàs ſiquidem obſtreperent gemmæ, viſcoſitate 28
materiæ ſe non indiguiſſe, quo tantum robur
& fulgorem aſſumant. Attamen nec proinde
ſcopulos effugies. Quippe nec propterea calor 29
ullus actualis in matula calculum concrevit, ſed
longè, poſtquam detepuiſſet lotium. Denique,
cùm in calculo veſicæ, deſit exoſus caloris ſenſus;
ubi tamen calculus plerumque durior eſt,
quàm in renibus: ſequitur omnino, efficientem
neceſſariam calculi, non eſſe calorem. Vel
aliàs in veſica, fabricæ calculi, potentior præſideret
calor. Moderniorum itaque ſtudia de- 30
cernunt, calorem in renibus, haud calculorum
parentem: ſed ſymptoma, ſed effectum, ad poſitionem,
odioſi hoſpitis calculi in viſcere, ſubſequentem.
Uti enim ſpina digito infixa, nec 31
calore indurata, nec ob calorem carni intruſa,
calor tamen læſionem comes ſequitur, ita quoque
læſioni viſceris, à calculo inexſiſtente factæ,
& continuò fotæ, ſupervenire calorem,
ſeriò animadvertendum. Ubi enim dolor, ibidem
morbus eſt juxta Hippocratem, atque eò
etiam calor, ceu quicquam poſteriùs, affluit. Id 32
autem, quod in renum parenchymate læſo contingit,
non propterea itidem in veſica fit, ſe habente
inſtar receptaculi, & cloacæ lotii, per renem
duntaxat præterlabentis, ſine cunctatione.
Sin autem tam renes, quàm veſica, juxta indolem
quæque ſuam, quid muccidum, præſente
calculo excernant, deſine mirari, partem utique 33
ab hoſte obſeſſam, depreſſam in vegetativa,
quicquam de ſuo alimento amittere continuò,
ac velut plorare (oculi inſtar, inimico pulvere
obſeſſi) humorem alimentarium. Perſentiunt 34
quippe ſingula in nobis, quæ conſentanea, quæque
peroſa, & exſecranda, ejuſque ſenſationis,
nec obſcura quidem indicia ubique exprimunt.
Alioqui namque, exciſo calculo veſicæ, nondum
ceſſaret continua muccoris emanatio, ſi
nempe muccus cauſæ, & non effectus calculorum,
rationem haberet. Ad curam autem quod 35

attinet, advertendum ſedulò, eam hactenus in-
completam eſſe debuiſſe apud eos, quibus veræ
calculi cauſæ non enotuere: ſi nimirum in cau-
ſarum ablatione, nec aliàs, morboſa diatheſis
36 migrare debeat. Admitto equidem inprimis,
enematibus exonerata inteſtina, ureteribus in-
cumbentia, calculo egreſſuro, faciliorem omni-
nò exitum præbitura. Fomenta quoque ſimili-
ter, inunctiones, & balnea, plurimum pro-
futura ſpondeo. Utpote corpus noſtrum, ut
unicum in conſenſu omnium: ita juxta Hippo-
cratem *tam intus, quàm foris conſpirabile & ex-
ſpirabile totum.* Item *intus & extra, ſupra &
infra, dies & nox, ignis & aqua, tres in nobis
fecere circuitus, ſicque huc hac permeant, & vi-*
37 *ciſſim.* Verùm enimverò non perpendicularia:
verùm obliqua tantùm ſunt ſubſidia exteriora.
38 Denique cùm nihil proximè calculum attingat,
niſi quod urinatenus renem lambit, humectan-
tia idcirco, viſcida, atque mucilaginoſa (puta
malvam, altheam, pſillium, &c.) ejuſmodi qua-
litates corporeas exuiſſe prioribus digeſtionum
officinis; certum eſt, tanquam urinariis quali-
39 tatibus planè difformes. Eatenus interim cal-
culoſos opitulari concedimus, quatenus ſuavio-
rê ſucco, urinæ acrimoniam demulceant, ac
temperent: vel abactis prioris vitæ mucoſitati-
bus, intus in radice, deterſivi aliquid vel diſ-
40 ſolutivi (*quod unicum ceu aperitivum admitti-
mus*) cuſtodiunt, quod uſui eſſe queat. Prout
in ſucco limonum, cidoniorum, ciceribus, pa-
rietaria, &c. At ſanè utrimque, non niſi langui-
da uſque, horum, & ignava pro tanto hoſte, po-
41 teſtas. Demum nec ſatis conprehendimus pol-
licita. Qualiter oleum amygdalinum, amplia-
re, vel diſtendere ureteres valeat, cujus vix un-
quam guttula, & non niſi per ſecretricis erro-
rem, ureteres attingit. Ita eſt res. Madida ſanè
ureteres conſtant membrana, quam ut nihil,
quod de ſuo non alimento, penitiùs intrat: ita
oleum, tametſi totum, eò allueret, in viva
membrana non præſtaret, quod aliàs in arido &
mortuo pergameno. Tantum abeſt, quod ure-
teres proprio alimento & urina præoccupati at-
que madidi, oleoſum quiddam aſſument. Olei
ſiquidem cum aqua non facilis eſt combinatio,
& celer nimiùm tranſitus olei tardus veniret ad
ureterum dilatationem. Miſſa igitur faciamus
ſomnia. Ureteres ſiquidem ampliantur aut diſ-
tenduntur nunquam, niſi craſſiore corporis
compage non autem olei, aut liquoris, id mu-
nus fuit. Laxè nimirum, & molliter ex ſe ure-
ter madet, ſuaque contentus urinâ, alios porrò
liquores reſpuit. Dilatatur itaque tantùm à cal- 42
culo, id eſt, à cauſa morboſa; ſemelque amplia-
tus iterum non concidit. Ut videre eſt, ſenſim
auctos calculos facilius explodi, quàm pridem
minimos. At dicent, epotis laxantibus, id eſt, 43
ureteres diſtendentibus, juvari ſubinde miſe-
ros: quocirca accidere etiam ureterum dila-
tationes. Careat ſucceſſibus opto, quiſquis ab 44
eventu facta notanda putat in Philoſophia, quæ
effectus per ſe nunquam ſolet tribuere cauſis per
accidens. Etenim ſuavior quiſquam liquor uri-
nam fortaſſis infecerit, ſuaque miſtura dilutio-
rem dederit: oblectamento iſthæc quidem e-
runt, & ſolamini, in reprimenda ſymptoma-
tum feritate at non proinde inferre licet, epoto
ſuaviore ſucco, ſtomachum, venas aut urete-
res, vel ampliatos eſſe, vel ſaltem amplifica-
tioni aptiores. Nam ſi quid potum, ureteres 45
in latum diductiliores redderet: id profectò ſto-
machum diſſolvet, & ampliabit, eò quod ma-
jori ciborum ponderi ſuſtinendo deputatus, qua-
quaverſum extenſionem patietur: eóque ad-
huc magis, quod ſub inſtantis calculi præcipi-
tium, multa ſtomachum vomitio nimiopere in-
feſtet, ac idcirco ad lacerationem uſque divelli-
caret. Hactenus nil remediorum, in tanta cala-
mitate auditum. Quapropter, ad cenſuram pro-
piùs accedentes, eorum, quæ levicula abſterſio-
ne, etiam quæ proprietate quapiam, calculum
exterminare viſa ſunt hactenus: Cum venia di-
cemus ingenuè. Tametſi enim pulveres tam 46
herbarum, ſeminum, fructuum, liquorum &
aquarum, quàm lapidum & foſſilium, ſedatis
ſymptomatum crudelitatibus, tandem calcu-
lum & arenas extulerint: Quid quæſo inibi a-
ctum eſt auguſtius, quàm præſentem paroxyſ-
mum curaſſe? Sanè nil ſecus fecimus, quàm qui
epilepticum inſultum ſedavit. Morbi inquam
utrobique ſingularem duntaxat fructum avulſi-
mus, intacta ſecuri arbore, radiceque manen-
te ſoſpite. Itaque quæcunque calculoſis profu-
tura ſperamus maximè, duobus capitibus edo-
cebimus. Prius. Ut non expulſio calculi inten- 47
datur (Medicum namque aliquid minus crude-
le decet, quàm quod ipſa ſub pondere fatiſcens
ferè natura, ſponte ſatagit, ſymptomatum agi-
tata equuleo) ſed unica reſolutio. Solutis in-
quam coaguli repagulis, calculus in liquorem,
converſione retrograda, in materiam, nempe
unde per ſyntheſim concrevit, per analyſim re-
ducendus eſt. Alterum eſto, & quidem auguſtius.
Ut tollatur inclinatio pertrifica. Qua etiamnum
videlicet perſtite, factum eſt nihil gratiarum

actio-

48 actione dignum. Enimverò conſtat exemplo
urinæ ſupradicto, quemvis hominum, potentialem
in urina calculum habere (id enim microcoſmi
ſors exigebat,ſi undequaque majorem
exprimere debebat) at ſolum eum eſſe miſerum,
cujus nempe in urina, latens petrificandi poteſtas,
in actum, intra pellem ſuam, explicatur.
49 Itaque neceſſe eſt prorſus, poteſtatibus rerum
illius miſeri, impreſſionem aliquam, Gorgonis
inquam ſigillarem notam ineſſe, ratione cujus
& ipſæ poteſtates, nimium exactè, exquiſitè,
hæſitanter, atque perſcrutanter, lotii ſecretioni,
& examini incumbunt: unde tum, in illa
officina, illius tartari fit actuatio, quod antea,
50 per totam urinam, aqueum gliſcebat. At quandoquidem
notæ ſigillares,& morborum impreſſiones,
non ſpeciei, ſed individuis tantùm cohæreant,
nequaquam deſperandum eſt, quin allata
impreſſione, aſcendentis alicujus fortioris
& benignioris loco, ceu victa cedat, hoſpitium
modò tenens, tyrannis.Inclinatio itaque in calculum
penitus tolletur, ſi non amplius deinceps
inſudet ipſa poteſtas, actuali ſecretioni tartari,
51 ab urina.Sopienda eſt igitur vis illa ſecretrix,
nimium exquiſita. Idque nullatenus ſanè,inducto
ſopore opii, aut ſimilium narcoticorum pigritia,
52 negligentia, ac quiete. Abſit. Sed poteſtas
eſt in remedio, planetaria, caſtæ veneris, proprietate
ſpecifica,omnem in renibus elaborationem
urinæ ita cohibens, quod deinceps, ſuavi
otio, tanquam ſomno occupati renes, ſe dent
quieti, ſuæ tantùm indulgentes alimentationi.
Hæc ergò pax aurea in nobis eſt, quæ in Politicis,
quemque ſuis, ſaltem muniis vacare; non
autem alienis intentum eſſe, jubet, ut quietem
ſortiatur. Ubi notandum: non corporum, ſed
potentiarum nempe, in poteſtates expeditam
eſſe actionem; & permanentem operationem, ſi
victrix victam ita ſuperarit, ut in victricis exercitum
ea ſe deinceps dederit. Sub quo parergo
ſatis obvium eſt, non niſi defœcatiſſimis liquoribus,
ſummas medicaminum craſes ineſſe, ſiquidem
ſpermatica, & conſtituentia prima, nil
quicquam commercii cum craſſiore corporum
compage, habent. Porrò ad pacem illam optatam,
53 in renibus capeſſendam, feliciter hactenus
uſi, & potiti ſumus, medimento *Aroph.* à Paracelſo,
libris, *de viribus membrorum* deſcripto.
Suſurrantes hìc audio,qui non niſi præmaſticata 54
deglutire ſolent, inauſpicatam verborum tenebritatem
incuſantes. Carbonarii iſti, ajunt, ſua
nobis pharmaca exponant cominus, & demonſtrationes
nobis, præbeant oculares. Verùm iſta 55
addiſcendæ Pythagoricæ Philophiæ nova norma
eſt. Carbones emant, & vitra, diſcantque
priùs, quæ nobis dedere, vigilatæ ex ordine noctes,
atque nummorum diſpendia, dii vendunt
ſudoribus, non lectionibus ſolis, artes. Idcirco
nec auſum quidem, Dianam veſte ſpoliatam
propalare, exemplum Acteonis abſterret. Qui
poteſt capere, capiat. Abſcede igitur à temetipſo,
& à conſuetis abi, qui facili lectionum
compendio, naturæ penetralia inveſtigare præſumis.
Cæterùm, quò priori, plenariæ curationis 56
capiti, ſatisfactum ſit, reſtabat indagatio
pharmaci, ad calculi omnimodam, tutam, ſecuramque
diſſolutionem. 1. Aptum itaque ſit, in
urinam mutari, ut ſcilicet locum affectum tangat.
2. Habeat in ſe poteſtatem ſolvendi repagula
calculi. Donum Dei namque eſt, quod ars
non parat, at duntaxat ſequeſtrat, eruitque. 3.
Poſſideat iſtud in proprietate ſpecifica,& appropriata;
non autem in ſecundis qualitatibus, caduca
quippe plerumque ſunt, inter præparationem
deficientia,vel qualitatum truculentiâ infamia.
4. Sit ſubtile, ut quaquaverſus eat, ſuumque
eminus objectum demoliri queat. 5. Amicum
ſit naturæ, ne ſcilicet cuncta pervertat. Etenim
non quilibet nuncius,lapidum fodinas accedit:
ſed is tantùm, qui vinculis ſolutus, vias
novit, itineri accinctus,locis amicus,& vires habet.
Errant proinde qui ſolis corroſivis hanc
conſcribunt monomachiam: ſecundis nempe
qualitatibus nimium fidentes, indormiunt malè
ſecuri,& proprietatibus ſpecificis neglectis,poſthabitis
quoque appropriatis, in objectum proprium,tantum
diſtentis;in obſcurum ivere. Non 57
enim Struthio ferrum; aut aviculæ ſilices, uniones,
lapillos, corroſionis qualitate æmula conterunt.
Virtus eſt ſolvendi repagula obiceſque
tartareos. Hanc meditari, hancque imitari convenit.
Dixi.

Benedictus ſit Deus mirabilium, qui modò aquas in rupes, modò rupes in ſtagna aquarum convertit!

INTELLECTUS ADAMICUS.

ADAM juſta nomina indebat cunctis animalibus: horumque ideò intimam, ſive intuitivam, ſcientiam habebat, quæ Adeptum naturæ dicitur. forte pariter herbarum, mineralium, imò & aſtrorum pleniſſimam cognitionem habebat. Siquidem oblato objecto non antea viſo, noverat penitiſſimas ejus proprietates. Concludunt hinc plerique eandem nobis datam cognitionem, proprietate vernaculâ: tanquam poſteris, Adami hæredibus: ſed per peccatum obſcuratam. Alii verò, penitùs ſublatam eſſe contendunt, eſu pomi ſcientiæ boni & mali. Hæc dudum malè perſuaſus, etiam credidi eheu! quid enim intentatum reliqui, ut ad promiſſum laborem Sophiæ, Paradiſum vitæ longæ, per ſcientiam Adamicam pertingerem. Sed tandem multa obſervavi, quæ iſthæc principia ſubverterent. Nam inprimis vix mihi perſuadere potui, quòd Adam in ſtatu innocentiæ ſciret illa; atque plura, quæ poſtmodùm per eſum ſcientiæ boni & mali neſciret. Id quidem, ſi pomum oblivionis, ſoporis, vel ignorantiæ manducaſſet. Non autem ubi pomum ſcientiæ ediſſet. At ſi in peccato originali, ipſe originalis tranſgreſſor & naturæ humanæ deturpator, adhuc ſcivit, quæ prius ſciebat: quomodo enim per ſuper acquiſitam novam, & alterius indolis ſcientiam, velut in vetito fructu depoſitam, poſteris omnem abſtuliſſet ſcientiam? quinimò ipſe, qui ex creatione omnem ſcientiam habebat, præterquam quæ occultâ paraphraſi, ac peronomaſia, à ſpiritu divino vocatur ſcientia boni & mali, ſaltem hunc in poſteros non traduxiſſet? ſi enim eſu pomi, oculi ejus ſunt aperti, quod ſaltem innotuit, antea quodammodò clauſos fuiſſe factuſque ſciens bonum & malum, & vidit ſe eſſe nudum: cur ſaltem in ſuo ſemine, non tantundem ſcientiæ fuit, atque in pomo? Cur ſi per ejus ſemen, tranſlatum ſit peccatum, non transferatur & pudor, ut Indos naturaliter puderet ſuæ nuditatis? ut triennem puerum ſaltem puderet ſuæ nuditatis? non ſecus atque Adamum ſtatim à manſo pomo. denique ſi noviſſe animalium naturas, ſocietates, ac proprietates, fuerit ipſi à creatione inditum, atque hinc illi medullitus eſſentiale: quomodo Deus, noſtri tantùm amans, ſuſtuliſſet eſſentialia, intellectualia, atque vernacula dona, quibus adorari vult in ſpiritu hominis, naturalia verò cacodæmoni, creaturarum viliſſimo, deſpectiſſimo, atque peſſimo reliquit? Spiritum noſtrum tantopere depauperaſſet, faviſſetque diabolo, pluſquam filiis hominum, cum quibus eſſe, vocat ſuas delicias? ego ſanè poſtquam cognitionem vitæ longæ, cauſaſque mortis, in anima concepi, ſcivi, quod quamdiu Adam eſſet immortalis, ejus mens immediatè corpus ſuum vivificaret: & regeret: imò eatenus quoque perfectè intelligeret, quæcunque pedibus ſuis ſubſtituta leguntur. At poſtquam anima ſenſitiva, ſeminaliter introducta eſt media, inter mentem & corpus, Adam deinceps vixerit in anima, vitaque mediâ, id eſt, more moderno. Ac mens ſua ad ſuſtentationem animæ ſenſitivæ, duntaxat tenebroſum de ſe ſpargebat lumen, per carnis nebulas, ſuper vitam novæ & impuræ generationis. Scientiæ, autem priſtinæ, quas ante lapſum habebat, fuerunt in vita ſenſitiva, depoſitæ per reminiſcentiam; caliginoſo tamen, miſeroque rationis diſcurſu obtenebratæ. Cum Brutorum more jam generaſſet, vitamque mediam ſeminaliter tranſtuliſſet, tum omnis ſua ſcientia, tam priſtina, quàm poſtera (boni & mali videlicet earundemque recordatio, fuerunt in ſemine obliterata: & homo inde natus, inanis tabula. Surrexit quidem abinde in poſteris vis ſenſitiva, ſive vitæ mediæ eadem quæ in Adamo. quæ, ubi juſta maturitate in ſemine adoleverat, tandem in verum lumen, vitalemque formam à creatore perducta eſt. In quam dein Mens humana ſuum tranſmiſit vicariatum. Manſit tamen mens, velut in ſui fundum retracta, horreſcens naturæ impuritates, nec potens ampliùs (niſi per gratiam) in animalem ſenſitivam ſe immediatè diffundere: Deo ſic diſponente ob ſui beneplacitum; ut poſtea dicetur. In homine itaque actualiter eſt quidam naturalis & formalis actus, qui eſt anima, ſive vita ſenſitiva, à mente plurimùm diſtinctus. Etenim ut ſemen canis tendit in vivum canem, obſcurè ratiocinantem: ſemen humanum, certè non in cadaver, at ſaltem adſpirat in vitalem animam; fluitque nempe in ſenſitivam, & diſcurſivam, longè perfectiori modo quàm in cane, vulpe, &c. Utque firmiùs hanc realem in nobis ſenſitivæ animæ à mente diſtinctionem aſſequerer, finxi juvenem deperditè deperire puellam. Hic namque pleno ſenſu, atque conſenſu animæ, optat poſſe ſolvi faſtidioſo amore: itemque nollet, ſe ſic adamare, & amore liberari. Non quidem quod per vices nunc unum, nunc verò alterum impensè velit: ſed ſimul, eodemque motu atque impetu, optat, & non optat illo amore liberari: felicem ſe, & infelicem unius amoris ergò prædicat. Atque id genus multa ſimul contradictoria patitur. Quæ cum ſimul ſubjecto, & reſpectu, non hoſpitentur iiſdem; dudum hæſitavi, unde unico in homine ejuſmodi paſſim contingerent, donec tandem Apoſtolus hunc mihi nodum ſolveret. Videns aliam legem in membris noſtris, oppoſitam legi mentis. Quas ſanè leges, non ſolùm inclinatione atque deſiderio: verùm etiam diſcurſu atque conſenſu ſtipatas intelligit. Tum clarè intuitus ſum alias eſſe affectiones animæ ſenſitivæ, atque alias mentis: aſt hæ, (quia mentis operatio propemodùm eſt obtenebrata à perturbationibus animæ ſenſitivæ) ideò ſunt languidæ. Hoc ſenſu nempe Apoſtolus iram, invidiam, ſimultates, idolorum cultum, &c. Vocat opera carnis: nam licet videantur conceptus ſpirituales, quia tamen ſunt operationes animæ ſenſitivæ, quæ & ipſa ex voluntate carnis & ſanguinis ſeminaliter in natura ſuſcitatur: idcirco ſunt mera opera carnis. Importunis ergo ſocialis animæ illecebris afficimur indeſinenter: quia deinceps à peccato degeneres facti, immortalitatem amiſimus. Quapropter Deus pauca duntaxat nunc à nobis exigit, ut ad vitam ingrediamur. Scilicet ut baptizatus integram credat hiſtoriam Symboli, utque ſervet mandata Dei, mediante ejus gratiâ. Quotusquiſque verò adſpiraverit ad altiorem charitatis gradum, ſtudeat, quantum ex talento ſuo poterit, per actus amoroſos excurrere ad abſtracta per fidem credita, donec per gratiam aſſiduitatis exercitii ſenſerit lumine ſupernaturali mentem ſuperfundi, in omni humilitate & charitate continuando. Quippe formarum naturalium meditatio juvat multum in lumine, ad intelligendum animæ ſenſitivæ quidditatem. Formæ enim omnes, præter mentem, cum ſint lumina vitalia, in nihilum reditura, certò didici, mentem longiſſimo intervallo diſtare ab anima ſenſitiva. Quandoquidem mens immortalis, utut in ſe retracta, ne connubio ſocialis animæ caducæ deturpetur: attamen cunctis in actibus præſidet, quatenus aſſidet, ac tota toti animæ ſenſitivæ inhæret: adeóque ſurdo modo cum hac operatur. Hunc autem ordinem Omnipotentis, deinceps à lapſu Adæ, ſic ſe habere, collegi primùm, quòd cœcos, itemque veſanos aliquot, non propter proprium, aut parentum peccatum; ſed in ſui beneplacito, pro ſui gloria creaverit. Omnia namque ut voluit fecit, ac longè optimè. Deinde quia in ſpiritu adorari voluit. Atque tandem, quòd in domo ſua multæ ſint manſiones; fruſtraneæ jam, ſi omnis homo, in gratia æqualis in anima, ac vita eſſet. Unde collegi diverſitatem ſpirituum inter homines eſſe debere, & diverſos in gradu charitatis, adoratores divinitatis. Siquidem creavit Angelos, ut abſque corporum turbulentiis, in ſpiritu intelligentiæ ipſum adorent. Hominem verò minuit paulò minus ab Angelis: tamen primariò ad gloriam & adorationem ſui, in ſimulacrum divinitatis elegit, atque filios adoptivos, tamen infelici ac calamitoſo vivendi generi ſubnoxios: utpote qui intra corpus nunc demerſus, vix ſe intelligere, intelligit, pænè ſuæ immortalitatis oblitus, morborum tyrannicis clientelis ſubditus: ita ut immortalis intellectus in amentibus, & rabioſis, ferè extinctus appareat. Complacuit ſibi namque omnipotens, ut tanquam per meritorum ſcalam, diverſæ illæ manſiones habitentur, utque homines, erecti per characterem gratiæ, ad excelſiores intelligendi dignitates perveniant. Ad illud videlicet: fulgebunt docti, ut Sol. Primum itaque eſt, in fidei operativæ ſimplicitate vixiſſe abſtemium à malis, & feciſſe bonum. Deinde ut adorent Deum in nudæ veritatis ſpiritu, & fide operativa pergant per Adeptum paterni amoris, juvantibus meritis in charitate, etiam nobis non intendentibus, in intellectu magis magiſque illuſtrari. Sicque tandem mens in tenebroſo hoc ſanguinum carcere ſolvitur, ſeſeque intellectualiter adſpicit, cum humilitate miratur non antea viſum lumen, graditurque tum ſine difficultate ad abſtractiores oſculi contemplationes, per ignotas ducta ſemitas. Ubi in veritate, juſtitiâ, & virtutum unione, ſub abſtracti ſpiritus lumine, Deum, quaſi è ſopore reſurgens, felix adorat. Neque enim, licet Deus alias recognitiones ab homine, quàm ab Angelo, volet, proin minùs gaudere debet in divino beneplacito: ſed laudando pergere, in humili adoratione, in qua omnis ſapientiæ intellectus, omniumque ſpirituum claritas, velut in Centro vivali, abſorbentur. Hoc itaque graduum merito, poſt lapſum, Ineffabilis coronavit gloriâ & honore hominem, licet degenerem, ſubſtituitque pedibus ejus cætera: neque enim ante lapſum, homo unquam eò adſpiraſſet. Debuit ergo homo, nec omnium quæ ſcivit initio Adam, neque etiam ſuiipſius ſcientiam habere, ſi meritum eſſe debeat. Quia corona præſupponit certamen, meritum, & victoriam. Etenim nonniſi è pugna, gratiæ incrementum, pro victoria reportare poſſumus. Concludo itaque, nos in vita media ac ſenſitiva conſtitutos, nil ſcire, habere, eſſe, aut poſſe: ſed tantùm ex gratia, cooperante merito: quodque, ut Deus ſtabiliret, graduum momenta, in intellectu adorante, præſupponenda erant. Innocens ergo manibus, & mundo corde, Deum in veritate ſpiritûs adoret. Eſtque ſtatus illius hominis mortalis, longè felicior, quàm fuit Adæ immortalis. Paupertas enim iſta ſpiritûs, ſcit in veritate ſapienter, cognoſcit ſcienter, credit confidenter, ſentit verè, & humiliter fatetur, ſe merum omnium defectuum ſubjectum, id eſt, inutilem ſervum & malum. Hoc itinere occurrit homini ineffabile Regnum Dei, oceanus lucis, qui dat intellectûs claritatem non petitam, & auguſtiora multò, quàm vota Angelorum optent. Hæc ſuperant Philoſophiam ethnicam, & Atheorum modernorum. Sic eſt. Sic ſe habet Intellectus & Veritas, in qua Philoſophia noſtra ſuum Alpha ponit. Quod niſi fecerit, inutilis vita longa, tot ſeculis ignorata, tot ingeniis neglecta, & uſque in ſeculi finem non niſi ſolis Adeptis nota.

IMAGO DEI.

Initium ſapientiæ timor Domini. Timor autem Domini incipit à meditatione mortis, & vitæ æternæ. Finem verò Sapientiæ multi cum Stoïcis rentur eſſe cognitionem ſuiipſius. Ego verò finem ultimatum Sapientiæ, & totius curſus vitæ noſtræ bravium, voco charitatem, quæ nos ſola comitabitur: ubi cætera nos deſeruerint. Et quanquam cognitio ſuiipſius, juxta me, ſit duntaxat medium ad Timorem Domini: Ab hac tamen eſt auſpicandus tractatus de vita longa. Eò quod cognitio vitæ, cognitionem animæ præſupponat. Cum vita & anima (ut iterum dixi) ſint ſynonyma. De fide eſt. Hominem ad imaginem Dei creatum, ex nihilo, in creaturam viventem, ejuſque Mentem nunquam perituram. Ubi interim animæ brutorum, in nihilum pereunt, cùm vivere deſinunt. Cujus differentiæ pondera, de ortu formarum, docui. At hactenus non ſat conſtat, in quo iſta ſimilitudo cum Deo, noſtri Archetypo, ſita ſit. In anima enim ſola, plerique hanc excelſam Iconem ſtatuunt. Dicam quæ ſentio, ſub humili tamen proteſtatione & ſubjectione cenſuræ Eccleſiæ. Ita eſt. Cognitâ jam aliqualiter formarum origine, & mentem humanam apprimè inquirere æquum eſt. At certè nulla cognitio eſt oneroſior eâ, quâ anima ſeipſam comprehendit: Imò & vix ulla eſt utilior. Eò quòd fides baſim ſtabiliat, ſuper animæ non perituram ac non delebilem ſubſtantiam. Reperi quidem plures demonſtrationes circa hanc veritatem, libris divulgatas: At nullam prorſus earum propter quid, reſpectu Atheorum, unicum, & conſtans ab æterno numen negantium. Plato equidem tres Atheorum ſtatuit claſſes. Primam quidem, quæ nullos credit Deos. Alteram quoque, quæ quidem admittit Deos; noſtri tamen incurios, rerumque parvarum ſpretores neſcios. Tertiam tandem, quæ quanquam Deos, rerumque minimarum gnaros credat: putat tamen minimâ precatiunculâ flexiles. Creberrimum hoc genus inter Chriſtianos, etiam qui ſe profitentur perfectiſſimos hodie; atque ideò audent quidlibet, creduntque religionem duntaxat ad coërcendum populum, timore legum, obligationis fidei, & inferni mulcta. Hi enim onera humeris aliorum gravatim imponunt, quæ ne digito quidem attingunt, loculos ſuorum emungunt, morientibus cœlum venale proſtituunt, rebuſque ſecularibus ubique ſeſe ingerunt, quatenus religionem non citra ſtatum ſubſiſtere ederent. Supremus meus optatus eſſet, unico ſaltem momento deguſtarent, quid ſit intellectualiter intelligere, ut mentis immortalitatem velut tangendo ſentiant. Equidem non inveni regulas, aut modum, quibus poſſem alterius intellectum illuſtrare. Conteſtor itaque meritò, quod qui ſemper ſtudent, de veritate velut inquirentes, nunquam tamen ad ejus ſcientiam perveniant: quia literâ inflati nullam habent charitatem, Atheiſmum occultum fovent. Hoc unum autem didici, quòd Mens jam nequicquam intelligat per Imaginationem, neque per figuras & imagines, niſi miſer & ærumnoſus rationis diſcurſus acceſſerit. Aſt ubi anima ſeipſam comprehendit, deficit ipſi ratio, & ſuiipſius imago, quâ ſibi ſeipſam repræſentet. Ergo anima ſe per diſcurſum rationis nequaquam poteſt apprehendere, ut neque per imagines. Etenim poſtquam cognoviſſem, quòd veritas eſſentiæ, & veritas Intellectûs ſint unum atque idem: ſcivi intellectum eſſe rem quandam immortalem, procul à caducus ſeparatam. Anima quidem non ſentitur: credimus tamen eam eſſe intus, non feriari, nec fatigari, nec morbis agitari. Somnus ergo, furor, ebrietaſque, non ſunt immortalis animæ læſæ ſymptomata: ſed aſſeclæ, vitæ & animæ ſenſitivæ paſſiones duntaxat. Cùm bruta ejuſmodi paſſiones tolerent etiam. Hæc enim æquum eſt, rem immortalem pati à caducis. Etenim ut Mens in nobis, nec tamen à nobis ſentitur: ita neque ejus continuæ & inconcuſſæ operationes, ſunt ſenſibiles. Quia ſi eſſent ſenſibiles: utique non eſſent ſpirituales ac merè abſtractæ, enimverò etſi videatur nobis, nos nil intelligere per totalem diſcurſuum ſequeſtrationem, & abſtractionem ab omnibus, quæ ſub ſenſum, ſub mentem intellectumque cadere poſſunt; idque ſubter initia contemplationum: agit tamen anima interim ſuo modo inſenſili, & efficaciâ ſpirituali: Quod ſic intellexi. Confitens enim ſæpè non ſentit contritionis effectus, doletque apprimè illius ſuæ inſenſilitatis. Interrogatus tamen, an peccare vellet? Reſponderet fortè, ſe malle mori. Inſenſilis eſt ergo confitendo, animæ operatio, ſupernaturalis fidei effectus. Quia actiones intellectuales, alterius ſunt, & indeſinentis Magiſtratûs clientes Proinde namque docent myſtici, in ſola fide, abſque diſcurſu & cogitatione, animam plus operari, & operando etiam plus proficere, quàm is, qui multis verbis orat, & diſcurſibus ſibi excitat compunctiones. At félix ille, cui permiſſum, iſtas inſenſiles operationes animæ percipere, atque emanativè eaſdem reflectere, ſuper operationes aut poteſtates animæ ſenſitivæ. Vtpote plerumque ſui veſtigia relinquunt in vitam deinceps, excitantque memoriam, in fide de cætero operantem cum gratia Libertini Chriſtianorum & Athei primi, rident in nobis, ceu fictam Dei ſimilitudinem, aut nos ad Dei imaginem fabricatos. Alii verò ſecundæ & tertiæ claſſis Athei credunt, nedum nos ad Dei imaginem creatos: ſed in nobis identitatem cum immenſo increato Numine fingunt: neque hominem in ſubſtantia aliàs differre, quàm partem à toto. Vel id quod initium habuit, cum non principiato: non autem in eſſentia, & proprietate internâ. Quod præter blaſphemiam, ſtoliditates habet plurimas. Siquidem quicquid incepit, eo ipſo eſt creatura. Involvit autem imperfectionem in Deo, poſſe extra ſe aliquid creare, in ſubſtantia ſibi compar. Siquidem ex Philoſophia conſtat, ſingulas partes Infiniti neceſſariò eſſe infinitas. Non poteſt ergo creatura in ſubſtantia magis eſſe infinita, quàm fuit in duratione compar æterno. Multóque minùs anima eſt pars ſubſtantiæ divinæ, aut illi eſſentialiter ſimilis, quæ poteſtate, magnitudine, duratione, gloriâ, ſapientiâ, &c. in ſe & ex ſe eſt merum nihil. Si ergò non ex Deo facta, multò minùs ex ſe: ſed ex nihilo. Immenſum ergo errant, qui credunt quidditatem imaginis divinæ ſitam in anima, per ſubſtantiæ identitatem. Cùm diſtent invicem per infinitum. Imò ſponte propriâ, in nihilum, unde incepit, denuo diſſolveretur, niſi divinâ bonitate in eſſe conſervaretur. Profectò animæ damnatæ optarent, in priſtinum nihil reſolvi, quas ſervat Iuſtitia divina in eſſe. Habet quidem anima permanentiam æternam deinceps, ab interna ſibi æternitate gratis donata, & conſervata. Sat ergo ſit, quòd Mens ſit ſubſtantia ſpiritualis, vitalis, & luminoſa. Cumque luminum vitalium ſint plura genera, atque ſpecies: lumen iſtud mentis in eo à cæteris vitalibus diſcrepat: quòd ſit ſubſtantia ſpiritualis: reliqua autem lumina vitalia non ſint ſubſtantiæ formales, quanquam ſint formæ ſubſtantiales, ideoque & in nihilum per mortem rediguntur, non ſecus atque flamma candelæ. Mens verò ab Angelis differt, quòd ſit ad Imaginem & ſimilitudinem Dei æterni. Habet ergò anima iſtud lumen ſubſtantiamque luminis, ex dono creationis: cùm ipſamet ſit lumen iſtud vitale. Aſt Angelus non eſt ipſum lumen, neque habet lumen geniale atque internum: ſed eſt ſpeculum luminis increati: adeoque in eo deficit à veræ imaginis divinæ perfectione. Alioquin Angelus, cum ſit ſpiritus incorporeus: ſi ex ſe luminoſus eſſet, perfectiùs Dei imaginem exprimeret homine. Porrò quicquid Deus plus diligit, id eſt nobilius: Sed Deus dilexit plus hominem, quàm Angelum. Neque enim ad redimendum naturam Angelicam, factus eſt figura cacodæmonis, prout Agnus ter-glorioſus mundi Salvator, aſſumſit naturam ſervi. Neque enim his obſtat, quòd minimus in regno cœlorum ſit major Ioanne. Nam filius hominis non eſt minor Angelo: etſi paulò minus ab Angelo ſit minutus: Sorte enim vivendi, dum homo factus eſt, minutus eſt paulò minor ab Angelo. Ideò namque Angelus ſemper manet ſpiritus miniſtrans: nuſquam autem legitur amicus, aut filius patris, deliciæ filii, templum Spiritus ſancti, in quo ter-glorioſa Trinitas ſuam manſionem facit. Iſta nempe eſt prærogativa imaginis divinæ, quam Lux æterna imprimit in omnem hominem venientem in hunc mundum. Enimverò anno 1610. poſt longam contemplationis laſſationem, ut aliquam mentis meæ cognitionem adipiſcerer, in ſomnum fortè lapſus, extra rationis uſum raptus, videbar eſſe in aula ſat obſcura. A manu lævâ menſa erat, in qua lagena, cui parum liquoris inerat, dixitque vox liquoris ad me: Vis honores, & opes? obſtupui ad vocem inſolitam. Obambulavi, mecum deliberans, quid iſtud deſignaret. Mox ad dexteram, rima in pariete erat, per quam lux quædam oculos perſtrinxit, quæ me liquoris, vočis, & prioris conſilii, fecit immemorem. Quia vidi, quòd ſuperaret cogitationem verbo exprimibilem. Actutùm rima illa diſparuit. Inde ad lagenam mœſtus rediens, hanc mecum abſtuli. Conabar autem liquorem deguſtare, multoque labore phialam aperui, & horrore perculſus ſomno excidi. Remanſit autem ingens deſiderium cognoſcendi animam, in quo deſiderio per 23. ſolidos annos anhelavi. Tandem anno 1633. in anxiis fortunarum afflictionibus, in viſione vidi animam meam. Erat autem pluſquam lux in figura humana, cujus totum erat homogeneum activè cernens, ſubſtantia ſpiritualis, cryſtallina, & lucens. Continebatur autem in altera nubiloſa parte tanquam ſui ſiliqua, quæ an ſplendorem ex ſe faceret, vix potui diſcernere, propter fulgorem ſuperlativum Spiritûs cryſtallini, intus contenti. Iſtud tamen adverti, quòd nota ſexualis non eſſet niſi in ſiliqua, non autem in cryſtallo. Cujus ſigillum erat Lux ineffabilis, ſic reflexa in cryſtallo, ut cryſtallus ipſa fieret incomprehenſibilis. Idque non quidem per negationem aut privationem (quippe quæ reſpectu noſtræ imbecillitatis ſic vocantur) ſed ens auguſtum repræſentabat, quod per verbum nequit exprimi. Et dictum fuit mihi: Hoc eſt, quod per rimam vidiſti quondam. Vidi autem iſta intellectualiter in anima: quæ ſi oculus videret, dein videre ceſſaret. Somnium itaque oſtendit mihi, animæ humanæ pulcritudinem ſuperare omnem conceptum. Saltem comprehendi vanitatem longi deſiderii mei: deſtiti itaque ab optatu videndi animam. Nam utut pulcra eſſet Spiritualis iſta cryſtallus: attamen anima mea nil perfectionis ab ejuſmodi viſione ſibi retinuit, prout alioqui poſt viſionem intellectualem mens adornatur multâ ſcientiæ perfectione. Cognovi itaque, quod mens in illa ſomniali viſione egiſſet perſonam tertii, adeoque non eſſet tanto optatui operæ pretium. Cæterum quòd ad imaginem Dei in mente ſpectat, fateor juxta meam exiguitatem, me nil unquam concipere potuiſſe, ſive id ſpiritus eſſet, ſive corpus, ſive in intellectu, vel demum in phantaſia, aut in mera intellectuali viſione, quod non câdem operâ aliquam ſui repræſentet figuram, ſub qua ſtaret in conſiderante. Quoniam ſanè rem concipiam per ſui imaginem: vel ſive Intellectus ſeſe tranſmutet in rem intellectam: ſaltem nequivi conſiderare hoc fieri, niſi migraret de ſe, in rem intellectam cum alteritate ſui, quæ cùm eſſe aliquod habeat actuale, ſemper mecum ſtetit ſub aliqua figurâ. Enimverò quamvis mentem incorporalem, & immortalem ſubſtantiam conceperim: non potui tamen, ſimulatque individuam ejus exſiſtentiam cogitarem, eandem conſiderare omni orbatam figurâ: imò nec quidem, quin reſponderet figuræ humanæ. Nam quoties anima ſeparata videt aliam animam, Angelum, vel cacodæmonem, oportet quòd illa ſciat, hæc ſibi adeſſe, ut animam ab Angelo diſtinguat, itemque animam Petri ab anima Iudæ. Quæ diſtinctio non poteſt guſtu, odore, auditu, tactuque fieri: ſed ſolâ viſione animæ propriâ: quæ viſio figuræ alteritatem neceſſariò includit. Nam cum Angelus ita ſit in loco, ut ſimul non ſit alibi. In eo quoq; includitur neceſſariò quædam circumſcriptio figuralis, non minùs quàm localis. Deinde conſideravi mentem humanam figuratam hoc modo. Etenim corpus humanum, ut tale, nequit ſibi dare figuram humanam: ideò enim ſculptore externo opus habuit, qui intra materiam ſeminis clauderetur, atque in eam deſcendiſſet aliunde. Is tamen in quantum materialis ſortis eſſet, nec ex ſe, neque ex maſſa corporis, figurandi virtutem, ut neque imaginem haurire poterat: oportet igitur aliquid præcedat, quod planè immateriale, reale tamen, & effectivum initium eſſet, cui deberetur poteſtas figurandi, per impreſſionem ſigillarem, in ſeminis Archeum. Patrantis anima ergo, dum deorſum labitur, luſtratque corpus ſeminis per libidinem, ſigilli ſui figuram, atque figuræ ſuæ ſigillum, ibidem adumbrat (quæ unica fœcunditatis ſeminum cauſa) unde tam ſuperba ſtatura fœtus. Nam ſi anima ipſamet in ſe non eſſet figurata: ſed figura corporis velut ſponte oriretur, truncus aliquo membro non poſſet niſi truncum generare. Eò quòd generantis corpus non integrum, ſaltem in Spiritu inſito, illius membri deficiat. Si itaque ſemini figura inſeritur: certè à vitali magis, prioreque initio, iſtam ſuſcipiet imaginem. Si verò anima quandam figuram ſemini imprimat, non mentietur exoticam, vel alienam faciem: ſed ſuiipſius depinget ſimilitudinem. Sic namque & brutorum animæ faciunt. Ac licet noſtra, ſuæ originis ergo, ſit ſupra naturæ leges: quo pede tamen ſemel eſt ingreſſa naturæ limen, illique eſt incorporata, deinceps ſuis quoque legibus ſtare cogitur. Eò quòd generationum vitalium univocus ſit progreſſus, atque finis. Nec enim alioquin abſurditatibus caret, quod tanti operatio (qualis eſt humana generatio) citra conſenſum & cooperationem mentis contingeret. Quod ſi ita eſt, neceſſe quoque eſt, ſemini fœcunditatem dari ab anima, per figuræ ſuæ, aliarumque vitalium determinationum participationem. Vnaquæque nimirum anima, ad hoc ſui imaginem, in ſpiritu ſeminis ſigillat, ut materia ad requiſitam reducta maturitatem, adumbratam pulcritudinem oſtendens, ſimulque patrantis ſimilitudinem, queat à Creatore formalem lucem impetrare, ſive animam illius ſpeciei, cujus ſimilitudo in figura exprimitur. Credimus etenim de fide, mentem noſtram eſſe veram ſubſtantiam, non interituram: Subſtantiæ autem novam ex nihilo creationem, ſoli competere Deo. Vnde non plures: ſed unicus omnium eſt Pater ſpiritualis, qui in cœlis eſt. Qui ſi ſibi complacuit, quod ſolam mentem adoptârit in ſui imaginem: videtur & conſequens, immenſum atque ineffabilem Deum etjam eſſe figuræ humanæ: idque argumento, à poſteriori. Cum corpus ceræ inſtar ſit, cui ſigillum imaginis mentis eſt impreſſum: mens autem habeat ſuam imaginem, eſſentialemque perfectionem, ab eo, cujus ſimulacrum præ ſe fert. At quia corpus ſubinde defectuoſum, ac monſtro ſimile eſt: putârunt plerique glorioſam Dei imaginem totam conſiſtere in poteſtate rationali. Non conſiderantes Dei imaginem proximo, ac perfectiori modo conſiſtere in anima, atque inde quoque in corpore, ad animæ exemplarem characterem formato. In qua figurandi operatione ſi error, is non imagini, ſed aliis cauſis aliundè irruentibus, tribuendus ſit. Porrò quantum facultati rationali, ad denominandum Dei ſimulacrum ſit concedendum, ſuo limite de Ratione docui. Doctior tamen Chriſtianorum pars, tenet animam, unius & trini Dei imaginem proximè exprimere, per ſuæ ſubſtantiæ ſimplicitatem univocam, & ſuarum poteſtatum ternionem. Intellectus nempe, voluntatis, & memoriæ. Quæ ſimilitudo ſemper mihi viſa eſt impropria, ut mens excellenti, propinquo, & ſingulari valore ſit Dei imago. Siquidem imago, figuræ ſimilitudinem: non autem numerorum paritatem involvit. Quinimò ſi anima in ſui ſubſtantia repræſentet ſacroſanctam Trinitatem; intellectus verò, voluntas & memoria, ternionem perſonarum: neceſſe eſt, tres poteſtates animæ non eſſe proprietates, vel accidentia animæ, imò eſſe ſubſtantiam unicam ipſamet mentis: vel malè quadrare ejuſmodi imaginem typo, cujus creditur imago. Conſiderabam itaque, quod non quidem ſola mens hominis: at totus homo conditus ſit in imaginem Dei. Quapropter anima licet hoc ſenſu aliquem ternarium exprimat in ſuis potentiis: nullatenus tamen perſonalitates. Deinde, quòd nulla perſona Sacroſ. Trinitatis repræſentet ſolam voluntatem, aut voluntas perſonam: nulla memoriam, ut neque ulla intellectum ſeparata ab aliis duabus proprietate referat. Tum etiam, quòd tres mentis poteſtates conſiderentur plerumque tanquam accidentia animæ: hæc ſanè nequeunt ullatenus imaginem, vel propinquius aliquod ſuppoſitum exprimere, præterquam nudum ternionem accidentium, in ſubſtantiam animæ congeſtum. Quo ſenſu animam minùs Dei imaginem denotat, quàm quodvis fruſtum ligni: Quod per ſui analyſin, ſalem, ſulfur, & mercurium tantum exhibet: non autem (inſtar mentis in præfata vulgi ſimilitudine) tres duntaxat poteſtates. Tres inquam ſubſtantias ſub concreti unitate concluſas, atque diverſas, quæ tamen in ſui connexione unicam tantum ligni ſubſtantiam faciebant. Præterea Taulerus animam dividit in duas partes: inferiorem ſcilicet, ſive exteriorem, quam vocat animam: & alteram ſuperiorem ac fundum, quem ſpiritum vocat. Qua parte ſpecialiter Dei imaginem repræſentare & continere ait: eò quòd ad illam diabolo non ſit acceſſus: quia Regnum Dei ibi eſſet. Vtrique autem parti longè diverſos actus atque proprietates aſſignat, quibus utramque diſtinguit. At ſaltem bonus ille vir ab anima delet homogeneitatem, quâ potiſſimum tamen Dei ſimilitudinem exprimere debet. Imò hactenus Dei imaginem nedum negat propagatam in toto homine · verùm etiam in tota anima. Certè, non facilè credam dualitatem in anima, nec alteritatem binarii admittere, ſi in ſui eſſentia, ſimpliciſſimæ naturæ divinæ imaginem exprimere debeat. Quin potius oportet ſtet in ſimpliciſſima unitate, & indiviſibili homogeneitate immortalitatis & indiſſolutionis ſymbolo, extra omnem connexionem vel alteritatem. Dico ergo, quòd glorioſa imago nedum eſt in anima: ſed ipſamet mens eſt eſſentialiter glorioſa Dei imago. Ideóque tam intima animæ eſt Dei imago, quàm ipſamet anima ſibi: conſidero nempe mentem, ſpiritum homogeneum, ſimplicem, immortalem, impartibilem, ens unicum videlicet, cui mors nihil addit, aut ab eo aufert, quod ſibi in ſua ſimplicitatis eſſentia eſt geniale. Dein verò, ut beatitudinis participem: eò quòd damnatio ſit illi per accidens, præter inſtitutum, ac propter defectum poſterum. Ejuſmodi ergo anima ſeparata à corpore, non plus utitur memoria, neque reminiſcentiâ, intuitu loci, ubi fuit, aut durationis. Sed unicum nunc, continet ibi omnia. Idcirco ſi qua illi ſuperſtes eſſet memoria, fruſtranea in æternum, imò oneroſa eſſet. Idem de Reminiſcentia: quippe quæ non niſi per rationis diſcurſum, in actum proſilit: adeóque in æternitate non amplius locum habet. Vbi nudæ Veritatis aſpectu, ſine occaſu, defatigatione, atque defectu, anima ſtat extra memorandi neceſſitates. Staret ergo anima beata extra præfatum ternarium poteſtatum: ideóque nec ampliùs Dei Imaginem repræſentaret, cujus ergò duntaxat eſt condita. Imò penitiùs inſpiciendo, non reperio memoriam ſingularem atque ſeparatam animæ poteſtatem: ſed nudum reminiſcendi modum. Etenim immemores, ideò ope imaginationis (quæ eſt intellectus vicaria) ſibi memoriam artificialem concinnant, diſcuntque longè fortiorem, quàm illorum aliàs eſſet memoria naturalis. Quinetiam recedit voluntas ab anima, ſimul cum vita, eò quòd accidentaliter animæ advenerit. Cùm Deus poſt creationem conſtituerit hominem in manu arbitrii ſui. Quod ſanè denotat, voluntatem proprio modo non eſſe menti eſſentialem: ſed ex conceſſione, ut ſit inſtar talenti, ſequaturque viam, quam eligere ſibi malit. Alioqui cum nulla res ſit pernicioſior liberâ voluntate: quippe quæ ſola omne diſſidium inter Deum & hominem patrat: certè ejuſmodi facultas locum in æternitatis beatitudine habere nequit. Quippe ſublatâ volendi libertate, perit ipſamet voluntas. Quid enim alioqui conducet volendi poteſtas, ubi nullum eſt liberum ampliùs poſſe velle? Sed (ajunt) in cœlis eſt voluntas confirmata. Id eſt, cœlites non poſſe velle, niſi quod vult Deus. Qui enim in charitate ſunt, non poſſunt non velle quæ ſunt charitatis. Quod ſonat: Cœlites non amplius poſſe velle: ſolum autem Deum ibidem velle ac nolle. Ceſſat ergò voluntas, dum volendi libertas eſt liquata. Siquidem voluntas animæ beatæ in æternum inſervire, aut prodeſſe nequit, dum nec in actum deferri poteſt. Eſſetque ejuſmodi voluntas duntaxat optatio. Quæ ſanè in cœlis non eſt, ubi omnium optabilium eſt plena ſatietas cum omni abundantia. Eſſet ergo voluntas oneroſa potiùs animæ beatæ appendentia. Sat eſto igitur poteſtate volendi in hac vita eſſe bene promeritum, & in lucrum ſua theſaurizâſſe talenta. Notanter quidem loquor de poteſtate volendi: nam poſt hanc vitam aſſurgit atque manifeſtat ſe voluntas ſubſtantialis, à poteſtate & accidente illo volendi libero diſtinctam habens eſſentiam. Nam ſicut vis phantaſtica cum vita interit: ita etiam ceſſat illa volendi poteſtas libera. Itaque credidi ipſam animæ ſpiritualem ſubſtantiam, referre imaginem Dei, non autem in poteſtatibus. Nominatim in hoc proximè. Deus eſt ens increatum, unum incomprehenſibile, æternum, infinitum, omnipotens, bonum, ſuperſubſtantiale lumen, & ſpiritus. Anima verò eſt creatura, una, indiviſa, dependens, immortalis, ſimplex, & deinceps æterna, ſubſtantia ſpiritualis, lucida. In Deo denique nulla ſunt accidentia: ſed ſingula attributa ſunt ipſamet indiſtincta, divini ſpiritûs eſſentia ſimpliciſſima: quod & Platonis Parmenides aliquo uſque intellexit. Sic anima, ſi Dei imaginem referat, nullum admittet in ſe accidens: ſed tota ejus ſubſtantia erit lumen ſimplex & ipſius Intellectus. Perinde enim ut fumus, per flammam accenſus, in figura & materia, eſt idem cum flamma: pariter ſic & anima eſt nudus, purus, atque ſimplex Intellectus, lumen & imago increati luminis. Adeò ut ſicut oculus nil verius aut propinquius adſpicit, quàm Solem: cætera verò omnia propter ipſum. Sic anima beata non intelligit quicquam propiùs, quàm ipſum lumen, unde totaliter ac immediatè dependet. Et ſicut oculus noſter non fert Solis obtutum: ſic anima nequit intelligere Deum, multóque minùs, quantiſper poteſtatum mediis alligata, utitur. Alioquin Intellectus liber acquirit intelligendo rei intellectæ figuram, ſeſe transformat commigratione ad unitatem (ut de ratione docui.) Sicque nimirum, anima principaliter atque primariò Deum contemplatur intelligendo, do, in veram Dei imaginem eſt formata. Sunt tamen & alii, qui Dei imaginem in anima hoc pacto concipiunt. Vt cùm lex ſit imago Dei: lex autem ſit inſculpta animabus noſtris per rationem: hinc volunt, animam eſſe Dei Imaginem, quatenus eſt rationalis. At iſtud planè eſt improprium, imò & impertinens. Nam ſic anima continens legem, contineret quidem Imaginem Dei: ſed ipſamet ejus ſubſtantia, non proinde eſſet condita in ipſam imaginem Dei. Non magis enim, quàm lex & ipſa anima differunt eſſentiâ, & ſuppoſitionalitate. Odi ſanè metaphoricas locutiones, in ſeriis. Vt, Deus creavit hominem in ſui imaginem, denotaret, quòd Deus dediſſet homini rationis uſum. Et veſanum natum atque deformem, non in ſui imaginem proinde feciſſet. Quin etiam dum anima crearetur, nondum erat lex. Præterea, tribuere rationi imaginem Dei, eſt eſſe Deo injurium ac blaſphemum. Prout de ratione aliàs docui. Nulla eſt enim ſimilitudo vel adæquatio rationis cum Deo, facultatis caducæ, & incertæ cum ſubſtantia æterna. Relictis ergo aliorum opinionibus, meam dicam. Intellectus habet ſibi coæqualem voluntatem, non quidem quæ ſit poteſtas, vel accidens: ſed ipſum lumen intellectuale, ſubſtantia ſpiritualis, eſſentia ſimplex, atque indiviſa, ab Intellectu duntaxat ſeparata, per ſuppoſitionalitatem ſui eſſe; nequaquam autem in eſſentia. Reperio inſuper in anima & tertium, quod defectu etymi, amorem, ſive deſiderium non quidem habendi, poſſidendi, aut fruendi; ſed complacendi, nuncupo. Duobus aliis æquale, æqualiter ſimplex in unitate ſubſtantiæ: ſuntque tria ſuppoſita, ſub unica animæ & indiviſibili ſubſtantiâ. Non eſt autem is amor, actus aliquis voluntatis: ſed procedit ab intellectu atque voluntate ſubſtantiali tanquam diſtinctus actus. Nam & in hac vita contingit, quod amemus, quæ intelligimus non amanda, & quæ vellemus non amare. Amamus quoque, quæ Intellectum & voluntatem ſuperant. In ecſtaſi namque Intellectus & voluntas pereunt, ac ſoporantur, tantiſper atque ſuum regnum amori tradunt. Etenim nec amor ille eſt paſſio: ſed eſſentia dominans, & actus glorificans. Ergo voluntas & amor hoc loco excedunt potentiarum ambitum, nec commune quicquam habent cum voluntate carnis, aut viri: ſed ſunt tituli eſſentiales, quibus (ſub egeſtate nominum) Imaginem Dei repræſentat Mens. Eò quòd Intellectus Deum tunc intelligit, intendit, & omni penitùs mente amat, unico & indiviſo amoris actu, propter omnimodam ſimplicitatem ſuæ ſubſtantiæ. Quamdiu verò in carne degimus, vix ſubſtantiali, ac purè intellectuali Intellectu utimur: ſed potius poteſtate phantaſticâ, qualitate ſcilicet ejus vicariâ. In ecſtaſi enim ſæpè obdormiunt Intellectus, voluntas & memoria, ſolo ſuperſtite amoris actu, ſit autem à tribus illis diſtincto, ut tamen non ſtet ſine Intellectu, & voluntate ſubſtantialibus, ſibique adæquatis. Siquidem cum anima ſit tota homogenea in ſui ſubſtantia: ſimplicitatem iſtam planè amitteret, ſi unum trium eſſet extra vel præter alia duo. Amor ergo, ſopitis aliis duobus, eſt velut tum in ſuperficie, aut potius, duo alia imbibuntur, abſorbenturque in amore. In hoc mundo, amor eſt deſiderio prior: quia eſt paſſio facultatis amativæ, quæ ab illa animæ ſuppoſitionalitate (quæ verè verus amor eſt) procedit, & corporeæ facultatis iconem, in hac vita repræſentat, non ſecus atq; Intellectus & memoria modo, quamdiu corporis conjugium, in quod Mens immortalis demergitur, tertium quoddam conſtituit. At poſt mortem, amor prioritatem, ut neque diſtinctionem à deſiderio facit: nec poteſtatis naturam habet, neque habitus aut actus volendi eſt, nec ſubſiſtit extra Intellectum: neque memoria, diſtincto habitu ab Intellectu, ſupermanet. Itaque Intellectus eſt lumen formale, & ſubſtantia animæ, quæ intuitivè cognoſcit, diſcernit, vult & deſiderat in ſui unitate, quicquid in ſeipſo comprehendit, & volendo judicat. Etenim non amplius tum recordatur per repetitionem ſpecierum, rei ſemel ſcitæ, nec per circumſtantias amplius inducitur ad cognoſcendum; ſed tum eſt omnium intellectorum unica cognitio, & adſpectus intuitivus intra ſe. Ita tamen, ut unum cognoſcat magis præſentialiter quàm aliud, dum Intellectus ſe reflectit ſuper Intellecta; quia videlicet eſt in ipſa Veritate, & diſtinctâ Vnitate. Quid ſi idem nunc ſat quotidianum in memoria artificiali, quod recordativa illa memoria non ſit diſtinctus actus, ab inductivo judicio Intellectûs. An hoc ergo non magis erit geniale Menti, à turbulentiis phantaſticis intelligendi, ſemel expeditæ? Neque enim his obſtat, quod in vinis memoria pereat, ſoſpite judicio, vel contrà. Ebrius namque, vel inſanus, non rarò recordatur omnium ante ebrietatem patratorum, omniumque ſub amentia geſtorum perendiè rediens in ſe memorat. Sunt nempe iſta heterogenealiter diſtincta in corpore, per modum recipientis.

Non animatis quoque quandam ſurdam cognitionem competere annoto: ſenſum item & objecti affectionem, quæ ſympathetica dici cœperunt. Surda verò ejuſmodi objectorum perceptio, illis viſus, & intellectus inſtar eſt. Ineſt præterea illis virtus, dos ſcilicet quædam vitalis, alicujus bonitatis ac valoris, ad fines à creatore deſtinatos. Eſt & tertia poteſtas, ex utraque præcedentium reſultans: quæ eſt jubili ad occurſum juvantium, & averſionis à nocivis. In quibus ſpectatur quædam affectio erga objecta. Item metûs fuga, &c. Qui triplex ſcalæ gradus manifeſtior eſt in ſtupidioribus inſectis, prout & in hominibus veſanis, quibus nullus præſidet Intellectus, ſolaque viſualis luminis poteſtas gubernatrix, elucet. His tamen præterea adeſt actus virtutum, & functionum vitalium, propter quas, & per quas inſectæ ſunt. Tertiò, ineſt illis longè manifeſtior actus formalis jubili, & averſionis. Quæ denuo in aliis ſenſitivis adhuc longè clariùs explicantur. His nimirum competit ſenſitiva quædam Imaginatiò, cum rationis aliquali diſcurſu, quæ illis loco Intellectus eſt, plus minuſve in ſingulis eluceſcens. Adeò ut ſagacitas, voluntas, memoria, atque reminiſcentia, illis tanquam ſub apprehenſionem Intellectûs cadant: Mutatis tamen continuò objectis, & functionibus, juxta materiem, in diremtiones & ſingularitates pronam. Eſt & illis poteſtas bonitatis, atque virtutum emanativa, qua animæ plus minuſve propendent in ſuarum virtutum, aut feritatum exercitia. Eſtque tandem & illis ſua complacentia, tædiumque ac thymoſis in objectorum conſiderationes: ita animabus ſenſitivis counita, quin vix ſit poſſibile, duas contueri perſonas, quin mox uni magis, quàm alteri addicamur. Hæcque in corporalibus per modum recipientis, erunt ob id in homine magis clarificata. Nolim tamen Dei Imaginem conſiderari in homine eſſe ob ternarium facultatum aliquem, qui aliis rebus in mundi ſyſtemate hactenus reperiantur, competere. Certè dignitas Imaginis divinæ non participatur ullatenus ab aliis creatis. Siquidem Imago divina eſt duntaxat animæ intima, & tam propria, quàm eſt ipſi ſua eſſentia. Proprietates tamen animæ qualeſcunque, non ſunt mentis ipſa eſſentia: ſed eſſentiarum producta, poſterioraque. Neque enim condignum eſt majeſtati Imaginis divinæ, ex qualitatibus deſumi. Nam proprietates aliarum rerum colliqueſcunt in animæ eſſentiam, ex vi imaginis divinæ. Sin autem tanquam attributa cenſeantur, id propter miſerium vulgo intelligendi modum. Siquidem mens eſt unus actus, purus, ſimplex, formalis, homogeneus, & indiviſus, in quo proximè Imago Dei, eſſentialiterque ſubſiſtit. Adeò ut in iſta Imagine, etiam omnes poteſtates nedum deponant naturam attributorum; verùm etiam ſuas ſuppoſitionalitates colligunt in unitatem indiſtinctam. Eò quòd anima in ſe ſit lux quædam ſubſtantialis, atque ſubſtantia ita lucida, quod non ſit diſtincta ſuppoſitis ab ipſa luce: ejuſque intellectus ita eſt lux animæ, ut ipſa anima, quæ nil niſi lux eſt, ſit tantum merus intellectus. In qua ſui ipſius luce, anima ſeparata à corpore tota per totam ſe videt, intelligit: nec cerebro, aut corde, opus habet: in quibus organis, ſcilicet ſua ſubſtantia, proprietatum proſapiam tantùm aſſumere videtur. In corpore nimirum ipſe intellectus abſtractus, corporalibus organis demerſus, iiſdemque cum utitur, vim qualitativam repræſentat ac aſſumit, quæ dicitur Imaginatio, quæ ex ſocietate poteſtatis phantaſticæ, ipſius animæ ſenſitivæ, & intellectûs ſplendore, in organis degenerato, conſurgit quadam combinatione, in poteſtatem qualitativam. Proinde namque, imaginando laſſatur iſta facultas, & ſuccumbit, ſic ut demens fiat, & pili caneſcant: mens autem ſemel ſeparata, nunquam intelligendo fatigatur. Quinimò in vivis nedum laſſatur imaginatio: ſed etiam à ſeipſa non habet ſpecies intellectivas, niſi quas ab objectis haurit: adeóque vis intellectualis, quæ imaginando cum animæ ſenſitivę functione phantaſtica concurrit, ſequitur indolem organi, atque vitæ ſenſitivæ arbitrium. Iuxta atque regulariter in natura, effectus ſequitur debiliorem partem ſuarum cauſarum. Sed anima, quicquid ad noſcendum, memorandum, volendumque, ſive pro ſemel, aut pro ſæpius requirit, id totum à ſeipſo, & non ab alieno habet. Neque enim in anima abſtracta, oritur voluntas à re intellecta: imo nec ineſt animæ voluntas ad rem intellectam: ſed eſt bonitas amoris formalis. Quæ quidem non eſt propria paſſio animæ, non habitus, non propenſio, neque ulla qualitas: ſed ſubſtantialis actus bonitatis, per quem anima beata ſubſtantialiter, univocè, & homogenealiter eſt bona: non autem qualitativè. Hancque prærogativam habet, ex quo eſt imago typica divinitatis. Corpora verò tam quæ creduntur compoſita, quàm merè ſimplicia, perpetuâ labuntur ſponte in formarum attributa, in heterogeneitatum viciſſitudines demum atque diſſolutionem prona. Conſtat jam ergo, unde animæ ſtatus, dignitas, conditio, atque imaginis divinæ prærogativa in vivis obnubilentur. Cæterum deſiderium, ſive amor, de quo hîc loquor: non eſt functio poteſtatis appetitivæ, nec ipſamet deſiderandi poteſtas qualitativa; ſed eſt pars ſubſtantialis mentis, vel potiùs ipſamet mens, fluens ex intellectu & voluntate. Quia illa tria, ſub unitatem à Creatore ſunt indiviſibiliter conjuncta, ſimplicitate quàm maxima. In vivis tamen ſive mortalibus, eſt ab intellectu & voluntate in functionibus ſeparata, propter organi conditionem, & animæ ſenſitivæ naturam. Siquidem nunc ſæpe deſideramus, quæ intellectus judicat non deſiderabilia, & voluntas optaret non deſiderari. Neceſſe eſt autem res, quarum operationes ſunt diſcretæ, eaſdem in radice ſui eſſe diſcretas, per modum quo ſingula ſeparantur. In anima quidem, ſola ſuppoſitionalitate relativa. In corpore verò, juxta corpoream & qualitativam naturam. Ideóque ſubſtantiale iſtud deſiderium ſive amor, eſt animæ intima eſſentia, eidem conſubſtantialis & coæva. Adeò licet in cœlis ſit deſiderabilium plena ſatietas, & fruitio perpetua: non ceſſat tamen proinde iſtud deſiderium in anima, quod eſt ſtudium complacentiæ: nec paſſionem propterea infert animæ, pluſquam ipſa charitas: quippe in radice ſunt conjuncta ut unum & idem. Nam ceſſante deſiderio amoroſo, neceſſariò vel mox ſatietas, vel inſenſilitas fruitionis oboriretur; quod in cœleſtibus turpe foret. Eſt itaque iſtud deſiderium amoris, fomes delectationis interminabilis. quâ conſideratione mens refert Spiritum Paracletum. Creator enim ineffabilis hominem poſuit in libertate ſui deſiderii, ut in ſpiritu vivat ad Imaginem Dei, in deſiderio ſancto, & charitate perfecta. Patet ergo, operationes eſſe diſtinctas à radice facultatum, dum intelligimus quæ non deſideramus; deſideramus verò, quæ non planè noſcimus, & quæ nollemus. Volumus denique (dum volens vadit ad ſupplicium) quæ non deſideramus: & deſideramus, quæ nollemus (dum quis ſibi crus amputari jubet.) Itemque deſiderium exin quandoque ſuperat voluntatem, vel voluntas deſiderium non raró cogit, & viciſſim ſe trahunt ſubter mutua imperia: ſed totum in mortalibus, eò quòd anima ſenſitiva intellectum: & corpus animam ſenſitivam trahat in multiplicem diviſionis ataxiam. Sic namque contingit deſiderari impoſſibilia, & præterita optantur præſentia. Etenim niſi iſtud deſiderium eſſet de radice mentis, non peccaret qui videret mulierem ante concupiſcendum eam, ante plenæ voluntatis conſenſum. Deſiderantur ergo plurima, quorum cauſæ non ſunt volitæ; multaque, quorum effectus à voluntate atque judicio recuſantur. In modo etiam aliter operatur deſiderium, atque aliter voluntas. In motu quoque diei, ſive in duratione, deſiderium ſæpè præcedit, & ſubinde ſequitur voluntatem, ſuperatque viciſſim unum alterum, ut quid à ſe diſtinctum coërceat. Idque totum in caducis. In æternitate verò, ubi conſurgit amor, ſive deſiderium amoroſum, tanquam ſubſtantia animæ, nil eſt deſideratum, quod non volitum: idque tam quoad actum', quàm ſubſtantiam & eſſentiam. Quia ob ſubſtantiæ ſimplicitatem, collecta ſunt in unitatem: quanquam in radice habeant ſuppoſita diverſa, quod planè modum intelligendi in mortalibus ſuperat. In homine denique eſt Regnum DEI ineffabile, id eſt, Deus ipſe, cujus perpetuo ſplendore cuncta in veritatem colliguntur. Ergo Imago Dei primarra eſt in ejus anima immortali; utpote cujus ipſamet eſſentia, & ipſiſſima DEI Imago. Quæ Imago nec verbis exprimi poteſt, ut nec corde cogitari in hac vita, quia Dei ſimilitudinem aliquam refert. In ſiliqua verò mentis, ſive in ſenſitiva, atque vitali formâ, eſt Imago eadem relucens: attamen per modum inferioris naturæ recepta, deturpataque per tranſgreſſionem ſive mortem. Vnde tandem corpus etiam non quidem Dei Imaginem, ſed figuram illius mutuat. Aſt anima, devoluta in exteriores tenebras, prout à lumine increato, & à virtute Imaginis ſeſe ſeparavit, ideóque nativum lumen, propter appropriationem, tanquam ſibi ex condigno proprium eſſet, ita amiſit; quod deinceps nil intelligat, velit, aut amet præter ſe, & propter ſe. Damnati enim reſurgent non mutati. Quia corpus illorum reſurgens, recipiet determinationes ab anima. Quæ cum modo ſit cum omnibus depravatis affectionibus, in ſe duntaxat reflexis, per modum corporeum: Imaginem Dei velut in ſe ſuffocatam, in corpore reſurgendo non adumbrabit, niſi corporeo modo: id eſt, figuratenus. Deniq; privata per mortis catarractam, ab Imaginationis, memoriæ, & voluntatis liberæ adjumentis: cuncta deinceps intelligit, vult, amat, cœcâ apprehenſione, ſibi duntaxat addicta. Scit enim ſuam immortalitatem, damnationem verò ſentit, eamque queritur ut injuſtitiam ſibi factam. Eò quòd ſuus amor ſit tantùm ad excuſandas excuſationes in peccatis, tanquam patratis inſcitiæ & innocentiæ diebus, cum multa naturæ fragilitate, hoſtium inſidiis, & ſufficientis gratiæ defectu. Nec deberi ex condigno æternum ſupplicium, pro momentanea tranſgreſſione. Tum enim furere incipit, & odiſſe Deum perſeverat. Maximè quod ſciat damni arreſtum inviolabile, & evadendi impoſſibilitatem æternam. Spe ergo truncatâ in ultimam deſperationem, vel ab ipſo introitus initio tranſit, in loco, ubi nulla pietas, compaſſio, relaxatio, aut retractatio hoſpitatur. Accedit etiam, quod cum intellectus naturaliter ſe transformat in ideam rei intellectæ, & ideò in objectorum cacodæmonum ſimilitudinem. Ideò ſemper eſt intus præſens odium Dei, deſperatio, maledictio, damnatio, & furiales inferni cruciatus. Omnipotens, ſuâ bonitate, dignetur conterere laqueos, nobis in via extentos! Amen.

EXTERNORVM PROPRIETAS.

ABſoluto jam ſpirituali vitæ initio, priuſquam ad corporea & ſenſibilia organa, atque alia vitæ ſuſtentacula deveniam, de locis aliquid proponam. Inprimis itaque cœlum poſt tranſgreſſionem, non aliam legem ſuſcepiſſe, certum eſt, quòd ſola terra maledictionem omnem in ſe ſuſtulerit. Hinc namque, cœlum à noſtris peccatis eſſe immune, nec vindicem iniquitatum agere, ſat alibi demonſtravi. Sin verò loca quædam morti, certiſque morbis ſunt opportuna: id non cœlorum rotationi, aſtrorumque cœcis influxibus tribuendum; ſed omnino terræ diſpoſitionibus eſt vernaculum. Non enim etſi provinciæ orientales videantur feliciores, id cœlo tribuendum. Cum in orbita, quæque pars ſubjecta, ſub eodem circulo, ſit æquè orientalis. Alioqui circulus non careret initio, fine, & extremitatibus. Ergo ſolo innata eſt bonitas, glebæque fertilitas, adjuvatur ſiderum continuata fomentatione, & viſitationis perpetuâ familiaritate. Equidem ſub orbita Solis, climata calorem habent ordinarium & æqualem: adeóque quotquot fructus per maturitatem, ad perfectionis gradum adſcendunt: propter calorem, ibidem ſunt feliciores, qui alibi ob caloris defectum non æquè perfecti. Sed Solis calor reſpicit fructus, non autem vitam longam, quæ non minùs longæva in frigidis, montanis, & borealibus locis, quàm alioqui ſub zona fervente. Certè Soli favores non ex aſtris pendent, ut neque vitæ protelationes. Aſtra rotantur in dies, & ſub ſe quotidie terræ climata æqualiter propemodum afficiunt: hyemem autem & æſtatem per Solis acceſſum & receſſum quotannis recipiunt. Interim tractus terrarum propinquiorum, longè à ſe invicem variant. Sunt ergo ſingularia Soli, non autem cœli dona, quæ idcirco ſtabilem bonitatem iiſdem tractibus velut provincialem ſervant. In Sacris quidem terra promiſſionis melle & lacte fluit, vino fertilis, Cerere, legumine, & fructibus arboreis dives: itemque ſtercorationem, laboriſque tædia vix requirens. Video dein, cæteras mundi plagas, tributum debere & ſolvere promiſſionis, terræ. A polis namque utrimque continuæ pluviæ terras macerant, ut promiſſum Solum, abſque pluviarum moleſtia, aquam ſibi debitam aſſumat, rependatque Ægyptus, duplici frugum fœnore, ſoli cœlique favores. Maria enim & flumina certatim feſtinato curſu ad loca iſta properant. Imò & ab ultra capricorni tropicum, Nilus ſuas liquatas nives, per Ægyptum ad Mediterraneum, tanquam annuum tributum naturæ, defert, ut tractus feliciores ſi non pluviâ, ſaltem rore, ac nubilibus Nili aquis nitreis irriget, ſublatiſque per ſolum vaporibus à mari, rorem copioſum circumcirca copioſiſſimè rependat. Adeóque totus mundus inſervire videtur felicioribus iſtis regionibus. Sub linea æquinctoii, quotidie pluit pluries, eò quod aquæ tributales non eò pertingant: ſed abſorbeantur in tractibus, quos Deus olim ſuo populo, nunc autem Barbaris deſtinavit, ob prævaricationes à prophetis præmonitas. Non igitur terram promiſſionis ob populum Iſraëliticum ab initio beavit: ſed ob rationes ſibi ab æterno præcognitas, quaſque in naturam fixit ſtabiles. Imò non ſolùm totius mundi tributum ad has terras deſtinavit: ſed pleriſque addidit rationes, ideas, ſemina, atque dona, quibus intemperantiora deſtituuntur climata. Nec id totum ob alios fines, quàm quod ſibi ſic ſit beneplacitum propter occulta judicia. Sed hæc non ad vitæ longæ conſiderationem faciunt: in Iſlandia namque longævioris vitæ reperiuntur, quàm in Palæſtina, Phœnicia, Ægypto, &c. Sæpè etiam in montanis, aſperiſque collibus ſeniores occurrunt, quàm in amœno agro. Vt ſcilicet cognoſcamus vitæ Principem, vitæ longævitatem dediſſe, tam miſeris locis, & tractui ſingulari, quam denegavit

vit amœniſſimis opulentiſſimiſque quibuſcunque. Solo ergo natura ſubeſt, etiam ad ſtabilitatem vitæ. Etenim ex Eudemicis dimetimur vitam morboſam, brevemque. An fortè eudemicum ens exſpirat è terris, quibus vita prorogatur? non ſanè. Sufficitque quod malignitate locus careat, ut vitæ diuturnitas acquiratur, quantum eſt ex natura loci. Denique, fontes ſunt inſipidi, vel minerales, non qui vitæ longævitatem poſitivè habeant: ſed qui quotidianas amurcæ ſuccreſcentias inſenſiliter demetunt, atque hactenus vita non ex obliquo, præcox tollitur. Neque etiam ad hoc valet aëris multa ſuaviſque temperies: ſiquidem in aſperis Arduennæ, Scotiæ, & Cantabriæ collibus in Campinia noſtra, vita longior plerumque occurrit, quàm in Aquitania. Hieres enim, vallis eſt prope Marſiliam, præcluſa montibus, fructuum ſuaviſſimorum ferax. Vbi continuatur ferè veris ſtatio ſuaviſſima. Brevioris tamen vitæ habens incolas, pallido vultu deformes, adeò ut in proverbium ægrotis, & convaleſcentibus irrepſerit. Videris nobis ab Hieres advena. Fructuum enim amœnitas, eudemici mineralis ſuſpicionem tollit. Nedum etiam frigora montana vitam extendunt: ſed inter Abyſſinos ſenium frequens. Loca ergo ad vitam longam opportuna ſunto, quæ nullâ labe eudemiorum polluta, cæterùm aquas non inſalubres habent, neque vento procelloſo infamia.

HVMIDVM RADICALE.

VNo oris tono, Scholæ humidum radicale vitæ proficiunt. Ex eo enim, & in eo nos vivere, illoque nonniſi abſumto, nos mori declamant. Etenim qui una cum Ariſtot. cuncta calori, velut principio activo tribuunt: humidum radicale non ferunt initium vitæ, ut neque hoſpitium, niſi primatum calori, in humido deferant. Aliis verò magis placuit humidum. Vnde perterriti indagandi ignavia, ne errarent, indiſtinctè, tam ab humore quàm calore, vitam noſtram pendere, & protelari volunt. Adeóque non quidem calorem: ſed concretim calidum radicale, ſive humidum primigenium denominant. Vt ſcilicet primigenium humidum in nobis, & calidum radicale, pro ſynonymis ſint. Cæterùm univocè omnes vitalem calorem, defuturam nunquam augurantur, ſi humidi, illiuſque pabuli ſat, ſemper, ſuperque foret. Quod humidum, quia neceſſariâ caloris actione depopulatum iri credunt, vitæ longæ ſpem, & tractatum, per negationem abſolvunt. Sed eheu! quam pernicioſa cœcitate Schola Medica putando ceſpitavit in omnibus! etiam viderat flammam lampadis, oleo nutriri, hujuſque defectu & illam deficere, continuari verò affuſo oleo: quocirca arriſit plauſibile inventum, atq; illud proinde in vitæ hiſtoriam traxere. Præſertim quod in quadrupede, & ave, non minùs quàm in homine, calorem ſenſu notarent. Calorem uſque adeò ſub vitæ etymo confuderunt, cum Ariſtotelis patrocinio. Dein mox è calore, indicium veri & præſentialis ignis hauſerunt. Sub lite tamen manſit quæſtio. Ariſtotelici quidem hunc ignem elemento ſtellarum attribuunt, ac contra ſublunare ignis elementum ſpecie diſtinguunt. Alii verò elemento ignis ſublunaris adtribuunt. Habentque hinc inde ſua rixarum argumenta. Interim de mutis ac frigidis piſcibus tota obmutuit Schola. Et quanquam piſces non infeliciùs, quàm quadrupedia vivere, moveri, & ali fateretur: imò longè fœcundiori propagine prolium ditari, ſaniori vitâ demum vivere ſciret, atq; deficere tamen ſubter pelagus, (præſertim glaciale) ignes, ac calores, ubi interim maxima & populoſiſſima eſſet reſpubl. nihilominus hauſtas à teneris annis igniculi vitalis favillas deſerere noluit, etſi veri patrocinio ſe deluſam animadverteret. Quocirca ad Iura confugiunt miſeræ Scholæ. Voluerunt itaque hominem, aves, ſimul & quadrupes, terno videlicet numero, quartum & conſocium piſcem involvi poſſe, ac ſubter latam doctrinam cogi. Vt de piſce, tanquam abſente, æquale jus ſtatuerent, in participatione calidi radicalis. At quia anima ut ſerva ſancitis voluptatibus advenit, & rationes etiam non-enti ad lubitum ſubminiſtrat: ſubterfugium commentæ ſunt. Statuuntque ſcilicet calida animantia, actu calere igne palpabili: piſces verò duntaxat potentialiter calere. Quaſi proinde piſces duntaxat potentialiter viverent, ſi cauſis datis non malè quadret effectus. Calorem inquam fingunt Scholæ, actualis vitæ cauſam totalem, qualitatem nimirum æquivocam ſubſtituunt, calori parem: ſed anomalam, anonymam, quia incognitam, fictam ac mentitam, ſub nomine potentialis caloris receptibilem. Subire namque in profundum æquoris imaginando, horruerunt Scholæ. Quapropter piſcium ſpeculatione ut ſterili, derelicta(quod plauſibili commento refragaretur)calentibus animalibus, velut ſomnio palantes,ſibi complacuere, cum applicatione lampadum & vitæ. Itane humidum radicale, non ampliùs cum Ariſtotele ſpermaticum,ſpumoſum,& mucilaginoſum erit; ſed oleoſum nunc,pingue,atque conflagrabile in ſcholis eſto? Siccine ergo pinguis venter, qui multa axungia humido radicali fomentum dederit, ſolus neceſſariò longævus erit? Capuccinus,noſtris tractibus, toto anno ferè frigidus, ſaltem utroque crure & brachio,quia minus humidi amittet, diutius ſuum oleum in lampade retinebit neceſſariò. At ſaltem ſubeſt hîc lurida quædam Scholarum ſtupiditas,alibi à me demonſtrata. Nimirum quòd actio caloris(præſertim ſi viva flamma non fuerit accenſus) univerſim omnia quidem humida exſiccet in tophum, & carbonem: nequaquam autem conſumat abſque reſidui remanentia, prout in nobis eſt obvium: uſque adeò conſumtionem in nobis non à calore ſolo fieri, mirum quod hactenus non animadverterint. At ſaltem lychnio (quod etiam nondum Scholæ conſiderarunt) opus eſſet in corde: ne alioqui ficta humidi,& halituoſa pinguedo,(utpote quæ in corde tota ſpiritualis eſſet) inſtar aquæ vitæ,parvo momento, magnoque compendio, ſimul tota conflagraret,ac eſſe deſineret. Aliàs namq; ſine lychnio (à Scholis neglecto) malè quadrabit ficta vitæ hiſtoria,ſtructis ex primigenio liquore ignibus, ſimul undequaque accenſis. Utut dixerint, Saltem unico è vitæ latice abſurdo, anxietates plurimæ. At fingamus gratis, Hoc Scholarum otioſum commentum ſtare poſſe. Vitam nempe eſſe ignem aliquem, depopulantem radicale humidum, quod pingue ſit, & inde vivat, ſoloſque macros brevioris vitæ. Sed unde iſtud humidum in nobis? An non ex alimento materialiter, & à vitali Archeo efficienter? Certè nunquam exſtinguetur lampas, ſi caloris conflagrantis poteſtas (ut volunt) ſit conficiendi olei è pane & potu, nihilque reſidentiæ remaneat in lychnio à pinguedine, quod lychnium obſtipet aut ſuffocet. Prout nempe è cruore nil remanet tandem in adultis, quod ſuperflui carbonis inſtar habeat. Enimverò epulo nonne ſua abunde habet alimenta? & intus inde reſultantem calorem fabricatorem humidi illius pinguis? cùm lumen de lumine, & ignis de igne procedat inconflagrabilis nullo negotio? cur ergo moritur? etenim reperio ex poſitis Scholarum motum perpetuum in Theoria; non autem in Praxi. Ergo fraus atque dolus ſubſiſtunt in Theſibus, vel ſaltem pudibunda incogitantia. At dicent, poſt accretionem, nil ampliùs de humido radicali, apponi ad partes ſolidas: proinde neceſſe verum humidum radicale cùm jam amplius radici non cohæreat, ideóque ſolida ſenſim areſcere; atque ſic deficiente caloris pabulo, eundem interire. Inprimis enim hinc elicitur, mortem ſenii non evenire, niſi ob ariditatem ſimilarium.Cum cervus unius anni ſiccior ſit viro octuagenario,& facile tamen in unum atque aliud ſeculum vitam extendit. Denique ſi humidum deſinat eſſe radicale, eò quod attingat finem, ſive applicationem ad radicem. Id enim humido eſt per accidens,ideoque ejus eſſentiam non immutat.Neque enim calor ignis deſinit propagari in ligno vicino, tametſi ardens lignum non ſuſceperit fomentum pinguedinis ab extra. Denique nec ſubſiſtit præfata excuſatio. Siquidem in omnem eventũ ſolida ſe habebunt inſtar lychnii: quod ſufficit ardere, quâ parte oleum ſibi ſuppeditatur,adeóque ſuppeditato oleo forinſecus, ignis victurus eſſet in perpetuum. Docent namque, calorem ſolidorũ eſſe ex elementio ignis, quod in miſtionem corporum eſſe putant & accendi in pinguedine humoris radicalis. Inprimis humidum iſtud eſt ſpermaticum mucilaginoſumque,non autem unguinoſum. Deinde ſi ignis è ſolidis tranſeat ad humidum, quod accendit: ſufficiet humidum conſumi, & ſemper deforis apponi,nec radici per totum incorporari.Siquidem ſi è ſolidis tranſeat ad non ſolida appoſita, durante totâ vitâ: poterit ſemper ad non ſolida ſibi appoſita tranſire: nec valet excuſatio, quod deſinat eſſe radicale, dum intimæ radici non ampliùs unitur. Quoniam tunc ab accretione deinceps ſtatim vigor vitalis extingueretur, eò quod humidum tum non amplius unionem cum ſolidis non ſuſcipiat. At cur diutius refellendis abſurditatibus immoror? tam ſatis ſuperque oſtenſum eſt, ignem non eſſe elementum, falſam eſſe ejuſdem miſtionem ad corporum quorumcunque ſubſiſtentiam: quia corporum miſtorum meræ ſunt & antiquæ fabulæ. Ignis ergo,ſi quis in nobis eſſet,primariò in vitali ſpiritu eſſet, cui ſemper humidi ſatis è cruore ſuppetit. Quamobrem ſanè doleo in ſubjecto vitæ, atque integri doctrinâ, tam ſegniter ceſpitatum hactenus.Etenim exinde conjeci ab adoleſcentia, turpiter omnino erratum, commiſſum, & omiſſum eſſe in conſideratione defectuum, & morborum. Quia nemo obliquum rectè cognoſcit, qui rectum prius non noverit. Hæc igitur eſt ficta Scholarum de vita doctrina, quam ſuppoſitâ Hippocr. ficti libelli de natura humana, authoritate ſtabilire nituntur, Dicentis, nos primâ die ortûs noſtri eſſe calidiſſimos, ac viciſſim ultimâ tandem frigidiſſimos. Quaſi caloris noſtri, quàm aliarum quarumvis rerum, diverſa ſors foret! etenim quæcunque aliàs oriuntur, mox dein incrementum aſſumunt, & ſtatim, tandemque declinant atque deficiunt. Quare ſi ex mente Senis primâ die abundaret maximè calor: nec ſit tamen vita calori alligata. Siquidem calorem potiùs vitæ effectum in animantibus calidis demonſtravi, quàm vitam ipſam, aut vitæ cauſam: atque idcirco piſces calore tutiſſimè carere poſſunt, jam eo ipſo elenchum non cauſæ ut cauſæ committit. Equidem ſoleo ſemper calorem ut calorem, utque qualitatem aſpicere, indagare, credere, & metiri, nec alios adhuc teſtes vel judices implorare, præter ſenſum tactûs, & organum vitreum, quod ante docui, ad explorandos gradus atque momenta caloris in ambiente. Quo ſenſu, reperi virum triginta annorum, quovis puero calidiorem: utut interim inſaniat de ſpeciebus calorum diverſis. Diſputent enim de qualitatibus ſenſu notis, tanquam de fabulis, ac ſub conſiderationibus potentialibus: ego autem aſſuevi, res prout in ſe ſunt, diſſecare, aperire, inſpicere & æſtimare. Cæterùm Paracelſus humidi radicalis Scholarum ignarus, illud ſubinde cum Mumia noſtri corporis confundit: aliàs verò reputat velut corporis noſtri umbram internam, unde Phlagas umbratiles circumluceſcere voluit. Nimirum humidum radicale eſſe hominis ſimulacrum, per totum hominem extenſum, & vitam deferens. Alibi quoque mercurium, ſive unum è tribus ſuis initiis (non diviſibile in vivis) humidum radicale, per totum æqualiter participatum, æſtimat. Etenim extincta per peſtem vita (mors enim mumialem bonitatem tollit) mumia quidem deſiit, perſcitè eodem humido in corpore. Tandem quanquam Scholæ fateantur, juniores non rarò extingui, nondum abſumto humido radicali, ut neque caloris penuriâ: atque hactenus pro ſua theſi non admodum ſint ſollicitæ, quâ vitam calore, & humido radicali, adæquatæ metiantur: manent tamen in terminis avorum, propter aſſentiendi conſuetudinem, indagandi ignaviam, & diſcendi deſperationem. Siquidem ignorârunt vitalia lumina luminoſa quidem: ſed indifferentia eſſe, propter binorum luminarium majorum diſtinctionem. Calida enim juxta atque frigida eſſe poſſe. Id eſt, non didicerunt formas & vitas eſſe ſynonyma. Ego verò ſemper confuſam hujus humidi traditionem tanti momenti, inſigniter miſeratus (licet in humido radicis fateantur volvi utrumque medendi cardinem) multum laboris impendi junioribus annis, per corporum analyſes, ut certum radicalis humidi nuncium aliquem offenderem. Ac tandem divino favore, tandem certior factus ſum, nil quicquam eorum eſſe in natura, quæ à Scholis hac in parte elato ſupercilio promittuntur. Agnoſco quidem humidum ſeminale primigenium, noſtri conſtitutivum: ſed ejuſdem prorſus ſpeciei, proprietatis & identitatis, cum eo quo creſcimus, & inceſſanter alimur deinceps. Adeóque oſſa, viſcera, nervi, tendines puerorum, indifferenti humido conſtant, creſcuntque ſimili, quo juvenes, abſoluto jam incremento aluntur. Juxta axioma Scholarum. Nutrimur iiſdem, quibus conſtamus. Conſtamus autem primigenio: ergo & eo nutrimur. Deprehendi tamen humidum alimentarium, quamdiu is intra radicem miſtionis, homogenialiter pro incremento admittitur: eſſe prorſus idem cum radicali. Sin verò poſtmodùm per accidens, in conſortium inſeparabile, non ampliùs admittatur: quia ceſſat accretio: hoc tamen ne minimum mutare, vitiare, alterare, aut alienare naturam prioris humidi. Utpote quod quavis præclare, per ſomnia abundans ejicitur, ejuſdem ſpeciei, cum primigenio ac radicali. Quæ duo nomina in hoc ſaltem diſtinguuntur, quod è primigenio formetur fœtus. Radicale verò ſit illud idem, & inſuper illud, unde creſcimus atque nutrimur. Etenim quantiſper augemur, fit nedum humidi, at ſolida appoſitio, appoſitique aſſimilatio (Id namque ſub quavis nutritione contingit indies) ſed inſuper fit radicalis unio aliti cum alimento: quę mox dein per ſpiritum vitæ ſigillatur, & vitaliter illuſtratur à forma. Itaque ſigillatio characterem continet, qui iſtud humidum fixat, ſolidatque in partis ſimilaris (à cujus nempe Archeo ipſum nutrimentum eſt converſum & aſſimilatum) homogeneam ſubſtantiam: adeóque transmutando abit in familiam continentis, quod antea contentum duntaxat erat. Sub quo fluxu, contingit vera animæ informatio. Sorte igitur tantum atque felicitate, diſtinguitur humidum radicale, à rore ſecundariorum humorum: non autem in natura. Nimirum quòd ros, velut recens atque novellus humor, pro magna ſui parte, ſub accretione, & pro toto, poſt accretionem abſumatur: nec unquam in radicem miſtionis uniatur, ut fiat prædictæ ſigillationis particeps, dignitatemque continentis aſſequatur. Per exemplum. Calx viva, ubi reſtinguitur, fit puls, quæ aquam calci penitiſſimè copulat. Sin autem plus juſto aquæ affundatur, eadem mox abundans reſpuitur, ac ſupernatat. Interim tamen dierum numero, etiam mediis ſub undis, calx iſta ſiccatur atque lapideſcit. Semel verò acquiſita illâ duritie, licet dein exquiſitiſſimè teratur in tenuiſſimum pollinem: attamen in poſterum, pulveris ſpeciem ſervat, & intima aquæ connubia aſpernatur, priſtinæ pultis indolem non aſſumit, nec aqua radicaliter ipſi deinceps commiſcetur. Eſt attamen ipſius aquæ humidum individualiter idem, ſive à calcis commiſtione ſecludatur, ſive admittatur. Idque quia eſt aquæ per accidens, contingens contingenter non tam aquæ, quàm calcis, ſive radicis defectu. Cæterùm tardiùs præfata puls calcis planè ſiccatur, quàm deforis madoris pulvis, aquis undequaque alluitur. Conſideravi itaque, utut Scholæ multa de radicali humido reſonent; humorem tamen alimentarium nequaquam à ſeipſo differre radicali, quamdiu intra radicem miſſionis pulteſcit, & ſolidatur, radicali unione primis conſtituentibus conjunctus. Quippe quod uterque liquor materiâ, virtute, ſubſtantiâ, puritate, formali identitate, & vitæ participatione, idem eſt: qui, cum ſolida noſtri non ampliùs pulteſcunt, admittuntque intimam connexionem radicis, ſaltem deinceps impedit, quantum poteſt, retardatque continentium ſolidorum ariditatem, propter continuam ſui irrorationem. Nam cum iſta ſolidorum puls juſtam ſoliditatem nacta eſt: ſcilicet quia poteſtas creſcendi, è cerebro defluens, eſt exhauſta. Tum alimentale duntaxat humidum fit, quod antea radicale fiebat. Etenim utcunque ſenectus faciat ariditatem: mors tamen non ex ſicciore habitu eſt. Siquidem conjicere licet potiùs ex defectu poteſtatum vitalium ariditatem, quàm ex ariditate præfatum defectum. Nam humidum ſolidorum, utcumque in atrophia & morbis diuturnis ex æquo ac per totum integrale conſumtum: facile tamen debito alimento reſtituitur, ac magnificentius aſſumto elemento perlarum lacteo. Sic & pulmonum ulcera ſolidantur per corallatum dulce mercurii diaphoretici: cujus virtute nempe Paracelſi epitaphium ſonat, tabem ſæpius reſtitutam fuiſſe. Memini enim, me ſub ingenti æſtu menſis Julii, acuto baculo caput bufonis terebraſſe, alteraque extremitate baculum fixiſſe in terram, ut ſuſpenſus bufo exſiccaretur. Contigit autem, quod toto quatriduo poſt, rediens ad eundem locum, invenerim bufonem vivum, femora contrahentem, tanquam ſi pridie tantum ibi fuiſſet: eò quod foramen non rectà in medio capitis, ſed parùm ad latus ſiniſtrum magis vergeret. Quare baculum in medium capitis adegi, & circa veſperum rediens reperi bufonem nedum mortuum; ſed penitus exaruiſſe. Unde firmiùs mihi perſuaſi, non quidem vitalium defectum ex ariditate ſolidorum: ſed potiùs ariditatem eſſe; & increſcere in nobis, juxta proportionem paulativæ exſtinctionis poteſtatum vitalium. Faceſſat itaque radicalis Scholarum ignorantia, quâ per irreparabilem (ut volunt) radicalis humidi penuriam, ſuam tegunt culpam ſub humo cœmiterii. Sola namque donorum, ſive poteſtatum vitalium, in ſpiritus inſiti œconomia ſigillatarum diminutio ſenium, ut & extinctio mortis inteſtinas calamitates advehit. Quod eſt dicere: Spiritus meus attenuabitur, & dies mei abbreviabuntur. Faceſſat itaque humidi radicalis conſideratio, pro vitæ longæ ſtudio. Siquidem Hippocr. naturas ipſas, ſive poteſtates vitales, morborum medicatrices dicit, quibuſque ideò languentibus, quotidianæ infirmitatum ærumnæ invaleſcunt, & recedentes, elatis humeris de vita deſperatum conclamant, quoties vires ſive poteſtates deficiunt: ſive interim copia humidi radicalis adſit, vel ejuſdem parcitas. Corvum enim & cervum, quovis edentulo ſene ſicciores, non deſinunt in aliquot ſecula exſpatiari, & operoſo venerationis quæſtui incumbere. Etenim quia ſiccitas incipit ab oſſibus, huic ſagax atque provida natura, largiori alimento medullæ eidem ariditati obviam venit, voluitque eſſe pingue, ac minùs per calores difflabile, ut unctuoſo humido ab ariditate oſſium ſenectutem vindicet. Eſt namque ideò annoſis quadrupedibus copioſior medulla, quàm juvenculis: quia ejus neceſſitas major. Ego itaque humidum radicale irreparabile, pro vitæ fundamento, non magnifacio ampliùs, ut neque ariditate ſtupefactus in quantum tali, nec etiam vitam ad placitum primarum qualitatem dimetiri ſoleo. Quia novi vitam non ſicceſcere, ut neque à gremio elementorum hauriendam, poſtquam vitæ longæ & brevis alteritates, in centro vitæ conſpexerim.

AVRA VITALIS.

NOn ſat egerunt Scholæ docuiſſe, alimenta primò in chylum, hinc dein in cruoris chymum transmutari, adeóque in hepate ſpiritum naturalem fieri, qui repetitâ in corde digeſtione, in vitalem formetur, ac tandem in cerebro animalis fiat. Sic ut ſpiritus naturalis eſſet utendis partibus aptus; vitalis verò, vivificandis atque conſervandis iisdem: ut & animalis tandem, ſenſus motus, mentiſq; functionibus deſtinatus. Quin meo judicio quidditatem, & facti hiſtoriam amplius detegere debuiſſent in tam longa ſtudiorum ſerie, & ſcriptorum repetitione. Equidem ſciunt ſpiritum eſſe aliquem, illud impetum faciens Hippocratis, vitæ clavum manu ſuâ tenens. Quærendum & pronunciandum erat, quibus ſpiritus iſte organis fieret, quidve ageret, ſimulque omnem ejus indolem, ſubſtantiam, atq; ſubſtantiæ proprietates, ſimul & fiendi modum explicuiſſe: dicam igitur, quid mihi hac in parte occurrat. Ut igitur in ſpiritus vitalis cognitionem ducamur, primo Blas humanum hoc loco repetendum eſſet; ſed hic, ne tædio ſim, omittam, ac lectorem aliò remittam ad volumen de ortu medicinæ. Modum quoque alibi tradidi, quo ex quacunq; planta, fructuque, per indita fermenta, fiat aqua vitæ. Quem modum vulgus novit, exercetque, dum è granis, fructibus, cereviſia, hydromelite, aquam vitæ non minùs quàm è vitis ſucco, fabricat. Eſt autem aqua vitæ, liquor volatilis, oleoſus quidem (quatenus totus inflammatur,) totuſque pariter ſalſus, in quantum aër mordicat, imò & paululum in ore detentus, comburit ac veſicat gingivarum epidermida. Obiter hoc loco annotans, unicum ac indiviſibile ſimplex, duo eſſe initia chymica. Oſtendi quoque alias, quomodo ℔ una aqua vitæ, combibita in ſale tartari ſiccato, vix fiat ſemuncia ſalis, cæterum totum corpus fiat aqua elementalis, ut prius erat. Adeóque & hinc obvium, aquam eſſe corpus per naturam prius atque ſimplicius ipſis initiis chymicis. Dum aqua, quæ prius non inerat actu, in aqua vitæ deflegmatiſſima, fiat tamen per ſui reductionem inde primum aquæ elementum. Quam porrò mechanicam traducendo ad vitæ ſpeculationem, reperio quòd vinum, parte ſui vinoſâ, aquam vitæ contineat. Ideóque facilè, citò, & abſque hepatis atque fellis digeſtis maturitatibus, rapi per arterias ſtomachi, ad cor; ſive, advocari immediatè in ſupplementum, & defectum ſpiritûs vitalis, atque hactenus eludere Scholarum opinionem, quę præſupponit jecoris ſpiritum præcedere debere. Etenim ſi juſto plus ſpiritus vini inſit ſtomacho, ſequitur ebrietas, quatenus ſcilicet ſpiritus vini largiùs attrahitur, quàm queat commodo intervallo in ſpiritum vitalem commutari. Quod ſanè inprimis ſui commutationem arguit, ſimulque digeſtionis & fermenti operationes. Denique & illud notabile. In vino nimirum eſſe ſpiritum quendam mitiorem, alterius ac nobilioris qualitatis participem, quam qui immediatè per diſtillationem elicitur, diciturque aqua vitæ de phlegmata. Quod facilè in ſimplici olivarum oleo ad oculum ſpectatur. Quippe diſtillatum oleum abſque laterum aut tegularum additamento, quodque oleum philoſophorum dicitur, multum differt ab ejus oleitate, quæ elicitur priùs reducto oleo ſimplici, in partes diſſimilares, ſolâ digeſtione & ſalis circulati Paracelſici appoſitione. Siquidem ſal circulatum, idem in pondere, & qualitatibus priſtinis, ab oleo ſegregatur, poſtquam oleum olivarum in ſui heterogeneitates eſt diſpoſitũ. Dulce enim tunc oleum olivarum ex oleo, prout & ſuaviſſimus vini ſpiritus à vino, hoc pacto ſeparantur, longéq; ab aquæ vitæ acrimoniâ diſtinctus. In nobis autem, etſi cibus cum potu quadantenus putreſcant (nimirum iſta putredo, eſt modus atq; medium tranſmutandæ rei in rem) attamen in digeſtionibus noſtris, per ejuſmodi putrefactionem, actionemq; fermenti lienaris, non educitur ex oleribus, leguminibus, frumentalibus aut pomis, ſpiritus aquæ vitæ. Siquidem naturæ noſtræ intentio, non eſt ſibi procreare aquam vitæ: verùm longè aliud in nobis eſt fermentum, quo res reſolvuntur in chylum. Atque aliud, quo res putreſcunt, atque ſeparantur in aquam vitæ. Hoc namque pluribus mediis fermentum introducitur; illud verò, non niſi ſpecifica cujusvis ſpeciei proprietate fermentali acquiritur. Etenim dum herbæ in aqua per macerationem longam, fermento ſuo, aut vicario, putrefiunt pro extractione aquæ vitæ, manent caudex, rami, ac folia integra, in figura & duritie: quæ tamen manſa, deglutita, & bene intus confecta, paucis horis in chylum abeunt, primamque herbarum naturam amittunt. Quocirca aliàs adhuc inculcavi, tot nempe eſſe fermenta digeſtiva ſpecifica, tot putrefactionum varietates, & totidem ſtercora unius panis, quot ſpecies animalium pane alitorum. Imò & adhuc plura ſunt fermenta in corruptionem panis: ſiquidem adhuc pluribus modis tam ſponte, quàm odore locorum, & agentium impreſſionibus, panis putreſcit. Quodque de pane eſt dictum: idem de cibis aliis intelligatur. Scholæ quoque animadvertentes, nil nobis profuturum, quin in ſui radice contineat vitæ præludium, atque ideo voluerunt in cruore, hepatis ſpiritum, naturalem actu, auræ inſtar gliſcere. Putaruntque eſſe vaporem, adeóque & cum halitu confuderunt. Neſciæ, quòd vapor ſit aqua: non autem ſit Gas, ſpiritus Sylveſter, incoagulabilis aura, ætherque. Putarunt itaque, quòd vapor è cruore extra venato exhalans, prout aliàs è quolibet tepente liquore ſpirat, eſſet ille cruoris ſpiritus, unde materialiter ſpiritus vitalis deinde fabricaretur. De quibus alibi ex profeſſo. Enimverò quicquid in ſanum ſtomachum deſcendit, ſi conficiatur à Splenis fermento, aceſcit fermentali ac ſpecificâ aciditate noſtræ ſpeciei. Ac tandem in cruorem vertitur, prius abinde ſequeſtratis ſuperfluitatibus. Qui cruor poſt metam ſuæ digeſtionis in cor transfertur, & ſanguis fit, qui in Sacris dicitur ſpiritus rubeus, cui anima inhabitat. Aptus enim fit in ſpiritum vitalem tranſmigrare, ejuſque reſiduum pati ultimam ſolidorum digeſtionem, atque tandem abſque illa ſui reſidentia, in auras exhalare. Itaque & eo ipſo oportet eſſe volatilem, & ſpiritus indolem aſſumſiſſe in corde. Porrò iſtud acidum ſtomachi, totum vi fermenti fellei convertitur in ſalem, prout alibi de digeſtionibus. Separaturque actualis ſalſedo, cum urina & ſudoribus, quia evaſit excrementitia. Cruoris verò ipſa maſſa, cum nequeat in ſpiritum tranſire, niſi fermento vitali cordis. Cruoris inquam in ſanguinem, & ſanguinis in ſpiritum traductio ſubſtantialis, fit tota per totum, ſine ulla reſidentia, & ſeparatione heterogeneorum: eo quòd excrementa priùs inde ſint abducta. Eſtque cordis irrequieta ſubſtantia, continuò circa hoc transmutationis munus occupata, ut indeſinenter è cruore ſanguinem arterialem, & ex hoc ſpiritum vitalem efficiat. Vſque adeò non præexſtitit aliquis ſpiritus naturalis in cruore, unde velut è materia ex qua, ſpiritus vitalis fiat. Sed ipſe totus cruor, ſi opus fuerit, fit ſanguis arterialis, atque inde ſpiritus vitalis. Differunt ergo cruorificatio in hepate, & ſanguificatio in corde. Nam unum, eſt chyli in cruorem vera tranſmutatio, & generatio novi entis. Aliud verò eſt cruoris in ſanguinem volatilem, & in auram vitalem extenuatio. Cruor enim fit cum ſui inſpiſſatione, & liquidi excrementi, ſine lotii ſeparatione. Spiritus verò vitalis fit cum inſpiſſati liquatione, & aerea extenuatione, ad quam ſanguis ſcilicet præbet gradum ſive medium. Fateor equidem, ſpiritum vini, rapi, ut ſpiritum, in arterias, tanquam aliquod ſimplex ſymbolizans, atque præviè diſpoſitum, ut facilè in ſpiritum vitalem tranſcendat: ſed ex hinc Scholæ nil pro ſuo hepatico conficiunt. Cruor ergo ipſus eſto ſpiritus hepaticus coagulatus, & vitalium ſpirituum præexſiſtens materia. Qui ſanè ſpiritus, corporis naturam habet, cum potentia ut ſpiritualizetur. Itaque prout à cordis fermento, cruor fit ſanguis arterialis ac ſpiritus volatilis: ita in arteriis tanquam cordis ſtomacho, deſumtoque fermento cordis, ipſe ſanguis in rempubl. ſpirituum tranſit. Imò & ſecundarii humores, ſive proxima ſolidorum nutrimenta, fiunt ſenſim volatilia, ne poſt ſe reſiduam reſidentiam relinquant: ſed totali ſui tranſpiratione egreſſum faciant. Cor ergo fabricat ſuo fermento, è cruore ſanguinem, quem eâdem operâ aptat extenuatque ſic, ut porrò in arteriis tanquam ſuo ſtomacho, tantundem vitalium ſpirituum è ſanguine fiat arteriali, quantum ſanguinis groſſities, renitenſque ſubſtantia permittit, tantulo ſpatio, quo in arteriis agitatur, fieri. Eſtque univoca propemodum actio, dum cruor in ſanguinem, & ſanguis in ſpiritum tranſit. Quia non differunt officinis itemque digeſtionis, extenuationis & ſubtiliationis gradibus. Tantundem namque ſanguinis naſcitur è cruore, tantundemque è ſanguine ſpirituum vitalium eodem cordis fermento conficitur, quantum ſibi cuique opus eſt. Et vires conficiendi valent. Nec ſufficit adhuc noviſſe, cruorem in ſanguinem arterialem adſcendere; ſanguinem verò partim in ſpiritum vitalem tranſmigrare, partimque abire in ſolidorum nutritionem. E ſpiritu vitali quoque tandem fieri animalem, quique in ſuis nervis ultimatam recipiat determinationem. Ita quidem, ut ſpiritus viſivus fiat in nervis opticis, inde autem exorbitans, & in linguam delatus, guſtatui eſſet planè inutilis: prout & ſpiritus animales tractuum authores, metui ſunt impares, & viciſſim. Quin inſuper ſpiritus vitalis medullam noviſſe oportet. Enimverò ex acido chylo partim fit cruor, partimque urina & ſudor. Salſedo verò illa urinæ excrementoſa eſt ſpiritus volatilis & ſalſus, qui terræ confermentatus, tandem ſal petræ formatur: quapropter ſpiritus ille ſalſus eſt excrementoſus. Cruor verò per diſtillationem nobis monſtrat etiam ſpiritum ſalinum, planè volatilem, odore nequicquam, ut neque guſtu diſtinguibilem à ſpiritu urinæ. In eo tamen eſſentialiter diverſam, quod ſpiritus ſalis cruoris, curet epilepſiam: non autem ſpiritus ſalis lotii. Hinc ſaltem conſtat, in cruore eſſe ſpiritum ſalſum, & volatilem. At quo modo totus cruor homogenealiter à fermento cordis transmutetur, verbis explicari nequit. Eò quòd naturæ ipſæ à priori non ſunt demonſtrabiles. Fermentorum namque ſunt eſſentiales operationes, in rerum tranſmutationem: non autem accidentariæ accidentium propagationes, ad diſpoſitiones faciendas duntaxat. Eſt ergo ſpiritus vitalis planè ſalſus; ideò balſamicus, & cuſtos à corruptione. Ut quanquam aqua vitæ facilè in ſpiritum vitalem migret: non eſt tamen hic oleoſus, aut combuſtibilis inſtar aquæ vitæ: ſed ſpiritus vini, ſolo fermenti attactu, facilè totus in ſpiritum ſalſum mutatur, & indolem inflammabilem extemplò amittit. Prout docui libro de Duelech, quomodo per ſpiritum urinæ, aqua vitæ unico inſtanti in offam ſubtilem coaguletur. Quod de ſale ſanguinis volatili, multò evidentiùs fermento cordis effectivo licet argumentari. Quapropter, qui cordis palpitationem aliquantiſper tolerant, licet affatim tum multumque vini meracioris hauſerint: attamen non facilè inebriantur. Eò quòd propter urgentem neceſſitatem, citiſſimè ſpiritus vini in cor, & arterias, ſpirituum penurioſas, attrahatur, ſubitòque in ſpiritum vitalem formetur. Reſtaurat inquam vires, nec tamen tum inebriat: eò quòd non ampliùs peregrinus: ſed facilè domeſticus factus, in cor tractus, dein per arterias quoquo verſus diſpenſetur. Non arguit enim in adverſum, quod ſpiritus ſalis petræ, ſit acidus, ac quod proinde vitalis ſpiritus, acidus eſſe debeat. Neque enim ſpiritus, unde ſal petræ in terra fiebat, acidus tum erat. Eſtque ideo ſpiritus vitalis ſalſus, viciniorque ſpiritui lotii, quàm ſalis petræ, qui propter aduſtionem & extractionem, ſemper nova ſui concreti eſt creatura. Quod ergo per fermentum fellis jactum eſt fundamentum, volatilizando & ſalſum faciendo: hoc deinceps in cordis officina perficitur. Etenim præviæ digeſtiones, ſunt totidem diſpoſitiones ad vitales functiones & neceſſitates. Membro enim ſemel ſtupefacto, ſi ſenſus redierit, id ſanè cum ſenſibilibus ſtimulis & punctionibus fit, quæ veræ ſalſedinis ſunt indicia. Quod autem totus cruor ſit merus ſal, non aliunde clarius deduci poteſt: quàm quod homogenealiter totus in aſcite, & in ulceribus, in ſalſum ichor mutetur per facillimam degenerationem. Condecens autem fuit ſpiritui vitali qualitas ſalſa, acuta, & materia ſubtilis, ſi conſervandis membris ſufficere debebat. Rubedo quoque cruoris, flavedinem aſſumit, dum ſanguis fit arterialis, eò quòd rubrum per ſalis acredinem flaveſcit in ſui diſſolutione. Nec tamen ſanguis omnem rubedinem amiſit, ſiquidem pars ejus permanere debebat in ſolidorum membrorum nutrimentum. Mortuum eſt quicquid hactenus dixi, ſpiritum vitæ eſſe ſalſam aporrhœam, acutam, & è ſanguine factam per ſua membrorum vitalium fermenta. De vita ergo ſpiritûs dicam. Etenim cum vitæ muniis fungi debebat, non requirebatur ut eſſet in ſpecie liquoris ſalſi, aut ſanguinis, vel ut illudat ſub imagine ſalſæ exhalationis: at quia vivere primariò, vitamque ſuſcipere debebat, illuminari, ipſi fuit opportunum. Non ſanè lumine urente, inflammante, aut igneo: ſed lumine ſimplici, vitali, de natura formarum animantatorum, vitæ & animæ ſenſitivæ: & quidem de ſpecie humana. Finge enim ad illius intelligentiam, vermes nitedulas nominatos, lucem noctu in ventre habere, quæ nedum ſplendeat inſtar oculorum felis: ſed & circumcirca tenue lumen effundat. Lux iſta exſtinguitur cum vita nitedulæ. Par lumen, finge, quod ſpiritum vitalem illuminat, quoad vivit lucet, & propagatur in recenter factum ſpiritum, debitè elaboratum. Et quò impurior, minuſque elaboratus fuerit, eò lumen iſtud eſſe tenebroſius. Exſtinguitur autem in nobis lumen iſtud, perſtite ſpiritûs materia in peſte, venenis, &c. prout per ſyncopen & palpitationem lumen exſtinguitur, & ſpiritus evaneſcit. Sub mortem quoque, oculi membrana, manifeſtâ luce deſtituitur, planè viſibili. Non eſt tamen par lucis illius eſſentia in nitedulis, quæ in nobis, ut ſolo videlicet gradu à nobis diſcrepent. Sed ſunt tot luminum horum ſpecies, quot vitalium creaturarum. Divinæ id nobis largitatis indicium, quòd luminum, quæ nobis unica ſub notione comprehenduntur, tot ſint ſpecies, & vitales differentiæ. Utpotè quòd illæ luces ſint ipſæmet vitæ ac formæ vitalium. Adeò patrem luminum ter glorioſiſſimum ludere abundantia genericorum luminum, non minori prodigalitate, quàm in vultu humano unico, tot propemodùm varietates effinxit, quot homines. Eſt quippe penes ipſum quædam luminum vitalium reſpubl. & innumerabilium civium cohors: cujus ſimilitudinem quandam in vitalibus animantatis exprimit per vitam, formam, id eſt, per lucem vitalem. Eſt ergo ſpiritus vitalis, ſanguis per vim fermenti & motus cordis, reſolutus in auram ſalſam, illuminatam vitaliter. Quod lumen in nobis eſt calidum; In piſce verò friget actualiter ſic, ut nunquam quamdiu vivit ac ſubſiſtit, queat ad caloris potentiam adſpirare. Non eſt igitur calor noſter, humidi primigenii conſumtivus: ut neque proinde, defectu caloris, piſces, mortem effugiunt hactenus: licet humidum illorum non efferatur in exhalationem: atque omnium minimè, in mari glaciali. Neque enim Capuccinus noſtras, maximâ parte anni, à pedibus in ventrem uſque frigens, nec ſentiens ſe pedes habere, proinde humidi alimentarii non tolerabit quotidie transſpirationem, aut recuſat alimentorum refectionem, aut Capuccinus illis partibus mutatus eſt in piſcem: quod alioquin eſſet neceſſarium, ſi calor eſſet fundamentum vitæ primarium, non autem adjacens, & comitans. Abſit, neſcire aliam eſſe conſumtionem humidi à calore: aliam verò quæ à fermento extenuante promovetur. Hæc ſiquidem nullam fecem, aut reſiduum aliquod poſt ſe relinquit. Illa verò tophum, vel carbonem. Adeóque prior tendit in inſpiſſationem: poſterior autem in extenuationem. Sin autem in nobis ingens quandoque calor inſurgat, qui membra pruno, & igne perſico adurat, gangrænetque, eſcharam moverat, & ſubinde gliris inſtar carnes erodat. Ita nempe ſunt opera corroſivorum ſalium, actus degenerationum exlegum à Republ. vitali proſcriptorum. Perinde enim per laxativa venena totus cruor in putrilaginem reſolvitur. Errores enim alienigenorum ſeminum violentiis adſcribendi, ſub quibus vitale lumen degenerat, non ſecus, atque compreſſio fœni, ignem excitat. Porrò ſpiritus vitalis, per aortas arterias, in caput ſcandit. In cerebri meditullio autem eſt unicus ſinus, qui ſupernè inſpectus, duplex videtur, ſed elevatâ ſurſum camerâ, unitatem oſtendit. In hoc autem ſinu, deſinit arteria in vas rugoſum, & alterius texturæ, quam cætera arteriarum compago. Hac ergo diffluit ſpiritus vitalis, in ſinum cerebri, pro miniſterio Imaginationis, memoriæ, & pediſſequarum facultatum ſpiritualium: quæ omnes pariter fundatæ ſunt in ſpiritu inſito, cerebri incolâ. Hinc autem, ſi ſpiritus influens pergat in oſcula nervorum incipientium à cerebro, vel cerebello, proprietates acquirit ibidem deſtinatis partium functionibus aptas. Hunc alibi dixi à ſpiritu vitali eſſentialiter non differre: ſed in eſſentiæ ſuæ latitudine plurimarum proprietatum eſſe capacem, juxta Idearum ſibi impreſſarum latitudinem. Qui namque ad linguam defluit, guſtatum efficit; qui tamen in digito non guſtat. Quia particularem organi determinationem induit, abſque naturæ ſuæ transmutatione, ne tot eſſent ſpiritus animalis ſubdiviſiones, quot officiorum pluralitatibus diremta miniſteria. Interim rem voca, ut lubet.

VITA MVLTIPLEX IN HOMINE.

OStendi alibi in utero monarchatum, adeóque & vitam ſingularem: qua ſcilicet poſt mulieris mortem, prolem adhuc enititur. Vidi & mulierem, quæ nunquam caduco corripiebatur, niſi inſtante partus dolore; nec ceſſabat etiam niſi poſt partum. Oſtendi quoque vivere quidem lieniformem quandam carnem inter ſecundinas & acetabula uteri obnatam: ejuſque vitam ſibi propriam, ſic ut non vivat vita matris aut fœtus: ſed quadam promiſcua, non quidem vita ſenſitiva, quanquam vegetetur vi quadam vitali: non autem animæ cujusdam herbaceæ, aut vegetantis favore. Tandem quoque venis ſuam à morte hominis adhuc permanere vitam, quâ multos dies ab obitu perſonæ, cruorem in ſe detentum à coagulatione præſervat, & hactenus vitâ quadam illuſtrat. Quapropter venarum eſſe aliam vitam, qua nedum vivant: ſed & in vita ipſum cruorem conſervent. Poſtremò & demonſtravi, vitam quandam peculiarem muſculis ineſſe, cum facultatibus ſenſitiva & motiva, per quam ſe tendunt pavido ſpaſmo omnes ad ſenſationem mortis. Ut patet in tetano, rigoribus & convulſionibus, in quibus tam in vivis, quàm à morte, muſculi moventer invitâ voluntate, etiam poſt vitæ extinctionem. Et quanquam hæ vitæ variis ſubjectis diſtinguantur, & munium diverſitate manifeſtentur, omnes tamen originaliter à ſemine oriuntur, veſanæ ſunt, ſubjectis ſuis implantantur, & vitæ integrali ut partium formæ inſunt totali. Quare nec conſiderandæ ſunt in tractatu de vita longa. Utpote quæ ſine ſpe fomitis pereunt, ſaltem mox à morte hominis. Memorabiles tamen in morborum alteritatibus & indicatione curativa.

FLVXVS AD GENERATIONEM.

Generationis noſtræ initia ſomniotenus vidi, & calamo deſcribam, quantum verbis poteſt. Inprimis vidi uterum plicis, inimitabili artificio contractum, ſeſeque ſub conceptum pandere, per proprium Blas magneticum: idque adæquatè ad ſeminis extenſionem. Quæ ſcilicet plicarum diductio, vel apertio, cauſat ſuctum, & attractionem ſeminis, ratione vacui. Atque in eo rhombus conceptionis jacet pro ſexu fœmineo. Siquidem continet cauſam immediatam complacentiæ, & attractionis ſeminis in uterum. Neque enim alias in congreſſibus, utut voluptuoſis, fit ulla unquam plicati uteri expanſio, niſi in ipſo conceptus inſtanti: hinc namque brutorum ferè infallibilis conceptus. Siquidem non eſt ulla uteri diductio voluntaria, ut neque artificiis ſubjecta. Quin potius quodammodò ſuperans naturam, oſtentat Deum humanæ generationis Præſidem, continuatæ in poſterum juxta verbum benedictæ propagationis. Creſcite, & multiplicamini. Eſt quippe Dei digitus, qui hos diducit loculos, ſine medio organico. Quod in Sacris dicitur: Deus aperuit uterum Sarai. Profectò tota generationis hiſtoria naturam excedere videretur, niſi acquiſitæ propagationis jure & continuata ſui frequentia intra naturam eſſet recepta. Quiſquis ergo prolium exſpectationem meditatur, non venerem ſalacem, non ſeminis abundantiam, imò nec ſanitatem exſpectet: ſed omnino atq; primariò præfatum uteri magnetiſmum. Et ex parte virilis ſexus, ſemen nullo infame contagio. Alioqui namque, uterus ſemen malè imbutum ſemel recipiens, illud rejicit, nec deinceps ſe aperit, ut intrò ſugat in vitam iſtius viri ſemen. Sæpè namq; in ſecundis nuptiis concipit uterus, qui primo thoro fuit ſterilis. Debet autem idcirco extenſio uteri, ſemini adæquata eſſe ratione vacui vitandi. Deinde, omne alienum eſt generationi hoſtile impedimentum. Tum demum, poſtquam virile fœminino ſemini ſociatum eſt, in præfato concavo uteri confeſtim ceſſat illius magnetis ſuctus, clauditurque uteri oſtium prope ejus cervicem. Uterus verò, contentum undequaque & adæquatè, excluſo omni aëre, benevolo favore amplectitur, incipitque amborum exactior commiſtio, propter occultam ſyngamiam, utrimque in ſeminibus explicatam. Mox dein, tametſi conceptum ſemen initio turbidum ſit, atque opacus liquor: attamen biduo abinde, tranſparentis albuminis ſimilitudinem aſſumit. Sexto autem die (neque enim prius) apparuit mihi ſeminum incola Archeus, tanquam vapor nubilus, qui pòſt, decimo tertio die, hominis figurâ umbratiliter dotatus fuit, cum aliqua clarificatione ſuæ ſpiſſitudinis. Tum enim ſemen decimâ forte ſui parte accreverat, ſibiq; primigenio nupſerat liquorem alimentarium. Mirabar interim egoitatis inceptam philautiam, quæ vel in ſeminibus inciperet meditari mox ſui incrementum. Etenim ut tepens lac, ſeſe ſtatim incruſtat pellicula: ita & ſemen mox à triduo ſeſe pelle loricat, quæ tamen ſenſim evadit manifeſtior. In eo tamen utraque toga differt, quod lac pellem, ſaltem contra aërem obducat: ſemen verò, undequaque. Quia lacti non obtenditur pellicula à ſpiritu formatore: ſed à calore, ſeparante lactis alteritates. Hinc namque fit, quòd è lacte viſcidiores, pinguioreſque & viciniores ſemper partes, ad pellificationem deligantur, per ſeparationem à reliquis: quibuſque abſumtis, ceſſat lactis pellificatio. In lacte igitur in corruptionem tendente, fiunt materiæ diſparitates. Quod in ſeminibus ad generationem collectis ac diſpoſitis, non accidit. Porrò quamvis aura ſub hominis figurâ cerneretur: nondum tamen character ſexualis notari à me potuit. (Poſt aliquot dies à viſione incidi in locum Apoſtoli, non erit Græcus aut Ebræus, non mas aut fœmina: ſed unum omnes in Chriſto.) Circa diem 17. vidi, quod hæc aura figurata ſeſe demergeret, atq; planè deſponſaret intra albumen, ac quaſi dormiret toto triduo, & horis circiter 12. eratque in ſemine rurſus quoddam chaos opacum. Quo intervallo ſibi ſecundinam viſibilem obduxit: atque duritiem membranæ, quam in materia non reperiebat, ſibi fecerat, per vim formativam & tranſmutativam. Aura nimirum hæc formatrix, dum ſculpit corpus, non utitur ſeparatione, nec ideo opus habet materiæ diverſitate, quâ ſibi in typo propoſitas organorum alteritates fabricet. Quo triduo exacto, tum priùs apparuit ſpiritus ille formator, ſexuum ſignaturâ inſignitus, non tamen amplius per totam ſeminis molem obambulans indiſtinctè: ſed quadam ſub confuſione, illi triduo propria, tota iſthæc aura, ſingulis in partibus (licet nondum apparentibus) coaluerat. Neque enim tam adhuc alter erat vagus, & fluctuans in iſta maſſa. Sed unicus inſitus, ſibi per partium rudimenta continuus, totam generationis repartitionem abſolvebat. Fuitque ſuus iſte labor, indefeſſus, ſine labore tamen atque tædio. Et quanquam in opera non laſſaretur, vicarium tamen ſibi adſcivit. Etenim magis magiſque partium diſtinctio explicatur, & totius fit accretio, ex materno & puriori ſanguine, ſibique format humidum radicale, ſolidarum partium conſtitutivum: quapropter & à materni ſanguinis ſpiritu vitali, ſibi incrementum, atque fomentum haurit, quod nimirum ſibi mox aſſimilat unione perfectiſſima. Alitur nempe, & creſcit ſpiritus in ſeminis adumbratione, non ſecus atque ipſa embryonis corporea moles. Influens tamen ſpiritus, non mihi viſus ante diem 32. à conceptu. Tenuis quidem tum adhuc, & ſanguine materno deſumtus, in vicinam ſpeciem traductus. Hic verò circa 41. diem lucem aliqualem ſive ſplendorem vitalem adeptus erat, ſimul & ſtaturam humanam: ſed conglobatam expreſſit. Deformem tamen, ob capitis diſproportionatam magnitudinem. Quæ lux erat tanquam fulgor, è flamma, quam aqua vitæ ardendo exhibet. Ac non multò poſt aliquot momenta, ſubitò, hæc lux ſeipſa eſt facta lucidior. Senſitiva anima, quanquam in brutis ſpeciem faciat, ideóque per ſe ſubſiſtat: In homine tamen, non ſpeciem: ſed luminis tantam ſubordinatam alteritatem, ſive gradum ad mentem, continet. Ideò vix ſubſiſtentem abſque mente. Ac licet in homine ſit vita ſenſitiva: ac non eſt ens ſpecificum à creatione: ſed ſeminale, per libidinem Protoplaſti occaſionatum, cujus character à mente totus coercetur. Vita ergo ſenſitiva ſub ſplendore cœruleo & obſcuro, informat ſtatim ſpiritum ſeminis: informaturque à mente, & luce clariore. Intercedunt tamen 4. 5. 6. aut 7. puncta funis pedalis. Quia ſemina diſtant diſpoſitionum perfectione: diſtantque ideò ſeminum formatores ſpiritûs perfectione, & agendi alacritate. Hinc namque quod uni conceptui una ſit quadragenaria, id alteri ſecunda obvenit, vel tertia, nec tamen propterea empſychoſes tardiores vel ſegniores, imperfectiores velocibus, non ſecus atque præcocia ingenia, ſunt non rarò tardioribus poſtponenda. Tota ſaltem generationis noſtræ ſeries ſpirat auguſtum aliquid. Etenim quantumvis opifex formator Archeus humanam in ſe figuram contineat, & corpus ad ſui ſimilitudinem figuret non eſt tamen fabrica humana, ab initio, in ſtatura erecta, ut neque confusè globata: ſed curvata, quomodo caret fœtus in utero. Falſum eſt ergo, quod natura ubique ſit circularis. Quippe quæ ubique ſuis voluit ſatisdare finibus, qui ab Opifice glorioſo naturæ, & non à natura induntur. Neque enim alioquin à generante, recurvata reflexio, inditur ſpiritui ſeminali erecto: ſed procedit à digito ejus, qui à fine uſque in finem diſponit omnia ſuaviter. Confeſtim itaque concepto ſemine, uterus clauſit oſtium infernum, ne quid irruat peregrini, quod conceptum conturbet. Denique, vaſa uterina imperio ſubjecta, ſupernè etiam, velut addito hoſtiario, clauduntur: quia tum nova oritur in utero reſpubl. nova futuri fœtus œconomia: ideóque & in confinibus vaſis ſingularis culina erigitur. Vſque adeò ut embryo, non è cruore hepatis: ſed puro putoque ſanguine arteriali, dudum alatur, & creſcat. Mox verò dein, atque hæc coquina, pro embryone (qui victurus eſt proprio orbe) eſt inſtructa, uterus cruorem præparat, quem embryoni propinet, everriturque proinde, quicquid minus utile occurrit. Adeo ut toto illo motu, plerumque mater ſe malè habeat. Siquidem cum non ampliùs per emunctorium uteri expurgari poſſint ſordes, quæque nec partus maturitatem queant exſpectare: ſordes, in bonas retro eunt, conditionem excrementi nanciſcuntur, & foras, per vomitum, aliaſque ſentinas extruduntur. Id quod in brutis non æquè fit, cùm menſtruo careant, & importunum congreſſum non admittant. Denique conceptus hominum, non ex prima Creatoris intentione erat, per modum, quo in peccatis concipimur. Tandem etiam, quia pro brutis, non æquè purus in alimentum ſanguis requireretur. Sola itaque prægnans mulier, dira, multarum pœnarum piatione unius congreſſus pruritum, præ brutis pendet. Embryo ergo, ſanguine arteriali, in culinis utero vicinis præparato, primum alitur, donec poſt primam quadragenariam, vivente potitus animâ, ſui fit juris. Culina verò præparatoria, in carne lieniformi, qua utero adhæret ſecundina, exercetur. Tarda ideò & ſæpè irrita ſunt fœtui auxilia, & oretenus matri exhibita: eò quod ante introitum ad embryonem, recoquantur ſingula. Iterumque in ipſo fœtu, antequam eundem augeant. Infans autem editus, antequam duriores cibos ſit ferendo, blandioribus aſſueſcit. Ita namque dudum paſcitur ſanguine arteriali, qui nulla poſt ſe ſtercora deponit. Nam quæ nato infantulo, mox primo vagitu excidunt, ſunt cruoris jecorarii reliquiæ, qui non niſi plerumque poſt tertiam quadragenariam, primum in præfatas culinas admittitur. Suntque hæc nimirum excrementa, quæ partûs neceſſitatem maturant, & ſolicitant. Enimverò inſitus ſemel ſemini ſpiritus, in ſemina demerſus, ſtatim corporis neceſſitates, ſi non prænoſcat, ſaltem addiſcit, & dein conſanguineum ſibi ſpiritum, quadam cognationis ſymphonia in alimoniam trahit. Vterus tandem, fœtus maturitatem ſentiens, ſeſe corrugando contrahit, quod eniti prolem veteres dixerunt. Sæpè etenim abortum detinui comminatum atque inceptum · quandoque verò, non potui. Detinuiſſe verò me agnovi, quoties abortus cauſaret ex ſymptomatica thymoſi ſine præmatura expulſiva, aberrante ſcilicet utero. Remediumque operabatur cohibendo, ſopiendo, ſedando, & placando præfatos uteri furores. Sed abortum præcavere non potui, quoties caſus matris ex alto, multaque perturbatio terroris, mœroris, iræ, &c. inordinatorum. Itemque ſi fœtus monſtroſitatem inſignem haberet, quæ non ſegne ad expulſionem calcar addit. Vel ſi fœtus moriatur, aut inſigni debilitate tabeſcat, aut deficiat. Itemque ſi mater perculſa validè, antequam propria viveret quadra, ad ſe retraxit ſpiritum arterialem. Qui ſi abinde mox redierit, tamen eundem velut ſyncopizatum invenit, cui ita tenellæ, vix vita reconnectitur. Hoc pacto ſemivitalis conceptus ſubinde molam, aut fatuum germen abortire aſſolet. At id vix paterni ſeminis defectu evenit: eò quòd ſemen ſterile aut fatuum, vel non attrahatur, adeóque nec concipitur. Vel ſi attrahitur, iterum mox ſtultâ uteri libidine excidit, irritatque conceptum. Degenerat autem ſemen in molam, propter externas incidentias, ſemini ſupervenientes: quibus Hippocrates ait ſemina abduci, quo nolunt. Mola ergo fit, dum ſpiritus in corpus ſeminis demergitur, ſpoliaturque figurâ humanâ, retinens tamen vegetationem priſtinam. Demerſio itaque ſola poteſt figuram è ſpiritu formatore præcipere, ſi nimis dudum ſopitus intus ſoporatur. Viſio autem ſomnialis quanquam vix ſemiquadrantem horæ expleret, omnes tamen generationis ſucceſſivas periodos, ſimul velut in ſpeculo rei repræſentabat. Momenta nimirum, fluxus, motus, aſpectus, alteritates, ſimulque errores in unitatem collecta ſtabant. Expergefactus autem, eheu quantum ingemui ſimilitudinem noſtræ propagationis modernæ, cum brutali! Adeóque non immeritò Adam planxit per ſeculum mortem Abel. Exoſam tantiſper dolens brutalem generationem, totoque illo ſeculo uxorem non cognovit. Perpendens, quod natura in ſui radice jam deturpata, ærumnas originales, & neceſſariò durabiles paſſura eſſet.

LVNARE TRIBVTVM.

CVm ſola mulier inter animalia (demtâ fortè ſimiâ) patiatur menſtruum, videaturque ob hoc ſideris lunaris operationes experiri: garriant autem Scholæ plurima de menſtruo, tanquam fœtus ordinario alimento: oportuit ſanè illarum jactantias, in tractatu de vita longa detegere. Inprimis namque luna, non accumulat vel expellit hunc cruorem: licet uteri purgatio coincidat cum curſu lunæ. Nam iſtud coincidere utrique termino eſt per accidens. Etenim alioqui ſi iſta muliebris purgatio, à Luna ipſa eſſet, omnes feminæ utique eodem die, ſaltemque in eodem habitarent climate, eſſent menſtruæ. Vel ſaltem juvenculæ omnes cum novilunio idem pariter paterentur. Quod falſum eſt. Etenim ſi aliquot naves prætoriam aut tribunitiam unam ſequantur, obſcura nocte laternam pro fanali habentem: laterna quidem ſignum duntaxat ſequelæ præbet: ſed ventus, clavus, clavique rectores, erunt cauſa immediata efficiens inſecutionis. Sic luna inſtar facis ſeptimanis quatuor & horis ſex abſolvit penſum circuli: ſic etiam mulier ob rationes mox addendas. Mulier enim conceptam genituram, de ſuo augere atque alere debebat, in juſtam fœtûs proceritatem, editumque infantem ſuo cruore in lac verſo paſcere: ergo neceſſe habuit copioſiore cruore, ideóque, dum in ejuſmodi fines non abſorberetur, ſuperfluus quoque fieret, & per conſequens excerni. Imò quanquam mulier multò minùs edat, bibatque, quàm vir: pluri tamen cruore ſcatet. Id eſt, officina cruoris plus ſanguinis efficit in muliere, quàm in viris, etiam è parciori edulio atque potu. Vnde neceſſariò demum conſequitur, Plus in muliere in alimentum utile verti: & plus in viro in excrementa mutari. At ut conſtet, quis qualiſvè ſit cruor ille ſuperfluus, ſciant omnes, Quòd cruor humanus renovari debeat dierum ſpatio, quo Luna per zodiacum ſingulos metitur curſus. Iſtud nempe eſt ſpatium, quo cruor ſuo cuſtoditur balſamo, & diutius reſervatus, corrumpitur. Siquidem qui cruore abundat, neceſſe eſt, ut in vitæ familiam eundem alendo abſumat, vel in pinguedinem, phlegmata laticis, ſcoriaſvè alias, ſudorem vel excrementa morboſa tranſmutet. Mulier enim poros habet exiguos, carnoſa membrana, ſupter epidermida, ipſi multo adipe dives eſt, neque ideo poteſt in alimoniam conſumere, quantum ſuperabundantis in ſe cruoris indies conficit. Nacta ergo meta curſus cruoris, effetus fit omnis ſuperfluus, quem proinde ejicere ſatagit natura, eumque ad venas uteri tanquam deſtinata emunctoria ſequeſtrat. Ad loca quippe illa propria, nec item aliena, cruor recedit, eò quòd ob fines jam narratos menſtruum, ſolius ſit muliebris cruoris ſuperfluitas. Fitque oneroſus ipſo titulo, quo ſuperfluus: eóque adhuc magis, quod tum exuat ſpiritum vitalem. Non ſecus atque vina quædam, exacto anno, vappa fiunt. His igitur finibus & modis, cruor fit excrementum, dein virus, vireſque in pejus acquirit eundo. Tandem autem recentis cadaveris proprietates horridas aſſumit. Propterea nempe menſtruum primorum dierum, magis eſt infectum, quàm quòd ſubſecutivis diebus effluit. Nam tametſi expulſio menſtrui, ſit venarum proprium munus: attamen ejuſdem collectio, prout & renovatio, ac ſequeſtratio, pertinent ad monarchalem uteri Archeum. Ideò nempe exoſum maximè, celeriùs foràs ejicitur, quo prius à bono cruore ſecreverit, & hactenus diutius circa uteri venas detentus, atque ob id virulentior magis. Denique etſi hoc virus ſpecie cruoris ludat, depoſito vitalis balſami favore tamen, per gradus, ad liquaminis cadaveroſi malignitatem adſcendens, aſſumit veneni indolem, & à priſtinis cruoris natura & proprietatibus degeneravit. Quod probat mechanica. Siquidem linteum menſtruo tinctum, ſi demergatur in aquam bullientem, maculam contrahit in poſterum indelebilem: quæque tertia ſaltem elotione, excidit è linteo foraminato, non ſecus ac ſi ſpiritu ſulfuris acido corroſum foret. Id quod cruori humano aliàs eſt exoticum, ſive per nares, vulnera, hæmorrhoïdes vel dyſenteriam profluxerit, vel demum ſi lividioris grumi inſtar ab ulceribus exciderit. Vnde quoque conſtat, menſtruum habere proprietatem aluminoſam tinctoriam, ac præterea cadaveroſum virus acutum, eroſioni aptum. Quatenus autem ſemel ſigillo vitalis Archei potiebatur, quo dein privatum, vim fermentalem, potenti contagio plenam, hoſtileſque acerbitates nanciſcitur. Cruor enim iſte, diverſis malitiæ gradibus, varia intus miſeræ mulieri pathemata concitat. Nam ubi ſemel ad venarum uteri hoſpitia, à cætero cruore ſequeſtratus, malignitatis præfatam acrimoniam ſuſcepit, atque inde retrogrado revulſionis motu (qui fit vel per largas venæſectiones, vel uteri ſymptomaticas excandeſcentias profluviorum concitatrices) intra venæ cavæ caudices reſorbetur: ſyncopes, palpitationes, convulſiones, & non raro ſtrangulationes horribiles efficit. At ſi cruor menſtruus, nondum ad uteri venas deductus, aut planè à reliquo ſecretus, adeóque nec dum ultimam perniciem habuerit: Inordinatione quapiam detinetur, variaque ſymtomata paſſim conſpicua excitat. Ex præfatis igitur liquet, prægnantes, nutrices, infirmas, exſangues, emaciatas, impuberes, & Rotulas, carere menſtruis, quia & ſuperfluis. Falſum quoque eſt, Omnem cruorem menſtruum, abſque diſtinctione eſſe venenoſum, vel innocuum. Itemque, quod in utero nutrimur, grandeſcimus ex menſtruo. Siquidem cruor muliebris non antè conditionem habet menſtrui, quam dum nutritioni ineptus, vita effetus, vinctuſque ducitur ad cloacam. Neque enim qui vinum potat, bibit acetum, licet hoc ex illo fiat. Vt neque excrementis veſcitur, qui cibos edit. Imò quod amplius eſt. Cruor qui in vel mox à partu excernitur, non eſt menſtruus, defectu conditionis, eò quòd non ſit à præcedenti Lunæ curſu ſuperfluus. Dein etiam, quia non coacervatus, carnoſus, non aluminoſus, non tingens lintea, nec à toto ſegregatus, nec ad loca Vteri proſcriptus in expulſionem. Ille enim, qui copioſus ſub & poſt partum excernitur, quoque retento, mox dein febris delira interitum minatur, cruor quidem eſt; non tamen matris menſtruum: relictus enim eſt à fetu, qui cum ab empſychoſi proprio victitaret orbe, culinam habuit extra ſe, in vaſis uteri. Quapropter aliam ſibi adſcivit proprietatem, quàm matris, &

quàm menſtrui. Hoſpes enim ille,cruoris menſtrui quidem habet ſpeciem : alienæ tamen familiæ adoptivus, & matri factus exoticus , ſeriò eſt expellendus , non alias ſanè quàm ipſæmet ſecundinæ. Omiſſus verò atque derelictus,corrumpitur , & mortem infert. Cæterùm cum in prægnante nullum prorſus ſit menſtruum , per conſequens nec fœtus ille alitur : ſed puro ſanguine matris, putoque cruore dein,prius adhuc ſuis culinis depurato : falluntur ergo Scholæ, docentes exanthemata , morbillos , ſeu variolos , unicuique propemodùm mortalium deberi , propter tributum alimenti menſtrui. Etenim obſervabant , rarò aliquem bis feriri iſto morbo , rariuſque fortè ab illo excuſari : quapropter communem indagantes cauſam , effectum , unde fœtus nutriretur initio , in menſtruum retulere. Aſt in omnibus citra rerum cognitionem,ſibi mutuò ſubſcripſere,in fabulas & conjecturas lapſæ ſunt.Inprimis namque non conſiderârunt , impoſſibile fere iſto morbo immunem fieri quempiam,ſi pariter menſtruo nutriantur indifferenter omnes. Deinde quod certo,uno, ac ſtatuto velut criſeos termino affligerentur. Fateor quidem,variolos è veneno ſcaturire,viruſque ſecum ducere,ſuo fermento cruorem inficere, alioſque adſtantes (præcipuè verò pueros) contaminare, quodque venenorum interna eſſentia , non ſit demonſtrabilis à priori : adeóque per effectus, proprietatem veneni metiamur. Prout à fructibus arborem. 1. ergo venenum variolorum eſſe duntaxat humanæ ſpeciei proprium. 2. Naturam facilè pronam , ad fabricandum illud. 3. accendi autem circa ſtomachum,adeóque in centro corporis. 4. Partes ſemel hoc veneno obſeſſas , illud à ſe repellere ociſſimè verſus ſuperficiem. 5. Officinas illius veneni,poſtquam ſemel ejus tyrannidem ſenſerunt , hoſtili deinde averſione & horrore edoctas ; magna præcautione illius generationem vel ab ipſo initio præpedire, ne,uti prius,incautè in illud incidant.Ergo venenum fit in homine,non autem illi connatum ex menſtruo.Quale autem iſtud ſit, deſcribi nomine nequit , quia proprium nomen extra effectus non habet. Sufficit hoc loco, non poſſe menſtruum in cauſam trahi,ob antedicta. Igitur primum menſtruum peccat in materia , propter ſolam abundantiam. Dein gradum ſubit.Vt primus ſit,quo cruor ille, à præcedenti lunæ curſu , eſt ſuperfluus. Alter verò ſimulatque ſeparatur à reliquo.Tertius autem , dum circa uteri vaſa deputatus reſedit. Quartus , qui aliquantiſper ibidem hæſerit , & viam mortis intraverit. Vltimus tandem, dum jam ut cadaver , & in auras elapſus eſt. Peccatur ergo à Scholis,per venæ ſectiones,dum virgines ex parte menſtrui,palpitationem ſentientes,ſuccurrere ſatagunt, ſine diſtinctione. Nam quanquam menſtruum primi gradus , per phlebotomiam revulſam , palpitationes ſedet : In tertio tamen menſtrui gradu,exitiale remedium prædixi archiatris noſtris. Eò quòd inanitis brachii aut poplitum venis , retrò tractum menſtruum à viciniis uteri , in venas obſervaverim. Siquidem , quæ non manent inanitæ, ſed communione continuitatis replentur iterum : ſicque poſt ingentes palpitationes , pulſuumque intermiſſorum pauſas, vel poſt ſubſequentes laterum dolores acutiſſimos ex utero(propter nimirum virus aluminoſum tertii gradus) virgines repente extinctas propter phlebotomiam me invito inſtitutam. In primo quidem gradu, demitur abundantia cruoris. At minus malum , licet pars effœti cruoris ſuperſtes relinquatur. Malim equidem naturam in ſequeſtratione & expulſione juvare : quàm indiſtinctum cruorem hauriendo,naturam debilitâſſe.Iſtud adhuc notabile. quòd licet morbos,per digeſtionum claſſes diſtinxerim : Menſtrui tamen mentionem vix fecerim. Eò quòd menſtruum nec digeratur,neque digeſtionis ſit recrementum,adeóque alterius eſt conditionis. Nam primò peccat abundantiâ bona,dein ſuperfluitate oneroſa;mox privatur vitâ,& virus evadit.Porcos tamen ſanat in lepram vergentes: prout & confeſtim equos, ex potu intempeſtivo contractos , ſi tantillum menſtrui potitent. Itemque menſtruum alterius mulieris virulentum atque verum,paucis guttis exhibitum , confeſtim ſtrangulavit mulierem profluvio laborantem.Cruor autem qui tandem in profluviis copioſus excernitur, paucis guttis potus , profluvia ſiſtit. Porrò quod ſola mulier (demtâ forte ſimiâ) menſtrua patiatur : ac licet menſtrua ſolam accuſent abundantiam. Vacca tamen ubere arefacto,non patiatur menſtruum, aliàs plurimo diffluat lacte : denotat , quòd cruoris abundantia ſit quidem cauſa materialis : at non proinde finalis , quamque ideo inter naturales non redegi : eò quòd ſolus Omnipotens omnes omnium fines cauſales intra ſe claudat,qui cuncta ſuaviter diſponit pro inſcrutabili judiciorum ſuorum abyſſo. At ſi lubeat cauſam hujus inquirere , certum eſt , Evam poſt eſum vetiti pomi,prurigini libidinis ſe ſubnoxiam feciſſe,virum in congreſſus excitaſſe & admiſiſſe : hincque conceptam naturam humanam corruptam

ptam, atque degenerem deinceps perſeverantem. Cujus corruptionis ergo, poſteri incomparabili puritate orbi ſunt. Vnde conjecturæ locus: quod Eva per membrum, quo multis ærumnis ſubnoxia evaſit, teſtari apud poſteros, lapſus ſui ſucceſſivam culpam, & cruentam deturpationem in natura. Etenim pars qua imago Dei, ex ſancto ſpiritu concipi debebat, cloaca ſordium evaſit, teſtaturque abuſum, & culpam peccati indelebilis: ideóque & tolerat. Quia in dolore paries filios brutorum inſtar, quia deinceps brutorum more concipies. Sic namque iſta maledictio introivit in naturam, & permanebit. Atque eâdem lege etiam menſtrui neceſſitas. Ante peccatum enim clauſo utero egreſſus fœtus, dolorem non cauſaſſet. Quocirca ex præmiſſis argumentari licet. Incomparabilem Dei Genitricem virginem, Arcam federis, corruptionem nullam in ſe unquam admiſiſſe, & per conſequens, nunquam menſtruo obnoxiam, ut neque muliebres incommoditates paſſam. Quippe quæ meritò lunam, lunæque proprietates, divino nutu pedibus ſubſtratam habet. Cui poſt Deum, honor & laus.

VITA.

SI de vita longâ tandem mihi philoſophandum, intuendum primò, quid vita; dein, quæ vita hominis, quæ immortalis & Adamica, quæ deinceps ſenſitiva & brevis, quæ morboſa, quæ ſana, quæ mundi vita, & quæ vita æterna. Quorſum ex meis præmiſſis repetere convenit aliquot documenta. Inprimis ergo vita eſt lumen & initium formale, quo res agit, quod agere juſſa eſt. Hoc autem lumen à Creatore rebus infuſum datur unico inſtanti, prout à ſilice ignis excutitur, ſub formæ identitate ac unitate clauditur, perque genera & ſpecies eſt diſtinctum. Non eſt autem lumen igneum, combuſtivum, humidi radicalis conſumtivum. Tam in piſce eſt vitale, quàm in leone; tamque in papavere, quàm pipere. Nec etiam in nobis calor deficit, ob humidi radicalis conſumtionem: nec viciſſim humidum deficit, caloris defectu: ſed ſola duntaxat poteſtatum vitalium, adeóque & luminis diminutione, & extinctione. Ignis, lumen, vita, formæ, magnale, locus, &c. ſunt creaturæ neutræ, non ſubſtantiæ, ut neque accidentium catalogo comprehenſæ. Nec formam ideo in vitalibus à vita diſtinguo, exceptâ utrobique mente humanâ. Quædam ſcilicet vita muta eſt, & vix apparet, qualis occurrit in mineralibus; quæ tamen vivere ac defungi ſe, per ſuas declarant notas, & virium vitalium inſignia. Altera deinde paulò eſt explicatior. Qualis in rerum ſeminibus, ad periodum ſuæ ſpeciei tendentibus. Tertia demum viſitur in plantis, ſeipſas augentibus, & ſucceſſiva multiplicatione prolificantibus. Quarta denique per motum, ſenſum, arbitralemque electionem manifeſta in brutis, cum aliquali imaginationis diſcurſu. Poſtrema tandem, in mente immortalique ſubſtantiâ nunc obſcuratur, & per animam ſenſitivam ſui vicariam, quadantenus explicatur. Non eſt igitur vita balſamus, non mumia, non denique ſpiritus ſanguinis, licet hic ſit corporis conſervator. Eò quòd vita non ſit materia, imò nec ſubſtantia: ſed ipſiſſima rei forma.

Porrò de vita hominum immortali dicturus, textum ſequar. Enimverò quia infracti præcepti pœna, mors erat: Mors enim non ex Deo, ſed ex conditione legis advenit. Mortem inquam non fecit Omnipotens, ut neque medicamentum exterminii in terra. Idque duntaxat reſpectu hominum eſt intelligendum. Neque enim univerſi tota natura & conditio, ob peccatum Adæ conſpurcari debuit: adeò ut bruta, noſtri generis prævaricatione ſint morti facta obnoxia. Siquidem vel ante peccatum bruta mori debebant, quorum nempe quædam, aliis in eſcam & pabulum ſubſtituerat rerum Dominus. Naturaliter enim mori debebant. Cuncta quorum ſaltem annihilabilis vita atque forma unum quid erant. Perire ſcilicet formas illas fuit neceſſe, quæcunque corporali ſeminum connubio, primas ſui antecedentes, & ſubſequentes diſpoſitiones nanciſcuntur. Mors ergo brutorum, digna non fuit vocabulo mortis, quæ extinctionem & annihilationem luminis, non autem ejuſdem ſeparationem cum ſeparati conſervatione includebat. Complacuit itaque ſibi immenſus, quòd hominem conderet in proximum divinæ majeſtatis ſimulacrum vivens, nec morti obnoxium. Ideò nec mortem feciſſe dicitur. Creditum eſt itaque Adamum ante tranſgreſſionem, fuiſſe immortalem, ex creatoris bonitate: ergo cognovi, Adamum quidem fuiſſe immortalem, ante legis prævaricationem: attamen illi non fuiſſe naturalem ex radice vitæ: ſed arboris vitæ ergò. Fruſtranea namque alioquin hujus arboris plantatio in Paradiſo, ſi ætatum alteritates, & calamitates, homo pati non potuiſſet. Fuit ergo arbor creata. In renovationis, rejuveneſcentiæ, imò in præcautionis ſenii poteſtates atque neceſſitates. Nam etſi corpus ex creatione non eſſet vulnerabile, nec morbis obnoxium: attamen paulatim ætatum viciſſitudines ſenſiſſet, niſi ex arbore vitæ continuatus vigor fuiſſet. Neque enim credibile rerum Dominum mundi Salvatorem deterioris conſtitutionis fuiſſe Protoplaſto. Quod autem mundi Redemtor ſit mortuus, ætatumque calamitates ita ſenſerit, ut 32 anno, cenſus ſit quinquagenarius. Id non ex ſui natura, neque ex radice vitæ ſuæ contigit: Mors namque, ut & annorum caries, nil juris in ipſum habebant: Sed ex infinita ſuâ bonitate, quâ ſe vadem conſtituerat pro peccatis noſtris, voluit ærumnis, adeóque & morti ſe ſubjicere in glorioſiſſima ſui nativitate, in qua formam ſervi aſſumſit Dominus. Quantum verò receſſerit ab humanæ naturæ ſuæ priſtinâ, ac genuinâ illi dignitate, qua in utero erat conceptus: ipſus oſtendit. Quippe qui clauſo virginis utero, ſpretiſque dimenſionum repagulis, in mundum prodiit, ſtatim ſe deſtinatæ mortis conditioni ſubſtravit, ſenſitque lubens, omnem ſervilis naturæ neceſſitatem. Vterque nimirum Adam, initio ſui fuit immortalis. Prior enim ex ligno vitæ conſervari debebat. Alter verò arborem vitæ prorſus in ſe continebat. Vterque nimirum elegit mori, præ vivere poſſe. Prior enim ex vitio: alter verò ex charitate. Arbor vitæ itaque, & loci Eden ſalubritas, Adamum in priſtino vigore, à morte vindicaſſent: donec exacto annorum numero, felix ad patriam gloriæ, abſque morte tranſlatus abiiſſet. Inſuper de fide eſt, Adamum de arbore vitæ nunquam deguſtâſſe: & ne de illa ederet, fuiſſe ejectum è paradiſo, qui mortem jam oppetere debebat. Imò tam perfectæ erat conſtitutionis, jam horto voluptatis proſcriptus, quòd ad aliquot mille annos vixiſſet (qui immediatè à manu Omnipotentis plaſmatus citra naturæ commercium) atque longè ætatem Mathuſalem ſuperaſſet, ſuæ naturæ ſponte, niſi unius continuato ſeculi luctu, ac mœrore, filum longiſſimæ vitæ ſibi præſcidiſſet. Non eſt igitur deploranda mors Adæ (ut alioqui ſibi malè perſuaſit Paracelſus) eò quòd vitalis ſpiritus, atque ſcientia vitæ longæ unà ſimul cum eo corruiſſent. Contradicunt nempe, vita longa potiri ex ſcientia; itemque ex plaſmatione manuum Dei, arboriſque vitæ ſuffragio eſſe immortalem, etiam à peccato, retinuiſſe donum vitæ longæ ob perfectiſſimam ac nobiliſſimam vitæ atque corporis conſtitutionem. Vnde tandem ſpiritus floridæ & exuberantis vitæ, in poſteros tranſlatus, declinante ſenſim vigore, per generationum traductionem, vitæ atque morborum injurias, perque annorum cariem, cooperante maledicto, ſeſe manifeſtavit ut magni oportet: quæ ſemel viſcera mortalium ingreſſa, mox eorundem poſſeſſionem cepit. Etenim quorum vita, priùs per arborem erat citra interitum, mox quoque citra illam, brevi conſcripta termino languit, augmentum, ſtatum, declinationem & occaſum, aliarum rerum more, ſubivit. Sic nempe mors, ſuadente diabolo, in ſuum imperium ſtabilivit. Venena enim ſub arbore vitæ innocua, dein in medicamentum exterminii ſuffulta ſunt. Opinor enim, Adamo occultatas fuiſſe arboris vitæ conditiones, ac præſentiam. Alioquin ad hanc citiùs, quàm ad arborem ſcientiæ boni & mali, extendiſſet manum. Et licet arbor vitæ, quam nuper detexit Creatoris munificentia, præparari queat ita, ut ad prima noſtri conſtitutiva pergat, cum facultatum veteraſcentium refocillatione; non tamen illam intelligo, quæ Paradiſo voluptatis implantata legitur, ad quam mortalium nemo extendet unquam. Sed noſtra eſt umbratilis, & vicaria alterius. Quæ ſcilicet nil habet eximium & auguſtum, niſi ſub retentione proprietatum per artem reducta ſit in ſuccum ejuſmodi, qui poſſit ſe commiſcere ſolidis per minima. Nec quidem noſtra (de qua primus ago) impaſſibilitatem, morborum indolentiam, mortiſque incapacitatem, ut altera, continet. Quinimo etiamſi arbor vitæ è Paradiſo hodie nobis adeſſet, non tamen immortalitatem cauſaret. Quia mutata eſt recipientis conditio. Factus eſt nimirum homo alterius generationis, corruptæ naturæ, & longæ alterius vitæ ſyndeſmo conſtructus. In quo non ampliùs mens immortalis immediatè omnes vitæ actiones in ſe ſuſtulit: ſed ſucceſſit caduca anima ſenſitiva, obiens vicariatum mentis, vitæque neceſſitatibus providens: ipſamet, inſtar flammæ, in horas labilis, & extinguibilis.

AVra formatrix, in ſemine,ſenſim ad ſui maturitatem adſcendens, tandem lumen ſuæ ſpeciei concipit ſive formam eſſentialem, quæ à Patre luminum immediatè fit, & eſt proprii nominis vita. Quot enim ſpeciebus res differunt, quæ tenebris obvolvuntur: totidem quoque ſubluminis ſpeciebus formas eſſe oportet. Si enim propter formam res eſt id, quod eſt, in alteritate ab aliis quibuſcunque. Forma autem viventium (exceptâ mente) & vita ſunt ſynonyma: neceſſe eſt totidem vitas eſſe, quot vitales formas. Lumen ergo vitæ, per ſe ubique ſimplex eſt,& ſpecificum: non autem igneum: quia vitale, formale, & eſſentiale. Quod autem lumen vitæ calidum vel frigidum ſit, denotat vitam, non niſi accidentaliter calori, aut frigori nupſiſſe. Sic ut calor, vel frigus è vita: non autem vita è calore vel frigore proveniat. Vita ergo aliter intelligi nequit, quàm ſub luminis conceptu. Neutrumque magis à priori eſt demonſtrabile, quàm ipſæ rerum formæ,& quicquid immediatè profluit è ſinu Omnipotentis. Lumen ergo vitale per ſpecies, proprio caret nomine. Poſſumus quidem facere lumen igneum, nobis ad magnas neceſſitates datum:ſed non eſt artificis, producere de ſe, vel immediatè lumen vitale. Quod Chymici ajunt. Artifex nequit introducere formam ſubſtantialem. Generans quidem patrans, atque auræ vitalis productor eſt, in quantum ad ſibi ſimile, materiam contribuit, ejuſque diſpoſitiones in ordine ad vitam: nullatenus autem vitam, ſive ultimatam entelechiam producere poteſt.In morbis etiam quandoque lumen vitæ ad gradum ignis adſcendit: quia comminata diſtinctione Archeus excutit lumen igneum: non quod ille hoc, ut generans ſui ſimile, producat: ſed per furorem Archeus fœnum madidum comprimit, & accenditur: quod ſiccum non item fit. Alio quoque modo ligna confrictione, & ferrum attritu, ignem, quem non habent, concipiant. Siquidem non poſſunt à rebus toto genere differentibus,iidem in ſpecie effectus prodire,niſi per accidens, ſive actionem æquivocam.Sic nimirum ſpiritus ſenſitivus propter dolorem, ſive archeus per venena, propria ire excandeſcentia per accidens igneſcit præter ſui naturam. Nam Blas habet, quo recedens à vitali lumine, ad deſtructionis alterum extremum reclinat: in quo radii ſui luminis, velut à ſilice, ignem excutiunt,de materia corruptibili, ubi lumina ambo, Archei & rei corruptibilis, ſeſe penetrant, uniuntur, & in lumen igneum promoventur. Quippe ignis utrobique mors rei eſt,ex proprio deficientiæ effectu,ſuſcitabilis in rebus,aliquo pingui inflammabili conſtantibus. Enimverò quamvis unicus ſit in ſemine ſpiritus,planè uniformis, ac ſingularis, embryonis Architectus in ſcenæ exitum durabilis: attamen id naturæ materialis vitium & exitium fuit, ut officiorum pluralitate diſcerptus ſpiritus, ſenſim ad ſingularitatum heterogeneitates multiplices deflectat. Vitiumque revera eſt, quatenus in ataxiam, viam ſternit. Aliàs namque cum finium neceſſitatibus ſpiritus ſervire debeat, certè in munium numerum diſtrahi, ſibi fuit nobile. Servilia quippe organa ipſa ſibi fecit neceſſitas,quæ ideo plura atque diverſa condidit ſibi, & hactenus ſe ipſam ad eandem neceſſitatis legem traduxit. Imitata nempe ſtatum monarchicum, in quo eſt princeps aliquis independens, legum & regiminis moderator: quapropter & Cordi,ſolarem quandam vitam,emanativam, at velut aliunde in dependentem effingens,radicalis vitæ fontem ibidem ſtatuit. At quia reſpubl. dudum ſubſiſtere nequit, niſi alatur: ideo poſt Reges, primi ſunt Agricolæ, & Piſcatores,qui grana, armenta,greges, piſces, lanas, lina, vina, ligna, mella,olea, & coria nobis proferunt. Quia & ante cogitatos Reges, jam greges ſuos habebant paſtores & agricolas felices. Ea propter enim fingitur Saturnus, deaſtrorum parens, cui in nobis, nutritionis neceſſitatem à Splene, commutativo labente fermento ſplendidam vegetationis vitam,ethnici tradidere. Agricolis demum ſuffragantur, qui grana in panificium, lanas quoque, linum,& coria, in veſtes ornarent: mox Iupiter patris loco ſuffectus,aſtu & vi ſucceſſit;Ideóque & alter nutrimenti diſpoſitor, in hepate domicilium fundans, vitæ nutritivæ adjunctus eſt, è loco in monarchiam neceſſario, adæquatè reſpondet. Mars denique diſſidentes in prioribus digeſtionibus reliquias amovens, in felle ſuccenturiatus, militi conformis eſt. Tribus his tantùm opus atque ſatis viſum fuit,Sole nempe, Saturno, & Iove, quamdiu in concentu conſonarent ſingula. Sed martialis deinde vita ſubjuncta fuit,non quidem ut reſpubl.& ſtatus ſimpliciter eſſet: ſed ut pacem, mutuaq; officia ſervent ſingula invicem, neve ut ſuccreſcente impuritatum turba, deſtinatur unitas. Porrò creſcere, ſequitur adeſſe. Prius namque res eſt, antequam creſcat. Imò cum altile eſſe nequeat, niſi nutriatur, ali præcedit creſcere. Luna enim erronum ultima, reſpectu altilium, telluri proxima. Immediata ergo & inexcuſabilis ejus neceſſitas, hanc cerebro œconomiam dicavit, Iudici in monarchia ſacram. Vivitur nimirum ex Corde, Alimonia autem ex Splene, & hepate: Correctio digeſtionis è felle: ſed accretrix à cerebro eſt. Differunt itaque initiis juxta atque organis, vegetari & creſcere. Idque ſanè non per accidens, vel ob partium contumaciam, creſcere deinceps recuſantium. Sed propter ſingulares Viſcerum dotes. Enimverò quod dixi, vel in ortu embryonis ſpectatur. Siquidem quia creſcitiva (quod nemo ante hac putavit) è cerebro fluit, caput embryonis, ipſiuſque fœtus, cœteris membris proportione longè majus eſt. Etenim ſi dislocetur manus, ea non ſolum creſcere ceſſat, quin inſuper decreſcit etiam in adultis. Gibboſi quoque creſcere ſiſtunt, licet vertebræ ſenſim diſtortæ, tantùm protuberent extrorſum, vel ad latus: non ſanè quod gibboſis ſenſus ſit ſublatus, aut minutus: qui non minus aliis quibuſque ſentiunt. Quocirca defectus accretionis, non pendet ex ulla dislocatione nervorum, venarum aut arteriarum: ſed ſolius obliquitatis intuitu, in medulla, perquam rectus influxus cerebri, eſt parùm incarnatus. Nec eſt fluxus iſte humoralis, per venas ſcilicet & arterias (ſiquidem in retortis arborum ramis, prout & in tibiis curvis, non cernitur accrementi defectus) ſed eſt fluxus lucis cerebri. Prout de actione regiminis alibi. Caro in cavo ulcere ſuccreſcit, creſcuntque menſtruatim medullæ, quanquam cæteræ partes creſcendo ſiſtant. Adultis quoque creſcunt cum thoracis amplitudine coſtæ, fracturis ſuper creſcunt pori; hepar per morbum ſuccrevit mirum in modum. Senibus non raró obnaſcuntur dentes. Idque totum, quia vis accretrix paret cerebro. Aſtrologi vim creſcitivam lunæ tribuunt: nemo tamen cerebro. Oſſa veterum animalium (ut dixi) ſingulari arcano, plus medullæ continent, quàm juniorum. Eò quòd luna ad tranſmutationem, quietem, interitum, & reductionem in primam materiam facit. Præpotens idcirco luna in veteribus, medullam augeri non impedit. Porrò cum unum quodque eſſe accreſcere deſideret, ſuique propagationem vel ab initio meditetur, deque nullo alio plus ſolicita ſit natura, quàm de ſexu: adeò ut inſectas, quas corruptis ab excrementis ſuſcitat, ſexuum diſcrimine notaverit. Venere quoque opus fuit. Quorſum renes ſervire putant Scholæ. Diſſentio autem, quia utroque rene calculoſos, plus juſto petulcos obſervarim. Nec enim alioqui credere poſſim, parte fundamentali Veneris oblæſa, ſalacitatem ſubſiſtere poſſe. Eò quòd hoc ſit partium neceſſitas, ut læſæ organo proprio, ejus functio quoque neceſſariò intercepta ſit. De Venere Splenis quandoque dixi. Saltem hic ſat ſit, mulicbre genus, in Reipubl. ſubſiſtentiam apprimè neceſſarium, ac ſummè utile, divino elogio, eſſe. Sed tandem cùm non omnis ferat omnia tellus, hactenus ad benè commodéque vivendum, mortalium conſuetudo, colligatas provincias, & mercaturæ conſpirationes introduxit. Pulmonem itaque Mercurium, & mercaturæ, cum exteris conformem, fecit ſibi utilitas. Vt poſtquam jam fœtus auctus eſſet, haberet reſpirationis, vociſque vitalem vigorem. Vitam inquam participativam, & diſtributivam per totum, æquabili aurâ difflabilem. Sine qua nempe, cruor omnis in tophum nutritione denſaretur, creſceretque corpus mox vel in immane monſtrum, vel mox ab initio ſuffocaretur. Prout alibi de Blas humano. Aſt hanc rempubl. & harmoniam ſic erronibus aſtris comparatam, nolim tamen peregrè à cœli ſideribus aliunde ſibi ſeminis Architectus mendicet. Analoga enim ſyzygia æmulatur aſtra, quia ens cœlicum Archeus in ſe habet. Is enim, qui verbulo aſtra fecit de nihilo: conſimilem Verbi poteſtatem (creſcite, & multiplicamini) in ſecula durabilem, intra ſeminum penetralia conſtituit. Itaque ex dono gratuito hauſit ſemen ſibi, poſſe ſiderum analogiſmos in ſuo Blas ciere, atque imitari. Quare contingit, ut ſtatis periodis feliciores innatis ſubſequantur aſtrorum æmulationes, quia potentiores, clarioreſque ſigillationes. Neque interim ea aſtris poteſtas eſt, quod mortalium formationi moribus, valetudini, vocationi, atque fortunis præſint. Qui enim omnia in omnibus eſt, cunctaque immediato fine ad ſui gloriam creavit, noluit ſui imaginem aſtris ſubditam, ne ſe per ſiderum importunas revolutiones criminis excuſent. At bene. Ineſſe enti ſeminali analogon, quod aſtris, totique univerſo, quadantenus reſpondeat. Quapropter primum in homine, ſemen ſe veſtit ſecundinis, mox dein propriæ inſudat œconomiæ, denique Rempubl. Præfatam meditatur, variè ſingula diſponit, legibuſque

coercoërcet municipalibus. Tum verò regnum quoque,& imperia cogitat. Tandem totam terram,ac cœlos poſtremò. Adeóque vi verbi, totum univerſum in ſe adumbrat, quatenus Imago Dei. Subſtituit enim pedibus ejus volatilia cœli, piſces maris,oves, boves,& pecora campi. Quia conſtituit illum ſuper opera manuū ſuarum. Cœli autem ſunt opera manuū Dei. Quæ certè conſtitutionis dignitas, cum alioqui juſſum contineat, non fictam quidem aut remotam,& allegoricam poteſtatem quandam: neceſſe eſt ergo nos quodammodò referre cœlos in imagine Archetypi. Juſſus autem ille, cum jam ſit in naturā plantatus, erit homini ſua amplitudo ab ovo genialis: non autem ab Aſtris ſibi ſubſtitutis. Cum autem Scholis & ruſticis, plus conſiderati ſunt defectus, qui in deformitatibus,vitiataque formatione erunt, quàm qui erroneis facultatibus eſſent oriundi: hinc dedere occaſionem ut Aſtrologi pro lubitu cuncta ad ſuas aſtrorum choreas traherent. Sed poſtquam officiorum diverſitas cognita fuit ab emunctioribus, implicare heterogeneitatem facultatum & organorum, ceperint ii proinde alteritatem, numerum difformitatemque ab aſtris repetere, & in ſeminum directiones referre. Etenim nec poterant ſub natura jam ſemel corrupta radicitus, dudum ſemina cuſtodiri felicia ſubter unitatem, neque per hanc compleri tot organorum diſtincta officia, quin penè ab exordio roboris diſparitas in viſceribus; imò & in ſingulis, fortitudinis inæqualitas ſubreperet, & ſigillaretur in locis. Unde tandem diſruptio fili, diſſolutio, infirmitatum ſoboles, atque lues multa. Quæ cuncta cœli augures, non reluctantibus, at ſtupentibus Scholis, impune ad ſua ſiderum tripudia tranſtulêre. Quare velut anteſignano hirco per barbam arrepto, tota admirata eſt ſubſequens poſterorum caterva. Eſt tanta quippe in ſinu materiæ heterogeneitas, ut vix filum aureum fiat, quod non aliqua ſui parte ſit infirmius, citiuſque diſſiliat. Itaque neq; mirum, in tanta membrorum ac functionum diſtractione, robur membris inæquale inoleſcere. Quocirca integræ familiæ tabe vel hydrope pereunt. Aliquibus greſſus à quinquageſimo deficit, quibus viſus in octogeſimum perſiſtit. Aliis verò à quadrageſimo viſus hebes, quibus greſſus longævitatem promittit. Quippe ex ſimplici univerſalique ſeminis ſpiritu,ſui inoleſcunt ſingulorum organorum rectores. Qui ſanè ibidem,vel vitio recipientium,vel errore diſpenſationis, non rarò recedunt à ſcopo alienati. Spiritus enim, qui partes ab invicem diſtinxit & formavit, mox & in ipſis partibus determinationes omnes ſuſcepit. In oculo enim opticus ſpiritus videt, & in lingua guſtat: quia influens ſpiritus, ab inſito ibidē determinatur. Ut præterea quædam vita principians in Splene,alia in muſculis, atque alia demum in utero muliebri, prout ſæpè alias demonſtravi. Quæ ſingulæ in tantū à vita communi hominis ſunt diremtæ, quantum illa quæ diverſas habent exiſtentias. Cum ergo pluralitas dualitatem aliquam includat,non mirum vitam,multis diverſis rectoribus agitatam, facilè in diſſolutionem ruere, poſtquam mens immortalis habenas regendæ vitæ, in collum ſenſitivæ labi ſiverit.

VITA ÆTERNA.

EUangelium promittit mortalibus,non ſolùm, quòd Filius Dei ſit incarnatus & paſſus pro ſalute humana: ſed quòd hæc duo myſteria ſint applicabilia individuis, quæ aliàs velut fruſtra eſſent. Conſideravi autem iſtam applicationem hoc modo. Enimverò per peccatum, non minùs fregit homo intentum, quàm decretum Dei; unde natura humana in ſui radice fuit corrupta, quia inſecuta eſt generatio altera, penè belluina, vitæ æternæ ex ſe incapax. Quapropter Euangelium debebat includere abolitionem peccati originalis, aliorumque omnium, ex naturæ corruptione defluentium. Itaq; cum homo deinceps non ampliùs ex Deo: ſed ex ſanguinibus ſexuum, ex voluntate carnis, & ex voluntate viri tantùm naturaliter naſci deberet: nec tamen ejus corpus poſſet reſurgere ulla ſui potentia, in priſtinam dignitatem,multóque minus,deſinere eſſe,ut iterum aliterque eſſe inciperet. Idcirco lætum nuncium nobis allatum fuit,quod unum baptiſma datum eſſet in remiſſionem peccatorum, per quod homo ita renaſceretur ex aqua & Spiritu ſancto, quod ejus anima, tanquam novâ nativitate renaſceretur, & fieret particeps illibatæ humanitatis Chriſti Salvatoris, fabricatæ per Spiritum ſanctum. Quæ renaſcentia animam in priſtinum ſtatum innocentiæ reponit, tollens peccatum ſimul. Idque ſic omninò realiter ſe habere credimus:non autem quaſi allegorias aut metaphoras, pro vero amplecteremur: ſed revera & actualiter hæc in baptizatis ſic contingunt, ut ſenſibiliter permittat Deus traduci in corpus teſtimonium actualis illius gratiæ, quæ per baptiſma confertur. Quo nimirum reſpectu Mahumetani, baptiſmum recipiunt, quatenus tollit innatum fœtorem illis alioquin in vitam durabilem, quemque in Ebræis omnibus alioquin obſervamus hodie. Adeóque baptiſmi effectus interior, etiam extra relucet. Imò & id confirmat unici baptiſmatis eſſe perpetuum, atque indelebilem. At iſta renaſcentia non tollit mortem, ſed Chriſtianos deſerit cum ſarcina corrupti corporis, ex voluntate viri, generati: atque hactenus animam nihilominus relinquit vitiis corrupti corporis ſubnoxiam. Quapropter adultis non ſatis fuit baptiſmus, quanquam junioribus, quamdiu inſontes ſunt, abunde ſufficiat. Privilegium itaque aliud promulgatum, per quod adulti vitam æternam habere poſſunt, Quod qui non indignè manducaverit corpus Dominicum, Chriſtus illum reſuſcitabit ad vitam in noviſſimo die, Si verò non manducaverit, non habiturus ſit vitam in ſe. Nam hoc myſterium nobis datum eſt pro mundi vita. Eſt nimirum mundi vita Adamica, caduca, & propemodùm brutalis. In cujus permutationem datur nobis pignus, itemque actualis & realis participatio vitæ æternæ. Merita igitur paſſionis dominicæ nobis communicantur per participationem illibatæ virginitatis Chriſti Domini. Communio enim puriſſimi & caſtiſſimi corporis ſui, unit nos ſibi, & nos in ſe regenerat actualiter: ſicque nobis dat vitam ſibi conformem. Datur corpus Domini pro mundi vita. Et quanquam non ſtatim pereat corpus hominis, conceptum ex ſanguinibus: eo ipſo tamen, quo cùm corpore Domini, ejuſque humanitate unimur, nos reddit participes incomprehenſibilis ſuæ incarnationis, reſtituitque in priſtinam naturæ humanæ integritatem: quatenus virginitatem puriſſimam Chriſti, in qua ſalvari debemus, acquirimus participativè. Adeóque propter amoroſam unionem ſui, tribuitur nobis participatio meritorum paſſionis ejus. Eſt ergo principaliſſimus effectus ſacroſanctæ euchariſtiæ, participatio puritatis, & naturæ virgineæ incorruptæ, Domini Jeſu. Adeóq; ob hoc propriâ periphraſi prædicatur, vinum germinans virgines. Porrò ineffabilis divini amoris hocce myſterium, operari præfatos reales effectus regenerationis, in natura humana. Docet Apoſtolus. Omnes quidem reſurgemus: ſed non omnes immutabimur. Quaſi dicat: Mortales omnes quandoque à morte reſurgent. Damnati quidem reſurgent, nequicquam immutati: ſed in priſtino corpore Adamico, ponderoſo, non penetrante, &c. ſola videlicet mortis optatâ neceſſitate illis ademtâ. Pueri verò, ſolo baptiſmi lavacro regenerati, reſurgent, in corpore aliquatenus glorificato: ſed tanto minùs perfecti, quanto à tanta felicitate fuerunt remoti. Qui autem in communione corporis Dominici fuerunt uniti, reſurgent planè glorioſi, per totam ſui naturam: quia perfectiſſimè fuerunt in vita regenerati. Cujus regenerationis, quanquam non apparuerint viſibilia ſigna: revera tamen inerant; neque enim de novo fiunt in reſurrectione, niſi prius in ſeculo, per omnimodam regenerationem præexſtitiſſent. Fides noſtra non eſt de nonentibus: ſed de rebus veris, non viſibilibus, quia vult nos promereri per fidem. Quapropter quantumvis amoris, & unionis cum Deo, ſit hoc ſymbolum prorſus inſcrutabile, prout & effectus inviſibiles modo: attamen præfata myſtica, & realis renaſcentia, cenſetur adhuc terrena apud Nicodemum, atque eo titulo huc tranſtuli. Ego itaque, renaſcentiam ſalvandorum contemplor in natura ſublunari, & terrena fieri, perinde atq; in projectione lapidis Chryſopœi. Enimverò vidi illum aliquoties, meiſque contrectavi manibus. Erat enim coloris, qualis croco in ſuo pulvere, ponderoſus tamen, & micans, inſtar vitri pulverati. Datum mihi ſemel ejus fuerat $\frac{1}{4}$ unius grani. Granum autem voco ſexcenteſimam partem unius unciæ. Hunc ergo quadrantem unius grani, chartæ involutum, projeci ſuper uncias octo argenti vivi fervidi in crucibulo. Et confeſtim totus hydrargyrus cum aliquanto rumore, ſtetit à fluxu, congelatumque reſedit, inſtar offæ flavæ: poſt fuſionem verò ejus, flante folle, repertæ fuerunt unciæ octo auri puriſſimi, granis undecim minus. Itaq; unicum granum illius pulveris tranſmutaſſet in aurum optimum partes argenti vivi, ſibi æquales 19186. Inter terrena ergo reperitur præfatus pulvis, quodammodò ſimilis, qui ferè infinitum metallum impurum tranſmutat in aurum optimum, ſibique uniendo, ab ærugine, rubigine, carie, & morte defendit, ac velut immortale facit, contra omnem ignis & artis torturam, transfertque in puritatem virgineam auri: requirit ſaltem fervorem. Anima ergo, & corpus ſic regenerantur per baptiſmum, & communionem illibati corporis Dominici, modò juſtus devotionis fervor fidelium adfuerit.

vit. Ignoſcat Theologus mihi, ſi ultra crepidam de vita æterna per parentheſin dixerim. Fateor enim lubens; non eſt corpus regeneratum mei fori. Tantum de vita mundi proroganda ago. Hoc ſaltem dixi, Baptiſmum realem effectum ſenſu perceptibilem, puritatis adferre, & ſacroſanctam euchariſtiæ communionem in terrenis habere aliquid ſimile, quo faciliùs credamus regenerationem.

MORTIS OCCASIONES.

IGnem lucemque, vitæ comparavi, quia aliquid præ ſe fert, quod vitale videtur. Etenim formæ vitales, ſive rerum vitæ, ſive ſunt luces. Ergo totidem mortis erunt ſaltem occaſiones, quot lucis ablationes. Primò ergo lux exſufflatur, itemque compreſſione, flamma perit, quod vocant defectu aëris. Ego verò demonſtravi, id contingere, defectu novi Magnetis: non autem, quòd ignis aere nutriatur. Sic & conſtructione fumi alieni. Sic nimirum in cryptis, & cuniculis lampades extinguuntur, exſufflatur autem Lux vento, vel alia flamma. Sæpe enim candelæ, flamma, pulvere colophoniæ, vel pyrio, ſuſcitata informe, extinguuntur. Tandem alimenti defectu ignis interit. Mors ſimiliter multifariam irruit. Vel enim corpus vivens, ſubitò colliditur, conquaſſaturque à pondere. Cita etiam profuſio cruoris, ex amplo vulnere, vitam profundit, vitæque lumen efflant. Sic puris, aquæ, vel venti affatim facta prodigalitas inordinata: balnea item, fames, ſolutiva, intempeſtivam mortem introducunt. Item per compreſſiones anhelitus in cuniculis, aſthmatis, laquei, ſubmerſionis, fumi, & uteri ſymptomata, reſolutiones item & paralyſes nervorum, anhelitui ſubſtratorum. Item per combuſtiones, deſtructiones, carbonizationes, gangrænas, & conglaciationes frigoris. Item per venena, alcalia, rodentia, eſcharotica, putrefacientia, vel fermentali contagio peſſumdantia; Item per retenta excrementa, obſtructiones, & abnegata partium commercia. Item per defectum digeſtionis alicujus, atrophiam & conſumtiones, partis aut totius. Item per ſuffuſiones cruoris intra cranium, thoracem, abdomen, vomicas, pleuritides, pulmonias, &c. Item per dislocationes vertebrarum, contracturas partium expurgandis ſordibus deſtinatarum. Tandem propter effœtam ſeminum, poteſtatumque defunctionem, decrepitam, exantlatamque. Itemque propter pathemata animi graviora, & incantamenta. Mors ergo tot modis quotidie furatur mortales, quorum vita tamen ſemper ſimplex & univoca eſt. Nam eſt ideo vitæ atque mortis aliena, & diſcrepans conſideratio. Etenim enſis vitam tollit: eſt tamen longè alia vitæ ſpeculatio conſervandæ, quàm ſanandorum morborum, per cauſæ ablationes, & præpeditiones. Siquidem cauſæ partim ſunt externæ, ut vulnus, peſtis, ambuſtio, &c. quorum proinde ſanatio, à cauſarum ablatione non pendet. Neque enim ideo Ignis à foco delendus, qui aliquem combuſſiſſet, ut ſanetur: prout nec enſis eſt frangendus, ut vulnus ſolidetur. Sed in vitæ longæ conſervationem, non minus externarum cauſarum contemplationes, & ablationes, quàm fomenti vitalis occurrunt. Enimverò tametſi nullo infeſtarent infirmitates, non tamen ob id mors deſineret in dies, viam ad ſuum introitum ſternere. Nam etſi ſanitas vitam, ut baſin reſpiciat: non tamen vita ſanitatem includit. Cœcus enim, claudus, podagricus, &c. non minùs vivit, quàm ſanus. Quid ſi vita per morbum deſinat, id vitæ eſt peregrinum ac per accidens. Sicut gladius mortem continet: at non niſi per applicationem. Alioqui mors per ſe reſpicit vitam: cauſæ verò morbificæ, tantùm per accidens, ſive per applicationem ad ſpiritum vitæ, evadunt mortales. Hinc namque impedimenta vitæ longæ, ſunt ſeriò attendenda, avertendaque, ſi longævitatem exſpectemus. Initio itaque vitæ meditatio conſiſtit, non extra: ſed in vita ipſa. Qualiter nimirum vita in corpore conſervetur. Etenim anima ſenſitiva, jam deinceps à peccato (ut dixi) proprietatem vitæ totam ad ſe traxit, & vitæ vinculum cum corpore evaſit. At cum ipſamet anima ſit in ſe mortalis: neceſſe eſt inprimis omnes poteſtates vitales, vitæ coævas, labiles eſſe & caducas. Hinc tandem mors. Ad vitæ igitur longævitatem, primùm requiritur morborum ſanatio; tam illorum qui vitam totius attingunt, quàm qui partis & functionum damna, vel conſervationem ſpectant, & hactenus inſidiantur vitæ. Siquidem cum membrorum ſit univoca conſpiratio, principales certæ poteſtates, non poſſunt non tamen labaſcere, etiam diminutis tantum ſubalternis. In quo à Paracelſo diſcedo, quod putaverit morbum omnem, per pharmacum ad vitam longam, neceſſariò tolli. Quoniam bonus vir ille, medicamen ad vitam longam, uſumque, non minùs ignoravit, quàm ipſam vitæ longæ eſſentiam, proprietateſque. Ideóque ſua arcana plurimum conferunt ad vitam ſanam, ſive ad impuritatum ablationem: directè tamen atq; primariò, ad vitam longam, tanquam ad finem ultimam, nequicquam facere. Eò quòd ut vita: ita & arbor vitæ, concernit primariò conſervationem, & redintegrationem, ſive rejuveneſcentiam facultatum vitalium, partibus inſitarum. In hoc itaque, arcana ſuperfluorum ablativa, ab arbore vitæ diſtant. Quod illa quidem morbos ſanent, etiam quos natura parens, per ſe nunquam curat. Puta lepram, calculum, paralyſin, tabem, hydropem, &c. ſed arbor vitæ hos morbos jam admiſſos non ſanet. Etenim ſi Hippocr. dictitaverit, quòd naturæ ipſæ ſint morborum medicatrices: id ſuæ ætati, & arti incipienti condonandum. Alioquin arcana (quæ tum nondum enotuerant, & hodie penè latent) naturæ vires ſuperant, prout perſæpè ars naturam vincit. Idque nedum in arcanis morbos ſanantibus: ſed & in arbore vitæ, naturam deficientem reſtaurante, verum eſt. Arboris ergo deſtinatio, eſt vitæ conſervatio, cum aliquali rejuveneſcentia: ſed cum remedio arboris perſeverat lepra, calculus, &c. Eſt ergo planè alia conſideratio arcanorum Paracelſi, & alia arboris vitæ. Quod ſic confirmo. Conſideretur Juvenis cum aliquo morbo prædictorum: non enim florida atque vivida ejus juventus ſanat hos morbos: ergo neque etiam arbor vitæ. Eò quòd hæc tantùm ſpectet fomentum floridæ illius vitæ. Quæ ſanè adhuc recipitur per modum recipientis. Ergo in parte recipiente morboſa manet ſemper roboris diſproportio, reſpectu partium benevalentium, quæ erat ante aſſumtum pharmacum ex arbore vitæ. Nam etſi ſingula participarent æqualiter de illo pharmaco: non tamen æquo robore reſarcirentur. Primùm ergo impedimenta vitę longæ, in univerſum ſunt removenda. Inter impedimenta autem, quædam vitam abbreviant activè, ut ſunt morbi, vitæ inordinationes, &c. Alia verò arborem vitæ, in ſuâ bonitate determinant, accurtantque, ne ſuæ deſtinationis ultimatum finem aſſequatur. Hoc quidem de arbore vitæ noſtra, non autem de Paradiſi; deq; vita corrupta, non de vita Adamica ante lapſum. Morbi itaque aliquot, itemque multa profunda ſpeculatio fortis, & non jucunda, & perturbationes, imò & incantatio. Prout ſuo loco. Felices ergo & plerumque longævi, qui procul à curis, uſuris, negotiis, atque ſeculi ſui tempeſtatibus, paterna bona bobus poteſt arare ſuis, in pace & hilariter vivere. Quicquid ergo pro vitæ longæ conſecutione cogitandum, cogitandum in pace incuriâ, cum plena reſignatione in placidiſſimam Dei voluntatem. Cogitandum ejus ergò, quantum ridiculæ cogitationes laſſent in febribus, quantum ſeria ſtudia enervent, quantumque anxietates dierum numerum peſſundent. Quia ſic ſpiritus attenuatur, & dies abbreviantur. Porrò Venus ſuum primatum inter impedimenta vitæ longæ obtinet. Quia vitam affatim exhaurit. Sequitur Venerem crapula multa, intempeſtiva: magiſque ſi potus ſit noxius. Nocent quoque Tabacum, fungi, & quæ propter occultum virus, latè ſerpens, vires vitales conſternant. Non enim Necotiana famem ſedat, quaſi ſatisfaceret defectui: ſed in quantum defectus ſenſum tollit, ſimulque functionum exercitia. Impedimenta denique vitæ ſunt frequentes thermæ, phlebotomiæ, vulnera, ſolutivorum quoque uſus frequens. Quæ ſcilicet patrantis generationem faciunt minùs floridam, ideóque & ſenium accelerant. Denique ut climata faciunt ad vitam longam: ita & quædam officiunt. Sunt enim, quibus rarus eſt ſenex: alia, quibus ſenectus in honore eſt. Endemica enim arſenicalia, ſubterranea vitam adhuc viridem in floſculo demetunt. Sunt &, quibus tractuum inundatorum eſt vicinitas. Etenim debet quicquid ſponte à putredine in aqua efferbuit, & reſolutum eſt, ſimul cum vapore offerri, & à nobis ſorberi. Pernicioſi ergò paludum halitus putridum ſpirantes: dein qui ſalem ſemiputrefactum cum ſordibus, ac reſoluto luto efflant. Vidi enim Antverpiæ, poſtquam ager Auſterweelius undas concepit, tiliarum folia in mœnibus ab Auguſto ſiccata, & velut carie eroſa. Quæ ante inundationem, in Octobrim uſque viridia in arbore ſervabantur. Idem Amſtelrodami viſitur. Quando Lugduni Batavorum, folia arborum adhuc Majum mentiuntur. Hanc enim cladem frondes patiuntur à vapore ſemiſalſo: quid tandem non in teneram pulmonis tunicam, atque ſui parenchymatis ſpongiam factum iri putandum? Profectò tot undique noſtræ vitæ hoſtes inſidiantur, ut niſi longè à nocuo aëris contagio receſſerimus: vix erit ſub arboris vitæ plena conceſſione, optata vitæ longæ participatio. Nam originalis arbor vitæ in Eden, erat pro habitantibus ſuis: non autem pro vallis miſeriarum indigenis. Itaque quicunque volet bonitate arboris vitæ potiri, & ex labore Sophiæ proficere, deligat tractum, qui paſſim multos alit ſenes. Et in quo rari ferociunt paſſim morbi. Tum denique à puero (rectiùs ſi puer in utroque primùm parente, mox dein & in nutrice) arbore vitæ uti incipiat, dum alimentum, in augmentum ſolidorum ſtaminum abripitur. Quæ verò medicamẽ arboris vitæ impediunt, & diminuunt, ne ad apicem adſcendat, ſunt hæreditariæ, atq; innatæ debilitates, totales vel partiales; quibuſque acquiſitæ ſuccedunt per inordinationem hauſtæ, quæque per indebita dolorum morborum atque laborum tormenta advenêre. Etenim quicunque injuriam notabilem vitæ paſſus eſt, deſperet per arborem vitæ plenè redintegrari. Qui verò puer, medelam vitæ primis admiſcuit conſtitutivis, ſicque adolevit; ſiquidem arbor vitæ non eſt pluſquam perfecta, ut queat decrepita in priſtinum reſtituere: ſperet ſe acquiſiturum, quod regum medentes aulici vix credant.

DE MAGNETICA VULNERUM CURATIONE.

Diſputatio de Magnetica vulnerum naturali, & legitima curatione, contra R. P. Ioannem Roberti Theologiæ Doctorem Societatis Ieſu, *presbyterum non minùs, quàm etiam Rodolfum Goclenium profeſſorem Medicinæ.*

1. FAſcinus, ſympathia, & magnetiſmus differunt. 2. Vnum unguentum ſympatheticum, aliud magneticum dictum. 3. Quid mumia. 4. Philoſophia rationibus tantùm immediatè redarguitur. 5. Differentia Iuris & Philoſophiæ. 6. Ex ignorantia cauſæ magnetiſmus putatur diabolus. 7. Qui ſint interpretes naturæ. 8. Cur ſoli ſpagyri naturam interpretentur. 9. Superbit, qui ex ignorantia cauſæ rem credit diabolicam eſſe. 10. Qui ſint dæmonis adulatores. 11. Magnetiſmus non eſt novum inventum. 12. Vnguentum armarium. 13. Intentio, ſcopus, remedia, & modus in unguento ſunt bona. 14. Cur unguentum non illegitimum. 15. Cur non ſit ſuperſtitioſum. 16. Quid ſuperſtitio. 17. Cur modus unguenti incognitus Cenſori nil improbet. 18. Quid Magnetiſmus. 19. Aliquot effectus magnetis. 20. Magnetica cura morborum incurabilium perfecta. 21. Lac combuſtum mammas ſiccat. 22. Vitriolum per magnetiſmum moritur. 23. Mumia ab Italia Bruxellam uſque operatur. 24. Carlina ſub umbra trahit mirificè. 25. Item numero morbus ſubjecta mutat. 26. Flores ſoliſſequos ex magnetiſmo eſſe. 27. Filtra mumialia quomodo ſint magnetica. 28. Arcanum ſanguinis ſpagyrorum magnetem eſſe. 29. Herbæ cur & quinam magneticæ. 30. Aſarum & ſambucus magnetica. 31. Pactum implicitum anchora ignarorum. 32. Sympathia præſupponit ſenſum. 33. Fratris mortui mumia olim impreſſa ſedi, adhuc magnetica. 34. Sapphirus in magnetiſmo unguenti æmulus. 35. Sapphirus tactu unius carbunculi cæteros ſanat. 36. Cur Eccleſiæ antiſtites annulos cæruleos geſtent. 37. Eſt magnes homini. 38. Zenexton peſtis. 39. Neceſſe eſt accidens migrare idem de ſubjecto in ſubjectum. 40. Magnetiſmus qualitas cæleſtis. 41. Fur, latro, & vir aut mulier proba eandem dant uſneam. 42. Vnde & quid uſneæ ſemen. 43. Fructus aëris. 44. Vſnea fructus ex igne. 45. In uſnea dorſum etiam magnetis, mutato ſcopo. 46. Deus in miraculis ſequitur naturam. 47. Deus per reliquias magnetiſmum unguenti approbat. 48. Magnetiſmus ſupernaturalis probat naturalem. 49 Vſneæ flocculus in fronte contra enſem, ſtolæ verò contra dentem. 50. Flocculus in fronte in totam vitam præſervat, à dente impreſſio ſanguinis eadem in zinzilla. 51. Piper degenerat in hederam. 52 Quomodo de perſonis judicandum. 53. Paracelſus monarcha arcanorum. 54. Res quæq; habet ſuum cælum particulare. 56. Vnde inclinatio. 57. Vnde morbus aſtralis in nobis. 58. Vnde ægroti præſentiant temporum procellas. 59. Quid in mari fluxum & refluxum cauſet. 60. Vnde venti concitentur. 61. Cælum non cauſat, ſed enunciat futura. 62. Ens ſeminis cujuſque habet firmamentum & virtutem influentiæ ſuæ. 63. Vitis turbat vina, non cælum. 64. Antimonium obſervat influentiam. 65. Magnes ſe dirigit, non autem trahitur. 66. Vitrum magneticum. 67. Reſina magnetica. 68. Allium contra magnetem quid agat, & cur idemque de Mercurio. 69. Virtus ad diſſitum objectum eſt naturalis etiam in ſublunaribus, & eſt magnetica. 70. Omnis creatura vivit ſuo modo. 71. Quid unguentum trahat è vulnere abſente. 72. Effectus ſatanicus omnis eſt imperfectus. 73. Cur ſatanas non cooperetur cum unguento noſtro. 74. Quæ dicatur voluntas & fantaſia carnis & exterioris hominis. 75. Duplex ecſtaſis. 76. Vis ecſtatica ſanguinis. 77. Corruptio potentia latantem manifeſtat. 78. Eſſentia rerum non putreſcunt. 79. Ad quid putrefactio ſpagirica. 80. Cauſa magnetiſmi in unguento. 81. Cor à theſauro trahitur magneticè. 82. Nectromantia unde. 83. Quid ſit homo animal, & quid homo imago. 84. Quomodo aquila per magnetiſmũ cadaveris alciatur.

tur. 85. Quomodo cruor in unguento trahatur ad theſaurum ſuum. Cur aquila ad cadaver magnetice. 86. Senſatio naturalis & ſenſatio animalis differunt. 87. Sagarum effectus nefarii. 88. Poteſtas ſaga eſt naturalis, & qualis ea ſit. 89. Vbi ſita ſit poteſtas magica in homine. 90. An homo cateris corporibus imperet. 91. Cur homo agat per nutū. 92. Qua ſit facultas magica. 93. Poteſtas magica diverſimodè latet in homine. 94. Homo internus cum externo fundamentaliter unum, materialiter autem diverſa. 95. Quid ſit ſpiritus vitalis, ejus ſcientia & donum. 96. In cadavere ſponte mortuo non eſt ſpiritus inſitus. 97. Diviſio ſpirituum juxta medicos. 98. Anima in corpore ſolo nutu agit magicè. 99. In corpore ſolo nutu ſomnolento, extra verò nutu excitato agit anima. Impedit ſcientia pomi ſcientiam magicam. 100. Initium cabala in ſomniis hauritur divinitus. 101. Defectus intellectus in homine exteriore. 102. Quid faciat Satan in Sagis. 103. Qua ſint vera ſolius ſatana opera. 104. Peccatum dona gratia abſtulit, dona natura obſcuravit. 105. Quorſum exercitia pia catholicorum. 106. Effectus potiſſimus Cabala. 107. Duo ſubjecta rerum quarumlibet. 108. Homo tam ſpiritu quàm corpore agit. 109. Quinam radius à Saga in brutum. 110. Quomodo Saga prodatur. 111. Quomodo alligetur Saga in corde equi. 112. Intentio opus bonum depravat. 113. Virtus ſeminalis eſt magica naturalis. 114. Cur cruor praſente homicida effluat. 115. Cur peſtis in obſidionibus frequens. 116. Opera miſericordia ſaltem reſpectu peſtis evitanda exercenda. 117. Peſtes vindicta & exſecrationum ſunt exſecrabiles. 118. Cur corpora à patibulo eſſent tollenda. 119. Cur excrementa non cauſent peſtem. 120. Cur ſanguis tauri ſit deleterius. 121. Cur pinguedo tauri ſit in ung. ſympathetico, ut fiat nempe unguentum armorum. 122. Cur ſatan non concurrat ad unguentum. 123. Baſis magia. 124. Vnde vanitates pro magia habeantur. 125. Magia bona in ſacris. 126. Qua dicatur magia vera. 127. Cauſa idololatria ſagarum. 128. Excitatores magia. 129. Satan excitat imperfectè. 130. Vnde bellua quoque magica. 131. Regnum ſpirituum litem alit, & amorem. 132. Cur microcoſmus homo. 133. Mens generat entitates reales. 134. Entitas iſta inter corpus & ſpiritum media. 135. Deſcenſio anima velle conformatum patrat. 136. Cauſa fœcunditatis ſeminum. 137. Cur libido mente velut alienet. 138. Pater per ſpiritum ſeminis generat extra ſe, in objecto mox abſente. 139. Quis ſit ſpiritus patronus magnetiſmi. 140. Voluntas mittit ſpiritum ad objectum niſi voluntas aliquid reale produceret, damon eam non agnoſceret; & niſi extra ſe dimitteret, damon abſens eo non concitaretur. Vbi ergo theſaurus, eò tendit ſpiritus hominis magicus. 141. Magnetiſmus fit per ſenſationem. 142. Plures eſſe ſenſationes in ſubjecto unico. 143. Ex phantaſia ſuperiore ipſi imperante. 144. Cur vitrarii utantur magnete. 145. Mutatur trahentium phantaſia. 146. Inanimata habent ſuam phantaſiam. 147. Cur aliqua eſu amentiam inducant. 148. Cur morſu canis rabiem introducat. 149. Tarantula ictu amentiam facit. 150. Cur contra catellum rabidum bruta reliqua ſe non tueantur. 151. Sympathia inter diſſita medio ſpiritus cujusdam mundani fit, qui etiam ſolem titaniaque aſtra gubernans, ſenſu pollet. 152. Phantaſia in electivis eſt varia ad lubitum; in aliis verò eſt determinata ſemper identitatis. 153. Primus gradus poteſtatis magicè habitat in formis trium principiorum. 154. Alter gradus eſt per phantaſias formarum mixti, quâ deſtructâ nempe adhuc manent principia. 155. Tertius gradus ex phantaſia anima oritur. 156. Qua bruta ſint magica, & agunt extra ſe ſolo nutu. 157. Quartus gradus magica poteſtatis eſt excitato intellectu hominum. 158. Vox magia analogon multorum ad unum tertium. 159. Omnis magica vis excitatione gaudet. 190. Quod dicatur ſubjectum capax magnetiſmi. 161. Quomodo differat magnetiſmus ab aliis formalibus proprietatibus. 162. Humores & ſordes ſuam habent phantaſiam. 163. Cur ſcriptura ſanguine potius, quàm alios ſuccos animatum dicat. 164. Semen habet traducem patris phantaſiam. Vnde nobilitas orta. 165. Pelles lupi & ovis phantaſiam inimicam vita prioris impreſſione retinuerunt. 166. Phantaſia ſanguinis recenter allati in unguento quid efficiat. Modus magnetiſmi in unguento. 167. Differentia inter curationem magneticam, qua per unguentum, & illam qua per ovum putridum fit. 168. Notabile myſteriūm humana imaginationis fundamentum magia naturalis. 196. Intellectus procreatam entitatem imprimit in objectum externum, & ibi realiter perſeverat. 170. Quomodo parentur ſigilla efficacia. 171. Phantaſia per clavum ceu medium ſpiritum Saga nectit. 172. Si ſatan naturaliter movet corpus ſine extremitate, cur non & homo interior? & cur non potiùs adhuc ſpiritum Saga. 173. Virtus unguenti non ab imaginatione componentis: ſed à ſimplicibus in unum coalitis eſt. 174. Author profeſſionem fidei dat.

ANNO octavo hujus ſeculi, allata eſt mihi oratio declamatoria habita Marpurgi Cattorum, qua Rodolf. Goclenius (cui noviter demandata erat profeſſio Philoſophica) primitias exſolvens, conatur vulnerum ſanationem, per unguentum Sympatheticum & Armarium à Paracelſo inventam, oſtendere eſſe merè naturalem. Quam orationem legi totam, & ingemui, naturalium rerum hiſtoriæ tam debilem patronum obtigiſſe. Complacuit ſibi nihilominus author eo ſcriptionis argumento, & continuata probationis ſterilitate, idem opus anno 1613. non nihil auctius edidit: nuperrimè oblata eſt prædicti

dicti libri ſuccincta anatome, à Theologo quodam in ſpeciem lepidæ cenſuræ potiùs, quàm diſputationis concinnata: petitum ergo meum utcumque fuit judicium, eo ſaltem nomine, quod res Paracelſo inventa, eundem ſpectaret, & me ſuum ſequacem. Dicam ergo, quid de Medico Goelenio, & quid de cenſore Theologo ſentiam.

Medicus inprimis proponit, & oſtentat ſe probaturum, magneticam curam vulnerum eſſe naturalem: ſed promiſſorem ad tantum munus imparem inveni: utpote quod nuſpiam vel tenuiter ſaltem titulo aut pollicitis ſatisfaciat. Multa hinc inde rapſodia colligens, quibus vires quaſdam formales, quas ſympathiam & antipathiam vocant, eſſe in rerum natura: atque ex earum poſitione, magneticam curam naturalem probaſſe ſat ſe putat. Multa inquam ex Ægyptiis, Chaldaicis, Perſis, conjuratoribus, & præſtigiatoribus in unum cogit, quo ignotum ſibi magnetiſmum comprobet. Partim ut rerum novitatis avidos animos oblectando ex ſcopo ſeducat, partimque ut authorem admirentur, nedum triviales ſcriptores, ſed & quosvis rariores alios triviſſe.

Quocirca perperam Medicus ſympathiam (quam diverſimodè, & fabuloſè ſæpius adfert) cum magnetiſmo confundit; & hunc naturalem eſſe, ex illa concludit: nam & unguentum illud vulnerarium, nedum homines, ſed & equos curare vidi: quibus certè non tanta eſt affinitas nobiſcum (niſi aſini ſimus) ut proinde ſympatheticum unguentum nobis & equis commune dici mereatur.

Malè itidem confundit Medicus ſympathiam cum faſcino & ligatione, & utrumque cum magnetiſmo. Abſtruſiores ſcilicet quoſque effectus indiſtinctim adfert anxius, quò rationibus deſtitutus, ſuum magnetiſmum comprobet. Exemplo faſcinum à ſympathia, & utrumque à
1 magnetiſmo diſtinguam. Canis antipathiam
(ſunt namque ſympath. & antipathia ejuſdem generis filiæ) cum gallina habet: hanc nempe vorat ille, & hæc canem fugit. At ubi noviter pullos excluſit, hæc canem fugat, quamvis generoſum: faſcino nempe anima gallinæ, canis animam ligante; non obſtante antipathia priore, diſparili armorum præſidio & robore inæquali: nuſquam tamen in his magnetiſmus eſt.

Quæ porrò Medicus adfert de ſigillis, characteribus gamaheu, ceremoniis, vaniſque ut plurimum obſervantiis: ſunt prorſus huc impertinentia, & potiùs magnetiſmum ceu ſuſpectum, deſtruunt quàm aſtruunt: meum non fert ingenium, de his quicquam decernere.

Errat deinceps Goclenius, & quidem temerè juxta ac ignarè: ſomnians ex præſcripto Paracelſi, telum quod ſauciavit, ſi unguento armario obligetur, vulnus curari. Fruſtra namque telum aut mucro præſcripto à ſe unguento inungentur, niſi cruentum, idemque cruor prius in
dicto enſe exſiccatus fuerit. Aliud namque un- 2
guentum Paracelſo eſt ſympatheticum, ratione cruoris habiti è vulnere; atque aliud certè unguentum, quo arma nullo ſanguine tincta emplaſtrari debeant: vocatque idcirco prius unguentum magneticum & ſympatheticum, poſterius verò magneticum armarium: quod inſuper mel & pinguedinem taurinam idcirco (nec fruſtra quidem) recipit.

Poſtremò, quò ſuo genio ſatisfaciat, deſcriptum Paracelſi immutavit Goclenius, aſſeverans uſneam è ſolis craniis ſuſpenſorum deligendam eſſe, cujus ſui & falſi inventi cauſam quærens, non veretur ſomniare, ſpiritus vitales ſtrangulatu in calvariam intraſſe, & ibi tantiſper manere, donec ſexennio abinde revoluto, ſub diu uſnea ſuccreverit. Paracelſus contrarium expreſsè docuit, & uſu comprobatum eſt, uſneam è cranio rota interemtorum non minùs laudabilem eſſe, quàm laqueo ſuſpenſorum. Ex
animalibus ſiquidem non quintum eſſe (quod 3
ſimul cum ſpiritu influente & vita, pereat eſſentia principalis,) ſed ſola virtus mumialis, id eſt, ſpiritus inſitus & confermentatus, in vi enectis corporibus ſuperſtes educitur.

Quæ de memoriæ inſtaurandæ remediis prodidit Goclenius, ut fini concepto nequaquam congruentia agnoſcimus, ſic & impertinentia oſtentacula eſſe, probare nequicquam diffidimus.

Inter Theologum & Medicum non eſt quæſtio facti: concedit nimirum uterque ſanationem vulnerato accidere: in eo tantùm lis eſt, quòd Medicus ejuſmodi ſanationem adſtruat naturalem; Theologus verò velit eſſe ſatanicam, idque ex pacto primi inventoris. Cujus cenſuræ non aliquam in ſua anatome poſitivam adfert rationem: ſatisfactum arbitrans, ſi penes ſe reſciderit, etſi reſectionis rudimenta nulla coràm attulerit, in eo videlicet quieſcens, quòd afferentis elumbes rationes ſubmoverit: quod nullius eſt operæ, nullius eſt artis, nec ullius etiam eſt authoritatis. Nam quorſum facit, ex futilitate rationum alicujus imperiti, de re ipſa judicare? eamque impiam declarare, ſi

ſuæ ſententiæ ne unam quidem ratiunculam
ſomniârit? Quid ſi presbyterium laïcus incom-
tis laudem rationibus, eaſque aliquis velut im-
meritas rejiciat, an propterea ipſum ſacerdo-
4 tium rejiciendum erit? quid quæſo res ipſas at-
tingit imperitia aut temeritas alterutrius; Certè
non ſe cenſuris Philoſophia ſubſtituit, niſi cen-
ſorum adſit pondus rationibus ſtabilitum.

Ego itaque, qui contra Theologum curam magneticam velut naturalem ſuſcepi probandam: inprimis Goclenium excuſandum ratus ſum, ſi fruſtra laboraverit in inventione cauſæ proximæ hujus inſoliti effectus. Quid mirum, cùm Theologus eandem ſe neſcire fateatur, atque idcirco ſatanam authorem conjiciat? ea namque eſt infirmitas noſtra, quòd plurimarum & præſtantiſſimarum rerum notitiâ deſtituti ſimus. Idcirco etenim plurimas res ad ſacram ignorantiæ anchoram, inviti deflectimus; & catalogo cauſarum occultarum referimus. Quis enim Theologorum unquam cauſam riſibilitatis, vel alterius proprietatis formalis, puta caloris in igne, demonſtrationem ad plenum ſcivit? An non committitur petitio principii, ſi dixeris: Calor ſummus igni competit, quia de ejus eſt natura? equidem formarum eſſentiæ; quia ignotæ ſunt nobis à priori, ideo & formalium proprietatum proſapia tota jejuna eſt, & incognita: atque ubi advertimus, aliquam paſſionem formalem ſubeſſe, mox ab indagine ejus, mens velut fatigata fruſtra, ceſſat, ſeſeque reponit, contenta nomine occultarum proprietatum: eja ſodes, an forte anatomicus cenſor cauſam novit, cur canis lætus caudam vertat? leo verò itidem, quando iratus? felis quoque applaudens eandem erigat? Quid itaque, ſi ipſus ne caudæ motus rationem novit, mirabitur Goclenium magnetiſmi rationem dediſſe inſolidam? ejuſque refutatione, præſumet curam ſatanicam, quæ magnetiſmi eſt, ſe ſat ſuperque demonſtraſſe? abſit tanta judicii temeritas.

Agedum, cur diabolicam dicis curam? debue-
ras equidem rationem cenſuræ addidiſſe, niſi
eâdem facilitate, quâ diabolicam prædicas, ne-
5 gatum ab aliis exſpectes. Juriſtæ ſolam affirma-
tivam confirmatam expetunt: at Philoſophi u-
tramque, ne negantium quàm aſſerentium ma-
jor videatur aut ignorantia, aut etiam protervia.
An forte diabolicam aſtruis, quia non poteſt in-
telligi (à te) ſubeſſe rationem naturalem? non
credam ex infirmitate tua de virtute, tam iner-
tem ferres ſententiam. Scis etenim, quòd vitium
noſtrum, infirmitas intelligendi ſit, non rerum
Satage ergo unde ſcis, Deum ejuſmodi virtu-
tem magneticam non direxiſſe in uſum vulne-
ratorum? Oſtende literas: an te DEVS ſui con- 6
ſilii ſecretarium elegerit! ſanè utcunque vage-
ris vario, tandem reperies non aliâ ratione, apud
vos eſſe curam diabolicam, niſi quia tenuitas &
vocatio veſtra eam non capit. Quid mirum, ſi
Theologus nullus hæc ſuboleverit? Poſtquam 7
enim Sacerdos & Levita tranſiiſſent in Jericho,
ſucceſſit Samaritanus laïcus, qui omne jus Sa-
cerdotibus inquirendi rerum cauſas eripuit:
natura idcirco abinde, non Theologos in ſui
interpretes vocavit; ſed ſolos Medicos in filios 8
optavit, & quidem tales duntaxat, qui pyro-
technia inſtructi, rerum proprietates exami-
nant; ſeparando poteſtatum delitentium impe-
dimenta, cruditatem ſcilicet, venenoſitates, &
fœces, id eſt, tribulos & ſpinas è maledictione,
naturæ virgini paſſim inſertas. Nam cùm natura
quotidiè diſtillet, ſublimet, calcinet, fermentet,
ſolvat, coagulet, fixet, &c. nos certè iiſ-
dem adminiculis rerum proprietates ab occul-
to eruimus in lucem, naturæ ſoli interpretes
fideles.

Theologus autem, quo judicet præſtigioſum à naturali; à nobis prius definitionem hauriat neceſſum eſt: ne ſutor nempe ultra crepidam labatur turpiter. De DEO Theologus, naturalis verò de natura inquirat.

Multa certè ubique Conditoris bonitas fuit,
qui omnia creata in ingratum hominum uſum
condidit: nec Theologorum quenquam aſſeſ- 9
ſorem admiſit: quot quantaſque rebus virtutes
inderet; neſcio ſanè interim, quomodo à ſuper-
biæ peccato excuſari poſſit, qui quia non perci-
pit rationem naturalem, tanquam univerſa DEI
opera ſuo metiens acumine: idcirco audacter
negat Deum ejuſmodi rebus virtutem dediſſe;
quaſi homo vermis, Dei & conſilii ejus compos
eſſet: omnium animos ex ſuo æſtimat, qui
putat fieri non poſſe, quod intelligere non
poteſt.

Mihi profectò nullatenus mirum videtur, ſi extra magnetis corpus conſimile, & ſolo magnetiſmi nomine explicabilem virtutem, rebus Deus dederit. Nonne ad magnetiſmi poſitionem ſufficere deberet, unicum ſaltem dari exemplum (perplura & appoſita mox adferam) naturale iſtius lapidis, ad cujus normam, cætera quoque diverſimodè diſtributa intelligantur in creaturis? An proinde quia novum paradoxum & tibi incognitum, idcirco & ſatanicum eſſe debebit? Abſit tam demerite de divina Condi-

toris majeſtate ſentire : neque certè, iſto hono-
10 re deferendo, ſatanæ blandiri debemus : quid enim ipſum uſpiam ſuavius afficit, quàm ſi bonorum operum gloria ita deferatur ei, quaſi ipſe eorundem author exſtitiſſet ?

11 Naturam materialem quotidie magnetiſmo ſuo, à ſuperis formas trahere, cœleſtiumque favorem expetere, conceditis, & cœlos quippiam ab inferis viciſſim allicere inviſibiliter, ut ſit liber & reciprocus aditus, & in unicum totum membrorum concinna chelys, Magnetiſmus itaque, quia paſſim viget, præter nomen, nil novi continet, nec paradoxus, niſi iis, qui cuncta derident, & in ſatanæ dominium ablegant, quæcumque non intelligunt. Profectò quærenti deriſori ſapientiam ea non exſtat.

12 At quæſo, quid ſuperſtitionis habet unguentum armarium ? an quia uſnea ſanguine mumia, & adipe humanis conflatum ? atqui innoxiè his utitur Medicus, & ad hoc impunè venundat ſeplaſia. An fortè quia modus utendi tibi novus, vulgo inſuetus, utrique verò admirabilis, idcirco effectus erit ſatanicus? Subde te, nec æſtua ; mox melius habebis.

13 Etenim modus utendi, nil mali continet. Intentio inprimis bona ac ſancta eſt, & tantum in bonum cedit finem : nempe ſanare dolentem, proximum ſine dolore, periculo, & ſumtuum emaciatione ? Hoccine diabolicum dicis ? Denique ipſa quoque remedia, res naturales ſunt, quibus eam facultatem à DEO conceſſam mox argumentabimur. Vtinam tu quoque tuam nobis negativam ſic firmaſſes : Deum nempe ſummum bonum, non dediſſe unguento ſympathetico vim naturalem, & mumialem magnetiſmum.

14 Hoc remedium magneticum nullatenus ſuſpectum reddi poteſt : cùm nullos ritus habeat, nulla verba, nullos characteres aut ſigilla poſcat, ceremonias nullas admiſtas, aut vanas obſervantias : non præſupponat horas, non pro-
15 fanet res ſacras ; imo quod amplius eſt, ne quidem præexigat imaginationem, confidentiam aut fidem, neque veniam à vulnerato petendam: quæ cuncta curis ſuperſtitioſis annexa ſunt.

16 Superſtitio quippe dicitur, quoties ſtatur fide, aut imaginatione, aut utraque, ſuper virtutem aliquam, quæ talis non eſt, aut non eò à Creatore directa. Nihil igitur cura Magnetica, ſuperſtitionis habet : Quocirca Theologe Cenſor, ſaltem deridendi ſatanam ergò periculum unguenti, ſarcaſmo plenus, facito, quo pactum illud implicitum eruas : effectum nihilominus eundem planè nobiſcum, velis nolis, reperies : quòd ſuperſtitioſis cauſis nequaquam evenit.

Quicumque magneticam vulnerum curam 17
diabolicam putat, non quia ſine & mediis illicitis conſtet : ſed quod modo ipſi incognito procedat. Is etiam eodem convictus argumento, omnium quæ de magnete dicturi ſumus, cauſas
quidditativas dabit: vel fatebitur, magnetis ope- 18
rationes præſtigias eſſe ſatanæ: vel ſaltem (quod tutius erit) magnetiſmum, id eſt, proprietatem quandam occultam, hac appellatione propter manifeſtam illius lapidis prærogativam à cæteris abſtruſis, & vulgo ignotis qualitatibus diremtam, nobiſcum cogetur agnoſcere.

Magnes dapi impoſitus ligneæ, atque inna- 19
tanti, confeſtim uno & certo latere ad auſtrum, altero ad Aquilonem vertitur. Pars ejus auſtralis, ſi ferrum tetigerit, illud ad Aquilonem vertit, & Borealis magnetis pars, ferrum attactum, ad Auſtrum inclinabit. Boreali parte, id eſt, ventre ſuo, ferrum allicit, & dorſo, illud ante ſe propellit : Aquilonare latus, à dextra in ſiniſtram, fricando acus compaſſi cuſpidem, eandem ad Auſtrum diriget : ſin verò frictio, à ſiniſtra in dexteram inſtituatur, contraria cuſpidis directio erit.

Similiter Auſtrale magnetis latus variatur. Imò quod magis eſt, ſi magnes affrictu ſuo ferrum magneticum efficiat, id eſt, ferri alterius attractivum, idem ferrum jam magneticum, ſurſum deorſum inverſum, rurſum ad magnetem fricetur, tractoriam poteſtatem confeſtim exuet. Quæ ſi ſapiant, inquire Guilielmum Guilbertum, Londinenſem Medicum, de magnete, quo nemo melius de hac materia ſcripſit, & cujus operâ, variatio pyxidis reſtaurari poteſt. Acus quæ nunc ad Aquilonem vergit, ſub æquinoctiali ambigit; ultra eam verò ad alterum polum tendit. Hoc medicum addam : dorſum magnetis ſicut ferrum ; ita & inteſtinum pellit, curat herniam, omnemque catarrhum de natura Martis ; omnes nempe magnetiſmi, ad uſum hominis ordinantur : vis trahendi ferrum, ſi mumiæ muliebri maritata fuerit, tunc dorſum magnetis, in femore, & ejus venter in lumbis emplaſtrata, abortum jam minitantem tutò præcavet : venter verò magnetis, in femore, & dorſum lumbis appoſitum, partum mirificè facilitat. Quæ cuncta de magnete, noſter Anatomicus rationibus à priori illuſtrabit, modumque velut ipſi cognitum nobis exponet : vel pariter ſatanæ eſſe illuſiones, & non naturales effectus, parili ignorantiæ argumento, decrevero.

Exempla aliquot conſimilis magnetiſmi jam proferam, ut tandem ad rationem poſitivam, omniumque oppoſitionum refutationem, animo imbutiore accedamus. Quid agam amplius? quas non attuliſti rationes pro re, ipſe comminiſcar. Omnis, inquies, effectus, vel immediate à Deo opifice procedit, & miraculum eſt: vel à ſatana, & prodigioſus eſt; vel à cauſis naturalibus & ordinariis, & tunc naturalis eſt: atqui magnetiſmus non eſt miraculum, neque effectus naturalis: Ergo ſatanicus. Reſpondeo: Quanquam hanc dictam enumerationem inſufficientem queam oſtendere, quatenus homo interior etiam agit, nullo dictorum modorum (quod poſtea ſatis luculenter dicturi ſumus) nihilominus ſicco pede aſſumtum nunc tranſimus, ſubſumtum negaturi, qua nimirum parte, effectum non naturalem, aſſeritur. Id enim prius probandum erat, ne petitio principii committeretur: verùm in hoc fuit, & erit defectuoſus noſter Cenſor, dicere non eſſe naturalem, niſi dicere, putaverit idem eſſe & probare, & authoritatem ſuam vice rationis locaſſe. Multi namque effectus naturales ſunt, qui non ordinariò contingunt: rariùs nempe incidentes. Itaque in gratiam Anatomiſtæ, ubique partem affirmativam nedum tuebor: ſed & declarabo rationibus, & exemplis conſolidabo. Sic nempe propriâ ruet mole argumentum jam allatum.

20 Eſt liber impreſſus Franekeræ anno 1611. apud Vldericum Dominicum Balck, de lampade vitæ. Vbi reperies ex Paracelſo, veram magneticam curam plurium morborum, puta hydropis, podagræ, icteri, &c. ſanguinem calentem ægri, includendo teſte, ovique putamini, quod fovendum exponitur, & carnibus admiſtum ſanguinem hunc, cani eſurienti vel ſui dabis, mox ægritudo abs te in canem trahitur, & abit: non ſecus atque in Gehaſin lepra Naamani, exſecratione tranſmigravit. An & hoc diabolicum cenſebis, ſic proximum, ſolius ſanguinis mumialis magnetiſmo, reſtituiſſe? reſtituitur autem prorſus, & indubitatò.

21 Mulier ablactans infantem, quò citiùs ubera ſibi ſterileſcant, in prunas lac emulget, & mox ubera flacceſunt. An fortè ſatanas exſuget ea?

Si quis ad oſtium tuum cacaverit, idque prohibere intendas, ignem ferri recenti excremento ſuperſtruito; mox per magnetiſmum natibus ſcabioſus cacator fiet: igne videlicet torrente excrementum & toſturæ acrimoniam quaſi dorſo magnetico, in anum impudentem propellendo. Forte hoc ſatanicum dices, quia finis læſio. At certè abuſus poteſtatum in libertate hominis eſt: attamen uſu non minùs naturalis.

22 Fac tabulam ex biſmuto, & una extremitate, pone ſuccini fruſtum, tribus inde ſpithamis, colloca vitriolum viride: mox hoc colorem & acredinem viſibiliter amittet. Quæ ambo in ſuccini præparatione reperiuntur.

Saltem hocce omni ſatanæ illuſione carebit. Bruxellenſis quidam in pugna naſum amiſit, adivit Chirurgum Tagliacozzum Bononiæ degentem, ut naſum præſtolaretur: & cum inciſionem brachii ſui timeret, bajulum ad hoc conduxit, è cujus brachio naſum tandem dato pretio eruit. Mox tredecim circiter menſes, à reditu in patriam, repente naſus inſititius friguit, & abinde aliquot diebus, putrilagine cecidit. Cujus rei inopinum caſum inveſtigantibus inventum fuit, eodem fortè momento, quo naſus friguit, exſpiraſſe bajulum. 23 Superſtites ſunt horum teſtes oculati Bruxellæ. An non eſt mumiæ magnetiſmus ille planè conſimilis, quo naſus vita communi, ſenſu & facultate vegetativa tot menſibus, inſitionum jure gaudens, repente trans Alpes mortuus eſt? 24 Cedo quid ſubeſt ſuperſtitioſi? quid phantaſtici?

Radix Carlina (quæ Chamæleontis eſt) plena ſucco & viribus evulſa mumiæ humanæ contemperata, tanquam fermento ex homine, cujus umbram premis, vires & robur naturale in te trahit. 25 Sed hoc præſtigioſum dices, quia paradoxum: quaſi non eadem lepra è Naaman in Gehaſin eſſet traducta, & icterus idem numero, in canem tranſplantatus: non enim morbus in prædicamento qualitatis eſt; ſed omnia ſunt prædicamenta, in morbis ſingulis. Siquidem licuerit non res nominibus, ſed nomina rebus accommodare.

26 Solisſequi flores magnetiſmo quodam, feruntur ad ſolem: non ſanè propter ejus calorem quem optent (nubilo namque & frigidiore die, ſolis quoque rhythmum imitantur) nec etiam propter ejus lucem, ſolis ſunt pediſſequi: nam nocte opacâ, ab occaſu, ubi ſolem reliquerant, ad ortum tendunt; Non hoc diabolicum cenſebis, quia aliud ſubterfugium paratum eſt: nempe eſſe harmoniam ſuperorum cum inferis, & facultatem tractricem planè cœleſtem, nullatenus ſublunaribus communicandam. Quaſi verò microcoſmus, cœleſtis ſortis indignis, nullam in ſuo ſanguine & uſnea notaret aſtrorum revolutionem.

27 De philtris dicerem, quæ mumialem confermentationem requirunt, ut ad certum objectum trahatur dilectio. At conſultius eſt præterire, ubi hoc unum ſaltem prius dixere. Novi herbam paſſim obviam, quæ ſi teratur, & foveatur manu, donec intepuerit, mox alterius manum detinueris, quoad & illa tepeſcat amore tui, ille totus continuò ardet, ad aliquot dies. Detinui pedum cujuſdam catuli, hic confeſtim peregrinum me ſecutus adeo, quod noctu ante cubiculum ejularet, quo eidem aperirem renunciata herâ ſuâ. Adſunt Bruxellæ mihi hujus facti teſtes. Calor etenim prius herbam calefaciens, calor inquam non ſolitarius, ſed effluvio quodam ſpirituum naturalium concitatus, herbam ad ſe determinat, individuatque ſibi: & aſſumto hoc fermento, per magnetiſmum alterius ſpiritum trahit & ſubigit in amorem.

28 Relinquo curas multarum ægritudinum, quas arcanum ſanguinis humani magneticè perficit: niſi etenim ſanguis, imò pus, urina & perſpirabile effluvium, continuò aliquid ſecum de ſpiritu vitali demerent, hiſque ineſſet participatio quædam totius, extra concretum naturale: ſanè non adeò brevis dies hominis foret. Hæc nempe inteſtinæ fuit calamitatis cauſa.

29 Perſicaria ſive piper aquaticum, conſolida, ſophia, ſerpentina, braſſatella, atque plures aliæ, iſtud habent peculiare, ut ſi frigidæ, demergantur in aquam (flante enim Borea, exciſa quercus verminoſa erit, niſi confeſtim ſubter aquas demergatur) & ſuper vulnus aut ulcus, aliquantiſper intepeſcant, mox defodiantur cœnoſo loco: ubi putrere incipiunt, etiam attrahere ſatagunt ex ægro, quicquid nocuum eſt.

Idque peragunt herbæ, non quamdiu in terra creſcebant, neque etiam quamdiu in forma manent priſtina (oportet namque granum emori, ut fructum ferat) ſed in corporis putrefactione, virtutes jam quaſi corporis repagulo ſolutæ, liberè magnetiſmum, ſecus dormientem & impeditum, exſerunt, & juxta contagionem, impreſſionemque à vulnerato aut ulceroſo loco acceptam, reliquum mali, vel eminus multum exſugunt.

30 Si quiſquam folia Aſari decerpendo, ſurſum vellicaverit, purgabunt aliam, id eſt, tertiam perſonam tractionis neſciam, per vomitum tantum: ſin verò deorſum carpendo torqueantur, ſolam dejicient alvum. Hic ſaltem nulla ſubeſt ſuperſtitio. Nam quid hic imaginationis commemorem: cum illa in tertium objectum
nil operari concedatis, maximè ubi iſtud ignarum ſit modi, quo decerpens fuerit uſus? An 31
forte pactum implicitum rurſus, & ſacram
ignorantiæ anchoram, incuſaveris? Atqui hic
nulla latet vana obſervantia, præſertim ubi inſcio aſſumente decerptor, ſurſum vel deorſum
folia vellicaverit. Profectò præter aſarum &
ſambuci extremitates, id cætera non habent
purgantia, quæ quomodolibet decepta, univocè
operantur continuo. Sed in aſaro, plantâ integrali, proprietas eluceſcit magnetica, adeóque
ad carptionis ſenſum variè ſua dotat folia. Habere autem nedum plantas, ſed & creata fere
ſingula ſenſus quandam adumbrationem tam 32
antipathia, quàm ſympathia (quæ ſine ſenſu
conſiſtere nequeant) latius comprobant, quod
mox docebimus.

33 Matronam nobilem mihi notam, abeunte podagræ paroxyſmo uno, novus ſubinde alius excepit, ac per multos menſes podagra ſine remiſſione, inſolito infeſtavit recurſu. Neſciens verò, unde tanta ſibi, inauſpicataque morbi recidiva; tandem quoties remiſſo acceſſus fervore è cubili jam ſurgens, ſederet ſede, qua frater ejus olim, & in alia urbe, podagricus ſedere ſolitus erat, extemplò nimirum abinde morbum repullulare reperit. Effectus utique nullatenus imaginationi aut ſcrupulo adſcribendus: utpote quæ duo effectu longè fuerunt poſteriora. Qua autem ſede, ſi contingeret alium ſediſſe podagricum, nulla ei accidit morbi reincrudatio. Itaque jam fratris mortui, mumia, ſedem contagio ſuſpectam meritò reddidit, quæ ſorori & non alteri podagrico, fluxus illos ſecus quieturos moveret, trans omnes veſtes penetrans. Magnetiſmus fuit ad uterinam ſororis ſcilicet mumiam: idque longo poſt funera luſtro. Cedò, quid hic eſt pacti impliciti cum hoſte Satana?

34 Sapphirus cœruleo colore ſatur, ſi anthracem quo peſtis ſeſe prodit, attigerit, & aliquamdiu affrictus fuerit, mox verò auferatur, non ceſſat magneticè jam abſens gemma, virus totum è contaminato attrahere: modo id viribus nondum debellatis fiat. Solent idcircò (nobis in majorem magnetiſmi fidem) locum apoſtematis ſapphiro in circinum paulatim aucto conſcribere: ne ſcilicet exiens virus, qua inſenſiliter evolat, latius exſpatietur, & nobilem aliquam vicinam partem latius proinde infectet. Qua enim virus magneticè è corpore tabido, tanquam per tubum attractum, exhalat, totus circinus mox nigreſcit, & tandem in eſcharam combuſtus, excidit: corde interim, à mortifera

contagione præſervato. Nec locus eſt ſubterfugio, dicere virus attractum eo momento, quo locus à ſapphiro tangitur, vel etiam tum temporis intus edomatum figurare, & non magnetiſmo abſentis gemmæ id tribuere. Verumtamen ægri fidem dabunt, ſe non confeſtim percipere ſublevamen, ſed multò pòſt; abſcedente paulatim ſcilicet, per tractum magneticum veneno. Imò locus ipſe pro magnetiſmo certius teſtimonium dabit: qui non nigreſcit ſub ductu, vel per ductum ſapphiri: ſed mox abinde atreſcit, combuſtus immediatè per auram peſtiferam, id eſt, arſenicalem, iſthac, & non alia egredientem. Qua etenim virus continuò exhalat, nimirum in conum reſumtis radiis venenoſis ibidem neceſſum eſt locum impetum pati, atreſcere & comburi, quæ prout ſucceſſu temporis contingunt: virus quoque ſucceſſivè effluere, ad tractum abſentis gemmæ, edocent.

Reſpondebis fortè, unumquodque agens requirere impreſſionis ſuæ certam durationem: huic ſapphirum non inſtanti juviſſe, ſed impreſſionem reliquiſſe, quæ paulatim reliquum mali evictura eſſet, non autem abſentem gemmam quippiam deinceps trahere. Vbi notabis, omne agens naturæ in inſtanti agere, niſi ſit in patiente obſtaculum. In corpore verò contaminato non eſſe impedimentum, utpote quod citiſſimè auxilium expoſcit, & omnibus ad id venis anhelat.

Aliud prorſus eſſet, ſi ſapphirus in loco dolente præparandus, concoquendus aut alterandus eſſet, ut ex illo educeretur obſeratum agens, quod deinceps in corpus ſpargeretur. At cùm is maneat integer & incorruptus, certum tempus duntaxat exigit ad hoc, ut radium ſuum influentialem, per attactum mumiæ copulet radio auræ peſtiferæ, quò eam mox abſens exigat. Ad dictam inquam copulationem, ut fiat alligatio virtutis ſapphiricæ, ad venenum, requiritur certum tempus (puta unius octavæ horæ) quo circumdatur anthraci circinus: nam ſi eſſet aliqua ſapphiri impreſſio, quæ paulatim intus venenum edomaret, & non tractio magnetica gemmæ abſentis; nulla eſſet ratio, cur atreſceret & combureretur certus iſte locus circini, neque etiam quò minus virus latius ambularet, quàm dicto circulo. Quod amplius eſt, ſi anthrax recenter pluribus in locis ſe ſimul oſtentet: ſolus tamen ille, qui ſapphiro circumſcriptus fuerit, 35 amburitur, ſidentibus & pereuntibus cæteris. Itaque quam obſecro impreſſionem attractivam poſt ſe ſapphirus relinquet abſens, ſi non magneticam? maximè quod attractum, dicat inſeparabilem reſpectum ad attrahens, & viciſſim?

Imò ſi ſapphirus de ſe, virtutem in corpus ægrum dediſſet, una aut altera vice, ſeipſo imbellior eſſet (ſic nempe ungula alcis, epilepticos arcens inſultus paulatim, effeta redditur) amiſſa facultate, quam impreſſit, quod planè in ſapphiro, verè exſors eſt: eò namque potentior laudatur, quò ſæpius venenum exſuxerit. Dices fortè, ſapphirum generaſſe qualitatem in ægro, ratione cujus incepit attrahere, & virus iſthac evellere: & quamquam ſapphirus tunc removeatur, naturam nihilominus ſemel commotam perſeverare in expulſione, idque qua virus expelli cœpit. Primò quæritur, an ſapphirus trahat prima ſua qualitate (puta calore) vel formali & magnetica proprietate? atqui hæc non deſiderat præviam generationem, novæ qualitatis intus: ſed tantùm copulam virtutis tractricis ad trahendum. Tractionem itaque fieri, per abſentem gemmam. Probatur ſubſumptum: quia omne trahens naturale trahit ad ſe. Etenim ad hoc ſcilicet duntaxat trahit: quocirca nova qualitas intus generata, ad ſe virus intrò traheret & neutiquam foràs, per tractum educeretur. Secundò, An fortè ſapphirus genuerit virtutem de ſe, eamque in pellem tantùm impreſſerit? enimverò neque illud conſtare poteſt: quoniam tunc non eſſet neceſſe, circum anthracem duci circulum per gemmam; ſed ſufficeret qualemcunque remotam & commodiorem pellis partem attingi: quod falſum eſt. Tertiò, An ſapphirus fortè aperiat poros? & an natura non potuiſſet eadem ſua expultrice uti, citra attactum ſapphiri? quod ſi non: tunc ſapphirus non attrahet; ſed tantùm expultricem in ægro roboraverit. Huic contrarium eſt, quod non ultra, neque citra circinum, locus amburatur; quodque incipientes, etiam non attacti, anthraces ſidant & pereant. Siquidem roborata expultrice tantum, ipſa quaquaverſus expelleret, & non ad certum & electum vinceretur locum. Quartò, Natura ante tactum ſapphiri, jam denotaverat ſuum robur validum in expellendo anthracem. Vnde quoque falſum eſt, naturam ſemel in expellendo commotam, deinceps per ſe perſeverare, cùm ad expulſionis initia tardus alioqui ſapphirus venerit. Igitur utut dixeris abſente gemma virus attrahi magneticè neceſſum eſt.

Viſne ergo clariùs oſtenſum tibi unguenti armarii magnetiſmum naturalem: vel an tractum gemmę calumniabis, & calumniatori quoque ſcribes? Iudicabis (reor) præſtare & longè præſtare, nobiſcum ſentire, quod ſicuti mors, vulnera, morbus, cædes, per diabolum irrepſerunt, unde nil niſi malum: ita omne donum bonum deſurſum eſſe à patre luminum. Bonum univerſim cenſentes iſtud, quod neque ſubjectum, neque objectum, neque media, neque 36 intentus finis, inculpare pravitatis auſint. Solent proinde pridem, Eccleſiæ proceres an- N nulos ſapphiro ditatos geſtare, ignorato apud illos penè illius gemmæ uſu. Etenim quibuscunque data eſt animarum cura, iiſdem quoque incumbit ex lege & officio, contaminatis peſte adſiſtere: caligine nimirum ignorantiæ, præclariſſimum rerum naturalium ſcientiam, hodie inumbrante: in cujus vicem, dicendi lepor inflantis & mortuæ literæ nitor, & præſumens garrulitas, ſucceſſere: quod dolendum ſummopere, atque admirandum magis, artes mechanicas proficere quotidie: ſolum verò naturalium ſtudium, cenſuris iniquis terreri & retroire: prolixior de ſapphiro fui, quia ſimilem cum armorum unguento, paremque caſum prorſus continet.

37 Eſt igitur hac in parte, ſuus quoque homini magnes, quo tempore peſtis, per inſenſibilem tranſpiratum à contaminatis venenum forinſecus haurit. Natura etenim, quæ ſolet aliàs benignum ſuccum duntaxat admittere, eumque ab excrementis ſolerter ſecernere, hoc ſuo nunc magneti ſuccumbens, nocuam auram allicit, mortemque intro vocat. Contra quem magnetem, ſuus eſt magnes contrarius (ne videlicet diſputatio, ulla ſui parte, cedat ſterilis) ipſe nempe ſapphirus, vel etiam fruſtum ſucci- NB. ni lucidum, prius per ſeptem planetarios pulſus confricta (ſunt autem ii in gutture, carpis manuum, prope pedum malleolos, & ad cordis thronum) & collo, periapti vice appenſa, humanum magnetem præcellùnt, impediunt, adeoque diræ luis amuleta certiſſima; alioqui planè inefficacia, ſi pulſuum confrictio non præceſſerit. Quæ enim priùs ſapphirus & ſuccinum erant, ab affrictu, mutatâ familiâ, nomen prius amittunt, & zenexton deinceps appellantur. Hæccine quoque diabolica cenſebit, & inito pacto attribuet aliquis?

38 Sat eſt paucula; ſufficientia tamen exempla, & unguenti armarii parem caſum continentia attuliſſe: nunc tempeſtivè nos ad tua argumenta volvemus.

Arguis Goclenium de inſcitia Ariſtotelicæ doctrinæ, eò quòd idem accidens migrare de ſubjecto in ſubjectum, inſinuet (utinam tam præſtò eſſes probando, ac es refellendo) utpote & hoc pertinacitatis eſt ingentis, putare, cicatricem in cadavere non eandem eſſe, quæ in homine heſterno fuit. Fruſtra etenim nos ſanctorum reliquias veneramur, ſi ſola materia impoſſibilis Ariſtotelicorum ſuperſit, & non acci- 39 dentia quædam in corrupto remanſerint, quæ olim erant in vino. Ecce, quò Paganicus error præcipitet improvidè carpentes. Putare inquam impoſſibile, quod prorſus eſt neceſſarium, denſiſſimæ eſt ignorantiæ officium, lumen ſcilicet, â ſole uſq; in terram, vel ictu oculi celerius per minimos quosque atomos aëris, producere novas ſpecies, & ſpecierum ſpecies luminis: Cœcutire nempe hoc eſt ad ſolem; nam ſi non haberemus lumen, & virtutem ſolis apud nos, ſed milleſimam, millenorum millium ſpeciem luminis & virtutis duntaxat; ne quicquam creſceret, & refractione vel unione radiorum, nunquam ignis produceretur. Etenim ſpecies ſpecierum luminis, cùm lumen non ſint magis, quàm colorũ ſpecies, colores ignem nunquam cauſarent. Ego certè mihi gratulor de ignorantia talis doctrinæ, de qua Goclenius, velut rudis accuſatur. Nonne trans vitrum, candenti fluxu ſigillatum (in quo nullus invenitur porus) ligula compaſſi ad polum ſeſe flectit? & ad ferrum vicinum trahitur, polo interim neglecto? Igitur idem accidens, trans vitrum migrat, de magnete in aërem, & ad polum ipſum, fortaſſis attingit. Et magnetiſmus quoque, qualitas cœleſtis 40 eſt, aſtralibus influentiis perſimilis, nec loci diſtantiis coërcita, prout neque unguentum magneticum, de quo diſputo.

Rides, quod uſneæ herbulam, ex cranio hominis trium literarum, legat Goclenius. Nec 41 eſt ſanè, quod hîc putaveris anguem in herba, ſuperſtitionis vanitatem latere: nam etſi Ieſuita, ſuſpendio, alioque martyrio enectus, ad ſiderum influxum & obedientiam exſiccari relinquatur, ejus caput, conſimile furis cranio, uſneam oriundam, peræquè utilem, & ſimul corradendam exhibebit: ſiquidem uſneæ ſemen de cœlo cadit in agrum calvariæ, interdum enim ſpumâ pluit, quæ aurora dicitur: ſubinde mucilago tenacior, quæ ſperma ſiderum vocatur, decidit. Nonnunquam ranis, araneis, &c. pluit cœlum, quæ decidendo ſubſtantia fiunt tangibilis & vitalis. Alicubi in montanis, lacte pluit, non minùs quàm ſanguine: non rarò quoque in lapides & oſſa, 42 incumbit alba & bituminoſa ſubſtantia, cœli-

43 tus demiſſa, quæ uſnea fit. Hæc alibi cruſtam lapidibus inducit, ubi lapideſcit; & alibi in muſcum degenerat. Huc ſpectant ros, manna, throni, thereniabin, noſtoch, nebulgea, laudanum, & his ſimilia. Quanquam hæc aëris ſubſtan-
44 tiam magis participent: ubi interim ſiderum excretiones uſneæ altioris ſunt proſapiæ, & flores cœleſtes nuncupatæ; multa moliti ſunt per eas; utpote cum cœlorum favore, & influentia continua ſint ditatæ, fundamento egregiarum virtutum non carent. Uſnea igitur cranii, cum cœlitùs ſemen acceperit, uterum autem & ſuum incrementum ex medullis mumialibus cranii humani, & arcis microcoſmi: non mirum, ſi inſignes, & ſupra vulgarem vegetabilium ſortem, poteſtates obtinuerit aſtrales & magneticas, quanquam non deſint herbis, quà herbæ ſunt, ſui magnetiſmi. Dicam quæ vidi, Miles quidam, & nobilis, fruſtulum aliquod uſneæ cranii humani, intra cutem & carnem
45 capitis, conſolidatum gerebat; qui amicè intercedens, inter duos fratres, invicem de vita dimicantes, gladio in capite cæſus in terram cecidit, quo ictu pileus & coma, ad cutim uſque, velut novaculâ, diſciſſa fuerunt, pelle tamen illæſâ evaſit. Vos conjicite, cuinam cauſæ, pellis tutela dedicanda ſit. Ego conjecturis non aſſuevi animum incertis torquere: fulgur ſiquidem enſe potentius, ſi laurum, non ſaltem vitulum marinum quatit, nec equum attingit, cujus chamus, vituli marini pinguedine inunctus ſit; nec ſtabulum ferit, cujus poſtes tali adipe pingues ſunt. Experientia eſt trivialis. Transeo attamen, & aliis hanc arenam relinquo, ubi ſimile paradigma prius monuero. In Arduenna D. Hubertus colitur, quò omnes à cane rabido demorſi tendunt (prout ad ſancti Domiri, & Bellini ſacella alii confluunt) flocculus ibidem de ſtola D. Huberti, intra frontis cutem, demorſi à rabido, ſolidatur, & in poſterum, à nulla fera rabida feriri poteſt, denteſque arcet
46 flocculus. Reſpondebis, id miraculum eſſe Dei, per reliquias: eſto miraculum. Deum tamen in miraculis, ut plurimum ad latus naturæ ire, hujusque morem obſervare, ipſi ſuo flocculo oſtendunt. Nam qui ſolo verbo poteſt omnia, etiam mediis ſubinde utitur. Sic ſudor in ſudario D. Pauli, eſto unguentum magneticum: ſudor verò ægrorum, vel etiam inſenſibile effluvium, ab iis effluens, eſto ſanguis vulnerati, intra unguenti pyxidem, bacillo poſitus, è veſtigio tota undique noxa ex ægro magne-
47 ticè trahitur. Idque eò fit potentius, quo magnes ille ſupernaturalis majoris eſt efficaciæ: par eſt ſcilicet utrobique ratio, & par modus; niſi quòd in mundo materiali, ſanguine & unguento, ſeu mediis corporalibus contingat: in ſupernaturali verò, per amicorum Dei reliquias, multùm ſaltem hoc nomine venerandas: quæ ut unguento magnetico proximiores evadant, è quibuſdam fontem olei, liquoris balſami indeſinenter ſtillantem excitavit noſtri miſertus Deus; quo ſcilicet magnetico remedio 48
utrobique ſuffulti, certò ſciamus, curationem magneticam Deo acceptam & in utroque mundo, conſimili ordine, pari paſſu, unoque ductore ire. Hinc nempe reliquiæ recentes, plura & anguſtiora edunt miracula, vel ubi transferuntur, tanguntur, &c. quia neceſſe eſt magnetem fricari, moveri, ſi ipſum trahere oporteat.

Ad te uſnea cœlo ſata redeo: qui enim à ra- 49
bie per flocculum, & alios pios ritus convaluerit, nedum liber à cane furente in poſterum relinquitur; ſed quod magis eſt regium, alteri poteſt demorſo à cane rabioſo, tempus differre ad multas quadragenarias, donec queat D. Hubertum ſuo commodo adire, ſilente interim & ſuſpenſo veneno rabidi. Cõſanguineum natura quoque dedit Zinzilla (quæ eſt excrementum 50
diaphragmatis in phlegmonem abiens) occidit, ubi Jonæ inſtar circumierit; Curatur autem tutò & celeriter, ſi ſanguine cujuſdam, qui ſemel illo morbo laboraverit, foris vel tenuiter locus inungatur. Nempe qui ſemel à morbo illo convaluerit, ſanguinem nedum balſamicum obtinuit, unde in poſterum ab eodem morbo tutus ſit; verum etiam eundem affectum curat in proximo, ejuſque ſanguinem cutaneo attactu, vi magnetiſmi, in balſamum ſimilem transplantat.

Dices, ſi magnetiſmus ſit in uſnea, fruſtra erunt reliqua. Reſpondent Medici, quædam eſſe principalia, alia verò minus, aliqua eſſe contrarietates impedientia, nonnulla verò excitantia, quædam quoque augendo promoventia. Hanc ſcilicet fuiſſe compoſitionis neceſſitatem. Quamobrem prout fuit impertinens dicere. Si uſnea magnetiſmum habet, ergo pro reliquis fruſtra exenteratur homo: Ita quoque abſurdum eſſet inculcare. Si uſnea per ſe non habeat ſufficientem magnetiſmum, neque adeps, neque ſanguis, &c. Ergo neque toti compoſito inerit, is magnes unguento attributus. Cùm ſingula nequeant adferre in compoſitionem, quod antea in ſimplicitate non habebant:

cogar

cogat ſubinde tuas explere vices, & pro te cavillationes ſomniare; verumtamen debuerat prius ex ruſticis experimentis didiciſſe, in compoſitione ſæpius novam atque inſolitam qualitatem emergere, quæ in ſingulis antea ſimplicibus latebat minimè: noviſſe nempe conveniebat, nec vitriolum, nec gallas eſſe nigra: juncta tamen atramentum efficere.

Objicies rurſus: ſi uſnea in ſe magnetiſmum cuſtodiat, ex virtute mumiali oſſium, & cœleſtium orbita: ergo eadem non ex ſolis craniis, ſed ex oſſibus quoque cæteris ſceleti, colligenda erit; ridiculum & illud: quippe ſola natura quoque ſubeſt; & piper recens in Italia plantatum, 51 idcirco hederam patrat. Veratrum in Tridentino tractu, vi purgante orbum eſt. Et papavera apud nos lethali qualitate privata, utcunque patria noſtra decuplo gelidior quàm ipſe Thebe. Ideo varia eſt uſnea, vario oſſium ſolo ſuccreſcens. Si etenim fulgur in tactis loculis nummos liquefaciat, & ex decem ſodalibus compreſſim aſſidentibus, unum de medio tollat & collidat; idque inquam non caſualiter; ſed permiſſu ejus, qui ne frondem de arbore injuſſam decidere voluit, contingat, & cujus ſolius ope, virtutes omnes ſtabilitæ ſunt: non mirum quoque fuerit, aliud uſneæ ſemen magneticũ ſuper cranium, & alterius claſſis ſuper oſſa cœlitus depluere cætera. Saltem os capitis valet ad epilepſiam; non item oſſa reliqua: tum demum, cerebrum totum in cranio conſumitur & liqueſcit, cujus liquoris (viſceris inquam) irroratione continua, vires cranium acquirit alias, quas aliis abeſſe oſſibus animadvertimus.

Novi ſatis contradicentium mores. Cùm enim nil in rem ipſam momenti habent amplius, contumelioſiores fiunt, & in hominem impingunt: quocirca dicet fortaſsè aliquis. Magnetiſmum eſſe quid novum, à Paracelſo ſolo inventum: eum autem fuiſſe hominem improbum & ignarum. Tum quod ſi fuiſſet uſpiam talis virtus naturalis, illam non tot ſæculis occultam ſtetiſſe, & exſpectaſſe in adventum Paracelſi.

Reſpondeo quoad ſcommata, & multorum ſubſannationes, in virum Germaniæ decus inſtillata, ne nuce quidem digna eſſe, & aſſerentem eo ipſo reddere indigniorem: utpote qui nedum vivos, ſed & mortuos judicare annititur. Nam quæ de literis, ſapientia, adeptiſque donis perhibent ejus monumenta, non eſt quod impar laudem ego, qui neminis encomium ſuſcepi; ſed res ipſas trutino. Eſt itaque objectio ſuperbia ſua ſterilis, quæ nimirum præter vivos & mortuos, etiam DEUM ipſum judicandum aſſumit: non debuiſſe nempe in Paracelſum; ſed in aliquem alium (Ieſuitam fortè) infudiſſe, nec ſeculo Theophraſti, ſed citius multò, aperuiſſe tantam naturæ conſonantiam: atqui cedò cur Ignatius tam ſerò venit, ut ſocietatem toti orbi tam proficuam ſtabiliret? Cur non multis antea ſeculis ea emerſit? Eheu quò te præcipitas præſumendo miſer homo. An non 52 Deus, ſui beneficii liber dator? & in immerita donatione ſibi complacet? cotem, juxta quem de perſonis judicemus, præbuit: nempe quod ex operibus cognoſcemus eos. Quæ autem ſint Paracelſi opera, & quam omni exſpectatione naturæ & linguarum mordacitate majora, ipſius Epitaphium ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. Antiſtite Principe Salisburgenſe, illi benemerito funeri appenſum ſatis invita invidia declarat.

EPITAPHIUM PARACELSI,

quod Salisburgi in Noſocomio apud S. Sebaſtianum ad templi murum erectum ſpectatur lapidi inſculptum.

Conditur hic Philippus Theophraſtus inſignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera, lepram, podagram, hydropiſim, aliaque inſanabilia corporis contagia, mirificâ arte ſuſtulit: ac bona ſua in pauperes diſtribuenda collocandaque honoravit. Anno 1541. *die* 24. *Septemb. vitam cum morte mutavit.*

Paracelſus igitur, tantum abeſt, quòd malè 53 ſit meritus, quia antiquitati ignotum magnetiſmum, & loco naturalis ſtudii, quod paſſim in ſcholis ſterile docetur, reale aliud, corporum analyſi & ſyntheſi, ad manus probabile, & longè uberrimum attulerit, quin proinde potius denominationem Monarchæ arcanorum, juſto titulo, præcedentibus cunctis eripuerit, niſi cum oſoribus, benè geſta, & in bonos uſus congeſta, ignari judices vituperemus omnia. Ita ſum homo: ſordent apud me, quæcunque ſola conſuetudine fidem merentur? Cum nil ſit, quod majori nos implicet caligini, quàm quod ad conſuetudinem componimur, rumori ſomnioque aſſentientes creduli. Eundum eſt itaque ad libertatem, fruendum, non ſerviendum judicii muneribus.

Objicies; In ſublunaribus non eſſe vim influentialem, cœleſtibus impreſſionibus parem: atqui ſi hac impegeris, omnes rectè philoſo-

phantes unà reprehendens, qui ſuperam lationem
in inferis eſſe, modo inferiore, & inferiorum
analogiam in ſuperis rectè adnotarunt.
An non herbæ, animalia, & æger homo, mutationes
temporum futuras, præſentiunt &
præſagiunt? An non rana, quò profundius ſibi
inſtantis brumæ hoſpitium excavarit, eò immanior
hyems exſpectanda eſt? Hinc etenim
auſpicia meteorica: non quidem, quòd iſta contingant
motu cœleſtium præcoci, & adhuc futuro,
quippe priuſquam adſit, cauſet eam ſenſationem
præſagam in ſublunaribus. Abſit. futura
enim tantum nuntiat firmamentum; non
54 autem cauſat. Verumenimverò creatis ſingulis
ſuum ineſt cœlum, cœlique rotatio, dependens
ex ente ſeminis, in cujus ſpiritu (utpote
qui uni verſi celaturam continet) ſuum eſt cœlum,
& ſua ſunt inſuper adſcendentia: nec eſt
55 quod nos Aſtrologiam peſſundare putes: at elucidamus;
res ſiquidem unaquæque ſuum cœlum,
cœlorumque ob id ſyzygiam continet:
cœlorum tamen motus, quia notiſſimus, quia
communiſſimus particularium cœlos (ſic dicam
56 verbi defectu) dirigit juxta ſe. Hæc nimirum
cauſa eſt, cujusque naturalis inclinationis: atque
ubi creatura à motu illo cœli, tamquam
norma communiſſima, proprii cœli perſuaſu
57 exorbitat, confeſtim adeſt ægritudo & defectus.
Nam ovis ſine ductore, incerta oberrat; ptoptereà
58 nempe ægroti præſentium tempeſtates,
temporum futuras mutationes, non itidem ſani:
59 mare namque ſi flueret & reflueret, ductu
Lunæ cœleſtis, id eſt, pyromantiæ ſolius, &
non Lunæ ſuæ hydromanticæ: venti quoque ſi
60 concitarentur ductu Mercurii cœleſtis, & non
aſtri chaomantici ſui, profectò nec eſſent uſpiam
venti ulli provinciales, & per totum orbem
(quia unicus eſt tantùm Mercurius, & ſimplex
Luna in cœlis) conſimilis flaret ventus, &
mare flueret ubique, ſi non eodem tempore:
ſaltem rhythmo eodem, quod neoterica navigatio
improbat. Sat eſt itaque, hic obiter oſtendiſſe,
naturam cœleſtem & enormonticam rebus
ipſis ineſſe, quæ tamen ad rhythmum ſuperioris
lationis ſeſe concitet ac moderetur,
quamdiu non refractaria haberi velit. Firmamentum
quoque non cauſare futura, niſi remotè,
61 idque primis tantùm qualitatibus, vice cujuſpiam
coqui: alioquin opulenter enunciare
62 opera manuum Dei. Res ipſas autem continere
in ente ſeminali firmamentum particulare, ratione
cujus ſymbolizant ſupera cum inferis, lege
amicitiæ & philautiæ: ex quibus ſaltem nunc
colligere eſt magnetiſmum & vires influentiales paſſim rebus inſitas atque proprias: quas qui à ſublunaribus arcet, ſubterfugium inane quærit.

Inſtabis proprius accedendum eſſe, nec ſatis adhuc conſtare, in ſublunaribus cœlorum qualitatem æmulam, & quidem talem, quæ ad longè diſſitum & abſens objectum influat; quod tamen in unguento armorum præſupponitur: adeóque magnetiſmum eſſe quidem virtutem cœleſtem, nullatenus tamen ſublunaribus tribuendam, multóque minus conficto unguento armorum. At quid eſt aliud (quæſo quam negare magnetiſmum, extra vel præter magnetiſmum? nam ſi univerſim omnem ſublunarium influentiam ad invicem, vocitemus magnetiſmum, eamque occultam coaptationem, qua abſens in abſens per influxum agit, ſive trahendo vel impellendo fiat, etymi defectum magnetiſmum nuncupemus; profectò quicumque negat extra magnetiſmum, influentialem vim ſublunarium ad invicem, & dari ſibi inſtantiam ex adverſo poſcit: is abſurdum requirit magnetiſmum nimirum extra magnetiſmum, neſcitque quid neget aut petat.

Siquidem in ſublunaribus exempla facti attuli, & inſtantias plurimas, appoſitasque de naſo nempe inſititio, de ſapphiro, de perſicaria, aſaro, & herbis plurimis. Sed negatis (ſat ſcio, quia neſcis) vel ea non ſic accidere, vel ope diaboli (quod paratius eſt) evenire aſſeres. Moris non eſt, nudis authoritatibus diſputare phyſicos: ad manus, experientiam ſcilicet, eundum eſt nobis cum certantibus. Explora igitur, & nos mendacii arguas; ſi nequis, ſaltem credas: idcirco inſolentis eſt petulantiæ, negare facti eſſe, quod paſſim triviale, quia nimirum non exploravit, nec explorare anniſus ſit: multóque inſolentius, dæmoni indifferenter aſcribere, quod naturæ ubique conſonum eſt, ut mox docebitur: idque unam tantùm ob culpam ſcilicet: quia nimirum à noſtro Cenſore modus per cauſam intelligi nequit: à Cenſore, qui intelligendi ſuo acumine, & phyſices Ariſtotelicæ ſtudio, ambitum totius naturæ undequaque ſe luſtraſſe præſumit: à Cenſore inquam, qui etſi in unguento nil deprehendat ſuperſtitioſi, nihilque illiciti; propter applicationis tamen modum ſibi paradoxum, illud ceu improbum damnat, exſecratur, & diabolicum neſcio quid continere aſſerit. At cujus obſecro? quia nempe enſis vel paxillus cruentus, unguento mumiali & magnetico emplaſtratur. quia ſanguinem ſemel extravenatum cum eo, qui adhuc venis fovetur, concordantiam ſervare neſcit: Et quia ad longè diſſitum objectũ, extendi actionem unguenti nõ credit. Sed redi ad te: quia mox ea intelliges, & credes, niſi pertinax nunc in gratiam tui, magnetiſmi actionem in ſublunaribus ad lucẽ revocabimus.

Enimverò extra immeritò ſuſpectam tibi,re-
rum & herbarum claſſem, influentiam rerum
quarundam, ad invicem eſſe,& ſervari inter ob-
jecta diſtantia, nunc oſtendam. Vitis quæ in
63 flore eſt, turbat vina procul. Excuſabis ean-
dem mutationem fieri impetu cœlorum: pro-
batur,quod non: ſi etenim cœlum cauſaret flo-
res in vite, & vinorum in cadis turbulentiam,
neceſſe eſſet, utrumque annis ſingulis,ſtato fie-
ri & definito quaſi momento: quod falſum eſt.
Nam ſubinde vitis floreſcit, & turbatur vinum
ante ſolſtitium,atque in eadem regione,alio an-
no, longè pòſt: ſed paucis minutis exceptis,ſol
& ſtellæ fixæ, ſingulis annis ad idem punctum
redeunt: ergo vitis floreret, & vina turbaren-
tur, eodem ſemper tempore. At ſi diverticu-
lum quæras, & alios, præter ſolem,planetas,hu-
jus rei cauſam dixeris, qui non ſingulis annis in
ſolſtitio parem habent ſitum, ſaltem uti com-
muniſſimus eſt cœlorum motus, vineæ flore-
rent eodem anno omnes ferè ubique ſimul:
quod falſum eſt. Nam ſicuti ſolo natura aſtra-
lis ſubeſt: ita & viti eadem natura particularis
ineſt: quæ & ipſa per ſe (non ſecus ac terræ data
eſt vis germinandi per ſe) florem, fructum, &
ſemen profert, ſeſeque ad rhythmum genera-
liſſimi motus cœlorum componit & movet:
Aſſerunt adhæc, vina neutiquam turbari regio-
nibus, quibus nulla vitis naſcitur; ergo vitis
flos,& non cœlorum motus, vina turbat,idque
multis inde milliaribus; cæterùm eò quidem
potentiùs, quò vina viti ſunt propinquiora.

Studiis publicis gratulor, illique benè faveo,
64 qui novit,quodammodò antimonium vulgare,
inter præparandum, ad influentiam ſe conti-
nuò dirigat.

Menſuram confectam metiri volo: itaque
poteſtatem quandam influentialem,loci diſtan-
65 tiis non obnoxiam, ſublunaribus familiarem
ſatis probavero, atque eò violentiùs in favorem
magnetiſmi, ſi ipſum magnetem ſua ſe ſponte
ad polum dirigere,nullatenus autem à polo tra-
hi, docuero. Etenim magnes unus, ad tres, al-
ter ad ſex, ſeptem & undecim gradus à polo
declinat: nullus autem (quod ſciam) rectâ po-
lum ſignat; igitur ſi traheretur magnes, vel à
polo, vel ab aliquo poli vicino, velleretur: non
enim à polo ipſo: quia quicquid trahit, ad ſe per lineam rectam, & non per obliquam trahit. Quocirca ſi magnes traheretur à polo, rectâ quoque polum oſtenderet; igitur magnetes, ſaltem quod vidi hactenus, non à polo trahuntur: neque etiam ab aliquo vicino circa, nam cum illud ipſum quieſcat nunquam, ſed indeſinenter in orbem feratur: igitur ſi traheret, etiam magnetem inquietum redderet, trahendo ipſum nunc aliquot gradibus ad ortum verſus, mox totidem gradibus ad occaſum, nunc verò ad zenith ſurſum, aut deorſum velleret: quod falſum eſt. Ergo non trahitur, ſed ſua fertur ſponte magnes. Quod autem alioqui magnes per ſe ſurſum feratur ad zenith, inſtrumentum eſt quoddam à Guilielmo Guilberto inventum cujus inventi gloriam Ludovicus Fonſeca, nuper apud majeſtatem Catholicam ad ſe rapere anniſus eſt: hoc inquam poli altitudinem, ubique locorum ſpontanea elevatione in annulo æneo ſuſpenſo oſtendit, nedum latus poli.

Pro polo certabis, viam fugæ luſtrans: polum quidem trahere magnetem, ſed juxta variam certamque magnetum diſpoſitionem materialem, eoſdem non rectâ ad ſe (ea nempe eſt trahentis conditio & voluntas) ſed ad locum vicinum vellere, hoc eſt dicere. Polus trahit quidem rectâ magnetem ad ſe, non tamen magnes trahitur rectâ ad polum, propter impedimẽtum aliquod ignotum (quod vocas certam ejus diſpoſitionem) inexſiſtens magneti, quod poli tractioni reſiſtit, eaque potentius & ſuperius eſt: quanquam ſoſpes à tot millenis militaribus, eadem ad magnetem pertingat. Vides, quantum veri ſubterfugio ſis deditus? & quam recuſas ineſſe magneti, diſpoſitionem tamen certam quandam motricem, invitus magneti inhabitare aſſeris (certam dicis, fictam tibi, & omnibus in toto incertam) præter, & ſupra tractum poli? quod idem eſt, ac ſi dixeris, magneti ineſſe directricem virtutem ad aliquem diſtinctum locum; non autem trahi à polo.

Recalcitrabis pro vicino poli, dicendo magnetem trahi, non ſemetipſum dirigere: trahi non ab aliquo puncto, aut aſtro, ſed à toto circulo quodam, prope polum. Reſpondeo, longè petitum eſſe ſubterfugium; nam iſte circulus ſaltem latitudinem habebit ad minimum octo graduum. à tribus nimirum ad undecim gradus. Quia tãtæ variationis magnetes vidi. Ergo ſi toti circulo ineſſet poteſtas trahendi, idẽ magnes continuò variaret, nunc ad tres, tandem ad octo vel undecim gradus à polo deflecteret eadem hora, quod falſum eſt. Ergo ſaltem in tantæ latitudinis circulo, erunt diverſæ orbitæ, quarum ſua quæque ſuum magnetem alliciet. Quo conceſſo, recides in idem barathrum: eſſe nempe diſpoſitionem quandam in magnete, cur potius ab hac, quàm ab alia ſolicitetur orbita; & per conſequens, figmentis ad lubitum deductis, erit virtus nihilominus motrix in ipſo magnete.

66 Nondum ſatis eſt, ſi polus traheret magnetem; hoc fieret vel ob elementalem & materialem temperiem lapidis, vel propter ejus formam: atqui vitrum optimè elotum, utcumque multis frictionibus mundatum, in quo fuit magiſterium magnetis præparatum, in poſterum ſuos etiam obſervat polos: ob impreſſionem ſcilicet, vitro citra reliquias corporeas communicatum. Chalybs quoque poſt magnetis attactum, probè elotus & abſterſus, polum notat nihilominus: quæ duo, cùm neque parem invicem, neque cum magnete contemperationem vel formam habeant; commonſtrant ob
67 neutrum finem, polum magnetes trahere. Dices affrictu, participationem magnetis factam in poris chalybis, aut ſpondilibus vitri, miſera excuſatio! nam reſina abiegna, per ſe coagulatur in lapidis duritiem, quæ tum ferrum non aliàs, quàm magnes allicit. Hic ſaltem fictitia magnetis participatio ſubſidit.

68 Magnes ſolo allii affrictu polum negligit, ſervata ſibi interim forma, materia, & proprietatibus: quia nempe per alium obdormiſcit, ſpiritualis illa ſenſatio in magnete: quam ſenſationem, cauſam unicam actus proprietatum formalium, jam antea perhibuimus, debilis utique poli tractus foret, qui per tot cœlorum orbes, vaſtamque aëris regionem, per tecta, per muros tranſiret, ſolum verò allii ſuccum (aut mercurii fuliginem) penetrare neſciret, conſtante radice materiali eâdem, & forma lapidis unica.

Natans magnes, parte certa ad Boream, altera ad Auſtrum fertur. Igitur ſi iſtud à trahente polo fieret, totum latus Boreale lapidis, ſemper à polo Boreali duceretur, quod falſum eſt. Nam Boreali latere, ſi ferrum tetigerit, non illud ſecundùm ſuam proprietatem ad Boream, ſed ad Auſtrum inclinabit, etſi lapidis pollen ferro adhæſerit: ſin vero Auſtrali, ferrum tetigerit, illud ad Boream vertet. Item magnes qua ad Boream parte, ſe ſemper inclinavit, ultra lineam æquinoctii ad Auſtrum tendit.

Adhuc pauliſper. Magnes ſcutellæ innatans, ſtagno quieto, ſi Boreali parte verſus fuerit ad Auſtrum violenter: ſtatim Boreale latus Aquilonem repetit, velut impete ductu: igitur ſi à polo ipſo magnes velleretur ad polum, & non eſſet ſpontanea lapidis directio, neceſſariò eodem tractu, tota ſcutella fluctitaret & traheretur ad ripam Aquilonarem. quod falſum eſt; directione namque Borealis lateris acquiſita, ſtant ſuper aquam, magnes & ſcutella immobiles. Eſt igitur in magnete virtus influentialis, quæ citra reſpectum propinquitatis objecti, cœleſtium more, liberè ad polum uſque fertur, cum ſit ſpontanea magnetis ad polum eradiatio: ita-
que ſi unica naturalis eſt jam reperta virtus in 69
ſublunaribus, ad objectum longiſſimè diſtans, diradians (puta in magnete) ſatanæ nequaquam adſcribenda: ſufficienter quoque probatum erit, & pares plures eſſe poſſe prorſus naturales, ut in exemplis allatis & unguento armario.

Magnes itaque, vel ferrum à magnete contactum, cum ſponte ſe ad polum convertant, neceſſariò extenditur qualitas quædam à magnete ad polum: quam quia novimus fieri citra effluvium aliquod corporeum, idcirco eandem ſpiritualem denominamus, in hoc à Theologo noſtro diſſentientes, qui ſpiritum contra omnem naturam corpoream, velut quid præter naturam diſtinguit. Medici verò, duntaxat contra craſſiorem corporis compaginem; hoc pacto dicimus, ſolis lucem, & cœlorum influxum, torpedinis jaculationem, baſiliſci viſum, &c. eſſe qualitates planè ſpirituales: quod ſcilicet non communione ſubſtantialis evaporationis in diſtans diſpergantur: ſed tanquam imperceptibilis lucis medio, diradientur à ſubjecto in objectum debitum.

Quibus ſic ſuppoſitis & probatis, ſatis liquet, quod nondum intellecto Goclenio, ipſum Theologus nihilominus carpſerit, multoties immeritum. Primò, quia qualitatem ſpiritualem in unguento corporeo ſtabularet Goclenius. Secundò, quòd radialis lucis inſtar, ſeu medio ac vehiculo tractus feratur in objectum appropriatum. Tertiò, quòd ſpiritus mundani ſenſatione quadam (omnis ſympathiæ cauſatrice) deferantur ejuſmodi qualitates, ad longinquum & deſtinatum objectum. Hunc ſpiritum Theologus cacodæmonem interpretatur ſuo, at neſcio quo jure; cùm ſit aura ætheris purior & vitalis, qui Solem, Titaniaque aſtra, ſpiritus intus alit, totamque diffuſa per artus mens agitat molem: adeoque mundum communione quadam, partium ac virium conſpiratione, moderatur, juxta conſenſum omnium rectè philoſophantium: verbi gratia, Soliſſequi flores ſentiunt ſolis iter, mare lunæſtitium utrumque notat. In ſumma omnis creatura, per vitam (Regem cui omnia vivunt adoremus) eſſentiam, exſiſtentiam, & ſenſationem, Creatoris majeſtatem, liberalitatem, & præſentiam atteſtantur. Quocirca Cenſor noſter meritò redarguendus eſt, quod antequam medicum philoſophico ſtylo ſcribentem intellexerit, carpſerit auſu plane intolerando. Adeo namque fuit difficile, modum tenuiſſe in cunctis.

Rogas, quid trahatur è vulnerato? & quomodo fiat tractio per unguentum abſens? At ſane non injurius reſponderem: quando ipſe nobis oſtenderis, quapropter magnes ferrum traxerit, ſeſeque ad polum converterit: tunc tibi quinam mumia tactam mumiam per mumiam ſanet, indicavero: at quia inſufficientiæ Goclenii hac in parte reparandæ, ſubſtituti fuimus, mox quoque quinam tractio magnetica unguenti contingat, didactico analogiſmo oſtenſuri ſumus, ſi tamen quid trahatur tibi ſatis fecero. 71 Notandum igitur in vulnere, non ſolam continui fieri ſolutionem; ſed ſimul introduci exoticam qualitatem, unde labra vulneris indignata, mox æſtuant, apoſtemantur, imo totum abinde corpus febribus, ac varia ſymptomatum ſyndrome, conflictatur: ſic namque ovum, cujus putamen vel tenuiter ſaltem læſum eſt, putreſcit, ubi aliàs potuiſſet conſervari. Magnetiſmus igitur hujus unguenti, trahit peregrinam illam diſpoſitionem ex vulnere, unde labra, nullo demum accidente prægravata, ſine dolore ſunt, & mox accreſcere feſtinant, nullatenus impedita: Naturæ ipſæ, vulneris medicatrices ſunt; medicus, illius tantum miniſter; nec pharmacum in vulnere carnem gignit, ſatagit ſi obſtacula removerit: quæ aliàs unicum armorum unguentum, arcet ſatis ſecurè, & opulenter.

Objicies, unguentum armorum non debere potiùs allicere, alienam jam dictam Qualitatem; quam naturale robur, & venarum vires: quodque ſanguis, in unguento cum ſit ſanus, adſciſcere deberet ſanitatem vulnerati, non autem indiſpoſitionem; prout nempe de Carlina ſcriptum eſt. Reſpondeo, diverſos eſſe magnetiſmos: quidam enim trahunt ferrum, quidam paleas, plumbum; quidam carnem, pus, &c. nonnullorum verò ea eſt gratia, ut peſtiferam duntaxat auram extrahant, &c. imò ſi effectum ſanationis, in unguento noſtro, cum tuo argumento copulaveris, telum te ſauciabit proprium. Exinde etenim, quod effectus unguenti ſit ſanare perfectè, breviter, abſque dolore, ſumtibus, periculo, & virium jactura: hinc inquam liquet, virtutem magneticam unguento, à Deo naturaliter, & non à ſatana ineſſe. 72 Quoniam ſi hic cooperator eſſet dictæ ſanationis (quod aſſeris) eadem eſſet imperfecta, cum roboris amiſſione, debilitate, vitæ jactura, difficili convaleſcentia, vel animali alicujus majoris, & infortunii recidiva. Quæ ſingula prout diabolicis curis ſunt annexa: ita procul à cura noſtri unguenti abſunt. Pro nobis fidem facient, quotquot unquam hoc unguento curati ſunt. Satanas nunquam veridicus eſt, nunquam boniſuadus, niſi ut decipiat, imò nec dudum in vero perſeverat: ſemper namque, ſi quippiam boni attulerit, pluſculum mali ſubmiſcet hoſtis. Eandem ſanè legem, & in hoc unguento pro ſua conſuetudine ſervaret, ſi author aut fautor eſſet: ſaltem tunc deficeret hoc remedium, quum velut ab inferis revocatur vulneratus, qui ſecus mortali peccati labe, vitam mox 73 cum ſanguine, periculoſo vulnere eliſurus eſſet: niſi ſatanam tunc noſtri miſertum fortè dixeris; & quòd jus in talem vulneratum jam ſibi acquiſivit, ipſe in ancipiti ponat, curando nempe per unguentum magneticum, quem perire mallet; fortaſſis quia anguſtus verbi & pacti obſervator, jam apud vos eſt ſatanas, nec ampliùs verſipellis, fraudulentus, impoſtor, mendax totus. Præterea negamus ſuppoſitionem, & ſanguinem extra venatum perfectè ſanum: ſed potiùs vita communi jam privatum, & initia alicujus corruptionis ingreſſum eſſe. Obtinere ſaltem vitam mumialem. Huc facit cruor putridus, & tamen magneticus in ovo. Tranſeo itaque objectionis abſurditatem, quod magnetem unguenti, ad placitum torquere auſit, non quorſum à Deo datus eſt.

Rationes poſitivæ magnetiſmi propinquiùs per Metaphyſicam & Magicam deductæ.

Tempeſtivum eſt nunc, prodere cauſam proximam magnetiſmi in unguento. Conſenſu inprimis Theologorum myſticorum, hominem dividimus in externum & internum, utrique aſſignantes mentis cujuſdam poteſtates: ſic nempe carni & ſanguini voluntas competit, 74 quæ non ſit voluntas viri, nec voluntas Dei; & pater quoque cœleſtis quædam revelat homini interiori; quædam revelat caro & ſanguis,

guis, id eſt, homo externus & animalis. Quomodò enim idolorum ſervitus, invidia,&c. inter opera carnis ritè numerarentur (cùm in imaginatione tantùm conſiſtant) ſi & carni ſua non eſſet imaginatio, & voluntas electiva?

Porrò eſſe ecſtaſes miraculoſas, homini interiori competentes, in confeſſo eſt. Eſſe quoque ecſtaſes in homine animali, propter intenſam imaginationem, extra dubium eſt: imò Martinus Delrio, Societatis Ieſu præsbyter, admittit in ſuis diſquiſitionibus puerum quendam, tam violenta cogitatione, in civitate Inſulenſi ductum, quod flagranti eodem deſiderio,
75 videndi parentem, quaſi per ecſtaſin raptus, eam multis inde milliaribus abſentem inviſerit, & ad ſe rediens, omnium quæ viderat memor, multa quoque ſigna, apud parentem veræ præſentiæ ſuæ dederit.

Plura occurrunt quotidie ſimilia, quæ brevitatis ergò omitto. Iſtud autem fuiſſe deſiderium exterioris hominis, ſanguinis ſcilicet & animalis, certum eſt: nam anima, alioqui diſligata ſemel à corpore, nunquam niſi miraculo
76 reunitur. Igitur in ſanguine eſt quædam poteſtas ecſtatica, quæ ſi quando ardenti deſiderio excita fuerit, etiam ad abſens aliquod objectum, exterioris hominis ſpiritum, deducendo ſit: ea autem poteſtas, in exteriori homine latet, velut in potentia; nec ducitur ad actum, niſi excitetur, accenſa imaginatione ferventi
77 deſiderio, vel arte aliqua pari. Porrò uti ſanguis quodammodò corrumpitur, tunc ſe ejus poteſtates omnes, ſine prævia imaginationis excitatione, quæ antea in potentia erant, ſponte in actum deducuntur; corruptione namque grani, virtus ſeminalis, aliàs torpens & ſterilis, in
78 actum erumpit: utpote cum eſſentiæ rerum, earumque ſpiritus vitales, putrere neſciant, diſſolutione inferioris harmoniæ, ſoſpites emergunt. Proinde nempe omnis occulta proprietas, corporum compagine, digeſtionibus præviis
79 (quas putrefactiones vocamus) jam diſſoluta, ad manum venit libera, expedita, & in actum manifeſta. Igitur cùm vulnus, aëris ingreſſu, qualitatem adverſam admiſerit, unde mox ſanguis in labris æſtuat, & aliàs purulentus
80 evadit; contingit ſanguinem in vulnere recenti, propter dictam qualitatem exoticam, aliqualis corruptionis jam initia ingredi (qui etiam in paxillum tunc aſſumtus, unguento magnetico oblinitur) quo mediante corruptionis initio, poteſtas ecſtatica in ſanguine, latens potentialiter in actum ducitur, quæ quia ad corpus ſuum redux eſt, ratione latentis ecſtaſis, hinc ſanguis iſte ad ſanguinem totius ſui individuum reſpectum gerit. Tunc nimirum magnes, in unguento operari ſatagit: & mediante potentia ecſtatica (ſic voco etymi penuria) exſugit noxam è labris vulneris, & tandem virtute mumiali, balſamica & attractiva in unguento acquiſita, magnetiſmus perficitur.

En habes nunc rationem poſitivam magnetiſmi in unguento naturalis, ex magia naturali depromtam; cui aſſentitur lux veritatis. Ubi 81
theſaurus, ibidem cor; inquiens. Si etenim theſaurus in cœlis ſit, tunc cor, id eſt, hominis interni ſpiritus, in Deo (qui paradiſus, qui ſolus vita eſt æterna) eſt. Sin verò in caducis theſaurus configitur; tunc quoque exterioris hominis cor & ſpiritus, in caducis eſt. Nec eſt quod myſticum ſenſum adferas ſumendo non ſpiritum, ſed cogitationem & deſiderium nudum pro corde; frivolum etenim contineret, quod ubicumque homo ſua cogitatione theſaurum collocaret, ibidem ſua eſſet cogitatio: ipſa quoque veritas textum præſentem non myſticè interpretatur, adjunctoque exemplo oſtendit realem & localem præſentiam aquilarum ad cadaver. Sic etiam hominis interni ſpiritum eſſe localiter in regno Dei in nobis, quod Deus ipſe eſt; & hominis animalis cor, ſive ſpiritum, localiter circa theſaurum eſſe. Quid mirum? aut hominum 82
animalium ſpiritus aſtrales, poſt funera, circa theſaurum defoſſum adhuc ſeſe oſtentent oberrantes: quibus nectiomantia veterum tota ſeſe emancipavit. Dico itaque, hominem 83
externum eſſe animal, ratione & voluntate ſanguinis utens: Interim verò, non animal; ſed imaginem Dei vero. Videant ergo logici, quàm defectuosè hominem â ratiocinii poteſtate definiant. De his plura alibi.

Adjungam ergo magnetiſmum aquilarum ad cadavera: nec etenim volatilia tam acuto ſunt odoratu, ut ab Italia in Africam ad cadavera concedant. Nec enim odor tam largè latéque ſpargitur; obſtat namque maris ampla latitudo interjecti, & quædam conſumtionis proprietas elementalis: nec eſt quod viſu arbitreris, has aves percipere cadavera tam eminus, maximè ſi ponè montem, ad meridiem ea jacuerint. At quid opus eſt, avium magnetiſmum inculcare pluribus: ſi Deus ipſe, Philoſophiæ initium & finis, eundem proceſſum cordis & theſauri, cum avibus & cadavere, atque viciſſim expreſſè ſtatuat? Si enim aquilæ ad eſcam cadavera, 84
ducerentur eodem appetitu, quo quadrupedes

ad paſcua feruntur, certè dixiſſet uno verbo, quòd animalia ad eſcam confluant, ſicuti hominis cor ad ſuum theſaurum, quod falſum contineret. Neque etenim cor hominis ad theſaurum pergit, ut ſaturetur eo, ſicut animalia ad eſcam. Itaque non eſt comparatio cordis humani, & aquilæ in fine, propter quem ad deſiderium tendunt: ſed in tenſionis modo, nempe quod alliciantur & ferantur per
85 magnetiſmum realiter & localiter. Igitur ſpiritus & voluntas ſanguinis è vulnere habiti, & in unguentum paxillo intruſi, tendunt ad theſaurum ſuum, id eſt, reliquum ſanguinem, adhuc vita interioris hominis potientem. Aſt aquilam peculiari elogio trahi dicit ad cadaver: quia à ſpiritu inſito & mumiali cadaveris vocatur, non autem ab odore corporis putreſcentis. Iſtud nempe animal, ſolum ſpiritum mumialem, in aſſimilando, ſibi appropriat. Hinc nempe peculiariter de aquila dicitur: *Iuventus mea ut aquila renovabitur*. Si quidem juvẽtutis renovatio, ab elixire ſpiritus, probè depurato, per quandam digeſtionem ſingularem, iſti volucri propriam, & non ab eſu carnium, prodit. Alioquin etiam canes, & picæ renovarentur. quod falſum eſt.

Dices, longè petitam eſſe rationem, pro magnetiſmo. Quid tum poſtea? ſi quod longè ab intelligendi capacitate tua remotum fateris, illud tibi è longinquo deducendum fuerit? profectò, in ſanguine omnium animalium, animam ineſſe perhibet Geneſis. Inſunt nempe ſanguini vires quædam vitales, tanquam ſi animatæ eſſent, è cœlis vindictam, imò & à judicibus terrenis, in homicidam, animadverſionem poſtulantes: quæ cum ſanguini ineſſe naturaliter negari nequeant, non video, cur ſanguinis magnetiſmum in ſatanæ ridiculos actus rejiciant. Ampliùs hoc dicam; ambulantes nempe in ſomno, non niſi ductore ſpiritu ſanguinis, id eſt, exterioris hominis, ire, peragere, ſcandere, vigilibuſque alioqui impoſſibilia, tractare: virtute inquam magica, exteriori homini naturali. Divum Ambroſium, exſequiis Divi Martini, viſibiliter tamen adfuiſſe, etſi corpore longè abeſſet. Spiritualiter tamen exſequiis interfuit, ſpiritu externi hominis viſibili, & non aliàs: nam quod in ecſtaſi illa, quæ eſt interioris hominis, ſanctorum plerique, multa & abſentia viderint, hoc fit extra tempus & locum, in unitate collectis viribus ſupernis, & viſione intellectuali; non autem præſentia viſibili. Alioquin anima non ſeparatur à corpore, niſi ſeriò, nec reconnectitur: quæ tamen reconnexio, exterioris hominis ſpiritui eſt aliàs vernacula.

86 Non ſatis eſt in tanto paradoxo, rem ſemel attigiſſe: ulterius propaganda eſt, & explicandum, quomodò tractus magneticus, inter res etiam inanimes, per ſenſationem, non quidem animalem, ſed naturalem quandam contingat. Quod quò magis ſeriò fiat, dici priùs oportet, quid ſui ſatan adferat, & quomodò cooperetur in actionibus merè nefariis & impiis ſagarum; exinde namque apparebit, cui cauſæ quis effectus tribuendus veniat. Denique quæ ſit illa vis ſpiritualis, ad longè remotum objectum tendens: quævè actio, paſſio, & velitatio ſit, inter ſpiritus naturales: quævè ſit ſuperioritas hominis, ad alia inferiora: Et per conſequens, cur videlicet unguentum noſtrum, mumiis humanis compoſitum, etiam equos perſanet, exemplo rem explanabimus.

87 Ponatur itaque ſaga, quæ abſentem, per figuram ceream, imprecationem, incantationem, vel etiam ſolo attactu prævio, validè excruciet (nam de veneficijs, utpote quæ ſolo veneno necant, nihil hic: quod hæc imitari quilibet poſſit ſeplaſia) hunc actum eſſe diabolicum, nemo addubitat. Iuvat tamen, quantum huc ſatan, & ſaga quantum, adferant, diſcernere.

Suppoſitio prima.

INprimis notabis, ſatanam, juratum & inconciliabilem hominum hoſtem, apud omnes æſtimari, niſi eundem ſibi quis amicum malit eſſe: idcirco quantum mali cauſare, vel optare nobis poſſit, id ſine dubio & negligentia, procurat paratiſſimè.

Altera Suppoſitio.

DEinde, quanquam ſit ſagis inimicus, in quantum toti humano quoque generi infenſiſſimus hoſtis eſt: ſaltem quatenus ſua ſunt mancipia, & de ſuo regno, eas nunquam prodit, aut detegit judicibus, cæteriſque hominibus, non niſi invitus, ludibrio exponit, ob tres rationes. Prima, cum ſit ſuperbiæ parens, multum ſuæ famæ, ditioni & dominio, per hoc decedere non ignorat. Secunda, cum ſit ipſe inſatiabilis animarum perſecutor, per animadverſiones & ignes quoſdam, aliàs in ſuam tutelam labi promtos & paratos, terreri novit, & planè averti. Tertia, quam obtorto collo, aut clauſis faucibus, optaret tortor perimere ſagam, ſubinde vel ante ignes pœnitentem, adeóque ſuis unguibus ereptam, vidit multoties.

Ex priore ſuppoſitionum concludo, homi-

nem peccati mortalis reum,ſi ſatan per ſe poſſet
occidere,nequaquam procraſtinaret : atqui non
occidit: ergò non poteſt. Veruntamen, eundem
ſaga ſæpius occidit ; hinc etiam eundem
occidere poteſt: non ſecus ac ſicarius enſe
quempiam , libertate ſui arbitrii , interficit: eſt
itaque ſagæ quædam poteſtas in hoc actu, quæ
non eſt ſatanæ; & conſequenter, non eſt ſatanas
principalis efficiens, & exſecutor iſtius homicidii;
alioquin enim, ſi exſecutor eſſet, nullatenus
egeret coadjutrice ſaga : ſed maximam
hominum partem , de medio , ſolus mox
abſtuliſſet. Miſerrima certè mortalium conditio,
quæ tali tyranno ſubeſſet, & ſuo ſubnoxia
ſtaret imperio. Fidelem nimis habemus Deum,
quam quod opus manuum ſuarum, arbitrio ſatanæ
88 ſubpoſuiſſet? ergo in hoc eſt aliqua vis ſagæ
plane propria, & naturalis, quæ non eſt ſatanæ.
Porrò quænam, quanta, & qualis ea ſit, trutinandum
eſt exactius: conſtat inprimis, non
eſſe corporale maſculorum robur; nec etenim
concurrit attactus extremorum validus , ſuntque
enerves,& effectæ.Ut plurimum anus maleficæ;
idcirco aliam vim eſſe oportet,corporea
mole longe ſuperiorem , homini naturalem.
89 Hæc igitur in illa parte, qua Dei imaginem proximè
referimus,collocanda fuit. Et quanquam,
univerſa quoque , quadantenus venerandum
illud ſimulacrum referunt : verum quia homo
elegantiſſimè, propriiſſimè , atque proximè,
90 ideo imago Dei in homine, præpollet,dominatur,
& imperat ſimulacris Dei aliarum creaturarum.
Fortaſſis etenim, hac prærogativa,pedibus
91 ejus ſubſtituta ſunt omnia. Quocirca ſi
Deus agat per nutum , per verbum : ſic oportuit
hominem, ſi verum debeat dici ejus ſimulacrum,
agere nonnulla ſolo nutu;nec etenim id
novum, id parum tranquillum, id ſoli Deo vernaculum
: Satan namque creaturarum abjectiſſimus,
ſolo quoque nutu, corpora loco movet,
cùm non habeat extremitates , quibus tangat,
moveat, vel etiam novum corpus ſibi arripiat.
Privilegium iſtud itaque non minus homini
interno , quà ſpiritus eſt, competere debuit,
92 ſi Dei repræſentare debeat, & quidem non
otioſum ſimulacrum ; hanc facultatem ſi magicam
appellemus , hocque vocabulo malè inſtructus
terrearis, ſpirituale robur vocitaveris,
per me licet: de nominibus ſiquidem nil ſoliciti
93 ſumus , rem ipſam , quam proximè poſſum,
ſemper aſpicio; vis igitur iſta magica eſt in homine
94 interno , ſive hoc etymo animam intelligas,
ſive ejus ſpiritum vitalem, nunc nobis perinde
eſt : cum hominis interni ad externum ſit
quædam proportio in omnia, ſuo gliſcens modo,
diſpoſitio appropriata , & proprietas proportionata.
Quapropter neceſſe eſt hanc vim,
per totum hominem diſperſam eſſe : in anima
quidem vegetiorem , at in carne & ſanguine
longe demiſſiorem. Spiritus vitalis in carne & 95
ſanguine, animæ vice fungitur, id eſt, in exteriori
homine , is idem eſt, qui in ſemine totam
hominis figuram , ſuperbam illam conſtructionem,
& perfectam adumbrationem , fineſque
rerum agendarum novit , quia continet : & qui
jam conſtitutum fœtum , usque in vitæ periodum 96
comitatur præſul ; quique tametſi cum ea
abſcedat , ejus ſaltem tantillum , in cadavere vi
interempto, tanquam eidem confermentatum
optimè,remanet. De cadavere autem ſponte, &
fatiſcente natura mortuo,tam inſitus quàm influens
ſpiritus,migrarunt ſimul.Hunc ſpiritum 97
propterea medici , in inſitum ſive mumialem,
& influentem, cum vita ſcilicet priore , abeuntem,
dividunt. Et hunc deinceps in naturalem,
vitalem, & animalem ſubdividunt,nos uno pariter
vocabulo , omnes hîc ſimul comprehendimus:
Anima igitur prorſum ſpiritus, nequaquam
poſſet ſpiritum vitalem (corporeum equidem 98
) multò minus carnem & oſſa movere
aut concitare, niſi vis illi quæpiam naturalis,
magica tamen & ſpiritualis , ex anima in ſpiritum,
& corpus, deſcenderet. Cedo , quo pacto
obediret ſpiritus corporeus juſſui animæ , niſi
juſſus ſpiritum , & deinceps corpus , movendo
foret? at extemplo, contra hanc magicam
motricem objicies , iſtam eſſe intra concretum
ſibi, ſuumque hoſpitium naturale , idcirco
hanc etſi magam vocitemus, tantum erit
nominis detorſio , & abuſus , ſi quidem vera
& ſuperſtitioſa magica, non ex anima, baſin
deſumit: cùm eadem hæc nil quicquam valeat,
extra corpus ſuum movere , alterare , aut ciere.
Reſpondeo : vim, & magicam naturalem illam
animæ , quæ extra ſe agat , virtute imaginis
Dei , latere jam obſcuram in homine, velut
obdormire poſt prævaricationem,excitationiſque
indigam (quæ cuncta mox ſuo loco probabimus
)quæ eadem , utut ſomnolenta, ac velut
ebria, alioqui ſit in nobis quotidie ; ſufficit
tamen , ad obeunda munia in corpore ſuo: 99
dormit itaque ſcientia & poteſtas magica &
ſolo nutu actrix in homine , poſtquam ſcientia
pomi manducata fuit , & quamdiu hæc
(quæ eſt carnis, ſanguis, exterioris hominis, &
tenebrarum) viget , peſſundata eſt , nobilior

poteſtas magica. At quia in ſomno ſubinde tota pomi ſcientia dormit: hinc etiam quandoque in ſomnia prophetica ſunt, & Deus ipſe, in ſomniis, ſæpius homini, per effectum propinquior idcirco eſt. Ubi videlicet interior magica, jam per ſcientiam pomi, non interpellata, usquequaque ſeſe exſerit intelligendo. prout nempe, quando ſeſe in poteſtates inferiores demergit, movendo euntes in ſomno, tuto ducit. 100 Qua vigiles ſcandere non poſſent. Igitur principum cabalæ, inter dormiendum hauriri aſſerunt, conſopita ſcilicet pomi ſcientia. Intellectualis animæ actus, clarus ſemper & 101 inconcuſſus eſt, ac quodammodò perpetuus; attamen, quamdiu principale agens vim ſuam uſque ad ſenſus limites non traduxit, nondum per totum hominem, iſtiusmodi actio propagata eſt. Etenim qui unà cum ſentiendi virtute, cum carnali intelligentia ſumus, perpetuò per eandem, à ſcientia & magica ſuperiore, proh dolor, diſtrahimur, in umbra cognitionis potius, quàm in veritatis luce, retinemur. Nec enim advertimus nos intelligere tenebrarum incolæ, niſi quando facta eſt facultatum mutua quædam traductio, ac velut actionum anguli, diverſis agentibus prorogati, circa medium cōplicantur.

102 Satan itaque, vim magicam hanc excitat (ſecus dormientem, & ſcientia exterioris hominis impeditam) in ſuis mancipijs: & inſervit eadem illis, enſis vice in manu potentis, id eſt, ſagæ. Nec aliud prorſum ſatan ad homicidium adfert, præter excitationem dictæ poteſtatis ſomnolentæ, & compulſæ, ut plurimum, voluntatis in ſagis conſenſum: propter quæ duo, tanquam ſibi totum deberetur officium, ſcurra poſtulat ſibi per pactum, jugem, tenacem, & irrevocabilem oppignorationem, ſervitutem perpetuam, & devotam adorationem, ſi nihil 103 adhuc amplius. Cum alioquin ejusmodi poteſtas ſit collata gratis à Deo opifice, homini planè naturalis. Enimverò præſtigia, oculorum effaſcinationes, utque falsè appareant larvæ, ac his ſimilia, ex ſolo ſunt ſatana, ejusque ſolius ſunt actus proprii: adeo namque, duntaxat ridicula ſunt ſua opera, & falſæ tantùm apparitiones: quia miſericors Deus, eundem, latius quippiam poſſe, non permittit, ſed vinctum tenet: cum alioqui reales, & nefarios actus, ſaga de ſua facultate naturali exſerat: ſiqui- 104 dem per peccatum Adamo non dona naturæ, ſed gratiæ, obliterata eſſe, nemo ambigit: eademque adhuc dona naturalia quanquam non ſublata fuerint, ſtetiſſe tamē velut ſomno coercita, ac ſopita. Sicuti enim ex tunc mortalitati obnoxius evaſit more ſociorum animalium: ita obſcuratæ fuerunt antiſtites poteſtates in homine, quæ proinde excitatione, & è tenebris eductione, opus habent. Huc nempe ſpectant 105 contemplationes, continuatæ orationes, vigiliæ, jejunia, & mortificationis actus, ut devicta nempe carnis ſomnolentia, poteſtatem illam agilem, cœleſtem & expeditam in Deum nanciſcantur, eumque coràm alloquantur ſuaviter, qui non niſi in ſpiritu, id eſt, interioris hominis fundo, adorari efflagitat.

Huc inquam ſpectat ars Cabalæ, quæ poteſtatem illam naturalem, & magicam, velut excuſſo ſomno, animæ reſtituat. 106

Per exempla more mathematico, me ulterius explicabo, & aſſumam ipſa ſagarum opera: quæ quanquam nefaria & horrenda ſint; eadem tamen radice, indifferente ad bonū & ad malum, poteſtate nempe magica, nitantur. Nec enim maculat arbitrii majeſtatem, vel ejusdem tractatum, tametſi de fure, latrone, ſcorto, apoſtata, & ſaga, ſubinde diſſeratur. Eſto ergo ſaga, in ſtabulo abſente, occidit equum: virtus quædam naturalis, à ſpiritu ſagæ, & non à ſatana, derivatur, quæ opprimat vel ſtrangulet ſpiritum vitalem equi: puta duo eſſe ſubjecta morborum & mortis, unum nempe corpus, in quo morbus habitat. Et quia in hoc omnia entia agunt, tan- 107 quam paſſivum maximè, putatum eſt reliquum ſpirituale dominium fuiſſe ſatanæ. Aliud verò eſt ſpiritus impalpabilis & inviſibilis, qui per ſe ipſum omnes morbos pati poteſt. Patiente ſpiritu, etiam corpus patitur; quia actio in corpus terminatur (mens namque poſtquam alligata eſt corporis, fluit ſemper inferiùs, prout dolente palato, iſthuc continuò tendit lingua) ſed non contra. Sunt namque morbi materiales aliquot, qui tantùm tinguntur materialiter. Adeò namque multiplex interitus occaſio, ut non ſit unde ſuperbire queamus. Actus igitur ſagæ prætactus, planè naturalis eſt: quanquam virtutis excitatio ſit facta ſatanæ auxilio: non minùs quàm ſi porrecto per ſatanam enſe, ſaga equum trucidaret: actus iſte ſagæ, naturalis eſt & corporeus; prout alter præcedens, eſt actus naturalis, & ſpiritualis. Siquidem homo non minùs naturaliter conſtat ſpiritu, quàm corpore: nec eſt ratio ideo, cur unus a- 108 ctus dicatur naturalior, aut cur ſolum corpus agere dicatur, ſpiritus verò feriari ſaltem actione ſibi propria (quatenus imago Dei eſt) omnino deſtitui: imò ſpiritus vitales, propriiſ-

ſimè loquendo,ſunt qui ſentiunt,monent, me-
morantur &c. nequaquam verò corpus,ipſum-
que cadaver: omnis idcirco actus magis pro-
priè ſuum agens reſpicit, quàm agentis hoſpi-
109 tium corpus. Radius itaque aliquis ſpiritualis
à ſaga abit in hominem, aut brutum, quod in-
terimendum ſtatuit, juxta axioma: non fieri
actionem; niſi debita fiat approximatio agentis
ad patiens, & copula virtutum invicem, ſive
eadem approximatio fiat corporaliter, ſive et-
iam ſpiritualiter, quod ad manum viſibili teſti-
monio probatur: Nam ſi recens cor equi, per
ſagam mactati (eſt enim ſedes ſpiritus vitalis)
clavo transfiguratur: aſſetur veru,vel crate tor-
110 reatur: mox ſpiritus vitalis ſagæ, citra alterius
medii interventionem, & inde ſaga tota ipſa
(ſiquidem non corpus, ſed ſolus ſentit ſpiritus)
immanes patitur ignis cruciatus & dolores:
quod ſanè nullo pacto contingeret, niſi facta
fuiſſet copulatio ſpiritus ſagæ, cum ſpiritu e-
qui: equus namq;ſtrangulatus retinet quandam
vim mumialem: (ſic voco quandocumque car-
ni adhuc confermentata eſt virtus liquoris vi-
talis, id eſt ſpiritus inſitus, qualis in ſponte præ
ægritudine, aliaque inferioris ordinis disru-
ptione, morientibus, non invenitur, cui comes
eſt ſpiritus ſagæ, ipſi copulatus. In corde itaque
recenti, priusquam ad ſagam, diſſolutione ſuus
retromeet ſpiritus, fit alligatio ſpiritus ſagæ,
qui retinetur per infixum clavum, & toſtura
utriuſque ſpiritus ſimul, unde per magneti-
ſmum, extremo ignis termino, ſagam in ſpi-
111 ritu ſenſitivo agitari contingit. Effectus iſte ab
intentione mutatur: ſi namque vindicta expe-
rimentatorem concitaverit, tunc effectus re-
112 probus eſt. At ſi periculum fiat, ut ſaga eo ſeſe
prodere cogatur, judicibus ſubſterni, & pro-
ximo, ſibique hactenus beneficentia procure-
tur, quatenus ſublato tam impio blaſphemo, &
nocuo ſatanæ mancipio, Dei gloria, pax & re-
quies, major inter vicinos oriatur, tum certè
effectus reprobari nequit. Non eſt cogitan-
dum, totum ſpiritum ſagæ abiiſſe in cor equi
(ipſa namque ſic è vivis diſceſſiſſet) verum eſſe
univocam quandam ſpiritus lucisque vitalis
participationem, prout nempe in ſemine qua-
libet vice, totius hominis architectus ſpiritus,
etiam ad multos fœtus ſufficiens, propagatur,
113 manente tamen integro patris ſpiritu. Iſta nem-
pe ſpiritualis lucis participatio eſt magica, vir-
tute verbi(animalia & herbæ producant ſemen)
locuples communicatio, & unum producit de-
cem myriades ſeminum æquivalentium,& ſpi-
ritus ſeminales integrales totidem, tanquam
de lumine lumen accenditur. Quid autem ſit
propriè ſpiritus magneticus, & entitas phanta-
ſia parente genita, poſtea ſcribam latius: nunc
ad propoſitos revertor terminos.

Nec eſt quod quiſquam autumet hanc cordis
in ſagam reactionem, putatitiam eſſe, aut præ-
ſtigium ac ludibrium ſatanæ planè ſuperſtitio-
ſum & damnabile; cùm illa infallibiliter hoc
ſigno prodatur, & in apertum prodire cogatur,
velit, nolit, quod intentioni ſatanæ oppoſitum
eſſe, altera ſuppoſitionum, ſuperiùs ſatis oſten-
ſum eſt: effectus namque eſt perpetuus, nun-
quam fallens, fundamentum in ratione & na-
tura ſpirituali habens, minimè verò ſuperſtitio-
nibus niſum. An non ſimiliter confoſſum quo-
que cadaver ante judices, præſente homicida,
ſeſe cruentavit, certumque ſæpius delicti judi-
cium exhibuit?tametſi jam ante cruor reſtrictus
ſtetiſſet? ſcilicet moriente præ vulnere homini, 114
virtutes inferiores quæ mumiales ſunt (effre-
nes enim eæ, non ſunt in noſtra poteſtate) vin-
dictæ faciundæ veſtigium, ſibi impreſſerunt
hinc præſente homicida, ebullit cruor, & ef-
fluit, quaſi & in ira, impreſſio ultionis ſimula-
cro agitatus, in ſanguine nimirum, etiam poſt
mortem ineſt ſuus præſentis homicidæ ſenſus,
ſua vindicta, quia ſua quoque phantaſia: ideo 115
non ipſius Abel,ſed innocens ſanguis ejus, cla-
mat tamen in cœlum vindictam, propterea in
obſidionibus, peſtis plerumque comes incedit:
quia nempe ſpiritus magicus exterioris homi-
nis concepit in conflictibus, arrham vindictæ
impreſſam, nonnunquam verò ad deſperatio-
nem, præ paupertate, milites, eorumque con-
juges,moriendo penè adjunguntur,& multa di- 116
tioribus imprecantur infortunia, unde fortiſſi-
mæ impreſſiones, in ſpiritum ſidereum mo-
rientis (gravidæ præſertim) relinquuntur poſt-
humæ: qui mox ab obitu, in aëre oberrans,ſuæ
claſſis, id eſt, ſpirituales nocendi ac ulciſcendi
modos comminiſcitur,& promtus patrat. Pe- 117
ſtes autem ejuſmodi ſunt ferrinæ, nemini par-
centes,ac velut divinitùs immiſſæ: & quia ſpi-
rituales remediis corporeis operam implorant
fruſtraneam, ſileo: nec etenim tutum eſt ſatis,
mumiarum ad invicem connexum, & concor-
dantiam exprimere: inde nempe tota dimana-
vit necromantia veterum, ob id quoque Deus 118
in lege vetuit, corpora ſuſpenſorum (etiam
ethnicorum) relinquenda in patibulo, neve
ſol ſuper ea occidat; reſpondebis peſtem obſi-
dionum oriri, propter multiplices excremen-
torum

119 torum ſordes. Sed contra inſtant coriarii, coprofori,
& qui collæ putrefaciendæ navant operam:
omnes enim (tantum abeſt, quod peſti
eſſent obnoxii) ut plurimum ſunt longævi,
120 mirabilis Deus in ſpiritu microcoſmi. An ſcire
fortè aves, cur ſanguis taurinus toxicus ſit non
autem fratris ſui bovis? occidendo ſcilicet obmurmurat
taurus,& ſuo ſanguini, vindictæ notam
ac potens ſigillum imprimit: ſin etiam
contingat, mactando bovem, uno ictu evaſiſſe
furioſum, & diutius in eodem perſeveraſſe furore:
carnes malè ſanas relinquit, niſi priùs ſopita
perturbatione, deſes & ſecluſus relinquatur
121 jejunio in ſe redire. Taurus igitur moritur,præ
cæteris animantibus, vindex excellentius: atque
idcirco ejus pinguedo (non autem ſanguis,
ne ſanguis humanus in unguento exotico taurini
ſanguinis tinctura ſuperetur) pro unguento
armorum, prorſus eſt neceſſaria,ſi arma vulnerum
authores incruenta adfuerint, iisdemque
oblitis, ſecura ſanitas exſpectanda ſit, profecto
nō ſatis ſunt,uſnea cum ſociis ingredientibus,ut
ſine ſanguine recenti è vulnere habito,
ſanatio inſtituatur, violentior nempe taurina
impreſſio exigitur, &.floridi mellis aërea communicatio.Hinc
122 itaque ſatis liquet,non cōcurſu
ſatanæ (qui etiam ſine melle & tauri cruore ſanaret)
ſed cōmunione qualitatum naturalium,
cum vindicta poſthuma traduce, in concreto
relicta, conſcribi unguenti efficaciam.

Obgannient contrarii,gaudentes, vix potuiſſe
probatam evàdere magnetici unguenti poteſtatem,
niſi per ſagam, ſatanam,& ſpiritualem
mundi inviſibilis magiam, ſciētiam putatitiam,
plane nihili, & damnabilem errorem.verumtamen,
non iſtud rei tractandæ, ſiniſtra quæpiam
obliquitas, ſed aliorum craſſa ignorantia,& fragilitatis
humanæ conditio miſera, poſtulavit:
quæ promtiùs in malum tendit, malum cognoſcit,
& malo paratiùs docetur, quàm bono:
at certè quæcunque de ſatana & ſagis huc attulimus,
non eſt quod inde conformitatem unguenti
cum ſagis ſperent alii:neque etenim doctore
aut impulſore ſatana, ſpiritualis virtus
unguenti, & ſanguinis phantaſia, excitantur.
Sed iſtud volebam: habitare videlicet in anima
virtutem quandam magam, à Deo datam, ipſi
naturaliter propriam,& competentem,in quantum
imago & ſculptrum ejus ſumus; hactenus
quoque agere peculiari modo, id eſt ſpiritualiter
in diſtans, idque multò potentiùs, quàm
corporeis ullis adminiculis. quia cum anima
ſit pars corpore principalior: idcirco actio ei
competens, eſt ſpiritualis, magica, & validiſſima.
Animam virtute eadem, velut ſomnolenta,
per ſcientiam pomi eſu acquiſitam, redditâ,regere
ac agitare corpus ſuum: eadem verò magicâ
nonnihil expergefactâ, etiam extra ſuum
ergaſtulum, in aliud diſtans objectum,ſolo nutu
agere poſſe per media deportato: in eo nem- 123
pe ſitam eſſe totam baſim magiæ naturalis:
nullatenus autem in benedictionibus,ceremoniis,
vaniſque ſuperſtitionibus; ſed has omnes 124
obſervantias nefarias invectas fuiſſe per eum,
cujus ſemper ſtudium fuit, bona paſſim omnia
ſuis conſpurcare zizaniis, nomen magiæ non
expaventes, ſed cum ſcriptura benè interpre- 125
tantes, in bonum tamen & malum apicem, indifferenter
uſurpari poſſe, per uſum nimirum
illius poteſtatis,vel abuſum,conceſſimus.Adeó- 126
que ſub eo vocabulo, altiſſimam rerum cognitionem
ingenitam,& potentiſſimam ad agendū
poteſtatem,ſubaudimus,nobiſque cum Adame
æquè naturalem, peccato non extinctam, non
obliteratam, ſed velut ſomnolentam, idcirco
excitamenti indigam. Ideo oſtendimus ma- 127
gnetiſmum, non quidem per ſatanam: ſed per
id quod ſatanæ non eſt,exerceri,adeóq; abuſivè
poteſtatem nobis connaturalem, ſatanæ tanquā
ſi is patronus foret dedicatam ſtetiſſe: poteſtatem
magicam in nobis, à peccato velut dormire;
ideóque excitatore opus habere: ſive is ſit
Spiritus ſanctus per illuminationē, ut in eoicis 128
magis contigiſſe commemorat Eccleſia, & hodie
in aliis ſubinde contingit:ſive etiam ſatanas
propter præviam oppignorationem, eandem
ſuſcitet: eſtque in hiſce ejuſmodi excitatio tanquam
per ſoporem vigilātem, catochum, ideóque
imperfecta, propter modum, mala propter 129
finem, obſcura propter media, & nefaria propter
authorem: nec patitur verſipellis, quod
ſaga hanc vim cognoſceret ſibi eſſe naturalem;
quò eam ſtrictius devictam ſibi detineat; neve
tam nobilis poteſtatis excitæ exercitium, aliò,
quàm ad nefas propendat, frenum itaque is
imperat, nec ſaga novit excitare ad lubitum
ſuum, quæ alterius tyranni voluntati ſe totam
proſtravit, poteſt & ipſe homo ſibi, per
artem cabalæ, excitamentum tantæ poteſtatis,
ad ſuum lubitum cauſare, vocantur hi
adepti, quorum etiam rector ſpiritus Dei eſt.
Hanc eandem virtutem magicam, eſſe quoque
in homine exteriori,in carne & ſanguine videlicet:
ſuo tamen & longè effetiori modo; imò 130
nedum in homine externo: ſed etiam proportionaliter
in brutis(ſic nempe Geneſis,animam

brutorum, ſanguini ineſſe commemorat, eundemque hoc merito, extra cibum noſtrum conſcribit) & aliis fortè rebus omnibus; cùm ſingula, totius univerſi adumbrationem in ſe contineant, eoque nomine ſaltem Deum, id eſt omnia, in omnibus eſſe, veteres ſeriò adnotarunt: exterioris hominis magiam, non minus quàm interioris, excitationis eſſe indigam; nec ſatanam, aliam in ſuis ſcrophia excitare magiam, quàm quæ exterioris eſt hominis: in interiore nempe animæ fundo, regnum Dei eſt, ad quod nulla creatura acceſſum habet.

131 Docuimus præterea, eſſe connexum inter res ſpiritualiter agentes, & ſpiritus cum ſpiritibus, uti dimicare, exemplo ſagæ, ita & amicari oſtendimus, exemplis magneticis, & rationibus propriis, pro faſcino & ligationibus animarum, prout de Davide & Jonatha, &c. poſtremò oſtẽdere anniſi ſumus, hominem cæteris creaturis corporalibus prędominari, & magiâ ſua naturali domare poſſe aliarum rerum virtutes magicas: quam prædominationem alii in jus carminum & incantationum tranſtulerunt falsè & abuſivè. Qua hierarchia ſatis ſuperque elucidavimus, quæcunque hactenus in ſatanæ dominium, non niſi ruſticè, corporaliterque nimis philoſophantes retulerunt.

Univerſa quæ dicta ſunt ignorantes, de multis adhuc dubitare neceſſe eſt: igitur cuncta repetere ſtatuimus, inprimis quo lucidiora evadant, quæ ſupra, de ſpirituum duello, vel amica invicem conſpiratione, diximus: operæ pretium eſt ſpirituum arma, & eorumdem rempublicam definire: Quocirca ſeriò notandum eſt, exemplum prægnantis, quæ ſi ceraſum violenter animo conceperit, mox ejus veſtigium fœtui imprimitur, parte ea, qua ſibi prægnans manum admoverit. Nec eſt quidem otioſum duntaxat ceraſi ſimulacrum, ac macula; ſed quod ſuo tempore, cum cæteris arboribus floreſcit & matureſcit, mutatis nimirum colorum & figurarum ſignaturis: ardua ac ſacra profectò, vis microcoſmici ſpiritus, qui extra truncum arboreum, verum ceraſum, id eſt, interioris ceraſi proprietatibus, & dynami, inſignitam carnem ſolo conceptu profert, unde duo ne-
132 ceſſariò conſequentia intelligimus. Prius, omnes omniũ rerum ſpiritus, ac velut eſſentias, in nobis latere, & microcoſmicatrice phantaſia
133 duntaxat naſci & educi. Alterum, animam concipiendo generare quandam ideam rei conceptæ: quæ quidem prout antea latebat ignota, & velut ignis in ſilice: ita concitatione phantaſiæ, produci quandam ideam realem, & eſſentialem determinationem quidditativam ceraſi: quæ non ſit qualitas nuda; verùm ali- 134
quid ſubſtantiæ ſimile, inter corpus & ſpiritum, id eſt animam, ambigens. Id eſt ita ſpirituale, ut non ſit planè corporeæ conditionis exſors: cùm actiones animæ, in corpus, & inferiores ſibi ordines, propendentis, terminentur: neque ita corporale tamẽ, ut dimenſionibus claudi poſſit, quod & enti ſeminali proprium, quoq; recenſuimus. Hæc igitur entitas idealis cùm ex mundo inviſibili, & intellectuali, microcoſmi excidit, corpus induit: & tum prius loci & numerorum determinationibus clauditur. Objectum intellectus, nuda ac pura, in ſeipſa, eſſentia eſt, non accidens, conſenſu Theologorum practicorum, id eſt myſticorum. Protheus itaque intellectus, hanc conceptam eſſentiam velut induit ac veſtit. At quia quodvis opus, ſive externum, ſive internum, in ſua propria imagine fieri habet: intellectus agnoſcit, voluntas diligit & vult, & memoria recogitat, non niſi per imagines: hanc itaque eandem imaginem objecti ſui, intellectus induit; & quia anima, ſimplex eſt corporis forma, quæ quoquò ſe avertit, idcirco nec duas intellectus agens ſimul imagines habere nequit, ſed prius unam, mox alterã, ſuper intellectum itaque, & comprehenſam imaginem adhuc lenem, tota deſcendit anima, 135
& hanc eſſentiæ cognitionem format in imaginem perſiſtentem, ſive idealem entitatem: conſpurcata mens prolapſa fuit in indignationem Dei; & quia ſimul deturpata eadem, prioris ſortis exuta nobilitate, mors introitum invenit, non quidem creatoris mandato, ſed hominis degeneratione, propter eandem entitatem idealem jam indutam, in turpitudinem delapſi, & à ſeipſo degeneris, quam ſeriò ac ſedulò turpitudinem etiam in ſingulis peccatis emergentem, pœnitentia emaciare convenit hîc, vel in futuro ſeculò. Entitas igitur, in intellectu adhuc levis eſt, nec alibi quàm in prægnante, conſiſtentiam reperit, quam in nobis non niſi per voluntatem nanciſcitur, id eſt, intellectus ſemper procreat entitatem, ſed eam non induit niſi per voluntatem, exceptis prægnantibus. Sive igitur peccatum, nihilum dicamus, ſive aliquid, ſaltem conſenſus in malum, nũquam fit ſine reali procreatione, hujuſmodi cujuſdam entitatis, ejus- 136
que aſſumptione ac indutione, hæc fuit cauſa fœcunditatis ſeminum: phantaſia nempe, libidine commota, entitatem lenem patrat: quam ſi anima per voluntatem induat (uti ſemper actio incar-

incarceratæ mentis deorſum & extrorſum ter-
git) hanc eandem entitatem in liquorem ſemi-
nis diſpergit, qui aliàs non niſi ſterilis foret:
137 quæ actio velut per mentis alienationem fit:
abeunte ſcilicet voluntate, per veram magicam
exterioris hominis, in ecſtaſin quandam, in qua
fit communicatio cujusdam lucis mentalis, ſu-
per entitatem, deſcendentem in corpus ſemi-
nis. Quotiescunque igitur cogitatio ſenſum, &
velle, in conſenſum trahit, turpis toties naſci-
tur & induitur pellis, idealis entitas ſpuria: quo
partu, voluntas dicitur confirmata: illa quoque
idealis entitas, quoquoverſus à voluntate diri-
gitur, eò vadit: hoc pacto, voluntas movet
nunc brachium, mox pedem, &c. porrò quando
ſpargitur dicta entitas in ſpiritum vitalem, ad
aliquid amandum, juvandum, nocendum; levi
tantùm indiget excitamento ſive Dei, artis vel
ſatanæ operâ, facto, ut nimirum peregrè abeat
portiuncula ſpiritus, quæ entitatem jam induit,
obeatque munus ſuum, ipſi à voluntate injun-
138 ctum. Sic maſculus, ſemen extra ſe deponit,
quod per entitatem quam hauſit fœcūdum eſt
longè, & extra ſuum truncum, ſuo fungitur
munere. Corpora profectò, vix mundi medie-
tatem faciunt: ſpiritus etiam per ſe, ſuam ha-
bent medietatem, & quidem totum mundum:
139 Itaque toto hoc contextu, Spiritus voco ma-
gnetiſmi patronos, non qui ex cœlo dimittun-
tur, multóque minus de infernalibus ſermo eſt:
ſed de iis qui fiunt in ipſo homine, ſicut ex ſili-
ce ignis, ex voluntate hominis nempe, aliquan-
tillum ſpiritus vitalis influentis deſumitur, &
idipſum aſſumit idealem entitatem, tanquam
140 formam ac complementum. Qua nacta perfe-
ctione, ſpiritus qui antea aura æthere erat pu-
rior, inſtar lucis ſubtiliatur, mediamque ſortem
inter corpora & non corpora aſſumit. Mittitur
autem eò, quò voluntas ipſum dirigit, vel ſal-
tem, quò innata ſpirituum ſcientia infallibilis,
juxta ſcopos rerum agendarum, eundem mittit:
idealis igitur entitas, itineri jam accincta, quo-
dammodò lux; & quaſi non ampliùs corpus
nullis ſtringitur locorum, temporum, aut di-
menſionum imperiis, ea nec dæmon eſt, nec e-
jus ullus effectus, nec ulla ejus eſt conſpiratio,
ſed ſpiritualis quædā eſt actio illius, nobis planè
naturalis & vernacula. Hanc qui benè capit ſo-
phiam, facile intelliget, materialem mundum
utrobique ab immateriali, & inviſibili, regi &
coërceri: hominum autem pedibus ſubſtituta
eſſe creata cætera corporalia, hæc eſt nimirum
cauſa, cur etiam mumia, adeps, uſnea, & ſanguis
humanus, phantaſia nempe eis inexſiſtens in
unguento, imperet ſanguini canino, equino &c.
in pyxidem per bacillum adportato.

Nondum de magnetiſmo unguenti ſatis di- 141
ctum. Reſumam ergo. Magnetis nempe, & re-
rum inanimatarum magnetiſmos, fieri per na-
turalem ſenſationem ſympathiæ omnis authri-
cem, certum eſt. Si namque magnes ſe ad po-
lum dirigat, eundem noviſſe oportet, ſi in
directione ſua errorem non ſit facturus: & quo- 142
modò quæſo noverit, ſi non ſentiat ubi ſit? ſi-
militer ſi ad ferrum eminus poſitū, ſe torqueat
polo neglecto, ferrum ſenſiſſe priùs, neceſſariū
eſt. Varios igitur ſenſus, imagines habet unicus:
neque etiam ſenſiſſe ſatis erit, niſi amoris &
philautiæ ſtimulos addamus, adeoque phanta-
ſia quadam naturali dotatum eſſe, & cujus im-
preſſionis ergo, univerſi magnetiſmi conflati
ſint. Alia nempe phantaſia dirigitur in ferrum,
quam in polum: tunc enim per vicinum dun-
taxat ſpatium, virtus ſua ſpargitur: mutata eſt 143
ejus phantaſia, quādo fœtum, catarrhos aut in-
teſtinum cohibet; alia quoque phantaſia, ma-
gnes trahit quippiam è vitro ignibus excocto:
minutulum enim ejus fragmentum, in maſſam
vitream injectum, dum coquitur, è viridi vel
luteo candidum efficit. Quanquam enim ipſe 144
magnes rubeo colore ſit ſaturatus, & igne con-
ſumatur vitrario: interim attamen dum vivit,
etiam è candenti vitro, liquorem tinctum attra-
hit, conſumit; adeóque ejus attractio nedum ad
ferrum eſt: ſed inſuper ad partem illam aëream, 145
quæ difficulter è vitro abiret, hactenus vitrariis
in uſu communi eſt. Succini phantaſia, paleas
ac feſtucas trahit, tractione quidem ſatis otioſa,
ſed tractionis ſignatura perfectili: nam mumiæ
noſtræ maritatum, noſtro quoque magnete for-
tius, trahit in adverſum & zenexton evadit;
gummis verò immiſtum ſuccinum, virus &
plumbum, ſua imaginatione transplantata jam,
è vulnere trahit, variata nimirum utrobiq; tra-
hendi voluptate, & voto. At quid mirum fuerit
(niſi apud eos qui omnia ignorantes, omnia
quoque admirantur) res inanimes phantaſia 146
pollere? cum is, qui totus vita eſt, res omnes
creet, nullamque ideò è manu ſua mortuam ex-
ſpectandam promiſit? nulla quoque adveniet
penitus, in qua & ipſe non eluceſcat præ-
ſens, Spiritus domini totum replevit orbem
terrarum: imò hoc quod continet omnia, vim
vocis habet. Nonne multam ſcientiam in po-
mo fuiſſe credimus? ejusque eſu, protoplaſtos
ſcientiam unà eſitaſſe, & intus concepiſſe?

&an non ſcientia phantaſiam ſui generis præ-
ſupponit! ſic etenim aliquot ſimplicia amen-
tiam, nonnulla inſaniam, aut furorem mania-
147 cum alia inducunt:non quidem cerebri deſtru-
ctione, aut ſpirituum ejus diſſipatione (tunc
ſaltem non conſtaret robur furioſi, & vires va-
lidiſſimæ) ſed introductâ illorum ſimplicium
alienigenâ ac furioſâ phantaſiâ,quæ victrix no-
ſtram ſubigit, atque eandem pro tempore (ut
in delirio frenitide, &c. nonnunquam & per-
petuò, ſibi ſervam effecit, ut in lunaticis & ve-
148 ſanis. Nonne ſic canum rabies in hominem
tranſit? phantaſiâ nempe furoris maniacâ in ſa-
livam transplãtata, quæ victrix mox triumphet
de ſanguine illius animalis, quem aperta cute,
utut tenuiter attigerit? Tunc ſcilicet phantaſia
totius ſanguinis priſca loco cedit, & peregrinæ
tincturæ phantaſiam hydrophorbicam, velit
nolit, aſſumit. Unde tandem mors binſica, id
eſt,ex ſola ægritudine mentali,exaltata nempe,
& excitata virtute magica canis, ſuper phanta-
ſiam animalium non excitatam, ſed ſomnolen-
149 tam. Eodem planè modo phantaſia Tarantulæ,
ictu exili imprimitur, & mente ſtatim alienati
tripudiant, ſaliuntque immenſum, in eo ta-
men differt tarantulæ venenum à rabidi, quod
hoc agat poteſtate magicâ excitata, adeoque
150 per magicam veri nominis: at illud, per fa-
cultatem magicam ſomnolentam, prout &
in napello & cæteris deleteriis, exili quanti-
tate necantibus, patet differentia: quia con-
tra canem rabidum, nullum animal ſe tuetur
aut defendit, quoniam eſt poteſtas magica li-
gans, contra quem non valent dentes aut cor-
nua: quod de Tarantulæ veneno dici nequit.
In homine igitur externo, prout & in ſociis a-
nimalibus, vis magica velut conſopita eſt, nec
in ſolo homine excitari poteſt (etſi quidem
multò facilius) ſed in conſortibus animantibus
quibusdam, imò nec ſatis eſt ſpiritus, cùm
151 ſpiritus hanc ſervare concordiæ & monoma-
chiæ legem, quinetiam in toto univerſo latet
ſpiritus quidam, quem magnale magnum dici-
mus,qui ſympathiæ & diſpathiæ leno confabu-
lator & actionum promotor exſiſtit, & ratione
cujus, magnetiſmus, tanquam per vehiculum,
ad diſtans objectum extenditur. Probatur id ad
oculum,etenim ſi ſuper teſtudinis chordam fi-
dem lenem paleam, ancipiti extremitate in aë-
re, inſtar ſtateræ pendentem, poſueris, & alte-
rius teſtudinis ſimilem fidem pulſaveris emi-
nus, ubi toni in octavo conſonant, videbis pa-
leam trementem; at ubi in uniſono cõcordant,
tunc alioqui quietæ teſtudinis fides, moræ im-
patiens, ſubſilit, præ lætitia geſtit, & inviſam
paleam ſubſultu excutit. An & hic ſatanas vo-
bis fidicen erit? quam paleam non contingit
ſubſilire, etſi omnes fides alterius teſtudinis u-
nanimiter, fortiter & cominus pulſentur; nec
etiam nudus tonus, alteram & quietam chor-
dam ſubſilire cogit: id nempe tunc quilibet to-
nus efficeret: ſed ſolus leno ſpiritus, in medio
habitans,& actionum naturalium fidus exſecu-
tor, & adjutor, ſympathiam defert, promovet
& concauſat.

Cur nomen magiæ perhorreſcimus? ſiqui- 152
dem tota maga eſt, nec ullam habet agendi po-
tentiam,quæ non à formæ ſuæ phantaſia,& qui-
dem magicè proferatur. At quia hæc phantaſia,
in corporibus electione carentibus determina-
tæ eſt identitatis, idcirco ignoranter & ruſticè
nimirum, non phantaſiæ illius rei; ſed proprie-
tati naturali adſcriptum ſtetit; loco cauſæ, ef-
fectum videlicet cauſarum ignorantiâ adfe-
rentes: cùm alioqui omne agens agat in obje-
ctum proprium, præſentiendo nempe illud,
quò ſuam non temerè, ſed in objectum dunta-
xat, ſpargat activitatem: poſt ſenſum nempe
objecti; commotâ phantaſiâ,diſpergendo idea-
lem entitatem, & copulando eam radio entita-
tis paſſivæ.hæc nempe fuit magica actio rerum
naturalium, proprii tamen nominis magica &
phantaſia,eſt in electionis poteſtate dilatis crea-
turis. Per claſſes ibo. Proprietates itaque for- 153
males, manantes à formis trium principiorum,
ſalis, ſulphuris & mercurii: ſive ſalis, pingue-
dinis, & liquoris, unde corpus unumquodque
conflatur, & iterum reſolvitur in eadem; eſt-
que Mercurius ſive liquor toties diverſus, quot
rerum ſunt ſpecies: idem eſto de ſale ſulphure
judicium, proprietates inquam ejusmodi ma-
nant à phantaſiis harum formarum, quæ quia
corporales valde, & in ſinu elementorum ad-
huc hærent: idcircò vocantur proprietates
formales & occultæ, propter formarum igno-
rantiam, quæ alioqui ſunt effectus magici, à
phantaſia dictarum formarum propagati: ſed
ignobiliores ac maximè corporales; finibus
tamen quos reſpiciunt, abunde ſatisfacien-
tes. Hujus generis ſunt virtus ſubductiva al- 154
vi, ſomnifera; &c. Sunt præterea nobiliores
aliæ proprietates, ex phantaſia formarum
mixti, oriundæ, ſuntque ejuſmodi in toto,
ratione formæ, ut magnetiſmus magnetis, vir-
tus tincturarum, item ſpecifica & appropriata
omnia, quæ ratione vel totius homogenei, vel
formæ

formæ alicujus partis integralis, non autem ſolius
alicujus principii accidunt: qualia ſunt quæ
in carne, radice, foliis, fructu ſita ſunt, & non
in trium ſeparatorum inde ullo. Item antimonium
quamdiu manet in ſua forma, ſummas obtinet:
quas in ſuis principiis nunquam aſſequitur,
& hæ ſunt quoque de gremio corporali:
ideóque magica ſpiritualis in hiſce adhuc occulta
eſt, & tota deberi putata eſt naturæ, hanc
contra magiam ineptè diſtinguendo. Sic roſæ
folium aliam habet virtutem, quam non habet
caudex vel anthra: eſtque ea vis folio non ex
tribus primis, ſed ex vita ejus natalis: quæ
quando deſtruitur, tunc alias virtutes habet, ut
puta granum in vita prima nutrit, quam ſi amittit,
155 tunc prolificet. Tertiò deinceps eſt virtus
magica, quæ profluit ex phantaſia vitæ, totius
integralis, ea eſt in brutis & homine externo:
quæ magis abſoluta eſt jam ſpiritualis, nondum
tamen ad ſummum deducta apicem, ſubindè
tamen multa excitatione, forti phantaſia, per
entitatem introducta, ad magnum culmen adſcendit,
& hominis interni magiam veram æmulatur
156 quàm proximè. Cæterùm cujuſcunque
bruti anima vim habet creandi entitatem
realem, & per voluntatem, dimittendi eandem
longiùs; ejuſmodi brutum eſt magicum, ut baſiliſcus,
canis, piſces multi, apud Olaum, &c. talis
quoque eſt virtus habitans in ſanguine multorum
animalium: hinc nempe ſacra pagina dicit
animam eſſe in ſanguine extravenato, etiamnum
per ignem cocto, fortaſſis & per fotum
157 planè putrido. Poſtremò eſt virtus magica à corpore
quaſi abſtracta, quæ fit excitamento interioris
poteſtatis animæ, unde fiunt potentiſſimæ
procreationes, impreſſiones auguſtiſſimæ, &
158 validiſſimi effectus, utrobique ſcilicet natura
maga eſt, & per phantaſiam ſuam agit: & quia
quò ſpiritualior, eò potentior eſt, ideo quoque
(magica) etymon eſt analogon.

159 Omnis propemodùm virtus magica excitatione
eget, infima nempe per teporem prævium;
excitatur ſcilicet vapor quidam, ſine aura
ſpiritualis, cujus ratione, densè dormiens
phantaſia expergeſit, incipitque velitatio corporeorum
ſpirituum media, quæ eſt magnetiſmi,
per attactum prævium excitatur. Summa autem,
quæ eſt brutorum & hominum, conceptu
intellectuali excitatur, & hominis quidem interni,
non niſi per Spiritum ſanctum, & per donum
ejus, cabalam, excitatur: externi verò, per
fortem imaginationem, & aſſiduam & intenſam
ſpeculationem, imò & in ſagis per ſatanam excitatur.
Sanguinis autem extravenati, in quo anima
habitat, excitatur magica, quæ in potentia
adhuc eſt adactum; vel per aſcendentem imaginationem
fortiorem, puta magi, ſanguine tanquam
medio utentis, & in illud entitatem ſuam
accenſam ſtabulantis; vel puta, unguenti armarii
phantaſia aſcendente, latentis in ſanguine
proprietatis excitatrice: vel per præviam deſtinationem
ſanguinis ad corruptionem, per quam
ſcilicet elementa ad ſeparationem diſponuntur,
& eſſentiæ (quæ putrere neſciunt) eſſentialeſque
phantaſiæ, quæ in potentia proprietatum
latebant, in actum deveniunt.

Cujuſcunque igitur ſubjecti phantaſia validum 160
obtinuit appetitum, ad alterius rei ſpiritum,
ad aliquid inquam loco movendum, trahendum, 161
expellendum vel repulſandum: ibidem,
& non alibi, magnetiſmum velut naturale
ejus rei donum magicum, à Deo illi inſtabulatum,
agnoſcimus. Eſt igitur formalis quædam
proprietas in eo, à ſympatheticis & abſtruſis
qualitatibus, ſegregata: quod harum motrix
phantaſia, non ad motum localem; ſed tantùm
ad alterativum directè fluat. Eſto itaque omnis
magnetiſmus, ſympatheticus vel antipatheticus:
non tamen omnis ſympathia, magnetica erit.

Ad propoſitum nobis ſcopum revertentes:
jam probè (opinor) intellectum eſt, ineſſe nedum
ſanguini phantaſiam & appetitum magicum,
ſed & humoribus, cibis, & excrementis:
cùm varia quoque id morborum proles patefaciat:
prægnantes peregrina enim appetunt, &
virgines, naturali uteri exorbitantis œſtro, pallidè, 162
ac celeriter, quod appetunt, digerunt; non
quidem ex ratione, nec conſanguinitate naturæ
humanæ, id poſcentis: ſed exotica humorum
phantaſiâ, ſic ſtultè imperante, ſeductæ, quibus
ſordibus expulſis, ſubitam læſorum appetituum
ſanitatem ſæpenumerò reſtituimus: vel etiam
ſaturata eorumdem humorum amente phantaſiâ,
compeſcuimus. Igitur in ſanguine ſua eſt 163
phantaſia, quæ quia potentius ibidem viget,
quàm in rebus cæteris, ideo ſcriptura alto elogio,
ſanguinem adhuc coctum, & edi promtum,
animatum vocat. Et quia eadem phantaſia tradux 164
ineſt, ob id nempe in poſthumo, mores, geſtus
& conditiones avi emicant. Nobilitas ex
bene merita virtute, ortum ſumſit: hinc nobilitas,
immeritò continua ſtirpis propagatione, augeri
ſuſpicaretur, niſi avorum mores ac virtutes
in ſeris nepotibus, eluceſcere ſperarentur
probabiliter. Nonnè etiam concepta lupi cum 165
ovibus inimicitia, in eorum pellibus remanet?

quocirca nedum fantaſia animalis in cruorem
imprimitur poſt obitum pervicax: verum etjam
quicumque ſtragulis, è pelle gulonis (animal
eſt in Suecia frequens & voraciſſimum)
contegitur, ſomniare cogitur continuò de epulis
voracitate, & inſidioſa animalium venatione:
pro indole ſcilicet viventis illius animalis;
adeoque ſolo tegmine externo, traducitur phantaſia
animantis, quondam vivi, pellibus hoſpitata,
in hominem ſubter dormientem. Itaque
miniſterio phantaſiæ ſanguinum fit, quod extravenatus,
in paxillum aſſumtus, unguento
166 magnetico introducitur. Tunc namque phantaſia
ſanguinis, aliàs adhuc ſomnolenta, lentaque
ad actum, virtute unguenti magnetici excitata,
ibidemque reperiens balſamicam & medicam
unguenti virtutem, optat ſibi inductam
qualitatem, impertiri ſuo toti, atque exinde elicere
ſpirituali magnetiſmo omnem peregrinam
tincturam: quod cum per ſe, non aptè ſatis queat
efficere opem uſneæ, ſanguinis, adipis & mumiæ
implorat, quæ ſimul in balſamum coalita talem,
qui non niſi ſua phantaſia quoque medicus, magneticus
ſimulque omnis alienæ qualitatis è
corpore tractivus eſt, cujus inquam recens ſanguis,
ſpiritu abundans, apportatus eſt; ſive hominis
fuerit, ſive alterius animantis. eſt igitur
phantaſia redux & exſtatica ex parte ſanguinis
recenter & noviſſimè apportati: tractus verò
magneticus, in ſanguine inceptus, medicâ unguenti
virtute perficitur. Non trahit autem unguentum,
vulneris infirmitatem ad ſe, ut fiat
pyxis Pandoræ: ſed ſanguinem noviter allatum,
in ſpiritu alterat, medicum reddit, ejuſque
poteſtatem excitat: inde illi virtus quædam medica,
& magnetica, quæ redit ad ſuum totum,
curatura germanum ſpiritum ſanguinis, per totum
hominem: exſugit ſcilicet, triſtem impreſſionem
è vulnerato, eamque, medica poteſtate,
perituram expellit, foras exigit, quæ virtus medica,
domatrix mali, eſt partim in ſanguine excita,
partim etiam eidem ingenerata, per unguentum;
ſpiritu nempe hujus, in ſpiritum ſanguinis,
ſic imperante ex ſua phantaſia, id eſt,
dono creato. Alioqui ſanguis, integris putreſcens
viribus, ſub teſta ovi, & jam quaſi compedibus,
per præviam putredinem liberatus ſpiritus,
trahit mediante canis, mumiâ, realiterque
167 transfert ægritudinem, quæ ſedet in phantaſia &
aſtro ſordium, in ipſum canem, non aliam ſcilicet
ob cauſam, quàm quia ſine balſamo unguenti
interveniente, magnetiſmus perficitur. Notavimus
etiam, ſi vulneratum contingat plura ſimul
recepiſſe vulnera, ſufficere ſanguinem, ex
unico ejus ſaltem vulnere haberi, & curari una
nimirum opera quoque cætera: quia ſanguis ille
concordem cum ſpiritu totius ſervat harmoniam,
& ab eodem educit qualitatem infeſtam,
nedum labiis vulneris, ſed & toti homini communicatam:
ex uno nempe vulnere ſolet totus 168
homo quoque febricitare. Ingens myſterium
propalare hactenus diſtuli, oſtendere videlicet
ad manum, in homine ſitam eſſe energiam, qua
ſolo nutu & phantaſia ſua queat agere extra ſe,
& imprimere virtutem, aliquam influentiam,
deinceps per ſe perſeverantem, & agentem in
objectum longiſſimè abſens; quo ſolo myſterio,
quæ dicta ſunt hactenus de ideali entitate in fomite
ſpirituali aſportata, & peregrè ad munia
ſua abeunte, de magnetiſmo rerum omnium,
tam phantaſia humana, quàm cujuſque rei propria
genito, nec non de hominum magica, ſuper
corporibus reliquis ſuperioritate, ad lucem venient.
Clarum eſt, conſtatque ſine controverſia, 169
ex chalybe acum fieri, quæ magnetis attactu,
polum oſtendit navigantibus: chalybem verò
irrito in acum cudi, & pyxidi nautoriæ, ad deſignandum
polum imponi, ſi magnetis affrictus
debitus non præceſſerit. Quæ cum ſint extra
dubium, nunc ſolo nutu, acum nauticam fabricare
convenit: in cude igitur, qua cuditur acus
ex chalybe, notatus ſit ſeptemtrio, idque linea
recta; ſtes faber, dorſo verſus ſeptemtrionem, ut
cum ducitur ſub malleo chalybs, ad faciendam
acum, eam verſus te & Boream trahas: dico igitur,
quod talis acus, ſic facta, ſine ullo auxilio
alio, polum notabit; & quidem ſine variatione
ſolita, quod ingens eſt myſterium. Inſuper acus,
quæ fit ſuper lineam dictam, caſualiter, & inſcio
fabro, eſt inanis, nec polum notat. Conſequitur
hinc, quod imaginatio hominis fabricantis, illo
momento quaſi nativitatis, cùm jam maximus
fervor ignis deſierit nempe, & ſub obſcura adhuc
rubedine, imprimat hujuſmodi facultatem
magneticam, & quidem in chalybem, ſive ſubjectum
appropriatum. Non autem, quod cœlum
tunc imprimat: quia tunc etiam influeret
non intendente fabro, quod falſum eſt? ſi namque
cœlum influeret ad certam horam & poſitionem:
jam triumpharet characteriſtica, & ſigillaria
ſiderum, quam tranſimus. Sed conſtellatio, 170
quæ influit in chalybem (& omne fortaſſis
ſigillum) ex cœlo microcoſmico, id eſt, ex olympo
noſtro fluit: irrita fuerunt idcirco ſigilla,
quæ non à mago, in phantaſia ſua exaltato cuderentur:
interiores nempe entitates & phantaſiæ,

cedere coguntur noſtræ; per quam ſapiens dominabitur aſtris: imperio cujus ſubjecit rerum parens, quidquid cœlo concluſum eſt. Quæ de phantaſia imprimente in acum nauticam allata ſunt, multorum teſtimonio, mea quoque experientia, & uniuſcujuſque experiri volentis, decies millies vera eſſe comprobabuntur. Sic aſarum nempe, & ſambuci extremitates, auſcultant imperanti phantaſiæ decerptoris, qui imprimit in plantam, hæc magneticè verò in folium abſens: cum alioqui cocto folio (ut recocta acu) & in potionem exhibito, periret virtus phantaſiæ impreſſa, ſi à planta integrali magnetiſmus non foveretur, coctus ſanguis & edi paratus, animam adhuc continet, verum eſt. At vis iſta non ab impreſſione phantaſiæ humanæ & externæ, ſed à proprio ſuæ phantaſiæ dono con-
171 ſiſtere. Hoc pacto quoque clavus cordi equino infixus, ſpiritum Sagæ detinet, & nectit cum ſpiritu mumiali equi, quò ſimul torreantur, ut tormine illo, ceu equuleo, ipſa prodatur; utque tandem per judicem, Deo infeſta, mortalibus pernicioſa, de cœtu horum tollatur, juxta legem Dei. Etenim ſi opus ad aliquod objectum externum terminatur, id anima maga ſine medio nequaquam aggreditur: ideo clavo utitur jam dicto.

Probato nunc eo, quòd homo habeat vim per nutum agendi, aut movendi aliquod objectum diſſitum: ſatis quoque confirmatum eſt, eodem
172 naturali exemplo, & homini iſtam energiam Deo datam, & naturaliter ipſi competere. Abſurdum fuit hactenus putaſſe, ſatanam moviſſe, alteraſſe, aſportaſſe quicquam, & applicuiſſe activa paſſivis motu locali per ſolum nutum; cum nempe non dubitent, ipſum in dictis motibus fuiſſe primum movens, extremitatibus quibus tangat, arripiat, aut transferat, vel aëreum (quod fingunt) corpus ſaltem, ullatenus moveat, attamen animâ carentem. Abſurdum inquam ſatanam poſt lapſum, retinuiſſe magicam dignitatem, qua ſolo nutu agit quælibet, quia ejus donum erat naturale: eandem verò naturalem homini, ablatam eſſe, negatam & dæmoni datam creaturarum deſpectiſſimo: ſi qui verò ſint effectus tales ab homine prodeuntes, pactoque cum eo ſupplicio ſaltem, attribuere. Aperi oculos, gloriatus opimè in tanta veſtri ignorantia hactenus eſt ſatan, tanquam ſi ipſi thymiama gloriæ & dignitatis ſubfumigares, tibique dignitatem naturalem, ceu oculos erueres, ipſique offerres.

Diximus, omnem fortaſſis vim magicam dormire, & excitatione opus habere: quod perpetuò verum eſt, ſi objectum in quod agendum eſt, non ſit proximè diſpoſitum, ſi ejus interna phantaſia non prorſus annuat agentis impreſſioni, vel etiam ſi robore patiens ſit par, vel ſuperior agente. At contra, ubi objectum eſt planè ac proximè diſpoſitum, ut chalybs ad recipiendum magnetiſmum: vel planè debile, & ſibi conſcium (ut homicida, adulter, fur, ſaga) tunc patiens ſine multa excitatione, ſola exterioris hominis phantaſia in opus deducta, & in medium aliquod alligata, ſuccumbit magnetiſmo. Medio inquam utitur ſemper magus: ſic etenim, niſi prægnans manum ad crus, frontem vel ſuos nates extenderit, fœtus non ſignabitur in crure, fronte, vel natibus. Sic enim verba ſive formæ ſacramentorum ſemper operantur: quia ex opere operato. at quia exorciſmi non ſemper operantur, defectus non eſt in DEO: ſed tantum, quia mens inexcita Exorciſtæ verba reddit torpida. Itaque nemo felix exorciſta, niſi qui virtutem magicam excitare ſuæ mentis novit: vel ſine ſcientia, poteſt.

Dices fortaſſis, unguento armario non aliam, quàm componentis phantaſiâ genitam, virtutem magneticam obtinuiſſe: erras. Attamen ſi iſtud daretur, nec inde melius haberes: ſiquidem non proinde ſatanæ veniret aſcribenda. Sic enim unguentum non ingenita ſibi phantaſiâ, ſed exterius à componente impreſſa magneticum eſſet: cum non ſit propinquius dicti magnetiſmi medium, quàm ſanguis humanus cum ſanguine humano: profectò ſolus ſanguis, tanquam ſubjectum diſpoſitiſſimum, pro unguento ſufficeret, & reliqua ſimplicia eſſent fruſtranea, quod falſum eſt; præſertim ſanguis taurinus, & mel ubi per arma incruenta, unguento intrudentis, ſufficere ſine ſanguine taurino, quod falſum eſt. Denique magnetiſmus unguenti, eſſet 173
planè generalis, quòd componens, ad omnia cunctorum etiam brutorum vulnera, impreſſionem nimis liberalem, vagam, incertam & inſolidam, ſua phantaſiâ intendiſſet efficere. Quid ſi canem non intenderit: an unguentum propterea canis vulnus non eſſet ſanando? Apage. Quid Bolus Armenus, quid oleum lini, quid mel, quid denique ſanguis tauri, diſpoſitionis ad vulnus equinum aut humanum habet, ut in iſta tanquam medium proprium, & non in alia, componentis phantaſia imprimatur? quæ tamen ſi exulaverint, unguentum ſterile & irritum dabunt. Eſt igitur naturalis phantaſia unguenti, cauſa magnetiſmi, & cauſa curationis propria, non imaginatio componentis.

174 En habes noſtram, id eſt, Chriſtianam philoſophiam, non ethnicorum deliria, aut otioſa ſomnia. Cave, quæſo, ne & me propterea in cenſuram injicias, qui in cenſuris promtior fuiſti. Tuus ſum & catholicus Romanus, cui nil quod Deo, quodque Eccleſiæ contrarium, penſitare fuit animus: non in rixas, non in alterius commentaria aut patrocinia natum me ſcio. Idcirco quæ ſcivi, libertate philoſophica vulgi facere volui: unum illud adhuc ſubnectam. Quicumque effectum naturalem à Deo ſic creatum, ſic datum creaturis, tribuit dæmoni; is alienat honorem Creatori debitum,& in ſatanam eumdem ignominioſè vertit: quod (pace tua dixero)ſi bene ſub tuam revocaveris anatomen,idololatriam expreſſam reperies. Rogo clementiſſimum parentem Deum, ipſe parcat delictis, quæ ex ignorantia non pertinaci, & humanâ fragilitate contraximus. AMEN.

Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlis: Pater, Verbum & Spiritus ſanctus; & hi tres tantùm unum ſunt: (mox de humanitate Chriſti loquens) Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terris: Sanguis, Spiritus, & Aqua; & hi tres tantùm unum ſunt. Nos igitur qui parem humanitatem habemus, mirum non eſt, ſi ſanguinem & ſpiritum conſimilis unitatis contineamus: ſitque ſanguinis actio merè ſpiritualis. Imò in Geneſi propterea non ſanguinis etymo ſit vocatus, ſed ſpiritus rubei nomine inſignitus. Abſcede igitur quiſquis es, à pertinacia, & alium præter cacodæmonem in ſanguine ſpiritum agnoſce, niſi ſcripturæ ex adverſum eas.

IN SOLE TABERNACVLVM.

SOlem Scholæ negant fervidum. Sibi enim & hoc credi volunt, abſque demonſtratione. Quia putant hominem generari ab homine, & à Sole. Ideóque naturam decere. Ne ſi Sol ferveret, ſe, ſuum hoſpitium, & vicina quæque, in favillam abſumeret. Etenim cum immenſus ſit,procul etiam calefaciat, quid non immane patraret, ſi in ſe ferveret? quomodo enim generaret hominem, ſimulque omnia ſublunaria? Quaſi inprimis Sole fervente immenſum, cœlorum ſubſtantia ideo eſſet cremabilis! Atque non eſſet decentius,Solem calidum citra alimentum admittere, quàm negare ſenſus omnes; effectum nempe exſiſtere,nulla productum cauſa propria! negare inquam calorem in re,quæ tanto robore, & tam procul calefacit!maximè quòd juxta proportionem, qua propinquatur magis ad Solis radios directos, eò majores occurrant ardores. Ego credo vanam hanc Scholarum formidinem. Quod facta ſit lux per Verbum, quòd totam lucem in duos contraxerit globos. Vt lux diei eſſet Sol; & Luna,noctis. Globus luminoſus Solis, diametrum terræ & aquæ ſuperare dicitur 160 vicibus. Extra quem globum Solis, luminis radii diſperguntur, tam ſupra quàm infra ſe in univerſum. Cunctaque diaphana illuminant penitiſſimè; opaca verò, ſaltem in ſuperficie. Cæterùm oſtendi Solares radios per vitrum unitos, eſſe verum ignem, proprietatibus ſuis fulgentem.Etenim ſive radii uniantur,ſive non, id Soli eſt per accidens. Ideóque ſi radii luminares connexi ſint verus ignis, & ardeant, Sol quoque neceſſariò tanquam connexorum radiorum centrum ipſum, erit longè ferventiſſimus. Perſtat enim Solis ignis abſque alimento, ex juſſu Dei. Cum etiam ignis in medio coni, quo radii ſolares uniuntur, ſubſiſtat ſine nutrimento. Solus ignis culinarius præ ſe fert ſubſiſtentem per ſe lucem, abſque Solis interventu. In eo tamen à Sole ſeparatus,quod ali debeat,ut ſubſiſtat. Sol autem quia cœleſtis naturæ eſt, cibis non eget; quia vacuus ab uſuris, & ut ardeat ſic,à Deo conſtitutus.Sol igitur ignis fervidiſſimus, luminum creatorum centrum principale in natura. Fortaſſis, dum quandoque ſua dierum erit plenitudo, & rerum meſſis matura, Aquaſter cœlorum, aquę inquam quæ ſupra cœlos ſunt, virtute divinâ, aſſument fermentum, & ſemen rei combuſtibilis, & pluet ignis de cœlo, cadent ſidera. Sol enim ſui globi cataractas

& repagula diffringens, mandato divino, tam quæ juxta ſunt, quàm quæ procul eminus, ardebit cœlos, & conſumet ſeculum in favillam. Cœli enim mutabuntur, veteraſcent, & ut cera, quandoque liqueſcent. Decidentque aſtra in terram, non quidem integra (quia plerumq; globo terræ majora) ſed combuſtorum partes abyſſum ignis facient ſuper centrum. Itaque Sol ignis eſt in ſe & prope. Quò autem longius diſperguntur, radii per univerſum, rerum ſeminibus aptiora fomenta dabunt; quia generale atque commune lumen duntaxat ſuggerit Sol, excitandis ac promovendis ſeminibus aptum, atque hactenus vitale. Non autem, quod vitam quodque eſſentiam ſeminibus rerum conferat. In Cairo Ægypti ova per ignem clibani foventur, & nulla fovente gallinâ, affatim pulli naſcuntur. Non tamen aut ignis clibani vim ſeminalem dat vel habet, aut ova adurit; aut quia fovet, deſinit eſſe ardenter calidus in ſui fonte. Sic radii ſolares diſperſi per univerſum, non ſunt ignis ampliùs; ſed ſimplex lumen. Culinarius ergo ignis quodammodò ad Solis æmulationem ſe diſponit. Flagrat nempe, ardet & conſumit vicina. A longe autem tantum calefacit, & procul eminus tantùm ſplendet. Imò neque verus cenſetur ignis, niſi ſummo gradu ferveat, connexis radiis in cono luminis centraliter hæreat. Nobilitate autem à Solis lumine differt, quod non ſit de creatis primis, non cœleſtis indolis, non citra fomenta ſubſiſtens, neq; ideò ſit univerſalis. Solem ergo ut ſingularem creavit Omnipotens: ita in ſingula ſenſitivorum ſpecie unicum velut Solem creavit, qui in finem mundi uſque ſufficeret, ſeſeq; propagaret deinceps, non quidem ſummè fervidum: ſed per puncta radiorum diſperſorum ſubſiſtens, non aveat ad ulteriora graduum momenta adſcendere. In minutulis ergo luminum ſpecificorum minutis, formale ſpecierum lumen cohibetur virtute divinâ, quæ unamquamque ſpeciem conſtrinxit ad particulare luminum momentum, generale quidem ex parte Solis: individuatum tamen ex coordinatione Domini mei. Etenim Sol ſpecierum, non ſecus atque ſpecies ipſæ durabunt in ſeculum. At quia non ſubſiſtit niſi in individuis; Ideo Sol ſpecierum eſt indies labilis in individuis, etiam per ſingula momenta, niſi continuato velut fomento alatur. Habet ergo lumen vitale aliquam cum Sole ſimilitudinem, partemque igni culinario conformem. In hoc ſcilicet, quod Sol noſter debeat habere pro indeſinenti fomento ſpiritus vitales, luminis ſubſecutivi dependentiſque capaces, & adminiſtros. Non quidem, quod ſpiritus in ſe, & ex ſe, caleant magis quàm radii Solares; qui ablato Solis lumine, confeſtim calore & lumine intercidunt. Cum Sole tamen ſymbolizant, quòd videantur accenſionem propagare, ſubſiſtantque centraliter in corde. Etenim cum Scholæ animadverterent, cor ſponte & ex ſe feſtinare in frigidum cadaver, exſolutiſque ſpiritibus confeſtim ſcilicet frigere, putârunt ſpiritus iſtos inflatos eſſe exordium, centrum, ac punctum primitivum Solare, & caloris, non retroſpicientes, quod ipſimet ſpiritus ex ſe ſint frigidi, pereatque in inſtanti illorum calor, ſimulatque à cordis radio & ſubſidio dirimuntur. Mirum admodùm, quòd quibus tota vitalium & non vitalium tragœdia caloribus adſcribitur, neſcitum & indeterminatum ſit hactenus. Utrum alteri prævaleat in origine, & ſuſtentaculo caloris. Etenim cum nec Cor, nec ejuſdem ſpiritus vitalis, ex ſui natura & ſubſtantia caleant originaliter; hactenus ne ſemel quidem cogitatum eſt, unde nobis calor adveniat, vel inſit ab origine uniuſcujuſque. Cum enim cognitio ſui ipſius ſit ſcientiarum potiſſima, tam in moralibus, quàm naturalibus: ſaltem nunquam Scholas pudere debuiſſet, inquiſiviſſe caloris & vitæ fontem in rebus. Quantæ inde tenebræ remanſerint in ſanando, in cuſtodiendo vitam, novit Deus. Hanc proinde teſſeram, à juventute mecum diſcuſſi, hoc modo. Primum cognovi ignem prout limite de formis, non eſſe accidens neque ſubſtantiam. Multóq; minus elementum. Quod alibi pleno philoſophiæ velo demonſtravi. Dein quod Sol propria caleret dote: & Ignis culinæ ſimiliter datus licet, pro fabro, ac morte artificum manibus ſubſtrata. Ubi verò uterque nos deſerit, eſſe nobis ſilicem & chalybem, unde nobis Ignem ſtruimus. Ex duobus nimirum frigidis & mortuis ignem excutimus. Sic & aquas thermarum ſub terra, ex ſale & ſulfure volatilibus accenduntur. unde didici, quòd ſpiritus ſalis ideo debeat eſſe ſalſus & volatilis, & ſanguis arterialis ſit partim ſalſus, partimque pinguis atque ſulfureus: tum demum, quòd deberet eſſe pulſuum concuſſio, non quidem ad refrigerium (ut alioqui ſomniant Scholæ) ſed ſcilicet, ut ſicut butyrum ex lacte fit per concuſſionem: ita ex ſanguine ſulfur vitale. Quod deinde per ejuſdem operæ concuſſionem, in ſpiritu volatili lumen concipit, propagaturque formale ſive vitale lumen: tanquam lumen de lumine ſumtum. Spiritus ſalſi nimirum, &

ſulfur ſanguineum, in theca cordis per pulſum ſeſe confricant, & accenditur lumen formale cum calore, in ſpiritu vitali: à lumine inquam ſolaris ſpiritus intimi,& inſiti, in quo eſt tabernaculum Solis ſpecifici, uſque in mundi finem. In hoc Sole humano poſuit Omnipotens tabernaculum ſuum, ſuaſque delicias, regnum ſuum, cum omnibus chariſmatibus ſuis. Lumen autem quod concutiendo concipitur,non fit quidem de novo, ut à ſilice & ferro: ſed propagatur per adeptionem materiæ, ex lumine Solari ſpecifico & humano, ſive accenditur & dilatatur. Univerſale quidem ibi, & vitale eſt, conſiſtens in punctis luminis temperati: eſtque ex parte productionis in natura quidem ſpecificum, ac determinatum pro vita humana: ſed individuatur omnifariam ab eo, qui poſuit tabernaculum vitale in ſpecierum Sole. Ex quo tabernaculo inde illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quia Dominus Jeſus eſt incomprehenſibili modo lux, vita, initium, via, veritas, & totum omnium. Sicut enim non poteſt vita per momentum ſubſiſtere abſque luminoſo ſpiritu, à quo illuminatur & animatur in habitatione Solis: Ita nec anima, nec vita ullatenus unico momento, abſque gratia ejuſdem æterni luminis ſubſiſtere queunt. Concepi autem qualitatem & intenſionem caloris, reſultantis ex iſto lumine: quatenus totum corpus humanum, pendens forte libras 200. calet actuali tepore, quodque ſine iſto vitæ lumine mox frigeret,eſſetque cadaver. Eſt ergo tantum caloris in corde, quantum ſufficit diffundendo tepori per libras totidem aquæ aliàs frigidæ. Vita ergo ſpecierum, ut in ſimplici, & non unito lumine conſiſtit. Myſterium providentiæ Divinæ continet. Etenim igneum lumen utcumque propter diſtantiam ſit mitigatum, inque teporem foventem reductum: naturaliter tamen nequit ſiſtere, quin culmen luminis connexi non conſpiret, adeóque ad ſui ruinam ſive interitum contendat. Providit ergo Pater & diſpenſator luminum,qui in Solis tabernaculo ſedens,lumina per ſpecies, & repagula conſtrinxit. Hic ſufficit oſtendiſſe paganici erroris reliquias eſſe,ac planè blaſphemas, dixiſſe: Homo hominem generat, & Sol. Cum vita non ſit Solis: ſed ſolorum actionum ſublunarium fomenta, excitamenta,ut & impedimenta, vitæ inſervientia.

INFANTIS NVTRITIO AD VITAM LONGAM.

Liquet jam, vitam non ex aſtris eſſe: ſed ex vi ſeminaria parentum, vitam eſſe brevem, morboſam, ſanam, vegetamque. Determinatur nempe pro indole ſeminis, & truncorum, non minùs quoque ſecundùm alimentorum & climatum bonitates. Inter vitæ longæ impedimenta eſt infirma fœtus conſtitutio, infantis mala nutritio. Generato ergo & parto fœtu, ſpectanda eſt alimenti quantitas qualitaſque: cum ejus corpuſculum ali, & grandeſcere, adeóque conſtitui debeat: ſitque præcipuè jam notum, quòd ſuccus alimentarius in puero, adoptetur in hæreditatem radicalis. Natura enim deſtinavit lac in uberibus pro cibo & potu infantuli;quod ipſi alimentum cum brutis commune ceſſit. Putatum eſſet à quibuſdam, injurioſum Deo fore, ſi de alio alimento cogitemus: quaſi è mediis non ſemper elegiſſet, quod eſſet longè optimum. At ſanè eritne Deus naturæ vitricus, & natura ipſa noverca, quòd non panem nec vinum, ſed grana & uvas duntaxat fecerit? Natura regitur digito Dei. Ita eſt. Lac ergo, ut alimentum ordinarium, ad vivendum ſufficienter præbuit: non autem ut vitæ longæ inſerviret. Non enim natura amplius de vita longa eſt meditata, poſtquam cognovit authorem ſuum vitam accurtaſſe, nec velle unumquemque longævum. Lac autem unicuique ex æquo in cibum dederit. Etenim morborum exercitum in naturam miſit, ut mille mortis præcocitates, ad vitæ fundamenta vergerent in ruinam. Natura ergo per lac ſatisdat finibus ſui authoris, deditque alimentum belluinum. Sed doctrina vitæ longæ valdè eſt heteroclita: ſcioque illam inter divinitûs electos filios artis uſque in occultis permanſuram. Doctrina ergo præſens non ſpectat curſum naturæ ordinarium: ſed novam metam. Non itaque me naturæ injurium autumo, ſi inſolitum alimentum lacti prætulero. In lacte ſiquidem plurima ingruunt incommoda. Inprimis lac grumeſcens vomitiones frequentes, vermes, termina,febres,diarrhœas, epilepſias, convulſiones perſæpe profert, multaſque necis inopinas occaſiones continet. Lac enim in ſtomacho, proprio loci fermento obediens, neceſſariò aceſcit, antequam in alimentum vertatur; cui ſi novus ſuccedat lactis ſuctus, durus tenello ſtomacho lactis grumus incumbit, qui in glebas occaleſcens caſeum mentitur tenacem, non ſecus multò atque lac intra ubera non raró concreſcit, & non niſi cum apoſtemate erumpit. Quod cùm digeſtioni pertinaciter reſiſtat, ſi non etiam valdè nocuum fuerit, mox ſaltem putreſcit, amaricat, flaveſcit, virideſcit, nidorem contrahit, & pylorum alienat: unde præfato morborum clades ſæpè excitantur. Infans enim dudum ſugit, frequenter repetit. Lac primum eſt coagulatum, aliud recens intromittitur tertio ſextoque, fitque commiſtio omnium, acidumque præter naturam alienum concitatur ejulatibus, fitque coagulum commune ex omnibus. In quo heterogeneitatis manifeſta, ſequiturque recens ſuctum, ſymbolum caſeati, nidoroſi, & putrefacti. Hæc vitia fere ſunt inevitabilia, ſuntque peccata lactis materialia, quæ recens fœtus editus ex origine piare incipit, quaſi ab ortu mater inſidias, mortiſque comminationes ſuo infantulo ſtruat. Sunt inſuper alia lactis crimina, occultiori tabo pernicioſa. Nimirum nedum lues veneris, lepra, peſtes, febreſque contagio infames ſuguntur à nutricibus: verùm etiam inuritur puero à cunis propenſio morboſa nutricum, non ſecus ac ſi hæreditaria eſſet. Certè character in vitam deplorabilis. Novi quendam Præſidem ſextâ ſanaque prole beatum, cui ſeptima (quod nutrice aleretur renum calculo ſubnoxia) luctuoſa lithiaſi anno ætatis ſuæ 13. tertiâ ſectione ſub lithotomo finivit. Denique non ſat eſt morbos materiales lactis, occultas tabes morborum, radiceſque hæreditarias per lac in ſugentem tranſplantari, & pertinaciſſimè in vitam incorporari: verùm etiam vitiorum quorumcunque ſementa moralia, cum lacte intrò penetrant, ac in vitam perſeverant. Obſervavi ſic, nutricem ſalacem, furtivam, avaram iracundamque ſuam fragilitatem tranſtuliſſe in pueros. Sic inſolita in familias ſtupiditas, ira, dementia, multaque animi pathemata (etiam præter defectus morales) dudum ſomniantia, ac tandem dierum ſub maturitate explicata prodeunt, à nutricibus mendicata, & per lac propagata. Tum demum lac in nutrice adhuc obnoxium eſt, ut cadavereſcat, ſi nutrix clanculum imprægnata eſt, participat de febribus, & malis, quæ nata ſunt lac quomodolibet inficere. Tandem in horas, lac varias impreſſiones ſubit, ex omnibus animi perturbationibus, unde nedum grumeſcit, putretque: ſed & non ſenſili qualitate, induit difformitates, quas inſons infans bibit, atque piare tenetur. Non enim nutrix uno ſemper tenore animum frenat: mille ſed apprehenſionibus, iræ, triſtitiæ, agoniæ, invidiæ, laſciviæ, furti, avaritiæ, &c. perculſa ſuccumbit, quarum ſingulæ, eſt indubium, qui lac malè diſponant tam quoad corpus, quam animam. Inevitabiles enim ſunt pleræque, periculoſæ tamen. Quicunq; ergo à nativitate, vitæ longæ ſtudere voluerit, ne exponat ſuos hujuſmodi voluntariis, inopinatis, & certis periculis. Quantò magis, quod medicamen ad vitam longam ut à cunis quotidie guttatim porrigitur, ad vitam longam & ſanam, non poteſt digeri, ut neque penetrare, ſi intra craſſos lactis grumos ſepeliatur. Utpote ſic etiam venena in lacte propemodum innocua evadunt, & velut caſtrata ſterileſcunt. Odi ergo infantis nutritionem per lac intentatam. Hactenus non ſoleo lac edere niſi merum, ſolum, abſq; alio cibo potuque, donec plenè digeſtum è ſtomacho prolapſum ſit. Laudo pro puero noſtro alimenta, quæ pane, tantiſper in tenui cereviſia bullito, cum melle deſpumato, ſin minus, cum ſaccharo, inſtituitur: donec ſimul in mucilaginis, aut collæ ſpeciem, ſive gelatinam devenerint. Huic tum tantundem tenuis cereviſię miſcetur ac diluitur, quantum ſatis ut potus loco inſerviat. à pane tamen ſecalitio abſtinendum, ſi melle nutriatur, quia lumbricos gignit. Imò injecto in vas mellis fruſto illius panis, tranſit in formicas. Hoc pacto filium Comitis, inter cæteros nutriri juſſi à nativitate, qui tres fratres robore, ſanitate, ſtaturâ, ingeniô, omniq; valore longè ſuperavit, adeóque niſi in bello pugnaci manu glande transfoſſus occubuiſſet, magnæ ſpei erat. Enimverò ut præfatus cibus potuſque, eſt innocuus, non putreſcens, non coagulabilis, non contumax digeſtioni (putreſcunt enim facilè, quæcunque ab animalibus petuntur, tenerioribus ſtomachis) ut neque malignitatis particeps, vel alienæ perturbationis inſtabilis, aut inductæ vitioſæ impreſſionis hæres: ita ſemper ſibi æqualis, par & conſtans, naturæ fit familiariſſimus, non vermiculoſus, non acer, putidus aut nidoroſus, non denique acer, acutus, febriculoſus, imò nec unquam nocuus, licet quantitatem exceſſerit, nam plus minuſve dilui poteſt. Adeóque & ſine morbis creſcit, adoleſcitque infans, & fit capax remedii ad vitam longævam. Non ergo etiam malè juxta literam de Meſſia ter-glorioſo incarnato legitur, quòd mel & butyrum comedet. Unum ſiquidem continet gloriam roris cum extracto florum: alterum verò omnium pænè herbarum eſt magiſterium. Butyrum ergo, non autem lac comedet. Unde diſcretio boni à malo, & judicii acumen promittitur. Succreſcente autem dierum robore, paulatim puer noſter aſſueſcat vegetioribus atque durioribus cibis, apprimè tamen mediocritatem laudo. Quotidie autem bis ſumat guttas quatuor de arbore vitæ.

ARCANA PARACELSI.

ENimverò de fide credimus, vitam hominum abbreviatam, ex voluntate divina; peccata autem mortalium, occaſionem ad hoc dediſſe. Voluntas ſive juſſus Domini intravit in naturam, atque rationes mortis, quas non inveniebat, fecit ante diluvium quaſi ſucceſſivo ordine, vita continuò per proles immutata eſt, tandem ad centeſimum & vigeſimum annum fuit extenta. Atque poſtremò ſeptuaginta anni dies hominis: quod ſupra, eſt miſeria: præterquam in poteſtatibus, quas ad 80. pervenire voluit. Hæc eſt ergo vita brevis, vita ordinaria, ad quam homo ſponte naturæ, allatis impedimentis, fluit & pervenit: quam ex Sacris fuiſſe divino elogio ſtatutam. Radices ergo vitę brevis locum in natura deinceps habent. Inprimis mens quæ mori neſcit, non ſeneſcit. Senſitiva autē anima licet tandem inſtar lucis exſtinguatur: non tamen ipſa lux ſeneſcit, eò quod per partes aut gradus non adveniat. Si namque anima ſenſitiva, ſive ipſa lux vitalis ſeneſceret, cum pereunti huic nil addi poſſit, quod de ejus indole ſit, fruſtra de vita longa cogitarem. Seneſcunt ergo tantùm poteſtates vitales, ſub generationis initiis, cuilibet organo inſitæ. Quas non contemplor ut nudas qualitates: ſed rectores adſpicio, deficientes ſenſim in corpore aëreo: ideóque & ſpirituum poteſtates, ſequi naturam illius corporis, quod paulatim atteritur. Triſtitia enim, non ſecus atque tinea veſtem, vitam rodit; ſic & vitæ inordinationes vitam præcipitant. Homo deniq; homini lupus. Quæ ſanè vitam adhuc viridem multis demetunt. Hæ tamen non ſunt rationes naturales vitæ brevis, ut neque ſpeciei connexæ, vel innatæ brevitatis neceſſitates. Certè præter accidentarias contingentias, mediis in deliciis, circumferimus vitæ brevis cauſam. Prima namque omnium labaſcit memoria; viſus dein, guſtus, auditus & greſſus hebeſcunt. Sapere enim, non immeritò tam guſtum, quàm judicium mentale, indiſtinctim ſignificat, quod ſimul ſæpè intercidant: Guſtus autem primum deficit in ſtomacho, ob lienem. Quocirca alibi guſtum linguæ, & guſtum ſtomachi ſat diſtinxi. Mox propter inæquale partium robur, hinc inde ſenſim deficiunt officinarum innata fermenta: ſtupeſcente autem fermento lienis, conceptuum primorum poteſtas labaſcit, & pueraſcere ſenes dicuntur. Scholæ etenim memoriam pueris vividam concedunt, propter cerebri teneritudinē, facilè ſuſcipientis quælibet ſigilla: ſed cerebro per ariditatem duriore ſigillorum impreſſiones, tantò magis arduas fore, quantò ad retinenda conceptuum ſtigmata ſunt ex ariditate pertinaciores. At frivola eſt Scholarum æquiparatio, quod cerebrum ſe haberet per modum ceræ, ut neque cogitationes ſigilli vices exprimunt. Nam inprimis vix decem ſigillis aptus locus eſſet. Etenim ſi ſigilla ejuſmodi tam corporalia eſſent, ut deberent ſequi diſpoſitiones & alterationes cerebri, neceſſariò ſe ad extenſionem loci quadrabunt, eò quod locus à corpore difficilius ſequeſtretur, quàm eſſe durum aut molle: dicantque ergo Scholæ, quantam extenſionem ſingula conceptuum ſigilla in cerebro requirant? an memoria pro ſigillo concepti equi majorem locum in cerebro exigat, quàm quæ eſt muris aut muſcæ? ergo & conſequenter extenſio loci in cerebro pro equo quoque decies millies major eſſet, quàm pro mure, adeóque cerebrum totum vix memorandis duobus ſufficeret equis. Ut cum locus deficeret, potiùs recordarer medii bonis, quàm integri. Imo longè melius recordarer rerum hinc ab uno anno præteritorum, quàm quæ quandoque in pueritia mihi obvenerint. Vidi enim puerum, qui ſecundum Æneïdos memoriter didicerit, qui vix centeſimum verſum intelligeret. Adeòque ſingula verba requirebant totidem ſigilla & horum locos Sin verò nullum locum ſigilla conceptuum requirerent, nec extenſionem ſui, in cerebro occupent. Ergo nil ſigillatur, nullumque eſt ſigillatum, & hebes eſt Scholarum comparatio. Nimis enim lutoſæ ſunt Scholæ, quæ munia vitalium aut principum poteſtatum, qualitatibus primis aut ſecundis adſcribunt. Sed quid agent miſeræ, ſi vix digitum ab hiſce corporum accidentibus ſe offerre auſint? neglectis igitur duritiei, ariditatis & teneritudinis reſpectibus ſcholaribus ad cauſam brevis vitæ devenio.

Dixi nimirum ex labaſcente poteſtatum vitalium vigore, vitam neceſſariò ac proportionaliter diminui. Vnde verò ipſæ poteſtates velut obducta ferrugine ſeneſcant, ac paulatim deſinant, repetam. Quod ſanguis atque cruor tandem ſucceſſivè tranſmutentur in nutrimentum alendarum partium, abſolutaque accretione adoleſcentiæ irroretur quidem ſuccus inde paratus in ſingulas partes ſolidas, iiſque agglutinetur mucilaginoſus aliquis atque ſpermaticus liquor: ſed non ampliùs dudum cum iis permanet: Sed conſumtus, confectuſque partium fermento non ampliùs coagulante (prout alias ſub accretione fieri ſolitum erat) exhalat totus abſque reſidentia, fece, aut reſiduitate reliquiarum. Iſte ergò eſt cruoris epilogus. Quod tandem in ſuæ tragœdiæ finem, exhalatione tenus totus expellatur, per inſenſilem tranſpirationem, poſtquam functiones humectionis obierit. Itaque dum jam liquor ille per intima commiſtus, perfunctaque digeſtione, effluviotenus exhalat, non poteſt non indolem excrementi aſſumſiſſe. Unde æquè inevitabiliter conſequitur, Vitalem inhærentem, & viſceribus conjugatum ſpiritum, ſimulque ejuſdem poteſtates inſitas, continuo neceſſitatoque ſuffitu hebetari, alienari, atque tandem exſtingui. Hæc eſt igitur vitæ brevis cauſa continens ac naturalis. Conſideratio ergo vitæ longæ tota, circa conſervationem poteſtatum vitalium verſatur. Non eſt enim ſat, cunctis membris cruorem adeſſe, volupe ſuo cruore deſiderato ali. Neque iterum ſufficit ſpiritum inſitum hactenus ab influo ſat recreari, continuata nutritionis ſubſtitutione. Nil enim in vitæ palæſtra actum, niſi poteſtates ſeminales, characteres inquam vitales, ab exitio præſerventur jam commemorato. Alioquin enim ſpiritus ad nuditatem reducuntur, & attenuantur, unde dies noſtri neceſſariò abbreviantur. Siquidem ſenſim characterem poteſtatum, ſive dona ſeminis amittit, fit ſpiritus non animantati, ſive Gas inſtar. Non enim etſi in figuris & machinis deficiat motus perpetuus, eò quòd non ſit in viribus moventibus proportio ſubſecutiva majoris ad minus requiſita, ut aliquid moveat aliud: at ſanè hoc locum habet in rebus, quę ſeipſum non moverit, neque movendo accreſcere aut roborari valent. Ideoq; conſideratu indigna in rebus ſeminalibus. Siquidem generationes naturales in mundi uſque finem conſtantes ſufficient, ut nimirum ſpecies, harumque robora perſeverent integra, ſemenque nequaquam imminutum de ſe gignant. Per conſequens etiam, ſi quadragenarius generet ſibi prolem ſimilem: poterit vita quadragenaria continuari in vigore ſibi adoleſcenti coæquata, niſi vitium rupti fili aliunde irruat, ut dixi. Studioſè itaque indagandum, an in natura ſint ſperandæ reliquiæ arboris vitæ, vel ſuccenturiatæ ſubſtitutiones: per quas ſcilicet, quicquid demum è nobis evaneſcit, illis poteſtatibus ſit vice fomenti, nec ampliùs ſortem excrementi, triſti ſuo ſuffitu, præ ſe ferat. Qualitatem autem præfati noſtri ſuffitûs, nedum in odoribus ſudorum quorundam agnoſcere lubet; ſed præſertim, quod cimices, pediculi, pulices, ſimileſque inſectæ inde procedant: mera nempe ſpurcitiæ & fœtoris proles. Mihi inprimis inutilis quæſtio viſa eſt. An hortus Eden, ejuſque arbor vitæ deſierint, an verò etiamnum hodie perſiſtant? & ubinam locorum? An Enoch, Elias, & Joannes, ibidem ſub angelorum conſortio etiamnum vivant felices, extra ſenii & infirmitatum incommoda. Sat mihi. Arborem vitæ à creatione incepiſſe; In natura fuiſſe: non autem fabuloſam, aut parabolicam. Sufficit illam mortalibus ignotam fuiſſe atque fore, adeóque & impoſſibilem ejus adeptionem nos ſpe privare. Interim ſuccedaneam plantam inveſtigo, licet multis numeris inferiorem. Imò dubium non eſt, quin, ſi aliqua ſit in hac valle miſeriarum, quæ vires primitivæ illius arboris vires refert, locus ad vitam longam ſuas contribuat partes, tam reſpectu plantæ, quàm hominis illa utentis. Eandem namque plantam pro varietate natalitii ſoli, nobilitari, vitamque noſtram per loca melioris ſucci alimentarii, ſuavioriſque aëris potu prorogari, ipſa pro me climata fidem faciunt. Nec enim credendum, id favore cœli prorſus contingere, eò quòd eodem gradu diſtantiæ ab æquatore, atque eadem prorſus ſub orbita cœli, partes ortui ſuppoſitæ, nobiliores fructus proferant, quàm quæ ad occaſum magis declinant. Quinimò ſub eodem circulo multa ſæpè varietas propè conſita eſt. Quas ambas tamen partes idem cœli adſpectus eodem motus nunc, quotidie afficit. Pro monente Paracelſo etenim erecta eſt medentum quorundam ſpes ad vitam longam. Quiſque enim ſibi pollicetur Adeptum vitę longę ex ejus ſcriptis, ſi non tanta tenebricoſitate verborũ ſua deſcripſiſſet. Quapropter plurimi indagant nominum novitates obſcuras ſibi ſignificari: alii etiam operandi ſimplicem ejus ubique & accurtatam meritò ſuſpicantes deſcriptionem, apertiorem methodum operandi exoptant. Nemo autem detecta larva ad fundum rei, promiſſæque veritatis baſin fodere eſt aggreſſus. Quiſque enim vel irridet, vel deſperat, vel nimium credulus ſuſpenſo naſo cuncta admiratur. Si tamen meliores illis, quod ſibi non præciderint viam ſpei. Nemo tamen mediam viam elegit: nempe dubitandi & indagandi, quantum veritatis pollicita contineant. Enimverò Paracelſus, ſe extremum ſenium, per elixir proprietatis aſſecuturum promittit, datumque cœlitùs ſibi mortis deligere ſortem atque horam jactitat. Sed vana ſunt ejus vitæ longæ oſtentamina, cognitio, & mortis electio, qui interim anno ætatis ſuæ 47. exſtinguitur. Stupent ſui interim, miranturque, quo morbo, caſuve, adhuc floridus ætate ſit abreptus, lapidis illius chryſopœi verus compos, quiq; graviorum morborum myriades paſſim, velut falce demetendo, Herculis clava trucidavit? equidem neminis apologum ago. Fateor lubens, me ex ejus ſcriptis profeciſſe multum: illumque potuiſſe per remedia ad unitatis ſymbolum adſcendentia, ſanare lepram, Aſthma, Tabem, Paralyſin, Epilepſiam, Calculum, Hydropem, Podagram, Cancrum, atque ejuſmodi vulgo incurabiles morbos: attamen Paracelſum fuiſſe ignarum radicis vitæ longæ, tam ex ejus ſcriptis & medicaminibus, quàm ex obitu, collegi. Siquidem renovationes atque reſtaurationes, quibus paſſim, multóque ſæpè gloriatur meritò, duntaxat ſunt purgationes partium continentium, cum contentarum correctione, & proſcriptione. Atque hactenus fuit morborum ferè omnium vindex, & ſanator. Attamen medicamina ejus arcana, non tam reſpiciunt vitam longam, quàm ſanam, hujuſque commoditates. Etenim pili, ungues, ac dentes renovantur, hi etſi duriſſimi, primi tamen carnem ſentiunt. Adeoque non fruſtra ſcriptum, Moſen omnes dentes habuiſſe anno 120. ſuæ ætatis. Etenim quatenus obſcurè vivunt, ſuam extra ſe culinam habent, facillimè quoque putrent. Forte enim Ægyptus, & loca vicina id ſibi ex proprietate habent. Memini ſiquidem de Mumia Memphitica principem Radzivilium Polonum ſic ſcripſiſſe. A tribus annorum millibus, abſque minima alicujus membri putrefactione, ejuſmodi corpora in hanc uſque diem conſervantur integra. Tanta autem eſt horum cadaverum multitudo, ut pauci ſint, qui faſtidium omnia videndi perferre valeant. Aromatum & unguentorum pinguedine adeò condenſantur, ut in modum picis indurata reſplendeant. Cerebrum præſertim, muſculi, & ſcapulæ carnoſiores: nam pectus, manus & pedes, cum modicum carnis habeant, & in modum membranæ extendantur, mumiæ non deſerviunt. Quantum narium judicio colligi poteſt, Myrrhæ multum hiſce unguentis admiſceri debuit. Saltem unguenta iſta oſſibus mirum candorem conſervant. Circa antra extrinſecus magna vis oſſium projecta jacet, à quibus mumia ablata. Inter quæ non obiter, nec brevi tempore contemplabamur calvarias, & inferiores maxillas, ubi dentes fixi: nullam omnino invenimus, quæ vel unum dentem carioſum, aut aliquam evulſionis notam haberet. Ita in omnibus maxillis erant pleni, ſinceri, & candiduli. Inter tot enim centurias maxillarum, erant & ſeniles, quibus dentes breves & attriti (quales in ſenibus videntur) at quæ dentem ullum putridum, cavum, foraminoſum, aut ſignum elapſi haberet, erat nulla. Unde colligo primum: Moſen potuiſſe naturaliter omnes dentes habere. 2. Quod ut frigida nocet dentibus: ita & aër frigidus noſtras, dentibus ſit hoſtilis. 3. Quòd ideo Æthiops & Hiſpanus candidos habeant dentes. 4. Conſolationem capio pro Belgis, ex ejuſdem Principis verbis. In Cairo, ex vulgo recenſitis ad ſeptem milliones feruntur, ex Judæis ad unum millionem & ſexcentos mille, numerum adſcendiſſe: mulieribus & pueris computatis. In tanta autem hominum multitudine, vix tertia pars viſum integrum habet. Omnes oculis paſſim laborant ex eſu fructuum, & aquæ potu ſuperaddito. Cæterum 5. non prorſus fruſtra Paracelſus de elixire proprietatis, ex croco, myrrha, atque aloë, præparato, ſibi fiſus eſt, modò non erraſſet in ejuſdem præparatione: ſed per modum arboris vitæ illud medicamen confeciſſet. Nam ut myrrha mumiam cuſtodit à putrefiendi aptitudine, ſi myrrhæ aditus ad noſtri conſtitutiva detur, non erit caſſa myrrhę ad vitam longam authoritas. Quoad renovationem verò tantoperè à Paracelſo laudatam, quæ pilos, ungues, denteſque renovat cum omnium morborum excluſione. Pili ſanè & ungues, ut ſponte quandoque decidunt: ita & quavis ætate facilè ſuccreſcunt, eſtque illorum renovatio parvi momenti. Vidi quoque anno 63. ætatis ſenem, & vetulam, quibus quondam amiſſi dentes ſponte renaſcebantur, etiam cum doloribus puerilibus. Nullam tamen denotabat vitæ longævitatem: eò quòd uterque eodem anno oppetierit. Multos enim in ſpem vitæ longæ erexit promiſſio Paracelſi, de renovationis repueraſcentia. Putarunt nimirum, ex dentium & unguium renaſcentia, repueraſcentiam neceſſariam: potiſſimum quòd canitiem ſenii indicium exuerent, priſtinuſque capillitii color rediret. Sed ſuus error ex indiſtinctione fuit. Meminit nempe Alexander, ſe vidiſſe octogenarium, cui novelli dentes quotquot deficerent, ſuccreſcerent: at non proinde ejus longævitatem commemorat. Et quanquam potuiſſet per accidens ſimul longævus fuiſſe: cum tamen unum non contineat aliud in radice, ſive cauſis neceſſariis: elenchus fuit, ex uno aliud per ſequelam deducere. Natura quippe, non rarò ſponte molita eſt ejuſmodi renovationes, ſub quibus interim filum vitæ longæ abſcidit. Non abſimile eſt enim, quod pirus quotannis renovetur frondibus: non tamen, quod proinde ſit iſta arbor longæva: terebinthus, aut cedrus, aut abies, brevioris vitæ, Imò nec pyrum mutuatur ullam vim vitæ longæ, quod ſua arbor quotannis renovetur. Renovatio itaque medicaminum, Paracelſum decepit. Quippe quæ tantùm ſanitatem, propter intimam ſimilarium atque ſupremam mundificationem arguit: non autem radicem vitæ renovatam, aut vitæ inde prolongationem. Decepti enim ſunt, quod cervus cornua, & anguis ſenectam exuant, ſintque bruta longæva. Ideóque renovationem iſtam in cauſam longævæ vitę retulerunt abuſivè. Nam cancri, araneæ, cicadæ, & inſectæ brevioris vitæ ſæpius contingit pellem exuere. Ex oppoſito autem cervus caſtratus cornua non mutat; quia nec facit nova: non deſinit tamen propterea eſſe æquè longævus. Cervus etenim non abjicit cornua ſub autumnum aut hyemem, dum ad majorem quietem ſe componunt belluæ: ſed dum novo ſurculorum germine paſcitur, cui renovativa ſui germinis ineſt: ut & in cervos, non autem in boves transfertur. Eò quòd ſtomachus cervi proprio ac ſpecifico fermento, conſervat germinativam ſurculorum vim, traducitq; in vitam mediam cervi. Quod caſtrato cornubus carente non accidit, ut eunuchis barba negatur. Renovatio itaque hujuſmodi, eſt quidem effectus vegetioris vitæ: non tamen inſeparabile vitæ longæ indicium, ut neque cauſa conjuncta. Nam nec renovatio neceſſariam vitam longam habet adjunctam: nec viciſſim vitæ longæ eſt adnexa renovatio. Ut patet in cervo, anſere, &c. Eſto ergo, quòd Paracelſi arcana ſingula univerſas propemodùm tollant ægritudines; ungues, pilos atq; dentes renovent: nequeunt tamen inprimis robur inæquale deficientis alicujus partis adæquare: multò minus poteſtates deficientes ab interitu vindicare. atque omnium minimè eaſdem reſtituere in vigorem juvenilem. Ergo ejuſmodi arcana non reſpiciunt poteſtates organorum, ut neque vitam longam inde dependentem: ſed tantùm ſummam membrorum omnium depurationem: atq; hinc natam ſanitatem. Morbi nimirum univerſi, qui vel è ſordibus emergunt, in ipſis ſordibus latent, vel demum ſordes ſuo contagio ulteriùs propagant, ſanantur per præfata arcana: non autē, qui primariò poteſtates vitales concernunt. Non inquam qui debilitatem innatam vel acquiſitam, è morbo vel ſenio continent cum poteſtatum diminutione. Hujuſmodi namque non niſi per remedia vitæ longæ in priſtinum redeunt. Neque tamen perfecta & impleta redintegratione in priſtinum. Nam hoc immortalitatem abſolutam alioqui concluderet. Etenim quæ à crapula, Venere &c. debilitates ingruunt, per arcana Paracelſi tantillum reſtaurantur; at non niſi comite infirma naturâ. Inſanie enim ex mala conformatione nequicquam reſtaurantur: Illæ autem, quæ ex inſigni ſuperbiæ thymoſi exortæ ſunt, continuò de recidiva metuunt. Alioqui verò phrenitis, delirium, caducus, uterina veſania, hypochondrii mania, & quæcunque ex impuritatis aliqua ſobole fit, perfectè & completè ſanantur remediis Paracelſicis. Maniæ ergo, quæ ab inſigni arrogantia prodeunt, ſanantur quidem confeſtim; ſed cum metu minoris alicujus recidivæ, quia iſtæ arguunt poteſtatis Imaginativæ merum defectum: ideóque ita ſemen contaminant, quod in aliquot generationes deinceps tranſlatæ non rarò eluceſcant. Sic etiam ebriorum filii ſæpè vitiatarum poteſtatum retinent indicia, quaſi filii, paterni criminis hæredes, pœnas luere debeant. Hoc eſt, fortes generantur fortibus & bonis. Et viciſſim mali corvi malum ovum. Sunt namque ebriorum filii plerumq; ſtupidi, indagandis rebus ſomnolenti, conceptuum tenaces, temulenti in agendis, & facile in vitia abductiles. Saltem non dubito, Paracelſum ſuis arcanis uſum, utpote qui videret nedum felices ſanationes ſuccedere: verùm etiam aliquot diutiùs uſos, fuiſſe renovatos pilis, unguibus & dentibus. Veruntamen cum illi non fuerit vita longa, teſtimonio nobis erunt ſua præfata arcana, de lato judicio meo. Enimverò circumfertur Teſtamentum Paracelſi; quod quia contradicit publicæ authoritati, ex ipſius epitaphio deſumtæ, quod ſpectatur in noſocomio Salisburgenſi, in muro ad S. Sebaſtiani aram, quodq; bona ſua in pauperes diſtribuenda, honorandaq; collocaſſe memorat: ideo illud Teſtamentum à Paracelſi oſoribus fictum credo. Alii proinde iſtius farinœ aſſerunt Paracelſum, pacto cum ſatana termino, plena in ſanitate obiiſſe. Quod contradicit præfato Teſtamento, ex ore hoſtium publicato. Quo videlicet dicitur, ipſum aliquot dies ante mortem morbidum fuiſſe. Actuſq; ille tanti reatus contradicit, quòd pauperibus tam fuerit benevolus. Sunt & alii quoque, qui illum toxico ſublatum ajunt. Cui cum remedia non minus quàm ad alios morbos cognita, & in promtu eſſent, ſupponunt illum adamantis pulvere, perceſis inteſtinis interemtum. Ego verò nullatenus admiror immaturam mortem viri, ab adoleſcentia ſolliciti, circa arcana chymica. Maximè ſi quos vitæ ſuæ incurios indagandarum ſcientiarum nimia curioſitas, diu noctuque anxit. Quem enim mortalium non inficiant carbonum ſuffitus? aquarum fortium, gradantium, & arſenicalium? Itemque antimonialium nova indies examinatio? quæ per longa annorum tædia experiundi, nondum experti haurimus, de malignitate illorum, non niſi per experientiam ſeram admoniti. Quid enim ſecus agat curioſulus, nec trepidus tyro, in arte tam abſtruſa, aliumque recuſante didaſcalum præter torturam ignis? Ubi ſcilicet artis theoremata ex voto obſcurantur: non quidem ut ſciantur abrupta: ſed potiùs ut neſciantur? Intellectus enim datur electis tantùm per longam dierum & operum præparationem, ſufficiente ſanitate & pecuniâ inſtructis, neque criminum gravamine indignitatem meritis. Concedo univerſales aliquot medicinas, quæ ſub uniſono naturæ longæ gratiſſimo, inſenſiliter poſt ſe vinctum educunt hoſtem, cum egregia organorum depuratione. Concedo pariter appropriatas aliquot, quo univerſalis amplitudinem, in ſpecificis morborum directionibus æmulantur, peregrinam impuritatum ſocietatem demunt, contractoquejam vitio planè dominantur, non ſecus atque ſecuris ſecure arborem vellit. Index arcanorum Paracelſi eſt.

Inprimis tinctura lili, ab electro minerali immaturo in vinum vitæ redacta, cujus una pars eſt metallus primus: altera verò, membrorum eſſentia.

Sequitur dein mercurius vitæ, ſtibii proles integri, quæ omnem morbi nervum penitùs abſorbet.

Tertio loco eſt tinctura lili, etiam antimonialis, ejuſdem penè efficaciæ cum præcedenti, quanquam minoris efficaciæ.

Quarto loco eſt mercurius diaphoreticus, melle dulcior, & ad ignem fixus Solis horizontis omnes proprietates habet. Perficit enim, quicquid medicus & chirurgus poſſint optare ſanando: non tamen tam potenter renovat, ut præcedentia.

Eminentior eſt ejus liquor Alkaheſt immortalis, immutabilis aqua ſolvens, & ſal circulatus ejus, qui reducit omne corpus tangibile, in liquorem ſui concreti.

Succedite elementum ignis è cupro, elementum ſive lac margaritarum. Eſſentiæ autem gemmarum & herbarum, ſunt præfatis longè minora. Tandem ſalia volatilia, herbarum & lapidum præciſam particularitatem referunt, neque univerſalium efficaciam attingunt.

Corallatus verò, qui unicum eſt purgativum per ſedem, ulcera pulmonis, veſicæ, laryngis renum purgando ſanat, adeò ut & podagram funditùs evellat. Eſt nimirum mercurius vulgi, à quo liquor Alkaheſt ſemel diſtillatus eſt, reſidetque in fundo coagulatus & pulverabilis, nequicquam in pondere auctus aut diminutus. à quo pulvere cohobanda eſt aqua albuminum ovorum, donec coralli colorem acquiſiverit. In ſpiritu abjecto laudo Dominum rerum, quod parvulis hujus mundi ſua arcana revelet, clavumq; perpetuò regat, ne in indignorum manus hæc ſua beneficia incidant. Deprehendi itaq; arcana Paracelſi morbos tollere: ſed ad radicem vitæ longæ non attingere. Deprehendi quoq; remedia mineralia, utcumque ad ſummum gradum deducta, inepta tamen eſſe, ut conſtitutivis primis cedant in alimentum, eò quòd reſervent vitam mediam concretorum, unde educta ſunt. Eatenus namq; non deponunt unquam prorſus indolem mineralem: imò & propterea recedunt à tenore vitæ longæ. Imò neque unquam facilè inducar ut credam, lapidem philoſophorum nobis vitaliter uniri poſſe, propter ſui ſummè immutabilem ſubſtantiam, incredibiliter fixam contra ignis torturas, indiſſolubiliter homogeneam. Id eſt, propter ſeparationis, deſtructionis, & digeſtionis omnimodam impoſſibilitatem. Tantum abeſt, quod ad vitam longam faciat. Subſcribunt mihi hiſtoriæ, Neminem qui lapide illo ſit potitus, vitâ longâ fruitū: ſed multos, ob pericula laborando perpeſſa, vitam brevem manſiſſe. Cæterùm neque ſperent mangones, cibos potenter nutrientes, vitam longam præſtituros. Etenim quamvis convaleſcentibus robur præbeant: nutritos tamen dein enervant. Quod Cæſar etiam teſtatur. Etenim teneriores cibi facilè abſumuntur, carnes teneras

eſſiefficiunt, & majori nidore poteſtates vitales ſuffumigant. Medentum ſtudia autem circa culinæ delicias,quas partem diæteticen nominant, verſantur, in errorem putando abducti enim ſunt. Vt ſi victus euchymus atque tener debita doſi convaleſcentibus proficiat. Putarunt & robuſtiores eodem cibo multipliciter alitos, in ſummam roboris auctionem elatum iri. Non enim in cibando proceditur, ut in arithmetica, ubi 10 libræ elevant novem; & per conſequens, 100 libræ nonaginta. At non proinde, qui plurimum edit, bibitque affatim, potentior fiet, quàm qui moderatior vixerit. Siquidem natura non tam ſervat proportiones numerorum, atque proportiones poteſtatum rerum alterabilium, ad poteſtatem ſui Blas. Vtut eſt, ſaltem Medentibus ad vota ſuccedit. Quoniam copia cruoris, excrementa parit, advocantur Medentes adeóque regulas victûs ſibi ſaltem profuturas imperant, vitamque abbreviant, in medicè atque miſerè viventibus.

MONS DOMINI.

QVis adſcendet in montem Domini ? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus ? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Verba ſonant æternam beatitudinem. Sic eſt.Attamen nil impedit,quin iſta figuralis atque typica locutio, ſecundùm literam etiam ſui veritatem explicet. Cum neceſſe ſit, typum correſpondere rei per typum ſignificatæ. Equidem ſemper obſervavi, omnia Dei myſteria ferè in montibus celebrata. Iuſſus eſt enim Abraham ſcandere montem, & ibidem ſuum unigenitum ſacrificare, in typum ſacrificii in monte calvariæ. Iuſſit Deus Moſi ad montem adſcendere,ut illum alloqueretur.Deditque illi Legem. Et collocutus Moſes facie ad faciem, per dies & noctes quadraginta. In Oreb transfiguratus eſt Dominus, &c. Quæ cuncta in deſerto fieri poterant, poteratque Deus exercituum circumdare Moſen fulgure & ignibus,tam in plano, quàm in monte, ne quiſquam mortalium appropinquâſſet : ſed mons ſemper electus ex privilegio. Et benedictio à Domino promittitur in adſcenſu ad montem Domini. Etenim poterat Dominus breviori morâ Moſi ſignificare ſua placita : nec opus erat diebus & noctibus quadraginta continuis, niſi etiam mora ſuo pondere (etenim mora in naturalibus requiritur ad juſtam rerum maturitatum efficaciam) aliquod occultum myſterium deſignaret. Naturaliter enim,intelligo in montibus malignitate endemica carentibus eſſe nedum aërem puriſſimum, procul à fœce & corruptione remotum, à vulgo, erroribus, & defectibus ſegregatum,& propter frigora depuratiſſimum ab omni inquinamento : verùm etiam ibidem eſſe locum, quorſum per magnalis continuitatem, expeditiſſima cœleſtium irradiatio eſt : quia ætheris puriſſimi potatio. Memini enim,uno mane me jejunum ſenſiſſe in Alpibus ſuavitatem inſpirati aëris, quem antè vel pòſt,totâ vitâ nunquam. Certum eſt etenim, quod Omnipotens tantum Gibbum in natura non fruſtra condiderit. Certumq; eſt, omnes mundi divitias è montibus erui. Deinde optimi fontes atque celeberrima flumina nobis è montibus ratione declivitatis verſantur.Denique omnes nationes monticolæ,durioris ſunt corporis, vitæque vegetioris, aliis qui campos amœnos colunt. Qui effectus ſuis cauſis conſtant, quippe ſuavior puriorque aër ibidem inſpiratur,&Gas omne ſuis privatum ſordibus, redit in materiam puram aquæ. Sed quod Deus in cumulum attollat tantam, vel ipſam terræ faciem,vel ſuper eandem conſtruxerit tot ſaxa, vel in unum ſaxum conjunxerit,nec tamen aliquo minerali ditaverit, cujus reſpectu videretur tantam molem congeſſiſſe,nec fontes depluat, nec fructus denique tantis finibus dignos refuderit : ſed ſupra omnem aëris atque nubium turbulentias, turbines ventorum atque fulminum portenta exaltaverit, in placidiſſimam aëris quietem. Certè id mihi inſigni myſterio dicatum videtur. Benedictio enim antiquitùs promiſſa ſpectabat plerumq; vitam longam, ejuſque commoditates,& prolium fœcunditatē (ut ſis longævus ſuper terram &c.)Benedictio ergo adſcendentibus in montemDomini, juxta literam,in natura ad vitæ longæ dotes ſpectare videtur. Ille enim, qui ſolus totusque vita eſt, ac Princeps vitæ, nemini ſaltem dat vitam longam, ne quidem per media naturalia, qui in vano animam ſuam acceperit. Ergo benedictio adſcenſionis in montem Domini, vitæ longævitatem continere videtur. Singularem itaque Montis Domini imaginem atq; vitæ longæ promittere videntur illi montes excelſiſſimi, qui nullius fructus ergo, naturæ donati leguntur, quique ad ſuavitatem imperterriti aëris pertingunt. Idque ſingulari aliqua præ cæteris montibus prærogativa, utque illo quaſi jure, montis Domini nomenclaturam habeant. Etenim ſi ſupra omnes incidentias inferiorum pertingat, ſingulariter mihi promittit, Deum ibidem eſſe peculiari modo. Qui enim non erat in turbine venti; ſed in aura ſuavi, ab Elia eſt perceptus: ille, ille (inquam) ibidem ſuum habet domicilium. Id eſt, Princeps vitæ ibidem ſuam benedictionem dat. Non quidem quæ paucis horis communicetur: ſed revolutione quadragenarii (per duo ſcilicet plenilunia) Moſi in monte Sinai ſignificata. Etenim qui ſingulis annis, circa feſtum Scenopegiæ in monte quietis, continuo morari per quadraginta dies poſſet, accerſitis ſibi aliunde vivendi commoditatibus, multum auguror ipſi profuturum in vitam longam, ſi ibidem præſertim, medicamento ex arbore vitæ parato, quotidie refocilletur: eò quod tali monte, ob inſignem aëris puritatem, major ſit commiſtio alimenti ad alitum, & penitior ad prima conſtitutiva acceſſus. Denique, quanquam excelſiſſimi montes privilegium vitæ longæ præ ſe ferant: minùs tamen alti, aliquid ſingulare promittunt, ex ſenſu in Alpibus percepto. Semper tamen rejicio montes, qui minerale aliquod ſpirant. Etenim in Chymicis, propterea arſenicum, nomen fumi metallorum eſt ſortitum. Quibus autem daretur commoditas vivendi in monte ſano, & non fructibus mineralium gravido, illi certè gauderent beneficio vitæ longæ, quantum loci natura tribuit.

ARBOR VITÆ.

Cogor credere lapidem aurificum, & argentificum eſſe: quia diſtinctis vicibus manu mea unius grani pulveris ſuper aliquot mille grana argenti vivi ferventis, projectionem feci, adſtanteque multorum corona, noſtri omnium cum titillante admiratione, negotium in igni ſucceſſit, prout libri promittunt. Non erat autem extractum ex auro, quod totidem argenti vivi pondera commutaret, quot erant auri, unde extractum fuiſſet. Inprimis eo dato, adhuc ſaltem ſtaret vera unius in aliud tranſmutatio, ac quidem multiplex. Secundò, norunt aurifabri, & monetarii, quod nihil, quod non eſt mercuriale, poſſit per fluxum ingredi in metalla, aut colliquari cum illis: ſed ſupernatet in fluxu. Igitur Tertiò, eſſet iſtud extractum pinguius, quàm ſit ullum metallum, ſi tot millenas partes debeat tingere. Quartò. Non eſſet illud extractum ampliùs metallum, cum tot mille vicibus ſuperaret perfectionem puriſſimi metalli. Non etenim metallum patitur totidem gradus amplitudinis in ſui perfectione, quot vicibus pulvis chryſopeius convertit inferius metallum, in verum aurum. Quintò. Ille qui mihi primum dabat pulverem aurificum, habebat ſaltem & ad minimum ejus tantundem, quantum ad ducenta millena librarum auri commutanda ſat forent. Nemo autem eſt, qui decuplo plus auri habeat; ac ſi haberet, deſtrueret ut inde demum auri tantundem conſtrueret. Sextò. Dabat enim mihi forte ſemigranum illius pulveris, & inde unciæ 9 atque ¼ argenti vivi, tranſmutatæ ſunt. Iſtud autem aurum dedit mihi vir peregrinus, unius veſperi amicus. Vtcunque ergo lapis Philoſophorum ſit revera in natura: attamen ob rationes ante dictas, ſemper ratus nullum remedium metallicum continere benedictionem arboris vitæ. Fateor interim lubens, quod lapis ille vitæ zoophytæ in ſuis initiis ſit particeps, eamque habeat diſtinctam à vegetante & ſenſitiva, quæ ſit vita hactenus anonyma. Nam juxta Sapientum univoca ſcripta. Principiis lapidis, ſemel ovo vitreo conjunctis, ſi vitio interrupti fotus, ſemel contingat vel pauliſper planè refrigerari: ita emoriuntur, ut non ſit ſpes reſidua futuri lapidis: quod & in ovorum fotu ſimiliter evenit. Adeóque hæc tum pari vitâ, cùm initiis lapidis vivere credendum cenſui. Eſtque vita vera, quam mors vera teſtatur. Quippe quod nullis unquam laboribus is error ſit corrigibilis, ſemel ſic mortuo, de cætero nulla reſtitutionis ſpes relinquitur. Scio denique arborem vitæ fruſtra ex animalibus utcunque longævis quæri. In quibus omnibus ſpontaneam mortem, corpus caducum, atque in horas labile, ſive viam omnis carnis inveni. Quomodo enim dabunt, quam non in ſe continent vitam longam? Cùm ſi ſint longæva, vitam ſaltem ſuam exuerunt, dum in uſum aſſumuntur? Aliquando intuitus lapides, quod intra ſe quandoque viva animalia continerent, per luſtra vivant, cuſtodianturque abſque alimenmentis, ab interitu. Paracelſus totum lapidum acervum, Mundumque univerſum, quandoque unicum fuiſſe autumat lapidem, aut univocum ſaltem liquorem petroſum, qui in metalla, pyritem, ſaxa, lapides, & ſales ſenſim diſtinctus, vitalitatis initia, per multa reptilia dederit. Adeóque ſi bufones & ſalamandras per ſeculum forte detineant viva, abſque cibo, ac velut alto ſopore ſtertentia, dubitavi an lapides animantum iſtorum thecæ, & matrices, eſſent vitæ longæ participes. Sed ſuaſit Scriptura, reptilium vitam nobis horridam & odibilem. Quapropter ad pretioſiores gemmas reſpexi. Veruntamen nec in illis vitæ longæ veſtigia reperi, ſive eſſentiæ eſſent, ſive demum illarum magiſteria. quia immediatè primis noſtri conſtitutivis nequeunt aſſimilari, vel adjungi: vel ſi tandem adjungantur quadantenus, & quantiſper creſcimus: ſaltem ſpoliantur longævitate priſtinâ, more aliorum alimentorum, naturam à lite carnis induunt, & ſequi coguntur. Didici itaque gemmas, utut medicâ poteſtate dotatæ eſſent, ad vitam ſanam facere: nunquam tamen prorſus exuere mineralem indolem: adeóque nec commiſcibiles primis conſtituentibus. Imò tametſi commiſcerentur, tamen vitæ longæ non inſervirent. Quia quicquid non reficit poteſtates vitales, non obviat etiam inteſtinis mortis neceſſitatibus, multóque minus ſi reluctetur conjugio ſolidorum noſtri. Aſt herbæ aromaticæ, ſuis conſociis hanc palmam eriperent, ſi arbor vitæ herbacea eſſet: quatenus gratiores & ſpiritualiores. Defœcatiſſimus autem liquor, & quicunque totam herbæ craſin continet: attamen ſingularitates, & ſanationem duntaxat reſpicit, eò quòd concretum unde manavit, ipſum in ſe non ſit vitæ longæ particeps. Liquor enim, qui ſuum concretum, cui ab initio per minima nupſit, ab interitu præſervare neſcit, quo pacto vicibus ſuis ſpoliatus poterit carnem noſtram, mox feſtinanti putredine diffluam, à morte cuſtodire? Atque adeò hinc cœpit mihi arbor vitæ haberi immortalis, non ſenio, non ætatum incommodis obnoxia, quodque nulla contineret admitteretve excrementa, multóque minùs progigneret eadem. Verum potiùs excellentia quadam averruncaret, ſi qua ſemel quandoque incidiſſent, propter propellendi & repulſandi virtutem. Atqui cum veneno ſit geniale, bonum in malum convertere corrumpendo; viſum fuit mihi arborem vitæ indagare, in qua ipſamet venena morerentur, ſuperata per bonitatem arboris: quare etiam reſpueret nondum admiſſa. Quæque ſemel admiſſa eſſent, corrigeret atque ſuperaret. Etenim ſi non deberet admittere excrementa, quæ infimi gradus quædam ſunt venena: multò magis avertet, retundet, & debellabit, quæ altioris ſunt & manifeſtioris hoſtilitatis. Id enim niſi fecerit, vanum ſibi nomen arboris vitæ aſſumet. Obſervavi, pullos jumento, & caballo vetere generatos, citò effœtos, in vitæ vigore languidos, puteoſque ſupra oculos profundiores habere, quàm qui caballo juniore prognatus eſſet: Salicem verò veterum, nova dare vimina, nihilo ſteriliora ſi plantentur, viminibus novi trunci. Itaque reperi, unà cum animantium ſemine ire ſenectutem in proles, non autem id tam facile manifeſtum in fœtu arboreo. Imò ſi vita longa quibuſdam beſtiis ineſt, ſic eſt concluſa, ut ſingularitatem non exeat, & non extra ſpeciem ſit communicabilis. Rorem denique per analyſim partium examinavi: ſalem enim ſaccharinum dabat, magnis morbis opitulantem, at ſanè ad vitam longam nequicquam proficuum; Propter indeterminatam enim ſuæ bonitatis generalitatem, non tam vitam, quàm alimenti proprietates continebat. Concluſi mecum tandem; arboreum eſſe fœtum, quiſquis ille, qui arboris vitæ vicem gereret. Dein è ſaluberrimo, odoro, balſamico, ac penè immortali frutice, hoc medicamen petendum. Quodque ſubtiliſſimarum atque puriſſimarum eſſet partium, è propriâ ſui concreti dote, & conſtitutione nativa: quodque reſiſteret omnifariam quibuslibet corruptionibus, artis vel naturæ errore partis, aut conquiſitis. Tandem quod arte atque labore, ultimam perfectionis metam, & commiſtionis nobiſcum licentiam eſſet adeptum. Quocirca erat apprimè neceſſarium, ut naturalis dos iſta multiplex, nequicquam inter præparandam frangeretur, aut mutaretur per ignem. Adeóque opus eſſe igne non urente ad virium exaltationem, impedimentorumque ſequeſtrationem. Vt ſcilicet ad incorruptibilitatis complementum, ſive ad vitæ longævitatem nobis manutenendam, quantum naturæ corruptæ recipienti poſſibile foret, per communicationem ſuarum virium participes reddat quoſdam mortales. Certè non poteſt proinde ſingularem aliquam membri Idiopathiam ſentire, aut partialitatibus obedire. Sed neceſſum eſt, ſit vitæ balſamus integralis, ad ens ſeminale reductus, in dotibus ſuis permanens, odore gratus, per cuncta vitæ mediæ, atque magni Oportet examina. Adeò ut cum tandem alimenta illi permiſta, ſint ſuo munere defuncta: ſaltem fuligo eorundem, ſuo ſuffitu, ſpiritus inſitos non ampliùs conterat & extenuet; ſed potius recreet: atque hactenus incorruptibilitatis aliquam permanentiam æmuletur, cuſtodiatque ſub vita noſtri media, in nutritio humore continuata atque propagata. Gratia ergo dotis nativæ, conciliet ſibi amorem cum ſpirituum inſitorum poteſtatibus ſigillatis: præparatio igitur recuſet alterationem nativæ virtutis, ac præſtet penitiorem ingreſſum, virtutiſque applicationem. Adeò ut velut exlex, præterque conſuetum, admittatur, ut conſcius intra ſecreta vitæ penetralia, ut informationem ibidem ſubeat. Quibuſdam enim climatibus, cuncta robuſtiora & præſtantiora producuntur, ob ſucci alimentarii nobilitates: quæque ideò certum eſt, ad vitam longam præſtare plurimum. Quorundam ſic enim ſudor olet hircum: aliorum verò à fragrantia non longè diſtat. Iſtud inquam unicè in vita longa procurandum, ne humor alimentarius, poſtquam ſuis eſt defunctus muniis, delatus per diaphæreſin, amittat gratiam, cujus defectu vitam brevem deſcripſi. Docui enim alias, ſuem vel anſerem ſolis piſcibus alita, carnes præbere, quæ piſcium axungiam deteſtabilem guſtanti referant. Quapropter arboris vitæ medicamen eſto balſamus odorus, aromaticus, naturæ gratus, condiens præpollenti bonitate cruorem, & alimentum jam roris modo appoſitum. Vſque adeò incorruptibilitatis ſuæ vigore, continuetur vis balſamica in extremos uſque limites ſuæ exhalationis è corpore. Quapropter unicè cavendum, ne ignis hunc fructum ſeparante diſtillatione alteret: ſed inſtituatur propria heterogenei diviſio, in ſuos fundos ſequeſtrata, ad majorem puritatis & ſimplicitatis ſubtiliationem, viriumque ſuarum ſigillationem. Etenim in Eden, ſtomachus vigore proprio cibum ſubigebat; ſine vitæ mediæ lucta enim, ſtomacho parebant cuncta libenter: id quod deinceps, uſque ad aquarum catacliſma, ſtomachi per decidentiam ſervarunt quadantenus incolume: donec annorum & propagationum ſucceſſione, univerſa ſenſim ruerent. Tum non amplius, ens ſeminale è cibis eſt erutum, poſtquam vitæ terminus ad 120 annos, atque deinde ad 80 reſtrictus fuit. Etenim ens eſſentiæ, quod antea è cibis petebatur, non prodiit amplius: quia ſtomachus ſaltem ens nutrimenti educere ſategit. Hinc namque patet, tametſi arbor vitæ ex Eden nobis adeſſet, non tamen uti primis patrum profuturam. Conſequenter etiam balſamum noſtræ arboris vitalis, non tam proficuam adultis quàm pueris. Qui namque vitæ ſtadium penè decurrit, quiſque pro modulo juvamen ſentit. Cum omnia in natura recipiantur per modum recipientis perſonæ, loci, ac circumſtantiarum. Fleverunt namque amici Iobi cum eo ſeptem dies & noctes, abſque eſu, potu, & ſanitatis diſcrimine. Quod cuiquam mortalium hodie vix nunc eſt poſſibile. Ergò robora vitæ ejuſmodi, plus proficerent ex noſtra arbore, quàm ſenex ego mille offenſionibus, laboribus Chymiæ, tribulationum perſecutionumque injuriis penè attritus. Sic nos nobis mella paramus apes. Cui accedit, quod Eden ſalubritate loci, eſſet vitæ longæ cuſtos ex ſe: paucis verò abinde paſſibus mortis corruptionis atque infirmitatum imperium. Etenim ſi hiſtoriis fides eſt, Sunt & hodie loca, quibus tercentum annorum vita eſt ordinaria. Nam ubi longævi naſcuntur, etiam foventur. In propinquo autem ſunt loca alia, ubi viciſſitudinum interpolata tyrannis vitam abbreviat. Sic enim Provinciales aliquot morbi aſſueti ſunt. Montana idcirco, quæ Gas mineralium non habent (ut Arduenna, Aſturias, &c.) nec uligini lacuum ſubjecta: quia ſiderum collocutiones beneficæ reflectunt, aëremque purum ſpirant, ad vitam longam faciant. Prout & ager planus, gulæ irritamenta neſciens, tantum vitæ longæ addit, quantum ſaturitas, vitæ longæ inimica. Fatigant nempe ciborum ſarcinæ miſeras poteſtates, ut videlicet tanquam exantlatæ labore ante diem concidant. Quibus ſic mecum revolutis toto triduo undenam medicamen ad vitam longam petendum eſſet, Arriſit mihi inſigniter opobalſamus, non quidem Peruanus, aut Copaiba Braſilianum gummi· ſed verus Ægyptiacus, Sacris notatus atque primitivus, pumilis fruticis regina lacrima, vix Regibus venalis. Etenim plurimum perfectionis huic enti attribui meritò, fateor. Ac licet ſat eſſet reperibile: attamen adhuc ab arboris vitæ perfectione deflectit, quod frutex ille ſit adeò caducus. Dumque variè in natura vagarer, ut arborem vitæ luſtrarem: tandem extra diem, & ſupra fœcem in ſomnio vidi totam terræ faciem, prout ſtetit deſerta & inanis initio creationis; tum deinde ut fuit, dum plantis undequaque ſuis vireſceret recens. Iterum quoque ſicut latebat ſub diluvio. Vidi namque omnes plantarum ſpecies ſubter aquas ſervari. Mox tamen à diluvio, cunctas ingredi viam viciſſitudinem ſibi injunctam, per ſpecies & ſemina continuandam. Vidi inquam in apice Libani, Cedros Verbo Dei glorioſiſſimi ſubter diluvium integras permanſiſſe, certoque numero adhuç ibidem ſupereſſe. Et ſtatim deinde ad me redii. Per moram verò deinceps conſideravi, quod Arca, quæ genus humanum ab interitu ſalvare debebat, juſſa fuerit fabricari ex ligno Cetim incorruptibili. Duraverat enim mundus fortè 1652 annis, Noah autem pigre in fabrica proceſſit per centum ſolares annos. Adeóque ligna & tigna ſumebat, quæ toto ſeculo nequicquam damni eſſent latura. Leproſus è populo ſegregatus ad Sacerdotem accedens, in manu geſtabat lignum Cetim, ut mundaretur. In feſto Scenopegiæ, quilibet Ebreus Cedrum & ramos myrrhę portabat, ut Deus memor eſſet in pluvia totius terræ, ut conſtitueret modos temporum, & Aſtra. Intellexi itaque per cedrum vitam longam, benedictiones item temporum & Aſtrorum, itemque mundationem myſtico ſenſu deſignari: in hoc ſeculo verò, etiam obtineri. Nam vitalia cætera, mox contabeſcunt ſenio: unica verò numero cedrus, inſigni myſterio, incorrupta ligni ſubſtantia, & ſoſpite vegetatrice vitam longam promittit, quia continet. Valvæ enim templi Salomonis ex ligno Cetim per aurum, tanquam tegumentum vel vilius involucrum juſſæ ſunt fabricari. Porro extra controverſiam eſt in Eccleſia DEI Cedrum in Libano, in Templo, in figura Arcæ, in mundatione lepræ, & feſto Scenopegiæ repræſentare DEI matrem, Reginam cœlorum Virginem, Vas incorruptibile, arborem quæ nobis vitam æternam in carne protulit. Patronam inquam pauperum, & meam. Locus autem Cedri in Libano frigidiſſimam aëris valvam, nivibus contectam ſuperans, illibatam Deiparæ Virginis integritatem deſignat. Adeóque ſi arbor Divam Virginem, præſertim tot myſteriis conjunctim deſignet, non mirum, & Cedrum, arborem hujus vitæ etiam in ſeculo ſignificare. Enimverò diebus Davidis annoſa cedrus erat in Libano, quippe quæ propter excellentem proceritatem myſtico ſenſu digna fuit ex tunc. Quare vel à diluvio ibidem plantata hactenus adhuc eadem numero ſoſpes perſeverat: vel dudum ante, & fortè à mundi cunis juxta ſomnii viſionem. Quod ſaltem quomodocunque ſumatur, oſtendit Cedrum ſenii incommoda ſpernere. Non eſt autem a parente Cedro, poſt diluvium plantata: quoniam & iſta cedri parens ſub diluvio conſervata fuiſſet, atque multò faciliùs deinceps, quàm quæ à diebus Davidis hucuſque perennat. Rideant qui volent iſtam Cedri ætatem in Libano, dicantque modernas novo germine, vel deciduo ſemine ſuſcitatas. At eo poſito, hodie & novæ indies in ſilvam magnam prodiiſſent. Ubi tamen nova nulla Cedrus ſuccreſcit. Quinimò exin colligo, eandem numero Cedrum modò perſiſtere, quæ vel ante diluvium fuit, imò vel à condito mundo. Quippe B. Virgini in ſymbolum datam. Cæterum pro noſtro magiſterio non eſt ſumendus fructus Cedri: eò quòd ejus finis non eſt ad ſimpliciter eſſe in deſtinatione proprietatum Cedri: ſed tantùm ad ſpeciei propagationem, quæ contradicit vitæ longæ ex fundamento. Sumendum eſt ergò ipſum lignum Cetim tam exaltatum in Sacris. Non ergò cortex, non fructus, non radix, neque frondes ſunt finis ultimus, quorſum natura reſpexit ad vitam longam. Adeóque Cedrus, ab arbore vitæ Eden fortè & in hoc diſtincta eſt. Eſt ergò reperta materia arboris mori neſcientis, cujus lignum imputrefactibile, & ob multas ejus proprietates, myſtico ſepſu Divæ Virgini deſtinata, vitam proferens Mundo, ut mortem redimat. Sed ejus præparatio, omnium illorum, quæ ſubter laborem Sophiæ cadunt, eſt longè difficillima. Hac nempe de cauſa Monarchæ carent vitâ longâ: quia nullus eſt, qui eam præparare noverit. Nam nemo verè Philoſophus, aulædus eſt, nec Principes ſequitur, iiſque adulatur. quippe quia nullius rei indignus, ſpernit quæcunque Princeps dare poteſt. Sola ergò arbor vitæ, vires lapſas recreat, detinetque aliquiouſque vitam in fluxu. Difficultas autem præparandi conſiſtit in eo, quod lignum, abſque virium reſolutione, debeat reſolvi, per teporem, qualis ſolis martii, uſque ad primum ens ſui. In quo ente duntaxat, conceditur illi fermentalis conſervandi, & condiendi poteſtas, cum ingreſſa ad prima noſtri conſtitutiva, ſeſeque inſinuandi in familiaritatem ſpirituum inſitorum per organa ſingula. Eſt autem in ſucco hujuſmodi reſolutionis, vis integra Cedri: vitalis ſcilicet, cum omni proprietate ſeminali, atque formali vitæ longæ. Nam tota ligni moles reſolvitur in ſuccum: quæ alioqui diſtillata, tranſmutatur, fitque nova quædam creatura: quod comprobat aqua vitæ, è granis aut cereviſiis diſtillata, item oleum diſtillatum è lignis, imò ex ipſomet olivarum oleo. Praxis ejus eſt iſta. Reſolve fragmenta ligni Cetim,cum parvi pondere liquoris Alkaheſt,in vitro ſigillato, ſub tepore fovente. Et infra ſeptimanam videbis totum lignum in liquorem lacteum migraſſe. Mox verò circa quindenam ſupernatat diſtinctim duplex oleum, quod in menſem uſque augetur, & ſeparatur dilucidius. Oleum verò tum ſeparetur ab aqua per operationem manualem. Tum diſtilla aquam in balneo, & liquor Alkaheſt primævo ſui pondere manet in fundo. Oleum verò cum aqua toto trimeſtri, lento tepore foveatur,& totum oleum aſſumit naturam ſalis,& ſeſe permiſcebit aquæ. Eſtque ens primum Cedri. De vitæ autem longitudine pauca adhuc: quia ſenex hæc aſſequor, & ipſe moribundus. Mens inauditum aliquid ſpirabat intus: ſed inutilis huic vitæ ſepeliar. Quia Spiritus janitor lagenam abſtulit mandato ejus, coram quo totus mundus tanquam fungus eſt. Sit ipſi laus, qui dedit, quique abſtulit, quod ſuum erat. Meritò ergò improperent mihi Scholæ. Tu miſer,parvæ notæ homo, magnæ ambitionis vir, ſenex paradoxe tardus veniſti, ut cum tuo Cedri encomio,mundo obtendas nebulas.Herbariis noſtris notæ ſunt ſtirpium hiſtoriæ ac vires. Tu verò ut inauditum commentum de vita longa oſtentes, inſanire cum Cedro paradoxus pergis. Eja ſi Cedro tanta ad vitam ſit poteſtas,cur Reges omnes non longævi? Unde novus hoſpes advenis? profer literas & experientias, quibus credi vis. Ut enim Juriſconſultus rubeſcit ſine lege loqui;ſic Medicus,citra experientiam. Negare enim non potes, quin decocta frondium,nucleorum,ligni,corticis,radicis,vel reſinæ cedri, vitam continuatam jamdudum prodidiſſent. At nihil horum liquet per noſtros herbarios. Tu ergò occulto modo præparationis deterres, ſtyloque tetrico artis fumivendulæ, mentitum myſterium cedri involvere optas. Quod,depoſita larva Alkaheſtica (aſſumta duntaxat ad occultandum tuam inprovidam temeritatem) ridebunt literati penè omnes, qui non patiuntur ſe abduci in nova placita per ſomnia, aut fictas ecſtaſes. Argumentum hoc partim ex inveterato in nos odio, partimque ex antiqua ſimplicitate emanat. Quantum enim attinet meam perſonam temeritates ſcribendi inſuetas. Novit Deus,quòd ſcribam quæ ſcio vera. Ago illi gratias,quod cum contuliſſet in me quinque talenta, feciſſemque me indignum, & hactenus repudium coram eo factus eſſem, placuit divinæ bonitati, auferre à me tria, &relinquere adhuc bina. Ut me ſic ad meliorem frugem exſpectaret. Maluit inquam me depauperare & tolerare, ut non eſſem utilis plurimis, modò me ſalvaret ab hujus mundi periculis. Sit ipſi æterna ſanctificatio. Quatenus autem argumentum Scholarum nititur apparentiis decoctionum & juſculorum, Id ſanè ex ſimplici ruditate profectum eſt. Siquidem hactenus nemo facultates rerum in agendo exaravit. Ratum ergò, quod quamvis multa diſtillando fiant acutiora, adeòque magis activa: tamen eo ipſo recedant & alienentur à genuina ſeminum proprietate. Quia Ignis eſt mors artificialis, quæ ſi aperta flamma fiat, contingit per ſeminum & Archei exſtinctionem. Mors autem naturalis rerum præſupponit laſſationem ſeminum. Mors autem artificialis, quæ non fit per flammæ conſumtionem: ſeparat quidem volatilia à fixis, cum diſſolutione & morte vitæ ultimæ concreti. Sed & ideò alterantur & alienantur per ignem vires priſtinæ, & nova creatura reſurgit ex igne, ex materiali diſpoſitione, priſtinis entis proprietatibus, per inverſionem in morte artificiali obviam. Sic nimirum pleraque ſalia volatilia, per colliquationem facientia congreſſum cum oleo rei fixantur in carbonem, qui tandem exuſtâ pinguedine redit in cineres. Sunt & ſalia fugitiva, quæ intra oleorum pinguedines latitando agunt,novum moliuntur productum: ita ut olea alioqui ſat fluxa,combinatione ſalium commutentur. Quædam idcirco ſaponaria fiunt,nonnulla fuligines recondunt.Saltem aduſta omnia contrahunt empyreuma, & in aliud permutantur. Nil enim permanet antiqui. Eò quòd illa ſit ignis proprietas, non quidem ſimpliciter ſeparare: ſed propria authoritate ſub ſe alterare,atq; commutare.Proinde non licet diſtillatorum vires ponderare è concreto, unde dimanant; nec credere licet,quod etſi vires rerum non ſint abolitæ, non exſtinctæ, aut per ignem planè defunctæ, ideò rerum priſtinas virtutes per aduſtionem non innovatas. Quæ autem nova fiunt per ignem, ſæpè deteriora fiunt, ac etiam non rarò ita à ſeipſis prioribus diſtincta, ut centuplo meliora fiant. Simplicia denique, quæ elixando ſuam mucilaginem vel gummi liquant, & hactenus in decocti jus ſuas vires tranſmittunt. Inprimis non proin tamen eandem facultatem, quam integro concreto habebant,retinent: ſed languida ſæpè illorum actio eſt. Inprimis namque debent ciborum more in ſtomacho confici. Quorum etſi pleraque, ex proprietate magni Oportet, aliquid priſtinarum virium ſapore referant,

64 *Ignotus hoſpes morbus.* 389
65 *Ignotus hydrops.* 406
66 *Puerilis Humoriſtarum vindicta.* 417
67 *Reſpondet Author.* 419

TRACTATVS DE MORBIS.

1 *Introductio diagnoſtica.* 423
2 *In puncto vitæ ſubjectum inhæſionis morborum.* 425
3 *Progreditur ad morborum cognitionem.* 427
4 *De Ideis morboſis.* 431
5 *De morbis Archealibus.* 437
6 *Ortus imaginis morboſæ.* 441
7 *Aditus præcluſus ad Condum viſcerum.* 444
8 *Confirmatur morborum ſedes in anima ſenſitiva.* 447
9 *Morborum phalanx, & diviſio.* 452
10 *Recepta injecta.* 453
11 *Quædam imperfectiora.* 457
12 *In Verbis, herbis, & lapidibus eſt magna virtus.* 458
13 *Butler.* 466
14 *De Injectis materialibus.* 475
15 *Injaculatorum modus intrandi.* 480
16 *De Conceptis.* 481
17 *Vis magnetica.* 488
18 *De Synpatheticis mediis.* 489
19 *De Inſpiratis.* 490
20 *Suſcepta.* 491
21 *Retenta.* 492
22 *Præfatio.* 500
23 *De Tempore.* 501
24 *Vita longa, Ars brevis.* 511
25 *Mortis introitus in naturam humanam decus Virginum.* 512
26 *Theſis.* 515
27 *Demonſtratur Theſis.* 521

SVPPLEMENTVM.

1 *De Spadanis Fontibus. Paradoxum primum.* 545

Paradoxum ſecundum. 547

tertium. 549

quartum. 551

quintum. 553

ſextum. 555

2 *Supplementorum Paradoxum numero criticum.* 556

3 *Intellectus Adamicus.* 561

4 *Imago Dei.* 563

5 *Externorum proprietas.* 571

6 *Humidum radicale.* 572

7 *Aura vitalis.* 576

8 *Vita multiplex in homine.* 579

9 *Fluxus ad generationem.* 580

10 *Lunare tributum.* 582

11 *Vita.* 585

12 *Vita brevis.* 587

13 *Vita æterna.* 589

14 *Mortis occaſiones.* 591

15 *De Magnetica vulnerum curatione.* 593

16 *In Sole tabernaculum.* 620

17 *Infantis nutritio ad vitam longam.* 622

18 *Arcana Paracelſi.* 624

19 *Mons Domini.* 629

20 *Arbor Vitæ.* 630

OPVSCVLA MEDICA INAVDITA.

1 *De Lithiaſi.* 649

2 *De Febribus.* 737

3 *Scholarum Humoriſtarum paſſiva deceptio ac ignorantia.* 789

4 *Tumulus Peſtis.* 827

INDEX TRACTATUUM,

à Joanne Baptista van Helmont editorum.

1 *Vaticinium de Authore, poëmate expreſſum.* pag. 1
2 *Promiſſa Authoris.* 6
Columna I. 7
Columna II. 9
Columna III. 10
3 *Confeſſio Authoris.* 11
4 *Studia Authoris.* 14
5 *Venatio ſcientiarum.* 17
6 *Cauſa, & initia naturalium.* 26
7 *Archeus faber.* 33
8 *Logica inutilis.* 34
9 *Phyſica Ariſtotelis & Galeni ignara.* 37
10 *Elementa.* 42
11 *Terra.* 44
12 *Aqua.* 46
13 *Aër.* 49
14 *Progymnaſma meteori.* 54
15 *Gas aquæ.* 59
16 *Blas meteoron.* 65
17 *Vacuum naturæ.* 67
18 *Meteoron anomalum.* 71
19 *Terræ tremor.* 75
20 *Complexionum atque miſtionum elementalium figmentum.* 84
21 *Imago fermenti imprægnat maſſam ſemine.* 90
22 *Aſtra neceſſitant, non inclinant, nec ſignificant de vita, corpore, vel fortunis nati.* 95
23 *Formarum ortus.* 104
24 *Magnum oportet.* 120
25 *Natura Contrariorum neſcia.* 130
26 *Blas humanum* 143
27 *Endemica.* 154

28 *Spiritus vitæ.* 157
29 *Calor efficienter non digerit, ſed tantum excitativè.* 161
30 *Triplex Scholarum digeſtio.* 165
31 *Sextuplex digeſtio alimenti humani.* 166
32 *Pyloris rector.* 180
33 *Tartari hiſtoria.* 186
34 *Tartari vini hiſtoria.* 188
35 *Inventio Tartari, in morbis temeraria.* 190
36 *Alimenta Tartari inſontia.* 194
37 *Tartarus non in potu.* 202
38 *Cuſtos errans.* 206
39 *Imago mentis.* 212
40 *Demens Idea.* 220
41 *Sedes Animæ.* 229
42 *A ſede Animæ ad morbos.* 233
43 *Ius Duumviratus.* 239
44 *Mentis Complementum.* 250
45 *Scabies & Vlcera Scholarum.* 255
46 *Ignota actio regiminis.* 261
47 *Duumviratus.* 273
48 *Tractatus de Anima.* 277
49 *Diſtinctio Mentis à ſenſitiva Anima.* 279
50 *De Animæ noſtræ Immortalitate.* 280
51 *Nexus ſenſitivæ & mentis.* 284
52 *Aſthma & Tuſſis.* 288
53 *Latex humor neglectus.* 302
54 *Cauterium.* 307
55 *Volupe viventium morbus antiquitus putatus.* 312
56 *Pleura furens.* 317
57 *Tria prima Chymicorum principia, neque eorundem eſſentias, de morborum exercitu eſſe.* 323
58 *De Statibus.* 335
59 *Catharri deliramenta.* 345
60 *Victus ratio.* 362
61 *Pharmacopolium ac Diſpenſatorium modernorum.* 366
62 *Poteſtas medicaminum.* 376
63 *Præfatio.* 387

64 *Igno-*

ferant, Attamen hæ vel una cum excrementis foràs ejiciuntur, vel perperam confecta, appropriataque, non niſi heterogeneitatis inaſſuetæ rixas movent, loco remedii. Vel ſaltem ſi ſanguinem atque carnem ſuo odore afficiant, non niſi languidam opem pollicentur, adeò ut & hinc quartana Splenis incola, hactenus in ludibrium Medentum intacta maneat. At, ut aliquid in œconomiam ſpirituum, & ſolidorum conſtituentium familiam admittatur, non eſt quod per decocta id ſperetur ullatenus. Ut neque per diſtillationem; quæ omnem prorſus vitæ longæ entelechiam, quam lignum in ſe claudit, exuit per mortis artificialis interventum, Succus autem, pulvis, ac condita, è Cedro petita, nobis adeò ſunt peregrina, quod niſi ſubigatur, per methodum primi entis, nequicquam familiaritatis nobiſcum ſpondeat. Procul ſanè, quod noſtram naturam ſuperet, ſuique incorruptibilitate donet. Nil ergò diſtillata, nihilque ſimplicia cruda, utut nobili facultate fulgeant, ad vitam longam momenti habent. Oportet namque ut ſervata ad amuſſim Cedri incorruptibilitate, mortis neſcia, nec tantillum deteriorata ejus in nos beneficientia, ſeparetur ab ea omne impedimentum peregrinum, quod aliàs per multam noſtri archei luctam in ens nutrimenti, non autem in ens eſſentiæ reflectitur. Sic tamen, ut inſuper illi ſuperaddatur penetratio, communicatio, & conſpiratio cum primis noſtri conſtituentibus, & facultatum inexſiſtentium recreatione. Stupeant interim Galenicæ Scholæ, inſuetum præparandi & deſcribendi modum, meaſque pollicitationes rideant, mera credant ſomnia, cantet avis ſingula juxta ſuum roſtrum, per me licet ab illis vilipendi. Siquidem ad annoſas lucri ſolius ergo effictas oblocutiones, jamdudum auribus callum obduxi. De Vita longa ſcripſi, quæ ſcio vera: non quidem tyronibus, ut neque lectionibus amplectenda: novit enim Deus, cur capræ curtam caudam dederit. Sua quandoque dierum maturitate erit, qui me verum dixiſſe intelliget, Adeptus. Quòd verò attinet ad ſententiam ſomnio acquiſitam. Is legat ſomnium Nabuchdonoſoris, ſoli Danieli notum. Attamen juſſerat omnes ſuos Sophos igni conterminari, niſi ſomnii explicationem indubiam referrent. Certè ejuſmodi ſomnia, certitudinem quandam intus pollicentur, nec vana eſſe. Sæpè is qui dat ſomnia, eodem quoque mox reſerat, cum tanta ſui certitudine, ut mors nec infernus dubium queant invehere. Quanquam autem Cedrum omnibus præferam lignis: fortè tamen Indica ab Palæſtini littoris Cedro nequicquam inferiora præbet. Ego tamen Sacrorum authoritati ſemper primatum dedi. Non tamen, quod ob id manus Domini ſe Cedro alligaverit. Quæ autem de Cedro ſcripſi, in memoriale honoris erga Deum mihi propitium obtuli. Cætera autem quæ de Cedro ſunt, mecum ſepelientur. Nam mundus capax non eſt. Quod autem moderni de elixire proprietatis jactitant, id juxta deſcriptum Paracelſi non ſuccedit. Nam tria ſimplicia ampliſſimo vaſe vitreo, ſigillatoque concluſa, paucas ſaltem guttulas liquoris lactei & aliquot olei ſubpallidi dant poſt biduum, totidemque, nec amplius, poſt bimeſtre; vix autem tertia pars materiæ patitur ab igne, quin empyreuma comminetur. Sin verò fortius paululum urgeatur: vas, utcumque ampliſſimum, diſſilit. Sin verò ingredientia cum liquore medio connectantur: res ipſa tandem eſt nihili. Subticuit ſcilicet Paracelſus (prout in plurimis aliis) additamentum liquoris Alkaheſt, cum quo tota materia mox ſolvitur per totum, & ſuccedit medicamen juxta illius deſcriptionem. Ineſt enim elixiri huic ſubtilis fragrantia. Ob quam præſervat materiam liquidam noſtri corporis à corruptione, tanquam balſamus. Sæpè namque febri contagioſa deploratos, unica guttula in vino propinata ſic recreavi, quod adhuc in meridie mecum pranſi ſint, qui mediâ nocte unctionem poſtremam ſacri olei ſuſceperant. Profectò defectu Cedrini entis, ſubvenit elixir proprietatis. Sed quid? Requiritur Alkaheſt. Quod non datur putantibus: ſed ſolis ſcientibus, & quidem duplatis. Quocirca aliquid triviale in uſum vulgi pro conſervatione vitæ longæ ediſſeram. Anno 1600. Vir quidam annonæ militari inſerviens à computis, numeroſa autem & parva prole gravatus, conqueritur quòd annum ageret 58. ſi autem deficeret, contingeret liberos ſuos oſtiatim ſtipem petituros. Rogavit aliquod vitæ præſidium à me. Ego adhuc juvenis, ejus ſortem condolens, cogitavi, quod odor lychnii ſulfuroſi accenſi vina à corruptione præſervaret. Idcirco in animum induxi, quod acidum ſulfuris ſtagma, hunc fumum ſulfuris atque omnem planè odorem neceſſariò ſic contineret, ut ipſum eſſet nil, niſi ipſius Sulfuris fumus, in ejus ſalem mercurialem combibitus. Tum denique ratus ſum, quod cruor noſter eſſet vinum vitę noſtræ, illoque præſervato, ſi non vitam daret longam, ſaltem à multis morbis corruptionum tutaretur, cujus efficientia, vita ſana, à morbis immunis, & à doloribus tranquilla, ſaltem protelaretur quodammodò. Quapropter dedi illi lagenam diſtillato liquore ſulfuris plenam, & pariter docui artem parandi iſtud oleum è ſulfure accenſo. Juſſi porrò, ut ſingulo paſtu binas ſaltem guttulas illius liquoris, primo cereviſiæ hauſtu ſumeret, neque facile doſin iſtam petulans excederet. Ratus, binas guttulas multum fumum ſulfuris continere. Paruit vir ille monitis, & adhuc per plateas Bruxellæ Anno 1641. ambulat. Quodque auguſtius eſt, toto quadragenario illo, nullo penitùs morbo unquam decubuit, etſi ſemel caſu ſuper glaciem, tibiam prope poplitem fregerit; immunis tamen ſemper à febri, gracilis atque macilentus manſit, licet in penuria commoditatum ſenex vixerit. Nomen ſenis, eſt Ioannes Maſs. qui ſervivit à cubiculis Epiſcopo Yperenſi Rythovio, dum Comites Egmondanus & Hornius capite plecterentur: eratque tunc ætatis viginti quinque annorum.

FINIS.

IOANNIS BAPTISTÆ
VAN HELMONT,
Toparchæ in Royenborch, Pellines, &c.

OPUSCULA MEDICA INAUDITA.

I. DE LITHIASI.
II. DE FEBRIBUS.
III. DE HUMORIBUS GALENI.
IV. DE PESTE.

Editio tertia multò emendatior.

NE EXTRA OLEAS

AMSTELODAMI,
Apud Ludovicum Elzevirium,
cIↃ IↃc LII.

In Nobilis & Præclariſſ. D.
J. B. HELMONTII
OPERA
Contra Galeniſtas,
CARMEN
Nob. & Ampliſſ. Domini
IANI WALHORNII D.
Majeſtatis ſuæ Conſiliarii.

Claude Scholas, Galene, tuas : ſatis occiſorum eſt,
Ohe jam ſatis eſt : plena ſepulcra ſonant !
Namque cruor clyſterque tibi ſunt pharmaca : ſæpe
Das nihil : In Critico *ſpes tibi ſola die.*
Interea in tactu venæ, linguaque peruſtæ,
Totus & urinâ, ſtercoribuſque ſtupes.
Non Ægrum juvat hoc : illi Medicina *paranda.*
Nil opus eſt morbi teſtibus : at Medico.
Attamen exſpectas pretium poſt funera magnum :
Sic canis ægrotum ſpectat, amatque pecus.
Vnus Apollineâ potis eſt Helmontius *arte,*
Quos alter morti liquerat, eripere !

DOCTRINA INAVDITA,

De cauſis, modo fiendi, contentis,
radice, & reſolutione

LITHIASIS.

ITEMQVE;

De ſenſu, ſenſatione, dolore, inſenſibilitate,
ſtupore, motu, immobilitate.

PROVT

De morbis hujus claſſis, Lepra, Caduco, Apoplexia,
Paralyſi, Spaſmo, Comate, &c.

Nova & paradoxa hactenus omnia.

Tractatus tam Phyſico, & Medico, quàm Spagyro
utilis : miſeris autem utiliſſimus.

AVTORE

IOHAN. BAPTISTA van HELMONT,
BRVXELLENSE.

ILLVSTRI VIRO,

D. CASPARO ULDARICO,

Sacr. Rom. Imper. Baroni de Hoenſbroeck, Teutonici ord. Commendatori in Gemert;

Bonarum Artium Fautori,

Amico atque Patrono ſuo ſingulari.

MEminiſti, quòd Illuſtris Dominus, D. Wernerus Spies de Bullesheim, Teuton. ordinis, Baillivæ Confluentiæ Commendator Provincialis, ac domûs Pitzenburgi Mechliniæ Commendator, Dominus in Elſen, & Herrn-Mulheim, &c. pridem Avunculus tuus, amicorum meorum faventiſſimus, triduo ante mortem, mihi lecticam ſuam mitteret, quia atroci Tertianâ decumberet; cumque adveniſſem, me adhuc capite ſalutaret, & amplexum utrâque ulnâ minaretur: eundem voluerim ſtatim ſuccurrere, eò quòd pulſus intermittens feſtinari juberet: ſed ſuos diſtuliſſe pollicitam opem, in pomeridiem, ut Medentes adeſſent. qui dum expoſuiſſent ſuam operam, quodque 13. jam diebus, ſecuiſſent venam bis, totieſque purgâſſent, aluiſſent autem juſculis, ac ſero lactis: confectionibus demum Alckermes, & Hyacinthorum corroborâſſent: ideóque eadem orbitâ procedendum, niſi quòd demum crura, atque brachia, Cantharidibus ulceranda eſſent. Me autem reſpondiſſe: Cernitis Viri amici, quantum ſpei iſthæc remedia dederint, auxerint, reliquerint. Quare ſi pergatis eâdem viâ; dies craſtina horrores, & agonem mortis, pro Tragœdiæ Epilogo dabit. Quæſo, dentur mihi ſaltem horæ 5, & adhuc hodie apparebit, an Vir ille Illuſtris, me ſui amiciſſimum, fruſtra accerſiri, heſternâ die juſſerit. Conſenſere facilè, præter unum Fonſecam, fortè quia Luſitanus eſſet. qui remedia chymica ſprevit, quatenus ignea, oleumque igni affunderent. Adeóque unius voto, eques ille necem ſubiit. Nam etſi aſtarent ſacerdotes amici, etiam nobiles domeſtici: plus tamen ſperabant ex ſolitis & plurium votis, quàm nondum cognitis medelis. A bonis itaque deſiderari cœpit: quia aberas, dum hæc contingerent. Etenim ut juſta parit indignatio verſum: Ita ab ignaris concitatus, decrevi, libellum inauditæ doctrinæ de febribus edere. Et opportunè Card. Ferdinandus, Regis noſtri frater, à ſuis Archiatris Luſitanis, immodicâ cruoris exhauſtione, atque immodeſtâ refrigeratione, extinguitur. Id autem ſic futurum, Carmelitæ confeſſario ſuo, prædixeram ſcriptis. Deinceps autem à nece, id controverſo jure diſputatum. Certamen vicit Fortunatus Vopiſcus Plempius, Batavus apprimè doctus,ac Profeſſor Lovanii. Ego autem carmen libro meo præfixi , quo conſtaret , non tam malitia : quàm brutalis medentum illorum, atque impunis ſtupiditas. Addidi eapropter , *neminem unquam à febri , Galeni ſtylo immunem factum, ut neque graviùs aliàs ægrotantem , evaderet niſi quem robur naturæ tempeſtiviùs è manibus illorum eriperet.* Eò quòd in Scholis,hactenus tam febres eſſentialiter, quàm earundem remedia neſcirentur.Edidi ergo librum, qui iſtud ſolidaret : at tot undique mendis conſperſum , quod erubuerim pro meo illum agnoſcere. Ac utut talis : tamen ob rei novitatem, mox ab ortu, deſiderari cœpit : quia defecerat. Oſtendo namque febrim ignorari,neſciri remedia : itemque quaternarium humorum , eſſe aniles nugas , quibus creduli mortales cœmiteria ſaginant adhuc hodie. Itaque eſto Problema : Nimirum *ipſe vel in eo erravi penitùs : vel non quidem ego ; at Humoriſtæ errârunt. Totaque Schola Humoriſtica peſſum ivit : quia modò jacet cardo, cui innituntur medendi poſtes*. Res iſta cum tangat vitam, Rempubl. ac pleraſque familias : rogo Chriſtianum orbem,ut ex charitate invigilet deciſioni tam inopini,magnique momenti Problematis. Addo pariter librum, quo demonſtravi cauſas , remedia, itemque modum fiendi calculi , ignorari conſtanter hucuſque. Peſtem quoque,Apoplexiam,Paralyſin,Lepram,Lethargum,Spaſmum,idque genus morborum à Scholis æquè adhuc neſciri. Conſcripſi autem hæc Paradoxa , in arrham polliciti majoris Tomi,quo Initia phyſica , atque nova medendi axiomata , pandam pro bono publico. Scilicet ut diſcant, ac reſipiſcant Scholæ. Diſcant quidem , non à me ; (qui omnem alioqui gloriolam ſprevi ſemper) ſed à Datore omnis boni. Conatus autem ſum, acceptum talentum, in proximi utilitatem ſic manifeſtare,ut poſthac quilibet ſanæ mentis,velit nolit,fateri debeat, ipſasmet tenebras,è Scholis Gentilium, Veritatem proſcripſiſſe hactenus. Cumque meos labores toti mundo loqui optem : idcircò eoſdem Tibi dicare decrevi, in pignus amicitiæ: quòd Muſarum Patronus, & Pyrotechniæ fautor eſſes. Non enim libros meos Principibus Viris unquam dicavi , ut geſta illorum,atque avorum imagines,ac ſtemmata referrem. Nolim equidem videri,aſſentando corrumpere voluiſſe illorum integritatem. Scio quoque,tibi non minùs,quàm mihi diſplicere quicquid adulatorum eſt. Denique nec offero ſcripta mea, ut tuâ ſub authoritate muniantur. Abſit & iſta ſtupiditas, quæ neſciat , ipſos Reges eſſe impares ad ejuſmodi tutamen : nec quicquam ſubſiſtere,quòd à DEO patrocinium non eſt nactum.Do ergo,Vir Illuſtris,dicoque tibi,hoſce labores meos, nudo titulo, ut me amare pergas tui amantiſſimum ;

Qui demum rogat, ut te in valetudine protegat !

Tu interim fruere, gaude & vale, ut optat tuus

Bruxellæ, 6 *Kal. Octobr*. 1643. J. BAPTISTA van HELMONT.

PHI·

PHILIATRO LECTORI

Pacem, Gaudium, Scientiam optat Philoſophus per Ignem,

JOANNES BAPTISTA VAN HELMONT, BRUXELLENSIS,

TOPARCHA IN ROYENBORCH, PELLINES, &c.

NUPER *emiſi doctrinam novam de febribus. In qua oſtendi febrim, in eſſentia, radice, proprietatibus, atque remedio, eſſe Scholis incognitam. Res iſta Medentes diverſimodè affecit, ac potiſſimum anxit diſcere recuſantes. Qui namque ſibi ſat ſapere perſuadent, dixerunt* : Ergone Academiæ hanc impunè ſuſtinebunt calumniam? totque virorum præclara ingenia, & nos ipſi, fuimus ſtipites? Soluſne Helmont ad menſam Solis accumbit, ut ex epulis iſtis, Adeptum Medendi ſibi arrogare auſit? *Intentionem at meam quamvis pauperrimè comitetur mea ignorantia, hujuſque confeſſio non deleat ignorantiæ labem: veniam tamen meretur integritas, atque ſinceritas intentionis meæ. Siquidem, in Medendo, cujuſque veritas ab opere, quod poſt ſe relinquit, æſtimanda venit. Nec enim calumniæ cenſeri debent, ſi errores antecedentium detegantur, ſuppreſſis eorum nominibus. Tractatur per me res humana, publica, ſolius charitatis ergo. Si dixero itaque, quod adhuc primus eorum, qui ab Ethnicis medendi fundamenta petunt, deſideretur, qui nedum febrium; ſed & quorumcunque morborum radicem, agnoverit, ac juſta remedia; idque demonſtravero: culpa careo, nec injurius videbor. Sin minus, ignorantiæ meæ miſerti, quæſo, me inſtruant: prout ego reor, me ſola generis humani commiſeratione motum, ne quiſquam poſthac ſuam fidat vitam infidis auxiliatoribus, qui neminem à morbo, ex certa ſcientia immunem fecere hactenus; ſed, quotquot evaſerunt, convaluiſſe, ſolius Dei munificentia, ac naturæ ſuæ bonitate. Hoc eſt namque illud paradoxum, quod me demonſtraturum polliceor, & ſtaturum promiſſis. Dixeram autem, præfato de febribus libro, me, calculo etiam ſuum tractatum debere: quia Lithiaſis, monſtro ſimilis, ideoque ſingulari ſtabulo ſegreganda. Etenim reliqui morbi nuſquam, niſi penes nos, naſcuntur: ſolus autem calculus, etiam in matula concreſcit. Lapideſcit quidem, tanquam productum naturæ univerſalis, ſed, in quantum modificatæ, creſcit: utque fiat calculus, non autem petra; requirit materiam ab homine diſpoſitam. Hoc ergo limite, videbunt Academiæ, ſe ne extimis quidem oris, Lithiaſis cauſas attigiſſe: quique ſe inſcitiæ febrium culpatos dolent, agnoſcent, ſe calamitatis ſuæ plures habere ſocios. Nunquam enim volui omnibus ante me injurioſus eſſe: ſufficitque, me proteſtatum carere animo injuriandi. Abſit enim, quod neſciam, rem ignotam, in uſus proximi demonſtratam, carere calumnia: dum præſertim Medentis inſcitia ſe habet per modum criminis, pellemque pro pelle quandoque daturus ſit homo. Non ſecus atque Prætor, aliquem criminis accuſans, excuſatur à calumnia. Dolui ſemper magnoperè, in ſola Medendi religione, tam ſurdis, pigris, atque frivolis principiis ſubſcriptum: in cæteris verò profeſſionibus, tam ingenioſè elaboratum. Enimverò quid ſubtilitatis non eſt machinatum, circà quinque voces Porphyrii, quas prædicabilia nominant? quaſque verſutias non moverunt, circa res vanas? garritus, inquam, ſermocinalis induſtriæ teſtes? Raymundus tamen, his non contentus, alias novem voces invenit univerſaliſſimas: ac dein hiſce alias 28. minus univerſales: atque demum tandem 72. alias univerſales ſubdidit, quibus res quælibet decies ſepties millies, quadringenties,*

genties, quadragies ſex vicibus deſcribi, prædicari, atque diſtingui poſſit. Inutilis ille garritus, ſcientiarum immenſæ ſiliquæ, ſine nucleo. Certe humana ubique ingenia, absque calcaribus, ultro in ſubtilitates prona, ſi inanes illarum fines. In rebus autem, vitam & ſanitatem ſpectantibus, continuo ſtertuerunt veterno. Ius quoque ita ſubtilitatibus incumbit, circa placitorum explicationes, ut acumina, quibus humanum ingenium tam mirifica admiratione rapitur, ſeſeque propria intuetur oblectatione, ut ſingulari prærogativa, vocentur Iuris ſubtilitates. Sermocinalibus hæ quidem minus vanæ: utpote, quod ad acquirendum defendendumque Ius ſunt comparatæ. In Theologicis verò, quid non auguſtum, per quæſtionum acribologias, ſperant cathedræ? Vtinam his cunctis careat humana neceſſitas. Meum atque tuum, cuique absque fuco cedat! fides etiam (ut in Mahumetiſmo) ſtaret citra diſceptationem. Cedat quæque ſubtilitas, cujus in die noviſſimo non habebitur ratio: Rediret ſic enim Apoſtolica ſinceritas; Sic accepi, ſicque tradidi vobis. *Saltem mitius judicium ſubituri, qui in vita, ab ejusmodi ſubtilitatibus fuerunt alieniſſimi. Aſt in re medica, (proh dolor!) ubi indagatio eſt maximè neceſſaria, utilis, & ob charitatem commendata, omnia propemodùm manſere intacta: quia utrobique ſupina ignavia, ad ſubſcribendum ignorantûm avitis ſtoliditatibus, prona; damnoſior quoque inter eos, qui per plateas vagantur, deque domo in domum tranſcurrunt, ut ſanitatem venalem proſtibulent, & ignotum ſibi morbum fugent. Non enim ſemel obiter apud Academias dubitatum eſt hactenus, ſuper theorematum fide, à Gentilibus traditorum: quæ aliàs vel ſola facilitate futilitatem velant, primoque intuitu, ſui ſuſpicionem excitare deberent: quoniam in rebus humanis nil durius pudore, ſtupiditate, nil mendacio atque fraude plenius, crudelitate item atque crudelitate nil admirabilius, per tot jam ſuſceptum ſecula, quàm profeſſio, quæ indies per mortes hominum, ſub concentrica ſubſcriptione, ad vota Gentilium, experimenta facit. Fatentur enim id mecum nationes, absque Medico viventes, quantam vitam ducant. Fatentur id, inquam, & emunctiores Medici. Etenim non ita pridem interrogatus à me vir pius, ac modeſtus, Medicus autem celeberrimus, Doctor Iohannes van der Wegen, cur (ſiquidem Lovanii habitaret, haberetque in aula amicos, atque dynaſtas quos curaret; eſſetque Cathedræ aptiſſimus) lectionem aliquam non appeteret? reſpondit ingenuè, non eſſe licitum, aliud doctrinæ genus adoleſcentiæ prælibare, præter Galenum; adeòque (inquit) ſcienter damnarem animam meam, ſciens meliora, atque docens pejora. Ergo, quod ego me ſcire detego, ſciunt, at non audent, alii. Bone Ieſu, quousque durabit Medentûm torpor? tantaque truculentia contra opus manuum tuarum? Permitte, permitte, ô infinita Bonitas, ut agnoſcat genus mortalium, quod dæmonium Moloch nullis invideat ſubtilitatibus, quàm quæ circa charitatem ventilantur, quæque vitam tuæ imaginis ſpectant, & conſervant. Initio enim dolui, tam immenſam credulitatem principiorum, tantamque mortalium ignaviam, circa res tanti momenti; hujusque rei crevit indies miſeratio mecum. Hinc tandem lucem tantillam nactus, cum ingenti dolore cognovi, Scholarum errores, per me, eluceſcere debere. Enimverò in limine id viſum fuit mihi, indomitæ arrogantiæ plenum, quod omnium minimus, omnibus ante me, Philoſophicæ Veritatis ignorantiam inurerem: mihi autem ſoli Adeptum Medendi tribuerem. Rogavi ideò ſæpè Dominum, ut à me iſtud talentum ſuum repeteret, penitúsque auferre dignaretur, atque alteri digniori tribueret. Sciebam namque, quod, qui benè latuerat, benè vixiſſet, ſaltem moraliter, & hoc ulceroſo ſeculo præſertim. Reſtiti itaque, ac dilatavi dudum hanc principiorum Medendi ignorantiam ſuo mundo proponere, donec jam ſenex, ultima cogente neceſſitate, mortisque in agone conſtitutus, pollicitus ſum Domino, me ſuum talentum candidè propalaturum: ne fruſtra ſcilicet in mundum veniſſe, atque inutilis hinc diſceſſiſſe, quandoque in ſtricto Dei judicio cenſear. Etenim per viſionem ſomnialem intellexi, quod plus formidarem oblocutiones, quàm Dei indignationem. Callidam eſſe naturam, quamdiu prætexeret ſuperbiam, in pure obſequendo Deo, ob fallaces reſpectus humanos. Arrogantiam item meam non cernerem, ſitam potius in timore, minus generosè effecturum me, quod requirebatur contra viros judicioſos, à tot ſeculis in me inſurrecturos, quàm in pure parendo Veritatis Datori glorioſiſſimo. Imo, nec commiſerarer proximi, talentumque humi tegerem, retroſpiciens ad incerta, de me, mundi arbitria. Fores Medicinæ à tot ſeculis ſeratos, clauſtraque, atque obices, rubigine obductos, ſcirem quidem, at pandere dubitarem: quaſi Ianitoris munus præſumerem merè meum, nec aliunde datum. Reſolvi itaque mecum, agere, quæ charitas, agenda ſuaſit, non arrogantia: ſciens, quod non injurius, qui bonum publicum intuetur, quanquam verecundum iis, qui temerè Gentilium nugis ſubſcripſere, in damnum*

damnum generis humani. Tandem itaque inter pudorem, & rei magnitudinis terrorem, medius conſtiti, multotiesque calamum repoſui. Iterumque ſeriò rogavi Dominum, dignaretur alium me digniorem deligere. Quapropter meritò indignatus Dominus, hunc malum atque inutilem ſervum permiſit cribrari à ſatana. Nam Ordo, cujus zenith eſt domus Poteſtatum, & Nadir, cæteri Ordines, me cæpit gratis perſequi, indignis technis. Cognovi ſtatim, quod manus Domini tetigiſſet me. Ideóque in plena perſecutionum tempeſtate, volumen conſcripſi; cujus titulus, Ortus Medicinæ. Id eſt, initia Phyſica inaudita. *In quo detexi errores Scholarum, medendo ſolitos. Nova, inquam, morborum principia, ut & hactenus inaudita theoremata dedi, ac demonſtravi; ut relictis Gentilium vanitatibus, Academiæ deinceps aſſueſcant Veritati. Inde enim inveni in anima ſabbatiſmum, qualem nunquam in meis proſperitatibus; adeo ut ſuſpicionis plenus dolerem, quod tantæ procellæ quietem animæ, aut corporis ſomnum, nequicquam turbarent. In quo non ſat laudare poſſum, Deus, protector mi, largitatis tuæ abundantiam, quæ non permiſit animam meam vel tantillum excidere, ſub tantis undique anguſtiis, è plena pacis fruitione: formidans hoc unicum, ne inutilis ſervus ſepelirer cum tantillo talento. Quisquis ergo zelum meum interpretaris ſuperbam jactantiam, per me licet, modò te ipſum non læſeris. Gaudebo namque reportare omnem confuſionem pro bono proximi, & poſterorum, fruarque optatu meo; ſive interim auſus mihi in temeritatem ceſſerit, ſive non. Irrorabit namque Deus ſator, quæ voluit creſcitura. Enimverò libro* de febribus,*narravi pænitentiæ meæ exordia, qualiterque à Galeno, & Avicennia deſciverim, ob deprehenſas nimirum, columnarum Medendi falſitates. Vnde deinceps crevit in me adhuc Iuvene ſingularis fiducia, qua me lubens omnium injurioſis cenſuris, propter proximum expoſui: ſenſimque dierum currente numero, Dominus candorem zeli mei aſpexit, & me, jam virum, permiſit videre, ærumnarum & ruinæ plenum eſſe, quicquid in Scholis Medicis docetur, & fore poſteris ludibrium. Bone Ieſu! quantum tunc expavi clementiæ tuæ magnitudinem, quæ parvulis revelat, viris alioqui religioſiſſimis & ingenioſiſſimis negata à tot ſeculis. Porrò, quantumvis inde certior factus, quod accepti Veritatis talenti manifeſtatio mihi incumberet: attamen eſt natura inveniendis excuſationibus facilis, fallitque ſe, & ſuas triſtitias, per rationis pediſſequæ, adminicula. Mox ideo (vah pudet me meæ inconſtantiæ) ſuſceptum onus meis iterum excuſſi humeris, & dixi; Quis ſum ego, Domine? deficiunt enim mihi ſolidiora, quæ in locum deprimendorum ſurrogarem. Quæ enim ante credebam mihi imperata, ſuſpicabar iterum, aſtu ſatanæ ſuggeſta: eò quòd deficiebant arcana remedia; diplomata nimirum, ſive ſigna meæ miſſionis. Quapropter in juventute dudum mihi perſuaſeram, ipſam Medendi artem nil eſſe præter meram impoſturam, ab otioſulis excogitatam Græcis, in perniciem Romanorum domitorum primitus exſtructam, deinceps in hominum calamitates confirmatam; cui humana credulitas, ob conceptam ſpem, facilè ſubſcripſiſſet, ſicque ſibi authoritatem peperiſſet iſta religio Medica; quia plerumque nimis facile credimus, quæ nimis avidè optamus. Sciebam quidem ex tum, Medicinam Academiarum eſſe rem nihili. Quorſum præbebant mihi ſuffragia, cum morbi incurabiles, tum inſuper experimentorum vanitas: ac tandem, ſuppetiæ affluebant undecunque; quia Medentes paſſim ludibrio expoſitos viderem. Tum huic meo errori adſtipulabatur ipſa Philoſophia, adoleſcentiæ prælecta. Nimirum quod Logica, Phyſica, & Metaphyſica Scholarum, non ſint illa Philoſophia, propter quam Pythagoras paucos duntaxat, melioris ſucci diſcipulos, inſtruendos aſſumſit olim ſibi, plurium annorum ſilentio, ſecretoque ſacramento, devinctos, ſe neminem unquam quicquam illorum, quæ ibi audierant, declaraturos. Suſpicabar enim, potius ibidem Pyrotechniæ tradita præludia, quàm ſcientiæ illius, quam Galenus hellenico multiloquio pandit. Siquidem & dudum ante Pythagoram, quiſque conſueverat per Hieroglyphica, in templis fideliter adnotare, quæcunque ſuis profuerant. Id namque tanta neceſſitas, tamque inteſtina calamitas, convicerant, ut abſque invidia ſic poſteris traderentur. Cum igitur ars Medendi, apud me, in vilipendium rueret, incidi in textum ſacrum, ſæpius lectum, nunquam tamen intellectum. Videlicet, quod Altiſſimus creaſſet Medicum, eumque honorari mandaſſet, propter ſui neceſſitatem. In quo ſtatim deprehendi: 1. Quod ille, qui omnia creavit, ſe tamen ſingulariter glorietur Medici Creatorem. 2. Quod propter ſui gloriam, bonitatis emanationem, ad infirmorum neceſſitates, ſubventionem, & auxilia, adeóque per Medicum, Altiſſimus placari velit, reſtituendo ablatam ſanitatem. 3. Quod is, cui debetur omnis honos & gloria, præceperit, ſolos parentes, & à ſe creatos Medicos, honorari: quaſi Medicus aliquid patrizantis haberet.*

4. Dein, in mea virilitate, non parum, diu noctuque anxius inquiſivi, quiſnam ille felix eſſet, quem Altiſſimus ab æterno deſtinavit, elegit, & creavit in Medicum, atque hinc quoque honorari præcepit? An forte eſſet is ille, qui, perlectis Inſtitutionibus, & aliquot claſſicis authoribus, emenſusque in Academia ſolidum triennium, tandem per diſputationes, & examina, à Profeſſoribus, candidatus emitteretur, tam ſeculari, quàm Eccleſiaſtico jure admiſſus? Num verò ille, qui eodem jam Medici titulo, conſenuiſſet ſub luge alienâ, plenus interim annorum, experimentorum, & nummorum? Tum ſtatim reſpexi, quòd infirmus egeret Medico, quem Altiſſimus creavit, plenis inſtructo numeris: *quodque ſanus non indigeret Medico adſtante, qui culinæ præeſſet, numeraret buccellas, & diætæ regulas præſcriberet. (Plura de honore Medicis debito, poſthac invenies ſub hiſtoria Duelech.) Conſideravi ex altera parte:* Quod unguentarius conficeret pigmenta ſuavitatis: nec conſummarentur opera ejus: nec eſſet medicamentum exterminii in terris. *Quod ſonat, verum Medicum omnes morbos æquâ falce demetere, nec eſſe morbos penes ipſum incurabiles. Inſigne ſanè diſcrimen inter Medicum, quem creavit Altiſſimus, & illum, quem crearunt Academiæ, per doctrinam Gentilium. Actutùm mihi ſe obtulit immenſus incurabilium catalogus: quaſi pro his nil eſſet ſolicitus Altiſſimus; aut tales ægri non eſſent morbidi. Vtpote, pro quorum neceſſitate nec Medicum, nec Medicinam, in Academiis creaſſet. Siquidem iſti, nedum hujuſmodi infirmos conjiciunt in deſperationem: verum etiam, quotquot ſponte non ſilent morbi, deſperatis adnumerant: Imo quartanam, quæque in annos, radices ſtabiles ſervant, ſpontaneoque plerumque naturæ tædio terminantur, reputant incurabiles. Ac niſi morbi reliqui ultimò ad metam decurtant, omnes profectò ex æquo adderentur incurabilibus. Plerique namque, dentis dolorem auferre neſciunt, niſi per evulſionem ejus. Sic fortaſſis, idem in veteri Cephalalgia, capitis ablationem, pro ſanitate, imperarent, ſi ſoſpes vita perſtaret. Poſt inſignes ergo aliquot annorum labores, me piguit, quod nihil aliud ſcirem, aut didiciſſem quàm quod nihili. Nam tametſi crederem, Medicum à Deo creatum, prout & medicamina ſimplicia: totus tamen hæſi in cognitione illius Medici, rerumque ſibi ſubſervientium.* Optabam *enim multoties, Ah utinam talis Medici tandem aliquando fiam diſcipulus. Interim cognovi clarè, Artem Medendi, tam Græcis, quàm Arabibus excultam, quamque Iudæi mentiuntur ſibi à ſuis Rabbinis, ſub Kabala, per manus traditam, longiſſimè diſtare ab ea, quam Sacer textus depingit. Tandem itaque in animum induxi. Medendi ſcientiam à medio, intentione, & fine, habere initium bonum:* Eſſe nimirum donum bonum, deſcendens à Patre luminum: *quodque hoc ideo nunquam deſcendiſſet, pridem in Ethnicos, & Iudæos, utcunque noſtra credulitate inflatos; utpote quos Dominus non creavit Medicos, nec in noſtri neceſſitatem; ut neque honorandos, ſed ſeriò vitandos, præcepit. Non eſt enim Medicus à Deo creatus, defectuoſus, lucro deditus, hoſtiſque Chriſtianorum: ſed charitatis plenus. Hanc namque illius doni boni raritatem primùm notavi ex Dioſcoride. Qui à diebus Platonis, (quibus vixit) hiſtorias herbarum quidem deſcripſit; In hunc attamen diem, vix illi aliquid eſt additum, detractum autem plurimum. Adeoque bis mille & tercentum annis, vix aliquid luminis, in rem Herbariam, ſupernè illuxit, licet maximè obviam, atque neceſſariam. Quapropter in alios cognitionum abſtruſiorum ordines, ſobriè ſatis, ſupernum iſtud lumen delapſum, conjeci. Minimè tamen in Gentiles, Atheos, perfidoſque Iudæos, extra Veritatem, & charitatem ſecluſos, ac ob id à Deo derelictos. Et rerum nativitates, ut ſunt relegatæ in temporum plenitudinem, nobis tectam, Ita veritatis Medendi donum non deſcendere, niſi ſtatuta apud Deum maturitate. Nec enim lumen gratuitum lucebit ad lubitum noſtrum. Nam qui omnia fecit ut voluit, facit eadem quando volet, perficitque in quibus voluerit. Conſenui enim, jam à quadraginta, & amplius, annis, in Medentûm turba; tandemque ſenex cognovi, Theoremata Scholarum per me ſubverti debere, ut quæque, ventura mox ætate, cadant in rudera, quatenus veritatis calce deſtituta non cohærent. Fuit apud me Adepti illius doni tanta certitudo, ac veneranda authoritas, ut ſentirem, datorem unà ſui doni quoque fore interpretem; utque hactenus quodlibetcunque excluderem dubium. Eſtque ejuſmodi cognitio longè certior, quàm quæ per demonſtrationem formatur. Quia non eſt verbis facultas, hanc certitudinem aliis facere communem. Scio quoque, non omnes, qui Medendi initia mea ſunt lecturi, æqualem inde fructum reportaturos: quippe Deus ſui doni diſpenſator uſque manſurus eſt. Dixi hæc, ut etiam ſciatis, quod mea indignitas donum tenebris offundet, ut capiat naturæ curſum qui poteſt. Speravi enim, cum jam numerum & atrocitatem morborum auxerit, in parvulos, & abje-*

abjectos hujus mundi, donum Medendi inſpiraturum. Et, cum anteacto ſeculo Paracelſum, ſcientia analytica corporum, ac remediorum fulgore, divitem præmiſerit præcurſorem, fore, ut vellet jam ſcientiam Adepti (qua alter ille caruit) ſuperaddere. Porrò, ſi abſque ſcelere, lubet placiti illius divini decreti rationem inquirere, ob quam Adeptum Medendi, donum minus ad Chriſtianos deſcenderit: reor, Scholas reſiſtere, quatenus principiis Gentilium pertinaciter inſiſtunt. Tum item, quia Medicina tota in lucrum exercetur, mox à ſui initio: quæ ſola artium, ex compaſſione miſericorditer expendenda eſt; Non autem, quaſi ex ærumnis miſerorum, hilariter pompoſéque vivendum vel diteſcendum ſit. Quare lucrum hominibus præripuit diſpoſitionem neceſſariam, falſitasque doctrinæ paganicæ, Adeptum medendi donum avertit. Cujus venatio mihi ideo viſa eſt conſiſtere in compaſſione erga ægros, dediſcendo falſa theoremata, & induendo profundam ſpiritus humilitatem. Quæ, ut tum non eſt inflata per literam, nec depreſſa per inordinationem: ita in humili intuitiva cognitione ſui nihili, mens ſe evacuat omni ſcientia, per rationis inductiones introducta. Tum deinceps, tum, inquam, Altiſſimus vix ſinit vacuam mentem, quin fœcundo ſui luminis radio eandem repleat. Offendi jam forte nonnullos, eò quod adeptum Medendi deſurſum deſcendere dicam: qui Medicinam addiſci volunt, per modum aliarum artium. Intellectus (ajunt) eſt poteſtas naturalis; quælibet autem poteſtas naturalis, nata eſt operari effectum proprium: proprius autem effectus ipſius Intellectus, eſt Intellectio. Ergo homo naturaliter intelligit omnia intelligibilia, tanquam proprium Intellectus objectum. Porrò, facultas Medendi eſt intelligibilis, ac proinde non deſcendit de ſurſum. Reſpondeo: Anima, ejusque intellectus, non ſunt opera immediata naturæ, quippe quæ oriuntur à fonte ſupernaturali. Adeoque, quoad ſui initium, licet Intellectus ſit facultas naturalis animæ, non eſt tamen omnino inter facultates naturales computandus. De fide eſt, Quod Deus creavit Medicum, *adeóque ars Medendi dicat aliquid ſupra communem regulam creatorum, ſic ut ejus adeptio non contingat per modum aliarum artium. Nabuchodonoſor enim ablationem & reſtitutionem Intellectus teſtabitur. Item,* Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, *Quod fruſtra dictum eſſet, ſi Intellectus æqualiter à Natura daretur. Porrò datus Intellectus (de quo hîc prædicant) actum ſuum naturalem, ſive intellectualem, non exercet, niſi quatenus notiones aliquas diſcurrendo trahit ab obſervationibus, quas à ſenſuum perceptione accepit, cum cauſas à priori penitus ignoret. Ad ſcientiam autem medicam requiritur quædam luminis claritas, quæ ſuperat illam cognitionem per ſenſus, imò & per conſequentias cauſarum ad effectus, juxta putationes (plerumque fallaces) à ratione, ſibi inductas. Nam de fide eſt, quod intellectus, unà cum totalitate naturæ humanæ, atque ita deinceps, utcunque clarus, non percipit propoſitiones primò veras, ſenſum ſuperantes, niſi cum affluxu luminis ſuperni. Puta, locum libri ſæpius lego attentè; &, licet verba intelligam, ſemel tantùm ſenſum illius inſperatò haurio, cum admiratione præteritarum lectionum. Ejusmodi autem cognitionem, voco gratiæ. Sic nempe Intellectus, utcunque clarus, non ſemper aſſentitur vero: quia naturaliter nec hoc percipit. (Hic namque factiones in ſcientiis, & religione.) Sic in dona medendi, eſt aliquid nobilius, & ſuperius, quàm quod è cognitione præexſiſtente ſenſuum formatur in imaginante: Quod eſt verum, ſolidum, bonum, ſuperans authoritatem conſequentiarum: imò quod nec propriè doceri, vel demonſtrari poteſt. Nolim tamen intelligi, quod adeptum medendi ſit ſcientia infuſa, qualis olim illuxit Bezeliel, & Ooliab: multóque minus, qualis die Pentecoſtes, in Apoſtolos, largo imbre pluit, ut variis confeſtim loquerentur idiomatibus: nec eſt item proinde Adeptum medendi de planè ſublunaribus. Nam Sapientia æterna creavit ſingulariter Medicum ſuum, præ cæteris creatis: adeóque aliquid auguſtius requiri pro ipſo videtur, quàm pro aliis profeſſionibus; quos ideo nec mandavit honorari. Alioquin omnis quidem intellectio noſtra, in natura, ſurgit tantùm per modum diſcurſus, obſervationis ſuppoſiti, & conſecutionis, indagationisque; idque totum à poſteriori. Quocirca ejusmodi omnis cognitio ſtipatur incertitudine, Ergo inter ordinarium intelligendi modum, & ſcientias infuſas primorum graduum, ſunt amplitudines quædam, ſingulari quæque gradu diſtinctæ in Intellectu, ſupernaturaliter oriundo. Quod ſic probo. Omne donum bonum deſcendit à Patre luminum. Adeptum Medendi eſt donum bonum: ergo deſcendit à Patre luminum. Major eſt fidei. Minor verò conſtat, quatenus Medicus, ut talis, eſt creatus à Patre luminum. Replicant per quandam ſimilitudinem, & nil ad ſyllogismum, hoc modo. Difficilior eſt cognitio Dei, quàm Medicinæ. Sed Gentiles naturaliter invenerunt, per Intellectus operationes, Deitatis ex-*

ſiſtentiam. Ergo longè facilius, adepti ſunt naturalem ſcientiam Medendi. Reſpondeo, totum concedendo, ſi non adduxerint quatuor terminos. Itaque, prout per naturam nemo poteſt haurire lumen fidei: ſed tantùm umbratilem aliquam cognitionem: ita & in dono Medendi concedo, naturaliter, per obſervationes juvantis ac nocentis acquiri cognitionem aliquam Medendi: at ſanè, eſt iſta cognitio tam umbratilis, & cæca, ut planè repugnet textui; qui fruſtra diceret, Deum creaſſe Medicum ut talem, eumque honorandum, niſi aliquod lumen in hoc creato Medico eluceſceret, ſupra vulgarem, ordinariam, atque naturalem poteſtatem animæ intellectualem. Tandem, quod nec Athei, nec Gentiles, ut neque Iudæi, donum iſtud Medendi unquam receperint, non aliunde, nec longius deducendum eſt, quàm quod de facto morbus, remedia, horumque omnis appropriatio, adhuc hodie ſint mortalibus ignota. Eſt namque argumentum ineluctabile: Hactenus Adeptum Medendi fuit ignoratum: ergo non dedit Deus illud paganiſmo anteactis ſeculis, ut neque Scholis, cæcos ductores ſequentibus. Cujus correlativum eſt, quod, quicumque aſſentitur Scholarum paganicarum doctrinis, ſecluſus ſit à principiis veris Medendi. Aſſumtum enim demonſtrabo, Deo favente, amplo volumine. Manſiſſe nimirum ignorata principia cognitionis cauſarum ac radicum, in morbis, remediis, & appropriationibus. Conſequentia per ſe clara eſt: niſi oſtenderint, aliunde, quam à Deo, derivari omne donum bonum. Nam pro ſtabilimento doni Medendi ſat eſſe deberet, quod, licet Adeptum medendi tam prope naturam Intellectus ſit, ut propter objectorum naturalium propinquitatem, & neceſſitates, conſuetum ſit, tribui naturalibus ſcientiis, per ſimplicem Intellectum apprehenſis: attamen, quatenus ſaltem includit dona prudentiæ, conſilii, &c. quæ ſunt chariſmata Spiritus ſancti, debet profectò donum Medendi ferri, & exſpectari, ab initio tali, quod planè fertur ſupra naturæ orbitam. Etenim non raro quis, mediis demerſus ſomniis, extemplò cognitionem concipit, quam nunquam vigil erat aſſecutus. Nox nocti enim indicat ſcientiam. *Sæpè ſic quis legit locum, multoties lectum, abſque fructu, unde demum vitam emendatiorem inſtituit. Nonne enim iſta deſcendunt à Patre luminum? Sunt ergo ejuſmodi ſcientiæ, infuſæ quidem, licet non de ordine excellentiori. Sunt, inquam, talenta, ſuper quæ Intellectus benè formatus poſtmodùm ſtruit doctrinas utiles.* Docti enim (*ut tales*) fulgebunt (*præ indoctis*) in regno cœlorum, *ſi doctrinæ ergo, animæ ſe habilitaverint ad majora chariſmata. Placuit nempe ſibi Omnipotens in diverſitate manſionum, chororum, claritatis, & Intellectus Angelorum, hominumque hos comitantium. In favorem ſaltem Adepti medendi facit, quod inter ſeptem ſpiritus, proximos throno Dei, unius nomen eſt,* Medicina Dei. *Eſt enim ſupra Principatus, thronos, Poteſtates, & Dominationes. Attamen Cælites non ægrotant, nec Medicina indigent. Nec eſt ejuſmodi* Medicina Dei, *Metaphoricè ſumenda, quæ callebat proprietates, etiam in felle piſcis. Hoc loco autem ſuſcepi Lithiaſis ortum, quem promiſi, quatenus calculus metamorphoſin continet, quæ nullatenus ab humoribus ortum ducere poteſt, ſed à mero lotii excremento. Ideóque hic tractatus facilè carere potuit tractatu,* De figmento complexionum & humorum.

TRACTATUS DE LITHIASI.

PETRIFICATIO.

CAPUT I.

1. ANte Paracelſum jam nutabant Scholæ Medicæ. 2. Veterum opinio de cauſis petrificationis. 3. Sanior doctrina Paracelſi. 4. Fluxus ſeminum ad petram. 5. Diſpoſitio mineralium à condito mundo. 6. Quæ linea Trivalis. 7. Quid mons ſiliceus. 8. Vnde petrarum diverſitas. 9. Pulvis adamantis ſemper flavus. 10. Saxa & lapides, ut differunt. 11. Semen petræ, in quo excedit ſemen vegetabile. 12. Petrificatio Humana, & cur denti petra adnaſcatur. 13. Notabilia aliquot. 14. Inſecta quædam cur non petreſcant: perfectiora autem animalia, quandoque prorſus. 15. Formam non introduci ex potentia materiæ. 16. Quomodo homo petrificatur. 17. Petra nil commune cum calculo. 18. Duelech Paracelſi. 19. Encomium Dauci, &c.

1 EMunctiores Medici exacti pridem ſeculi, ſtupuere ſilentes, tam infauſtam ac inobſequentem ſuis theſibus, doctrinam Scholarum, de Elementis, Temperamentis, & Humoribus. Neque enim ſibi ſatisfacere potuere, quaternario humorum, pro omnibus morbis. Quamobrem Paracelſo longè fuit facillimum (qui præpollenti medicaminum teſtimonio, totam Germaniam, in ſui admirationem traxerat) jam nutantibus perſuadere figmentum ſui Tartari, è cibis, ac potibus, proditoriè intrantem Tartarum, morborum quorumcumque veram eſſe cauſam. Quæ ſua putatio fidem fecit, ſicque modo radicem ſtabilem fixit, ut non ſit ferè quiſquam, qui ad Tartarum Paracelſi non confugiat. Debebam quidem Tartaro tractatum ſingularem, qui ad hiſtoriam calculi accinctus eram, niſi inter initia phyſica, de illo abundè ſcripſiſſem. Ideóque volumen iſtud truncatum deſeruiſſem, ſi inde tractatum de Tartaro huc tranſtuliſſem. Si quidem conſtituta ibidem, primæva naturæ integritate, intra materiam, Archeum, & vitam, ſive formam, cum ſeminalibus initiis, inauditis hactenus, fermentis quoque, tranſmutationum quarumcumque authoribus, noviter detectis, rejectis verò elementis, qualitatibus, complexionibus, horumque pugna, lucta, contrarietatibus, & victoria. Humorum item, & Catarrhorum figmentis, extra naturam, & Medicam conſiderationem, relegatis: Flatibus demum, Tartaris, & tribus primis Chymicorum principiis, extra morborum palæſtram præſcriptis: ſenſim dein à theoricis, ad pathologica deflectens, naturæ defectus, & alteritates explicui: atque medullitus veram morborum cauſam, antehac inauditam, mundo manifeſtavi. Igitur Calculo, ut monſtro domi nato, hunc librum, velut exlegem, nuncupavi, deſertoque nunc Tartari errore, à Paracelſo mutuato, ad ignotam Scholis petrificationem jam venio.

2 Enimverò Veteres, ſua Ariſtoteli nomina dantes, juxta principia hujus adhuc arbitrantur, lapides, atque mineralia univerſa, abſq; diſcrimine, fieri ex terra potiſſimum, mediante calore, & frigore, opificibus externis, cum additamento tamen trium aliorum elementorum. Attamen pondus ſaxi, cum aquæ pondus excederet: conjecere inde, terram fore omnium mineralium materiam propriam. Et quanquam hæſitarent in pondere auri, ſcirentque tamen, ex pondere peti demonſtrationem Mathematicam, quovis Syllogiſmo fortiorem: nec interim crederent, aurum eſſe terram, neglectis ſui dimenſionibus, multoties ſeipſam penetrantem. Multoque jam magis, ſuis diffidebant theſibus: cum aurum non ex ſola terra, cæteris tribus ponderoſiore; verùm ex levioribus aliis, juſta, ſive æqua lance, atque proportione miſtis, componi ſtatuerent. Idcirco conſilii inopes, indaginem ponderis ſuſpenderunt ad clavum, ac poſthabitis litibus, velut ſopore preſſi, contenti fuerunt dixiſſe, metalla, velut frigore glaciata (eò quòd ignis tortura fluerent denuo) exſiccatoque aquæ ſuperfluo, aëre verò & igne propemodùm excluſis, manſiſſe quaſi arefacta. Hoc ſic tulit arida Ariſtot. Philoſophia. Theſin autem ſuam probarunt, ut dixi. Nam metalla contrario (ut putant) calore diffluunt. Quaſi verò glaciatum opus, non niſi follium miniſterio liqueſceret! vel terra eſſet liquabilis per ignem, rurſuſque pro lubitu, terræ faciem repeteret, quoties frigus ſentiret. Itane

ſui tam immemores Scholæ, quod non ita pridem,
aquæ elemento ex ſe intensè frigere dixere,
& remiſsè madere? adeóque metalla non ex
terra, ſed ex aqua glaciari debere? Terram verò
ex ſe, intensè ſiccam eſſe, atque remiſsè frigidam?
adeóque glaciari neſciam? Adeo ut hinc ſequatur:
Si metalla, potiſſima ſui parte, ſint terra:
nunquam fluere, aut deglaciari poterunt: cum
tantum poterunt, ad ſummum, eſſe remiſsè
frigida. Nec per intenſum calorem, terra poterit
unquam converti in aquam, aut aqueam
ſubſtantiam, dum liqueſceret in metallo. Siquidem
dant terrę intenſam ſiccitatem, quæ ab igne
non poteſt non fortificari; non autem deſtrui.
Similiter nec poſſit remiſſum frigus præpollentis
terræ, hanc, dum vi ignis in aquam eſſet liquata,
convertere denuo in terram. Quia credunt
remiſſas elementorum qualitates, non tantum
activitatis habere, quod alterius elementi
frangant intenſas qualitates. Etenim eodem ſtupiditatis
pede, quo cœperunt, pergunt dicere,
ſaxa, atque lapides, eſſe terram, calore induratam,
ac velut arefactam. Quod per terram figuli
probant, quæ calore ſolo lapideſcit, ut volunt.
Etenim, quia lapis non liqueſcit per ignem, prout
alioqui metalla: ideò à negativo naturam conjicientes,
ſe nodum omnem diſſolviſſe ſunt ratę.
Atque hæc craſſa Minerva unicuique ſuſpecta
eſſe debuiſſet jamdudum, ſi unum veternum
non dormirent omnes. Quid enim de ſulfure
dicent, quod igne fluit? An aqua, vel terra glaciata,
ſulfuri dedit initium, quia liqueſcit? Quidve
de vitri condenſatione, quod calore iterum liquatur
eodem, quo fit? Quid denique de ſale,
quod uno caloris gradu coagulatur, & areſcit, atque
altero liquatur, liquaturque rurſus ab humidis?
Pudet ſanè, in Ariſtotelicis nugis, qualitatumque
elementariarum fabellis, diutius immorari,
dum de rerum cauſis atq; origine indagandum.
3 Quapropter avos primus docuit Paracelſus,
omnia mineralia (quæ credit ex quatuor elementorum
congreſſu fieri, atque alibi, ex tribus
ſuis tantum initiis, materialiter) ex aqua potiſſimum,
adeóque eſſe fructus elementi aquæ,
non ſecus atque vegetabilia, eſſe fructus terræ.
Aſt ad me uſque neſcitum fuit, cuncta corpora,
quæ miſta creduntur, materialiter duntaxat ex
ſola aqua eſſe, nullo excepto. Corpus autem illorum
cogi, cujuſdam proprii atque ſpecifici ſeminis
neceſſitate, ad fines ſoli Creatori cognitos
à priore. Quam propoſitionem ex pleno probavi,
in initiis Phyſicis. Neglectum quoque fuit
hactenus, quomodo hæc rerum ſemina ſub lucem
veniant, ſe corporum involucris tegant, eademque
diſponant, ac qualiter ipſa ſemina, corporum
importunitatibus tandem neceſſariò auſcultent.
Quapropter nec erit ingratum, ex doctrina,
à me alibi fuſius tradita, ſeminum progreſſum,
fluxumque ad formam, ſuique maturitates
in mineralibus, hoc loco ſuccinctè repetere.
Enimverò ſi non petra fit petra, neceſſe eſt,
petrificationem, entis alicujus novi generationem
includere: omnis autem generatio præſupponit
aliquale ſemen, quod materiam, ad ens in
potentia, diſponat. Cum nihil, quod non eſt vitale,
ſeipſum ad perfectionem promovere queat.
Eſſetque ideo ſtulta ac fortuita perfectio, quæ à 4
corpore, abſque ductore interno, & ſtatuto ſibi
fine, procederet. Itaque ſi corpus diſtinguatur
diſpoſitivè, ab efficiente interno, profluatque in
productione ad fines ſibi in natura propoſitos:
ergo & ſeminis etymon, ipſi jure competit: quia
ex initio prorſus incorporali procedit. Hoc autem
initium ab imagine, ſive juxta Ideam, à generantis
conceptu, ſive cogitatione, fabricatam
(quæ proinde vis imaginativa vocatur) in vitalibus
profluere, facilè mihi concedetur. Sed quod
inanimata, in ſuis primis entibus, inſita habeant
dona ſeminalia, quæ per modum recipientis, etjam
analogicè, quadantenus imaginationi reſpondeant,
docent antipathia, & inanimatarum
ſympathia. Oportet namque non ſenſitiva
(puta Magnetem) ſentire quodammodò
poli ſitum, ſi ad eum ſua ſponte ſe dirigat, non
autem à polo trahatur (prout libro de Peſte, manifeſtis
argumentis doceo) ſentire item ferrum,
ſi polo neglecto, per electionem, ad ferrum ſe inclinet.
Quæ ne tædioſè à me hîc repetantur, ſufficit
obiter ſic ſuppoſuiſſe, Porrò, ſeminis iſthæc 5
Idea, & entelechia entis novi, ſeminalis nempe
cauſa efficiens, etiam in non ſenſitivis, ſuo fungitur
munere, non ſecus atq; ſi vita & ſenſu polleret.
Quæ Idea auram ſui Archei veſtit, ejuſque
medio deinceps diſpoſitiones corporis & organa
perficit, completque tandem, quæ in adumbratione
ſeminalis ſuæ imaginis ſunt deſignata
ad fines ſoli Deo cognitos. Atque hactenus etiam
omnis creatura originaliter à Deo dependet. Hic
namque animalibus, ac plantis, ſeminalem fabricandæ
ejuſmodi Ideæ, id eſt: multiplicandæ, ſuſcitandæque
ſobolis fœcunditatem, gratis indidit,
vi vocis (*creſcite & multiplicamini*) in ſeculum
duratura. Quæ ſub Eccleſiæ correctione, ſic
à Sacris mutuo. *Terra initio erat inanis, & vacua.*
Duplici nimirum inanitate, erat obſepta.
Quod tamen de elemento aquæ non item dicitur.

tur. Terra namque in ſui condo, nondum habebat
mineralia,ſi vacua.Erat nempe terra, merum
putumq; ſabulum, nondum numeroſa varietate,
atque mineralium claſſibus diſtinctum.
Sed *Spiritus Domini ferebatur ſuper abyſſum aquarum.*
Non quidem quod iſta latio eſſet inane
otium myſterio carens,aut voluptuoſum natandi
ſolamen : Sed continebat myſterium benedictionis,
per quod aqua repleret terræ vacuitatem
fructibus,una inanitate: ex altera verò parte,per
vegetabilia,& animantia, terræ vacuitati ſatisfaceret,
inanitatemque ſaturaret. Ergo ante natam
lucem, in fluctitatione divini Spiritus, metalla
atque mineralia univerſa ſimul incepêre. Quod
mihi inprimis perſuadent occulta metallorum
lumina, aſtrorum æmula, & prægreſſa teſtimonia,
quæ noctu in fodiniferis montibus ſplendere
ſolent. Saltem Spiritus Domini, qui replevit
orbem terrarum,jam creandi avidus, in ſpondo
abyſſi aquarum, ſuo verbo ſigillavit fœcundam
deſiderii ſui Ideam, quæ in inſtanti, univerſam
terrarum,lapidum, mineralium, atque metallorum
opulentam diverſitatem protulit, quibus
terræ vacuitatem multo replevit fœnore, quam
ſcil. non ſat animantia & plantæ, ut neque adæquatæ
6 implere poterant.Stratum autem,ſive ſolea
terræ, quæ hæc aquarum ditiſſima proles in
vacuitatis impletionem eſt concredita,dicitur à
Paracelſo Linea Trivalis,matrix,ſeminibus mineralium
gravida, quibus Dominus implantavit
rationes,dona,atq;ſemina,in ſeculum ſat futura.
Ita nempe ſaxorum, atque mineralium ſemen
opulentum, eſt aquæ implantatum, ut determinationem
ſuam,atque fermentum, in terræ matrice
ſuſcipiat. Quid autem ſit terra virgo, extra
& præter mineralia, in Phyſicis demonſtravi.
Per Moſen autem,ditiſſimum hujus promtuarii
theſaurique ſemen,ex profeſſo neglectum videtur
: ne Iſraël, fontibus atque montibus divinas
ac immortales poteſtates tribuendo,iis immolaret.
Cæterùm ſabulum, ſive terra, ſibi undequaque
continua,ſuſcepto ſemine, in colles, rupeſque
ſurrexit, ſaxorumque ſtrata diviſit. Etenim
ut rerum ortus à miraculo incepit:ſic modò ſuis
ſecundis cauſis adhæret,ut rerum inviſibiles Archei,
horumq abſcondita ſemina, teſtentur, ſaltem
ſe ab mundo intelligibili regi. Hinc enim
aquæ,deſiderio ſeminum imprægnatæ manſere,
ſuique placiti Ideas,per aquam diſpoſuit Omnipotens.
Attamen hæc aquæ ſeminalia deſideria,
non fructificant, per ſucceſſivam unius ex altero
propagationem, more plantarum : ſed vis ſeminalis,
in theſauris aquæ deliteſcens, ſuas de
ſe proles ſigillatim ſuſcitat, easque ſucceſſivè
perficit. Includitur nempe ſemen, ſive Idea ſeminalis,
atque mineralis, aquæ, quam nec egreditur
unquam : ſed ſeipſum in iſta materia obſerat,
includitque, donec tandem ſub dierum
maturitate,inde fiat, quod natum eſt ex ea fieri.
Icon ergo operativa in aquis,ſenſibilem mox atque
fermentaceum odorem, ex monte Siliceo
ſuſcipit. Eſt autem mons Siliceus,ſolea,ſtratum; 7
ſive terræ intercapedo, in qua ſaxa, lapides, ac
mineralia univerſa, ortum ſuum ex aqua deſumunt.
Prout alibi, de origine fontium. Eſtque
porro ille odor, fermentum,unde tandem completum
ſemen minerale profluit. Hinc quoque
omnis petra. Non eſt autem hoc ſemen in mineralibus,
per Metaphoram, aliquod æquivocum,
aut analogon, ſub licentioſa ſimilitudinis
alluſione. Nam ſuccreſcunt novi ſilices, ac lapides
in fontibus & rivis. Quicquid autem fit, &
tantiſper dum fit, neque adhuc eſt in perfectione,
intenta ab Archeo : ſemen in ſe habet, ut naturam,
in ſuis conſtitutis univocam,intelligam.
Etenim aqua purè pellucida,habens in ſe ſemen 8
atq; fermentum lapidis,evadit cunctarum gemmarum
cryſtallus. Sin inſuper purus cujuſdam
metalli, vel pyritidis color,concurrerit, gemma
fit,duritiem & proprietates ſui coaguli ſequens.
Perinde enim ut ſtannum (quod pictoribus flavum 9
colorem, quem Maſticot vocant, præbet)
omne metallum (plumbo demto) friabile facit:
ſic & gemmarum duriſſimam tingit.Solus proin
Adamas, dat pollinem flavum : aliarumq; gemmarum
eſt albus.Sin autem aqua,non purè diaphana,
ſe incorporat colori metallico, fit lapis opacus,
Iaſpis,Achates,Silex,Porphyrus,Marmor:
& juxta mixti ſeminis exigentiam.Interim ſaxa 10
facilius diſſolvuntur, quàm lapides, iterumque
ſponte,vel per artem,in aquam redeunt(*qui convertit
rupes,in ſtagna aquarum.*)Saxa autem dico,
convertibilia in calcem: pereuntque ſubinde
ſponte,in agrorum ſumen,& cerealia. In lapidicinis
etiam, ſæpè ſponte ſtillat ſal nitroſum,perpetuo
ſtagmate. Quod nempe ſaxa redeant in
primam ſui materiam. Perinde ut verſa ſerie,petroſo
odore fermenti, aqua tota migrat in petram,
vel ſaltem pro parte,qua ſibi odor ille coaluit
radicitus.Idque tam inter fluendum, quàm
ſtagnandum. At nondum largitati Divinæ ſat
fuit,rupes ab initio,ſaxa & lapides feciſſe,ſemenque
propagandæ novæ ſobolis contuliſſe:quo ex
aquis lapides,ac petræ deinceps fierent.quin inſuper 11
voluit,ut ſemen petrificum, in multis, excederet
ſua vegetabilia,hiſque illa potiora ſe teſtaren-

ſtarentur:nec enim ſemen,cum aqua ſibi ſubdita,
ſolum petreſcit:quin inſuper corpus ſibi contiguum,
odore ſeminis petrifici,ſolo attactu,petrificat.
Sic namque Friderici Imper. chirotheca
fuit una ſui parte petrificata , quâ ſcilicet intra
fontem aliquantiſper maduerat : alterâ autem
medietate , ſigillo munita , corium permanſit.
Adeò,ut nedum herbæ,ligna,panes,ferrum,ova,
piſces,aves,& quadrupedia, miranda metamorphoſi,
ſint petrificata. Verumetiam Ambroſio
Pareo teſte , Pariſiis fœtus humanus eſt exciſus,
adultæ magnitudinis, in petram verſus. Fractus
eſt illi pedis digitus,intuſque tendines & oſſium
articuli apparuerunt. Itemque confracta gingiva
(erat nempe hiante, ac velut ejulante ore)
dentem ſubtus oſtendit,in maxillæ theca. Quod
mihi teſtatus eſt amicus , qui acuendis inſtrumentis,
parando organa Matheſi dicata,ſolet ſæpè
in hujus fœtus dorſo,cotem facere. Sic pariter
hiſtoriæ commemorant in Cryptis prope
12 Pergamum,aliquot cadavera petrificata,illorum
ſcilicet , quos belli pavor in abdita compulerat,
fuiſſe inquam à ſuperficie,in centrum uſque petrificata.
Vnde ſurgunt plura notatu digna.
1. Quod petræ ſuo generentur,ac proprio ſemine:
quodque dein etiam alio conſtent petrificativo.
Id eſt,nedum aquam,velut objectum proprium,
& proximum , naturaliter tranſmutent
ejuſmodi ſemina: ſed & aliena quoque corpora,
quæ præfatum ſemen odore tenus ſaltem hauſerint.
2. Quodque ideo,aliena illa corpora debeant
ad minimum ſymbolizare in aliquo , ſaltem
in materia remota. Cùm nil prorſus commune
habeant, præter illam materiam principiantem,
quæ in petris eſt mera aqua.Neq; enim
alias, poſſent diverſorum elementorum fructus,
toto genere ad minus diſcrepantes,in unum coincidere.
3.Quòd autem petræ non componantur
ex Tartaro coagulabili , tanquam materia
13 propria ac vicina : ſed ex proprio ſurgant ſemine,
quod natum eſt,etiam ex materia,non diſpoſita
ad petram,petrificare quid libet.4.Quòd ſemen
petrificum , unde herbæ,aves , nidus , corium,
&c. petreſcunt : potentioris ſit efficaciæ,
quàm alioqui ſemina vegetabilium, præexigentia
diſpoſitam à generante materiam. Ideo non
omnis fert omnia tellus. Semen autem petroſum
arripit quælibet , etiam procul à ſe aliena.
Dein,reliqua ſemina requirunt , ut ſubſtrata ſibi
materia reducatur in liquorem ſequacem, & ſeminis
ſuſceptivum, quem primam generationis
materiam dixere , poſtulantque , ut deſtruatur
quoq; omnis figura , & decor præcedentis concreti.
At ſemen petrificum,reſervata figura humana,
abſque intermedia putredine,aut materiæ
diſſolutione , totum per totum petrificat , tam
oſſa ſcil. quàm cutim.5.Quòd ſemen petrificum
conſiſtat in ſolo odore ſaxeo, qui eſt incorporale,
atque inviſibile fermentum. 6.Quòd materia
dentis non ſit merè oſſea:ſed inter os,& petram
media ſive neutra. Ideóq; & dens,ſuo contactu,
tandem petrificat, quicquid ſibi pertinacius adhæſerit,
ſive ex panificio, carne, olere, piſce,pomo,
aut legumine,puls iſta fuerit. Id eſt, quanquam
in ſe,neque ex ſe,ullam habeat diſpoſitionem,
ad petrificationem. Hoc ſemen inquam,
Paracelſum,& ſuos ſequaces,nomine Tartari,inſigniter
fefellit. Nam lapis dentalis non liquatur
in aqua bulliente, inſtar Tartari : nec eſt ejus generatio
Tartaro vini finitima: ſed eſt petrificatio
animalis, neutra : ex odore videlicet, & ſemine
petriformi, quem puls denti adhærens,per attactum
haurit. Huc ſpectat ſpeculatio cornuum.
Cornu nempe vaccinum,ut & ſoleæ,ſive calcei,
armentorum & gregis , ſunt proprio & ſimplici
nomine,de materia cornea. Cornu autem cervinum,
partim eſt de materia oſſea ; partimq; de
materia lignea: adeóque & propterea ſpinas atq;
ramos æmulatur,deciditque annuè,ob proprietatem
frondium,& partis ligneæ,retentam.Ebur
etiam,magnam partem oſſis habet . alteramque
lapidis, ſeu dentiformem. 8.Quod licet plura in
fontibus petreſcant, id tamen non fieri, non inſigni
odore petrifico. Ideo enim quotquot res
petrificantur,odore loci tranſmutantur:non autem,
quod petra de ſe, inſtar generantis, ſemen
edat. 9. Quodque ob id,petræ originale ſemen,
immediatè ſatum ſit à Creatore , conſtitutumq;
in locis, ad ſufficientiam , in terminum mundi,
ſufficiens. 10.Quod ſi petrificatio non indigeat
commento Tartari, multò certè minus morborum
generationes. 11. Quod quædam inſectæ 14
(inprimis bufo) licet innaſcantur ipſis ſaxis : attamen
non petreſcant , prout alioquin alia fere
quælibet : eò quod vitalem Archeum, per ſeparationem,
receperint à petris ipſis: non ſecus atque
ſeparatur pyrites , vel metallum , à venis ſaxeis ,
quibus innaſcuntur , ſervantque illibatam
materiam liquabilem. Itaque ſeparatus ille Archeus
manet inſuperabilis à ſemine petroſo.
12. Quod falſum ſit axioma,nullius formæ fieri 15
introductionem , niſi è præexſiſtente materiæ
diſpoſitione. Siquidem ex ſubjectis , genere etiam
diverſis, abſq; materiæ colliquatione,fit petra
immediatè. Enimverò Magi Pharaonis,dum
Cyniphes vidiſſent immediatè ex pulvere terrę,
quos

quos noverant immediatas aquæ ſoboles, exclamarunt: *Digitus Dei eſt hic*. Quia non poterant hunc effectum imitari. Nam cum terræ in aquam regreſſus ſit difficillimus, cognoverunt eſſe longè auguſtius, Cyniphes factos è pulvere terræ: quam ex virga ſerpentem, & viciſſim: vel ex aqua ranas, & cruorem. Quam difficultatem agnoſcens ſatan, non dixit: Dic ut panis iſte petreſcat (nam hoc contingit in natura immediatè) *ſed ut lapides iſti, panes fiant*. Unde nimirum Chriſti omnipotentiam ariolatus fuiſſet. Etenim ut à fundi fracedine, oborto ſemine petrifico, conchylia, cruſta lapidea loricantur: quorum ſemen non tam ſexuali conjugio, quàm per ipſam fundi fracedinem, propagatur, & conchis ideo foris adnaſcitur poſteritas. Ita ſunt & aliæ inſectæ, quarum Archeus incruſtari non potuit, nec ſuperari à ſemine petroſo. Pari cauſa atque bufo, omnem petrificationem forinſecus moleſtam à ſe arcet. Non ſufficiunt tamen ejuſmodi vermes, medendo calculo. Eò quòd horum vita ultima (ſub qua latet reſiſtētia adverſus ſemen petroſum) evanuerit, antequam
16 in medendi uſum aſſumatur. Fracidus quoque odor ſaxeus, ſi iñ ſuccum vegetalē terræ (quem Leffas Paracelſus vocat) inciderit, oriuntur ſtrata lapidea ſubter terram. Homo quoque, concluſus loco fracido, primùm odore petroſo ſuffocatus, qui odor dein arterias & ſolida pervadens, trāſmutat cadaver, priuſquam putreat, in petram. Sic namque terra ſuccum vegetalem odore petroſo penetrat, ſurgitque planta lapidea, quaſi è ſemine vegetabili tranſplantato. Ut patet in corallo, ac Muſco ejus. Sed unde fœtus apud Pareum, hauſiſſet odorem ſeminis petroſi? At non id accidit primùm vi ſeminis petroſi: ſed tranſplantatio facta eſt vi prægnantis, attētius admirantis ſculptrū ſaxeum. Alioqui conſtituto fœtu, tranſmutatoq; in ſaxum, deinceps inde odor ſaxeus dimanavit. Quo factum eſt, quod matris uterus, ferè totus, una cum fœtu illo, petrificatus fuerit. Etenim ut fumus, carnes ſale madentes, compactaſque, à circūferentia, ad centrum uſque, penetrat, ac tingit: ſic & odor petroſus,
17 carnes. Ut nempe è cadavere, fiat vera petra mineralis, nil quicquam habens commune cum Calculo: quemque ideo cum Paracelſo poſthac, Duelech nuncupabo propter ſingularem ab aliis petris naturam, atq; proprietates. At fumus, etſi carnes tingat: non tamen tranſmutat. Quapropter inde ſat patet, quod non omnis odor ſit ad rei tranſmutationem: ſed id duntaxat, cui accedit fermentum, unde odor fiat totus ſemine gravidus. Petrificantur ideo naturaliter quidem 18
ſuo ſemine, at mōſtroſè planè, ſuppoſita genere aliena, quia à ſemine peregrino loci. Stagnantes aquæ ſic conchylia incruſtant, fundo contigua, ob fracidum fundi odorem. Non item inſectas aquæ innatantes. Jdcirco aquæ decurrentes plerumque carent ejuſmodi beſtiolis. Cancri etiā, non niſi locis ſaxatilibus reperiuntur: eò quòd alia loca, petrę fermento deſtituantur. Circa annum 1320 intra Ruſſiam & Tartariam, in altitudine graduū 64, non procul à palude Kitaya, Horda Baſchirdorum, penitus in petras tranſmutata legitur cum toto armento, curribus, & armamento. Dicunturq; etiamnum hodie homines, cameli, equi, greges, atque omne concomitans curruum & armamentorum genus, ſub dio concretum, horrendo ſpectaculo, adhuc inſaxata ſtare. Quod ſi inde abſit miraculū, certè totus ille tractus, non niſi petra eſt continua, rimis pervia, quam ſilente per multos dies vento, depreſſaq; ſupernè aura, fortis odor ſaxatilis fracidus (qualis in cuniculis, ſive fodinis aliquot, ſpectatur enecans odor) ſpiraſſe potuit, ſuoſque inambulones una necuiſſe nocte, quæ tandem præ loci frigore, putredinem inhibente tranſmutavit, creaturas quas pridem ante necuerat. Non ſecus atque Pergameni illi, in Cryptis, & chirotheca, in fonte. Eſtque ideo potus talium fontium valdè inſalubris. Quia Archeum diſponit, in ſaxeam indolem, torminibus infeſtat, vitam abbreviat, enecatq; ideo præcordia, antequam bibendo tranſmutentur in ſaxum. In Monaſterio rubeo, Zoniæ, prope Bruxellam, ac templi ſacrario, ſpirant fontes aliquot, ſaxa qui parieti apponunt, contra adagium. Gutta cavat
lapides ſæpè cadendo. Unco namque, & ſecuri, 19
frequenter ſaxa adnata decutiunt. Monachi autem queruntur, ſe Strophos ſive tormina pati, niſi ſemine Dauci, cereviſiis incocto, utantur quotidie. Quatenus odor ſeminis Dauci, odorē ſaxatilem domat, & comprimit. Diſcant ergo Tyrones, non minus petræ ſemina ſua eſſe, quàm rerum aliarum, in vita media, ſub pallio odoris fermentalis: non autem in materiæ coagulo Tartareo.

Cauſæ Duelech Veterum.

CAPUT II.

1. Scholarum incogitantia. 2. Materia Duelech putata, ejuſdemq; effectus. 3. Cauſa illa Veterum rejiciuntur. 4. Decepit Scholas putatio, qua ratæ ſunt, effectum eſſe ipſam cauſam. 5. Similis eſt ubique humanæ naturæ progreſſus. 6. Probatur *error Scholarum in cauſis Duelech. 7. Aliquod incogitantia, inclementia, & ignavia Scholarum. 8. Elenchus Scholarum, in efficiente ipſius Duelech. 9. Argumenta ſenſu deducta. 10. Duelech fieri ex ipſo lotio: non autem à contentis, contra lotium diſtinctis. 11. Conſequentia ad cauſarum ignorantiam. 12. Tædium Authoris. 13. Mechanica Authoris, rejiciens Scholarum cauſas, aſſignatas Duelech. 14. Axioma Scholis oppoſitum. 15. Vanitas tartari in calculo. 16. Orate, & dabitur.*

1 EXPVGNATA jam pridem alibi, ac re-
purgata Tartarorum Horda, quæ duce
Paracelſo, morbos invaſerat, hoc jam lo-
co bellandum cum Galeni placitis, in cauſis
Duelech. Enimverò Scholæ, quaternario cau-
ſarum naturalium oblitæ, duarum tantùm me-
minere, pro generatione Duelech. Adeóque
mecum ſaltem conveniunt in nomine & nu-
mero cauſarum duntaxat: non autem in reipſa.
Siquidem docent, materiam & efficientem eſſe
parentes Calculi. Adeóque urguente propria
conſcientia, formam atque finem, vel cauſas
negant: vel inſufficienter de Calculo tractant,
vel tandem, Duelech è ſerie naturalium exclu-
dunt. Imò cum cauſam efficientem omnem
velint externam, relinquunt ſuis Tyronibus
concludendum. Quod Duelech tantùm à cauſa
externa efficienti naturaliter conſtituatur, &
2 dependeat. Materiem Calculi itaque, Scholæ
vocant quandam mucilaginem, quam vocant
viſcidam, ſive mucoſam pituitam. Efficientem
verò Calculi, volunt eſſe calorem, tam exter-
num lecti, &c. quàm ipſius malè affecti viſce-
ris. In quo, ſub limine, ſuum deſerunt patro-
num: qui efficientem negat internum, in Phy-
ſicis. Duelech itaque, à ſolo patrabitur calore.
3 Contra ego. Per mechanicam oſtendi, nullam
mucilaginem, ut talem, unquam eſſe, fuiſſe, ac
fore materiam ex qua, calculi. Sin autem ipſa
mucago, à vera quandoque calculi materia ap-
prehendatur, & ſub eadem claudatur: petreſcit
quidem à ſemine Duelech, una cum propria a-
lioqui materia Duelech, at non ratione mucila-
4 ginis, vel, quatenus tenax, aut viſcida eſt. De-
cepit enim inprimis Scholas indiſtincta illarum
experientiæ obſervantia. Quippe cernebant u-
rinam mucoſam eorum, qui jam in veſica lapi-
dem geſtabant: ſtatimque inde ſuſpendentes
ulteriorem indaginem, victoriam clamarunt,
ſeque proximam atque continentem calculi
cauſam inveniſſe geſtiebant. Miſeræ profectò
primùm Scholæ: at multò miſeriores infirmi.
Nam ſi ſemel poſt ſe reſpexiſſent, facilè vidiſ-
ſent, ritè exſecto calculo, ceſſare quoque mox
in lotio ejus infirmi, illam mucaginis, & ſolitam
antea ſaburram. Hinc namque Scholæ certò ſci-
re poterant, quod ſi illa mucago, quæ præſente
antea calculo excernitur, eſſet aliqualis cauſa,
vel materia ejuſdem; ipſa fieret ſanè, vel ob ipſa
veſica, vel à calculo, vel aliunde ad veſicam mit-
teretur. Si itaque miſſa fuit aliunde, utique ex-
ſecto Duelech, adhuc patrari, mitti, atque in-
dies excerni deberet: cum ſectio, & ablatio cal-
culi, ſaltem ſpectent veſicam: nullatenus autem
partem diſſitam, parientem, & mittentem con-
tinuas alioqui mucagines. Sin verò à calculo,
vel à veſica demum, ejusmodi mucago proceſ-
ſit, non erit ullatenus cauſa: ſed potius effectus
calculi, præſupponens præſentem calculum.
Oblæditur nempe veſica in ſui digeſtione, à
tam crudeli & moleſto hoſpite calculo: qua-
propter impatiens, partem ſui alimenti indige-
ſtam continuò plorat, quia perficere, atque pro-
movere eam nequit: novamque ideo accerſit
ſucceſſivè. Non eſt ergo iſta mucago, materia
calculi ex qua: ſed hujus lugubris effectus. At-
que ideo malè iſtam mucilaginem, in materiam
calculi accuſant. Vident namque, nec ſciunt,
quid viderint. Pituitam vocant, unum ſepara-
tumque videlicet, de quatuor primis humori-
bus, in ſanguificatione ortis: qui eſt alimentum
ultimum in digeſtione, & proximum ſolido-
rum, ſpermaticumque nutrimentum, è cruore
totaliter digeſto, in via degeneratum, ob indiſ-
poſitionem partis alendæ. Nam calculus in ſe
nil vitale habet, neque extra ſe habet, quam det,
aut de ſui ſemine ſuſcitet, mucilaginem. Mul-
tóque minus natura ſolicitat, intenditve calculi
augmentum, ut de continuo ſui fomento, de
procreando cogitet, quo ſuum intendat confir-
metque intus hoſtem propriamque perniciem:
ſi ab non errante præſertim intelligentia, ejuſ-
dem pendeat directio. Etenim Scholæ, ſi ulla 5
unquam tentarentur proximi charitate, aut cu-
ra ſciendi, ſaltem ad aliquot ſimilia tranſcurriſ-
ſe debuiſſent. Quod nimirum feſtuca in oculo,
continuas proritet invito lacrymas. Os ethmoi-
des oppilatum muco, continuum in coryza
provocet laticem, mucumque profundat. An-
gina quoque, ſic in deſinentem & mucidam ſa-
livam ſpumet: prout & dyſenteria propriũ ſtil-
let, cum ſanguine, Inteſtini mucum. Vidiſ-
ſent enim facilè tum, à veſica ſic per Duelech
obſeſſa mucum fieri, & continuò promanare:
non autem, quod lacryma ſit cauſa feſtucæ, in

oculo, vel profuſus latex aquoſus, os ſpongioſum,
in fronte oppilet; vel ſaliva mucoſa Anginam
procreet. Perpetuum eſt namque totius
commercium, quod læſo membro, aut poteſtate
ejus incola, aberrent ejuſdem functiones,
vitieturque è veſtigio ejus digeſtio, ac alimentum
illius, aliàs vividum, plerumque degeneret,
ut dum non in ſpermaticam; ſaltem in mucoſam,
deflectat indolem. Etenim ſic veſica
continuum deturpati ſui alimenti plorat mucum,
præſente calculo: ceſſatque, illo abſente.
Ergo per datum ejuſmodi mucum, probare
nimis frivole nituntur, cauſam nimirum calculi
materialem, eſſe id, quod poſito calculo,
per accidens, atque occaſionaliter conficitur
6 effectualiter. Denique, ſi ejuſmodi mucago,
in lotio obnata, eſſet materia ex qua, calculi,
calorque eſſet ejus efficiens proprium: quodque
ambæ hæ cauſæ ſufficientes, eſſent præſentes:
profectò cum poſitis cauſis ſufficientibus,
inexcuſabiliter ſuccedat effectus de neceſſitate:
ergo neceſſariò tota ejuſmodi mucago, mox in
veſica, calculus foret. Non ſecus ac totum univocè
lac, ſimul coagulatur à coagulo. Sicque
veſica, unico ſtatim calculo repleretur. Vel falſum
eſſet, quod poſitis cauſis, ad rei conſtitutionem
requiſitis, neceſſarium ſit, rem ipſam
fieri, vel eſſe. Attamen in terminis propoſitis
iſta mucago, continuo præſens (ſaltem ſucceſſivè)
ſub calore veſicæ, non tranſit (uti aliàs requireretur)
tota in calculum, juxta ſimilarem,
univocam, homogeneamque ſui unitatem: ſed
tota excernitur. Ergo duæ cauſæ calculi conſtitutivæ,
à Scholis aſſignatæ, nec veræ, nec ſufficientes,
7 eſſe poſſunt. Quapropter demiror
impensè tantam indagandi ignaviam, nec aliquem
tot elapſis ſeculis fuiſſe, illius curioſitatis,
qui excretum illũ, è veſica mucum, ſemel quoquo
caloris gradu hactenus exſiccarit. Didiciſſet
enim, certoque ſciviſſet, an inde unquam
calculus fieret, an verò tophus aliquis friabilis,
perinde atque ſi narium mucus areſceret in lamina.
Intolerandum itaque, quod Profeſſorum
hactenus nemo, lotium, ſimul cum mucilagine
præfata, debito foverit tepore, ut didiciſſet,
calculum, non muco: at bene, ex parte lotii, in
matulis concreviſſe. Indignor merito, quod in
rebus tanti momenti, unde penè infernalis indictio
tamen Scholis imminet; charitatis exſtinctio,
imò ipſa ſcientiæ denegatio, convincuntur:
nunquam tamen antehac conſideraverint,
quamdiu vivitur, nil unquam in veſica
poſſe exſiccari, aut areſcere: vel unquam actionem
caloris, ad calculi indurationem requiri,
ut partes aquæ abſumerentur: craſſiores verò,
eâdem ſimul operâ, tenacius condenſarentur.
Nam alioqui, ſi ſupponant caloris efficientis
neceſſitatem, ut inſtar calcis, ſui maturitate,
concreſcat calculus, à calore fotus.
Iam ſeipſas confundunt Academiæ, dum in frigore,
& matulis, urinam claram, & diaphanam,
ſuas cruſtas deponere vident. Maturari inquam
cernunt calculos, citra calorem, etiam & ſanorum
lotium, arenas, atque ſquammas matulis
affigere. Nec item hoc ipſum ſic fieri, ſi concluſo
vaſe, lotium fomentetur toto die craſſiſſime:
itaque eſt ignorantiæ, quod tota Medentum
perſpicuitate, nondum deprehenſa ſit differentia,
inter coagulationem ſilicis, in fonte, vel
fluvio, & arefactionem luti, à calore inſtitutam.
Diſcite ergo Scholæ ab inutili, ac minimo me 8
tyrone, lumborum calorem eſſe occaſione: non
autem occaſionem calculi, vel adhærentis arenæ.
Id eſt, non eſſe calculum à calore, ſed calorem
à calculo, pro-ut in digito calor à ſpina infixa
oboritur, non autem ſpina ibidem à calore
fit. Audiviſtis enim planctus ſtranguriæ, non
autem caloris, in calculo veſicæ: pro ut aliàs
querelas caloris in Lithiaſi renum. Quare ſi ca- 9
lor eſſet efficiens calculi: longè majores eſſent
quærimoniæ, in calculo veſicæ. Eò quòd hic,
propter majorem ſui duritiem, majoris quoque
caloris, & arefactionis, fœtus eſſet, quàm renum.
Magisque, quod ille continuo ferè latice natet:
ubi ren tranſlabentem urinam nequicquam detinet.
Violento ſanè calore calculus veſicæ opus
haberet. Conqueruntur etenim acrimoniæ,
ardoris, & doloris. Sed hæc non ſentiuntur in
nido calculi, pro ut in colis glande. Itaque acrimoniæ,
& doloris ſenſum, ac locum diſtinguere
norunt pueri: non autem Scholæ. Quinimò
etſi videatur urina mordax, & acris, tanquam
ignis urere, ut in ſtranguria: excreta tamen, nequicquam
ſolito, juſtoque eſt calidior, acriorve
ad guſtum, aut mage ſalſa Apparens eſt uſtio, &
acrimonia lotii: non quidem à vero calore, aut
ob acrimoniam aliquam lotii: ſed unice, ob
peregrinum aciditatis cujuſpiam tantillæ, fermentum
ipſi commiſtum. Quod docet ſtranguria,
à novellis cereviſiis, & adhuc ex acido
fermentantibus, contracta. Ideò namque aſſumto
Mace, vel croco (acribus nempe & calidis,
imò ad locum ipſum pertingentibus, ſi juvare
debeant, ſuique ideo odore, præſentiam in
lotio teſtantibus) ceſſet plerumque præfatus ardor.
Etenim Philoſophicum eſt, quod calculus 10

increſcat iiſdem cauſis, quibus oritur, & viciſſim. Sed noſtris matulis appoſiti calculi, confirmant calculum naturaliter fieri, ſaltem abſque actuali matulæ aut ambientis calore: ſive, non requiri calorem, ad ſui conſtitutionem: fit ergo, & augetur calculus, ex urina materialiter: non autem ex mucilagine vitali: nec pro efficiente, requirit calorem: multóque minus, ejusdem exceſſum. Etenim non apparet mucago rejecta, niſi prius præſente in veſica calculo: & ſic cauſa, poſt effectum ſuum, veniſſet tarda. Obſervavi namque, ſi quis per denſum linteum mejeret, neque in hoc reperiret mucilaginem: quod attamen poſt paucas inde horas, urina tranſcolata, vel filtrata, in vitro mundo, dederat tenue & rubens ſabulum, æqualiter adhærens, nec etiam copioſius circa fundum decidiſſet, quàm circum lateratim adhæreret. Idque in frigido ambiente ſic contigerat. Quapropter, vel inde quilibet certior eſſe deberet, quod iſtud ſabulum non initio mictionis, cum lotio egreſſum eſſet (quia nondum natum) neq; actualiter ineſſet lotio. Nam alioquin in linteo ſtetiſſet detentum, utut, tenue inſtar atomorum terræ figulinæ. Vel ſi linteum non ſat denſum, fefelliſſet: ſaltem mox ruiſſet ad fundum ſpecie arenæ, vel ſediminis, neque tanto grano, in fiendo, tantaque æquabilitatis diſtantia, ſe lateribus vaſis affixiſſet. Quia caruiſſet glutine, quo ſe agglutinare potuiſſet. Deniq; cum iſtud ſabulum careat glutine, per totam ſui ſuperficiem, excepta parte, qua matulæ adhæret: patet ſatis, quod unico inſtanti, quo ſabulum iſtud fieret, pariter etiã agglutinaretur. Inde enim, quilibet certior eſſe deberet (ſi unquam indagandæ veritati inſudaſſet) cum iſtud ſabulum ſeipſum vitro, ſuapte ſponte appoſuerit, etiam longè poſt emictionem fuiſſe generatum, immediato ſcilicet inſtanti, ante ſui affixionem: affixum autem, utut in ſe minimum, poſtea per additiones, accreviſſe. Quæ quidem ut fiunt à communi natura, in lotio gliſcente, & non à particulari atomo ſabuli, quod ſeipſum affigeret vaſi. Hinc etiam receſſit æquabiliter, & ſimul ex toto lotio. Ex hac enim tam ordinaria & quotidiana mechanica, ſi ſanitas Scholis cordi eſſet, jam ante aliquot ſecula noſcere debuiſſent (nec quidem argumento à ſimili, longéq; petito: ſed prorſus ab urinæ identitate, & calculoſæ arenæ) quod quandoquidem iſtud ſabulum concreviſſet ex materia lotii, eâdem ſcilicet, unde & calculus, & quidem abſente materiæ mucilagine, ac calore loci (ſtat enim ſtanneum urinale, in ambiente
frigido) itemq; extra ſuſpicionem Lithiaſis, ſive
infirmitatem mejentis (nam & ſanorum incul-
pata urina quælibet, hoc ſabulum generat, &
urinali apponit) ergo cauſis, ſabulum & calcu-
lum in nobis provenire, calculoſis, iiſdem ſci-
licet, quibus extra nos, etiam ſanos, urina gra-
nuleſcit in vitro. Quo mecum viſo, ſuſpiravi ſe- 11
rio, & certo cognovi, Scholas erraſſe in cauſa-
rum cognitione, & ceſpitare in hunc uſq; diem,
in ſanatione calculi, quam tamen temerè aſſu-
munt, & præſumunt. Indolui ingens, tot ſecu-
lorum ſtupores, falſaque commenta, magisque
infauſtas ægrorum obedientias, ſtrictas cliente-
las, dolores, mortes, familiarum præcoces de-
ſtructiones, viduarum tandem & pupillorum
ſpolia, ſub infidis & ignaris auxiliatoribus, me-
dentûm nomine decipientibus, cōtigiſſe. Tum 12
enim ſeriò cognovi, me nil ſcire, qui ex nil ſci-
entibus, mea didiceram. Faſtiditus itaque cœca
præſumtionis pridem meæ ignorantia, libros
abjeci, ac ducentos forte aureos in libris, dono
tranſtuli in ſtudioſos (utinam combuſſiſſem)
omnino mecum reſolutus, profeſſionem tam
ignaram deſerere, ſi non doli quoque plenam.
Tandem quadam nocte ſomno excitus, cogita-
vi, Quod nullus diſcipulus ſupra ſuum Magi-
ſtrum eſſet: animo tamen revolvebam, plures
ex meis condiſcipulis, ſuperaſſe ſuos didaſca-
los: ſed illius textus veritas mihi oblata. Quod
nempe fruſtra vigilaret, & ædificaret, niſi Do-
minus cooperaretur. Scivi itaque pariter, nos
fruſtra docere quemquam, niſi ſimul intus do-
cuerit omnis veritatis Magiſter, quem diſcipu-
lorum nemo unquam ſuperaverit. Inquiſivi er-
go dudum, atque ſeriò, quomodò ab hoc Ma-
giſtro, calculi cognitionem acquirerem. Siqui-
dem Authores, ne tantillum luminis habere,
agnovi perfectiſſimè: ac proinde neque ſcien-
tiam mihi dare poſſe. Me autem, mare magnum 13
ignorantiæ, & tenebrarum multiplicium abyſ-
ſum, fatebar, & quaſi carere omni luce, niſi u-
nica ſcintilla, ut mecum penetrans nihil agno-
ſcerem, mihi eſſet relicta. Adeóque etſi orarem
frequēter, attamen mox ſtatim animo deſpon-
debam. Tandem meiipſius trutinam faciens,
comperi, me fore liberum à calculo. Nunquam
enim renum dolorem ſenſeram, vel unicam a-
renam notaveram: attamen, ſubinde iſtud ad-
hærens ſabulum in matula conſpexeram, abſq;
tamen viſcoſitate ulla, aut moleſtia caloris, vel
doloris topici. Mirabar namque, effuſo lotio,
adhærere per matulam, ſabulum, adeóque affi-
xum, tanta æquabilitatis diſtantia, quod dene-

garet omnem præexſiſtentiam materiæ decidentis. Contigit ſemel, quod cum Heroinis, dynaſtarum uxoribus, adeóque & cum Regina ipſa, â tertia poſt meridiem, uſque in tertiam poſt mediam noctem Londini in aula Withal converſarer. Erant enim profeſta bacchanalium in Epiphaniis. Micturiebam autem, dum iſtæ mulieres me ſecum primùm ad regiam diducerent, quare honeſtatis cauſa, ad minimum horis 12, lotium detinui. Dein reverſus domum, non potui, etiam inſpectione accuratiſſima, vel atomum arenæ in lotio meo offendere. Nam timebam, ne ſupra modum diutius detenta, coctaque foret jam granuloſa. Quare curioſus, minxi per ſudarium. At urina erat immunis ab omni ſabulo. Ergo poſtridie manè, novam urinam trans linteum minxi: eamque in vitrea matula, totidem horis (12 ſcilicet) detinui. Ac tandem vidi palàm, adhærentem arenam æquabiliter diſperſam, quaquaverſus ſteterat urina: effuſo denique lotio, tetigi digito arenam iſtam. Ac propria edoctus experientia, concluſi mecum, Quod quia urina, à me micturiente detenta per horas 12. non tamen ſabulum contineret, nec ipſe ejeciſſem: quodque aliàs, minore diei ſpatio, ſabulum in lotio meo, ambiente menſis januarii, condenſatum, atque vitreæ conchæ affixum fuerat. Scivi certo certius, quod nequaquam ad iſtud ſabulum requireretur materiæ viſcoſitas: quodque calor membri nullatenus efficeret coagulationem calculi. Inde domum progreſſus, disjeci à me doctrinam Scholarum, ac ſtatim apprehendit me veritas. Confirmatus namque & non amplius pro dubio vacillans, certè confirmatus credidi, quod interna, ſeminalis cauſa calculorum mortalibus eſſet ignota. Magno itaque animo, ſcribentum omnes libros faſtiditus iterum abjeci, & procul abdicavi. Nec aliunde, quàm à Patre Luminum, Magiſtro veritatis unico, vocationis meæ auxilium exſpectare decrevi. Statimque repudiavi omnes occaſiones accidentales, & tartari ludibria? itemque, quæcunque plus artificia, quam naturæ curſum referunt.
14 Vtpote ſciebam, quòd natura nuſquam primariò per calorem, aut frigus operatur, ut talia, tranſmutationes ſeminales: licet iis, ad excitamenta, vel impedimenta, agentium internorum, non raro uti cogatur.
15 Cognovi itaque, vana de Tartaro, commenta Paracelſi, ad hoc ſaltem à ſe inventa, ut generationem calculi, per fictam lapidum hiſtoriam, ſimilitudine Tartari vini, in univerſam corporum atque morborum naturam, intruſiſſe primus cenſeatur. Nam is etſi Duelech ſanaverit perfectè (ut cavet ejus Epitaphium) non tamen cognitionem theoricam, æquè atque arcani præpollentem uſum, nactus fuit. Nam ſic plurima experimenta oberrant inter idiotas, quorum tamen cauſas neſciunt. Defuerunt ergo auxilia librorum, defuitque vox viventis, quæ me coràm docerent: ſcirem tamen, quod væ homini, qui in homine confidit. Deus bone, conſolator pauperum ſpiritu, nemini propinquior, quàm qui plena libertate, ſe ſuaque reſignat in placidiſſimam tuam voluntatem, cumque neminem benignius illumines, ô Pater Luminum, quàm qui agnoſcens humilitatem ſui nihili, confidit ſoli clementiæ tuæ beneplacito. Da profunde Magiſter ſcientiarum, ut potius pauper ſpiritu fiam, quàm multâ ſcientiâ gravidus. Da mihi gratis, intellectum te purè quærentem; ac voluntatem tibi adhærentem. Illumina meas nihili tenebras, quantum volueris; nec amplius: quàm quod ſinam me dirigi juxta longum, latum, & profundum, ad bravium mihi à te propoſitum, nec in ullo unquam declinem ad me. Quia revera malus ſum. Nec aliud ex me habeo, ſum, poſſum, ſcio, aut valeo. Sit tibi gloria, quæ me docuit agnoſcere meum nihil.

CAPVT III.

Contentum urinæ.

1. *Commendatur Pyrotechnia.* 2. *Analyſis lotii.* 3. *Author ſpe fruſtratus.* 4. *Altera Mechanica* 5. *Tertia, quæ coagulum calculi, & aliquot alia docuit notabilia.* 6. *Modi aliquot condenſationum.* 7. *In calce ſaxorum, duo diverſa ſalia: neque enim unquam alias petreſceret.* 8. *Error Galeni, de cinere.* 9. *Author cum nil didiciſſet à coagulatis, diverſos demum ſpiritus examinavit.* 10. *Error Paracelſi de Tartaro.* 10. *Examen ſalium.* 12. *Summa virtus vegetabilium.* 13. *Vnde oriatur ſal in urina.* 14. *Duelech non petreſcit per modum calcis.* 15. *Synovia quid.* 16. *Examen ſaporum fermentalium.* 17. *Notatur Paracelſus de Mercuriis.* 18. *Abuſus, vetando uſum ſalis.* 19. *Mechanica ſalis urinæ.* 20. *Vanitas uronomantiæ Turnheiſſeri.* 21. *Duo ſalia fixiora in lotio.* 22. *Vtriuſque illius ſalis differentia.* 23. *Differentia ſalis volatilis, à fixo urinæ.* 24. *Fermentum ſtomachi, non eſt qualiſcunque aciditas.* 25. *Vrina cremata, non dedit Authori Alcali.* 26. *Potus vulnerarius cujuſdam ruſtici.* 27. *Alcali, non praexſiſtere: ſed fieri cremando.* 28. *Digreſſio ad aliquot claſſes ſimplicium.* 28. *Notabilis ſtupiditatis eſt, calcinatio cornu cervini.*

30. Sal marinus, an noceat calculoſis. 31. Salem non eſſe pro ſe vetitum, ut neque propter ſui ſpiritum. 32. Sal eſui aptiſſimus. 33. Mechanica mirabilis, in lotii diſtillatione. 34. Iudiciaria ex urinis, cur hactenus ſalſa. 35. Quid doceat calculus diſtillatus. 36. Nunquam terra, cum ſpiritu urinæ, facit Duelech. 37. Conſtituentia Duelech. 38. Quomodo arenæ fiant in matula. 39. Fabuloſa eſt calculi confirmatio. 40. Calculus miræ magnitudinis. 41. Ridiculus Paracelſus in calculo fulminis. 42. Duelech fit ex meris volatilibus. 43. Tres ſpiritus concurrunt in lotio, ad nativitatem Duelech. 44. Volatilia, non raro per concurſum, ſtatim ſimul fixantur.

1 IN noſtris furnis legimus, non eſſe in natura certius ſciendi genus, ad cognoſcendum per cauſas radicales, ac conſtitutivas rerum; quàm dum ſcitur quid, quantumque in re quaque, ſit contentum. Ita quidem ut cognitio, & connexio cauſarum, non conſtent clarius, quàm cum res ipſas ita recluſeris, ut coràm prodeant, ac velut tecum loquantur. Siquidem entia realia, duntaxat ſtantia in ſuis primordialibus, & ſuccedentibus ſeminum principiis, adeoque in vera entitate ſubſtantiali, dant notitiam & proferunt cauſam cognoſcendi naturam corporum, mediorum, & extremitatum. Quippe ſunt cauſa generationis, exſiſtentiæ, & permutationis ſecundum ipſorum radicem. Quoniam (teſte Raymundo) * *utcunque Logicus habeat profundum ingenium, argumentabile, aut naturale, de rebus extrinſecis: tamen nunquam per aliquam rationem, quæ venit ad ſenſum, poterit directè cognoſcere, nec judicare, cum quali natura, aut virtute, per fortitudinem intrinſecus, habeat multiplicatio grani, creſcere ſuper terram, niſi pro ſimilitudinario ab obſervatione deſumto. Nec ſciet unquam, quomodo ſemen in terra pullulet, creſcat, & colligat fructus: niſi cum doctrina experimentali prius intraverit in noſtram Philoſophiam naturalem, & non ſophiſticam, ſermocinalem illam, quæ naſcitur Logicis, per diverſas præſumtiones phantaſticas: qui cum prognoſticationibus ſequelarum, contra vim naturæ, faciunt multos pertinaciter errare, in ſophiſticatione mentis. Quia per noſtram mechanicam ſcientiam, intellectus eſt rectificatus, vi experientiæ, reſpectu oculi, & veræ notitiæ mentalis. Imò experientiæ noſtræ, ſtant ſupra probationes phantaſticas concluſionum, ideoque nec eas tolerant: Sed omnes alias ſcientias oſtendunt vivaciter intrare in intellectum. Vnde deinceps intelligimus per naturam, intus illud, quod eſt, & quale eſt. Quia per talem ſcientiam, Intellectus ſtat denudatus ſuperfluitatibus & erroribus, qui ipſum ordinario removent à veritate, propter præſumtiones, & præjudicata, credita in concluſionibus. Hinc enim noſtri ſe direxerunt ad intrandum, per quamlibet ſcientiam, in omnem experientiam, per artem, juxta naturæ curſum, in ſuis univocis principiis.* Spagyria enim ſola, eſt ſpeculum veri Intellectus: monſtratque tangere, & videre veritates earum: in claro lumine. Nec fert argumenta logicalia; quia nimis remota, & longinqua, de claro lumine. Ideoque habet tabula Smaragdina: *Per hoc genus demonſtrandi, fugiet à te omnis obſcuritas, & acquiretur tibi omnis fortitudinis fortitudo fortis, vincens omnia ſubtilia, & ſolida penetrans. Propterea vocor Hermes Triſmegiſtus, habens tres* (id eſt, omnes) *partes Philoſphiæ, atque totius mundi teleſmon.* Hæc ille. Inter orare ergo & pulſare, ſupponitur medium in naturalibus, quærendi per ignem. Ego quidem ſperabam urinæ contenta 2 inveſtigando, opticè noſcere, non alias ſanè, quàm per veram lotii analyſin. Itaque primùm meam urinam, vaſe ligneo aſſervatam, donec tandem fermentum ſponte conciperet, ebulliretque non ſecus atque vina: adeò ut auris perciperet ebullitionem. Sub cujus finem, ſtillabatur inde parum aquæ ardentis. De reſiduo autem, collegi ſalem albiſſimum, acuti, & urinacei odoris fœtulenti. Neſcio autem, an in tota rerum natura ſit aliquid ſubtilius. Nobile 3 ad Icterum, aliosque morbos remedium. Conatus ſum per hunc ſalem, diſſolvere Duelech in vitro: ſed non reſpondit eventus. Iterum per dies 13. putrefieri urinam propriam 4 de novo, in fimo equi. Vt partes diſſimilares, in ſeparationem vitæ ultimæ tenderent. Diſtillavi tum, cohobando quater juxta præſcriptum Paracelſi: & reperi frequentes cryſtallos flavas, & acuminatas. Quæ quanquam ad veteres excrementorum oppilationes conferrent, nil tamen adverſus Lithiaſin. Tertiò, miſcui 5 ſpiritum urinæ, aquæ vitæ deflegmatæ: atque in momento, ambo ſimul in offam albam coagulata ſunt: mirè tamen fugacem, atque ſubtilem. Oculus inprimis ibi me docuit. Quod ſpiritus urinæ, impar & ingens eſſet coagulum: quippe quod aquam vitæ eſſet coagulando. 2. Quod in coagulando ſeparaſſet partem ſegnem, & aqueam, quæ ſupernataret præfatæ offæ albæ non ſecus forte, atque in coagulatione Duelech, à reliquo lotii corpore, adeoque in mediis undis ſuam perficeret coagulatio-

---

* Teſtamenti c. 26.

lationem. 3. Quod coagulum, ſive ſpiritus urinæ
indiſſolubiliter, ſe nexuiſſet ſpiritui vini.
4. Non eſſe perpetuum (quod tamen loco axiomatis
Chymicæ propinant ſcholæ) videlicet;
quod omne acutum coagulans, eadem opera,
ſuum compar diſſolveret. 5. Quod ſpiritus urinæ
non ſe coagulaſſet in vitro, Juxta pulverem
contriti Duelech: ſed duntaxat ſe miſcuiſſet,
& concoagulaſſet, cum altero, vini nempe,
ſpiritu. 6. Quod ſi igitur obviaſſet ſpiritui terreſtri,
etiam cum eodem conjugium contraxiſſet,
ut ex ambobus ſpiritibus feciſſet corpus lapideum.
7. Didici ſaltem, quomodo ſpiritus
urinæ coagularet alium ſpiritum intra urinam.
8. Quod ejuſmodi aſſociatio, non ſit nuda partium
quædam commiſtio: ſed unitatis indiſſolubilis
connubium, ſubſtantialis quædam tranſmutatio,
entis novi productio, ab agente & patiente,
in corpus neutrum. Hoc experimentum,
6 introitum dedit ad indagandum Lithiaſin. Vagus
tamen adhuc manſi. Etenim poſt gratiarum
actionem me tranſtuli in meditationem, quot
modis res in univerſo condenſarentur. Prima
enim ſtatim ſe mihi obtulit glacies. Qua aqua,
frigoris formidine, & actione primitiva, ſe incruſtat:
non autem à frigore activè congelatur.
Prout alibi de Elementis. Cætera verò corpora,
quæ miſta creduntur, ut ſe prodant veros aquæ
fructus, eodem zelo atque tenore conglaciantur
à frigore occaſionaliter. Etenim ſic oſſa,
& enſis, facilius franguntur ſub frigoribus,
quàm æſtate. 2. Salia, dum illorum myria non
ſat exſiccata, relinquitur in frigore, ſeparantur
ab aqua, & granulantur, quæque juxta ſpeciem
& proprietatem ingenitam. 3. Si ſalia
quippiam rodendo ſubegerint, à nativa conditione
tranſeunt in neutrum, & coagulantur. Sic
nempe tartarus vini, ſapo, borax, &c. coagulantur.
4. Mucilagines dein, ſeminum connubio
inſpiſſatæ, & è corpore ſuo reſolutæ, fiunt
glutina, gummi, colla, &c. 5. Sin autem mucilago,
pingue commiſtum gerat, coagulatur
utraque ratione. Sic aloe, cepola, pix, reſina,
7 ammoniacum, Thus, Myrrha, Maſtix, opopanax,
ſarcocolla, aſſa, elumi, &c. 6. Terra ſalem & mucilaginem
convertens; ſi arefiat, condenſatur,
& induреſcit. 7. Sal minerale terræ innatum,
uſtulando lapideſcit in lapides, teſtas, ollas.
8. Quæ ſi fortiori gradu urgeantur, tandem vitreſcunt.
9. Leffas aqueum terræ, virtute ſeminum
induratur, in ligna, herbas, &c. 10. Sic aqua,
vi ſeminis, petrificatur. 11. Mucilago aſſociata
pulveri, tophos facit: cum pulvere autem &
calce, jam varia mentitur marmora. 12. Quicquid
calx diſſoluta comprehendit, id ſecum
coagulat. Quia ſunt in calce, duo ſalia, unum
lixiviale alcali, & alterum, acidum: quæ duo
dum ſe invicem demoliuntur, ſimul coagulantur.
13. Metalla, marcaſitæ, ſulphura, &c. vi ſeminum
ſuas nanciſcuntur, & proprias coagulationes.
14. Innato quoque glutine, ſponte concreſcunt
plurima, quæ poſtmodùm areſcendo dureſcunt.
Vt ſanguis, caſeus, albumen, vernifium,
&c. 15. Vitrum eſt lapis fictilis, conſtans ſale alcali.
Quod dum ignitum liquatur, corrodendo
liquefacit arenam, vel pulverem lapidis non calcinabilis,
nec aliàs fuſibilis: ſimulque in maſſam
diaphanam vertuntur. Ergo lapis calcarius, ſive
ſaxum, propter ſal acidum, ineptus eſt vitro.
Quia calx ejus deſtruit alcali vitrificans, fitque
neutrum quoddam opacum. Calx ergo invito
Galeno plurimum à cinere diſtat. Quod hic ſcilicet, 8
lixivium à ſe ſeparet: illa verò aciditatem
contineat non ſeparabilem à toto. Qua tandem
nimio igne concremata, per partem lixivialem
ſui vitrificatur, ædificando inepta. Iuxta Gebrum.
Quod omnia fixa tandem cum vitrificantibus 9
vitrificentur. Caſeus quoque, ut acido moderato
coagulatus, cum eminenti acido reſolvitur.
Raſura enim caſei, cum arida calce viva,
liqueſcit: non autem cum alcali cinerum. Ex omnibus
præfatis collegi, quod coagulatio Duelech,
ſit ſingularis & anomala. Calx etiam in mediis
aquis ſenſim petreſcit, quatenus præfata ſua
ſalia ſe invicem coagulant. Sed corpus humanum,
ut nec petram coagulat, ita nec calcem in
veſica tolerat. Enimverò mihi ſemper præ oculis
hæſit coagulum admirandum, quo ictu oculi
celerius, ſpiritus urinæ condenſaverat in offam,
ſpiritum vini. Ergo coagulationes omnes cæteras,
nil commune cum Duelech habere deprehendi.
Quapropter decrevi examinare ſpiritus.
Diſtillavi igitur primùm urinam equinam.
At ſanè ejus ſpiritus carebat illo coagulo. Quare
ſingularitatem lotii humani, cum ſumma admiratione
notavi. Obſervavi dein, quod ſpiritus 10
ſulfurum, vel ſalium, acidus, cum corpore alcalizato,
fieret terreus. Sic nempe cum ferro fit
ſcoria, ferrugo, ceruſſa, &c. Hæcque perperam
æſtimat Paracelſus tartaros, ſive rerum ſeparatas
impuritates, coagulo proprio, ſibique interno
obductas: Cum alioqui non ſint, niſi duorum
mutuo agentium conſternationes, viribus
ſcilicet utrimque exantlatis. Deinde, dudum 11
examinavi ſalia, per omnem analyſin:
ac deprehendi, omnium ſalium ſpiritus eſſe

acidos, exceptis alcalizatis, & ſulfurum eſſentialium in vegetabilibus. Quorum nempe acrimoniæ ſalinæ, ſunt pingues atque ſulfureæ, neque in ſalem præſto reductibiles, niſi per
12 principiorum tædioſam inverſionem. Quæ ſalia,
tum velut elixirata, referunt ſeminum concretorum veram ſummamque craſim. Spiritus autem lotii humani, nec eſt acidus, nec alcalizatus: ſed merè ſalſus, prout & jumentorum. Idque
13 ideò, quòd volatile acidum chyli ſtomachici
tranſmutetur vi alterius fermenti, in volatile ſalſum. Prout alibi de digeſtionibus animalium. Obiter hic adnoto, quòd in tranſmutatis non ſit regreſſus immediatus ad id, unde tranſmutatum eſt: non magis quàm à privatione ad habitum. Eò quòd in tranſmutando, pereat vita ultima rei: quia ſimul fere tota diſpoſitio, vitæ mediæ prioris entis aufertur, propter extinctionem prioris ſeminis. Idcircò enim tranſmutata ſervant propriam novi entis eſſentiam, cum prioris concreti neglectu. Inutile ergo reperi qualecunque remedium, quod veriſimiliter alioqui, à priore concreto, credideram diſſolutivum calculi. Iſtud tamen verum, quod ſpiritus urinæ, fundamentali nativitatis ſuæ puncto, ſit ſalſus. quodque ratione illius ſalis, promtius alios coagulet ſpiritus, quàm acidus quilibet, lac. Non tamen ſpiritus urinæ coagulat lac, aut cruorem: eò quòd ſpiritus cruoris, imò & vitalis noſter, ſit ſalſus, per modum urinarum. Hinc nempe ſpiritus lotii ſe habet per modum ſpiritus excrementitii, deciſi à cruore, adeoque propter ſymbolum ſibi ſit contubernalis, nec agant in invicem. Dein obſervavi quoque, quod ſpiritus urinæ non coagulet fortius, quæ jam ante ſunt coagulata. Nam bolus, lutum, ſaxumve, per urinæ ſpiritum, degenerant ſenſim in ſal nitroſum, ac potius diſſolvuntur. Cùm ergo ſpiritus urinæ non coagulet jam coagulata: qualia ſunt bolus, lutum: &c. neque coagulabilia, ut ſunt lac, & cruor: ſed coagulet ſpiritum vini, aut ſimile, quod ſecum in urina hoſpitatur (nam ut ſupra: poſt fermentationem urinæ, lotium continet, etiam ſpiritum vini, ſive aquam vitæ) non deſtiti ſeriò inquirere, quomodo in
14 nobis, & in lotio noſtro, calculus coaguletur. 1. Inprimis
indubium eſt, Duelech non eſſe ſortis calcineæ, utcunque in contrarium Paracelſus feratur. 1. Quia nobis deeſt gradus caloris, calcinans. 2. Dein, quia omne alcali potiùs petræ deſtructivum, quàm coagulativum eſt. 3. Quia calx præſupponit ſaxum, ideoque Duelech eſſet calcinatum, antequam ſaxum foret. 4. Ex partibus componentibus Duelech, mox conſtabit, non eſſe poſſibilem calcem in eo: imò nec ipſum Duelech calcinari, aut edere lixivium. Item nec eſt Duelech de natura cretæ podagricæ: quia concreſcit in medio liquoris urinæ: creta autem iſta coagulatur ex ſynovia. Eſt autem Synovia, mucilago vivens, & ſpermatica, quæ in itinere veri alimenti degeneravit, & ex diaphana cryſtallinaque, migravit in opacam, albam, viſcidamque materiam (ut de podagricis alibi) ex inſipida inquam, in acidam eſt tranſplantata, cujus acore nempe, opacitatem acquiſivit. Etenim & tum inepta eſt, ad ſui integralem difflationem: qua nempe liquor nutrititius, abſque omni penitùs reſiduo, conſumitur: Sed Synovia, ſemel 15
acore infecta, partes aqueæ ſuæ difflantur; reſiduum autem ſenſim areſcit, in ultimam tophi ſiccitatem, ac duritiem. At Duelech in ultimam ſui duritiem unico venit inſtanti. Diſtat ergo creta podagrica, à Duelech; tota materiâ, & efficiente. Ideo enim creta ejuſmodi induratur extra aquam, quia ſcilicet per arefactionem. Neque ob id petræ duritiem æmulatur: ſed tantùm tophi. Hæc eò dixi: ut conſtet Duelech, agente, & materia heteroclitis, differre ab aliis quibuſlibet coagulatis. Cumque tamen nondum ſcirem modum, aut proceſſum ortus Duelech; ſcirem verò interim, corpora, indurationis determinationem non ſuſcipere, niſi per ſeminum ſuorum actiones, deſtinationes, atque proprietates. Scirem denique, 16
quæcunque agunt corporaliter, eſſe ſegnia, inertia atque ignava prorſus, pro coagulatione Duelech: inquiſivi ideo ſapores & odores fermentales, tanquam plurium ſeminum authores. Salium itaque ſapores, atque illuſtres actiones quidem offendi: at nequicquam attingentes vim ſalis urinæ. Dein quoque, ſalia 17
languidiora aſpexi, quæ ſulfurum proſapiam ſequerentur. Aſt Mercurium, quanquam ſolus apud Paracelſum contineret totam rei perfectionem: deſidem tamen atque languidum inveni. Quoties namque à Mercuriis ſales & ſulfura diſtinxi, admiratus ſum illorum ignaviam, horumque verò principiorum duorum dignitates. Quapropter in ſalibus hæſi, pro indagatione nativitatis Duelech: Fateor equidem Mercurium, fluens metallum, in ſui natura, ac proprietatibus, nunquam ſat cognitum. At iſtud Paracelſum ſimilitudine analogi decepit: putans, quia ſibi placuiſſet commentum, quod verum aqueam materiam donaſſet nomine Mercurii, quod proin proprietates argenti vivi, naturæ

ſine pari, nunquam ſat indagatæ convenirent adæquatæ cunctis liquoribus, qui è ſimplicibus erui poſſunt. fatentur namque omnes piorum ſeculorum Philoſophi, nil in univerſo, ne eminus quidem, aſſimilari vivo argento: nondum tamen antehac ſatis explicatum ſit, quod argentum vivum ſit ſimplex actualiter exſiſtens: non autem rerum pars conſtitutiva: Adeóque non eſſe niſi meram tranſumtionem abuſivam nominis. Hactenus adhuc mihi perſuadebã: quod cum ex non Duelech fieret Duelech, id fieri debere per agentis actionem, in materiam diſpoſitam. Ac quamvis hæc atque ſimilia plura ſcirem: deprehẽdi tamen proinde me nihil plus ſcire. Quocirca magis adhuc deteſtatus ſum Philoſophiam ſermocinalem, utpote quæ me ſiſteret ante limen naturæ, & cum ipſamet ductrice mea, claudebar foris: Redii iterùm ad me, & ruſtico more conſideravi primùm, quòd Duelech non naſceretur, niſi è principiis urinæ: cumque lotium ſalſum eſſe ſcirem, recurri
18 rurſus ad ſalium varietates. Atque obſtupui, quod paſſim tam à Scholis, quàm à Medentibus, abſque controverſia, ſalis uſus interdiceretur calculoſis. Neſcitum tamen deprehendi penes illos, illius prohibitionis fundamentum. Præſertim, quod ſalis marini uſus, multus ac frequens, reali experientia nulli calculoſo unquam obfuerit. Quin potius accuratè notavi plures, qui copioſo ſalis uſu, ſibi calculi recentis & ſuccreſcentis recidivam amputarint. Videram namque maris ſcopulos, ut ſaxa, in portu exedi. Interim ſemper cum admiratione, in mentem recurrit, quod unico inſtanti ſpiritus urinæ coagulaſſet ſpiritum vini, cum ſecretione
19 partis aquoſæ. Deliberavi itaque primùm, ſalem urinæ, ad extremas ejus venas, anatomizare. Quare in olido urinæ meæ corpore, poſt putrefactionem ſub fimo, diſſectionem iſtam incepi: ac ſtatim diſtillando offendi, præter præfatum urinæ ſpiritum, bina adhuc ſalia fixiora, nec
20 plura: utcunque Turnheiſer varia nugetur pro lubitu, de repertis à ſe tot in lotio ſpeciebus, quot penè ſunt ſimplicium in univerſo. Volens, nedum hominem eſſe microcoſmum: ſed ejus etiam lotium, eadem prærogativa gaudere. Nam ad hoc vas ſtillatorium; pro auſu ſuo, in partes 24 diſtinguit, & foris, ſuis annotat lineis, corpuſque humanum in totidem ſoleas dividit. Vult tandem vapores, ab urina diſtillando elevatos, debere ferire præcipuè regionem vitri, eaque parte in guttas concreſcere, qua in homine, cujus eſt urina, morbi negotium peragitur. Fingit item tot vaporum diverſitates ſurgere ex urina, quot morbi in univerſum eſſe poſſunt. Vt inde nedum loca affecta: ſed & materiam morbificam ediſcamus optice: etenim ſic ſuas uronoſcopias, nequitiæ ac vanitatis magices ſuſpectas, ut excuſat, per diſtillatoria hydromantica, mundo imponere ſategit. Id eſt. In ludicris, ſerius omnino videri voluit: aſt ego nunquam diſtillavi, ut mecum alios dementarem. Valeat igitur inutile Turnheiſeri inventum, nugaciter ſaltem, ſi non & impiè in Medicinam introductum. In fæce 21
urinæ itaque, diſtinxi duo ſalia, unum quidem marinum: non ita pridem aſſumtum, & adhuc ſoſpes, atque immutatum (ut alibi, de coctione ſalispetræ, oſtendi.) Alterum verò, eſt ipſius lotii, in noſtra digeſtione natum, & ex non ſale tranſmutatum. Differt autem à Marino.
1. Si per aliquot dies, nullius ſalis Marini uſus 22
fuerit: non tamen ſuum urinæ, ſal deficit. 2. Sal maris coagulat ſe in grana, punctalis acuminis: Sal verò urinæ in talos, ac cubos gemmeos concreſcit. 3. Sal maris priſtinum ſemper guſtum refert etiam è latrinis, cum ſale petræ confectum. Vrinæ autem ſal ſemper ſapit urinam. 4. Sal marinum adhæret vaſi ligneo in ſui refrigeratione, prout dum ſeparatur à ſale petræ. Sal urinæ verò, concreſcit in liquoris fundo. Porrò diſcernit ſe ſal urinæ fixus à vo- 23
latili. 1. Per ignem & fugam. Vnus namque evolat, altero perſtite. 2. fixus ſeparatur à fæcibus, per extractionem, in liquido: volatilis verò, ſequeſtratur per ignem. Etenim quanquam cibi atque potus univerſim aceſcant in ſtomacho æqualiter: attamen non æquè volatiles ſunt ſales inde nati. Quia iſtud ſtomachi fermentum recipitur per modum recipientis, & ſic variat. Prout nec chryſulca, diſſolvens totum ac homogeneum metallum, proinde totum æqualiter fit volatile. Hæcque diverſitas non prorumpit ex eſſentialibus: ſed pro participatione, proprietatum vitæ mediæ rerum. Nec demum iſtud fermentum ſtomachi, eſt 24
nuda aciditas: ſed dos vitalis, atque ſpecifica: cujus nempe finis eſt, tranſmutare cibũ in chylum humanæ digeſtionis. Siquidem plura aſſumuntur fixiora cum cibis, quæ debent tamen parem ſubire cum volatilibus ſuccis conditionem, ſi penitius ad vitæ radicem migrare debeat. In quo puncto præcipuè elucet naturæ energia: quæ ex maſſa prorſus ſimilari, oſſa, & fibras carnis, fabricat, &c. Oſſa denique, in canino ſtomacho, ad chylũ reducit, ut inde iterũ cruor

25 fiat. Sunt ergo præfati duo ſales fixiores. Vnus autē ſūmè volatilis,in lotio. At nunquā ex urina mihi apparuit alcali, aut lixivio ſimile. Etenim ſin aliquid lixiviale intro aſſumtum fuerit: id ſtatim acidis ſaturatur, ut lixivialem indolem 26 deponat. Vidi nempe ruſticum, qui vulnera ingentia curaret, potu lixivii, è Tilia parati. Illorum tamen lotium nil prorſus lixiviale oſtendebat. Docui proinde alibi, omne alcali fieri per ignis expreſſionem liquefactivam: concretis nec ante infuiſſe, ut neque fixum. 27 Quod ſi verò ſpiritus aliquis volatilis proprietatem alcali referat (prout eſt herbarum quarumcunque vulnerarium)is quidem abſterſivus,ac diureticus eſt: propria tamen vi, ſub altera digeſtionum, naturam ſalis urinæ induit, cohibet corruptiones acidas, quæ ſponte alioqui deinceps vulneratis orirentur. Cum igitur non ſit alcali in lotio, errorem duxi, alcali potare pro ſaxifragio: cum non perveniat ad loca urinæ. Neque enim Ludus Paracelſi parat lixivium: 28 ſed ſalem ex acido, amarum. Quapropter ſuum Ludum,fel terræ vocat. Eſt enim lapis ſiliceus, tenerior tamen, & qui ferè totus, per diuturnum bidui ignem avolat.Cum ſale petræ verò, multò celerius. Porrò lapides, gemmæ, arenæ, marmora, ſilices,&c. adjuncto alcali vitrificantur: ſin autem plure alcali coquantur,reſolvuntur in humido quidem: ac reſoluta, facili negotio acidorum ſpirituum,ſeparantur ab alcali, pondere priſtini pulveris lapidum. At hæc nunquam ad urinam veniunt, ut nec ſaxifragio utilia. Saxa autem, quæ ſulfur phlogiſton habent, calcinantur quidem, verum non vitrificantur facilè, eò quòd ſal ſulfuris reſiduum, & acidum, conſumat alcali vitrificans. Metalla quoque, propter omnimodam & invictam mercurii ſimplicitatem, atque impoſſibilem penetrationem, vel immutata, ludunt operam ignis, vél tota aufugiunt: Sic tamen, ut quanquam fumo tenus avolent: fumus tamen iſte denuo, in priſtini metalli naturam reduci poteſt. Quapropter nullum unquam metalla dedere alcali: multóque minùs ad urinæ diverſoria pertingunt. Marcaſitæ autem, cum ſulfur habeant cremabile, alcalium vorax: illorum tamen Mercurii reſiſtunt, quò minus ad lotii hoſpitia veniant. Sanguis quoque, licet ad medendum habeat ſalem mirabilem, tam fugitivum, quàm fixum, non tamen proficuum in Lithiaſi animadverti. Cæterùm teſtæ limacum, terreſtrium,vel conchyliorum aquatilium, pro parte, qua acidum, & calcarium ſalem gerunt, proſunt quidem calculoſis abſterſione indigentibus: ſed luctam continent, pro parte ſui lixivii, quatenus ſcilicet ad lotium nunquam perveniunt. Oſſa animalium combuſta, nullum 29 ſibi ſalem fixum retinent: at tantùm inſipidam terram reſiduam. Notabilis ergo ſtupiditatis eſt, ebur, & cornu cervinum, calcinari in morborum præſidia,quia mercari jubent pulverem, viribus orbatum: adeóque & crumenæ, & ſpei ægrotorum imponunt, occaſionem benè agendi prætereunt, ac ſeipſos ridiculos faciunt. Pro me autem ſpondent Monetarii. Siquidem teſtæ probatrices,(quas vocant capellas)conſtare debent cinere, orbato omni ſale. Quare optimè, è cinere oſſium, longéque excellunt ex ebore & cornu cervino. Enimverò primis annis, 30 traditiones Scholarum totidem erant oracula penes me: At per ignem me edocto, univerſa Scholarum theoremata igne deleta ſunt. Perſuaſerant inter cætera, quod ſal maris calculoſis nocivus eſſet, tam quatenus ſali urinario præberet materiam, quàm quod mucoſam pituitam pro Duelech præcipitaret. Examen ſalis per ignem, ſecus me docuit. Inprimis ſexagenarium (mihi à diſtillationibus) immunem à renum calculo,ſervavi annos ſedecim (cui alioqui obnoxius erat) largo ſalis marini uſu. Quod deinceps in multis confirmavi. Etenim Scholæ, dum viderent, in acri myria ſalis refrigerata, ſalem quemque ſuo more coagulari, illamque myriam non fieri meracam, niſi per exhalationem partis aquoſæ: ſtatim ſuſpicatæ ſunt, calculum coagulari à ſale, & calore exſiccante: adeóque putarunt, nec ſalia quidem in dicta myria granulari, niſi per ſalis innati calorem: qui proinde ſeſe in effectum explicare non valet, quamdiu plurima eſt aqua illi præſens. Itaque dum proprium mucum, deguſtarent ſalſum: & quidem ſapore ſalis marini, non autem ſalſedine lotii: vellentque connectere efficientem in materia: ratæ ſunt, in eodem muco eſſe viſcoſam ac tenacem materiam, junctam ſali, ſalem quoque eſſe per ſe ſalſum:tandem decreto perpetuo ſanxerunt, calculum generari è phlegmate ſalſo, ideóque etiam calente actualiter: & per conſequens, ſalſa calculoſis nocua. Imò & phlegma manens tale, mutatis qualitatibus, propriiſque paſſionibus, migrare in calculum, per calorem, viſcoſamque ſiccitatem, perinde ut glutina,ac colla,ſenſim abeunte parte aquea, ſpiſſam ſui tenacitatem inducunt. Bone Deus, quàm inſulſæ Scholæ, & quàm inſulſos nos jubent eſſe? quaſi ubique mortalium

curam gerens, atque ſalibus providens, finxiſſes ſtudio tuo, ut calculoſi fierent. Quanta eſt illarum ignavia, quod nunquam tentarint unicum ſalis pugillum, calculoſorum urinali inſpergere, ut explorarent, num ſal marinus arenas futuras coagularet, alioqui matulis adhæſuras: num inquam lotii tanta ſit ſalſedo, ut ne quicquam ſalis ampliùs in illo liqueſcat. Nam lotium ſi ſit reſolvendo ſalem: jam ſal iſte non poterit eſſe cauſa granulationis. Denique reperiſſent facile, ſalem maris, urinæ injectum, impedire coagulationem: non item eam cauſare. Salem marinum inquam reſolvere paratam materiam coaguli, nec coagulum ſuſcipere. Quicquid autem deſtructionem meditatur illius coaguli, neceſſariò quoque coagulationem inde provenientem turbabit. Etenim ut Scholæ noſtra rident coagula in rebus: ita viciſſim rideo illarum inſulſitates, quod calculum, vel ſilicem, in fundo aquoſo, per calorem concreſcere, ſive areſcere exiſtiment. Pro coagulo enim petroſo, certant fontes & flumina, quorum fundus, calorem, atque ſiccitatum regulas explodit. Denique pro coagulo liquorum, ſpondet caro noſtra, itemque cruor, lac, & mucus. Etenim ſi ratum ſit, quod pituita ſit materia ex qua calculi, ſaliſque myriam recoctam, abraſiſſe, & ſecum diſſolviſſe, carnium ſalitarum mucoſitates, eaſque demum per ebullitionem inſpiſſatas in ſpumam rejeciſſe. Cognoviſſent utique ſalis uſum nullatenus vitandum, ac vetandum. Sed tanta Scholas obſedit explorandi ignavia, quod lucello infami contentæ, cuncta neglexerint, quibus proximo prodeſſent, ſi non etiam ſibi. Etenim ſi calculus, in urina (etiam coctus) reſolveretur, vel quod urina non eſſet reſolvendo ſali ſibi injecto: potuiſſent nimirum eo viſo, ſalem penitus extra uſum hominum proſcripſiſſe? At ridet Scholas vulgus, ſaliſque uſus, in deſpectum regularum, increbuit. Adeò ut deſpecta Scholarum authoritate, nedum inſuavis: ſed etiam inſalubris ſit victus, abſque ſale. Sin autem ſalis conditura palato arrideat: non id aliunde favetur, quàm quatenus ſal reſolvit excrementa, ſtomachum ſuo mucore gravantia. Etenim ſi ſal catechumenis, in ſymbolum Sapientiæ, primis à nativitate horis, oretenus indatur: Scholæ autem multo conamine omnem ſalis eſum interdixerint. Quid enim aliud inde ominandum, niſi quod Sapientiam non admittant Scholæ ethnicæ, cujus videlicet ſymbolum excludi cavent? quod Eccleſia à primo intendat perditionem infantum? Sal enim è latrinis, per ſalis petræ coctores ſequeſtratur, quale olim una cum cibis aſſumtum fuit. Itaque deberet pariter manere in ipſo Duelech. At ne minimum ſalis marini reperitur à Duelech per artem. Idque Scholæ nullo diſpendio didiciſſent, ſi aliqua diſcendi aviditas, aut proximi charitas, illas ageret. Saltem ſalis petrę coctores curioſiores fuerunt, tot Medentum myriadibus. Reſultat ergo ipſis opprobrium, ut quiſque è vulgo jam ſciat, quàm impolita ſint Scholarum decreta: cum neſciant in Diætetica, quorſum ſalita vetent.

31 Nec ſanè timendum erat, ſi non ſal, ſaltem ſpiritus ejus, noceret calculoſis. 1. Quia ſal, per Scholas vetitus; ſeculis, & Scholis adhuc ignorantibus, an ſpiritus ullus in ſale reperibilis, cujusve eſſet conditionis. 2. fruſtra eſt potentia in agendo, quæ in actum deducitur nunquam. Satis namque conſtat, quod è ſale, maris aſſumto, nunquam in nobis ſit poſſibilis eductio ſui ſpiritus. 3. Eſt namque acidiſſimus, nec ſibi par habet remedium, extinguendis ardoribus urinæ, etiam præſente in veſica calculo, etiam in ſenum ſtranguriis: putrefactiones impedit, diſſolvit mucagines, arenas pellit. Ergò ſal eſt utile calculoſis, tam in ſui corpore, quàm ſuo ſpiritu. Enimverò ſal fontale, Divinæ largitatis providentia, datum in neceſſitates mortalium. Ut ubi longo tractu, à mari recedit continens, fontes ſalini, maris defectum ſuppleant. Scholæ autem, tantùm abeſt, quòd Deo gratias pro beneficio rependant: accuſant Deum, nedum fruſtra, ſed & in hominum perniciem, dediſſe ſalem. Notabile interim, quod multis & copioſis fontibus, ſal in mare defluat, non tamen maris ſalſedo intendatur, eò quòd vapore tenus, aliquid ſalis ſenſim ab æquore adſcendat: & utut in primam aquæ materiam convertatur, in nubibus ſaltem conſtantiam in ſe aliqualem habet. Vnde nec mirum, aquam pluviam per ſe nullis ſeculis corrumpi. Quod autem zona calidiore, ſal etiam à pelago exhalet, patet: nam nemo non olefacit, an in olla carnes decoquantur cum ſale, vel abſque illo. Marinus enim, cum in conſervationem elementi faciat, exhalat difficulter.

32 Idcirco Hiſpanicus propemodùm halituoſo ſale caret, validior eſt, magiſque arcet putredinem, & Duelech. Contra, Lotharingicus ſale halituoſo abundat, partimque aceſcit in ſtomacho. Differt quoque ſpiritus iſte halituoſus ſalis (qui tanquam flos ſalis ſublimatus eſt) à ſpiritu ſalis ſtillatitio: perinde ut oleum olivarum, à Laterino. Spiritus enim olei oliva-

rum, oleoſus, qui prima medietate exit, apud me argenteum filum tandem in lagena diſſolvit. Oleum autem olivarum, ferrum à rubigine præſervat. Longéque potentius, arma à ferrugine cuſtodit, iſtud olei reſiduum, unde præfata medietas eſt ablata. Idcircò notandum, non eſſe puriorem, aut defæcatiorem ſalem, quam qui à myria ſuilla recoctus eſt. Siquidem ſaliendo, ſive operando in objectam ſuillam, amiſit halituoſiorem ſpiritum, per coagulationem. Adeóque ſal reſiduus, penè fixus, ſua terreſtritate liberatus, reperitur clarus, condimentis aptiſſimus. In cadum quoque aceſcentis cereviſiæ injectus, eandem præſervat, quod non item alius. Quapropter in nobis ſupervacaneos ſpiritus acidos (omnis corruptionis authores, ſi extra primæ digeſtionis officinas fuerint) in ſe combibit, & transmutat. Sali Hiſpalenſi ſic rebullitus, bonitate par ferè eſt, qui candente olla primùm liquatus fuit. Cum ergo ſal maris non ſit de urinæ compoſitione, ſed prorſus extraneus ſit, ac permaneat: Imò ſal maris, in urina detentus, ſervet inpermiſtam ſui, immutatamque naturam, uſque in ultimam rerum deductionem, & ſalis petræ ſeparationem: certum eſt, quod ne quicquam ſibi ſit negotii cum Duelech. Ideóque nec in compoſitione hujus, vel minimum ſalis marini reperitur unquam, cum magis nativitatem Duelech deſtruat, quàm promoveat. Ergò abſque fundamento, ſal maris, per Scholas, calculoſis vetitus. Hæc de ſalibus. Didiceram autem hactenus, Duelech eſſe coagulatum anomalum, à ſale urinario natum, qui ſibi parem in toto univerſo non haberet: eò quòd extra hominem, 33 nuſpiam reperiatur urina humana. Idcircò enim non piguit, multoties urinam diſtillare. Decrevi itaque meam urinam, 40 ſolidos dies ventre equino putrefacere, ut prævio putredinis fermento, partes diſſimilares fatiſcerent. Tum diſtillavi circiter medietatem ejus. Verum ab opere avocatus, propter negotia familiæ, ac dein per Pentecoſtes feſta impeditus, ceſſavi per quindenam. Fuerat autem vas recipiens, ingens valde, clarum, cryſtallinum, ac pretioſum: quod jam à proboſcide alembici, toto illo intervallo ſequeſtraveram. Cum ergo ad opus redirem, primum effudi, quod erat diſtillatum, in aliam lagenam: quia videbam vas recipiens (trium alioqui facile congiorum capax) quaqua verſus ſtillatitius urinæ liquor contigerat, fuſca albedine obductum. Indolui vitrum tam pretioſum, in rem adeò ſordidam maculatum. Dein indignabar ampliùs, dum cernerem nullo cinere contractum nævum deponi. Pœnituit enim me damnoſæ, totiesque repetitæ curioſitatis. Stillatum ergo effudi foràs. Sed ſtatim hunc ignaviæ, atque inſolitæ indignationis ſtimulum, ſuſpectum habui. Virum, antè, laboribus, ac ſumtibus minimè parcentem, jam indignari unius vaſis perditione, mecum mirabar. Vas ergo recipiens, perpendo, an nævus eſſet exoticæ tincturæ, aut num corroſa ſuperficie concava aliquid periiſſet. Tandem certò cognovi, verum Duelech fuſcum, ex clariſſimo ſtagmate aqueo, vaſi adpoſitum. Tum enim admirationis plenus, laudavi Dominum, quod mei curam geſſiſſet: etenim quæ meâ cenſebam incuriâ commiſiſſe, divinâ ſic bonitate diſponente, eveniſſe cognovi. Nempe quibus vult, omnia convertit in bonum. Equidem jam pridem conſpexeram in lotio meo, habitare tanti coagulatorem. Nunc demum quoque didiceram: quod clariſſimus liquor ab urina ſeparatus, mage putrefacta, verum contineret Duelech, quem appoſuerat. Vnde inprimis mihi evaſit indubium, quod ad compoſitionem Duelech nullatenus concurreret materia viſcida. Vas iſtud itaque, etſi pretioſum, ſuaque jam labe condemnatum, charum fuit, quia minervale ſolverat. Iterum ergo pro recipiente ſuppoſui, cogitans, quod quandóque per chryſulcam iſtud Duelech abraderem. Perrexi ergo diſtillando, quod mihi à quindena reſiduum manſerat. Ecce tum novo divinæ largitatis favore perculſus, vidi ſtillas ſingulas diſſolvere adhærens fuſcum Duelech, qua decurrerent, ac vas mox priſtino nitori reſtitutum. Etiam, quod ſecundus hic liquor, tametſi prioris odorem haberet, aquæ vitæ affuſus, hanc item non coagularet ampliùs. Sicque divino ductus nutu (quem alii eventum fortuitum rentur) inveni partem ejus, quod jam dudum multis ſumtibus anxius quæſiveram. Laudavi itaque Dominum, quod parvulo, atque pauperi, dediſſet intellectum. Nam ſi me non avocari juſſiſſet ab opere, nec feſta me detinuiſſent, quoad Duelech in recipiente concreviſſet, & niſi vas tam clarum atque pretioſum fuiſſet. Quinimò ſi totam uno filo operationem abſolviſſem: fruſtra ſanè operabar, ac tentabam omnia. Reſpexit ergo Dominus in mortalium neceſſitates, nec ſprevit preces abjectorum. Quare dedit mihi cognitionem, diverſarum partium lotii ſani. Id eſt mei. Vna quidem erat quodammodò levior, atque citatior, habens occultum Duelech, ſub claro liquore ſtillatitio, abſque fæce, muco, & ſedimine. Verùm in clariſſimo ſtagmate, & ambientis frigore. Altera verò æquè admiranda, quæ ortum in frigore Duelech, in frigore quoque iterum diſſolveret, & in ſe abſorberet. In unico namque ſale volatili lotii, tam oppoſitas facultates admirabar ſeriò, conſideravi quidem exinde, quod cujus urina plus haberet de priore ſpiritu, is calculo eſſet obnoxius: ac immunis alter, cujus lotium plus de altero contineret: primusque ille conceptus mihi arridebat: Sed ſermocinalis illa ſcientia vana fuit, rebusque inprimis gerendis inutilis. Siquidem lotium non ſubit in nobis prævias illas putredinis teſſeras: ſine quibus tamen entia illa æternùm dormirent Dein, nec ex illa ſpeculatione conſtabat medium, quo plus de poſteriore illo ſpiritu ſemper fieret, quave methodo inhiberetur prioris ſpiritus confectio. Multò minus, quomodò confecto jam Duelech, ſubveniri daretur. Attamen ne abſque fruge cederet ſpeculatio, cogitavi, an poſterior ille ſpiritus, per ſyringam (prius evacuato lotio) injici calculoſæ veſicæ permitteretur. Sterilis itaque mihi occurrit mortalium cognitio, quæ ſola gaudens ſpeculatione, manum à Pyrotechnia ſubmovet. Nam lotium debitè putrefactum, coagulatorem edit ſpiritum, qui aquam vitæ coagulat. Itemque pòſt, qui totus diaphanus & volatilis, potentiale Duelech continet, quia parit ac tandem, qui Duelech ſemel natum in ſe ſtatim abſorbet, mox tamen dehortante diabolo dubius vacillare cœpi, atque conſideravi, vana eſſe, quæ tanti faciebam à me reperta. Præſertim cum in nobis non putrefiat urina ad illum terminum, quo hos dederat ſpiritus. Deteſtatus itaque ſum meas curioſitates. Nam etſi quodammodò remedium ſuggeſſerint, relinquebāt tamen priorem ignorantiam, circa cauſas, & modum fiendi Duelech. Quapropter cœpi cuncta pridem viſa, quaſi non facta negligere, ſenſique torporem mihi incuti. Vnde confirmabar (quæ in præfatione multis expoſui) nullum laborem tædioſiorem, nullumque ſciendi genus, hortante cacodæmone, poſtergari magis, quàm illud, unde genus humanum quandoque frugem capiat. Chriſtianum ergo decet, conſtantis eſſe animi, in opere bono. Tandem itaq; repetitis diſtillationibus, & exactiore cunctatione, per orationem aſſecutus ſum cauſas, modum fiendi atque diſſolvendi Duelech, Deus bone, tuam admiror magnificentiam, quæ

Medicorum ineptiſſimum, ad tantæ rei reclusionem
perduxit, tot ſeculis, magniſque ingeniis
neglectam. Gratiarum ergo actiones refero nomini
tuo abyſſaliter glorioſo, non quia me, præ
aliis, ad arcana deduxeris (numquid terra gloriari
poteſt, dicetque aliis vaſculis vah? quod in
electioris formæ vaſculum, ſub figuli torno deducta
ſit?) Sed quia feciſti voluntatem tuam,
quæ ſola bona eſt; refero ergo in te omnem gloriam,
qui hoc ævo, cognitionem hanc recluſiſti,
per abjectiſſimos & parvulos hujus mundi.
Id namque pro ſolito tuo eſt, & ad majorem
nominis tui gloriam. Cognovi enim obſtitiſſe
veteribus, & Modernioribus unicam ignaviam,
aſpernantium diſtillare rem adeo fœtidam, atque
ſordidam: ſuavitate odoris lucri deceptorum.
Spernit enim eos Sapientia, qui materiam
ex qua, diſpoſitiones, contenta, proprietates,
progreſſum, & ſignificationes lotii, addiſcere
recuſarunt per ignem. Neque etenim ceſpitatum 34
eſt minus in materia, contento atque judiciis
urinarum, quàm fuit hactenus in petrificatione
ejuſdem. Quare occulta manſit diagnoſtica,
ſimul & prognoſis judicialis urinarum:
prout in noſtra uronoſcopia, ex fundamento
demonſtravimus: quam opto utinam ferventiora
judicia poſthac excolerent. Ego ſiquidem
me ad tumulum præparo, ſub ſpe, labores
meos ærumnis humanis non ineptos fore. Pergam 35
nunc, ſtoliditates meas & experientiarum
tædia recenſere. Inprimis namque, ex Duelech
diſſecto, ac ſolitariè per ſe diſtillato: Itemque
ex raſuris matulæ: Tertiò item, ex urina ad ſpiſſitudinem
eclegmatis diſtillata, idem prorſus
oleum, eædemque cryſtalli, ſtercoris liquidi aſſurgunt.
Etenim ex Duelech relinquitur fæx
terrea, nigra, friabilis, & combuſta, non amplius
petroſa, vixque aliquid ſalis urinæ fixioris,
reſervans. Vtpote ſpiritus volatilis, totus in
toto, in Duelech, ac tandem in terram eſt mutatus,
cum ſibi adjunctis aliis compoſitionis
partibus. Certo utique ſigno, quod ſal fixus urinæ
non habeat vim activi coaguli: ſed paſſivè
coaguletur duntaxat. Porrò terra illa, è diſtillato 36
Duelech relicta, nunquam pridem deſcendit
ad veſicam, ſpecie pulveris, aut luti: ſed liquor
fuit dum in urina eſſet, qui ibidem dein ſic induruit
per ſpiritum lotii. Meditatus enim dudum
eram, quod terra, aut pulvis, utut artificioſiſſimè
connecteretur ſpiritui urinæ; nunquam
tamen concreſceret in Duelech, & per conſequens
vanum etiam eſſet, pro Duelech, Tartari
inventum. Siquidem jam conſpexeram in vi-

tro, Duelech è ſpiritibus (liquoribus nempe ſtillatis & claris) materia, & efficiente iiſdem, quibus in nobis Duelech oritur, fieri. Concluſi
37 ergo ex jam mechanicè probatis. Si lotium, cum ſuo ſalis ſpiritu, habeat ſpiritum terræ volatilis: neceſſariò ex illis duobus generabitur Duelech, niſi per ſcoriam (quam libro de febribus voco ſtercus liquidum) ſaturetur ſal urinæ, atque eatenus à coagulando turbetur. Non rarò namque obſervavi, calculoſum aliquem, poſtea ictero afflictum, à calculo immunem fuiſ-
38 ſe, quamdiu Icterus imperaverat. Adeóque nec gratis à me, de febribus, aſſertum fuit, quod præfata ſcoria urinis advena miſceatur, tanquam excrementum utile. Granulantur autem arenæ, tam in nobis, quàm in matulis ipſo granulationis momento, ſemelque granulata,, ultimam quoque ſui nanciſcuntur ſimul duritiem:
39 non autem quod ſenſim, magis magiſque indurantur: fabuloſum eſt ideo, quicquid de calculo confirmato, & nondum confirmato, ad ignorantiæ & ignaviæ confirmatarum excuſationes, comminiſcuntur Scholæ. Tam enim dura eſt recens arena, excreta è nobis, vel à matulis abſterſa, quàm erit poſt decennium inde. Idem quoque de Duelech eſto judicium. Dixi quoque ſuperius; niſi arena, quæ matulæ affigitur, coagularetur in inſtanti; ad fundum præceps cecidiſſet tota, nec lateraliter, tamque pro-
40 portionaliter diſtincta, affigeretur. Prædicator enim hæreticus, prope Barclayam in Anglia, anno 1629 ſanus atque ſoſpes, contendens à prandio, librum è ſublimi ad ſe trahere, in imo ventre magno perculſus pondere atque dolore, certis inde à quatriduo ſignis, ſcivit ſe calculo gravatum. Jnde poſt octiduum, Londini ſub novacula Lithotomi extinctus. Pendebat autem libram Anglicanam, & binas inſuper dragmas. Nec memini me parem unquam vidiſſe calculum. Pendent autem libræ centum
41 Antverpiæ, Londini 104. Paracelſus enim ſubitam hanc calculi apparentiam admirans, ne figmentum ſuo deſit Microcoſmo, calculum fulminis vocat, putatque cadendo concreviſſe. Sed multiplex ejus error eſt. 1. Nam non datur locus pro caſu. Siquidem veſica continet urinam, vel nullam. ſi nullam, inſtar lintei madidi complicatur: ſin verò lotio diſtendatur, cum hoc ſit infra, non poteſt Duelech formari extra lotium, aut ſine lotio, ut fiat abſque materia, decidatque in lotium deorſum, ut decidendo fiat. 2. Errat, credens lapidem, in tonitru dejectum, ordinariis atque ſolitis cauſis generari: non autem portentoſis. Alioqui ſi materia tonitrui naturalis, in inſtanti coagularetur naturaliter, deberent ejuſmodi lapides ſingulis tonitruis eſſe aſſueti. Nec eſſet cauſa, cur lapillus trium circiter librarum, ad pedum novem altitudinem, terram terebraret, ſolo nudóque caſu ſui: niſi robuſtiore vi deturbatus, prout de meteoro anomalo alibi. 3. Denique, Duelech ſubita tyrannide ſe prodens, non arguit momentaneam ſui generationem. Nil vetat namque, veſicæ adhæſiſſe pede ſuo, abruptoque ſtolo, cecidiſſe in amplitudinem veſicæ. 4. Quicquid in verum Duelech condenſatur unquam, ſive id ſit nucleus centralis, à rene deſcendens, vel demum cortice tenus accreſcens: ſemper
ejus quælibet generatio, fit in inſtanti. Enim- 42
verò ex meis mechanicis didici, quod totum Duelech, quantum in ſe eſt, conſtituatur ex meris volatilibus: non tamen ex trium quatuorve unciarum lotio, (quanta eſſet micturientis) generari poſſe Duelech unius libræ. Porrò tametſi urinam humanam in ſola ſpecie noſtra ſcirem, ſolumque ſpiritum urinæ humanæ penes hominem eſſe: urinam tamen equinam, nomine armentorum examinavi, curioſus, an fortè alter ſimilis coagulator ſpiritus eſſet, qui propter connata impedimenta, non ubique ſortiretur coagulandi imperium. At utut laboravi, non reperi coagulatorem illum ſpiritum, in urina equina. Vt neque ſpiri-
tum fermenti, vel aquæ vitæ. Itaque reperi po- 43
tentialem aquam vitæ humano lotio intimam, eamq; lenam, inter ſpiritũ coagulatorẽ, & ſpiritum putrefactum, coaguli præfati ſuſceptorem. Summéq; notandũ, quod ſpiritus urinę non coagulat, niſi per connubium aquæ vitæ: quod ſæpiùs comprobavi, diſtillando. Ergo tria inſunt lotio humano, quæ concurrere eſt neceſſum: tantóque potentius, quò omnis calculoſis, jam non leve principium corruptionis, in ſuo lotio gerit (ut ſuo mox loco) unde videlicet fermentum in urina actuatur, ad præfatam aquam vitæ coagulabilem. Nec enim his obſtat, quod tam ſpiritus vitæ, quàm ipſa aqua vitæ, ſint ſummè fugaces, adeóque vix ad Duelech pertinaciam apta: nam certum eſt, ſpiritum vitrioli fugaciſſimum, à ſibi conſocio volatili, imò ſtatim fixari, per ſalem armeniacum fugacem: adeo ut fuſionem ſuſtinent. Quibus edocti noſtri, mirari mox deſinunt, quæ aliàs ignaros ſtupore afficiunt.

CAPVT IV.

Proceſſus Duelech.

1. Modus fiendi Duelech. 2. Ens ſingulare nec ſibi par habens. 3. Mechanicum Spadanorum fontium exemplum. 4. Ocra in ſpadanis, Paracelſum à comment. Tartari deterruiſſet. 5. Anatome in actionibus ſpirituum. 6. Ignis aqua, ens homogeneum, ſibi par non habens. 7. Differentia præfati diſſolventis, cum aliis omnibus totius univerſi. 8. Duæ Maxima Spagyrica. 9. Oleum auri quoddam punicei coloris. 10. Quid dicat generatio Duelech. 11. Actio corporum in corpora, qualis. 12. Doctrina de actione corporum, & ſpirituum. 13. Participationes virium è metallis, abſque materia metallica. 14. Spagyri deluſio. 15. Deſtinantur morbi in pœnam, & meritum. 16. Exercitationes aliquot, incipientes à ſalibus. 17. Spiritus ſalis fit terreſtris. 18. Quæſtio trivialis. 19. Tartari pruinoſi commentum. 20. Senilis ſtranguria unde. 21. Quatuor notabilia inde deſlua. 22. Quæſtio ſecunda. 23. Tertia. 24. Quarta. 25. Catarrhi veſicales, ridiculi. 26. Quinta. 27. Sexta. 28. Notantur Aſtrologi. 29. Notatur Paracelſus, juxta atque Galenus. 30. Propoſita quæſtionis ſolutio. 31. Galeni inadvertentia.

1 SPIRITUS urinæ apprehendens terram volatilem,
procreatam ſemine , ac fermento
fracido , & putreſcente , ſuſcitat occultum
adhuc in potentia, vini ſpiritum, urinæ incolam:
quibus, tanquam duobus ſexubus, concurrentibus,
terreus quidam præfatus ſpiritus imbibit
prædictum unicum coagulatorem : cujus reciprocationis
ergo, oritur in agendo , amborum
connexio penitiſſima : quia congrediuntur ſpiritu
2 tenus , per illorum minima. Adeoque coagulator
coagulat unico inſtanti ſpiritum vini,
potentialiter excitum , in putreſcente fermento,
cui cum fracida maſſa ſuam tribuit materiam,
ſimul condenſantur in verum Duelech, monſtrum
ſanè, novum hoc aliquid , coagulatum in
media aqua : nec iterum ideo in aquam reſolubile.
3 Ens nempe petroſum, animale, nulli alteri
ſimile, quodque ideò Duelech Paracelſus nominat.
Idque faciliùs per exemplum in mentem
intrabit, quod Spadani fontes quotidianum nobis
exhibent. Habent namque ſpiritum ſulfureum,
manifeſtè acidum (unde fontes acidi dicuntur)
& venam ferri. Vtrumque nempe embryonatum,
immaturumque, continetur liquatum,
in aqua ſimplici. Mox itaque incipiunt
ambo vires reciprocas in ſe mutuò conſerere.
Atque tandem , cum laſſatis viribus , ſtiterint
actionem ſuam , condenſantur in corpus lapideum,
lagenis ſe affigens , in forma ocræ : ſicque
aqua redit in priſtinum elementum , omni
exutum qualitate aliena. Quos ſi fontes acidulos 4
ſat contemplatus fuiſſet Paracelſus , Tartari
vini hiſtoriam , à Baſilio Valentino mutuatam,
neglexiſſet ; ſciviſſet namque ocræ & vini tartari
non parem ortum. Saltem difficilius redargui
potuiſſet. Quippe tartarus in aquam reſolvitur:
non autem ocra , ut neque calculus. Neque
enim unquam negare tentavi , è liquoribus
corpora ſolida conſtitui : Sed tartareos liquores
reſpuo , in cauſas morborum violenter
adductos (ut tractatu de Tartaris) ex oppoſito
autem , activitates ſpirituum in ſpiritus , reverenter
admiratus ſum. Profecto , cum è Spadanis
ſuccreſcat ocra , ſive cruſta lapidea lagenis
obducatur, per totum concavum , nefas inprimis
eſto , propinare Spadanam , ſi credamus
tartaros perinde fieri , atque ocram in Spadana.
Id eſt, ſi credamus aquæ Spadanæ ineſſe
tartarum , mox in bibente coagulabilem : nefas
facit , qui Spadanam propinat. Etenim dum ſal
acidus vini , corroſit fæcem. Sal quidem antea 5
acidus , & nondum coagulatus , manet acidus ,
ac coagulatur , nec ſalis eſſentiam mutat , etſi
conſtringatur , qui ante erat fluidus. Viciſſim
quoque , etſi fæx acidos ſorbuerit ſpiritus ,
ac in ſe coagulaverit: manet attamen corpus ſolidum,
dum ſpiritus ſalis acidi coagulatur in
corpus ſolidum tartari vini. Imo priusquam ex
pleno coaguletur , vaſi ſe affigit. In generatione
enim Tartari vini , ſpiritus agit in corpus : eſtque
longè alia prorſus actio , dum duo ſpiritus
in ſe invicem agunt. Nam in hac (prout in Spadana,
in Duelech , &c.) conſtituitur novum ac
neutrum ens, qualis eſt ocra, ex ſpiritu ſulfuris,
& venæ volatilis. Sed in Tartaro vini , tantum
acidus ſpiritus, ſive acetoſus liquor vini, mutatur
in ſalem , manetque fæx , qualis antè. Ideòque
conſtitutum inde , iterum eſt reſolubile.
Non enim metallum , lapis, vel corpus ſolidum
diſcorporatur, mutatur, aut volatilizatur, propter
ſpirituum corroſionem. Patet id. Nam argentum,
perlæ , coralla , lapides, ſpongiæ , cancrorum,
limacum, &c. quanquam per Chryſulcam,
alioſve liquores acidos, ab oculis noſtris evaneſcant
: ſunt tamen lapides , qui ante (prout de
febribus) Spiritus nempe , quantum potuit ,
fecit: incaſſum velut operatus eſt, ſupra corpus,
dum ſeipſum , corrodendo corpus, coagulavit.
Eſt nimirum in tota natura univerſi tantùm 6
uni-

unicus ignis, Vulcanus ardens; ita quoque,
non eſt niſi unicus liquor, diſſolvens cuncta ſo-
lida in primam illorum materiam, abſque ſui
ulla immutatione, aut virium diminutione
(quod norunt, teſtabunturque Adepti.) In aliis
verò liquorum activitatibus, corpus nunquam
poteſt ſe radicaliter commiſcere liquori ſol-
7 venti. Ideoque corroditur quidem, at non ſol-
vitur intimè, uti ad tranſmutationem forma-
lem alioqui requiritur. Nam omnis ſpiritus aci-
dus rodens, rodendo aliud corpus, coagulatur,
& propemodùm fixatur, migratque in formam
ſalis denſati: nequicquam tamen corpus, quod
arbitrium rodentis ſpiritus toleravit, agit in il-
lum ſpiritum, qui ſeipſum rodendo, & actione
propria, coagulavit. Quod ſanè non ita fit, dum
duo ſpiritus activi concurrunt in invicem. Nam
tunc eſt duplex actio, qua uterque in utrumque
invicem agit. Ideo namque ejuſmodi illorum
actio, fit cum permiſtione radicali, eſtque con-
ſtitutum ex ambobus, inſeparabilis miſtionis
proles, & hoc tranſmutatum, eſt productum,
neutrum ab utroque. Quod ſi id Paracelſus
maturè contemplatus fuiſſet, pro ſuo Tartaro
vini, ocram aquæ Spadanæ ſumſiſſet, dixiſſet-
que aliquid probabilius, quàm quod ineſſent li-
quores omnibus rebus, qui coagularentur per
modum Tartari in vino, eſſentque morborum
quorumcunque communis mater atque mate-
ria. Ocra quidem Spadanæ filia, non iterum
reſolvitur, quaſi tartarus vini: & tamen differt
à Duelech: quantum petrificatio mineralis, à
calculo. In hoc enim ſpiritus coagulator, in lo-
tio exſiſtens, operatur vi proprii ſalis, ac impa-
ris, ſupra ſpiritum fracidum, & putreſcentem
terræ, abſque ebullitione, aut Gas ſilveſtris eru-
ctatione: adeoque in momento, ſuam peragit
operationem, & coagulat ſe, cum ſpiritu vini,
urinæ proprio. prout ſuperius narravi, in Me-
chanica ſpiritus urinæ & vini, ſive aquæ arden-
tis. Verum Spadanæ ſpiritus acidi, ex embryo-
nato ſulfure enati, longo operantur prius tractu,
bullas atque ſilveſtre Gas excitant, ac tandem
ſe vaſi affigunt. Alioquin enim, ſi iſtud Gas ne-
queat eructari, aquæ Spadanæ manent ſoſpi-
tes, medendo aptæ. Nam ſi Gas egredi prohi-
beatur, impedit, quo minus ſubſequens ſequa-
tur, ſpirituſque reddantur effœti agendo. At vini
fæx, cum ſuam habeat ſibique propriam coa-
gulationem, non opus habet eam aliunde acqui-
rere. Cum verò acidulus vini ſpiritus fæcem ro-
ſerit, non eſt quod rodendo det, quod ipſus in
ſe non habet. Ergo in Tartari vini generatio-
ne, acidulus ille ſalinus ſpiritus coagulabitur
quidem propter terram: ſed manebit in ſpecie
ſalis ſolubilis, & non in forma petræ. Propter 8
regulam, quod tranſmutatio eſſentiæ præſup-
ponat tranſmutationem materiæ. Itaque ter-
reum corpus, ſive diſſolvatur per corroſivum,
ſive non, priſtinum ſuum eſſe ſervat. Eò quòd
iſtud diſſolvens non penetret diſſolutum, in
radicali vinculo connexionis. Quod tamen in
tranſmutandis eſſentialibus, eſt pernéceſſarium.
Diſcant ergo Chymiæ tyrones, quod corpora
non reſolvantur per corroſivorum calcinatio-
nes. Licet etiam ſæpè repetitas: niſi intercurrat
fermentalis impreſſio, per putrefactionem, quæ
præcedit quamlibet radicalem ſolutionem.
Camphora quidem, in aqua forti, naturam na-
tantis olei aſſumit: ſed abluto per aquam com-
munem corroſivo, ſtatim camphora eſt, ea quæ
antè, ſive id ſemel, ſive demum millies fiat. In 9
tyrociniis enim gaudebam, quod aurum ſpecie
olei punicei, per retortam ſeptima vice tranſ-
egiſſem. Memor, quod qui novit aurum deſtrue-
re, noverit itidem conſtruere. Sed ablato cor-
roſivo comite, aurum in ſe rediit, ceſſavitque
inane gaudium. Incaſſum eruere laborante eo,
quod in ea non eſt. Incaſſum quoque laborant,
qui non operantur per media debita. Itaque ge- 10
neratio Duelech, non eſt coctæ mucilaginis, vel
fictæ pituitæ imaginaria petrificatio, calore lo-
ci arefacta, aut areſcendo firmata, vel indurata:
(nam ſic, tantum bolus eſſet reſolubilis, non
autem Duelech) ſed eſt trium ſimul ſpirituum 11
tranſmigratio in Duelech, vera eſſentialique
tranſmutatione. Profectò, corpora non agunt
in corpora, per naturalem compoſitionis a-
ctionem: ſed quicquid corpora in invicem per-
agunt, id fit ratione ponderis, magnitudinis,
duritiei, figurarum & motuum. Inſerviunt- 12
que enim Matheſi, vix Phyſicæ. Sin autem cor-
porei ſales operentur, fit, vel quia ſpiritum vo-
latilem quodammodò continent, vel illum in
corpore inveniunt. Meminerint ſaltem Tyro-
nes, corpora, quocunque ſemel modo fuerint
colliquando permiſta, manere tamen in pri-
ſtino ſui eſſe, niſi per ignem vel fermentum
tranſmutentur. Corpora denique, nil operari in
ſpiritus: ſed determinare tantum hoſce, pa-
tiendo. Quæ proinde corporum operatio, non
eſt vera reactio: ſed potius merus ſpirituum
effectus, ex propria eorundem activitate reſul-
tans. Idcircò enim ſpiritus, exantlatis, exhau-
ſtiſque facultatibus, ſponte fatiſcunt in termi-
no ſui motus. Et licet iſta actio ſpirituum fiat

cum

eum paſſione;& amiſſione ſuarum virium : non
tamen tranſmutant ideo corpora in ſui naturam.
Rodunt enim tantum, atque in pulverem
comminuunt, quod & calcinationem, per aquam,
13 interpretantur. Per exemplum. Libram
croci Martis necte ſextuplo olei vitrioli, tum
diſtilla, quicquid fuerit aqueum. Reperies vitriolum
ferri. Aufer inde ferrum : & habes vitriolum
ferri. Salem inquam, inſtar vitrioli,cui
eſt guſtus ferri. Nil retinens tamen de Marte.
Determinationem namque habes à Marte, quoad
efficaciam : non autem materiam. Eritque
prior vitrioli ſpiritus, ſive oleum è vitriolo veneris,
fixatum in ſalem quendam, ſolo odore
ferri. Iterum idem ac clarius. Libram currentis
Mercurii, conjunge quadruplo olei vitrioli,
aufer phlegma diſtillando, & in fundo manebit
præcipitatus albus, nivis inſtar. Item ſi plus
olei juſto affuderis, Mercurius inſenſibiliter
cum oleo tranſcendet. Porro, ſi à præfata nive,
per lavacrum, abſtuleris acrimoniam, erit in
fundo pulvis citrinus, qui revivicatus, æqui
ponderabit priori Mercurio. Aqua verò,quæ in
abluendo ſalem in ſe combibit, dat verum alumen.
Sic nempe ſolo attactu,unica libra argenti
vivi, abſque ulla ſuæ ſubſtantiæ deperditione,
poſſet multa librarum millia acidiſſimi olei vitrioli,
ſenſim mutare in alumen. Quod idem
oleum attactu ferri, pariter mutatur in vitriolatum
14 ſalem Martis medendo nobile. Notetur
actio Mercurii abſque repaſſione eſſentiali ſubſtantiæ
ſuæ. Eſtque contemplatio magni momenti.
Siquidem magna Spagyrorum turba,
ſpe propria deluditur, putans corpora fixa, in
corroſivis ſoluta, hiſce dediſſe ſuas proprietates,
ſi ſaltem diſſolventia, ſpontaneo activitatis
motu, penes ſe coagulaverint. Neſciunt inquam,
ſpiritus, agendo defeſſos, degenerare in
novum ens. Dum ſcilicet deveniunt ad terminum
poteſtatis, in agendo. Deinde ſciendum,
quod omnis operatio, tendens ad tranſmutationem
utriuſque (agentis ſcilicet & patientis)
conſiſtat tantùm inter meros ſpiritus. Operatio
autem corporis cum ſpiritu, non viventium,
incipiat à ſpirituali alicujus fracedinis
odore : quia ſemina, ac fermentales diſpoſitiones,
inde pendent, ſuoque arbitrio imperant liquoribus
ad generandum deſtinatis. Quocirca
non ineptè adnotarunt veteres, mundi viſibilis
ortum, & continuationem, ex inviſibili &
incorporeo eſſe (qualia ſunt odores, & fermenta)
atque in noſtris terminis, Duelech, incredibili
coagulatore ſpiritu,inviſibilique initio,concreſcit.
Neque enim externè allati Tartari, interioris
filii mucaginis, in ſui nativitatem indiguit,
fictiſve arefactionis coagulis. Calamitoſius
eſt longè, quod ipſum calculi Vulcanum
nobiſcum in lotio geramus, cujus importuno
imperio auſcultant proprietates volubilis ſpiritus.
Etenim Deus, bruta præ nobis dilexiſſe 15
viſus, ſi morbos non in meritum, adeóque non
in bonum direxiſſet, cujus non eſt condigna
pœna temporalis. Cæterùm ubi pœnæ præviſus
adeſt finis, ex dono munificentiæ, medicaminum
poteſtates erexit.In belluis quoque,ſui obnaſcuntur
calculi,at non in pœnam,nec in meritum
dati, qui nobis in medicamina ſuccreſcunt.
Ideóque & longè alia ſurgunt radice.Porrò 16
antequam ad calculi hiſtoriam pergam, aliquot
exercitationes præmittam. Primò itaque
Salinis in Burgundia, hodie non plures duobus
ſunt putei, myriæ,& puteus Gray.Quod ſi verò
menſuræ centum utriuſque putei ſeparatim
coquantur, longè minus ſalis dant : quàm ſi eadem
quantitate, connexæ coquantur. Incolæ
experimentum admirantur, utramq; ideo myriam
deinceps confundunt. Enimverò altera
illarum, plus ſalis halituoſi, ſive volatilis, continet,
qui ſingulariter coctus igne flammeo, ante
ſui coagulationem evolat. Verumtamen alteri
fixiori obvians,imbibitur ſtringiturque in ſalem
ſolidum. Exemplum hoc docet,corpora ſalium
ſuos combibere ſpiritus, & ſpiritus viciſſim rodere
corpora. Myria ſiquidem Burgundica,cryſtallo
clarior, halituoſo tamen ſui ſpiritu magnam
ſaxi rupei partem in ſe combibit.quæ ideo
inter coquendum, dum ſcil. ſpiritus coagulantur
in ſolidiore ſalis corpore,ſidit,ac cum difficultate
deſpumatur. Itaque ſalis ille ſpiritus,
etſi ſaxum ſolveret,non proin cum terra connubium
traxit, ut vel hic lapideſceret, vel illa ſal
fieret. Imò vel inde patet,etſi ſal marinus partes
halituoſas haberet ; non tamen calculo accederet,
ut neque ſpiritui urinæ,in augmentum. Vtpote
qui aliis longè principiis conſtat, (prout
alibi de digeſtionibns) ſed ſal maris quantum
cum lotio peregrinatur, tantundem concilia
diſſolutionis Duelech ſuſcitabit. Quicquid enim
diſſolvit ſaxum rupis, & in ſe inviſibiliter
occultat : id ſaltem non ſuadebit originem calculi.
Hactenus de terra fixa, per ſalis ſpiritum
diſſoluta, deque ſpiritu ſalis halituoſo, ac coagulato.
Nunc de ſpiritu volatili, in corpus
ſolidum fatiſcente. Sublima ſtibium cum æqua 17
parte ſalis armoniaci, modeſto igne, videbis
ſalem, diverſis coloribus tinctum ſurgere.

Separa colorem à ſale, per aquam; & habebis
pulverem, qui cum ſale petræ ferè totus in flammam
avolat. Sin verò cum ſale armoniaco relictus,
adhuc bis per ſe ſublimetur, & à ſale liberetur,
habebis pulverem ſtibii, ſalis expertem:
cui ſi tum ſalempetræ miſcueris, non inflammabitur
amplius: ſed quantum ſaliſpetræ miſcueris,
in terram commutatur, & ſalis naturam
negligit. Nam ſulfuris odor ſalempetræ penetrat.
Ita ſalis urinæ odor, ſpiritusque volatilis,
terreum ſpiritum in urina, per aliqualem putredinem
ſuſcitatum, confeſtim commutat in calculum.
18 Ideóque non ſtatim à mictu, urina
granulatur: ſed poſtquam putredinis initia aſſumſerit.
Huc facit quæſtio: Cur pueri & ſenes,
ſint ipſis viris calculoſiores? an quia calidiores?
Quid ſi Scholæ, abſque rubore, frigus
puerorum & ſenum hoc loco incuſant, oblitæ
pudoris, quod illarum voto, Lithiaſis ſolo calore
concreſcat: quid juverit copioſius phlegma
invocaſſe, ſi calor, efficiens unicum deſit? Si inquam
phlegma (quod ut tale, petreſcat) in natura
deſit? Nec eandem temperiem, complexionemve
in pueris, & ſenibus, comminiſci poſſunt,
abſque dedecore & confuſione dogmatum
ſuorum. Vt neque paritatem in urina amborum
invenient. Sunt namque urinæ impuberum
craſſiores; ſenum verò, aquoſæ ac dilutæ.
calculoſorum quoque aquoſæ. Senes olim
vidi, continua ſtranguria, in mortem uſque infeſtatos,
quibus diuretica remedia (id eſt, mictoria)
ex croco, mace, &c. Itemque lenitiva, ex
malva, althea, &c. erant caſſa, atque evanida,
quoſque jam Medici, calculo obſeſſos, pronunciaverant:
ſectio verò, à calculo immunes teſtabatur
(Michael des Montaignes Epiſcopum Pariſienſem,
avunculum, ſectum fruſtra, ait) adeóque
non ex urina, calculi præſentiam ariolari
19 adhuc didicerunt. Pro hiſce ſtranguriis, Paracelſus
ſuum pruinoſum figmentum Tartari
commentus eſt, nondum in diſſectis hactenus
repertum. Equidem poſtmodùm cognovi, quoties
fel juſto debilius eſſet (ut in ſenibus) non
poſſit acidum ſtomachi chylum in ſalem Salſum
commutare: quocirca ex acidi tantillo relicto,
& quotidiano, perſeverare ſenum ſtranguriam,
20 etiam non dato calculo. Sic cereviſiæ
novellæ pluribus concitant ſtranguriam, propter
reſiduum inhærentemque recentioris fermenti
acorem. Hoc titulo, defectu nempe fermenti
fellei, minus tinctæ urinæ ſenum, ac puerorum.
21 Vnde ſequuntur hæc notabilia. 1. Quod
penuria ſcoriæ, ſive ſtercoris liquidi, in urinis,
facilius concreſcat Lithiaſis. 2. Quod remedium
à priori ſit, confortaſſe fermentum fellis.
3. Acriores videantur urinæ in ſtranguria, ac
ſtillicidiis, quatenus acidi aliquid continent.
4. Eluceſcit ſcoriæ uſus, ejuſque connexio in urina 22
utilis. Dein quæſitum eſt. Quare calculus
in renibus frequens, rarior autem veſicæ? Reſpondi
alibi. Quod, quamdiu urina eſt in venis,
nondum ſit perfecta. Neque enim adhuc olet
urinam, aut proprietates lotii habet: quatenus
neque convenit, cruorem, excrementi odore
imbui. Eſt itaque lotii determinatio, à Rene:
odor verò, eſt fermenti putrefactivi. Quia excrementi.
Atque ideo terram lotii volatilizat.
Cæterùm, quamvis fracida urinæ putredo reddat
ejus terram olidam, ac putreſcentem: attamen
non moratur in homine, quantiſper putreat.
Ergo ſpiritu urinæ, terra ejus fracida opus
habet, ut petreſcat. In Rene enim (ubi urinæ fracedo
fermentalis oboritur) terra recens ac volatilis
facilè ſe aſſociat ſpiritui urinæ, granulaturque,
dum præſertim ſcoria, calculi præſervativa,
nondum advenerit. Citrineſcit autem, etiam
non minus à loco, quàm à præfata ſcoria. Ren
itaque pœnas luit, quarum primus author. Alibi
de utero Duelech docebo, ante renem præcedere
diſpoſitionem ad Duelech; quæ quia vitalis
eſt, & non mera excrementitia, prout in veſica,
etiam ſatius coagulatur in rene, quàm in veſica.
Hoc namque, quia mera cloaca omni prorſus deſtituitur
fermento. Sed inteſtina, quatenus ſtomachus
fellis (prout de digeſtionibus alibi) ſunt
receptaculum vitale, & coquens. Veſica verò,
merum ſolius excrementi retinaculum. Quæritur
demum. Cur calculus renum, plerumque 23
fulvus, & veſicæ albicans? Ren enim fermentum
habet, ad excrementi factionem: opus habet ideò
ſcoria, liquida, ac tingente. Tum etiam cruorem
habet ren, ſibi vicinum, propriumque parenchyma
tinctum. Veſica autem, de ſui alimenti
proximi glutine, copulat terræ fracidæ, & ſpiritui
coagulatori, in corpore urinæ. Conſequenter 24
hinc patet, cur Duelech, in veſica natum, durius.
Magna quippe alimenti veſicæ pars abſcedit
in mucum, qui una cum petroſis coagulationis
initiis, durius tenaciuſque Duelech parat.
Pro-ut calx cum farina, cæmentum dat longè
tenacius. Renes etiam, tandem uſque in fibras
ſolidas læſi, per ſocium Duelech: deinceps albos,
ſatiſque duros calculos, ejiciunt. Docui alibi,
alimentum veſicæ, ante plenam ſui digeſtionem,
propter calculum aliamve importunitatem,
ſeparari à ſolido, & inſtar mucoſæ lacrymæ
plora-

plorari, uriniſque commiſceri. Eſſe inquam excrementum
ultimæ digeſtionis, aberrantis, &
impeditæ in veſica:occaſionatum nempe quandoque
effectum calculi : non autem cauſam per
ſe, quanquam ſubinde occaſionaliter atque per
25 accidens aſſumatur. Medentes enim aliquot,
tantam micti muci, & tam continuatam admirantes
copiam, ſcienteſque, non eſſe purulentam,
cum neſcirent è quanto ulcere tanta puris
copia ſtillaret, tandem velut per ſufficientem
cauſarum enumerationem coacti, catarrhos
(ridiculum!) in veſicam intulerunt, miſerandis
ſanè ſtupiditatibus. Alii autem,dum vanas, cerebro
ſano,non audent implorare accuſationes,
deque pure metuunt, ulcera renis, tantæ ingluviei
fontes, denunciant. Adeò, ut licet abſque
prægreſſo apoſtemate,dimidiam in matula partem,
cum urina, ille mucus non rarò dividat:
rentur tamen ex rene indolente,tantundem puris
quotidie depluere. Inprimis, Spadæ complures
curatos notavi, quos Medentum pudibundæ
diſceptationes,ſuper pure,ulcere,renum
tabe, & catarrhis, eo ad moriendum proſcripſerant.
Qui, ubi præter Medentum ſpem ſani redierant,
adhuc à ſe ſanatos, proficuo è peregri-
26 nandi conſilio, gloriabantur. Cur autem ſana
urina mea,in frigore,ſabulum adpoſuerit matulæ:
non autem in calore, intus tantiſper detenta?
Dixi, innato balſamo urinam præſervari, ne
petreſcat, & putreſcat, æquè facile. Dein,matulam
eſſe vas, affixioni aptum : non autem veſicam.
Ac tandem, quod terra volatilizetur per
27 putredinem. Dubium etiam, cur gemellorum,
eodem lacte nutritorum, alter ſubinde tantùm
ſit calculoſus? Cui dubio Scholæ,mulieres,idiotæ,
& agreſtes, una pariter reſponſione ſe ſatisfeciſſe
autumant : ſi indiſpoſitionis malam intemperiem,
vel inclinationem, nominarint, &
28 humores attulerint. Quam Inclinationem Aſtrologi,
licet haud diſtinguant conceptu, vel
empſychoſi : partu tamen diſcriminant : atque
hactenus in varias ſortes, conturbant gemellos.
29 At ſaltem, etymon inclinationis ad calculum,
vel in limine, Paracelſum reddit ſuſpectum, de
ſuo tartaro. Imò & Galenum, ſuæ hactenus,abſque
lumine, deſeruere Scholæ. Qui contentus
inæquali intemperie,in ſeminalibus conſtituentibus
(licet homogeneis) attamen, modò verſa
ſit in naturam, putat,ſe abunde ſatisfeciſſe quæſito:
proſequiturque cum deſperatione, hactenus
illam eſſe à nato inſeparabilem. Nomen
quidem vulgare, Inclinationis tollit; at remanent
priores, ſi non denſiores tenebræ : dum litem
lite reſolvit, & cum deſperatione, ſtudium
inquirendi abtruncat. Certum eſt interim quæ- 30
ſtionis dualitatem non niſi à materiæ ataxia,deſumendam.
Quæ cum ſub ſpermatis homogeneitate
tam ſimplici non inveniatur: neceſſe eſt,
in loci,ſive climatis uterini magno oportet, determinari.
Sic nempe mulierum latera differunt,ut
velut bini homines,lateraliter diſtincti,
ſimus ſinguli : adjacentque utero, lateratim alia
intus viſcera. A primis namque conſtituentibus,
deſumuntur quidem hæreditariæ labes, in
totum conceptum æquabiliter diſtemperatæ, ſi
à parente genitore ſint dilapſæ : ſed quæ in loco
ſunt repertæ,locis adjacent, & proximiores invadunt.
Mirum! quam facilè auſcultent tenerrima
noſtri initia, peregrinis impreſſionibus,
quamque facile, ſemel ſuſcepta,adoleſcant, atq;
quàm pertinaciter demum perſeverent. Etiam,
quæ mox proprio vivendi errore, acquiruntur
morborum ſeminaria, quàm amicè iiſdem, quibus
hæreditaria,poteſtatibus hoſpitentur,& dominentur.
Eoque ingrediuntur potentius,atque
inſolentius inuruntur, quo illorum conjugium,
nobis adhuc junioribus, Archeum defœdat.
Quantiſper namque incrementum aſſumimus,
morborum hauſta licet odore tenus ſemina,
quoque incorporantur radicalibus initiis, ac in
unum quid, nobiſcum adoleſcunt petroſæ ſeminum
entelechiæ.Quas etiam vel hauſto odore,
fermenta ſeminum conſtituere alibi latius.
Nam è natura integra,omnis homo ſanus, & unius
inclinationis eſſe deberet,niſi propter proprietates
vitæ mediæ, alimentorum, perturbationum,atque
climatum,ataxiæ in filios Adæ irrepſiſſent.
Quæ autem cum ſanguine materno,
& lacte nutricum ſubintrant,ut fures domeſtici,
theſauros vitæ poſſident, nec facile recedunt,
niſi ſub renovationis auxiliis. Propinquius autem
ad nodum veniens, dico, quod in rene ſit
fermentum ſtercorarium, lotii putrefactivum,
quo devio, ſemelque aberrantis nota impreſſa,
lotium pergere, deinceps ſpontaneo fluxu, ac
ſenſim in ultimatam tendere ſui putredinem,
ſub qua latet poteſtas volatilizandi terram. Cum
ergo Reni inſit hæc fermentandi poteſtas,quæſtio,
cur gemellorum alter renes habeat in fermento
ſtercoreo fortiores,reſoluta eſt,per caput
de Robore inæquali partium.Quatenus ſcilicet,
ſic alterius ſtomachum averſatur, & robuſtior
alter non item.Ren nimirum putrente fermento
ditior,in fabricam calculi pronior. Patrans quoque,
ſi veſicam urina repletam, ſub generando
habeat, ſolet ſobolem calamitati Duelech pro-

nam ſuſcitare. Quippe fracedo detentæ diutius urinæ, fermentaliter inoleſcit vicino ſemini translabenti. Tanto nempe ridiculoſius errat Galenus, volens aliquid lotii naturaliter cuilibet ſemini, ſemperque additum, ob titillationem. 31 Ignorans ſcilicet, ne pilum extraneum initiis generationis permiſceri, abſque totali ejus internecione. Vt autem prælibata inſerviunt intentioni, nota robur inæquale partium, eſſe velut naturæ intimæ neceſſarium. Etenim nec filum, ex auro homogeneo trahes, quod non citius una parte ſui, quàm altera, frangatur. Adeóque fit debilius ſeipſo. Ataxia, diſparitas, & heterogeneitas, ſunt modo de intima rerum eſſentia, licet eſſentiis prorſus peregrina. Hinc nempe gemelli, unico ſingularique ſemine prognati, heterogeneitatem evadere nequeunt, præſertim quæ tam facili contagio inducitur in rerum initiis.

CAPVT V.

Continuatur hiſtoria Duelech.

1. *Spes calculoſis unde.* 2. *Quis Medicus Theodatus.* 3. *Honor Medico qualis.* 4. *Quadruplex Medentum inſcitia.* 5. *Hiſtoria philoſophica calculi.* 6. *Error Paracelſi, & Galeniſtarum, de materia antecedenti Tartari, & calculi.* 7. *Error Paracelſi.* 8. *Terra in urina, & cruore.* 9. *Quid inveniatur in Duelech diſtillato.* 10. *Simplicitas Medentum.* 11. *Miſeranda Galeni ſimplicitas.* 12. *Argumentum, in primam materiam calculi.* 13. *Diureticorum examen.* 14. *Miſerrima aliquot hiſtoria.* 15. *Reſolutio quæſtionis Diureticorum.* 16. *Vnde periculum in Diureticis, & hujus felix præcautio.* 17. *Cenſus Diureticorum.* 18. *Intemperiem verſam in naturam, corrigibilem.* 19. *An laterum decubitus Lithiaſin promoveat.* 20. *Varia actio ſpiritus urinæ.* 21. *Vana Scholarum præcautiones.* 22. *Elenchus Scholarum.* 23. *Inadvertentia Scholarum.* 24. *Curtactus fallat Nephriticum.*

1 D*Eus non fecit mortem, nec eſt medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra.* Quapropter credidi, nullum defectum, in ſanando obvium, profluxiſſe ex theſauris ejus, qui non mortem, ſed remedia fecit: ut neque ex præſcientiæ errore: ut quem elegiſſet, ac creaſſet in Medicum, multis ubique numeris, penurioſum deſtituiſſet. Non eſt ergo Medicus, ut duntaxat palliativum remedium, ac fruſtraneum, calculoſis, ceu impoſtor obtrudat. Indiguit namque infirmus Medico, qui teſtaretur bonis operibus, ſe à Deo creatum. At poſtquam Medicina in profeſſionem erecta eſt, lucri prurigine, ſceleratum quodvis genus hominum ſe ad medendum intruſit, cui errori obviando Magiſtratus, jure in hos ſævire deberet. Scholæ itaque ad ſe Medentum electionem traxere, dignoſque cenſuerunt, quotquot Ethnicorum inſcitiis ſubſcriberent, ut Cathedræ atque vita humana ipſis concrederentur. Hoc jam in poſſeſſionem, in Europæis, ab aliquot jam ſeculis, per manus tranſmigravit, refrixit charitas, & introducta ſub ſigillo tutiore ignavia, partamque inſcitiam confirmavit longus uſus, prætendens præſcriptionis jus. Quare Deus dona ſua retraxit, & quæ aliàs dediſſet, continuit. Equidem D. Paulus vult honorandas viduas, quæ verè viduæ eſſent in bonis operibus: ad imitationem mandati, quod Medicum ſtatuit honorandum, qui verè eſſet Medicus, in bonis operibus, ſicque ſe à Deo creatum, & electum teſtaretur. Quemque ſcilicet ſuæ vocationis digna ſequuntur opera, diplomata, ſigna, & merita ſui honoris. 3 Quem locum mecum ruminans, invenio honorem Medico indici, propter neceſſitatem: quæ neceſſitas præſupponit provenientem fructum. Aliàs fruſtra. Non quidem, quod vis præcepti influat in neceſſitatem: ut quando ſanus non indiget Medico, nec hic tum ſit honorandus. Nam Iudex, Prætor, Cauſidicus, Miles, Lictor, Tortor, Figulus, Textor, &c. præſcriberentur honorandi, eodem neceſſitatis jure. Veruntamen in mentalibus, totus ſemper verborum contextus, non niſi tanquam unius rei conceptus eſt. Teſtabuntur autem id, qui quandoq; intellectualiter, abſtractoque modo, aliquid forte deguſtarunt. Idque quodammodò demonſtrari poteſt. Eodem namque conceptu, quo enſem conſidero, concipio inprimis figuram longam, planam, terſam, acutam, materiam quoq; duram, metallicam, non flexilem in filo rectitudinis, finem denique, non ad panem ſcindendum, aut ligna, &c. ſed ad vulnerandum. Iſta nempe cuncta, in unico mentali enſis conceptu, ſimul mihi repræſentantur. Sed in abſtractis mentalibus, nedum conditiones concomitantes, verum inſuper quicquid multis horis dici (imò nec exprimi) poteſt, unico, velut unius verbi conceptu, in intellectuali raptu infunditur. Honos autem præſcribitur Medico, creato ex bonitate Altiſſimi, propter neceſſitatem ægrorum, ad ſanandum eos. Quod ſane in mentalibus habet ſignificationem ſimplicem. Neceſſitates autem Militis, Iudicis, Tortoris, Textoris, &c. non perpen-

duntur tanquam electorum ab Altiſſimo: ſed tanquam promotorum ab hominibus, ad fungendum officiis, ex malitia hominum requiſitis. Alibi ergo demonſtravi, quod quadruplex ignorantiæ caligo, ſub habendi cupidine, unâ intraverit in profeſſionem Medicam, eamque ſine honore deſtituerint. Nimirum inſcitia cauſarum, modi fiendi, remedii, & coaptationis. Profectò ut Pyrotechnia, corpora reſerat coram oculis: ita januam pandit ad Philoſophiam naturalem. Sub ignorantia, & ignavia Scholarum itaque depreſſa delituit vera Pharmacia, quæque lumen Medico adferre debebat, tota mechanica habita eſt: inque Pharmacopæum, ſuamque uxorem delata. Libertati meæ indulge Lector, quoties de Deo, de vita, de morbis, de Republ. de proximo, de vocatione mea, de vero, bono, de nocuo, deque rebus adeò ſeriis, tantique momenti, in favorem mortalium, à me diſputatur. Nam nullius hominis gratiæ aucupium mihi propono. Oſtendi hactenus cœcas deſcriptiones è cauſarum & remediorum ignorantia, ſive diſquiſitionum pigritia, & facilitate aſſentiendi falſis principiis: quare & conſequenter auguramur, infauſtas calculi curationes, fallaces ſanationes, deſperataque auxilia, ut & miſeras ægrotorum obedientias. Pergam modo. Enimverò, quicquid de novo in natura ſurgit, id ex aliquo, adeóque ex alio, fit. Ut nempe mutatis materiis proximis, neceſſe ſit, illarum quidditates mutari. Ideóque hoc aliquid deſivit eſſe, ut novum hoc aliquid inde conſurgat. Idque non fit ſpontaneâ reſignatione, aut prioris habenæ laſſatione: ſed ſuperinducta neceſſitate novi ſeminis, maturataque impreſſione, ſive actuali diſpoſitione Archei, novi entis in potentia. Atqui cum id, quod nondum eſt, agere adhuc nequeat: oportebat, quod iſtud ens in potentia quodammodò præexiſtat, ut prioris entis ſubſtratam molem ſibi in ens poſterum adaptet. Subſiſtit verò ejuſmodi entis præexſiſtentia, in quodam ſpiritu ſeminali, cui rerum ſua tragœdia agendarum typi, atque umbratiles prænotiones inſunt. Hunc autem ſpiritum, archeum nomino; voca tu, ut voles. Sat eſto, ſcire, nil de novo in natura oriri, citra ſemen; Operatur demum omne ſemen, per ancillantes ſibi diſpoſitiones, quas in materia ad intenta vota propagat. Media autem organa, quibus ſemina materias diſponunt, fermenta voco. Nam prout acidus odor teſtæ, lac cogit; odor fermenti, farinam inficit; odorque cadi fracidus, vinum in vappam convertit, &c. Sic in lotio, ſuum eſt ſemen ad Duelech (Calculum enim ab arena, ſola quantitate diſtinguo, unicoque Duelech nomine ſignifico) ſuum quoque fermentum diſpoſitivum, ſubinde nudo in odore ſitum. Siquidem in veteri olidaque matula citius petreſcit lotium, quàm aliàs in nitida. Non eſt tamen odor ille fermentalis lotio proprius: ſed advena peregrinus, qui quandoque ſic reni quoque inoleſcit: ut Gorgonis inſtar, fabricando Duelech, jugiter atque inceſſanter inſudet; tanquam ad ſui perfectionem laboraret. Ita nempe invitus partium archeus trahitur ad ſcopum alienum, & quo nollet, abducitur per alieni fermenti importunitates. Errat itaque Paracelſus, qui mucilaginem quandam tartaream velut calculi materiam primam, atque deſponſatam, per venas diſperſam, annotat: illamque per laxativa quædam ſubduci hortatur. At hiſce nugis, tam de cauſis Duelech veterum, quàm tractatu de Tartaro ſatisfeci. Sat namque conſtat, quod in lotio humano (etiam ſanorum) ſemper ſit proxima materia, inviſibilis, & ſemen ad Duelech, ſive interim erumpat Duelech in actum, quantiſper penes nos urina maturatur, ſive poſtquam extra nos fluxerit. Lotium quidem eſſentialia initia ad Duelech continet; ipſi verò eſt per accidens, quod maturentur, vel non. & quanquam lotium in ſe habeat ſemen atque materiam calculi: non eſt tamen uterus calculi; ſed matrix tantum calculoſi ſeminis: quod ſibi vel foris, vel intus, uterum quærit, & invenit. Etenim ut perire debet ens in actu, ſi inde ens, quod eſt in potentia, ac quodammodò ſeminaliter præexſiſtens, conſurgere debeat: Neceſſe eſt eſſentiam atque materiam lotii, ex qua fit Duelech, prius fatiſcere; ſi inde Duelech fiat. In quo tamen exigua intercedit mora. In lotio quidem ineſt apta materia, ineſtque ſemen pro Duelech: indiget ſaltem actuante & excitante fermento, quod ſemen germinare procuret. Eò quod rei tranſmigratio arguat ſui decidentiam, per ſtatum neutrum, mediante fermento proprio. Lotii igitur fermentum corruptivum, eſt excitativum ſeminis. Diutius ideò ſervari incontaminatam urinam, ſub balſamo noſtræ œconomiæ, & ſub calore vapido, per mechanicam oſtendi, quàm quæ aliàs paucis inde horis, frigido in urinali corruptione auſcultat, ac proin etiam ſabulo matulam conſpurcat. Renes enim quoquo modo polluti, jam fermentum corruptivum urinæ conceperunt. Reni quidem ſuum à natura excrementoſum fermentū ineſt; ſed id nondum ſat eſt, ad propagangandum calculum. Eſt itaque in lotio Duelech, ut ens in potentia, quod prorumpit in actum, dum lotii, ſive prioris entis corruptio imminet. Interim verum eſt, quod quædam Provinciæ, ad crebritatem calculi, non ignavam ferant 7 opem. Illyricum enim olim populoſum, hodie autem penè deſertum; quia tetro halitu vitam præſcindit. Sunt namque loca Scorbuto, Aſthmati, caducove velut ſubnoxia. Non quidem, (ut Paracelſus retur) quod ejuſmodi tartarorum ſint fœcunda. Utpote cum eadem vecti nave Europæi, noſtratibuſque cibis uſi, affligantur peregrinis morbis, atque topicis. Semina ſiquidem morborum aliquot, inſunt locis, cuduntque aptas ſibi materias, ſi eaſdem non reperiant ſibi obſequentes, aut deſponſatas, faceſſant nugæ, quæ nudam præexſiſtentis materiæ tartaroſæ alluſionem, adeóque mucaginem, pro Duelech ſupponunt, ac requirunt, fictaque artificiorum allegoria fundant. Quaſi non alia calculi, quàm quæ ſiccatæ mucilagini reſponderet conſiſtentia? quaſi ex non mucido potu, non generetur mucida ſaliva. Quaſi omnis petræ generatio, atque induratio, conſcriberetur muco, & calore? Etenim ſi cor, oſſibus ut calidius, ita & durius eſſet, fortaſſis fidem mererentur illorum theſes. Sed aſpernatur natura ſimilitudines, longè ab artificiis petitas. Itaque ſtercoreum fermentum renis, nimis exaltatum, deinceps diſponere coagulatorem urinæ ſpiritum, atque terræ volatilis materiam intelligo, ut in ſemen Duelech concreſcant. Etenim non eſt in natura, principium tranſmutativum, extra fermenta innata, vel conquiſita (prout alibi de fermentis) exceptis 8 artificialibus, per ignem conſtitutis. Unde quoque ab iiſdem, inappoſita eſt omnis deducta ſimilitudo. Aliter namque terra figuli crematur in lapidem, abſque ſemine; aliterque omnis contingit petrificatio, ſeminali deducta initio. Ineſſe autem urinæ terram, probat primum mechanica lotii diſtillatio. Dein è cruore ſtillati cruoris, multa tandem remanet terra, quæ aliàs inter nutriendum tota volatilis exhalat, conſumitur, nec fæcem ullam ſui relinquit. Terra autem volatilis in lotio, ex putrefacto eſt. Succreſcente ergo ſtercorea putredine in lotio, adducta ſcilicet ſcoria, ſive ſtercore liquido, ſubinde ſpiritui coagulatori obedit: quoties nimirum amborum reciproca actio à fermento pu- 9 tredinis concitatur. Exſectum Duelech diſtillavi, per ſe, nec quicquam elicui, præter ſpiritum fœtidum urinæ, & flavam cryſtallum, ſimulque oleum, quale ex deſiccata urina trahitur. Quod autem in fundo mihi remanſit, terra erat nigra, ambuſta, friabilis, & inſipida. Lectores ergo decipiunt, Tyrocinii chymiatri ſcriptores, quotquot calculi humani diſtillationibus, atque ſuis præparationibus, ſtentantur Ludum Paracelſi, ſive ſaxifragorum principem. Etenim mera ſcripturiunt & decumana mendacia. Nec horum impudentiam, temeritatemque ſatis indignor, in re tam facilis experimenti, præſertim, ubi quiſque, ex raſuris matulæ, id commodè noviſſe poteſt. Ne minimum ſanè, ex calculo humano elicitur, eorum quæ temerè Pædotribæ illi ſcribunt. Certum eſt interim, medio putrefactionis, non pauca fieri volatilia, quæ prius, non reſolutis clauſtris, arctius ligabantur: etenim & ſic vegetantia, meraciores aquas ſtillanti dant, ſeipſis nondum putrefactis. Non unico igitur percuſſi telo, perimus, cum ſingula, quæ mitia, ſi parumper exorbitet, novas fingant nobis calamitates. Etenim parenchyma renum, viſcerum omnium duriſſimum, nervis atq; arteriis deſtitutum, aptiſſimum fuit fermento ſtercoreo lotii: cui ſi acceſſerit vel minitatæ putredinis urinalis fermentum, præterlabenti lotio, feſtina imprimitur inclinatio in Lithiaſin. Siquidem odor ſolus nominatæ putredinis in lotio, heterogeneitatem ſuſcitat, prius occultatam. Statim namque urina graveolet, quæ in ſordidam matulam inciderit, longéque citius occultatam in ſe arenam prodit, quàm quæ alias nitido vitro excepta ſit. Nam experimento indubio oſtendi, etiam ſanorum urinam, in matulis Duelech affigere, granorum, vel ſquammarum forma. Idque non ſtatim à mictu, ut ſidant, protinus: ſed aliquot horis abinde, affiguntur. Dum jam ſcilicet lotium, conceptum à rene fermentum explicans, viam corruptionis ſubit. In Nephriticis quidem, urina ſuſcipit fermentum putrefactivum, quod alioqui ſanorum lotio non communicatur, fermento ſtercoreo alioqui ſibi ſatis. Porrò neceſſarium non eſt, actualem putredinem reni ineſſe, ut arenam intus ſuſcitet. Prout nec urina in matulis adhuc fœtet, dum jam ſe ſabulo liberavit: ſed ſufficit minitata, ſive incipiens putredo, ut ſpiritus jure ſuo libere potiantur, agantque viciſſim in ſe invicem abjectis repagulis. Minitatam autem puto, quæ tantùm ſeminaliter Archeo renum ineſt, licet non explicata. nam alioqui, ſi actualis eſſet, vel tantilla putredo in rene, febris lenta illam comitaretur; quantulacunque autem fuerit, facilè in lotium radices

agit, in quod videlicet jam fermentum urinaceum
penetravit, quod in ſe ut ſtercoreum; ita
& putrilaginoſum eſt. Facilis eſt nempe putredinis,
& excrementi, aſſociatio, in ſymbolo fermentali.
Quiſquis ergo ſtuduerit, ne lotium
ſibi intus petreſcat: opportunè proſpiciat, ne
ſibi intus petreſcat importunè. Sunt enim ideò,
quæ grato odore, urinam reneſque tingunt,
organiſque hactenus blandiuntur. Quatenus
namque Diuretica ſunt, ſive mictoria, ad renes
aditum ſortiuntur, ſeſeque lotio immiſcent. Etenim
quæcunque occulta, vel manifeſta qualitate,
ſaxifragi nomenclaturam meruere: mundant
quidem, ac abſtergunt, & hactenus renes
putredine comminatos ſolantur: at ſanè nequicquam
arenarum liquant, aut reſolvunt.
Quales ſunt aciduli fontes, lapides, atque herbæ
diureticæ, quæ eluendo, detergendoque, arenas,
& tenuiores grumos proſcribunt: non
autem liquant, multóque minus inhibent nova
calculi exordia. Quia balſamo, gratique odoris
condimento deſtituta, ſquallores fermenti putrefactivi,
utut adhuc ſurdos, attamen non placant.
Prout enim plantæ regerminatio non tollitur
ramorum abtruncatione, ſed eradicatione:
Ita nec ſanatur nephritis, deturbando calculum.
Nil quicquam actum præmio dignum,
ſi epilepticus à lapſu erigatur, ſi non à recidiva
etiam in poſterum. Hunc tamen medendi apicem
Scholæ nequicquam tetigerunt: imò potiùs
deſperarunt: quia contractam Lithiaſis labem,
non rarò in poſteros, jure hæreditario
10 tranſlatam, ferocire viderent. Etenim cum diſſectum
à calculo veſicæ, ſæpè deinceps tota vita
immunem vidiſſent: idem ſibi promittentes
futurum, in calculo renum, de recidiva, nil
quicquam ſoliciti Medentes de craſtino, benè
ſperandum ægrotis perſuaſerunt, benè ſperantes
ſe ſaltem pecuniam recepturos, proximis
recidivæ nundinis. Stolidis nempe principiis
innitentes, laxativa mitiora tantum ſubinde utendum,
ut antecedentem calculi everrant molem.
E ſtomacho nimirum omnem calculi materiam
ſe emungere arbitrantur, ſerióque loquendo,
ſtentantur per ſua benedicta laxativa,
ſanationi palliativæ ſe proſpexiſſe, ſi repetita
cacatione æger obſequioſus fuerit, regulaſque
victus ſervarit. Sed hiſce nugis abunde ſatisfeci
libro de febribus. Nutrimur namque iiſdem,
11 quibus conſtamus. Nec partes ſolidæ nutriuntur,
niſi affini liquore, ſpermatico, viſcido. Ridenda
ideò magis eſt Galeni ſimplicitas, quæ
membranas, nervos, tendines, adeóque partes
primæ conſtitutionis, in cibis vetuit, ne mucilago
ſive pituita inde ſuccreſceret: immemor
ſanè, quod ſola vitali iſta mucilagine, partes ſimilares
in nobis immediatè nutriantur. Nec 12
interim attendunt Scholæ, quod renum alter,
unoque tantùm latere, ſæpè calculos pariat, totuſque
ſubinde occaleſcat: ubi alter ſuo interea
ritè fungitur tota vita munere. Unde ſaltem
fatendum, quod urina, non ſui vitio, aut mucilagine
ergo, in ſua baſi petreſcat (quod jam
ante ſat eſto conculcatum) quod denique non
ex diæta, ciborum potuumque imaginato tartaro:
ſed quod renes, proprio defectu, vitioſum
ſuſcitent fermentum, ac tandem inſolens hoc
monſtrum pariant. Sæpè namque renum unus
dudum multo fluxit ſabulo, ac dein totus calculo
obturatur. Dolorem quidem obtuſum
perſentit illius lateris: ſed nullum deinceps per
vitam ſabulum. Tandem id Scholæ per Anatomen
advertunt quidem: nondum tamen
proinde ceſſant inſontem damnare ſtomachum,
parturientem phlegma petroſum, pro
uno, & non pro altero renum. Partæque ideò
Lithiaſis crimine vapulet, ſcopis everratur; triduanas
patiatur evacuationes minorativas, &
familiares: rudiores verò toleret ſolutivorum
animadverſiones, per ſtatas anni viciſſitudines.
Imò toleret ſtomachus ſupplicium, quod ſubter
humeros, & poplites cauteria, ad pituitæ defluæ
præcautiones, detorſiones, revulſiones, aliaque
id genus anilia figmenta, imprimantur.
Tantóque crudeliores in ſtomachi non patratum
crimen ſæviunt tortores, quòd hic ſuum
cauterium ſtigmate obduci ſinat; medentes verò,
apertum detineant. Quaſi ficta pituita, è
capitis plano diruens, in ſtomacho immutata
permanens, per inteſtina laberetur, à Mezaraicis
iterum ſorberetur abſque nocui diſcrimine;
inde verò, ad jecur & renes iterum ferretur,
niſi aperta infra humerum, vel genu, cute,
revellatur à deſtinato itinere, foras. Bone Jeſu!
Sapientia Patris! ſuntne hæ tuæ Scholæ, quæ
hujuſmodi deliramenta credulo popello proponunt?
ſuoſque meris nugis circumveniunt?
Tot lanienis mortales cruciant? Abſit! Abſit
credere hanc doctrinam veritatis: id eſt, tuam.
Sed hoſtis primæ veritatis, inimicus hominum,
iſtas nænias protulit, & uſque tuetur. Cæterùm, 13
aliqui Diuretica præſcribunt, aliiſque interim
timentibus, arcentur, ne videlicet propulſus è
rene calculus in via ſteterit. Sic enim Abbatiſſa, 14
calculo deſcendente oppreſſa, ſub Canicula,
ſuadente Medentum corona, à remedio diure-

tico abſtinuit, ne forte calore ſtationis, & diuretici, calculus grandeſceret, & indureſceret. Exſpectavit itaque inſomne quatriduum, immani ejulatu, donec ſua ſponte lapillus in veſicam appuliſſet. Tum exſultatum à Medicis conſilium: & niſi regulam ſervaſſet, ſanè vitam non ſervaſſet. Nobilis quædam, infeſtata calculo, & febri; poſt quater repetitam phlebotomiam, enemata, minorativa, laxantia, veſicatoria, idque genus alia, totos dies decem cum clamoribus ſupervixit, in Medentum ſpectaculum: eò quod non reperirent horam à febri immunem, qua pharmacum contra calculum propinare potuiſſent, nec vires, ad novam alioqui carnificinam ſuffecturas: etenim quæ vidi, inter curandum, à Medentibus, titulo caloris perpetrata, vix toto volumine, cum horrore & commiſeratione deſcriberem. Jeſuitam enim Antverpiæ anno 1606, cui uterq; ren calculò obſeſſus, lotium negabat, tandem ſub bidui Medentum certamine, animam efflaſſe memini. Diſceptabatur enim de Aſini Apulei umbra: Num videlicet illi glans ſuppoſitoria, an verò clyſter adhibendus. Diuretica, ſive calculi propulſiva, horrentibus omnibus. Interim Mercator quidam Joannes Vermierden, ab octiduo ſtagnantem urinam paſſus, jam morti vicinus, diureticum ſumſit è ſucco millepedum, & ſucco conchyliorum nigrorum, cui granum unum cantharidum incoxerat integro hauſtu bibitum. Hæc miſſa facio.

15 Diureticorum autem litem ſic dirimo. Omnis calculus vel major eſt ſuo uretere, vel minor, vel æqualis. Si minor; opportuna, nec metuenda erunt Diuretica. Si autem juſto major: Diuretica erunt planè evanida, ac fruſtranea. At ſi æqualis ureteri reſponderit; præſtat eundem
16 ociſſimè expelli, ne per moram augeatur. Veruntamen quia tranſeunte calculo, ureter contractus præ dolore, plerumque criſpatur, Diuretica, in paroxyſmo danda, cum præcautione. Nimirum propinanda ſunt doloris, & contracturæ inde natæ, inhibitiva. Cujus ſolius puncti incuria, vel inſcitia, ſubinde contigit, calculos media ſtetiſſe via, & miſerandis ejulatibus necuiſſe. Idque non tam Diureticorum inſolentia, quàm Medentum errore. Nec enim putandum, canalem ureteris eſſe inæqualis ſtricturæ, ut calculus, qui per ureterem primo impulſu deſcendit, tandem anguſtia itineris preſſus, hæreat. Sed compreſſiones poſterę, ſunt criſpaturæ morboſæ, ac ſpaſmodes, à dolore, prout de Senſu & Senſatione alibi. Adeóque tam externa fomenta, quàm interna, quæ convulſivos illos motus placant, ſummoperè adhortor, & neceſſaria judico. Quidni ergo diſtinguam Diuretica, quorum tam deſtinationes, quàm electiones, vix antea cognitæ. 1. Siquidem quædam urinam corroſivo veneno acuunt: ut Cantharides. 2. Alia aciditatem provocant, ac relinquunt in lotio, & ſtranguriam excitant. Quales ſunt cereviſiæ recentes. 3. Sunt quæ urinam reddunt abſterſivam, ut fontes aciduli, vitriolum Martis, lapis cancrorum: itemque herbæ paſſim gaudentes etymo Diureticorum. Continentque ſingulæ alcali volatile, vel ſaltem iſtud, ſubter digerendum acquirunt. Etenim hactenus Diuretica, plerumque potui vulnerario conducunt. Eò quod in quovis vulnere mox aciditas, omnis in carne putredinis index, atque ſocia, oboriatur: quam alcalia facile in ſe abſorbent, & abſumunt. Quocirca ruſticus erat, qui vulneratos ſanabat lixivio tiliæ. Sic lapis cancrorum, vino incoctus, vel maceratus, inſigniter ſaporem lixivii præſentat. 4. Sunt & quædam, quæ lotium provocant, ſtimulantque expultricem, quatenus putrilaginem urinæ generant. Cujuſmodi ſunt Raphanus, Aſparagus, &c. Vidi namque Juriſperitum, non ante afflictum Lithiaſi, niſi poſtquam à largiore Aſparagi eſu, domum rediiſſet: ac deinceps non tam calculis, quàm ſubtiliſſimis arenis, per reditus, aliquot annos, ſingulis fortè quindenis, ſub atroci dolore decumberet. Unde didici, quod unius veſperi error malum habitum renibus induxerit, qui vix in poſterum tolleretur. Cognovi hinc etiam naturæ noſtræ pronitatem, quæ tam citò in ſui ruinam auſcultat, ſemelque lapſa, tardè, ac difficulter, etiam medicaminum favore, reſurgit.
Denique, ejuſmodi habitum, in aliquot jam 18
annos perſeverantem, nihilominus correctum, adeóque inclinationes, quas vocant, Intemperies verſas in naturam, eſſe mobiles, ac ſeparabiles, contra Scholarum deſperationes. 5. Sunt quoque Diuretica, quæ grato odore lotium reneſque reficiunt. Ut macis, nux myriſtica, terebinthina, maſtix, juniperus, &c. quaſi renes odore conſolati, ſui memores officii fierent. 6. Sunt dein etiam, quæ ex alcali lixiviali, ſub digeſtione, migrant in acredinem, vias urinæ abſtergentem, inſtar ſaponis, excretricem ſtimulant, incidunt adnatas ſordes. Cujuſmodi ſunt, quæ teſtis, & lapidibus, cineribuſque appropriatorum colliguntur; quæque ſola, ſaxifragorum nomine digna videntur, præcipuè ſi in gradum volatilitatis ſint deducta. 7. Eſt demum Diureticorum genus, quod parva quan-

quantitate, lotii copiam è toto corpore profundit,ut millepedes, ſpecies de Becapunga. Item ſuccus conchyliorum marinorum, nigrorum, oblongorum : & quæcunque nitrum volatile continent, quæque renes torpidos ex proprietate excitant. 8. Eſt & genus,quod ſedandis renum doloribus utile,hæſitantes confortat.Quale eſt in croco, rhabarbara, & caſſia inverſis, id eſt,vi ſolutiva prius orbatis. 9. Spiritus ſalis marini,nedum Diureticus eſt, ſimulq; ſtranguriam lenit,quibus calculus in veſica volvitur : verum inſuper calculos renum minuit. Si ultimo igne diſtilletur reverberii. Non ſat eſt ergo dicere, diuretica urinam creant: quin inſuper etiam eſt determinandum, an excitatione attractricis, an urinæ liquatione,an exaſperatione, an putredinis citatione, vel alio demum titulo id agant. Nec ſat eſt,ſerum lactis continere aliquid nitroſi: quin etiam aliquid habet prioris cruoris reſiduum,unde cadaveroſum eſt,adeóque Aſparagi tenorem ſervat.Multa ſiquidem, renum conſolatione,urinam cient, gratóq; alia odore lotium ſuffundunt,aliaque ſunt per acrimoniam moleſtiora, ut &, quæ fermentum putidum urinale accelerant, quæ tota radice calculoſis nocua:
19 magnoque Medentum ideo errore, Aſparagus quibuſlibet ferè apozematibus incoquitur. Porrò formidavi quandoque unius lateris decubitum ordinarium · quod ſupinus ren præcluderetur ab inteſtinorum incumbente pondere,inque eo reſtagnans urina fieret arenoſa: ſi quotidie,per plures horas recluderetur ibidem. Præcipuè, quod ſupinus ren diſtet ſaltem digitis decem,à vena cava: ſitque veſica,medio ſitu inter utrumque renem.perſuadebam itaque mihi, quod ren ſupinus non poſſet ſe exonerare ſurſum,in veſicam. Sed poſtmodùm cognovi vanum hunc meum timorem, quodque nil, reſpectu Archei, eſſet inferum. Nec ſatis id fuit, theoricè inquiſiviſſe. Igitur opportunè mihi notus, qui à puero nunquam in latus ſiniſtrum decubuerat. Etiam adhuc ſenex, nondum Lithiaſim paſſus. Obſervavi & alterum, qui nunquam, niſi lumbis,& dextro lateri indormierat: ſiniſtro tamen ac prono rene, evaſit calculoſus. Repeto hic: quod clarus ac ſtillatitius urinæ meæ liquor ſecum aſportaverit ſurſum per alembicum, ſuam terram, quam ad latera vaſis in verum Duelech conformavit,& affixit;quodque illa induratio ſit facta à ſpiritu urinæ, qui quidlibet, atque diverſimodè plura coagulat.
20 Nam ſpiritum vini condenſabat in offam volatilem. Sin verò reperit objectum fixum, de natura ſalis, vertitur in ſalem, prout contingit ſpiritui vini, à ſale tartari. Aut dum ſpiritus ſalis fontani, combibitus à cognato ſale, fit ſal. Sin autem ſpiritus urinæ reperiat terram fixam, quam rodat; cum illi deficiat objectum coagulabile, imbibitur à terra, & ab hac ſubigitur : & coagulationis alioquin author, ibidem coagulatur paſſive. Sed ubi ſpiritus urinæ invenit volatile non coagulatum, coagulabile tamen (quia terreæ indolis) ſuum exſerens coagulum, conſtringit eandem aporrhœam, in terram: conſertiſque viribus utrimque, fit nova creatura,quæ eſt nativitas Duelech.Cæterùm Scholæ, 21
ſuis calorum inſiſtentes principiis,præſcribunt, non incubandum dorſo, lumbos quoque inungendos refrigerantibus, imò lamellam plumbi geſtandam topicè. Imperant culcitram lanæ loco lecti plumoſi, ne renes incaleſcant. Quinetiam inter ſtragula & culcitram, corium ſubſternunt. Nimirum circa effectus debellationem Scholæ tantùm occupantur,reſpiciuntque duntaxat productũ, ſive poſterius: nequaquam autem ad cauſam, ne quidem occaſionalem. Nugis invigilando enim, ſucceſſivè ſibi invicem ſubſcribunt,ſine nota juvaminis. Adeóque ſeriò ſomniant vigiles, ut ægris adulentur. Neque enim naſcuntur calculi, quia lumbi calent: ſed calent lumbi,quia naſcuntur calculi.Lanam 22
ergo præ plumis deligunt,ob harum (inquiunt) calorem. Neſciæ, quòd plumæ minus calefaciant,quàm lana: ob minùs accuratam aëris excluſionem.Quod judicet ſenſus tactus.Denique 23
dato, quòd pluma magis calefaceret ſuperincumbens corpus, plumiſque involutum, quàm lana: Attamen id totum ceſſat,ſi linteum intercedat inter plumas,vel lanam. Siquidem calor, qui è plumis vel è lana emergit,non eſt ipſe horum ſimplicium calor : ſed incumbentis calor reflexus, receptuſque in plumis, vel lanâ. Inde namque depoſitus in medio (linteamine) redit, non quidem ſeipſo priore robuſtior, ſed ferè adæquatè contemperatus,eodem momento caloris, quo pollet ipſum corpus. Determinat autem oculariter hanc litem, ipſum organum vitreum, ad menſuram temperiei ambientis aëris conſtructum. De quo in principiis noſtris elementalibus. Nec arguit in adverſum, quòd calculoſus nephriticus ſe ſentiat calidiorem lecto plumeo, quàm laneâ culcitrâ.Nam id non contingit ob majorem plumarum calorem: At bene, quia patiens demergitur profundiùs lecto plumeo : culcitrâ verum laneâ tantum ſuperjacet, afflatque à lateribus aër refrigerans.Adeone

Scholæ nunquam aliquid ex fundamento, cauſa, atque radice diſtinguent? Semperque ex dogmate gentilitio caloris, & frigoris, cum ruſticis ſapient? Oro vos, propter amorem Dei, quo quiſque exacto ſecum ſeculo proſpectum optet ſibi, abjicite pertinaciam, præſumtionem,& ignaviam; ac nolite aſpernari meliorem doctrinam.

CAPUT VI.

Uterus Duelech.

1. Cur ſit inquirendus uterus Calculi. 2. Veſica etiam, alterius ſortis calculum generat, quàm ren. 3. Prognoſces. 4. Calor in urinis, non coagulat quicquam. 5. Altera uteri neceſſitas. 6. Situs hujus uteri. 7. Mechanica. 8. Obſervationes inde habita. 9. Conjicitur hujus uteri extenſio. 10. Ratio mirabilium in Nephriticis. 11. Unde recidiva in nephritide. 12. Nephritis auſcultat Meteoris. 13. Modus in fiendo. 14. Lotium cur turbidum. 15. Dolor Nephriticus à contractura. 16. Falluntur in cauſa, qui ſtricturam ureteris, pro doloris atrocitate adſerunt. 17. Inſcitia uteri, ſanationem negligere fecit. 18. Fabuloſa Scholarum perſuaſio. 19. Recidivarum altera neceſſitas. 20. Dubii cujuſdam elucidatio. 21. Hiſtoria amentis. 22. Separatio lotii à cruore. 23. Inordinata peregrini calculi generatio.

1 SEMINE, materia, ac proceſſu fiendi calculi, jam patefactis: cognitaque urina in ſui contentis, quatenus eſt vas ſeminarium, deferens ſemen calculi: nondum ſatis tamen dictum. Siquidem ſoſpite unico rene, ſæpè alter duntaxat calculoſus eſt. Non ſufficit ergò accuſaſſe urinæ commune initium, eoque potentius imaginandum hoc, quod omne genitum præſupponat quendam uterum, unde nimirum ſubinde non ignavam indolem ſortitur ipſum productum. Neceſſe eſt enim loca eſſe, quibus res fiant, antequam naſcantur, idque tam prioritate locorum, quàm motuum. In hepate quippe, eſt jam urina materialiter, imò & in mezenterio, antequam ſit in renibus. Neque renes per ſeparationem ſequeſtrarent lotium à cruore, niſi jamdum urina & cruor realiter diſtincta eſſent. Si verò urina ſit, priuſquam ad renem, vel ad emulgentes venas, deveniat, neceſſe eſt & calculum quodammodò ante renum hoſpitia præparari. Etenim ſi ſtercus, vel ab initio duodeni inteſtini, præparari incipiat; quidni idem lotio continget? Quapropter viſum fuit mihi, urinam nec etiam poſſe uteri calculoſi rationem complere, multòque minus renes ipſos, tanquam per ſyringas, feſtinus tantùm eſt lotii tranſitus. Quare primus debui, uterum monſtroſæ hujus prolis attendere: præſertim, quod hunc cognitionis apicem Scholæ hucuſque tranſilierint, vulgi judicio contentæ, nec ultra rus ſapientes, quod renes atque veſicam tantum intuetur. At certè fodina, ſive uterus, magnam utrobique gignendæ rei diverſitatem cauſat, ſi generationis fertilitates ac ſterilitates plerumque contineat. Solo namque ſi natura ſubeſt: certè utero natura non poteſt non ineſſe, Si præcipuè renum uno, petreſcat, altero incolumi. Idque potiſſimum contemplandum ex eadem & in eadem materia, uniuſque ſeminis urina. Ex utero itaque, nec aliunde accer- 2 ſitæ infirmitatis cauſa petenda. Nam & veſica, & eadem numero urina, alterius ſortis Duelech procreat, quàm quod in rene fit, vel ſaltem nuſpiam fiebat ante. Enimverò, non ſoleo ſubſcribere nudis antecedentium voluptatibus, ut neque arbitriis, quia ipſam Medendi poteſtatem languere, ſub illorum torpore, certior factus. Uterum ergo Duelech explorare debui. Inpri- 3 mis exploravi Nephriticos, plerumque ante futuros ſibi dolores, præſagire ſibi inſtans malum ſolitos, ex urina aquoſa, non tincta. Præſente autem dein dolore, eandem urinam affatim multam, atque turbidam, inſtar cereviſiæ flavæ, nondum defæcatæ. Cumque dein ſubtilior urina, arenæ permiſta, profluit, dolorem ſibi manifeſtè remiſſum, aut penè nullum, teſtatos. Imò, tametſi per dies aliquot, continua maneret urina, ambobus renibus ſubinde major. Spectavi tum quoque, bolum continuum, & copioſum, cum urinis quotidie ejici, ſpecie inpalpabilis pollinis. Quendam etiam, qui ſolo calore li- 4 queſceret (tantum abeſt, quod calor, coaguli eſſet author) ſæpè tamen bolus iſte, ab lotio ſeparatus, denuo in aqua calida non fundebatur poſtea; ſed ad fundum tandem per quietem ſidebat, qui ante, in ſale urinæ, ſolvebatur. Etenim ſemper credidi, generationes ſeminales fieri è diſpoſitione materiæ, hujuſque perfectionem paulatim introduci, opera Archei. Sciebam ideo, 5 generationem Duelech, cæterorum naturalium leges ſequi: adeóque etiam eſſe inſtantaneam: atque per conſequens, illius diſpoſitionem præparativam, ſive præparationem diſpoſitivam, ſenſim quidem introduci. Concluſi ergo mecum, totam hanc monſtri nativitatem, ejuſque præparationem, non abſolvi tam feſtinato per renes tranſitu: præſertim ſicubi bolus ille tertiam quandoque matulæ partem oppleat: imò

arena unico mictu ejecta, ſubinde medietatem
renis adæquet: ne interim exilitatis ſinuum re-
6 nis reminiſcar. Itaque meritò ſuſpicatus ſum,a-
renarum, boli, & calculorum uterum, non eſſe
ſolos renes: ſed hos, per vaſa anteriora, quibus
lotium diſponitur,ſua præparare producta, ple-
namque quidditatem Duelech ibidem nanciſci.
Fundamenta nimirum cuduntur eorum, quæ
mox futura apparent. Atqui ut omnem à me ab-
dicarem ſcrupulum,neve crederem, momenta-
neo per renes tranſitu, urinam, velut ictu oculi
celerius,in bolum,arenam, grandioreſve calcu-
los faceſſere, ac tum deinde per ureteres præci-
7 pitari: Collegi urinam ejus,qui unico duntaxat
dolebat rene, ſabulum ſimul atque bolum ex-
creverat, dein urinam per linteum à ſabulo co-
lavi: attamen deprehendi,quod ex eadem are-
na deinceps nil minus ſabuli, & ſquammarum,
adhæſiſſet matulæ, quàm, ſi ſine bolo & arena
8 prodiiſſet. Ex oppoſito quoque comperi, uri-
nam, quæ ſemel matulæ ſuam appoſuerat are-
nam: nullam triginta inde horis,amplius in no-
va matula arenam: at duntaxat ſedimen ablui-
bile depoſuiſſe. Certus itaque factus ſum,totum
iſtud ſabulum, cum lotio calculoſi ejectum,nec
fuiſſe illius atque ejuſdem lotii, cujus jam fun-
dum petiverat. Conſequenter quoque arenam,
ſucceſſivis ac continuis poſt vicibus mictam,
non fuiſſe productum illius ſolius lotii, neque
collectionis mora, illius lotii factam, aut patra-
tam. Imò cum alioqui ren, ſeipſo quadruplo
major,ſubinde non eſſet hoſpitando ſabulo, per
iſtum paroxyſmum defluo. Igitur didici,aquo-
ſam & non tinctam urinam, futurarum arena-
rum,& paroxyſmi prænunciam, futurique do-
loris præſagam:vel ex tunc,diſpoſitionum fun-
damenta depoſuiſſe, in aliqua cavitate, majore
9 ſinubus unius fortè renis. Quapropter capacio-
rem arenarum, boli, ac lapilli, uterum conjeci,
quàm eſſent ambo renum ſinus. Centralis
nempe unus,ureteri conterminus, & alter an-
10 fractuoſus, per corpus renis circumflexus. De-
mirabar enim valde, quod primis diebus non
flaveret urina,abundans tamen flueret:nec ſco-
ria,lotii tinctura,tum, pro ſolito uſu, attrahere-
tur: quaſi tota illius tinctura, in fabricam lotii,
abſumeretur: vel quaſi arenæ ex mera tinctura
ſcoriæ fierent: adeóque ſtercoris liquidi miſtu-
ram cum urina,eſſe morboſam præter naturam,
licet ordinariam. Quæ ſanè meditatio, primis
me paſſibus afflixit. Saltem inde clarius co-
gnovi, quod cauſa materialis Duelech,à Scho-
lis aſſignata, ſit prorſus inanis, & ſtupida: Cum
albicans, & pituitoſa mucago, ſi qua eſſet à
renum calore cocta, in calculum: Jam arena
renum non eſſet citrinior calculo veſicæ, ſed
æque pariter pallerent ambo calculi. Utpote co-
ctio arefactioque mucaginis,nequeunt ejuſdem
pallidum calorem citrinare: vel in veſica, ſub
longiore mora,tota rufa eſſet. Niſi forte Scholæ
demonſtraverint, mucilaginem renum eſſe fla-
vam;& veſicæ,albam. Aliàs ſanè,anilia figmen-
ta docent de mucilaginoſa calculi materia. Por-
rò urina clara, copioſa, aquoſa, nec tincta ante
paroxyſmum: turbida cum dolore, & arenoſa
poſt dolores, viſa mihi eſt, eò quòd dum arena
eſt in fieri, id contingat in vena cava, ipſiſque
emulgentibus: non quidem adhuc in forma
arenæ,vel calculi: ſed boli, tenuioris luti,atque
ſediminis inſtar. Adeóque in iſta culina, non
rite conficitur tum lotium. Quare aquoſa eſt,&
Archeus illarum partium eſt primario malè af-
fectus. Coctionem verò, ſive digeſtionem lo-
tii, intelligo promotionem ejus ad urinalem
perfectionem. Nondum enim ibidem eſt arena:
ſed minutiſſimus boli atomus. Quia ibidem eſt
corruptivum fermentum, præter naturam, &
loci requiſitum,ſtabilitum. Quo autem longius
inde recedit, renem verſus, vel ad ultimam lo-
tii cloacam, ſuo quoque fermento urinario
magis magiſque gravatur: Duelech,in momen-
ta propemodum ſingula,argumentum capit, ac
ſenſim in majora grana firmatur. Argumenta-
bar enim: Si vena cruorem, etiam poſt mor-
tem,à coagulo,contra corruptionem præſervet:
non fore indecens, in uteris, ſive venis urina-
riis, aliquam exſiſtere pariter præſervationem,
à coagulo calculoſo: niſi hæc, vitioſo fermento,
vicini renis, præpollenter peſſumdetur. Quod
ubi ſemel ſerio contigit, ſic ut venæ, à nativa
ſui bonitate, paululum receſſerint, evenit his,
quod quibuſque vaſis impuris, olidóque fer-
mento vicino infeſtatis,quibus aliquid ſemper,
de reſiduo impuri contagio, pertinaciter adhæ-
ret. Iſta quippe recidivarum in Nephriticis,con- 11
tinuata eſt ſucceſſio: quod non de pleno,omnis
adhærens amurca abſtergatur: ſitque idem ma-
læ indolis character vicinus, qui priores con-
cinnavit calamitates. Per modum, quo gallina,
matura ova, minuſque matura, aliaque inſtar
granorum,in lumbis gerit, ſucceſſivè in menſes
aliquot, ſubſecuturi partus pignora. Hæc ni- 12
mirum fuit neceſſitas, qua Nephritici, meteori
importunitatibus plerumque parent,futuras et-
iam tempeſtates præſagiunt, horumque do-
lores à lumbis in dorſum aſcendunt. Quoniam

dum illis venis,ſive uteris,jam illarum ſordium
pluſculum eſt affixum, triſtantur, contrahunturque,
ſaltem illo latere, quo infeſtantur: vel
13 utrimque per lumbos pariformiter. Sub qua venarum
contractura,rugataque criſpatione, dolor
punctilis, lancinans, & quaſi divulſivus, emergit.Deciduntque
in iſta criſpatione groſſiores
atomi, in emulgentibus collecti, ad renes:
remanente interim in pignus bolo, tanquam
proximi acceſſus ſeminario uſque in ſui maturam
14 adoleſcentiam. In qua demum, dolente
venarum contractura, latex eminùs è venis in
ſubſidium, ad renes celeriter accurrit,trahiturve,
atque confluit obediens. Unde lotium turbidum.
Quis autem latex ille, qui cum non ſit
urina,huic tamen miſcetur, ſuo tractatu, à me
copioſè ſat dictum. Poſtquam autem arenæ &
calculorum ſegmina ejiciuntur, ceſſat dolor:
15 quia ceſſat venarum contractura. Nephriticus
ergo immanis dolor ille, à contractura: non
16 autem à boli, vel ſabuli tranſitu. Sæpè namque
magnus calculus, poſtmodùm minus dolet,
qui minutulus primùm, ſummè dolorificus.
Non quidem quod ureter ſeipſo amplior factus
(prout alioquin opinantur Scholæ) ſed inſueto
malo, contractura major fuerit. Aliàs namque,
ſi ureter tantam ſuſtineret ampliationem, ſibi
contradicunt, dum diuretica vaſorum ſtricturam
vetant. Dein porrò conſideravi, quòd ſub
initium, clara, aquoſa, & affatim, urina excernatur.
Etenim cum urina tingatur per ſcoriam,
ſive ſtercus liquidum; iſta autem ſcoria, non
eliciatur, niſi prope finem Ilei, ac juxta fomitem
fermenti ſtercorarii: fit inde, quod illa
ſcoria non tam eminus alliciatur, ſub confuſionem
inſtantis paroxyſmi: eò quod illius culinæ
œconomia, ſit confuſè turbida, & interpolata.
Quippe ſtomachus cum toto abdomine turbatur,
præſentitque in omine,atque metu,inſtantem
procellam, non minus, quàm eandem
compatitur, toleratque præſentem. Præſentire
enim videtur arenam, nondum viſam: at ſanè,
adeſt tum in utero ſuo, dumque præſentitur,
ex tunc adeſt contracturæ illius exordium.
Volens itaque Archeus hoſtem eluere, & excuſare
inſtantem paroxyſmum, accerſit undecunque
omnem laticem, &ad eluendum renes,
demittit. Contrahuntur ergo venæ in calculoſis
renibus,conſentiuntque inteſtina, atque
dolorem colicum ideò mentiuntur, ob conſenſum.
Qua de cauſa nephriticus dolor, à colico
nondum per Scholas ſatis diſtinguitur. Nec
mirum, ad ſpaſmum venarum, ipſa inteſtina
quoque convelli: cum contracturæ artuum ſequantur,
propter conſenſus conſanguinitatem,
tam dolores immanes colicos, quàm nephriticos.
Procul ergo à vero deviant Scholæ, quod
Scoria trahatur, aut mittatur, ad calculi fabricam:
quin potius ſupervenit ejus tinctura, per
accidens, dum ſpiritus coagulator ſuam exſerit
potentiam, in terram volatilem. Quia cæteris
paribus, calculus tinctus ſemper eſt pallidis
friabilior.Idque clarè arguit, quod lotii tinctura,
ſi poſſet, confectionem Duelech præpediret
totaliter. Adeóque Icterici, licet calculo
ſubjecti aliàs, vix calculoſi ſub Ictero viſuntur.
Idcirco enim ſub generatione Lithiaſis, flavet
urina primo arenarum conceptu, palletque ſub
initium acceſſus. Quia tum adhuc latex eſt,
nondum mera urina. Certò itaque ſcivi, ſi in
ſolo renis ſinu omnis arena fieret, quæ excernitur,
dolor major eſſet, dum excernitur, quàm
dum nondum arena apparet.Quod tamen contradicit
experientiæ. Porrò, quòd patrato ſabulo,
urina plus ſolito turbetur, ſpiſſiorque evadat,
cum alioqui plus pulverulenti continere,
turbida confuſio perſuadeat (in craſſiore nempe
conſiſtentia, plus pulveris, quàm prius in
clara,& aquoſa.) Id planè convincit, uterum Lithiaſis
jam eſſe oppletum, nec poſſe craſſiorem
illam ſaburram hoſpitare. Ergo, incognita uteri 17
varietas nedum neglexit Nephritidis ſanationem,ſed
& cauſarum, & ſanandi, alteritates introduxit.
Scilicet aliud eſt, fluctuantem à rene
arenam, ſuccedente lotii ſtilla, deturbari: atque
longè aliud, non quidem eluente unda; ſed
partium conſpirata contractura, ac criſpatione,
adhærentem excutere arenam. Althea enim 18
Malva, Amygdalino, ſimilibuſque, dolores demulcere,
vias humectare, dilatare, & oblinire
perſuadent: adeóque in hoc, ut & in omnibus
ubique, vel Scholæ duntaxat ſunt intentæ ad
poſterius, vel ridiculum proponunt. Dum vi
deterſiva, totum arenarum bolique uterum everrere
debebant, laxandis viis, humectandiſque
membranis in ſe ſemper madidiſſimis, totæ
incumbunt. Siquidem expulſo ſabulo, non 19
proin ſoſpes eſt uterus illius: quin ſaltem in futuram
calculi pœnam, remaneat venarum conſpurcatus
bolo paries. Quorſum nulla Scholarum
hactenus fuit reflexio. Demirabar namque 20
ſubinde quod dudum antea Nephriticus, poſtquam
calculum in veſicam demiſit, rarius novos
in rene lapillos ſuſcitet, quamdiu alter veſicam
infeſtat: Nephriticus tamen,ſi ſimul etiam
podagricus, podagram tamen ſociam, cum
Nephri-

Nephritidis ſive calculi acceſſu, admittat. Et-
enim inde didici, quod ſicut dolor in vulnere
ſuſcitat aquam glarealem: ita & ipſam mutet
urinam, quæ petrificationem in priſtino lum-
borum utero impediat. Quare etiam lotium
turbidum, citraque arenas, viſitur in calculoſis.
Dolor enim claſſica eſt, quæ laticem undecun-
que advocat occaſionaliter, urinam peregrino
hoſpite admiſto, accendit, imò & turbat. In tan-
ta autem officiorum confuſione, de ipſa confu-
ſione cogitatur nihil. Etenim dolor mihi fer-
voris imaginem ſæpè ob oculos poſuit. Aqua
namque, poſt fervoris ebullitionem, turbida
plerumque, ac confuſa eſt Sic enim quia bolus
fit, ex terra urinæ volatili, nondum ſale condita
ſufficienter, ob defectum fermenti urinarii, in
rene ſtabulati: Ideo quoque bolus iſte igne li-
queſcit, neque in arenas duriores majoreſque
cogitur, quamdiu vim fermenti renum non ex-
peritur. Tingitur autem ſaturatè bolus non qui-
dem à ſeriùs superveniente ſcoria, arenas tin-
gente (quippe bolus ille rubet, ſupra flavedinem
ſcoriæ, ſed à cruore diluto, qui in venis (boli
utero) tranſſumitur erroneè ad uſus, turbulen-
tiæ fines. Atque hactenus in Vronomantia, bo-
lus de hepate & cruore teſtatur: nil autem ho-
21 rum arena. Conſtat ergo urinam, per ſe, ſalſam,
etſi ſale homo non veſcatur: ejuſque cauſam,
de Digeſtionibus, offendes. Curatus quidam, in
urbe noſtra, totos dies 17 amens, abſque omni
potu & cibo tranſegit ante mortem. Nunquam
autem illi prorſus quotidiana defuit urina, par-
cior quanquam, & ſenſim rubicundior exiret.
Vnde conjicio, in rene vim eſſe commutativam
cruoris in lotium (quamque alibi in tractatu de
hydrope, ſtudio proſequor) non ſecus atque
vulnus, ex cruore celerem copioſamque parat
Synoniam, ſive glarealem aquam. Itaque uri-
na, ad poſtremam ſui determinationem, poſtu-
lat, mutuatque vim, à fermento, quam renes in
uterum lotii inſpirant. Non aliàs, quàm hepar
in venas portæ, nexuſque Meſenterii, vim ſan-
guificandi. Quapropter ibidem ſtatim totus
ſtomachi chylus, cruorem ſuo colore menti-
tur. Vim autem renum in venas, planè deſpo-
ticam, alibi de hydrope proſequor. At quam-
vis fermentum renis, inſerviens miniſterio to-
tius integralis, ſit viſceris cujuſdam tanquam
digeſtio: non eſt tamen in numerum digeſtio-
num relata, eò quòd coctionem recrementi,
22 non autem alimenti concernat. Etenim cum
omnis tranſmutatio, quæ per digeſtiones pro-
cedit, ſua habeat media, ſive fermenta propria,
ad novam generationem opportuna; ita ren,
ſuum incipit inprimere fermentum in cremo-
rem, mox dum ad portas jecoris ſiſtitur. Cujus
fermenti vigore, lotium ſe à cruore ſequeſtrat,
nativis proprietatibus. Et quanquam cruor ille
nondum ſit coagulabilis: attamen ſe ibidem ſe-
parant liquidum à liquido. Myſterium ſangui-
ficationis eſt quidem homogeneum, ſimplex,
ac prorſus univocum, ſolaque adeo ſanguifica-
tione conſcriptum: oportuit tamen, ſtatim in
venæ portæ limine, ſeparabilem difformitatem
cremori innaſci. Aliàs namque cruor, dum vi-
talem conditionem in hepate acquiſivit, inde-
center ſpiraculo fermenti renum pollueretur.
Quod autem urina naturaliter ſit ſalſa, & unde
ipſi iſta ſalſedo, alibi de digeſtionibus invenies.
Hic autem adnotaſſe ſat eſto, quod quantum
ſalis acidi naſcitur in chylo, ſub prima dige-
ſtione, tantundem in altera tranſmutatione ſub-
ſtantiali migret in ſalem ſalſum. Deſignavi jam
uterum incipientis urinæ, & calculi. Declaravi 23
quoque mirificam proprietatem ſpiritus urinæ,
in coagulando, ac petrificando. Inde etiam
jam ſat conſtat, ſi contingat ſpiritum lotii retro-
grado motu fluere per jecur, in venam portæ,
atque inde expelli, ut peregrinum inſolitum,
per meſenterium, in inteſtina: quod ibidem
facile coagulaverit etiam inſolitos calculos,
quoſque Paracelſus congelata, non autem coa-
gulata vocat, eò quòd non ad duritiem Duelech
urinarum aſcendant, quæ à mucilagine matre
materia ſolidantur. Quòd ſi verò urinæ ſpiri-
tus per venam cavam ſurſum, vel deorſum fe-
ratur: alienat, vi ſibi propria, ſimilarium ali-
mentum ſpermaticum, ac mucilaginoſum, in
duriorem compaginem: unde demum Scirrhi,
quartanæ febres, nec non variæ oppilationes
oriuntur: quas fruſtra ſanè per Iulapia, aut Apo-
zemata averruncare ſtudent. Denique nutri-
tur fel cruore ſibi vicino, in quem ſi ſpiritus
urinæ è ſuo deviarit utero, confeſtim quoque
lapides in felle obnaſcuntur. Peregrinum nem-
pe ac hoſtile evadit, quicquid in alienam meſ-
ſem ſubintrat. Adeóque extraordinarii effectus
cauſis conſimilibus oriuntur. Neque enim in-
appoſitè docui, ſeroſum iſtud, quod cruori per-
miſtum defertur, perque ſudorem, vel aliàs in-
ſenſiliter, diſperditur: non eſſe urinam, ut ne-
que ejuſdem proprietates habere, nec eſſe ſe-
rum, lactis æmulum, multoque minus eſſe fel,
aut bilem flavam: ſed partem Laticis, de quo
ſuo tractatu.

CAPVT VII.

Duelech reſolutum.

1. Accuſatur incogitantia Scholarum. 2. Cenſus nebulonum, in quos Magiſtratus animadvertere deberet. 3. Excuſat ſe Author. 4. Omnis morbus ſua in ſpecie eſt curabilis. 5. Quantum ſperandum ſit ab officinis. 6. Quidve ibidem reperiatur pro Lithiaſi. 7. Duplex indicatio. 8. Surdaſtra Scholarum intentio. 9. Vanitas hujuſmodi intentionis. 10. Cur Althea, malva, ſuccus citri, &c. juvent. 11. Frivola objectio contra Diuretica. 12. Adynata Scholarum. 13. Rationes Scholarum pro impoſſibili remedio. 14 Rationes Spagyrorum. 15. Teſtimonium Cardani. 16. Diploma Principis Saliſburgenſis. 17. Deluſio Scholarum, ex ridicula remediorum inquiſitione. 18. Ridicula ſubterfugia. 19. Calculum non confirmari. 20. Lapides animales, & vegetabiles, quo pacto nobis ſint utiles. 21. Modus præparandi. 22. Vnde Ludo nomen, ejuſque præparatio. 23. Ludus ubi reperibilis. 24. Stolidum ſtentamen. 25. Error Paracelſi. 26. Scholarum temeritas. 27. Paracelſus non minus inſulſe, quàm Humoriſta de materia calculi, garrit. 28. Exomologeſis rerum examinatarum: & balſami ſalis. 29. Modus adhibendi remedii. 30. Veſica tauri embryonis. 31. Obſervationes circa lapidem cancrorum. 32. Error Paracelſi. 33. Mira antipathia. 34. Novus catheter.

1 VTerum Lithiaſis dixi: nunc autem de remediis cogitandum ſeriò. Enimverò ridet vulgus Scholas, in opprobrium actas, quod nequicquam hactenus de veris cauſis, vel ſanatione ſit indagatum. Originem Medicinæ quidem alibi recitavi, eamque adhuc adoleſcentem, in hodiernum uſque diem, effœta velut vis animi, egit in circulum, abſque progreſſu ullo: quia peregrinis, Græcis, Barbaris, Ethniciſque inventis ſtare maluerunt, & aliena excoluiſſe, honori duxerunt. Dum interim novi oriuntur morbi, quondam etiam exoleti, reſurgunt larvati: ideóque illegitimi apparent, nec amplius reſpondentes deſcriptionibus primorum. Statur nimirum abſque progreſſu, dum noſtra valetudo indiget maximoperè medendi accretionis. Quatenus pigrum, atque ingeneroſum obſtat Medentum genus, quod ex alieno commentario tantum ſapere voluit, artemque ſupra quàm noverint, increſcere negant. Ideóque & quicquid ignorant, in catalogum incurabilium, deſperatione quadam adigunt. Quaſi avorum inventa, noſtræ viam præcluſiſſent induſtriæ, Sapientiæ theſauros occluſiſſent, ſteriliſque ſit omnis moderna vis animi, & exhauſta divinæ Sapientiæ potentia, nihil eſſet amplius, quod inſuper nobis veritatem demonſtret. Profectò ſocordiæ poculum, veterno ſeculum dementavit vel ab ipſo initio: ideo nempe quiſque aſſentiri, quàm indagare mavult. Tanta nempe eſt lucri dulcedo, quod ſuas quiſque Medicaminum ſocietates, ſive confuſiones, & miſcellaneas (receptas magiſtrales vocant) cum amore admiretur: quæque ſecretiora olim, Medicos laboris amantes, reddidere illuſtres, præ torpore medentum, in Pharmacopœorum manus, anus dimanarunt hodie. Vnde Tonſor quiſque, Balneator, Monialis, Tortor, vel ex ambubajarum fornicibus fugata Lena, Medicinam jactitat: quorum cenſum hîc deſcribam. Primi namque 2
occurrunt, qui mederi volunt, non quidem ad hoc instructi: ſed natura promti, quidlibet audentes, quæ aliis profuiſſe audiverunt, ſine cauſarum cognitione, atque diſcrimine, ægris propinat: eoſque ſic in diſcrimen præcipitant. Inde namque omnia penè Scholarum experimenta profluxerunt. Quod & Galenus, Quintii præceptoris ſui exemplo, confirmavit. Etenim per mortes hominum, experimenta facientes, ſuos graduatos, Scholæ vocant ſtatim expertiſſimos. Alii vulgares, vulgaribus tantùm mederi malunt, hiſque ſua dant conſilia: nonnulli quoque, favore ſolo, atque rogati. Plerique etiam ob honoris ambitionem, utque tanquam ſapientes æſtimentur, hoc vitii genus innatum habent. Ejuſmodi enim deceptores, divites videri volunt, & gratis ideò cuncta præſtant ad necem vel fortuitam ſanitatem miniſteria. Hujuſmodi inprimis ſunt, qui Romæ Theriacam Cardinalibus & Magnatibus obtrudunt, è melioribus ſimplicibus confectam, quàm Deus in natura creaverit. Sic enim populo in Vrbe impoſuimus, & ſancti pharmacopœi viſi ſumus. Succedunt his, qui munera quidem, ſed nequaquam nummos expetunt, ne nobilium conditionem, itemque promiſſam paupertatem exuiſſe, ſciantur. Suntque idcirco, qui pro ſe nihil, at ſolùm pro paupere communitate, ſe promereri ajunt. Similes his apoſtatæ, qui fatentur quidem ſe non eſſe medicos: ſed ſua ſecreta ſe habere à Regina, vel Imperatore. Medias namque hi ſolent interponere perſonas, quæ pretium medicaminis extollunt. Sequuntur dein hos, qui veſtes, atque marſupium, ut cribrum foraminatas gerunt, nec Interim ſuum impoſtorem exercere tardi. Aliquando ſe ditiſſimos fuiſſe, nunc verò depauperatos (in dolio vini) per artem chymicam, per

bella, & religionis conſtantiam. Sunt &, qui quandoque militum caterva viguerunt: at in bello (pro pecuniarum conflictu) cunctas opes impenderunt, cicatrices oſtentant, forte condigno præmio receptas. Nonnulli quoque uxores ac liberos, focos & aras, dulciaque patriæ liquerunt arva, religionis ob cultum. Multi quoque, ultrò pauperes, quòd nemo eis quicquam dare velit. Nec deſunt, qui religiones fingunt, veſtem mutant, ſoccis ligneis ambulant, Eremitam latente hypocriſi mentiuntur, quibus Deus virtutes ſimplicium inſpiravit. Sunt etiam, qui Aſtronomiam & Chiromantiam ubiq; intromiſcent. Alii demum campivagi, qui in monte Veneris artem ſuſceperunt: hinc bruta non minùs, quàm homines, à morbis curare noverunt. Item qui ſimul futura prædicere, atque theſauros effodere ſciunt. Suntque qui libris deſtituti, chartæ inſcribunt non innoxia verba Salomonis, quibus morbi non ſecus atque dæmones fugantur, antè & pòſt cruces ducunt, ne diabolus ſcribentem potentia verba auferat. Sunt qui varia callent idiomata, apud Belgas, Chaldæam, Arabicam, vel Dalmaticam ſe loqui fingunt, multiſque onuſti artibus, tandem Matheſin, vel hiſtorias jactitant; plerique horum nil minus, quàm lapidem Chryſopejum conſtruere norunt, minas circumgerunt perpetuo fermento propagabiles. Sunt etiam Saraceni, ſuntque Iudæi baptizati (plerumque non baptizatis nequiores) qui ex Kabala didicere, Mercurium variis modis mortificare, itemque venena diverſimodè præparare, quæ ad omnes morbos, & plures alios, valere tradunt. Linguam Ebræam, ſcientiarum omnium fundamenta, & grandia rerumpubl. ſecreta, continere, & ſe futurorum prænotione gravidos jactitant. Sæpè ſuos citant Rabbinos, librum Nebolohu, cum clavicula Salomonis: unde tam præterita, quàm futura, legere poſſunt. Alii quoque artem medicam, in ſua tantùm progenie, hæreditari aſſerunt: etſi fatui, vel nequam ſint omnes. Sin autem apud viros non ſuſcipiantur, ſaltem apud mulieres. Coſmeticen jactitant. Eodem enim corio cum Græcis, & Iudæis, ſunt obducti; licet viciſſim unus alterum derideat. Etenim natura promti, ex ſeipſis mentiri addiſcunt. Eſt & genus fugitivum, è famulitio chymicorum, quod dum ſelectiora jactitat, non niſi venena Seplaſiis venumdat. Mentiendi namque libertatem omnem uſurpant apud ignaros, accedente per aſſiduum uſum mendacio. Idiotæ enim ſunt, è chymicis furnis fugitivi apoſtatæ. Scholæ autem, majori ſecuritate, atque omnium liberrima authoritate, imponunt mortalibus: nam cum demonſtrem veritatis decreto inevitabili, quod hactenus morborum eſſentias, cauſas, atque remedia prorſus ignorent, magnoque volumine, atque rationibus à priori id ſtabiliam: interim ſuos promovent ſcholares, hunc, quia Latinus, patremque habet chirurgum, vel Pharmacopolam; aliumve, quia artium magiſter factus, lectiones aliquot profeſſorum audivit; alium denique, quod Euclidem pro parte jactitet, vel ab Ariſtotele diſputare didicerit. At miſeror genus humanum, tot internis calamitatibus obnoxium, tantiſque externis exploratoribus expoſitum: qui cum ſub infauſtis Scholarum regulis trucidarunt è primatibus quemquam, jus aſſumunt appellandi ad morbi incurabilitatem, ſuoſque ubique habent patronos, & complices. Adeóque ſoli graſſantur impunè in vitas principum, prout libro de febribus oſtendi. Tanto autem miſerabilius ſe fidunt illis mortales, quod promotione, ac jurejurando, ignorantiam apud vulgus tegant. Quippe jurant, ſe fideliter ſanaturos infirmitates, quas oſtendi, ipſos neſcire penitùs. Imò ne unum medicamen monſtravit illorum princeps Galenus, ab empyricis non mutuatum, utcunque complexionum, graduumque ludicra theoria, tam ſecundùm genera, quàm loca, triumphet. Quintius namque, Galeni præceptor, totuſque empyricus, ubique à diſcipulo imploratur. Principes atque Magiſtratus hanc impunem necandi licentiam avertere à ſubditis deberent, & ex conſcientia tenentur. Non putem autem neglectum incuriâ: ſed poſtpoſitum, præ remedii inſcitia hactenus. Ego verò, remedium cenſeo. Si ſtatuant, omnem Medicum teneri, ter ad minimum, inviſere debere quemlibet ægrum, à quo fuerit requiſitus: ſub pœna exilii, & privationis officii ſui. Nam aliàs, numerus Medentum ſatis increvit. Deinde, quòd ſolutio nulla ſit debita Medico, ſi non ſanaverit ægrum. Hoc duplici videlicet ſtatuto, Medentes vigilantiores fierent, atque ægrotis rectius negotium cederet, ſervaret Princeps ſubditos. Sed ſtatuta, ſervanda ſeriò. Nam Legi Corneliæ de ſicariis æquiparantur. Nunc unde digreſſus, redeo. Sunt etiam, qui dum librum meum de febribus legiſſe fingunt, objiciunt, me duntaxat remedia chymica, & inſueta oſtentare arcana, ut ad me, unumquemlibet ægrorum convocarem, ſpretis antiquiorum tutiſſimis doctrinis. Abſit! Quia nec inviſo ægros, nec medeor ſpe lucri. Quod omnes totius patriæ viri boni teſtantur. Neminem ſanè voco, ad mea medicamina proſtituenda,aut venumdanda. Libenter vivo latens, à ſolis pauperibus ſolicitatus. Hoc unicum palàm atque liberè profiteor : difficilium nempe morborum victorias poſtulare alios Medicos , quàm Humoriſtas , & alia longè remedia , quàm quæ venditat Seplaſia. Quoniam deſideratiſſimè perfectiſſimorum corporum dotales optantur poteſtates, ut venena, à balſamis,in nobis ſeparentur. Imò ubi venena non ſunt aperta , ſuperentur Archei confuſiones, abigantur impuritates clanculùm, invertantur remediorum dimenſiones, ut prodeant proprietates , quarum operâ opus habet Archeus. Quinimò introvertantur impreſſiones remediorum , quarum tyrannidem natura noſtra abſque clade ferre nequit.In hoc enim peccato, inque hac penuria, plura jam ſecula infeliciter tranſacta abierunt, quod ignoratis cauſis morbificis , neſcitis remediorum potentiis, deſpectiſque altioribus præparationibus, quicunque morbus ſub initiis ethnicis non migrabat, deſperatis dicatus ſteterit. Profectò , nullus in 4 ſpecie morbus,eſt incurabilis. *Deus namque, ut non fecit mortem,ita nec lætatur in perditione vivorum. Sanabiles fecit nationes orbis terrarum, nec eſt medicamentum exterminii , nec inferorum regnum in terra.* Quapropter ignavum genus hominum , in ſubſcribendo ignaris promtum, ex animo, coram Deo ubique præſide , hortor, mecum contempletur , officinarum remediis morbos aliquot alimentarios quandoque per accidens ſanari , qui nempe ſpontaneas 5 conſumtiones, & faciles admittunt reſolutiones. At in gravioribus , in quibus ſunt fixæ , aut radices chronicæ , illorum uſum plus obfuiſſe , quàm profuiſſe. Hippocrates quidem , ſine invidiâ, altiorum remediorum inquiſitiones , poſteris reliquit : quia felicioribus ſeculis vixere primores.Scholæ verò,ad majores mortalium neceſſitates, ſedentis & jacentis naturæ , non reſpexerunt ; ſed Galeno,atque ſuo Quintio contentæ, non ſenſere mortalium defectus , cum lucrum ſe reportare , quocunque eventu conſpexiſſent. Etenim ne ſemel excogitarunt , Nephriticos impedire recurſus , multóque minus calculum reſolvere , quòd deceptis authoribus , falſiſque cauſis , ſua dediſſent nomina. Idcircò enim de vera lapidum cauſa,deque vera ſanatione, atque remediis ideo auditum eſt hactenus nihil. 6 Deſiderabatur ſiquidem ejuſmodi remedium,quod impediret venturam ſuccreſcentis Duelech ſobolem, per ipſiuſmet lotii præparationem.Tum etiam , quod reſtauraret uteri ſaxipari decidentiam Gorgonicam , fermenti petrifici poteſtatem : ac tandem quoque reſolveret , quicquid coagulator ſpiritus patraſſet. De quibus ſingulis auditum eſt hactenus nihil. Duntaxat propellendo calculo , laxandiſque meatibus urinariis , intentæ fuêre Scholæ. Itaque in ſanatione Lithiaſis , duplex obvia ſolicitudo eſt. Vna nimirum,quæ inclinationem tollit , ac metum recidivæ. Altera verò , quæ generatum demoliatur 7 Duelech. De neutrâ ſomniatum fuiſſe in Scholis,oſtendam : At ſaltem propulſionem arenarum , & lapillorum , machinatas fuiſſe : non autem pacationem tam atrocis doloris,à radice, cogitaſſe. Laudant quidem, atque in apicem attollunt,Malvas,Altheam,Amygdalinum,& quæcunque mollificando humectantia nominant: dein varia fomenta, tam humectantia,quàm abſterſiva, itemque refrigerantia connectunt , ne dolores intendantur , vel lapides excreſcant. Imò & Scorpionum oleum commendant, quaſi inunctum lapillos confringeret forinſecus ! quaſi inquam axungiam , carnoſam membranam , ac peritonæum laxarent ; ad quorum dilatationem ſcilicet, mox ureter neceſſariò mollificaretur , extendereturque in latum. Vulgus equidem has ſibi opitulationes , ſuadente primum anu,invenit,& extulit.Has dein admiratę initio , ac dein mox amplexæ ſunt Scholæ. Ne 8 ſcilicet (cum ſecus nil habeant) inutiles fierent ſpernendo. At non doloris ſolius ergò,hæc ſuſcepta : ſed juvaminis cauſam leviter indagantes, de ſolo itinere lapilli ſolicitæ,ultimo decrevere arreſto : non niſi per humectantia,ureteres eſſe ampliandos, nec aliam medendi fore ſpem. Ampliationem verò, non quidem in longum ureteris:ſed duntaxat,qua ſperarent,in latum ſcilicet : quaſi natura obligaretur,ſe ad Medentum conatus conformare. Adeoq; remedia dolorum cenſuerunt eſſe per accidens: quibus adjunxere enemata, ne incumbente ſtercore , compreſſus ureter,labenti calculo cataractam ſterneret,& ſic viam clauderet. Adeoque capitale Scholarum remedium, circa ſtercora effectum, & poſteriora : nequaquam autem ad cauſas , radices , ac fontes,intentum fuit. Vnde Satyra : *Stercus & urina, Medicorum fercula prima.* At quam vana, atque puerilia , ſint hæc Scholarum ſubſidia, teſtantur ipſimet afflicti,horumque viduæ & proles. Inprimis mucilagines Malvæ,non tranſeunt ab ore, ad ureterem in forma lenientis, laxantis,& mollificantis,quin in via aliquot ſuſcipiant prius tranſmutationes formales.Nec enim eò quicquam devenit , niſi prius lotii naturam

ram aſſumſerit. Imò enim jam ureter, calculo obturatur (nam quamdiu non obturatur, nondum totam ureteris amplitudinem implevit, fruſtraque ergo ejuſdem exigeretur ampliatio) à tergo, incumbens ſuſtineat lotium, quo pacto, quæſo, hocce excrementum, in tam anguſto meatu, cedet loco, ut advenienti lotio, è Malva parato, aſſurgat, locumque paret? ego ſaltem fateor, me non intelligere quicquam harum promiſſionum. Denique poſito caſu anilis illius figmenti, & quod mucilago illa humectans, ad anguſtum lotii angiportum, ſoſpes deveniret: attamen non proinde diducet madidum jam ante ureterum canalem, qui præter jam actualem ſui humectationem, ab aliena mucoſitate ampliari, aut dilatari non expetit, aut exſpectat: ut neque ſemel unquam dilatatus, deinceps amplius ſui iteratam diductionem optaret, vel admitteret in recidivis. Adeóque iſtud Scholarum ſuppoſitum, & diſſimulatum remedium, unica ſolùm vice, foret vtile. Niſi malint, ureterem dilatari, lapſu, adventuque mucilaginum præfatarum, earumque caſuali abſentia, in priſtinum ſtatum denuò anguſtiari. Quod eſt, dare potentiam ampliandi, juxta Medentis votum, præter ſolitum, & naturam, meatus ſolidi, atque primæ conſtitutionis. Siquidem naturaliter, poſtmodùm rurſus redirent in priſtinam atque natalem anguſtiam. Etenim Scholæ, ſi ſeriò in his loquantur, dementant, vel rident ægros, ac ſibi applaudendo laſciviunt. Sodes, ſi vera hæc autument, cur vetant diuretica, ſi propellendo calculo valeant, adhibitiſque humectantibus, anguſtos dilatent meatus? Quidni humectantia diureticis copulant, ut utrique ſimul ſatisfaciant indicationi? Etenim jam ante docui, ſi mors ab hæſitante calculo in via ſupervenerit, id non accidere diureticorum reatu, ut neque, quod ureter (niſi fortaſſis fuerit monſtroſus) ſit alibi ſeipſo in exordio anguſtior: atque idcirco ſemel diſcedens ex rene calculus, ſi ſiſtatur in delapſu, præ viarum ſtrictura: id accidere ex doloris atrocitate, quæ ureterem ſpaſmodes contraxit. Idque igitur, Diureticorum piaculo non fit: ſed Medentis, qui ſpaſmum hunc nunquam in Scholis obaudivit, ideóque neque remedium pro illo inquiſivit. Ubi ſanè notandus venit Scholarum ſolœciſmus, atque elenchus non cauſæ, ut in
10 cauſam. Quoniam juvant præfata humectantia, Althea, Malva, Amygdalinum, &c. non quatenus amplificent ureteres (quod in ſe ridiculum) ſed in quantum ſpaſmum criſpationis demulcent, prout aliquot fotus externi. Itemque ſuccus citri non juvat abſterſiva, & inciſiva vi ſuæ aciditatis (aliàs namque idem præſt ret acetum, & acida reliqua) quia ſuccus citri, prima digeſtione caloris, deponit ſuum acorem, ideóque nec obſoniis adhuc efferveſcendis admiſcetur: ſed reſidua manet ipſi vis, demulcendo ſpaſmo conveniens. Dum ſcilicet in lotium converſus, prioris vitæ mediæ aliqualem
notam adhuc retinet. Quid ſi Scholæ, diure- 11
ticorum uſum vereantur, ne fortè plures lapilli deſcendendo coincidant intra ureterem, & qui à tergo groſſior eſſet, velut cuneus, tranſitum oppleat. At nec ſic quidem, caſuale vitium diuretico dandum. Quia inſuper etiam figmentum pro vero venumdatur. Nam quidquid ſemel, initio, in ureterem incidit (niſi uncus aliquis fuerit) id ita deorſum pergit, & effertur. Non enim in tam auguſto tranſitu ludunt, laſciviuntque lapilli. Non unus aut ſimul plures exitu majores, è rene migrant: ut neque ſemel inde decidui, qui à tergo, lotii pondus ſuſtinent. Rectè id quidem ſuſpicabile, ſi ureter, non mollis ac laxa membrana, ſed harundo ſicca & inflexilis eſſet. Madida quippe membrana, metu vacui, neceſſariò ſemper concidit, niſi à tergo dilatetur, cadente lotio. At nondum proinde ſonticum diureticum. Nam incidentia plurium & malè formatorum lapillorum, non hauſit ſuam culpam à diuretico: ſed à fatali irruente, quod citra diureticum æqualiter cecidiſſet. Quapropter nec timendum, aut avertendum diureticum, præ formidine caſus irregularis, & monſtroſi: ut ſcilicet, quod ordinario utile per ſe, vetetur ex timore caſus inſoliti, atque rariſſimi. Quod ſi dicant, plures lapillos viſco conglutinatos excidere. Id inprimis deſtruit cauſam materialem Duelech, à Scholis edoctam. Siquidem pituitoſum iſtud gluten jam petrificari debuiſſet: At lapilli ejuſmodi illam collam nec invenerunt, nec aſſumſerunt in uretere. Quapropter ſi unicus, vel plures conglutinari, è rene labantur, perinde eſt: ſiquidem elabendo, non erant majores renis exitu. Ergo ſi diuretica iſtam collam non ſolvant, nec lapillos disjungant: ſaltem perutile fuerit, copioſiore citatóque lotio incumbente, infeſtam calculi ſarcinam, quantocius, ſuo lotii pondere propulſaſſe. Naturaliter enim ureter, nulla intus mucilagine madet. Quod urinæ ſanorum teſtantur. Ergo ſiqua medicaminum mucilago eò deveniret, non poſſet non ureteri eſſe præter naturam, & ſui ſolitum. Quid ſi ureter,

calculo impacto obſeſſus, dicatur mucilaginem
patrare. Inprimis caſui contradicunt urinæ Ne-
phriticorum. Tum quoque, Scholæ inadver-
tentes erunt, quæ pituitam, ſive cauſam calculi
materialem, ſupernè, imò ex ſtomacho, dedu-
cunt pro calculis: quippe quæ ad manum, & in
uretere ægroto, reperiretur. Stultæque propi-
nantur ſimplicium peregrinorum mucilagi-
nes, ſi mucilago, mali nativa cauſa eſſet. Dein
loquuntur Scholæ, tanquam ſi diuretica malleo
calculum, imò & urinam propellerent, vel à
tergo per baculum protruderent: ita nempe
per artificialia, more vulgi, ſeſe in ſpectaculum
demergunt. Non conſiderantes, in diureticis,
proprietatem ſpecificam relictam, à vita media
ſimplicis, vel partam in transmutatione dige-
ſtionis, à qua, diuretica lotium emungunt. Nul-
la autem diuretica, per ſe, calculi progeniem
reſpiciunt. Vt neque probus Medicus attendit
effectus, accidentaliter per accidens irruentes,
ut proin effectus per ſe negligat. Quod fit atta-
men alioqui, prohibendo diureticum. Vtpote
ſanativa indicatio mandat promptiſſimam no-
cui ablationem, magiſque ejus, quod per mo-
ram deinceps mage grandeſcit. Ergò diuretica
laudo in Nephritide, modò ſimul ſpaſmum ure-
terum leniant, & conſopiant. Comes quædam,
itemque altera monialis, ingenti dolore, diem
clauſere ſuum. Vtraque enim, velut uncum, u-
no trianguli acumine, in rene, altero verò, intra
ureterem deſinente, exhibebat: atque ſpaſmo
crudeli obierunt ambæ. Non quidem moriun-
tur præ urinæ ſuppreſſione, ubi alter renum lo-
tio ſatisdat: atroci ſed ſolo ſpaſmo oppetunt, qui
ſpaſmus iterum circa mortem laxatur. Quapro-
pter diſſectio, præter lapillum unciformem, ex-
12 hibuit nihil, quod mortem attulerit. Initio dixi,
ſanationem Duelech conſiſtere tam in abolli-
tione inclinationis, quàm in calculi liquatione
ſeu deſolutione: quorum utrumq; negant Scho-
læ poſſibile: adeóque ſtamus in terminis oppo-
ſitis. Ergò veniendum ad rationes, ad teſtes, ſi-
ve facta, atque ad diplomata, probatoque jure
meo, aperianturque Scholarum ignorantiæ. In-
primis, cum non entis, ſive impoſſibilis, non ſit
conceptus ullus poſitivus, adeóque non ſit ulla
ejus ſcientia. Fatentur ergò Scholæ, nullum fo-
re ſibi ſcientiam, & ſe negare ea poſſibilia, quæ
13 fatentur ſe neſcire. Rationes autem, quæ Scho-
làs ad impoſſibile colliſere, ſunt hæ, ac ſatis fu-
tiles: experientia noſtra rerum Magiſtra, non-
dum nobis patefecit, malam inclinationem tol-
li poſſe. Cum juxta Galenum, intemperies verſa
in naturam, curari nequeat, juxta proverbium:
Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.
Potiſſimùm autem, in parte, continuo excre-
mento referta confirmatam tolli intemperiem,
eſt prorſus impoſſibile. Quoad calculum con-
firmatum autem, utcunque ſaxifragorum ſpe-
cioſa gloriatio perſtrepet, non niſi vanum eſt
empyricorum ſtentamen. Iactantiæ idiotiſmi,
nec aliud quippiam. Solum enim poteſt Medi-
cus citare ac propellere calculum, per diureti-
ca, viaſque laxare, per humectantia emollitiva.
Imò cum diuretica ſint periculi plena, Medenti
nil opportunius in Lithiaſi, quàm ureteres hu-
mectando ampliare, ac ſordes incumbentes, per
enemata, ab inteſtinis demere: fumivenduli
verò chymiſtæ, lapidem confirmatum, in veſi-
ca, retrograda reſolutione, diſſolvere ſtentan-
tur, proprioque ore ſibi non niſi opprobrium
ſolicitant. Sed noſtra Philoſophia ſupra vires
naturæ pollicetur nihil, ideóque permanet in-
ter doctos venerata, fixaſque jam à tot ſeculis
radices egit. Quis enim non videt, ipſum ſto-
machum neceſſariò confringi, atque liquari de-
bere citiùs, quàm ſtomacho centies duriorem
calculum ab ore longe remotum? Sed quia chy-
micus plerumque ignarus eſt Philoſophiæ, au-
denter quidlibet promittit, ut à miſeris, & cre-
dulis, nummos emungat, quos per chryſopœi-
an parare neſcit. Etenim ſi quippiam in natura
foret, quod Duelech confirmatum reſolveret,
tot Principes, atque Magnates, totque rara Me-
dentum ingenia, non caruiſſent hactenus tam
felici remedio. Hæc ſunt Scholarum ſupercilia, 14
decreta, & calumniæ: quibus tamen benè per-
penſis, reperiuntur oppoſitorum vera privile-
gia. Nam inprimis ſi quis peccando contrahat
morbum, quidni benè medendo, eundem ra-
dicitùs tollat? & characteres parti ſemel impreſ-
ſos, penitus exſtirpet? Plures namque liberavi
à Lithiaſi, cui per aliquot annos obediverant,
ſic ut in poſterum planè vixerint liberi. Quo-
rum remedia ſub pœna meæ infamiæ mox of-
fendes. Scholis namque facile indulgeo, quod
juxta ſuas experientias, & ignorantias cauſa-
rum, loquantur, negentque auferri impreſſio-
nem, translatam in membrorum poteſtates:
cum videlicet non niſi cruda & ignava remedia
hactenus agnoſcant. Sed interim inexcuſabili
volutantur errore, quæ deſperant aliquem ſu-
pra ſe ſapere. Cum interim ceſſent indagare,
totumque vitæ ſpatium ſoli addicant lucro. Iu-
dicia Scholarum retroſpiciunt in ſcripta avo-
rum gentilitati ſubſcriptorum: noſtra autem
ſpectant

ſpectant entia prima corporum, expedita ab involucris, quibus impediuntur progredi ad prima noſtri conſtitutiva: in quibus queant noxias impreſſiones, in vitam mediam introductas ſuffocare, atq;eatenus tollere inclinationes, quæ in naturam verſæ videntur. Quoad ablationem inclinationis ergò, inprimis medicamentum Aroph Paracelſi (quod ſonat Aroma philoſophorum, ſic dictum propter tincturam auream) præparatum ſub fimo, cum mixtura panis ſecalini, ac poſtmodùm ſpiritu vini extractum, curat inclinationem veterem ad calculum renum. Baro quidam noſtrâs, dum per aliquot annos, in ſua Angliæ legatione, pluries calculis renum ſummo dolore infeſtatus fuiſſet, meq; ſuadente uteretur bis hebdomatim præfato liquore Aroph, per octodecim deinceps annos à Lithiaſi liber, tandem anno 83, vitâ defungitur, ejusque cadaver diſſectum, ne arenulam quidem aut lapillum oſtendit: qui antea dum calculoſus erat, ſive rhedâ vectus, ſive modeſtè obambulans, cruentum ſemper lotium minxerat. Superſunt modò adhuc ejus hæredes teſtes. Memini quoque conſiliarii, cujus antè, de eſu aſparagi, mentionem feci. Is enim cum per quindenas ſingulas ſoleret miſerè decumbere, uſus deinceps cereviſia, cui ſemen Dauci incoctum eſt, liber à Lithiaſi, vixit modò per annos aliquot. Quorum experimenta, atque teſtimonia, ruborem Scholis ſuffundunt. Cum in ore illorum, ſit veritas. Paracelſus quoque entia gemmarum, & ſaxifragorum, in opem advocavit, unicoq; tandem Ludi remedio, utrumque ſanationis finem pollicetur, eſtque aſſecutus. Negent Scholæ poſſibile, quod facere non poſſint: Arrogantiæ plenum, & ſtupiditatis, eſt illarum teſtimonium. Siquidem languidam ſaxifragorum opem, ſuis crudis remediis tentatam, & evanidum quoties admirantur effectum, arcuant ſupercilia, attonitæ humeros attollunt, rogatæ ſilent; coactæ autem, ad impoſſibile refugiunt, maluntque Deum miſericordiæ ad bonitatis oblitùm accuſare, quàm calculo (ut ajunt) confirmato, morbisque plurimis in natura dediſſet remedia: imò Deum oblivisſcentiæ libentius accuſant, quàm ipſimet alicujus ignorantiæ notam admittant in doctrina ſua paganica. Principes autem, à Scholis circumventi, ſubſcripsêre harum impoſturis, ac pietatis illorum liberalitas, Xenodochia incurabilium erexit, ſeducti Scholarum impoſturis, quę mendacii arguerunt textum Sapientiæ: *Sanabiles fecit Deus omnes nationes terræ, nec eſt medicamentum exterminii.* Scholæ enim propriam & craſſam nimis ignorantiam, reciprocam atque convertibilem fecêre cum naturæ impotentia, quaſi ſcirent omne poſſibile, ſolumque ignorarent impoſſibile: Idque non ſolùm negativè, ſed prorſus privativè. Tanquam neſcire illarum non penderet ex defectu Academiarum: ſed potius bonitatis, vel providentiæ divinæ penuriâ. Quapropter cum negatio poſſibilitatis in ſanando, mihi videretur continere occultum ſcelus, ſemper, vel ab adoleſcente, benè ſperans, argumentabar contra, hoc modo. Si de fide, omnis morbus à prævaricatione inceperit; peccatum autem quodlibet remittatur penitus: ſperandum omnino, morbum quemlibet in ſua ſpecie tolli poſſe, ſi punitio peccato adæquata, in remiſſione. Præſertim quod idem qui peccata remittit, etiam morbos ſanet, remedia dederit, & Medicum creaverit, pro bonitatis ſuæ abundantia, quæ omnes ſuas actiones ſuperat, infinitiesque major eſt ſua indulgentia omnibus hominum peccatis. An enim fortè non potuiſſet, creare adæquatum & victorioſum remediũ morbo cuilibet? vel neſcivit? vel noluit? qui mortis ęternæ remedium dedit. Non enim lætatur in perditione vivorũ, qui ſanabiles fecit omnes nationes terrarum. Quoad authoritates autem ſcriptorum. Cardanus enim ſcribit, ſua ætate, virum per Longobardos oberraſſe, qui paucis diebus, quodam poculo paſſim, ſecurè, certò, atque breviter ſanabat, quotquot calculum in veſica habebant: additque judicium, ſe non dubitare, hunc virum in inferis eſſe, quod moriens artem ſuam mortalibus inviſerit. In tanto contra clamores Scholarum paradoxo, non ſat eſt unicus teſtis. Epitaphium Theophraſti Paracelſi, quod in muro prope S. Sebaſtianum, in noſocomio ſpectatur, ab Antiſtite Salisburgenſe erectum, idem prodigium multoties eveniſſe perſonat, utut crepent ilia Momo. Habent autem verba ejus: *Conditur hic Philippus Aureolus Paracelſus, inſignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera Lepram, Podagram, Hydropiſim, aliaque inſanabilia corporis contagia, mirificâ arte ſuſtulit, & bona ſua in pauperes eroganda collocandaque honoravit. Anno Domini* 1541. *die* 24. *Septembris vitam cum morte mutavit.* Sub inſanabilibus autem, Tabem, Aſthma, Calculum atque ejusmodi univerſa, à Principe Salisburgenſe intellecta eſſe, docent ipſæ Scholæ. Quippe quæ ejusmodi morbos, paſſim inter incurabiles, primariò ſemper intonant. Dein indefinita epitaphii phraſis reſpicit libros, à Paracelſo

de Calculo evulgatos, longéque accuratiore calamo, quàm de morbis cæteris. Saltem ergo quicquid ſemel & ſæpius in natura eſt factum, hoc iterum fieri, non eſt impoſſibile. Ac per conſequens, quicunque affirmat impoſſibile, quod ex bonitate divina, in natura quandoque factum, juxta Medici votum, is mentitur coram Deo, naturæ opifice. Etenim in Iure, quod facti eſt, ipſi indicant teſtes, cenſenturque inutilia jurgia, quæ contra teſtes adferuntur. Scholæ ergò, quæ nos deceptores vocant, genus humanum elencho illudunt. Dicentes. Calculus procul ab ore remotus, longè durior eſt ſtomachi membrana: quicquid ergo calculum longè diſſitum corroderet, vel minueret, jam dudum ante, ipſum abſumpſiſſet ſtomachum, in quem recenter cecidiſſet. Ergò calculus eſt neceſſariò malum incurabile. Si autem Sacra aliter ſcribant, quærenda eſt via, per quam cum moderamine excuſentur falſitatis. At ſanè, claves ſapientiæ ita vi quadam detinentur in Scholis, quòd cum ipſæ non intrent, alios, intrare volentes, adhuc arcere ſtudeant. Nam Chymico, cordi non eſt, Duelech per corroſiva tollere: ſed per reſolutiva propria, & ſpecifica. Neque enim ſtomachus columbæ reſolvit margaritas, vel ſtruthiocameli, ferrum, vel ſilices, per corroſiva: ſed per appropriatum digeſtionis fermentum. Vel ſi ſtomacho animalium, corroſiva dederis: ſaltem talia ſunt, quæ nequicquam damni ſtomacho adferant. Quinimò ſi ſuprema corroſiva ſpectes, aqua chryſulca, ferrum, æs, & argentum quidem diſſolvit, ceram autem ne quidem penetrat. Cujus rei incogitantia, Scholæ ſuos tyrones, indoctum vulgus, imò & magnates, ab rerum indagine abſterruerunt, ſuadente ad hoc propria ignorantia, indagandi torpore, & lucri ſpe. Itaque pro calculo, & morbis in veſica, quaſi derivationem intenderent Medentes, ridiculosè ad anum converſi, clyſteribus rem aggreſſi ſunt, quaſi
17 anum exoneraſſe, calculum excreviſſe ſit. Etenim cernebant, quod ſuccus citri, humanum Duelech in vitro minueret, ſperârunt idem debere fieri in nobis. Sin minus, ſe poſſe gloriari, exhibito ſucco citri, præſtitiſſe quantum naturæ eſſet poſſibile. Neſcii inprimis, citri aciditatem ſub calore dulceſcere, inſtar pomi immaturi, in ſe priùs acidi, ac dulcis dein, per Solem maturati. Denique ſi unica acidioris vini gutta intrò ad veſicam mittatur, plus doloris adfert, quàm ingens calculus. Ridiculum itaque imaginantur, qui acido citri oretenùs exhibito, ſe aliquid proficui, ad diminutionem calculi, feciſſe ſtentantur. Errant pariter, qui & ſalibus ſtillatos liquores propinant, ad reſolvendum calculum in veſica. Nam non poteſt acidum, ut tale, citra inſignem noxam, in venas tranſire. Et quanquam in ſucco citri, multóque magis in ſpiritu ſalis marini, ſolamina ſint calculoſis: hæc tamen non obveniunt, niſi valedicto priùs acore. Quoniam revera ſanatio, aut reſolutio Duelech, non perficitur acidis, ut neque corroſivis. Neque pocula acida ad veſicam unquam penetrant, nec deduci ſinuntur. Dum autem Scholæ animadverterunt, capitulum Saxifragorum, ſtupentes quamquam de exitu promiſſi formidarent primùm, atque deinde certiores factæ, cernerent, ſe fruſtratas ſpe; attamen ludentes cum humano corio, dederunt contuſos fructuum & lapidum pulveres. Cognoverunt, inquam, ſe remedio deſtitutas; non deſtiterunt tamen propinare, quæ fruſtranea ſcirent, in quo ægris imponebant, dū occaſionem medendi, vanis ludicriſq; remiſſis tranſilirent, ut ſe necis, apud poſteros, excuſent: quaſi quicquid poſſibile in natura, & quæ extolluntur à veris Medicis, fideliter exhibuiſſent. Semina duriora, ut dum Lithoſpermon audirent, ſic ridiculo nomine à Scholis nominatur, confeſtim è nomine omen ſibi fecêre. Iunxêre dein lapides cancrorum, limacum, piſcium, conchyliorum quoque crematas teſtes, imò tritas in aurichalco gemmas duriſſimas. Tandem ignitam, extinctam, tritamque Cryſtallum propinarunt, ludicro invento, atque eventu. Poſtremò, ut ſe conſpexêre in riſum atque deſpectum veniſſe, neve mercedem, viſitationumque iteratas frequentias ſolutas, gratis exſpectare viderentur, ſed aliquid feciſſe, quanquam intùs penes ſe deſperarent, multiplici experientia edocti; quod Europa, atque Aſia, denegare dicebant, ex Indiis eſt petitum ſubſidium, ſaltem ut Medentis conſilium, tam peregrinorum ſimplicium cognitione, ab adſtantibus in admirationem trahatur. Quaſi Deus non foret remediorum creator, ægrorum miſericors opitulator, tot mille annos remedia ægris Europæis atque Aſiaticis recuſaſſet? Quod ſi interim ſua ſponte, Calculus è rene præceps ruat (nam de veſicali jamdudum deſperarunt) ehem quanti tam fiunt exhibita Saxifraga? Mentiunturque audaculi, pulveres renibus non ſecus atque mancipiis imperare, & lapides conterere, quaſi ſub malleo. Sin autem negotium, minùs felix, dolent ſe tardè vocatos,

tos, meatus, balneo & clyſtere, potuiſſe laxari tempeſtiviùs. In paucitate enematum, vel ſimplicium peccatum deplorant, cognatosque medentes accuſant. Dolent potiſſimùm ſe vocatos calculo jam confirmato, quanquam hactenus ob miſſum à Scholis diploma, quod tempus inter confirmatum, & non confirmatum calculum prodiret, fortaſſis non quidem Scholarum negligentia: ſed quia iſtud diploma, pergameno inſcriptum, à muribus devoratum eſſet.

19 Subterfugium Scholarum æquè profectò ridiculum! Siquidem Duelech, per gradus ſuam non– nanciſcitur duritiem: quippe proprio induratur coagulo, in mediis undis. Deluſæque ideo Scholæ, quod putaverint, ſenſim calculum indurari atque ſiccari. Sanè tam durus eſt hodiernæ diei cortice, quàm intimo ejus nucleo: tamque durus, recens exciſus & madidus, quàm erit hinc à ſeculo aſſervatus. Tamque dura eſt arena, matulæ noviter adhærens, quàm abraſa infra annum erit. Tam durus inquam ſilex, in fundo fluvii, quàm erit infra annos centum. Quis eſt ergo, qui non admiretur mecum craſſam ubique Scholarum ignorantiam? Non ſolùm deceperint ſeipſas, propriâ putatione, quòd calculum in veſica dixerint per calorem generari, ſiccari, atque ſenſim magis indurari, ſive confirmari? ſed ne obiter ſaltem cogitârint, urinam in vitro, & frigore ambientis, apponere arenas, abſque caloris, ſiccitatis, aut cocturæ juvamine, tam duram hodie, atque erit poſtquam in charta ſit ſiccata? Hæc nimirum ſunt ſtudia, decreta, & Scholarum remedia, quorum demeritis, negant in natura poſſibile auxilium calculoſis. Ideóque decernunt, quod calculus in veſica, ſuo exitu major, non habeat in natura remedium, à bonitate divina, præter novaculam. Mulierum enim veſica poteſt per dioptriſmum ampliari, ſuumque emittere calculum: ſed de virili, nunc agimus. Horat. Augenius primarius Patavinus, gaudet etiam ſuo cerebro auctam novaculæ crudelitatem, nempe quod cultro ignito, id facinus primus dictaſſet. Paracelſus verò junior, quanquam totam Duelech ſpem in cultrum etiam retuliſſet: attamen deinde tacitus errorem ſuum, per Ludum reparavit marmoreos ſiliceosque tartaros, ex æquo cum aliis teſtaceis, unico illo remedio reſolvens. Scio equidem, quod divina Bonitas, in vegetali & animali familia, lapides creaverit, ſuis ſpeciebus inutiles, atque fruſtraneos, penè monſtroſos, imò ſuis individuis aliàs oneroſos, niſi nobis alicui bono eſſent conditi.

20 Itaque cum univerſa in ingrati hominis uſum ſint creata, multaque ſuis vix proſint individuis; mortalibus quoque nunquam profuerint, niſi in ſuccum lacteum, ſive ens primum, reſoluta: deſtinationem ſuam certè ab uſu, peregrinæ ſuæ petrificationi, petriformi ſuſcepere. Neque enim in pœnam animali, aut plantæ, innaſcitur lapis: ſed ſignaturam ſui doni oſtendit, etiam in coagulationis ſuæ duritie. Quamvis autem lapis mineralis, ſaxifragus, ſit aptus reſolvendo Duelech, ſi ita præparetur, ut ad renes, illæſis viribus ſuis, perveniat: animalis tamen, & vegetabilis rupeſtri natura, plerumque civiliores ſunt, adeóque velut cives domeſtici, faciliùs in noſtri rempubl. admittuntur. Vultus enim illorum, ſpem ſignati faciunt: ut quoties à ſua lapidoſa indole recedunt, etiam exſequendi dotes, in ſuo ſignato pollicitas, poteſtatem obtineant, conjugium nobiscum ineant, ſuasque intimè deſponſatas vires promiſſas nobis communicent.

21 Quod accidere nequit, niſi per plenam ſui reſolutionem in ens primum. Lapides enim fructuum, puta meſpilorum, palmitum, perſicorum, &c. volatiles feci, abſque omni capite mortuo, poſtquam in ſuccum lacteum rediiſſent. Idque nimirum abſque diſtillatione ſeparativa. Reperi enim, quod hoc remedii genus reſtaurat, non ſecus atque Aroph præſervat. Quorum amborum hanc facio differentiam: quod reſtauratio ſit inclinationis ſuſceptæ abtruncatio, præſervatio autem, futuri præcautio, per impedimentum materiæ diſponibilis.

22 In verâ autem ſanatione includitur utrumque. Porrò ad veram generati Duelech reſolutionem, liquationemque, primatum obtinet Ludus Paracelſi, ſic dictus, non quod ſilex ſit, & pueri cum illo laudant; prout aliqui interpretati ſunt ipſius etymon. Sed quia Ludus ſemper tali, teſſeræ, aut cubi forma eruitur, cujus præparationis hæc eſt deſcriptio apud Authorem. Ludus optimè contuſus, calcinatus, & uſque in olei formam bullitus, quod unico ferè verbo, vocat fel terræ, & Altholizoi correctum. Quod ſonat *al. tho. oli. geſotten*, ſive, totum converſum in oleum, per ebullitionem. Quæ Ludi eminentiſſima præparatio, paucis mortalium, ſub brevi iſto ſyrmate, enotuit hactenus. Et quanquam mundus commiſeratione ſit dignus, utque apertiori ſenſu præparatio deſcribatur: Indigni tamen ſunt rerum ſecretarum contemtores multiplices, ut manifeſtentur nunc, quæ Deus ob ponderoſiſſimas rationes,

inter paucos, atque parvulos hujus ſeculi, manere penes theſauros ſuæ diſpenſationis voluit, donec nil tam occultum, quod non revelabitur, in ſuâ dierum plenitudine: In qua, væ mundo, & confuſioni ſuæ! Dicam tamen parum apertius, ut Philoſophiæ pyrotechnicæ gnari ſoli me capiant. Teratur Ludus in pulverem, in mortario, & ſub piſtillo. Dein ſub cote, in ſilice, iterum. Tum dein calcinetur. Non quidem igne torrido: ſed addatur illi ſal circulatum, de quo Paracelſus, libro de renovatione & reſtauratione: & diſtillato inde ſale, dicitur Ludus calcinatus. Quia pauco binarum horarum labore, totus erit converſus in ſalem. Ludus ergò ſic calcinatus, & in ſalem redactus, ſibique æquiponderans, decurrat ſuâ ſponte, in humido loco. Iſtud autem ſal reſolutum claudatur hermetico ſigillo, in ovo longi colli, & in arena, bulliat continuo igne ſecundi gradus, donec totus Ludus, in pari ſui pondere, ſteterit inſtar olei craſſioris, ſuper aquam quam ex aëre cellarii hauſit. Tunc namq; totus Ludus eſt ſal volatile, in forma ſalis oleoſi reſoluti, habetq; aliqualem urinæ guſtum. Ideóque per urinam, cum potu vadit integris viribus, atque diſſolvit omnem calculum, ubicunque in corpore delituerit. Quia eſt ſal volatile, reſolvitur in humido, nec ſeparatur in digeſtionum officinis: ſed quia guſtum lotii aliquatenus repræſentat, habetque interim amicas proprietates naturæ noſtræ, lubenter recipitur, ſimulque ad renes dimittitur. Doſis ejus eſt, granorum 14. uſque ad viginti, cum aquæ ſimplicis diſtillatæ tantillo. Et calculus mediocris magnitudinis in veſica, reſolvitur in pineoli magnitudinem, potiſſimùm duabus hebdomadibus. Liquor Ludi, ſic præparatus, vocatur à Paracelſo, fel terræ: quia ſi in charta extendatur, citrinus obſcurius eſt, non parùm ad viridem declinans. Lapis eſt enim valde mirus, deſcriptionibus Paracelſi, unicè reſpondens, nempe ex ſale urinæ liquorum terræ partus. In fundo terræ, ad altitudinem veſicæ in corpore humano. Reperi autem illum ad ripam Scaldis, prope Antverpiam, ubi lateres coquuntur, ſitusque eſt plus minusve 40 pedes ſubter horizontem, ſecundùm profunditatem fluvii. Fundum enim fluvii, fundo veſicæ comparo. Non eſt autem in fundo fluminis; ſed extenditur unicâ ſimpliciq; camerâ, ſubter fundum marginis, in agro vicino, ad latera juxta ripas, idque per aliquot milliaria. Ac Ludi camera iſta, vix pedis craſſitudinem ſuperat. Neque etiam ſupra, aut infra præfatam cameram, extenditur ampliùs, nec alibi circiter reperibilis. Eſt & prædicto agro Pyrites frequens, ſulfure dives atque vitriolo. Qui etſi ſub terrâ prędurus ſit, mox tamen ſub aura fit friabilis, fatiſcente ſcilicet ſenſim vitriolo. Sed Ludus, lapis eſt palleſcens, ſubinde cruſtâ perſpicuâ per cōmiſſuras obductus, magnâ ſui parte, in clibano figulino volatilis. Hic nempe eſt lapis, ſaxifragorum apex, & calculoſorum deſiderium. Felix ille, qui eundem calcinare poteſt, ut jam monui. At labor ejus requirit, nedum lectionem, & putationem, ſed plenam ſcientiam, adhuc dupliciter obfirmatam. Quia eſt labor Sophiæ, Adeptorum ſpes. Rariſſimus idcirco ille, hoc ærumnoſo ſeculo, quem ad hunc ſcopum Deus perduxerit. Non ſat eſt, noviſſe ludum, ſive Cevillam Paracelſi, ejusque natalem ortum, quodque debeat reduci in ſalem oleoſum volatilem, abſque deperditione ſuarum dotium. Sed cum non ſit operoſior pars, in tota Chemeia (quòd Paracelſus ſæpiùs declarat, in præparatione tincturæ ſulfuris, quę gemmarum nativos colores graduat, utrobique ſcilicet requiritur idem ſal circulatum, utrobique tacitè ſuppreſſum) ſuperaddam paucula, quantum frater fratri communicare poteſt. Nam etſi remedium contra Duelech, ex commiſeratione & charitate humana, propalari deberet coram univerſo, per tubas: attamen ob rationes Deo cognitas, ſervari debet in arcanis, quorum ipſemet diſpenſator manere voluit. Accipe Ludi pulverati libram unam, ac tantundem liquoris Albaheſt diſtilla hunc inde: & primâ vice, totus Ludus mutatus erit in ſalem, qui in patina vitrea, loco humido decurrit, abſque vlla terreſtreïtate reſiduâ, & liquor defluens fulvi eſt coloris, hermeticóque ſigillo clauſus, bulliendo, velut ſpuma, ſupernatat totus, in forma axungiæ viridis liquatæ. Eſtque Paracelſi Altholizoim correctum, ac fel terræ. Qui verò putat additamento ſalis petræ, vel ſimilium, artificium hoc aſſequi: is ſciat ejuſmodi ſalia, utut exquiſitè, iteratóque Ludo commiſta, ſola tamen ſalia defluxura, relictâ terrâ, tanquam fæce, in patinâ. Ludus verò debet totus transmutari in ſalem volatilem tinctum, nil quicquam reſervantem, de adjuncto Albaheſt. Vtpote tam liquor hic, quàm Ludus, ſervant priſtinum pondus. Et ipſe Ludus ſervat dotes minerales, quas omnipotens Bonitas illi dedit. Eſt autem hoc opus longè difficillimum non quidem quoad præparationem Ludi: ſed ipſius Albaheſt. Scio, quia vera dico: eſtque in noſtris Adeptis probatio,

batio, ſuperans omnem demonſtrationem. Ariſtoteles
enim non aliam agnovit ſcientiam,
quàm quæ è præexiſtente ſenſuum cognitione
pullulat. Sed eſt alia indemonſtrabilis, in qua
ipſe Dator, ſui luminis manet interpres, ſupra
omnem Syllogiſmi ambitum: adeò tamen certa;
quod totus mundus, ne minimam in ſciente
dubitationem moveat. Quod in tractatu, de
Veneratione ſcientiarum, ex profeſſo confirmavi,
& palàm feci. Patefeci interim, quo pacto
ex putrido lotio eliciatur ſpiritus, qui immiſſus
in veſicam, per indolentem cathetera, ſolvit
Duelech. Scholæ interim ſuos commendant
Herbarios, & hi ſua ſaxifragia: hæſitant tamen,
& abſque ſpe digladiantur invicem. Vt ſi non
pro ſoluto calculo, ſaltem pro injectâ ſpe miſeris,
24 ſibi ſolutum optent præmium. Sunt interim
qui promittunt compoſita magiſtralia, quibus
calculus, velut ſub malleo vel molâ contritus,
in arenam, vel farinam comminuitur. quod ſi
interim arena fortaſſis aliqua appareat, id totum
poſtulant donandum ſuo ſaxifrago: Sed eventus
hactenus illuſit illorum temeritates, quos
radicis cognitio fefellit hucuſque. Duelech ſiquidem
conſtat materiâ penitùs ſimilari, ex
unico conſtantique urinæ liquore petitâ. Calculus
nimirum ubique, ac qualibet ſui parte,
eſt calculus; nec differt arena à calculo, per materiam:
nec eſt calculus, arena multiplex, per
collam aut mucilaginem connexa: adeò ut requiratur
ſolius collæ reſolutio, arenis interim
ab invicem diſſilientibus. Frivolum itaque,
quod calculus in arenas, ad diſſolvendum contumaciores,
25 diſſiliat. Paracelſus enim, etſi potito
remedio fuerit ſanando felix: in hoc tamen
naturam Duelech, cum Humoriſtis, ſe ignoraſſe
manifeſtat: quod aſſumto Ludi remedio, Duelech,
arenarum forma ejectum iri ſpondeat.
Tum iterum, quod magnitudinem Duelech,
per omnium urinarum conſervatarum, toto ſanationis
intervallo, ebullitionem & exſiccationem
ariolari, atque ponderari doceat. Quorum
tamen utrumque, eſt merum temeritatis
inſomnium. Siquidem quodcunque remedium
diſſolvit Duelech, id primum, atque longè facilius,
arenas, & parvula fragmenta, ſi quæ
deciderent, eſſet liquando. Etenim quicquid
ex ſimilari urinâ coagulatur, id etiam in ſe ſimilare
eſt neceſſariò. Deinde, ſoluto Duelech
per Ludum, ſi urinæ omnes, toto ſanationis
intervallo collectæ, aſſervatæque exſiccarentur,
fortaſſis quadragies ſuperarent pondus
calculi. Nam quis neſcit, quòd etiam ſanorum
urinæ exſiccatæ, caput mortuum relinquant.
Itaque deprehendi, Paracelſum quidem
ſæpiùs calculum veſicæ, oblato Ludo liquâſſe:
ſed nec olidas urinas aſſervaſſe, neque
itidem exſiccaſſe. Quia ipſi nimis fuiſſet tædioſum.
Etenim placuit Altiſſimo, præcurſorem,
ante Heliam artium, præmittere, docentem
medicaminum craſin, & præparationes:
cui ut fideret mundus, data ſunt ſigna,
ſuam doctrinam ſtabilientia. Illuſtris nempe
eſt illi magnorum arcanorum præparatio, quæ
non niſi adeptione erat confirmanda. Dein
ſubſecuti ſunt, qui Paracelſi inventis addentes,
eſſent repertæ veritatis theoricæ illuſtratores,
Ut tandem ſubſequatur, adeptum Medendi 26
conſecutus, docens verbo, & opere, quæ
Deus per priores denunciavit. Poſtremò, Scholæ
ſibi diffidentes, fraude novâ fidem apud credulos
fecêre, jactitaruntque per Diætæ regulas,
ſe noviſſe corpus calculoſi ita diſponere, ut
omnis pituitoſa, antecedens calculi moles:
quæque aliàs citra ejuſmodi ſua inſtituta, ſtatim
atque ſponte, in calculi racemos faceſſeret,
continuâ ac ſucceſſiva repetitione tollatur. Id
eſt. Spondent omnem pituitam ſe poſſe præripere,
quæ quomodolibet calculum format. Imò
pituitam, quæ ad neceſſariam cruoris elementalem
compoſitionem (juxta Ethnicos) requiritur,
fore tam parcam & exiguam, ut vix ſufficiat,
pro iſta ſui neceſſitudine, multóque minus,
pro exuberantia, ad creandum calculum.
Quorſum videlicet pollicentur magiſtrales
quaſdam, iteratasque purgatiunculas, familiares
ideo, atque minorativas nominant. Promittunt
inſuper, ſe ad oculum oſtenſuras, verè
dejectam pituitam illam (aſſumtis ad hoc ſcilicet
ſuis phlegmagogis) hinc etiam ægris propediem
imprecaturas fauſtam ſanitatem (palliativam
ſaltem) ob ejectam calculi præviam
materiam. Sic tamen infirmi magis ſenſim infirmantur;
Medicè atque miſerè vivere pergunt,
quamdiu talibus auxiliatoribus ſe obſequentes
ſubſternunt. At ejuſmodi jam nugis 27
ſat antè reſponſum, ubi pituitam, & mucilaginem,
è cenſu cauſarum Duelech removi.
Paracelſus itidem, de primâ tartari calculique
materiâ, æquè inſulsè nugatur, ſuæque pridem
doctrinæ immemor, transfugit ad pituitoſam
mucilaginem humoriſtarum, quos primus, ludibrioſo
attamen, ſi nomine vocavit. Ego verò
recepto jam iſthoc paſſim nomine, illos ex
commiſeratione, non autem ironiâ, ſic nuncupo.
Alibi autem, incautus, hæc iterum oppugnat

gnat Paracelſus, ſpondens, intra quindenam ſanationis Duelech cerni poſſe, quantæ magnitudinis fuerit, ſi omnis quotidie urina exſiccetur. Quod clarè implicat cum præcedente Tartari materia: eſſetque ejusmodi lotii arefactio, mera fraus, ac impoſtura, ſi ſimul cum reſoluto Duelech, excerneretur antecedens tartari calculoſi materia. Siquidem promittit, quod quidquid diſſolvit Duelech, idipſum multò compendioſius ſolvat præviam ad calculum Tartari materiam, indies ſuccreſcentem. Ego ſanè odi ignaviam, ac ſtupiditatem in Medendo, pertinaciam in Docto, ignorantiam in Profeſſore, mendacium in Scriptore, ut & contradictionem, in principatum ambiente. Siquidem cuncta dolum includunt, & imperitiam in docente, ſi non malitiam inſuper, atque ignaram temeritatem, in tali principe: adeóque totam illam religionem, multâ labe ſuſpectam reddant. Ego ſaltem vel ab adoleſcente, uſque ad lacrymas, indolui ſortem infirmorum, qui ſub incerta ſpe, creduli, confidebant vitam, familiam, uxorem & liberos, imò fortunam, & facultates gubernandas, per audentem quidlibet, 28 jactantioſum. Itaque primum transcurri per vegetabilium monarchiam; ſed non inveni, quod in veſica Duelech reſolvere poſſet. Quicquid autem illorum, in vitro, Duelech liquefaceret, vel hoſtile erat, vel ſaltem iſtis qualitatibus non perveniebat ad veſicam: ſin autem per ſyringam injiciendum videretur, non erat à veſica tolerabile. Itaque diſtillata, ac decocta vegetabilia, itemq; cineres, calces, pulveres & extracta uniuerſa, didici caſſa, & exigua, adversùs tantũ hoſtem. Acidiora quidẽ minuebât Duelech in ſui integritate: ſed oretenùs ſumta, nõ ingrediebantur ſub iſta potentia ad veſicam: deforis autem injecta, utut inſtar vini viderētur mitia, attamen in doloris ſenſu, ferrum candens æmulabantur. Mirabar itaque Paracelſum atque alios, quòd è melle, ſaccharo, rore, &c. commendarent liquores ſtillatos; cum nemo mortalium illa per ſyringam injecta toleraverit unquam. Experimento quidem obſervavi, quòd columba, exciſum Duelech, ſuo ſtomachi fermento acido, reſolveret in ſuccum, prout etiam fragmenta laterum. Propinata eſſet proin à ſenioribus, columbarum, atque gallinarum membra ſtomachi interior: at ſanè ſpe multùm fallaci. Tam quia cum vitâ bruti, vis fermentalis viſcerum, unà exſtinguitur: quàm etiam, dato quod ille pulvis primitivam ac priſtinam vim, quam in vita ſortiebatur, à morte ſervaret: attamen in culinis noſtrarum digeſtionum, prorſus ſpoliatus virtutibus iſtis, ad veſicam perveniret: quanquam revera, pulveres vix in laticem urinalem vertantur. Licèt conſtanti utrobique inſcitiâ, ejusmodi multa præſcribantur ægrotis. Hoc attamen didici, quòd ſpiritus ſalis Hiſpalenſis, extremo reverberii igne, unà cum terra figuli diſtillatus, manè ſingulo bibitus, cum vino albo, pridie è vaſe depromto, nedum ſenum tollat mortales ſtrangurias, totusque diureticus aliquot ſanaverit: verùm inſuper, quibus decidens juſto major calculus è rene, per aliquod menſes in veſica moratus erat, tandem minutus, mejendóque excretus fuerit; quem tamen anteà, multoties repetito introitu, in collum veſicæ, toties per cathetera repelli retroſum neceſſum fuerat. Paratur autem è ſale primùm fuſo, & per ignem liberato ab extravaganti ſorde, mox tuſo ſale, & inter nummulos raphani reſoluto, rurſusque tandem exſiccato, cum pari terræ figulinæ diſtillato, acri igne reverberii tandem, debitóque modo, ne quid exſpiret, prout de vitriolo infrà docebo. Habes enim ſalis balſamum, quem nunquam ſatis expendes. In tyrocinio meo autem, videram domorum rudera, ſalem petræ fundere; quodque laterum pulvis, ſemel à ſale petræ liberatus, ac dein per aliquot annos ſub tecto aſſervatus, fraceſceret, atque de novo ſalem petræ daret, ſicque totus pulvis, ſabulo excepto, tandem verti poſſet in ſalem. Videram quoque laterem nitroſum, in medio latioris muri incluſum, trans omnes, vtrimque ſibi vicinos lapides, ſuum foris prodere ſalem petræ, adeóque eſſe ſaxorum, atque laterum vicinorum, deſtructorem. Memor itaque nominis (ſalpetræ) cognovi illum ſalem eſſe ipſum laterem, vel ſaxum reſolutum. Potiſſimùm, quia in antris rupium, ſponte ſtillet, alibi verò longis propendeat ſtiriis. Quocirca ſalem petræ diverſimodè pro Lithiaſi præparavi: at fruſtra. Quia tum adhuc ignorabam, quod Duelech aliis longè conſtaret principiis, quàm ſaxa mineralia. Vidi pariter millepedes, ac inſectas, locis nitroſis natas, ac morantes, in uſum applicari contra calculum veſicæ, At fruſtra. Sed poſtquam cognovi, tot ſecula ſomniâſſe, in cognitione cauſarum Lithiaſis; credidi confidenter, quòd omnis error ſtaret penes noſtram ignaviam. Tandem anxietatum querentis miſertus Deus, dedit mihi cognoſcere Ludum, cum præparatione Paracelſi: qui me intelligunt, gratulantur mihi ſtudiis publicis; quia

nôrunt,

norunt, me vera ſcribere. Quærite fratres,
& diligenti animæ obviabit gaudium immenſum.
Primum enim diſcite diſſolvere
Duelech in vitro, liquore tepido, non ſtomacho,
non demum veſicæ, moleſto: ſicut
Duelech ſenſim minuatur abſque bullis,
& agitatione: gaudete, quia propè eſtis.
Tum diſce, Ludum vertere in ſalem, abſque
29 ullo tranſmutatoris reſiduo. Remedia autem
adverſus Duelech, potentur jejuno ſtomacho,
abſque heſterna cœna. Quod ſi felici
remedio interno ſis fruſtratus, per catheteram,
qualibet horâ injiciatur externum, dimiſsâ
30 tamen priùs urinâ. Dum autem iſtud urinæ
ſtalagma examino, in mentem recurrit hiſtoria
filiæ vicini piſtoris. Habebat namque filiolam,
quæ ſæpiùs cruentum mejeret, medióque filo
ſuſpendebatur lotium. Erat autem pallidum,
cum multo ſedimine, ac glutinoſo, ſicque ſeptimum
vixerat annum. Villica quædam narrat
piſtori, idem ſibi olim contigiſſe. Iuſſi tandem
adferri veſicam tauri, embryonis, nondum
nati: (vaccæ enim non imprægnatæ, vix
ſaginantur) veſicula iſta plerumque repleta eſt
liquore ſaporis, non quidem urinalis: ſed alieni.
Cujus ſingulo manè, bibit uncias circiter
binas, cum totidem vini albi. Nupta eſt dein
anno ætatis 19, & anno 1643 ſuperſtes ac ſana
eſt, calculi neſcia. Idem dein remedium juvit
aliquot puellas pauperes. Cumque hoc jam
tentatum eſſet aliquoties, Idem ex embryone
hirco tentatum, ac felicius adhuc ſucceſſit.

31 Subnectam hoc loco meas obſervationes, de
lapidibus cancrorum, quas nunquam ab alio
adnotatas vidi. Inprimis ineptè vocantur oculi,
cum non fungantur oculorum munere, nec
32 extrà emineant, nec toto durent anno. Nec
demum hi lapides ſunt extracta eſſentia, à
tota bruti teſta (licet ſic juſſerit Paracelſus) ſiquidem
per plurimas atque uniformes cancrorum
diſſectiones, comperi quæ ſequuntur. Inprimis
ſtomachum cancri eſſe in capite, prope
verticem. Mares enim quotannis ægrotare incipiunt,
à menſis Iunii medio: femellæ dein,
in Iulio, ante teſtarum exuvium. Sunt enim
per dies novem, & ampliùs, velut ſemi exanimes
ac immoti. Qua tempeſtate, ſtomacho illorum
exterius obducitur membranula nova,
inter quam & ſtomachum veterem, eſt liquor
quidam lacteus, qui ſenſim exterius in globum
ſtomachi convexum, quâ parte attingit, obducitque
ſtomachum veterem, contrahitur utroque
latere, in concavum, ſtatimque lapideſcit.
Interim nec tunc, nec multò pòſt, cancer eſitat
quicquam. Ideóque (penè incredibile) vetus,
ſive interior ſtomachus, ſenſim in mucilaginem
alimentariam abſumitur, exteriorque, ac
novus alter ſtomachus, in vicem abſumti, ſuccedit.
Siquidem iſti lacti, ad ſtomachi veteris
convexum ſubnato, obtenditur ſtatim pellicula,
per modum lacti tepenti ſolitum: creſcitque
lac iſtud inter utramq; præfatam membranam,
utriuſque ſcilicet ſtomachi. Quæ cuncta
ducentis forte cancris diſſectis, dietim obſervavi,
jucundâ admiratione. Tandem reſidua
pars lactis, cancro cedit in alimentum. Poſtremò
etiam, vterque lapis iteratò ſenſim diſſolvitur,
& in nutrimentum paulatim abit. Nihil
autem cancer edit, aut in ejus ſtomacho reperitur,
quantiſper iſti lapides ſunt in ſtomacho
ejus, vivitque circiter 27 dies tam ex veteri ſuo
ſtomacho, ſenſim abſumto, quàm ex uſu reſolutorum
poſteà lapidum. Addo, rariſſimum
diureticum ex hoc lapide colligi, etiam vulnerarium,
ac febrifugium, modò reſolvatur in
formam priſtini lactis. Quod quàm ſit excellens,
atque potens, vix cuiquam, quàm perito,
perſuaderi poteſt. Nihilque eſt vulneratis,
vel poſt partum matribus, aptius, quàm remedium
horum lapillorum. Habet namque remedium,
contra inclementias multorum vegetabilium,
vi laxante infamium, modò ita
reſolvatur, ut per minima, ambo miſceantur.
Denique in Marca Brandenburgica, locupletiſſima 33
eſt cancrorum piſcatio. Vectores autem,
coguntur noctu excubias agere, ne fortè porcus
aliquis, vel leviter ſubter currum tranſcurrat.
Nam id ſi contigerit, manè quotquot
cancri, in curru fuerint, inveniuntur mortui.
Tam exitialis eſt porcus cancro. Ut autem in 34
veſicam quodlibet injiciatur abſque dolore,
Cathetera novum inveni. Quia corniculum argenteum,
quo Chirurgi ſummis cruciatibus
urinam exigunt, atrox atque cruentum eſt,
ideóque prorſus diſplicuit. Inter plures autem,
quos tentavi, aptiſſimus atque innocuus occurrit,
qui è tenui corio fieret. Nimirum ad hoc corium,
ſive alutam, intus depinxi colore albo,
ex ceruſſa, & oleo lini: cumque ferè jam exaruit,
fiſtulam exinde ſuendo componi juſſi, cui
filum æneum per longitudinem inductum eſſet,
eratque futura ejus plana, ut nequicquam
protuberaret. Vno autem hujus fiſtulæ extremo,
fiſtula ipſa ſatis ampla, ut ipſi ſypho ſyringæ
indatur quoties lubuerit, ambóque aptè
reſpondeant, ut hac via liquor in veſicam

injici queat. Porrò tota coriacea fiſtula dilutâ collâ firmetur, ut hac dein exſiccatâ,colore aliquo, atque oleo lini, pingatur. Idque videlicet tam ob majorem fiſtulæ firmitudinem, quàm etiam,ne per liquorem injiciendum permadeat & flacceſcat. Educto igitur filo æneo, alter ejus vicarius in locum ſubintret, ex gingiva Balænæ paratus. Ergò habes ſic fiſtulam tenuem flexibilem, quæ nequicquam dolet immittendo, etſi quadragies unico die, in veſicam protrudatur.Primis quidem vicibus circa ſphincterem inſuetum, dolet, at mox ceſſat pavor illius contractionis. Abſtrahitur autem lotium, quoties lubet. Evacuatâque veſicâ, injicitur per ſyringam demùm, retro ad fiſtulam, adaptatam, uſque in veſicam quicquid lubet. Modò intromittendus liquor ſit indolens, nec ingratus. Eſt autem Syringa, ad cujus Syphonem, Catheteris eminens extremum adaptari dixi. Sit laus æterna Deo in excelſis, placeatque illi irrorare,& fœcundare mea ſervitia atque deſideria, in opem mortalium oblata!

CAPVT VIII.

Tyronibus ferculum offert Author.

1. Quæſtiones doctiſſimorum Virorum. 2. Reſponſa Authoris. 3. Author ſpernit judicia de ſe habita ac habenda. 4. Satisfactio de Auro horizontali. 5. Heteroclita de ſulfure Veneris. 6. Sulfur Veneris, non eſſe de intima eſſentia metalli perfecti. 7. Probatio permanentis ſulfuris externi. 8. Dignitas ſulfuris Veneris. 9. Indiſtinctio Authorum Tyrocinii Chymici. 10. Reſponſio Authoris ad objecta. 11. Incognita quædam hactenus de vitriolo. 12. Vitrioli nomen unde. 13. Nativitas vitrioli. 14. Differentia bonitatis vitrioli. 15. Græci cedunt palmam Germanis, de mineralibus. 16. Error Paracelſi circa æſtimationem vitrioli. 17. Demonſtratio erroris præfati. 18. Quale vitriolum ſit medendo optimum. 19. Modus diſtillandi vitriolum optimus, & inuſitatus. 20. Mira proprietates hujus ſpiritus vitrioli. 21. Notabilia aliquot, inde reſultantia. 22. Diſtillatio *ſalium. 23. Commendatio Dauci. 24. Lignum Nephriticum noſtras, ejusque delectus, ac præparatio. 25. Vſus Betulæ.*

1 OCcaſione libri mei de febribus, ad me è
diverſis Europæ ſinubus, ſcripſerunt
magnæ notæ Viri, petentes elucidatio-
nem, circa remedia ibidem tradita. Fatentur
quidem, ſe agnoſcere, in audaciâ meæ promiſ-
ſionis, vera ſubeſſe febrium quarumcunque re-
media: ſed dolere nimiam ſcripti mei obſcuri-
tatem. Primò itaque inquirunt, quid ſit Aurum
horizontale. Secundò petunt, confectionem
elementi ignis Veneris. Tertiò. Nunquid for-
taſſis ſit ſpiritus Vitrioli rectificatus? Quidam
etiam minas addunt, niſi publicè optatui eo-
rum ſatisfecero, librum meum de febribus fo-
re prohibendum: ut alterum principem Mac-
chiavelli. Vtpote quod ſtante meo libro,neceſ-
ſario alioqui, mox conſiderent Academiæ Me-
dicæ in rudera, Galenuſque mox oſtiatim ſti-
pem petiturus exularet. Boni quidem conſu-
lunt, quæ de febrium inauditâ doctrinâ, deque
phlebotomiæ, purgationum, remediorumque
deteſtandis abuſibus, in proximorum commi-
ſerationem,in medium attuli:ſed explicationes
deeſſe,apertiúſque loquendum: ut me tacente,
ſub ſigillato velut diplomate, cuncta confir-
mentur in poſterum, per quorumlibet experi-
entias,& miſerorum acclamationes. Primò re- 2
ſpondi,obſtare arcanum Liquoris Albaheſt Pa-
racelſi, cujus nimirum doctor Omnipotens et-
iam diſpenſator manere decrevit, in mundi uſ-
que confuſionem, ob rationes, pro parte,notas
Adeptis. Itaque me deſerturum illius Arcani
manifeſtationem, theſauris beneplaciti divini.
Quoad autem judicia, interim de me habenda, 3
parum moror. Nec enim primus eorum, ut ne-
que poſtremus vituperator ero, qui nunquam
reſpexi ad mundi cenſuras, de me factas: nec
æſtimo (quòd alii tamen multi) cum electione,
mei æſtimatores.Vtpote in Deo amo æqualiter:
neminem autem prorſus ideo,quòd mihi blan-
diatur. Scio namque, quia Deum protectorem
habeo,qui deſerit neminem ſe invocantem.Et-
enim pluerunt laquei tribulationũ ſuper caput
meum. Conſtiti, nec enim ullatenus preſſerunt
animam meam. Deciderunt in terram, calcavi
illos cum deſpectu; & ſtatim tanquam fimus,
putruerunt ſponte. Conturbati autem horum
authores, erubuerunt. Vtinam Deus illis agno-
ſcat! Scio denique, quod Deus, rore ſuperno,
fovebit ſemina, quæ plantavit, quæque creſci-
tura voluit. Neque me ſolicitum permiſit, pro
nutu mundi,conſenſu Scholarum,aut vulgi ac-
clamatione. Ipſe namque univerſa quæ vult,
poteſt, facietque pro lubitu, dum Mundus me-
rebitur per veram Medicinam in ſuis languori-
bus conſolari. Ah,quàm tumida bulla,quæ ſem-
per alienis ſuſpenſa arbitriis, pendet ambitio?
Quàm malè denique, ſemper judicant aliena
arbitria? quæ præſertim præjudicato continuo
reguntur?ad propoſitas autem quæſtiones dico.
Quod ſicut Sol cenſetur naſci in hemiſphærii 4
hori-

horizonte: ita Mercurius, dum factus eſt Diaphoreticus, dulcis ut mel, & inſtar auri fixus, eſt aurum in ſui horizonte: tantoque eſt in re medicâ, auro nobilior, quantum perla orientalis Scoticâ. Mercurius namque quamdiu eſt metallicus Mercurius, eſt primo enti metallorum ſimilis, & vicinus valde. Dum autem auro colliquatur, concluditur ejus omnis vis medica, ſigillaturque: imò introvertitur ſic, ut dotem, quam humanæ naturæ debet, pro ſuis languoribus 5 deneget. Sulfur namque Veneris poſt ſeparationem ſui, à ſuo corpore, ac reſurgens, fit ſulfur quaſi glorioſum, tingitque ideò ſulfur Mercurii (quod in pulvere Johannis de Virgo, per ſulfura mineralia corroſiva, eſt extraverſum) immediatè, ſeſeque toro inſeparabili mutuò amplexantur: ſtatque tum ideò vis amborum ſulfurum extimè: Hinc nempe virium conſertione, Mercurius diaphoreticus, inde reſultans, perficit uniſonum medēdi, in cunctis quæ tàm Phyſicus, quàm Chirurgus, optare queunt: ſive reſpectu morborũ acutorum, ſive demũ chronicorum relatione adhibitus ſit. Non eſt ergo ignis Veneris, ſpiritus vitrioli, utcunque exquiſitè rectificatus: ſed ignis ille eſt ſulfur cupri volatile, in forma olei viridis, melle dulcius, & à corpore mercuriali ſui cupri planè ſeparatum. Reſiduum autem cuprum manet album, nec unquam virideſcens per æruginem, ut neque amplius de numero ſeptem metallorum. Quia evaſit novum atq; anonymum metallum. Non poteſt autem haberi ignis Veneris, niſi cum plenaria cupri deſtructione, corporiſque mercurialis ipſius Veneris volatilizatione. Quod quantumcunque ſit volatile, in forma olei: facili tamen negotio, poſtmodùm iterum reducitur in metallum album ignotum, atque ſub malleo extenſibile. Sed Ignis, ſive ſulfur Veneris, non item amplius reducitur in metallum, per ſe. Quia, prout nullum ſulfur eſt metallum: ita omnis Mercurius metallicus, eſt verum metallum. 6 Docent autem Adepti, quod pars metalli ſulfurea nequeat ſeparari à ſuo corpóre mercuriali, ac metallico, niſi per ejuſdem totalem deſtructionem, quamque ideò (licèt abuſivè) elementalem vocant. Quia nimirum in metallis, ſint duo ſulfura. Vnumque ideo meritò vocant externum: atque aliud internum. In propoſitis autem cupri terminis, contemplare internum iſtud, quod in albo, anonymo, ac mercuriali metallo, corpus fixat, ſive coagulat, efficitque ſub malleo ductile: cum aliàs, Mercurius abſque ſulfure nunquam in metallum coagulari poſſit. Externum verò Veneris ſulfur, eſto oleum illud viride dulce, quodque iterum in metallum, in ſe abſtractum, cogi nequit. Proin univocè teſtantur hujus Philoſophiæ Symmyſtæ, externum ſulfur à ſuo corpore ſeparari non poſſe, ne quidem per ignem, in metallis imperfectis, quin unà pariter pereat pars Mercurialis ejus. Vidi namque plumbum, ter ſublimatum, 7 rediiſſe in idem numero, quod antè, plumbum. Itaque cum ſulfur iſtud externum (quale è cupro trahitur) non ſit neceſſarium metallo perfecto: Cupro autem iſtud ſulfur, Veneri 8 ſit à Deo additum: ergò neceſſe eſt iſtud ſulfur Veneris habere ſuos fines, ad neceſſitates ingrati hominis conducentes, pro infirmitatibus ſcilicet humanis, ſupra omnem metallicæ perfectionis dignitatem. In cujus uſum videlicet, Stoïci ipſi, cuncta mundi creata, directa eſſe, conjecerunt. Errant proinde Tyrocinii 9 chymici Scriptores, quotquot variis mentiuntur fabellis, Mercurii metamorphoſin in ſalem, aquam, oleum, ad varios Medicaminum uſus, audentque ſua inventa hôc ſtabiliri argumentô: Si enim aurum, corporum conſtantiſſimum, queat in vitriolum, adeóque & in fumum evolare; quidni idem faciet multò licentioſiùs Mercurius? At ego, reſpondendo, proponam in limine 10 duas Philoſophorum ſententias, longè veriſſimas, pudibundas tamen hiſce argumentatoribus: ut hinc etiam Chymiæ expertes queant digito notare vanitatem illius argumenti, utque pudore ſuffuſi, reſipiſcant Tyrociniorum Authores. Quarum prima eſt. Quòd ſit longè facilius, aurum ex non auro conſtruere, quàm aurum naturale deſtruere. Pudeat ergò inprimis eos, docere auri deſtructionem, qui ejus conſtructionem ſe neſcire, inopes teſtantur! Itaque vel mentiuntur, ac decipiuntur Adepti Philoſophi, vel ipſi Scriptores Tyrocinii. Altera eſt. Si non vidiſſem argentum vivum eludere quamcunque artificum operam, adeò, quod aut totum avolet adhuc integrum, aut totum in igne permaneat, atque utrolibet modo, ſervet impermutabilem ſui ac primitivam identitatem, identitatiſq; homogeneïtatem anaticam: dicerem artem non eſſe veram, quæ vera eſt, ſine mendacio, atque longè veriſſima. Adeò, ut quod ſupra eſt, eſt ſicut quod eſt infra; & viciſſim. Ignaros ergo ſe rei metallicæ produnt, quotquot docent præfatas Mercurii aurique metamorphoſes. Nam utcunque iſta metalla, per quædam mineralia ſibi adjuncta, nunc ſpecie olei, ſalis, vel ſulfuris, per retortam pellantur,

horumque larvam mentiantur: ablatis tamen
ejuſmodi adjunctis,ſemper idem manet aurum,
idemque qui ante Mercurius, redeuntque in
priſtina corpora.Imò licèt aurum radicaliter in
partes heterogeneas, ſalem ſcilicet, ſulfur, ac
Mercurium ſe pateretur ſequeſtrari. (quod nullatenus
naturæ, niſi per unicum liquorem conſtructivum,
eſt poſſibile.) Iſtud tamen in Mercurii
homogeneitate,eſt naturæ & arti impoſſibile.
Quippe qui auro eſt ſimplicior, majori anaticaque
identitate conſtructus.Quia in Mercurio
non eſt reperibilis diverſitas, qualis alioqui
in tincturâ auri, hujusque albedine. Quod
jam antè in ſulfure, atque Mercurio Cupri diſtinxi.
Nam etſi Mercurius Cupri totus factus
ſit volatilis: quia tamen non ſpoliatur propterea
ſulfure interno ſui, Ideò iterum reducitur in
11 album, ac malleabile metallum. Porrò ad quæſtionem,
qua petunt, num ignis Veneris ſit ſpiritus
vitrioli rectificatus? quædam de natura
vitrioli, ejusque diſtillatione,per neminem ante
me tradita,propalabo.Enimverò natura produxit
ſal quoddam minerale, acidum, quod
Græci Chalcanthum, ineptóque nomine, Latini,
12 Atramentum ſutorium,nominant.Chymici
verò vocant vitriolum, quia tranſlucidum vitri
inſtar. Eſt autem ſal iſtud embryonati ſulfuris
immaturus partus,qui dum lambit venam cupri,
eam erodit, diciturque ideò cuperoſum,ſive
cuprum eroſum. Sin autem venam ferri, vel
aliorum mineralium, roſerit, fontes parit acidos,
ac diverſos,juxta venæ eroſæ indolem. Quę
ex Profeſſo, libello de fontibus Spadanis, ad
13 longum ſum proſecutus. Porrò, ſive aqua iſta,
quæ ſalem embryonati ſulfuris in ſe continet,
cuprique venam eroſam ſecum ſervat, per ſe
ſtillet, coquaturque per ignem in vitrioli conſiſtentiam:
ſive demum ſuâ ſponte alibi coaguletur:
id nequaquam ejus ſpeciem aut bonitatem
diſtinguit. Siquidem nil ei deperit coquendo.
Etenim dum aquoſus liquor ſat exhalaverit
coquendo,ſponte dein tandem in frigore
coagulatur reſiduum. Solum at pretium vitrioli
variat venarum diverſitas. Etenim prope
Antverpiam, dum è Pyrite ſulfur liquatum eſt,
reliquum ſub dio exponitur,ac pro majori parte,
liqueſcit paulatim. Nam per ambuſtionem,
ſulfuriſque fuligines, æruginem concipit, quæ
à ſale reſiduo roditur, atque in ſcrobes per pluviam
diffluit. Sic etiam vicini Eburones,ditiori
vena, ſuum parant vitriolum. Alibi ſanè,eſt vena
ipſiusmet cupri, coagulato ſale ſulfuris, dives;
ac ſponte ſtillat, diffluit, coagulaturque,
quæ alioqui fontis vicini madore diluitur. Differentia 14
itaque bonitatis, conſiſtit in ſalis puritate:
non autem in opulentia ac ſaturitate cupri
(loquor enim non ut mercator, aſt tanquam
Medicus,) differt quoque, propter commiſtionem
cujusdam peregrini. Si videlicet in Pyrite,
aut vena cupri, commiſceatur vena plumbi
(quod frequenter eſt obvium) vel fortè adeſt
maligna Arſenici participatio(Arſenicum enim,
quia plerumque metallis inſidiatur, atque comitatur,
uſitato hinc nomine vocatur, fumus
metallorum.) Adeóque, quod aliàs eſſet legitimum
vitriolum, fit nocuum medendo. Color
autem lazureus vitrioli, plerumque præfertur
viridi: fortè, quod ille oculis arrideat magis.
Saltem facillimo negotio, ſimplicium impoſtores,
ex viridi vitriolo, lazureum mentiuntur.
Cæterum Chalcitis, Myſy, Sory, Melanteria 15
Græcorum, hodie periêre, tanquam venarum
cupri, diſtinctiones inutiles: nam Græci tantùm
Alphabetarii, reſpectuque Germanorum,
ignavum, quicquid veteres de re metallica poſteris
edidêre. Sunt autem, qui cum Paracelſo, 16
vitriolum commendant, extolluntque in Medendo,
quod ex cupri copia cenſetur ditiſſimũ:
adeóque cunctis præferunt, quod ex ipſomet
cupro conflatur. Quidam ideò candenti aut liquato
cupro ſulfur inſpergunt, magnoque ſic
labore, ejus æruginem ſolicitant,&c. Paracelſus
verò, optimum in medendo vitriolum, per laminas
cupri, ſale communi, atque ſulfure ſtratificatas,
cæmentando parat. Recentiores hinc
ſeducti, bracteas cupri,per ſpiritum ſulfuris aut
vitrioli vulgaris, iteratò diſtillant, donec planè
nigræ ſint, atque friabiles, quæ demum liqueſcunt
in aqua, fitque cœrulea, quæ coquendo
inſpiſſatur, ac in frigore concreſcit vitriolum.
Sic nimirum adulteratur hodie, quod pro Cyprio
venumdatur. Sub pace Paracelſi,ſcio atque
comperio, vitriolum è Venere factum, longè
in medendo eſſe ignavius vulgari, quod caret
ſuſpicione miſcellaneorum. Adeóque ſpiritum
ejus non eſſe niſi merum acetum minerale,
privatum aporrheâ cuprei ſulfuris. Comperi
nempe, vitriolum è Venere factum,longè pauperius
eſſe foſſili. Item foſſile, cui plurimum
cupri ineſt, in medendo, ac diſtillando, pigrius
eſſe vulgari. Nam diſtillavi vitriolum arte paratum, 17
colore lazureum, neutiquam viſu à Cyprio
diſtinguibile: deditque parum ignavi ſpiritûs
acidi: ceſſavitque mox infra paucas horas
omnis ſpiritus: atque reſiduum corpus totum
in fæcem nigram condenſatum ſubſtitit,ſuum-

que mihi cuprum ad vota reddidit. Siquidem cuprum jam eſt metallum completum, non facilè deſtructibile, aut retrocedens ad ſui principia. Adeò, licet ignis atrocitate minuatur: attamẽ quicquid ejus avolaverit, verè adhuc metallũ eſt, ob rationes ſuperiùs allatas. Equidem inter venas metallicas, nulla æquè difficulter ad perfectionem metallicam adducitur, ipſo cupro (quod teſtatur Georgius Agricola.) ſiquidem, ad minimum novies recoqui poſtulat, antequam indè cuprum emanet. Ubi interim aliorum metallorum Venæ, primâ liquatione ſuum fundunt theſaurum. Perfectionem itaque cupri Vena acquirit, per ſequeſtrationem partium, ſibi à nativitate miſtarum. Sunt autem hæ, quæ primo enti ſuo adhuc alligatæ ſunt: unde proinde cuprum jam perfectum reſpuit, reſiſtitque quàm pertinaciter diſſolutioni ſui corporis: ac per conſequens, nec poteſt inde haberi perfectum vitriolum Medicum, quod virtutem habeat de ſulfure Veneris. Quippe hoc non eſt è cupro ſeparabile, niſi per omnimodam corporis metallici deſtructionem, pro-ut antè 18 docui. Partes ergo venæ cupreæ, à naturâ metallicâ procul remotæ, ac primo enti viciniores, tribuunt vitriolo vim medicam, factitio chalchanto denegatam. Nam vitriolum vulgare, ac vile, ad minimum toto octiduo, ſuam ſpirat exhalationem, utcunque flagrantiſſimis reverberii flammis urgeatur. Quò ergò vena liberior eſt ab aliena malignitate, viciniorque fuerit primo enti Veneris, remotior nempe à metallicâ cupri conſtitutione: eò ſal ejus, propriâ ſponte innatum, illique colliquatum, vitriolum profert inculpatius, ſpiritusque ditiores ſuppeditat, medendoque aptiores. Modus etiam di- 19 ſtillandi inuſitatus hic eſt. Recipe vitriolum commune, non ſuſpectum peregrinæ malignitatis, bulliendo in ollâ amplâ liqueſcat, & coquatur, in ſiccitatem uſque. Fractâ ollâ, vitriolum, inſtar lapidis induratum, teratur in pulverem. Fiat autem diſtillatio ad minimum 6 retortis ſimul. Sintque Retortæ vitreæ. Nam lapideæ omnes, poroſæ ſunt: quia omnis terra poros retinet; eò quòd poſt exſiccationem, neceſſariò aliquid non fixi efflat. Porrò retortæ, loricentur cruſtâ, quæ nec dehiſcat, nec rimas contrahat, vel ſponte decidat, vel vitrificetur nimium. Optimè quoque, collum retortæ eminens, amplo vaſi recipienti connectatur, ne vel tantillum reſpiret. Recipiens autem, locetur in arenâ madidâ; item convexa ejus pars integatur ſacco ad dimidium repleto arenâ madidâ: qui ſaccus renovetur aliquoties, intinctus aquæ frigidiſſimæ. Dimidium autem retortæ pulverato vitriolo impleatur. Diſtilla autem per gradus, ac tandem urgeatur carbone, quantum poſſibile eſt furno venti, qui propriâ crate flatur. Cum autem furnus venti ceſſaverit ſpiritum in vas recipiens dimittere, aperiatur à latere porticus, quâ viâ reverberium flammæ lignorum, ſubter retortam penetret, perſeveretque per 5 aut 6 noctes, ſummo igne, naturæ poſſibili. Retorta videbitur tibi forſan liquari, in tantâ ignis procellâ: at nihilominus conſtans perdurabit: eò quòd exterior lorica terrea, vitrum detineat, combibatque: atque ita invitrietur, quantum operi ſat fuerit. Memineris tandem, vas recipiens à collo retortæ ſequeſtrare, flagrantiſſimo adhuc igne. Alioqui videbis in frigidiore ſtatione, redire ſpiritus in fæcem, quæ illos exſpuit. Tum demum accipe Colcotar, ſive fæcem, è diſtillatione reſiduam, quam à vitriolo Cyprico vero, Hungarico, vel ſaltem Goſlarico, reſervâſti. Sulfuri commiſta fæx iſta reſidua iterum comburatur, uſque in ſulfuris omnimodam abſumtionem. Hanc autem dein irrorabis, & madefacies præfato ſpiritu. Is enim, uti ſtatim imbibitur; in patinâ, vel cucurbitâ vitreâ: ita inde repetitus, nil niſi phlegma aquoſum, atque inutile reddit, remanſo ſpiritu imbibito, in colcotare. Idque repetitim renova ſexies, aut ſeptics, donec tandem ſpiritus affuſus rubeſcat, qui ſupernatabit Colcotari. Quod ſignum eſt, ceſſandum à ſaturitate imbibitionis. Adeóque hoc dives Colcotar, benè exſiccatum, indatur Retortæ, diſtilleturque hoc dives Colcotar uſque in ultimos ſpiritus, jam flaveſcentes, olentes mellis grati odorem. Memento tamen, abſtrahendum 20 vas recipiens à retorta adhuc candente, obturatoque per ceram ore lagenæ fortioris, ſervandum hunc ſpiritum. Cui demum, ſi aquam injeceris, vas ipſum diſſilit ſtatim. Ergò, ſolo ſpiritu prioris diſtillationis compeſcitur hic ſecundus ſpiritus. Cujus vix unica libra transfunditur de lagena in lagenam, quin unicæ ſaltem uncię fiat amiſſio. Itemq; niſi recipiens ab retorta tempeſtivè, ut dixi, tollatur: videbis potiſſimum ſpiritum, refrigerato furno, rediiſſe in Colcotar, unde per ignem fuit excuſſus. Porrò fæx Colcotaris, è fæcunda diſtillatione reſidui, tota adhuc eſt cuprea, acvirideſcit multifariam. Vnde 1 conſtat, quod antè monui. Nempe, ignem Veneris, non niſi per omnimodam metalli deſtructionem, ſeparationemque, depromi, atque haberi. 2. Hoc ergo faciendum, viâ longè occultiore. 3. Quod vitriolum cupro dives, minùs aptum ſit diſtillationi, quàm aliàs commune. 4. Quòd vitriolum cupreum, fundat ſpiritum aceti mineralis ſalis: at non cupri liquamen volatile. 5. Ideóque ſulfur Veneris, rectè vocetur ſulfur Philoſophorum, ad vitam longam aptum. Dulce inquam guſtu; non autem acidum, aut acutum. 6. Quòd ſpiritus vitrioli, ſuprà edocti, ſanet morbos aliquot chronicos. 7. Quódque ideo ſpiritus vitrioli, hactenus venales ac uſitati, non ſint niſi acetum minerale, adhuc in ſe adulteratum. 8. Quòd reſiduum Colcotar, ſit vi medicâ ditiſſimum. 9. Quòd præparatio vitrioli, ab Iſaac Hollando, aliiſque modernis præſcripta, non miſerit ſagittas ad verum ſcopum. 10. Quòd noſter ſpiritus, ſuprà deſcriptus, atque ſic rectificatus, quatenus volatilis, ac ſalſus, pergat uſque in quartam digeſtionem, reſolvatq; excrementa morboſa, in itinere obvia: & per conſequens etiam, tollat cauſam occaſionalem plurium morborum chronicorum. 22 Iam itaque tradidi pariformem modum diſtillandi ſpiritus ſalis marini, Saliſpetræ, atque ſimilium. Memineris tamen, vitriolum in ſe habere terram Colcotaris: quapropter, cætera ſalia optare terram figuli exſiccatam, ſibique exquiſitæ admiſtam. 23 Cæterùm jam antè tradidi, modum præſervandi à Lithiaſi, per Aroph, itemque per cereviſiam cum ſemine Dauci, vel flavæ paſtinacæ ſylveſtris, coctam: deſiſterem ergo, calamumq; reponerem, atque relinquerem aliis me felicioribus, optando, ut quiſque deinceps addat, quæ longè meliora invenerit. Nam cùm Duelech ſolam obſideat ſpeciem humanam, anomaloq; modo producatur ab excrementis ipſis, non autem oriatur per modum aliis infirmitatibus conſuetum: videtur ideo etiam præ aliis morbis, in peccati vindictam, ſingulariter obnaſci, puerisq; adhuc innocentibus, ad majoris mali averſionem, à Deo permitti. Etenim quanquam bruta quędam lapillos in ſe generent: tamen iſti lapides non ſunt ex cauſis Duelech natales, neq; in pœnam, aut tribulationes illis deſtinati: ſed magis in commodum humanum producti. Quòd ſi ergò Duelech, peccati culpam referat; peccatum verò, è ligno ortum traxerit: viſum quoque fuit mihi, quòd ſanitatis præſervatio in Lithiaſi, non ſolùm è ſemine Dauci, parilique aliquâ herbâ, ſit exſpectanda: ſed ex ligno aliquo. Quapropter, verum quidem eſt, quòd lignum Nephriticum nobis nuper ex Indiâ ſit allatum: ſed non proinde unquam mihi perſuaſi, divinam bonitatem Europæis tantiſper denegâſſe, ut etiam pauperi calculoſo ſubveniret, donec multis expenſis, tandem remedium poſt ter mille annos, ab Indis advolaret, ſatis in ſe pigrum alioqui. Daucus præſervat quidem, ſub continuâ ac ſtricta obligatione, prout Aroph confortat renes multo ſumtu. Seriò itaque inquiſivi, an non eſſet lignum aliquod noſtratibus familiare, quod vicem expleret Nephritici tandem nobis à Barbaris miſſi? Siquidem lignũ peccati, lignumque vitæ, arbores erant; non autem frutices, multóque minùs herbæ. 24 Quamobrem olim obſervavi, principibus Germaniæ fuiſſe vernaculum, quòd contra Lithiaſin, quotannis in Majo, biberent quotidiè hauſtum liquoris è cortice vulneratæ Betulæ. Quem liquorem præſervabant à corruptione aëris, illi affundendo oleum olivarum. Vulneratur. Arbor Germanis **Bircken-baum**: noſtratibus verò *Bercken-boom* dicitur. Vulneratur enim cortex Betulæ, prope terram, in trunco, menſe Martio, circa tempus, quo ſolet vulnerata vitex plorare novellum liquorem, è terrâ hauſtum. Sed is liquor Betulæ, eſt totus aqueus, ac penè inſipidus. Sin autem ramus aliquis, ſpiſſitudinis trium digitorum, ad ſemidiametrum vulneretur, inditâque lanâ repleatur, ſtatim flet liquorem non ingratum, ac ſubacidulum, qui etiam in ipſo Lithiaſis tormento ſolatur afflictos, tribus quatuorve cochlearibus aſſumtus. Meracior ergò eſt, qui ſupernè à ramis, quàm qui infernè è trunco fluit. Aquoſus autem planè, qui prope terram effluit. Conſiderabam enim ſtatim, id accidere, quatenus adſcendendo tranſiret per corticem ſubrubeum, qui eſſet tanquam jecur arboris. Sed cum ille cortex, toto anno, eſſet abſque notabili guſtu: cortex autem extimus, albus & tanquam membranaceus, haberet ſaporem, atque ſuffitum, tanquam optimæ terebinthinæ, divulſi per ſemipedem, exteriorem corticem circumquaque abs trunco, ac obſervavi, quòd nihilominus liquor, qui è ramis ſtillabat, eſſet ejuſdem guſtûs, quo antè. Mirabar ergò, unde diverſitas iſta liquorum, unius atque ejuſdem arboris, manaret. Denique mirabar, quòd ramulus aliquis, unico die, facilè ploraret liquoris libras 8, vel 10, qui aliàs totâ æſtate, non tanto alimento opus habet, nec locum, quo tantus liquor aſſervari poſſet, multóque minùs radix, aliis ramis ſingulis, ſub decuplum tantumdem liquoris largitur: nec tamen proinde, aliis ramis deeſſet ſufficiens alimentum:

tum: quanquam alioqui radix, multam illam quantitatem illius liquoris attraxiſſet, atque profudiſſet per alios aliquot ramos. Conſiderabam itaque, quòd liquor iſte ſimilis eſſet ſynoviæ, profluentis è vulnere; imò cœpi deteſtari illum, quaſi contagium mortis aut putredinis in ſe contineret, nec ſanitatem dare poſſet, ſi in ſe jam integritatis culpam gereret. Attamen comperi, tam ipſum Betulæ lignum, quàm ejus corticem rubrum, ſpoliata eſſe vi medendi; corticem autem album inſtar pergameni, foris ramis junioribus adnaſcentem, facilè inflammabilem, atque ſapore terebinthinæ inſignitum, vix de ſe virtutem in decoctum ſpargere. Cogitavi itaque, vim liquoris præfatam non prodire à radice, non à ligno, non denique à cortice ſubrubro, ut neque tandem à cortice albo, quippe qui ſibi in caudice non paſſim eſſet continuus. Tentavi ergo corticem iſtum diſtillare, cùm per ſe, tum cum additamento lixivii tartari: at ſanè liquor è vulnere rami ſtillatus, longè antecellebat oleum, atque ſtalagma corticum. Redactus ergò ſum agnoſcere liquorem illum, ſponte è ramis vulneratis fluentem, tam abunde, eſſe merum Lithiaſis balſamum; neque illi obſtare, quòd mea petulantia illum effluenti aquæ de vulnere, aut ulcere compararem. Siquidem vulnus atque ulcus, quod nobis mortem, Betulæ nil tale adfert, aut promittit. Eſt ergo liquor ille Betulæ, medicamen à naturâ promiſſum, per vulnera ſolicitatum: adeóque eſt urgere naturam, ad proferendum balſamum ſibi naturalem, quem aliàs nuſpiam proferret. Quapropter tenellos, ſubnigricanteſque ramulos (unde ſcopæ atque virgæ noſtratium fiunt) qui tumentes gemmas nondum frondoſas haberent, malleo ſuper lapidem vel incudem conquaſſatos, juſſi concoqui aquæ, ad cereviſiam fabricandam deſtinatæ: cui cereviſiæ, ſi poſtmodùm Dauci ſemen, aut becapungam aſſociaverim, ſortitus ſum effectus, ad Lithiaſis præcautionem optabiles, potentioreſque adhuc, ſi iſti cereviſiæ liquor ille Martialis, è ſuperioribus ramis collectus, infuſus fuiſſet, poſt ſedationem maximam ebullitionis ſuæ, quàm vina, atque cereviſiæ in cadis ſponte tolerant. Comperi namque inprimis, quòd ejuſmodi potus è Betulâ, diureticorum metum tolleret. Eò quòd dolores Lithiaſis, atque contracturas, laxet, tam in lumbis, quàm inteſtinis (hinc namque unica Lithiaſis etiam colicos dolores ſuſcitat, non minùs ac ſi fomes ejus inteſtinis ineſſet) itemque dyſuriis, atque ſtranguriis, etiam ſenilibus, idcircò medetur. Calorem item jecoris, velut ex adactâ ſpinâ oriundum, mitigat primùm, ac dein tollit. Denique ſponſus quidam, ligatus per menſes quinque, ne ſponſam ſuam attingeret, pediſſequam interea imprægnavit. Poſtmodùm, exortis inter deſponſatos jurgiis, dixit ſponſa, ſe nefas cum pediſſequâ diſſimulâſſe, ut exploraret, an frigidus, an verò maleficiatus eſſet, & quo titulo divortium tentaret. Tandem, ſoluta eſt Ligationis incantatio, per potum præfatæ cereviſiæ, repertuſque fuit maleficiatus, non autem frigidus. Denique, quidam in angulo areæ, ex conſuetudine, lotium ſolvens, mox ſtranguriâ cruentâ ac crudeli afflictus, decubuit. Medentum autem quælibet remedia fuêre fruſtra. præterquam, quòd quoties biberet de præfatâ cereviſiâ, levamen inſigne perciperet: ſed quoties ſurgens è ſtragulis, obambularet, mejeretque loco ſolito, ſtatim recidivas patiebatur. Tandem viſus eſt clavus è veteri atroque ligno querno, infixus loco, quo ſolitum ſolvebatur lotium. Evulſo itaque, & cremato illo clavo, prorſus à potu illius cereviſiæ, liber remanſit à cruentâ ſtranguriâ. Memini tum, quòd Karichterus hujuſmodi incantamenta ſcribat ſe ſolviſſe, ſolo mictu per ſcopas Betulæ.

CAPUT IX.

Senſatio, inſenſilitas, dolor, indolentia, motus, & immobilitas per morbos ſuæ claſsis, Lepram, Caducum, Apoplexiam, Paralyſin, Spaſmum, Coma, &c.

1. *Solus attritus reputatur cauſa doloris Nephritici.* 2. *Probatur oppoſitum.* 3. *Vreter enim ſic ſenſu careret.* 4. *Definitio doloris, juxta Scholas.* 5. *Opinio Veterum ac Modernorum, de organo primario ſenſuum.* 6. *Quin docet nil, præter verba inania.* 7. *Implicita Scholarum blaſphemia.* 8. *Cerebrum non eſſe organum immediatum ſenſûs & motûs.* 9. *Quid Scholas circa hæc deceperit.* 10. *Melior quorundam attentio.* 11. *Vnde ſic ſibi perſuaſerint.* 12. *Meditatio Authoris circa ſenſum & motum.* 13. *Speculatio circa ſolutionem continui in Vulnere.* 14. *Pars ſolida non ſentit ex ſe.* 15. *Tria motui ſubordinata organa.* 16. *Recedunt Scholæ à priori ſuppoſitione.* 17. *Nervum non eſſe organum proprium omnis ſenſus.* 18. *Conſideratio Lepræ.* 19. *Omnes nervi, motui dicati, ſentiunt etiam.* 20. *Errores Scholarum circa Lepram.* 21. *Error Paracelſi.* 22. *Inconſtantia Paracelſi* 23. *Inſenſilitas Lepræ unde.* 24. *Pſora, & lues Veneris, qui differant à Lepra.* 25. *Sca-*

25. Scabies non poſtulat remedia interna. 26. Admonetur Lector. 27. In quo ſita ſit difficultas ſanandæ Lepræ. 28. Hippocrates nondum noverat ſubjectum immediatum ſenſus. 29. Vita quid. 30. Propinquior doctrina de ſenſu. 31. Immediatum ſubjectum ſenſûs. 32. Surda definitio de anima ſenſitiva. 33. Quomodò contingat ſenſatio. 34. Cur pro ſenſatione non ſit opus recurſu ad cerebrum. 35. Sedes mentis. 36. Quid dolor. 37. Quo ſenſu dolor ſit actio & paſſio. 38. Dolor, & morbus, quo initio fiant. 39. Qualis Ira, & furor, hoc loco. 40. Dolor, quale pathema. 41. De Apoplexia. 42. Modus traditus fiendæ Apoplexiæ ridiculus. 43. Paracelſus, circa hunc locum, æquè frivolus ac inconſtans ſibi. 44. Meditatio Authoris. 45. Abſurda aliquot Scholas comitantia. 46. Cauſarum nova diſtinctio. 47. Præcluſio arteriarum in gutture, quid arguat. 48. Apoplexiam poſitivam hactenus ignorari à Scholis, & practicantibus. 49. Apoplexiam & Paralyſin non fieri ex affluxu pituitæ in ſinum cerebri. 50. Ridiculus Galenus in plexu retiformi cerebri. 51. Examen aliquot remediorum. 52. Apoplexiam non eſſe primarium Cerebri affectum. 53. Præcordiis ineſſe guſtum. 54. Probatur deuteropathia ab imo. 55. Proprietates capitis quouſque adſcendant in ſe. 56. Apoplexia vera, eſt poſitiva, non privativa; illamque Scholæ ignorant. 57. Scholarum ſtupor ſtupore digitorum notatur. 58. Multiplex adynaton Scholarum, Apoplexiam privativam conſequens. 59. Stupeſcunt Scholæ in ſtupore tactûs. 60. Hiſtoria ſtuporis manuum à Quartana. 61. Ortus Apoplexiæ poſitivæ. 62. Paralyſis eſt contractura Medullæ nervalis. 63. Paralyſis ſæpè abſque Apoplexiâ. 64. Colli brevitas quid arguat. 65. Frictiones in Apoplexia unde inſtitutæ. 66. Cur ſint ridiculæ. 67. Anxietates Scholarum. 68. Frictio cutis, contradicit pituitæ cerebelli. 69. Generatio anodyni Apoplectici. 70. Cur Apoplexia à Germanis dicatur ictus. 71. Probatur locus Apoplexiæ in Duumviratu. 72. Ceſpitatio Scholarum circa examen proprietatis ſimplicium. 73. Contra theſin Scholarum, de pituita quarti ſinûs Cerebri. 74. Anxietates Scholarum de læſione ſenſûs, ſoſpite motu, ac viciſſim. 75. Per theſes aliquot explicatur, cur ſenſus lædatur, ſoſpite motu. 76. Apoplexia per modum hæreditariorum, latet in formatrice ſeminis. 77. Contra cauſam Apoplexiæ Scholarum. 78. Contra cauſam Paralyſis Scholarum. 79. Cauſa Apoplexiæ. 80. Apoplexiam non conſtare cauſâ privativâ. 81. Apoplexiæ definitio. 82. Quid Paralyſis vera. 83. Varia narcotica. 84. Soporifera, vt talia, non ſanare dementias. 85. Quid in hoc deceperit Scholas. 86. Anodynum dulce innocuum. 87. Cur anodyna, vt talia, non præſupponant frigus. 88. Quid ſomniferum. 89. Anodynum epilepticum differt ab apoplectico. 90. Reditus ad dolorem. 91. Conſenſus eſt peregrinus dolori. 92. Vnde dolores concentrales aſtris. 93. An cruor infirmetur ab anima. 94. Senſus, ac dolor, in quo ſubſiſtant. 95. Quid faciat dolorem, & quo pacto. 96. An ſenſus fiat paſſivè. 97. Primaria cauſa doloris, ac ſenſus. 98. Scholæ ponè manent. 99. Spectat huc conſideratio vitæ. 100. Vanum Scholarum ſubterfugium. 101. Demonſtratio ignis, ut inde dolor & ſenſatio eluceſcant. 102. Hæc Scholas latuere. 103. Ad inveſtigandum agens proprium doloris, quid conſiderandum. 104. Regulæ Scholarum, de activitate ſimplicium, arguitur obiter. 105. Vnde deluſæ Scholæ. 106. Probatur paradoxon contra Scholas. 107. Senſibilia agunt in ſenſum duntaxat occaſionaliter, ſive ſint pharmaca, ſive non, excepto igne. 108. Explicatio virium, quibus fiat mediis. 109. Senſatio conſiſtit in judicio vitali, ideoque & animæ. 110. Quædam conſequentia ad præteritorum demonſtrationes. 111. Vnde vires pharmacorum in Scholis alienatæ ſint. 112. Quàm differenter ignis agat. 113. Scholarum inadvertentia. 114. Sequelæ aliquot à præcedentibus deductæ. 115. Dolorum differentiæ. 116. Dolorum comes contractura. 117. Dolor Lithiaſis. 118. Opinio Scholarum de Spaſmo vel Crampo, ſtolida. 119. Manifeſtatur falſitas. 120. Errores obvenientes. 121. Aliquot negligentiæ Galeni. 122. Galenus propriá oris cenſurá, nomen Medici amittit. 123. Galenus commenta puerilia tantùm docuit. 124. Argumenta in contrarium. 125. Concluditur Scholarum error de Spaſmo. 126. Ridiculæ ſimilitudines à Scholis uſitatæ. 127. Aliquot notabilia. 128. Quomodò fiat Spaſmus. 129. Probatur duplex muſculorum motus. 130. Spaſmus propriè non eſt affectus capitis. 131. Exempla contractorum. 132. Viſio colicæ contractæ in puero. 133. Arteria unde indureſcat. 134. Varia contractura. 135. Crampi cauſſas latuiſſe. 136. Scholarum neglectus. 137. Gradus dolorum.

DOlor nephriticus, è primariis ac mole- 1
ſtiſſimis unus, immanis, & atrox pluri-
mùm. Scholæ enim, tanti doloris cau-
ſam, attritum, ab arena, vel calculo factũ, accu-
ſaſſe quieſcunt. Mihi autẽ perſuaſi, illa reſpon- 2
ſione nil prorſus ſatisfactum. Ideóq; ulteriùs in-
quiſivi. Eò quòd minutulus calculus aliquis, è
rene labens, primis vicibus immaniùs doleat,
quàm grandior poſtmodũ aliquis: quem tamen
indubiũ eſt plus ſuo attritu ureterem torquere,
excoriare, atq; diſtendere. Siquidem adultis non
ampliùs

ampliùs indies accreſcunt partes ſpermaticæ
primæ conſtitutionis, adeóque nec ureter am-
pliatur pòſt per tot calculorum deſcenſum. De-
nique, exile ſabulum ſuo ſæpè dolore permole-
ſtum fuit, ſuumque hominem in cubile dejecit
ejulantem, antequam è rene prodiret, quod-
que ideo nunquam adhuc affrictu vel attritu
ſuo injurium fuit. Nec etiam ſat eſt, pro tam a-
cerbi doloris causâ propriâ, ac totali, dixiſſe at-
3 tritum. Nam ureter toto ſuo ductu, non habet
commercium inſerti ſibi nervi; qui ideo debe-
ret etiam ſenſu carere, ac per conſequens, et-
4 iam dolore. Siquidem Scholæ dolorem defini-
unt, triſtem ſenſationem, ab irruente nocuo fa-
ctam. Si ergo tenue, inſipidumque, omnis acri-
moniæ & attritûs expers ſabulum, parvuſve
grumus, non ſit inſons, quia nec indolens: cer-
tè, de cauſis, proſapia ſenſûs, atque doloris, cum
ſuis circumſtantiis, attigiſſe, non erit tractatui
Lithiaſis incongruum. Primò itaque, & in limi-
5 ne ſenſûs Tactûs, dolor æſtimandus venit. Ete-
nim proinde Scholæ docent, cerebrum eſſe
ſenſuum omnium, motuum, ac per conſequens
quoque doloris ac inſenſationis primarium, ac
principale organum. Quod ſcilicet diſcerneret
ſenſuum objecta, per ſpiritus animales, quaqua
verſus ex ſe dimiſſos in omnes nervorum pro-
pagines, ſenſationem ideo cunctarum ut patro-
nos, ita & internuncios, atque diſcretores. Ma-
gnū aliquid in hoc dixiſſe, ſibi præſumunt. Di-
ſtinctiùs dicam. Et adhuc nil dixero. Vel rem
6 ſaltem dicam, quæ nihili. Fatentur nimirum
Scholæ, cerebrum nil aut vix, in ſe ſentire: at-
que in eo eſſe inſtar primi Motoris univerſalis,
7 quem moderni, (etiam Catholici,) cum Ariſtote-
le, jubent debere eſſe immobilem, ſi cætera cun-
cta movere debeat (quaſi primus Motor ineffa-
bilis nequeat ſe movere, aut debeat eſſe immo-
tus totuſque immobilis, imò agat, ac perficiat,
per ſui attactum motus localis, in momento u-
8 niverſa.) Qui revera non movet quicquam, niſi
abſoluto & abſtractiſſimo nutu Omnipotentiæ;
(ſitque hoc Scholarum abſurdum, apud probos
pro blaſphemiâ, per parentheſin, heic annotatū.)
9 Non eſt tamen cerebrum, primarium, ſive adæ-
quatum ſenſûs, motuſque organum: cùm in ſe
ſit immotum, & ſenſu orbatum. Scholæ etenim,
cernentes, quod, vertebra diſlocata, eo ipſo quo-
que abſq; ſenſu & motu eſſet, quicquid nervis,
illâ vertebrâ inferioribus ſubjiçeretur: ſtatue-
runt ideo confeſtim, ipſum cerebrum, hujuſque
vicariam ſpinæ dorſalis medullam, adæquatum
10 organum ſenſûs, ac motus. Alii verò Scriptores,
propiùs attendere volentes, cum cerebri ſub-
ſtantiam agnoſcerent, & faterentur ſenſu tactûs
orbam, nec moveri arbitraliter: Membranam
verò duplicem, Meningis nomine dotatam, acu-
tiſſimi eſſe tactûs, licet immotam: decrevêre o-
mnem nervum, utcunque exilem, duplici ejuſ-
modi membranâ obtegi, eamque ab utraque
Meningum cerebri mutuari: nervorum iſthanc
membranam (conſecutivè ſcilicet) formari ſub
unicâ plaſmationis operâ, & ſeminis fabricatio-
nis labore. Vſque adeò & hi voluere, nervum o-
mnem, ſuum ſenſum ab integente membranulâ
deſumere: nequaquam à ſui ſubſtantiâ, medul-
lari cerebri reſpondente. Notabant fortè, quòd 11
in ſtomacho, & utero, tantæ in nudis membra-
nis tamque excellentes virtutes inquilinæ eſ-
ſent: ideò nec mirum, Meningibus perſimile
quid contigiſſe, ex ejuſdem juris prærogativâ.
Ego quid aliter prorſus proceſſi, ad ſenſûs & 12
doloris inveſtigationem, motûs ſenſuſque or-
ganum, objecta, & cauſas. Conſiderabam pri-
mò, dum vulnus adhuc recens eſt, vix dolere:
mox autem, dum vulneris labra tument, æſtu-
antque; vulnus dolere acutè. Atque iterum, 13
dum ſua labra flacceſcunt, ſiduntque, vulnus
adhuc apertum, attamen eſſe penè indolens.
Vnde collegi, quòd continui ſolutio doleat qui-
dem in fieri eſſe: in facto eſſe autem, ſi non ac-
ceſſerit inconveniens, vix dolere ſolutum. Ra-
tus ſum itaque mecum; Non dolet ſolutio, tan-
quam continui ſeparatio: multóque minùs do-
let calor, perendiè in vulnere ſubortus; cujus
nempe proprium eſt, duntaxat calefacere, non
autem dolere. Sin autem calor aliquis externus,
aut peregrinus, in gradum delatus, cremet:
dolet quidem, at non ut calor: ſed ut ſolutiones
continui, atque inſuper indiſpoſitiones acri-
moniæ ſuſcitans, ac fovens ſaltem, prodiens-
que ex alia radice, noſtri œconomiam vitian-
te. Profectò, quia corpus, ſive pars ſolida, ex 14
ſe non ſentit. Quia potiùs eſt cadaver. Senſa-
tio ideò nimirum ad ſolam vitam ſpectat. Cum-
que Scholæ ſcirent, cerebrum nullam, aut ſal-
tem obſcuram vix ſenſationem habere: ma-
luere ideo nervum ſubjectum primarium cre-
dere ſenſûs, motûs, atque doloris. Cerebrum
videlicet, fontale quidem ſenſûs motuſque
initium: attamen nervum immediatum dolo-
ris ſenſuſque ſubjectum fecere. Motum autem,
licèt aliquid magis materiale, tamen voluere ex
altiori voluntatis arbitrio dependere, illique
ſubjici. Sic nempe, ut voluntas ſit principium 15
imperativum motûs: nervus autem organum

delativum imperii arbitralis: & tandem muſcu-
16 lus inſtrumentum exſecutivum voluntatis. Sed
ſenſationem intelligunt in nervo, tanquam ſub-
jecto, fieri mediante ſpiritu animali. Quem vo-
cant animalem, ab arteriis quidem hauſtum, at
in cerebro ad ſuos uſus recoctum. Agnoverunt
ideò, nervum per ſe quidem eſſe abſque ſenſu,
perinde ut cerebrum,ac cætera membra ſolida :
quamobrem ſpiritus animales volunt eſſe ipſius
ſensûs, atque motûs, primitivos ſentientes, at-
17 que moventes effectivos. Quibuſcum nondum
convenio : ut neque in hoc, quòd nervus ſit or-
ganum,atque primarium ſubjectum,omnis ſen-
ſationis. Nam quis neſcit, quòd in ſano quæli-
bet pars pellis ſentiat, non tamen ſubter ſe ner-
vum gerat ? Non enim concedo, quòd conce-
pto ſenſibili, in partibus extra nervum, ſpiritus
retrogrado motu recurrat in nervum, ut con-
ceptum ſenſibile communicet cerebro, tan-
quam ſenſuum origini; ut inde remeando, tum
demum in parte læſa, vel attacta, doloris, aut
complacentiæ ſenſus efficiatur. In terminis
namque, ureter ſummè dolet, abſque nervi ali-
cujus inſertione. Sic & ulcera cava, ſæpè carne
ſenſitivâ replentur : nec tamen in illa, nervi de
novo ſuccreſcunt : cum partes primæ conſtitu-
tionis, ſemel ablatæ, non recreſcant : uti nec,
quæ ſunt primæ conſtitutionis, per cariem exe-
ſa, ampliùs reſtituuntur.

18 Sed opportunè lepræ ſtupiditas, inſenſilitaſ-
ve, huc occurrunt. Siquidem in carnem ada-
ctum ſtylum, vel acum, penitùs non ſentiant.
An igitur credendum, leproſos nervis orbatos ?
Vel an illis ſint à carnoſa membrana nervi ab-
truncati ? ſpiritu animali privi, vitave orbati?
oppilatique,prout paralyticis dicuntur? Ergone
nervi tactûs, per totum corpus illorum, erunt
obturati, ſolique libero motui nervi illorum in-
ſervient ? erunt, inquam, motivi nervi, ſolo jam
19 ſenſu deſtituti ? Fateor equidem, ex anteriori
parte cerebri, ad oculos, aures, palatum, lin-
guam, nervos diſpergi, ſoli inſervientes ſenſui,
nec ad muſculos, velut propria motûs organa,
deflectere : ſed nemo quoque inficiatur, quin
nervi,motui dicati, & qui utrimq; per vertebras
egrediuntur,etiam ſenſum largiantur. Quid e-
nim,ſi in Lepra nervus,motus effector,per ſpiri-
tum animalem, jam motus ſit, nec tamen ſenſus
facultatem habeat? Cur ergo in Paralyſi,ſub læ-
ſione ejuſdē nervi,tollitur tam motus,quàm ſen-
20 ſus; in Lepra autem ſolus tollitur ſenſus. Inpri-
mis Scholæ tenent Lepram incurabilem,& can-
crum univerſalem corporis. Nam,dum putant,
cancrum particularem eſſe incurabilem, multò
magis univerſalem. Qui Galeni garritus ad hoc
compoſitus eſt, ut per ſanandi impoſſibilitates,
ſuas excuſet ignorantias, inſumendique laboris
pigritiam, ac inclementiam. Cancer enim in
carne eſt acutiſſimi doloris,& continuæ exeſio-
nis. Lepra verò eſt in carne indolens. Non vi-
deo ergo, qualiter Lepra apud Galenicos cancer
erit. Denique errat Paracelſus,qui Lepram exi- 21
ſtimat privatam omni ſale, atque hactenus illi
ſit proprius ſtupor inſenſilis. Quaſi ipſe ſenſus
tactus, in ſale ſolo eſſet. Nam Lepra ſua habet
ulcera: &, juxta eundem Paracelſum, totidem
ſunt ulcerum ſpecies,quot ſalium. Ergò,ſecun-
dùm ſuam ipſius doctrinam, Lepra fluit à ſale
abundanti. Donemus Paracelſo, (abſque veri ta-
men indagine,) excrementum alvi in leproſo,
ſcatere granulis ſalis, ejuſdemque lotium nil
quicquam ſalis marini ampliùs liquefacere :
(quorum tamen utrumque à Paracelſo eſt ſo-
mniatum :) non tamen iſtud argueret,carni,aut
ſanguini Leproſi, ſuum deficere ſalem ; multò
etiam minus, ideo carni ſenſum tactus deficere.
Nam primò, hæc de Lepra illius ſententia, pro-
priam doctrinam de tribus primis corporum
principiis funditùs evertit.Dein,prout in nobis,
quotidie ex inſipidis, & non ſalſis manifeſta
conficiuntur ſalia,lege digeſtionis humanæ:Sic,
quanquam digeſtionum excrementa non eſſent
niſi merum ſal, non tamen proinde cruor ſuo
ſale orbatus eſſet. Quippe qui ſuum ſalem,ſuæ-
que conſtitutionis neceſſaria, non mutuat ab
excrementis.Imò ſequeretur potiùs, cum Lepra
ſit tam abundans ſalis productrix in excremen-
tis, non defuturum etiam cruori ſuum ſalem.
Perinde, dum ex ulceribus fluit ſynovia conti-
nua, ac planè ſalſa,propterea reſiduus cruor ſuo
ſale non caret,aut ſenſus in carne non minuitur:
ſed potiùs, dolorem & acrimoniam auget. Sic
etſi in Hydrope aqua ſalſa confeſtim quando-
que abdomen diſtendat : non tamen ſenſu tra-
ctûs carent Hydropici. Paracelſus enim alibi 22
cruorem definit merum Mercurium humanum,
à quo ejuſmodi excrementa, ſpecie ſulfuris pu-
tridi, itemque ſeroſi, inutilis, ac ſuperflui ſalis,
ſint ſequeſtrata. Aliàs iterum,ſui immemor,ſan-
guinem definit ſalem rubini. Quaſi ſal eſſet
tinctura rubini, aut tinctura cruoris è ſale foret.
Etenim tria prima facit ad lubitum volubilia,
non ſecus atque Humoriſtæ ſuos humores &
calores ad lubitum accuſant : eoſdemque quòd
magis eſt, cauſas ajunt morborum & mortis :
ſed & ſenſationis, ac motûs authores. Phy ! ſic-

cine ludendum ad lubitum cum naturâ,morbis,
cruore , & morte proximi ? Medicina namque
res planè ſeria eſt; & quandoque pellem pro pel-
le daturus homo. Etenim ſal in cruore , carne,
ſolidis, &c. non apparet, niſi in poſtremâ ac ar-
tificiosâ initiorum illorum ſeparatione , poſt
mortem,& quidem per ignem. Nimirum poſt-
quam ſenſus tactûs, dudum eſt extinctus. Non
inſerviunt ejuſmodi principiorum ſomnia,ſpe-
culationi de motu, ac ſenſu. Stigma, à Diabolo
ſagis impreſſum , has prodere ſolet , quia locus
ſtigmatis,per totam vitam, ſenſu caret , ſuaſque
ſemel impreſſum cauſas inſenſibilitatis habet
naturales, per modum Lepræ,certo tamen exi-
lique centro conſcriptas.Nam,velatis ſagæ ocu-
lis, ſi acicula, iſto ſtigmatis loco,ad finem uſque
intrudatur , punctura illa fit abſque ſenſu. Sal-
tem is locus,abſque ſale ac putredine,miro con-
ſervaretur privilegio,per totam vitam,cum alio-
qui vita Paracelſica ſit mumia , cum liquoris ſa-
lium commiſturâ : longè igitur ſanior eſt Hip-
pocratis doctrina , quæ ſpiritum ſive flatum æ-
thereum , & animalem, decernit immediatum
organum ſenſus , doloris , motus , voluptatum,
convenientiæ,ſymboli,attractionis,repulſionis,
contracturarum,relaxationis, alteritatum etiam
quarumcunque.Adeò ut ſibi appropriet objecta
ſenſibilia, atque inde ſibi fabricet ipſas ſenſatio-
nes. Contingit namque, ſi forſitan ſpiritus iſte,
ob profundas ſpeculationes vel inſaniam, occu-
petur,quòd corpus dolores non ſentiat, famem,
frigora, ſitim,&c. Memini namque prædonem,
torturæ cruciatus eluſiſſe , hauſtu aquæ vitæ , &
allii fruſto: quibus tandem carens, faſſus eſt ſua
23 crimina. Sed Lepræ ſtupor, ac inſenſilitas, eſt in
carnis habitu ac nervis ſubjectivè : non autem
in imaginationis orbita ; effectivè autem, ac oc-
caſionaliter , in quodam veneno. Eſt autem
iſtud venenum, cruentum anodynum, glaciale,
ac propemodùm mortificans,horrendo ac fœti-
do contagio communicabile , ac emanans.
Quorſum Sacra , Lepram è cœtu hominum ſe-
queſtrandam jubent. Incipit autem hoc vene-
num glaciale ab extra,ſentiuntque ideo internos
dolores : itemque frigus externum , & calorem.
24 Non tamen vulnera,aut ictum. Eſt Pſora,ac ſca-
bies multiplex ; atque lues Veneris, veneno in-
quinante infamis : Sed differunt ſpecie,tam na-
tura veneni,quàm ſubjectorum diverſitate.Sca-
bies nimirum , pellem duntaxat inficit. Sic ut
cutis nequeat alimentum ſibi deputatum in
propriam vertere alimoniam : ſed pleramque
ejus partem , in ſalſum contagioſumque ichor
traducat. Quod ſcilicet eſt de proprietate pru-
ritivi , atque urticalis ſalis , &c. Idcirco ſcabies 25
non poſtulat interna remedia : ſed ſola topica,
quæ iſtud pruritivum ſal ſunt enecando. Lues
Veneris verò, cruorem præcipuè affectat vene-
no mordaci,purulento,ac putrefaciente. At Le-
pra reſpicit ſpiritum influum maximè , veneno
anodyno glaciali. Indulge,Lector,quòd verbo- 26
rum penurioſa ſupellectile,cogar uti paronoma-
ſià. Quia ut rerum eſſentiæ nobis ſunt ignotæ
à priori , iiſque ideo deficiant nomina propria,
cogimur à proprietatum ſimilitudine , veneno-
rum conditiones in morbis mutuare , atque de-
ſcribere : ut ſi non *Propter quid* , ſaltem *quia eſt*,
definitio procedat à conſanguineis. Sic dico,
venenum Caduci eſſe cum adſtrictione inebria-
tivum,ſoporativum,ſimulque ſyncopizans ; nec
ideo contagioſum : quia intrinſecum , nec fer-
mentale. Sic Lepra,venenum habet anodynum,
non quidem ſoporativum : ſed glaciale , prope-
modùm mortificans , cum infectione ſpiritus
ſenſitivi, ideóque potenter contagioſum,præci-
puè in regione fervidâ ac ſudoriferâ.Prout enim
frigus tollit ſenſum tractus,conglaciando,& ab-
igendo vires introrſum : ſic quoque Lepra ſibi
elegit,atque paravit anodynum, non frigefacti-
vum ac ſoparativum : ſed alio titulo glaciale.
Non ſecus atque perniones ulceribus forantur,
tanquam ſi igne ambuſti : qui tamen ſæpè ante
vel poſt hyemem obveniunt iis , qui totâ hye-
me, in hypocauſtis nullum ſenſere frigus. Ve-
nenum Lepræ itaque , hac in parte frigori effe-
ctualiter correſpondet , licet non in qualitate
primâ elementali.Neque ideo Lepra etiam tota-
liter mortificat,per modum Gangrænæ: ſed tan-
tùm partem,quam ulcere ſigillat. Imò nec etiam
inde ſe procul dilatat confeſtim, quia eſt ex ve-
neno glaciali conſtringente , inſenſilitatis au-
thore. Eſt autem difficilis ſanationis , propter 27
contagium glaciale, ac ferme mortificans, ſpiri-
tuſque ſenſitivi oppreſſivum. Quoniam,quate-
nus intimè confermentatur ſpiritui ſenſitivo,
dum ad extrema emanaverit: ideò tollitur diffi-
culter , niſi per remedia acceſſum habentia , ad
prima noſtri penetralia : ut nimirum ita ſpiri-
tum vitæ confirment,quo poſſit ſuperare præfa-
tum venenum,ſimulque novo Vere,ſuffundere
glaciem præcedentis Hyemis. Ac quanquam
iſtud venenum ſit fermentale , ratione veneni :
ideóque etiam exiguâ ſui quantitate , conetur
ſerpere in omnia deinceps : non eſt tamen a-
ptum,ut adæquatè ſpiritui confirmentetur,pro-
pter vim atque nobilitatem pugnacem ſubjecti,

in quod recipitur, conſtringentemque, ac torpidam ſegnitiem glacialis indolis. Iſta eſt nempe in contagioſis differentia: quòd quorundam venena recedant, ac ſeparentur ſponte vel arte, deſerantque corpora à ſe infecta: aliorum verò, nulla ſpontanea ſperetur diviſio. Lepræ etiam glacies, magis obſidet exteriora, quia glaciale malum eſt, & à calore innato foràs protruditur: idcirco namque, magis aſtantes extrorſum contaminat, quàm interiora viſcera, ſecum contigua radici, in unitate vitæ. Nemo autem medentum curavit unquam Lepram, qui non fuerit potitus liquore Altaheſt. Qui cum ſit tædioſiſſimæ præparationis, nemo, etſi artis gnarus fuerit, ad ejus conſecutionem perveniet, quem Altiſſimus, ſpeciali dono, non eò deduxerit. Particulari etenim privilegio ſit oportet electus, ac dotatus, ſi potiri illo medio debeat. Per quod ſcilicet, tam ſenſitiva, quàm inſenſitiva ſublunaria, æqualiter penetrantur, uſque in radicem ſeminalem, atque intrinſecam primi entis: idcircò etiam cuncta ſub ſe domat, & commutat, abſque reactione patientis, agentiſque depauperatione. Etenim fruſtra eſt alioqui, quicquid ſpei aliunde ſibi perſuaſerit Lepra. Olim proin Leproſorum, ſoli Meſſiæ in ſignum data ſanatio. Primogenita mea adhuc quinquennis, leproſa evaſit, magis magiſque: ac tandem ulcera livida, corneæque ſquammæ albæ, per totum corpus ſubnatæ ſunt. Recenter autem tum emerſit imago D. virginis, multis miraculis in noſtrâ urbe, hoſpitali D. Iacobi, celebris. Puella ergo, jam ſeptennis, optabat adire locum, & avia cum ſua nepte, eò properant, reditque poſt horam ſana, deciduntque confeſtim ſquammæ. Mox poſt annum, rediit repentè eadem Lepra. Ac faſſus ſum me reum, quòd honorem D. Virginis ſubticuiſſem. Redit itaque filiola cum aviâ ad ſacram imaginem, iterumque ſanata rediit, & ſic deinceps manſit. Ego autem reditum Lepræ timens, miraculum propalavi, ſcriptóque publico faſſus ſum favorem, atque clementiam Divinam. Cui ſit omnis laus & gloria, cum nominis ſui ſanctificatione in æternum! Dixi jam
28 ex mente Hippocratis, ſenſationem tam effectivè, quàm ſuſceptivè, conſiſtere in ſpiritu animali. Sed quia ſpiritus ejuſmodi omnis mortuus eſt, ac cadaver, niſi à vitâ ipſa illuſtretur: & quia ipſa vita, in illo ſpiritu, non eſt illi propria, atque inſeparabilis: ſed vita eſt à ſpiritu vitali, ſive animali, (utrumque nunc confundo in nomine,) toto ſubjecto diſtincta; (quod alibi de vita longâ, manifeſtius:) ideò inprimis liquet, quòd ſpiritus ille vitalis non ſentiat immediatè; ſed ſit ipſamet vita, quæ propinquiùs & immediatiùs ſentit, ac dolet in illo ſpiritu. Enimverò demonſtravi in tractatu *De* 29
formis rerum, quòd vita, ſive forma rerum, ſit quædam lux, ſpecialis creatura, lucens in ſuo hoſpitio, per omnes partium ſatellites; non ſit tamen ſubſtantia, neq; accidens, utcunque præ tantâ rei novitate, crepet Schola Peripatetica. Quod paradoxon, per Matheſin demonſtravi, & Mechanicè, libro *Elementorum*. Adeóque hîc aſſumto, ut ſat alibi probatum. De ſenſatione ergo, atque ſenſu, loquar multò propinquiùs, quàm Hippocrates: ut, ſi ſenſatio olim fieri dicta ſit, cum paſſione corporis, in quâ ſpiritus impetum faciens, recipit impreſſionem rei ſenſibilis, quæque ideo abuſivè dicitur ipſamet ſpecies ſenſibilis: intelligamus modò, hanc impreſſionem unico momento, eodemque puncto, inſinuari vitæ, ſibi inexſiſtenti. Sub quâ nempe inſinuatione, applicatione, ac adaptatione, tum primùm oritur ſenſatio, facta in ipſa vitâ, & per vitam. Cujus videlicet vitæ proprietas inſeparabilis, ſit ſenſus ipſe. Cumque vita non ſit corporis, nec corpori propria, nec corporearum denique proprietatum ſoboles: ſed ex dono Creatoris, lux adveniens, ſupra ſortem elementorum, & cœlorum: hinc quoque ſenſatio non eſt corporum, nec materiæ, nec ſolutionis continui, &c. ſed proprietas planè vitalis, de ipſo vitæ trunco. Sicut etiam non ſat eſt, eſſe oculum, medium, ſpiritumque vitalem, ut fiat viſio: ſed inſuper exigitur applicatio ſpiritûs viſualis ad vitam. Ideóque effectus videndi, utut prorſus ordinarius, ſuperat totam naturam elementalem: quia vitæ ipſius continet iconem, ac ſymbolum: eò quòd viſio, guſtatio, odoratio, tactio, &c. ſint effectus immediati vitæ, ludentis per ſua organa: nam in omni ſenſu neceſſe eſt, ſpirituum lenocinia, & perceptas rerum ſpecies, adaptari immediatè ad vitam, ſi ſenſationes contingant unquam. Enimverò in re tam ar- 30
duâ, ſemotaque tam procul à communi doctrinâ, concede, Lector, ut adhuc viciniùs tecum loquar. Percepiſti enim, non ſufficere ad ſenſum ac ſenſationem, dixiſſe, Cerebrum, itemque Nervum, eſſe immediatum ſenſûs organum: nec etiam ſat eſſe, ad hoc imploràſſe ſpiritum influum, imò vel ipſum ſpiritum, partibus inſitum, quatenus ab influa cerebri aut nervorum vi fotum; niſi ad cuncta hæc, vita concurrerit. Tantæ nempe eſt molis ipſa ſenſatio, ut omnium ſublunarium ambitum, cum tota cœlorum ac elemen-

elementorum poteſtate, facilè excedat. Itaque
cum iſtud jam perceperis, dicam ulteriùs. Quæ
enim de vita jam dixi, toto libro *De vita longa*
(ad quem propediem emerſurum te remitto) di-
xi, quàm varie gliſcat vita in natura, videlicet
quaſi ſeminaliter in ipſis ſpiritibus vitalibus; in
31 ipſa verò anima ſenſitiva, velut fontaliter. Id-
circo propriè loquendo de ſenſu & ſenſatione,
ipſa anima ſenſitiva eſt primarium, nec non im-
mediatum ens, quod ſenſationes omnes agit, &
agendo in ſe tolerat. Ideóque ſpiritus cerebri eſt
duntaxat organum mediatum: vita verò eſt or-
ganum ſive medium, quo ſenſitiva anima per-
ſentit externa irruentia. Senſatio namque, non
eſt immediatè in contento, nec in continenti-
bus, nec etiam in ſpiritu, per nervos in partes
vitales diffuſo: quia differt ille ſpiritus, impe-
tum faciens, ab anima ſenſitiva, non ſecus ac
materialis fumus pinguis à flamma, per quam
accenditur. Aſt anima, mens immortalis, tota eſt
humanis conceptibus inpervia: quatenus eſt ſi-
mulacrum ipſiusmet incomprehenſibilis Dei.
Anima autem ſenſitiva, quanquam ſemine oc-
caſionali incipiat in natura, id eſt, diſpoſitivè:
attamen, cum ſit illius imaginis proxima ima-
go, tota quoq; eſt humanitus incognita, & pror-
ſus jejuna. Idcirco nimirum, nec poteſt per cau-
ſas definiri: ſed tantum abſurdo reflexionum
circulo, ad ſuas actiones, & proprietates deſcri-
32 bitur. Ut ſcilicet ſenſitiva anima ſit lux formalis,
cui primariò vitæ ſenſitivæ proprietates conve-
niunt: in homine autem, ſubſterniculum atque
hoſpitium ſit animæ immortalis, atque imme-
diatum ſyndeſmon, cum creatis corporeis præ-
ter ſe. Iſti ergo animæ eſt adhuc remotior aſpe-
ctus, relativus ad vitam: cum vita & anima ſint
diſtincta, tanquam abſtractum, & concretum:
vel potiùs tanquam entis proprietas, & ens i-
33 pſum. Anima ergo iſthæc per vitam ſentit, in
ſpiritibus animalibus, videtque immediatè in
ſpiritu optico, qui in pupilla habitat, conceptas
ſpecies viſibiles. Spiritus enim opticus ibidem,
eſt ſpeculum diaphanum, cujus lux eſt ipſamet
ibidem præſens anima ſenſitiva, ſedes, atque pe-
34 diſſequa mentis immortalis. Idcirco non eſt o-
pus recurſu ſuſceptarum ſpecierum ſenſibi-
lium, per nervos, ad cerebrum: ſed anima im-
mediatè præſens, vim omnem ſpiritui optico
de ſe elargiens, ipſa cernit, atque diſcernit. Cere-
brum verò, eſt tantùm officina, & condus iſto-
rum ſpirituum. Quare nervi non deſerviunt
deferendis ſpeciebus, in ſenſatione hauſtis, ad
cerebrum: ſed irrorandis ſpiritibus, in cerebro
illuſtratis, ad partes refocillandas, & confirman-
das, quibus ipſi inſeruntur. Nec eſt etiam ſen-
ſuum externorum par ratio, prorſus cum po-
tentiâ phantaſtica, & ſuis ſororibus. Nam ſpe-
cies ſenſibiles, exteriùs perceptæ ab anima, abſ-
trahuntur à ſenſibilitate; atque tum demum
tanquam de materia ex qua, cuduntur inde ſpe-
cies in imaginem rei ſenſibilis. Alioqui ſenſiti-
va externè intrantia, concipiuntur concreto
modo, in organis ſenſuum, ac proinde non tan-
tùm diſplicent; ſed jam nunc etiam dolent. De 35
ſede animæ autem, variè pro corde & cerebro
eſt diſputatum. Ego autem putem, animam ſen-
ſitivam, ſeminibus ſuis conformem, actuq; rea-
li, diſtingui à mente immortali, ſimulacro divi-
nitatis: Senſitivam tamen (quæ eſt homo carna-
lis vetus, Adamicus, & lex carnis) utrobiq; non
diſtingui à luce formali, ac vitali, nec ſedere im-
mediatè in ſpiritu influente, qui totus nimirum
labilis, atque fluxus. Spiritus autem, qui organis
mox à prima conſtitutione inolevit, etſi vivat
vita ultima ſeminum: nondum tamen verè
vivit vitâ mediâ animali, (quæ ſenſitiva eſt) do-
nec lumen vitale, ſuperveniens, actualiter luxe-
rit. Cujus diſpoſitiones gradatim quidem præ-
mittuntur: ſed tamen inſtanti unico, à divina
bonitate Creatoris illuminantur. Prout libro *De
vita longa*. Non ſecus namque id contingit, atq;
in conflictu ſilicis ad chalybem. Lux ergo indi-
cibilis à Creatore rerum omnium accenditur, in
ſpiritu viſcerum nobiliorum: ac primò quidem,
in Corde. Quæ lux, ut ſenſim vires acquirit, po-
tentiùs dilatatur; non aliter quàm candelæ fu-
mus inferioris, flammam viſibiliter, de ſuperio-
re dimiſſam, ſuſcipit. Adeò, quanquam organo
officiorum diverſitatibus diremta ſint, inſervi-
unt tamen mutua conſpiratione neceſſitatibus,
& finibus, Domino Creatori, præfixis. Eſt atta-
men omnium viſcerum, & membrorum, unica
tantum chelys, continuata homogeneaque vita,
ac anima ſenſitiva: quæ in ſingulis quaſdam de-
terminationes, ſive proprietates, quas per ſemi-
na ſibi præparaverat, ſuſcipit, & mox dein in-
duit. Etenim, ut flamma candelæ non exten-
ditur ſupra, vel extra ſuam ſphæram; nec per-
it, quamdiu intra ſphæram iſtam degit, licèt
inde exortæ fuligines longiùs avolarent extra
ſphæram, flammæ expertes: Ita ſimiliter, ſpiri-
tus influi, licèt participatione vitæ illuſtrati
difflentur, peregrè vadant, atque idcirco mate-
rialiter in condo minuantur; imò & hactenus,
luminis vitalis flaceſcat vivacitas; nil tamen de
animæ ſenſitivæ eſſentia perit. Quoniam vita

non acquiritur per partes, & gradus, ut neque
ſubſiſtit, accidentium inſtar: ſed ſemper eſt vita;
quanquam in iſtâ luce, plus minuſve vivacitatis
appareat. Non ſecus enim atque ignis,
ubi aliquantillus, tam eſt ignis, quàm intenſus
alter: Pariter & quicquid exhalat de corpore,
vitæ participatione anteagaudens, vitam tamen
amittit, ſimulatque extra ſui limites egreditur.
Servant ſic quoque excrementa, non quidem
vitam, ſed ſpirituum vitalium conparticipationem.
Quapropter etiam inde, inferioris harmoniæ
ordo in ataxian labitur. Juxta illud:
Spiritus meus attenuabitur, ideóque *dies mei
abbreviabuntur*. Immoderatior itaque puris
evacuatio, ac ſimilium, feſtinam necem adfert.
Quatenus quidem non animam continent: ſed
duntaxat vitam ultimam ſeminalem ſpirituum
vitaliū. Etenim de proxima inexſiſtentiâ mentis
immortalis, ſive divini ſculptri, ſub Judice
adhuc lis eſt, inter cor, & cerebrum. Ego enim,
qui ſcio, etiam empſychoſin fieri, eo ipſo inſtanti,
quo ſenſitiva adeſt; id eſt, dum accenditur
iſtud formale, animale, & ſenſitivum lumen:
(prout alibi *De ortu formarum*:) credo
etiam, adeſſe mentem immortalem, eamque
totam ſedere immediatè in anima ſenſitiva,
tanquam aſſociatâ. Non quidem ſedere in aliquo
corporis angulo, viſcere, ergaſtulo, aut ſpirituum
officinâ. Sed puto, Mentem eſſe per totam
animam ſenſitivam, hancque penetrare,
neque ejus ſphæram, quamdiu vivitur, excedere:
atque hactenus multis ſubjacere circumſtantiarum
importunitatibus. In morte autem
ſeparatur Mens: quia ipſa ſenſitiva, tanquam
36 lumen candelæ, in nihilum abit. Quæ hic ſanè
prægustanda erant, ante ſenſationis explicationem.
Dolor itaque, ut maximè ſenſibilis, nobis
viam aperiet. Eſt enim noxia atque triſtis ſenſatio,
in ſpiritu vitali concepta, per vitam inſerta
animæ ſenſitivæ. Ac proximè loquendo,
Senſus eſt animæ ſenſitivæ paſſio, in ſpiritu vitæ
concepta. Nihil namque lætari, triſtari, vel
dolere poteſt, præter animam ipſam. Adeóque
ſenſus, cum ſit doloris vel complacentiæ prima
conceptio, omninò fit in anima primariò. Ideóque
ſenſus nil, præter illam animæ poteſtatem,
concipiendi, & judicandi paſſivè, de externis
irruentibus, mihi repræſentat. Itaque, quandoquidem
hæc pendent ex anima, cujus tota hiſtoria
nobis cœca eſt: non mirum, hactenus à
Scholis, non niſi oſcitanter, de anima & ſenſatione
actum. Quippe quæ longè manifeſtiorum
inquiſitiones tranſilierunt intactas; imò,
ſubſcribendo Ethnicorum ſomniis, per ignaviam
neglexêre. In dolore ergo, anima irrationalis
ſenſitiva triſtatur, furit, iraſcitur, anxiatur,
prurit, timetve primariò: atque, ut eſt radix
fontalis actionum omnium vitalium, muſculos
non tantùm, ſed & partes quaſvis, naturaliter
movet, ac contrahit ad ſuarum paſſionum
tonum. Senſus itaque, eſt externorum 37
ſenſibilium actio; quæ dum concipiuntur in
anima, patitur ipſa quoque non minùs quàm
ſocia vita, ſpiritus animalis, ac reliquum ſatellitium.
Mens autem immortalis nil quicquam,
in ſui ſubſtantiâ, horum patitur: ſed tantum in
ſubjecto, ſede, hoſpitio, animâ nempe ſenſitivâ.
Alioqui cuncta ſimul ſublunaria, invalida
ſunt nimium, quàm ut immortale ens, deinceps
duratione æternum, queant afficere. Atqui 38
minutulum eſt adhuc, quod ſenſitiva anima à
ſenſibilibus patitur; niſi ipſa ſibi velut hoſtilis
fiat, dum impatiens exorbitat. Inchoat nempe
agere, dum per ſenſibilia irritatur, patiturque.
Siquidem ſpiritum vitalem, totumque corpus
concutit, ac demum vitalem ſuppellectilem
prodiga diſſipat, ſibique morbos parit, ac necem
accelerat. Ut etiam hinc verificetur proverbium,
quòd nemo magis lædatur, quàm à
ſemet ipſo. Adeóque à conceptis ſenſibilibus,
(uti anima ſenſitiva merus actus eſt, ſemel ſtimulata,
(eſt namque tota irrationalis, brutalis,
iraſcibilis, ac concupiſcens) in furias transſilit,
& ſymptomaticè, ſive furioſè, cuncta concutit.
Senſibilia ergò, læſionum atque morborum occaſiones
ſunt: Anima verò ſenſitiva, eaſdem
occaſiones perſentiens, nec ferre volens, ſuos
variè concitat miniſtros, impreſſiſque ideis à
ſcopo alienat. Unde dein varia morborum ſemina,
ac proles. Anima ergo tolerat, patiturque
præfata, ab objecto ſenſibili; unde per ſenſationum
ſtimulos agitata, agit, patiturque demum,
quatenus prodiga, ſuam furens diſſipat
œconomiam, Dumque ſentit ſuavia, plauſibilia,
juvantia, & ſibi grata, non eſt in hac ſui ſenſatione
differens à judicio, quo ſentit noxia
corroſiva, pungentia, lacerantia, contundentia,
non niſi per accidens, planè externum ipſi vitæ.
Unde facilè dignoſcitur, quòd ſenſus fiat
per judicium animæ ſenſitivæ, delatæ ſuper
conceptum ſenſibile, alterantis primùm per ſe,
juxta conceptam ſenſationem deinde deportat
ulteriùs ad aliud judicium phantaſticum, à ſenſitivo
judicio ſemotum non aliàs, quàm ſenſus
ac phantaſia, facultatibus diſſident, non autem
ſubjecto. Parcite, Lectores, ſi perturbationes, &
affe-

affectiones materiales omnes, immediatè tribuam animæ ſenſitivæ,ſuiſq; ſatellitibus ſpiritibus: non autem ipſorum organis. Sunt quippe quædam titillantia; quæ pruritu, ac odaxiſmo, riſum, atque ſubſultum concitant in aliquibus, quæ in aliis ne minimum horum commovent. Nam non rarò, intus obtenebratur anima, naturali ſenſatione, contriſtaturque, vix agnito ſubjecto: imò alibi delirat: atque alibi anima ſenſitiva fit inſenſitiva, ut in caducis pro tempore, in paralyſi autem, ſæpe ad vitam, ſaltem in læſis organis, etiam adhuc viventibus. In multis autem abſque ſenſu, judicio, ac ratione, licèt ſpiritus animales emanent, ac, in habitum diffuſi, moveant, & noxias alioquin impreſſiones interim hauriant. Sic ſuus eſt vitæ, atque illius ſenſitivæ animæ torpor, amentia, atque moleſtia intus, etſi nil extra quatiat, aggravetque. Quippe cum & in ſomno ſtulta ſua ſit libido, fames, ſitis, metus, agonia, miraque inſomniorum irrationalium diſſoluta libertas. Quinimò mutantur ſtatim amica, in mixta, neutra, vel hoſtilia: quatenus Archeus, nunquam ferians, aut otioſus, è ſuavibus, amara, vel exedentia facit. Concipit namque (ut dixi) anima, res ſenſibiles, medio ſatellitii, & clientum, quibus ipſamet præſens adſiſtit, ac per applicationem ſibi iram concitat, triſtitiam, amorem, metum, &c. quarum nempe idearum characteres format ſigillariter in Archeo ſuo, per quem ſingula commutat, juxta imaginem ſeminaliter ſibi propoſitam. Qui characteres, animæ ſenſitivæ irroratione, vitæ, atque ſenſûs participes, veſtiunt primò corpus ſeminale, ex Archeo, unde tandem promtiſſimæ ad agendum vires ſubnaſcuntur. Fitque in his quandóque adeo promta & pertinax affectionis perſeverantia, quod ſpecimen admirationis ſpeculanti exhibeat, præſertim, ſi vitæ, ac ſpiritualis ſeminis attributa quis examinet. Etenim quàm citiſſimè pueri, mulieres, & inprovidi, iraſcuntur, flent, ridentque? Nam illorum ſenſitivæ animæ recenter, ac velut immediatè, rebus ſenſibilibus quaſi adhærent. Naturale itaque eſt, quod ſpiritus ſenſitivus ſpontè, atque facilè, in hujuſmodi exundationes feratur: quia anima illa, facilè à ſenſuali ſuo judicio recepta, labitur in paſſiones ſpontaneas ſpirituum materialium; Ac, ut vel à puero, iſthæc inoleverunt: ita deinde iracunda, furioſa, & tota ſymptomatica, anima iſta adoleſcit, quæ aliàs longè tutius, ſub manſuetudine cuncta perageret, quàm quod præ furiis, in morbos, propriamque ſubinde internecionem, adſpiret. Quod frequens ac manifeſtiſſimum eſt, in uterinis exorbitationibus, aut ſymptomatibus quorundam vulnerum, aliorumque morborum. 39 Ira igitur, furorque hoc loco, non ſunt hominis; ſed animæ illius ſenſitivæ, in vitam delatæ, naturalis ſenſationis thymoſes patrantis, quæque proin non rarò, in tantum culmen adſcendit, ut eſcharam urat, partemque, inſtar ignis, ſphacelo ſideret. Dolor itaque, indubium ſenſûs tactus pathema, in quo anima ſenſitiva exprimit objecti diſplicentiam, juxta injuriæ conceptæ differentias partibus illatæ. 40 Porrò an iſtud pathema ſit judicialis poteſtatis functio, unde anima proprio etymo, ſenſitiva nuncupatur: non ſecus atque facultas motiva, ſolo animæ nutu, movet, abſque excitatore externo, aut peregrino. An verò dolor ſit pathema, productum immediatè à cauſa dolente ſenſibili. Scholæ indagare potuiſſent, ſi illas, tanta veritatis indagandæ, quàm recipiendi ab ægrotis ſalarii, cura tetigiſſet unquam. Penes me autem res iſta dudum dubio caruit. Siquidem cum doloris ſenſus ſit judicium animæ, per ſenſationem, in facultate ſenſibili expreſſum, quo anima plangit de objecto ſenſibili, nocuo, ac dolente: Idcirco utrobique ferè concurrunt ambo ſimul connexa: & utrumque etiam ſuo ſe habet modo, ad dolorem. Nimirum cauſa ſenſibilis injuria, eſt motiva doloris: ipſa verò anima ſenſitiva, judicium fert de objecto dolorifico, cum quadam pathematis excandeſcentia, ac impatientia. Quod quidem in vulnere, contuſione, tenſione, ambuſtione ac frigore, quatenus cauſis externis eſt prorſus obvium. Dum autem jam, vel ab præfata externorum impreſſione, vel propriâ intus exorbitatione, motrices cauſæ dolorum applicatæ ſunt, fitque inde ſpiritus ſenſitivus, totus acer, rodens, mordax, degener, formatque cruorem ſibi parem: Tum ſcilicet, anima ſenſitiva, nedum judicium ſimplex de dolore fert, dolendo: ſed inſuper, ipſa in ſe tota conturbata de ſe novum parit productum dolorificum, non ſecus, ac ſi illud è cauſa externa occaſionali prodiret. Et quanquam hæc ambo, in majori pathemate, ac graviori ſenſatione, plerumque concurrant: attamen propriè loquendo, dolor magis intimè reſpicit cenſuram, ab anima ſenſitiva patiente latam: ſive, propinquiùs ſe reflectit dolor ad proprietatem animæ, quàm ad cauſam dolentem. Multi quippe graviter vulnerantur, citra manifeſtum dolorem: prout & furioſus, dolores ſe vix ſentire, ex cauſis

noxiis, oſtendit. Quædam etiam ſæpè torturæ dolores eludunt, & inuncta etiam dolores fallunt, licet partes injuriâ vapulent. Quare ſenſus, magis intimè, ac propriè, reſpicit cenſuram poteſtatis animæ ſenſitivæ, quam injuriam cauſæ dolorificæ. Enimverò præfatæ indolentiæ ergò, in Lepra, & immobilitatis in
41 Apoplexia, &c. divertor aliò. Equidem Scholæ pro ſenſationis ac doloris primario organo cerebro certantes, notant ideo cerebrum, propriâ idiopathiâ, immediatè, unoque velut ictu tactum, perdere etiam ſenſum ſimul, & motum: imò alterum latus contrahere. Fiendi autem modum ſic exprimunt. Quartus cerebri ſinus (ſinulus perquam exiguus) initio ſpinalis medullæ, à cerebello incipiens, obſtipatur per
42 pituitam; unde inſtantanea apoplexia. Natura enim nolens, aut non valens retrotrahere, aut reducere ejuſmodi pituitam eo ſemel delapſam, ſedula ſaltem ſatagit, illam pituitam in alterutrum latus illius canalis deponere. Unde conſequenter illius lateris paralyſis orditur. Hæc quidem lego de Apoplexia, ac Paralyſi: nil tamen de contractura, per ictum capitis oriundâ. Paracelſus quoque non contentus hac ſomnolentâ trium morborum doctrinâ, inconſtans etiam
43 volvitur. Nunc enim ait Apoplexiam, atque inde ſubſequentem Paralyſin, naſci, eò quòd ſenſitivus ſpiritus in nervis, aquæ vitæ inſtar, flammam ab igne Ætnæ contraxerit, fodinarum ſulfurearum more, lege microſmicâ. Quâ dein phlogoſi, nervi atque tendines, velut aduſti, cremati, ac velut ſemimortui, exſiccantur cum muſculis, manentque ideo deinceps ſenſu atq; motu privi. Conſtituit nimirum hos duos morbos (de contractura ex ictu nil cogitans interim) non quidem in capſa cerebri: ſed in extremis nervorum ramis, tanquam ſi eſſent affectus, ab externo introrſum properantes. Alibi verò, non ſulfuroſum quippiam, aut phlogiſton, cenſet Apoplexiæ cauſam: ſed accuſat duntaxat Mercurium (unum nempe de tribus, quæ ſua vocat naturæ initia) nimis exquiſitè circulatum, ſuâ exuberanti ſubtilitate, inſtantaneæ cujuſque mortis cauſam, continentem aſſerit. Alibi, ad cœlorum ſtellas Apoplexiam revocat. Atque alibi rurſus varians, docet omnem Apoplexiam fieri è craſſis vaporibus, arterias gutturis, & irrequietos pulſantes canales, obſtipantibus: eſſe quoque eclipſin lunarum cerebri in nobis,
44 neceſſitate microcoſmicâ. Vertiginis ideo pariter cauſas ad incerta circumrotavit, totus nempe ipſe vertiginoſus. Ego autem aliter proceſſi. Quicquid primariò ſentit, idipſum eſt doloris primum ſuſceptivum, atq; efficienter efficiens. Sed gladius, ictus, contuſio, corroſiva, &c. ſunt quidem occaſionalia, vel inſtrumentalia effectiva: non autem efficientia primaria doloris. Dein, cum dolor plerumque in inſtanti naſcatur, etiam is, qui per externa excitatur. Ergo ad dolorem, non eſt opus recurſu ad cerebrum, ut per reflexionem, velut conſulto, opus habeat. Quapropter Scholæ, parùm à cerebro recedentes, maluerunt nervum accipere, pro primario organo, perceptivo objectorum ſenſus, quatenus vel radio luminis, vel materiali ſpirituum irroratione (nondum enim ſe determinarunt in pleriſque) à cerebro, continuò dimiſsâ, adſperguntur. Adeóque cerebrum denegare ſenſum atque motum inferioribus, niſi per mediatores ſpiritus ſuum favorem inceſſanter inſpiret. Aſt & in hoc multas reperio anxietates. Inprimis exploro 45
diverſos tactus in homine. Nimirum ſingulares penè, in membris ſingulis: imò in inteſtinis, aliiſque partibus, omni fermè nervorum conſortio deſtitutis. Quales ſunt ipſi dentes, quorum etſi radicem nervulus tangat, non tamen ipſos exteriùs dentes; quos tamen ſentire, inviti multi teſtabuntur. Sic ureteres carent nervo, ipſumque cranium, ſub terebra trepani, ſenſum mirificum, in pedum uſq; digitos, reſonat. Credidi itaque, non poſſe ab unico & communi fonte cerebro, vel univocæ texturæ nervo, tantam diſtribui unius tactûs latitudinem. Suppoſui itaque, quod antè jam probavi, ſenſum primariò, in anima ſenſitiva, ubique præſente, atque eatenus etiam proximè in ſpiritu inſito partium, reſidere. Idq; eò audaciùs aſſerui, quòd cerebrum ipſum, influi ſpiritûs officina, tam ſurdo atque anomalo tactu polleat, quod ſine ſenſu putatum ſit. Ergo vel ruit axioma: *Propter quod unumquodque eſt tale, illud ipſum eſt magis tale:* vel cerebrum non eſt primaria ſedes & fons tactûs. Denique, dolor omnis fit in loco, & quaſi ex tempore ſentitur. Ergo & tactus fit in loco, & non poſt factam denunciationem ad caput. Quinetiam in natura, vel in rotundo ſaltem, non eſt dexterum & ſiniſtrum: atque adeò nec poteſt per lapſum, pituitæ ſervari latus in Paralyſi, niſi in unica medulla ſpinali, maximè in ejus initio, per longum ſint duo canales, lateris neceſſitatem continentes. Quod eſt ridiculum cogitaſſe ſaltem, præſertim in exili illa quarti ſinus cavitate. Siquidem motus & ſenſus, ſunt in unico & eodem muſculo, ſimplicem ac exilem nervum ſuſcipiente. In digitis tamen ſtupore affectis,

affectis, ſuſpenditur ſæpè ſolus ſenſus, motu ſoſpite interim, atque libero. Itaque vel eſt neceſſe, ſenſum & motum non pendere ab eodem nervo, ſpiritu influo, horumque communi principio: vel neceſſe eſt, ab eodem unico nervulo pendere motum duntaxat, & non ſenſum: vel ſolum ſenſum, & non motum: vel eſſe alia peregrina hactenus ignota, quæ tollunt aut lædunt ſolum ſenſum, & non motum: alia verò, quæ ſolum ſiſtunt motum, ac nonnulla, quæ utrumque afficiant.

46 Quapropter penitiùs attendendo, aſpexi ſtuporem tactûs, inſenſilitatem, carentiam, vel defectum in motu, aliquando eſſe paſſiones, ex medio privativo ortas: eaſq; tum quoque de neceſſitate eſſe privativas. Ut in luxatione vertebræ, ſtrangulatione, &c. Novi enim honeſtum civem, ter à prædonibus ſuſpenſum, emungendæ pecuniæ ergò, mihiq; dixiſſe, quòd eo ipſo, quo tripes è pedibus ſubtraheretur, amiſiſſet motum, ſenſum, omnemq; mentis operationem. Saltem, non illi tum erat repletus quartus ſinulus cerebri, neque medulla ſpinalis compreſſa, quæ intra vertebras degebat ſoſpes: Laqueóque diſrupto, ut iſtæ functiones animæ, & corporis, redirent in priſtinum ſtatum, non tollebatur iterum è quarto illo ſinu pituita obſtipans. Aſtrologus quidam, volens tentare, an mors ſuſpenſionis doloroſa eſſet: laqueum collo circumduxit, juſſitque adoleſcentulum filium, ut attenderet, dum pollicem moveret poſt ſubtractum ſubter pedes ſcabellum, ut ſtatim funem amputaret. Puer itaque fixis oculis in digitos patris, nec cernens motum in iis, ſurſumque reſpiciens, vidit patrem lividum, exſertaque lingua. Ergo abſciſſo laqueo, Aſtrologus decidit in terram, & vix poſt menſem convaluit. Eodem ferè modo procedit demerſio. In qua ſimulatque primo tractu, hauſta eſt aqua in pulmonem, per os, amittitur uſus facultatum mentalium, iteratóque aquæ hauſtu priora confirmantur. Nec attamen tam citò moriuntur, quin, ſi proni jaceant, ut aqua effluat, etiam qui dudum mortui apparent, plerumque reviviſcant. Repletis ergo pulmonum cannis, hoſpite peregrino, intercipitur radius vitalis, à præcordiis, in caput perpetuò lucens. Unde conſequenter, velut Apoplexia privativa, confeſtim oboritur. Mirum ſanè, utrobique tam citò labaſcere mentales functiones. Adeóque & hinc neceſſitatis continuata conjicitur importunitas, atque dependentia, ab inferiorum aſpiratione, & favore vitali, nondum in Scholis agnito. Quapropter tractatum *de Duumviratu* adornavi. Conſideravi itaque, ſi cerebrum ſit fons, ac ſedes primaria, animæ immortalis, intellectûs, & memoriæ: ſaltem quamdiu anima inerat cerebro, debebant iſtæ facultates manere illibatæ: cùm ad cogitandum nec crure, nec brachio, nec ipſo anhelitu, ſit opus. Attamen ſuſpenſio, unico velut ictu, facultates mentis tollit totaliter.

47 Etenim dum arteriæ jugulares communitatem cum inferioribus denegarent, vel pulmo, aquâ repletus eſſet, ſtatim, nedum facultates collabuntur: verùm etiam ejuſmodi interclusio agebat per modum apoplexiæ univerſalis, & non uno tantùm latere motum ſuſpendebat, prout in Paralyſi. Inde enim mihi confirmavi, influxus viſcerum inferiorum, ac communionem tolli à cerebro, per vinculi aut obſtaculi interceptionem. Unde conſequenter quoque ſuſpicatus ſum, conceptus primos formari alibi, quàm in capite. Juxta illud veritatis: *Ex corde manant adulteria, homicidia*, &c.

48 Reperi inſuper Apoplexiam, Stuporē, Paralyſin, Vertigines, Caducum, Spaſmum, &c. eſſe paſſiones, poſitiva cauſa occaſionali oriundas, multumque diſtantes, à privativis, conſtrictivis nervorum, meatuum, ac ſpirituum. Quæ cauſæ hactenus à Scholis ſunt neglectæ, in præfatis morbis ſubſcribendo ſcilicet ethnicis deliriis, pituitam in quarto ſinulo cerebri ſtabulantibus. Cum interim ſimiles ac poſitivæ facultates, ubique in opiatis, itemque in morbis ſoporoſis, ac epilepticis occurrant. Memini quoque, aliquando in meis Tyrociniis, virulenta quædam diſtillâſſe, quæ ſi quando non ritè obturatis juncturis, odorem de ſe ſpirarent, vel poſtmodùm, ſeparando vaſa ab invicem, incautum me ferirent, unico inſtanti, in lapſum paratus eram, cum vertigine, & dextri lateris ſtupore. Adeò ut ſi iterum, ſemel tantùm, me odor perculſiſſet, abſque dubio, cecidiſſem Apoplecticus. In tantam ſcilicet me olim temeritatem compulit ardor ſciendi, quòd millies vitæ non pepercerim meæ. In propoſitis itaque terminis. Non enim odor iſte excitabat pituitam, labi minitantem, eamque è ſinu cerebri iterum removit aëris novus ac recens afflatus. Ergo ſi quædam ſimplicia torporem, vertigines, motûs ceſſationem, & ſenſûs obfuſcationem adferant, non eſt abſonum, his ſimilia intus, etiam repentè obnaſci. Nec decens eſt, unius pituitæ privanti obſtipationi, hæc cuncta perpetuò dedicare.

49 Memini namque, apoplecticum binis horis extinctum, cumque ſuſpicio eſſet oblati veneni, inſtituta fuit diſſectio. Ablato ergo cranio, tredecim ſtudioſi abſtulerunt

ſuaviter Menynges, cerebello dein modeſtè
diducto, ne quicquam pituitæ in quarto ſinu
repertum, ut neque deorſum decidiſſe in me-
dullam ſpinalem, ſtudioſè indagantibus fuit
compertum. Igitur nunquam inducar, ut cum
Scholis credam, Apoplexiam eſſe obſtipatio-
nem pituitoſam quarti ſinûs cerebri: ut neque
credam, Paralyſin obſtructionem alterius late-
ris medullæ ſpinalis. Inprimis infauſtæ mede-
læ horum morborum produnt ignavas cauſa-
rum diſquiſitiones. Dein, eſt Apoplexia tam
negligenter, atque ignoranter hactenus tracta-
ta: quòd in Scholis adhuc hodie ſit proprio
50 deſtituta vocabulo. Siquidem à plexu, ſive ar-
teriarum reticulâ, Galeno ſomniatâ, vel aliunde
ipſi credulo traditâ, nomen retinuit; quam re-
ticulam hactenus Anatome nondum vidit. Sed
Galenum, ut temerarium nugarum aſſertorem,
ac ridiculum diſſectorem, ſua mentita reticula
deſtituit. Ita ut, Andreâ Veſalio authore, jam
liquidò conſtet, Galenum, cadaver humanum
diſſectum vidiſſe nunquam: ſuamque anato-
miæ doctrinam aliunde verbotenus deſcripſiſ-
ſe, non ſecus atque rem herbariam è Dioſcori-
51 de. Facilè ergo didici, nedum locum, & fien-
di modum, ſed & totam Apoplexiæ tragœ-
diam, atque remedia debita, in Scholis Galeni-
cis, neceſſariò ignorari penitùs. Confirmavit id
mihi namque ſanandi methodus. Sæpè nam-
que recentem Apoplexiam, per vomitiva, aliàs
verò additis deinceps confortantibus, loque-
lam, ſenſum atque motum reſtitui. Omnes ve-
rò, quorum alterutrum latus defecerat, exhibi-
to Diaphoretico Paracelſi, à me alibi deſcripto,
ſanatos vidi. Mercurius enim iſte ſudorifer, ut
abſque ullâ evacuatione ſanat: ita & citra pi-
tuitæ revulſionem, è quarto ſinu cerebri, deſi-
deratam opem tulit. Secutus enim Sacrorum
doctrinam. (*E fructibus eorum, cognoſcetis eos.*)
A poſteriori ſcilicet, atque ab effectu didici, o-
riginem Apoplexiæ eſſe poſitivam: non autem
privativam, vel oppilationem ſinus cerebelli,
factam per phlegma iſthuc repentè decidens.
Potiſſimùm, quòd ex uterinis affectibus non
rarò oriantur Apoplexiæ, atque Paralyſes. Ad-
hibitis ceſſantes utero remediis, iiſque negle-
ctis, vel præfocantur verè apoplecticæ, vel pa-
52 ralyſi, in vitam quoque languent. Cognovi fi-
naliter Apoplexiæ limen eſſe in præcordiis; in
cerebro autem, non niſi per deuteropathiam,
quâ cerebrum viciſſim auſcultat inferiorum re-
gimini. Neque enim vomitiva, ut nec etiam
præfatum ſudoriferum, quicquam ſubmovent
è poſtico ſinulo cerebri, multóque minus à me-
dullæ ſpinalis exili cavitate. Idque nôrunt,
quotquot unquam illarum partium diſſectioni
adfuêre. Itemque odoriferæ & auxiliares eſſen-
tiæ, potæ, ad caput, ſi conſtipatum foret, nun-
quam deferrentur: attamen mox ſenſibiliter
opitulantur: quia in præcordiis ſuus eſt guſtus,
ſuusq; odoratus proprius. Quinimò & ſuus ta-
ctus hinc corpori communicatur, medio ani-
mæ ſenſitivæ, ubique præſentis. Quod licèt a-
libi de vita longa ſat probaverim: hîc unico
ſaltem exemplo confortâſſe, juverit. Itaque ſi 53
quis Scammoneatum, ſaccharo ac aromate lar-
vatum virus, biberit, commendant quidem id
lingua atque palatum, pro prima vice: ſed ite-
rata, errorem larvati guſtus, deteget hypochon-
drii horror, & bibendi averſio. Quodque alio-
qui linguæ ſuave eſt, horridum fit præcordiis.
Non mirum igitur, ſingularem ibidem guſtum
atque tactum eſſe, ac inde in membra diffundi,
illoſque præcordiorum ſenſus ſtatim refici, o-
doris eſſentiis: tardè verò ac nunquam, ſi nari-
bus, palato, atque cranii ſuturis applicentur.
Etenim notavi quædam, quæ nedum ſoporem, 54
vel catalepſin: ſed etiam amentiam faciunt,
ſternuntque mentis dignitates potiſſimas, ſenſu
tamen motuque illibatis. Poſtmodùm verò in-
tellectus redit, abolentur verò tam ſenſus, quàm
motus. Quædam etiam, foris inuncta, ſenſum
tollunt, ſic ut chirurgo libertas ſit ſcindendo,
ablatiſque pòſt unctionibus, redit abactus ſen-
ſus. Credidi hinc ſanè, Apoplexiam, Sopores,
Caducum, itemque hyſtericas ſtrangulationes,
ac ſyncopas quaſlibet, eſſe morbos ex deutero-
pathia, & actione regiminis: non autem corpo-
rali humorum ac vaporum confluentiâ, in utri-
bus cerebri natos. Equidem uterus nunquam
ſupra Diaphragma aſcendit, aſt apoplecticos pa-
trat. Non eſt ergo materialis attactus uteri, &
capitis. Suffitum enim novi, quo mulier repen-
te corruit Apoplectica, cum lateris paralyſi, ta-
liſque perſeverat, niſi ſuffitu è ficu equino, per
infundibulum tranſmiſſo, reſtituatur. Vidi
namque, & colli circulum, in muliere, repentè
ſupra menti altitudinem aſcendiſſe, quod nec
humoribus, nec vaporibus eſt opportunum. Eſt
nimirum uteri aſpectus, tanquam baſiliſci ſui,
quo partes affluxu laticis (quis autem iſte latex,
alibi docebitur) tument: prout multis alioqui
venenis eſt vernaculum. Perinde, quaſi aquæ
aſcendunt, ac intumeſcunt, utraque lunæ ſtatio-
ne, ex ſolius aſtri illius aſpectu. Meipſum hac in
parte depingam. Dum 65 annum agerem, eſſem-
que

que circa Apoplexiæ conſiderationem diſtentus: diſcrevi poſitivam nempe, quæ à veneno glaciali fieret, ab alterâ, quæ per obſtipationem nervi affligit, perinde ſe habere, ac dignoſci poſſe. Perinde ut qui retorto crure ſedens ſenſum in crure amittit, propter nervi compreſſionem, dumque illi ſenſus reſtituitur, ſentiri lancinationes à ſpiritu vitali vel animali (qui ſalſus eſt, ut oſtendi libro *de vitâ longâ*.) Sed à ſtupore, qui à veneno glaciali progreditur, ſi ſenſus redierit, nullus occurrit lancinationis aut pincturæ dolor. Contemplabar enim in muſeo, ſub frigore kalendarum Januarii, & teſta prunis paucis onuſta, eminus ſtabat, quo ſaltem algidiſſima hyemis tempeſtas mitigaretur tantillum. Unus opportunè ex meis adveniens, demutiavit fuliginis fœtorem, & actutum teſtam abſtulit. Senſi autem ſtatim circa orificium ſtomachi, minitatum deliquium. Surgens ergo, egrediensq; uno inſtanti, lapſus ſum recto corpore in fundum lapideum. Itaque tam ratione ſyncopes, quàm occipitis ictus, ablatus ſum pro cadavere. Redii quidem poſt horæ quadrantem ad ſigna vitæ: ſed cum tumore occipitis, ſenſi ſuturas cranii inſigniter, magis magiſque dolere. Guſtum quoque atque odoratum totaliter ablatos, aureſque tinnire continuò. Ad ſingulos porrò conceptus, ſtatim caput vertigine rotabat, etiam clauſis oculis. Mox abinde nervi omnes, uſque in ſuras, doluerunt, ſic ut unica ſternutatio totum corpus lancinaret crudeliter, edendi quidem appetitus rediit, ſed rotatio ad menſes aliquot me exercuit. Didici autem primùm, quòd veſpere, ante cœnam vertigo creſceret, nempe circa digeſtionis terminum. 2. quod ſtante judicio, vertigo tamen invaleſceret. 3. quod oleribus quibuſlibet, & piſcibus non ſalſis, rotatio crudelius inſurgeret. 4. Notavi Turcoidem gemmam manſiſſe integram lapſo mihi, nec præſervâſſe à periculo caſûs. Quodque Turcois non juvet, niſi quos ſubitaneus cadendo metus corripit. Quod non evenit, quibus ſyncope caſum præcedit ac fabricat. 5. Quod vertigo eſſet à cibis corruptelæ obnoxiis. 6. Ac ſeriò notavi, quod Apoplexia, vertigo, &c. pendeant ab hypochondrio, quanquam caput mihi ab ictus concuſſione unicè videretur affectum, ac vertigo ſenſibiliter in capite rotaret. Attamen cum vertigo cibos, ciborumq; copiam reſpiceret, notabiliter percepi, mox à præfata ſyncope remanſiſſe circa ſtomachum, hoſpitem præter naturam, præfatæ vertiginis cauſam occaſionalem. Idque validius confirmavi, quod quoties olim mare transfretâſſem, nauſeabam quidem initiô ſub procellis, at nunquam vomui, aut manducare deſivi: ſed poſtquam in terris liber oberrarem, percipiebam ſemper oberrantem vertiginem, noctu diéq; motum ſurſum ac deorſum navigii referentem. Donec ſemper tandem per vomitum vitrioli albi liberarer. Etenim ſaltem navigando, nulla erat oblata offenſio capiti: attamen, quaſi ebrius eſſem, continuâ vertigine caſum minabar, conſtante tamen atque illæſa judicii operatione. Semper autem illâ vertigine liberabar, unico vomitu. Sed jam in præfato lapſu, ictus quidem tumorem in occipite ac ſuturis, ſuos prodebat effectus, in organis ſenſuum, & nervis. At hæc cuncta minimè cauſabant rotationem capitis, quam à ciborum delectu potiſſimum obſervabam prioritari, ſive exaſperari: Maximoperè quòd unico vomitu, pro more, ejusmodi rotatio compeſceretur. Unde in meipſo experiebar, vertiginem, etiam læſo capite à ſtomacho, adeóq; à duumviratu ſuſcitari atque foveri. Ipſam autem ſyncopen, dediſſe ictûs cauſam, ſimulque reliquiſſe notam ſigillarem in hoſpite peregrino, ibidem detento. Denique iſtam rotationem non à vapore, infernè ſurſum lato: ſed à corporeâ occaſione excrementi ſigillati, quoties aliquid, quod iſtis officinis infernis minus arrideret, occurreret; vis eorundem impreſſivaque Idea, in cerebrum redundaret. Inde itaque diſtinxi inebriativa, à ſtomacho in arterias traducta, vitalique ſpiritui commiſta, œconomiam ſpiritûs, in cellulis cerebri, confundere, ſimulque imaginativam turbare, quia exotica peregrinaque actualiter per arterias ſurſum pergebant: A vertiginoſis videlicet, quibus nempe ſuperſtite incolumi intellectu, rotationes duntaxat, utcunque atroces obverſarentur. Nam & harum rotationum cauſæ occaſionales perſtant in hypochondriis: unde vi regiminis, ipſum cerebrum: non autem mentis abſtractas facultates in ſpiritibus immediatè ſigillatas, vitiant. Perinde quaſi ungula Alcis digito alligata, eundem duumviratûs rigorem compeſcit in epilepticis. Perpendi etiam quaſi optica inſpectione, qualiter in præcordiis primi conceptus formarentur, atq; inde ad cerebrum miſſi, polirentur. Ac tandem quo pacto in deliris, atq; inſanis hypochondriacis, hæc diverſimodè agitarentur, citra ullam capitis rotationem. Atque in ebriis, rotatio comitaretur illorum amentiam. Alibi verò rotatio nullam induceret mentis ceſpitationem. Prout aliàs memoria ceſpitaret, ſoſpite homine integro. Profectò ut hæc ſeriò, multóq;

otio mecum ponderabam, reperi, qualitates in ipſis excrementis ſuas ſequi Ideas, ac ſigillatim ſuas ludere ſcenas; quas nimirum qualitatum diverſas proprietates, tanquam dona ſeminalia, veraſq; formales Ideas, tum prius dilucidè comprehendi: à quibus ſcilicet immediatè robur animæ ſenſitivæ (utpote ejuſdem formalis claſſis conſortes) vitiaretur, variéque ſubigeretur, atque cederet importunitatibus activarum idearum. Proh dolor! tum ſeſe mihi manifeſtavit fundus animæ, apud Taulerum ſic dictus. Qui nil aliud, quàm ipſa mens immortalis erat, quantis videlicet tenebris exterioribus, velut tunicis pelliceis, obvolveretur, quatenus alligata eſt, hoſpitaturque, durante termino vitæ, in ipſius animæ ſenſitivę diverſorio. Adeóque hinc dilucidè 55 cognovi, quem & ideo, libro *De vita longa*, inaudito ſermone explicui in honorem Dei, Satanæ contemtum, totiuſque peregrinationis humanæ magnificentiam. Docui etiam de Vita longa, caput fontem accretionis, partium ſub ſe ſitarum (quod gibboſi etiam confirmant) adeóque à capite, limitari ſtatum atque durationem accretionis: terminos quoq; deſcribi pilis, & capita ideo incuria, vix caneſcere. Profiteor itaque cum Scholis, à cerebro, ut fonte, lumen vitale diffundi quidem, ac per novos diſpergi, eóque abſente, facultates diverſoriis propriis ſilentes, etiam confeſtim ſilere occaſione privativa. Nam licèt ſenſus ac motus, à ſpiritu inſito partium, tam perceptivè, quàm exſecutivè quodammodò pendeant: quia tamen partes ſingulæ, vitaliter foventur ab irrorato cerebri lumine, hujuſq; luminis intercepto filo, ſive radio, quamprimùm etiam intercipiuntur ſenſus & motus. Aſt hæc tantùm commonſtrant Apoplexiam privativam, non ita quidem verè morboſam, quantum accidentalem, prout ſuperiùs in luxatione vertebrarum quoque oſtendi. Non autem, quód proin ſenſuum ac motuum cauſa fontalis in ſpiritu commoriatur, licèt ejus functio ſuſpendatur, dum ſupernum iſtud lumen ſuſpenditur. Nam ſublato capite, muſca aliquandiu volitat. Truncato etiam hominis capite, artus dudum ſæpè ſubſiliunt, contrahuntur, innatique motus 56 adhuc ſigna præbent. At Apoplexiæ poſitivæ ac morboſæ, longè alia cauſa atque proprietas eſt. Subinde namque in volam, vel in unicum digitum incidit confeſtim ſenſus orbatio, ſtuporque, ſoſpite tamen motu. An ergo proinde pituita, iſti digito exotica, cadit in nervi meditullium? per canalem ſcilicet, quo nervulus perforatus, & conſpirabilis cerebro cogitatur? Vel forſitan vapor pituitæ inſolitus, eò decurrit? quique ſurſum alioqui ſcandere ſolebat, vel debebat, natura vaporum ſic ſtatuente? & vitali vi enormontica obtemperante? At ſaltem unicus 57 nervus, in tendinem volæ, quatuor pariter digitis ſenſum atque motum largitur: cur ergo unico tantùm digito, ſolus ſtupet ſenſus? Denique quis unquam vapor, vel è tenaciſſimo muco elatus, craſſior erit, & non æqualis illi, qui ab aqua aſcendit? Reſpondeant, quotquot in univerſo fuerint diſtillatores. Cur ergo ad ſtuporem, requiretur craſſus vapor pituitæ (quæ non ens, demonſtravi ſat alibi) & non aquæ ſimplicis, vel cruoris? Sin verò vapor laticis aut cruoris id effecerit, tum quoque neceſſarius, ordinarius, atque continuus erit omnium ſtupor generalis, abſque intermiſſione. Deinde ſi aliquis humor, vapore peregrinus, aut excrementoſus, ſit cauſa occaſionalis hujuſmodi ſtuporis, privativa ſcilicet ac oppilativa nervi: is certè mittitur, vel propriâ eò decurrit ſponte. Si mittatur, at ſaltem non à cerebro, vel medulla ejus vicaria. Nam ſic non confeſtim, ut neque ad unicum ſaltem digitum, digitique extremum, mox anteà ſanum, afficeret. Nec mittitur vapor ille à ſpiritu vitæ œconomo, quippe qui libentiùs, ac promtiùs, per diaphæreſin proſcriptus exiret. Providentię itaque, & naturali ſolicitudini, cuncta ſemper in optimum finem diſpenſanti, id manifeſtò contradicit. Quòd nimis ſibi injurioſa natura in nervos impingeret, quæ faciliùs, meliùs, ac propinquiùs, pro ſolito, ad naturale ac ordinarium cutis emunctoriũ amandaſſet. 58 Adeóque iſta Scholarum vaporalis vapulanda fabula, multiplex adynaton continet. Nam nervorum canalis, recto filo, continuatóq; ductu, deſinit in medullam ſpinalem, nec ullos habet tranſverſos tubos, per quos vaporem illum pituitoſum lateraliter tranſmitteret (alioqui namque fieret ſpirituum totalis jactura, antequam ad exſecutorem motûs muſculum devenirent) tantum abeſt, quod eundem iſthac vaporem aſſugeret. Non poteſt itaque is humor, aut vapor, ad unicum digitum tranſmitti, vel deſcendere (multóque minùs, repentè inſilire) niſi per nervorum meatum, cum medullâ ſpinali communem. Atqui ſomnio ſimile eſt, quod in 59 corpore ſano, non autem querulo, confeſtim digiti ſenſus deficiat, per pituitam, non antè in nervis alterioribus perceptam: aut alióqui per vaporem, heteroclito modo natum non dimiſſum, aut deſcendentem eò, ut neque in parte ſtatim generatum. Cùm alioqui omnis per-

egrini hoſpitalitas, vel ab ipſo initio, ſit naturæ manifeſtò moleſta. Sed fortè an lateraliter, in extremum digiti nervum, ea pituita, vel is vapor irrepſit? At tum periret axioma Scholarum, quod Impetum facienti, humorum quorumvis diſpenſationes adſcribit. Etenim non ſunt in nobis, aut in naturâ rerum, iſti humores: ac ſi qui eſſent, non proinde illis competeret vis ambulatoria: multóque minùs, in illis jam excrementitiis: eò quòd vitalium facultatibus, motus naturales omnes, in nobis auſcultent. Etenim, ſi pituita, ejuſque vapor craſſus, eſſent in naturâ, ſaltem à Scholis hoc loco (quatenus morboſa) reputantur excrementa, quorum non eſt itio, non ſpontaneus motus, aut progreſſus: ergò neceſſariò ab alio pellerentur. Non quidem ab Archeo, qui cum omnia proinde, atque bene agit, non pelleret ad nervos, quod aliàs ad cutim regulariter aſſuevit deducere. Forſitan ergò à calore, pituita in vaporem extenuata, ſurſum pergit? At tunc, non deorſum, in digitum declivem. Saltem juxta theorema Scholarum de catarrhis, rurſus ſtatim in guttas concreſceret vapor ille: non autem vaporis oberraret ſpecie, ad extrema nervorum, ut neque ad unicum duntaxat digitum per volam properaret. Sed cur rueret repentè, inſtar ponderis, in nervulum filo tenuiorem? Vnum inquam, & non alterum? Si verò vapor lateraliter ſubintret; cur unico inſtanti, ſine præviâ moleſtiâ imbibitur? Cur non potiùs in carnem, quàm in nervuli extremum, ſuâ membranâ cincti, impingitur? quare cauſa, quæ unicum atomum pituitæ, vel halitûs craſſi, genuit, continuò non alium, præter unicum illum, producit? Nam ſæpè ſtupor ille repentinus, à parvulo digito incipit, deſinitque tandem in illo, dum tertium, aut quartum pertigerit. Subinde quoque repentè omnes digiti, mortis pallorem, ad medietatem longitudinis, vel ultrà aſſumunt, cum vel ſine ſtupore, torpente motu, &c. Si itaque id ex vaporoſâ materiâ, ſaltem non fiet iſta in cerebro, aut Nucha. Siquidem tum neceſſariò portenderet univerſalem tunc paſſionem. Ergò iſte vapor naſcetur in nervo, vel tendine: atqui tum omnes ſimul ſtupeſcerent, non autem ſucceſſivè. Nec perſuadeor, cur in tranquillo ſanitatis, vapor ille, exſiſtens extra nervum, intrò ad nervū vel tendinem premeretur, ubi in nobis alioqui eſt indeſinens diaphæreſis extrorſum. Saltem cur hæc non perſeveraret, cùm intra ſe, eundem opificem, materiam, ac officinam habeat? Quare ſtupor ille mox ceſſat, ſi ſubeſſet materia, qualis
eſſet unus de quatuor humoribus, ubique cruo-
ri connatans? Si à commui volæ nervo, cauſa
jam defluat, in unum jam victum: quare ergò
deinceps ad alium defluit digitum ſanum, nec
ſiſtit in primo? Cur, ſi ab unico nervulo in omnes
propagetur, non ſimul etiam omnes infeſtat; ſed
ſubſequenter, atque dudum pòſt? Quare lædi-
tur ſenſus, & non motus, ſi ab unicâ & pari cau-
sâ, ſi per unicum, tam motus, quàm ſenſus au-
thorem nervulum, delata? Solum manuum fri-
gus cauſat ſtuporem ab extra, & dolorem intus,
ſine ullâ vaporum aut humorū incidentiâ. Tan-
dem, nervi non ſunt in digitos, ſed in tendines
inſerti: cur ergo ſenſus læditur, & non motus?
Cur non ſimul ſtupor extenditur per totam vo- 60
lam, uno tendine tectam? Si tendines patiuntur
hanc comminatam paralyſin: jam eſt receſſiſſe
à nervorum communione, ad denſos, non per-
foratos, nec canalitios tubos tendinum. Non
pervios inquam, ſi idcirco non pituitæ inciden-
tiis obnoxios. Quidam à Quartanâ, Splenem af-
fectum retinuerat, itemque manus ſiniſtræ ſtu-
porem, cum mortali pallore frequenter recur-
rentem. Atqui quid viarum commune, Splen
cum nervis digitorum ſervat? Vt ſcilicet pitui-
tam, & halitus craſſos, ad ſolos transmittat digi-
tos? An enim Lien mittit vapores in cerebrum,
quos inde cum juris & actionis ſubſtitutione,
delegatos vult ad digitos ſui lateris, vel ad oppo-
ſitos? An ergo oppilatus Lien, plus ad cerebrum
& Nucham evaporabit, quàm ſanus, non impe-
ditus, continuaque bile atrâ gravatus? Certè par- 61
ticularium inſenſilitates ac ſtupores proſecutus
ſum, ut totalem Apoplexiam rectiùs intelligere-
mus. Miſeror interim Scholas, non accuratiùs
examinaſſe ſua figmenta humorum, & vapo-
rum, horumque tam feſtinatum ac ridiculum
decubitum. Nec ſemel æſtimaſſe, quod ſicut am- ff.
bientis aëris frigus eſt narcoticum: ita naturam
paralyſis, nervorumq, conſimiles paſſiones po-
ſitivas, non diſtinxiſſe à conſimilibus privativis.
Vt inde didiciſſent, poſitivos affectus nequa-
quam conſiſtere poſſe abſque narcotica, mortua
materia, & qualitate. Quæ ſi ſatis ſit creando
ſtupori, ubi extrinſecùs attigerit partes ſenſiti-
vas, quid non ſit effectura, ſi ipſum localiter fe-
riat nervum. Equidem ſi vapore tenus attingens
(juxta Scholas) mox periturum ſenſûs effectum,
dederit: quidni ſemel ſaltem cogitarunt, quòd
poterit tenaciori materiâ, contumacem atque
durabilem paralyſin ſuſcitare? Porrò, ubicunque 62
ejusmodi anodynum concludatur, in Duum-
viratu corporis (ſtomachum atque lienem

intelligo) ſyncopen movebit ſubitaneam, &
apoplexiam poſitivam. Paralyſis verò eſt plerumque
unius duntaxat lateris, unicoque velut
ſagittæ ictu, defectus irruit. Velocitas autem
inſperati caſus, terrorem in cerebro ac medullis
parit. Id eſt, in ſpiritu, horum incola, & ſenſationis
illius authore. Itaque ob ſuum terrorem,
contrahitur medullæ debilius latus. Eſt nimirum
Paralyſis, productum illius contracturæ.
Eſtque in omnibus, ſemper unum latus altero
63 debilius. Idcirco mulieres, quæ ut timidi plerumque
ſunt animi, per terrorem corruunt frequenter
in Paralyſin, abſque Apoplexiâ. Id enim
proprietatis terror habet, ut poros confeſtim
claudat, ſi ſubitaneus fuerit. Steteruntq; comæ,
vox faucibus hæſit. Quia naturale eſt, ut venienti
hoſti janua claudatur. Etenim in ictu calvariæ,
reſolvitur latus ſuppoſitum, oppoſitumque
contrahitur. Suppoſitũ nempe, quia magis terrefactum:
contrahiturque oppoſitum, quia irritatum.
64 Enimverò ſolet vulgus præaugurari Apoplexiam
ex brevitate colli. Nam brevitas colli,
non arguit pauciores vertebras: ſed ſingularum
minorem profunditatem. At quid iſtud habet
commune cum pituitâ? vel cum quandoque
futurâ oppilatione quarti ſinûs cerebri? ut
ſcilicet unum ex altero cauſaliter præſagiri debeat?
Nam brevitas colli, non continet nudum
ſignum, aut prædictionem Phyſiognomiæ: ſed
inſuper, cauſam aliquam occaſionalem. Sæpè
namque poſt heſternam crapulam, vertigo, ſcotomia,
vomitus, digitorum ſtupor, &c. obveniunt,
quæ Apoplexiam minantur, & præcinunt,
non quidem occaſione organi idonei (ut de colli
brevitate) ſed quia præludium habent ab Apoplexia,
ſolo gradu, atque intenſione diſtans. Si
ergo à præcordiis, vertigo illa, & ſtupor poſt crapulam,
quatenus materia occaſionalis, inferiore
adhuc gradu, fovetur ab Archeo. Ergo ubicunque
iſtud venenum anodynum, in gradum evehitur,
Apoplexiam facit, ex iiſdem ſedibus natalem.
Qua per ſextæ digeſtionis errorem fit anodynum
iſtud, ex alimento; unde tandem etiam
Paralyſis occaſionaliter. Brevitas ergo colli, brevitatem
viæ, ac promtitudinem, à præcordiis
in caput, pro Apoplexiâ requiſitam, ſubminiſtrat.
Id eſt, faciliorem organi promtitudinem.
65 Etenim Scholæ, in parvis, aut comminatis Apoplexiis,
inſtitutas frictiones extremorum, aſſerunt
proficuas fuiſſe quandoque, & inde revulſionem
pituitæ, atque vaporum è capite, conjicientes,
præcipiunt frictiones, uſque in pellis
atrocem decorticationem, & clyſteres acres.
Pellem nimirum excoriant, ne ſenſus ibidem
66 deficiat. Oblitæ interim ſuæ regulæ, quòd ſenſus
è cerebro totus pendeat: fruſtraque ſit crura
decorticari, ut pituitam è quarto ſinu cerebri
revellant. Neſciunt enim, quorſum eam revellant.
An in anum è cerebelli ſinu elicere debeant
per enemata: an verò eandem è ſinu cerebelli,
per cutim, fricando exigant. Ridiculum totum,
quia & ipſæ ridiculæ! Interim an potiùs cutim,
quàm vapores detrahant, teſtentur mecum adſtantes.
Scio tamen certò, & ſi quis totus excorietur,
nequaquam tamen Apoplexiam, aut veram
Paralyſin, ſublatum iri ullatenus. Nec video, 67
quomodo tueantur ſuum theorema. Quòd
ſcilicet pituita in quarto ſinu cerebri, ſit amborum
horum malorum cauſa continens & adæquata.
Etenim concredo, frictiones parum juviſſe,
ubi venenum iſtud anodynum ac cadaveroſum,
in ſolo eſt corporis habitu: Sed quid àgent
crudeles illæ frictiones, ſi iſtud anodynum
primario in præcordiis ſit ſitum? & quomodo
probant per frictiones, pituitam è cerebelli ſinu
trahi? Scio itaque frictiones, ut ſine diſcretione
& cognitione cauſarum, atque locorum diſtinctione
inſtitutas: ita quoque irritas fuiſſe, &
futuras ſemper. Ridiculum nempe, & crudele,
cutim ad excoriationem fricuiſſe, & oppilationem
in meditullio medullæ ſpinalis, cauſam
affectus aſſignaſſe. Quia quantulacunque frictio,
ſi qua foret pituita in mundo, eaque in
præfatum cerebelli ſinum illapſa, illam unico
grano tollet nunquam. Quin potiùs, datis hypotheſibus,
eandem continuò augeret. Quia 68
materiam (ſi revulſio alicujus ſit veritatis) magis
deorſum trahet, & impinget in canalem ſpinalis
medullæ, quâ parte ſemper ſe ſit anguſtior,
eòque magis, quòd ordinariò majorum vaſorum,
in inferiores & minores ſui ramos, ſit diſpenſatio.
Tum etiam, quòd ejuſmodi pituita,
ſequeſtrata à reliquo cruore, eſſet merum excrementum,
nec ideó difflabile abſque capite
mortuo, ſive reſiduo longè duriore. Ideòque frictio.
ſi trahat, & revellat quoquo modo, ſentiet
etiam ordinarium illum naturæ niſum, ut non à
ſinu poſteriore, ac inferiore, ſurſum ad cerebrum
retrogrado motu: ſed ad ſtrictiores ac inferiores
tubos Nuchæ, oppilans iſta pituita traheretur.
Præſertim dum in Paralyſi, ſpiritus ſenſitivi
parcè, aut plane nihil, defluant, qui pituitam
iſtam propellere poſſent alioqui. Frictio igitur,
quatenus exhaurit, ſpirituum ſenſitivorum
egeſtatem potiùs accumulabit. Generatur autem 69
anodynum apoplecticum, per modum

cæterorum naturalium. Nimirum, occaſionaliter excrementum aliquod obnaſcitur, ductu materię proprio: Archeus verò, illud excrementum ſentiens, atque horreſcens, fugit, atq; ideam cadaveroſam excrementi concipiens, illam ſibi inpertinenter inprimit. Unde confeſtim, tanquam ictu jaculi ſuſcitatur Apoplexia. Hujus autem anodyni nativitatem, plerumque aliquot
70 diſpoſitiones præviæ præcedunt. Quæ itaque ſi in cerebro contingeret, ceſſaret querimoniæ locus, quòd nempe Apoplexia fiat in inſtanti, quapropter **den ſchlag** ſive ictum vocamus, quòd nimirum, per modum ictûs, improviſa ſuperveniat. Locus ergo nativitatis Apoplexiæ, in præcordiis eſt; Ideóque & ſigna habet prænuncia, vertiginis, ſtuporis, nauſeæ, &c. Locus ergo Apoplexiæ, in Archeo præcordiorum eſt: in partibus verò ſingulis, pro ſtupore particulari. Quia errore digeſtionis, liquor proximè aſſimilandus, ob defectum Archei, degenerat in venenum anodynum, fitque occaſionalis materia tanti mali, excrementum (inquam) ſigillatum, ab Ideâ Archei horreſcentis, in fæcem ſigillatur, hoſtilitatis ſuæ coævam memoriam referendi. Quod autem inde non recedat, nec obſequatur cognitis à Seplaſiâ remediis, doceat ipſa Quartana, quæ hactenus in Medentum opprobrium, ſuam iterat ſcenam pro lubitu. Si quartana Scholis incurabilis: multò magis Apoplexia. Anodynum etenim Apoplecticum, mitius quidem in ſe eſt, quàm Epilepticum: ſed longè atrocius infeſtat. Etenim præter ſtupores, mentem ferit, ſoporem ac catochum patrat. Quod ſi præterea, & acrimoniam acquirat, ulcera parit maligna juxta anodyni mortificationem. Quia autem virus iſtud ponticum eſt, ideo atrophias minatur.
71 Obſervavi etenim Chymicum, qui dudum circa aquas regias fuerat commoratus, incidiſſe in palpitationes cordis terribiles, tandem in dolores brachiorum, fuitque illi os, in latus dexterum, convulſum, patiebatur quoque noctes inſomnes, & brachiorum dolores profundos; qui tamen non exaſperabantur ad tactum. Inſigni quoque macie contabuerat propter aquarum conceptas ponticitates, fruſtra interim quælibet tentabantur exteriora remedia, (neque enim ſumtibus, aut famulitio pro illo parcebam) ſolo autem laudano, per dies tredecim exhibito, plenè reſtitutus, habitum dein mox, atque priſtinum robur recuperavit. Quia enim auſtera ponticitas liquorum ſpiritum ſenſitivum contaminaverat, cujus productum, lancinabat Archeum, os convulſum ad latus, ac digiti lateraliter detorti, Apoplecticum quiddam referebant. At quia non aſcendebat è præcordiorum gubernatore: ſed duntaxat odores aquarum ſpiritui ſenſitivo influo, ſeſe immiſcuerant, perfecta non fuit viri illius Apoplexia, licèt alioqui ſat vertiginoſa.
72 Quod autem dicam anodynum ponticum, quod in Opio eſt amarum, non autem in Hyoſcyamo, aut Mandragorâ: ac prædulce, in vitriolo, & ſulfure. Hoc inprimis detegit errorem Scholarum, dum è ſaporibus vulgatis, vires ariolantur ſimplicium. Enimverò ſcio nondum ſat digeſtas rerum viciſſitudines, aut maturitates; nec item verum pro falſo cuique placiturum: ſubjiciam ergo anxietates aliquot, quas mihi regulæ Scholarum Apoplecticæ peperêre.
73 Dum enim mineralium examini plus juſto inſiſterem, ſenſi ex quorundam illorum ſuffitu, inſtantaneam Apoplexiam, cum defectu ſiniſtri lateris, adeóque cecidiſſem præceps, ſi unicâ adhuc vice, illius loci aërem inſpiraſſem. Quapropter inprimis didici, Paralyſin non eſſe Apoplexiâ poſteriorem, in duratione. Tum denique, in ſinubus Cerebri nullam eſſe oppilationem. Etenim jam penè corruebam: & niſi caput à vaſe, unde teter ſpirabat flatus, divertiſſem, apoplecticus ruiſſem, & cadere paratus eram. Jamque tum mihi brachium decidebat, & crus ſtupidum, ſenſu motuque deficiebat. At nunquam Scholæ ad hæc reſpondebunt, Si pituitæ nil, in quartum cerebri ſinum ceciderat unquam, quomodo effectus in me erat ſuâ causâ prior? Sin verò ejus aliquid deciderat, quod ſaltem ſinûs medietatem oppleſſet, quorſum iſta pituita tam celeriter retroceſſit? Curve pariter omnis Apoplexia, eadem operâ, non ſponte ſanatur, evaneſcente ejus effectrice pituita? Sin autem malint ſubterfugere à tetro vapore, & non à pituita meam Apoplexiam veniſſe: Saltem cur teter ille fumus citiùs ad quartum ſinum, quàm ad priores, naribusque viciniores ac obedientiores delatus eſt? niſi fortè priores leproſi, & ignavi, ac ſine ſenſu? Imò nervi omnes, ſolis ſenſibus deputati, à prioribus accipiunt ſinubus ſpiritus ſenſitivos. In prioribus verò cerebri ventriculis nullum ſenſi oblæſionis ſignum: non venitur tamen deforis ad quartum, niſi per anteriores omnes. Senſus item, præterquam uno latere obtuſior, & motus conſtabant, ſimulque judicium ſuadens receſſum. Itaque an pituita aliquot jam annos exſpectaverat, ad oram quarti ſinûs: ut ſemel repetito illius fumi odore, velut dato claſſici ſigno,

74 ſigno, rueret præceps in caveam? Cur ergo ſalienti profugo mihi, pituita non cecidit? etenim in caduco ruunt principes animæ poteſtates, & ſenſus utroque latere, ſuperſtite ſolo moto: cum tamen omnis nervus, etiam motui dicatus, ſentiat. Debet ergò cerebrum, ejuſque ſinus omnes, utróque latere affici, ubi ſenſus interiores, cum exterioribus, velut extincti, ſopiuntur. Quomodo igitur ſolus perſeverat? Quomodo in Epilepſiâ, Apoplexiâ, & Paralyſi, ſopiuntur ſenſus, cum in Apoplexiâ & Paralyſi ſolum obſideatur pro medietate organum motûs? Dicent, In Epilepſia, pati cerebri anteriora, poſteriora ſalva manere. Inprimis cur ergò artus contrahuntur, ſi organa motus ſint libera? Memoria potiſſimùm læditur in Caduco: ergo & ipſa erit tantùm in ſincipite? Sed conceſſo quod petitur: cur ergo omnis nervus motui dicatus per medullam ſpinæ, à tergo cerebri ſaliens, ſenſum amiſit; non autem motum? Ergo cerebrum tam retro, quàm ante, in Caduco percellitur, à cauſis præcordialibus. Sæpè enim moribundus aliquis adhuc ſentit, loquitur, auditque, ablato dudum anteà motu in inferioribus, per nervos ſpinalis medullæ explicatus. Bene valente cerebro, ſæpè ab inferis, inopina ſyncope irruit, labiturque tam ſenſus, quàm motus, unico inſtanti. Si id à fumis fiat: deberet primò ſenſus, ac dein ſenſim motus, deficere: eò quòd anteriores ſinus cerebri, viciniores ſint ori ſtomachi, quàm perexilis ille poſtremus. Idque tardiſſimè prorſus contingeret, ſi Apoplexia ex oppilatione eſſet. Denique in acerrimis torminibus, cum integritate functionum mentalium, imò & abſque capitis dolore, contrahuntur artus, qui mox dein paralyſi plerumque feriuntur. An ergo ventris dolor, oppilat ſpinalis medullæ initium ſine Apoplexia? Sic nimirum, ut ſæpè ambæ manus atque pedes reſolvantur, ac motu priventur. Ergóne jam utroque latere, oppilatus eſt quartus cerebri ſinus? Cur ſoli artus orbantur motu, atque ſenſu, non item organa intermedia, eodem itinere, medio, atque interſtitio, motum ſuum ſenſumque mendicantia? Quæ eſt enim cognatio inteſtini, cum illo poſtremo ſinu cerebelli? quiſve conſenſus hujus ſinûs, cum artubus extremis? ut hi ſcilicet pœnam aliunde promeritam luant? Necdum enim ſat conſtat, cum ſenſus & motus unico fiant nervo, in pleriſque tamen quomodo alterutrum lædatur, ſoſpite altero.

75 Quapropter hanc quæſtionem per theſes primus elucidare debui. 1. Cerebrum non ſentit per ſe, vix in ſe. Duabus autem tegitur membranis, ſenſûs acutiſſimi. Adeò quod ſenſus peracutus, magnæque authoritatis ſit majeſtas ubique, in ſtomacho, utero, menyngibus, inteſtinis, nudis ſcilicet membranis, &c. 2. Correlativum illius eſt Spiritus animalis, quamdiu intra ſinus cerebri formatur, aut vagatur, non ſentit, neque ſenſus particeps, inde fit cerebrum. 3. Spiritus ille non recipit ſenſum à cerebro, cum ſenſu careat ipſum cerebrum. Ac per conſequens, nec ſuſcipit ſpiritus iſte ultimam ſuæ perfectionis ac ſenſationis manum, in ſinubus cerebri. 4. Medulla ſpinalis, interno ſui nucleo, eſt continuata cerebri ſubſtantia, veſtiturque ideò membrana, menyngibus continua. 5. Omnis nervus, intus ideò eſt medullaris; extra verò, ſua tegitur membranula. 6. Creditur ſpinalis medulla, per medium ſui, quoad vivitur, pervia, qua ſpiritus motivus diſpenſatur, æquabiliterque per longum illius medullæ, ac nervorum, extenditur. Etenim ſuum iſtud vitale lumen, diradians, defert imperium voluntatis, ſive nutum, ad muſculos, organum exſecutivum motûs illius, quem anima ſibi arbitraliter propoſuit. 7. Mandatum animæ, inſtantaneum eſt. Non quidem quòd ad ſingula motuum momenta (puta in Cytharœdo) ſpiritus decurrant, mandati characteribus inſigniti. Nam quamvis motus contingant adminiſtris ſpiritibus: tarda tamen nimis horum eſſent obſequia. Quapropter ſolo luminis radio, in inſtanti, mandatum, ſive nutus animæ, defertur. Perinde ut objecta viſus, in momento etiam eminùs, percipiuntur. 8. Senſus cum nullus, vel ſaltem ſurdus, ſit cerebro: acutiſſimus verò menyngibus; Ergo lumen ſenſus non defluit per ſubſtantiam medullarem, ac centralem nervi, ejuſque tubum: ſed anima ſenſitiva diradiat ſenſum, ac præcipuè à menyngibus, per membranas nervorum tegmina, communicatur partibus nervo contiguis, annexiſque clientibus. 9. Ergo ſubſtantia duplici, duplicique nutu ſenſitivè formatur lumen, diradians ad ſatellites ſenſus, ac motus. Fit hinc, quòd ſenſus lædatur, ſoſpite motu, vel contrà, ob diverſitatem participati luminis, per diverſa organa delati. Quare nunquam ſatis laudabilis Altiſſimus, qui tam nobiles facultates in membranis cerebri, ſtomachi, atque uteri locavit, vitam, animam, totumque in ſe hominis regimen, in ſe continentibus!

76 Etenim ſi Chiromantiæ, aut Phyſiognomiæ eſt fundamentalis veritas, ſunt lineæ, tam in fronte, quàm in

manu, quæ futuram quandoque Apoplexiam
portendunt. Eſt autem ejusmodi ſignatum, à
Signante, naturaliter nos conſtituente. Arche-
us autem ſeminis, nequit prænoſcere ejuſmodi
effectus: potiſſimum à caſu contingente oritu-
ros (puta ſi ira, vita inordinata, nimiusque Ta-
baci uſus, Apoplexiæ initia attulerit) ergo ſal-
tem neceſſum eſt, quod principia Apoplexiæ,
non ſint à causâ privativâ, ſi in ipſis initiis ſemi-
nalibus celata, & quandóque ſub ſui maturitate
eruptura. Quod eſt dicere: Apoplexiam latere
actualiter in Archeo, ſive ſemine, per modum
morborum hæreditalium, adeóque & graſſari
77 ſic, per integras familias. Saltem notum eſto,
Apoplexiam non eſſe oppilationem ſinuli, à pi-
tuitâ factam, ut neque effectum privativum. ſed
veris, ac ſeminalibus conſtare principiis. Ob-
ſtruens autem pituita, (ſi qua eſſet in homine)
ſive inde dependens oppilatio, non præexſiſtit
in ſemine, multóque minus apta eſſet, delinea-
re in fœtu, portentos effectus tam ſerotinos. A-
deóque pituitam, labentem in quartum ſinum
Cerebri, longiſſimè excludunt. Ac per conſe-
quens etiam Academias, hactenus cauſam mor-
78 bi ejuſque remedium ignorantes. Denique nec
intelligibile eſt, quo medio, aut interſtitio na-
tura poſſet pituitam (inobediens, ac non vitale
excrementum) ad alterum duntaxat latus, illius
exigui anguſtiſſimique ſinûs, ita detinere, ut
nunquam ad oppoſitum latus deflueret, propriâ
mole, ac liquiditatis fluiditate. Imò, cum Para-
lyſis ſit in latere dextero, decubitus ſemper
tum eſt in ſiniſtro: Impoſſibile itaque eſſet, quin
iſta pituita mox non decideret in ſiniſtrum la-
tus, extingueretque ipſum ægrum, vel ſaltem
ambulatoriam gigneret Paralyſin. Cur demum,
ſemper ad dexterum vel ſiniſtrum latus, nun-
quam autem antrorſum aut retrorſum, pituitam
iſtam ſinulus iſte abigeret? Præcipuè quod in
naturâ non ſit dexterum aut ſiniſtrum: ſed
cuncta, reſpectu integri, ſint rotunda. Vnde
patet, in ipſis organis, Archeo ſcilicet vitali, non
autem in pituitâ fictâ illius ſinus, occultari ra-
tionem effectivam, cur Archeus Apoplecticus,
ſemper ſuam pediſſequam Paralyſin ad latus
flectat: Ludicrum verò, quicquid de quarto ſi-
nulo Cerebri Scholæ ſomniarunt. Tota ergo
79 ratio veritatis in hiſce morbis pendet, quatenus
Archeus format perficitque ideam ſeminalem,
quam plerumque reperit nonnihil cadavero-
ſam in cibis, horumque transmutationibus.
Tunc nempe facit vertigines, magisque tena-
ces, ſi idem contingat in excrementis, in itinere
à cibo in alimentum; longéque promtiſſima
eſt Apoplexia, quæ in ipſo Archeo Duumvira-
tus ſuam ſigillarem format ideam. Quippe to-
tus in viſceribus Archeus confeſtim velut ca-
daveratur. Ex diductis demum concludo, Apo- 80
plexiam nullatenus eſſe morbum privativum,
longéque ab hac diſtare præcluſiones nervo-
rum, ut in vertebrarum detorſione, ſuſpendio,
&c. Neutrum quoque oriri ex obſtructione
quarti ſinûs in cerebello, ad initium ſpinalis me-
dullæ. Sed Apoplexia generatur occaſionaliter 81
ex præludio virulento anodyno, & cadaveroſo,
in præcordiis præconcepto. Quod, dum ſuam
ibidem acquiſivit perfectionem, maturitatem-
que requiſitam, inficit Archeum loci, qui ſta-
tim eô ipſo vires cerebri ſuperat, & conſter-
nat. Non autem, quod cerebrum primariò la-
boret, ſubditasque partes in conſpirationem
ſuæ necis trahat. Paralyſin verò, eſſe partium 82
ſenſitivarum contracturam, à terrore ſolo cau-
ſatam. In particularibus verò membrorum re-
ſolutionibus id liquet: quibus nimirum fiunt to-
picæ generationes præfati veneni Apoplectici.
Porrò Scholæ unius tantùm anodyni meminê- 83
re, quod ſoporiferum, narcoticum, ſolóque gra-
du, inter opium, Mandragoram, atque Hyo-
ſcyamum, diſtinctum, non quod proinde ne-
gent, etſi prætereant, plura alia in ſimplicibus.
Sunt namque, quæ pauculo ſpatio durationis,
ſenſum tollunt, ac mentis valetudinem, relicto
motu, prout in epilepticis. Quædam ſolum ob-
umbrant motum, alia utrumque, ac plurima
quoque dementant, relicto ſenſu, atque motu.
Nec ideò nominanda: prout nec alia, quæ ine-
briativa ſunt. Cæterùm humor nobis aſſimi-
landus, facilè in præcordiis, ab Archei inficitur
conceptâ anodyni cadaverantis imagine, cui
varia veneni ſors in ſodalitium connaſcitur, fre-
quensque in Peſte aſpicitur. Alibi verò, non ferit
caput; ſed in habitu ſigillatur: ubi etiam ſubin-
de, eodem degenerandi privilegio, glaciale Le-
præ virus naſcitur. Sed Anodynum in Duumvi-
ratu, præcipitat cerebrum, ac pro ſui differen-
tiâ, vertigines, caducum, palpitationes, ſynco-
pas, catochos, Apoplexiamque generat, & hanc,
ut partium metus, ita & paralyſes comitantur.
Extra Duumviratum verò, ſedem ſuam ſtupo-
re, gangrænáque frigida mortificat, &c. Errant 84
igitur inſigniter, qui maniam opiatis compe-
ſcere ſatagunt. Cum omne opiatum, ſit in ſe
amens. Quia amentia, nil præter ſomnium
vigilans. Siquidem vix decupla opii doſis, ſo-
mnum amenti conciliat, minori autem doſi

efficitur nihil. Sin verò aucta doſi, ſomnus amenti
obrepat, jam dementiam & ſomnum vigili
augebit, ac diſparatas inſomniorum vanitates.
85 Decepit autem Scholas ſomnus, ſponte
propriâ amenti adveniens. Nam is, ut ex causâ
bonâ provenit, ita & ſanitatis præcurſor index,
amentiam ſolutam iri, ſpondet. Adde, quòd in
opio, præter ſoporiferum, ſit connexum virus aliud.
86 Vnde Lethalia papavera ſomno, decantantur
à Poëtis. Sed in ſulfure Vitrioli, eſt ſomniferum
ſaccharinum, quod ſuavem adportat ſomnum,
cum principalium facultatum reſtauratione.
Simile eſt in ſulfure, cujus ergo, pulmoniacis
affectibus commendatur, ſi ita præparetur
ut nobiscum colludere queat. Somnus laborem
adferens, (qualis ex opiatis) malum. Quod virus
conturbationes atque tempeſtates deſignat.
Itaque ſuavis obrepens ſomnus, cauſis dicandus
propitiis. Ergò (iterum dicam) Apoplexia, Epilepſia,
Coma, Vertigo, Tremor cordis, &c. ſua
habent ſingularia venena, atque anodyna. Vertigo
quidem ſubinde inſtar Apoplexiæ ſternit
hominem: ſed citra Paralyſin. Quia non anodynum
cadaverale: ſed inebriativum habet,
quale in Tabaco. Quod ſi in gradu, numero,
aut quanto, nocentius evaſerit; efficitur & Apoplecticum.
Cæterùm de allio, & aqua vitæ, dixi,
ejuſque inſenſilitate: non eſt tamen apoplecticum,
quia virus abeſt, & conſtans radix. Saltem
87 per impertinens huc adfero. Quod anodyna, licet
ſtupefaciant, inſtar frigoris: erroneè tamen
à Scholis, inter ſummè frigida locari. Quinimò
nec ſoporiferum, in opio friget ſulfur: ſed valdè
amaricat, ejuſque ſal acre eſt, ac ſudoriferum.
88 Amara autem, in Scholis, notabiliter calent. Somniferum
ergo, tam in opio, quàm alibi, poteſtas
eſt, donumque Creatoris ſpecificum: non
autem effectus frigoris. Prout, ex profeſſo, alibi
89 de ſomno manifeſtavi. Anodynum autem in epilepſiâ,
ab Apoplectico variat: quia præcipuâ
ſui parte, inebriativum eſt. Parce Lector, quòd
vires rerum à ſimplicium ſimilitudine denominem,
ſiquidem nomina deſunt propria: ut &
proprietatum cognitio à priore, quæ nomina
dictare deberet.

90 Poſt tractatus inſenſilitatis, anodynorum, ac
quorundam venenorum, dolor reſumendus
mihi. Repeto itaque, quod dolor, ac ſenſus, fiant
immediatè in loco, ſive centro injuriato,
nec petito cerebri conſenſu. Sufficit namque,
lumen vitale ipſius animæ ſenſitivæ, in omnes
quoquoverſum partes, pro neceſſitatis exigentiâ,
diffuſum. Nam quilibet partium rector, etiam
objectorum notator, ac diſcretor eſſe debuit.
Quia animam ſibi utrobique præſentem
atque præſidem habeat. Quo pacto namque
manifeſtabit anima, ſe ſentire noxia, niſi dolorem
in centro injuriato inde conceptum, ſive
averſionem, concitaverit? Debuêre ergò membrorum
neceſſitatibus inſervire artubus inſerti
ſpiritus, abſque conſultatione, ac recurſu ad cerebrum:
cum non cerebrum; ſed ipſa immediatè
ſentiat anima ubique præſens. Nimiâ enim
celeritate opus fuit, ad avertendum ac præcavendum
noxia, ideo nuncium ad cerebrum
mittere, importunum fuiſſet. Admitto quidem,
quòd inteſtini dolor in conſenſum trahat alias
partes, easque vel pertinaci paralyſi reſolvat, vel
contrahat partes, motui arbitrali ſervientes, dolente
rene, ſtomachus nauſeet, vomituriatque,
torqueantur ilia, ſtupeatque ſuppoſitum femur:
dolens unguis, glandem ſuſcitet remotam. Siquidem
animæ præſentia confirmat, non autem
tollit partium conſenſum. Itaque conſenſus 91
ille in doloribus, dolori eſt peregrinus, &
per accidens: nec ideo doloris eſſentiam vel
cauſam attingit, aut alienat. Eò quòd conſenſus
iſte ſit poſterus ad dolorem, ideóque etiam ab
eo ſeparabilis. Sentiunt proin ſpiritus partium
ſingulares, abſque ſpiritûs influi commercio. Vt
in dentibus, ac novâ carne ulceri cavo reſtituta.
Etenim quia partes utrobique propriâ vivunt 92
quadrâ, ſenſus eſt juxta organi diverſitates. Sunt
& idcirco dolores multi, tempeſtatibus concentrati.
Lunæque inæqualitatibus reſpondent,
eò quòd in ſpiritu nobis aſtrali, centraliter ſuſcipiantur.
Denique nec cruor, nec ipſe ſanguis 93
arteriarum, ſenſu tactúque animali pollent, licet
ſympatheticè ſentiant, etiam extravenati.
Quia vigent tantùm ſpiritu influo. Quæſitum
ergò hactenus à Theologis, an cruor ab animâ
informetur? Putem ego, ſub correctione melioris
judicii, nil informari ab anima animantis,
quod non participet de anima ſenſitiva. Id eſt,
nil informari ab anima, quòd non per ſpiritum,
inſitum partibus, atque animatum, ſentiat. Eò
quòd informatio arguat neceſſariò, vitam in animante,
ut & vita, ſenſum, obtuſum ſaltem,
qualis eſt in oſſibus, & cerebro. Sin verò edulia
in ſtomacho, affluentia in paraſtatis, fames,
imò & lotium, ſua pariant in anima ſomnia, animamque
ſubter ſomnum, pro nutu concitent.
Non tamen inde, vice verſâ ſequitur:
quod proinde anima edulium, vel lotium informet.
Nam licet anima ſenſerit lotium abundans,
premensque: hoc tamen non ſentit

ſua objecta. Nam & anima ſentit pungentem
cultrum, quem tamen non informat. Vt ergò
aliquid ſit ab anima informatum, neceſſe eſt,
ut vivat, & ſentiat, tanquam vitæ ipſius ſub-
94 jectum. Senſus ergò ac dolor, ſunt in conti-
nentibus ſubjectivè: in contentis autem, tan-
tùm objectivè. Imò quanquam contenta ſint
nobis intima, & proximo modo vitalia: ſunt ta-
men contentorum reſpectu, & animæ ſenſiti-
95 væ, tanquam externa. Veruntamen non ſat eſt,
dixiſſe cum vulgo, cauſam noxiam eſſe dolo-
rificam: imò nec ſcire ſufficit, vitam ſenſitivam
primariò ſentire, atque inde ſpiritum partibus
inſitum, ac tandem organa ſtabilia: ſicque nimi-
rum ſenſum teſtari præſentiam noxii. Cum hæc
Scholæ ac vulgus quodammodò nôrint. At li-
quere debet manifeſtiùs, quid faciat immediatè
dolorem, & quo pacto dolor fiat ſentiendo.
Quoad prius, pungit acus, & inde dolor: Api-
cula pungit, & vulnerat inſtar acûs: at longè
aliter dolet utrumque. Ergò non ipſa continui
ſolutio aut diviſio (in utraque puncturâ alioqui
communis) primariò dolet. Siquidem diviſio
continui, nil aliud præ ſe, aut citra ſolutionem,
efficit. Quæ in Leproſis, & Paralyſi, eſt ſine
ſenſu, ac dolore. Sin verò ſolutio continui do-
leat, ſive non, id cultro eſt per accidens, nec
hoc ſolutionem attingit primariò, niſi in condi-
tione occaſionis ſine quâ non: ergò quòd pun-
ctura apis aliter doleat, quàm ſolutio æqualis
per acum facta, pendet ſanè ex penitiori ſen-
96 sûs judicio. Adeóque vel exinde liquet ſtatim,
ipſam animam ſenſitivam immediatè ſentire,
cenſere, ac judicare objectum doloris. Senſus
autem in Scholis, dicitur paſſivè fieri, prout
motus activè. Ego verò jam oſtendi, ſenſum à
poteſtate, ſive primario ente ſenſitivo, fieri per
actionem: quanquam membra ſubjectivè pati-
antur, per objectorum ſenſibilium applicatio-
97 nem. Ergò ſenſus fit activè, quia ſenſatio ipſa
eſt activa animæ cenſura. Quòd autem interim
membra patiantur, id cum ſit ſenſationi per ac-
cidens, non poteſt impedire, quin ſenſus fiat
ſenſitivè. Eſt quidem idem agens proprium, in
iſta actione ſenſitiva, ſenſus & doloris: quia
ipſum agens, eſt anima. Differtque ſenſus à do-
lore, per judicium animæ, de objectis ſenſibili-
bus. Adeóque ſenſus, ipſius animæ eſt judici-
4 98 um; actio nempe, non autem paſſio. Scholæ
quidem cum plebe nôrunt, quòd cauſæ vio-
lentæ inferant dolorem, prout etiam quòd aqua
ſit liquida: ſed oſtendiſſe internam thymoſin
facultatis ſenſitivæ, & dolorem manifeſtaſſe
in radice, id nondum hactenus intentarunt.
Quorſum conducit conſideratio ſequens. Viva 99
caro amburitur facillimè, excoriaturque ab a-
qua bulliente. Mortua autem caro tardiùs cre-
matur. Eſtque alia ambuſtio, ſi viva manus,
quàm ſi cadaveris uratur. Prior ſiquidem aduſtio
veſicas minimo ardore excitat, ſic ut idem, et-
iam ſub Sole contingat. Poſterior verò combu-
ſtio carnem torret, non ſecus ac ſi aſſaretur:
nempe abſque veſiculis, & excoriatione. Scholæ 100
etiam differentiam nondum iſtam annotarunt,
quia neque attenderunt. Dicentque fortaſſis,
quod faciliùs ſit excalefacta calefacere; quod-
que ideò caro viva promtiùs comburatur. Sed
ſupponamus carnem mortuam, priùs tapefa-
ctam, eodemque gradu caloris, nec ſecus, ac ſi
viveret: non tamen proinde facilè amburitur,
nec eodem modo, quo viva. Non ergò locum
habet præfatū ſubterfugium. Quapropter, cum
ab univoci caloris gradûs agente, diverſæ con-
tingant operationes, in eodem carnis ſubjecto,
ſolâ vitâ diſtincto: ergò neceſſum eſt, vitam
duntaxat eſſe illius diverſitatis cauſam. Quod 101
eſt dicere, vitam eſſe agens proprium ſenſatio-
nis in ſenſitivis: & vitam eſſe ejuſmodi cauſam,
quæ inſuper vim habeat ambuſtiones faciendi
in vivis, & in materia medica, imò etiam reſi-
ſtendi, vel non. Quamobrem reperio vitam, pri-
marium efficiens, ac immediatum ſenſûs, ac do-
loris. Siquidem vis ignis, recepta ac introducta
in cadaver, non eſt ſenſibilis; imò nec propriè
ambuſtiva, qualis in vivis: ſed potiùs aſſativa,
vel toſtativa. In vivis namque, liquor carnis,
per indignationem animæ ſenſitivæ, celerrimè
in acre liquamen convertitur, ac ſubſtantialiter
transmutatur: qui in mortuis non eſt vitali
transmutationi obnoxius. Adeóque inter fibras,
bulliendo & frixando, carnes torret & aſſat. Ca-
ro enim mortua patitur per gradus, quos alia
corpora non ſenſitiva, univoco modo patiuntur
ab igne. Verùm in vivis, etiam aqua bulliens
ſtatim veſicas parat: pars ſolida dein velociter
contrahitur, & crematur. Idcirco iſta ambu-
ſtionis actio, in vivis ac ſenſitivis, fit efficien-
ter ab ipſa vita: ab igne autem effectivè, per
modum medii activi, occaſionalis, & externi.
Vita nimirum ipſa, ſentiens ignis rigorem, acuit
ſuum liquorem, transmutatque in veſicans, ac
dein in eſcharoticum liquamen. Et quantum
ſcilicet ab igne corripitur, tantundem poſtmo-
dùm, per diſpoſitionem relictam, corrumpi-
tur, quia mortuum eſt. Sed quia de ſenſibili-
bus ſenſu notis, tactus eſt primarius judex: 102

idcirco vix locum habet demonſtratio, manſit-
que doloris hiſtoria ac radix, per cauſas hacte-
nus neglecta. Repetam ergô quædam, quæ an-
tea in tanto paradoxo, verbo contractiore ſcri-
pſi. Quamobrem, ad inveſtigandum agens pro-
prium, in dolore, conſideravi, quod Ranuncu-
lus, Apium, Flammula, &c. non veſicent in ca-
103 davere. Veſicant tamen carnem vivam. Cenſui
itaque, quod in ipsâ animâ ſenſitiva conſiſte-
ret differentia hujus actûs, & non primariò in
flammulâ. Quippe quæ tantum veſicat, quate-
nus mordicatione, juſto acriore, infeſtat ſic ſpi-
ritus ſenſitivos, qui ut ſenſatam acrimoniam
mitigent, retundant, aut exſtinguant, furit ani-
ma in illis, reſolvitque ideo propriam mem-
brorum ſubſtantiam vitalem, in labumen cor-
roſivum (prout alibi *de peſte*) quapropter ipſa-
met anima ſenſitiva, ut immediata ſubſtantia
ſenſitiva: ita eſt cauſa efficienter effectiva veſi-
cæ; flammula verò, quæ in cadavere operatur
nihil, eſt cauſa effectiva occaſionalis, externa,
104 & excitativa. Cujus ergò ſtupefactæ Scholæ,
docuerunt, pharmaca eſſe penitus inertia, ac
velut demortua, niſi prius à calore noſtro, velut
coquo, præparentur, & excitata acuentur. Quod
ſanè ſuis haud caret anguſtiis. Statuerunt nam-
que idipſum, quatenus aſſumta vel applicata
pharmaca non extemplo ſuas in nos facultates
exploderent, inſtar ignis: ſed ſpatio aliquo o-
pus haberent, quo effectus ſuos, per prævias
diſpoſitiones producerent. Veruntamen ſi re-
quiratur ſpatium, ut fiat alteratio, quæ ſit ef-
fectus pharmaci; id ſanè neutiquam arguit a-
ctionem pharmaci, à noſtro calore, alioqui ne-
ceſſariam, ut pharmacum donum ſuæ nativi-
tatis nanciſcatur, ſive agendi licentiam, quam
à creatione ſibi obtinuit incolumem, plenam,
atque liberam. Verum (ut dixi) aliter, imò fre-
quenter longè aliud operatur in vivis, quàm a-
lioqui in mortuis, aut non ſenſitivis. Adeóque
effectus pharmacorum non fiunt, niſi prius de-
bitè applicentur, atque dein appropriatione ex-
quiſitiore, ſuam in nos imprimant poteſtatem:
ut videlicet inde oriatur diſpoſitio, quam anima
ſenſitiva ſuo judicio ſuſcitat, & poſtmodùm et-
105 iam explicat, atque perficit. Errarunt namque
ſcholæ in re medicâ, quod aſpexerint cauſas ex-
ternas, & occaſionales, pro principalibus ac vi-
talibus. Idcirco neglexerunt in vivis, ipſiſque
ſanationibus, res effectas, efficientibus propriis,
per gradum debita itinera connectere. Inſul-
ſum quapropter eſto, quod piper, acetum, &c.
deberent mutuare ſuas activitates, & dona, ad
agendum ſuſcepta, à noſtro calore. Quaſi u-
nicus calor, tam multiformium effectuum cau-
ſa foret primaria. Quoniam reverâ, ut res in
nos agat, ad hoc non alio extra ſe extrinſeco o-
pus habet: ſed ut primario: ita abſque morâ,
ſuas vires, per diſpoſitionum momenta, ſtatim
exſerit, ſi debitè ſit applicata (prout tam de a-
ctione regiminis, quàm tractatu, quod calor non
digerat in ſenſitivis, ad longum demonſtravi.)
Sed quia anima ſenſitiva (quam Scholæ cum ca-
lore turpiter confundunt) ſuſceptas vires appli-
cat, atque inde novam ſibi quandam actionem
propriam, ac prorſus vitalem fabricat. Ideo vi- 106
res, quas anima ſenſitiva à pharmaco ſuſcipit,
ſunt cauſæ effectivæ occaſionales duntaxat,
poſſetque ſi vellet, eaſdem præterire, ac neglige-
re. Quod patet in robuſtioribus, qui laxativa, et-
iam violenta, abſque moleſtiâ, irritóque potu
digerunt, tanquam cibos. Itemque in morienti-
bus: quibus eſt quidem pharmacorum applica-
tio, ſed non appropriatio; ob neglectum ſcilicet
atque defectum poteſtatis ſenſitivæ. In robu-
ſtioribus enim, non deficit calor excitans, & ta-
men effectus nullus. Etenim ſuſcipiuntur aliàs 107
ſtatim vires pharmaci, ſenſimque magis magiſ-
que procedunt: dein ſuſceptis illis viribus ani-
mam ſenſitivam hæc, mox benè, aut malè, ſe
gerit ad illas. Si benè: tunc ſuis utitur objectis
in fomentum ſuarum virium, vel in expugna-
tionem noxii. Sin autem perperam, jam ſe ha-
bet vita ſenſitiva moroſè, furioſè, iracundè, an-
xiè, &c. horumque pathematum Ideas ſemina-
les ſpargit in ſpiritum enormon, in cruorem, in-
que organa à pharmacis affecta, remanent effe-
ctus ideis præfatis conformes. Quod tractatu *de
morbis*, itemque *de peſte*, luculenter demonſtra-
vi. Adeóque ſi mora intercedat inter applica- 108
tum pharmacum, ejuſdemque effectum: id ne-
quaquam propter defectum, aut exigentiam a-
ctivitatis rerum; ſed contingit propter neceſſi-
tatem activitatis vitalis, emergentis, ac ſubſe-
quentis ex impreſſione, factâ per pharmacum.
Non enim vis virulenta deeſt in ictu ſerpentis,
licèt quandóque ob impedimentum non opere-
tur. Nam agens, ut in nos agat, indiget applica-
tione, impreſſione appropriatâ, & vi ſenſitivâ,
velut receptrice poteſtatis agentis alterius. Id-
que, ut pariat productum, quod revera ac imme-
diatè eſt fructus novus, ſeu vitalis, tanquam
teſtimonium ſenſationis animæ. Etenim ſic
multi ita aſſueſcunt laxativis, quod nequicquam
tandem operentur. Non quidem, quod calor
in homine defecerit, aut quod laxativa vires

priſtinas amiſerint: ſed anima contraxerit fa-
miliaritatem, ex frequenti illorum uſu, adeò ut
mitiùs excandeſcat tandem iſtis venenis, quàm
109 primis vicibus. Hactenus ſiquidem verum at-
que perpetuum eſt, omnem ſenſationem in a-
ctione & judicio vitali conſiſtere potiùs, quàm
in paſſione. Sive interim iſta ſenſatio contigerit
in ſenſu exteriore, ſive in aliquo animi pathe-
mate: ſive demum, in naturali, aut ſympathetico
110 rerum inanimatarum ſenſu. Saltem liquet, quòd
pharmaca non egeant prægreſſo calore noſtro,
ut agant ſimpliciter: ſed vis ſenſitiva, quæ eſt
actrix principalis, opus habet agentibus, & ob-
jectis ſenſibilibus, ut ſentiat, ſentiendóque agat.
Ideóque actio rerum ſenſibilium, utrobique ſe
habet per modum cauſæ occaſionalis, reſpectu
animæ ſenſitivæ, nec pharmaca proinde ope-
rantur in cadavere. Propter defectum principa-
lis ac immediati agentis, quod eſt vita, ſive ani-
111 ma. Unde quoque ſat liquet, quàm præpoſterè
pharmacorum vires ſint hactenus tributæ a-
genti, ſive efficienti vitali, atque principali; &
quàm neglectû ſteterit agens principale, tam in
medendo, quàm efficiendo morbos. Equidem
ſi pharmacum alioqui deberet actuari à noſtro
calore, ut tali, pharmacum quodlibet ſemper, &
ubique, in omne objectum humanum, actu ca-
lidum, æqualiter ageret: non aliter atque pon-
dus aliquod ſemper ſibi uniformiter æquipon-
derat. At laxativum, eâdem doſi exhibitum, ſol-
vit in uno terribiliter; in alio autem, nequic-
quam: utrobique tamen à calore ſufficienter ex-
citatum. Imò in debiliores plerumque atrocius
furit, idem quod in robuſtioribus eſt citra effe-
ctum. Quod autem de colocinthide, flammulâ,
ranunculo, &c. dixi, ad alia agentia quoque pro-
112 miſcuè trahendum. Imò ferrum candens cre-
mat cadaver, licèt nec æquo modo atq; vivum.
In vivis enim, primariò lædit ſenſitivam ani-
mam quæ ideò mirum in modum inpatiens fu-
rit, reſolvit, & exaſperat, ſenſim proprios at-
que vitales liquores, in virus acutum, dein car-
nis fibras contrahit, ac in eſcharam vertit, imo
in viam carbonis. Cadaver verò crematur à fer-
ro candenti, non ſecus ac ſi lignum, vel aliud in-
ſenſitivum foret. Id eſt, propriâ urit actione i-
113 gnis, non autem vitę. Hanc enim prærogativam
Scholæ non attenderunt, quæ tamen unica, in
limine medendi conſiderabilis. Actionem au-
tem ignis propriam ſuo more, prout & pharma-
corum poteſtates abſtractas, duntaxat conſide-
rarunt. Calx viva, quamdiu ſicca manet, non ro-
dit cadaver: vivam autem carnem mox radit, &
eſcharam movet. Cadaver, à calce, totum reſol-
vitur in liquamen, combibiturque, exceptis oſſe
& cartilagine. Sed carnem vivam non conſumit
in liquamen: verùm transfert in eſcharam. In
univerſum itaque, vis ſenſitiva vitalis primùm
afficitur ab objecto ſenſibili: atq; inde demum
fabricat effectum, ſive ens novum, id eſt, pro-
prium. Juxta conceptum pathema, pro modo
læſionis aut injuriæ ſibi figuratæ. Eſtq; hic effe-
ctus animæ ſenſitivę proprius: mediatus autem,
in reſpectu occaſionis excitantis. Conſequenter 114
quoque, cum dolor conſiſtat ſubjectivè in parte
injuriata & laceſſita; in vita verò, velut primùm
ſentiente, commoto, judicante, & indignato,
tanquam agente primario, cenſui eſſentialem
diverſitatem dolorum conſiſtere immediatè in
affectu motûs animæ. Scilicet dolores puncti- 115
les, lancinantes, & ambulantes, naſci ex affecti-
bus miſtis, ab indignatione & metu: ſive ex a-
goniâ, profectis. Animadverti nimirum ſedulò,
contracturam in unoquoq; propemodùm do-
lore. Adeò ut oblato lædente occaſionali, ſtatim
pars læſa, velut per crampum contracta, corru-
gataque, dolorem manifeſtet ſuum. Eſt nimi-
rum natura ubique tam prona in crampum, ut
nemo virorum cacaturiat, cui confeſtim ſcro-
tum, utut laxum, ſtatim non criſpetur, & corru-
getur. Ob inſiti enim ſpiritus naturalem aver- 116
ſionem, ab objecto dolente, dolor perpetim,
quaſi comitem habet, ſui membri criſpationem.
Eſt & præterea dolor, in parte ſtabilis, prout in
ulcere, vulnere, apoſtemate, &c. Hic enim, ex
ſola meraque indignatione æſtuat. Hic enim,
non ſe ita propriè contrahit prout in doloribus
convulſivis: ſed liquorem ſui nutritium liquat,
commutatque in acrem, ſalſum, virulentum, ac
tandem in veſicantem, vel eſcharoticum, indu-
cta transfert nequitia. Sunt inſuper dolores ali-
quot obtuſi, profundi, modeſtè rodentes, ac ſtu-
pidiores, quique errore digeſtionum exorbi-
tant, moroſam potiùs iracundiam, quàm furo-
rem vitæ, ſecuti. Itaque dolor omnis, è triſti
affectione objectorum, cauſatur occaſionaliter.
Ab ipſa autem vitâ immediatè procedit, tan-
quam teſtimonium ſenſus. Imò pathemata ani-
mæ ſenſitivæ, in propriam organorum perni-
ciem, dolor non raró denotat. Eò quod iſta ani-
ma apprehendat illas partes malè affectas, tan-
quam ſui proprio vitio inſurgentes, ac quáſi
murmurantes, has nititur corrigere, caſtigare, &
ſæpè etiam perdere. In propoſitis itaque termi- 117
nis de Lithiaſi, uterus Duelech, ſola ſui con-
vulſione, ingentes primitùs movet dolores: qui

aſſuetis tandem mitiores evadunt, ob minorem ſcilicet animæ indignationem. Hinc enim pueri mejunt procul, ſenes verò propè. Quia puerorum veſica, doloris impatiens, ex retenta urina concepti, ſeſe contrahit, atque comprimit naturaliter. Senum verò veſica, caſu jam aſſueto minùs perculſa, lotium ſua ſponte elabi ſinit. Alioqui laxato ſphinctere veſicæ, non eſt ratio, cur pueri procul mejant, & ſenes propè, niſi jam dicta veſicæ puerilis contractura, indolenſque, atque ſpontanea, à tergo compreſſio, adhuc inſueta.

118 Doloris occaſione Spaſmus non eſt negligendus. Inprimis (non repetam, quæ de torminibus tractatu *de ventis* docui) non dolet contractum, ob contracturam (ut patet de ſcroto indolenter contracto) ſed ob offenſionem ſpiritui ac vitæ illatam. Eſt nempè contractura, ſenſationis ſive doloris effectus, quanquam contingat accedente contractura, etiam dolorem augeri. Ætas mea, quia perverſorum ingeniorum ferax, paradoxum hoc cum aliis multis ridebit. Quod tamen ſequens poſteritas lubens
119 amplexabitur. Scholæ equidem autumârunt ſpaſmum, per organa exſecutiva motus voluntarii, fieri eatenus, quod dicant, ejuſdem eſſe facultatis, functiones ſanas & morbidas, quanquam alienis cauſis occaſionalibus excitatas. Muſculus ergò, cum ſolus ſit membrum exſecutivum motûs voluntarii, & nervus, organum delativum imperii voluntatis: ſequitur (ut docent) muſculum, tametſi in ſpaſmo, invitis nobis actum: attamen nequaquam contrahi, niſi ab ipſamet arbitrali facultate motrice eadem, quæ
120 illum, dum eſt ſanus, movet. In quo, hallucinanter Scholæ ſibi contradicunt: dum ſpaſmum definiunt motûs arbitralis quidem ſymptoma: attamen oriri à plethora, vel inanitione, velut cauſis proximis, atque continentibus. Attamen ſat eſt cognitum, quod repletio, & inanitio, ſint cauſæ naturales; non autem arbitrales: quæ cauſæ naturales, ſi nervum abbrevient, aut contrahant, (ut apertè docent) non fient ſaltem nervorum attractio, per motum arbitralem. Admiror quoque hâc in parte, Scholarum hactenus celebratas ſtupiditates. Nam inprimis nervus, non aliàs quàm vena, differt à muſculo. Hæc quidem cruorem defert ad muſculum; & ille, motum. Dein, præter binas ſpaſmi cauſas, ab Hippocrate fortè inventas, Galenus tertiam inſuper addidit, in Scholis admiſſam, nempe virulentam qualitatem. Etenim viderat Galenus, ab ictu ſerpentum, ſpaſmum conſequi; nec tamen, ictum etſi intumeſceret membrum, adhuc potuit credere, repletionem ſpaſmum effeciſſe. Defectuoſus in- 121
primis quod neſciat, an nervus ici debeat ut convellatur, an verò muſculus. Tum, quòd fiant mortales convulſiones, in torminibus, ſumtoque helleboro, abſque ullâ nervorum læſione, inanitione, repletione, vel veneno colico. Tertiò, defectuoſus etiam, quòd cum in ſpaſmo fiat membri retractio, & muſculi accurtatio, non diſtinxerit (ut Principem Medicinæ alioqui decebat) cur venenum, muſculum contrahat aut abbreviet, relinquendo ſic obſcuritatem priorem. Siquidem Galenus dicit nomen Medici, eſſe inventorem occaſionis. Quod nomen hoc loco amiſit. Quartò denique, Si ſpa- 122
ſmus contingat ab inanito, repletóque nervo: id eſt, propriâ nervi paſſione: an ergò venenoſa qualitas imprimi debeat in nervum, vel in muſculum, ut inde ſpaſmus eveniat? Quintò, defectuoſus manſit Galenus, & cum eo ſequaces Scholæ, cur ictus ſerpentis, venenoſa pharmaci qualitas, &c. fiant propria paſſio motûs voluntarii, ſuorumque organorum. Si venenum enim debeat imprimi in muſculum, ergò nervus deſinet eſſe ſubjectum proprium ſpaſmi, & per conſequens, fruſtra ſupponitur, atque requiritur ejus inanitio, vel plethora. Sin verò venenum impingat in nervum ipſum, quomodò helleborus, per inteſtina oberrans, nervum primariò afficiet? quomodò pharmacum, adhuc in ſtomacho detentum, contracturam efficiet, & à vomitu ejus, libertatem dabit? Ridiculum ſaltem, quòd affectorum muſculorum alteritas, ſpeciem mali efficiet, ſi ab effectis nervis, eſſentia mali dependeat. Stultumque eſt, Emproſtotonum, Tetanum, Opiſtotonumqe, ſpecificè mutari, propter mutationem Muſculi. Nam Muſculus, ſemper eodem modo, caudam ſcilicet verſus caput trahit. Profectò 123
ejuſmodi puerilitates ex ignorantiâ morbi, & temeritate puerilis judicii, neceſſariò defluunt. Quocirca natura, ſpecies morborum, juxta cauſarum occaſionalium ſpeciem, non autem propter differentiam ſituum, diſtinxit. Atque ad- 124
eò, cum Inanitio, atque Repletio, ſint termini planè oppoſiti, non poſſent unicam Spaſmi ſpeciem producere. Durumque eſt credere, quod nervi inanitio, tota privativa, ſit æquè Spaſmo occaſionalis, quantum ejuſdem nervi repletio. Prout æquè eſt ſtupidum, quòd repleatur nervus, in tantum, donec nervum abbreviet, & quod ex nervulo, in latum diſtento per repletionem, abbrevietur muſculus.

Quaſi nervi omnes poſſent ſubitò inaniri, itemque repleri, & in immenſum tendi, in ſingulo epilepſiæ acceſſu, fictis nimirum humoribus? Quaſi ſpaſmus eſſet muſculi duntaxat accurtatio, ſubſequens ad nervi arefacti, vel humectati abbreviationem? & quidem quatenus inſueta nervi repletio nervum accurtaret, prout & altera quæ ſuâ nervorum ariditate, nervos non minus in longum, quàm in latum, minueret, eſſe retractionis convulſivæ, & non potius utriúſque ſuppoſitæ cauſæ errore, nervi paterentur inexcuſabilem paralyſin? Scilicet tam per obſtipationem nervi, à replente (ut ajunt) pituitâ, quàm per exſiccati nervi compreſſionem? & quaſi eſſet tanta exſiccatio nervi repentina, credibilis, aut in vivente poſſibilis? Imò, quomodò jam ſemel arefactus nervus (puta per nimiam, ut ajunt, laxantis hellebori inſolentiam) iterum mox reſtaurationem, arefacti humidi ſui radicalis, admittat? Cur fuit neceſſe, fingere, & admittere, nervi repletionem, vel inanitionem, ſi citra utramque, venenoſa qualitas donet ſpaſmum?
125 Ridiculum ergò Scholarum dogma de Spaſmi cauſis, inanitione, & repletione nervorum conſcriptis. Nam etſi cum Galeno, etiam agnoſcant tertiam, quæ ſit malignæ qualitatis: nihilominus in duabus prioribus convictę hærent. Hallucinantur namque in materiâ, objecto, efficiente, & modo fiendi. Id eſt, in toto. Quaſi nervulus, ad muſculum extentus, ſæpè vix triplicis fili groſſitiem adæquans, juſtô amplius humectatus, debitóque aridior, tanto brevior ſeipſo fieret, quantum muſculus, ſorte ad ſpithamum, membra contrahit! Imò quaſi tam impactio hoſtilis humoris, quàm nervi inanitio, dolores ſpaſmi cauſaret!
126 Ridiculum huc luti ſiccati exemplum adferunt: cum in vivis ſint impoſſibiles ariditates, atque etiam impoſſibiles ceſſent reſtaurationes; dum tamen Spaſmi ejuſmodi, non rarò, etiam ſponte eſſent. Putârunt Scholæ, fictas illas humectationes, & nervuli ariditates (quæ vix ſtraminis latitudinem efficerent) muſculum contrahere, vel in pedalem convulſionem. Nec item valet exemplum, quod fides teſtudinis, pluvio cœlo madida, diſſiliat rupta, quatenus imbibito liquore accurtata ſit. Nam inprimis duplô longius extendi potuiſſet, quàm ejus ficta in latum extenſio eandem accurtaſſet: non advertunt Scholæ, membranam madidam eſſe fragilem, ut & ſiccam: ideóq; & fides ſervari, in oleo pingues, ne madefiant, aut areſcant.
127 Apage cum exemplis, quæ in vivo locum non habent! 1. Nam in vivo, nervi non ita ſiccari poſſunt, ut eorum ariditas ullam cauſet abbreviationem. 2. Semel exſiccati, nunquam humectationem deinceps recipiunt magis, quàm ipſa ſenectus arida. 3. Spaſmum à laxativo ortum, negant à veneno factum: nam ſi in ſolutivo toxicum agnoſcerent, ſibi marſupium abſcinderent. Ergò Spaſmus à ſolutivo, quatenus inaniente tantùm, non autem tanquam à virulento pharmaco; eſſet ab inanitione ſcilicet, & ariditate nervorum. At reſtituitur non rarò ſpaſmus à ſolutivo ortus. Ergò non à ſiccitate nervorum natus. 4. Omnis ſenex macilentus perpetuo ſpaſmo, ac univerſali, retractus eſſet. 5. Cum nervus non ſit membrum exſecutivum motûs, ergo nervi abbreviatio non arguit artuum convulſionem, quaſi ad accurtationem nervuli, brachium, aut crus, ſequi deberet. 6. Humectato nervo, (ita ut tantò eſſet brevior factus, quantum imbibito humore peregrino, in latum eſſet extentus) cum ejuſmodi humor eſſet planè contra naturam, paralyſin potiùs, quàm Spaſmum efficeret. Eſt autem paralyſis è diametro oppoſita, tam in ſenſu, quàm in motu, ipſi ſpaſmo. 7. Quî poſſet ictus calvariæ, uno momento, omnes ſtatim unius lateris nervos arefacere, alios verò ſibi oppoſitos, humectando, in latum confeſtim deducere, ut Spaſmum ſimul & Paralyſin efficiant? Cumque tam inanitio quàm repletio Spaſmi in cauſam fingantur, deberet ictus calvariæ utrimque ſpaſmum producere. 8. Non mirum itaque, Spaſmo tam infauſta applicata remedia, ſi cuncta morborum requiſita ignorent hactenus Academiæ.
128 Noviſſe enim debebant, omnem Spaſmum eſſe Blas vitale muſculorum, ex Archeo innato ſuſcitatum: cujus occaſio eſt, malignum aliquod irruens in Archeum, muſculorum vitæ inſidians. Quid ſi Hippocrates cauſam Spaſmi, ad inanitionem & repletionem retulerit, reſpexit ad occaſiones vitæ præcedentis. Nimirum quod pergræcantibus, itemque multâ venarum depletione, convulſio frequens eſſet. Mentemque Senis non capiens Galenus, ad nervorum repletionem & inanitionem humoralem, poſtero, ac ſuo commento tabefecit. Spretis itaque ejuſmodi anilibus figmentis, juventuti credulæ per Scholas perſuaſis dico.
129 Muſculis ineſſe duplicem motum, unum nimirum, quatenus eſt organum motûs arbitralis: atque alterum, ſibi proprium. Per quem, etſi ſeſe retrahat verſus ſuum caput: attamen nil obſtat, quin ſpiritus, partibus illis motivis inſitus, illas retrahat ac moveat: prout jam ante, de ſcroto, dictum

dictum eſt. Nec enim naturæ repugnat, partes proprio motu locali ſubſilire, abſente animâ: triſti ſcilicet ſenſatione, partes alio imperatore mobiles, furiosè contrahi. Cùm muſculis ſingulariter deſit alius conſpicuus motus, quo deſignet ſibi illatam noxam, præter eum, quo exſequitur arbitralem animæ motum. Quinimò naturale eſt penitus omnibus membris, & communi partium niſui proprium, illas contrahi ob triſtem illatæ injuriæ ſenſum. Quem locum
130 Scholæ deſeruêre intactum. Quare erroneum cenſui, cum Scholis, Spaſmum credere affectionem capitis. Nam jam in hoc recedunt à theſibus ſuis, quibus ſupponunt, Spaſmum eſſe ex repletione, inanitione, vel qualitate venenosâ nervorum: niſi malint jam mutatis vicibus, Spaſmum oriri ex repletione vel evacuatione capitis. Spaſmus autem eſt accidens ſpiritus ſenſitivi, quod manifeſtant inprimis nervorum puncturæ, vel tendinum, itemque febres, ſumta venena laxantia, ictus ſerpentum, atque alia his
131 paria. Nec interim contra arguit, quòd ictus capitis etiam ſpaſmum inferat: cum non minor capiti, quàm inteſtino, in torminibus, ſit authoritas pro fabrica Spaſmi. Tam ſcilicet Spaſmus à capite oriundus, quàm à vita ſenſitiva, virus perhorreſcente natus, eſt clientum muſculorum. In ictu capitis, quid ſtatim veneno, latus contractum contaminavit? quidve confeſtim omnes illius lateris nervos inanivit, aut replevit? nonne cerebrum ſternutando quatit? membrana pulmonem ambiens, in aſthmate contrahitur ſicco? Corrugatur, contrahiturque pleura, in pleuritide, atque hactenus ſponte à coſtis ſe avellit? Contrahiturque non infrequenter Mediaſtinum? etiam Diaphragma notabili preſſuræ anxietate anguſtiatur? Cui hactenus nomen deeſt, licèt affectus is palpitationi cordis frequens. Splenis quoque obtuſi quandóque dolores, contracti viſceris ſunt indices. Contrahitur quoque ſtomachus ſingultu, vomitu, & doloribus ſtomachicis. Sunt nimirum in his membranis contracturæ interpolatæ, quoties infeſtans cauſa occaſionalis movetur, recurritvè. Incipiente quoq; Hydrope, vel Ictero, imò vel ante natam aquam, aut ventum, ſæpè contrahitur, indureſcitque abdomen uno latere. Inteſtina demum, non ſola ventorum diſtentione (quæ nullos parit dolores, non conſtipata alvo) ſed potiùs contractura ſui, oſtentant tormina intermittentia. Quod alibi, trans umbilicum
132 infantis, me contemplatum fuiſſe, ſcripſi. Cernebam nempè quoties tormina maximè urgerēt, quòd inſultus epileptici concitarentur: inteſtina autem, pro doloris menſura, variè velut ambulando convoluta, & contracta: inteſtinis aliàs ſedatis, ac planè quieſcentibus. Acidum enim atque ponticum excrementum in colicis, pungit animam ſenſitivam; hæcque dolorem parit, ac quaſi per intervalla, contrahit inteſtinum, ventusque tum inibi concluſus, forte fortuna, inteſtinum tendit. Non igitur colica ventoſa (ad diſtinctionem deſcendentis Duelech, ſic dicta) à cauſa: ſed à ſymptomate poſteriore, & accidentali, nomen habet. Sic pariter à laxativis ſæpè recurrit dolor torminum cum contractura, curaturque contracturam mitigantibus. Vix namq; diſcernuntur ventoſa, à calculoſa colica: quia idem doloris ſymptoma, criſpatis contractiſque inteſtinis, in utraq; pariter apparet. Sic enim amygdalinum epotum, dolores lenit, quia contracta inteſtina obliniendo pacat. Itaque cum dolor contracturam pariat, & hæc viciſſim dolorem novum: cernimus, quòd dolor dolorem gignat ſæpè, ac ſui ſimile. Dein, quoties cuti, venis, arteriis, vel nervis accidit injuria, in rugas ſe contrahunt per vim animæ ſenſitivæ. Quam inſigniter namque ſtatim arteria, ſub dolore quolibet indureſcit? Cujus durities non (ut Scholæ 133
arbitrantur) ariditatem arteriæ: ſed ejus tenſionem, ſive ſpaſmum ſingularem arguit: quæque ob id, inſtante rurſus ſudore, contractionis relaxationem, cum mollitudine, prodit. Alioqui ſiccatæ induratæque arteriæ æqua eſt poſſibilitas rehumectandi, quam eſt ſenii, ſpes auferendi. Nonne etiam contracta veſica, expertes ſæpè fefellit Lithotomos? Contrahuntur ſic paraſtata vaſa, in gonorrhœâ, ſpermatis ſtimulo excitata. Pudendum quoque 134
contractum intrò, ſic ſubinde evaneſcit, ut abſque præputio exſtet nihil. Sic & ſui ſunt muſculorum crampi. Sicque parturiens, per intervalla ſuas ac immanes contracturas patitur, quoties uterus à tergo ſe corrugat, ut latentem expellat ſarcinam. Os pectinis quoque, ad pubem, ſpontanea ſui contractura, exitum venienti pandit fœtui, atroci dolore. Vidi, & hyſtericis, tendines, loco natali ligamenti, ſponte diſſiliiſſe, contractoſque immani dolore, itemque ad priſtinum locum rediiſſe, quæque dum id ſæpiùs eſſent perpeſſæ, mitioris doloris conqueſtas notavi (an fortè in iſto nervorum ſubſultu, & vagâ digreſſione, Scholæ agnoſcent ſubitam inanitionem, repletionem, aut qualitatis virulentæ hoſpitium? horumque ſubitanea exilia?) Nephritidi quoque familiare, & ureteres contrahi fero-

ferociſſimo dolore, nil urgente fortaſſis
135 præterquam teneriore ſabulo. Inſolentis ſemper
ratus ſum ignorantiæ, ventos (juxta Scholas) in
nervis, ac tendinibus oriri, vel deforis, in
nervis concipi; crampi (ob id enim flatulenti)
autores, imò & inde tolli ferè ad arbitrium.
Spiritus enim ſenſitivus, doloris horrens, venas,
arterias, tendines, atque membranas, furiosè
contrahit. Dumque ſubter ejuſmodi furores,
ſperatum auxilium non reperit, ejus
incrementum ſuſcitat. Sic nempe ſpina digito impacta,
quatenus dolet, criſpat & indurat arteriam,
ejuſque pulſum, qui anteà ibidem non erat
obvius, obdurat, ob ſolam arteriæ contractæ
tenſionem. Doloris namque proprium eſt
convellere, ac contrahere. Ita quidem, ut os ſupra
pubem, & in lumbis, contrahatur ſponte, in
parturiente, quanquam nullo ductore aut motore
muſculo. Quippe dolor, propriâ ſui naturâ, eſt
contractivus membrorum. idque motu
naturali, & nequaquam arbitrali, quod potiſſimùm in
labris vulnerum ſpectatur. quippe quæ
indolentia ſunt, quamdiu flaccida labra habent, nec
136 contracta. Scholæ autem in natura doloris,
contracturas, ut etiam animam ſenſitivam
prætereiêre, tranſcurrendo ad ventos, decubitum
humorum excrementitiorum, acrimoniam,
conſonantiam, & deuteropathiam partium, quæ
tamen ſcopo doloris ſunt prorſus aliena. quia
ſunt tantùm nomina abſtracta, ac plerumque,
ne in minimo puncto, cauſam continentia.
prout tractatu de cauſis morbificis, tanquam in
certaminis palæſtrâ, demonſtravi. Etenim
ureteribus (pro exemplo in terminis Lithiaſis)
nulla eſt neceſſitudo, dependentia dominii,
clientelæ, uſurpationis, poſſeſſionis, conſuetudinis,
communitaſque canalium, aut
excrementorum, cum inteſtinis, aut ſtomacho. Etenim ſi
dolente ſiniſtra gutturis parte, ne dextera
quidem in tanto angiportu, ſubinde afflicta ſit:
quare vicinitatem, ac dependentiam partium,
in officiorum deſtinatione, atque ſitu,
diſparatarum, & diſcrepantium, meritò non
ſuſpicabimur? Sufficit ergò hactenus, quòd omnis
dolor, contracturæ autor, præſupponat exoſum
hoſpitem. Sunt nempe contracturæ etiam
indolentes (ut antè de ſcroto) quæque non tam à
dolore, quàm à mera moleſtia, ortum trahunt.
Verùm contracturæ dolentes fiunt à cauſis
137 hoſtilibus. Sic nempe dolent, quæ ſpiritum,
dictum (propter animam) ſenſitivum, acredine,
ponticitate, aut gradibus caloris, vel frigoris
iciunt. Eſt autem dolor intenſiſſimus ab igne:
ab alcalibus ac corrodentibus, deinde, quia igni proximis. deinceps, ab auſteris, ponticis, & acidis, quia contracturæ finitimis. Mox dein à ſalſis: tum demum ab acribus, atque tandem ab aliquibus amaris. A venenis autem, ut talibus, immanis conſurgit dolor, quod in peſte ordinarium, & quia à venenis, ſæpè abſque acrimonia, tantus ſurgit dolor; deſignatur veritas. Nimirum quòd à Judicio, animæ ſenſitivæ dolor emanet. Corroſiva enim, cùm ipſam ſenſitivam erodant, ignis inſtar, ipſas partes abſumunt. Alumen autem, vitriolum, aquæ fortes, omphacium denique, atque acuta quælibet etiam, quatenus per ſe fibras organorum criſpant, & convellunt. Proinde excrementa ejuſmodi ſunt convulſoria, atque dolorifica. Sunt etiam Alcalia, quæ ſopiunt dolores, in caſibus nimirum, ubi maximas frangunt putredinum aciditates. Etenim ſub canicula, dum carnes inſtantem minantur corruptionem, fiunt carnium juſcula ingrato ſapore acida. Unde in podagra, colica, & ulceribus rodentibus, ac putreſcentibus, primùm concepi dolores prodire ex acido. Dolet item anima ſenſitiva primùm, quæ tandem aſſueta, minùs excandeſcit: perinde ut inſuetus equus, calcaria recuſat. Eſt namque natura in ſe, tota furioſa ac ſymptomatica, ſenſimque doloribus aſſueta, miteſcit. Quare Philautia, & ultio, ſenſu priora, ſive antiquiora ſunt: quòd in naturæ gremio, ante ſenſum, intimè ſeminibus inſint. Iræ enim, agoniæ, ultionis, triſtitiæ, ac metùs characteres, ſive imagines, contracturas, ſuis iſtis Ideis pares, pariunt. Nam cognitione qua mus non anteà viſam felem horret. ſpiritus laceſſitus concitatur in iram, pavorem, &c. qui ſuâ Ideâ, veluti ſtigmate, in membra, ſuúm exſerit furorem. Frigeſcit 1. manus, quia calor ibidem à vita fotus, per frigus exſtinguitur: non autem, quòd ſpiritus vitalis intro refugiat, relicto ſanguine, cui nupſerat. multóque minus, quod calor, ut nuda qualitas, intrò migret, abeat, redeatque, tanquam in comœdia. 2. Minuto jam calore, perſiſtente quoque frigore, frigus invaleſcit: ac tum ſtupet ſenſus in manu. Comprimuntur nempe ſpiritus ſenſitivi abſtracti: ſcilicet qui ſunt in nervis, non autem in arteriis. quia ſpiritus nupſit ſanguini arteriali firmius, ac venarum proprium eſt, etiam à morte, cruorem à concretione præſervare. Spiritus namque vitalis, fomento cordis, à retro ſuſtinetur, quantum poteſt. Ideóque in illo ſtupore, adhuc detinetur vita. 3. In manu languet motus: quia ſpiritus in carne con-

ereti, cùm à tergo per cor non ſat foveantur, ſenſim pereunt, ſenſimque alterantur. 4. Dein perit motus unà, & ſenſus extinguitur, dum videlicet extravenatus cruor grumeſcere minatur: manente adhuc vitâ. 5. Adeóque tandem artus à frigore totaliter privantur vitâ. dum nempe cruor in grumos jam abiit, obiit. In tertio itaque ac quarto gradu prædicto, calefactâ manu, dolor emergit. Etenim quatenus cor à retrò inſpirat novum ſpiritum ſenſitivum, qui dum mortem in procinctu adfuturam notat, velut ibidem iratus, ſuæ indignationis Ideam ſtatim fabricat, adeóque nativam dulcedinem ſive complacentiam exuit. Prout in tractatu de morboſis ideis, in opere de ortu medicinæ, luculentiùs demonſtrabo. Sic ſpiritus ſenſitivus, qui non à frigore peſſundatus, ſed à compreſſione repulſus eſt: in ſui reditu aliam ſuæ indignationis Ideam, aliumque dolorem velut acicularem concitat. Ignoſcat interim Lector, quod veneni glacialis nomen mutuare debuerim, abſque frigoris præeuntis neceſſitate: Non enim glaciale venenum iſtud voco: quaſi ſit infrigidatum, uti jam de manuum ſtupore dixi: ſed infrigidans, ſimulque ſtupefaciens, ac ſenſum motumque tollens. Itaque nominis ſimilitudo, non à radice, ſed ab effectu ortum ducit. Ac poſtremò, in hoc parergo, pro operis hujus, & ſenſationis epilogo, ruminemus ſaltem remedia Medentum in Apoplexiâ, ſtupore, vertigine, catalepſi, catocho, comate, contracturis, vellicatione, palpebrarum, oculorum, linguæ, & labrorum. Reperies namque ſtatim præſcribi venæ ſectionem ac enema: Dubitantes nimirum, an ſtercus ani, in ore linguam & labra vellicet, ſopores item, ac ſtupores cudat in ægro, ut in Medente peperit ſtupiditates atque neglectum; an verò hæc à cruore oriantur: Itaque utrumque mox intentant ſimul. Sequenti die dein purgantia exhibent. Ac tertiò, ſudores, poſt frictiones promovent, incertitudine repleti. Præſidia eorum nempe, ſunt univerſalia: quia deſunt alia, & ignorant talia. Ideóque totalia, uſualia, ſunt generalia. Defectu cognitionis cauſarum efficientium, duntaxat circa producta vagantur: non ſoliciti de fabricatore radicali, ac priore, ad ſubmovendum effectum tantùm occupantur. Non quod ſperent reditum, relinquendo radicem, ut inde ſibi fructum carpant; (Id namque de probo viro ſuſpicari nolo) ſed lucro nimis anhelanter intenti, de fabricatore morborum nil cogitarunt hactenus à Scholis. Nec mirum ſanè! Quippe Medicina (ut ab initio dixi, ſic iterum finio) eſt donum Dei. Hic autem dona ſua ſubtrahit lucro intentis, nec ſemel cogitantibus de mandato: Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter, qui eſt in cœlis, eſt miſericors: à quo omne donum bonum & luminoſum deſcendit. Hæc eſt ergò, quam dixi, luctuoſa inſenſilitatis & doloris tragœdia moderna, eventu ægrorum prorſus tragico.

FINIS.

FEBRIUM
DOCTRINA
INAVDITA.

Authore

JOANNE BAPTISTA
VAN HELMONT,
Toparcha in Royenborgh,
Pellines, &c.

EDITIO TERTIA.

LECTORI SCIENTIAM,

Sanitatem, Gaudium,

JOANNES BAPTISTA
VAN HELMONT,
TOPARCHA
IN ROYENBORGH,
PELLINES, &c.

P. L. optat.

INDEX CONTENTORUM PRÆFATIONIS.

1 HIc tractatus laceratus è magno volumine, quod inſcribitur, Initia Phyſica nova & inaudita. 2. Elogia Authoris contra Medentes diſcere recuſantes.

VIdi ducentos fortè Authores de febribus, puduit idcirco tituli: ſed cùm penitius rem ipſam conſideravi, vidi, quòd alii ad unum omnes, cantum cuculi cecinerint, idemque ſemper aliis verbis ſibi ſubſcripſerint. Inde enim deprehendi, quòd à diebus Hippocratis, Medicina ſteterit, ſi non retroiverit; ſaltem non profecerit, quia per novas indies centurias, ivit in circulum. Itum eſt, non quà eundum, ſed quà ſecuti ſunt cæcos ductores, quos Altiſſimus non creavit, elegitve in Medicos: ſed qui per laceras Ethniciſmi, & Atheiſmi feneſtras, intrarunt in naturam. Puduit ſanè, imò & doluit notiſſimam morborum febrim, hodie totâ ſuæ tragædiæ viâ, adhuc ignorari penitus. Quocirca videor primus eſſe, qui de febris cognitione, & remedio, aliquid certi ſtatuat. Magnum enim volumen de morborum cognitionibus & ſanationibus, ingens certè atque inauditum conſcripſi, ab ipſis veræ Philoſophiæ incunabilis, inſueta nempe principia, vera demonſtravi, quolibet demonſtrationum genere. Ex hoc opere, laceravi hunc tractatum de febribus, cum indies viderem abuſus creſcere curando, atque inde non parvam mortalium cladem augurarer. Edidi ergò hunc tractatum, absque cognatis morborum doctrinis, quia ſcio, plurimos offendent paradoxa principia, qui plus aſſentiendo, quàm indagando ſtuduere: etſi hoc ſtudii genus quandam pigritiam, & penuriam judicii, atteſtetur. Interim ſpero, non defuturos veri amantes, qui in ſanitatem proximi inhiantes, volent etiam à Belgarum jam antiquiſſimo Medico audire, quæ aliàs nunquam. Nemini enim oneroſum eſſe deberet, poſſe diſcere aliorum laboribus; licet tædioſum ſit veteribus, hoc elogium deglutire. Nemo hactenus febres ex eſſentiâ novit, nemo illarum ſanationem ex arte inſtituit, quòd omnes prætereundo veram cognitionem cauſarum, & modi fiendi, remedia quærere neglexerint. In calores, ſuas ſagittas exploſerunt, verumque ſcopum rei prætererierunt. At cum hujus ævi tanta ſit judiciorum protervia, & ſingularis quædam inſolentia, metui ſanè, ne opus meum, ulceroſum hoc ſeculum admiſerit. Indicabit hic tractatulus velut jacta teſſera, quid Dominus de meis laboribus ſtatuerit. Interea qui jam conſenuerunt in ſuis venarum ac virium diminutionibus, durum erit forſitan ab aſſuetis receſſiſſe. Rogo ſaltem, viderint, qualiter animas ſuas, cauſamque viduarum, & pupillorum, omnibus commendatam, cuſtodiverint. Vale.

TRACTATUS
DE FEBRIBUS.

Definitio febris veterum examinatur.

CAPUT I.

1. *Febris hactenus radicaliter incognita. 2. Definitio febris juxta Scholas. 3. Prima Clauſula omiſſa etiam de requiſitis Veterum. 4. Alter defectus definitionis. 5. Vanum Scholarum ſubterfugium. 6. Aliquot anxietates inde conſequentes. 7. Alia latibula. 8. Alii contradicunt ſenſu notis. 9. Luridum argumentum horum. 10. Examinatur ſitis febrientium. 11. Argumentum à remedio ſitis. 12. Argumentum à pari de ſopore ſumtum. 13. Aliud à ſiti in vigore febrium. 14. Febrim malè definire, lethalis eſt ignorantiæ. 15. Argumentum contra Scholas de calore febrili. 16. Alterum. 17. Tertium. 18. Quartum. 19. Quintum. 20. Calor febrilis non ex materiâ peccante. 21. Alterum argumentum. 22. Tertium. 23. Quartum. 24. Quintum, 25. Calorem febrilem non eſſe materiæ peccantis. 26. Materia febrilis tantùm occaſionaliter calefacit. 27. Opifex caloris febrilis quis. 28. Origo caloris præter naturam. 29. Calefacere & calere ut differant. 30. Calor eſt accidens poſterius, ad eſſentiam febris. 31. Vnde calor febrilis. 32. Febris non eſt eſſentialiter calor.*

FEbris pleroſque morbos antecedit,
comitatur, vel ſequitur.
Febri itaque non minùs quàm lithiaſi,
peculiarem tractatum debui.
Quippe quæ licet familiariſſima,
potiſſimum tamen noſtra
1 ſaginat cœmiteria, & caſtra depopulatur. Morbus
vel à limine, ſive ab initio, notus quidem;
at nequidquam à Medentibus cognitus hactenus,
in cauſis, modo fiendi, ſedibus, ut nec in remediis,
prout lecto hoc libello, cuivis philoſophiæ
2 ſtudiis imbuto, luculenter patebit. Enimverò
Scholæ febrim definiunt, quòd ſit calor
præter naturam, accenſus primùm in corde,
dein delatus per totum corpus. (addam ex mente
illarum, Actiones pleraſque lædens.) Apex rei
3 eſt, quòd genus definiti, ſive eſſentiam febris,
vocant calorem non qualemcunque: ſed eum,
qui præter naturam fuerit, & gradu ſuo læſerit.
4 Adeóque cùm calor ille ſit eſſentialis febri, deberet
inprimis ita eſſe à febri inſeparabilis, ut febris
mentaliter concipi nequeat, quin individuus
ſit illi comes calor iſte. Inprimis ſe noviter
objecêre Caſtrenſes febres, quæ citra ſitim, ac
manifeſtum calorem, accidunt. Id eſt, ab initio in 5
finem vitæ uſque, abſque calore ſuam peragunt
tragœdiam. Si dicant has febres Veteribus ignotas, 6
nec ideò ſub definitione comprehenſas;
concludo ſaltem inde, has febres nec ideo
eſſe poſſe febres, vel febrium eſſentiam non alligari
neceſſariò, ſed tantùm per accidens, calori.
Dein iterum, quòd definitio febrium ab olim
tradita, & hodie etiamnum in Scholis ſervata,
non ſit adæquata naturæ febrili. Ac tertiò,
quicumque frigus penetrabile medullitus
per horas aliquot ſenſerit, febrium principiis,
non perſuadeat tamen febrim ſibi inchoatam
vel adeſſe, ſed alium affectum hactenus anonymum.
Etenim quanquam concutiatur rigore,
dentibus quatiat, labriſque præ frigore liveat,
perſuadeat tamen ſibi per ejuſmodi ſqualores,
febrium initia illa, non eſſe febrium initia: Neque
enim, qui talibus initiis moritur (quod plerumque
in Intermittentibus fit) verâ febri extinctum,
credat qui volet: etenim non ſoleo
de contingentibus ſenſu notis, alium advocare
Iudicem præter tactum. Ita enim ſtupidus ſum,
quòd de ſenſibilibus, non niſi ſenſuum judicio
ſto. Medici verò, opinionis Veterum tenaciores, 7
ſubterfugiunt in latibula, ut Galeni ſenſa
tueantur: nam quidam volunt, quòd frigus,
aut rigor, non ſint febrium initia: ſed principia
acceſſionis. Sed hos Galenus ipſe dejicit, dicens:
Intelligimus primum nomine paroxiſmi,
totius acceſſionis partem peſſimam. Quod
ſonat: acceſſionem, & febrim, eſſe ſynonyma.
Sed agedum, ſi frigus dicat initium acceſſionis,
& non febris, ſaltem acceſſio adventantem febrim
dicit; adeóque neceſſariò initium acceſſionis
erit initium febris. Alii proinde, maluêre 8
apertis oculis non videre, non ſentire. Quare dicunt,
revera in principio febrili, nullum ſentiri
frigus verum, ſed mendax, atque doloſum ſenſuum
lenocinium: dumque exterius frigent, volunt,
quòd internè æſtuent, crementurque vero
calore, quamvis aliter ſentiant. Atqui ejuſmodi
deliria quilibet è medio rure facilè explodet.

Nam per aliquot horas, intenſiſſimum frigus
penetralia obſidet. Etenim in tam apertâ, & indubiâ
frigoris hiſtoriâ, (quæ facti & ſenſus eſt)
9 argumentum ſat luridum proferunt: Intus eſt
magnus calor (inquiunt) licet non ſenſibilis:
quia ſiti continuâ premuntur, quæ ut eſt ſiccitatis
index primariò, hæc tamen in vivis præſupponit
æqualem ſibi calorem. Adeóque plus
10 authoritatis meretur ſitis, quàm ſenſus. At neſciunt
hanc ſitim, non à calore, ut neque à ſiccitate
manare, prout aliàs contingit in ſiti naturali.
Ideo enim nec exhibito potu ſedari.
Quod regulariter fieri deberet, ſi à ſicco vel calido
ſitis iſta oriretur. Fallax ergò ſitis, non autem
frigus. Oritur namque ſitis ab excremento,
quod facultatem iſtam ſenſitivam, ejuſque organum,
malè affectat, illuditque non ſecus, atque
11 ſi repentè magna ſiccitas adveniſſet. Nam
ſolet acidum ſulfuris (quod in ſe ſicciſſimum & corroſivum)
ejuſmodi fallacem ſitim delinire,
non ſecus atque aqua ignem extinguit. Atqui
ſaltem non concedent Adverſarii, ſiccitatem
tolli per ſicciſſima remedia: non autem humidorum,
& frigidorum potatione potiùs. Sed
cur non licet pari ratione ariolari, frigus in febrium
initio, ex ſopore invicto? cùm non minùs
Scholæ ſtatuant, ſoporem ab invicto frigore
12 provenire, quàm ſitim à ſiccitate. Nec obeſt,
quòd ſopor non omnibus adſit febrientibus.
Sufficit namque, ac majorem confuſionem adfert,
13 quòd aliquibus ſit frequens ſopor. Sed tandem
quò evadent, ſi in vigore febrium (quæ ſtatio
eſt febrium æſtuoſiſſima) concedant non
tantam ſitim, quantam initio: attamen interiora,
tum ad ſenſum, multâ anxietate æſtuant maximè.
Quare ſi calorem prodat ſitis, hujuſque,
indicium ſit à calore inſeparabile, ſic ut trementes
præ frigore dicantur nihilominus ardere,
deberet maxima ſitis premere, ſub calidiſſimâ
febrium ætate. Atqui iſtud negant, quid agent
ergò propriâ reti capti? Longè itaque errant,
quotquot ab accidentibus, per accidens ſubſequentibus,
de rerum nativis radicibus ferunt
14 ſua judicia. Eſt ergò lethalis ignorantiæ, febrim
malè definiviſſe, ſi juxta definitionem febrim
curaverint. Imò per legem Corneliam de Sicariis,
in illos agendum, qui malè curant pertinaciter
eos, qui ſuam vitam ipſis concredidêre: Vtpote
quorum reatu, tot millionum myriades
15 tam infauſtè necantur. Enimverò ſi febris, ſive
calor febrilis (ſunt enim hæc duo ſynonyma in
Scholis) debeat primùm accendi in corde, neque
tamen febrium materia (quam ajunt de
uno ex quatuor humoribus putrefactis prodire)
conſiſtat in ſinubus cordis: ergò calor,
ſive febris, non accenditur primùm in materiâ
febrili, fruſtraque inquiritur putredo, ut intimam
atque immediatam cauſam caloris præter
naturam inveniant. Ac per conſequens, exin
ruit definitio febris. Imò inde ſequitur, quòd 16
febris primariò, intimè & immediatè, non exiſtat
in ſuâ materiâ unde cauſatur (ut volunt)
materialiter, & originaliter: ſed alibi, puta in ſolo
corde. Iterum ex eadem theſi ſequitur, quòd
ut ſit febris, non requiratur accendi materiam
peccantem & febrilem: ſed aliud accenſibile,
primariò reſidens in corde, & inde labile per totum
corpus. Hoc enim accenſibile corpus, unà
cum Hippocrate, voco ſpiritum impetum facientem.
Sed hoc ultimum, non ex mente Veterum 17
huc attuli: ſed extortum eſt, atque per
vim, mihi concedi juſſi; de quo ſuo loco, ubi
de causâ efficiente febrium diſſeram. Saltem eo
nunc violenter impetrato, ſequitur, quòd materia
peccans febrium, non propriè accendatur,
neque in ſe primariò, vel efficienter caleat, nec
quidem calefaciat præter naturam, ſi primum
accenſibile accendi debeat in corde. Ergò nec
materia peccans in febri, calet ſupra, aut præter
gradum naturæ. Sed illud quod in corde accenditur,
non erat accenſum, ante acceſſum
febris: adeóque omni modo differt à materiâ
peccante in febribus. Tandem & hinc aptè 18
concluditur, quòd cuicumque intendunt perimere
febrim per refrigerantia, ut talia, non intendant
ſanare per cauſarum ablationem, per
radicum ſucciſionem, evulſionemque fontis,
atque fomitis febrilis: ſed duntaxat intendunt
auferre, & corrigere calorem, qui eſt quoddam
productum poſterius, hoſpitatum extra materiam
febrilem. Applicant nempe ſua remedia
ad poſterius, non autem ad prius. Siquidem calor 19
febrium, eſt accenſus in impetum faciente
Archeo: & radix febrium, eſt ipſa materia peccans.
Reſpiciunt ergò tantùm ad ablationem
effectus conſequentis, & reſultantis ex poſitione
radicis illius, cujus ergò Archeus non quidem
à radice accenditur, ſed à calore aliunde hauſto.
Dum nimirum ſeipſum accendit propriâ thymoſi,
& calore ſuo ad gradum, ſupra exigentiam
deducto, in quo totus eſt moleſtus, quatenus
ſupra ſuæ exigentiæ amplitudinem eſt delatus.
Nec enim putandum, quòd exoſæ materiæ 20
febrili, quam peccantem, mecum nominant,
ſic inſit aliquis calor, ut deinceps is febriliter
calefaciat totum integrale. Siquidem propter

quod unumquodque eſt tale, illud ipſum volunt
21 eſſe magis tale. Deinde etiam, quia omne agens
calefactivum, per ſui ſpecies, fortiùs agat in propinquum,
quàm in diſtans. Quapropter ſi materia
febrilis ſuo calore reliqua calefaceret, neceſſe
eſſet, quòd centrum, ſive nidus quo recipitur
iſta materia febrilis peccans, prius torretur
in cremium, quàm quòd inde aliquod diſtans
22 calefieret. Imò, ſi materia peccans propriâ
ſponte caleret, & febris eſſet, is merus calor
præter naturam, omnis febris ut talis, deberet
eſſe continua, nec intermitteret, donec omnis
materia peccans penitus eſſet conſumta in cinerem.
23 Neque ideo ulla eſſet ratio repetitionis,
vel recidivæ, cùm materia peccans, ad ſui conſumtionem
uſque ex generali proprietate ſemper
24 calefaceret. Quinimò & cadaver tam caleret
poſt mortem, & febri torqueretur ardentius
quàm dum viveret, eò quòd eadem numero
materia, cujus obſequio mors advenit, etiamnum
perſtet in cadavere: cumque eam ſupponunt
calidam, proprio putredinis calore, magiſque
ſit putrida poſt mortem, ut & potentius à
morte putrefaciens, pluresque afficiat partes ſibi
conterminas, quàm dum viveret. Idcirco etiam
plus actualiter caleret poſt mortem, quàm in
vitâ. At ſanè hic error proditur. Nam febris quæ
vivum calefecit, ſtatim à morte ceſſat, omniſque
25 calor cum vitâ exſpirat. Quod nos inſtruere
deberet, calorem febrilem non eſſe materiæ
peccanti proprium, vel inquilinum: quodque
calor materiæ peccantis, non efficienter & effectivè
calefaciat in febribus. Ergò perpetuò
verum eſt, quod materia peccans tantùm occaſionaliter
26 calefaciat: Archeus verò ſit omnis alterationis
opifex, adeóque hoc titulo impetum
faciens, efficienter, primariò, immediatè, ſemper,
ubique, & ſolus non calefaciat, juxta axioma.
27 Quidquid in ſanis edit actiones ſanas, idipſum
in morbis edit actiones vitiatas. Spiritus
enim iſte calefacit hominem naturaliter in
28 ſanitate, idem qui in febribus æſtuat. Per
exemplum. Spina querna digito infixa, actu &
potentialiter frigida, mox in digito excitat calorem
præter naturam. Non quidem, quod calidi
humores affluant, quaſi per ſpinam eò convocati,
exſpectaſſent ſpinæ vulnus, & qui aliàs
ſuis ſedibus temperati reſediſſent. Siquidem
cruor vulneri proximus, primus accurrit, aditum
venienti cruori præripit. Et ipſe per ſe
quoque non calet: ſed ex gratiâ vitalis ſpiritus.
Itaque inflammatio, & tumor cum pulſu duro,
dolore, & à calore, à ſolo ſpiritu cauſaliter: ab
infixâ verò ſpina, occaſionaliter duntaxat, procedunt.
Paradigma certè ad febris poſitionem, 29
modum, cognitionem & ſanationem ſufficiens.
Nimirum cauſa peccans in febri, non calet
ex ſe: calefacit autem tantùm occaſionaliter,
& ad ſpinæ ſive cauſæ occaſionalis evulſionem
ſequitur ſanitas. Solus ubique Archeus
effectivè febrim concitat, & quo abeunte
per mortem, ceſſat cum eo febris. Ergò calor 30
eſt accidens poſterius, & ſubſequens ad febris
eſſentiam. Accendit nimirum ſeipſum Archeus, 31
in niſu, quo cuperet expellere materiam occaſionalem,
tanquam ſibi impactam ſpinam.
Hanc autem quicunque aufert, ſive id fiat per
calida media, ſive per temperata, ſive demum
per frigida, is morbum à radice tollit, & eſt naturæ
quaſi indifferens. Quia eo ipſo ſedatur,
ceſſatque thymoſis Archei. Quamobrem calor, 32
utcumque præter naturam auctus, indicium
poſſit eſſe febrium; non eſt tamen ipſe febris,
nec illi ideo inter medendum, magnoperè eſt
inſudandum. Hinc nempe Hippocrates ſeriò
monuit, calorem & frigus, non eſſe morbos,
ut neque horum cauſas: ſed cauſas (nimirum
occaſionales) morborum, eſſe amarum, acre,
ſalſum, ponticum, &c. Spiritum verò eſſe eum,
qui impetus omnes facit. Galenus dein quingentis
facilè annis Hippocrate junior, multum
chartæ maculavit, ſuaque dicacitate, ſequaces
ad ſe allexit. Poſteritas verò admirata hunc garritum,
eundem ſecuta eſt: maximi ſemper fecit,
quod fuit minimi. Dein mundus in judiciis
frivoli ubique inſenuit, magni æſtimans
ſemper ponderis, quod ſuæ eſſet inconſtantiæ
ſimillimum.

Nutantes Scholæ introduxère putredinem.

CAPUT II.

1. *Scholæ coactæ ſunt præter calorem aliud in febribus
comminiſci.* 2. *Alter defectus in definitione
febris.* 3. *Contradicunt Scholæ poſitis à ſe principiis.*
4. *Quod febrium eſſentia non ſit à calore.*
5. *Senſim obliviſcuntur ſuarum theſium.* 6. *Aroma
roſarum calidiſſimum.* 7. *An calor febrilis
rectè à Scholis cenſeatur oriri à putredine.* 8. *Febris
maligna in quo differat à reliquis.* 9. *Criſis
febrium à ſudore ſit ſaluberrima.* 10. *Cur Scholæ
refugerint ad putredinem.* 11. *Stolida comparatio
caloris in fimo equino.* 12. *Cur fimus equi caleat.*
13. *Gradus caloris putreſcentis rei non ſufficienter
totum hominem in febri eſt calefaciendo.* 14. *Putrefactio
nuſpiam eſt cauſa caloris.* 15. *Fimus non*

caleſcit

calefacit à putredine. 16. Cur calorem febrilem non a thermis deſumſerint. 17. Ignorantia radicum Scholas detorſit ad effectuum conſiderationes & remedia. 18. Fimus calorem perdit, dum incipit putrere. 19. Cæcitas ingens Scholarum. 20. Galenus erroris convictus. 21. Cruorem in venis nunquam putreſieri, adeoque erroneum eſt quod de Synocho nugantur. 22. Probantur præcedentia. 23. Dos venarum. 24. Vel ruit natura, vel Scholarum doctrina. 25. Paradigma ex varietate cruoris. 26. Ridicula tabula cruoris emiſſi. 27. Argumentum à Peſte contra uſum Scholarum. 28. Iterum à Pleuritide. 29. Calores & turbulentiæ cruoris non teſtantur ejus vitia. 30. Lurida Scholarum deceptio. 31. Humores in febribus ſupponere putridos, ridiculum. 32. Contra definitionem febrium præcedentis capitis, aliquot allegantur abſurda. 33. Frivola excuſatio per Diariam. 34. Impugnatur iterum præcedens febrium definitio. 35 Scholarum inconſtantia. 36. Cruorem non putrere in venis. 37. Corruptio unde. 38. Cruorem hæmorrhoidum non eſſe putridum. 39. Remedium mirabile contra hæmorrhoides, per annulum. Itémque pro aliis morbis.

1 MEditabantur Scholæ, quod non rarò
calor per exercitia efflorefceret, febri-
entium calori non abſimilis; qui cùm
tamen febrilis non eſſet, calorem quidem febri-
bus neceſſarium cenſuerunt: non indifferenter
quemlibet, ſed illum qui è putredine ſuſcitare-
tur. Jam non amplius de calore anxiæ, ut neque
de gradu, aut intemperie ejus: ſed potius de cau-
sâ continente illius. Neque enim ſufficere viſus
eſt calor graduatus præter naturam pro febri,
2 niſi & is emergat è putredine. Quæ certè parti-
cula, torpidè omiſſa eſt in præfata febrium de-
finitione. Ergò jam febris eſſentia, non ampliùs
eſt nudus calor, nec hic diſtinguet febres ex di-
verſitate caloris (licet ſpecies inde reſultet, un-
de eſſentia) ſed humorum putridorum, vel ſal-
3 tem putreſcentium varietatibus. Bellè ſanè in-
ceptum, ſic eſt à poſitis terminis vagari, ut cum
antea non reſpicerent niſi calorem, qui ſupera-
ret conſuetam naturæ temperiem, deinde exi-
gant calorem, & ſubjectum putredinis, quem
volunt accenſum in materia peccante putrida:
4 non autem ampliùs primum in corde. At cum
caloris, non niſi unica ſit ſpecies in gradu, mo-
menta verò ejuſdem plurima: ſintque ſpecies fe-
brium plurimæ, nec poſſit multitudo febrium
ſpecifica prodire ex unica ſpecie caloris præ-
ter naturam. Ergò in eſſe caloris aliud ſpecta-
tur præter gradum ejusdem. Non ergò calor
conſtituet eſſentiam febrilem: ſed iſtud aliud,
ratione cujus prorumpit febrium diverſitas. Si
ergò putredo diverſorum, ſit cauſa efficiens
diverſitatis febrium, tam erit calor cauſatum
putredinis, quàm ipſamet febris: adeóque
cum actio cauſalitatis putridi, aliud quid in-
volvat præter calorem ipſum, non poterit fe-
bris eſſe calor. Jam Scholæ confuse, plurima 5
utrobique adſtruunt, ut ſi ipſas non juvet u-
num, juvet ſaltem aliud. Ita ut quamvis præfa-
tam definitionem ſervent mordicus, eamque
adorent: ſenſim tamen ab intemperie nudâ ca-
loris deflectunt, ad humorum putredinem. Nec
ſiſtunt in his nugis, quin inſuper ad remedia ca-
lida refugiant, oblitæ ſuarum theſium. Idque ſi-
ve attentent purgationes, ſive demum ad pro-
pria febrium ſpecifica ſeſe converterint. Quid 6
namque in medendo eſt modo ſolennius, quam
pro febri dediſſe apozemata ex lupulo, aſpara-
go, &c. eademque ſaccharo condidiſſe? Quid
enim aromate roſis incluſo eſt ardentius, ſive
ſaporem ſpectes, ſive applicationem; ſine quo
tamen ipſa roſa merum eſt cadaver? Quid
enim ubique crebrius occurrit, quàm ſulfuris
aut vitrioli corroſivum (multipliciter ſuadente
lucro adulteratum) julapiis febrilibus immiſ-
cuiſſe? Rhabarbaro denique & ſcammoneatis,
ſontes quos fingunt humores elicuiſſe? Ergò 7
ante omnia ex profeſſo examinandum, an fe-
brilis calor ſuum debeat ortum putredini.
Quamobrem inprimis docui palam, calorem
febrilem nullatenus pendere cauſaliter ex ma-
teriâ peccante. Deinde didici, quod ſola febris 8
maligna in hoc à cæteris diſcrepet, quod ſua
materia peccans adjunctam habeat putredinem
incipientem. Quæ ſi dein in ſui faſtigium per-
reptârit, donec putredo ſit in facto eſſe, intusque
manſerit, neceſſariam mox mortem adferat. Sin
verò in fieri eſſe, foras propulſetur (ut in vario-
lis, eryſipelate &c.) plerumque ſanatur. Eò quòd
motum ad extra, plerumque comitetur ſanitas.
Hinc namque febres cieunt ſub finem ſudores 9
ſpontaneos. Eſtque Criſis, quæ per ſudores ter- 10
minatur, longè ſaluberrima, & per conſequens
etiam remedia ſudorifera. Confugerunt autem 11
ad putredinem, ut reperirent cauſam; unde pri-
mum frigus, mox dein calorem ſtabilirent. Aſ-
ſumunt ideo fimum equinum, actu frigidum,
ſponte incaleſcere, propter putredinem, At
quàm ſtolidè utrobique, credulo mundo impo-
nunt! Nam vaccinus, ex iisdem alimentis, me-
lius putruit & digeſtus eſt, quàm equinus; tamen
non incaleſcit. Fimus etiam equi, qui gramine
paſci-

paſcitur, aut viciis, non incaleſcit, prout dum
granis veſcitur; non minus tamen ille, quàm
12 hic, putruit. Neſcivêre ergò, quod calor ſequa-
tur manſa grana, non autem naturam putredi-
nis. Ergò inſulsè traducunt calorem febrilem,
ad humores in febri putridos, ab calore fimi
nondum putrentis. Neſcivere ergò Scholæ,
quòd quo fimus equinus propinquior eſt inci-
pienti putredini, tanto magis orbetur omni ca-
lore. Idemque nec unquam proinde putrebit, ſi
ſpargatur. At ſolùm dum in cumulum contra-
hitur madidus, non ſecus ac fœnum & flores, ſi
comprimuntur madida, accenduntur ante pu-
tredinem Neſcivêre, inquam, fimum incale-
ſcere per proprios ſpiritus ſalium compreſſo-
rum. Denique etſi fimus caleſcat in fieri eſſe pu-
tredinis, ceſſat tamen omnis calor, ante ineptam
putrefactionem in facto eſſe. Adeóque calor fi-
mi, non quadrat materiæ febrili, ſi multò antè
latitet putrida (ut ajunt) in receptaculis, & qui-
13 dem in quartana continuò, & diutiſſimè. Imò
nec eſt gradus caloris fimi adæquatus, ut à pu-
trido centro diſpergatur uſque in plantas pe-
dum: quin prius corporis centrum exurat, ubi
putridus is humor reſtagnaret. Eſt ergò exem-
plum fimi plane impertinens febribus, cóque
magis, quod non docent frigus, tempore prius,
calore. Quinimò in naturâ, nuſpiam putrefa-
ctio cauſat calorem, multóque minus in vitali-
14 bus. Nam in putrefiente, eſt neceſſarium fri-
gus, ſi vita ſpoliatur, quæ nobis fons caloris
eſt. Etenim diebus intercalaribus Intermitten-
tium, non querimur de æſtu, aut nos moleſtat
frigus: quando tamen ſupponunt humores pu-
trefieri. Itaque ſi calor & frigus cauſaliter ſuc-
cedant in putrefacto, ſitque in febrium acceſſu
frigus ſemper ante calorem, frigus eſt magis na-
tivum putrido, quàm calor. Idcirco enim à du-
ratione frigoris in febri metimur morbi diutur-
nitatem, non autem à calore. Tandem oſtendi
omnem calorem febrilem eſſe prorſus ab Ar-
cheo, ideóque ceſſare ante mortem: quando at-
tamen frigus & putredo invaleſcunt magis. Im-
plicat etiam, quòd calor febrilis eſſet à putrido,
& primum ſuccenderetur in ipſo corde, unde
15 putredo exulat. Denique non accenditur calor
in fimo à putredine ſui, Nam ſi quotidie novâ
equi urinâ irroretur, ne quidem in annum in-
16 caleſcet. Certum eſt autem, quod urina non
præſervet à putredine, quam verius augeret.
Verius enim calores è thermis, vel calce de-
ſumſiſſent: ſed horum calorum cauſas magis i-
gnorabant: quapropter facilius æſtimarunt, u-
nius fimi equini putredinem accuſaſſe. Nec e-
rat cur potius à calore, quàm à frigore, aliisque
ſymptomatibus febrilem eſſentiam mutuarent,
cum ſint paria ac ſocia febrium accidentia. Ita-
que ſemper ſtuduerunt debellare accidentia
producti: quia radices ignorarunt. Sed cum jam
conſtet res materiales eſſe ipſam materiam, quo
modo ſanabunt, qui duntaxat ad calores totum
ſanandi cardinem vertunt? Saltem cecidit fimi
equini ſimilitudo, & caloris febrilis, putredini
adſcripta. Nam fimus, dum tantillum putrere
incipit, calorem exuit. Ac quamdiu calere pot- 18
eſt, artifices ſalem petræ exin eliciunt: ſin au-
tem incaluerit, ut ſibi inutilem, ruſticis relin-
quunt. At Scholæ, humorum putredinem ac- 19
cuſant: & quidem unius ac ejuſdem humoris,
tam pro frigore, quàm pro calore, & utroque
intenſo. Atque per conſequens, unum & idem,
duo oppoſita immediatè ex ſe efficeret. Ergò
neceſſe eſſet, alterutrum horum, ut ſit per ſe,
alterum verò per accidens. Si itaque frigus eſt
proles putredinis per ſe, non poteſt ullatenus
eſſentialiter includere calorem: ſed tantùm per
accidens. Sin autem calor eſt filius putredinis
per ſe, nec utique febris tum incideret à frigo-
re. Sat lucet attamen ex præfatis, quod Scholæ
putent, putredinem, febrium eſſentiam: ca-
lorem verò atque frigus, accidentia comitan-
tia putredinem. Quare Galenus ait: Cum ſan- 20
guis putreſcit, fit bilis. Quem textum ſi admi-
ſerint, iſta bilis erit putrida in ſui ortu, vel non.
Si putrida, faceret Tertianam: non autem Sy-
nochum vel cauſam putridam. Sciant igitur 21
Scholæ, cruorem in venis putrefieri nunquam,
quin ſimul ipſamet vena putreat, ut in Gan-
grænâ, & mortificationibus. Adeóque petunt
principium, qui cruorem emittunt, ne putreat
in venis. Item qui Synochum è cruore putrido
venarum oriri aſſerunt. Itemque qui cruorem
dum putreſcit, in bilem verti ajunt. Quæ ſic 22
probo. Venæ ſuum cruorem, etiam in cada-
vere, retinent fluidum conſenſu totius Anato-
miæ; cruor autem extravenatus, mox in gru-
mum concreſcit. Eſt autem cruoris coagula-
tio, corruptionis dumtaxat initium, & via ſe-
parationis integri. Ergò ſi vena cuſtodiat cruo-
rem, à corruptione in cadavere: multò id ma-
gis in vivis. Argumento à minori ad majus.
Putrent quidem excrementa peregrina in ve-
nis: tam propriæ nimirum, quàm alienæ dige-
ſtionis retenta (ut de digeſtionibus alibi) at nun-
quam ſanguis. Quippe qui juxta Sacra, eſt ſedes,
& theſaurus vitæ. Si ipſa ergò vita nequeat à

corruptione præſervare ſuam ſedem & theſaurum
quantiſper eſt in venis, quando ergo ſervabit
eum? & quomodò unquam erit immunis
à corruptelâ? Itemque ſi vita, non ſervet à putredine
ſanguinem in quo gliſcit, quomodò
23 præſervabuntur oſſa? Venæ ergo à Creatore
ſunt ordinatæ, ut ſanguinem ſervent à corruptione,
quia vita confermentata eſt ſanguini
24 venarum. Itaque ſub hac quæſtione ruit decus,
& deſtinatio naturæ: vel ruit totus ordo medendi
hactenus adoratus à medentibus. Sed
eſto, quonam ſigno judicant Scholæ ſanguinem
putridum? nonne ex colore albiore, nigriore,
flavo, ſubviridi, fuſcove? nonne ex materiâ
viſcoſâ, craſsâ, aqueâ, tenui? & tandem an
non ex conſiſtentia, non fibroſa, vix cohærente,
25 &c. Aſt declaro, ſub pœna convicti mendacii,
ſi quis velit experiri, quod ducentorum petulantium
ruſticorum, & ſanorum cruores, unico
die examinaverim: erantque multi illorum,
aſpectu valdè diſſimilares, colore, materia,
& conſiſtentia, quorum plures diſtillavi, &
reperi, medendo æquè utiles. Solent namque
noſtrates ruſtici, altera Pentecoſtes mittere
ſanguinem, quò largius potitarent. Etenim
quanquam plures viderentur putridi, alii æruginoſi,
vel atrabiliarii: inprimis tamen ruſtici
unde effluxerant, erant admodum ſani. Ergò
per cauſam confirmabant, ſe non obſtantibus
corruptionis indiciis, cruores à balſami natura
26 nequicquam alienos: Quare obriſi tabulam
judiciorum ex aſpectu emiſſi cruoris, adeóque
confirmavi mecum, à Medicis cruorem ſervari
juſſum, ut ſaltem hac ratione, unam viſitationem
27 ægrotis adnumerent. Etenim ſi corruptio
cruoris uſpiam locum habet, indicétque ſui emiſſionem
eo titulo, id ſanè oporteret eſſe in
28 Peſte; Atqui in Peſte eſt venæ ſectio exitialis:
ergo nuſquam in cruore eſt putredo, metuſque
ne putredo cruoris invaleſcat, & per conſequens
ſcopus cruoris mittendi hac ex parte erroneus.
Suppono quoque viros 30. æqua Pleuritide
depreſſos; decem autem illorum, effundere
cruorem è vena apparenter vitiatum (eſt
namque cruor pleuriticorum inſtar vini rubri,
cui grumi lactis confluunt) reſiduos autem 20.
curabo citra cruoris emiſſionem. Certum eſt
interim, quod iſti 20. cruorem non aliter affectum
habeant, quàm decem quibus ſecta vena
fuit. Iterumque, quod ſanatis illis 20. ſi vena
pandatur, reperietur illorum cruor rectificatus,
in priſtinum reſtitutus, & longè à pleuritico
cruore alienus. Ergò Pleuritici cruor non eſt
corruptus, quanquam talis videatur. Quod probo;
quia à corrupto, ſive privato, non datur regreſſus
ad vitam, ſanitatem ſive habitum. Non
igitur cruor ater, lividus, viridis, &c. teſtantur
ſui corruptionem: ſed ſolius efferveſcentiæ, aut
turbulentiæ fermentalis ſigna præbent. Inprimis
namque ſi aquoſior & flavus ſanguis vitium
indicaret, arterialis ſanguis, venarum
cruore eſſet longè deterior; quod eſt erroneum:
etenim non aliter cruor præfatis ſignis diſtinguitur,
quàm ſicut vinum turbatur, dum vitis
floret, non enim corrumpitur ideo: quippe
ſublato turbine, ſponte reclareſcit iterum. Sic 29
pariter febris, cruorem variformiter turbat, alieniſque
faciebus decolorat. Sed hæ larvæ ceſſant,
febre ſublata. Equidem inſpectores cruoris,
ſoleo æquiparare ferentibus judicium de
vino Hiſpanico, putantibuſque aſpicere lotium.
Sed dicent: ſi putredo non inſit cruori, cur ergò 30
tertia, & non prima, vel prima & non tertia
vice ſalit purè rubicundus è vena? At iſtud argumentum,
ſaltem convincit, unam partem
cruoris plus, citiúſque turbari alterâ, nec totum,
aut omnem ſimul. Certum eſt namque, 31
naturam ſenſim lineari viâ, ad ſtatutam ſibi
perfectionem tendere. Cruorem ideo prope
cor, puriorem eſſe, quàm qui circa primam ejus
officinam eſt. Ergò Tertianam, tam Continuam,
quàm Interpolatam, ex bile flava. Quartanam
ex atra, ut quotidianam, ex pituita, ſed
putridis, conſtare ajunt: erràntque. Nam cur
neceſſe fuit hos humores (quos alibi fictitios
demonſtravi) ſupponere putridos, cùm fateantur
Synochum non putridam, continuam, &
tribus præfatis atrociorem? Quæ ſanè ſi conferantur,
cum propoſitâ febrium definitione, jam
neceſſariò, ſanguis in Synocho omni, & ſpiritus
vitalis, in Diaria, conſtante vita putrebunt, terminum
ſcilicet putredinis aſſecuti erunt. Dein 32
cùm fateantut Scholæ ejuſmodi putridos humores,
non conſiſtere in theca cordis, & quòd
proinde non accendantur primariò in febri,
adeóque per conſequens, fruſtra exigatur putredo,
ad calorem febrilem accenſum in corde.
Si ergo putridi humores, accendant à longè
ſpiritum in corde: Id omni lege naturæ, prius
fiet cominus, quàm eminus, ſatiúſque omnem
cruorem intermedium putredinis calore accendent,
dabúntque ſic omnes febres neceſſariam
Synochum putridam. Quare nec Quartana
ſiſtet curſum, repetétque recurſum, ſi eadem
ejus materia putrida, in Splene ſoſpes ad
annum exſpectet. Gangrænæ certè me docent,

nihil putridi (nam putridum omne eſt mortuum)
poſſe dudum perſiſtere abſque ulteriori
33 ſui contagio. Nec capio, quomodò putrebit
ipſæ vitæ Archeus, ut Galeno pro Diaria ſatiſfaciat?
Quod ſi intelligant Diariam filiam illius
putredinis, quæ tandem ſpiritui vitæ inſeritur.
At ſic omnes febres, in Scholis, eſſent Diariæ.
Denique ſi Diaria, filia putredinis: præſupponitur
ergò putredo fermentata ſpiritui vitæ.
34 Vnde relapſus ad eaſdem anguſtias. Sin autem
intelligant incipientem dumtaxat putredinem,
ſive diſpoſitionem ad putredinem, ſitque calor
effectus putredinis: ergo ſequitur, quod Diaria
habebit tantùm diſpoſitionem ad calorem; non
autem calorem verum, uti nec proinde vera erit
febris. At Scholæ requirunt formalem, &
abſolutam putredinem, ut caloris febrilis cauſam
35 inveniant. Oblitæ, quod tunc calor erit effectus
putredinis, & non febris: adeóque diſtinguent
coactè calorem à febri. Quippe cùm
Synochus non putrida, ſit vera febris abſque
putredine, & per conſequens, debebit eſſe abſque
calore. Interim paulatim deponunt caloris
formidinem, nec illi incumbendum in medendo,
dum metuenda ſit major noxa à contagio
putredinis in habentibus ſymbolum. Præſtarétque
ideò putredinem avertere, quàm refrigeriis
fruſtra febrim deliniviſſe. At ſanè quæcumque
putredini reſiſtunt, ſunt calida. Myrrha
enim, jam à bis mille annis, cadavera Memphytica
præſervat: quæ aliàs cum Cichoreo,
Plantagine, & veſtris refrigerantibus, dudum
putruiſſent. Sunt igitur putridorum humorum,
ſanguinis item, atque ſpiritus putrefactiones,
adeò fabellis ſimiles, quod vix crederem
Scholas ſeriò locutas; niſi iſtas theſes, per
therapeuticem fataliter etiamnum hodie confirmarent.
Pro colophone adhuc unum addam.
36 Quidquid in corpore ſemel corruptum eſt,
nunquam iterum redit in gratiam: ſed ſanguis
venarum utut videatur corruptus, redit iterum
in gratiam. Ergo non fuit ſemel corruptus. Probatur
major, quia in nobis corruptio eſt effectus
ſequeſtrationis diſpoſitionum vitalium: adeóque
præſupponit privationem ac mortem ipſius
corrupti. Probatur minor per eos qui curantur
37 à Peſte, Pleuritide, & febri abſque eductione
38 cruoris. Itemque: Si ſanguis unquam
cenſendus eſt putridus, vel corruptus, exſiſtens
in venis, is maximè erit hæmorrhoidalis: ſed
hic non eſt corruptus, quanquam penè velut
extravenatus: ergò nunquam cruor cenſendus
39 eſt putridus in venis. Majorem probat tota Chirurgia,
de ulceribus, contingentia hæmorrhoidum
natis. Probo autem minorem. Quia metallum
compono: unde ſi geſtetur annulus, ipſo
ſpatio orationis Dominicæ tollitur hæmorrhoidum
dolor, & 24. horis evaneſcunt hæmorrhoides
tam internæ, quàm externæ, utut
maximè protuberent. Ergo ille cruor recipitur
in gratiam, & benè ſe habent. Valet etiam iſte
annulus in ſuffocatione, & motibus uteri, &
morbis plurimis. Cujus deſcriptionem atque
componendi modum trado in tractatu ſuper
illa verba: In verbis, herbis, & lapidibus eſt
magna virtus. Vbi de virtute magna rerum loquor.

Doctrina Veterum de Circuitibus examinatur.

CAPVT III.

1. *Cauſa circuituum febrilium in Scholis.* 2. *Primus error.* 3. *Galenus inſimulatur erroris.* 4. *Quaternarius humorum cur ſuſpectus.* 5. *Ingens Scholarum & pertinax cæcitas.* 6. *Exploditur Galenus de loco Intermittentium, multis anxietatibus inde profluí.* 7. *Computus bilis neceſſariæ pro acceſſu Tertianæ juxta Scholas.* 8. *Perarithmeticon refellitur.* 9. *Ex ſuppoſitis concluditur, non poſſe in febri eſſe plethoram altero die.* 10. *Petitio principii in Galenicis.* 11. *Galenus Anatomiæ ignarus, multos libros de Anatomia exſcripſit.* 12. *Infauſta medendi theoremata in cladem mortalium à diabolo inventa.* 13. *Argumentum contra, à capſis deſumtum.* 14. *Flavam & atram bilem non hoſpitari in Splene, & folliculo fellis.* 15. *Contra Aſtrologos circulum febrilem in aſtra deferentes.* 16. *Similitudines in Scholis prælecta, non quadrant.* 17. *Aliquot argumenta contra doctrinam Scholarum.* 18. *Meritum Fernelii.* 19. *Paracelſi temeritas & inconſtantia.* 20. *Hominem non eſſe Microcoſmum, ſi Sacris obtemperandum.* 21. *Paracelſus deceptus.*

STatorum circuituum cauſas Scholæ ajunt; 1
quòd ſcilicet tantundem pituitæ generetur
indies, quantum bilis alterna die, &
quantum atræ, triduo. Gratulor linguæ noſtrati, 2
quæ hiſce nominibus ab helleniſmo deſumtis,
lubens carere voluit. At non ſic cauſam effectricem
docent Scholæ, ſed tantùm cauſam
remotam, quam ſine qua non, vocant. Itaque
indignor merito, quod Scholæ quintum humorem
pro quintana non finxerint, nec dimidiatum,
& ſeſquialterum pro Hepiala, & Hemitriteis.
Duplatam item bilem neglexiſſe, pro
Tertiana duplici, nec meminiſſe duplatæ bilis

atræ,pro duplici Quartana : Non inveniſſe humorem
erraticum, ac incertum, pro febri erraticâ : vel
humores continuos,& inceſſanter ſurrogatos,
pro continuis, ſingulo, alterno, vel
terno die exaſperantibus. Ac tandem humorem
3 pigrum, pro febri lentâ. Saltem debebant
expoſuiſſe, ſi putreſcens ſanguis mutetur in bilem,
quare convertatur totus in pus. Cur cruor
purulentus in tabe non efficiat cauſum, & expectorationes
flavæ non pariant Tertianam.
ſed febrim hecticam, idque mox à cibo. Quapropter
humorum quaternarius, pro tanto febrium,
aliorumque morborum catalogo,adhuc
indies aucto, nemini non ſuſpectus eſſe debet.
4 Quantum verò ad ſedem humorum putridorum
febrilium attinet, tam ſtupidus æquè in
hoc Galenus eſt, quòd ſuum errorem patefacere
me puduiſſet, niſi Scholæ in mortalium perniciem
eundem mordicus tuerentur adhuc
hodie, reſpectum ab antiquitate potiorem venerantes,
quàm à veritate : quaſi fontes Sapientiæ
5 in Galeno exhauſti eſſent. Qui ut ſtati tremoris
in febribus cauſas reperiret, non niſi fabulas
aniles ſcripſit : quarum quoties recordor,
admiror ingenuè, quod tot ingenia, jam inde à
diebus Galeni,illis potuerint ſubſcribere. In quo
ſanè magnam ſtupeo ingeniorum ignaviam indagandi
: eſſentientium falſis principiis, ne jus
diſputandi erga negantes præripiatur illis. Non
itaque ampliùs Galenum, ſed Scholas alloquar.
6 Vtinam ergò mihi exponant,quo ductore,modo,
viáque,humor putridus, ſingulis acceſſibus,
veniat ab officinis humorum, ad venarum extrema,
quæ terminantur in habitum corporis,
ſive in carnem & pellem? Nam ſi erat putridus,
antequam ad venarum exiles & ultimas
extremitates veniret, cur unicus (nimirum bilis
vel pituita) à tribus ſeparatur ſociis, ut putreſcat
exul, longè à ſuis laribus? Quisve ille
tam ineptus Separator, qui innocuum humorem
à ſuo compoſito avellit, ad tam abſurdos
fines? Cur ergò perſtite eodem ſeparatore in
vitam, febris eadem non perſeverat in vitam?
Quis pædagogus hunc Separatorem admonet
ſui erroris, ut reſipiſcat tempeſtivè? Saltem ſi
venarum extrema,non putridum illum humorem
corrumpunt; ipſæ venæ erunt magis putridæ,
adeóque Gangrænâ laborabunt inexcuſabili.
Sin autem in ipſis venarum extremis,
ſubſit cauſa ad ſe vocans humorem inſontem,
ut eundem penes ſe putrefaciat. At majori
compendio, iſtud exſequeretur in cruore ſibi
propinquo, in quem jus potiùs habet & unde, ipſi tam eſt liberum ſeparare bilem aut pituitam, quàm idem aliàs eſt vernaculum pharmaco ſolutivo. Denique ſi lubet è propinquo cruore, paraſſe humorem putridum, fruſtra quantitatem congruam bilis exſpectabit toto biduo. At ſi humor iſte putruerit,priuſquam ad venarum extrema attingeret : tum contradicunt ſibi Scholæ, eritque ſedes Intermittentium, non in habitu corporis : ſed in primis humorum officinis. Denique ſi è venis, totus unica acceſſionis vice putridus humor diſpergatur in habitum corporis, uſque in ſui conſumtionem : ſaltem cur ille Separator, aut propulſor (cùm nil moveatur à ſeipſo, quod non ſit vitale) minus erit generoſus in viſceribus, quàm qui in venarum extremis locatur? Tandem, quo delirii fine, hæc humoris putridi erit transmigratio à Meſenterio per Hepar,& Cor,uſque ad extrema venarum? Res periculi plena; metuendúmque quin mox totum ſanguinem frequenti tranſitu inquinet ſuâ putredine, ac tabo lethali. Etenim vel decumanum eſto Galeni mendacium : vel natura humana ſponte propriam meditatur ruinam. Caditque hoc modo revulſionis neceſſitas, per venæ ſectionem oſtentata. Siquidem ſpontanea Intermittentium vi, ſtatis horis,à nido generationis,humor putridus revellitur,imò ſponte profluit, uſque ad extrema venarum: niſi fortè periculoſa cenſeatur iſta revulſio, quæ tota per Cor, trans venam cavam fieri debet, tam in Intermittentibus, quàm per venæ ſectiones. Deinde vel tota materia febrilis per ſingulos acceſſus, trahitur è nido nativitatis, vel non tota. Si tota, non erit cauſa reditus : ſi non tota, exhauritur. Quare novus humor, qui ad ſingulos futuros acceſſus putreſcit, non magis febrilem acceſſum movebit ſui putrefactione, quàm ſui expulſione? Siquidem major labor & dolor dum pus fit, quàm facto pure. Cur iſto caſu, ſedes febrium non erit potiùs in loco putrefactionis, quàm in locis per quæ tranſit dum expellitur? Cur, inquam, redeunte appetitu, abſenti ſiti, ac vigiliis (puta diebus quietis Intermittentium) putreſcet bilis,vel pituita in viſceribus? Ejusque putrefactio, non turbat œconomiam officinarum humoralium? Quare atra bilis, quæ fieret die Lunæ, biduo putreſcet in maturam putredinem; & quæ ſequenti die fieret, unico tantum die putret, quantum prior binis putruit diebus? ſi junctum utraque die Mercurii acceſſum Quartanæ faciat? Quare quæ fit die Lunæ, ſuum non movet paroxyſmum die Mercurii; & quæ fit die Martis, ſimiliter

liter ſuum tumultum non excitat die Iovis? ac conſequenter ſi qua facta eſt die Mercurii, acceſſum formet die Veneris? Attolluntur Medentum humeri, inarcantur ſupercilia, & incuſantur proprietates occultæ, dum per creditas ac ſuppoſitas inſanias reſpondere coguntur ad ſenſu nota. Cur tandem in rigoribus Tertianæ, volunt eſſe fel, id quod ſub initiis evomitur, & naturam iſthac vergere ajunt, ſi ductus naturæ, eodem intervallo, ex oppoſito, à centro procedat ad extrema venarum? quoniam natura non movet unico inſtanti duos motus oppoſitos, intro & extra; præcipuè cauſa unius excrementi, quod fel putatur. Cur iſta vomitio non tantundem demit de atrocitate acceſſus, quantum eſt copioſa illius excrementi expulſio, quod putant ipſam Tertianæ materiam? Si autem in Tertiana ſuperſit bilis reſidua ab acceſſu, in ſuis officinis, cur potiùs putrefacit bilem novam, quàm ſibi radicaliter annexos humores? quomodò vomitus amarus, ſitis, & tam grandia læſionum indicia, infeſtant ſtomachum, dum pleraque mali ſaburra, ad extrema venarum transmigraverit, ut rigores concutiat. At qui Cauteri notas gerunt, cernunt biduo à febribus, parca, aut nulla emungi excrementa: quæ certè multa eſſent, ſi ad venarum extrema, & corporis habitum, tot febriles ſordes per acceſſus ſingulos laberentur. Scholæ geſtiunt rigoris cauſas tam lepidè fictas, & ſtolidè creditas. Sed cur Galenus magis attendit humoris quantitatem quàm promtam ejuſdem obedientiam? Nonne bilis ob calorem, & fluxum, licet paucior, ſequacior eſſet ad putrefactivi clientelam, quàm erat alioqui pituita? Sed cur bilis non movet acceſſum quotidie, ſi minor medietas ejus ſufficiat pro Tertiana? dum ſcilicet major medietas ejus per vomitum rejicitur? Denique dixiſſe debuiſſet, quot vnciæ requirerentur putridi humoris, pro ſingulo
7 acceſſu. An ſex? vel ſeptem? Equidem ſæpè, duplum ejus rejicitur per vomitum, ſub initium Tertianæ, & paroxyſmus eſt nihilo minor. Ergò ſi ſeptem adhuc unciæ, ad ora venarum profectæ ſint, & duodecim per vomitum excretæ, ſint unciæ 19. requiſitæ ergò, pro
8 Tertiana. Cujus ſi dimidium acceperis nempe 8. bilis flavæ quotidie, & per conſequens, duplum pituitæ, erunt ejus unciæ 17. & ad minimum 4. unciæ bilis atræ quotidie: & ad minimum tantumdem ſanguinis quotidie, quantum pituitæ: id eſt unciæ 17. quæ ſimul juncta, conficientur quotidie unciæ 46. in febriente etiam abſtemio, his fabellis qui volet, fidem det, & ex his fiſtulis Muſicus concentum faciat, qui poteſt. Concludo ſaltem ex ſuppoſitis Scholarum 9
ſomniis, Nullatenus deberi venæ ſectionem, ut neque laxativum febrientibus, ſi humorum in ipſo naſcatur tantundem, cùm tantundem conſumatur in febrienti abſtemio, quia deficiente appetitu, digeſtione, & cibo, attamen neceſſe eſt, hoc pondus compenſari ex maſſa cruoris. Ergò non eſt inſtituenda inanitio in febrienti abſtemio per biduum. At quæſo, unde 10
ſcivit Galenus, tantundem bilis flavæ, alterno die fieri, quantum pituitæ in dies, & atræ triduo. Præſertim qui nunquam cadaver humanum 11
inſpexiſſe probatur 106. locis, ab Andrea Veſalio Bruxellenſe, & Anatomicorum principe? Nam ſi Galenus hoc ſcribat abſque probatione, ſaltem Scholæ ſuo delirio ſubſcribere non tenebantur. Sin autem hoc didicit ab ipſis edoctus febribus, Non poterat utique hoc idem in effectum, ſimul & in cauſam unius rei referre. Abſurdam namque atque ſtolidam principii petitionem continere neceſſe eſt, Idem pro ſeipſo in cauſam & effectum producere. Puta, Quod Tertiana contingat à bile flavâ putridâ, alterno die, & Quartana die tertio, à bile nigrâ, eò quòd alternis diebus tantundem bilis flavæ conficiatur, quantum atræ toto triduo. Iterumque hujus rei veritatem probet, quod Tertiana adoriatur alternis diebus, & Quartana tridui intervallo, eò quòd tantumdem bilis flavæ fiat alterno die, quantum atræ triduo. Miſeranda 12
certè medendi theoremata in vere Adoleſcentum propinata, ægris obedire juſſa, & à Scholis hactenus adorata. Vnde videlicet ſuccedunt indies morborum infauſtæ curationes in perniciem Chriſtiani orbis, & ſalutis animarum. At ſaltem ſi bilis, ſeſquialtera proportione 13
excederet melancholiam, Splen ad minimum ſuperat ſexies folliculum fellis. Si ergò ratum ſit, quod Scholæ cum Galeno docent, quod alternâ die tantundem fellis, aut bilis flavæ fiat, quantum atræ bilis triduo; ſitque Splen capſa atræ bilis, & folliculus fellis ſit theca bilis, aut Creator erravit in ſuis finibus, aliter fabricando ipſa illorum receptacula, quàm Galenus ſtatuit: aut fel & Splen non erant condi 14
fabularum Scholæ Medicæ. Proinde alii, 15
quibus non ſatisfaciebant commenta Galeni de febrium circuitu, Aſtrologiam orarunt in ſuppetias, eò quòd febris ſtatutis horis ſubinde repetat. Sed & hi alliduntur ad alias anguſtias, dum omnibus horis incipiant febres; itemq; aliquot

horis retardent, aut anticipent, imò per aliquot
vices ſileant, & obdormiant. Vnde non ſat ra-
tum fecêre, humanam naturam ad lubitum A-
ſtrorum cogi, ut neque materiæ febrili ſynga-
miam cum Aſtris eſſe. Quisquiliæ, & vani tin-
16 nitus ſunt, auribus credulis effuſa. Alii quoque
tandem per ſimilitudines quæſtioni ſe ſatisfe-
ciſſe rentur, ſi dixerint, febres ſe habere per
modum aliorum ſeminum: quorum quædam
nempe citò germinant, ut Naſturtium; Petro-
ſelinum verò longè ſegnius. Sed non valet e-
xemplum, quod litem lite reſolvit. Nam ſemina,
quæ tardius reſolvuntur in humido, propter
gummoſam oleitatem, etiam pigriùs germi-
nant, ut & alia promtiùs, quæ mucilaginem,
ſucco terræ viciniorem obtinent. Quocirca e-
jusmodi ſimilitudo nullatenus ſpectat febres,
quibus nolunt fieri paroxyſmos, ob reſolutio-
nem facilem, aut difficilem: ſed ob humorum
putridorum affluxum parcum, aut copioſum.
17 Alioqui ſanè pituita à putredine alieniſſima, vix
ſeptimo die affligeret, ubi interim atra bilis
(quæ cadaveri cenſetur, vel carni ſimillima)
longè citiùs putreret. At ſaltem ſtante doctrina
Scholarum, de rigore & circuitu febrium, ne-
ceſſum eſt Tertianam ſanari, per exhauſtionem
materiæ in acceſſu, & defectum novæ bilis, pro
futuro paroxyſmo requiſitæ, ſi patiens toto bi-
duo, à cibo & potu abſtinuerit. Sed conſequens
eſt falſum, ergò & theſis Galenica. Sin verò
Scholæ doceant, dicantque, tum novam liquari
bilem è cruore. At hoc eſt naturam plus ſolici-
tam fingere, ut febrim conſervet, quàm aliàs vi-
tam, vitæque theſaurum ſanguinem. Denique
iſta bilis è cruore ſeparata, vel patrata, ſi putri-
da eſt: cur non unà cum bile præcedentis ac-
ceſſus, eſt ablegata per venas, quæ jam antea in
venis cum cruore detinebatur? vel an fortè iſta
reſidua atque putrida bilis, prænovit contin-
gentem forè bidui abſtinentiam, ut ſcilicet in
hunc defectum ſe reſervaret, ad continuandam
febrim, alioqui præ bilis penuriâ perituram?
Vel an natura ſibi complacuit in cuſtodia bilis
putridæ? Quòd ſi verò iſta bilis è venis affluens,
non ſit putrida; profectò jam inſanit, atque fu-
rit natura, quòd cruorem diſſolvat potiùs, vt
habeat quod putrefaciat, in continuationem
futuræ febris. Sed Scholæ Galenicæ fatentur il-
lam putridam, ſingulisque acceſſibus effundi
per venas humorem putridum, ac deferri in
exiles venarum extremitates: illudque eſſe cau-
ſam tremoris, acceſſus, & frigoris immenſi.
Cujus videlicet humoris putredo, dum ibidem
magis intenditur, mox dein cauſet tantum æ-
ſtum. Has ego cenſui aridas ſtipulas, indignas
fabulas, miſeranda figmenta anilia, & generi
humano pernicioſiſſimas ignorantias. Ac ſanè 18
Fernelius hanc Scholarum inſcitiam detexit
primus. Quare Rondeletius, & aſſeclæ Gale-
ni, in Fernelium, tanquam Scholæ deſertorem,
atque Apoſtatam invehuntur. Fernelius itaque
nidum Intermittentium, circa Stomachum,
Duodenum, & Pancreas, primùm ſubodoratus
eſt, & Continuarum ſedem, circa Cor fixit qui-
dem: ſed à veteri curandarum febrium normâ
non auſus fuit deflectere. Cœperat enim apertè
contra præcedentes Scholas diſputare, pro fe-
brium nido: ſed poſtmodùm inter abdita ſe
occultavit; ſtramineis nempe vinculis humo-
rum putridorum ſe extricare non valens, paſſus
eſt ſibi eripi febrium eſſentiam, & cognitio-
nem. Paracelſus verò febrium rigore terrefa- 19
ctus, febrilem cognitionem auribus tenere ſibi
perſuadens, ſuo ſibi Microcoſmi invento alle-
gorico titillans, febrim definit morbum ſulfu-
ris ac nitri: atque alibi iterum, terræ motum
Microcoſmi. Quaſi ſulfur & nitrum, ſeipſis fie-
rent longè frigidiora, dum è limo (vel limbo, ut
ait) Microcoſmi ſeparantur, & ultrò poſt horas
aliquot, ſponte accenderentur igne Ætnæ.
Etenim ut Galenus inveſtigandis cauſis ubique
ceſpitavit, adeóque in eo ſe prodidit non eſſe
Medicum, (cujus nomen ait, Inventor occaſio-
nis:) Ita Paracelſus, mirâ licentiâ lapſus eſt in
Microcoſmi parœmias Medico indignas. Dura 20
quippe lex eſſet, quæ hominem, nuditer ut Ma-
crocoſmum referret, præcipitaſſet in omnium
morborum ærumnoſas neceſſitates. Ego certè 21
gratulor animæ meæ, quod figuram Dei vivi
referam; non autem mundi. Deceptus fuit bo-
nus hîc vir, quod neſciret ignem nuſquam ac-
cendere, niſi ſuccendatur priùs, nec utut
finxerit, eſſe in nobis ſilicem & chalybem, ſi-
múlque concuſſorem in puncto attritionis ſi-
licis. Non ſanè opus fuit his, ut neque pulvere
pyrio, pro calore febrili, niſi primo appulſu cre-
memur, & dehiſcamus medii. Deeſt ergò in no-
bis materia actualis ſulfuris, & ſalis petræ: deeſt
connexio amborum, deeſt ignis actualis. Ac
tandem deeſt corpus, quod iſtam accenſionem
unico toleret momento. Næniæ ergo, & fa-
bulæ ſunto, febrium cauſæ & origines in Scho-
lis.

Phlebotomia in febribus examinatur.

CAPVT IV.

1. *Ratio unica contra humores, cateræ alibi. 2. Propoſitio univerſalis pro Phlebotomia Galeno authore. 3. Syllogiſmus contra eundem. 4. Probatio logiſtica. 5. Quod Plethora boni cruoris ſit impoſſibilis. 6. In venis non ſubſiſtere unquam cruorem corruptum. 7. Non poſſe dici Plethoram in ſtatu neutro cruoris. 8. Ex theſibus Scholarum, nunquam indicari venæſectionem. 9. Quid ſit propriè cacochymia in venis. 10. Coindicationes loco Indicationis propriæ, & oppoſitas contraindicationi, perperam quadrare. 11. Propoſitio Authoris contra venæſectionem in febri. 12. Scholæ infamant ſua laxativa per probationes venæ ſectionis. 13. Fines coindicationum. 14. Præmonitio Authoris. 15. Quomodò refrigerat ſanguinis miſſio. 16. Miſeranda hiſtoria Infantis Cardinalis. 17. Summè notandum contra Medicos cruoris avidos. 18. Conſcia mens mille teſtes. 19. Argumentum inde ſumtum. 20. Eſſentialis ſtatus febrium. 21. Explanatio præcedentis Argumenti de refrigerio, & ſubterfugia Scholarum. 22. Non iri ab uno extremorum ad aliud, malè à Matheſi duci in Medicinam. 23. Elenchus eſt in medendo. 24. Argumentum ex theſi Scholarum opponitur. 25. Fucus Scholarum ex pertinaci inſcitia. 26. Vices obtinent primatum indicandi. 27. Opponitur Hippocrates de Athletis: ſed malè intellectus. 28. Depletionum differentiæ. 29. Minus nocet febris, quàm venæſectio. 30. Obligatio Medentum. 31. Intentio generalis in febribus, & huic oppoſita venæſectio. 32. Semper venæſectionem obeſſe probat Matheſis. 33. Incertitudo medentum, principiorum defectum arguit. 34. Venæſectio nequit minuere cauſam febrium. 35. Argumentum à ſufficienti enumeratione. 36. Aliud à cruoris qualitate. 37. Quorſum cogantur Scholæ. 38. Spes vana in emiſſi cruoris mutationibus. 39. Vanam coindicationem Phlebotomiæ pro revulſione, tam in febri, quàm menſtruo. 40. Derivatio in morbis topicis quandoque utilis: ſed in febribus impertinens. 41. Venæſectio nocua in Pleuritide 42. Diſcant Scholæ à ruſticis ſua axiomata eſſe falſa. 43. Revulſio in febribus norma. 44. Quid Medici ex hoc capite diſcere debeant.*

ANtequam ad ulteriores ſcopos pergam,
debebam repetere, quæ alibi longo tra-
ctatu demonſtravi. In Natura videlicet
non eſſe duas biles, & pituitam, tanquam par-
tes conſtitutivas cruoris, niſi tractatus febrium
ſuccinctiorem me poſtularet, præcipuè quòd
iſthæc per ſe hoc loco ruant: ubi non humo-
rum, niſi putridorum fit mentio, cùm animal
putridum non ſit ampliùs animal. Duo igitur 1
præſidia univerſalia medendi tantùm exami-
nabo, Phlebotomiam nimirum, & Purgatio-
nem, tanquam binas Medicinæ columnas, qui-
búſque colliſis, totum ædificium, ſponte velut
in rudera concidit, ablatiſque his præſidiis, Me-
dentes deſerant infirmos, non habentes reme-
dia, præter corporis atque virium diminutiva,
quæ ſigillatim attingam univerſa. Enimverò 2
ex conſenſu Galeni, in omni febre (hecticâ ex-
ceptâ) requiritur Venæ ſectio. Scholis itaque,
& exitioſæ hujus ſeculi conſuetudini hunc e-
go Syllogiſmum ſtatuo.

Phlebotomia eſt inutilis, ubicumque non in- 3
dicatur neceſſaria: ſive, ubi Indicatio illi pro-
pria deeſt: Sed in febribus non indicatur ne-
ceſſaria. Ergò Phlebotomia in febribus eſt in-
utilis. Probatur major. Quia finis eſt cauſarum
directrix prima, & diſpoſitrix mediorum ad ſe.
Vbicumque ergò finis non indicat neceſſita-
tem mediorum, fruſtra comparantur ad finem
non requiſita. Præſertim ubi ex contraindica-
tione conſtat, cruorem non emitti abſque vi-
rium jactura. Perperàm ergo inſtituuntur ejus-
modi media, quæ finis indicat fruſtrà, inutilia,
& cum virium diminutione fieri. Minorem au-
tem probat Horatius Augenius de Monte ſan-
cto, tribus libris ex profeſſo. Docens Acade-
miarum conſenſu, quod ſola plethora, ſive ve-
narum nimia plenitudo, id eſt, nimia cruoris
abundantia, ſit indicatrix phlebotomiæ. Neque
id quidem directè ad ſanationem febrium: ſed
ob plethoræ evacuationem. Atqui in febribus
nunquam ſubſiſtit plethora: ergò nunquam in
febribus indicatur Phlebotomia, & per conſe-
quens, eſt hæc omnino inutilis. Concluſio eſt
quidem nova & paradoxa, attamen vera. Quod
igitur pluribus erit probandum. Ipſe Galenus
probat ſubſumtum. Docens ſingulo febrium
acceſſu plus bilis difflari, quàm biduo genere-
tur. Interim cætera membra non ceſſant nutri-
ri conſueto ſanguine. Id eſt, adhuc præter
conſumptionem à febri cauſatam, ſuam taxam
cruoris ſoliti conſumunt. Quæ præcedenti ca- 4
pite, ex humore per vomitum rejecto, in com-
putum redegi. Iam verò illud ipſum majori
conniventiâ inculcandum eſt. Quocirca ſi be-
ne valenti, quotidie fiant unciæ octo cruoris,
neceſſum eſt, totidem quoque indies in ali-
mentum abſumi, aut aliàs, mox in immenſam
molem homo protuberaret. Quid ſi ergo bene-

valenti quotidie decedant unciæ octo cruoris:
certè non minùs conſumet febris. Ergò cùm
nulla, aut pauca ſit ciborum appetentia, dige-
ſtio,& ſanguificatio,neceſſariò quoque mox bi-
nis diebus, plethora, ſi qua ſit initio, deficiet,
ceſſabitque ejus indicatio, pro cruoris miſſione
in febriente. Quod autem mox in febribus non
ſit ampliùs plethora, hoc vident, quotquot ul-
cera è cauterio patiuntur. Quæ ſcilicet mox à
febribus ſiccantur, nec ſolitum pus dant. In-
primis autem notandum, ut nunquam vires
peccare poſſunt abundantiâ, nequidem in Ma-
thuſalem: ita nec bonus ſanguis,peccat nimie-
5 tate, eò quòd vires vitales, & ſanguis, ſint cor-
relativa. Quia juxta Scripturam, anima, ſive
6 robur vitale,eſt in ſanguine. Ex conſequenti er-
gò, nunquam poteſt eſſe plethora in bono ſan-
7 guine. Ab altera autem extremitate,præceden-
ti capite demonſtravi, non contineri unquam
in venis,ſanguinem corruptum: ergò, ſi qua ſit
unquam poſſibilis plethora venarum, illa debe-
ret conſiſtere in medio ſtatu cruoris, inter cor-
ruptum & optimè ſanum: ſive conſideremus
eundem ſtatum decidentiæ & neutralitatis, vel
demum, quatenus ex utroque miſtum, ſaltem
meminerint Galeniſtæ, bonum provenire ex
integrâ causâ, malum verò è ſingulis defecti-
bus: adeóque hunc ſtatum non dici plethori-
cum: ſed cacochymicum. Nec optare venæſe-
ctionem: ſed potiùs purgationem,quæ ſelecti-
vè malum educat, bonum autem relinquat.
8 Adeóque ex ſuis theſibus, nondum probari ve-
næſectionem ullatenus indicari. Non juxta rei
veritatem, jam ante oſtendi, non conſiſtere ca-
cochymiam in venis, quæ ſcilicet eſt dumtaxat
cruoris turbatio: ad quam ſublevandam, non
indicari turbati cruoris exhauſtionem, quan-
9 tum turbatoris affectus ablationem. Potiſſimùm
quòd ſit purior ſanguis,qui per cordis centrum
tranſiens, ſuam depurationem eſt ſortitus:
ideóque qui è cubito trahitur, primusque edu-
citur, purior erit, relinquetur autem intus im-
purior. Porrò cùm jam conſtet deeſſe pletho-
ram in febribus, quæ ſanguinis emiſſionem re-
quirat, idque quadamtenus Scholæ olfecerint;
ſubſtituerunt loco Indicationis aliquot coindi-
cationes, quaſi æquiponderantes Indicationi
adæquatæ in natura, & præponderantes con-
10 traindicationi, quæ alioqui ſanè, cùm à virium
conſervatione deſumitur, tota primatum ob-
11 tinere debet, eo prorſus nomine, quòd omnis
febris citò, tutè, & perfectè ſit curabilis abſque
12 venæſectione. Enimverò pro omnibus tam
diverſis clientum humorum putrefactionibus,
& febribus inde manantibus, unico venæſe-
ctionis præſidio ſtatim utuntur: quia affatim
(ut ajunt) ſuccurrit, & ad lubitum ſiſtitur. qua
ſaltem diſtinctione, ſua laxativa quodammodò
infamant. Ajunt namque licet venæſectio na- 13
turali, atque unica ſui indicatione, propter ple-
thoram requiri videatur; imò nec illa humores
putrefactos propriè auferat: attamen refrige-
rat, venarum ſarcinam exonerat, vires recreat,
partem mali humoris unà cum bono demit;
fluxumque humorum ad nidum putredinis,
per derivationem ac revulſionem ſiſtit, pacat,
avocatque. Quapropter natura ſolamen ſen-
tiens, cætera felicius, faciliúsque ſatagit. Bona
ſunt verba, ait ſus, comedens pſalmos pœni-
tentiales: at non proſunt famelicæ. Hæ ſunt vi-
delicet coindicationes, quibus continuandam
mortalium perniciem perſuadent, quibúsque
ſigillatim ſatisfaciam. Atqui ante omnia præ-
monitum volo, Quod quamquam in robuſtio- 14
ri & pleniori corpore, notabilis læſio per cruo-
ris emiſſionem non ſit, imò non rarò mox
ſublevari, etiam ægri ſanari videantur: non
poteſt tamen non improbari venæſectio, cum
citra eandem felicius ſanentur febrientes. nam
utut ad primam vel iteratas venæſectiones,ſæ-
pè febrium atrocitas remiſerit: id ſanè non
aliàs contingit, quàm quod Archeus ſubitam
virium depletionem, ac indebitam refrigera-
tionem perhorreſcat, adeóque expellere mate-
riam febrilem,& fungi officio,negligat. Qui ve-
rò per phlebotomum curari videntur: certè re-
cidivant, ſaltem tardiorem, minúsque firmam
conſequuntur valetudinem. Quam aſſertionem
Turcæ probant, magnaque orbis pars mecum
venæ apertionem ignorans,quippe quam Deus
in natura nuſquam inſtituiſſe legitur, aut ap-
probaſſe, imò ne quidem ejus mentionem fe-
ciſſe. Quod autem ad primum coindicationis
ſcopum, qui refrigeratio dicitur,attinet. Profe- 15
ctò, ſanguinis miſſio non alio titulo refrigerat,
quàm quatenus de calido vitali furatur. Non
autem, quòd vim frigefactivam & poſitivam
obtineat. Quo ſaltem nomine, debet ejusmodi
refrigeratio eſſe nocua. Cur quæſo, in hectica
non aperiunt venam? an non indiget febris re-
frigeratione? vel deſinit eſſe febris? At deficit 16
cruor hecticis, quare defectu cruoris, & vi-
rium, facilis eſt noxæ animadverſio per phle-
botomiam allatæ, quam alioqui vires robu-
ſtiores tegunt. Anno 1641. 8. Novembris diſ-
ſectum fuit corpus Principis Ferdinandi, Hi-
ſpania-

ſpaniarum Regis Fratris, Cardin. Toletani, qui
89. diebus Tertianâ febri agitatus obiit ætatis
32. annorum. Etenim ſublatis corde, hepate,
& pulmone, adeóque diſſectis venis &
arteriis, vix cochlear cruoris in cavum thoracis
confluxit: planè nimirum hepar oſtendit
exſangue, cor verò inſtar crumenæ flaccidum.
Biduo enim ante mortem, plus ediſſet, ſi ipſi
conceſſum fuiſſet. Fuit nempe per venæſectiones,
purgationes hirudineſque ita exhauſtus,
vt dixi, non deſinebat tamen Tertiana ſuum
17 typum ſervare. Quid ergò tanta ſanguinis evacuatio
profuit? Quidve refrigeratio iſta palàm
adfecit, niſi quod vana eſſent ejusmodi evacuantia,
quæ ne punctum quidem febrium tollerent.
18 Eſtne iſta medendi methodus quæ facit
Medicum, quem creavit & honorandum præcepit,
ob ſui neceſſitatem, Altiſſimus? Si neſciat
in viro juvene curare Tertianam; quorſum
conferet iſta methodus? Eſtne illa ars,
cujus eget infirmus, & non ſanus? Vtinam atque
utinam Princeps bonus ille, non fuiſſet
uſus? Qui cum Cortraco redux à Senatu Bruxellenſi
ſalutaretur, convaleſcens ab agone
mortis præ cruoris & virium minutionibus,
tum firmus obambulabat in cubiculo. Horrent
itaque medentes, ſuos febriculoſos exponere
ad occurſum frigidorum, quibus ſcilicet ſtatim,
atque affatim, experirentur refrigerantium
virtutem indicio manifeſto, quod non multum
fidant ſuis calorum, & refrigerantium regulis.
Nam cùm jam conſtet, totum calorem in
febri eſſe ipſiusmet ſpiritus vitalis: ſequitur etiam,
quòd refrigeratio per venæſectionem, ſit
mera ſpiritus vitalis, unà & ſanguinis exhauſtio,
& depauperatio. Nam ſi febris ſit curanda
ut intemperies, per venæſectionem, tanquam
remedium refrigerans (contrarium heu conſtat!
per exhauſtionem omnis. ſanguinis è
19 Principe Infante Hiſpaniarum. In quo adhuc
pridie ante mortem febris Tertiana, non obſtante
tanto refrigerio, ſuos acceſſus ſervabat,)
ſolóq; frigore, ſanationem intendant alii etiam
in quotidiana (quam è pituita putrida accendi
ſcribunt) ſaltem refrigerium iſtud longè facilius
obtinerent, exponendo ægrum ſemi-nudum,
ad boreæ, vel zephyri flatum, vel ſuſpendendo
in aqua, aut profundo puteo, donec ſe
ſat refrigeratum teſtaretur. Statim enim ſic &
affatim ſanationem abſolverent, ſi intus conſcia
inſcitia, ſuam caloris eſſentiam febrilem
20 non damnaret. Itaque febris non eſt nuda caloris
tempeſtas: ſed adeſt occaſionalis vitiata
materia, ad cujus expulſionem Archeus per
accidens ſe accendit, velut indignatus. Quod
quamdiu in Scholis fuerit neglectum, præpoſteræ,
perniciosæ, & conjecturales erunt febrium
ſanationes, eóque omnes nequicquam
gratiarum actione dignum, debebunt medenti,
cum ſpontanea naturæ bonitate curentur,
atque utinam per Medicos non poſtergarentur.
Ad argumentum verò ſanationis per frigus 21
ſubitum reſpondebunt Scholæ periculoſam eſſe
itionem, ab uno extremo ad aliud. Qua ſuæ
ignorantiæ excuſatione, os populi obturant,
velut aliquid fide dignum dicerent. Non advertentes,
quòd in eo ſibi contradicant, dum
venæſectionem, eo potiſſimùm ſcopo laudant,
& præferunt laxativis, quod ſtatim, atque affatim,
per refrigerium ſuccurrat, ideóque velocis,
& præſidii univerſalis nomenclaturam
dedêre. Suam enim impotentiã, in inſcitia fundatam,
cogunt ad arbitrium axiomatis malè intellecti,
& pejus applicati: Siquidem indubium 22
eſt, quod liceat confeſtim abſcindere laqueum
ſuſpenſi, ut privatus aëre, illo quantociùs potiatur.
Item quod liceat ſubmerſum, ſtatim
prono ſitu deponere, ut aquam è pulmone
rejiciat. Liceat, inquam, aliquem ſtatim ad
ripam extrahere: liceátque ſtatim vulnus ab
indiſpoſitione liberare, & cicatrice claudere.
Plurima enim ſic vulnera unico die ſigillantur:
quod ſolutio continui, nil indiget præter
ſui reunitionem, liceat ſtatim os fractum
vel diſlocatum reponere. Liceat ſimiliter in
Caduco, Syncope, lipothymiâ, crampo, quanto
citius infirmos revocare, excrementorum
detentiones ſolvere ſtatim, ſtatimque profluvium
muliebre ſiſtere. Neque enim autumandum,
quòd natura in propria deſtructione
gaudeat, quodque è ſtatu ſano, repentinam
quidem mortem intromittat, remedium autem
recuſet, quod repente morbum repellat.
Alioqui non faceret, quod in poſſibilibus eſt
longè optimum, uti nec unumquodque deſideraret
eſſe, & conſervari. In Matheſi quidem
ſtatuitur impoſſibile, ab extremo ad extremum
pergere abſque medio, negatque iſtud medium
omnem penitus interjacentiam: quam
ſi in naturalibus, cum quadam latitudine dederimus,
adhuc confeſtim, atque optimè egiſſe
cenſebimur. Adeóque nec licet illud Matheſeos
ad ſanationes torquere. Fateor equidem,
non licere hydropem, per paracentheſin;
unica affatim vice educere: ut neque pus,
è grandi apoſtemate totum elicere; nec con-

glaciatum præ frigore, immediatè ad hypocauſtum
deferre, neque fame pænè extinctum affatim
alere. At ſanè, iſtud non cogit mediocritatis
tardus, & neceſſarius inceſſus, ut talis, aut
ab uno extremorum ad aliud progreſſio, quaſi
natura celerem opitulationem averſaretur.
23 Cùm hæc ipſi ſit indicatio vernacula, cognata,
medullaris, & intimè propria. Sed vetantur iſta,
quia virium inde dependens exſolutio non ferret
celeres iſtos motus. Per elenchum ergò cauſæ
non ut cauſæ, Scholæ ægros arcent, à ſubitaneo
auxilio, quod non habent: ut ignorantiam
aliquo apud vulgus velent axiomate, malè
directo. Nam quoties ſine virium amiſſione
(vires namque ſemper primatum obtinent in
Indicationibus) ſanatio haberi poteſt, quo citiùs
id fit, majori quoque jubilo naturæ arripitur.
Prout & in febribus, multa jucunditate, utili
24 admiratione obſervavi. Ergò (in terminis) ſi
febris ſit merus calor præter naturam, debeatque
per contraria debellativa omnis ſanatio
perfici: ergò requirit frigefactionem præter naturam,
ut ſcilicet contraria ſtent ſub eodem genere.
Id eſt, Neceſſariò febris omnis ſanaretur
ab ambientis multo frigore; ac potiſſimum,
quia ambientis frigus vires colligit, non autem
diſſipat. Sed conſequens eſt falſum: ergò & antecedens.
Ergò Scholæ non intendunt per venæſectionem,
caloris refrigerium: ſed primariò
ablationem ipſius cruoris, & mitigationem
accidentium, quæ vires debilitatas conſequitur.
Sive primariò intendunt virium & ſanguinis
diminutionem. Id quod pleno fuco appellant
25 liberiorem arteriarum reſpirationem. Ego
verò Indicationem, quæ virium conſervationem
concernit, eſtque oppoſita venarum depletioni
cuicumque, ſemper maximi pendo,
quia diminutis, ſtratiſque viribus, nec morbus
profligari poteſt, nec aliquid ſupereſt medenti
26 agendum. Idcircò Hippocrates decernit naturas
ipſas eſſe morborum medicatrices, quod
Indicatio, quæ à viribus conſervandis ſumitur,
totum ſanationis ſcopum moderetur. Vt ergò
ratio vires cuſtodiendas ſuadet: ita & cruorem,
27 quòd hic illas contineat. Hippocrates quidem
in plethora Athletarum, ſtatim, & cumulatim,
cruorem juſſit mittendum. Idque Scholæ pro
venæſectione ubique intonant. Sed ridiculè
iſtud pro morborum, febriúmque ſanatione
allegatur. Non enim id juſſit propter metum
plethoræ, utcunque venæ illorum ſanguine
ſat abundent: ſed ſolùm, ne vaſa repleta, in roboris
exercitiis diſſiliant, ac dehiſcant. Alioqui
quid Athletis ſanis, cum ſanatione febrium
intercedit commune? non enim febrienti
metus eſt plethoræ, nec ut vena exercitiis
rumpatur, notandum porrò, depletiones
cruoris ſic ſe habere. Quod quæ à Venere facta 28
eſt, ſit irreparabilis virium exhauſtio, quia demit
de innato cordis ſpiritu. Huic autem propinqua
eſt exhauſtio per venæſectiones facta,
eò quòd promtè ſuffuretur Archeum influum,
& affatim. Morbus verò, etſi vires directè quoque
oppugnet: quia tamen id non efficit affatim,
ſed ſenſim, ideo vires potiùs concutit &
atterit, quàm quòd verè exhauriat. Facilior itaque 29
eſt virium reſtitutio, à morbo attritarum,
quàm exhauſtarum à venæſectione. Nam qui à
venæſectione debilitantur in morbis, plerumque
deſtituuntur criſi, & ſi à morbo reſurgant,
paulatim, multiſque anxietatibus valetudinarii
convaleſcunt, longâ dierum ſerie, & non ſine
metu recidivarum. Qui verò morbo decumbunt
abſque venæſectione, reſtituuntur de facili,
& convaleſcentes, mox priſtinum attingunt
ſtatum. Sin verò remediis deſtituti, etiam
nonnunquam ad extremum devenerint; criſin
tamen natura molitur, eoſque reficit, eò quòd
illorum vires, etſi à morbo conquaſſatæ quidem
ſint, non tamen perierint, exhauſtæ affatim per
cruoris emiſſiones. Quapropter Medicus ex 30
conſcientia, & in charitate tenetur mederi, non
per diſpendium ſubitaneum virium, ut neque
per pericula inde conſequentia, nec etiam per
vitæ abbreviationem neceſſariam, juxta pſalmum.
Spiritus meus attenuabitur (ergo) dies
mei abbreviabuntur. Cúmque juxta Sacra, vita
gliſcat in ſanguine, utut hunc affatim dimiſeris,
non niſi cum vitæ præjudicio emiſeris. Intentio
enim perpetua naturę, ſanandis febribus,
eſt per ſudores. Ideóque acceſſus plerumque 31
terminantur per ſudores. Sed huic intentioni
diametraliter opponitur venæſectio. Siquidem
hæc vellit cruorem introrſum, ad replendum
vaſa cruore depleta: motus verò naturæ, ad ſanationem
febrium requiſitus, procedit à centro
foras, à nobilibus, & viſceribus, ad pellem.
Quod autem venæſectio debilitet neceſſariò,
licet fortiores, & plethorici, id ſecus experiri &
teſtari videantur: ſi textus ſacer, qui vitam in
ſanguine habitare admonet, non ſatis ponderis
habeat; ſaltem id manifeſtum fiet, ſi liberaliori
ſanguinis miſſione peccaveris: ſtatim enim vires,
& æger concidunt. Ergò in matheſi ſi ſex
notabiliter lædant: tria non poſſunt non lædere,
quanquam non ita ſenſibiliter. Lædere au- 32

tem non naturam, qui eandem ſanare & reſtituere
debet, non eſt permiſſum, ſi ipſa ſibi natura
debeat eſſe medicatrix, tantóque felicior,
quò fortior. Satis enim ſit Medico, quod æger
alioquin inexcuſabili debilitate labaſcat per
morbum, inedias, inappetentias, inquietudines,
dolores, anxietates, vigilias, ſudores, &c.
neque idcirco fidus Auxiliator debet debilitatem
addere debilitatibus. Fraudulentum eſt
ſublevamen, quod venæſectio adfert, ejúſque
tam incertum eſt remedium, quod nemo medentum
hactenus auſit polliceri ſanationem inde
futuram. Quiſque artificum facit, quod promittit.
33 Statuarius nempe ſtatuam, calcearius
calceos indubiè parat. Solus autem Medicus nil
audet ex arte ſpondere ſuâ: quia nititur fundamentis
incertis, per accidens duntaxat, ſubinde,
atque dolosè proficuus. Quia utcunque rem
verteris, ignorantiæ plenum eſt, procuratâ debilitate,
ſanare velle. Per repentinam nempe
cruoris depletionem, cumulatè factam, plerumque
natura negligit expulſionem ſui hoſtis.
Quam attamen expulſionem demonſtravi
continere totam febrium, & naturæ ſcenam. In
confeſſo eſt præterea, quòd materia febrilis
non conſiſtat in vena ſupra Cor: & per conſequens,
34 neque venæſectio materiam occaſionalem
ullatenus exhauriat, aut directa medendi
intentione, effectivè ſanet. Denique, ſi mittendus
cruor, ob perſpirationem facilem arteriarum.
35 Id ſaltem fruſtraneum in initiis & incrementis
febrium, cùm calor nondum viget.
Cúmque in ſtatu, ut neque in declinatione ſit
mittendus cruor. Ergò nunquam. Quod autem
non in ſtatu, probatur: quia præpeditur criſis,
cùm natura (ut ſcribunt) maximè impedita luctatur,
& plerumque victrix, minimè tum toleret
virium jacturam, & avocationem à duello.
Sin verò in ſtatu natura victa ſit, quid erit venęſectio
tum aliud, quàm merum homicidium?
Si ergò in ſtatu non convenit venam pandere,
dum maximus calor, anxietas, & potiſſima arteriarum
exigitur reſpiratio: multò certè minus
conveniet in initiis, & augmentis. Præſertim
quod primis ſtatim diebus, metus plethoræ
abeat, adeóq; ſat facilis ſit arteriarum perſpiratio.
Quod autem morbi, in ſua declinatione,
venæſectionem nec petant, nec tolerent, tam
eſt clarum, & omnium voce teſtatum: quod nemo
venæſectionem unquam, per declinationem
36 morbi, intentet. Conſideremus præterea,
quod in febribus, cruor in venis, vel bonus ſit,
vel malus, vel neuter. Si bonus: bonum erit, bonum
detinuiſſe, eò quòd viribus addat. Nam
(ut alibi oſtendi) plethoræ metus, vel mox ab
initio, ſi quis eſſet, ceſſavit. Quod autem volunt
bonum cruorem dimitti, ob refrigerium, & putredinis
difflationem. Iam enim utrumque ſat
ſublatum eſt, & imaginarium bonum, quod ſupponunt,
realem, & neceſſariam virium jacturam
adfert. Cæterùm docent Scholæ venæſectionem
in febri non mandari, propter bonitatem
cruoris, quæ nempe ſupponunt malum & putredinem.
Ego autem ſat docui, non dari corruptum
in venis quamdiu vivitur; & per conſequens,
ruere hunc Scholarum ſcopum in vena
ſecanda. Oportet ergò mihi demonſtrent malitiam 37
cruoris, quæ ſit citra ejuſdem corruptionem.
Deinde, malum iſtum cruorem detineri
in venâ, à corde uſque ad manum, ſi ratam velint
venęſectionem, in quantum talem, vel quatenus
revulſionem. Doceant, inquam, quod malus
cruor non ſit in primis officinis, eductóque
per cubiti venam cruore non trahatur deterior
ad cor, qua vena cava dexterum cordis ſinum
facit. Inſtruant pariter, quod depletis ſuperioribus
venis, non ſit major libertas, & impunitas,
quâ noxia & febrilia ad cor pertingant, quàm
ante. Adeò quòd loco difflandi putredinem
(quam in rei veritate probavi nullam) non occaſionetur
potiùs liber aditus auræ putridæ ad
cor. Quorſum nempe depletarum venarum vacuitas
attrahit cruorem infernè. Oſtendant, inquam,
quâ ratione effluvium cruoris, & diminutio
virium per cubitum, impediat putredinem,
ſive importet correctionem, & redintegrationem
putridi. Item explicent ſe, quid velint
dici, quod venæſectio fieret, quo arteriæ liberiùs
reſpirent, cùm putredo (ſi qua eſſet in
venis poſſibilis) non affectet ſanguinem arterialem
totius naturæ condum. Probentque inſuper,
quòd imminuto bono ſanguine, & viribus,
proportionaliter, ſit major poteſtas reſiduo impuro,
inquinatóque per putredinem (ut ſupponunt)
ſeipſum præſervandi à putrefactione imminente.
Doceant item contra Textum ſacrum,
quod vita atque anima ſint potiùs & libentiùs
in contaminato ſanguine reſiduo, quàm
in puriore per venæſectionem ablato. Alioqui
regulariter boni eductio includit reſidui mali
auctam proportionem, effrenemque licentiam.
Quid ſi demum in febri, ac venis, cruor ſit malus,
bonumque ajunt (tanquam ſignum & effectum)
quod in miſſione cruoris, malus effluat:
putentque, tantumdem ſaltem mali cruoris
abreptum. Primò probent cruorem, quem

cenſent noxium, verè noxium, prout antè jam
probavi inſontem: Ac dein doceant, per ejuſ-
modi mali cruoris feſtinam & plenam emiſſio-
nem,nil præjudicii viribus eſſe ablatum: quód-
que ſuperſtite cruore inquinato, minutis jam
viribus, ſanguinis facta depletio, erit in cauſa,
cur putredo reſidui cruoris, pergere minus va-
leat? & an ſperent quandoque in venis ſemel
putrefacto cruore quomodolibet, ab ejuſmodi
videlicet privatione, dari in natura regreſſum?
38 Etenim oſtendant, non contradicere, quod fe-
bri proprium ſit, cruorem ipſum inquinare, &
hanc proprietatem tolli à poſteriori, à putrefa-
cti ſcilicet remotione? etenim ſi primùm im-
purior ſanguis è vena depromatur, iteratò ve-
nam pandunt, interim vires conſternunt, tur-
bantque, hinc & criſis ſpem tollunt, quid ſi tum
rubicundior effluxerit. Certè exclamant. Quaſi
totum mali agmen ablatum primâ vice, fuiſſet-
que febrium ſedes, à corde ad cubitum dum-
taxat extenſa: bonus autem, circa hepar reſide-
ret. Aſt deprehendi ſemper in Hydrope ultimo-
rum excrementorum formidoloſas evacuatio-
nes, multóque ideo magis, in nuda ſanguinis
abreptione, quæ recta via à corde per vulnus,
vitales ſpiritus abducit, ſive is malus, ſive bo-
nus, vel neuter cenſeatur. Inprimis probavi,
quòd peccent petitione principii, tam quæ de
Synocho, cauſoque putridis,quàm quæ de ſan-
guinis putridi emiſſionibus ſupponuntur. Qua-
propter loquendo ad numeros, ſublevamina fa-
cta propter virium ereptionem, ſemper inveni
fraude plena, ut pro tantillo ſublevaminis, vi-
res morborum bajulæ, enerventur. Perinde e-
nim atque potus febrium initio, ſitim pro tan-
tillo ſolari videtur: ſed quis tam demens,quod
tum potaret, ſi ſciret potum ſibi vires neceſſa-
rias ſuffurari? Inſidum eſt itaque doloſum, &
momentaneum refrigerationis auxilium per
venæſectionem. De neutro tandem cruore,qui
nec bonus nec malus ſit reſpectu venæſectio-
nis, nil dici eſt operæpretium: cum negatum
ſub disjunctione, negari etiam poſſit copulati-
vè. Nam ſive neuter ſit is, qui commiſtione
boni cum depravato conſtat (ſupponendo de-
pravatum, qui non eſt) vel is, cui eſt introdu-
cta alteratio neutra,in utrumque eventum præ-
dicta ſatisfaciunt. Tandem ut ſpem, quæ in re-
vulſione eſt, abſcindam, & ſic omnes ex æquo
tollam coindicationes, tanquam miſera perti-
39 naciæ ſubterfugia. Inſanum eſt ſubſidium, ve-
næſectionem (copioſam enim plerumque hoc
fine exigunt) feciſſe, ſive in febribus, ſive de-
mum in menſtruis, propter revulſionem: eò
quòd materia febrilis non natet in cruore, aut
fluctuet in venis, tanquam piſcis in aqua: ſed
vaſi intus adhæret, prout ſuo loco de materia
occaſionali ediſſeram. Pro menſtruo autem ſi-
militer: eò quòd ejus ſeparatio fiat è toto, &
non niſi ſeparatrice manu Archei. Phlebotomia
verò nil ſeparat ſeparabilium: quia ſine præco-
gnitione finis, adeóque abſque electione agit.
Sed perpetuò effluit vicinior, mox vaſe aperto,
& inſons cruor: quem, quia dein continuo filo
alius ſubſequitur metu vacui: idcircò menſtrua
circa uterum, ſtudio naturæ alioqui collecta,
per venæſectionem inde diſtrahuntur, ac in
totum retrogradiuntur. Si autem Phlebotomia
quandoque in plethora & euchyma muliere
bene ſucceſſerit, at certè in aliis multis, miſe-
randam cataſtrophen dedit. Etenim ſi men-
ſtruum, ſola ſui quantitate (dum jam colle-
ctum, & in venis circa vterum ſegregatum eſt)
peccaret, Indicationem Phlebotomi indivi-
duam, & in ſolo caſu ſuppoſito lubens admiſe-
ro. At menſtruum,bene conſtituto utero ſi flu-
xerit, abundè ſuis ſatisfacit finibus, & hactenus
revulſio fruſtranea, quanquam etiam impoſſi-
bile hypotheſis ſupponat. Phlebotomia nam-
que, non niſi mera eſt cruoris, & indiſtincta
depletio. Depletæ autem venæ, ex tempore,
undecunque, qualemcumque cruorem ad ſe
revocant. Quia ut cruoris ſunt avidæ thecæ:
ita & vacuitatis impatientes. Atque proinde
menſtruum, in exitum dicatum, id eſt, hacte-
nus catalogo excrementorum ſemel inſcri-
ptum à natura, venæ depletæ alliciunt. Deri- 40
vatio autem, quia parca eſt cruoris effuſio,mo-
dò congruis è venis fiat, ſæpè profuit multis
morbis topicis, adeóque in febribus eſt imper-
tinens. Sed inſtant venæſectionem in Pleuriti- 41
de eſſe ita neceſſariam, ut ſub pœna capitali ſit
injuncta. Siquidem ajunt,niſi ad coſtas affluens
cruor, multi cruoris effuſione revellatur, peri-
culum eſt, ne mox Pleuritis hominem interi-
mat ſuffocando. Ego ſanè, nemini Pleuritico
ſanguinem mitto, eſtque curatio ejuſmodi tu-
ta, certa, commoda & ſolida. Nemo illorum
perit: ubi interim ſub phlebotomo, plures lon-
ga tandem tabe pereunt, & quotannis recidi-
vam experiuntur. Iuxta Galenum enim, Qui-
cumque die quadrageſimo non ſunt perfectè
ſanati, tabidi fiunt. Ego verò,intra paucos dies,
perfectè ſano; nec recidivam ſentiunt. Nec 42
quidem ſolus mea ad hoc arcana habeo. Quin-
imo vidi ruſticum omnes pleuriticos tertio

potu ſanantem. Vtebatur enim ſtercore jumenti pro viro, & caballi pro muliere, quod diluebat in cerevisia, ac colaturam expreſſam propinabat. Tanta ſcilicet eſt medentum ignorantia, tantáque Scholarum pertinacia, quod Deus ruſticis & parvulis det ſcientiam, quam Ethnica 43 littera inflatis denegat. Iam ſpectandum, ſi aliquis revulſionis uſus in febribus. Enimverò cùm opus revulſionis non ſit primariò aliud quàm venæſectio, ad quam per accidens, ſperatur ſuccedens cruor venturus, ejusque rei beneficio, non fluxurum fore ad locum affectum. Ad quam theſim ſequitur, quòd per ejusmodi evacuationem, trahetur cruor peccans febrilis, (ſic loquor connivens) in venas diſperſus, qui alias ſuo nido, procul à corde latitans, ſuæ noxæ fermentum, non tam ferociter cordi communicaret. Quod eſt dicere: Per ejusmodi revulſionem fore, quod humor peccans, à parte ignobili, ad nobiliorem traheretur. Crudior namque, ac feculentior ſanguis, eſt in Meſaraicis venis: defecatior autem, qui propiùs ad cordis aulam acceſſerit. Aliàs namque indiſcreta natura, juxta vitæ fontem prima parricidii tela ſtatuiſſet. Cum igitur non fluctuet in venis materia febrilis, nec ſedeat prope cor: Abſit credere, illam per venæſectiones exigi, aut loco moveri, utut alioqui ſubinde diverſicolor ſanguis, per iteratas ſanguinis emiſſiones, emungatur. Atrox itaque remedium, ſi ad locum emiſſi cruoris, alter à remotis acceſſerit. Nam ſic in totum, & ad nobiliora, unius loci labes diſpergeretur, eſtque alioqui facilis 44 coinquinatio in habentibus ſymbolum. Tandem, ſi ſemel abdicatis Ethnicorum erroribus, Moderni in vitam proximi reſpicerent, ſcirent utique, vana eſſe revulſionum commenta; perniciosam theſauri ſanguinis & virium deperditionem: Nullam noxam à ſanguine intra venas: ſed tantùm ab hoſtilibus, & peregrinis excrementis inſultare: Deum quoque ſufficientia feciſſe ſordium quarumcunque emunctoria, nec laceratione venarum opus, pro febrium victoria.

Purgatio examinatur.

CAPVT V.

1. *Prima confeſſio Scholarum de ſuis purgantibus.* 2. *Fraudes correctionum.* 3. *Altera confeſſio.* 4. *Tertia.* 5. *Excuſationes turpes.* 6. *Quarta confeſſio.* 7. *Hiſtoria frequens.* 8. *Dolus in nomine.* 9. *Explicatur, quid ſit dari laxativum dum turgent humores, & quàm fraude plenum.* 10. *Hiſtoria pœnitentia Authoris.* 11. *Concluſio inde tracta.* 12. *Novem notabilia in Scholarum perniciem.* 13. *Hiſtoria cujuſdam Principis viri.* 14. *Quinta confeſſio.* 15. *Examen prædictorum.* 16. *Sexta confeſſio.* 17. *Subterfugia vana, & fœda.* 18. *Retorta tela ex confeßione ſeptima.* 19. *Argumentum veneni à fœtore.* 20. *Probatio mechanica.* 21. *Idem ex Galeno.* 22. *Probatio ab effectu.* 23. *Schola impugnant ſua theoremata.* 24. *Poſitis hypotheſibus Scholarum, nemo mori poſſet à febri, & falſum eſſet, quod non danda purgantia initio febrium.* 25. *Quod hic Aphoriſmus dolum includat, & Hippocratis inadvertentiam.* 26. *Coctio in morbis nominis abuſus.*

AGnoſcunt Scholæ ſua purgantia, ad Agaricum uſque correctione opus habere, eò 1 quòd vim inferant naturæ. Atque utinam correctiones illæ, non ignavæ, non ſtolidæ eſſent, potiúsque inſervirent ad comparandam innocentiam medelæ, quàm ad ejus caſtrationem. Siquidem caſtratio virium in pharmaco, 2 dolum concludit, ne videlicet æger venenum ſubeſſe intelligat. Cicutata etiam officinarum remedia, ſunt inſtar lupi domeſtici, qui datâ occaſione, dum ſibi confiditur, ad ſolitam naturæ ſuæ ferociam redit. Hinc enim nec correcta pharmaca, proprio etymo appellare audent. Puta, Diagridii nomine Scammonæam velant, ut & Alahandal, Colocynthidem larvat. Compoſita demum laxativa, in Diſpenſatoriis militant ſub mentito ducis titulo. Interim nequeunt 3 negare, quin in ſingulis ſolutivis Scammonæa & Colocynthis, non ſint binæ columnæ, quibus totum purgandi ædificium innititur, quibusque colliſis, totum quidquid ſuperſtructum eſt ruit. Mitiora demum ſolutiva, ut manna, caſſia, ſena, rhabarbarum, &c. duobus illis ducibus anteſignanis, ſua dedére nomina. Fatentur, inquam, Scholæ, exhibito laxante, 4 non eſſe ampliùs in poteſtate Medentis; adeóque per hoc infamant laxativa, eáque phlebotomiæ proinde poſtponunt. Etenim ſi quid 5 crudelius patraverit laxativum, vel doſim, vel correctionem, vel ægri naturam fluidam, vel Seplaſtam, vel ejus vxorem accuſant, ne ſolutivo alioqui pharmaco nomen pereat. Interea tamen 6 fatentur, velint nolint, ſolutiva univerſa, tabidum virus in ſe claudere: ſolamque Aloëm in proverbio innocuam vocant. Cætera verò cum additamento, correctione, & circumſpectione exhibenda, ut neque præpoſterè, aut pręmaturè. Nuper enim vir judicioſus, à Secretis Senatus Brabantici, ut ſanitatem cuſtodiret,

pillulam uſualem ex aloë lotâ (caſtrata ſcilicet) ſumſerat, cujus dum non reperiret effectum, tranſeunti id Medico denunciat. Qui culpat ignaviam aloës, adeóque picron, ſive amarum, in pigrum vertit. Præſcribam (inquit) majales pillulas. Quibus aſſumtis miſerè periit, quia totâ hebdomadâ fruſtra laboratum, ut laxantis remedii effrenem effectum compeſceret. Is enim ut ſe à morbo futuro liberaret, dolo medentis periit, & reliquit proles undecim. Vnde primariò liquet, tam eſſe laxanti liberum ferocire in benè valentem, quàm aliàs in ægrum. Impunè nempe, etiam in vitam principum, graſſari licet, ſub nomine Medentis, dolóque
8 pharmaci. Quia terra tegit crudelem Medentum inſcitiam. Specioſus ſanè titulus purgatio, ſive depuratio: ſed doli plenus. Atque utinam medentis purgatorium queat piare morbos! utinam quoad hoc non fit, ægri non exſpectarent
9 purgatorium à manu Medentum! Luctu ſanè eſt digniſſimum, quod ajunt, exhibito laxante, ante morbi coctionem, educi quidem eoſdem humores (nam laxantia volunt per ſelectionem educere unum humorum, & non alium) quos alioqui poſt præfatam morbi concoctionem: eſſe tamen inutilem, imò & nocuam. Nec tamen inde hactenus diſcant, humores, per laxantia eductos, non eſſe humores, nec peccantes; (aliàs namque utraque ſtatione morbi, & unico laxante ſuppoſitis, neceſſariò deberent juvare æqualiter, ſi materiæ eidem peccanti detrahant) ſed meram putrilaginem, & merum liquamen tabefactum, per virus laxativorum. Tantóque infelicius bibitur hoſtis, ut hanc ferinam exerceat intus lanienam, in carne & ſan-
10 guine. Etenim per facti hiſtoriam, narrabo pœnitentiæ & ſcientiæ meæ in medendo exordia. Enimverò vix ex ephebis eram, quod chirothecam domicellæ, aridâ ſcabie infectæ, indueram: Unde primum illâ, ac dein alterâ manu ſcabiem contraxi, cum pure & puſtulis infamem. Medici noſtræ Vrbis Seniores advocati. Venæſectionem primùm ad hepatis refrigerium mandârunt. Dein triduano Apozemate, bilem flavam torridam, & pituitam ſalſam, ad eductionem præpararunt. Ac tandem per pillulas de fumaria, purgationem præfatorum humorum inſtituerunt, multóſque affatim ſeceſſus provocârunt. Gaviſus ego, quod acervum fœtidi liquoris excreviſſem. Monuerunt ergò, idem pharmacum perendiè aſſumendum, itemque iterum poſt triduum, pari ſucceſſu: ac meo judicio, ſi totum junctum fuiſſet, facilè duas ſitulas impleviſſet putridum, putidumque, quod humores putabam. Qui enim antea ſanus, alacer, integris viribus, levis in ſaltu & curſu: jam redactus eram in maciem, tremebant genua, genæ collapſæ, & vox mihi rauca. Dixi itaque, & ſeriò, ubinam hoſpitati fuêre iſti humores in me? Nec enim in capite, thorace, vel in ventre locum tantæ farragini reperiebam. Nam etſi privus omnibus viſceribus, dimidium ejus tamen vix tota cavitas continere potuiſſet. Concluſi ergò mecum, Quod iſti humores non præ- 11
extiterant in me: ſed in me facti erant. Ac cognovi liquidò iſtud putridum liquamen factum fuiſſe ab aſſumto laxativo: quod idem eſſet facturum, quoties aſſumerem: Interim eadem me tentabat ſcabies, quæ antè. Vnde 1. cognovi, 12
quod ſcabies ſit contagium pellis, non autem hepatis intemperies. 2. Quod mentitum eſſet vitium iſtorum humorum in ſcabie. Quæ ſolo contactu chirothecæ, parata erat. 3. Quod pharmaca purgantia non purgarent, aut mundarent: ſed putrefacerent. Quod vividam corporis mei ſubſtantiam liquaſſent, & in putrilaginem reſolviſſent. 5. Quod indifferenter contaminarent, quidquid quoquo modo attingerent, ſive cruor eſſet, ſive demum ipſamet caro vivens: non autem ſelectivè unum pro alio elicerent, & ſepararent. 6. Quod contaminatum denotaret ſuum contaminans eſſe merum venenum, corporis liquefactivum, & putrefactivum. 7. Quod contaminatum, propulſante natura effiueret, donec vis pharmaci exantlata eſſet. 8. Quod hoc fieret non ſecus in ſano, atque in ægro. 9. Quodque ideo periculoſum eſſet pharmacum ſolutivum, antequam natura victrix eſſet in morbis, poſtmodùm verò noxa ejus non ita manifeſta appareret. Quibus dudum, atque ſeriò mecum penſitatis, deſcivi à Galeno, qui totus circa humores iſtos ita implicitus, ut omnes morbos inde conſtare aſſerat. At cùm mihi adhuc deeſſent meliora, quæ in vicem humorum, & laxativorum ſubſtituerem, cum admiratione, & commiſeratione generis humani, tandem ſtudium Medendi ſuſpendere volui, donec Altiſſimus, ex ſui beneplacito, quærenti mihi, poſt multa nummorum & annorum diſpendia, dignatus eſt donare Intellectum, quem utinam ex meis operibus mundus ſibi in commodum applicaret. Crevit in me auſus eundo, ac indies magis confirmatus ſum, quotidianis errorum Medentum obſervationibus. Inter cætera memini, quod Ar- 13
chiatri Principi exhibuerant ſcammoneatum phar-

pharmacum, unde unico die, quadraginta & unum
ſeceſſus ſucceſſerant. Qui unà cum lotio
illius diei, me jubente, ponderati, pendebant libras
octodecim & uncias ſeptem liquaminis
flavi, & putridi. Dixi ergò illi, & ſuis Medicis.
Enimverò ſi iſtud liquamen ſit bilis, unúsq; de
quatuor. Iam phlegma in corpore inde reſiduum
(una tertiâ bilem ſuperans, juxta Galenum)
pendebit libras viginti ſeptem & uncias decem
& eodem cõputo, ſupererunt meracæ atræ bilis
libræ novem & unciæ tres. Id eſt pituitæ & melancholiæ
non permiſtarum bili flavę, libræ triginta
14 ſex & unciæ tredecim. Purgationem itaque
debebant fateri, non eſſe corporis purificationem
: quin potiùs relictorum humorum (ſi
qui ejusmodi eſſent) diſtemperationem. Dein
quod præfata ſolutio non eſſet bilis electiva
mundatio, aut corporis à ſuperfluâ bile liberatio
: ſed mera cruoris liquatio putrefactiva. Siquidem
dum cruor eſſet in venis, non fœtebat
ante, mox putet in inteſtino, eodem inſtanti,
15 quo extra venas excidit. Sed ſodes, quo vaſe
jam continebuntur triginta ſeptem libræ pituitæ
& atræ bilis reſiduarum? præſertim dum à
purgatione venæ, quæ antea tumebant, nunc
conciderunt, nec apparent amplius? Sequenti
manè namque miſer ille, qui ſe veſtris arbitriis
concredidit, ac ſe purificatum rebatur, caſsâ,
acutâ, & raucâ voce loquitur, tremit manibus,
vacillat genubus, oculis concavis, exhauſtis
venis, conſternato vultu, ſitique preſſus importuna,
& dejecta appetentia, ſe pridie multa paſſum
affirmat, per tam doloſam & anxiam depurationis
experientiam, dubitatque iterum
16 redire eandem viam. Certus tamen credit, ſi
doſis laxativi auctior fuiſſet, malè ſibi ceſſiſſet
negotium. Ex iſta enim forti purgatione in
Principe, ſtatim deberet eluceſcere ſolutivorum
17 virulenta proprietas. Reſponderunt Medentes,
Principis naturam facilem, nimium auſcultaſſe
pharmaco, & ad evitandam relictorum
humorum colluviem præfatam, ſimulque diſproportionem
eorundem. Quam Scammonæa,
ex proprietate nedum eliciat bilem: ſed ex ipſo
cruore, ſive compoſito ex quatuor confece-
18 rit unicum liquamen per ſedem rejectum: Vnde
rurſus concluſi, impoſturam atque dolum,
quæ choleram vel pituitam educi ſupponit,
quæque ſelectivè unum præ alio excerni perhibet,
dum jam fatentur, eſſe omnes ſimul liquatos.
Et juxta Galenum, dum ſanguis putreſcit,
fit bilis: & falſum eſſe, quod Cholagogon
(verbi gratia) curet morbos bilioſos; quódque
deceptio ſit, qui bilem educi ajunt, ſi & cæteri
tres priùs corrupti, ſimul ejiciantur. Nemo certè
eſt veritatis ſtudioſus, qui non hinc ſtatim intelligat,
corruere Veterum Medendi baſim; tam
reſpectu humorum quàm ſelectionis ſolutivorum
Medicaminum. Profectò admiror in ſtuporem
uſque, quòd Mundus perniciem laxativorum
nondum adnimadverterit, qui alioqui
tam repentè perſentit quaslibet technas marſupio
ſuo prætextas. Indubium eſt ſiquidem, quin
laxativa occultum gerant toxicum, quod tot viduarum
ac pupillorum millena fecit. Neque enim
educunt ſingularem poſt ſe humorẽ, quem
ſingulari tractatu demonſtravi, nunquam in natura
fuiſſe, niſi in libris Medentum. Etenim doſim
laxativi auge, atque illicò ſe prodet lethale
venenum. Agedum, cur iſta veſtra bilis, tam 19
celeri effluxu ſubſequens, fœtet tam horrendè,
quæ uno quadrante priùs non fœtebat? Celeritas
enim effluxus, putrefactioni anſam adimit,
ut & fœtoris. Olet namque cadaver, & non
ſtercus. Neque etiam ab inteſtinis, tam repentè,
tam olidi ſtercoris odorem mutuaret. Itaque
fœtor indicat toxicum efficiens, & materiam
cadaveroſam, è vivo deſumtam. Quod probo 20
Mechanicè. Si quis hauſerit drachmam vitrioli
albi in vino ſoluti, mox vomitum cit. At ſi ſtatim
à potu ſuperbibat hauſtum cereviſiæ, aquæ,
&c. is quidem plurimos patietur ſeceſſus: attamen
prorſus abſque fœtore. Scammonæa igitur
& vitriolum, pariter liquant cruorem meſaraicum.
Hoc quidem, violenta ponticitate ſui.
Illud verò putrefactivo, olidóque laxativorum
veneno Cujus ſolius conſideratione, purgatio,
ut crudele & ſtupidum inventum, nemini non
ſuſpecta eſſe debet. Etenim ſi juxta Galenum, 21
ſanguis dum putreſcit, fit bilis: ergò liquamen
fœtidum, atque flavum, per laxativa dejectum,
mentiensque bilem, ex putrefacto cruore eſt
generatum. Atque per conſequens, ipſa laxativa
ſunt putrefactiva cruoris. Quod ex Galeno,
Scholis invitis, facilè colligitur. Etenim potiſſimùm
commendat Theriacam, eò quòd potiſſimè
venenis reſiſtat. Signum quoque optimæ
Theriaces diagnoſticum aſſerit, quòd ſi una
cum laxativis ſumatur Theriaca, indubiè non
ſubſequentur ſeceſſus. An non hæc Galeni verba
convincunt, laxativa eſſe mera venena? quorum
ſcilicet univerſa operatio eluditur, per
Theriacam venenorum domitricem? cui ſuſpicioni
conſonant effectus. Quippe ſumto pur- 22
gante, æqualiter dejiciunt æger & ſanus, liquamina
ejuſdem coloris, odoris, & conditionis:

nis: quapropter non exigit humorem peccan-
tem, præ non peccante: ſed indifferenter con-
23 taminat quidquid attingit. Porrò & Scholæ im-
pugnant libertatem ſelectivam, quam ſolutivis
tribuunt. Nam ſi humor aliquis è quatuor, ſit
putridus in febribus, indicetque naturaliter ſui
ablationem: laxativa verò educant ſelectivè
humorem è cruore, in ſanis (uti volunt) imò
carnem ſanam liquefaciant, ut inde ſcopum
ſuum nanciſcantur, qui eſt, liquamen putridum
fundere, quod alvus dejicit. Saltem laxativa
non habebunt parem licentiam in febribus, ad
eliciendum excrementem peccans, & putri-
dum. Nam putridum non habet amplius pri-
ſtinam eſſentiam & proprietates, quas habebat
ante ſui putrefactionem. Etenim ſi magnes at-
trahat ferrum: non trahet etiam proinde fer-
ruginem. Ideóque ſi purgans reſolvat carnes &
cruorem, ut inde bilem educat, quam proprie-
tate ſpecificâ vinctam ad ſe trahit: non proinde
trahit pariter putrida & putrefacta, venis inclu-
24 ſa, quæ cauſa eſſent febrium. Nemo ſanè per fe-
bres oppeteret unquam, ſi duo Scholarum a-
xiomata veritate niterentur. Nempe ſi humo-
res putridi ſint cauſa febrium, Itemque ſi ce-
dant ſelectivè, per purgantia. Inſuper veſana
cautio eſſet, ne purgantia dentur in principiis
febrium antequam materia turgeat; nimirum
non ante maturitatem, ac coctionem materiæ
peccantis. Vnde ſat liquet, laxantia fore ſecus
nocua. Sin autem dentur, poſtquam morbi ma-
teria jam ritè eſt ſubacta: impoſturam præ-
25 fata cautio continet. Quippe effectum ſponte
ac beneficio naturæ procuratum, attribuit phar-
maco ſolventi. A quo ſanè etiam tum, juſtius
probus Medicus abſtinet. Quoniam tum per-
turbat criſim, periculum confuſionis inducit, &
recidivæ. Pharmacum enim ſolvens, ſemper
atque per ſe, non ſecus educit non cocta, ac ea
quæ poſtmodùm cocta vocantur: quia utrobi-
que æquè atrox ac virulentum. Sed poſtquam
natura morbum ſuperavit, minùs noxæ infert,
neque tam apertè laxativi dolus tum manifeſta-
tur. Adeóque ſi tum laxans detur, videbitur
Medicus, ſuâ arte morbum viciſſe. Cæterùm ſi
laxativa educerent ſingula, humores ſuos per e-
lectionem: neceſſariò etiam qualibet ſtatione
morbi conducerent, quippe quæ ſemper eun-
dem liquorem & æquè fœtentem educunt: tur-
bant autem quam maximè, quoad natura non
26 evaſerit ſuperior. Quam illius victoriam morbi
concoctionem dixere Scholæ. Non ſanè quòd
natura digerere, aut coquere aggrediatur quid-
quam, quod vitioſum eſt, aut ſibi in uſum non
cadit. quippe quæ intelligentia non errante
gubernatur. Hæc de utroque univerſali præſi-
dio in febribus admonita ſufficiant. Conclu-
dens cum Hippocrate ad Democritum, omne
ſolutivum deprædari de viribus, & ſubſtantia
noſtri corporis.

Conſideratio Quartanæ.

CAPVT VI.

1. *Quartana illuſit Scholarum regulas.* 2. *Quare neſciant curare quartanam.* 3. *Deficere ſolitas in aliis morborum eventibus excuſationes.* 4. *Omen ex quartana in cæteris febribus.* 5. *Quartanæ examen ad Scholarum calculum.* 6. *Debilitates ipſius Galeni.* 7. *Deliquia in Medentibus notata.* 8. *Coacta verba in confeſſione Medentum.* 9. *Argumenta contra atram bilem in Splene, & ſubterfugia Medentum.* 10. *Vera ratio, unde Splen indureſcit ſub finem quartanæ, errorque Scholarum detegitur.* 11. *Notabilia aliquot in quartana.* 12. *Modus inebriandi, organáque.* 13. *Notabile de ſpiritu vini vegetabili, è baccis Iuniperi.* 14. *Cur vina ordinariò grata mortalibus.* 15. *Quomodò arteriæ trahant remedia ſua.* 16. *Impedimentum in oleis eſſatis, quod in eorundem ſalibus non eſt.* 17. *Modus fiendi cardiacæ paſſionis, quam etiam vocant regiam.* 18. *A ſtomacho varii morbi chronici.* 19. *Ruditas ſeculi Hippocratici, & ſinceritas.* 20. *Quartanæ nulla ſedes relinquitur in Scholis.* 21. *Paucula dicuntur notabilia de Inſaniis.* 22. *Sedes amentiarum.*

INtegro ſanè tractatu demonſtravi, nunquam
in rerum natura fuiſſe humores, quos Scho-
læ Medicæ in artis ſuæ baſim præſupponunt,
ſpectaretque ex profeſſo huc ille tractatus, niſi
propediem in opere aliorum morborum repe-
tendus eſſet. Eò quòd omnes morbos paſſim
iſtis humoribus nuncupârint. Hoc loco autem 1
ſufficiet obiter demonſtraſſe, febres ortum
ſuum nullatenus debere ejuſmodi humoribus,
ſive integris, ſive putrefactis. Nunc de Quar-
tana quædam dicam: non enim quod materia
aut efficiente differat à cognatis febribus, aut
aliàs curetur, quàm unico eodemque modo,
& medio, quo ſuperantur cæteræ: ſed quia
Quartana colliſis Scholarum viribus nunquam
devicta fuerit: atque adeò ludibria fecerit Me-
dentum commentaria, vanoſque ſermones de
bile atra, de Splene, nigræ, atque retorridæ bi-
lis cloaca, deque ſolutivis, atram bilem per ele-
ctionem educentibus. Quartana itaque doctri-
nam Academiarum, harumque promiſſa, riſui

jamdudum expoſuit tanquam vanas ſine viri-
bus nugas, atque luridas fabellas. Deſperata ni-
mirum per artes ſanatio , enervem medicami-
num opem, diſpenſatoriorum vana pollicita,at-
que indubiam cauſarum febrilium ignorantiam
patefecit.Bone Deus ! Iam patet , quòd Medici
non ſolùm nequeant ſanare Lepram,Podagram,
Paralyſin,Aſthma,calculum,caducum,reliquóſ-
que contentos ſub ingenti incurabilium catalo-
go,nunquam ſua ſponte ſanatorum:ſed nec qui-
dem Quartanam , quæ patienter omnem exſpe-
ctat,illuditque Medentum operam;quam tamen
natura, ſuapte vi,in Scholarum ignominiam ſa-
nat , demere norunt ! Etenim qui per venæſe-
ctiones,ſcarificationes,hirudines, veſicatoria,&
alvipurgationes , adeóque per diminutiones
corporis , & virium , dumtaxat ſuas ſanationes
moliuntur , Ethnicisque doctrinis toti inhæ-
rent, etiam per naturam,à vera cauſarum, & re-
2 mediorum cognitione excluduntur.Quia inpri-
mis nullum illorum medicamen , ad ſedem
Quartanæ pertingit,quin priùs per ſingularium
digeſtionum telonia, tributum perſolvens , o-
mni non ſit exutum facultate , ad tantum ma-
lum requiſita. Nec enim id aliunde deducere,
aut multis probare debeo , ſat eſto, quod hacte-
nus infauſta fuerint Medentum ſubſidia. Pur-
gant nimirum atque venam incidunt, reliquum
deinde deſinunt naturæ bajulandum : ſciúntque
interim certò , ſe, nil iſtiusmodi, remediis pro-
futuros, aut unquam profuiſſe : Vtinam ſaltem
non nocuiſſent : Fateri itaque debent remedia,
ſimúlque artis hypotheſes omnes , in hoc mor-
bo ſibi deficere, imò nec ſolitum in aliis morbis
3 ſibi valere incurabilitatis ſubterfugium. Nam
omnes Academiarum poteſtates connexæ , tan-
tundem non poſſunt , quantum natura absque
4 illis , ſua ſponte poteſt , & facit. Cæterùm eun-
dem inſcitiæ pudorem,atque omnimodam im-
potentiam , quam Quartana in Scholis detexit,
in cæteris quoque febrium curationibus , fateri
cogerentur : niſi illæ ultro ad terminum prope-
rarent. Quapropter jamdudum ominor, quod
exlex Quartana, ventura mox ætate, diſtinguet
pſeudomedicos, à veris, quos elegit, creavit , &
5 honorandos præcepit Altiſſimus. Scholæ ergò
Quartanam , ad calculum aliarum febrium de-
finiunt , per calorem præter naturam accenſum
primum in corde ab humore atrabiliario pu-
trido , è ramulis extremis venarum , diffuſo in
habitum corporis : cujus atræ bilis putridæ ſe-
dem , nihilominus in Liene agnoſcunt. Effla-
gito ? ſodes, dicat mihi profeſſio Medica, quem
concentum ex tanta aphonia edant unquam? &
an non ſit, garrulitate , tam ægrorum , quàm
Tyronum mentes offudiſſe? exponant, inquam,
cur ille calor non primò accendatur in Liene,
qua ſedet cauſa , ſive humor , qui ſua putredine
(ut ajunt) eſt caloris innaturalis cauſa? prout
dum ſpina, digito infixa hærens , ipſe digitus
primariò æſtuat longéque ante phlegmonis pu-
tredinem ? Cur Quartana adeò pertinax , ſi ſin-
gulo acceſſu,natura ſibi viam reperit, quâ putri-
dam bilem atram , per venas , in habitum (et-
iam ipſo frigoris rigore , & venarum anguſtiâ)
diſpergat ? Quomodò poſt ſeſquiannum , ſæpe
eadem numero atra bilis adhuc putrida erit ,
durúmque Splenem dabit , ſi ſingulo acceſſu ,
diſpergatur in corporis habitum ? Quomodò ſi
ab initio in Splene fuit , cum tam diuturno pu-
tridi concubinatu , Splenem jamdudum non
putrefecit ? qui præſertim nil niſi cloaca peſſi-
mi excrementi à Scholis cenſetur ? Quomodò
poſt tot menſes, Quartana melius ſponte rece-
dit , in Medentum opprobrium , dum tamen
neceſſariò aridior, craſſior, magisque putruerit,
quàm primis acceſſibus ? Denique , quî poteſt
humor ab ortu malus , atque putridus , tandem
digeri ? Stulteſcitne natura, ut humorem, quem
in principio digerere recuſaſſet,poſt repudium,
& ſeſquiannum tandem digerere incipiat , jam
ante neceſſariò planè putrefactum ? Quæ ratio
mutati arbitrii? an naturam tum priùs facti pœ-
nituit ? Quomodo non tædebit ipſam , quæ tot
menſes luctando cum putrido peſſimóque hu-
more, ſe pænè exantlavit : ut tandem excludat,
quod penes eam jam induruit , totque nomini-
bus offenſum fuit ? Si enim triduo, tantum atræ
bilis aſſervetur, quantum acceſſui ſatis,quid hoc
ad lienem ? quidve ad digeſtionem primitivæ,
& putridæ atræ bilis faciet ? Si quotidie atra bi-
lis de novo neceſſariò fiat , deponatur in Sple-
nem , atque inde deferatur in ſtomachum ſui
emunctorium? quomodò per tot menſes,natu-
ra erit oblita illius emunctorii , viarum , expul-
ſionum, & ritus ? horúmque non recordabitur;
niſi prope finem, tam tædioſum ? Quid ſi Sena,
Epithymus , quodque in Armeno , & laſuli la-
pidibus , hoſpitatur arſenicum atram bilem un-
decunque (præſertim è naturali ſuo diverſo-
rio) exigant , hæcque ſit Quartanæ cauſa tota-
lis , indubia , tótque regulis , Authoribus ,
& ſeculorum conſenſu accuſata : cur ergò
Quartanam non tollunt , imminuunt , aut ul-
latenus abbreviant ? Sed Medentes , poſt tot
carnificinas , ſuos ægros deſerunt debilitatos

ſub deſperationis cuſtodiâ, culinæque regimine
commendatos. Quid tandem ſibi vult multa
iſta, putidáque liquaminis ſaburra, quàm his epotis,
æger credulus, ſine profectu ejicit, vireſque
ſibi inde imminui percipit? nonne verum
eſt iſtud Hippocratis, Si educantur quæ convenit,
meliùs ſe habent ægri, & facilè ejuſmodi
ſubductiones ferunt? Cur enim tametſi immediocriter
ſumta ejuſmodi ſolutiva, in ultimum
uſque vitæ flatum, Quartana attamen, de jure
ſuo remittit nihil? Diſcite ergo juniores Medici
à me Sene, quod veſtri humores, remediáque
laxantia, non ſunt niſi mera deliria, quibus invicem
ſubſcribendo deluſum eſt vobis per Ethnicos,
quibus donum medendi non fuit datum.
6 Vtpote ne Galenus quidem unquam Anatomiam
vidit, utcunque de ea, & uſu partium magnificè
triumphet; nunquam argentum vivum
vidit, cunctáque ſimplicia verbotenus è Dioſcoride
eſt mutuatus, ſuppreſſo hujus viri nomine.
Nunquam, inquam, vel aquam roſaceam novit.
7 Nonne pudendum, ut aliquid nummorum
emungatis, venæſectiones, & leviora ſubinde
cathartica, propinatis, ſine ſpe ullâ emendationis?
Multáque ad nauſeam uſque de digeſtione
putridæ melancholiæ, de nubecula, ſive eneoremate
lotii, muſſitatis inter vos, cùm tamen diffidentiæ
pleni, fatendum eſt vobis, hæc verba,
8 ab initio in pectore latuiſſe. Contra Quartanam
habemus nihil, ſanguinem mittimus, & purgamus,
atque deinceps nil ſcimus. Oportet exſpectare
terminum cum patientiâ. Quia contra
Quartanam, non eſt remedium in noſtris thecis.
9 Natura ſeipſam juvare debet. Interim intumeſcit
durior lien, & non rarò unà quoque malleoli.
Si itaque atra bilis eſſet continens Quartanæ
cauſa, darétque durum Splenem: quomodò
tandem ceſſat febris, permanente ejus cauſa totali
in Splene? Quomodò jam in Splene indurata,
meliùs evacuabitur, quàm dum natura, per
febrim illius proſcriptionem moliebatur. Quo
pacto tandem, melius recedet indurata, quàm
fluxilis in initio? An ceſſante febre, putredinem
amiſit? dum ſcilicet hydropem minatur, tumétque
durus lien? quæ tamen ſunt indicia priſtinæ
ſuæ pravitatis. Sed an ſola atra bilis inter naturalia,
à ſui putredine redibit in priſtinum ſtatum?
Si verò ceſſet febris, quod atra bilis ſit abſumta
per tot circuitus: Cur jam plus Medenti
obtemperat, quàm dum nulla eſſet viſceris tenſio?
Quare nunc demum ſperatis auxilia à Capparibus,
Tamariſco, & Ammoniaco, quæ durante
febri, erant ignava? Si eadem atra bilis
ſupereſt, cur ceſſat illa, ſoſpite febri? Sin autem
atra bilis cum febri abiit, cur præſcribitis remedia
ad fluidiorem atram bilem? Quid ſi per abſceſſum,
fingatis atram bilem ad Splenem delatam:
quodnam eſt iſtud viſcus Splene nobilius,
quod abſque ſenſu, querimoniâ, & labe,
atram bilem, præter naturam tantiſper toleravit?
febriúmque tot inſultus paſſum eſt? Cur
abſceſſus iſte non fiebat viribus adhuc integris,
ad propulſandum hoſtem, magis idoneis? Cur
non, dum fluidior eſſet materia? Quomodò ſalvabitis,
quod Splen ſit emunctorium atræ bilis,
ſi hanc tandem, aliunde ad Splenem deferri
oportuit, poſt tot labores & anguſtias? Quare
ergò durities & tumor Lienis, tandem cum laboribus
crevêre ad proportionem? Mirum ſanè
hactenus ignotum eſſe, quòd Splen ſub Quartanæ
torturis toleravit plurima, cujus digeſtionum
ſingularium, ſine topicalium errore, ſaburra
iſta ſit reſidua, pro tumore Lienis. Quódque 10
idcirco durities Splenis ſit ex iſtiuſmodi
transmutatis erroneis, majorque ideo, quò Splenis
præcedens afflictio, gravior. Quòd nimirum
Lien tumeſcit, ex producto per Quartanam:
non autem ſit ipſa Quartanæ materia occaſionalis,
multóque minùs aliqua atra bilis. Vtpote
quæ in natura fuit nunquam. Quapropter etiam
contingit, quod ejuſmodi durities, è Splene
evaneſcat ſponte, poſtquam reſumtis viribus,
ſuas natura digeſtiones perficit. Propterea
cura duri Splenis, non ſita eſt in humectando,
emolliendo, & purgando atram bilem: quantum
in recreandis viribus digeſtionis. Pro cujus 11
confirmatione ſciendum: Splenem, quadringentis
forte arteriis conſperſum eſſe, nec ullum
omnino viſcus, tam frequenti arteriarum propagine
ditari, atque Lienem. Dein ſciendum,
ſedem Quartanæ, nedum eſſe in ipſo Lienis corpore,
verùm in ipſiſmet ejus arteriis, ſi non omnibus,
ſaltem in aliquibus. Quod punctum unicum,
fecit ſanationem Quartanæ difficilem.
Tertiò demum ſciendum, quòd arteria nullum
è ſtomacho, inteſtinis, vel aliunde, ſuccum trahat
ſibi; nam quorſum ſibi iſtum traheret, cum
exin nil ſibi unquam boni paret? Ille enim chylus
attractus, adhuc caret mediis præviis, quibus
unquam queat ad perfectionem ſanguinis
arterialis deduci. Alioquin arteriæ ſibi plus
anxietatis ex tantillo peregrini liquoris ſuctu
attraxiſſent, quàm longis poſt laboribus exantlare
valeant. Concedo quidem, arterias ordinariò, 12
& immediatè, attrahere ſpiritum inebriantem
è ſtomacho, qui omni propemodùm vege-

tabili innaſcitur, per artem, ſola fermenti vi, à
concreto disligatur, ac tandem per ignem edu-
13 citur. Per exemplum. Si baccæ Iuniperi, in a-
qua bulliantur, ſubter alembicum, mox inde
aſſurgunt, & colliguntur, aqua & oleum eſſen-
tiale. Tandem, ſi baccæ tum demum per fer-
mentum macerentur, iteratâ dein diſtillatione,
elicitur aqua ardens leniſſima, ſive aqua vitæ.
Minus tamen, quàm ſi ab iiſdem baccis, oleum
non foret priùs ablatum. Tertiò demum, ſi re-
ſiduæ baccæ, per ſetaceum transcolatæ, co-
quantur in Electuarium, jam nactus es ſoluti-
vum, omnibus officinarum compoſitis præ-
lucens. Spiritum ergò vitæ ardentem, vege-
tabilis naturæ contubernalem, (quem Hel-
leniſmus Scholarum vidit, aut ſcivit nunquam)
arteria, ad ſe lubens è ſtomacho rapit, quem
aliàs primaria ſui inſtructione natura parat, è
digeſto chylo: Gaudet ſanè, ſe multo com-
pendio reperiſſe liquorem, unde ſpiritum vi-
14 talem ſibi efficiat. Hactenus nempe vina mor-
talibus regulariter placent, Cor exhilarant,
& inebriant, ſi plus juſto potentur. Nam ſpi-
ritus vini nondum eſt vitalis noſter: quia ad-
huc determinationis individualis indigus, ut
inde Archeus vitalis influens, functionum
noſtrarum exſecutor, conſtruatur. Quapropter
cùm nec Meſenterium, nec hepar, ſint deſti-
nata in fabricam ſpiritus vitalis, gaudet Cor,
illum immediatè, atque promtè, per arterias
15 jam ante paratum, è ſtomacho aſſugere. Vnde
ſequitur, ſi arteriæ attrahant ſibi ſpiritum vini,
vaporum inſtar, etiam trahent odores eſſen-
tiarum. Hinc namque deliquia, imò & reſtau-
rationes, vice verſa. Arteriæ verò non trahunt
olea, licet eſſentialia, & grata; eò quòd non ſu-
gant ſubſtantiam liquoris, multò minùs olea.
Vt ergò medicamen acceptum ſit cordi, & ab
hoc attrahatur intrò, debet eſſe odorum, & in-
ſeparabiliter nuptum ſpiritui vini. Quare vina
odora cæteris faciliùs inebriant, quia maritati
odores ſpiritui vini, facillimè admittuntur ad
16 Cor, Caput, Vterum, &c. Odores autem oleo-
ſi, abſtracti à ſuis concretis, inquinando po-
tius afficiunt, quàm materialiter in arterias ſub-
eant. Ideo nempe per vini immodicitates, vitæ-
que errores, ſæpè non merus allicitur in arteri-
as vini ſpiritus: ſed & aliquid ſuccorum ſimul.
17 Vnde demum vini heluonibus, difficiles Cor-
dis palpitationes ſuccreſcunt, merusque vini
ſpiritus, importuna aſſiduitate, arteriæ arun-
dinem intus ferit, ejus topicas ac proprias dige-
ſtiones turbat, quapropter etiam pars alimenti
arterialis degenerans, varias ſuſcitat clades, et-
iam in vitam durabiles. Contingit enim in ar- 18
teria ſtomachi, quòd vini ſpiritus, ſuâ ſe ſo-
cians importunitate, alimento arteriæ ſpermati-
co, dierum curſu, ſuſcitet indelebiles vertigi-
nes, cephalalgias perennes, caducum inquam,
ſyncopes, ſopores, Apoplexias, &c. In hujus
nempe membri, tanquam Cordis œconomiâ,
ſuas nanciſcitur thymoſes, in vitam durabiles,
non niſi majoribus arcanis delebiles. Eadem
quoque via, mors inopina ſibi non raro fecit in-
troitum. Quia inde ſua ſponte nunquam educi-
tur ejusmodi vitiata materia. Nam etſi Arche-
us ſit aptus ſua tandem alimenta conſumere:
non tamen hoc juris obtinet, in excrementa
peregrino coagulo degenerata, adeóque ob id
virtuti vitali non auſcultantia. Ideo nempe, pars
iſta cordis titulum aſſumſit, ſyncopes de facili
ſuſcitat: Comitiales etiam poſt 24. annum, i-
temque affectus ejuſmodi Cordi tributi haben-
tur illis incurabiles, qui potioribus, medendi
eruendis facultatibus, non multum inſudarunt.
Sedem hanc caduci Hippocrates (pace tanti vi- 19
ri, & talis ſeculi dico) ignoravit. Quippe qui in
limine medendi conſtitutus, ſuas ſaltem ob-
ſervationes, hiſque natas medicationes, fideli-
ter poſteritati tradidit. Dixit namque, ſi Melan-
cholia tranſit in corpus, generat caducum: a-
mentiam verò, ſi in animam penetret. Si ergò 20
in corpus & animam, atra bilis tranſcendens,
faciat caducum & amentiam: quorſum ergò
perget, ut generet quartanam? Scholæ inprimis
gaudent tanto Authore pro humore atrabilia-
rio: ſed obliviſcuntur Quartanæ, longè rece-
dentis à caduco & amentia. Nam quocunque
reſpexerint, quartana vel non fiet ab atra bile:
vel hæc non erit in corpore nec in anima, dum
quartanam condit. Quantum autem ad maniam 21
& caducum attinet, quaſi viarum ſola diverſi-
tate ſeparentur. Sive, quod idem humor nunc
evaporaret, aut materialiter hoſpitaretur in di-
verſoriis facultatum principum. Ridiculum ſa-
nè, licet pigrum ac plauſibile commentum in
tam anguſto humorum quaternario, omnibus
morbis cauſam inveniſſe. Nam inprimis cadu-
cus, multo ſtrictius conſopit, & alienat animæ
poteſtates, licet inſaniæ longè pertinacius. Quo-
circa longè aliter (parcant mihi manes Hippo-
cratis) præfati morbi, quàm viarum, ac termi-
norum, metatheſi diſtinguuntur. Quinimò ge-
nus amentiæ, per ſpecies, propria materia, pro-
prióque efficiente, differet: ut videre eſt in ra-
bie ex morſu canis, & ictu Tarantulæ. Nondum

enim Hippocratis ſæculo, cauſæ rerum eno-
tuerant, quarum notitiam garrula Græcia ha-
ctenus ſuppreſſit. Nec etiam deliria iracunda,
à bile flava, ferina ab atra, & jocoſa à ſanguine
fiunt. Certè alias quotidie jocosè deliri eſſe-
mus omnes, aut ſanguine privi: febrilia enim
deliria, inprimis ex materia febrili, in officinas
ſomniorum irreptante, petuntur, nec aliunde.
Non autem, quod corpus deſerat, ut in men-
tem ſubintret. Itemque nunquam in Cauſo,
Synocho, aut febribus continuis, delirium ob-
veniret: ſed ſemper in quartanis, atrabiliariiſ-
que morbis. Profectò, jam delirium eſt ab ipſo
febrium initio, ubi ſcilicet febris, & delirii
cauſa, ſunt in radice junctim. Paulatim nem-
pe aucta nequitia, debilitatiſque organis, aſcen-
dit delirium in ſuæ perfectionis maturitatem.
Sic in vino, itemque in quibuſdam ſimplici-
bus, imò & pariter in febrilibus excrementis,
tegitur occultum delirium, nec prodit, niſi vis
ejus in craſim aſcenderit. Saltem ſingula per
eandem viam regiam, pro nequitiæ ſuæ ge-
nio, furiunt in organa phantaſiæ, prout alibi de
Amentiis. Semen ergò delirii ab initio, in ma-
teria febrili latuit; quod tandem ad juſtam
ſui malignitatem promovetur. Si ergò Amen-
tiæ differant materiâ & efficiente, id eſt, tota
ſpecie, & ente: multò ſanè longiùs diſtant in-
vicem, atque peregrino magis ſemine diſtant
caducus, & Amentia, quàm quòd unica atra
bilis, ſedibus exorbitans, utrumque pare-
ret. Prout alibi de duumviratu. Amentiæ (uno
verbo dicam) omnes arteriis foventur, hoſpi-
22 tioque Hypochondrii. Juxta illud, Quibus ve-
na fortiter in præcordiis pulſitat, ii mox men-
te alienantur. Proinde etiam non rari, per-
turbatione excitatrice egent, antequam in ma-
niam recidivent. Quippe perſimili perturba-
tione partam.

Auxilia Medentum æſtimantur.

CAPUT VII.

1. Qualia ſint auxilia Medentum. 2. Vanitas eorumdem. 3. Topicorum noxa, & derivatio fictilis. 4. Aqua in veſicatoriis, fuit merus cruor. 5. Objectio ſoluta. 6. Veſicatorium crudelius quàm cruoris emiſſio. 7. Quorſum excogitata veſicatoria. 8. Clyſter quare hoſtilis inteſtino. 9. Clyſter nunquam ad Ileon Inteſtinum attingit. 10. Laxativa in Clyſtere, acriora ſunt, nocua ut purgantia: ſed minus. 11. Quocumque titulo & introitu nocet venenum intra ſumſiſſe. 12. Nunquam febres extrahi Clyſteribus. 13. Obſunt ideo vita longa. 14. Clyſter ut Medentes nominat. 15. Prognoſis è clyſterum uſu. 16. Per clyſteres nutrire, ſtupidum. 17. Omen. 18. Vulgus medentum notatur.

AUxilia vulgaria examinare ſtatui, ante- 1
quam febrium naturam determinem.
Sunt autem illa ſcarificationes, hæmor-
rhoidum apertiones, veſicatoria, & id genus alia;
cunctaq; concurrunt in cruoris, virium, & cor-
poris diminutiones. Quæque ideò jam ſat con-
demnata ſunt, ſub præſidiis univerſalibus. Stul- 2
ta nimirum ſubſidia, circa corporis ſuperficiem,
ubi centralia laborant, & obſeſſa ſunt, quibuſ-
que non expeditis ab hoſte, fruſtra eſt, & nocu-
um, quidquid per ejuſmodi ſimiarum geſticula-
tiones eſt intentatum. Vanum certè ſpei rudi-
mentum eſt, velle per conſequens, radicem loco
dimovere, auferendo inſontem cruorem è pel-
le. Quod ſatis miſer Princeps Infans Cardinalis
exhauſtis venis, nihilominus perſtite typo Ter-
tianæ Anatomicis confirmavit luctuoſo ſpecta-
culo. Itemque paracentheſis, ſive apertio prope 3
umbilicum in hydrope, hujuſmodi ſpem extin-
guere dudum debuiſſet. Nam ibi obvium eſt, è
propinquo centro, aquas depromere quotidie,
de fructu parte aquæ pro lubitu in dies haurire.
At fruſtra, quia nequidquam de radice decedit.
Adeóque Paracentheſis, vitam ad paucos tan-
tum dies dilatat. Veſicatoria autem ſummè
ſemper nocua ſunto, & à ſpiritu nequam Mo-
loch excogitata. Nam aqua inde continuò ſtil-
lans, nil niſi cruor transmutatus eſt. Dum enim 4
quis manum vel crus amburit, ignis non vocat
ſerum ſanguinis ad locum combuſtum. Nec a-
qua ejuſmodi, alibi deliteſcit, laxoque freno ex-
ſpectans accurſura, dum pellis quandoq; amb-
ureretur. Surda eſſet aqua ad ignis vocatio-
nem, nec parêret natura extrinſeco imperanti.
Quid ſi cruori innaret aqua, quam bilem vo- 5
cant. Sanè non fluctuat illa, ſeparata à cruore, ni-
ſi poſt ejus coagulationem, ſive corruptionem.
Hanc itaque intendunt veſicatores, non autem
conſervationem, & ſanationem. Non eſt ergò:
ſed fit, aqua iſta ſalſa; non ſeparatur, inquam, à
cruore, ſed ipſius cruor transmutatur in aquam,
perſimilem Hydropi, diarrhϾ, ſimilibuſque
defectibus. Tanto ergò veſicatoria ſunt periculi 6
pleniora, quàm venæ ſectio. Quòd hæc ſiſtatur
ad arbitrium: illa verò non, quæ poſt venæ-
ſectiones, vanaſque corporis lanienas, tandem
propter impedimenta comatis febrilis, adeó-
que ad effectus poſterioris adulterationem,

7 ſit ſomniata. Soporoſos enim præ dolore tot
ulcerum excitare gaudent : atque utut rem
volvas,crudelis eſt lanionum carnificina. Nec
enim ſoporoſus, quia dormit, malè ſe habet:
ſed dormit, quia malè ſe habet. Adeóque impedire
ſomnum, non eſt utile: ſed dumtaxat valet,tollere
radicem ſoporis. Qui ergò per dolores,
ſomnum ſuſpendunt tantum, crudeliter ægrum
in mortem præcipitant. Blandiuntur
nempe populo, ſæviendo in ægrum: interim
perſeverant in officio crudelis, & infidi auxiliatoris
ſtipendiarii. Etenim ſi febriens ſoporoſus
dormiat,ſive vellicatus excitetur aſſiduè, ejusmodi
ſtupida lenocinia,ne minimū præſtant
febribus. Quapropter ſoleo dare oretenus mea
remedia, & cibos ſtatis horis, nec reſpicere utrum
dormiverit necne.Dico cum Apoſtolis illud
Antiquum.Si Lazarus dormiat,ergò ſanabitur.
Torturæ enim febrienti illatæ,nemini
8 profuere unquam. Quod autem ad Clyſteres attinet,
frequens ac pudendum medentum ſubſidium.
Ego ſaltem olim,enemata nunquam, niſi
cum pudore ſuaſi,& deſcripſi. Poſtquam autem
fida remedia nactus ſum, clyſteres prorſus abhorrui,
velut belluinum remedium ab ave (ut
ajunt) edoctum. Etenim quod clyſter quilibet,
naturaliter ſit inteſtino hoſtilis, exin facilè liquet,
Quod ſingula recipiantur per modum, &
reſpectum recipientis. Quod ſic latiùs explico.
Oculi lacryma, etſi ſalſa, tamen indolens eſt,
quia oculo familiaris, & cognata. Aqua verò
ſimplex,in oculo dolet;& aliud quidlibet.Urina
quoque,etſi ſalſa,non mordicat veſicam. Decoctum
autem qualecumq; per Cathætera intromiſſum,etiam
ſuaviſſimum,dolet intus. Si verò
lotium, vel tantillum aciditatis hauſerit, è novellis
cereviſiis,aut aliunde, ingens mox ſtranguria,&
lotii eſt ſtillicidium. Stercus ergò,cùm
cognatum ſit inteſtinorum contentum, & domeſticum,non
mordicat,nec ſentitur,donec ad
carnoſas recti inteſtini partes devenerit, tanquam
janitoris munere fungentes,ſentiuntq; &
urgent ideo.Unde concludo,quòd Clyſter quilibet,
cum ſit peregrinus Inteſtino, non poſſit
9 non illi eſſe moleſtus atque ingratus. Denique
Clyſter nunquam adſcendit ad Ileon Inteſtinum.Etenim
ſi uncias 18.injicias,jam magna ejus
pars in tubo ſupereſt, vel foràs elabitur injiciendo,
adeóq; tantùm ad principia Coli
10 Inteſtini pertingit. Deniq; ſi Clyſteri inſint laxantia
(plerumque namque decipitur ſic æger,laxativa
perhorreſcens) ut purgativorum virus jam exploſi;
ita & laxantis Clyſteris uſum, pari jure.
Fateor, minoris eſt noxæ Clyſter, quatenus os
ſtomachi ſemper nobiliſſimo munere vitæ fungitur,
vitaque oblæditur veneno laxante. At ſaltem 11
nemo inficiari poteſt, quin ſit odioſum,intro
venena admiſiſſe, quocumque titulo, & introitu.
Quippe reſolvunt enemata purgativa,
cruorem in Meſenterio. Saltemque in terminis
febrium loquendo. Nemo unquam per Clyſteres 12
febres eduxit: quia loca, materia febrili obſeſſa,
non adiverunt,neq; illa ſolantur unquam.
Nec interim deſinunt contaminare, & emungere
cruorem è venis,conterminis inteſtino.Illud 13
enim à ſenibus didici,quod quicumq; amat
vitam longam & ſanam,abſtineat à purgantibus
quacunque impoſturâ aſſumtis. Clyſter hodie
laſcivioribus populis tam familiaris eſt, quòd
elotio & adjumentum vocetur. Quaſi excrementum
naturale velint eluere. Certè utut iſtas 14
Medentum inſidias ſpectes, non niſi à malo
ſunt,à dolo,& mendacio: ac piis auribus pudorem
ſuſcitant.Adeóque jam ſunt ſtercorum correctores,
ablutores, id eſt, malarum artium inventores.
At ſunt, qui ignaviam Inteſtino, per
Clyſterem introduxere,vel alio vitio contraxere,
ideóque deinceps ſibi Clyſteribus aſſueſcendum
perſuadent. Sanè vitium ſtipticitatis, ut alia
radice ſcaturit ac pendet,facile proprio ſanationis
termino ſuccurritur. Etenim ut qui minus
laxam alvum habet, ægrotat: ita & qui pigram
patitur,laborat.Sanandum eſt malum,non 15
autem palliando, per Clyſterem quotidie alvus
proritanda & laxanda eſt.Facilis nempe eſt prognoſis,
quod ſic pergendo, noviſſima ſemper erunt
deteriora,vitaq; concredita ejusmodi auxiliatoribus,
neceſſariò accurtetur.Subſcribent his
nationes, quotquot laxantia in horrore habent.
Ut Campinienſes, Arduennenſes, itemque
Aſcuriani, &c. quibus ut Clyſter eſt inſolitus,
inauditusque: ita ſenium robuſtum & frequentiſſimum.
Eſt cæterùm Clyſteri ultimus ſcopus, 16
quod juſcula carnium liquatarum, ſpe alendi
injiciant, Quod profectò intolerandæ ſtupiditatis
eſt argumentum. Nam injecti liquores
primùm ſe miſcent ſtercori ibidem reperto,
deinde infunduntur partibus, quibus proprium
eſt cuncta in ſtercus mutare; ac tertiò, conſtat
per experientiam, quòd ejuſmodi juſcula, ſi binis
horis abinde rejiciantur, oleant non ſolùm
ſtercus:ſed quodammodò cadaver.Etenim cùm
non eatur ad ſecundum aut tertium, niſi per
primum: non poſſit autem,è cibis in ſtomacho
indigeſtis, & in verum ac laudabilem chylum
non commutatis, fieri cruor ullatenus: ſequitur

etiam, quod injecta juſcula cadaverentur, nunquam
autem poſſint in alimentum tranſire. Nec
arguit quidquam, quod ejuſmodi juſcula carnem
liquatam gerant, per modum Chyli; Nam
actum eſt nihil, niſi prius ſuſceperint fermentales
proprietates primæ digeſtionis, præparatorias
ad vitam, alibi extra ſtomachum non reperibiles.
Quidquid enim indigeſtum è ſtomacho
labitur, moleſtum eſt, diarrhœas, tormina, itemque
ructus nidoroſos movet, & Aſcarides gignit.
Quæ autem infernè injiciuntur, quia nequidquam
beneficii primæ digeſtionis habent,
17 neceſſariò cadaverantur. Quia calorem loci
quidem experiuntur: ſed orbantur vero fermento
vitalis digeſtionis. Miſeror ſanè Medicaſtros,
enemata in ejuſmodi abuſus detorſiſſe,
nec ſemel ad præfatas rationes reſpexiſſe: &
metuo, ne qui magnatibus tantoperè aſſentantur,
poſthac aliquem epulari jubeant, eumque
ad vomitum, poſt tres horas cogant, ut quod
evomuit, per anum injiciant iis, qui multa macie
18 & atrophia confecti ſunt. Sanè ſervum pecus
adulator ignarus, medicum agens, nec
quidquam habens, præter corporis & virium
diminutiones, diſcere recuſans, quia malè agendo
conſenuit, nec unquam aliquid laude dignum
indagavit totus lucro intentus, ſimulatque
è Scholis dimiſſus, ſuis ſemper veſtigiis inſiſtens,
neces hominum excuſans, quia ſecundùm
artem curavit, antecedentium gregem inſecutus.
His inquit Seneca, Multi ad ſapientiam
non pervenerunt: quia putabant ſe perveniſſe.
Opprobrio æſtimant plenum, ipſum
ſemel Doctorem ab aliis adhuc diſcere debere.
Anile ergò inventum, enema nutriens. Vidi
namque in fortioribus, juſcula cadaveris fœtore
horrentia rejecta: in tenerioribus verò, ſyncopes
moviſſe. Ubi interim Clyſteres ex malva,
& furfuribus, minus incommodi fovebant.
Caſſa ergò juvamina vulgaria, à Medentibus ad
febrium intentiones, ſive indicationes inſtructa.
Quia nequicquam de radice febrium demunt,
ſubigunt, aut attingunt.

Remedia uſualia ponderantur.

CAPUT VIII.

1. Cenſura aquarum ſtillatarum. 2. Quales ſint aquæ eſſentiales. 3. Cenſura decoctionum. 4. Confortantia ex auro & gemmis examinantur. 5. Demonſtratio abuſuum mechanica. 6. Gemmæ nil quidquam diſſolvuntur in nobis, utut pulverata. 7. Perla trita, & acido ſpiritu diſſoluta examinantur obiter. 8. Propriam verecundiam teſtatur Author. 9. Perlæ quæ in officinis diſſolvuntur, non ſunt perlæ. 10. Diſſolutæ perlæ aut coralla in acido aliquo, manent quod pridem erant. 11. Quinque notabilia inde ſumta. 12. Auxilium galli veteris, anile inventum. 13. Examinatur Alkermes. 14. Fruſtra confortantia, ubi hoſtis intus, vel fortiſſimos calcat.

REmedia interna à Medicis uſurpata in
febribus ſi ſpectentur, reperientur ejuſdem
farinæ, cum reliquis illorum auxiliis.
Nam præterquam quod in unum calorem,
tanquam ſcopum & rei cardinem ferantur, in ſe
adhuc nauci ſunt, neque ullatenus reſpondent
materiæ putridæ. Inprimis enim aquæ diſtillatæ 1
tam quæ refrigerantes dicuntur, ut de Cichorio,
lactuca, portulaca, & plantagine, quàm
quæ de claſſe alterantium majorum, quales de
gramine, cuſcuta, capillis Veneris, Carduo benedicto,
ſcorcionera, &c. vel etiam de cordialibus
ſunt petitæ, non ſunt revera niſi herbarum
ſudores, non autem ſanguis illarum: atque
utinam non ad lucri ſuaſum adulteratæ. Sunt
nempe aquæ pluviæ viridium & recentium:
non autem liquores herbarum eſſentiales, quæ
totam rei craſim referant & ſaporem. Ergò impoſturam 2
tegunt ſuo nomine, atque interim
benè agendi occaſio elabitur. Porrò decocta 3
ſtirpium, cum contineant gummata, & mucilagines
ſimplicium, negotium febrili ſtomacho,
nauſeas, everſiones, aliaſque moleſtias parant:
idcirco etiam cum excrementis ſe jungunt, &
ſequeſtrantur, poſtquam exhibuerint omnes
anxietates. Nec ſaltem quidquam eorum ad
loca affecta, vitaleſque agros, intrò defertur. Solent 4
quoque Medici oſtentare ſua exhilarantia,
cordialia & reſtaurantia ex auro & gemmis parata,
pari ſanè cum cæteris ſtupiditate. Nam etſi
ſint in tenuem pollinem comminuta, nequidquam
ab igne tolerant, multòque minus, à virtute
digeſtiva. Levigantur enim primùm in
mortario æneo, partemque æris ſecum gemmæ
abradunt, quia lima quavis duriores. Idque officinis 5
quandoque demonſtravi, dum pulverem
iſtum gemmarum in aqua forti macerarem. Etenim
ſe ſtatim calor viridis prodidit, faſſuſque
eſt Pharmacopola, quod ſua fortificantia potiſſimum
agerent, communicando ægris viride
æris, ſive æruginem. Deinde ſi gemmæ, poſtmodùm
curioſius triturentur in cote, ſive marmore,
ſe longè teneriore, accreſcunt in pondere,
& evadunt confortantia marmora & ſaxa, præter

6 ter originales gemmas. Nam tandem non plus
proficiunt levigatæ gemmæ, quàm ſi ſilices aut
vitrum pulverata aſſumantur. Idque mecum
ſubſcribent, quotquot unquam examinandæ
corporum, analyſi vacaverint, mecumque miſerabuntur
inanes Medentum ſtoliditates, &
7 infauſtas ægrorum clientelas. Imò perlas vel
coralla exhibent triturata, vel aceto ſtillatitio,
ſuccove limonum ſoluta, iterumque exſiccata,
& ſolubilia in quovis potabili. Atqui perlæ non
ſunt ejuſdem duritiei cum gemmis cryſtallinis,
ſed de regno animali, continentque dotes
pretioſiſſimas, non poterunt non egregiam
largiri opem. Etenim Margaritæ ſponte in columbino
ſtomacho reſolvuntur quidem, at in
noſtro nequidquam tolerant, ſive comminutæ
pulvere tenus, ſive ſolutæ ut ante bibantur.
8 Inprimis namque notandum, me ante reſipiſcentiam
didiciſſe, per aliquot perlarum ſic
præparatarum libras, vanam tantùm eſſe jactantiam,
quidquid ſpondeāt de illis Medentes.
Deinde veram Margaritam, non habere intus
farinaceum atque diſſimilarem à ſuo cortice
pulverem: ſed totum perlæ corpus, ad centrum
uſque, eſſe meras pelliculas invicem incumbentes,
tanquam ſubſtratos cæparum cortices.
Quod mecum ſciunt, quotquot perlas ovalis figuræ,
norunt ad orbicularem perlam redigere.
Atqui præfati perlarum cortices nullatenus reſolvuntur
per acida antedicta: ergò tantùm
9 falſarum perlarum farinam diſſolvent. Imò etſi
præfati cortices diſſolverentur, (quod non) adhuc
eſſent idem perlæ pulvis qui ante. Cui ſcilicet
jam acidi diſſolventis ſal combinatus ſit,
adeóque contingat, illo ſale diſſolventis ſoluto,
unà quoque cum eo, ſolvi perlarum, aut corallorum
10 pulverem, quem ſal iſte combibit. Qui
pulvis utut oculorum judicio cenſeatur ſolutus,
mutataque Margaritæ ſubſtantia: attamen
non niſi mera fraus eſt, & oculorum faſcinum.
Nam perlæ coralla non ſecus in priſtina ſui natura
adhuc perſtant, quàm alioquin argentum
in Chryſulca diſſolutum ſoſpes perſtat, cunctis
ſuis priſtinis qualitatibus planè immutatum.
Nam aliàs idem argentum, inde iterum non
poſſet repeti, cùm à privatione ad habitum non
detur regreſſus. Qui ergò perlas ſic ſolutas bibunt,
tantum abeſt quod perlarum ſubſtantia
lactea fruantur, non bibunt ſibi niſi ſalem aceti
ſolutum. Quod Mechanicè ſic probo. Si diſſolutis
perlis, aut corallis, aliquot guttas ſalis tartari
infuderis, ſtatim occultus perlarum pulvis
11 ad fundum decidit. Quod facti eſt. Primò ergo,
perlæ officinarum, non ſunt veræ: ſed earum
abortus quidam, per mediam conchæ
ſubſtantiam intus ſeminatus. Secundò, pulvis
perlarum aut corallorum diſſolutus quanquam
illudat oculos: non tamen verè eſt ſolutus, manens
pulvis qui ante. Tertiò, pro confortativis
non ſubſtituunt niſi acidum ſalem diſſolventium.
Quartò, pulvis ille ſic ſolutus, non poteſt
fieri cruor, ideoque neque ſubire in venas.
Quintò, quid ſi introiſſet ad hepar, venam cavam,
adeóque digeſtionis vi, ſal acetoſus illi
adhærens, tandem in tranſmutationem abſumtus
eſſet. Quid aliud præſtarent hujuſmodi
confortativa, quàm quod venas intus exotico
pulvere oblinirent? & peregrino tandem hoſpite
indelebile malum ſarcinarent? Hæc meſſis
de gemmis exſpectanda. Æquè anile oſtentum 12
eſt, quod de galli veteris jure herbis ſociato
pollicentur. Nam inprimis plus vitæ, viriumque
eſt in junioribus avibus, quàm in decrepitis.
Judicium deferatur ad Gallinas. Suntque
juſcula medicata, ſtomacho ingrata, ac moleſta,
adeoque facilè dimittuntur ad excrementa.
Itaque hoc modo, ſub mutata larva, iterum ſua
apozemata mentiuntur, ſub jure galli veteris.
Poſtremò eſt antidotus Alkermes, quæ licet, 13
quatenus conſtat ſyrupo è cocco baphico (utinam
non per roſas adulterato) ſit laudabilis:
nihilominus in quantum toſta, aſſataque, crudiore
byſſo, donec pulverari queat, imprægnatur,
tota grani tinctorii poteſtas vitiatur. Quod
ſericum ſic toſtum nil aliud ſit, quàm lana bombycina
vermium, caumate depravata. Tulit enim
id avari cujuſdam ſenis Inventum, putantis,
naturam exhilarari rebus, ſuos oculos oblectantibus.
Abſit, nam intus, naturam nec aurum,
gemmæ, nec pretioſa, ut talia, ſpiritus vitales
reficient multóque minùs, aſſata crude
byſſus, & ſi eſſet purpureo colore tincta: niſi
vitales ſpiritus ſibi per additamenta virium, reſtaurationes
perſenſerint. Cæterùm, fruſtranea
ſunt confortantia, & cordialia, quæ perſtite febrium
fomite, diminutóque cruore & viribus,
exſpectantur. Nam ſi febris, robuſtum, ac benè 14
valentem conſternat, quomodò fortificari
permittet jam conſternatum? præcipuè per res
toto genere exoticas, nec unione ſymboli cum
ſpiritibus convenientes? Quomodò civis ſe
fortificabit, qui hoſtem domeſticum, ſe potiorem,
penes recepit? Lurida ergò, atque vana,
Medentúm de fortificantibus ac roborantibus
promiſſa, fraude plena. Etenim qui vires cum
ſanguine exhaurit, ſubtrahitque per evacuantia,

vinum verò atque immediata virium reſtaurantia vetat: refrigerantia quoque, ut calori vitali inimica, continuò proſequitur, quomodò robur per electuaria ejuſmodi conciliabit.

Vera cauſa rigoris.

CAPUT IX.

1. Rigor & tremor ab impetum faciente ſpiritu, non autem efficienter à cauſa morbifica. 2. Quare intendat rigores. 3. Cur frigus & calorem excitet. 4. Cur incipiat cum frigore. 5. Author non recurrit ad leges Microcoſmi. 6. Intermittentiæ ſunt in omnibus agentibus ferè. 7. Modus fiendi frigoris. 8. Modus & cauſa rigoris. 9. Notæ ignorantiæ in Galeno, de membri jectigatione. 10. Cauſa ardens febrilis. 11. Omnem motum tam ſanum quàm ægrum efficienter fieri ab Archeo. 12. Quomodo Author id didicerit. 13. Turbulentia Archei turbat urinam. 14. Ordinarium fellis officium turbatur, & facit amarum chylum. 15. Quare etiam vomitus amari illius, nihil de febri minuit. 16. Vnde æſtus & ſudor in febri. 17. Quid ſudor indicet. 18. Acor auget frigus, quod probat eryſipelas. 19. Gangræna ut ſiſtatur indubie. 20. Cur initium continuæ febris ab horrore. 21. Paracelſus notatur. 22. Galeni errores, præſertim de putredine cruoris, & ſpiritus. 23. Vera ſedes Diariæ, & hecticæ. 24. Fabuloſa Galeni ſimilitudo, pro æſtu hecticæ febris. 25. Quare calx per aquam accendatur. 26. Probatio mechanica. 27. Stolida cauſa oſcitationis. 28. Vera cauſa, & organum ejuſdem. 29. Somnus, ſopor, vertigo, apoplexia, &c. ab ore ſtomachi. 30. Oſcitatio non eſt in muſculis genarum, aut mandibulæ.

1 HIppocrates ſpiritui vitæ primus nomen
indidit, ut ſcilicet ſit impetum faciens,
ductorque omnium quæ in nobis contingunt.
Quam certè prærogativam demum
nemo vocavit in controverſiam. Interim poſteræ
Scholæ, velut rotationis vitio vertiginoſæ,
cauſas tremoris in anilia figmenta detorſerunt.
Spiritus ergò coſmocrator in nobis, initium
motivum in nobis ſolus obtinuit, tam locale,
quàm alterativum: Rigoris videlicet cauſam,
tam quoad motum localem quàm frigoris, atque
ſubſequentis caloris alterationes continens.
2 Intendit namque Archeus, per tremulos rigores
excutere adhærens parti ſimilari excrementum.
Perinde quaſi atque aranea ſuos quatit caſſes,
atque rigore ſuccutit, ut excutiat peregrinum,
3 quod in illos incidit. Sed Archeus advertens
ſe per rigores parùm proficere, Blas alterativum
excitat. Quod totum alibi docui naturaliter
conſiſtere in hyeme & æſtate, frigore, inquam,
& calore: Quorum nempe alternâ viciſſitudine,
tandem cuncta ſublunaria, dierum currente
numero fatiſcunt. Ab hyeme ideo, in ipſomet 4
Univerſo, anni initium procedit, per ver &
æſtatem, in autumnum, in quo fructus tandem
maturantur. Quæcunque enim ex natura fiunt,
hoc principium, incrementum, ſtatum, & declinationem
ſubeunt. Sic ipſe Archeus, (quatenus
ſemina atque vitalia univerſa, generalium naturam
imitantur) cit rigores febriles, frigora &
calores. Non autem materia febrilis peccans:
prout jam ſat ſuperque probatum eſt initio. Sic
namque & in oſſium exarthroſi, ſtatim dentes
quatiunt, & rigores ſubnaſcuntur, itemque dum
prægnans abortum non vitalem præcociter
expellit. Neq; enim hæc dico, quaſi confugiens 5
ad commentum Microcoſmi Paracelſi, etſi naturam
Univerſi, modum in ſingulis univocum
obſervare animadvertam. Natura ſiquidem ſibi
utrobique compar ac ſimilaris eſt, quod ſenſus
febrientium conqueritur, in hyeme ſibi, atque
æſtate obvenientibus. Etenim qui in lucta ſuſpirioſus 6
ſuccubuit, aliquantiſper quieſcit, &
anhelitum recuperat, perque moram vires reſarcit,
quibus incumbentem victorem excutiat.
Sic naturali ductu univoco, Archeus in febribus
ſibi quietes per intervalla imperat, ac dein
reſumtis viribus & vicibus, hoſtem febrim nititur
excutere. In quo ſanè pars, cui inſidet materia 7
febrilis, primùm ſe contrahit in rugas.
Quod ſentitur facilè in præcordiis. Parti verò
obſeſſæ, totum genus venoſum quodam conſenſu
collaborat, ſtrictimque ſe arctat contractis
fibris obliquis. Inde namque rarus, durus, atque
minutus pulſus, frigoris index ac opifex. Hanc
enim corrugantem ſtricturam venarum, quiſque
febriens, ſi in ſe animadvertat, facile dignoſcet,
ac penitùs naturalem etiam benevalenti.
Nam etſi ſcrotum laxum propendeat, ſtatim tamen
atque ſcoria humana ad ſphinctera delabitur,
corrugatur ſcrotum ſuapte ſponte. Naturale
eſt itaque venis, & partibus primariò affectis,
ſeſe in rugas contraxiſſe. Cùm igitur venis paſſim
aſſocientur plerumque arteriæ, neceſſe eſt
has pariter obliqua cum venis convulſione
contrahi. Quod ſanè facilè percipiēt febricitantes,
ſi horum memores, ſeriò attendant ad ea,
quæ ſentiunt. Hæc igitur eſt frigoris cauſa in febribus.
Tremor is autem cum ſit in ipſis muſculis, 8
notandum eſt, muſculos habere duos
motus. Unum quidem, quatenus ſunt clientes
volun-

voluntatis, ut edant voluntarium motum: Alterum verò, in quantum invitâ voluntate, proprio feruntur motu: eſtque hic iterum duplex, prior ſcilicet, qui unico tractu violento contra-
9 hitur, prout in Spaſmo, Crampo, &c. Alter verò, qui intervalla patitur, qualis eſt tremor febrilis, jectigatio, & tremor membri alicujus (puta capitis, aut manuum, &c.) ſenio, ac potatoribus familiaris. Profectò non ſine nota Galenus tranſeat, quin riſu excipiatur. Docet enim ejuſmodi ſenilem tremorem fieri ex lucta ponderis cum facultate motiva arbitrali. Quodque hæc nimirum conetur membrum attollere, ſed ob debilitatem, inchoatum motum ſiſtat præ pondere membri impeditum. Quaſi verò facultas motrix voluntaria, niteretur invitâ voluntate attollere jacens atque quietum membrum, ut continuò ſubſiliret? Redeo ad terminos de febribus. Cùm itaque nedum pellis (ut in ſcroto) verum etiam membranæ ſingulę motu proprio ſibique naturali criſpentur, rugentur, contrahanturque, non eſt abſonum, & muſculo ſuum dare motum. Etenim ſic & à morte in Tetano utrimque tenduntur muſculi, dudum ab interitu omnis voluntatis. Sic nempe purgantium venenoſa qualitas, non raro partes muſculoſas convellit, & in febribus lethalibus, invitæ ſunt convulſiones, cum intercalari remiſſione. De quibus cum tractatu de Spaſmo diffuſè egerim, hoc loco monuiſſe ſat fuerit, quod duæ iſtæ facultates motrices naturaliter competant muſculo. Quarum una feriatur, quieſcitque quamdiu muſculi benè ſe habent: ſed movetur velut auxiliaris in occurſu rerum ſibi moleſta-
10 rum. Tandem igitur cùm Archeus per venarum & arteriarum obliquam contracturam, perque muſculorum trepidationes, ſe nil proficere adverterit; indignatus, quidlibet motitat, ut peregrinum hoſtem à ſe excutiat. Quocirca repeto, quod jam aliquoties dixi; Nimirum omnem motum, tam in ſanis, quàm in ægris, immediatè proficiſci conſtitutivè, & efficienter, ab Impetum faciente Archeo: occaſiona-
11 liter verò à cauſis occaſionalibus. Quod mechanicè primùm deprehendi per quædam febrium remedia. Quippe ſi ipſo die acceſſus, & horâ opportunâ propinentur, ſæpè unicâ vice multas febres tollant. Eſt iſta nempe opportunitas, in ſpatio horulæ, ante paroxyſmum, quantum ſcilicet exigit actuatio medicaminis, & ſtomacho vacuo. Nam ſi detur diebus quietis Intermittentium, vel dudùm ab incepto paroxyſmo, dum medicamen non præſentit naturam ſibi auxiliatricem, tam ad actuandum ſive animandum, quàm ad expellendum materiam occaſionalem febris, incaſſum propinatur. Imò tum angit medicamen magis quàm juvat, 12
quatenus naturam, dum quieſcere mallet, ad proſcriptionem ſtimulat. In Peſte verò, malignis, aliiſque continuis, ſi porrigatur jejuno ſtomacho, nec per potum ejus actio interturbetur, plerumque unica vice totum ſanationis adimplet officium. Alioqui ſanè dum ſtringuntur & anxiantur venæ vel aliàs, natura ab incepto avocatur opere; vel intermedia quiete expergefit: Indignationes Archei irritantur magis. Nec ſat fuit hic nuditer dixiſſe, quòd Archeus in febribus primo Blas frigoris, atque dein caloris ſuſcitet, quatenus ſemina, mundi typum in ſe æmulentur & deferant. Siquidem nihil à ſeipſo movetur naturaliter, excepto Archeo, qui primus motor animantis eſt. Unicuiq; enim ſemini datum vigorem ſcio, ut ſemel hic excitatus, deinceps propria virtute ſeipſum ſit movendo, omniaque alia deinceps præter ſe, quę ſub ſphæra ſuæ activitatis continentur. Turbidæ ideo 13
atque confuſæ excernuntur urinæ, vapores acidi & indigeſti, etiam & nidoroſi ſuſcitantur, euntes in loca impropria, frigoris cauſam augentes. Fel autem, quod regulariter chylum 14
ſtomachi acidum commutat in ſalſum, (ut videre eſt in urina) præpoſtero negotio, inſertum in duodeno inteſtino, ſuccum jam convertit in amarum. Archeus interim totus tum ex- 15
pulſioni intentus, hoc amarum recrementum, aliàs doloſæ ſiticuloſum, ſub frigore febrili; non rarò excutit, nec tamen inde quidquam febriens proficit, quod noviter contaminatum, præſtò dejiciat. Quia eſt productum in febribus excrementum: non autem mali radix occaſionalis. Tandem itaque velut iratus Archeus, ſe- 16
ipſum accendit propria thymoſi (non autem à putredine depromto calore) hoſtemque adoritur, æſtuat, olidumque tandem ſudorem profundit. Non alio fine, quàm ut expellat hoſtem, 17
ſub qua excretione patefacit, quod iſthac materia febrilis naturaliter pellenda ſit, & Medico indicet naturam ducendam, quà ſponte vergit. Id eſt, Diaphoretica ſola, eſſe febrium 18
appropriata atque ſpecifica remedia. Etenim eryſipelatis initio, frigus inſolitum, modicum, non tamen rigor, quia acor halituoſus adhuc modicus: qui dum ad corporis ſuperficiem pertigerit, extra proprium ſui diverſorium ibidem aceſcere, atque putrere pergit. Ideoque ſaponaria & lixivialis medela, extinguit eryſipelas.

19 Ut & lixivium forte, gangrænas profundè ſcarificatas
potenter ſiſtit: eò quòd in lixivialibus
20 omne acidum commoritur. Febres continuæ
ab intus detenta aciditate, ſimiliter primum rigent,
& in finem ſive conſumptionem uſque
poſtmodùm æſtuant. Palpitatio cordis quoque
otioſos, atque vini heluones exercet, prout &
Artiſtas diu multumque circa aquas fortes occupatos.
21 Utpote ubique aciditas vaporalis pervadit
noſtri penitiſſima, attamen ſine febri:
nam deeſt materia occaſionalis. Paracelſus enim,
ex unico Æthnæ igne ſulfuris & nitri ſupra
ſexaginta febrium ſpecies hariolatur. Nec
ullam febribus ſedem detegit, utrobique methodi
expers. Galenus verò ut intermittentium
ſedem in oſculis ſive extremis venarum diſponit:
ita Continuarum nidum, citra vel ultra hepar
22 ſtatuit. Synochum autem tam putridam,
quàm non, per venam cavam circa cor collocat.
Diariam quoque in ipſo ſpiritu vitali, adeóque
in ipſo etiam corde conſtituit. Quo nil hebetius
cogitari potuit unquàm, quàm decernere,
ſpiritum vitalem putrere conſtante vitâ. Nam
cum ille ſit balſamus ſolus, qui nos à putredine
vindicat, quid tandem erit reſiduum, quod balſamet
ipſum balſamum, ſi putruerit hic? quidve
ſaliet ſalem ſi corrumpatur? etenim ſi levicula
ſui portione putrefieret, totum mox neceſſariò
contaminabitur: cùm ſpirituum in ſpiritus ſit
craſis potentiſſima, & vernaculum ſymbolum.
Vita namque vix horæ quadrante protrahitur
in Peſte, dum contagium invadit ſpiritum. Pariter
ſi putredo cruorem apprehendat, mox velut
continuata in cruore Gangræna, neceſſitata
mors oboritur. Dicam igitur & ſedem & materiam
febrilem, qualiter experientia, longaque
rerum indago mihi patefecere. Sermo mihi eſt
de febribus per ſe atque ſolitariis: non autem
23 alienâ paſſione genitis. Inprimis itaque Diaria,
quæque ephemera dicitur, ab unius diei duratione,
ſedet in ſtomachi cavo, & plerumque
ex vitiato cibo. Quare & à vomitu, vel peracta
digeſtione, ſponte ceſſat. Similiter febris tabida,
ſive hectica, quædam eſt quotidiana Diaria,
à corrupta cibi parte, mox ſumtis cibis repetens.
Nam etſi appetitus perſtet ſoſpes, edantque
ut lubet, ſaltem Corruptor in pulmone
non ceſſat aut feriatur, quin continuò transmutet
cruorem in flava, dura, ſpiſſa, & quandoque
cinerea phlegmata. Sub quo corruptionis
labore avocat ſpiritum à muniis digeſtionis,
fitque aliqualis corruptio ſemidigeſti.
24 Pudendaque eſt hujus loci Scholarum fabula,
quam pro lenta hac febri ſibi comminiſcuntur:
ubi enim potiſſimum putredinem pro calore
accuſare poſſet, non fuit auſus eam impendere.
Quod ſcilicet calx accendatur adſperſione aquæ,
eodem pariter modo contingat in febri
tabida. Quòd nempe poſt unam aut ſeſquialteram
horam, iſta febris invaleſcat, & adoriri videatur
poſt cibum, quatenus tum adſpergantur
partes ſolidæ, alimento è cibis aſſumtis parato.
Inprimis his obſtat, quod infra binas horas, in
ſtomacho ſano, nondum ſit peracta concoctio
Chyli, multò minùs completa ſanguificatio: miniméque
cruoris in ſecundarium, & ſpermaticum
alimentum tranſmutatio, utpote quod roris
modo ajunt diſpergi in penitiſſima ſolidorum:
longiſſimèque ac tardiſſimè, pulmo hoc
novum alimentum ab hepate mutuat. Ergò nequeunt
ſolida inſtar calcis aſpergi & inde accendi,
quantiſper in ſtomacho negotium eſt
cum chylo. Deinde iſta calcis ſimilitudo, eſt meræ
inſcitiæ. Utpote quæ non accenditur propter 25
aſperſionem per ſe: ſed per accidens. Quatenus
nulla ſalia ſaliunt, vel agunt, quamdiu
ſicca, id eſt, niſi reſolvantur. In calce viva autem
eſt duplex ſal alcalizatum. Unum quidem lixiviale,
& alterum acidum, & utrumque per ſenſum
guſtus diſtinguibile. Quæ duo ſalia, reſoluta
per aquam, dum in ſe invicem agunt, accenduntur,
quod idem accidit in Thermis, ſale
acido fontium, in marcaſitarum lixivialem materiam
primam agente. Idipſum per mechanicam,
& à poſteriori, non quidem propter quid;
ſed quia eſt, ſic probo. Etenim ſi ſali tartari, ſpiritum 26
vitrioli acidum ſuperfuderis, confeſtim
ambo, actu frigida, æſtuant. Ideóque ex calcinato
plumbo in ſpiritu aceti, ſi hunc totum
abſtraxeris, quamprimum atque alcali ejus,
combiberit humidum ex aëre, realiter ignem
concipit, etiam in pera. Quamobrem neſciverunt
Scholæ, ſi calx non accenderetur mutua
ſpirituum ſalium agitatione, quod nunquam lapideſceret.
Denique quid eſt in vivis, quod calcis
ſiccitatem referat? Quid, inquam, quod actu
ſiccum? calcineum? & non quotidiano rore,
continuoque permadeat? An non digeſtio ſolidorum
eſt continua ac interrupta? Sanè utut
conſiderem, propinant nænias pro elementis
naturæ, ſtolidæque ignorantiæ plena eſt ſimilitudo
calcis, cum febri hectica. Atq; ut oſcitatio
febres multas comitatur: ita ſanè oſcitanter atque
febriliter cuncta tradidere. Cujus ergò etiam 27
notandum, inſulſam cauſam oſcitationi dari
à Galeno. Scilicet quod fuligines congeſtæ
muſcu-

muſculos mandibulæ ſuſcitant ut explodantur.
Inprimis plurimæ fuligines inflarent illos muſ-
culos, quibus multa eſt oſcitandi neceſſitas &
frequentia. Deinde cum ejusmodi fuligines eſ-
ſent ultimæ digeſtionis inſenſilia recrementa;
cur illa potiùs, quàm aliarum partium ſui ex-
pulſionem moverent? cur non quotidie id ſol-
licitarent? & ſubinde per quadragenariam non
28 oſcitatur? Cur in febribus illæ fuligines magis
obviæ, quàm in Podagra,& Apoplexia? Certè
nulla eſt functionum noſtri corporis, quæ ma-
gis ad exemplum movetur,ut oſcitatio. Oſci-
tantem namque facilè ſequimur,etiam nolentes
ac inviti. Non igitur oſcitatio à fuligine, ſed ab
illa facultate & parte, quæ imaginationi paret.
Etenim Scholæ mecum admittunt os ſtomachi
à conſpectu facillimè moveri. Quoniam pluri-
mi nauſeant, & vomunt proniſſimè, conſpectis
aut imaginatis ſordibus: viſoq; acerbi pomi eſu,
29 os multis ſaliva liqueſcit. Os ſtomachi ergò po-
tiſſimum ad imaginationem movetur. Somnus
verò,item ſopor, Coma, Catochus,Catalepſis,
Vertigo ejuſque generis accidentia ab ore ſto-
machi promanant (prout alibi de duumviratu:)
Oſcitatio verò eſt ſomni prænuntia,vel pediſſe-
qua, idcirco eidem parti oſcitationem tribuo.
Nam incola phantaſia primorum impetuum i-
bidem habitat,cordiſque nomenclaturam ideo
ſuſcepit.Sic & à mœſto frequentia ducuntur ſu-
ſpiria, ut os ſtomachi ſenſibiliter aggravatum
allevient. Ita ergò à ſegni ſtomacho dormitio-
nem poſtulante, libido oſcitandi muſculos ſub-
ter dormiendum irrequietos excutit, tendit-
que, in quo muſculos buccarum, & Tracheæ in
clientelam vocat: non ſecus atq; os ethmoides
circa organum olfactus, pro ſternutatione in
ſubſidium vocat muſculos thoracis.Prout enim
cauſa ſternutationis non eſt quærenda in muſ-
culis,quibus fit: multo certè minus oſcitatio eſt
30 muſculorum mandibulæ. Cum alioqui com-
preſſis dentibus, id eſt, motu contrario man-
dibulæ, etiam oſcitari poſſit. Rectiùs enim
Scholæ ad aſperam arteriam oſcitando reſpe-
xiſſent,quæ trahitur binis digitis deorſum mo-
tu heteroclito. Interim de fuligine illius arte-
riæ, nequidquam ſonuerunt unquam: quippe
quæ ſat ſemper patet, & aëri pervia, alioquin
oſcitare non deberet. Iſta nempe eſt corporis
compago, quod etiam in non neceſſariis mu-
tuas membra manus tradant, ac quaſi pro jure
proprio certent aliena organa.

Sedes Febrium.

CAPUT X.

1. Unica ſedes continuarum & intermittentium. 2. Variant febres, ex ſolâ materiâ occaſionali. 3. Nidus febrium quibus claudatur terminu. 4. Cauſus & Synochi prope os ventriculi. 5. Probatur à læsâ actione. 6. Quartana, exlex in ſede ſua. 7. Materia & ſedes malignarum. 8. Peſtis qui à cæteris febribus ſeparetur.

SEdes continuarum febrium non differt ab 1
intermittentium. Hactenus proinde occur-
runt continuæ, quæ in Intermittentes deſi-
nunt,& contrà. Variant itaque febres illæ, non
commigratione locorum, aut ex natura diver-
ſorii: ſed ſolius materiæ occaſionalis ergò. Ha- 2
ctenus quoque repugno nedum Galeno, ſed &
Fernelio de locorum febrilium eſſentiali diffe-
rentia.Nidus ergò febrium, in primis eſt offici- 3
nis:extenditur ſcilicet à Pyloro,per duodenum,
& vaſa ibidem multiplicia,Inteſtina item,venas
Meſenterii,Lienem, uſque ad hepar. Proximio- 4
res autem ori ventriculi, ſunt eò moleſtiores,
ſuiſque anxietatibus magis formidandæ.Meam 5
de ſede febrium doctrinam confirmant nauſea,
præcipuè carnium,piſcium, & quæ facilè cada-
veris inſtar olent, perhorreſcentia, mox à fe-
brium introitu, ſitis item, inappetentia, cepha-
lalgia ſyncipitis, hemicrania ſiniſtri lateris,deli-
ria,ſopor, vigilia,anxietates topicæ circa os ſto-
machi,ructus nidoroſi,conſternata digeſtio,vo-
mitus, linguæ quoque amaror, ſiccitas, fiſſuræ,
nigredo, &c. Quæ ſanè ſunt indicia oblæſi
duumviratus in actione regiminis: huc acce-
dunt ſuperveniens ructus acidus,nubecula uri-
næ, quæque coctionem ſtomachi rediiſſe ar-
guunt, prout in tractatu de Uronomantia alibi. 6
Sola autem quartana in Splene ipſo, veniſque
ſibi contiguis,hoſpitium delegit. Maligna verò
ſola, aliquid putridi peculiariter ſibi vendicat
circa orificium ventriculi. Sunt autem tantò 7
pejores,quæ non in ejus concavo,ſed in conve-
xo ſederint: eò quòd non niſi extraordinarium
arcanum ad iſta attingat loca.Ideo namque Ca-
ſtrenſes,& Endemicæ omnes, cæteris ſunt per-
vicaciores, ac plerumque citra ſitim. Quibus
vix perceptibilis calor eſt, ſolaque ægros con-
tinuâ anxietas ad feretrum ducit. Hujuſmodi
namq; febres, deforis tantùm contaminant,ul-
timum ſtomachi nutrimentum afficiunt. Quia
reverà quamdiu vivitur, perſpirabile atque ex-
ſpirabile eſt totum corpus,juxta Hippocratem.

Etenim alibi demonſtravi, pulmonem, & diaphragma undequaque poris pervia in vivis, quadum endemica tranſeunt, ac ſtomachi convexum percutiunt, non raró ſtomachi ultimum alimentum inficiunt. Diariam dixi cum hectica 8 in ſtomacho ſedere. Peſtis autem in hoc à cæteris malignis diſtat, quòd cùm non ſedeat in ſordibus febrilibus, ut neque in cruore; afficiat tantùm ipſum ſpiritum vitalem ſui odore, ob id quoque intret & exeat neceſſariò cum aëre per poros diaphragmatis, adeóque tendit ſic primariò ad ſtomachum, nec potens pergere ulteriùs motu locali, ſuam ibidem ſiſtit impreſſionem in nutrimento ſtomachi. Unde mox vomitus, cephalalgia, ſopores, deliria, ſyncopes, & quæ vitiati oris ſtomachi conſequuntur dominium.

Cauſa occaſionalis febrium.

CAPUT XI.

1. Cauſa occaſionalis febrium, non eſt vera continens. 2. Cur cauſa occaſionalis ſit diverſa in ſe. 3. Duplex cauſa occaſionalis. 4. Cruor eſt compoſitum naturale & ſimplex: ideoque non appoſitum ex diſſimilaribus. 5. Prior cauſa occaſionalis & materialis febrium. 6. Altera materia. 7. Scholarum ignorantia de tincturá urinæ. 8. Cur urina tingatur tardiùs. 9. Falſa judicia Scholarum de urinis. 10. Fabula Scholarum de tinctura fellea urinæ. 11. Argumentum Scholarum ex inſcitia Galeni. 12. Quid rectius exinde colligendum eſſet. 13. Sagittator delirii ubi habitet. 14. Cur in delirio non ſit adhibendum remedium capiti. 15. Vnde naſcantur apoſtemata univerſa. 16. Injuria ſcholarum. 17. Vnde eneorema. 18. Bonus Medicus cur criſim negligat. 19. Quid ſit coctio in febribus.

FOEdum, ac miſerandum, imò & luctuoſum, Scholæ exhibent ſpectaculum, paſſim obvium. Ut cùm febris nos palam alloquatur, nihilo magis à tot ſæculis cognoverint eam ut neque pellere ſciant radicitus. Quod jam nequidquam felicius ſanentur febres, poſt bis mille annorum experimenta, & diſſectiones, 1 quàm olim ab initio. Enimverò quidquid eſt cauſa cauſæ, idipſum eſt etiam cauſa cauſati: Quapropter cauſa occaſionalis indeſinenter præſens, & intus hoſpitata (quam continentem vocant alii) eſt cauſa cauſæ internæ febrium (quam mox declarabo) ipſius febris, & accidentium inde natorum. Si enim cauſa occaſionalis eſſet vera cauſa continens, ipſiuſque febris materia; profectò nulla eſſet unquam Intermittens. Nam poſitis cauſis eſſentialibus, ad febrim requiſitis: neceſſariò quoque febris adeſt: ſed cauſa occaſionalis adeſt ab initio uſque ad finem, quæ ſi continens eſſet, & eſſentiam febris in ſui gremio effectivè contineret, etiam febris adeſſet, quamdiu iſta continens ſui cauſa. Sed conſequens eſt falſum; ergò & Antecedens. Id eſt: cauſa iſta non eſt continens, & intima de febrium eſſentia: ſed externa illi; & ideo occaſionalis. Cúmque in varietate cauſæ occaſionalis 2 conſiſtat ratio, qua vel eſt continua, vel intermittens: cur etiam plus minuſve moleſta ſit, citatior, aut tardior pro ſui expulſione. Neceſſe eſt, nec unicam unius putredinis dari occaſionem ſeminalem. Cùm igitur rerum definitio aptiſſimè à cauſis conſtituentibus & eſſentialibus petatur (prout alibi de logicis) duplicem ideo ſtatui cauſæ occaſionalis materiam: novam quidem, atque hactenus inauditam utramque. Inauditam, inquam, quippe qui utram- 3 que bilem, pituitam, & cruorem velut ſanguinis conſtitutiva, non agnoſcam, nec admittam in natura (prout pluribus, peculiari de humoribus tractatu, demonſtravi) nec inprimis cruorem, appoſitum è pluribus diſſimilaribus, concedo. Ut neque ſi inde conſtitutus eſſet, 4 unquam immediatè in ſui conſtitutiva retrocedere poſſet, neque illos in extravenato cruore oſtendere, errorisque anſam Scholis dare poſſet. Cùm à privatione non detur immediatus regreſſus ad priſtinum habitum. Quare frivolum eſt, arguere quatuor eſſe in ſanguine humores, quod quandoque tria, & quandoq; quatuor exin, per ſui corruptionem ſecernantur. Quam quæſtionem, ut alibi ſat ventilatam deſcripſi, hic obiter attigiſſe ſat eſt. Siquidem hoc 5 loco nullam ex iſtis humoribus opem petendam duxerim. Sed in ultima alimenti digeſtione, dum partes ſolidæ ſibi è ſanguine ſtudent aſſimilare nutrimentum, contingit perſæpe degeneres fieri alterationes, & velut abortus præpoſteros. Hoc ergò degener alimentum, varias ſubiens ſuæ mutationis abuſivas teſſeras, diverſas quoque febres gignit. Longéque diſtant primi illi, ſuppoſitique humores ex chylo & chymo parati, à vero ſolidorum alimento, per ſanguinis transmutationem degenerante. Itaque febres non ex utraque bile, pituitâ, cruore & ſpiritu putridis, ſed ex ſecundariis, non quidem putrentibus: at inter aſſimilandum degeneratis, oriuntur. Degenerant verò admiſtione rei extraneæ, vel impreſſione peregrinâ,

vel demum errore indignati, vel avocati Archei.
6 Alteram porrò cauſam occaſionalem febrium
deduco aliunde. Quod ſcilicet, quia indubiè
per Anatomen credimus, venas Meſaraicas,
per totum inteſtinorum ductum conſperſas,
ſugere quidquid liquidi, & Archeus ſibi familiare
fore noverit. Trahunt itaque præfatæ
venæ ex Ilei inteſtini extremis, hiſque cognatis
groſſioribus inteſtinis, ſuccum quendam: Sed
cùm ibidem non ſit ampliùs aliquod alimentum,
at potiùs ſtercus aliquod, aſſugunt ens
hactenus anonymum, quapropter illi novum
nomen dare debui. Scoriam ergò voco, ſive
ſtercus liquidum, ad ſuos fines in natura utile.
Quippe urinæ incommodis reſiſtens, adeóque
urinæ tinctæ, non tam citò lapideſcunt, atque aquoſiores.
7 Quidquid ergò urinam tinxit hactenus,
eſt Scoria, non autem fel: prout alioqui Galeniſtæ
deluſi, tyrones ſeduxerunt, (quod alibi
latiùs in uronoſcopia) adeóque ſua, de urinarum
tinctura, judicia, ad felleos & bilioſos humores
delata, non niſi ſcoriam, ſive ſtercus liquidum
ſpectant. Nam quantumque vel minima fellis
guttula in lotio eſſet, (quanto minùs tanta, atque
exigitur pro totius ſaturata tinctura) tota amaricaret:
ſed non amaricat: ergò, non ineſt ei fel.
Major conſtat ex ruptura fellis in piſce, utcunque
piſcem exquiſitè abluas à felle, tamen guſtu
amarus eſt. Minor obvia eſt guſtu. Quod autem
lotii tinctura ſit Scoria, patet per diſtillationem.
Hujúſque demonſtrationes in tractatu de Duelech,
cuique experiri volenti obtuli obvias.
8 Vltimò ergò, tinctura ad lotium tranſit: quod
chyli in Scoriam mutati adventus, ad Colon
Inteſtinum ſit tardior, quia hoc colon, eſt ſitu
9 poſterius. Falſa ergò hactenus fuerunt judicia
Scholarum, de coloribus, & contento urinarum,
& inde deſumptæ hariolationes. Lepida ergò
10 ignorantiæ fabella eſt Galeni, dicentis: Manè
video urinam meam aqueam, quare me repono
ad quietem, & poſt aliquod ſpatium tinctam
video, quia bilis ultimò advenit, & ſic urina
ultimam ſui digeſtionis maturitatem recipit.
Quaſi urina in veſica, ſi non emittatur, coqueretur
maturitate ſui, vel additamento tingentis
fellis? Bilis ſanè, ſi qua eſſet, cognatim oriretur
cum aliis humoribus, & ſanguinis ſero urina,
eodem ſcilicet jecoris ſanguificantis labore, quo
lotium tranſit per jecur, bilis affuſa illud tingeret,
& non aliquot horas poſt, niſi oſtendant, utile
fore iſtam bilem excrementalem aliquantiſper,
& ſeparatam, aſſervari extra lotium. In
oppoſitum autem ſic argumentantur ab eventuali
conjecturâ, & cauſis malè intellectis. Ajunt 11
enim experientiæ eſſe, quòd in febribus continuis,
ſi poſt flavas urinas, repentè aqueæ appareant
ſignificari futura deliria, ob obreptam
in caput bilem, juxta Galenum. Sed hic vir oſtendere
debuiſſet: Quis miſſor illius bilis eſſet,
quis ductor per venas, & quodnam receptaculum
iſtius bilis. An ſinus cerebri (nulla eſt enim
alia in capite cavitas) ſine morte præſentaneâ,
bilem iſtam ferret? & quo fine hæc faceret
natura, ut à cloacis humorum, emunctorio
vicinis, directè in oppoſitum, bilem febrilem, &
totaliter excrementitiam, ad nobiliſſimum viſcus
deferret? Ego verò, in mea uronomantia, 12
ex iiſdem lotii ſignis collegi, ſcoriam non ferri
per venas more debito ad lotium: ergò præter
naturam detineri alibi, certum eſt: non ferri
autem ad caput: ſed ad præcordiales venas, id
eſt, ad ſedem febrilem, ipſum alterum excrementum
febrile, unde auguror, febrim auctum
iri; & inde delirium. Quod autem ſagittator delirii, 13
& amentiarum, habitet in præcordiis, patet
tam ex Hippocr. Cui vena in hypochondrio
fortiter pulſat, is mox mente alienatur:
quam ex proprietate nominis, in Scholis recepti,
quo paſſionem hypochondriacam à ſede
denominant. Quod autem ſagittatoris ſcopus ſit
cerebrum, ut deliria & ſopores excitet, non debet
movere Medicum, ut proinde capiti remedium
adhibeat. Siquidem id ſemper eſt ad poſterius
ad tela vibrata: non autem ad ſagittatorem,
medelam applicuiſſe. Quare quamdiu Scoria rectà 14
fertur ad lotium, velut naturale ſibi emunctorium,
bene eſt: at ſi obliquè aliò feratur, fit febris
continua. Tam quia natura ſui eſt excrementum,
quàm quia hoſpitio indebito recedit.
Alioquin alimentum, in via digeſtionis ultimæ
degener, plerumque mitius eſt atque inſipidum,
ideóque Intermittentes dat, & longiores, quatenus
glutinoſior eſt illarum materia. Atrocior verò
eſt Scoria: atque ideo crudeliores febres continuas
ſuſcitat, citiúſque ad periodum aſpirantes.
Duo autem hæc excrementa, ſive ambæ cauſæ
occaſionales, ubi conſpiraverint, ſpurias, hepialas,
hemitritæas, ſeſquialteras, & erraticas febres
proferunt. Potentioribus ergò inciſivis egent
intermittentes, quàm continuæ, quia pertinaciorem,
magiſque glutinoſam materiam occaſionalem
habent, vaſis quæ intus adnaſcitur.
Sin autem alimentum iſtud ſupra hepar degenerat, 15
apoſtemata varia ſuſcitat, non autē febres
primarias. Etenim quia & in Phlegmone cruor,
vel alimentum ſolidorum, in pus degenerat,

febrim quoque neceſſariam advehit. Cumque
ad ultimum devenerit, minor labor & dolor.
Prout & per continuas, tum criſis vel abſceſſus
16 inſtat. Etenim cur Scholæ non concludunt, potius
ex nubecula urinę pituitam,quàm perfectę
concoctionis ſignum, ſi unica bilis lotium tingat?
Sanè nubecula iſta denotat primariò,quòd
ſtomachus acidi ſui fermentum recuperarit.
17 Vnde Senex, ructus acidos nidoroſis ſupervenientes
bonum ait, adeóque declinationem febrium
adeſſe deſignat, aut Criſim.Bonus autem
Medicus, negligere criſes debet, quia anticipare.
18 Nam natura criſim non facit, niſi dum ſola
totum onus bajulat, ſtatis diebus. Verus ergò
Medicus,ante criſim, morbum ſuperare debet;
ideóque nec criſim exſpectat, nec optat: Infidus
autem, poſtergata naturæ intentione, Criſim
vel impedit, vel dilatat. Coctio verò, quæ
in febribus exſpectatur, eſt tenacis materiæ inciſio,
19 & abſterſio : Non autem,quod alioqui natura
moliatur digeſtionem rei præter naturam,
nec coquat quicquam, niſi ſimilari ſemper, &
univocâ digeſtione, ſibi prætendat aſſimilare.
Sæpè namque ideo in quartana nubecula apparens
evaneſcit, eò quòd coctio, quam nubecula
deſignat, non ſit vera materiæ ſubactio primaria
intentione; ſed ſtomachi ſaltem fermentum
digeſtivum. Alioqui materia febrili ſemel facta
fluidiore, non ſupervenit illi nova cruditas.

Diæta Febrium.

CAPUT XII.

1. *Quis victus tenuiſſimus acutorum.* 2. *Cibis non ſunt miſcenda medicamina herbacea.* 3. *Potent febrientes.* 4. *A carnoſis abſtinendum.* 5. *Medentum veſania.* 6. *Qualis cibus & potus febrientibus aptus.* 7. *De vini uſu in febribus diſceptatio.* 8. *Febrim & calorem radicaliter diſtingui.* 9. *An remedium ſit calidum vel temperatum pro febri, parum refert.* 10. *Objectio refutatur.* 11. *Archei accenſio quanta.*

1 UNico Hippocratis præcepto iſto, Quod
in morbis acutis ſtatim tenuiſſimo victu
utendum præcepit. Victum autem tenuiſſimum
non interpretor arctum jejunium,
ſive abſtinentiam ſeveram; nec item juſcula
carnium, quocumque herbarum favore alterata.
2 Profectò non ſunt medicamina iſta cibis miſcenda:
ſed ſingula, per ſuas ſcenas ſunt introducenda.
Inprimis deteſtor in febribus, abſtinentiam
à potu. Nam ſi febris ſit calida & ſiticuloſa,
3 privetur autem potu humectante, depopulatur
cruorem, & ſolidarum partium alimenta,
cum viribus. Etenim, uti licet veſicam
exonerare, quoties urget etiam importuna neceſſitas,
ad hoc non petit à Medico venia: pariter
quoque eſt bibendum, quoties monet neceſſitas:
cum unum non ſit magis naturæ conſonum
quam aliúd; Sitis alioqui ſtricta lex, &
rupta mandati obedientia, jam millies Medenti
opprobrium attulit. Abhorreo etiam in febri jura 4
carnium: nam extemplo natura deteſtatur
eadem; & quò meraciora, eò quoque damnoſiora,
ex mente Hippocratis. Corpora impura
(ſic vocat febrientium, quibus ſtomachi nidoroſi)
quò plus nutris, eò magis lædis. Lædunt
namque febrientes: quia caro, ova, piſces, &
juſcula,facilè tum cadaverantur,ac minimè nutriunt.
Veſaniæ enim ſimile eſt, ſæpè deplere
venas, iterumque velle nutrire eos, quibus vis
digeſtiva peſſumdata eſt. Confortare, inquam, 5
velle, ubi hoſtis intus eſt.Satisfaciunt enim tum 6
potiſſimùm cereviſiæ tenues, vino nuptæ, quibus
panis admiſcetur, priùs in aqua ſeparatim
coctus, uſque in collam, ſive mucilaginem. Et
frigide hæc ſumta, cruda, & non cocta. Siquidem
coquendo deperit potibus,non autem accreſcit
illorum virtus. Sic namque ea vis inſenſibiliter
miſta potui, utrique indicationi ſatisfacit:
nec timendum, ne æger ſub hac Diæta,
per inediam pereat. Maximè, cum Medici nomine
ſit indignus, qui febrientem non reſtituit
ante quatriduum. Cæterùm contra vini uſum 7
increpant Galeniſtæ omnes (quanquam ſecreto
hauſta vina toti arti Galenicæ contumeliam
millies attulerint) eò quòd febris non ſit niſi
merus calor, ab Hippocrate Ignis vocata, eritque
vinum febrienti, quale eſt oleum ad extinguendum
ignem. Sed hoc argumentum, ut
anilis fabula,jam antè ſub febris definitione periit.
Eóque magis, quòd ſit quotidianæ experientiæ
adverſarium.Nam quotquot modicè vino
utuntur in febribus, facilius convaleſcunt,
vires conſervant, & in priſtinum ociùs reſtituuntur.
Qui verò poſt corporis diminutiones,
& vini abſtinentiam, fortaſſis evadunt, naturæ
ſolius beneficio: Illi per longam hebdomadum
ſeriem, perſtant valetudinarii. Siquidem nemo
dubitat, quin Peſtis ſit febris atrociſſima, acutiſſima,
& celerrima: quin abſque venæſectione,
& purgatione, ſoliſque ſudoribus, & vini meracioris
potu, ſolvatur. Nemo quoque ambigit,
quin Theriaca, aliáque ſudorifera, ſint calida,
propinentur in vino, imo & in aqua vitæ. Cumque
hæc, ut talia non obſint; ſed proſint in
febrium

febrium acutiſſima: multò minus erit vinum auferendum in mitioribus. Præſertim quòd conſtet, calorem non eſſe conſtitutivum febrium: ſed per accidens conſequens. Nec eſt quod arguant diſcrimen Peſtis ab aliis febribus. Nam reverà Peſtis fluctuat in Archeo, ut venenum. Febres verò pertinacem, & adhærentem venis materiam occaſionalem habent. Vtrobique ideo exigi diaphoretica: In Peſte quidem ſudorifera cum alexipharmaco contra labem veneni. In cæteris verò febribus, diaphoretica quæ incidunt, diſſolvunt & abſtergunt. Et utrobíque quidem hoc negotium per calida completur. Vinum autem peculiarem habet indicationem: non ſolùm quia vires addit, quibus natura exoſam materiam domat: verùm inſuper, quòd ſit plauſtrum medicaminum conveniens. Eſt nimirum nuntius, qui vias novit, itineri accinctus, charus intimis, & admiſſus in penetralia. Etenim in juvene, ac viro forti, cum febri minuta, eſt calor ingens: ubi interim ſenibus eſt febris lethalis, ac ardua, vix tamen calorem habet moleſtum. Si ergò calor, exhibito vino augeatur: non proinde augetur febrilis 8 malignitas. Quippe febris & calor, ſunt radicaliter diſtincta (quod jam oſtendi per febres juvenum & ſenum.) Nil refert; etſi caloris moleſtia parùm increverit potu vini: nam cum fœnore id compenſatur. Eò quòd vires (morborum unicæ medicatrices) moderato vino augeantur. Hoc ipſum ſi penitiùs ac radicaliter trutinetur, reperies, quòd calor non propriè comitetur febrim: ſed virium valorem. Itaque quod Scholæ in vino tantoperè perhorreſcunt, boni eſt indicii nota. Lethales namque ac peſſimæ febres vix calent: omnisque febris circa mortem abſque calore eſt. Si ergò motus caloris ſit ipſius Archei, ad expulſionem hoſtis, & vinum calorem addat: ergò qui per vinum procedit, juxta conformitatem naturæ medetur. Verumtamen demus, calorem exhibito vino majorem, imo etiam febrim acriorem. Quid enim inde aliud ſequitur, niſi quod vinum conſtitutionem vitalem adauxerit? Quódque Juvenum conſtitutioni ſit ſtatus iſte propinquior, quàm qui per refrigerantia incedit, vel non dato vino? Sunt namque media refrigerantia, morti ſimiliora, ceſſationi à motu, & defectui: calor verò à moderato vino, eſt medium ſimile vitæ, & medio, quo ipſe Archeus utitur. Etenim vigori, ſtatui, & criſi, propinquior eſt conſtitutio caloris aucti à vino, quàm à flacceſcentibus viribus, languidior calor abstemio fuerit. Hæc de vini potu. De aquæ potu autem deciſio eſto calidam febrientes non appetunt, nec ſitiunt tepidam: frigida autem in gradu remiſſo admittenda, in ſtatus ſummo calore nec metuendum ut dixi de commixtione extremorum. Quippe experientia jam dudum feliciter hunc timorem excuſſit. Aliis autem febrium ſtationibus nec frigida, ut nec affatim potanda, nunquam tamen ſitis toleranda, nec quidem ſubter ſudorem; ſed tum potus calidus eſto. Si ſitis urgeat, nec pabulum potus febris habeat, depopulatur humidum innatum. Cæterùm quod de aquæ cruditate incuſant, ſic ſumito. Aqua ſcaturiens è ſabulo ſimplex & optima eſt, & ſumenda de fonte ipſo. Quæ autem per canales decurrit, vel è lutoſo fonte ſcaturit, jam mixtæ malignitatis eſt particeps. Hanc autem non tam crudam voco, quàm infectam. Aqua enim per ſe nec cruda nec cocta dici meretur, ut neque per calorem maturatur, nec aliquid acquirit: ſufficit enim modò illi ſummum frigus retundatur, infectis autem aquis utatur nemo, ut neque ullo potu frigido in peſte & malignis. At ſpatioſior eſt ratio, pro remedio 9 calido. Neque enim ſuadeo unquam remedium, quod ſolo calore moderetur febribus: ſed ſicut vinum juvat confortando, & penitiùs introducendo copulata ſibi juvamina: ita remedia incidendo, reſolvendo, abſtergendoque, eóque nomine felicius, quod Archeum, operando, ſibi conſonum habeant. Hactenus enim vires ſuas commiſcet remediorum poteſtatibus, ut cauſa occaſionalis profligatur, utque non conſternatas vires mox excipiat firmior valetudo. His tandem fortè objicient: Quod cum 10 calor in febri, ſit effectus indignati Impetum facientis: ſequatur etiam ex menſurâ caloris, indignationem Archei eſſe metiendam, & per conſequens, quidquid calorem febrilem auget, augere etiam febrim. Reſpondi antè unius radicis eſſe plures ſurculos, effectus, ſive ſymptomata varia. Sæpéque ſub mitiori calore, advenire deliria, comata, pulſuum intermittentias, deſignantia nimirum auctam febrim. Prout è tenero germine glandis, major frons quàm è quercu veteri. Elenchus itaque in argumento eſt, in homine (febris major) ego enim febrim adauctam horreo, quam ſymptomata lethalia adaucta ſequuntur. Increviſſe autem febrim, eò quòd Archeus fortius inſurgat, ad expulſionem radicis febrilis, nequaquam formido. Atque id ſi febrim auctam vocent in concluſione, parum moror. Nam & ſic Scholæ ſuaderit, non 11 magnopere timendum ab accidentibus præter rationem ſupervenientibus. Notandum eſt ergò, Archeum nunquam accendi in toto ſui: Alioquin enim ſub finem acceſſus, totus Archeus exſolutus, cauſa eſſet deliquii: Accenditur ergò Archeus in multa vel pauca portione ſui. Ideóque aucto per vinum Archeo, ſi plus ejus accendatur, non plus ei deperit (& tamen fortiùs ſtrinxit cauſam occaſionalem) quàm non roborato auctóque Archeo, & minor ejus pars accendatur.

Febris eſſentia.

CAPVT XIII.

1. Qualis definitio eſſentialis & phyſica. 2. Morbi ſunt entia per ſe ſubſiſtentia, & non accidentia. 3. Quare morbi habitent in alieno hoſpitio. 4. Morbus non eſt ſolus niſus, nec motus, nec intemperies, nec diathesis. 5. Eſſentia febris, quam ſcholæ ignorant hactenus. 6. Alius ergò ſcopus medendi, quàm qui hactenus. 7. Cauſa occaſionalis ſola, ut febres diſtinguat. 8. Facilitatur cura Medici.

1 Definitio rei, non ex genere definiti, &
differentia conſtitutiva ſpecierum, fabricanda
eſt, prout in logicis alibi demonſtravi.
Eò quòd præter rationale, & irrationale
(ſi modò adhuc ſint differentiæ conſtitutivæ
animalium) ejuſmodi differentiæ nullæ
in Scholis appareant. Sed definitio phyſica conſtare
debet cauſis, materiali, & efficiente internâ,
ſive ſeminali. Vtpote quæ duæ rem ipſam
totamque conſtituunt,& in ea manent inſeparabiliter
eſſentiales, quamdiu ipſa eſt. Adeóque
rem per cauſas, harúmque proprietates explicant.
2 Febres profectò materiam habent, & efficientem
internam,per modum aliorum entium
in ſe ſubſiſtentium, licet morbi omnes habitent
3 in corpore vivente. Eò quod non ſint entia primæ
creationis: ſed à prævaricationis maledicto
inchoati. Ideóque nec habent propriè ſuum
ens ſeminale, quod ipſos conſtituit, & fovet:
ſed loco ſeminis, ipſis eſt ens occaſionale, unde
excitantur. Quo ceſſante, ceſſat quoque morbus.
Quoties ergo non vitale, in agrum vitalem
eſt inſertum, indignatur Archeus, & excandeſcit,
ut iſtud peregrinum è ſui anatomiâ excludat.
4 Quod in limine hujus tractatus, per Spinam
digito infixam edocui. Itaque febris non
eſt ſolus niſus expulſivus, ſive motus alterativus
(multóque minus ipſa alteratio, & diatheſis,
ut alioqui putarunt Scholæ) ſed febris eſt
ipſa pars materialis, indignatione deturpati Archei.
Defœdatur nempe pars Archei per iram, 5
ſuſcipítque iconem, ſive ideam indignationis
(quod in prægnante metuente, aut appetente
quippiam, clarè exprimitur,dum deſideratæ rei
ſigillum, in fœtum deportat) & quidquid de
Archeo defœdatum eſt,peregrina iſta Idea, hoc
debet per acceſſum exterminari: uſque adeò
iſta eſt laſſitudinis cauſa in febribus, quod ſpiritus,
peregrinâ Icone, ſive imagine odioſa inſignitus,
tanquam ineptus,ad obeunda ſolita munia
ſui regiminis, totus evaneſcat. Sic nempe
profundè ſpeculantes,multâ laſſitudine fatigantur.
Nam Archeus ſi imaginem in ſe inductam
habet, inutilis fit regendo corpori. Ideo namque
incurii, ſaniores, fortiores atque longioris vitæ,
tardè caneſcunt. Studium itaque Medentis,
non eſt dirigendum ad poſterius, ſive ad alterationes
in Archeo naturaliter ſuſceptas. Nam (ut
dixi) in morbis cuncta pendent à cauſa occaſionali,
in agrum vitalem inſerta. Quia morbi
non habent in ſe radicem eſſentialem permanentiæ
& ſtabilitatis, ſicut habent cætera entia,
quæ ſeminibus ſuis conſtant atque ſubſiſtunt.
Quia revera omnes immediatè conſiſtunt in
vita. (In cadavere ideo non eſt morbus)horumque
ideo interitus omnis, & ceſſatio pendet in
ablatione cauſæ occaſionalis. Scopus ergò medendi 6
non ſe vertat ad caloris refrigerium, aut
ad motus alterativos conſopiendos,ut neque ad
accidentium comitantium, & effectuum productorum
exſpectationem: Incaſſum nempe laboraverit
Medicus, operam, dies, & occaſiones
perdet,quamdiu ad cauſæ occaſionalis ſublationem
non intenderit. Imo quantociùs id fecerit,
eò jucundius & gratius auxilium erit. In febribus 7
univerſis, eſt unica Archei accenſio, ſive
indignatio, unde & in eſſentia & nomine febrili
conveniunt: ſolùm autem per cauſam occaſionalem
diſtinctæ. Materia nimirum & hoſpitium 8
febres diſtinguunt. Imo, probo Medico,
magni non eſt momenti, diverſitates febrium,
juxta materiæ proprietates, & loca, curioſè indagaſſe,
cum nec præcaviſſe ſit datum: neque
dici poſſit remedio: vade tu ad talem venam,
vel ad iſtum locum. Sufficit enim noviſſe, quæ
jam antè generaliter determinavi. Totúmque
medentis ſtudium ſit, inveniſſe remedia, apud
quæ omnes febres ejuſdem ſunt pretii & ponderis,
ut mox declarabo.

Perfecta febrium omnium ſanatio.

CAPVT XIV.

1. Proprietas cauſæ occaſionalis. 2. Quare non ſit putrida. 3. Vomitiva & laxativa tantùm ſanant per accidens. 4. Scholæ cur condigna non habuerint remedia. 5. Nemo curatus à febribus per Medentes. 6. Excuſatio Authoris. 7. Remedium febrile quale. 8. Notantur paracelſi felicitas, & inadvertentia. 9. Deſcriptio remedii univerſalis. 10. Remedium purgans febres & ægros: non autem ſanos, deſcribitur. 11. Rariſſima proprietas liquoris Alkaheſt. 12. Particularia remedia febrium.

1 Ergo jam manifeſtum, & ſat eſto, febrilem
materiam occaſionalem expugnandam,
eamque ſi non edulium corruptum
(ut in Diaria) ſaltem eſſe excrementum, non
quidem putridum (niſi in malignis, quibus adhuc
putredo eſt in fieri eſſe) ſed peregrinum exoticum
non vitale, detentum contra naturam,
adeoque in alienam meſſem delatum. Hocque
2 titulo penitùs hoſtile Archeo. Etenim ſi putridum
non eſſet tenax, nec adhæreret contumax
(per putredinem namque fibræ tenaces fatiſcunt)
adeoque nec diuturnas febres daret, quin
confeſtim vas continens ſecum putrefaceret, &
mortificaret. Vnde mors neceſſitata. Detinetur
ergò febrium materia occaſionalis, præter vota
naturæ, locis indebitis, quibus non eſt ulla ſentina
3 corporis. Vomitiva ergò & lavativa, ſi
quid proficui unquam præſtiterint, id totum per
accidens eſt; quatenus ſcilicet, ad ſtimulationem
unius, alterum, pronum, ac vicinum, unà
exturbatur. Nam alioqui febrium occaſionalis
materia, ordinariò non in ſtomachi aut Inteſtinorum
cavo reſidet, quia ſunt ſentinæ, & loca
expulſioni appropriata. Niſi fortaſſis in Diaria,
cholera, diarrhœa, dyſenteria, aliiſque horum
canalium febribus, ab adhærente materia proritatis.
4 Ego enim de febribus primariis loquor
præcipuè. Inprimis non potuerunt Scholæ condigna
febribus quærere remedia, malis ac falſis
imbutæ principiis. Non quærentes autem remedia,
nec ea etiam potuerunt inveniſſe. Ergò
Medentes, hactenus deſtituti vero remedio, febres
conati ſunt curare, euntes in circulum. Si
qui autem ſub illis ſunt curati, per accidens id
5 fuit. Agant Deo gratias, qui vires ægris largitus
eſt, quibus febri & auxiliis illorum reſtiterunt.
Medici igitur febres poſtergarunt, loco ſanationis,
per virium & cruoris exhauſtiones,
6 Abſit invidia dictis, non enim jactantia, aut
vana gloriolæ cupido (Deum judicem teſtor)
ſed hæc, me dicere, & palàm ſcribere coegit humana
neceſſitas, & mortalium commiſeratio.
Meum ergò expendi talentum. Credat, & ſequatur
qui volet. Per me non ſtat ampliùs, ſi mortales
creduli febribus pereant. Vnica nimirum
falce amputatur omnium febrium cauſa occaſionalis.
Id remedium eſt ſudoriferum, quod 7
incîdit, extenuat, reſolvit, liquat, abradit, & ſimul
abſtergit cauſam occaſionalem, ubicumque locorum
ea demum exſtiterit. Eſtque univerſalis
febrium medicina, diaphoretica quidem, inſenſibiliter,
& citra ſudorem, præfatos effectus patrans.
Enimverò Paracelſus quanquam arcana 8
haberet, quibus unico hauſtu quartanam omneſque
ex æquo febres feliciter ſanaret: non
fuit tamen illi data cauſarum cognitio. Contentus
Macrocoſmi ſingulas creaturas, in nos introduxiſſe,
ſicque ſimplicium omnium, & ſtellarum
ſpecies, numeros, atque proprietates, arti
medicæ applicuiſſe ſub credulitate: idque non
quidem per ſimilitudines, ſed per univocam identitatem
tam præciſè ſcienda voluit, ſub pœna
Idiotiſmi convicti. Itaque febrim non diſtinguo,
ſi remedii ſit ſumma bonitas. Etenim iſtud
remedium eſt Præcipitatus diaphoreticus Paracelſi.
Qui omnem ſanat febrim unica potione. 9
Hecticam autem, intra lunæ curſum. Oretenus
enim aſſumtus, curat carcinoma, lupum, &
quodlibet æſthiomenum cacoëthes ulcus, ſive
externum, ſive internum, itemque hydropem,
Aſthma, & morbum quemcumque chronicum.
Complet enim ſolus deſideria Medentum, tam
in Phyſicis, quàm Chirurgicis defectibus. Ejus
deſcriptio, eſt tam in libro de morte rerum,
quàm Chirurgiâ Magnâ, illamque nonnihil manifeſtiùs
declarabo, Accipe pulverem Ioannis de
Vigo propria manu paratum: Nam alioquin admiſto
minio, eſt adulteratus, prout & qualecumque
Medicamen Chymicum, quod venale exſtat,
fraude plenum eſt. Hic pulvis, affuſo elemento
ignis, de Vitriolo Veneris extracti, cum
aqua Regia cohobandus eſt quinies, ſub finem
augendo ignem: nam fixatur planè. Et eſt pulvis
valdè corroſivus. Qui dein cohobetur decies
cum aqua vitæ optimè deflegmata, & vicibus
ſingulis renovata, donec omnem corroſionem
ſecum abſtulerit. Et tum iſte pulvis, inſtar ſacchari,
dulcis eſt. Ideoque ſpiritus vini ibidem
appellatur Saltaberi, ſive Tabarzet, quod ſaccharum
ſonat. Non quòd in ſe dulcis ſit, ſed auferat
corroſivos ſecum ſpiritus. Adeò ut reſiduus pulvis,
propriâ nec aliunde mutuatâ dulcedine,

fulgeat. Nam præterquam quòd ignis Vitrioli
ſit dulcis, ipſum ſulfur Mercurii, tunc extra in-
verſum, eſt ſummæ dulcedinis. Fixus eſt pulvis
iſte, & dicitur aurum horizontale. Etenim pau-
cis abſolvi ſecretum, quod Medicum nobilitat.
At iſtud paraſſe, pro prima vice, eſt ingentis
operæ, pendetque ejus directio à manu ejus,
cui debetur omnis honos: quia parvulis revelat
ejuſmodi arcana, quæ mundus neſcit, & id-
10 circo vilipendit. Eſt & purgatio Diuceltateſſon
quæ Podagram non minùs, quàm febres radici-
tus curat. Ejuſque arcanum corallinum vocatur,
quod paratur ex eſſentia auri horizontalis, hoc
modo. A Mercurio vulgò venali, abſtrahe liquo-
rem Alkaheſt, cujus meminit 2. de viribus mem-
brorum c. de hepate. Quod fit unius horæ qua-
drante. Nam, inquit Raymundus, aſtantibus
amicis & præſente Rege, coagulavi argentum
vivum, & nemo præter Regem, ſcivit modum.
In quo coagulatione iſtud eſt ſingulare. Quod
liquor Alkaheſt, idem in numero, pondere & a-
ctivitate tantum valet milleſimâ actione, quan-
tum primâ. Quia agit ſine reactione patientis.
11 Mercurio igitur ſic coagulato, abſque ullâ coa-
gulantis remanentiâ, fac inde pulverem minu-
tum. Et diſtilla ab illo quinies, aquam ab albu-
minibus ovorum diſtillatum, atque ſulfur Mer-
curii, quod per ſui præfatam coagulationem fo-
ràs deductum eſt, fiet rubicundum inſtar coralli:
& quanquam fœteat aqua albuminum, tamen
iſte pulvis dulcis eſt, fixus, ferens omnem fol-
lium ignem, nec perit in plumbi examine. Spo-
liatur tamen virtute Medica, dum in album me-
tallum reducitur. Datur autem granis octo ple-
rumque. Quia purgat corpus humanum, quam-
diu ſordidum eſt, & non perfectè ſanum. Sanat
quoque ulcera veſicæ, laryngis, & œſophagi. At
cum non cuique Medico contingat adire Co-
rinthum, nec liceat profanare Arcana Dei, qui
horum diſpenſator manere voluit: ſat fuit
Theoriam medicam manifeſtaſſe. Vt orando,
quærendo, & pulſando, ſcientiam acquirant, un-
12 de omne donum bonum deſcendit. Attamen
ſunt quædam febrium particularia remedia,
quæ licet ad Generum amplitudinem univerſa-
lem non adſcendant: febribus tamen plerumque
ſatisfaciunt. Cujuſmodi ſunt ſalia à Cephalicis,
itemque à majorana, roremarino, ſalvia, ruta,
atque ſimilibus. Non exiſtimans hæc ſalia eſ-
ſe alcalia cinerum, ſed volatilia, & quæ ſim-
plicium totam craſim continent. Etenim ſunt
diaphoretica inſignia, atque nonnihil tempe-
rata. Quæ ſi debita ſtatione, nimirum jejuno ſto-
macho, & ante paroxyſmum Intermittentium
vel quovis tempore continuatum, potentur in
vino, vel aceto, ſudorque proliciatur, nunquam
Medentem fidelem ludibrio exponent. Ceſſa
quoque mirari, quod abſque omni evacuatione
febres curandas proponam, ſi diaphæreſim at-
que ſudores ſuadeam. Nam & alligatis ſimplici-
bus, magno Medentum dedecore, frequenter fe-
bres curatas vidi. Denique & iſtud dicam, quòd
per emplaſtrum centenas quartanas tutò ſana-
verim, abſque recidiva, licet autumnales. In
ſpecierum febrilium igitur familia, non rarò
particularia ejuſmodi, univerſalis remedii api-
cem attingunt. Quærite, & invenietis; modò
Medicina non in quæſtum ſolum ſit. Nam ſi vo-
bis intentio eſt, Miſericordia ex charitate, ob-
viabit vobis in itinere, Veritas, & lux à Patre
luminum deſcendens, cui ſit honoris retributio
in æternum.

Reſponſio ad contumelias.

CAPVT. XV.

1. *Argumentum in contemtores ſcientiarum.* 2. *Reſponſiones ad convicia Galenicorum.* 3. *Adulterata ſunt Chymica officinarum.* 4. *Per ignem miteſcunt corroſiva.* 5. *Objectio de parvitate doſis.* 6. *Dignitas Mercurii & ſtibii.* 7. *Rariſſimum arcanum ſalis volatilis.* 8. *Res omnes clamant pro vindicta in Galeniſtam ſpretorem Chymiæ.* 9. *Origo Pharmaciæ.* 10. *Objectio de ſolutione perlarum & corallorum.* 11. *Quomodo ſeparantur in ſtomacho diſſolventia à diſſolutis.* 12. *Quid ſignificet præcipitare in chymicis* 13. *Cenſura de quibuſdam ſcriptoribus chymicis.* 14. *Iterata objectio, ſubterſugia ad molliores animantum tophos, ſive lapides.* 15. *Qualis ſit actio gemmarum in nos.* 16. *Quid ſit in teneriori lapide, quod operatur pulvere ſuo ſoſpite permanente.* 17. *Proba mechanicæ.* 18. *Probæ ex armis propriis.* 19. *Patientis mira quædam ac propemodùm infinita reactio, ſine paſſione transmutativa eſſentiæ ſuæ.* 20. *Explicatio per mechanicam.* 21. *Quid corpora apparenter diſſoluta, in nobis patiantur.* 22. *Periculum ignotum ſcholis.* 23. *Arcanum involutum, primo per ingrata diſſoluta: atque deinde ſuperlativum per diſſolventia grata.* 24. *Medicamen genericum.* 25. *Peroratio ad Medentes.* 26. *Laus ſalis volatilis è tartaro.*

VLceroſum hoc ſeculum perverſiſſimorum ingeniorum, non patietur admonitos reſipiſcere. Tantum enim adhuc abeſt, quod plerique practicantium detre-

ctentur, hujuſmodi arcana majora inquirere,
quod paſſim in ſcientias quas ignorant invehantur.
Quod autem eaſdem ignorent penitùs,
& penè geſtiant, ſibique invicem gratulentur
de illarum inſcitia, nec tempus in illis inutiliter
abſumſiſſe, patet, quia non pudet illos ſcientiam
Chymicam velut fumi vendulam atque illuſoriam
ſive falſam, ſcriptis, & ſarcaſmis vilipendere.
At neſciunt,quod cum non entis non
ſit ſcientia, nullusque conceptus in mente illi
1 reſpondens. Adeóque in eo,quo negant veritatem
ſcientiæ, manifeſtant ſe eandem ignorare.
Id eſt vilipendere id, quod penitùs ignorant.
Suntque alii, qui mitius, ſed æquè ſtolidè,dicunt.
1. Iſta non ſunt noſtri fori,rem medicam
nequaquam attingunt: ſequimur namque ab
antiquo approbata. 2. Medicamina Chymica,
empyreuma redolent,calida, violenta, & minimè
trita. 3. Servos habemus, qui nobis, quæ uſui
ſunt, fideliter præparant. Eſtque indecorum
viro docto, Pharmaceuticen exercere. 4. Fumivenduli
experimentatores,omnes evacuationes
horridas inſtituunt,terrore plenas, quia Mercurio
& Antimonio, venenis apertis, tantum innituntur.
Adeóque circumforaneos inter ſunt
reputandi.Hæc ſunt,quæ pro ſua inſcitia incauto
2 obtrudunt vulgo. Quibus ex ordine ſic ſatiſdo.
Agitur de medicamentis, non autem de
rebus, quæ coriarium aut figulum concernunt.
Pudendum ergò ſupponunt ſubterfugiū, quod
ignorent, quæ diſcere debuiſſent. Nec etiam
fidum eſt fundamentum ab antiquitate ſemper
ruinoſum, euntes quà itum, non quà eundum
erat, ſemper antecedentium gregem ſequentes,
cœciſque mentis judiciis ſibi mutuò ſubſcribentes.
Reſpondent etiam me ſilente ſervi noſtri
fugitivi, à quibus corroſivum pulverem
præcipitati, & dulcioris alterius, ſive minùs virulenti,
itemque vitrum antimonii,ac flores, cinabrium,
& in ſumma, nō niſi venena mutuant,
ad magnorum morborum transplantationes &
3 palliationes. Cæterùm inſigniter adulterata omnia,
pro libidine lucri. Nam facile eſt ignaros
decipere,in rebus, quas profitentur ſe ignorare.
Sunt nempe olea eſſentialia venalia, quæque
magno ære penduntur, adulterata omnia atque
ſingula: ſi novem partes olei Amygdalini, ad
unam eſſentialis commiſtas eſſe, facilis ſit experimenti.
Injice nempe in cochlear aquæ vitæ
quidquid ſupernataverit, eſto de oleo eſſentiali;
reliquum verò,Amygdalinum.Idque tutiùs ſciveris,
ſi in balneo experimentum feceris. Oleum
ſulfuris, ex dimidio aqua eſt pluvia, Vitrioli
autem ſtagma, totum in impoſturam delatum
eſt: & quotidie magis futile. Quod ſimplici
examine per balneum mox conſtabit. Vix
ſextam partem ejus eſſe merum,eamque adhuc
tinctura ex cortice querno gravatam.Ad ſecundum
denique reſpondebo mox.Nunc ſat eſt dixiſſe,
ſelectiores hodie Medicos, non ſpernere
chymica remedia,quod eorum libri noviter teſtantur.
Adeóque vulpes vituperat uvas,& gallinas,
in arbore ſequeſtratas. Quantum autem
præſtent, ſilentibus nobis, loquuntur ægri experti.
Ad tertium. Non eſt indecorum, manu
propria præparaſſe quędam ſelectiora,& illa ſuis
poſteris legaſſe, ac tradidiſſe per manus. Nec enim
indecorum erat Pontifici Ebræo, ſtraviſſe
armenta, & lanionem egiſſe, pro ſalute populi.
An fortè ſtercus olidum inſpexiſſe, & baculo agitaſſe,
glorioſius eſt Galenicæ turbæ, quā nobis
furnos, vaſa & carbones tractaſſe? Sanè ſi momentum
veritatis haberent,cognoſcerent,quod
opera charitatis non infament quemquam. At
qui charitatem non habent,cuncta præter quæſtum
ac lucrum cenſent indecora. Abſcedite ab
hoc vaſtu,& eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter,
qui in cœlis eſt, eſt miſericors. Alias namque
dicet: Neſcio vos in lucrum,& impoſturam
viventes.At ſanè hos ambitioſulos non moratur
dedecus: ſed ignorantia, & cupido lucri. Pluris
enim faciunt viſitationum numerum,quàm ſanationis
gloriam, quæ in bene feciſſe tota ſe ſepelit.
Etenim tam citò,atque à Scholis,Doctoris
titulo dimiſſi ſunt, lampetrinis oculis per plateas,
& diverſoria inquirunt, an non ſint ægri,
qui ſibi vitam ſuam credant. Sed ſiſte gradum,
non eſt Medicina, per modum mechanicarum
exercenda.Et quia in hoc puncto Medentes errant,
Pater luminum ſua dona ſubtrahit, poſtquam
Medicina ut aratrum eſt exculta. Habetote
charitatem;& lucrum vos ſponte ſequetur,
cum honore & gloria,quæ fugientem arripiunt
Medicum, quem Altiſſimus honorandum præcepit.
Ad quartum. Concedo,in Chymiam non 4
minùs, quàm in rem medicam, licentioſiſſimè
ſe intruſiſſe omne nebulonum genus, variamq;
inde cladem generi humano emergere quotidie,
in quos ſanè Magiſtratus jure ſævire deberet.
Sed hæc non infamant viros probos. Certum
eſt, quod ſemper lucro annexa fuerint
fraus,& adulteratio medicaminum. Quantum
autem ad opprobrium remediorum & Chymicorum
ſpectat,id largiori periodo trutinandum.
Inprimis hîc quadrat, quòd ſcientia non habeat
hoſtem,niſi ignorantem;non quemlibet,ſed ſu-

perbum, & diſcere recuſantem. Quod patet per jam dicta corroſiva nempe atque manifeſta venena, evadere ſaccharo dulciora. Facilius, & ad manum idem patet ſiquidem flammula, Ranunculus, apium riſus, &c. vim veſicatoriam, mox diſtillando deponant, prout ſuccus citri ſuam aciditatem, hydropiper acrimoniam, &c.

5 Nec refert, quòd Pharmaca Chymica ſint parva doſi exhibenda. Id enim non accuſat virulentiam: ſed ſummam agendi entelechiam. Sic nempe alia doſis eſt ciborum, & alia Scammoneæ, eſulæ, & colocynthidis. Ideò Medicus indiſcretus, tortoris inſtar eſt. Vires remedii Chymici arctantur in parva quantitate, ſub qua placent, dum quæque ſuis proportionibus
6 reſpiciant vim, & neceſſitates ægrorum. Huc fortè non ineptè quadrat illud Hieremiæ 15. Si ſeparaveris pretioſum è vili, tanquam os meum eris. Quod autem de argento vivo & Antimonio improperant, meram continet rerum inſcitiam, & ſtupidam contumeliam. Nam Antimonium, quamdiu vomitum aut ſedes movet, & Mercurius revivificari poteſt, venena ſunt, nec boni viri remedia. Sed dum ad apicem venerunt, in quem à Deo deſtinantur, nemo mortalium, illorum virtutes indagare, vel encomiis condignis illuſtrare poteſt, utut crepant ilia momo: neque enim gloriamur, Mercurii & Stibii vim purgativam noviſſe, ægriſque propinaſſe, qui purgantia deteſtamur, præſertim quæ ſanum æquè atque infirmum diſſolvunt putrefaciendo. Bilem deponite, & mementote, quòd in thecis veſtris nil reſonent diſpenſatoria, præter Scammoneam, colocynthidem, elaterium, eſulam, id eſt, mera toxica. Deinde, etſi vegetabilium & aromatum eſſentiæ ſint calidæ: illorum tamen ſalia volatilia (quæ nunquam vidiſtis) ſunt
7 temperata. Adeò, ut ſi oleum cinnamomi, caryophyllorum, lavendulæ, &c. noveris transmutare in ſalem volatilem, nactus es medicamen temperatum, efficiens quantum de iſtis ſimplicibus ſperari poteſt, in veteri vertigine, palpitatione, Apoplexiâ, ſimilibuſque. Ergò qui claves Medicinæ tenent hodie, cum nec adyta intrent, mortales arcent ab uſufructu donorum,
8 quæ Altiſſimus in naturâ diſpoſuit. Clamant ergò in cœlum præſtantiſſimarum rerum poteſtates, ſe velut fruſtra veniſſe, vix quemquam eſſe, qui vincula earum ſolvat, ut benevolentiã, quam mortalibus debent, perſolvant: ſed potiùs evaſiſſe, ſtuprorum, & adulteriorum præmia. Illa ergò ſcientia, quæ docet inſpicere corpora occluſa, per ſui analyſin, ac virtutes illorum abſconditas eruere, famula Pharmaceutices non eſt (ut ſonant ignorantium convicia) ſed potiſſima hiſtoriæ naturalis tecmarſis eſt. Incepit 9
namq; Pharmacia, primùm à mercatoribus ſimplicium & herbarum collectoribus; dein verò, cùm cernerent Medici, non unicuique opportunum eſſe, ſimplicia elixare, condire & præparare, negotium iſtud ſimul fuit ſimplicium venditoribus commiſſum. Interim Medici ſelectiora, & ſecreta ſibi ſervabant, quibus honorem poſteris ſuis compararent. Sed tandem, creſcente Medentum ignaviâ, contenti fuerunt, diſcurrere per plateas, de domo in domum, ex frequentiâ viſitationum quæſtum feciſſe: ſucceſſerunt demum inde diſpenſatoria, ſelectas formulas hinc inde, pro nutu ignorantiæ compilaſſe, ut in officinis ſervarentur, & oſtentarentur venalia, magis ad expeditionem, quàm ad proprietatem. Vnde tandem Medici, compoſita compoſitis nectentes, mille quandóque ſimplicium farraginem ægris propinant, ut ſi unum non juvet, juvet ſaltem aliud. Vel ad minimum, ſe excuſent, quòd juxta tritam normam, curam ægrorum geſſerint. Hæc eſt Pharmacia hodierna, à qua quantum diſtet Philoſophia Chymica, nôrunt quidem qui eandem vel à limine ſalutarunt, ignorant verò, ſoli ignari oſores. Ægrè ſanè ferent Galeniſtæ, quod ſuis ignominiis & contumeliis, per meram lucem reſponderim, quódque ſuam potiſſimorum remediorum ſupellectilem vellicaverim, quare inſtabunt (ſat ſcio) hoc modo. Vrges, perlas, coralla, &c. in 10
liquoribus acidulis non diſſolvi: ſed tantùm à ſalibus diſſolventium velut calcinari, ac pulverari, abſcondi quoque, ac fieri inviſibilia oculis. Idque probas per argentum in Chryſulca diſſolutum: quod inde ſoſpes reducitur: ergò non amiſerit priſtinam eſſentiam: & iſtud detorques ad præfatos lapides, & probas; quia per ſalem alcali de tartaro, præcipitatur rurſus idem lapis ad fundum, qui antea erat inviſibilis pulvis, quatenus ſal alcali combibit ſalem acetoſum, qui cõtinebat in ſe lapidum pulverem. Sed non cernis, quod inprimis veſtra tyrocinia, hujuſmodi diſſolutiones doceant, & magnificant. Tum etiam, quod ſtomachus careat ſale tartari, ut diſſolutos pulveres præcipitet, ſeparétque à diſſolvente ſuo, ideóque proponas ludibrium. Ac per conſequens materia Perlarum, Corallorum, &c. ſemel hoc modo diſſoluta, ſoluta maneat, & intrò ad venas admittatur, cum liquoribus chymi, adeóque in urinam vel cruorem transmutetur, pręſtetque quantum pollicemur.

Reſpon-

11 Reſpondeo. Naturam non opus habere ſale tar-
tari, ad ſeparandum iſtum pulverem, à diſſol-
vente ſuo. Quoniam edocta eſt tam à parte ci-
borum, quàm digeſtionis propriæ, hunc pulve-
rem ſequeſtrare. Sunt namque quamplurima
inter cibos, quę hunc effectum proferunt. Qua-
lia ſunt olera, itemque herbæ vulnerariæ, &c.
quibus plerumque ſal volatile lixiviale ineſt.
Itemq; vina cum albumine ovorum, nedum ſe-
parant ejusmodi diſſolventia coagulata à pul-
veribus diſſolutis: ſed & Mercurium præcipita-
tum reviviſicant. Denique ipſamet ſtomachi di-
geſtio, ordinariò ſpiritus vegetabiles acidos,
ſubſtantialiter tranſmutat in ſalem urinę ſalſum,
atque volatilem: qui cùm ampliùs non habeat
priſtinas vires diſſolvendi, quas in aciditate
12 prius habebat: illicò derelinquit (id eſt, præcipi-
tat) pulverem, quem antè occultabat diſſolutum
in ſua aciditate: Ideóque ante fores mezaraica-
rum venarum, præfatum pulverem præcipitat,
13 & exuit. Adeóque ſciant Galeniſtæ, quòd ſcri-
ptores tyrocinii Chymici adhuc Tyrones ſint,
geſtiant aliis proponere, quæ ſummis labris de-
guſtarunt: adeóque nondum Philoſophiæ pe-
14 netralia adiverint. Sed iterum inſtabunt Gale-
niſtæ. Dicentès, quòd notabiliter lapides Bezoar,
cancrorum, limacum, &c. tam pulvere tenus
ſumti, quàm ſoluti in diſſolvente acido proſint,
in Peſte, febribus, lithiaſi, vulneratis, devolutis
ab alto. Quapropter per me ſtolidè idem negari
perlis, corallo, &c. Quibus reſpondeo. Gemmas,
lapides, & ſaxa, multam habere latitudinem, &
15 differre plurimum inter ſe. Inprimis namque
gemmæ, ſilices, marmora, & quæcumque cry-
ſtallinam habent duritiem, nequidquam agunt,
aùt patiuntur in nos aut à nobis, niſi per mo-
dum appenſi & periapti, idque tantisper dum
ab ore, per recrementa transeunt. Vis horum
ideò languida, quia corpore nimis denſo, clauſa
latet. Perlæ verò & coralla, quæcumque con-
chyliorum ſaxatilem duritiem habent, gemmis
quidem in duritie cedunt, attamen proinde
nondum conficiuntur in humano ſtomacho, ut
bene in quibusdam avibus. Lapides autem Be-
zoar, cancrorum, &c. adhuc perlis minùs duri,
non ſunt de natura ſaxatili: ſed potius fiunt ex
ſucco lacteo ſemicaſeato, & ſemipetrificato, ha-
bentque tophi naturam, inter cartilaginem &
lapidem neutram. Prout putamina lapidum, in
meſpilis, perſicis, &c. Neutrum genus, atque
medium ſervant, inter ligna, & lapidem tophi-
16 cum. His ita pro veritate rei, & meliori intelle-
ctu ſuppoſitis, dico, quod quanquam lapis
Bezoar, cancrorum, &c. quoad ſolidam pulveris
ſui materiam, nullatenus digerantur à ſtomacho
humano; attamen illis ineſt ſuccus quidam la-
cteus, & mucilagineus, magnæ virtutis, exiguæ
tamen quantitatis. Qualem contingit etiam è 17
limatura cornu cervini elixando extrahi. Si
itaque præfatorum lapidum pulverem in aqua
pluvia, vel diſtillata dudum bullias, per fil-
trum colando decoctum à pulvere ſepares, hoc
verò per balneum diſtillando elicias, reperies
tandem aliquantulum prædictæ mucilaginis.
Cæterùm pulvis reliquus, ut elixando invi-
ctus, ita & ſtomacho noſtro indigeſtus perma-
net. Adeóque ex præfati liquoris quantitate pu-
ſillâ, pendet ratio, cur dragma unica illius lapi-
dis pulverati, ſumta in aliquo liquore, plus effi-
ciat, quàm alioqui unus ſcrupulus ejuſdē. Cùm
interim vinum, vel acetum, eodem hauſtu com-
bibita, cum præfatis pulveribus, ne ſextantem
pulveris diſſolvant: reliquum verò, integrum,
non mutatum deſerant. Quod patet, ſi lapidem
cancrorum, non in pulverem, ſed fruſtatim
comminutum biberis, & poſt excretionem ab-
lueris, reperies idem pondus ejus, quod ante,
adeóque nihil ejus à ſtomacho ſubactum. Nec
quidquam illorum lapidum per digeſtionem
participari. Agedum, premamq; Galeniſtas pro- 18
prio telo. Etenim ſi lapides præfati, vel perlæ,
pulveretenus aſſumta, in nobis liqueſcerent,
fruſtra tentatis diſſolvere illa. Jam ergò conſtat
per demonſtrationem mechanicam, teneriores
animalium lapides, continere mucilaginem,
qua perlæ, coralla, & ſaxatilia carent: Attamen 19
corpora quarumdam rerum, permanentium in
ſui pulvere, & ſoliditate homogenea, & inſepa-
rabili, ut patiuntur in ſui diſſolutione actionem
à diſſolvente: ita quoq; viciſſim, diſſolvens pa-
tiatur à diſſoluto, ſine ulla interim corporis im-
mutabilis participatione. Nam ex axiomate
Chymico, diſſolvens eadem opera coagulatur,
per quam diſſolutum diſſolvitur. Ideóq; ſi auſe-
ratur diſſolvens à diſſoluto, ordinario nil præter
inſipidam aquam inde recuperatur, ſine acri-
monia & aciditate: quæ ſanè ut ſunt ſalium cli-
entes, coagulantur in diſſoluto, eique comites
aſtant. Clariùs idem cognoſces: Si oleum vi- 20
trioli diſtilles à Mercurio currente, oleum coa-
gulatur cum Mercurio, manentq; ambo in fun-
do, forma nivis. Et quidquid inde ſtillatur, eſt
mera aqua. Nix iſta autem, ſi lavetur, fit citrinus
pulvis, qui facilè in priſtinū Mercurium curren-
tem reducitur, eodem prorſus pondere, quo an-
te. Si verò aquam ablutionis diſtillaveris, habes

in fundo merum alumen, ex acido ſale vitrioli.
Sic nempe diſſolventia mutantur, tametſi diſſoluta,
nequidquam de ſui materia,aut ſubſtantia
perdiderint. Aguntque ejuſmodi diſſolventia
in nos, per modum alterationis acquiſitæ,in
ſui paſſibilitate : non autem ex proprietate participata,
à diſſolutis immutatis. Ad propoſitum
21 ergò Argumentum . Salia aceti, vini , ſucci limonum,
vel è quercu,itemque chyli ſtomachici
acidi , quatenus ſunt vegetabilia , & à noſtra
digeſtione alterabilia , digerendo quidem mutantur
in nobis , in ſalem urinarium : attamen
pro diverſitate rei diſſolutæ , illa diſſolutiva patiuntur
aliquid ex aptitudine ſuæ convertibilitatis:
attamen nequidquam in nos transferunt
de diſſoluto non digeſtibili , niſi partem ſui digeſtibilem
contineat ; prout dixi de mucilagine
22 lacteâ lapidum animantatorum . Quod ſi verò
alioquin , intrò in venas , ejuſmodi diſſolutum
pergeret (quod nunquam) ut ſuas nobis dotes
communicet (puta perlas , aut lapides præfatos
) plurimæ inde conſequerentur anxietates,
loco ſubſidiorum. Nam primò , cùm non ſint
digeſta in ſtomacho (prout jam antè probavi)
neq; in ſecunda demum digeſtione coqui poterunt
. Quia non itur ad ſecundum , niſi per
primum. 2. Ergò nunquam convertentur in
cruorem ſed in aliud venarum recrementum.
Tertiò,Naſcentur pulveres in venis & renibus,
conſtipabuntúrque exotico hoſpite pulvere,
per nullum deinceps remedium eductibili.
Hæc dicta ſunt de diſſolutis , à diſſolvente vegetabili,
ac proinde in nobis digeſtibili.Verumtamen
23 ſi diſſolvantur res per diſſolventia non
digeſtibilia : ea vel erunt ingrata naturæ ſtomachi.
Ideóque vomitum & ſedes movent.Adeò
ut ſola incongruitas, malignitas & ingratitudo
ſumtorum , ſint cauſa cur vomitum & ſedem
moveant, expellanturque confeſtim , cum
iis , quæ in ſui factionem deturbarunt . Idcircò
anxietates & moleſtias exhibent. Si verò diſſolventia
ſint naturæ grata , intrò lubenter admittuntur
. Nequidquam tamen patitur compoſitum
inde,tam ex parte diſſolventis,quàm diſſoluti.
Siquidem utrumque eſt indigeſtibile.Ergò
iſtud compoſitum manet ſoſpes ut pridem,
tranſit omnes venarum officinas: ac tandem
(ſiquidem non poteſt mutari, nec per conſequens
tranſire in familiam vitalem) expellitur
24 ſudore, per diaphæreſim. In quo itinere, quidquid
præclara ejuſmodi arcana attingunt ſordium
, diſſolvunt , ſecumque rapiunt, ſicque
medentur febribus, & morbis chronicis pleriſque.
Quicumque ergò medendo charitatem 25
proximi cordi habetis, diſcite diſſolvens aliquod,
quod ſit homogeneum, immutabile, diſſolvens
ſua objecta in materiam primam liquidam
: & nactus eris intimas rerum eſſentias,
harumque dotes poſſe inſpicere. Quod ſi autem 26
ad iſtud ignis arcanum non pertingatis,
diſcite ſaltem , ſalem tartari reddere volatilem,
ut hujus medio veſtras diſſolutiones perficiatis.
Qui etſi ſua ſoluta , anaticè homogenea deſerat
, digeſtus in nobis : illorum tamen aliquot
vires mutuatus eſt, quas intrò defert , plurimorum
morborum domitrices . Ad hæc autem
non ſufficit libros terere : ſed inſuper oportet
carbones atque vaſa emere , & vigilatas ex ordine
noctes impendere. Sic feci, ſic dixi , Laus
Deo.

Quod Academiæ Theſi 8. venæſectionem nempe inhibeant niſi in cruoris plenitudine,in hac autem ſolùm admittant,eò quòd tum phlebotomiæ vitium non ſatis apertum eſſe poſſit; quodque theſi decimâ jam implicitè concedant febrim non eſſe merum calorem , ſed per calefacientia & corroborantia (calida omnia) curandam . Eſt nimirum alterutrum neceſſarium : vel ſcilicet febrim non eſſe calorem in ſui radice , vel non medicandum per contraria amplius.

Ex theſibus Lovanienſibus ſub Conſultiſſimo Domino D. Vopiſco Fortunato Plempio diſputatis Lovanii 26. Novembris Anno 1641.

Detegitur eſſentia Febrium.

CAPUT XVI.

1. Vita mortalium , eſt morborum cauſa efficiens. 2. In hoc eſt vita error furialis. 3. Probatio præcedentium. 4. Author , in quo diſſentiat à Veteribus. 5. Efficiens internum, ejuſque materia, probantur. 6. Qualiter formetur quidditas febrium. 7. Propoſitio. 8. Quod ex cauſa naturali, olim conſiſtebat immortalitas. 9. Idearum morboſarum origo. 10 Quid Veteres deceperit. 11. Archeum ſuis perturbationum Ideis, imitari imaginationem. 12. Probatur præfata propoſitio. 13. Originis Idearum fons duplex. 14. Probatur neceſſitas Idearum in febri. 15. Idem per enumerationem partium. 16. Cauſæ occaſionalis examen.

HActenus quaſi contra Scholas diſputavi , non auſus docere febrium eſſentiam. Itaque dum arborem prodat ſuus

fructus, compulſus ſum pro Philiatris, ſupple-
mentum addere, quò febrium incognita hacte-
nus eſſentia, mage illuſtretur, deturque Ty-
roni modus interſtinguendi judicii à judicio, &
remedii à remedio. Oſtendi inprimis ſat po-
tenter, definitionem febrium hactenus neſci-
tam; ideo eſſentiam, eſſentialeſque cauſas illa-
rum, adhuc ignorari: Cumque nobis non ſit
licita cognitio rerum, à priori: ſaltem miran-
dum fortiter, quòd præter calorem, pro eſſen-
tiâ febrili, excogitatum ſit nihil: dum tamen
hiſtoria ipſa febrium ſat potuiſſet pandiſſe cau-
ſarum neceſſitates, conſonantiam, & conſtan-
tiam: ſaltémque à caloris ridiculo errore, mor-
tales reduxiſſe: niſi ipſa Mortalium ignavia,
per indagandi tædium, & ſubſcribendi facili-
1 tates, fuiſſet allecta. Loquor inprimis de natura
hominis corruptâ, qualis à tranſgreſſione dein-
ceps perſeverat. Etenim morbus adhuc exul
erat, quamdiu mors aberat: ſic quidem, ut mor-
bo nondum ulla ſui eſſet ſpes in potentiâ. Sed
poſtquam mors intravit in vitam, ſtetit mor-
bus omnis, in potentiali exercitu in vitam i-
2 pſam directo. Sic ut morbus nidum ſuum ſta-
bulare intenderit in vitali initio: non quidem
ut externum aliquod, in, & adverſus vitam, pu-
gnando: ſed in ipſamet vita, ſoſpes externus
enſem ſuum ſtringeret, quo vitam, (hoſpitium
ſuum, ſuæque quidditatis patronum) detrun-
caret. Iſta nempe fuit humanæ immortalitatis
corruptela, quòd ex ipſamet vita mortem ſibi
deinceps deſumſerit. Nec enim joco loquor.
Abſit, ubi de conſervanda mortalium vita ſcri-
bo. Enimverò ſtatim ſimul cum vita, perit o-
3 mnis morbus. Nec enim materiæ, utcunque
fingantur hoſtiles, ampliùs à morte dimicant,
aut fervent. Quapropter omnis directio effi-
cientis interni, debet ab ipſa vita dependere.
Etenim quod Veteres huc uſque ante me, natu-
ræ duellum vocarunt, complexionis item ele-
mentalis, cum ſolitariis qualitatibus, aut cum
ipſa invicem putatitiorum humorum peccan-
4 te adraſtiam: Id totum, aſſevero à principio vi-
tali effectivè, efficienter & immediatè proce-
dere. Id eſt, ab inordinatione, indignatione,
tumultu, terrore, abhorreſcentiaque ſpirituum
vitalium: Materiam autem excrementoſam,
quamque peccantem, ſive morbidam putarunt,
& vocarunt: Voco præter naturam, à cauſa oc-
caſionali errante, vel aliena, productam, de-
tentam, vel introductam. Adeóque ejuſmodi
materiam omnem, duntaxat occaſionalem vo-
co: Incitatricem quidem; at planè externam
morbo: utpote cujus adhuc materiæ perſtite
præſentia, non raro tota febris ceſſat, & perit
funditùs. Ergò febrile efficiens internum, at- 5
que immediatum ens formale, eſt ipſamet vita;
ejuſque immediata materia ab aura vitali (in
qua hoſpitatur, & ſedet ipſa) pro parte deſumi-
tur, & abſcedit. Sicque eſt ipſi immediata, ac
plenipotentiaria poteſtas in vitam, ſibi ſymbo-
lo uniformitatis connexam. Etenim alioquin
importunum eſſet, furenti vitæ, extra ſe, mor-
borum parere: ſive, formale atque eſſentiale
initium, fundamentum, atque ſemen conci-
pere, efficere, & fovere. Non enim valet vita,
morbum, ſeminale, in alieno excrementorum
externoque ſubjecto, ſtabilire. Nam ſi vita à
morbo tolerari debebat, anguſtiari, atque ne-
cari: debebat certè à ſemetipſâ jam deturpata,
omnem pati injuriam. Juxta Adagium, *Nemo
niſi à ſeipſo læditur*. Ruditer id olim quoque 6
Hippocrates ſenſit, qui ſpiritum illum vitalem,
impetum faciens (tam ad vitam, quàm ad in-
ternecionem) primus vocavit. Deus enim mor-
tem non fecit pro homine: quæ à peccato in-
cepit. Non enim nego, vitam ſtimulari in pro-
priam injuriam, à cauſis occaſionalibus: At ſal-
tem optarem, Veteres diremſiſſent cauſam eſ-
ſentialiter internam, ab externis occaſionali-
bus, uti decet. Internum autem, & externum,
non ſumo pro corporis reſpectu: ſed quod
radicaliter eſſentialiterq; eſt morbo proprium,
id voco internum, atque inſeparabile: ſecus
verò, ſi tantum accidentaliter adjaceat. Itaque
ante omnia, ſeriò & unicè notandum, qualiter
ipſa febrium quidditas formetur, à quidditate
efficientis vitæ. Ut non ſolùm per hoc conci- 7
piatur ipſa principiandi morbi hæccitas: ve-
rùm ut inſuper cognoſcatur determinatio eſ-
ſentialis emanans quidditativè à vita ipſa. Quæ
ideo ſunt altiùs inculcanda. Quare ſit loco pro-
poſitionis, Quod mortalitas, mors, & morbus,
cum peccato intraverint, vitam corruperint, to-
tamq; humanitatem, impuritate contaminave-
rint. Non quidem, quod introitus ſingularum
febrium, ſit proin ex novo peccato, ut neque
immediatè ex peccato originis, licèt originali-
ter inde defluxerint. Sed in ſtatu puritatis erat
immortalitas, non mors, non morbus. Quia 8
tum, Mens immortalis immediatè regebat cor-
pus, ideóque à caducis, ſe prorſus inferioribus,
nequicquam patiebatur, ſuum idcirco domici-
lium, ſibi unitum, ab interitu, & corruptela
meritò liberabat. At poſt prævaricationem,
Mens ſuum regimen, animæ ſenſitivæ tradidit,
unde

unde vita mille mortis importunis neceſſitatibus
evaſit obnoxia. Senſitiva itaque, deinceps
auram vitalem concitavit, quæ exin τὸ ἐνορμον,
ac primarius morborum faber, ab Hippocrate
appellari cœpit. At malè à ſuis ſequacibus poteſtas
ejusdem fuit intellecta: neglectumque
illud manſit apud poſteros, Impetum faciens,
neſcitum etiam, quòd morborum diſcrimina
à vita immediatè manarent. Ideóque falsò, occaſionalibus,
nunquamque exſiſtentibus humoribus,
totum concreditum fuit morborum negotium.
Etenim, de origine, & principiis medendi,
tradidi modum, quo illud impetum faciens,
producit ens Ideale; unde febres, morbique
universi, ortum ſuum mutuant. Quam
idearum generationem, ibidem ex profeſſo tractatam,
9 nunc tantùm obiter attingam. Primò
itaque, In confeſſo eſt, rabiem canis excitari, à,
vel in conceptu ejus, per Ideam effectricem illius
rabidi veneni. Quod in ſano cane non eſt,
prout in amente. Patetque inde, iſtud virus
(quod noſtram à morſu ferit imaginationem)
fabricari ab Idea, per conceptum rabidi, patrata.
Idem etiam occurrit in Tarantula, ſerpentibus,
& furore percitis. Sic in *Tumulo Peſtis*, hanc
Ideam, nedum ex pavore hominis; ſed & auræ
vitalis, conſtrui, demonſtravi. Quare etiam peræquè
neceſſarium, quod pro febri (quæ ab Impetum
faciente, vitalique initio ſuſcitatur, nec
ſponte, aut ex nihilo oritur, movetur, aut increſcit)
ſuccreſcat in eodem vitali initio, Idea
motrix, ſive cauſa effectrix, virulenta quidem
in ſe, ac varians, juxta ſignaturas, quas hæc arbor
10 Ideæ febrilis, pro fructibus exhibet. Etenim
ut ex nihilo, nihil fit: ex aliquo autem ſemper
aliquid: putarunt tàm Veteres quàm moderni,
febres quaſcunque, neceſſariò oriri ex lucta
elementorum, vel ſaltem fictitiorum humorum.
Nec liquidò etiamnum definivere, cujus
de ambobus hiſce, febrium eſſet textura. Ac
cum non ſint niſi elemento numero tria, nec
hæc confluant ad corporum conſtitutionem
(quia alibi oſtendam impoſſibilem horum connexionem)
non poſſunt aliquod ens, à ſe alienum
producere. Humores verò cum nunquam
uſpiam adhuc fuerint: ſintque febres ex aëreo,
ac magis abſtracto corpore, quàm quod liquidum
excrementum putatur: deprehendi à nihilo
nil quidem fieri materialiter: ſed efficienter
effectivè, atque formaliter pleraque ab Idea
concepta fieri, quæ demum mox ſe corporibus
veſtiunt. Per conceptum ſcilicet, fiunt Ideæ activæ,
ſeminumque formalia initia, quæ ſe ſtatim
veſtiunt tunica ſpiritus vitalis, cum qua
tum denique in ſcenam prodeunt, fiuntque illud
Impetum faciens, ſolo duntaxat nomine à
Scholis cognitum, ac proin à Practicis neglectum.
Etenim, quòd febres ſubinde à perturbationibus
animi oriantur, id lippis ac tonſoribus
peræquè notum. Sed Archeum, ſive impetum 11
facientem ſpiritum, ſuas pati perturbationes,
harumque ſoboles, ſuſcitatas Ideas in ſe concipere,
inopinum, atque hucuſque inauditum eſt
quidem Scholis. Attamen certius nil, quàm
quòd ſaliva rabidi, dudum poſt mortem canis,
in eo quem momordit, producat ſuam rabiem,
planè ſuo cani perſimilem, unde manavit. Quare 12
in ſaliva fuit Idea formatrix ſeminalis, illius
rabiei productæ par illi, unde prima fluxit infectio.
Nam ejusmodi infectio poteſtatem præſupponit
actricem, vitalem, potentemque propagatricem
ſui ſeminis, licèt nobis mortem
& amentiam cauſet. Potentia autem iſta nequaquam
agit, ut nudum accidens: ſed quatenus
formali ſubjecto inhæſionis inhabitat.
Nec etiam quòd materia viſibilis, ſive diverſorium
inhæſionis, ſit ipſamet potentia, nec excitatrix,
vel ſtimulus ſuiipſius, aut quòd iſta potentia
ſubſiſtat ſolitaria extra radicem, quæ illam
ſuſcitavit: *Sed omnis potentia habet ens
fovens, patrans, ac dirigens ſui, longè ſpiritualius,
& abſtractius, quàm ſit ſua capſa inhæſionis.*
Abſtractius inquam quàm ſit ipſum medium,
in quod potentia motrix eſt recepta: imò
formalius, quàm ſit ipſamet qualitas potentiæ.
Eſt nimirum architectonica imago mali, aut
boni, effectrix effectuum, tam in morbis, quàm
in cæteris entibus ſeminalibus. Sumit autem
iſta imago, primordiale ſui initium, ex cogitatione
hominis, vel ſuccenturiato conceptu ſpiritus
Archealis (de morbis nunc loquor.) Sic
nempe anima ſenſitiva, eſt per modum recipientis,
in ſpiritu, ſive aura Archeali. Et quanquam
Archeus non anxietur per modum animæ
uſualem, atque humanum: attamen diverſorium
animæ ſenſitivæ (quod eſt ipſe Archeus)
fruitur per modum ſuæ receptioni proprium,
Ideis oriundis, tam à ſuis conceptibus, quàm à
conceptuum exorbitationibus. Nec enim Archeus 13
iſtas paſſiones ſemper è proprio conceptu
piſcatur; ſed & ab ingeſtis, malè digeſtis,
& tranſmutatis. Uſque adeò & ab excrementis
non ritè ſubactis, aut ſegregatis. Adeóque &
nedum à facultatibus noſtris alienatis, aut errantibus:
verùm inſuper, ex dote rerum innata.
Prout in ſaliva rabidi dentis, eſt proprietas

Idealis virulenta, quæ animæ ſenſitivæ imaginationes
14 in nobis alienat, ad ſui lubitum. Ergò
in rebus eſt quædam potentia accidentalis, quæ
ſi contagium aut ſui propagationem perficiat,
indiget vi formali, & ſeminali, quæ rectrix ſit
actionis. Semina namque, ut figuram, vel ſui ſimilitudinem,
edant in productis, neceſſariò
hanc imaginem ſibi inſculptam habent, ſi debeant
extra ſe agere, aliudve ſibi ſimile erigere
in producto: cum ejusmodi ſimilitudo Ideam
præſupponat formatricem. Denique materia
febrium occaſionalis, ſi eſſet de febrium eſſentia,
vel non præcederet, ſaltem ſemper comitaretur
15 effectum ſibi proprium. Quare dum quaternarius
humorum, horumque exiſtentia, ſint
ficta: neceſſum eſt, quòd ficta cauſa humoralis
nec præexſiſtat, nec ſubſequatur eſſentiam febris,
nec ſit reſpectus humorum ad febrim; nec
viciſſim febris, ad fictos humores. Denique nec
cruor (theſaurus vitæ) poteſt ullo modo, eſſe febrium
cauſa conſtitutiva: imò nec quidem cauſa
occaſionalis; niſi ſit extravenatus, priusque
corruptus: id eſt, niſi prius deſinat eſſe cruor.
Siquidem extravenati cruoris non eſt alia reflexio,
quàm quòd in vivente theca ſit cadaver,
variasque interim ſubeat transmutationes, pro
varietate Ideæ Archei, in proximis culinis, clavo
œconomiæ præfecti. Eſt nempe vitiatus hic
cruor, cadaveroſum jam excrementum, & cauſa
occaſionalis, qua excitus Archeus Ideam furoris
16 fabricat. Denique aliud quodcunque excrementum,
à ſubſequente digeſtione defœdatum,
cauſæ occaſionalis jus in ſe transfert,
febrimque occaſionaliter parit, non ſecus ac
jam de cruore dixi. Eſtque ejusmodi excrementum,
à vitio digeſtivè, ac diſtributivè, vel
ſenſim accumulatum, vel demum à febri, aut
inſpiratis peregrinis, productum. Utut fuerit,
ſaltem reſpectu febrium, ſemper remanet externum,
nec harum eſſentiā ſubintrat unquam.
Sunt quidem duntaxat accidentales conſiderationes,
quæ gradum febrium proximè reſpiciunt.
Etenim ſi actio morborum procedat immediatè
in vitam, & à vita exordium ſumat:
utique eſt neceſſarium, quòd eſſentia morborum
quoque penetret penitùs, ipſam medullam
eſſentialem vitæ. Cætera verò externa, qualia,
ac quantacunque, tantum reſpiciunt, an materia
occaſionalis ſit in quanto, major, minorve;
An efficiens in Juvene ſit potentius, quàm in
ſene; in initio morbi, quàm in fine; in maligna,
quàm in mitiore, &c. Sed ejusmodi poteſtatum
gradus, ſunt correlativa efficientis, ad vires collati. Docentque quidem, quantum ſit verendum, ab accidente occaſionaliter irruente. Ego autem hîc ſpecto formalem febris eſſentiam. Itaque ſemper adeſt, ac permanet eſſentialis poteſtas interni efficientis, ſive ipſius vitæ: & denominatio, deſumta ex termino relationis, etſi ſpem Medentis mutet, ſuperioritatem vitæ, ac proportionem Agentis variet: Attamen ipſa vita ſemper eſt intimum principale, formale, atque eſſentiale febrium efficiens; manetque ubivis materia occaſionalis, extra veram & internam cauſam materialem. Nam ſæpè aufertur, ceſſatve febris, reſtante reſidua adhuc ejus materia, & efficiente occaſionalibus. Etenim ſæpè quartana ceſſat ſua ſponte, poſtque menſem fortè repetit iterum: adeóque materiam occaſionalem ſervabat ſibi interim intactam, ac citra actionem, velut dormientem. Idemque ens occaſionale alibi, pacata prius procella Archei, totum ſponte conſumitur. Sæpè quoque febres, poſt ſe, relinquunt debilitates, viriumque topicas diminutiones, in vitam durabiles: quatenus vita inſiti Archei extruncata, ſuisque paſſa eſt tribulationes nimias.

Quidditatis febrilis indago.

CAPUT XVII.

1. *Erronea Scholarum ſpeculatio.* 2. *Differt Author à Scholis.* 3. *Modus fiendi febrium, ad Indicationes propagatur.* 4. *Centrum febrile.* 5. *Sitis, & frigoris examen.* 6. *Confirmatur Centri doctrina.* 7. *Cur febris quandoque terminetur per appetitum inſolitorum.* 8. *OEconomia febrilis in pyloro.* 9. *Exlex quartana, & exoticarum febrium ſedes inaudita.* 10. *Cur vomitus non ſolvat has febres peregrinas.* 11. *Definitio febris lacera.* 12. *Remediorum examen.* 13. *Spei vanitas unde ſit introducta.*

1 ANtehac tam Moderni, quàm Priores, conſiderarunt febrium naturam, ac quidditatem, ex ſpeculatione caloris, tam interni, quàm æſtivi ambientis. Itemque eſſentiam illam dimenſi ſunt, ex acrimonia, atrocitate, multiplicitate materiæ occaſionalis, vel ex malignitate unius, vel plurium, de quatuor fictitiis humoribus. Sic enim, qua ingredi debuiſſent, januam ſibi ante nares occluſerunt. Siquidem modus fiendi in febribus, itemque ejus internum efficiens, atque materia ſeminalis, manſere neglecta. contemplati ſunt febrim duntaxat in facto eſſe: adeóque ſic ſibi cognitionem eſſentiæ abſtulerunt: ubi aliàs, modus fiendi,

ſuprà diſtinctus,enucleat internam febris quidditatem,
quam facta febris claudit : non potens
Intellectus humanus ſua vi, penetrare res, quas
ſibi ex inſtituto occluſit. Docui itaque ſuperius,
quo initio activo & vitali, febris in nobis
oriatur ſeminaliter, & materialiter, id eſt, integraliter.
Etenim quidditas febrium, per modum
fiendi, edocta, patefacit quidditatem efficientis,
2 à quo formatur. Siquidem omnem ſui
determinationem mendicat à vita. Ideo enim
vera quidditas entalis, atque eſſentialis differt
toto cœlo, à Veterum putatitia quidditate (accidentali
nempe) febrium. Ipſum namque ens
accidentale (quod eſt ipſa Veterum putata febris)
differt toto prædicamento,ab ente ſubſtantiali,
vitalique febrium, atque à ſeminali initio,
progreſſu, coaptatione, actione, ſequeſtratione,
deturpatione, & proprietate immediata, hauſta
ſcilicet, tam ex parte materna materiæ internæ,
atque vitalis; quàm paterna: nimirum, vitalis
efficientis principii quidditate. Siquidem Medentes
hactenus omnem morbum, inter nudas
qualitates collocant. Cæterùm demonſtravi,
quòd calor non ſit eſſentia, aut de eſſentia febrium:
ſed merum accidens, ſeparabile à febri,
febrique accidentaliter, & per intervalla, adjacens.
3 Reſtat modò ad cognitionem febris, ac
remediorum, contemplari modum fiendi, in
fieri eſſe, ut arbor à fructibus prodatur. Itaque
omnis propemodùm febris ſtatim ab ſui initio,
horret, aſpernaturque, carnes, piſces, juſcula,
ova & quæcunque intra ſtomachum mox corrumpi
queunt. Nam carnes & piſces ſolo tepore,
ſponte vadunt in corruptiones ſibi proprias,
atque fœtores, tanquam ad terminum cadaveris
feſtinarent. Hæcque,ubi in ſtomachum delabuntur,
fermento ſolito, debito, ac digerente
orbatum, ſolo illius loci tepore, feſtinant in ſui
corruptionem.Ructus enim febriles,hinc fiunt
olidi, ideóque nidoroſis ructus acidos ſupervenire,
bonum omen portendere vult Hippocrates:
eò quòd fermentum digeſtivum ſtomachi
(quod cuncta aceſcere cogit) ſe rediiſſe, ructu
acido,teſtetur. Quo aliàs abſente, dormiente,
impedito, vel ſuppreſſo, carnes, & quæ facilè
putrere parata ſunt,mox corrumpuntur. Unde
dein vomitus flavus, porraceus, & amarus, à
corrupto œconomi jure, ſuſcitatur. Hæc eſt
cauſa, cur ſtatim, quæcunque facilè putrent,
4 fiant exoſa in febribus. At ſaltem hinc patet,
ſtomachum eſſe palæſtram certaminis febrilis.
Tum, huic conceptui ſtatim ſuffragatur ſitis,
5 pleraſque febres comitans. Imò & immani intermittentium,
diuturnoque frigore, atrocior
ſitis, vomituſque affluentior flavæ illius amurcæ,
quàm alioqui in acutiſſimis continuarum
caloribus.Nec etenim proinde ad ſolita latibula
ſubterfugiendum : quaſi frigerent duntaxat externa:
at interna ferverent viſcera,æſtuarentque
potentiſſimè. Unde nimirum ſub frigore, tanta
infeſtaret ſitis importunitas. Abſit,tam apertis
nugis,veritati velle imponere! Siquidem intermittentium
initiis, horrores,atque frigora,ſentiuntur
non minora intus, quàm in artubus.
Propterea ſcilicet quatiuntur præ frigore interna
latibula, uſque adeò, quòd dentes & artus,
non niſi internum prodant frigus. Sedantur
autem rigores febriles, ſimulatque interni frigoris
furor evaſit mitior. Eſt autem iſta ſitis
fraudulenta. Utpote quam non ſolùm potus
non reſtinguit, potantemque miſerè deludit:
ſed etiam docet,ſe non à defectu humidi cauſari.
At ſi ſupponatur(riſu dignus alioqui) fervens
intus calor,tantiſper ac dirum frigus,è penetrali,
rigores ſuſcitat. An ſaltem dum fervor ille, 6
domeſticus febrium hoſpes(licèt nondum querulus,
aut ſenſatus hactenus) foràs ſpargitur,friguſque
abactum eſt; An inquam non acquirat
ſibi vires eundo? ſeſeque explicet? non quidem
per modum ſubſtantiæ, extenuatæ dilatando,
ſed per modum caloris excreſcentis agendo.
Perinde ut manus,per nivem frigefacta, ſi calorem
repetat, magis magiſque incaleſcit, ac longè
potentiùs, quàm quæ juxta ignem calefacta
eſt. Cur itaque, ſi ſitis à calore fiat interno, ſaltem
non reſtinguitur potu : Cur etiam calore
jam aucto, & per febrile argumentum, ad ſtatum
ampliato,non increſcit pariter ſitis: ſed potiùs
plerumque mitigatur. An non hinc conſtat,
ſitim,non à calore: ſed alienâ longè radice,
ſcaturire? præſertim ubi non rarò, ſtagma acidum
ſulfuris, ſitim vel reſtinguit,vel ſaltem potenter
ſedat? Appetitus ergò ſubitanea averſio,
horrorque ciborum,potuumque faſtidioſus delectus
in febribus, ſitis penè inſatiabilis, vomitus,
nauſea, anxietas cum ſuſpiriis, vigilia ſubinde
continua,non rarus denique ſopor,vel deliria,
locum, ſive ſentinam febrilem, detegunt,
accuſantque ſtomachum, ejusve vicina. Ideò 7
enim lenta, pertinaciorque febris, ſolvitur frequenter
per appetitum rerum inſolitarum (puta
halecis, rerumque fumatarum) ſperans, per
rem ejusmodi inauſpicatam, ſubigere hoſpitem
hoſtem. Arrident nempe ejusmodi inſolita,
non quidem quòd digeſtioni (quippe quæ
tum nulla ibidem eſt) ſint, aut alimento apta;

ſed quia impreſſionalem Ideam Archei, atque ſigillum febrile, obliterant, non ſecus, atque aliàs cibi inordinati exoticas, ſilentesve in Archeo Ideas paroxyſmales, occaſionaliter excitant. Etenim ſi procul inde ſuum nidum febris delegiſſet, debeatque omnis cibus priùs in ſtomacho tranſmutari. Ideóque quoquò inde longiùs deviat, eò ciborum vigor, ac prioris vitæ qualitas magè ſternitur. Quare ſi appetitu, & fruitione inſoliti illius cibi, ſuperetur diuturna alioqui febris: deſignat, quòd febris non procul à membro appetente, ſit remota.

8 Redit nimirum quoque cum appetitu aliàs, ructus acidus. At ſaltem ex diductis patet, quod venæ ſtomachales non trahant ad jecur, ſicut meſaraicæ, ſed potiùs nutriendo ſtomacho ſint dicatæ. Quod alibi de digeſtionibus ſtudio explanavi. Siquidem ſæpè à biduo aſſumta, non obſtante ſiti, per vomitum rejiciuntur. Ergò Pylorus (inferus ſtomachi janitor) quamdiu febris imperat, non rite ſuo fungitur munere; ſitiſque, quæ ſub iſto biduo ſuboritur, aliquoties repetit, torquet, iterumque miteſcit. Neſcitque Pylorus, quo fine, ſe tam pertinaciter claudat, ac tantoperè potum illum detineat, intra febrium ſentinam ſtomachum. In qua præcipuè tum non ſperatur digeſtionis bonitas: ſed potiùs ingeſti longa mora, & conſequens corruptio. Neſcit inquam, quorſum tam amentes effectus edat, dum ex ejusmodi detentis, procreat flava & amara excrementa, quæ hactenus fellis imagine incautos deluſere, illaque elidat abundè, fruſtra, ac citra ſublevamen. Exin namque conjicio, facultatem appetitricem ciborum ac potuum, orificio ſtomachi inſertam, declinaſſe in Pylorum, ſuſque deque confuſa omnia: ſitimque ideo amentem æquè infeſtare: quia totum febrilis confuſionis chaos, agitatur immediatè ſtabulo exotico Pylori. Nec enim iſta ſitis potu ſedatur, quæ non eſt ſuo loco in ſtomachi nempe orificio. Cujus ſolius munus eſt, denunciare alimoniæ defectus. Febris itaque habet virus, eſtque ſerpens multiceps, quod circa Pylorum, & paullò infrà, hoſpitatur, vel inſidet convexo ſtomachi. Etenim non rara ſunt deliria ridicula, aliàs quoque ferocia; juxta veneni illius ſortem. Sitim autem ſuſcitat ſerpens ille, ſæpè quoque anguſtias, lypothymias, & ſyncopes, vel vomitus frequentes, amaros, vel etiam ſolius alimoniæ inpatientes & intolerantes. Vigiliasvè continuas, harumque vicem, ſopores compenſant alibi. Primo ſaltem introitu, fermentum ſtomachi, cum edendi deſiderio, intercidunt ſtatim. Neque ideo fruſtra conqueritur Anatome, diſſectionum difficultates mox ſub Pyloro, ſuperare quasvis alias totius corporis, propter vaſorum multitudinem, glandulis intortam. Hinc namque exorbitationes alimenti, malè digeſti, maléque diſtributi, itemque ſcoriæ, ſive ſtercoris liquidi, extra orbitam alienati, vel humoris alimentarii, ac ſpermatici degeneratio, ſimul concurrunt. unde ſtomachi œconomia evertitur. Cuncta ſiquidem concurrunt in vaſorum multiplicata textura, excrementorumque adhuc commiſtione. Quibus de cauſis, virus ſurgit, alienanturque alimenta à ſcopo, variaſque per moram ſubeuntia alterationes. Quas dum topicus ibidem Archeus, ſua perſentit ditione, anguſtiatus, turbatus, ac veluti demens, diverſimodè illa adhuc alterat magis, ac pro venenorum illorum ſuaſu, varias confingit ſuarum perturbationum Ideas, ut Protheum Poëtarum exprimat, variamque febrium ſcenam effingat. Non proin tamen virulenti hujus contagii metamorphoſes, finesque, ſunt Medentum objecta. Nec enim tam venenorum, ſymptomatumve eſt ſpectanda varietas, quantum loci dignitas, & perturbatio Archei, & dein quo medio compeſcatur virus, reducaturque averſio, concitataque confuſio Archei. Nam his ſedatis, ceſſat mox ipſa febris, quæque materialiter ibidem peccant, facilè à natura domantur, atque recedunt directè ſubacta. Hac ſcilicet viâ, ſtatim febres cedunt, ad appulſum alicujus Arcani: reſiduum autem expulſionis, committitur humeris naturæ, ut ſua ſervetur Hippòcrati dignitas. Quod *ipſæ naturæ, ſint morborum medicatrices.* Hæc de Continuis, juxtà atque interpolatis febribus, & loco natalitio illarum.

9 Sola autem quartana exlex, penitiùs ſubiiſſe viſa, ſive extra contubernia ſtomachi, ad Splenem ſe porrexiſſe. Parem attamen ſervat ſibi progreſſum, & explicationem, ſuper Archeum loci: dum intra proprios lares, errorem digeſtionis committens, ſtatis periodis ſuos excitat furores. Eſt denique malignarum, caſtrenſium, purpurearum, &c. aliena prorſus, atque inſolita admodùm ſedes, propagatio, ac inſueta medendi anxietas. Dum ſcilicet, per inſpirata endemata locorum, paludum, mineralium, fumorum, hoſpitalium, infirmorum, putidorumque odorum, hauriuntur fœtores, &c. Qui, dum per pulmonem, in thoracem penetrant, trans diaphragma, connexam ſtomachi ſuperficiem feriunt, ac ſuæ virulentiæ

Ideam depingunt, in alimento proximè aſſi-
milando. Quod proinde degener ibidem ſe ſi-
ſtit,& Archeum loci invitat in ſuos furores: un-
de inſolitæ ſubſiliunt febrium tragœdiæ atro-
ces nempe, pertinaces, ac fallaces admodùm.
Quia ſopores, vigilias, amentiaſque & anxieta-
tes periculoſiores excitant; Juxta cujusq; vene-
ni, obnati ibidem ſtimulum, diverſimodè Ar-
chei vitalis perturbationes ſuſcitantem. Sic mo-
dò ſurrexere febres, abſque ſiti, calore & turbi-
ne, in Medentum confuſiones: quia nimirum
nihilo ſecuriores febres concitant. Quædam
enim cum tantillo frigoris primordio, citoque
finiente, necant citò, vel languidè; non minùs
tamen truculenter, quàm quæ magna ſympto-
10 matum feritate infeſtant. Patet ſaltem nunc, cur
vomitiva febrim iſtam ſtomachi, ibidemque
ſuæ manſionis ſigna edentem, nequicquam
ſublevent. Nam etſi productum febrile, vomiti-
va domare videantur: non tollunt tamen occa-
ſionale producens, in convexo, externoque ſto-
machi plantatum. Manuducamur itaque ab
ipſa febri, & ſtatim indicationes inde petitæ,
docebunt, omnes anxietates iſtas incipere, & a-
gitari circa ſtomachum. Mirum ſanè, quòd Scho-
læ nihilominus Hepar, & bilem, vel pituitam,
putrida nimirum, adhuc incuſent, poſtquam
dejectiones, arte vel naturæ impetu promotas,
nil juviſſe attenderint! Somnus etenim labo-
rem adfert in febri; non autem in ſanis: eò
quòd à ſtomacho, non autem à jecinore, ſomnus
ſurgat (quod alibi latiùs.) Vitium autem origi-
nale febris, & occaſionale, eſt permutati: Ideó-
que etiam permutantis, horumque permutati-
va actio, manifeſta ſentitur circa ſtomachum.
11 Eſtque ideo ſolemnis definitio Scholarum rui-
noſa: Quæ decernit febrim, à corde primùm
accendi, & inchoari. Quòd autem febrium oc-
caſionalis materia, ſit permutatum alimentum,
proximè aſſimilandum, fortè id pro ſtomacho
admittetur: At non æquè obvium erit con-
cipere ſcoriam, ſive ſtercus liquidum, à meſen-
terio retrogradum. At certe quanquam id in
ſanis regulariter occurrat: non tamen in febri-
bus, quibus ſingularis ideò & propria eſt quæ-
vis exorbitatio. Etenim ſic ſcoria ab utero
lotii, & calculi ſedibus migrat per abſceſſum
indirectum, ad pleuram, ad venas ſtomachi, &
vaſa Duodeni inteſtini. Cujus deviationis
nulla eſt ratio, niſi ipſa confuſionis Archei li-
centia. Denique (repetam) nec ſemper à cau-
ſa occaſionali priore, ipſa febris profluit, di-
rigiturque. Siquidem ipſe Archeus, etſi ab ex-
terno non ſolicitetur errore; tamen incontinen-
tiæ ſuæ peccato, ſubinde ſua ſponte, furores
aſſumit, propriaque luxuriat libertatis inſolen-
tia. Tumultuatur enim, ac leviculo errore,
ſuæ indignationis ideas fabricat, non ſecus,
atque ridicula ſæpè de cauſa ſuſcitatur. Quod-
que minùs mirum in Archeo univerſali, ſi
titubet, cum unicus, tam diverſis facultatum
functionibus regendis, pręſit. Etenim quia cen- 12
trum mali, circa ſtomachum, palæſtram loca-
vit, vanæ ſunt venarum depletiones, virium-
que furta. Siquidem cruor culpa caret. Quod
ſuprà ſat demonſtravi. Eſtque æquè ridiculum,
velle corroborare, per Alchermes, gemmas, &
perlas contritas, corroborare inquam velle, ubi
hoſtis intus dominatur, ipſamque vitam in
omnem diſſolutionis ataxian atque confuſio-
nem præcipitat. Hoſtis namque, qui potuit in-
tegram ſanitatem, roburque validum ſternere,
ſpernet quicquid ſe præſente ad confortandum
objicietur. Fruſtra ideò ſymptomatum ſuble-
vamen intenditur, ſi non adſit victrix medela,
quæque compeſcat vitalis Archei confuſionem.
Quæ nimirum eſſentialis, & principalis ſana-
tionum eſt effectrix. Ac dolendum eſt, corro-
borationem virium, una manu intendere, quàm
altera manus per ſolutiva & phlebotomum de-
jicit. Remedium itaque plauſibile menſuratur
ab effectu, ſi tumultum Archei ſedet, & Ideam
febrilem extinguat. Pacato namque loco fe-
brili, ſive aperto carcere, Archeus, qui antea
diruebat cuncta, quia confuſus: jam tranquil-
lus expellit hoſtem, & materiæ occaſionales,
aperto carcere repentè effluunt. Idque in diffi-
cillimo inſperatoque caſu contemplamur. Si-
quidem ablato luis venereæ contagio, tubercula
oſſea, atque dura, evaneſcunt ſponte. Alibi quo-
que abſceſſus deſperati contingunt, ſolius ſæpè
naturæ ductu. Sic inſolitæ declinationes, diſ-
ſolutiones, reſolutiones, atque receſſus etiam
ab Humoriſtis agnoſcuntur. Ideóque pronio-
res ſpero fore, circa occaſionalis febrilis ma-
teriæ ſpontaneam expulſionem: Saltem, non
eſſe petendam à ſolutivis pharmacis opem, nec
ut à virium vitalium furtivis remediis. Sedato
nimirum priùs Archei furore, formante Ideas
febriles: ſequeſtrantur facilè deinceps, quæ,
& qualia oportet. Idque facilè ferunt infirmi,
ac meliùs ſe inde habent, quatenùs à gravante
pondere, & obnata perturbationum confuſio-
ne, ſublevantur. Itaque cognitio quidditatis fe-
brilis, exterminat ſpem, quam à venæ ſectione,
ſolutivis, ſcarificatione, & cantharidibus, mo-
vent

vent Medentes, unam ſcilicet ob culpam. Ne ſuas fruſtra viſitationes feciſſe, præmiumque 13 de impoſtura petere, videantur. Cum autem ſuperatâ propemodùm febri, Archeus ſe ad tranquillitatem componit, ut per criſes, ſudores, vel hæmorrhagiam, vel etiam per hæmorrhoides, tanquam furiarum reſiduam luctam, quietem & ſanitatem ſæpè adduxerit. Id ſanè Medentes fefellit, omnemque ſpem in hirudine, & phlebotomo collocârunt, nec conſiderârunt, quòd adhibito remedio juſto, ſtatim, etiam turgentiſſimæ hæmorrhoides, citra cruoris effuſionem diſpareant, nec ſanitatis acquiſitionem, aut conſervationem impediant. Quod aliàs foret impoſſibile, ſi cruor hæmorrhoidalis, tam fœdo charactere, quali depingitur, infamis eſſet. Delectus itaque remediorum, in febribus, deſumendus eſt ab Arcanis, quorum ut inſignis eſt varietas: ita & occulta præparatio. Primaria enim ſunt, quæ placant tumultum in vitâ excitatum. Sequuntur, quæ ſuperant virus febrile. Auguſtiora autem ſunt, quæ utrumque ſimul continent. Sunt denique, quæ famulantur expulſivè, plauſibili nempe abſterſione, & reſolutione. In quo mira eſt Omnipotentis prodigalitas, quæ ſimplicia cruda pro febribus direxit, ac modicè præparata, inſtar falcis, febrim demetunt. Gauderem ſanè hæc propalare: ſed me abſterruerunt eventus, malo meo experti: etenim circa finem elapſi ſeculi, inceperam per ſtagma ſulfuris, & vitrioli mederi: dicebam etiam, quænam eſſent inſueta illa, ignotaque remedia. Primum enim, Medentes chirothecam ſuam præfatis remediis oſtendebant corroſam, ac reſolutam, ut ægros terrerent, ne ſuus ſtomachus idem toleraret. at cùm poſtmodùm, non obſtante medentum detrectationis fuco, cernerent, à me ſanatos, benè valere, à ſervis fugitivis meis, juſſerunt diſtillari quædam, quæ viderant, & didicerant. Hinc in mercatores, & Seplaſias migrârunt chymica. Nec ſanè inviderem: niſi adulterata venundarentur univerſa, quamdiu lucrum & avaritia prævalebunt. Dolendum ſanè, nil horum mortalibus propinari: quod non miſerrimè ſit adulteratum. Dicam ſaltem pro ingenuis, quòd ſpiritus ſalis tartari, ſi unicornu, argentum, hydrargyrum, lapides cancrorum, vel aliquod è ſimplicibus diſſolverit, nedum febrim: ſed & plures affatim morbos ſanet. Non enim, quòd ſperem, argentum, hydrargyrum, vel alia hujusmodi, in venas tranſitura. Sufficit mihi, quòd ille ſpiritus alcali, ab hiſce corporibus, in ſalem redactus volatilem, & coagulabilem, in officinâ ſtomachi ad normam ciborum redactus, tranſeat in Meſaraicas, ſaltem per lotium iſthac deportatus, & tranſeundo lambat, reſolvatque ſordes ibidem ſubnatas, vi exoticâ ſibi aſſumtâ. Certè hujusmodi plura, magiſque obvia, lubens communicarem, niſi abſterruiſſet calamum torpor, ignaviaque medentum, ſoli lucro inhiantium, vitamque mortalium exponentium ſub Seplaſiæ, ſuæque uxoris bonâ fide, & appetitu lucri. Quantum autem ad Quartanam, ſolitus ſum illam depellere emplaſtro, ex paucis reſolventibus & abſtergentibus compoſito. Nec unquam me fefellit, niſi quòd in obeſis tardiora ſint ejus obſequia.

IMPERTINENS.

Autor optat videre Humoriſtam, qui aërem aquæ adæquâſſet librando, ut Galeniſtarum temperiem æqualem ad pondus connectat. Quantum aëris videlicet, pro libra aquæ, ſumendum, ut in pondere adæquentur?

ALIUD.

Aër nec levis eſt, nec gravis. quia eſt ſine pondere. Ideóque nec ponderari, nec adæquari poteſt. Ergò ſummâ ac optimâ complexionum ſpe deſtituta eſt doctrina Galeni: quia mentita ſtentoria ipſi eſt libertas.

SCHOLARUM
HUMORISTARUM
PASSIVA DECEPTIO
atque
IGNORANTIA.

Quam ſi deinceps defenderint, pertinaci malitia tegent, atque eandem Deus indignatus deteget, jam imminente ætate, in Orbis Chriſtiani utilitatem, & pertinacium confuſionem.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Scripſeram inſolito calamo de febribus, dumque libellus ad me rediret, vix eundem intellexi, propter craſſa atque innumera menda. Mox abinde, utut vitioſus planè idcirco: attamen infra paucas hebdomadas deſiderari cepit. Vnde cenſui, ſi mendoſus, prelo dignus, & expetitus fuiſſet, quod alteram editionem potiori jure expeteret. Nedum, ut emendatus prodiret, qui aliorum nævos, & ignorantias ante me commiſſas, proderet, adeóque vitam mortalium quàm maximè atque intimè ponderaret, doctrina ſingulari, ad quam reſpondere tentaſſet adhuc nemo hactenus: verum peculiarius, ut inaudita illius doctrina primariò vera, quamvis inexſpectata, ſtabiliretur fortius. Itaque coactus fui, mei numiſmatis diploma ſuperaddere: quò ab Humoriſtis, Galenicæ Scholæ aſſeclis, meisque oſoribus, firmiter circumquaque tutaretur, traditamque veritatem conculcari non ſineret. Quapropter rationes addidi, quibus oſtendi vanitatem, & falſitatem commenti humorum, quibus Medentes, pernicioſo fundamento, mundum univerſum circumvenêre, cæmeteria ſaginârunt, familias deſtruxerunt, viduas atque orphanos multis myriadibus fecerunt: adeóque ſe, in culinarum & comœdiarum facetias introduxerunt. Paracelſus quidem exorſus eſt humorum fallacias explodere, habetque hodie ubivis ferè ſuos ſequaces, inter doctiſsimos viros: attamen hunc nodum nunquam quis ante me (quod ſciam) ex profeſſo explicare attentavit. Itaque ſi quis antehac minatus fuerit, in librum meum de febribus calamum ſtringere, eò quòd iniquè ferret, me duo præſidia medendi univerſalia, nedum evertiſſe: ſed potiſſimum demonſtraſſe, nullum laxativorum, electivè hunc præ illo, humorem ſubduxiſſe unquam hactenus, imò quod eſſent ſingula & cuncta purgativa, merum virus hoſtile vitæ: fortaſſis jam ſuum deponet calamum, dum potentiùs, confirmatum idem dogma cernet. Quod ſcilicet impoſſibilis ſit in natura utriuſque bilis, & pituitæ exſiſtentia, nugaces inde complexiones, & morbos oriri edoctos, creditosque, falſis inniti principiis. Et per conſequens, medendi methodum, juxta humorum ametrias inſtitutam, eſſe fallacem, mera ſomnia, aniles fabulas, & nugaces nænias. Debui namque rotundè, ſincerè, ac candidè agere, quoties de Deo, veritate, vita, bonoque publico mortalium, ſcribendum decrevi. Teſtem in hoc, ut & judicem, imploro, qui Via, Veritas, ac ipſiſſima eſt Vita mortalium. Hanc itaque veri indaginem, & aſſecutum bravium, ſua ſub tutela, & irroratione, lubens expoſui. Valete mortales conſocii. Fauſta vobis imprecor omnia. Quia vera edoceo.

SCHO-

10055180

SCHOLARUM
HUMORISTARUM
PASSIVA DECEPTIO
atque
IGNORANTIA.

Quatuor humores Galeniſtarum, eſſe fictitios.

CAPUT I.

1. *Reſpondetur obviando iis, qui contra librum de febribus ſcripturire volent.* 2. *Supponitur dogma Scholarum.* 3. *Falſum eſſe, quicquid de elementis, gradibus, miſtionibus, diſſidiis, & morbis edoctum hactenus.* 4. *Nuſpiam eſſe calorem, niſi ex lumine, motu, vita, & Blas alterante.* 5. *Humiditatum atque ſiccitatum determinationes.* 6. *Relatio morbi ad ſanitatem, qualis.* 7. *Remedia morborum, unde.* 8. *Paracelſi inconſtantia, prout & Galeni.* 9. *A privatione non dari regreſſum, juxta Scholas: qua tamen ubique in hanc regulam impingunt.* 10. *Deficiunt in probando quaternionem humorum.* 11. *Franguntur dua columna humorum.* 12. *Multa in ſimplicibus, duas tantum habent alteritates.* 13. *Miſer logiſmus à ſimilitudine pro humorum numero.* 14. *In lumine ceſpitant Schola.* 15. *Larva detegitur argumenti ſophiſtici.* 16. *Similitudini ex lacte, opponitur ſimilitudo ab herbis.* 17. *Pariter lotium pro quinto humore poni deberet.* 18. *Scholarum anxietas.* 19. *Dilemma contra humores.* 20. *A theſi ſuppoſita, argumentum.* 21. *A ſufficienti enumeratione officinarum.* 22. *Ab impoſſibili.* 23. *Ab abſurdo.* 24. Rationes 16 *numero.* 25. *Contra theſin de pituita.* 26. *Ab implicita blaſphemia.* 27. *Ab officina.* 28. *Ab impertinentia ſuppoſita theſis.* 29. *A convenienti.* 30. *A podagra & torminibus.* 31. *Ab eryſipelate.* 32. *A cauſticis.* 33. *A verbo Euangelico.* 34. *A defectu Separatoris.* 35. *A nutritione ſimilarium.* 36. *Ab impertinenti.* 37. *Deformitas argumenti Scholarum formati.* 38. *A Simili.* 39. *A natura elementali.* 40. *A ſimplicitate ſui finis.* 41. *Negatio theſis.* 42. *Ab axiomate Philoſophico.* 43. *A guſtu, & proprietatibus.* 44. *Quis inventor humorum.* 45. *Quid fundorum diverſitas arguat.* 46. *A cruore Æthiopis.* 47. *Vnde cruor rubeat magis in ſuperficie.* 48. *A ſimili.* 49. *Vnde colorum mutatio in rebus.* 50. *A ſpecie facti, in pluribus.* 51. *Ludicra hamorrhoſcopia Scholarum.* 52. *Impoſtura miſera.* 53. *Omiſſio Scholarum ridicula.* 54. *Iudicium Medentum contra ſe pugnat.* 55. *Subterfugia invitis buccis elabentia.* 56. *Immanis libellus de natura humana.* 57. *Ab effectibus, & timore.* 58. *A confeſſione Medentum.* 59. *Stercorarii non diſtingunt homines, niſi per ſtercora.* 60. *Argumentum Scholarum ridiculum.* 61. *Contra. Ab Axiomate Phyſices.* 62. *Dilemma.* 63. *Galenus ridiculus, circa cauſam varietatis humorum.* 64. *Anxietates Galeni.* 65. *Refutationes per initia Phyſica.* 66. *Paracelſi error.* 67. *Schola cruorem neſciunt.* 68. *Argumentum contra Theſin.* 69. *Falſum ac ridiculum Scholarum ſuppoſitum de Splenis ſuccenturiatu.* 70. *Abſurda.* 71. *Mechanica demonſtratio.* 72. *Contra Theſin de atra bile.* 73. *Multa abſurda ſequuntur.* 74. *Miſerrimè probant Schola Theſin ſuam pro atra bile.* 75. *Defectus aliquot conſequentes.* 76. *Dilemma.* 77. *Paracelſi idiotiſmus.* 78. *Acidum non fermentat terram.* 79. *Ab impertinenti.* 80. *Dilemma.* 81. *Ab impoſſibili.* 82. *Suppoſitum ridiculum Scholarum, ejuſque quatuor abſurda.* 83. *Aliquot abſurda, comitantia opinionem de melle Galeni.* 84. *Ab implicantibus.* 85. *Ex ſuppoſitione falſi de elementis per Dilemma.* 86. *A numero elementorum vero.* 87. *Objectio brutalis.* 88. *Si non eundum per humores; quomodo ergò ſanandum?* 89. *Laus ſalis tartari volatilis.*

1 INauditam de febribus doctrinam emiſi, ut audirem, quid me docerent feliciora ingenia. Erant namque, qui ſe promiſerant arbitros, quos tamen ſilere tantiſper conjicio, donec tractatum de humoribus, quem promiſeram, me ex magno opere meo excerpturum edidiſſem. Siquidem non poterant ignorare: Si humores (præter cruorem) ſolitos in Scholis, in natura nunquam fuiſſe, aut futuros, ſat ſuperque demonſtrarem: quod nullam quoque mecum litem de febribus ſint habituri. Idque jam me ingenuè facturum ſpondeo: non quidem quatenus Paradoxi nomine glorioſus ſim: ſed omnino, ex commiſeratione erga Tyrones malè inſtructos, & æ-

gros, malè ſub humorum commento tractatos.
2 Itaque rei ſpeciem primò conſtituam.Enimverò
abſorpto in Meſenterii venas chylo, aſſerunt
eundem deportari ad portam hepatis, venam
nimirum caudicem, ex ramulis, per meſenterium
in Inteſtina diſtributis, ſurgentem: Atque
ſub tranſitum, per exiles venarum tumulos, in
hepar extentos, chylum illum vi hepatis, converti
in cruorem, ſimulque in pituitam, ac duplicem
bilem. Hancque deinceps ſeparari partim
in Lienem, partimque in fellis folliculum.
Vt ſcilicet utriusque bilis ſupervacaneæ, ſint
ſui cuſtodes: Naturales verò biles duas, tanquam
ſanguinis partes integrales,ac conſtitutivas,
commiſceri ſimul ſanguini, ad nutriendarum
partium neceſſitates. In quorum humorum
quaternarii ſymmetria, uti ſanitatem conſiſtere:
Ita viceverſa, in ametria morbos omnes
hoſpitari. Ametriam autem,tam ex repugnantium
elementorum quatuor, perpetua lucta,
atque hoſtili indefeſſaque contrarietate,
quàm ex aſſumtorum intemperie ſpontanea, &
3 concita pugna innata, provenire. Equidem jam
cauſam antecedentem tanti figmenti, ſat ſubmovi
in Phyſicis initiis, & ortu Medendi. Vbi
nimirum demonſtravi ſufficienter, non eſſe
quatuor elementa in natura, & per conſequens.
Si tantum ſint tria, non poſſe congredi quatuor.
Diſruptum itaque quaternionem, non
poſſe quatuor elementales impares cauſare
congreſſus, temperies, miſtiones, contrarietates,
odia, lites, &c. Docui nempe ſat clarè,
fructus, quos Vetuſtas credidit corpora miſta,
conflataque ex congreſſu quatuor elementorum:
4 materialiter ex unico elemento eſſe. Denique
etiam illa tria elementa naturaliter frigere,
nec uſquam in rebus eſſe calorem nativum,
niſi ex lumine, vita, motu, & Blas alterante.
Adeóque calorem in elementis eſſe merum
5 Relolleum. Item actualem quoque humiditatem
omnem eſſe Aquæ: virtualem verò,ex
ſeminum proprietate. Siccitatem ſimiliter, eſſe
per ſe in aëre, & terra: In fructibus verò, ratione
ſeminum,& coagulationum. Falſam ergò
hactenus doctrinam, celebratam de elementis,
miſtionibus, qualitatibus, temperamentis, diſſidiis,
gradibus in ordine ad morbos, horumque
6 ſanationes. Demonſtravi quoque ex profeſſo,
7 in natura non eſſe contraria. Sanitatem
opponi morbo, relatione integri ad defectuoſum.
Remedia ſcilicet morbum tollere, non vi
contrarietatis, ut neque propter nudam ſimilitudinem:
ſed propter merum Bonitatis donum
reſtaurans naturam adjuvando,quæ alioqui ſuiipſius
eſt medicatrix. Hæc ſanè ſat erant, poterantque
humores è medio tollere, niſi conſuetudo
oppoſita mentem velut ligaſſet,ne ad Veritatis
cognitionem properaret. Eſt namque
perdifficile diſſueſcere, qui jamdudum iſtis humoribus,
compendioſè omnem morbi catalogum
inſpexiſſe,ſibi confidunt. Quapropter diſcendi 3
cupidis, lubens manum porrigam. Paracelſus
enim, primus, humores ita riſit, Helvetico
more, ut Galenicos ſimul & Arabes Medicos,
Humoriſtarum cognomine deluſerit:
Attamen ipſe ſæpè inconſtans, ad humores labitur,&
complexiones, nondum ſat in ſuis theſibus
fundatus.Interim Scholę Galenicæ ſubinde
quatuor elementorum datas qualitates, ut
ſolitarias intemperies, voluerunt oppugnandas:
& plerumque iterum, cum parium humorum
abundantia, finxerunt proſcribendas
intemperies. Cúmque leporem ſe auribus tenuiſſe
gloriatæ,facilitate commenti deluſæ,primò
in ludibrium venere: quod medendi facultatem
deturparint abſurditatibus. Immemores 9
ſuæ inprimis diſciplinæ, quod à formæ privatione
non detur immediatus regreſſus ad habitum.
Attamen ex quatuor humoribus carnem
conſtitui, hancque rurſus in eoſdem quatuor
reſolvi, præcipiti ſuaſu aſſeruerunt. Decernunt
nempe, è cibis fabricari chylum,homogeneum
quidem in ſtomacho: qui tamen ſeparatis alvi
excrementis, ſemper quatuor humores, præter
urinam, unica ſanguificationis actione: nunquam
verò unicus, duo, tres, quinque, aut plures
fierent. Idque ſic ſtatuerunt, per elementorum
quaternarium creduliter abductæ. Vnde
conſequens ſaltem, hanc quadrifariam repartitionem
unius chyli, non quidem è diverſis ciborum
varietatibus derivare: ſed prorſus eſſentialiter
dependere, ex ipſa ſanguificationis entelechia
propria. Quod non caret ſua abſurditate.
Quod ſcilicet unius actus naturalis eſſet
quadruplex ſcopus, eſſentialiter differens. Sed 10
exploſo jam alibi elementorum quaternione,ejuſdem
congreſſu, iſta humorum quadruplicitas
ſuppoſita ac ſubſcripta quidem fuit, at nondum
hactenus probata. Etenim pro tantarum,
tamque pernicioſarum fabularum apparatu,
duobus turgidis argumentis abreptæ ſunt
Scholæ: quæ ſi paululum preſſeris, fœtidum
halitum: non autem veritatis ſuccum effundent.
Quorum prius, ex quatuor eſt elementis 11
petitum: ut invitum ſanguinem ſub numerum
quaternarium cogant, ad obedientiam trium

elementorum , tantum exſiſtentium : licet ex
unico duntaxat illorum, ipſe ſanguis materiali-
12 ter fiat. Quaſi ſingula, quæ ex elementorum
connubio oriri credunt, quatuor heterogeneas
partes,neceſſariò proinde habere deberent,ele-
mentis ſuis totidem conformes. (Certè alibi o-
mnifariam oſtendi,quædam corpora nil habere
alteritatis, ne quidem in ſale,ſulfure, & mercu-
rio : alia autem tantùm duas tandem proferre
heterogeneitates) nec enim potior ratio,cur ſi-
lex in unicum, & ſimilarem ſaltem ſalem redu-
catur : quàm cruor neceſſariò ſeparetur in qua-
tuor humores. Hinc namque manifeſtum fit,
quòd ratio ficti quaternarii elementorum ſit à
priori, reſpectu quaternarii humorum in cruo-
13 re,& nuſquam alibi. Alterum autem, & potiſſi-
mum Scholarum argumentum, pro humorum
quaternario, non eſt aliquis formalis logiſmus:
ſed nuda ac miſera inductio, à ſimili ſtabilita.
Ajunt nempe.In lacte reperitur ſerum,caſeus,&
butyrum. Id eſt, tria diſtincta. Ergò in cruore
neceſſariò ſemper & conſtitutivè erunt qua-
tuor,eò quòd in aliquorum cruore notént qua-
tuor diverſa: quæ ſcilicet anima, appetituum
pediſſequa,multo labore,& figmenti adjumen-
tis, diremſit in quatuor diverſitates. Sæpè nam-
que aquam ſupernatantem notant, quia flava &
ſubpallida eſt, eam ideò bilem flavam, ſive fel,
nominant (licet non amaricet, careatque eſſen-
tiali fellis proprietate.)Sedimen verò circa fun-
dum, ponderoſius, ac nigrius quandoque, vo-
cant bilem atram : medio autem interſtitio, ru-
brum notant ſanguinem, in quo, dum fibras al-
bidas animadvertunt, coagulationis gelatinæ
matres, eas pituitam dixere. Inciſa enim vena
poplitis puellarum, in tepida, telis araneæ ſimi-
les apparent ejuſmodi fibræ, quas pituitam di-
14 xere. At primum annotare debuiſſent, inappo-
ſitam lactis & cruoris ſimilitudinem, nil doce-
re,aut urgere. Eò quòd aqua ſupernatans cruo-
ri, non ſit pinguedo coloſtri, ſupernatans lacti:
quare vel diſpar eſt agens, vel materia, vel u-
trumque. Ac proinde in tanta amborum diffor-
mitate, non ritè fundari humorum neceſſita-
15 tem, in cruore. Incuriæ enim Scholæ non ad-
vertunt,in cruore naſci partium heterogeneita-
tem, poſtquam ſe diſpoſuerit, ad mox adfutu-
ram corruptionem. Idcircò heterogeneitas iſta
accuſat quidem contentorum factam in morte
diſparitatem: at nullatenus proinde vividorum
humorum neceſſariam connexionem. Quid
namque dicent de illo cruore, qui omni caret
prorſus ſero? vel qui per totum uniformiter
coagulatus rubet? Quod frequens eſt, à multis
ſudoribus, & potus abſtinentia. Ergóne ſerum
ſupernatans, urina, & ſudor, relicta in cruore,
erunt ſynonyma cum bile & felle?& unum quid
cum ipſà ſanguinis eſſentia?Ego quidem in her- 16
bis unicum ſaltem ſuccum clarificatum vidi
hactenus: ut pariter unicum cruorem noſtri
conſtitutivum agnoſco. Sanguificationem vi-
delicet ſimplicem, & unicam unius hepatis a-
ctionem, univocumque, ex indiſtincto cremo-
re,unicoq;ſtomachi fermento,factum chymum
profiteor. Quam ſanguificationem ſcio meram
transmûtationem alimentorum formalem, ne-
quaquam autem ſolam duntaxat heterogeneo-
rum appoſitionem, Neque enim etſi pars chyli 17
vertatur in lotium,proinde culpanda eſt diffor-
mitas agentis hepatis: ſed recipientis ſola inca-
pacitas. Neq; enim ideo lotium, pro quinto hu-
more, amplecti ſunt auſæ. Nam etſi pars lotii
materialiter remaneat in cruore; non eſt tamen
de natura cruoris prout ſerum in lacte: alioquin
eſt eſſentialis pars lactis. Aquam ergò ſuprana- 18
tantem (quam ſudorem, ſerum, & urinæ reſi-
duum fatentur, adeò totam credunt excremen-
toſam)turpiter æquiparant nunc butyroſæ par-
ti, lactiq; ſupernatanti, elemento ignis adæqua-
tæ: atque aliàs, ſero lactis. Et longè turpius,
utrumque harum, indiſtinctè aſſimilant felli.
Fient ergò ſub uno ſanguificationis actu, ea- 19
demq;officina,quatuor pariter humores,è quo-
libet cibo, quia ab hepatis deſtinatione imme-
diatè principaliter,ſimpliciter,atque ſemper in-
tenti: vel fiunt locis & momentis imparibus.
Non equidem imparibus: quia ſic non eſſent u-
nius,& ejuſdem cruoris partes conſtitutivæ.Sin
autem paribus:cur,dum lotium & bilis fiunt ſi-
mul,unum non miſcetur individuè alteri: cum
alioqui in natura, aqua miſceatur aquæ inſepa-
rabiliter: prout & fel urinæ. Cur deniq; lotium
nunquam amaricat,ſi ſemper ipſi fel ſit commi-
ſtum, à quo tingitur, ut ajunt? Cum diſruptio
fellis in piſce, nulla, utcumq; exquiſitior elotio,
amaritudinem iſtam tollat? Vnicaque fellis gut- 20
tula, totam urinæ ſitulam,amarore alioqui pol-
lueret? Quis denique ille tam exquiſitus Sepa-
rator,qui potuit aquoſam bilem à lotio ſeparare;
non potuit autem lotium omne à cruore mate-
rialiter ſegregare? Quare demum bilis iſta, ſive
fel cruoris,non ad renes, unà cùm lotio rapitur
(quod probat amaroris totalis abſentia) ſi ſupra
hepar credatur bilis cruori permiſta? Conſide- 21
remus ergò,quomodò à Iecore bilis facta in he-
pate,deveniet ad folliculum fellis. Vbinã fit ſan-

guificatio? An circa portam, & cavum hepatis?
An verò in ipſomet corpore Iecinoris? An de-
mum in ipſa vena cava ſupra hepar? Atqui quo-
cumque horum locorum fiat iſta bilis: ſaltem
non eſt inde vena regreſſus, pro bile, ad fellis
veſiculam. Deberet enim à Iecore, motu retro-
grado, incertisque ductibus, pergere ad fel. Cur
ſaltem bilis iſta utraque, permanens in cruoris
maſſa, ſua habet excrementa, & ſeparata diver-
ſoria? Pituita verò, & cruor, excrementis ca-
23 rent? Si enim infra hepar, utraque fit; quis ergò
Separator, illam ſeparat? & quorſum? cum ibi-
dem ſimul generata, perfectè miſceantur lotio.
Sin autem in celerrimo tranſitu, per exiguos ve-
narum, exilesq; ramulos, in hepar diſtentos, fel
ſimul cum ſanguificationis actu fiat, ſimulque
bilis atra; meminerint quæſo Tyrones, exilitatis
ramulorum, ſive venularum, quæ vix urinæ
transmittendæ ſatis ſit, adeóque requirerent
momentaneam urinæ, cruoris, triumque reli-
quorum humorum, transmutationem, à cre-
24 more factam. Hoc alibi ex profeſſo, de ſextu-
plici digeſtione, toto tractatu explanavi. Et pa-
ragrapho 16. ſingulariter. Quòd è cibis non fiat
bilis, ac 17. quòd fel ſit viſcus in forma liquoris,
atque neceſſarius balſamus vitæ: nullatenus au-
tem excrementum. 25. Explicatur curioſa opi-
nio Scholarum, de uſu fellis. 26. Quod natura
plus pro felle, quàm pro phlegmate fuiſſet ſoli-
cita. 27. Quod ſeparatio urinæ, & ſeroſitatis
cruoris, tota eſſentia differat à ſeroſitatis ſepa-
ratione è lacte. 30. Quantum fel importet, ſu-
per omnem excrementi indolem. 31. Quare a-
ves lotio & rene carere potuerint, non autem
felle. 35. Quod excrementa renum, & alvi, co-
lorem fellis quidem habeant; non autem felle
proinde tingantur, multóque minus bile. 36.
Quomodò ſtercus excludat fellis commiſtio-
nem. 37. Fellea videantur, quæ neutiquam fellea
ſint, ideóq; perperam à Scholis hęc fuiſſe præ-
terita. Item liquorem porraceum non eſſe fellis,
probat galli hiſtoria, & aliquot experimenta
ſubſequentia cap. de Pyloro §. 24. Quæ ne cum
tædio hic repetam, inquiret curioſus lector, ci-
tatisque locis reperiet. Etenim ſi Iecur utramq;
bilem, & pituitam, unà cum cruore generet, cur
magnam illarum partem pro excremento de-
ſpicit & deponit? reliquam verò in cruore re-
ſervet? cum alioqui ſimplicis & homogenei
cruoris, vel nulla deberet eſſe partium ſingula-
rum dualitas, vel non minùs pituitæ & cruo-
ris, quàm utriusque bilis, eadem eſſet neceſſaria
dualitas. Nec ratio alioqui patitur, quod idem
ſingularis ciborum cremor, quotidiè, atq; ſem-
per æqualiterque in ſex partes ſecetur: cruorem
nempe, utramque bilem in ſanguine retentam,
& utramque iterum excrementitiam & ſua in
hoſpitia recluſam, ac tandem pituitam. Præſer-
tim ubi fel, tota proprietate, differt à liquore,
ſanguini extravenato ſupernatante. Quibus ſex
humoribus, ſi lotium addideris: jam ordinario
conſtituentur ex unico cremore ſeptem hu-
mores, peritq; ſuppoſitum, quaternarii elemen-
talis commentum, figmentique neceſſitas. Itaq; 25
ſi unico actu unius hepatis, hæc ſimul directo
ordinarioque deſtinationis curſu fiant, cur ex
homogeneo cremoris liquore generat illa tan-
quam neceſſaria, quibus ad eſſe, ut neque ad
bene eſſe, nullatenus opus eſt? Sint autem ſint
alendo, cur potiùs bilem utramque ſequeſtrat in
ſuas thecas, & primaria conſtitutionis domici-
lia, quàm pituitam? quam videlicet non erube-
ſcunt fateri liquorem defectuoſum, frigidum,
adeóque mortis, erroris, & indigentiæ vitalis
participem? Atqui volunt pituitam in venis re-
condi, ac recoqui in cruorem. Ergò nondum
eſt hoc aliquid, crudum, indigeſtum, & inco-
ctum adhuc, nondum humor verus, ſingularis,
nondumque conſtitutivus cruoris: cum ſit ad-
huc deficiens, non ſecus atque omphacium, vi-
num dici nequit. Etenim ſi aquę pituita reſpon-
deat, prout & cruorem aëri aſſimilant: tam per-
fectus in ſe unus eſſe deberet, quàm alter, tamq;
neceſſarius æqualiter, ſi ſint elementales humo-
res quatuor, ad compoſitionem & viciſſitudi-
nem noſtri, æquè neceſſarii. Ludicrum ſanè id
continet, quod humor, à ſui deſtinatione defi-
ciens, in alium ordinariò mutaretur. Quaſi aquæ
non eſſet ſua perfectio, deſtinatio, ordo, & con-
ſtitutio: ſed in aërem naturaliter à ſcopo Crea-
tori propoſito ferretur. Atqui alibi, in noſtris
Phyſicis oſtendi, arte aut naturâ, nunquam a-
quam in aërem, nec viciſſim hunc in aquam,
mutari poſſe. Si ergò pituita aquam referat, quia
continet & cruor aërem. Nunquam poterit ſub-
ſiſtere pituitæ ullius in cruorem adoptio. Ac
per conſequens, fictum eſt quidquid de humo-
rum atque elementorum unione, ſimilitudine,
commiſtione, complexione, atque neceſſitate
eſt edoctum hactenus. Imò ſi nondum pituita
ſit matura, temporisque celeritate præcoci, ſit
tantum in via ad cruorem: ideóque in venis
relicta, miſtaque cruori, ut perficiatur, ac
tandem alat: Iam non ſolùm hepar erit cruo-
ris officina; ſed canalis quilibet venarum, vi-
ſceris naturam: quia proprietates atque officio
conti-

continet, hepati præferetur in ſanguificando, & cruoris perfectione. Imò nec pituita eſſentialiter eſſet ſeparatus humor à cruore: non aliàs, quàm uva acerba non differt eſſentialiter
26 à matura. Eodem ergo titulo totus Chylus ſtomachi, erit pituita. Denique, cum pituita ſit ſenio, defectui, & imperfectioni tributa, morti quoque idcirco propinquior quàm bilis, hinc etiam naturæ magis inimica: viſus eſſet rerum Opifex ſeverior, qui ejuſmodi hoſtem, per omnes venas, cruori adæquatè permiſtum reliquiſſet, nec illi receptaculum dicaſſet. Is inquam qui mortem non fecit, defectus neceſſitates ab origine copulaſſet naturæ humanæ.

27 Denique cum eo dato, proprium jecoris munus non eſſet ſanguificatio; perfectius & plus poterit jecur operari eminus, in venæ cavæ anfractibus, quàm cominus in propria domo: niſi malint Scholæ, ſanguificationem independenter venis tribuere. Finaliter, ſi pituita non niſi ſola differat maturitate, à cruore non eſt eſſentialiter diſtinctus humor: ac per conſequens, quaternarius humorum in ternarium
28 migrat. Deinde, teſte Galeno, fit in dies duplo plus pituitæ (quod probat per tertianam febrim) quàm bilis. Quantum ergò pituitæ, non fiet in ſanis, ac perfectè digerentibus? Quantumque pituitæ quotidie non generabitur in frigidioribus, ſi humores fiant juxta complexionum diſpoſitiones? Imò exin ſequitur: ſemper neceſſariò, ac naturaliter, omnem digeſtionem eſſe defectuoſam, & vitioſam. Quia nunquam finem, atque naturæ propoſitum aſſequetur natura: ſi naturaliter pituita, ut quartus humor cruoris, generetur. In temperatis alioqui deficere deberent pituita, cum
29 utraque bile. Cur quæſo, cruor abundans vertitur in axungiam, cum longè facilius (ut ajunt de cholagogis) in bilem mutetur, & minori pondere naturam aggravet, quàm bilis, quæ tam obedienter paret vocanti ſolutivo? Cur enim ſobriè vivens, in temperata (quam vocant) complexione, quotidie utramque bilem, in ſua reponet receptacula? An non inde potiùs liquet, fel & lienem nutriri alio, vitalique liquore, quàm qui è ſanguine proſcriptus, excrementi conditiones acquiſivit? Sed agedum,
30 quis ille humor in Podagra, tam immani dolore moleſtus? Ego quidem alibi ex inſtituto, probavi eſſe acidum, quare & juxta Scholarum inſtituta frigere, ideóque longè à bile, & igne diverſum: attamen in Podagra, quam vocant calidam (quò nempe eſt acidior, eò quoque atrocior) conqueruntur acutiſſimi doloris, & caloris. Ergò vel bilis erit acida, nec ampliùs amara: vel quinti humoris oblitæ ſunt Scholæ.
31 Idem eſto, ac par judicium, in Colica, & torminibus. In Eryſipelate quoque acidus eſt humor: quippe qui ſaponariis miteſcit remediis.
32 Itaque non eſt bilis, amarumve fel. Dein, in cauſticis, eſcharoticiſque (puta in pruno, Igne perſico, &c.) eſt ſal cauſticus, de ſorte alcalium: non autem amarus. Prout nec in Cancro, Lupo, Phagedænicis cunctis, ac ſummè dolentibus. Sal enim qui rodit, nullatenus amarus eſt. Quapropter effectus, maximè ignei in nobis, rident fruſtraneum bilis commentum. Cùm præſertim, qui ignis naturam imitantur, minimè ſint humoris bilioſi clientes. Itaque ſi è fructi-
33 bus arbor, ex operibus autem, atque proprietatibus, res quæque æſtimanda ſit, monente Verbo Veritatis; non video, quo uſu, fine, neceſſitate, aut temeritate finxerint bilem flavam, igneam. Non enim neceſſe fuit fabulæ inſtar, tres fingere humores quotidianos, ac domeſticos noſtri conſtitutivos, id eſt, ſine quibus non vivatur. Qui nunquam in rei natura fuerunt, aut ullam ſui neceſſitatem ſuggerunt. At quod-
34 nam aut quale viſcus ſeparabit utramque bilem ſuperfluam, ab electo venarum cruore? Renes quidem ſeparant lotium pro veſica. An ergò deerit utrique bili ſuus ſeparator? Vel ſponte, excrementoſa bilis, vadet ad cloacas ſuas? Etenim non eſt lotii tanta neceſſitas tam in eſſe, quàm in ſeparatore, quanta utriusque bilis: ſi bilis utraque ſit neceſſaria ad eſſe ſimpliciter. Siquidem aves commodè carere potuerunt lotio. Cur ergò natura fuit minus ſolicita, ut viſcus faceret expurgandæ bili, quàm fuit ejiciendo lotio? Ergone cyſtis fellis, & Lien attrahent fortè utramque bilem ad ſe, abſque ſeparatoris ſubſidio? Imo cum ſanguificatio ſit actio ſimplex, univoca, & ſcopi naturalis, non potuit ſanè unicum hepar, producere ſimul, ex homogeneo liquore, quatuor humores, toto elemento invicem diverſos, ac ſeparare procul à ſe invicem, duos tantùm, velut nocuos. Alioqui, ſi hepar ſat foret, ſeparandis ſuis liquoribus, potiori jure ſegregaſſet lotium, feciſſetque neceſſitatem rerum prorſus fruſtraneam. Denique, ſi non omnem è cruore bilem ſequeſtret, ne quidem in temperatiſſimo robore, peccabit neceſſariò ſemper natura, vel in abundantia utriuſque bilis, in exceſſu caloris pro formanda bile, & frigoris ſimul pro pituita: itemque peccabit continuò, in ſeparando. Adeóq; cum exceſſum neceſ-

necesſarium, in juſto (ut vocant) temperamento,
accuſet utraque bilis : non potuit hæc unquam
35 fieri apta nutritioni. Cum adhuc quotidie
36 nutriamur iiſdem,quibus conſtamus. Semine
videlicet temperato, vividóque, bilem
utramque reſpuente. Eritque par ratio bili utrique,
quæ eſt pituitæ. Vt ſi hæc perficiatur in
cruorem intra venas:bilis non minus fiet cruor
in arteriis. Nam ſi extra officinam naturalem,
propriam, & requiſitam, pituita in cruorem
mutetur: multò magis bilis flava apta erit,ut in
corde degeneret in ſanguinem flaviorem arteriæ,
atque in ſpiritum vitæ, eritque cor officina
37 reſtaurativa excrementi fellei. Sed vah
quàm miſerum eſt argumentum! dum ſanguis
extravenatus ſe diſponit ad corruptionem,cernuntur
quandoque duo, tres, vel plures liquores:
ergò totidem ſunt noſtri conſtitutivi.
38 Sanguinis enim totus mutatur in lac, & tum
poſt ſui corruptionem ſubordinatas tantùm
habet tres partes, ſerum videlicet, caſeum, &
butyrum: nec unquam plures. Quandoque enim
totus in ubere coagulatur in durum tumorem,
caſei forma: ſubinde totus in pus album,
flavum, ſubviride, &c. quandoque in liquorem
pungentem, rodentem, aquoſum migrat:
ut in Cholera, ulceribus,&c. aliàs quoque
in ſeroſum liquorem ſalſum,totus recedit,ut in
Hydrope, multisque Hydragogis. Non rarò
quoque picis inſtar, totus nigreſcit,ut in cruore
extravenato,gangræna,&c.frequenter autem
in cinereum atque putidum lutum, ut in Diarrhœis.
Alibi quoque totus in flavum virus,Icterum
præfert, qualiter & demorſis à ſerpente
oſtentatur. Alibi quoque totus cruor, citra ſeparationem
heterogenei, mutatur in Melicerides,
atheromata, &c. Atque in Diabete, totus
cruor mutatur in lotium lacteum. Prout ſub
tabe, totus migrat in ſputum ſubflavum. Fortène
ergò,in cruore totidem conſtituendi ſunt
humores,quot cernuntur ejus degenerationes?
Totque erunt liquores in aqua pluvia, quot
39 ſunt creſcentia è terra? Eſt namque cruor, nobis
aquæ inſtar: nec opus habuit diverſis ſeminibus
in hepate, ut ſit unicus æqualis humor
nutrititius.Sed in culinis ultimis,ſuas aſſequitur
requiſitas diverſitates, quibus fungitur nutritionis
40 officio. Adeóque fruſtra in ſui initio, variis
polleret ſeminibus, ac heterogeneitatibus,
qui totus homogenealiter tandem debet in unicum
glutinoſum,album, ac transparens ſperma
nutritivum,pro partium ſimilarium ſuſtentaculo,
reduci,vel manere ruber pro carne muſculorum,
ac viſcerum parenchymate. Quocirca 41
conſtanter nego, cruorem, quamdiu vivit,
aut in venis (etiam à morte hominis) detinetur,
coagulari: ac per conſequens, habere partes
integrales diſparatas,ulla ſui heterogeneitate;
ſed diverſitatem omnem in cruore, fieri per
ejuſdem duntaxat interitum. Ergò, humorum
diverſitas, eſt filia tantùm mortis, non autem
vitæ. Nec refert, quod ſubinde in corpore occurrant 42
excrementa,vultum cruoris mẽtientia,
unde ſcilicet per degenerationem facta ſunt.
Non enim urina, vinum eſt amplius; prout nec
pus, aut muccus, aut ſputa, ſunt adhuc partes
cruoris. Quia excrementa non ſunt ampliùs,
quod erant ante ſui corruptionem. Eò quòd
res quæque eſſentiam, & nomen aſſumat à termino
transmutationis. Quid enim arguit, ſi
cruor per phlebotomum, aquam, vel alios fundos,
ſub ſui corruptione ſegreget, ſi ejusmodi
aqua proinde nec fel ſit, nec bilis, nec amara,
careatque proprietatibus fellis? Quæve eſt iſta
credulitas? Supernatat aqua cruori mortuo:
ergò eſt bilis fellea, quæ ſub falſo guſtu, amarorem
fellis mentitur? Non eſt enim iſta ſupernatans 43
aqua, pars integralis cruoris, nec de ejus
eſſentia, aut contentis,magisve cognata cruori,
quàm currus reſpectu hominis inſidentis. Dolendum
eſt itaque, tot ſeculis, neminem unquam
deguſtaſſe iſtam aquam: ſed avorum nugis
ſua inſcripſiſſe nomina omnes: ſpecie inquam
medendi, deſtructiones ægrorum, ſub
falſis principiis tradidiſſe Scholas. Siquidem 44
humores ſunt exitiales ignorantiæ, ignaviæ,
turpitudinesque, à mendaciorum patre introductæ,
& à ſequentiũ laxa credulitate celebratæ.
Non enim etſi fundus cruoris ſubinde minùs
rubeat,erit proinde atra bilis:prout nec ſedimẽtum
lotii, eſt pituita. Sed dum vita cruoris receſſit,
non mirum ſingula, quæ in vitæ unitate
cuſtodiebantur, repetant conditiones materiales,
quibus obligantur. Fundorum enim varietas, 45
à ponderum præeminentia in liquidis pendet.
Latitudinem quippe in pondere habent,
quæ poſt mortem heterogenea evadunt,& ſenſim
in ataxiam confuſionis properant. An enim
ſani judicii vir, credat vinum, cereviſiam, herbarumque
ſuccos, ſuam melancholiam ad fundum
cum ſedimine deponere? Quid enim
commune habet melancholia, cum heterogenea
ſediminis ſubſtantia? Quoad colorem verò,
Omnis Æthiops cruorem habet fere atrum, 46
plerumque autem abſque ſero. Nullus tamen
illorum melancholicus. Omnes verò iracundi.

Cruor

47 Cruor enim, qui ab ambiente refrigeratur in
pelvi ſtatim, rubeſcit magis illo,qui ad fundum
demerſus diutius tepuit. Nam & hoc ordinarium,
Quod extravenatus cruor quilibet,ſtatim
in corpore nigreſcat. Quæcunque enim facile
putrent, facile etiam admittunt putredinis comites,
citiuſque putreſcit pars cruoris,quæ diutius
poſt ſui mortem tepuit.Nec mirum itaque,
quod pars fundi inferioris intenſius nigreſcat.
Quod autem ater cruor non ſit ſeparatio ponderis
in cruore, multóque minus atra bilis: novem
circiter uncias cruoris recentis, & adhuc
liquidi,in duas ſeparavi ſcutellas:quarum unam
in aqua frigida natandum expoſui: alteram verò,
priori æqualem tepore lento diutius detinui.
Hæcque plurimum atri cruoris oſtendebat:
illa verò nequicquam. Heterogeneitas ergò,
in liquore mortuo, putreſcente,ac putreſcibili
ſtatim, eſt corruptionis adæquatum indicium.
Quodque ideo nec habet vitale,aut ſeminale
initium, ſignum, ut nec ſuæ primitivæ
compoſitionis argumentum. Etenim originaliter
componimur ex vitali ſemine: & reſolvimur
in putridum, atque cadaveroſum liquamen aqueum:
quod & ſæpè in viventibus, pro parte
48 accidit. Quid ſi cruor ex pallido rubeat, An id
proin pituitæ erit aſcribendum?An poma rubea
erunt pallidioribus magis ſanguinea? pruna
49 ſubnigra,albicantibus magis melancholica? Etenim
colores non deſignant fictos humores,aut
elementa: ſed imitantur proprietates vitæ mediæ,
atque ſeminum deſtinationes. Ita eſt: Colores
atque ſpiſſitudines, in materia, ſunt opera
Archei ſeminalis: non autem appoſitorum
50 humorum confuſa teſtimonia. Recurre ad librum
de inaudita febrium doctrina. Quod ducentorum
ruſticorum, ſanorum ſanguines,unico
mane inſpexerim,adſpectu colorum ac fundorum
diverſitatibus inſignes. Quidam enim
gelatinam ſubnigram & coactam referebant:
ſæpè etiam ſubviridi liquore permiſtam, ſubinde
tantùm conſperſam leviter. Cruor item alius
per totum aquoſus, alius muccoſus erat,
alius in fundo rubebat, alius in ſummitate magis.
Alteri aqua ſupernatabat, clara,pallida, ſubflava,
quæ alibi in medio cruoris intercluſa latebat.
Alius cruor punctatim maculoſus, alterque
per totum ex rubente pallidus, alter in puniceum,
atrumve colorem alius propendulus:
pro ut demum alius per ſtrata ſubviridis erat.
51 Quapropter commiſeratus ſum deceptoriam
hæmorrhoſcopiam, judiciaque emiſſo cruore
ſolita, humorum commenta, ac faciles ægrorum
credulitates. Ariolator namque cruoris
inſpector, mox peccantis atque ſuperabundantis
nomen, proprietates, itemque hominis illius
mores, complexionem, inclinationem,
morbi latentis ſpeciem, magnitudinem, exitum,
atque inſuper mortis genus, imò & fortunarum
dependentiam prædicere ex humoris
conjectura ſatagit. Quiſquis autem humorum 52
peccaverit in tabula hæmorrhoſcopiæ, capitis
diminutione proſcriptus ſit illico, & niſi mox
illico paruerit, per infamem ſeceſſum profligandus
eſt. Quia Medicus ad manum habet
ſuorum humorum peculiares ſatellites,qui vinctos
ſingulos & putrefactos educant. Sic enim
ludificant ignaros, & interim ſic quoque viſitationum
crebritas ſtabilitur. Quippe ex præjudicato
norunt,quale erit albumen,quod aſſumto
ſuo ſolutivo, putrefactum recedet. Etenim
etiam maximè phlegmaticus apud illos, ſi rhabarbaro
uſus ſit,flavum excernet,minuſque tinctum,
ſi ſcammoneata ſumſerit,non autem mucidum
liquamen, quale ab aſſumtis colocynthidis
magiſtralibus(ſunt namque cuncta compoſita
officinarum, ſcammonea, vel colocynthide,
vel utraque tanquam binis ſuffulta columnis.)
Sæpè etiam, quem hic judicat bilioſum,
alter vocat ſanguineum, ſin autem pituitoſum
quem putant, viderint ſemel iratum,
mox etiam bile æſtuare contendent alii: Potataque
ſcammonea, unus alterum deridet, ſi ſeparatim
vocentur,quod bilem à ſanguineo adeò
copioſam eduxerit, ſibique ut artis gnaro,
mercedem intenſiorem deberi, occultè eo ipſo
inſinuat. Nam in rei veritate, fraus, & fructus
dolo connexus, vigent, quoties neglectis vanis
complexionibus, humoribus, poſthabitoque
ſpecioſo cruoris emiſſi indicio, & adſpectu,
præſcitur ex aſſumti ſolutivi proprietate veneſica,
qualem amurcam quiſque ſit dejecturus.
Solutivum ſcilicet, obit functionem hepatis apud
eos. Quia humores quos volunt, fabricat,
eductoſque oſtentat ad lubitum, & juxta prognoſin
imposturæ: glorianturque velut è tripode,
ægris prædixiſſe, peccantium humorum educendorum
colores,ac proprietates, illosque
cacatos, reſpondiſſe in haruſpicio, ad præſcita
auguria. Miſera ſanè doctrina,inſcitiaq; pianda:
quia miſerrimus ille, qui aſſumto tabefactivo,
ſuum cruorem permiſit putrilaginis larva exhauriri.
At mirum ſaltem, quod Scholæ ſordes 53
aurium prætererint. Nam quæ flavæ,& amaræ,
bilis recentiorem darent memoriam, fidemque
firmiorem, quàm quæ cruori aqua ſupernatat.

Jam ergo in cerebro,alter eſt bilis cuſtos,ac fol-
liculus. At hæ ſordes, non niſi ſanguine abſum-
to, in alimoniam cerebri , apparent : fel autem
in eſſe priſtino , permanere nequit , abſumto
cruore, cujus fuiſſet pars integralis : eſſet ergò
auxilium pro bile , ab excremento formaliter
transmutato petitum . Præſertim, quod ſolum
fuliginis ſpecie , per aures exhalat . Nam quo
profundiùs ſcalprum in aurem mittitur, minus
iſtarum ſordium deraditur. Sunt ergò ridicula
& languida argumenta , quotquot pro humori-
bus ſpem faciunt . Colores etiam dejecti ex-
crementi , effectus ſunt potati pharmaci : non
autem teſtimonia abundantiæ , aut humoris
electi, rejectique conformitas. Hæc de doctri-
na febrium , cap. de ſolutivis ad longum ſunt
54 deſcripta . Sufficit mihi teſtimonium ex ore
Scholarum , quod inter cuncta ſolutiva , ſola
aloes innocua . Non ergò innocui , qui hoc
profitentur, interim aliis noxiis quotidie uti
non deſinunt : non quia ſana ægris , quæ noxia
55 docent, ſed ſibi reperiunt proficua . Quid agi-
mus , agemusque , inquient aliqui, niſi enim
venam ſubinde pandamus , & alvum ſubduca-
mus, domi manemus , vulgi riſus,& ſcenarum
56 fabula facti ? In Scholis enim prælegitur libel-
lus de natura humana , Hippocrati calumnioſè
adſcriptus. Docens , quod unum & pari quan-
titate ſolutivum exhibitum , diverſis anni ſta-
tionibus, diverſos humores emunxerit, ac ſem-
per poſt ſpaſmos , unà cum ſic larvato cruore,
vitam abſtulerit. Quod ſonat, ſub ſpecioſo pur-
gationis titulo, jus factum, putrefaciendi cruo-
rem, colliquandi carnem , ſub impoſtura , & ad
lubitum medentis , alicujus coloris humorum,
tandemque niſi doſis dolum venenumque te-
gat, quod profluxurus ſanguis ſic mutatus , æ-
gro necem ſit allaturus, ut quanquam præfato
libello dicatur, unum idemque laxativum , aliis
atque aliis anni ſtationibus , alios atque alios
primo educturum humores : eſt tamen con-
ſtanter verum, omne ſolutivum , ſupra debitam
doſim, ſuum enecare ſumentem. Adeò ut fre-
quenter tabida illius vis tam pertinaciter venis
intincta maneat , quòd reſtringi nequeat , &
mors colliquando ſubſequatur. Quanquam ipſe
potus ſolutivus,necisque patronus , ferè primus
exciderit . Fruſtraque hoc caſu adhibentur re-
ſtringentia : ubi non eſt læſa retentrix ; ſed
venenum impreſſum continuò tabefacit. Qua-
re requiritur potius antidotus, quam aſtringens
pharmacum. Quod nempe peccando facit le-
thalis diarrhœa : idipſum laxativa, ſub Meden-
tum artificio , involuto falſa humorum theſi.
Tandem educto humore reo , & accuſato in-
ſonte, nequicquam tamen inde plerumque mi-
tior morbus . An ergò inde non ſunt conji-
cienda ludibria ? & quicquid de humoribus,
illorum exceſſu, delectu , & ſegregatione , eſt
garritum ? etenim quotidianum eſt , quòd e-
ventus fruſtrent ægrorum ſpem, ac Medentum
pollicita . Ideóque nec audent certò ſpondere 57
ſanationem , per abductionem humorum , ſuis
laxativis , quos ſolos , in cauſam continentem
morborum , attamen accuſant ſeriò. Quia ni-
mirum malè edocti, & nimis ad falſorum axio-
matum perſuaſiones . Attamen ait Hippocra-
tes, ſi illa educantur, quæ educi oportet,meliùs
ſe habent, atque facilè tolerant . Quinimò nec
audent , corpora ſeriò ſolicitare purgantibus,
antequam morbus ſuæ digeſtionis : natura au-
tem victoriæ ſuæ ſpem , fecerit, (idque abſque
Medentum opera) futuræ criſeos . Hoc autem,
ne ſolutiva , ſimulque ſua Scholarum axioma-
ta, apud vulgus infamentur, ſi præcociter , an-
tequam corpora turgeant , id eſt , ante morbi
peſſumdationem , epotis laxativis, ſanatio non
ſubſequatur . Itaque cum præter venæſectio-
nem, & purgationes, parum ſuperſit apud Me-
dentes , remedii ; ne tamen Medentes nauci
fiant , minora laxativa ſubinde propinant, ut
aliquid feciſſe videantur . Fatentur quidem
proteſtanturque, illa minorativa, morbum à ra-
dice non detruncatura, (quaſi aliàs majora la-
xativa, morbos , falcis inſtar demeterent) ſed
humoris peccantis diminutiva , atque hactenus
auxiliatura : Puta , ſi non ad ſanitatem; ſaltem
ad mortem ægri, vel Medentis culinam . Clam 58
enim Medici fatentur , parum auxilii è pulſu,
urinæ inſpectione, & cruore hauſtum : Inſpe-
xiſſe verò lotium , & cruorem ſub Gordonii,
regulis, ſive impoſturis, ne ſcilicet prædeceſſo-
ribus ſapere viderentur minus . Quæ ſanè do-
lum , atque ſuperbiam fraude velatam , conti-
nent . Impuri ſaltem Medici inventum tulit,
hominem, ſtercorum nomine vocari, & diſtin-
gui. Bilioſum nempe, Melancholicum, Phleg- 59
maticum, quæ mera credunt excrementa. Cer-
tum eſt enim, per laxativa pharmaca, cruorem,
& carnem, ſine ſeparatione heterogeneitatis, in
putrilaginem iſtam flavam, ac putidam,reſolvi.
Eſtque argumentum hebes , inde intuliſſe. *Si* 60
ſanguis & caro , liquata per anum recedant,
fiantque flavus liquor,aut mucidum excremen-
tum : ergò caro & ſanguis conſtant , & com-
ponuntur iiſdem materiis ; quæ ſunt vera bilis
& pi-

61 & pituita. Siquidem, præterquam quod cruor
non eſſet verum compoſitum naturale: ſed appoſitum
è pluribus difformibus eſſentialiter:
etiam non poſſet retrogradi iterum in bilem,
unde compoſitum ajunt cruorem. Vel alioquin
eſſet immediatus receſſus, à privatione ad habitum.
Ergò vel ex bile, nunquam factus fuit
cruor, multóque minus caro, quæ ſpecie different
62 à bile. Et per conſequens, ſi tota caro &
ſanguis, quandoque in iſtam putredinem (quam
bilem nominant) tranſmutentur, & ejiciantur,
adeóque tam arte, quàm morbo, tota caro liqueſcat:
neceſſe eſt alterutrum: vel iſtam bilem
putridam, formaliter, & actu adhuc cruorem
& carnem eſſe: vel bilem, ſemel in cruoris
ortu, mortuam & tranſmutatam, iterum immediato
regreſſu, revixiſſe, tàm à liquatione carnis,
quàm cruoris. Neceſſe eſt inquam, vel quatuor
iſtos humores perſiſtere ſemper in propriis
ſuis formis, ſub ſpecie tamen ac velamine, tam
carnis, quàm cruoris: vel demum quatuor iſtos
humores, ſuum eſſe, ac formas, exuiſſe, ſub introitum
formæ cruoris, & carnis. Si prius dixeris:
Jam cruor non eſt oppoſitum naturale: ſed
appoſitum ex pluribus. Sin verò poſterius velis;
eſt impoſſibilis immediatus regreſſus cruoris
& carnis, in bilem, aut alios humores conſtitutivos
ſui. Unde rurſus ſequitur: Quæ per
poculum laxativum ejiciuntur, non eſſe bilem;
ſed cadaveroſum liquamen putidum, vi pharmaci
63 ſic deturpatum. Galenus enim videtur
bilem utramque aut pituitam, rejicere in complexiones
naturales hominis, uſque adeò & in
meram intemperiem referre. Siquidem ait unicum
mel, in ſanguineis, totum verti in ſanguinem,
quod in cholericis totum mutatur in
bilem. Quapropter non tam in propenſionem
materiæ, quam in vitioſam hepatis intemperiem,
hujuſmodi humorum nativitates, tanquam
64 indifferentes relegat. Unde conſequens:
tres ad minimum Intemperies ſemper ac ſimul
confluere: quæ ſingulæ ſingulos pariant humores.
Imò verendum, ne Galenus allidatur ad
ſcopulos, & ſubmerſus pereat, dum docet, totum
ſanguinem putridum verti in bilem. Nam
inde cogetur concedere, quotidiè partem
cruoris, in ſui conſtitutione putridam: imò &
mel, in bilioſis, totum, intra paucas horas, putrere:
non autem in ſanguineis. Adeóque tam
complexionem bilioſam, quàm ejus bilem, eſſe
meras corruptiones. Saltem quantum bilis quotidie
in ſanguificatione fit: tantundem, ex placito
iſto Galeni, putreſcit. Ac per conſequens,
non eſt bilis, humor conſtitutivus cruoris ſani,
ac benevalentis: ſed adjacens vitioſum. Etenim
dum cruor putridus, teſte Galeno, vertitur
in bilem: intelligitur iſta bilis, vera bilis;
non autem ens putridum, cum putrida bilis
alioqui non magis cenſenda ſit bilis, quàm homo
putridus, homo. At poſtquam opticè ſcivi, 65
quòd nullum ens, exſiſtens in ſui perfectione,
atteſtetur partes diſſimilares ſuæ radicis ſeminalis,
ſi quæ ſupereſſent: Sed quod ſemen diſponat
ſuam materiam, ut ex ea hoc unum
quid fiat, & non per appoſitionem; ſed per veram
formalem tranſmutationem: ſcivi perfectè
deinceps, etiam quod diverſitas, in cruoris corruptione
ſubinde eluceſcens, nunquam poſſit
atteſtari, multóque minus oſtentare, partes conſtitutivas
materiæ ex qua. Non magis quàm vitulus
ſtrangulatus, etſi in apes mutetur, proinde
eſt compoſitus ex apibus. Vel mel, ſi cum
rore majali, una in gramine nocte, plenilunium
tulerit; mutetur in anguillas: cum pane autem
ſecalitio, in formicas tranſeat. Induſium verò
muliebre, occluſum cum frumento, abeat in
mures, infra paucos dies. Non tamen mel proinde
ex anguillis aut formicis, vitulus ex apibus,
vel mures è lino & menſtruo, ſuam deſumunt
materiam. Eritque compoſita anguilla,
formica, &c. è melle, ſic ut iterum anguilla
mortua iterum ex ſui corpore, mel excludat.
Errat proinde Paracelſus, qui ciconiam aſſam 66
in ſerpentem, & anates in ranas, ſpatio quindenæ,
ait recedere: quod aves ejuſmodi cibis veſci
ſolitæ eſſent, illaſque beſtias ideò in ſe ſeminaliter
continere debeant. Id enim experientiæ
facti, & Philoſophiæ repugnat penitùs. Non
equidem origo rerum eſt ex iis, in quæ reſoluta
mutantur. Eò quòd in generatione naturali,
oporteat partes conſtitutivas ſic fieri unum
quid, ut ab unica generati forma actuentur plenariè.
Ideóque quicquid ſub generationis relatione,
non eſt immutatum ab eſſe priſtino, id
planè manet excluſum, atque deſes. Cuncta enim
naturalia, univoco ferè modo ac ſemine,
conſtituuntur. Adeò etſi conflentur partes integrales,
quales ſunt oſſa & nervi: illa tamen,
non ſolum connexionis methodo; ſed ſpecificæ
unionis vitali vinculo colligata, tranſeunt
in alienam familiam: fiuntque ens ipſum, unde
partes ſeminis prioris repeti, eſt naturæ prorſus
impoſſibile. Non eſt itaque cruor, pars contexta
ex quatuor humoribus, ſpecie elementali
differentibus: multóque minus eſt cruor
reſolubilis in humores illos, unde creditur
ortus.

ortus. Sed per conſequens, quicquid è cruore,
aut per alvum corrumpendo, producitur, ut
non eſt humor unus de quatuor illis fictis: ſed
putridum cruoris excrementum. Multò minus
eſt baſis fundandi argumenti, pro humorum
67 poſſibili exſiſtentia. Liquidò proinde conſtat,
Scholas cruorem non intellexiſſe, ut ens naturale,
unum, & compoſitum naturæ: ſed pro ente
artificiali, ex pluribus conſarcinato, atque
connexo. Sub qua ignorantia, certum eſt, proprietates,
requiſita, ſanitatem, morbos, remedia
quoque, una hactenus manſiſſe incognita, falſiſque
medendi principiis per conjecturam
tantùm fuiſſe medicatum. Sed agedum unica
vis Jecoris, in ſanguificatione regulariter, directè,
atque ordinariò producet quatuor ſimul
humores, horumque varietas (exemplo Mellis
per Galenum memorato) pendet ex quadruplici
68 varietate unius efficientis. Itaque neceſſe eſt,
regulariter, ac quotidie præpollere in unico hepate,
quadripartitam, expreſſam intemperiem
complexionalem: quarum ſcilicet quælibet, invita
ſocia, ſuum apta ſit fabricare humorem.
Cumque plus ordinario pituitæ generari ſcribat,
ideóque & quotidianæ febris cauſam abundantiorem
ſtatuat. Sequitur, quod intemperatiſſimi
etiam cholerici complexio pituitoſa erit
adhuc præpotentior. At cum jamdudum ceſſent,
conculcataque ſint elementorum figmenta,
unde qualitatum & humorum ſperanda eſſet
reflexio quaternarii: Nulla jam porrò ratio
ſupererit, cur magis ad quatuor humores, quàm
ad tres, vel ad decem vergeret, cujuſcumque
demum diſpoſitionis, hæres illa materia exſtiterit.
Quia ſublato trunco fundamentali quod ſcilicet
non ſint, nec fuerint unquam quatuor elementa
in Univerſo, neque ex iiſdem corpus noſtrum
ullatenus conſtituatur materialiter, aut
efficienter. Simul ruit etiam tota humorum generatio
quadruplex in Jecore. Quippe quæ ad
elementa, horumque ſuppoſitas fictaſque qualitates,
connexaſque luctas, ſemper reſpexit.
69 Quam eſt denique inconſideratum hoc Scholarum
commentum, quod velint Splenem, cloacam
eſſe atræ ac peſſimæ bilis; attamen Splenem
in Jecoris adjutorium cedere: ut nempe Splen
ſanguificando, Jecoris ſuccenturiatum adminiſtret,
dum ſcilicet malè ſe habet Jecur. Quaſi in
nobis jure ſubſtitutionis, vis Jecoris vitalis alio
gliſceret, & præcipuè in ſordidam, quam ajunt
peſſimarum calamitatum thecam. Bone ac piiſſime
Jeſu, tanti confuſiones in medendo admittes,
adhuc dudum? Reſpice populum tuum,
ſub tam denſis falſitatibus ingemiſcentem, &
recordare genuinæ benignitatis tuæ. Cernunt 70
namque Scholæ in artificialibus, arcam variis
fruſtis compactam, diſſolvi iterum in ſuas partes:
putaruntque ludicra ſtupiditate, idem in
natura, per tuam humanitatem contigiſſe, bilem
nempe repeti è cruore, imò & è carne quoque:
ſemperque ideò perſtitiſſe bilem ſub tranſmutatis
formalibus initiis: & ex bile ideò cruorem
iterum materialiter ſurgere, ac reſurgere.
Alius verò vidit, ſalem in aquam reſolvi, nec
videri tum amplius, moxque per aquæ ebullitionem,
rurſus ſalem apparere. Idem idcirco in
ſuis humoribus fictis, contingere autumarunt.
Quaſi bilis immutata eſſentialiter, nunc in
cruorem, ac tandem in carnem, mutaretur, & ad
lubitum Medentis, per ſolutiva ſua, inde ſoſpes
rediret. Sed eamus ad manum. Sumatur putata 71
flava bilis, cruori extravenato ſupernatans, coquatur
quocumque gradu teporis, aut caloris:
nunquam tamen inde retorrida fiet, æruginoſa,
vel porracea, multóque minus atra illa acida,
quam ajunt, terram fermentare. Quæ ſi fiat in 72
Liene: ergò non eſt ſanguificationis pars aut
cruoris. Sin verò fiat in Jecore, cum aliis tribus,
ex eadem ſimilari chyli materia: ſed à diverſis
agentibus: etenim cum in hepate ſint
exiles ac tenuiſſimi venarum ramuli, continuò
lotio tranſmittendo occupati, nec venæ hepatis
directè in Splenem reſpiciant: non video,
quomodò atra bilis, ab hepate ſeparata, ad Splenem
deferatur. Potiſſimum ubi magna lotii affluentia, 73
& cruoris abundantia ſurſum deferatur.
Utraque autem bilis deorſum, ad ſua ſeparatim
collegia, oppoſita confuſione, in tam exilibus
venis, officinæ ſanguificationis, ferri deberent.
Non ergò à Jecore deferri poteſt atra bilis,
quam dicunt excrementitiam: quin potius Lien
alitur ex venis, & arteriis lienaribus, juxta conſuetum
aliorum membrorum. Nec Lien vivit
ex proſcripto excremento, neque eſt cloaca corporis,
peſſimique humoris. Si namque Lien à
Jecore, atram bilem deſumere debebat: quare
non eſt vicinus hepati? Quare ſolus Splen, inter
viſcera, nutrietur excremento horrido? Et qua
tandem depellet ſupervacaneum hoc pernitioſum
recrementum? An per ſtomachum, ejuſque
orificium, tam nobile ac ſenſile, jam latrina
ultimi erit excrementi? Adeóne malignum hoc
labumen, appetentiam ſuggeret ſtomacho?
Quorſum enim recoquetur ſcoria, jam toto genere,
proſcriptione, & proprietatibus rejecta?
Stomachus vicem cordis æmulari conceditur:

ergone conveniens fuit,quod ſtomachus, conceptuſque
ejus cibus, totaque totius inde œconomia ,
contagio maligni recrementi quotidie
contaminarentur? An enim id non fuit naturam,
ejusque creatorem , à creationis initio inexcuſabilis
incogitantiæ inſimulaſſe ? Nonne
folliculus aliquis ſeparandis fœcibus fuiſſet aptior ,
ſi ulla eſſet atra bilis , quàm quod nobile
viſcus Splenis , tot arteriis prægnans , & nobile
viſcus ſtomachi, peſſimi excrementi fierent
74 refugia? Sed quo telo,tanta defendunt Scholæ deliria ?
Ajunt enim.Aliquando viſum,atrum ſuccum,
acidum , vomitu rejectum , qui in terram
decidens , eandem fermenti modo attolleret.
Unde multa conſequenter collegerunt abſurda.
1. Quod iſtud acidum excrementum , à colore
vocari deberet melancholia , ſive atra bilis.
2. Quod fiat quandoque à propria ſua materia :
ſæpè tamen à flava bile recocta. 3.At non ſcitur
adhuc ex utra materia , ut neque coquina illius
75 ferculi. Cum flava bilis alioqui ,citra confuſionem ,
non poſſet deferri ad alienum Lienis hoſpitium.
4.Bilem, humorum quam volunt calidiſſimam,
& igneam,ajunt,per cocturam redigi
in terreum humorem frigidum, & ſiccum. 5.In
atrum, ab aqueo, & flavo. 6. In acidum, & fermentantem,
ab amariſſimo felle. 7. Cur igitur
bilis flava (fel inquam) proprio folliculo , nunquam
recoquitur in atram?Cur ad hanc coctionem,
alienum limen mendicat ? Quotidie opus
fuit recoctione bilis flavæ,ſi recoquendo in pejus
feſtinet ? Quare natura , quæ ſemper facit è
poſſibilibus , quod eſt optimum , non expellit
cum ſordibus alvi bilem , quam commutat in
deterius per recoctionem?Sin Lien ſit atræ bilis
officina: non eſt illi tantus quotidiè calor,qui ſit
retorrendæ bili ſatis. Aut ſi caleat, quomodò è
bile flava,calida,fiet humor frigidus? Cùm potiſſimum
Galenus velit mel, diverſis auſcultans
intemperiebus,mutari in diverſos humores,intemperiebus
illis conformes ? Quaſi decoctum
liquidum,vires ſacchari amitteret,oppoſitaſque
indueret, eò quòd in ſyrupum vel illinctum inſpiſſetur.
Quare fel hactenus, quocumque artificio
recoctum, nunquam aciditatem aſſumſit ?
Qua enim via , quove ductore , vel impulſore,
flava bilis in Jecoris officina , cruori exquiſitè
permiſta,& homogenealiter coorta, ducetur ad
Lienis vas peregrinum , ut ibidem , torrendo,
fiat atra bilis, ſi Lieni ſit proprium condere
atrum ſpiſſumque liquorem frigidum terreſtrem ?
An enim hoc fine, Lien tot arteriis dives ,
quòd ſibi non habeat viſcus par , in tanta
pulſuum vitalitate, ut videlicet bilem flavam,in
atram deturpando coquat? Quomodò atra differet
à flava, ſi uno caloris puncto fiat hoc aliquid?
Nonne id eſt calori coquenti,totum naturæ
negotium concredere , abſterritis proprietatibus
formalibus? An locus erit in Liene , allabenti
peregrinæ bili, ſi aliunde , è venis & arteriis,
ſuis neceſſitatibus ſit ſatisfactum ? Ubi ergò
in limine,ac foribus lienis præſtolabitur adventans
bilis, ſi gratus hoſpes jam domum obſederit?
An Lien,innato venarum & arteriarum ſanguini
valedicet, ut adventantem bilem in ſe recipiat ,
ad excoquendum , in atram ſordem ?
Quid ſi bilis torreri dicatur,in ipſis venis : cum
omnium venarum calor ſit dumtaxat moderatus
tepor , non fiet ex igneo liquore bilis, frigidus
alter? Nec eſt ratio, cur venæ à Jecore furentur
miniſteria ſanguificandi. Neque etiam,
cur in venis , prius decoctâ atrâ, dein ferretur
ad Lienem , quærens ſibi novum hoſpitium.
Nec demum hactenus comprehendi poſſunt
venæ , coctrices flavæ bilis,in atram. Quis demum
fomes ille,qui bilem flavam abſque neceſſitate
torreat , in aliud , & pejus excrementum ?
Etenim dum de officinis naturæ loquor,ſcio nil
moveri à ſeipſo , nec ſtultos eſſe calores , nulli
fini intentos bono : ut nec digeſtiones , ab ipſa
natura propoſitas in objecta ridicula. Etenim ſi
venula ſit, qua Lien, in ſtomachum,inſpiret digeſtivum
fermentum,ac vigorem vitalem , non
video , cur idcirco tot atræ bilis figmenta conveniant :
unde catenatim tot calamitatum turmæ
ſunt ſecutæ. Quam ineptum enim,finxiſſe 76
teterrimam naturæ ſcoriam (ut fatentur) repudiatumque,
ac horridum excrementum,ſtomacho
in deliciis eſſe? appetitum ejus curare ? Adeò
nobilem partem, inquinandis tam ciborum,
quàm functionum vitalium poteſtatibus,ſubjectam
reddere?Etenim bilis atra,quę primordialiter
pararetur è chylo, eſt ejuſdem ſpeciei cum
illa,quę gignitur è bile retorrida (niſi malint jam
& quintum admittere humorem) vel eſt diverſa.
Si ejuſdem ſpeciei. Iam idem hoc aliquid,erit
acidum frigidum & terreum,eritque igneum
amarum, fietq; proximè è diverſis materiis,diſpoſitis
ad ſuos fines diverſos,Idque per unicum
agens elementarium,ſimplex, & non ſeminale.
Eritque Galenus cum ſuo melle,in bivio. Itemque
bilis flava erit ſubordinata , ex ſui indole,
ad bilem atram , tanquam ens perfectius,
per elaborationem : adeóque flava bilis non erit
unus de quatuor: ſed ſemihumor . At ſaltem
non percipio , cur ſcoria ſupervacanea fiat

quotidie,debeatque eſſe, de noſtri conſtitutivis.
Quæve ſit hebetudo, quæ coëgerit fingere tot
fabulas? Profectò, utut iſta Medendi pagina
volvatur, tota abſque neceſſitate, volutatur inter
ſtercora. Eſt quidem fermentum acidum,vitale
, ac ſpiritale, in Splene, quo ſtomachus coquit
: quo ſcilicet deficiente, etiam corruit appetitus
. Ideóque Senex ait. In febribus ructus
acidos nidoroſis ſupervenientes, bonum. Eſt
nempe fermentum, à Liene inſpiratum, magni
tituli & uſus totalis ſubjectum: nequaquam atræ
ſaburræ, melancholicoque excremento dicandum.
77 Paracelſus ſcribit,hominem commodius
carere potuiſſe renibus & Splene. Quod
præter ſuum idiotiſmum, implicitam continet
blaſphemiam.Nam quicquid fecit Deus, fuit,eritque
78 longè ſemper optimum. Si enim Scholæ
effudiſſent unquam Chryſulcam,facile comperiſſent,
quod acor terram diſſolvat: non autem
fermentet. 2. Quod fermentorum ſit actio, in
habentia ſymbolum. 3. Terram non eſſe fermentabilem,
quia à fermentis fructuum, elementum
non eſt fermentabile ob conſtantiam,
ſimplicitatemque ſui. Etenim ſi fermentum panificii
non fermentet ligna, aut lapides, quodnam
ergo reperietur terræ fermentum? Siquidem
iſta eſt fermentorũ conditio(non conſiderata
à Scholis) quod fermentrum,ex quo ſemel
eſt ſuſceptum, ulterius continuò fermentet,nec
ceſſet, quamdiu conſimile ſibi objectum reperit.
Quare elementa concipiunt quidem aliena
fructuum fermenta: ſed nullatenus iiſdem
proinde fermentantur. Quia omnia fermenta
ſunt elementis inadæquata. Quia carent transmutatione,
ſeminibuſque ſibi adæquatis. Alioqui
ſi terra eſſet fermentabilis, cadavera inhumari
non poſſent,quin totus mox terræ globus,
lethifero tabo, nobis fieret deleterius. 4. Ergò
Galenus hæc nunquam ſcivit, nunquam chryſulcam
, imò nequidem roſaceam cognovit,
nunquam fermenta formalia olfecit. 5. Nec atra
bilis terram ullatenus fermentat,ſi nuſquam,
ac unquam fuit. Licet fimi, per diſſolutionem
ab acidis ebulliant. Porrò, ex unico pane & aqua,
79 fit chylus. Si ergò in pane & aqua,quadruplex
lateret humor in natura, eodem jure, omnis
herbarum ſuccus ſemper quadruplex eſſe
deberet. Quod ſomnium eſto. Donemus itaque,
quòd ex ſolo pane,& aqua ſimplici, fiant
quatuor ficti humores. Hi inprimis non fiunt
ſeminaliter, atque diſpoſitivè, ex aqua ſimplici
elementali: ergò ex pane reſoluto, & ſolo, fiet
chylus; & hic deinceps mutabitur in quatuor
humores, ex titulo agentis hepatis. Ideóque 80
jam exorbitans, ac anomalum jecur. Siquidem
cujuſlibet agentis naturalis, univoca tantùm,
atque ſimplex eſt actio. Neceſſe eſt ergò, vel
in hepate eſſe quatuor ſimul agentia ſanguificationis,
vel ruere quaternarium humorum,
in ficta rudera. Nam ſi è ſimplicitate præfati
chyli non fiant quatuor humores, ſponte naturæ,
neque ex vi quadruplicis agentis, in Jecore
collaborantis. Sive, ſi non fiat ſuppoſita fictorum
humorum quadruplicitas, ex vi agentis,
aut patientis. Rectè, quicquid negatur ſub
disjunctione, negari poteſt copulativè, ob negativi
amplitudinem. Igitur concludo: Si ex 81
connexione agentis ſimplicis, & materiæ univocæ,procedat
actio ſanguificationis vitalis: ea
certè, ut erit ſimplex; ita & non niſi unici humoris
mater eſſe poterit. Sin verò propter eduliorum
diverſitatem, varietates humorum in
cruore fingamus: Jam ex tot eduliis ſimul ſumtis
centum humores ad minimum, concedendi
erunt in cruore.Sed volunt Scholæ,ſub unici 82
caloris digerentis gradu, plures cibos mutari in
chylum, ejuſdemque caloris moderamine produci
in hepate ſemper quatuor humores.Idque
tam in Sueco,quàm Æthiope.Fatentur demum
ſanguificationem, proprium Jecoris opificium.
Lienis verò, tantùm per inordinationem,atque
ſuppetias, licet interim, circa coctionem bilis
flavæ, in atram, ſit impeditus, & ſtercoribus
Lien involutus. 1. Inprimis ruit Galenus, cum
ſuo melle,quod totum vel in cruorem,vel in bilem
verti ſcribit. 2.Non procedit generatio humorum,ex
vi elementali. 3.Non ad caſſum quaternarium
elementorum, eſt recurrendum.
4.Alioqui tam hepati eſſet naturalis ſua bilificatio,&c.
quàm eſt ſanguificatio. 5.Cruor erit,non
niſi confuſa humorum connexio, generatum
anomalum; non autem compoſitum naturale,
ſed neceſſitatibus agentium,atque finium,orbatum.
Profectò utrobique magnæ nugæ magnas
involvunt curas,& magna abſurda. Quæ ſi pertinaciam
induant: jam amentiam,ſi non & malitiam
fovent. Nugæ igitur humorum, à cacodæmone
inventæ, in paganos diremtæ ſunt, &
à Scholis hactenus ſubſcriptæ. Etenim diabolo
aptæ, quia confuſiones Medendo, fallacias &
mendacia continent; ideóque neces quotidianas
pariunt, lumen naturæ obſcurant, figmenta
plauſibilia præſupponunt, omnibuſque
exemplis à pari deſtituuntur: tantóque illæ
fabulæ aridiores, ſtupidiores, pernicioſiores,
ac temerariæ magis, quò in cladem mortalium
credun-

83 creduntur tenacius. Vertiginoſus itaque totus
Galenus, qui totum mel, nunc in ſanguinem,
nunc in bilem, verti aſſerit. 1. Primo defuit
huic temerario aſſertori nuntius, qui certiorem
redderet, quid, quantumque de mellis totalitate
eſſet factum. Adeóque temeritatis & figmenti
totus eſt ſuſpectus. 2. Deeſt affirmanti veritas.
Siquidem in natura deficit bilis, ideóque
& complexio cholerica. 3. Ille enim, qui membrorum
proprietates per ingentia volumina ſolis
attribuit elementariis qualitatibus: ex ſolo
actuali calore hepatis unius, quaternarium humorum,
in unica ſanguificationis actione, conſtitui
ſcribit conſtanter. Cum tamen actualis
calor, in unico membro, nequeat non eſſe ſimplex,
uno eodemque tempore. Diſcat ergò Galenus,
verius ſomniare de melle, & ſanguificatione.
84 Nec abſcedat ad puerilia, credendo quatuor
victrices & contrarias complexiones elementales
ſimul in hepate ſtare, quarum ſingulæ,
ex univoco chylo, ſuum ſibi effingant humorem,
in unicum cruoris ſubjectum connectibilem,
indeque deciduum, ad pharmaci ſolutivi
placitum. Deſiſtat inquam credere, quod
ob ſolum ſimplicemque calorem diverſificentur
humores, unico ex melle, vel chylo. Cum
non attendat miſer ille Medicinæ Princeps, per
hoc requiri in temperato Jecoris calore, ſimul
totidem calores, ſuppoſito entis diverſos in tepefaciendo,
pro totidem humoribus. Advertite
ſodales, quod nullatenus cogamur, ad commentum
quatuor humorum. Etenim quæ diarrhœa,
cholere, & vomituum fœculentiis excernuntur,
non ſunt humores Scholis jactati, ſed ſunt excrementa,
quæ morbus vindex fabricat, & expellit:
prout & quos laxativa ejiciunt, ſunt integri
cruoris corruptelæ. Quodque illic morbus
vindex agit, Id heic, laxativum, multo ſcilicet
compendio exſequitur. Neq; enim morborum
janua, fictis humorum perſuaſionibus clauditur.
Cum juxta Philoſophiam, Nunquam ex ente
transmutato eliciantur illa, unde in fieri eſſe, naturaliter
conſtituitur. Porrò quantumvis ſat alibi
probaverim, non eſſe elementa quatuor, nec
eorundem congreſſum, ad fabricam corporum,
quæ miſta creduntur. Indéque conſequens, non
eſſe diſparem Jecoris actionem, in procreatione
ſemper quatuor humorum. Attamen quo
ſcholæ cernant, quali fulcro nitatur tota illarum
in Medendo baſis, agam ex mera illarum conceſſa
85 & tradita doctrina. Enimverò, ſi non permaneant
elementa cum ſuis formis in miſto:
nec etiam poterunt permanere illorum proprietates:
cum ipſæ formæ ſint immediata
ſubjecta inhæſionis ſuarum proprietatum. Sin
verò malint, elementa permanere cum ſuis formis
in miſto: jam vel formæ iſtorum non erunt
actus ſubſtantiales, at ſolùm vincula elementorum.
Redibunt namque ſemper integra,
è ſingula ſuppoſiti conquaſſatione. Obdormient
ſcilicet tantiſper formæ elementorum,
dum præſidebunt formæ miſti: ergò cum forma
miſti ſit neceſſariò purus & ſimplex actus
ultimatus: non poteſt eſſe quadruplex (imò
quantumvis materialia, ac remota materiæ illius
principia, eſſent ipſa actualia elementa) &
per conſequens, non eſt ratio fingendi quaternarii
humorum, ex parte agentis. Eò quòd actio
ſanguificationis, neutiquam ſit elementalis:
ſed vitalis & fermenti jecorarii: cujus omnimoda
ſimplicitas non potuit reſpicere finaliter
humorum quaternionem, ex uniformi optiméque
unito chylo oriundum. Adeo, etſi in 86
miſto eſſent 20 elementa, non proin totidem
humorum neceſſariæ eſſent productiones. Stupida
ergò, & diabolicæ perſuaſionis, eſt ſpeculatio,
quæ ex tribus elementis, nequaquam ad
miſturam corporum concurrentibus, quatuor
numero humores ſemper, ac ordinario prodire
debere, atque inde unicum tantummodò
cruorem regulariter conſtitui. Inde nimirum 87
ſanationis atque morborum neceſſitates
dictari. Objicient forte. Admittis cauſam ſonticam
depellendam, vetas laxativa, quia venenoſa,
cruorem autem, atque vires vitales, ſubtrahunt.
Sed ab equo Hungariæ didicere venæſectiones;
ab ave, clyſteres, &c. Ergò. Verum
dicam cum Propheta. Nolite fieri ſicut equus
& mulus, quibus non eſt Intellectus. Nolite diſcere
à magiſtris talibus. Subſcribet enim meo
voto pars dimidia Continentis. Quippe ſub
Imperiis Ottomannico, Abyſſino, Indiarum
parte potiſſima, eſt venæſectio inuſitata. Harum
tamen nationum robora, agilitates, promtitudinem;
vigilantiam, & laborum conſtantiam, tam
ad agendum, quàm tolerandum, diſcite ex Hiſtoriis.
Meritóque mecum lugebitis nationes,
olim bello formidabiles, hodie, ſenſim, ſub
Medentibus, evaſiſſe ad quemvis ventorum
axem moribundas. Etenim Septemtrio, & Occidens,
quæ in totum mundum ſolent ſpargere
ſuos bellatores, deinceps, propter has Scholarum
ineptias occidunt, ſimulatque phalanx peregrè
proficiſcitur. Objicient demum. Si præſidia 88
univerſalia demas, nec ad humorum ablationem
te dirigas; quo ergò medio, ſuperabis

morbos? Reſpondeo cum præfatis nationibus, Naturam eſſe morborum Medicatricem, eam confortandam ideo, non conſternandam. Finium promotione opus eſſe. Si enim ſordes primis adhæſerint latebris: inſiſtendum reſolutivis, & abſterſivis, natura tuto ſatagente reliquum. Sin verò penitiori receſſu aliquid pertinacius occultiuſque reſtiterit: aſſumenda ſunt alcalia volatilia, quæ inſtar ſaponis, cuncta 89 abſtergunt. Mirum ſanè, quantum ſal tartari, vel urinæ, volatile factum, non præſtiterit. Nam omnem è venis amurcam detergit, & obſtruentium contumaciam, diſpergitque apoſtematum ſuſcepta conciliabula. De hoc ſalis (& non olei) ſpiritu, verum eſt illud Paracelſi, quod quocumque non attigerit, vix alius potentior perveniet. Externa autem, tam topicis, quàm internis vitalium poteſtatum ſuppetiis curantur: modò per diaphæreſim, cruoris clarificationem, balſamique novi tincturas, ac redintegrationes intendatis. Majora autem arcana, ad remedii univerſalis faſtigium quodammodò aſcendunt. Diſcite. Nam vendit Deus ſudoribus artes.

Superfetatio ſupplementaria, ad humorum fallaciam.

CAPVT II.

1. Medentum incuria plangenda. 2. Miſtio elementorum obiter rejicitur. 3. Non, Chriſtianis connivendæ ignorantiæ paganicæ. 4. Catarrhi deliria ex humoribus prognata. 5. Ignoratis cuſtodibus errantibus, fuere Catarrhi tandem ſtabiliti. 6. Infringitur quaternarius humorum per contuſionem membri. 7. Ariete concutitur bilis flava. 8. Probatur uſus fellis incognitus. 9. Bilem, non eſſe fel. 10. Abſurditas Scholarum. 11. Error Galenicus. 12. Conſequentia argumenti Scholarum ludicra. 13. Scholas præ ignavia indagandi, ignoraſſe contenta urinæ; & neglexiſſe uronomantiam. 14. Errores multiplices Veterum. 15. Argumentum ex regula falſi. 16. Defectus Scholarum. 17. Bilis, à Scholis oſtenſa, eſt cruori per accidens, non autem de eſſentia. 18. Iterum per ſuppoſitionem falſi. 19. Scholæ debebunt, velint nolint, deglutire duo Authoris axiomata. 20. Iterum conniventer ſupponitur error Scholarum. 21. Iterum ſupponitur. 22. Abſurda aliquot, atque pudenda, proponuntur. 23. Scholarum tecta blaſphemia. 24. Fel, viſcus vitale. 25. Paganos non fuiſſe illuminatos dono Medendi. 26. Muccum, nec pituitam, ut neque cerebri eſſe excrementum.

ENimverò tantoperè radicatus eſt humorum numerus, quod ſemel eoſdem refutaſſe non ſit ſatis. Adeóque cum non ſatis doceatur, quod non ſatis diſcitur, cogor repetere per ſuperfetationem, quæ jam ſuperius ad longum demonſtrare attentavi. Siquidem in hoc cardine, totus medendi verſatur rhombus. 1 Etenim miratus ſum ſæpiſſimè, quod pugna elementorum, miſtionum, & complexionum figmenta, per tot ſæcula, orbem chriſtianum dementarint hactenus, quodque horum falſitatem adverterit nemo. Ubi tamen res tua tunc agitur, paries dum intimus ardet, cuique ſuus. Tantóque pernicioſius perpetuarit hæc cœcitas, poſtquam Medici ſua omnia in rem Medendi introduxerunt. Etenim per hæc commenta, univerſam morborum familiam, horumque ſanationes, in ſuas nugas, aſtipulante mortalium credulitate, tranſtulere. In ſe quidem planè erant ridicula, ac ſcenica, niſi lacrymis, luctu, planctu, ac Miſerorum commiſeratione, totum, per vices vicoſque, populum Chriſti replerent quotidie, familias deſtruerent, viduas, & orphanos proferrent impunè. Denique ad præfatas, cœcaſque Medentum temeritates has, ficti ſunt humores totidem, ad numerum ſcilicet quaternarium elementorum. Horum nempe ametria, morbos forte univerſos conſtare, ut & conſequenter ſanitatem, ex ſequeſtratorum putaticiorum abundantia: Sanitatis tandem redintegrationem, ac conſervationem (utut vitæ brevitatem cauſaret præfata humorum cruoriſque ſequeſtratio) recuperari. Vah crudele Medentum Scholarum dogma, atque facinus ſceleſtum! Itaque non ſat ſemper, credulorum fallacias paſſivas, pernicioſaſque Scholarum inventiones, & continuatas demum ſubſcribendo ignavias, in ſtuporem uſque, & gemitus frequentes, ſum ſeriò deteſtatus, & apud Dominum Ieſum meum conqueſtus, quòd genus humanum, ſub dæmonii fraudulentis technis, tanta credulitate, ſeſe ſubſtraverit tam pertinaci & atroci crudelitati, ſubſternatque æquè conſtanter etiamnum hodie. Præſertim ubi in exterioribus, nullum hujuſmodi nugæ reperirent fomentum. Rogavi itaque clementem Naturæ parentem, dignaretur aliquem ſuſcitare, cui dos eſſet, refellendæ tantæ mortalium atque Scholarum hebetudini. Certè enim inprimis conſtitit mihi ex tanta, tamque conſtanti cœcitate, nos mortales planè nihili, nec quicquam ſapere, ne quidem in naturalibus, niſi ſupernè manus Omnipotentis, per columnam

ignis,

2 ignis, in tanta nocte illuminet. Siquidem in-
primis exſiſtentia ignis elementalis, prope glo-
bum Lunæ, ſuperantis ſua ſphæra, regionem aë-
ris multoties, prorſus in ſe ludicrum commen-
tum continet, tantóque magis adynaton, quod
inde per tot centena milliaria, & trans aëris fri-
gidiſſimum clima, penetraret inceſſanter, vo-
catus ſcilicet accerſitusve, vel ſponte deſcen-
dens ignis, contra propriam ſuppoſitæ ſuæ le-
vitatis regulam, adeóque violenter aëri com-
miſcetur, ſimulque inita pace, pactisque fœde-
ribus, unà violenter deſcenderent eminus de-
orſum, Ignis & aer, ad ſingulorum ſeminum
imperia, miſtionumque conſtitutiones, ſingu-
3 lis momentis novas, etiam inſolitas. Dolendum
ſanè, atque ſummè miſerandum, quod diaboli-
ca hujusmodi mendacia, quæ in Ariſtotele ri-
denda & connivenda erant, etiamnum hodie,
à tot ſeculis, perſeverent, nondum deſtiterint,
nondumque ſurrexerit aliquis, qui tantæ cœci-
tati non ſit patronus. Quæ tamen nullo conce-
ptu, nulla fide, nec ulla veritatis chlamyde, ob-
volvi poteſt. Potiſſimum, quod ab hiſce ſcho-
laſticis fabellis ductoribus, humores quatuor
excogitati, imò etiam obedire coacti, ſui natu-
ra viderentur, & conſentirentur officinis, item-
que proprietatibus miſtionum, ac velitatio-
num, inteſtinam mortis, morborum, ut quoque
ſanitatis ſpem, atque regulas continere. Quæ
tamen non niſi innato Cacodæmonis odio, ac
ſuggeſtione, perque continuatam Scholarum
ſubſcribendi ignaviam ſtetere credita, velut na-
turæ principia, Deo Conditore ſic permittente,
ordinata. Adverſus quæ cuncta, unicum ſuffi-
cere deberet, Quod nimirum Ignem, extra nu-
merum elementorum, imò & ſubſtantiarum
cenſum, ſubmoverim, impoſſibilemque ele-
mentorum commiſtionem, pro corporum (quæ
mixta creduntur) conſtitutione requiſitam, de
monſtraverim. Sic ut nemo ſanæ mentis dein-
ceps, neceſſitatam paritatem humorum, cum
elementis poſſit, aut debeat admittere. Etenim
fuit humorum, quàm elementorum fallacia,
abſtruſior in populo, minúsq; pervia: ſed quod
à Doctis, ac judicioſis, conſenſa fuerit, haben-
dum pro commiſeratione, proximo debita:
quæ ut populi credulitates deflet; ita hebetudi-
nem Scholarum, atque conſtantem indagandi
4 ignaviam, ſive incuriam, incuſat. Quod autem
Catarrhi demens deliramentum, pariter mun-
dum mirè afflixerit, ac mecum ſæpiùs occaſio-
nes rimatus, quo nimirum fonte, tanta Schola-
rum hæreditaria cœcitas, & in aſſerendo, tam
inveterata pertinacia prodirent: Tandem co- 5
gnovi, utriusque Cuſtodis errantis ignoran-
tiam, feciſſe occaſionem labendi, in miſeram,
ſubſcriptamque decidentium humorum con-
feſſionem. Nimirum ſæpè quis per auram fri-
gidiorem, mox gutture, cervice, dentibus, vel
humeris perculſus, credulusque, putat, juxta
Medentum aſſertiones, defluere creditos hu-
mores ad loca, frigore percuſſa. Cum alioqui
frigus, ut eſt natura ſui repercuſſivum, potiùs
procul à ſe averteret decubitum humorum, Ca-
tarrho ſubſervire putatorum. At multa hodie
phlebotomia, frequensque ſolutivum, ſicut ro-
bur partium minuunt, minutumque in poſte-
ros dimittunt: ita non mirum ſanè, ab iniqui
aëris endemate, vel alioqui frigoris excellenti
injuria, partes percuſſas, atque ante debilitatas,
facilè pati in propriis officiorum ac digeſtio-
num functionibus. Vt nimirum producta de-
genera, cauſam mali ibidem nati, non autem
aliunde iſthuc deflui, patefaciant. Licet inte-
rim iſta producta aliena nil commune habeant
cum quatuor ſuppoſitis humoribus: multó-
que minus horum convincant defluentiam po-
ſteram. Quorum tamen falſitas, tanti eſt mo-
menti: quod aſſertorum humorum theſis ne-
queat non hebetudinem, & incogitantiam
Scholarum, in ſuis medendi principiis, neceſ-
ſariò abuſu pernicioſiſſimo, mortalibus invol-
vere. Quippe, quod inde ars medendi, morbus,
ſanitas, vitæ, atque tandem mortis neceſſitas
conſequantur. Quod proin hoc loco lucidius,
in beneficium proximorum deceptorum, ite-
rum explicabo. Atqui principio reſumam
Scholarum theſin, qua fingunt cruorem è qua-
tuor diverſis & connexis humoribus componi.
Videmus nempe, quod poſt contuſionem 6
membri, primò ſequatur tumor, qui ſtatim
plerumque rubet, ac dein lazureo colore muta-
tur, mox abinde livet, poſtea nigricat, ac poſtre-
mò flaveſcit, longéque in circulos diſpergitur.
Itaque juxta humoriſtas, cruor iſte primò in a-
tram bilem migrat, & hæc tandem in bilem fla-
vam. Sicque humor liquidior pertinaciſſimè re-
ſiſteret, eſſetque atra longè facilioris diſſipatio-
nis, quàm flava. Sicque non atra ex flava: ſed re-
trogrado planè modo, hęc in flavam mutaretur.
Quod eſt invito Galeno, qui nunquam atram
novit reverti in bilem flavã. Quin potius cruo-
rem omnem immediatè, ac naturaliter in bilem
flavam, per ſui alienationes, contendere ſcri-
bit. Huc ſpectat doctrina inaudita de febribus,
cap. de ſolutivis. Vbi nempe oſtendi, quod

juxta virus ſolutivorum , diverſimodè cruor
transmutetur per ſui corruptionem. Id nimirum
in contuſionibus contingit , cruorque extravenatus
, ac vitæ ſodalitio ſenſim deſtitutus,
paulatim quoque tam partium affectibus,quàm
cruoris corruptelis variis, auſcultat. Non autem
quod excrementorum demortuorum varietas,
aut corruptelæ difformitas , compoſitionem
7 cruoris teſtari poſſit , aut debeat. Enimverò
Scholæ ſupponunt pro Medicinæ inſtitutionibus
: Quod flava bilis ſit unus de quatuor conſtitutivis
cruoris , felleus nempè,& amarus : ideóque
, quod qui quandoque per vomitum rejicitur
flavus, & amaricans,ſit ipſamet bilis,imò
fel ipſum, eſſentialiterque coindicens in identitate
, cum præfata bile , & felle originali , quæ
ambo è cibis quotidiè , ad cruoris conſtitutionem
, fabricari contendunt. Bilem nempe ad
cruoris compoſitionem : fel verò, tanquam excrementum
, in thecam ſuam ſubter jecur relegari,
ut inde per alvi ſordes foras vadat. Quod
autem per vomitum rejicitur flavum, amarum,
ſubinde porraceum , & æruginoſum colore :
hinc nempè probant ipſam originalem , quæ
cruori extravenato ſupernatat,debere, velit nolit,
naturaliter eſſe amaram, ac felleam : ac iterum
vice verſa, veritatis penuria,bilem,cruoris
conſtitutivam, debere neceſſariò amaram , eo
quòd hoc recrementum eſt ordinariò amarum.
Quinetiam quamvis amarum rejectumque vomitu
excrementum , à bile , in cruore relicta,
prorſus diſcrepet, poſt ſui inde ſeparationem:
propter (ut ajunt) abundantiam ſui , nimietatem,
ac meracitatem,ſeparando acquiſitam: attamen
volunt eſſe eſſentiali,reique actuali veritate
, eadem : tam ſcilicet, quod rejicitur per
vomitum , quodq; adhuc relinquitur pro compoſitione,
& requiſita cruoris integritate, quàm
iſtud tertium , quod ad folliculum fellis , quotidiano
è paſtu reſultans, defertur, indéque efferri
ajunt , ad tingenda excrementa tam alvi,
quàm veſicæ. Quæ ſcilicet unam, eandemque,
ac univocam meram bilem flavam , choleram,
unicumque in ſui radice humorem, de quatuor
noſtri conſtitutivis,ſeriò aſſerunt. In quo Scholarum
dogmate , contineri pernicioſam mortalium
8 deceptionem, ſic probo. Nam primò, patet
: quod contentum in cyſtide fellis , non ſit
excrementum humanum , ab errore jecinoris
partum , & loco calcaris , ad ſtimulum inteſtinorum
deſtinatum : ſed viſcus nobile , balſami
conditionem referens , ac ſummè tam neceſſarium,
ut ne quidem piſcibus abſque felle vivere
ſit licitum , ex mera aqua etiam parcè viventibus
: ubi attamen potantes aves, citra renes,veſicam,
& lotii emunctoria,felices vivunt. Quod
in tractatu de digeſtionibus , itemque de Splenis
, & fellis imperiis , alibi ſufficienter , & ad
repugnantem ſaturitatem, ex profeſſo demonſtravi.
Quorſum Lector recurret. Denique quod 9
ſtomachus per vomitum regurgitat , non eſſe
fel , alibi ex profeſſo demonſtrabitur. Sat eſto,
hîc quod ſtomachus ſit hoſpitium, fellis ſequeſtrationi
inſolens, & impoſſibile. Cum fel, non
à jecore , multóque minus à cyſtide ſua , non
revocetur ad ſtomachum. Quod nempe pugnat
cum Scholis,volentibus,quod fel, directo
deſtinatóque motu, ac canali, per inteſtina, ſui
exorbitantiam dimittat , atque inde ſcoria eorundem
tingatur. Dein non eſt via , per quam 10
fel in ſtomachum trahatur retrogrado motu,ab
hepate. Si ab hepate factum, naturaliter deferatur
ad cyſtida fellis,jam ſeparatum,ac tanquam
inutile rejiciatur : & inde tandem,per inteſtina,
ſtercoribus miſtum propellatur. Nam ſtomachus
ad ſe non trahit excrementa ab inteſtinis.
Itaque , ſi quod per ſtomachum vomitus rejicit
amarum atque flavum , fel eſſet ; poſtquam
in hepate (juxta Scholarum traditiones ſuppono
) generatum eſſet , dimiſſumque ad folliculum
fellis , atque inde in Inteſtinum exul factum
, rurſus attraheretur ſurſum ad ſtomachum.
Erraretque ſtomachus fine naturali, debito
atque ſolito. Quæ alibi ex profeſſo latius.
Nunc aliud æquè impertinens trutinabo. Volunt 11
Scholæ, fel ordinariò velut excrementum
inutile, quodque cruori, ut pars integralis, non
commiſcetur,ab hepate non ſtatim quidem:ſed
per aliquot horas, poſtquam fel ſuo folliculo
immiſtum ſit, in Inteſtinis,quoque ſtercori admiſtum
, trahi rurſus per venas Meſenterii , ut
urinæ miſceatur. Inquit ſiquidem Galenus ,
corpus lotii mei reſpicio multo manè, planè aquoſum
nec tinctū : quapropter ſuper dormio,
& video urinam tum tinctam. Ergò vel ſolo tempore
continuato , tingitur ſponte ſua lotium :
vel(prout Scholæ docent)commiſcetur tandem
poſt aliquod horas fel tingens. Ergò hinc patet:
quod velint fel , à ſuo folliculo , per inteſtina
deponi, mox iterum ſub finem digeſtionum,&
circa ultimum Ilei deveniens , attrahi in venas
Meſenterii , per portam Iecoris aſſugi , intromitti
in hepar , venam cavam, & per emulgentes,
labi in renes cum lotio. Qui circulus fellis,
è Iecore in Iecur , tam eſt infamis ignorantiæ
plenus , quod nihil æquè. Siquidem 1. conſtat.

Quod

12 Quod flavedo urinæ non ſit ex felle, nec amara.
2. Quod promptius, ſi fel fieret in hepate,&
non ipſo viſcere folliculi ſui, à Jecore in renes
ſecederet, quàm quod contra omne naturæ
decus, à ſtercoribus repeteretur, quod prius
ſemel eſſet rejectum atque proſcriptum. Nam
in rerum natura, aut in renum diverſorio, nunquam
fuit fel, aut bilis. Quodque ſtomacho
aberrante fit, & rejicitur amarum, nunquam
fuit fel, aut bilis: ſed merum ejus recrementum.
13 Ideóque bilis amaror, nullatenus rectè infertur,
ex amaritudine peregrinarum ſordium. 5. Non
ſat probatus eſt bilis amaror in lotio, cujus ne
minimum unquam fuit verum. Nemo hactenus
ex tot ſæculorum Medicis, urinam amaram
guſtu invenit: vel aſſerere auſus fuit, niſi figmentis
paganicis ſubſcribendo: nec guttam liquoris,
cruori extravenato ſupernatantis, ullam
ullus unquam deguſtare auſus fuit: ſed omnes
univerſum maluere paganicis fabellis ſubſcribere.
Nec minimum dubitarunt, quin ille ſupernatans
liquor eſſet mera bilis fellea, flava, &
amara. Nec tentarunt cognoſcere, ullum fellis,
aut fictæ bilis amarorem urinæ ineſſe, ne
quidem urinis Ictericis. Quod tamen ſummè
eſſet verum, & inexcuſabile, ſi vel unica fellis
gutta, tribus libris urinæ permiſceretur. Sin autem
aliquis unquam urinam, vel præfatum, ſupernatantem
liquorem cruori, caſu, aut volenter
deguſtarit, nec reſipuerit à bilis permiſtione,
neceſſitatéque fellis: Iam dedit teſtimonium
ſuæ pertinaciæ,& ignorantię. Nam omnis
humor felleus, naturaliter ſemper amaricat:
ſed nec ſupernatans liquor iſte, ut neque urina
amaricant. Ergò non ſunt humores fellei. Itaq;
ex tentandi incuria, maluerunt fabulis ſubſcribere,
falſaque pro veris credere, atque tutari
pertinaciter, quàm indutam opinionem iſtam
deſerant. Aſt effectus inde prodeuntes, luxit
omnis poſteritas, totuſque adhuc hodie orbis
Chriſtianus mecum plangit. Itaque unus ſaltem
experiatur quæ dixi, quæque ſine incommodo,
aut periculo ſtatim experiri poterit, & dolebit
vir probus omnis, tantam tot ſeculorum
ignorantiam, ignaviam, & atrocem populi
14 Chriſti deceptionem paſſivam. Ergò quam
Scholæ dicunt bilem flavam, tam in lotio, quàm
in cruoris cōpoſito, nec bilis eſt, nec amara, nec
fel, nec unus de fictis idcirco quatuor humoribus
elementalibus, nec elemento ignis reſpondens,
cum ignis nullatenus ſit elementum. Neſcitumque
hactenus, quem guſtum haberet
unus ex iſtis quatuor ſuppoſitis humoribus. Imo
quoties morbos accuſant bilioſos, dyſenteriam,
Eryſipelas, &c. etſi os amaricaret ſubinde.
Liquor tamen ex eryſipelate emanans, non
eſt amarus: ſed planè ex acido ſalſus. Is inquam
humor, de cujus ardore conqueruntur Scholæ
in eryſipelate, vocatur acerrimus: cum interim
nec acrimoniam, neque amaritudinem ullam
præ ſe ferat. Suntque inconſtantes in hoc; cum
acrimonia tamen humorum tantumdem ab amarore
diſtare deberet, quantum piper à colocynthide,
vel cucumere aſinino. Adeóque
tam oſcitanter, & inconſtanter, de proprietatibus
ſuæ bilis Scholæ egerunt. Quod in Iure,
teſtis varians, ſit omni fide indignus, habeatur
pro inſipido, vel falſario, ſitque ad reſtitutionem
cogendus, quantum alteri, ſuo teſtimonio,
læſionis attulerit. Sed agedum, ſupponamus 15
(non autem credamus) ſupernatantem
cruori liquorem eſſe bilem felleam, & de naturali
compoſitione ejus. Saltem iſte cruor,
cui jam bilis iſta ſupernatat, non eſſet amplius
cruor, ſi unum de quatuor ſui conſtitutivis defecerit,
factaque ſit ſegregatio thori, componentium
ſcilicet ſeparatio realis: Non enim
caſeus, à quo ſeroſitas ablata eſt, lac eſt amplius.
Neque enim inficior totum integrale
ſubſiſtere ex partium heterogenearum unione:
ſed ceſſat priſtini concreti integritas, ſimulatque
partium conſtitutivarum una receſſit. Supponunt 16
nimirum Scholæ, quatuor humorum
permanentiam,& connexionē, pro cruoris conſtitutione.
Imò præter hāc ſimplicem & vanam
ſuppoſitionem, nil à Scholis probatum hactenus,
quod non magis commiſeratione, quàm
fide ſit dignum. Nego itaque ſtolidum ſuppoſitum,
nec licet proin, à non probata theſi,
ad falſas deductiones bilioſas, harumque legationes
in diverſas corporis partes, atque paſſiones,
procedere: ſi prius non fecerint conſtare
de quæſtione, an ſit bilis ulla, pro compoſitione
cruoris requiſita. Ergò bilis locum non habet 17
in cruoris compoſitione, licet extravenato
cruori ſupernatet ſeroſitas urinacea. Nam iſta
ſeroſitas eſt cruori per accidens. Quod ſat
probat illorum cruor, qui parum biberunt,
multumque laborarunt, & ſudarunt. Sæpè
namque talium cruor, per phlebotomiam ablatus,
caret omni prorſus ſeroſitate. Ac per conſequens,
eſſet orbatus bile. Itemque nec deſinit
iſte cruor eſſe cruor: Qui non niſi per accidens
ſeroſitatem admittit. Quod alibi capite
de Latice (hactenus Scholis incognito) de
Ortu Medicinæ, demonſtravi. Latex enim, ad
ſuos

ſuos fines, cruori relinquitur, cujus ideò igno-
rantia, Medentes hactenus, ab Vronomantia,
pluriumque morborum cognitione, ſecluſit.
18 Reſumam iterum ſupponendo, Quod bilis flava
naturaliter ſit liquor aquoſus, cruori ſuper-
natans. Saltem ergò doceant Scholæ, ſi bilis ſit
humor maximè igneus, ignem repræſentans,&
continens, in ſubſtantia,& proprietatibus,quo-
modò ignis gliſcat in mera aqua ſalſa? Quomo-
dò non ſuffocetur in aqua? Quomodò ſub uni-
tatis identitate, ignis & aqua ſe invicem com-
patiantur, ut & aër immediatè, ſub phlegmate?
Quid uſpiam repererint in natura, quod cogat
ignem connectere in aqua ſalſa? Reperient tan-
dem, ſe adactas ad credendum has nugas, pro-
pter quaternarium elementorum & corporum
miſtorum neceſſitatem. Quam poſtquam de-
monſtrationibus propter quid, utramque con-
culcatam,mundus meis ſcriptis aſſecutus fuerit.
Ridebunt ipſæmet Scholæ, omniſque poſteri-
tas, avorum ſtoliditates hactenus tam pertina-
citer tutatas, in Medendo tam pernicioſas, &
inſtruendo falſas. Quod velint nolint, degluti-
re debebunt, duo mea axiomata alibi demon-
19 ſtrata. Quorum unum eſt. Nullum eſſe ignis
elementum, ignemque culinarium, ſive artifi-
cialem, non eſſe ſubſtantiam. Ac conſequen-
ter, ſi concurrerent plura ad cruoris compoſi-
tionem: ſaltem non poſſe confluere quatuor
elementa. Ac malè quadrare ideo fictionem
quatuor humorum, pro cruore noſtro, pro mi-
ſtione, temperie,lucta,itemque pro morborum
ac ſanationum veritate, exſiſtentia, actualitate,
alteritate,& ſanatione. Alterum autem meorum
axiomatum,alibi ſat probatum eſt,Quòd omne
ſublunare viſibile, materialiter non compo-
natur ex quatuor, ut neque ex tribus elemen-
tis commixtis. Pœnitendúm ergò ſeriò. Quo-
niam ignis nec elementum eſt, ut neque ſub-
ſtantia, nec in noſtri compoſitionem advocan-
dus,pro ficta Microcoſmi æquiparatione,aquo-
20 ſus liquor ſalſus ut formam ignis referat. Ite-
rum conniventer ſuppono. Naturam quotidie
ex omni cibo,vix conficere cruoris ſatis (prout
libro de febrium inaudita doctrina.) Saltem id
comprobat natura, cum pro cruore ſupera-
bundanti, nullum hactenus ſtatuerit diverſo-
rium: attamen ſemper abundanter, ac ſuper-
fluè, ex omni cibo, utramque bilem parat
(quod probant Scholæ per tincturam urinæ, &
ſordium alvi) ergò ſaltem quotidie natura je-
coris errat, fundataque eſt in errore, peccatque
etiam in abſtemiis, piſcibus, & nationibus, ſolius
aquæ potatione ſaturatis. Quod ſcilicet mi-
nimum ſuperabundantis humoris ignei, & ter-
rei generet, pluſque quàm pro ſuis alimentis,
ſibi ſit opus. Cur ergò non peccat natura po-
tius in qualitate, prout indies indiſtinctim pec-
cat in quantitate? Cur etiam loco cruoris(quar-
ti ſcilicet humoris ordinarii) non pariter pec-
cando parit cruorem quendam abortivum, ex-
crementitium, proſcribendum in exilium, ſi-
cut duas biles quotidie nimias exſulat de facto,
è compoſitione cruoris, vitæque ſodalitio?
Cur etiam è bonis, & euchymis cibis, tempe-
ratè ſumtis, quotidie plus malignorum, & ex-
pellendorum, quàm optimi cruoris parit? Cùm
Galeno teſte, in calidis naturis, totum mel,
quod aliàs in temperatis, atque ideo ſangui-
neis, vertitur totaliter in ſanguinem, vertatur
in bilem flavam? excluſis videlicet aliis tribus
conſociis humoribus? Vnde ſequitur. Quod
fabrica humorum, non ex complexione cibi;
ſed prorſus ex hepatis adraſtia proveniat. Vnde
conſequenter, ſi quotidie bilis utriuſque plus
juſto conficiatur, id totum peccato, ac vitio
naturæ, tantum eſſe tribuendum. Omniſque
ideo hepatis naturalis complexio, vitioſa eſt,
ac erronea, in omnibus atque ſingulis. In abs-
temiis, itemque in torridis, ut & in exſangui-
bus, & febrientibus quotidie peccatur in u-
triuſque bilis nimietate, ut etiam in ſanguinis
penuria. Vnde ſequitur, primarium ac princi-
palem naturæ ſcopum verſari circa fabricam
præfatæ utriuſq; bilis excrementoſæ. Quis ergò
ex tot abſurditatibus, non cernet, & diſcernet,
ſuppoſitæ theſis falſitatem? Suppono itaque
ulterius, Quod Scholæ doceant, bilem atram 21
eſſe acidam. Id autem probant, quia cadens in
terram, per vomitum rejecta, fermentat eam, ſi
terra cooperiatur. Fundamentum hujus ſtolidi
argumenti, jam ſupra conculcavi. Secundò do-
cent, atram bilem fieri ſubinde ex flava reco-
cta, ſive abundanter cocta,quaſi ſua ſponte tan-
dem flava deflueret in atram, tanquam finem
ſui ultimatum. Quas Scholarum theſes comi- 22
tantur multa abſurda. Nam inprimis ſibi con-
tradicunt Scholæ in hoc,quod ſtatuant quatuor
humores, ſimulque eodem digeſtionis motu
naſci, ſive fieri, ſi nempe cruoris compoſitio
ex quatuor conjunctis contingat. Secundo ſe-
cum luctantur, dum bilem flavam, coquendo,
in porraceam & æruginoſam terminari docent.
Id eſt, induere viridem colorem, & interim
increſcere in amarore. Ergò atra bilis non eſt
acida, ex ſupercoctione flavæ, nec illa ex

hac oritur: vel alioqui naturæ coctio non eſt univoca, in eodem corpore, eodemque digeſtionis rectore promota. Vel ſanè id quod rejicitur quandoque acidum atque nigrum, non eſt bilis atra. Niſi fortè utrumque æquè merito negetur. Dein ubi, & quomodò ſupercoquetur flava bilis? non enim in Iecore, ubi exiles venulæ moram coquendi non tolerant, continuo nempe cruore, & lotio tranſeunte, repletæ. Nec demum atra fiet, ex recocta flava in venis Meſenterii: cum hæ continuo diſtendantur ciborum ſuctu, & potuum tranſitu: eſſetque flavæ bilis recoctio, ne dum impedimento: Verùm inſuper contagioni, novello chylo, tendenti ad officinam ſanguificationis. Quod ſi verò flava bilis, nec infra nec ſupra hepar, nec demum in ipſis ramulis jecoris recoquatur, ut inde fiat atra: Sed flava deferatur ad Lienem, ut in illo viſcere tranſmutatio flavæ in atram, & amaræ in acidam, contingat: Tum ſaltem meminiſſe deberent, quod eo conceſſo, jam atra bilis, ſive quartus humor, deficeret pro compoſitione ſanguinis, & cruor ex aliis tribus tantùm eſſet compoſitus. Quod theſim ſanguificationis Scholarum funditùs evertit. Tandem quorſum inſerviet recoctio bilis flavæ in atram, ſi inde hoſtile & terreum elementum, in cruore deficiens, poſtero ſpatio conſurgeret? eſtne tantoperè ſolicita natura, ut paret mox exulandos humores? quoſque paulò infra, non entia oſtendam? mera figmenta nulli fini dicata? Demum undenam flava bilis, iſtam ſibi aciditatem, ex amarore hauriet, cunctis viſceribus extra ſtomachum hoſtilibus? ſi in humorem ordinarium, ac naturalem, directè tranſeat? Quomodo igneus humor, per coctionis moram, æruginis colorem aſſumet, præſertim ſub eodem lento vitalique tepore? fietque ater, acidus, & fœx terreſtris? An ergò, fortè terra naſcitur materialiter, ex recocta aqua ignea? Vbinam quoque terrarum provenit acidum, ex inſpiſſato amaro? Ac unde Scholæ fictam hanc didicere Metamorphoſin? Eſtne fortè humor iſte acidus, ater, atque terreſtris, humor quidam ſingularis, unus de quatuor elementalibus trium elementorum? at eſt ergò falſum, quod ex recocta, retorridaque flava, eundem fieri aſſeruere. Imò timendum inſuper, ne quintus dicendus ſit, qui ſibi parem alterum nondum habuit, eritque non minus neceſſarius hic, quàm alii quatuor, ſi adhuc auſint quatuor alios comminiſci. Eſt nimirum hic acidus, bilis familia indignus. Qui, hujus omni proprietate penitus eſt ſpoliatus, nempe qui acidus eſt, craſſus, niger, inſpiſſatus, recoctus, frigidus, terreus, & ſaturnius. Aſt ubinam didicere Scholæ, terram vocare ignem atrum acidum, frigidum ſiccum, ut atram bilem fingant, quartum elementalemque humorem, pro integritate & conſiſtentia ſanguinis requiſitum? Reſpice Lector, quorſum figmenti complicata abſurditas, Scholas adegerit, quod nominum atque veritatis penuria, duo elementa, fictoſque inde fecerint humores, terram frigidam: ſimulque liquorem amarum, acrem, acidum & igneum? Bilemque flavam, ſimulque mox eandem atram acrem, amaram, & acidam vocaverint? Vah! timeant ſibi funeſtum caſum, poſtquam à tot ſæculis jam ceſpitando itum, & profugiendo tam miſerè mentitum eſt. At ſaltem conjicio, novum hoc atræ bilis germen, in conſtanti Scholarum hebetudine, non habere certam aſſertionem (quod demonſtravi primum fuiſſe cruorem alimentarium Splenis, quandoque ſiniſtro eventu degenerem) nec ab initio, & pro cruoris conſtitutione requiſitum: Dici autem à degenere bile, recoctione productum, ſubterfugii loco, ut nempe à tot abſurditatum anxietatibus quodammodò ſe liberent. Coguntur ſaltem potius concedere, quòd ater ille liquor acidus, ſubinde, vitio lienis rejectus, ſit amurca excrementoſa, inutilis, nec intendente natura factus humor. Vtut ſit alioqui, ſi proſilire dicant, ex naturæ intento (etſi rarius conſpiciatur) nec item ex priùs recocta bile flava: ſaltem immeritum nomen, & proprietatem acquiſivit (nec enim ſe ſat explicant Scholæ, vagantes in ſui dogmatis inconſtantia) bilis, igneæ & felleæ proprietatis. Iam terra quandoque nil erit, præter ignem inſpiſſatum, ſi appoſitè quadrent ficti humores, attributis elementis. Flava item & atra, fient ſimul, eodemque teporis agente, ut uni ambæ biles reſpondeant terræ. Præſertim cum jam conſtet, Ignem non magis poſſe, quàm eſſe, de numero elementali. Sin verò tribus tantùm elementis tres ſufficiant humores, cur quatuor excogitarunt? Id namque juxta putatos ſomniorum errores, eſt naturam cogere voluiſſe: perque temeritates jam aſſuetas, gentiles futilitates confirmaſſe abſque dono luminis Medendi. Sed quomodò quatuor quadrabunt tribus? Quæ ſi non quadrent, non pergant ſaltem Scholæ deinceps, pertinaciter Veterum paganiſmum tutari. Siquidem per ejuſmodi paganorum mendacia ſanare velle, eſt introduxiſſe pernicioſam & erroneam praxim, in propriam damnationem, & proximi calamitates. Si ergò atra bilis

non in Iecore appareat; ſuis inſignita proprietatibus,
nec in Liene ex recocta flava, aut felle
toſto: imò neque ex propria naturæ intentione,
nec item humor ſecundarius alimentalis; nulla
certè eſt flava bilis, ut nec ulla atra. Imò ſi utraque
bilis ſit humor quotidianus, parteſque conſtitutivæ
cruoris: ſitque item bilis utraque quotidianum
recrementum, delegatum ad ſuas
cloacas. Ergò & ſtercus pari jure erit excrementum,
non quidem ciborum; ſed cruoris: quia
tinctum à bile flava, At profectò ſtupida nimis
ſunt utriuſque bilis officia, à Scholis deſtinata.
Quod nimirum oportuerit naturam continuò
ſolicitam fore, pro generatione bilis flavæ, pro
tinctura, & amarore ſtercoris, & lotii (licet utrique
hic guſtus deſit) ut etiam pro excretricis calcare.
Denique quorſum oportuit ſtomachum
ſtimulari ab atra bile heſterna, prius acore contaminata?
Siquidem ſtomachus non minus geniali
excretrice dotatus eſt, quàm attractrice, vel
retentrice? Cur item atra (quæ ex condo ſui, nedum
amara & acris: ſed & pernicioſè acida fingitur)
degenerat in acidam, ut ſtomacho calcar
injiciat? cum acidum, juxta Scholas, potius reſtringat.
Pudeat ergò viros judicioſos, bilem flavam
atque felleam dicere, eamque ad urinæ tincturam
requiri amaram: Cum in lotio nullus ſit
unquam repertus amaror. Pudeatque in re tanti
momenti, qualis eſt templum Spiritus ſancti, has
biles pro cruoris partibus componentibus aſſerere.
Adeóque non entium regimen, & doctrinam,
in fines impoſſibiliter veros direxiſſe. Nam
ſi tam fel, quàm Splen, ſint receptacula, ſolis dicata
ſordibus: erubeſcant, dum cernunt ſolum
Splenem plures habere arterias, quàm omnia ſimul
viſcera. Conſiderentque, cur tot arteriis opus
fuerit, pro cloaca vituperoſiſſimi recrementi.
23 Et an id non ſit vitæ Authorem glorioſiſſimum,
erroris inſimulaſſe, qui plus vitæ internæ
dediſſet uni ſordium latrinæ, quàm omnibus ſimul
vitæ aulis. Quique cor continenter, & abſque
feria laborare juſſit, ut ſufficientes vitæ ſpiritus
ad Splenem tranſmittat quadringentis
forte arteriis. Nonne alioqui ſatius naturæ Arbiter,
vitam in digniores uſus locaſſet? Parumque
ideo atræ bilis naſci, ac fieri juſſiſſet (dum non
ex ciborum complexione & bonitate: ſed ſolo
hepatis niſu, humores hi, vel iſti, multi, aut pauci
fiant, juxta Galenum de melle) pernicioſiſque
ſordibus, ampliorem longè exitum donaſſet, &
procul à nobili viſcere remotum. (Videtur namque
Creator, velut finium oblivioſus, à Scholis
accuſari.) Vt ſicut inteſtina, totam heſternam
ſarcinam, ſimul, ac ſemel: ita & Lien, ſuam unica
vice depleat, corpuſque noſtrum à tanto hoſte
ſervet immune. Nam ſi atra bilis ſit excrementum:
etenim quo citiùs ac limpidiùs evacuatur,
eò quoque melius. Pro-ut Veſica retento lotio,
non voluptuatur, ut nec longa non retentis ſibi
ſordibus in theſaurum, delectatur. Sed gaudent
deſtitui ſarcina vice unica, ac feſtinanter. Ergò
Scholæ, ex conſequenti, impiè accuſant reum
Creatorem, quod fines præfatos vel neſciverit,
aut præteriens, illorum non meminiſſet. Quippe
qui nocuum quotidie excrementum abundanter
ſuccreſcere voluiſſet, per venas exiles;
motu retrogrado, eminus ad Lienem oppoſitum,
copioſè deferri, ſtrictoque canali, in ſtomachum
exonerari, & ne cloaca forſitan ab hoſpite
lædatur, præfeciſſet illi tot arterias, ut totus
Lien, nil præter arteriarum complexum referat.
Vah! apage tanta hominum temeritas. Enimverò 24
par de felle delirant. Dum neſciunt, ipſum liquorem
fellis non minus eſſe viſcus vitale, quàm
ſit membrana ſtomachi, ipſum cordis parenchyma,
aut cerebri medullaris ſubſtantia. Idque
ſaltem ex Tobia didiciſſe debuiſſent, jam ob olim
edoctæ. Nam Raphael (quod Spiritus nomen
ſonat Medicinam Dei) aſportari fel; non
piſcem, qui aliàs facilè putruiſſet. Non autem
balſamicum fel. Ergò fel, ſupra ſortem cruoris,
carnis, cadaveris, oſſium, viſceris ordinarii, vices
balſami explebat. Quia in nobis vitæ clavum
detinet. Prout alibi de digeſtionibus, & uſu fellis.
Puerile denique aſſerunt: Quod cum quotidie
ſat, imò nimium, ad ſuos uſus generetur
fellis, nihilominus jubeant, ipſum fellis folliculum
manere condum theſauralem. excrementi,
ac jugiter repletum proſcripta fœce. Vbi
alioqui ſi iſtud veri apparentiam haberet, debuiſſet
fel quotidie, ac feſtinanter exonerari, per
modum veſicæ, quia excernendo gauderet, non
autem detinendo ſemper turgere: niſi viſcus
eſſet. Quæ alioqui debita excretionis & exonerationis 25
feſtinantia, cum nec in felle, ut nec in
Splene, viſatur: indubitato eſt ſigno, Gentiles
ſua commenta venum expoſuiſſe credulis: nec à
Datore Luminum illuminatos. Itemque Scholas
Gentilium, nocuas fabellas, etiamnum hodie,
per ſuos, pro Inſtitutis Medendi, docere,
credere, ac proinde in praxi, juxta fallaces ſæculorum
conſenſus, atrociter labi, eodem atque
olim tenore. Quatuor videlicet humores, meraque
non entia, nunquam futura, vera eſſe, neceſſaria
& exſiſtentia: Avorum nempe ſomnia,
atque figmenta edocta, ex indagandi incuria
ſub-

ſubſcripta ſtetiſſe. Eò quòd in doctrina de humoribus Scholæ deficiant cauſis, ortu, guſtu, effectu, fine, ſequeſtratione, appropriatione ad elementa, temperamento, commiſtione, qualitatibus elementalibus, proprietatibus genuinis, totisque neceſſitatibus naturæ, & Philoſophiæ. Falſam nimirum docendo artem Medendi, damnoſiſſima hebetudine ambularunt, & ho-
26 die æquè turpiter cœci ambulant. Parum de pituita dixi, nam ſi de illa dicam, quam ſcribunt, copioſiſſimè fieri quotidie, cruori permiſtam, ac tandem mutari in cruorem. Sufficit primò, quod eandem demonſtraverim, eſſe fibras cruoris, ſive cruorem ipſum, feſtinanter ad terminum digeſtionis ſolidorum properantem, adeóque Limen ſecundarii alimenti jam ſubintraſſe. Tum demum, quod oſtenderim, ſua mole nugas ſponte ruere. Dum jam eo ipſo, quaternarium ſuum humorum tollunt, ſi pituita ſit cruor incipiens, aut nondum ſat digeſtus. Sed quia Scholæ plerumque pituitam per muccum probant: hic aliquid de hoc excremento dicam. Oſtendam nimirum, Scholas penitùs neſcire, quid ſit muccus, dum definiunt eundem eſſe cerebri pituitoſum, ac naturæ excrementum ſuperfluum: ac quaſi recrementum reſiduum, tot forte unciarum unico die, ab aſſumto cruore in digeſtionem cerebri neceſſarium. Quæ, ut alibi, tractatu de Latice, itemque de cuſtode errante, ex profeſſo attigi: Hic ſaltem obiter demonſtrabo. Enimverò aſtiti, ubi Helleborus, turbith, necotiana, &c. tunderentur, & ſtatim, aliquoties ſternutavi, ſtillabantque nares copioſum muccum, nedum aquoſum: ſed etiam muccaginoſum. Statim quælibet anus cenſeret, quod ille muccus non prodiiſſet, ſi rerum iſtarum pollinem evolantem non hauſiſſem. Ergò non erat in capite antea: ſed fiebat. Si nimirum apertus erat canalis, & tamen non efflueret. Si ergò iſte ſalſus muccus ſit cerebri proprium excrementum, eſt reſiduum alimenti ſui ſecundarii, ibidem relictum, à finita ejus partis digeſtione. At nec iſtud: nam profluxiſſet ſponte ſua, & abſque odore rerum. Quod non. Igitur factum fuit, non ex ſuperfluitate alimenti: ſed ab alimento degenerante, ſive degenerato. Cerebrum alioquin excrementum habet, per modum aliarum partium ſolidarum, quod ſcilicet inſenſili diapnœa diſpergitur in ambientem. Eſt autem muccus, per Tabacum aut alia ſternutatoria prolectus, planè ſimilis ordinario: ſed muccus ille violenter excitatus, non eſt excrementum digeſtionis cerebri: ergò neque muccus oadinarius. Fit autem celeriter, & plurimus; imò & abſque manifeſta ſtatim cerebri læſione. Alioqui, ſi defectu digeſtivæ degeneraret, neceſſariò caput quoq; malè valeret. Sed conſequens eſt falſum, ergò & ſuppoſitum antecedens. Ergò eſt alia quædam facultas, præter ordinariam & principalem nutritivam cerebri, quæ ejusmodi muccum parit, ad occurſum peregrini, infeſtique odoris, pulveris, aëris, vel obſtructionis ſibi internæ. Qui ſanè differt plurimum, juxta peregrini illius occurrentis varietates. In ſignum, quod ejusmodi facultas (quam cuſtodem nomino, tam Laryngi, quàm naribus præfixam) diverſimodè ab occurſantibus affecta, diverſos ſtatim pariat ſuis capſulis muccos, ex maſſa Laticis. Admiror autem, quod hactenus nemo has facultates tam in Larynge, quàm in via, uſque ad organum odoratus extentas, adverterit: ſed ruditer totum, tranſeundo, in cerebri pituitam ſit relatum. Excrementum itaque nocuum oſtentant Scholæ, inſciis ſibi parentibus genitum quidem: at nondum conſtare fecerunt, eſſentiam, exſiſtentiam, aut quidditatem apparentem pituitæ, quartique humoris, quem pro columna rei Medicæ una erexerunt. Vtinam ſit alter Samſon, qui duas bilis, unamque pituitæ, collidat columnas, evertaturque palatium apparens, quod Cacodæmon in fraudem mortalium hucusque detinuit.

Bilis mencius vomitus.

CAPUT III.

1. *Inventio quatuor humorum, lauta.* 2. *Falſam oſtendunt pituitam.* 3. *Bilis manſit indiſtincta.* 4. *Abſurdum in atra bile. Quomodò probent bilem flavam.* 6. *Quid ſit amarum ac flavum, quod per vomitum ejicitur.* 7. *A Mechanica vituli.* 8. *Non eſſe fel, quod ejicitur.* 9. *Quadruplici errore naſcitur hoc amarum recrementum.* 10. *Elenchus Scholarum.* 11. *Objectio, cum petitione principii.* 12. *Probatur non eſſe fel; quod Tertiana rejicit ſub initio, argumento multiplici.* 13. *Stomachum famelicum, non trahere bilem è felle.* 14. *Cyſtis fellis, caret ſuperno introitu.* 15. *Fel non ſufficeret cunctis Scholarum commentis.* 16. *Rationem bilis non petendam ab Igne.* 17. *Figmentum abſurdum, ad quod compelluntur.* 18. *Non poſſe igneum ſubſiſtere abſque actuali conflagratione.* 19. *Pro aëre fingitur humor privilegiatus.* 20. *Abſurda aliquot, utramque bilem ſequentia.* 21. *Abſurda aliquot comitantia pituitam.* 22. *Quid ſit, quod putant pituitam*

in cruore. 23. *Qualiter Author in hoc à Scholis recedat.*

AVita, & nimis radicata doctrina humorum,
quam quæ arietibus leviter admotis
concidat. Quoniam ab aſſuetis difficile
receditur. Semel avulſa mali radix verruca
eſt, timendum ne repullulet: quæ præcipuè
jam ubique germen obtinuit. Erunt quippe
qui meliora neſcientes, ſe velut à Medendo
excluſos cernent, & præ indignatione, veritati
pulſanti, occludent fores. Alii, qui in ignavia
conſenuerunt, meliora diſcere torpentes, cæteros
1 præ ſe ſpernent. Ibo illis obviam. Enimvero
cum Medentes cruorem in grumos denſari
vidiſſent, conſiderarunt liquorem aliquem rubrum
& currentem, ſimulque alium, qui initio
quidem cum rubro flueret, ſed mox ſponte ſtaret,
& grumeſceret in gelatinum. Fuit enim iſta
cruoris primitiva inſpectio & anatome. Creditum
quoque eſt hactenus, cruorem eſſe ſaltem
illum rubicundum, fluxilemque liquorem. Neſcitumque,
quod in Meſaraicis, nondum nactis
fibris, ſpermatiſque initiis, ac rudimentis, etiam
ibidem eſſet verus cruor nondum fibroſus:
eò quòd non viderent colore tenus, cruorem
in venis, ſub hepate, differre à cruore venæ
2 cavæ ſupra hepar. Vt itaque in aquam dimiſſo
poplite, à virgine cruorem emitterent: obſervârunt
cum gaudio, cruorem tinxiſſe immediatè
aquam, & inſuper fibras quaſdam, telarum
araneæ velut iconem referentes. Vnde incunctanter
Scholæ pronunciarunt pituitam,
jam viſu manifeſtam. Et noſtra quoque doctrina,
rixa de nomine cenſeri poſſet, niſi fibra poſt
mortem cruoris appareret tantum. Nam & in
cadavere, dudum à mortis frigoribus, inconcretus
tamen cruor manet in venis, vivitque
ideò tantiſper. Non enim lac hanc pituitam habet:
quia in ſeparatione heterogeneorum, caſeum
& grumos habet, quibus conſtringitur. De
lacte namque & cruore loquor, prout ſunt entia,
actu exſiſtentia integra, nondum ſeparata per
corruptionem. Scholæ verò cruorem aſpiciunt,
dum jam cadaver eſt, concretum, nec propriè
illud amplius, cujus etymon habet, quoad fluit.
Non magis quàm homo mortuus, homo eſt
cum particula alienante. Addiderunt mox etiam,
3 tertium humorem cruori, qui fel eſſet,
necdum à ſeroſis, lotio, ſudore, & aqua cruori
accidentaliter innatantibus diſcretus; nec attenderunt
an amarus eſſet, meritoque titulo
proprietates fellis poſſideret, necne. Sat illis ac
volupe, quod eſſet liquor aqueus, vel tenuiter
lutei coloris. Nam lex fundandi fel, erat in placito
principis Medicorum: non autem amplius
naturæ. Incidit in quatuor elementorum meditationem,
deerat tamen quartus humor. Quocirca,
ut numerus reſponderet elementis, quæ
putabantur quatuor, atque ad ſingulas corporis
propemodùm conſtitutiones confluere, excogitatus
opportunè fuit humor quartus, terræ
ſimilis ideo & ater, quem dum dudum fruſtra
inquirerent, tandem proprio ac temerario
auſu, à recocto igneo, & felleo, prodire eſt
juſſus, ſic ut bilis retento nomine, à flava, in
atram degenerare ſit juſſa, & ab igneo liquore
excogitato, prodiit terreus. Torridusque amaror 4
(In vivis quippe, mox ad lubitum, torreri,
aſſari, frixari, æquâ importunitate fuit mandatum)
in fel aduſtum, ſub tepore vitæ, aciditatem
aſſumere volitum eſt. Adeóque ex materia
ignea, per actum ignis, & teporis, fieri
frigidum, atque terreum productum, immediatè.
Invitæ recalcitrant Scholæ modernæ interim,
dum diſtillata quævis accuſant mutuatæ
caliditatis ab empyreumate. Etenim ut atram
bilem finxere priores, quæ numerum elementorum
impleret, eam omnibus conjecturis,
licet ridiculis, tandem ſunt aſſecuti. Ita 5
nempe flavam, per Icterum, & vomitus amaros,
pro fundamento naturæ & artis, introduxere.
Quippe innatans cruori extravenato liquor,
cum nullum prorſus amarorem referret, potuiſſent
tyrones, vel ex tunc, de fellis natura dubitaſſe,
ſi ſaltem digitum ſemel intinctum leviter
deguſtaſſent. Quare dum Scholæ animadverterent,
per vomitum, flava ſimul & amara frequenter
dejici, imò ſubinde porri ſuccum, diſſolutæ
æruginis, vel lazurii infuſum, mentirentur:
bilem certo certius ſtatuerent. Nec de ea
amplius diſputandum, ut neque contra negantem
ejuſmodi principia (de lotii autem bile, mox
ſub uronoſcopia dicam) eamque deinde quoque
lotio, ac ſtercoribus quibuslibet, etiam ſordibus
aurium, & oculorum ineſſe, audacter affirmarunt.
Sed plenius hanc doctrinam confirmavit
Icterus, quippe qui os & ſalivam amarore ſuffundit,
cutis pruritum excitat citrinæ. Creditũ
eſt facile itaque, ex felle iſthæc univerſa mutari.
Imò ex felle aduſto, & peccante, tam quantitate,
quàm qualitate, omnes ejuſmodi morbos cutaneos,
vitioque hepatis, plus juſto fellis pariendo,
affirmarunt. Quibus nempe circumſtantiis,
ſat ſuperque bilis exſiſtentiam, ac neceſſariam
aſſociationem, ſe probaſſe ſunt ratæ. Hinc dein-

deinceps ortum eſt ſomnium, quod illos quatuor
ſimul humores, in eſſentia permanentes
connexuit,atque inde unicum ſauguinem ex illorum
conglomeratione prodire,rurſusque ſingulos
humores à connexo,concretoque cruoris
reſilire, quoties luctæ elementali, intemperiei
6 videlicet, vel laxativorum votis placeret. Ego
jam meas & quotidianas obſervationes vulgo
lubens narrabo. Inprimis namque ſi copioſior,
durior, vixque ſat maſticatus cibus in cœna
ſit ſumptus: manè proin frequenter vomitus
flavus, amarus, ſpecie vitelli ovorum, vel
aliàs inſtar olei, è ſemine raporum expreſſi,
ſuccedit: Inde itaque primus conjeci, iſtud fieri
digeſtionie ſtomachalis errore: non autem
vitio hepatis, defectu ſanguificationis, aut bilificationis
abundantia. Siquidem non rarò, eodem
vomitu, malè digeſti & maſticati cibi, partim
in flavam ſaburram converſi, ſimul ejici
conſpiciuntur. Dein conjeci, ſtantibus regulis
ſanguificationis, ejusmodi flava & amara recrementa,nec
bilem, nec fel, multóque minus partem
cruoris conſtitutivam eſſe,Quod necdum è
ſtomacho eſſent elapſa, neque ideo Iecoris ſanguificationem
experta. Cum ſcirem, nil à ſtomacho
ad Iecur, niſi per longam moram,& venarum
Mezaraicarum venulas. Quapropter pariter,neque
à Iecore,iter eſſe ad ſtomachum,niſi
per eaſdem vias admodum remotas, & credendo
impoſſibiles. Præſertim dum integri, malè
ſubducti cibi,unà cum flavo atque amaro vomitu
7 tu prodire cernantur. Didici præterea vituli
exemplo, & oculari inſpectione,hanc flavam ſaburram
generari in ſtomacho malè diſpoſito:
atque in duodeno magis regulariter temperatis
brutis.Cùm etiam naturaliter,in Ileo, flaveſcant
aſſumta lacticinia. Vitulus namque, dumtaxat
lac maternum bibens,oſtendit mox à nece,quod
lac ſtatim grumeſcat in coagulum aceſcens, &
liquorem aqueum acidum: utrumque caſeis
parandis expetitum. Hoc inquam coagulum,
ſtatim dein in ſtomacho, lactis albedinem deponit,
fit fuſcum, ac in duodeno, & ilei initio,
flaveſcit; dein in progreſſu, magis ſaturate flavet:
ulterius verò,planè citrinatur,circa monoculum
inteſtinum autem, virideſcit. Poſtremò
ſtercoreſcit.Dicant ergò Scholæ,an colores iſti à
flava & porracea bile fiant? dum interim ita mutentur,ante
8 adventum in hepar? An verò hi colores
fiant à proprietate inteſtinorum? Infantes
pariter, ſucto lacte, ſtatim citrinum cacant
merumque diceres fel, & infantulos omnes,
primo ſui initio bilioſiores, viris ſeipſis, fateri
coguntur Scholæ; quos tamen ætas,cibus lactis,
puſillus calor, continua dormitio, & exercitii
carentia, à bilis ſuſpicione excuſant. Sin autem
tormina patitur infans, ſive acidorum ſymptomata,
præſto idem ſtercus citrinum mox virideſcit,
tantoque magis, quantum longius à ſanitate
receſſerit. Vnde manifeſtum fit, tam in
nobis, quàm in brutis, lac, propria digeſtione,
citrinum fieri, omnem videlicet cremorem
ſpontaneo naturæ, & corruptionis filo, labendo
ad excrementum, ac ſuopte motu flaveſcere
propria ſtomachi & inteſtinorum opera. Ac ſub
errante vi digeſtiva, facillimè alienari, flavere,
virere, & diverſos ſortiri ſapores. Non autem
quod propterea fel ſit, aut fiat. Fiunt namque
hæc in inteſtinis, extra officinam hepatis, & à
facultatibus alienis, nec in ſtabulo, ſanguificationi
demandato. Siquidem ſi fel ſit pars conſtitutiva
cruoris, eo ipſo fit etiam in loco, &
materia, qua cruor generatur: non autem inteſtino.
Eſſet namque prima lactis mutatio, in
fel flavum, vel viride, idque naturaliter: atque
inde in cruorem. Flavus ergò cremor iſte,
mox in duodeno, ſponte proficit, iſtosque colores,
non humorum fictorum: ſed naturalis
excrementi,induit. Quocirca nec mirum,idem
ſtomacho evenire,ſub quocumque culpæ reatu,
diſtricto. Nimirum totum cremorem contentum,
ſtatim in vitioſum, amarum atque flavum
chylum traduci, quod in Ictero ſtatim occurrit.
Interim in decurſu chyli, per Ileon inteſtinum,
ſugitur in venas, quicquid nedum naturæ finitimum,
parandoque cruori conveniens, Archeus
cenſuerit: verumetiam, totum ſimul ſerum,
una verſus hepar adſcendit. Sin itaque chylus, 9
circum ſtomachi ſepta,excrementi vultum præmaturè
aſſumat, errore digeſtivæ præventus:
ſignificatur vel Pylori offenſio, vel digeſtivæ
error, cibi aut cremoris vitium,vel mora nimia.
Ideóque ſenſiſſe fermentum vitale fellis,præpoſterum,
ac malè applicatum. Sæpè ſic namque
contingit benevalenti, quod oblatus cremor
probus, ritéque in ſtomacho ſubactus, à ſcopo
naturæ alienetur, oblato poculo laxante, totuſque
per iſtam tyrannidem, in Inteſtinis, fiat amara
& flava putrilago. Quæque licet cadaveroſa
ſit, recens è cruore parta, propter tamen ſui
amarorem, ac virus ſolutivi, haud deguſtatur à
canibus, ut neque à ſue, aliàs à ſtercoribus
minus abhorrente. Sentiunt nempe, amarum
ſubeſſe virus pharmaci, longè à ciborum, cruoris,
atque carnis bonitate alienum. Elenchus
ergò ſit. Venenatum pharmacum de cibis, 10

potu, & cruore, patravit amarum laticem: ergò fel eſt, & bilis. Itemque ſtomacho malè ſe habente, patravit excrementum amarum, ergò eſt fel, & bilis in hepate procreata, & in ſtomachum indirectis tubis, transfuſa. Indiſcretum planè figmentum, quod bilis ſit pars intenta per naturam, & à Jecore fabricaretur, quæ paſſim à corruptione ſolutivi pharmaci, vitioque digeſtivæ, in cholera, dyſenteria, &c. naſcitur cauſis propriis. Quaſi proles, effectus, fructus, & producta errorum, ſint pars conſtitutiva cruoris noſtri. Igitur quod Scholæ nominant partem cruoris nativam, comparem cum putrente chylo, ac bilem ſive fel. Id totum eſt merum excrementum, ab agente naturali, malè diſpoſito, alienatum, & degener. Sic etiam aurium ſordes, fel erunt, ſi flavedò & amaror ſufficiant, ut fel dicatur. Quo dato, jam flavum, quod per vomitum, ut ſtercus, rejicitur, conſanguineum & de familia cruoris erit.

11 At ſaltem volunt Scholæ flavum, & amarum, ſubter tertianæ initia rejectum, fel denunciare infallibiliter. Probant nempe fel, ex Tertiana: & hanc iterum probant à felle rejecto, eſſe felleam. Inprimis non conſiderant. Sive ejusmodi vomitus ſucceſſerit à paroxyſmo febrili, ſive demum benevalenti, ab inordinata cœna, &c. Quod tamen proinde non mutetur proprietas, aut natura illius excrementi. Alioqui tanta meracæ bilis ejectio, importaret Tertianæ peſſundationem, ſi hæc à bile cauſaretur. Quare nec bilis eſt, neque fel; ſed merum ſtomachi, & jejuni, excrementum.

12 Quia quod initio Tertianæ ejicitur flavum, non venit de Iecore aut felle, adeóque de officina bilis: ſed venit non eminus ab orificio ſtomachi, ubi ſcilicet ejus eſt nativitas. Non autem de hepate: cum febrim nec tollat, nec diminuat ſaltem. Itemque deberet per ignota compita, deduci ab hepate ad ſtomachum. Quare nec facilè, nec præſtò (prout alioqui præſtò adeſt in ſimili vomitu, & cholera) nec tutò, nec impermiſtum poſſet eò pervenire, longéque tutiùs à felle, in Inteſtina: & ab hepate, retrorſum per venas Mezenterii, quàm ad ſenſibile ſtomachi orificium transfretaret. Procul nimirum, tam bilis officina mentita, quàm ipſamet Tertianæ ſedes collocantur à ſtomacho, ut hic ſit ordinarium, in hiſce malis emunctorium. Cur ergò fel ad ſtomachum potiùs, quàm ad inteſtina, longè proniora, & aptiora defertur. Nam ſi alibi quàm in ſtomacho, ſit generatum illud amarum excrementum, impertinenter prorſus, reoque ductu defertur ad ſtomachum. Itemque ſextuplo plus, ſæpè unico vomitu rejicitur hujus flavæ & amaræ ſaburræ, quam ferat capacitas folliculi fellis. Qui proinde hoſpitium illius fellis eſſe non potuit, ut nec capacitatem in hepate, pro ſui generatione obtinere, nec hoſpitari inter hepar & ſtomachum, abſque lethali noxa, confuſione plena. Sin verò ſit fel, & productum ipſius ſtomachi: jam ſtomachus fellicationem ab hepate furatus eſt. Jamque alio hoſpitio, ductore, & æquivalente fabro, fiet bilis, ac fel extra hepar, quàm quo univocus ſecum cruor paratur. Aut certè nulla bilis eſt de eſſentiali compoſito cruoris. Fortaſſis ergò hæc bilis, hocque fel, quod rejicitur per vomitum, anomalo loco, & errante fabro fit? Atque ideo neceſſariò, nec bilis erit, nec fel. Atqui nondum de alia bile cruoris conſtat. Injurium eſt ergò cruori, hujusque innatæ bili, ſi qua eſſet, fundari, ac probari, per excrementum, quod nunquam principiis, aut officinis bilioſis, eſt paratum. Imò exin par Jus, & licentia eſt, quicquid bilioſum ſuſpicatur, comparari in eſſentia; colore, ſapore, & efficiente, huic excremento virulento, per vomitum excreto in Tertiana, aliiſque nauſeis, itemque illi, quod in cholera tam ſurſum, quàm deorſum, atque in ſolutivis, continua fabrica expellitur. Adeóque jam exhinc liquet, anteſignanos bilis Inventores, temerario & inconſulto auſu, introduxiſſe bilem, pro cruoris elementali appoſitione (quam compoſitionem vocant) falsóque aſſeruere illum flavum & amarum evomitum, eſſe fel, & bilem, de efficientia Iecoris, & conſtitutione cruoris. Etenim quàm incertus & ſtupidus eſt finis, genitor, ſeparator, miſſor, ductor, via, & canalis, quibus iſta bilis ab hepate ad ſtomachum retrogrado motu delegaretur? Niſi malint ſtulta horum eſſe obſequia, & neceſſitates. At nunquam hæc examinarunt Scholæ: verum celeri trans pontem lutumque pede præterierunt, unde anxietates ab abſurdis formidabant, quaſi ſoli lucro inhiantes: quæ tamen majori emolumento indagaſſent, quàm quod quotidie ad ſcripta Galeni ſuas centurias ſuperaddidiſſent. Neque enim minus differt excrementum à cruore, quàm cadaver ſuis, ab homine. Nam cadaver vixit quandoque: excrementum autèm iſtud, nunquam. In Iecore autem nullam formari bilem, jam probatum. Sin bilis quoque alibi, quàm in Iecore fiat, ex ſuppoſito Scholarum quoque, non erat vera bilis: multóque minus, ab illius (excrementi ſcilicet) eſſentia, pro-

babilis erit bilis eſſentia. Quod ſi verò bilis,aliquo
pede, in familiam excrementi originaliter
intraverit,jam eo ipſo, erit humor alienus à bile;
quam nihilominus ſeria intentione, per naturam
noſtram intendi, patrari, & optari Scholæ
jubent, tanquam per elementalem neceſſitatem
commonitæ. Saltem intelligere nemo ſanæ
mentis poteſt,cur venæ ſtomachi (quas nullum
prorſus unquam chylum ſorbere poſſe,demonſtravi
alibi) allicient ad ſe, velut amicum, quod
hepar,quodque venæ, ac tota corporis œconomia,
exilio dignum, ſeriò ſemel averſata ſunt.
Cur videlicet tam flagitioſa ſarcina, aliunde genita,
notha, atq; peregrina,duceretur ad ſtomachum;qui
cordis ſenſum, nobilitates,paſſiones,
atq; teneritudinem poſſidet. Inverſo ſane,confuſoque
rerum ordine, ſordes,ad cordis rhythmos
exprimens viſcus, detruderentur, ſi aliunde,ut
exotici adoptarentur. Quis ille amens ac
devius ductor, qui talia ad ſtomachū detrudat?
Ceſſat enim jam terminus bilis, dum reliquiæ
heſternæ cœnæ ſupponuntur malè digeſtæ, &
non maſticante dente rejectæ adhuc integræ,
flavæ tamen,& amaræ. Neque enim correlativa
ſunt, quod multa bilis efflueret in ſtomachum,
quoties hujus aliquod notabile adeſt vitium.
Poſt liberalem enim turgidamque cœnam, prout
& febrilem acceſſum, adſunt paria inappetentia,famis
tolerantia, ructus amarus, nidoroſus,
nauſea, pondus, vertigo, &c. Quapropter
iſta,& à ſimili orta matre,facile credendum.Adeò
(quod in titulo promiſi) non ſit niſi mentitus
bilis vomitus, quo bilem creduliter perſuaſerunt
13 primi humorum inventores. Ajunt quoque,&
bilem ideò, è folliculo fellis, ad ſtomachum
trahi famelicum.At quam ignavo judicio
id ſtabilitum, quodque ſordes retrogrado pulſu
repetantur ad ſtomachum, dicant Philoſophi.
Non enim fames appetit ferrum, aut glaciem:
ſed tantùm fertur ad objecta comeſtibilia, unde
alimentum ſibi ſperat natura. Non autem fertur
promiſcuè in quælibet.Sic nec appetit natura,quod
ſemel ut reprobum excreviſſet.Sciens,
non quidlibet è quolibet fieri poſſe. Nec ideo
ſperat, vel ſpectat ab excremento alimentum.
Quod nec ideo appetit, nec allicit ad ſe. Atque
utinam id Scholæ conſideraſſent, ante bilis
temerariam doctrinam. Concedo quidem, per
inordinationes ſubinde ſequi inordinata, confuſaque
obſequia.At non proin admittam,è parvo
fellis folliculo, ſextuplum depromi pro vomitu,
ut neque temerè quicquam ad ſtomachum
trahi: cum ipſummet fel ſit viſcus nobile,&
vitale;prout alibi. Quapropter ſubinde curioſius 14
tentando, inſpexi cyſtidem fellis: nullumque
tamen meatum ſupernè patere, è Iecore
ad fel, comperi: Idque pro facto, ſuppono in
Iure. Quare etiam cenſui,fel non fieri ab hepate:
ſed in propria capſa, de puro ſanguine Iecoris,
parari materialiter, & efficienter, à proprio
fellis Archeo.Saltem ſi inſenſibilis aliquis porus
ſit,qui ab hepate bilem inſpiraret (quod non) in
capſam fellis. Quare ergò os, ad exitum fellis,
quinquagies ad minimum,plus patet ejiciendo,
quàm intrando felli? Siquidem nullus à tot ſeculis
introitus adhuc, per oculum, luſtrari potuit.Nonne
& hinc pervia eſt confirmatio,quod
fellis orificium, in inteſtinum jejunum, tendat
duntaxat ad inſpirationem ſui fermenti,vitalis,
& neceſſarii? Fel namque in Tertiana,nunquam 15
ſufficeret tingendæ urinæ, alvi ſcoriis, alimoniæ
quoque quotidianæ quamque pro cruoris
ſubſiſtentia requirunt.Inſuper ut nec pro abundantia,
quam alternis diebus, ſubter initia
acceſſuum evomunt,etiam ſobrii. Nonne enim
ex hinc didiciſſe debuiſſent, quod quicquid bilem
vocant, ſit merum excrementum, ex conſtitutione
morboſa procreatum? & quod ſic eſt
procreatum, non poſſe ſtabilire quidditatem
cruoris, bilis, aut fellis? Quippe cui jus nullum
judicandi quaternarii neceſſitates, pro cruoris
integritate,& appoſitione, loco compoſitionis?
Simulatque enim ructus acidi redduntur ſtomacho,ceſſat
infauſti illius,& amari recrementi
præſentia in ſtomacho,ex chylo deturpato.Abeuntque
ex tum idcirco ructus nidoroſi. Bilis
ergò ficta eſt in ſtomacho, per quam, bilem
hepatis, æquè fictam, ſtabilire originaliter contendunt
Scholæ,oritur ab inordinatione ſtomachi:
non autem ab intentione naturæ, pro
cruoris conſtitutione.Tota ergò eſt excrementum,
maléque quadrat alteri bili,fictæ in cruoris
compoſitione. Quippe quæ nunquam probabitur
intra naturæ limites, cum ejus nulla præſentiæ
premat neceſſitudo. Fel enim, viſcus eſt
vitale, ac ſummè neceſſarium. Quapropter nec
temerè ſynonymum humori, aut excremento
eſt annumerandum, ut neque pro parte cruoris
cenſendum. Etenim elementa ſe invicem deſtruere 16
& vorare repetitim, ajunt. In probatione
autem defecere hactenus. Solum autem allegant
ignem artificialem, quem putant aquam
& aërem in ſe convertere, quoties non cernuntur
ea amplius. Sed deficiunt in theſi propria.
Nam docent ignem, aquam in ſe, & non in
aërem convertere. Stultaque eſſet ignis actio,

quæ non pro ſe, ſed pro aëre laboraret. Imo li-
cet aqua ignem extinguat: nunquam viſum ta-
men, quod è converſo ignis fieret aqua. Sat e-
nim putarunt, ſtatuiſſe, nec probaſſe ſuas the-
ſes. Inter humores autem, quem igni aſſimila-
tum volunt, aquam oſtendunt, non acrem, mor-
dacem, ut neque ſalem amaram ſed modeſtè ſal-
ſam: Quamque alibi vocant cruoris ſerum: de-
ſumto ab aquea parte, lactis etymo. Vocant in-
quam bilem, Igni reſpondentem. Iubent nempe,
elementa ſuis parere debere ſomniis. Etenim
Scholæ, interrogatæ ſeriò, ajunt bilem eſſe hu-
morem merè igneum, ac felleum; eò quòd
componatur actualiter à prædominante igne.
Ego verò ſilens ad has nugas, ſtupeo, dum inna-
17 tans cruori aqueum ſerum aſpicio. Addunt quo-
que, Ignem verum in bile ſupprimi, tanquam à
forma mixti larvatum, ac frenatum. At credat
qui volet, quod forma bilis, ex mero ignis do-
minio ſuſcepta, ut igneos elementi effectus in
nobis proferret, coërceret ita ſui productum,
in quo actualiter lateret, ut actu prorſus frige-
18 ret, & ſeroſum ſit ens, ac merè aqueum. Reor
ideo, atque ſcio, ſi tantillus ignis actualis eſſet
in miſto, quod ſtatim ab adjunctis ſuppreſſus
periret. Imo ſi nihilominus vi heteroclita, per-
ſiſteret ſoſpes ignis: ſaltem nequicquam ve-
neraret formam, aut corpus illius miſti, quin
abſque reflexione, aut conniventia, totum cre-
maret & abſumeret pro ſui indole. Itaque vel
ignis ceſſaret, vel miſtum neceſſariò periret,
nec poſſet forma bilis alterutrum impedire. Et-
enim hactenus viſum non fuit, quod artifex,
qui vitrum, teſtas, lateres, aurichalcum, &c
per ignem parat, queat uſquam aut unquam i-
gnem, terræ, aquæ, & aëri copulare, ut inde ens
aliquod miſtum conſtituat, multóque minùs,
quod ignem cœlo defluum alliciat, aëri con-
nexerit, aquæ & terræ. Mirum itaque, quod
in adynato, tota vis Medica baſin ſtabiliat ha-
ctenus. Tantóque mirabilius, quod ad ſurda
hujusmodi ſomnia, totus mundus velut ſopore
ſtertuerit, cunctoſque credulitate dementarit.
Tantóque mirabilius; quod crediderint ignem
ſub aliis elementis in miſtionibus ſuppreſſum,
adhuc nihilominus perſiſtere incolumem. Vbi
tamen ſat norunt, & animadverterunt, omnem
mox ignem, quoties à comburendo ceſſat, vel
aquæ jungitur, ſtatim perire, & in nihilum re-
digi. Etenim ſi ſpiritum vitalem, ſive auram
ætheream, loco ignis attuliſſent, veniâ dignæ
videri poſſent Scholæ: Sed maluerunt in Epi-
menidis ſomnio dementare, quàm humorem,
igni parem, non reperiſſe. Vt juxta concepta
mendacia, humorum exſurgeret quaternarius.
Pro aëre enim, privilegiatum finxere humo- 19
rem, qui non eſſet excrementitius, more duo-
rum ſociorum. Ideóque hos ſubinde nutrien-
tes, plerumque tamen ſuperfluos, ſi non etiam
ſcorias appellant. Vtiles verò, potiſſimum eo 20
nomine: non quidem quaſi alant partes ſper-
maticas, præter thecas cyſtidis fellis, & Sple-
nis. (at miſerrima ſaltem membra, quæ ſolis
paſci excrementis cogantur, & cedere renum
privilegio.) Vtilitatem autem bilis notant ri-
diculam, quod anum ſtimulet, atque urinam.
Cùm interim pallidæ urinæ, ſint incontinen-
tiores tinctis. Imò alvus Ictericorum (quam
bile privari ajunt propter cinereas ſordes) ſat
eſt laxa ordinario. Atqui cum tres humores,
qui cruori ineſſe finguntur, non differant à ſe-
ipſis rejectis, niſi ſola ſuperfluitatis infamia:
non poſſet non ipſum humidum radicale nu-
triri per excrementa: ſi utraque bilis, & pi-
tuita, eſſent alendo. Vt autem copia bilis (quam
ajunt quotidianam) ſupputetur quodammo-
dò. Alterno ſaltem die in Tertiana, per vo-
mitum rejicitur larga quantitas, præter adhuc
ejus quotidianam conſumtionem, quam dicunt
alendo neceſſariam. Imò clarius elucet copia hu-
jus bilis fictæ, in Ictero, quem definiunt ſola cy-
ſtidis fellis obſtructione. Adeo uttum lotium ſit
nil, niſi merum fel, totusque habitus, & internæ
partes, intimæ & extimæ, fellea. Quæ cum nil
putentur, præter bilem non ampliùs per alvum
ejectam. Cernitur hinc, plus triplo ſaltem bi-
lis generari quotidie, quàm cruoris ex tribus
ſimul aliis connexi. Malè memores, quod ſex-
tuplo plus tincturæ, per urinam ſolam Icteri-
tiam recedat, quam alioqui in ſano, alvus &
urina edunt ſimul. Vnde ſaltem ſequitur, I-
cterum non ſolam eſſe fellis obſtructionem,
quam putant. Clauſo enim fellis orificio, ſta-
tim fel totum cruorem (ajunt) quantitate ſu-
perat. Nec enim porracea aut æruginoſa (qua-
lis è ſtomacho frequens prodit) in Ictero, val-
de crebra eſt. Pituitam porrò, cum cruore, 21
per venas ferri ajunt, & tandem in cruorem
mutari. Adeo, ut tam in venis, quàm in he-
pate, conſtituant propriam cruoris officinam,
atque efficiens promiſcuum. At ſaltem humo-
rum deficit quaternarius, ſi flava bilis non dif-
ferat ab atra, niſi ſola inſpiſſatione recoctio-
nis, & pituita non differat à cruore, niſi te-
pore ac fotu. Non enim caro toſta, à cruda ſo-
let diſtingui ſpecie: Quare nec pituita à cruore
dif-

diſſentiret, niſi ſola maturitate, ut poma immatura
à maturis. At nunquam potuere pituitam
in venis oſtendere, niſi fibras, quæ ſe
à venæſectione, in aqua tepida, ſecernunt:
Adeóque nec ante mortem cruoris eſſe, aut
videri incipiunt. Quamdiu enim ſanguis eſt
alendis partibus utilis, ejus pars ſolidior à reliquo
corpore ſui erat indiſtincta. Quia erat
22 compoſitum verum & integrale. Id enim in
naturæ ſyſtemate utrobique obvium. Nam
cum natura agat ob fines, Authori ſuo notos:
ſemper una pars ſuſcipit promtius Archei
impreſſiones, quàm altera. Finis enim
cruori fuit, ſolidorum nutritio. Ideóque ſoliditatis
gradus paulatim anhelat, & acquirit.
Itaque cruor, mox atque in Jecore perficitur,
parte ſui maturiore, magiſque ſpermatica, albas
fibras, atque deſiderati coaguli homogenei
initia aſſumit, quas prius in Meſenterii venis
23 non habebat, ut patet in dyſentericis. Eſt nimirum
cruoris pars optima, & perfectiſſima
ideo, quam Scholæ pituitam vocant, quamque
ſolidiori ac ſpermaticæ conſtitutioni affinem,
ſcio. Scholæ inquam, pituitam, cruditatis,
ſenii, atque defectuum filiam nominant,
etiam in puero, juvene, ac viro. Diſſentio
nempe & in hoc, à Scholis: utpote pro
pituitæ probatione nil niſi mucum, meras ſordes,
& ſcorias, ſpectanda offerunt: qualis
ſæpè per vomitum & ſedem ejicitur deficiente
ventris culina. Etenim ſæpè abraſum à poculo
truculento, ut & narium mucum, quique pulmonum
quocunque vitio exſcreatur, pituita
ſunt mera Scholarum. Quæ ſcilicet, per ultimæ
digeſtionis errores, parantur ſordes, à
cauſis morbificis. Eſtque tanta Scholarum hebetudo,
ut cum ſuo Galeno damnent cibum
nervorum, membranarum, tendinum, &c. eò
quòd putent pituitæ eſſe matres. Nec attendant,
quòd partes ſimilares, ac primæ conſtitutionis,
ſint ſpermaticæ naturæ: eaſque indiſtincta
prorſus confuſione, vocant pituitoſas. Neſciæ,
aut ſaltem immemores, quod proximè nutriamur
iiſdem, quibus conſtamus. Adeóque ſi
partes homogeneæ, ſimilares, ac primæ conſtitutionis,
damnentur ab humoriſtis, tanquam
pituitoſæ. Alterutrum ſanè neceſſe eſt. Vel
Scholas neſcire, pituitam ab humore ſecundario
atque ſpermatico diſtinguere: vel planè, nullam
eſſe in cruore penitùs pituitam. Idque quod
in cruore pituitam ratæ ſunt, eſſe initium, ac
fundamentum ſecundarii, & proximi alimenti
ſolidorum. Nunc de bile flava, quæ in urinis
ſupponitur, dicendum cum præteritorum ſæculorum
admiratione, & craſſa ignorantia.

Vronomantia Veterum.

CAPUT IV.

1. Vrinarum diviſio. 2. Paracelſi non inepta obſervatio. 3. Authoris ſcopus. 4. Erratum hactenus in judicio, de lotii circulo. 5. Vnde circulus in urina. 6. Sententia Galeni ludicra. 7. Probatur non ineſſe fel lotio. 8. Scholarum incogitantia. 9. Quid urinæ flavedo indicet. 10. Nil bilis, aut fellis ineſſe lotio. 11. Triplex in hoc error. 12. Petitio principii. 13. Non rapi bilem è lotio, ad cerebrum. 14. Aliquot abſurda comitantia. 15. Ab Anatome. 16. Ab Ictero. 17. Quid fundamentaliter deſignent urinæ aqueæ, repentè poſt tinctas, in febribus. 18. Vrinæ prognoſes hactenus fuiſſe mera ſomnia. 19. Deficit canalis. 20. Sub motuum diviſione. 21. Nubecula urinæ, an deſignet pituitam. 22. Cuncta in nobis coquuntur unico fine, nempe ut alant. 23. Cur Spleni duplex fermentum. 24. Quid ſit illud, quod Splen quandoque in ſtomachum eructat. 25. Sublata cauſa, non tolli quemlibet effectum. 26. Quid dicat urina confuſa. 27. Vnde cruditas in lotio. 28. Cur ſtranguria vix ſanetur in ſenibus. 29. Vnde ſedimen bolare. 30. Errores circa contenta, tam propria, quàm aliena, alibi de Duelech. 31. Nova adhuc methodus judicandi lotium ex pondere.

1 ENimverò Scholæ, pro lotii ariolatione præſupponunt materiam dilutam, ſive aqueam: Ex hujus oppoſito, craſſam, ac dein mediocrem. Itemque confuſas, turbulentas, opacas, prout etiam claras, atque perſpicuas. Confuſarum autem quædam, per calefactionem redeunt in priſtinam diaphaneitatem: aliæ, permanent turbidæ. Quædam denique ſemel clarificatæ, turbantur mox iterum: aliæ verò difficulter. Secundò, conſiderant colores ferè omnes, ab aqueo, albo, lacteo, & craſſo: itemque ab aqueo pellucido, in ſubnigrum uſque. Tertiò, ſpeculantur contenta propria, & aliena. Aliena nimirum voco, ramenta viſcida, cruenta, arenas, calculos. Eaque vel matulis mox affixa, vel ſidentia libera. Propria verò ſunt, quæ ferè ordinariò, ex confuſis præcipitantur, vel perſpicuis innatant, in ſuperficie, paulò ſubter eam, in medio, circa fundum, vel ipſi fundo incumbentia: illaque vel cohærentia, vel divulſa. Quartò, conſiderant ſpumam, & bullas. Quintò tandem, attendunt circulum.

2 At Paracelſus, urinæ corpus inſuper diſtinguit
in urinam cruoris, potus,& miſtam. Cruoris,di-
cit,ſi pridiè veſperi,& noctu, micturiens manè,
nondum biberit. Urina autem potus ſit, quæ à
multo & holigophoro potu eſt collecta. Miſtam
quoque vocat, ſobriorum, ſive temperatorum.
Porrò quod de urina Alcolita, & tartarea,fingit,
tractatu de tartaris manifeſtabitur. Inprimis
proteſtor, me non contendere uſpiam, quæ be-
nè ab avis ſcripta ſunt, recenſere,multóque mi-
nùs caſtigare, nec præcepta de urinæ judiciis
tractare, nec aliorum inventa explicare, nec
Apologum agere. Sed tantùm detegere cupio
Scholarum antiquatos errores, ex fictis humo-
ribus oriundos, ne juniores poſthac abducan-
3 tur, juxta ſomniorum credulitates. Primò ergò,
recenſebo errores de circulo urinæ; dein,com-
miſſos in coloribus; tertiò, qui in eneoremate
contingunt. Ac quartò,tandem illos propalabo,
qui in coagulationum, ſive contentorum judi-
ciis obvenere. Unde quilibet facilè intelliget,
judicia, & prognoſes urinæ, hactenus ſtetiſſe
abſque judicio, & fundamento. Miras ſcilicet
Gordonii impoſturas, ignaro popello, ſub falſo
4 haruſpicis titulo,venundatas. Inprimis ergò,in
circulo urinæ ceſpitatum eſt,cum hactenus ne-
ſcitum ſit, quare ſæpius circulus ſit alterius co-
loris, quàm corpus lotii reſiduum. Putatum ni-
mirum, circulum à reliquo urinæ corpore ſe-
parari, velut pinguius ab aquoſo, vel tanquam
coloſtrum à lacte, cui innatat. Interim quan-
quam agitata urina, extemplò tamen idem cir-
culus, qui erat antè, apparet, nequicquam de
circulo ulterius, extra ſuppoſitos terminos, in-
dagatum eſt. Vident quidem,ſæpè rubicundio-
rem circulum, magiſque ſaturatum, quàm co-
lor ſit in reſiduo urinæ corpore: imò rubicun-
diorem, magiſque intenſam flavedinem, ple-
rumque carere circulo,diſtincto ab urinæ colo-
5 re: Nequicquam tamen indagarunt, unde cir-
culi & urinæ iſta eſſet varietas. Attamen nec
proinde circulus eſt color, falsò quidem appa-
rens,falsáque ſui ſpecie oculos illudens. Neque
enim alioqui poſſet ſubflava urina rubicundio-
rem,magiſque intenſum colorem edere,per nu-
dam ſui reflexionem: ſed potiùs ſubflavo pal-
lidiorem pingeret, ſi circuli colos tantum eſſet
apparens à reflexione. Itaque ratio alterati colo-
ris, in circulo lotii, pendet revera ex ipſomet
corpore lotii. Adeóque circulus ſolus totam
conſiſtentiam, colorem, & lotii transparentiam
indicat, quia continet. Quod lignum nephri-
ticum docet inſigni exemplo. Hoc lignum
enim, aqua pluvia maceratum, ſi dein ejus in-
fuſionem lateraliter inſpexeris, rubeum totum
in ſui corpore eſt: ſed habet circulum lazu-
reum, utcumque decoctum, vel infuſum iſtud
maceratum, pro lubitu commoveris turbidè.
Apparet nempe ſic rubeus color cruoris, lazu-
reus trans venam inſpectus. Ita quoque cœru-
leus color, in circulo decocti Nephritici, lazu-
reus eſt quidem: ſed multiplicatus nigricat ma-
gis, & ex obſcuro rubeſcit, quia tam cœruleus,
quàm flavus, magis ad album tendunt, quàm
rubeus, trans vitrum vel venam,è diametro vi-
ſus. Eodem modo, in corpore lotii, rubeus co-
lor, ſimpliciter talis, qualis in circulo apparet:
qui refractus, ex tranſverſo urinæ, non ita in
circulo citrinus eſt. Circulus itaque eſt coloris
verus index, in transparentibus: In opacis au-
tem, vel turbidis, circulus non apparet. Quan-
tum verò ad lotii colorem attinet, Scholæ ajunt
urinam aqueam, tenuem, pallidam, eſſe ſignum
deficientis digeſtionis, prout flavedine manife-
ſta tinctam, bonæ digeſtionis indicem. Galeni
eſt. A media nocte reddo lotium, quod dum 6
cerno nondum debita flavedine tinctum, ad
ſomnum redeo. Ac poſt duas tresve horas ab-
inde experrectus, iterum mejo, & urinam de-
bito ſaturatam colore reperio. Unde conjicio
abſolutam digeſtionem, & flavam bilem fel-
leam, lotio jam affuſam. Hæc, Scholarum mo-
derna etiam doctrina eſt. Ego tamen adhuc du-
bito, an lotii flavedo uni ſemper tribuatur cau-
ſæ: cum inconſtanter, nunc digeſtioni peractæ,
nunc verò miſtæ tribuant flavæ bili. At ne er- 7
rent,utrumque junxere. Ego itaque cum nemi-
nem reperirem,qui ſe in hoc diſtinxerit,utrum-
que explicare cogor. Etenim urina febricitantis
flavior, quàm benè valentis: hujus tamen dige-
ſtio, longè eſt vegetior. Quod extra controver-
ſiam eſt. Ergò ſola urinæ flavedo, abſque eneo-
remate laudabili, fallax digeſtionis bonæ ſi-
gnum eſto. Deinde, ſi unica ſaltem fellis gutta 8
in duabus libris lotii fuerit,tota amaricat: atqui
urina, etiam citrinans, & crocea, nunquam eſt
amara: ergo non recipit fel ſibi admiſtum, nec
ejus tinctura eſt ex felle. Equidem ſi Scholæ,per
ſapores, de rebus judicant; cur tam parùm ſo-
licitæ, quod nunquam id de urinis tentarint?
An enim ſola ſufficit flavedo, ut fel in urina ju-
dicetur? Vel an Medico decentius eſt,falſa do-
cere, & aſſerere mendacia, in perniciem ægri,
quàm propriam urinam ſemel deguſtaſſe? cum
nec quidem ſaturatiſſima urina Icteri, quic-
quam amaroris præferat. Faſtus ergò detegit
juſtum

juſtum Scholarum errorem. Saltem ex verbis
harum indubium eſt, quin lotio tinctura
9 ſub finem digeſtionis addatur. Quod ſi ita
ſit, cur exin ſaltem non agnoverunt; flavedinem
lotii non à bile, aut felle: ſed aliunde, advenire?
Quia ſi bilis in ſanguificando fieret, unà
cum cruore, & urina, & ab initio ſimul urinæ
connata, & inſperſa, urinam tingeret: nec bilis
eſſet ultimum conſtitutum in Jecore, ſi eſſet
pars cruoris conſtitutiva, ejusque ſuperfluum
confeſtim emungeretur cum urina, nec ſeparatum
ſibi ad tempus faceret hoſpitium. Aut, ſi
id ratum ſit, deberet ſaltem iſtud hoſpitium nominari,
& per anatomen occurrere, ac inveniri.
10 Sed cum flavedo, in lotio Galeni, ſit poſterior
lotii corpore, denotatur locus ultimi Ilei, ubi
cum jam cremor incipit ſtercoreſcere, aliquid
ſtercoris liquidi inde trahitur, per venas Meſenterii,
in fine Ilei, quod lotio inſpergitur ad ſuos
fines (prout antè de febribus, & alibi de Lithiaſi)
utile. Quod autem flavedo lotii ſit ſtercoris
illius liquidi, & nullatenus fellis; nedum guſtus
lotii: ſed & diſtillatio, manifeſtè comprobant.
Siquidem fœtor illius emergit diſtillando.
Quorſum autem ſtercus liquidum conveniat
lotio, locis citatis docetur. Sufficit modò, quod
vel tenuiter diſrupto felle, avis, aut piſcis, utcunque
optimè eluatur: attamen amaror remaneat.
Itaque ſi tantillum fellis ineſſet urinæ, vel
latici, qui cruori innatat extravenato, inexcuſabilis
11 eſſent amaroris. Sed conſequens eſt falſum:
ergò & Antecedens. Itaque tripliciter in
hoc errarunt Scholæ. Primò, dum flavum & liquidum
ſtercus, lotio miſtum ignorantes, bilem
putant. 2. Quia ex flavedine ſola, & ſubſcribendi
aſſuetudine, bilem conjecere. Quaſi
nil croceum, quod non etiam in nobis eſſe debeat
12 felleum. Probant nimirum idem per ſeipſum.
Bilem nempe in natura, eò quòd ſit manifeſta
in lotio. Et iterum, Quod flavet in lotio;
id debere eſſe bilem. Eò quòd nil ſecus,
quàm flava bilis, flavi eſſet coloris penes nos.
Tertiò tandem. Nam errante judicio, de colore
ordinario, adeóque de ipſo urinæ contento, neceſſe
eſt, ruant prognoſes de urina, quotquot
coloribus & contentis inniſæ ſunt hactenus. At
ſaltem, cum jam conſtet, urinæ flavedinem non
eſſe bilem, ſed excrementum ſtercoreum: non
mirum, & in ſtomacho aliud flavum, quod etiam
ſit amarum excrementum, alio longè, &
proprio ſibi errore fermenti gigni, quod proinde
13 non debeat eſſe de familia fellis. Porrò,
cum in febribus flavæ urinæ repente palleſcant,
deſigneturque delirium futurum: idque
à Scholis ſit interpretatum fieri, quatenus bilis
rapitur in cerebrum. Elenchus eſt non cauſæ
in cauſam. Sufficit namque demonſtratum jam,
iſtud delirium non naſci ex bile, rapta in cerebrum:
ſed quia ſtercus liquidum, quod cum urina
ire erat ſolitum, jam detinetur in Hypochondrio;
nec lotio, pro ſolito, admiſcetur.
Ideo delirium ex illa ſede, unde amentiæ omnes
originem deſumunt: ut ſuo tractatu doceo.
Etenim & hoc ſolo titulo, quædam dementiæ
nuncupantur ideo Hypochondriacæ.
Alioquin enim, quis eſſet ille raptor bilis, qui 14
hanc in cerebrum meram, & à cruore venarum,
per quas deferretur, vel à lotio ſeparatam duceret?
Quorſum enim raperet illam, cum nil abſque
objecto, ſaltem apparenter bono, fiat? quomodò
per cruorem, citra contagium, ad cerebrum
deferret? Quomodò ritè à cruore ſepararetur:
ſiquidem cruori extravenato, non ſupernatat
putata bilis, niſi mortuo, & coagulato prius
cruore? qui tamen nunquam in venis, (ne
quidem cadaveris) coagulationem cogitat? In
quem denique cerebri ſinum tandem, iſta bilis
urinacea effunderetur, in quo feſtinam mortem
non efficeret? Quis denique ille Separator fuerit,
qui bilem ad urinam tendere ſolitam, è folliculo
fellis nunc ad caput detorqueret? Et qua
via id fieret? An ipſamet materia morboſa ſponte
aſcendet ad cerebrum, eritque motrix ſuiipſius?
Tunc ſaltem præter immenſas abſurditates,
neceſſe foret, febrim ejusmodi omnem
conſiſtere non extra fellis folliculum, quod nemo
adhuc hactenus eſt ſuſpicatus. At cujus finis
ergò, febris (quam putant merum accidens) bilem
ad caput citaret? An optimum fuerit in natura
judicatum, materiam morbi, dudum in
præcordiis latitantem, nunc tandem in caput
relegaſſe? Quidve, ſi vaga in venis fluctitet, à
cruore ſeparata, ſurſumque ſponte ſcanderit, cur
potiùs non proſcribitur foras, via ſolita? An
jam natura humana, contra univerſalem niſum
rerum, ſui internecionem procurabit? An ejusmodi
demum furor aptus erit ſequeſtrandæ bili,
quæ non niſi ſedato vigore eſſet ſeparabilis?
An forte fel, peregrinationis avidum, ultrò ac
ſponte ſeſe ſeparet, & ad caput adſcendet? Quo
tandem utre, latitat fel in capite, ut amentiam
febrilem concitet? An in ſinubus cerebri? an
in arteriali mentito plexu Galeni? At utrobique
ſtatim eſſet lethalis; felque deliris naribus ſtillaret.
Denique ſi poſt flavas urinæ aquoſæ, in 15
febribus, deliria tuta, cum riſu edant. At certè

juxta Hippocratem , tum hujusmodi deliria
non ex felle erunt. Adeóque nec urina , colore
flavo jam ſpoliata , habebit , cur bile privetur,
nec quo raptam bilem deponat. Siquidem
deliria cum riſu,bilem omnem excludunt.
16 In Ictero,ipſum tandem cerebrum flavet.Quid
ſi ex bile eſt Icterus, cur eſt ſine delirio? ſine
viſcerum cunctorum eryſipelate? Sin verò non
fel ipſum: ſed ejus (inconſideratum ſubterfugium)
vapor in cerebrum, deliria hæc febrium
concitet: cur igitur Scholæ volunt fel,in urina
17 materialiter, & juxta tincturam, deficere? Ergò
aquoſa urina poſt flavas, in febribus denotat
tincturam urinæ, ſive ſtercus liquidum,(liquor
eſt ciborum in Inteſtinis , immediatè, antequam
ſtercoreſcant) detineri in præcordiis
meracum.Vena namque,fortiter in hypochondrio
pulſans , denotat amentiam futuram juxta
18 Hippocratem. Quatenus ſtercus liquidum,non
rite purgatum , tumultuatur in hypochondriis.
Mera ergò ſunt ſomnia , quæ de urinæ colore
hactenus , tanquam è tripode prophetantur
Scholæ. Effectu quidem, & obſervantia didicere,
quæ ſe ſolent mutuò conſequi . Delirium
nempe in febri,à lotio claro, poſt flavum.Rectè
quidem , ſi in nuda hæſiſſent obſervantia: ſed
cum ad cauſas deventum , illaſque juxta ritum
theorematum , fictorumque principiorum juſſum,
diſpoſuerunt, temerè ſibi invicem hactenus
ſubſcripſerunt omnes. Nulla eſt namque in
natura bilis,nullum unquam fel in urina: multoque
minus,quod inde ſeparetur,atque feratur
ad caput. Nulla bilis in toto corpore,quia nulla
fuit unquam in natura. Nec fel bilis eſt: ſed ipſe
liquor fellis , viſcus eſt vitale , magni momenti,
cui cum rene & cerebro nil commune intercedit.
Nec eſt via ulla, nec apta ſocietas fellis
cum lotio . Nec ad fel attinet , ſive urina ſit aquoſa,
ſive flava & ſpiſſa. Cyſtis fellis venam
19 non habet ad caput. Sin velint per cavā venam
fel ferri, quomodo fel non permiſceret ſe cruori?
cruor febrientium totus non eſſet amarus?
quo canali ergò, ad caput feſtinabit? Quis ductor,
fel ad caput ducet? quis ſeparabit à cruore,
ut in itinere non detineatur? Quorſum natura
moliretur ejuſmodi impertinentias? quomodò
cruor manebit ab exotico felle citra
20 contagium? Aſcenſus iſte,aut erit motus ſpontaneus,
aut miſſio , aut tractus. Somnians ſic olim
anus,dixit antè, & Scholæ eam ſunt ſecutæ.
Nam ſi bilis fellea ſcandat proprio motu, Jam
erit cuivis homini delirium continuum. Sed
quorſum vena cava , fel ad cerebrum miſerit?
An ſic febrim curaverit? An ardorem minuet?
At certè, concluſa manet materia febrilis , ſive
ex lotio bilis , ſive è folliculo fel rapiatur in cerebrum,
ſive non . Quorſum etiam cerebrum
bilem ad ſe alliceret, ſucco vivido, & longè meliori,
ac propinquiore madens? Idque etiam
cum deſtinatione hepatis pugnat.Nihil namque
mittitur,trahiturve, ſaltem citra electionem, finem
atque deſtinationem Archei.An ergò bilis,
à reliquorum trium conjugio, fertur in cerebrum,
vel ab hoc trahitur? Sanè , cerebrum ſic
jam ante, & non poſt bilis adventum dementabat,
nec opus habebat bile, ad delirandum. Demum
cur urina aquoſa potiùs delirium arguit,
in febri continua , quàm in interpolata? quàm
in potatore? quàm in lithiaſi? quàm in vitiata
ſtomachi coctione? niſi quia mors eſt in
hypochondrio , ubi febris etiam tum? Vanum 21
eſt ergò,Scholarum de flava bile in urina , & ad
cerebrum,itineris commentum.Cæterùm,cum
jam nubecula in urinis apparet , confeſtim Medicus
conclamat , & quaſi ipſe viciſſet , inquit,
Scholarum ſuffragio , & obſervantia , quod humor
morbificus ſit concoctus;quodq; tum tuto
ſit purgandum deinceps. Dicam primùm,quid
iſta ſit nubecula. Exin demum judicabit quilibet,
in præfatis , nil præter mera ludibria contineri.
Eſt nimirum iſta nubecula , ſignum digeſtionis
ſtomachi: non autem materiæ morbificæ. 22
Digeſtionis autem ſignum eſto; quod fermenta
ſtomachi,fellis, & hepatis redierint, quæ
antea erant præpedita,concluſa,&c. Unde vires
recuperatum iri, eſt in ſpe. Alioqui materia,
quam dicunt morbificam , non intentatur coqui
unquam. Quia natura non intendit coquere,
nec coquit quicquam, niſi univoco fine &
modo,ut ſcilicet in ſuum alimentum redigat, &
non alio fine: ſed fermenta (quorum intereſt,
res transmutare duntaxat) jam reſtituta, digeſtionis
hoſpitiis,ſubigent materiam morbi,ſubter
ferulam , illamque ad placitum exterminabunt.
Etenim docui de digeſtionibus, aciditatem
in ſtomacho non eſſe ex ponticitate aſſumtorum:
ſed ex ipſo, ſpecifico ſtomachi fermento
acido.Atqui,prout acido eſt proprium,coagulare
lactea:Idcirco de cremore ſtomachi,non poteſt
tam exactè, quidquid in ſe eſt lacteum,ſeparari
in Jecore , quin ejus tantillum non rapiatur
cum lotio , ibique nubeculam faciat . Ergò nubecula,
ſignum eſt fermenti reducis in ſtomachum.
Nec enim iſtud eneorema eſt de natura,
aut materia febrili; neque eandem accuſat , vel
excuſat. Nec demum iſta nubecula ſignum eſt
fer-

fermenti proprii fellis (hoc nempe non eſt acidum:
ſed ſalſum, ac de guſtu ſpiritus vitalis,
prout alibi de vita longa) ſed lienaris fermenti:
quod nimirum Lien ſpirat in ſtomachum, cujus
tutelam ſuſcepit. Ideo namque in quartana
ſæpè iſta nubecula apparet, iterumque ſæpè diſparet.
Dum appetitus, ac digeſtio, reſtituuntur,
iterumque ſecedunt, perſtite interim ſemper
eadem quartana. Alioqui ſi iſta nubecula ſignificaret
materiam morbi, velut objectum, aut efficientem:
certè, conſtans perſeveraret ſemel
nata; cum materia ſemel cocta, regulariter iterum
23 non reincrudetur. Ergò pro ſuo œconomia,
propriaque viſceris digeſtione, Splen, vitale
fermentum, ex inſito ſibi, genialique ſpiritu,
obtinuit. Ideò namque de proprietate, odore,
guſtuque ſpiritus vitalis eſt. Qui cum ſit ſalinus
& balſamicus (prout de vita longa) debent
etiam quartanæ materiam ſubigere & vincere.
Sed viſceri huic data eſt cura ſtomachi, digeſtionique
ejus hactenus præſidet: ideóque ad
hoc, jure obtinuit aliud fermentum acidum,
quod niſi in ſtomachum debita inſpiretur doſi,
oriuntur inappetentiæ, cruditates, imò & ipſe
24 boulimus. Itaque ſi hoc tutelæ ſtomachicæ decus
fermentum, in Splene exorbitet: fiunt
cruentæ, & atræ exſcreationes in ſtomachum,
quas Scholæ cenſuerunt atram bilem. Cumalioqui
non ſit niſi expurgatio, ac renovatio
cruoris alimentarii, ab ipſo Splene. Ergò acidum
ſtomachi, etſi ſit cauſa nubeculæ, totusque
cremor acidus: in ſalſum ordinariò, ſubter fellis
dominium convertatur (ut de digeſtionibus alibi)
perſtat tamen nubecula, ab acido genita.
25 Cujus ergò notandum, Quod ablata cauſa, tollatur
effectus de futuro: non autem de præterito.
Quia effectus de præterito, eſt productum,
jam per ſe ſubſtans: ſæpè quoque, non ampliùs
comitantia priorum cauſarum opus habens. Id
quod nunquam hactenus in Scholis fuit conſideratum,
26 ut neque diſtinctum. Sæpè ergò urina
confuſa mejitur à calculoſis, itemque in cordis
palpitatione, & alibi. Alia verò, etſi clara,
mox ſpontè tamen, turbatur in aëre. Ac quidem
omnis turbida urina, latens acidum continet,
ejusque minus, ſi ſemel ad ignem claruerit, nec
turbetur deinceps. Saltem fermenti fellei defectum
indicat. Quippe deſignatur, quod tantillus
tepor acidum relictum coxerit, & vicerit.
Sic nempe poma, nondum matura, ſole dulceſcunt.
27 Quoties etiam fermentum folliculi, ſive
viſceris fellis, peſſundat ſtomachi fermentum,
atque pylorum vitiat, toties digeſtionis cruditas,
adeóque & lotium, abſque nubecula eſt. In
ſtomacho etiam eſt ſubinde amaror, ab errante
digeſtione, ejusmodi recrementum parturiente.
Sin autem illius viſceris fermentum ſubplantatur, 28
eſt urinæ ſedimen craſſum, & album,
nec unquam abſque ſtranguria: quæ ideo in
ſenibus difficilis curatu. Aciditas autem iſta lotii,
in ſtranguriis, quanquam non ſit guſtui manifeſta;
quantulacumque tamen, ſufficit ad præfatos
effectus doloris. Quod patet in urina novellæ
cerevifiæ, ponticitatem ſuæ cereviſiæ
imperceptibiliter adhuc participante. Dum
autem hepatis fermentum nimium ſuperat
ſtomachi, & fellis activitates: ſedimen bolare,
in urina turbida, & fulva. Quaſi optaret ſanguificari; 29
quod iſti deſtinationi eſt ineptum. Rubeum
autem ſedimen in urina flava, quodque
per ignis calorem facile liqueſcit, denotat fermentum
hepatis peregrino impedimento exaſperari.
30 Quæ fermentorum hiſtoria, tractatu de
digeſtionibus conſcribitur. Sunt & poſtremò
errores, & pigritiæ multiplices, circa ortum
contentorum; quos tractatu de Lithiaſi ex profeſſo
expendi. Tuta eſt interim methodus, examinandi
urinas per pondus. Vncia nimirum,
pendeat 600 grana. Vas autem vitreum habui, 31
anguſti colli, pendens grana 1354. Repletum
autem aqua pluvia, pendente inſuper grana
4670. Inventa eſt urina ſenis, pendere eodem
vaſe, 4720 grana. Sive ſuperare pondus aquæ
pluviæ, 50 granis. Vrina autem mulieris ſanæ,
ætatis annorum 55, pependit 4745 grana. Vrina
juvenis ſani, annorum 19, pependit grana
4766. Alterius autem juvenis paris, abſtemii à
potu, pependit 4800 grana. Iuvenis 36 annorum,
tertianam tolerantis cum tuſſi, pependit
4763 grana. Præfatus autem Iuvenis 19 annorum,
cum tertiana duplici, nocte præcedente,
parum biberat: pependit autem urina ejus,
4848 grana. Quod fuit 82 granis ampliùs,
quàm dum ſanus eſſet. Virgo, cordis palpitationem
paſſa, minxit inſtar aquæ pluviæ,
quæque ideo æquiponderabat aquæ pluviæ.
Vrina tepens, ſemper ſeipſa frigida, paucis
granis levior, ut & extenſior. Sitque idcirco vas
colli brevis, & acuminati, ut ferè in puncto urinam
dimetiatur. Plura alius addet, & meditabitur.
Eſtque longè facilior methodus, quàm
quæ ponderando integrum hominem, in
Aphoriſmos eſt redacta. Ego ſemper circa
morbi eſſentias, remedia, & applicationes, ſive
in ſanationem, anhelavi: quique auram vulgarem
odi; odi etiam prognoſin, quæ prædictio-

nem & præſcientiam divinationibus eſſet familiaris. Mage gaviſus ægrum ſanare, quàm multa amphibologicè prædixiſſe.

Icterum, non à bile flava.

CAPVT V.

1. Suppoſitio Scholarum hoc caſu. 2. Reſponſio appoſita. 3. Subterfugium ordinarium atque ridiculum. 4. Aliud ſubterfugium. 5. Per Anatomen docetur Icteri caſa. 6. Implicant ſibi Scholæ. 7. Ab impertinenti. 8. Duplex in Ictero vitium. 9. Oblivio Scholarum. 10. Abſurda, ad cauſas Icteri humoriſtarum. 11. Quatuor Abſurda. 12. Quod oris amaror non arguat bilem. 13. Icterum, non ab obſtructo felle. 14. In Ictero ſemper aliquod virus. 15. Colores, ſi inordinati, in excremento, non fieri à cauſis ordinatis in natura. 16. Probatur, à remediis propriis. 17. A Iuvantibus & nocentibus, non deſumi indicationes curativas. 18. Cauſa adæquata Icteri. 19. Icterum non naſci, niſi à cauſis univocis. 20. Non ſanari Icterum per flava remedia, ut talia. 21. Hiſtoria in ſtranguria ſenili. 22. Bos illudit cauſas Icteri, traditas ab Humoriſtis, & uſum radicum graminis. 23. Bilem non mitti ad tingenda alvi recrementa. 24. Pallens ſcoria inteſtini non tam accuſat fellis abſentiam: quàm transmutandi errorem. 25. Contra poſſibilitatem obſtructi fellis, in Ictero: Propter ignoratam morbi quidditatem. 26. Aliud argumentum. 27. Tertium. 28. Ab impertinenti. 29. Ab impoſſibilitate tincturæ. 30. Ab amarore. 31. A diſproportione tingentis, & tincti. 32. Generatio anonymi veneni in Ictero. 33. Abſurda aliquod proponuntur, Humoriſtis conſideranda ſerio. 34. Concluſio è præmiſſis. 35. Nidus Icteri. 36. Error Medentum, circa bilis tranſitum in piſcem.

1 ANteſignanum argumentum, quo Humoriſtæ credunt, ſe ex plena neceſſitate confirmaſſe bilis flavæ exſiſtentiam & generationem, quodque anchoræ vicem ſupplet; eſt Icterus. Cujus favore, contendunt cyſtim fellis, in ſui exitu verſus jejunum Inteſtinum, obſtipatam. Bilem ideo quotidie generatam, moxque à ſui nativitate regurgitari, atque diſpergi in totum corpus. Quapropter uti ordinariam : ſic & neceſſariam bilis, ſive fellis generationem, quotidianam proſcriptionem, & ſeparationem ſupponunt. Meatum autem fellis inferum, conſtipatum probant. Quia alvi excrementa ſunt felle deſtituta, ideo & cinerei coloris, nec flava. Quapropter lotium viceſies plus juſto tinctum occurrit; atque indies meracius. Ergò tam veſicæ, quàm alvi excrementa, ſuam deſumunt tincturam à felle. Primò. 2 Nondum probarunt ſuperum aliquem introitum fellis, ad folliculum : ut neque is hactenus per exquiſitam anatomen eſt repertus. Ergò, vel per inferiorem, fel excrementoſum quotidie intraret, vel inſenſibiliter. Non hoc modo, ubi tanta eſſet quotidiani fellis abundantia. Nec etiam priore modo, Cum iſthac fruſtra intraret, qua ſtatim egredi deberet. Itemque ſi iſthac ingrederetur, deberet per inteſtinum ſurſum intrare, nec ſic unquam deficeret tinctura ſtercorum, fellea, etſi aditus inferior eſſet occluſus. In limine itaque hærent Humoriſtæ, in probanda quæſtione, an ſit. Ac deinde deficiunt in ductu, & ſeparatione fellis è Iecore. Tertio. Saltem ex diſproportione, facilè colligere poſſent, ſe deceptos. Nam ſi Ictericus biberit libras octo uno die, tandundem flaviſſimi lotii propemodùm eſt redditurus, cujus ſaltem libræ quatuor eſſent meri fellis, & quò infirmiores ægri fuerint, mortique viciniores: eò urinæ, in flavedine, erunt quoque intenſiores; nequicquam tamen amaræ. Dimetiendum ergò erat, quantum flavi quotidie per lotium, & per cutim expellatur Ictericis: an videlicet tantundem fellis quotidie per alvum pellatur ſanis, præcipuè quibus rarus eſt ſeceſſus. Quod ſi non : ergò non eſt fel, non bilis, aut de naturalibus humoribus, qui fit in Ictero: ſed planè virus excrementoſum. Et per conſequens, Icterus non probat ſe è felle oriri. Tandem, Humoriſtarum argumento, per ſuppoſitionem conceſſo, Saltem eo ipſo fatentur, nullam in natura bilem, ne quidem quæ unà cum cruore in virus fluctuare creditur, ex naturæ ſcopo, ſive ob nutritionem, fieri : ſed ſemper utcumque ſumatur, eſſe excrementitiam, & productum aliquod, quod tam ſui quantitate, quàm qualitate, ſit præter naturam, & ſanguificandi ſcopum. Per conſequens quoque, bilem nec eſſe de cruoris compoſitione, ut neque de naturæ intentione, quam habet in generando cruorem. Id eſt, Bilem non eſſe humorem noſtri conſtitutivum, vel partem cruoris integralem. Quod ſi autem 3 reſponderint : Bilem in Ictero quidem eſſe humorem morboſum, ideóque & excrementoſum : non autem proinde & ordinariam bilem. Atqui, ut illis fiderem, priùs probare debuiſſent utriusque bilis radicalem differentiam. Cum alioqui ſola fellis obſtructio ſit cauſa icteri in Scholis. Quæ ſpeciem bilis mutare nequit: cum ipſa obſtructio meatum; non autem bilem, aut

fel reſpiciat. Denique, ſi Icteri cauſa ſit excrementum
morboſum, atque aliud longè à bile,
cruoris conſtitutiva. Nec ordinaria, ac naturalis
alioqui bilis: ergò ad minimum, eſt impertinens
argumentum Scholarum: per fictum atque
excrementoſum, velle naturalis humoris
neceſſitatem intrudere, atque neceſſariam confirmare.
Quemadmodùm glarealis aqua etiam
non probat nutritionem oſſis, aut oſſificationem
in poro, fracturis increſcente. Vti nec pus
4 probat carnis generationem. Quid ſi dicant, fel
non qualitate: at ſola quantitate moleſtum, in
Ictero, quæſo reſpiciant: Quoniam vel prima
die, imò & antè manifeſtum Icterum, malè ſe
habent Icterici. Denique non ſola moleſtat tum
quantitas, ac impedit: ſed & longè arctiùs nocet
ipſa qualitas. Sunt nempe Icterici anguſtioſi,
& ſuſpirioſi; à prima die, in ſtomachi orificio
queruntur anxietatis, dejectæ quàm primum
appetentiæ, anxii, velut perpetua febricula
conquaſſati, & verè morbidi, cum pulſu duro,
inæquali. Quibus qualitas potius nocua, quàm
quantitas deſignatur. Equidem duo cadavera
Icterica diſſecta, memini me præſente. Neutrius
tamen orificium felleum erat obſtipatum,
(curioſè namque totum perluſtrabam.) Sed venæ
Meſenterii (infra Iecur nempe, ac procul
remotæ à felle) cruore flavo, ac ſtercoreo, ſcatebant.
5 Fel nempe adeſſe putabatur, antequam
à Iecore fieri potuerat. Atque excrementa alvi,
inde abundanter tangi potuiſſent, niſi ordine
inverſo, ſtercus liquidum atque flavum,
quod infernè deſcendere debuiſſet, in Meſenterio
detentum eſſet: atque aliud virus, à cauſis
peregrinis, ſupernè natum fuiſſet. Eſt namque
iſtud ſtercus liquidum, ſecundæ digeſtionis
proles, rapiturque frequenter ſurſum: &
quanquam Ictericis ſubinde ſit oris amaror;
non tamen illorum urina amaricat. Sed jam,
de bilis mentito vomitu, ſat explicatum, eſſe
peregrinum efficiens, quod virus peregrinum,
cum multa anxietate in ſtomacho primordialiter,
& non è Iecore, repetitum fel generat. Nec
eſt inquam ſtercori flavo, & liquido, amaror
ullus. Cum nec lotium, inde flavum, amarorem
6 agnoſcat. Triſtitia non rarò ortum dedit
Ictero. Triſtitiam verò, Spleni nuncupant Humoriſtæ
non ergò triſtitia, erit cauſa antecedens,
immediata, atque continens oppilationis
fellis. Stercus quoque liquidum nedum digeſtivæ
errore multiplicat Icterum: ſed & vitio
diſpenſativæ, ordine retrogrado, rapitur in
venas: quodque infernè purgari debebat,
ſurſum vocatur mittiturve. Ex altera inſuper
parte, ipſum Icteri efficiens, virus parit, domeſtico
vitio, non ſecus atque obſoleta ſtomachi
digeſtione, demonſtravi virus naſci, quod per
vomitum expellitur. Etenim frequenter in 7
Ictero, ani ſordes pallent, ac penè albicant, cras
deinde rurſus flavent, iterumque mox inde
pallent cinereè, ut pridem. Quod fellis obſtructionibus
ſic alternatim minimè contingit:
nam ſemel ſolutis, & apertis, non eſt recluſio,
aut clauſura tam facilis, vel imminens atque
interpolata. Duo itaque in Ictero ſimul concurrunt. 8
Vnum eſt, alienatio ſecundæ digeſtionis,
quo chylus pervertitur, tam qui regulariter
bonus eſſet, & in cruorem mutandus, quàm
qui aliàs naturaliter, in ſtercus liquidum, intra
Inteſtina faceſſit. Alterum autem eſt alienatio
diſtributivæ ac digeſtivæ ſtomàchi. Sæpè
nempe à crapula eſt copioſus vomitus flavus,
prout & dejectio talis à poculo ſolutivo. Jam
namque ſuperiori capite oſtenſum eſt, in ſtomacho,
errante digeſtione, tale amarum gigni,
itemque & in Inteſtino puerorum, virulorum,
&c. Nam ſtomachi & inteſtini propria eſt flavedo,
quæ ſubinde etiam à digeſtiva errante, amaricat.
Vbi autem cum errore digeſtivæ adeſt
vitium diſtributivæ, Icterus jam confluit: eò
quòd præter naturam, quod naſcitur præter naturam,
in venas & corpus diſpergitur: quod aliàs
nec naſci, nec iſthac deferri debebat, ſed
per ſua emunctoria urgeri. Quæ diſtributiva à 9
Scholis hactenus eſt neglecta. Cujus tamen errore,
varii fiunt morbi: nimirum fluxus ſymptomatici,
apoſtemata, aridurae partium, œdemata,
&c. Præſertim in terminis Icterus. Stercus
enim liquidum, quod naturaliter poſt ſeparationem
purioris chyli, alioqui circa finem Ilei
generatur, poſtremò, & ante merum ſtercus in
Colo inteſtino. Iam præcociter, à Iejuno Inteſtino
incipit, ac præter naturam vertitur in flavum
iſtud excrementum (non tamen amarum,
quale in ſtomacho naſcitur) unde illi fas, ſcandendi
in venas Meſenterii, naſcitur. Sunt ideo
excrementa Alvi, coloris cinerei, orbata ſtercore
liquido ſibi naturali, & tingente flavedine.
1. Scholæ etenim intelligunt fel, & bilem, eſſe
ſynonyma. 2. Cyſtidem fellis, in Ictero clauſam,
qua ad duodenum Inteſtinum tendit. 3. Idcirco
alvi ſordes, debita fellis portione privatas,
palleſcere. 4. Fel ergò, quod per anum ſecedere
debebat, urinæ ſuprà proportionaliter & immoderatè
commiſceri, ſolius itineris errore.
Quæ credulitatis ſtupiditates, Medendi fundamen-

damenta transverti fecere, magnamque mortalibus
cladem attulere, non minus quàm inconſideratas
11 manifeſtarunt temeritates. Nam
inprimis conſtat (quod alibi probavi de digeſtionibus)
quod ſtercus humanum, etſi flaveat
parum, aut multum, non ſit amarum tamen
proinde, ut neque urina Ictericia. Canes enim
edunt flavum ſtercus infantium, quaſi adhuc
lactis ſaporem illis referat. Sin tamen guttulas
alicujus fellis huic flavo ſtercori commiſceatur,
à cane nequicquam lambitur. Ergò Scholæ
fatentur bilem, ordinarium, atque neceſſarium,
cruoris excrementum naturale. Cujus attamen
generatio, non intenditur à natura, ſed
præter vitalis naturæ inſtinctus, ac per accidens,
12 morboſa eſt. Quid ſi os Icterico amaricet,
an proinde bilem arguit? In Ictero urina
flaviſſima, non amaricat: ergò felle & bile orbata
eſt. Os in timore mox amaricat, cum ſalſedine.
Timor autem nil quicquam imperii ſuper
fel obtinuit, ut concepto pavore, effundatur
in os. Etenim ſi in Ictero, cyſtis fellis ſit
infernè ſic clauſa, ut nil bilis in duodenum
fluat: ergò nec os in Ictero amarum eſt à felle,
ab duodeno ſive jejuno inteſtino, ſurſum tracto:
cum non ſit alia alioqui via, qua fel in os
13 aſcendere poſſet. Sæpè etiam in Ictero, poſt cineritia
alvi excrementa, redeunt flava: cur ergò
Icterus non deſinit, ſi ejus cauſa jam deſiſtat?
Quid ſi in Ictero, aſſumto rhabarbaro, vel cholagogo
alio, quicquid dejicitur, flavæ bilis teſtimonia
dederit: cur ergò ſumto cholagogo,
non terminatur Icterus; ſi bilis per Inteſtina, ad
Medentis nutum, delabatur? Quid ſi exoticum
fermentum, aut virus, non rarò totum cruorem,
& carnes ipſas, per diarrhœam, in fœtidum
atque flavum liquamen transmutet, & dejiciat,
quodque Scholæ bilem abſque controverſia dicunt;
14 Si inquam etiam à ſerpentis cujuſdam
morſu repente quis Ictero ſuccumbat, an proin
confeſtim fellis folliculus claudetur? Quis potiùs
exin non cenſuerit, In omni Ictero aliquod
conſimile virus patrans latere: quod digeſtivam
& diſtributivam alienet? Adeóque
bilem naturaliter non ab igne, ut neque à recta
digeſtione, multóque minus à nativi caloris
fœcunditate: ſed vituperoſo planè titulo, in natura
15 fieri. Ideóque excrementa palleſcere, flavere,
rubere, & nigricare, non aliunde, quàm
ex vitio, tam digeſtivæ, quàm diſtributivæ?
Infantum nempe ſtercus, flavius eſt adultorum;
non tamen cenſentur in Scholis propterea
bilioſiores. Eſt itaque flavedo excrementi,
ex propriæ putrefactionis vitio oboriens.
Quid ſi ergò Icterus non ſit ex oppilatione fellis: 16
nonne conſequenter, fellis deoppilativa erunt
fruſtranea? Sic nempe, ut ſerpentes aliquot
ex proprietate faciunt Icterum: ita & inſecta
aliquot Icterum ſanant viciſſim, ut & quædam
ſimplicia, foris alligata dumtaxat. Quatenus
nempe virus tollunt, quod præfatas facultates
alienat: non autem, quod ejuſmodi vermes,
aut ſimplicia, ſtatim cyſtim fellis obſtruant, aut
deoppilent. Meminerint ergò, à juvantibus ac 17
nocentibus, non aptè ſumi indicationes curativas:
ſed aptiùs, diagnoſticas. Quodque alibi 18
ex profeſſo plenius patefeci. Itaque efficiens
Icteri, eſt fermentum præter naturam virulentum:
quod pylorum ſic malè affectat, ut digeſtiva,
ſimulque diſtributiva, alienentur. Sedetque
virus iſtud vel in duodeno, vel longiùs ab
Ileo communicatur. Sic ſubinde à ſerpente
demorſus, confeſtim Ictero affligitur. Non autem
quod Ictus ille in pelle, ſtatim occluſerit
meatum fellis in Iejunum inteſtinum. Proinde 19
Icterus, per appoſitos flores chryſanthemi,
dentis leonis, aliorumque multorum ſimilium,
non rarò quoque per antidota quædam, pyloro
congrua, ſanatur. Quales ſunt millepedæ, lumbrici
terræ, flavi vermes inter aſſeres, & quæ
valenter abſtergunt primam corporis regionem.
Nec etenim rhabarbarum, crocus, curcuma, 20
lapathum acutum, &c. curant Icterum quatenus
flava: ſed illorum flavedo potius indicat
deſtinationem ſibi eſſe, ad deterſionem veneni.
Signaturæ enim produnt craſim internam rei:
non autem ipſa craſis rem detegit. Octogenarius 21
quidam, & ſocer Medici Bruxellenſis, per
biennium continuâ ſtillabat ſtranguriâ. Cenſus
ideo, habere calculum in veſica. Diſſecto tandem
ejus cadavere, fuit repertum à calculo immune.
Mox Medicus iſte, ſe calculum ſoceri
confregiſſe, oblatis ſaxifragis, jactitabat. At
non à ſtranguria ſtillante. Fuit autem ejus fel,
grumis aliquot refertum, abſque Ictero: defectus
autem Splenis ſtranguriam ſenum cauſat.
Vt alibi probavi de digeſtionibus. Iudæi enim 22
conqueruntur plurimum de atra bile, atque
mœrore. Vtuntur autem lapide, qui quandóque
in felle bovis reperitur: ſubflavus eſt, & natat
in aqua ſubinde, quanquam ſubinde durior
& ater. At bos, non Ictero; ſed malleo perit,
nec malè valet à flava bile, licet cyſtis fellis, calculo
ſatis amplo ſit occluſa. Denique bos continuo
paſtus gramine, felle oppilatur. Ergò
tantus radicum graminis uſus, in apozematibus

23 tibus ſingulis, totus eſt ridiculus. 1. Antequam
ergò concedam, fel ad tingenda alvi excrementa
quotidie demitti, prius conſtare debet, quod eſſet
bilis in rerum natura. 2. Dein, quod humanæ
ſordes inſigni amaritudine ſint præditæ.
Quod tamen alibi de digeſtionibus falſum probatur.
3. Conſtare deberet, quod idem pigmentum,
tingens urinam, & alvi ſordes, non generetur
naturaliter in ipſo membranarum ductu,
qui Inteſtinum dicitur: prout ſupra de vitulo
conſtare feci. 4. Si ergò lotium, & ſtercora, ordinariò
atque naturaliter flaveant, non tamen
ſint amara: ergò non à felle, aut bile. Ergò nec
mirum, ſi errante ejuſmodi efficiente naturæ,
copioſior fiat ejuſmodi tinctura, adeóque intenſiore
Ictero, intenſius quoque flaveſcere
quotidie lotium, in Icteritio. Nec mirum quoque,
ſi ab errante cauſa efficiente, & diſtribuente,
per totum corpus, ejuſmodi excrementa
flava deferantur, Icterum, atque tandem &
mortem ſubnaſci. Etenim ſi in crapuloſo ſtomacho
flavedo amara fiat, ab errante digeſtione:
idque tam extra, quàm intra Icterum, tam
in ſano, quàm febriente; tamque in obſtructo,
quàm patulo felle. Denique ſi in obſtructo felle
appareant lapides grumi, &c. abſque Ictero. Si
in Ictero, urina ſit intenſiſſimè flava, & tingens,
abſque amarore, & felle: Hæcque cuncta ſub
ſolius digeſtivæ errore, & diſtributiva peccante.
Non eſt mirum excrementa alvi, utriuſque
facultatis vitio pallere. Siquidem ejuſdem facultatis,
eſt bene valentis, patrare hac aliquid: &
24 male valentis, hoc aliquid facere vitiatum. Tandem,
pallens alvi excrementum, & urina rufo
rubea, in Ictero, non quidem fellis, ut neq; bilis
commiſtionem accuſant: ſed errores transmutando,
& diſtribuendo commiſſos. Nam remedia
ſpecifica Icteri, exigua præſertim quantitate
(ut aſſolent) data, non juvarent, ſi ſit (quod ſupponitur)
infernum (id eſt unicum) fellis orificium
adæquatè, atque totaliter clauſum (nam
quicquid non eſt totaliter clauſum, ſat patet
25 transfluenti felli) nam emunctorium ſic clauſum,
ut nullatenus ſit expulſivum ſuarum ſuperfluitatum:
multò certè minus erit remedii
peregrini, priuſque in ſtomacho transmutati,
attractivum, vel admiſſivum. Ideóque ergò planè
26 fruſtraneum. Denique ſi aliquod cyſtidi ſit
os ſuperum (quod nullum: nam non reperitur
tranſitus niſi infernè) illud ſanè aptum minimè
eſſet, ad trahendum bilem: mutóque minus
in tanta copia bilis, quanta ſupponitur in
Ictero. Deberet ergò bilis trahi per Iecur, nec
tantæ dimitterentur ſordes, trans ipſum fellis
folliculum, qui poris expers cenſetur ſupernè,
Adeóque non eſſet, unde inferus canalis obſtrui
poſſet. Tum denuo hinc ſequitur: Si bilis 27
ulla eſſet, eaque non transmitteretur ſupernè,
trans cyſtim fellis: remedium quoque contra
Icterum, ſupernè in cyſtim labi nequeat: neque
infernè pariter admitti (quippe exactè ſupponitur
occluſum) neceſſariò quilibet Icterus ſemper
erit, abſque ſpe ſanandi, quia citra remedium.
Tum demum aliunde patet, quod liquor 28
fellis ſit merum viſcus vitale: non autem bilis,
aut quotidianæ hepatis ſordes. Itaque ſi nondum
conſpicuus, nec dumque probatus meatus
à Iecore trans cyſtim ſit inventus: quare ergò
occluſo inferno meatu, folliculi, mox totum
corpus, felle regurgitaret? Siquidem hoc præſupponat
tantundem fellis, prius ab hepate parati.
Porrò ſi bilis flava, quam cruori extravenato 29
putant ſupernatare, tam tingat excrementa
alvi, quàm veſicæ, eáque, bilis vix ſubpallidè
flaveſcat: certè illa nunquam poterit urinam
Ictericiam tingere, in tam ſpiſſam atque ſaturatam
coloris flavedinem. Cum id, propter quod
unum quodque eſt tale, debeat eſſe magis adhuc
tale. Longéque abeſt, quod mera bilis, quam
ſimul cum cruore ſibi cognato ordinatim generari
dicitis, eſſet coloratior quàm lotium
Icterici, quod nedum non eſt bilis: ſed vix
quinquaginta ſeri partibus, una bilis cenſetur
adjecta. Nec interim vix lotium Icterici, in
quinquageſima parte ideo aſcendit, ad meræ
bilis tincturam. Itaque ſi urina (quæ materialiter
potum, ſui corpore ubique, & ſemper repræſentat)
adhuc ſuum colorem à felle & bile
mutuet. Ipſa urinæ Ictericiæ tinctura, debet ad
minimum trigecuplo, ſuo corpore tincturam
fellis; imò & croci, ſuperare, eſſetque fel ſpiſſum,
inſtar vitelli ovorum. Quod cum non ſit
de natura bilis, aut fellis, ergò nec poterit urinæ
Ictericiæ tinctura unquam eſſe à felle. Eſtque
hæc argumentatio à numero, extenſione, menſura,
& ſpiſſitudine. Itaque deberent Scholæ
retroſpicere ad ſuas theſes, de obſtructione fellis:
ac facilè reperirent, non eſſe ſub centeſimam
fellis aut bilis proportionem (etſi ponatur
folliculus fellis obſtructus, & fel non ad ani excrementa
detrudi) quotidie ortæ, ad eam quæ
ſola urina excernitur. Deinde, non eſſe cur ingraveſcente
Ictero, quotidie lotium & habitus
colos ingraveſcant, & augeantur, cum minor
alioqui ſanguificatio, felliſque contingat indies
inſtante morte generatio. Quodque magis

30 eſt. Vrina Icteri non eſt amara (quod unica
ſaltem guttula, in apice linguæ ſat lucide notari
poteſt) eſſet autem felle longè amarior, ſi ab
hoc ſuam deſumeret tincturam: aut deberet fel
in omni lotio naturalem ſuum perdere
amarorem. Quorum utrumque æquè eſt abſurdum.
Cumque aliàs omnis amaror, à cæteris
omnibus urinis exulet (Abſurdiſſimum autem
omnem totius urinæ flavedinem, à ſolo felle, ſive
bile, mendicare, nec lotium tamen interim
ullum ſit amarum) eſſet ſaltem amaror in urina
Ictericia, peregrina admodum qualitas, nec à
bile oriunda. Quod eſt dicere. Ab exotico
excremento, in ſe amaro (quale eſt ſubinde per
vomitum, quod rejicitur tam ſanis, quàm ægris)
non autem à bile naturali. At menſuram
31 cogendo Scholas. Cor flavus, quo unica ſaltem
die lotium in Ictero tingitur, poſſet tantundem
ſtercoris ſaturato colore inficere, quantum
quadraginta diebus per alvum ejicitur. Sufficeret
autem tantundem coloris exuberare in lotio
indies, quantum ſingulo die, bilis, ſtercoris
inficiat. Ergò obſtructio fellis nequit in cauſa
eſſe, cur quadragecuplo plus tincturæ & fellis
generetur, ſi urinæ tinctura, totiuſque flavities
32 corporis, ſpectentur ſimul. Imò, quando
cætera abſurditatum caterva excuſari poſſet, per
Icterum, quotidie plús rufæ bilis (ſic fœcem
iſtam nunc per licentiam voco) trans habitum
corporis diſpergitur, & ſimul per urinam, &
decuplo plus fellis quotidie ſic expellitur, quam
gignatur cruoris. Ergò ſaltem Scholæ docere
debuiſſent, cur fellis detentio & obſtructio
multiplicet fellis generationem, ſi nolint unà
concedere, iſtam ejuſmodi fellis, & omnis fictæ
bilis alioqui generationem eſſe
excrementoſam. Adeóque fictam eſſe bilem humorumque
33 quaternarium. Sed quicquid horum generatur,
eſſe partim anonymi veneni, quod bilem falſo
credidere, deluſæ per Icterum, ac
præcedentium capitum caſus. Indaginem itaque Icterici
veneni fruſtraneam cenſuere, cum bilem iſtam
putarent ſola quantitate abundantem, &
naturalem alioqui cruoris conpartem. Ah utinam
examinaſſent prius, quod bilis flava (qualem
cruori extravenato ſupernatare oſtendunt)
nequeat altius tingere urinam (aqueam alioqui ex
ſui ſeri natura) quàm ipſamet bilis eſt ac longè
adhuc minus. Quodque urina ordinaria,
mediocris flavedinis, atque temperata, ſit tamen
altiùs tincta, quàm ſit ipſa ſupernatans præfata
bilis. Quod in Ictero ſit color quadragies plus
ſaturatus, & tinctus, quàm qui à præfata bile
tingi ſperetur. Quodque quò morboſior,
mortique vicinior Icterus; eò urina eſt quoque
rufa flavedine ſaturatior. Nec tamen ſit ratio, cur
plus bilis generaretur quotidie, dum ejus eſt
minor neceſſitas, minorque calor naturalis in
hepate. Plus eſſet inquam ignis elementalis,
quò mors eſt propinquior, & ignis, ſi quis
foret, ſuæ præfocationi vicinior. Quodque dum
dicant temerè, totum mel in bilem ac fel verti,
in conſtitutione bilioſa, forti, ignea, virili ac
forti, quod aliàs in ſanguineo, totum ſit
ſanguis. Adeóque & propria, invitáque
confeſſione coactæ, non cernant, quod ſuæ fictæ bilis
generatio procedat utrobique ab aliqua
corporis virulenta indiſpoſitione, quæque tandem
aucta, multò fœcundiùs ejuſmodi ſordes
profert, quàm cruoris, imò quàm ſolet paulò antè.
Cum interim nulla ſit ejuſmodi bilis neceſſitas: 34
plurima autem cruoris, in Ictero. Non videant
inde concludi. 1. Quod natura in ſumma ſui
ſanitate ſemper erraret in ſuis finibus. 2.
Adeóque & creator ejus erraſſet. 3. Quodque non
ceſſaret, fel copioſiſſimum facere, dum illud
maximè horret, eóque minimè opus haberet.
Quod bilificatio in Scholis ſit ex cauſa
morbifica: non autem ex integritate naturæ. Quod
quicquid vocant bilem, nec bilis ſit, nec fel, nec
unus de quatuor fictis humoribus, noſtri
conſtitutivis: ſed excepto felle, bilem eſſe merum
ſemper excrementum, ſtercoreum: ſi non
ſimul etiam defectuoſum, atque virulentum.
Non ergò unquam bilis exſtitit in natura. Fel
verò eſt viſcus præpotens, in natura liquoris
primigenii, apprimè vitale, & ſummè
neceſſarium. Deeſt itaque bilis in natura univerſa,
ergò & pro Ictero. Cholera autem quicquid ſuo
attingit fermento virulento, inquinat, & in
virus tranſmutat, abſque ceſſatione. Eſt tota
itaque bilis inventio futilis, mendoſa, &
pernicioſa. Nidus autem ſive officina Icterici, eſt à 35
pyloro, uſque ad finem duodeni. Memini enim
Lucium piſcem, quandoque vivum, in dorſo,
à capite in caudam apertum, ſuperligatum
tranſverſim in regione ſtomachi, infra paucas
horas, fœtuiſſe putidum cadaver, totamque
ejus carnem, quæ ante erat albiſſima, flavam
evaſiſſe. Vulgus Medentum rebatur, ſe traxiſſe
bilem ab Icterico. Ego verò ratus ſum, vivum
piſcem calore Icterici putruiſſe, ſuamque
flavedinem à corruptione mutuaſſe. Excrementum
pelli intinctum in Icterico, non ſecus, atque
carnem piſcis, cadaveroſum virus eſſe. Erat
namque tam putidus piſcis, quod à felle
ſperneretur.

retur. Ego itaque virum ſanavi per quædam calcinata alcalia. Hæc de falſitate humorum, & humoriſtarum miſera decipula, dixiſſe ſat eſto. Reliqua autem, quæ de humorum decubitu huc ſpectantia occurrere poſſent, alibi particulari tractatu de catarrhi deliramentis ad unguem explanabo. Poſtremò autem quod pro Atra bile, hæmorrhoides, menſtrua denique, atque carcinoma uberum incuſare ſolent. Id ſanè ſub ſilentio, velut reſponſione indignum, & tanquam inutiles nænias ſperno, in magna credulitatis proximorum commiſeratione, nec non cœcitatis Scholarum. Siquidem recedunt in hoc à terminis ſibi propoſitis, tam in ſanguificando, & ad Lienem delabendo, quàm in commigrando à bile flava in atram. Quoniam hæmorrhoides, & venæ uteri, non ſemper, quotidie aut ubivis: ſed duntaxat circa venarum exitum, cruor bonus alioqui malignatur, deturpaturque iis locis, & non antea: non autem quod in Splene jam antea degener eſſet, ac in ultimum ani mittatur. Perinde etiam quicquid de Coryza, Tuſſi, Aſthmate, Apnœa, Pleuritide, Odontalgia, &c. commentantur Scholæ pro Pituitæ ſtabilimento; Id totum pro ridiculo ſomno paganiſmi demonſtrabo, tractatu de Catarrhi deliramentis, ſuo loco. Mihi autem nunc ſat viſum oſtendiſſe, pituitam nullam in conſortio quatuor humorum contineri: idque, quod à cauſis morboſis eliditur, quod muccoſum, atque hactenus pituitæ inſtar perſuaſerunt, ejici: ſufficit oſtendiſſe nunc, titulum excrementi illud ipſum ſubiiſſe, nec ullatenus familiæ humoris vitalis adſcribendum. Sit Dominus Ieſus inter me, & horum Interpretes.

FINIS.

IN ARGUMENTUM

Libri ſic luſit Poëta contra humoriſtas Chriſtiani ſanguinis ſitibundos.

QVid multis fidis Medicis, Dux optime? multum eſt
Si fidas uni : cætera turba nocet.
Nonne vides toto vacuari corpore venas?
Hic ſecat, hic urit; creſcit ab arte malum :
Quisque aliquid gipſi Galleni conſulit : omnes
Oppugnant unum corpus, & arte necant.
Induperatorem medicorum turba peremit;
An Medicos medicam credis habere manum?
Sanguine Belga fuit Princeps, medicatur Ibero
Turba modo : Belgas non juvat iſte modus.
Pauca dabo tumulo : Iacet hic Dux optimus; in quem
Nil potuit Mars, dum corpore ſanguis erat.
Quod Mars non potuit, Medici potuêre ſecando :
Sic Mavors ipſo ſit minor Hippocrate.

10055180

TVMVLVS
PESTIS;

Authore

JOANNE BAPTISTA
VAN HELMONT,
Toparcha in Royenborch,
Pellines, &c.

Editio tertia, priori multò emendatior.

PESTIS.

Lector, titulus, quem legis, terror lugubris, foribus affixus,
intus mortem, mortis genus, & hominum nuntiat
flagrum. Sta: & inquire, quid hoc?
Mirare. Quid ſibi vult

TUMULI EPIGRAPHE PESTIS.

Sub anatome abii, non obii: quamdiu maleſuada invidia
Momi, & hominum ignara cupido, me fovebunt.

ERGO HEIC

Non funus, non cadaver, non mors, non ſceleton,
non luctus, non contagium.

ÆTERNO DA GLORIAM,

Quòd Peſtis jam deſiit, ſub Anatomes proprio ſupplicio.

JOAN. BAPTISTA
VAN HELMONT
BRUXELLENSIS,
PHILOSOPHVS PER IGNEM,
TOPARCHA IN ROYENBORGH, PELLINES, &c.

Salutem & gaudium Chriſtianis.

CHARE LECTOR,

SEmper, vel à puero, inquiſivi veritatem, ſuper omne delectabile; quia paſſim inveniebam omnem hominem mendacem: adeóque ex ſeculi impietate, cuncta mendoſa, ignara, commenta, fallacia, & impoſturis plena, inventa. Cumque omnes ſtatus, religiones, & conditiones, opportune inveſtigarem per individua: vidi quidem in numeris, atque menſuris, veritatem certam, ac immutabilem. In rebus creatis denique, eſſentiam quidem, & proprietates rerum veras, atque bonas: ſed ipſam veritatem, utut apud homines inquirerem, nuſquam inveni, Dolui magnoperè, quòd veritas ſe abſcondiſſet à captu meo; neſciens, vitium iſtud meum eſſe, non autem rerum. Tandem, cum conſideraſſem, quòd Deus ipſe eſſet nuda veritas, Euangelium ſumſi ad manus. In quo etſi ſingularem veritatem ubique notarem; attamen interpretationes offendi, ad carnis lubitum. Imò hodie, ſtudioſos ſedulos aliquot notavi, ad excuſandas excuſationes in peccatis, præcipuè Magnatum. Adeóque Euangelii veritas cenſetur eſſe profeſſa: at non acconſentita, ut decebat. Nam nemo eſt, habens duas tunicas, qui unam exuit; ut pauperem, tanquam Chriſtum præſentem, illâ induat, ex mero amore. Nemo genam alteram, verberanti offert. Adeóque Euangelica veritas, ſtudio quorundam, hodie obſoleta eſt inter Chriſtianos. In qua conſideratione, dum ſemel ferè pernoctaſſem, poſt annorum aliquot ſtudia & anxietates plurimas, reſolvebam mecum, quòd Peſtem, quæ tum noſtrates invaſerat, quamque omnes fugiebant, gratis ubique adorirer. Et quanquam ex libris undecunque remedia ſelectiſſima in compendium contraxiſſem, ſimulque remedia, ab aliis deſcripta, ad manum haberem: irrita tamen cuncta, languida, atque vana expertus ſum. Derelicti namque, atque pauperes, ſæpè ſuos vomitus ac ructus ſuper me offerebant, animamque inter brachia efflabant, me anxio: Sed Deus ignarum atque inutilem hunc ſervum præſervavit. Atque tandem, comprehendi Peſtis naturam, progreſſum, & proprietates, longè alias, quàm hactenus Scholæ intellexerant. Quoniam ipſimet Doctores, & Scribentes, primi aufugiunt; & quæ hinc inde è variis authoribus compilarunt, æquè ignaris extollunt, atque commendant, tanquam longè optima, quæque ex ſua inſcitia ſic æſtimant. Adeóque omnis illorum doctrina fundamento putationis innititur. Interim tamen cognitio veneni peſtilentis deſideratur, hactenus jejuna: ac remedia expoſcuntur, quæ immutato in prioribus officinis ſui dono, ſuperare queant veneni labem. De quibus nil per Scholas ſomniatum hactenus.

Cujus

Cujus generis ſit Peſtis.

OBvenit mihi ſomnium, poſt anxiam pernoctationem atque dum nox nocti indicat ſcientiam, exiſtimavi ſomnium continere ſcientiam. Itaque ſomnia mea,Lectoris judicio lubens ſubſtituo.Conſiderabam enim me in Cryptis extra Urbem (Grottas vocant:) vidi labyrinthos Dædalicos,fornices alicubi rimam ruinamque minantes. Porticus Plutonis dixiſſem,quibus tenebræ inveteratæ,aër ſpiſſus,longâ quiete feſſus,lumen candelæ eminus lucere, non permittit. Etenim aëris denſitudo, Gas terræ, obviabat ſic, quod paucis abinde paſſibus,vix flamma cerei micaret. Vox namque, offuſcato ſonitu obmuteſcit ſic, quòd non procul inde clamor non audiatur: videaturque obtuſior tonus, non vocem, ſed vocis umbram referre. Nil enim ibi vitale, excepta veſpertilionum turba, attextis nidis in fornice conglomeratorum. Heu triſte ſpectaculum, æternæ mortis imago,ubi tenebrionum ſedes. In qua ſi incolarum unum fortè læſeris importunum:candelis privaris,& mox vitâ,niſi extincto lumine, te ſternas humilem, ac velut mortuum finxeris.Tenebriones enim,obſcuritatum indigenæ,à nemine peti, aut corrigi ſuſtinent; multóque minus à ſede abigi. Injuriam vocant,allatum contra ipſos lumen: quia penes ſe, lumen nec habent,nec amant. Sub doctrina & correctione, non ex ipſorũ nidis emanante, clamant vindictam:in eamque conjunctis votis inhiant. Quam fortes enim, quia, & quando plurimi? Quam audaces,in tenebrarum ſeculo,& regno? quamq; immites, ubi votis & volatibus ſuorum favent omnia? Anhelitus enim noſter tantam ibidem olet fracedinem,ut mox nos pallore,mora tingat. Enimverò metallicis cuniculis eſt familiare, ut niſi frequenter ſolium pertundatur, novuſq; de æthere aër adſpiret, certè Montani, cœco Gas pereunt: ſin autem non pernoctaverint,ſaltem morbum contrahunt,in vitam uſque deplorabilem. Solent enim proinde, ut vitæ montanorum conſulant, per machinas, novum aëra inflare, noxiumque exſufflare. At in cryptis Romanis non quæruntur mineralia,Ideo & Arſenici Gas carent. Inveniuntur nempe ibidem frequentia ſepulcra, quæ Chriſtianorum martyrum glorioſe mortuorum putantur. Dubitare itaque ſomnians cœpi, an profuga, nec reperibilis hodie veritas, ibidem ſibi tumulum feciſſet cum martyribus? arriſit dormienti quæſtio. Etenim de terra Medicum,ut Medicinam, creavit Altiſſimus. Exiſtimavi itaque Medicinæ veritatem, ac Medici ſcientiam, in naturæ fundamento ſtabili, abditioreque ſepulcro, ſe occultaſſe, ab indigno contaminatoque mortalium contuitu, noſtrumque refugiſſe commercia, multis ſe labyrinthis & anxietatibus obruiſſe. Ita ut pro luminis exiguitate,quod nobis ex natura ſociale eſt, maneat veritas tenebris obtecta,& obſepta difficultatibus. Ac peſſimum hic tandem occurrit: quod hoc veritatis ſepulcrum,non à bono genio; at infauſtis nocturnis avibus,cuſtodiatur. Ideo ſpiritibus tenebrarum ſit ſupplantatum. Quiſquis autem ille eſt, qui molitur, quod iſtis cuſtodibus minùs applaudit, violentum mox experitur imperium illorum, qui ſpecie pietatis ac quietis, hæc regna Plutonis cuſtodiunt, quaſi ſua. Ac cum ipſi in lumen Veritatis non veniant, etiam alios intrare non ſinunt,niſi ſe ſibi ſternant humiles. Circumcingitur enim mox alius quilibet, à poteſtatibus tenebrarum, hoſtibus primæ Veritatis, qui ſpecie pietatis, legata ſuorum ſepulcrorum ſibi vendicant: quia penes ſe regnum Veritatis jactitant. Ideóque ſibi delegatum imperium literarum, ſcientiarum, & Magnatum poteſtates. Hi enim nec aves,nec mures,ſortiti medium ac hermaphroditicum genus, inceduntque ut eſt Lucæ 20.Penetrant domos,atq; poſſeſſiones viduarum, abducunt poſt ſe mulierculas oneratas peccatis, &c. Certè ejusmodi omne negotium perambulat in tenebris, & cum dæmonio Meridiano, omnis eorum conatus. Equidem non cernebam medium aperiendi ſepulcri Veritatis, niſi longo cum otio: hoc autem oſores ſpiritus, vel à diebus Ariæ Montani, non permiſerunt probis. Quapropter ut opportunè,& cum utilitate proximi, id factitarem, decrevi me vulgo ſubducere,& fornices naturæ,frequenti foramine, ſubter lucem pertundere. Ac ne fruſtra laborarem, ſub luce pelves vitreas diſpoſui, ut muto ſonitu,naturę cameram ſubtus deprehenderem. Securi, unco, igni, & liquore acri, ſaxa diffringere,quadraginta annorum indefeſſis laboribus, & impenſis, ſtudui, ut lumen cœlitùs influat, utque nocturnæ volucres, quæ ſe claves ſcientiarum & Veritatis angiportum cuſtodire præſumunt,evaneſcant,vel ad angulum ſe recipiant, extra auliciſmum, & urbanitatum venationes: Vel ſaltem mortales,Veritatis indagatores,poſthac non impediant ampliùs. Hoc enim mixtum monſtri genus obſtrepit, ſe omnibus avibus præſtantibus, quia non ex ovo, aliarum avium ritu, incipiunt: ſed fœtus, longiori ad mammas ſuctu enutriunt, ejiciuntque è nido, quos ſibi non ſat proficuos putant. Se inquam avium proinde perſpicaciſſimas gloriantur: hoc quia etiam ſub tenebris clariſſimè cernunt. Eheu ſic ſeculo imponitur per tenebras! Veritatem autem in umbra, intra ſuas cryptas mentiuntur, & perſuadent vulgo. Qui interim ſemper diſcentes, nunquam ad charitatis ſcientiam perveniunt. Qua lumen à ſola ac nuda charitate edoctum, non tolerant, Ideoque technas tenebrarum, telaſque ſibi ſemper texunt.

Profectò fuit mihi neceſſarium, terræ viſcera lacerare, ejuſque cranium pertundere. Siquidem viſus eſt mihi Galenus intraſſe in cryptas, tenui lampade; qui mox in veſtibulo terrefactus ceſpitavit, ad primum fere limen accidit. Itaque effuſo oleo, rediit ad ſuos, multaque confusè de ſepulcris narravit, quæ non viderat, nec noverat; nec credidiſſet, etſi vidiſſet. Omnes exin, multa temerè apud ſuos ſtentantur ſe ſcire, qui nec quidem limen naturæ, niſi Galeni relatu, eminus ſalutârunt. Avicenna denique cum ſua cohorte, luſtratu Galeni, etſi cautior factus; non tamen multò profundius intravit: quin retrò, circum, ac ſurſum aſpiciens, vertigine captus, offenſo ad ſilicem pede, præceps ruerit: rediens autem, ſe prædeceſſoribus longè ampliora vidiſſe, jactitat idiomate peregrino. Quod cum ſequaces intelligerent, hærerentque, quemnam pro Anteſignano eligerent, pugnare pro Principis jurati gloria ſinguli maluêre, quàm ipſimet adyta intrarent. Quaſi humana mens libera, clientum inſtar prona, libertatem abjurâſſet. Itaque nulli deinceps intrare conati, primiſque ſtentoribus contenti, ſeſe in pugnam, pro gloria, & tropæo, nondum cognitæ rei, ſuis centuriis præfixere. Quotquot autem ad limen venere, velut primario patrono factioſè addicti, veſtigiis priorum inſiſtentes, illicò corruerunt. Somniârunt ſe ingreſſos. Saltem lumine & ope privati, ad tantæ molis removendas tenebras. Alii quoque dein verſus cryptas properarunt; ſed lumen ſecum non attulerant, extinctum atque abreptum ſenſere oleum, per hoſtes primæ Veritatis & humanæ ſanitatis, ac tenebrarum incolas. Tandem Paracelſus, magna face ingreſſus, funiculum circa primos paſſus parieti affixit, quem ſequeretur comitem, ac viarum reducem, adſpirant penetrare, quo nondum veſtigia mortalium iter fecerant. Ad tantam mox lucem ſtupet volucrum turba, Prometheum intraſſe autumat: extinguere faculam non audet, non valet: tentat tamen clanculum. Plurima monumenta hic homo videt, diutiùs & liberè exſpatiatur, porticus fumo replet, & dum Veritatis ſarcophago intentus, vires deficiunt, fax cadit, lumen medio curſu extinguitur, & fumis velut ſuffocatus eſt. Ego miſellus, tandem intravi minimo laternæ lumine, & ne quid obeſſet, quodque manum ab opere detineret, funem quidem recuſavi, & laternam ad zonam ſuſpendi: ſed à tergo uncus ſequebatur, orbitam faciens, reditus normam. Itaque meis tantum inſiſtens veſtigiis, vidi ibidem longè alia, quàm præcedens avorum cœtus deſcripſerat. At quia ſolus eram, ad tam ardua pondera vires deerant, multaque conatus, adverſante veſpertilionum turba, tandem priorum more, abſque fructu exivi. Imò longè deterius. Quia diutina mora lumen mihi offuſcatum erat, & oculi deinceps aliam porrò lucem omnem ferre recuſabant, utpote quia jam tenebris nimis aſſueverant. Vſque adeò niſi à pertinaci intento penitùs abſtinuiſſem, cœleſte mihi diei lumen nil omnino proficuiſſet. Hoc ſaltem unicum atque veriſſimum didiceram: quod omnes, humanis duntaxat freti auxiliis, ambularemus in denſis tenebris, per vias ignotas, difficillimas ambages, & ſemitas noctis, paucorum maléque fidorum induſtriam imitantes: nec quicquam tandem inde fructuum ferremus, præter quam malè conſumtum lumen, offuſcatos oculos, pallentes canitie genas, confuſiones mentis, præſumtiones vanitatis, noctiſque inſtantis imaginem terrore, ac deſperatione plenam. Deprehendi inſuper omne nebulonum & meretricum genus, deceptores, Iudæos, & carnifices, ubi ſemel propriâ temeritate ſe intruſiſſent, mox audendo graduatos. In nullo enim majorem licentiam, temeritates ampliores, credulitates crudeliores, tenebras denſiores, ac confuſiones frequentiores offendi, quàm in munerum nobiliſſimo: in quo cuique eſt liberum occidere, ſi homicidium ſubſidii pallio ſit involutum, & occiſus terra tegatur. Rogavi itaque Deum, finem in nequitiis tam ſceleratis, quæ contra divinum majeſtatis ſuæ ſimulacrum faciebant, dignaretur ſtatuere. Verum mox inde vanitatem deſiderii mei deprehendi. Siquidem quamdiu proprium commodum ſuperioritatem tenet, & Medicina ut aratrum exercetur, fruſtra contendunt, qui Chriſtum meum, patrem pauperum, cum Mammona componere ſtudent. Laudabam olim civitates, quibus non erat licitum, inconſulto Medentum collegio, inſanitatem proximi debacchari. At dein meam riſi ſtoliditatem, quia excipiebantur, qui gratis curarent. Vnde didici, quod lucrum Medentûm iſtam ſibi caverat legem, & proprium lucrum ubique leges charitatis vitiaret, ſpe certâ, neminem inventum iri, cui iſta exceptio quadret. Vidi itaque in legum conſuetudine, ſupercreviſſe defectus, legesque reddidiſſe ſucco effœtas. Ac fuit certè mea ſtupiditas tantò major in hoc, quod nuſquam admittantur in curando errores craſſiores, quàm quos Medentes, etiam Cathedralici, piabili ignorantiâ committunt: prout toto opere anniſus ac paratus ſum oſtendere, Mechanicè per ignem, practicè, omnique genere demonſtrationum. Enimverò ante pauca ſecula, Chirurgum à Medico ſequeſtrarunt arrogantia, ignavia, & charitatis extinctio. Quare dein miniſtri tractarunt manualia: quaſi Chriſtianum dedeceret, proximum manibus juvare. Interim nobiles matronæ aliquot, propriis manibus plures defectus ſanabant, à Medentibus deſperatos. Profectò, poſtquam ambitionis & lucri ſtudia exculta ſunt, refrixit charitas, miſericordia extincta, ars periit, datorque luminum ſubtraxit dona, calamitatum noſtrarum numerus crevit, & Medentes fabula vulgi facti ſunt. Veritas in ſepulcro ſcientiæ ſepulta manſit, & ejus vice ſurrexit confuſum rixarum genus, ſermocinale, pro doctrina reputatum. Etenim Medici deſcripſerunt, & ad ſe traxerunt totum morborum exercitum, dolentes propemodùm, exiguum adhuc illorum eſſe catalogum. Artis namque Galenicæ facilitate allecti, promiſerunt geometricis demonſtrationibus graduum, caloris & frigoris, metiri omnes, ac mederi omnibus. Chirurgi quoque horum imitatione, ac æmulatione, tam moderni, quàm veteres, largè latéque tractarunt promiſcuè de omnibus, ſub ſe rapientes omnium ſanationes, in aſpectu, ac deſpectum ſuorum pridem herorum. Quoniam initio ac radice deſtinationis Medicæ, omnia ſolis duntaxat phyſicis curanda competebant: Chirurgis verò dein, ſolo permiſſu & ea gratia Ambo ſub lite manſere confuſa, quam nec terminare poſſum, nec intendo, certior factus.

† *Quod electum divinitus Medicum ſua ſequentur ſigna, & prodigia pro Scholis. Is enim ad honorem Domini præparabit dona ejus, ad ſolamen proximi: ideoque commiſeratio erit dux ejus. In corde enim poſſidebit veritatem, & ſcientiam in intellectu. Charitas erit ſoror ejus, & miſericordia Domini illuminabit vias ſuas. Ille enim erogabit gratiam Domini, & non erit ſpes lucri in cogitationibus ſuis. Dominus enim eſt dives, & liberalis, dabitque centuplum in menſura cumulata. Sua opera fœcundabit, manus ſuas unget benedictione. Replebit os ſuum conſolationibus, & tuba verbum ejus, à qua fugient morbi. Longitudine dierum implebit vitam, domum ſuam divitiis, & filios ſuos timore Domini. Veſtigia ſua adferent felicitatem, & morbi in conſpectu ejus, tanquam nix in meridie æſtatis, valle apertâ. Maledictio & punitio fugient, & ſanitas ſequetur eum à tergo. Hæc ſunt promiſſa Domini, Medentibus quos elegit: hæ ſunt benedictiones eorum, qui ambulant in ſemita miſericordiæ. Quia Dominus amat miſericordiam facientes; & propterea illuminabit illos, per conſolatorem ſpiritum. Quis enim eſt liberalis ut Dominus qui gratis dat multa, & pro aliquanto dat omnia. Benedictus eſt Dominus, qui ſolum miſericordem ſalvat, & ſalvandum ſalvat gratis. Conſolatio autem in via ſpei, obviabit miſericordi: quia fidelem elegit Dominum.* Enimverò Græci, mox dein Arabes, inſtituerunt ſanationes infirmitatum, ſine diſtinctione perſonæ Chirurgi à Phyſico. Ac Gentiles iſti, à morte reſurgentes, Chriſtianos Medicos quandoque ſocordiæ, avaritiæ, & arrogantiæ confundent. Etenim Deus electionem Medici ſibi reſervat. Scholæ verò hac operâ, Deum ſublevare volentes, diſcipulos aſſumſere inſtruendos, quoſlibet ac ſine diſcriminè, propoſueruntque illis artem, in librorum lectione aſſidua & diſputationibus ſitam. Quapropter legerunt libros Galeni, Avicennæ, & Interpretum: deinde Herbarios evolverunt, depictis ad vivum iconibus Herbarum. Quaſque inde ſi nondum proin noverint, dimittuntur Studioſi ad officinas, & ſimplicium collectores. Cum mandato, quod dum probè effigies ſimplicium cognoverint, redeant ad ſuas lectiones, quas ex variis Authoribus multo longoque ſtudio collegerunt, ut ſimplicium & compoſitorum poteſtates, ſimul & applicationes diſcant. Videbitis interim forte cadaverum diſſectiones, audictisque (ut ajunt) methodum medendi Galenicam, uſum partium, differentias pulſuum. Item noſtra commentaria ad nonum Almanſoris, juxta tritam practicantium normam. Interim diſcite, argutè ſuper qualibet propoſitione, problematicè diſputare. Sicque intra triennium, in viros doctos tranſmutabimini. Scholæ interim velut pudibundæ, nomen Medici deponentes, altius aliud, exacto triennio, ſuis ſpondent tyronibus. Quod eſt Doctoris. Itaque poſtquam Ars eſt erecta

† Signa veri Medici.

in facultatem religionem , ac profeſſionem , faſtus irrepſit , avaritia intruſit lucrum , unde & mutuum Medentûm odium : quæ omnem in ægros inclementiam ſecum adduxêre. Litera porrò, & lucro inflantibus, tandem faſtus ſupereminuit plerumque avaritiæ. Quapropter Medicus famulum , qui barbam pectere ac tondere noviſſet , in Chirurgum promovit ; ſibi turpe cenſens , qui tot libros evolviſſet , ulcus deligare, aut fractum os reponere. Id namque habent vitia cuncta , ut pudore ac metu ſe aſſocient , & crimen decentiæ umbrâ tegant. Ideóque & faſtus ſenſim ignaviam comitem ſibi delegit, quorum copula inſcitiam mox generavit. Ita nimirum Doctor ad externos Eryſipelatis ſquallores vocatus, genus & nomen affectus ignoravit. Quæ dum cautè à Chirurgo reſciviſſet , ſerò aliquot libros evolvit , ut ſequenti manè multa de affectu declamet. Itaque venam aperiri jubet , ſerum cum aceto roſaceo , vel ſaponem , ad deliniendos ardores adponi jubet, ac in ſequentem diem poculum cholagogum deſcribit. Obridet Chirurgus , quoties eventus non reſpondet pollicitis : & Doctor , externos morbos ſenſim exuens (quia neſciens contentus præeminente titulo , quod plurima in ſcriptis Chirurgicis legiſſet , & longè ampliſſima apud plebem declamare poſſet , connivente Chirurgo. Qui interim , inconſulto Medico , ſuos aſſumit diſcipulos, qui modò dentem evellant , venam pandere nôrint , baſilicum ac diapalma extendere , ac vulnus deligare triennio didicerint , cenſentur liberi Chirurgiæ Magiſtri , invitis Scholis. Doctores autem ſerò didicerunt fabulam ejus, qui ſerpentem frigore congelatum ſinu ſuo donaverat , & ab eodem perforatus, miſerè periit. Idque hodie eò eſt protractum, ut Chirurgi deinceps, inter ſe, ſuos habeant Doctores, Profeſſores , & Scriptores vernacula lingua. Tunc inquam , ac ſerò reſpexerunt Scholæ , adeò ut qui prius os fractum aut dislocacum reponere erubeſcerent, ac poſtmodùm neſcirent , jam gaudeant urinam refundere , atque olidum ſtercus baculo agitare , ut ſuos ariolentur ibidem fugatos humores. Idque ni fecerint, ſciant utique, ſe domi deſides, juxta libros fraceſcere debere. Interea namque aucta eſt penes Medentes, Chirurgiæ inſcitia. Faſtum equidem ubique punivit Deus , per ignorantiam , aut dementiam. Galenus quidem libros Therapeutices ſcripſit , quod Methodum Medendi interpretantur. Sed quis eſt , qui neſcit, quòd Therapeuta famulum ſonet? Adeóque humili famulitii titulo , naturæ & ægris ſerviendum fore? Ac gloriabimur in Domino, qui ſervi naturam aſſumens, voluit, quod ſui Medici , in hac humili vocatione , nobiliſſimæ totius Vniverſi ſcientiæ participes eſſent. Enimverò quandoque interrogavi Canonicum , cur horas non concineret , qui ab inſtituto erant laudum divinarum cantores , angelorum æmuli ; non autem capituli , aut Hierarchiæ eccleſiaſticæ directores ? Reſpondit , Cantare magnis Canonicis indecens fore , ſe habere minores beneficiatos , ac ſacellanos. Vnus enim poſſeſſione largioris eleemoſynæ , denegat Deo ſuas laudes , tanquam rem ſibi vituperoſam : Alter verò ſibi reputat fore indecorum , membra Chriſti lacerata contrectare , mundare , deligare. Ego autem certus ſum , Dominum infra paucos dies ambulos dicturum , Niſi fiatis tanquam unus ex hiſce parvulis, vos lampigeros ſine oleo neſcio. Quapropter vos fratres adhortor , Tollite lucrum, ejusque loco, imbibite charitatem: & ſentietis omne opus bonum , quod vobis nunc videtur vile , eſſe nedum laudabile , honeſtum ac nobile; ſed etiam ſanctificare, & nobilitare ſuum operatorem. Nonne magnus Iudæorum Pontifex, princeps erat ? lanio armentorum? gregisque occiſor ? manus cruentas habens ? At longè decentius eſt, ulcera pauperum deligare , quàm fuit olim victimas cedere. Nullum enim opus bonum in charitate, poterit unquam reputationi quicquam detrahere. Lucrum ergò & faſtus, per Satanam introducta ſunt. At dices, Operarius eſt dignus mercede. Si operarius es ; te ergò tuæ non pudeat operæ. Sapiens ait , Medicus à Rege (non à paupere) donum accipiet (non ſtipendium, aut mercedem.) Itaque ſi pura operantis ſit intentio, providebit Deus juxta promiſſum , qui neminem decipit , promittens centuplum hoc ſeculo, & vitam alterius. Quare hiſtoriam vitæ meæ , & Domini magnificentias, obiter deſcribam : imitemini, ſi quid fortè boni in ea occurrerit. Equidem heluo librorum eram : notabilia cuncta in locos communes collegeram, ſic ut pauci me ſuperarent diligentiâ ; plerique autem judicio. Anno 17. meæ adoleſcentiæ prælegebam lectiones Chirurgicas in collegio Medicorum Lovanii , à Profeſſoribus Thoma Fyeno , Gerardo de Villeers, & Stornio conſtitutus. Eheu præſumſi docere , quæ ipſe neſciebam. Holerium, Tagautium, Guidonem, Vigonem , Æginetam , totamque Arabum turmam adaptabam. Qui ſanè omnes ſimul , apicem Chirurgiæ non intellexerunt. Poſtea deſtiti, demiratus temeritates & incogitantias meas, quòd ſola librorum lectione docere præſumerem, quæ non niſi viſu, atque manuum contrectatione, longo uſu & acri judicio addiſcuntur. Inflabat enim me inconſiderata præſumtio, quod ad hoc ſponte delectus eſſem, meoſque Profeſſores, etiam auditores, lectionumque mearum cenſores, haberem. Fidebam enim ſcriptis, ut pueris contingit, de Bajardo, & Malegigio legentibus. Tandem ſtupefactus mecum comperi, quòd eventus non reſponderet doctrinæ, quódque Profeſſores mihi non plus lucis darent practicando, quàm antiquorum ſcripta. Sæpè interim in mentem veniebat, quod Scholæ ex Avicenna intonant. Nimirum ægris confidentiam in Medicum majoris eſſe ponderis, quàm ſit Medicus cum cunctis ſuis inſtrumentis. Suſpicabar itaque, debile eſſe Medentis ſubſidium, cui imaginarium confidentiæ auxilium anteferretur. Nam ſi quis lætus per riſum ſanetur. Ridicula ſaltem eſto medela, ubi Medicus ridendo, vel confidendo, ſanaverit ægrum. Non eſt enim iſta medela, quam Omnipotens de terra creavit. Ridiculum quoque tum axioma Scholarum apparuit, perhibens; A juvantibus, atque nocentibus, ſumi capitalem curandi indicationem. Eò quòd iſtud axioma præſupponat ordinariò, pharmaca incerta & nocua plerumque præmitti ſolere. Iuvantia quoque ſi qua data fuerint, caſu, abſque cognitione data eſſe: quæ ſanè, invitis Scholis, Medicinam definiunt, artem conjecturalem, morborumque cognitiones atque ſanationes, incipi à poſteriori, ab erroribus, ab incerti tentamine, & conjectura. Imò id quod deinceps exploraretur, æquè fore incertum. Axioma iſtud Medicum meritò Poeta maledixit:

> —*Careat ſucceſſibus opto,*
> *quiſquis ab eventu facta notanda putat.*

Dolui ergò me iſtam artem didiciſſe. Indignatuſque mecum dolui, qui nobilis eſſem, quòd invitâ matre, & inſciis agnatis, primus in noſtra familia, Medicinæ me nuncupaſſem. Deflevi dudum peccatum inobedientiæ, tæduitque annorum atque laborum in electa profeſſione impenſorum. Ac mœſto corde ſæpè ſupplex oravi Dominum, dignaretur me ducere ad vocationem, non qua meâ ſponte ferebar; ſed in qua illi complacerem potiſſimum. Votumque feci, me ſecuturum, & obſecuturum pro poſſibili, quócumque me vocaret. Tum priùs, ut pomo vetito paſtus, meam agnovi nuditatem. Quia nec veritatem, nec ſcientiam, in putaticia doctrina mea reperi. Ratus inprimis crudele, ex alienis miſeriis nummos accumulare. Indecens quoque, artem in charitate fundatam, & ſub conditione miſericordiæ exercendæ elargitam, tranſſumere in lucrum. Cùm nobilitas charitatis, ſtipendio alienetur, quæ precio extra ſe caret, quia omni precio eſt major. Quapropter ſtatim hæreditatem meam viduæ ſorori inſcripſi, & dono inter vivos tranſtuli: eò quòd opportunè illa carere vix poterat. Iuvenis ego, rebus cunctis prorſus inutilis, homo non frugi, & qui ſe perperam ſtudiis applicuerat, Deo me commendavi, cum intentione proficiſcendi peregrè, Medicinam deſerendi, atque in patriam redeundi nunquam. Quia clarè inſpexi tum penitiſſima mei; vanitates prioris præſumtionis, & literalis Doctrinæ detexi, atque repudiavi. Ad exteros itaque incertus pergo, ſub ſpe, quòd Dominus curſum meum clementer dirigeret ad finem ſui beneplaciti. Sed quò magis Medicinam deteſtarer, ac velut impoſturam procul à me abjicerem, eò nempe major me invaſit medendi occaſio. Idiota namque ſe mihi aſſociabat, qui pyrotechniæ, manualia ſaltem, noverat. Mox ego, ut penetrale quorundam corporum per ignem inſpexi; comprehendi multorum ſeparationes, tum libris nondum traditas, ac hodie aliquot incognitas. Dein indies crevit ſciendi ac operandi aviditas. Non enim multò poſt biennium, ejuſmodi mihi ſupellectilem comparaveram, qua apud infirmos, etiam juxta Electorem Colonienſem Erneſtum Bavarum, abſens magni fierem, & me ad ſe evocaret. Tunc enim adhuc magis me puduit nuperæ, & doctæ meæ ignorantiæ. Quapropter ſtatim abdicavi omnes libros, & ſenſi me per ignem plus proficere in conceptibus orando acquiſitis, quàm libris quibuslibet, cantum ſemper eundem cuculi canentibus. Tuncque dilucidè cognovi, me veræ Philoſophiæ aditum vitiâſſe. Vndique obſtacula, difficultatumque obſcuritates apparuerunt; quæ non labor, non ætas, non vigilia, non denique nummorum diſpendia, diſpergere potuerunt ex condigno: Sed duntaxat unica & mera Dei bonitas. Etenim nec Venus, nec ſympoſia, vel unicam mihi horam ſubtrahebant: ſed labor continuus, & vigilia, fures mei temporis. Sanabam namque lubens pauperes, & mediocris fortunæ, concitus plus humanâ commiſeratione, & affectu morali erogationis: quàm ex pura reflexaque univerſali charitate, in fontem vitæ. Contigit enim, quòd Conſul, aut Vir patritius, meâ quandóque operâ libenter uſurus, eam denegaverim præſentialiter exhibere, nolens deſerere plures pauperiores; ne cenſerer plures, propter unum, neglexiſſe. Attamen Deus hanc ſuperbiam, ex ſui beneplaciti chariſmate, in bonum vertit. Pudebat enim me nummos, niſi à ditioribus, recipere. Adeò ut me Confeſſarius coëgerit cujuſvis offerentis pecuniam admittere, ne ſecus faciendo fores præcluderem, qui pudore præpediti, non auderent ſubſidia ulteriora petere. Dicebat enim, Quæ recuſas munera, da indigo: quæque ſi non receperis, per ſuperbiam detrahis pauperi, quod ſuum erat futurum. Dabam quoque libenter medicamina à me præparata. At quia majus gaudium ſentiebam, dum à primate aut divite advocarer: indignatus mecum, ac confuſus, reſtiti dudum, & laboris inſumſi plurimum, ut ſuccreſcentem natæ in me avaritiæ ſurculum evellerem. Itaque in me plus ubique arrogantiæ, & elationis, quàm pii affectûs, exploravi. Finaliter. Deus præſcidit mihi media, tam in Eccleſia, quàm apud Magnates; adeóque & apud Rodolphum Imperatorem amplæ fortunæ mihi videbantur promitti, animæ verò periculum incurriſſem. In quorum commutationem, uxorem piam atque nobilem mihi dedit, cum qua Vilvordiam me ſubduxi, per ſeptennium Pyrotechniæ me immolavi, ac pauperum calamitatibus ſubveni. Reperi, ac ſanè comperi, neminem à Deo deſertum iri, qui pio affectu, firmâque fide, Medentis munere fungitur. Etenim omnium quanquam ineptiſſimus, oculariter deprehendi, Deum, ipſam eſſe in miſeros charitatem, ideóque ex ſuamet charitatis effluenti bonitate, ſemper mei curam geſſiſſe. Auctæ ſunt namque uxoris hæreditates, & ampla meæ familiæ devenere patrimonia: nam etſi litibus ſuccumberem ex hominum livore; attamen victor evaſi per aliquot reviſiones: ſic ut miſericordiæ Dei palàm circa indignum apparuerint. Quinimò depreſſit præpotentes, qui me ad infamiam, & occultam necem, ſub pietatis involucro, perſequebantur. Et ſagittæ in ſuos percuſſores ſunt reflexæ, adeò ut modò ipſos plus pudeat, quàm pœniteat, manifeſtatorum criminum. Interim quotannis aliquot myriades infirmorum ſanare meis remediis non deſiſto, nec proinde minuuntur mea pharmaca. Didici ergò, inexhauſtum eſſe Sapientiæ theſaurum; ac quotidie experior heſternam ignorantiam hodie illuſtrari. Redeundo autem, unde digreſſus ſum, Reperio Scholas nondum diſcernere potuiſſe, qui defectus Medicum, & quinam Chirurgum reſpiciunt. Quæ ſi licet mihi determinare, declaro ſola Suſcepta tangere Chirurgiam. Quæ tomo de novo ortu Medendi ſat explicui. Sunt autem Suſcepta, vulnus fodicatum, cæſum caſu, morſu, contuſione, ambuſtione, aut congelatione factum. Item omnis tumor, à caſu, ictu, &c. proveniens. Item laceratio, divulſio, hernia, oſſifragium, & dislocatio. Vt etiam externè hauſta contagia ſcabiei, herpetis, &c. & nil ampliùs. Medicos verò, præter internos Retentorum defectus, curare attinet ulcera quævis, apoſtemata, & quæcumque externa, ab interno procedunt initio. Qualia ſunt Cancer, Lupus, Lepra, Podagra, Paneritium, Iſchiatica. At hodie rixa mitior inter utramque profeſſionem, quia Medicorum plerique methodum, medelam, & auxilia ignorant, non ſecus atque Chirurgi. Ideóque etſi manus conſerant, & ægri ſic loculos exhauriant; tamen tandem ad metam deſperationis feſtinant. Suntque in propoſita quæſtione de Peſte ſatis unanimes. Medicus nimirum recuſat peſtem, eſſe de ſibi ſuppoſitis; quia Anthracem, glandes, bubones, eſcharam, ampullas, & ſtigmata præ ſe fert. Saltemque cum Chirurgo condeſcendit, quòd promittat undecumque ex claſſicis & anteſignanis authoribus, ſe corraſurum optima quæque Alexiteria, ſi non curativa externorum; ſaltem præſervativa contra atrox venenum. Imò ſi Theriaca Galeni non ſufficiat, quæ duntaxat juxta Andromachum 66. ſimplicia (id eſt, finalem partem nominis Antichriſti) continet, ſpondet herbariis, ſe ſuperadditurum plurima, quæ Peſti profligandæ ſunt ſatis: utque ſi non vi ſufficiente pollent, ſaltem in multitudine, per numerum, cum Peſte certare queant. Si autem Doctor à civitate conductus ſtipendio fuerit, ne aliis infirmis ſuis metum (ſic metum ſuum alieno pavore cooperit) cauſando obſit, aut deſit, ſpondet ingenuè, ſe calamo oſtenſurum, rem ægrotantium ſibi eſſe cordi. Adeò ut & librum concinnet ex præclariſſimis undique authoribus, quem Communitati nuncupare promittit, ſub ſpe ſcilicet inſumti laboris vani, præmium rependendi ſcriptori. Etenim in illo tractatu, victum, exercitia, facienda, cavenda, everrendaque media, præter remedia, ac præſervativa, ita ſe pollicetur diſtincturum, ex omnibus authoribus, quòd ipſamet Peſtis eo viſo, de neceſſitate, morbida fiet. Chirurgus denique ait, Quòd Peſtis, quatenus febri ſociatur, ſuis non ſtet regenda arbitriis. Atqui, utut res quandoque feliciter ceſſerit ſibi: ſex ſaltem ſeptimanis abinde, ſe forcipe, ſcalpro, novaculâ, vel phlebotomo, nemini fore utilem. Quid aget ergò Peſte correptus, utroque deſertore deſtitutus? quidve aget Magiſtratus, per ſuos ſtipendiatos deluſus? utpote qui nil præter lucrum, unicum totius vitæ ſcopum, reſpiciunt? Medicus ergò remittet ægrum ad impavidas moniales, quibus ut Medico, & tortori, & militi, occidere lubido eſt. Chirurgus verò ſpondet ſibi notum imperterritum ſocium, poſtquam inſigniter potaverit: qui quamvis nec venam pandere nôrit (hoc enim apex exiſtimatur inter eos) nec dignus ſit ipſius famulitio: attamen ſæpè è ſilva, vel montibus, ſimplicia attulit, atque ideò gnarus eſt cujuſdam ſimplicis, quod an herba, frutex, vel arbor ſit, vel animal, hactenus dicere detrectavit. Indubiè tamen aſſerit, valere contra Peſtem; ſuadetque lubens, illi committendum contaminatorum negotium. Geſtiens conſentit Dominus Doctor, laudatque tonſoris ſubtile inventum, & curam pro republ. Adeóque convocato ſocio iſto, datur illi eſcharoticum lixiviale, baſilicon, & diachylon gummatum, ſimulque magiſtralis confectio præſervativa, à Medente deſcripta. Quibus jam inſtructus, evadit Civitatis ſtipendiarius, ipſique committitur calamitoſæ plebis vita, ac reipubl. antenna: hac tamen ſub conditione, ut ſi ſinat ſe ab Alexianis & ſororculis gubernari, tanquam ſuperintendentibus, longâ poſſeſſione in ægros debacchantibus, annuam mercedem ſit recepturus. Miſeri ſanè ægri, miſerior Magiſtratus, longéque miſerrimus Doctor, quibus oves ſuas commiſit Magiſtratus, quas lupis tradunt. Quia hac in parte, homo homini pauperi, & contagioſo, verè lupus eſt. Quandoque autem ſtrictus Iudex ab illis vitas, animas, pupilloſque deſertos exiget. Quid enim Rex facturus, ſi timoratus Dux multum æris à ſe & populo emunxerit, magnamque ruſticorum cohortem ſuo albo inſcripſerit, ſe verò cum ſignifero in arcem munitiſſimam receperit, ſcripſerit autem ad Tympaniſtam, & aliquot annonæ venditrices, ut alacriter cum tyronibus hoſtem adoriantur? Rex enim nonne à Ducibus ſuis exiget perperam cæſum militem? deſtructumque ab hoſte opidum? Reſpicite ergò Patritii, & Medentes, quid non immane vobis imminet. Quia morte, & Iudicio, nihil eſt certius. Ex commiſeratione enim veſtri, & ægrorum hæc ſcripſi: à vobis auſpicor, ſit mihi Deus propitius! Saltem hactenus Magiſtratus neſcivit, cujus generis eſſet Peſtis.

Infans Peſtis.

ARtaxerxes per epiſtolam mandabat Peto, ad ſe veniret, ad curandum morbum (adhuc anonymum) qui ſuos cives & milites interimebat, eò quòd acceptis muneribus in hoc devinctus eſſet. Reſpondit illi Petus, more hodierno Medentum. Naturalia auxilia popularem graſſationem non ſolvunt. Qui enim ex natura fiunt morbi, eos natura judicans ſanat. Sed Hippocrates curat malum, ex populari graſſatione. Quia divinâ naturâ hic præditus eſt, & ex parvis ad magna Medicinam evexit. Eſt igitur divinus Hippocrates, nonus quidem à Chryſamide Rege; decimus autem & octavus ab Æſculapio: vigeſimus verò à Iove. Ex matre verò Praxithea, ex familia Heraclidarum. Quare ex utroque ſemine, à Diis ortum habet. In re Medica initiatus eſt à proavis, quantum credibile eſt hos noviſſe. Vniverſam verò Artem, ipſe ſeipſum docuit, divinâ naturâ uſus. Et in tantum animi induſtriâ progenitores tranſgreſſus, quantum etiam artis præſtantiâ ipſos ſuperavit. Tollit autem nedum beſtiarum genus; ſed ferorum atque agreſtium morborum per magnam terræ ac Maris partem, Æſculapii auxilia (quemadmodum Triptolemus, Cereris ſemina) diſpergens. Proinde juſtiſſimè in multis terræ locis divinos honores conſecutus, & iiſdem donariis cum Hercule & Æſculapio, ab Athenienſibus factus dignus. Hunc accerſe, & quantum auri voluerit, dari jube. Hic enim non unum modum curationis hujus morbi novit. Hic eſt ſanitatis Pater, ſervator, & dolorum curator. In ſumma. Hic divinæ ſcientiæ Princeps eſt. Artaxeres itaque ſcribit Hyſtanidi, Helleſponti præfecto. Hippocratis Coi, ab Æſculapio originem ducentis gloria, ad me pervenit: Ipſique da quantum auri voluerit, & reliqua abunde: nihil divitiis parcens. Nam optimatibus Perſarum fiet æqualis. Viros enim, qui conſilio præſtent, invenire, non eſt facile. Hyſtanes porrò ad Hippocratem ſic ſcribit. Magnus Rex Artaxerxes te opus habet. Iubens aurum, argentum, & quæcunque voles, dari. fore te optimatibus Perſarum æqualem. Tu itaque citò adſis.

Hippocrates Medicus, Hyſtani Helleſponti præfecto, gaudium.

REmitte Regi, quæ dico. Quod victu, veſtitu, domo, & omni ad vitam ſufficienti opulentiâ, fruimur. Perſarum autem divitiis uti, fas mihi non eſſe: neque Barbaros à morbis liberare, Græcorum hoſtes. Vale.

Hippocrates Demetrio, ſanitatem.

PErſarum Rex me accerſivit. Ignarus, quòd apud me major eſt ſapientiæ ratio, quàm auri. Vale.

Regi Regum, meo magno Domino Artaxerxi. Hyſtanis præfectus, gaudium. Quam miſiſti epiſtolam, ad Coum Hippocratem, ab Æſculapio oriundum, demiſi: ſed ab ipſo reſponſum tuli, quod ad te tranſmitto, cum ejus latore Gymnasbe. Dieutyche. Vale. Rex Regum Magnus Artaxerxes, Cois hæc dicit. Date meis nunciis Hippocratem, malis moribus præditum, in Me & Perſas petulantem. Sin minùs; cognoſcetis vos peccati pœnam daturos. Vrbem enim veſtram devaſtatam, & in Inſulam diſtractam, in pelagus convertam: ut in poſterum nemo ſciat, an in hoc loco inſula fuerit, aut urbs Cos.

Coorum reſponſum.

VIſum eſt populo, reſpondere nunciis Artaxerxis. Coi, nil Merope, neque Hercle, neque Æſculapio indignum facient. Omnes cives, non dabunt Hippocratem: etiamſi peſſimâ morte ſint interituri. Quam Darius & Xerxes, terram & aquam à patribus petiverint, populus non dedit, cùm eos ipſos ſe impotentes, velut alios homines, mortales eſſe videret. Nunc idem reſpondet. A Cois diſcedite, & renunciate, quòd Dii ipſi, noſtri negligentes non erunt. Quoniam Hippocratem in manus veſtras non dant.

Hæc ſic ad longum deſcripſi, quo conſtet veritas famæ Hippocratis, quódque popularem Peſtem, per Græciam, curaſſet. Enimverò morbus iſte, adhuc embryo, vix cognitus, vix nominatus, jam perfectè curabatur: Nunc verò ſat ſuperque cognitus, relinquitur infimæ ſortis impoſtoribus. Refrixit charitas: itaque ereptum nobis eſt lumen ſcientiæ, ac Intellectus, & cum Hippocrate certitudo curandi ſepulta eſt. Quanquam ingens volumen ſuo nomine circumferatur: hanc tamen curandi ſecuritatem ſuppreſſit (permittente Deo) metu Barbarorum, vel zelo ſervandæ vanitatis, quod ſtemmate deaſtrorum oriundus: vel quod dierum viciſſitudine, ſua perierint monumenta, relictis ſuppoſititiis. Vtut eſt, Dei permiſſu, hactenus præfata ſcientiæ amplitudo, & ſecuritas curandi Peſtem, evanuit. Legi centum fortaſſis Authores de Peſte, tranſcriptores ſanè omnes, eminus ſcribentes, metuque mortis inexpertos ac conjecturales. Id ſaltem ſcitum: Diebus Hippocratis, nondum remedia optima morborum enotuiſſe. Tum enim ſolis ſimplicibus, & crudis, ſanationes inſtituebantur, præparationibus illorum nondum excogitatis. Galenus verò, plus quinque ſeculis junior, commentaria ad Hippocratem ſcribere anniſus, & ad lubitum abduxit. Nunquam quippe argentum vivum, nunquam roſaceam, vel aquam vitæ viderat. Et quanquam rude eſſet Hippocratis ſeculum; tamen ſanationes ipſi parebant, quæ nec Galeno hodie, nec ſuis ullatenus obediunt. Hippocrates minus garrulitatis, plus candoris autem, ſcientiæ, ac cœleſtis luminis habebat: ita ut cum ruditate, viſa ſint ſecula exuiſſe puritatem, ac donum Dei. Quare noſtra perverſiſſimorum morum & ingeniorum fuit feraciſſima. Placuit igitur Deo, veram & exquiſitam Peſtis ſanationem, & præcautionem, unà cum Hippocrate, obdormiviſſe. Saltem ab ætate Noæ, ad piaculum Davidis, nil de populari Peſte inter Iudæos legitur. David tamen Peſtem fami, ac bello, non prætulit, niſi præcognitam. Inter Perſas verò & Græcos, præter commemoratam tabem, ætate Hippocratis, hoſtis humani generis, ac princeps mundi, Peſtes aliquot ferocire fecit, permiſſu divino, quas humanis victimis piari ſibi Satan juſſit. Forte, quod iſtud non eſſet conceſſum, ut principi tenebrarum: quantum quod futuræ Peſtis præcognitionem haberet, ſimulque & termini ſedationis ſuæ: unde ortum, occaſum, & poteſtatem ſedandi, ſibi violenter, fabuloſe, & deceptoriè, vendicaret. Apud Romanos rara Peſtis legitur. Et ante pauca ſecula, Peſtis obſoleta ferè memoria. Demum per ſecula rediit, ſæviitque per ſeptuageſimum, mox dein per annum quinquageſimum graſſavit. Ita ut annus Iubili, nubilus fieret, & atrox. Iam Peſtis, trima eſt Bizantii. Turcæ, à peſtifera contagione, ſibi non ſolent præcavere. Ideoque Chriſtianos irrident, tanquam divinæ ordinationi reſiſtentes, luemque declinantes, irrito plerumque conatu. Vindictæ divinæ gerendum morem, quæ cuicunque deſtinato, ex neceſſitate eveniat. Septenis quibuſque annis, Peſtis in Ægypto variat. In tertium plerumque annum durat hoc modo, ut teſtatur Polonus Princeps Radzivilius. Primo anno leviter inchoatur, cum Sol libram ingreditur, ſævitque maximè in Decembri uſque in Martium. Quo tempore calores ſunt mitiores: ubi verò invaluerint, cùm Sol, annò ſequenti, Leonem ingreditur, ſtatim ceſſat Peſtis; & quidem ita: ut ſi quis apoſtema peſtiferum intus habuerit, & ad horam prædictam præfati ſigni cœleſtis ſupervixerit: omne periculum evadat. Quemadmodum apud nos frigora: ita hic, calores Peſtem profligant; & duobus menſibus ſecurè vivitur. Poſtquam verò Sol libram fuerit ingreſſus, rurſus ſenſim Peſtis inchoatur, & durat ad Solis ingreſſum in Leonem. Tertio anno, eandem ſervat rationem, niſi quòd de acerbitate magis remittit. Poſtea, ſi contagio aliunde non fuerit illata, quatuor anni ſequentes à Peſte ſunt immunes. Quandoque longiores etiam fiunt induciæ. Sed plerumque malum ſeptennio recurrit. Meſſis ſub finem Martii inchoatur. Ante extremos Aprilis dies perficitur. Nam per Majum venti meridionales ſpirant, qui cremando redigerent fruges ad nihilum. Hæc Princeps ille, ibidem ſic edoctus, omniaque credens, ſcripſit. Quibus ſuo ſatisfaciam loco. Saltem hæc non commemorat ſacra Scriptura, olim accidiſſe Ægypto, etſi Sol ac cœlum volvantur nunc eadem orbitâ, quâ olim. Parentum enim meorum memoria, de Peſte, velut de rariſſimo monſtro, ſermo. Apud nos nuper per quindecim annos viguit. Ceſſat modò. Bruxellæ tum exſtructæ ædes, pro contaminatis pauperibus, ipſaque mœnia fuere pertuſa ad foſſam Aquilonis. Quibus ædibus dudum patria carere potuit. Culpam autem in nos refero. Præceptum charitatis erat: Bovem aut aſinum proximi, luto extrahe, ad herum deducito; nec ſecus tranſibis per viam. Nunc autem pecus proximi non ſolùm non liberatur: ſed ipſi deprimimus, Imò fratrem (Templum Dei) in maximis neceſſitatibus, & litalibus morbis, ipſi deſerimus, aufugimus, aureſque ad ejus ejulatus obturamus. Quiſque, inſtar Sacerdotis & Levitæ tranſeuntium, ſe excuſat ab opere charitatis: tanquam ſi benè operari, ſuæ non eſſet profeſſionis; mendaxque textus, Quodcunque minimo ex hiſce feceris, Mihi factum reputabo. Non mirum igitur, ulceroſis hiſce dierum quiſquiliis, Deum minitari perverſiſſimi populi internecionem: & urbes, tanquam ager, arabuntur. Sæpe enim mecum horrui, illud anteſignanum futuri excidii Vniverſi ſignum. Erunt Peſtes. Deſperabam enim exinde, neminem ab Hippocrate venturum, qui ampliùs popularem Peſtem ſanaret. Sed aliunde ſperavi, quod ſicut quæ optamus, ſperemus facile; & ſperando, etiam credamus: ita quoque fore deſperamus, quæ plurimùm formidamus. Credidi itaque, & ſperavi, hanc ſecuritatem ſanandæ Peſtis detectam iri, iterumque antę extremam mundi ſcenam occultatum iri omne auxilium. Saltem autumo, alias fore Peſtes longè horribiliores, quàm antehac unquam, quibuſque cuncta alexiteria erunt vana. Siquidem Peſtis noſtra hodie bruta non effectat. In extrema verò dierum amurcâ Peſtes, nedum homines; ſed & feras, imò piſces & arbores, delebunt. Eruntque Peſtes; non autem Peſtis ordinaria. Alioque hoc ſignum futuri interitus eſſet incertum. Erunt nempe Peſtes à manu Dei, ab inverſione ampullarum, ut habet Apocalypſis; contra illas autem, non eſt clypeus in natura futurus. Pollicebar ergò mihi, priuſquam hæc ſcribere attentarem, Peſtem ſanabilem uſque ad illam temporum faciem, verumque remedium illius, ex Hippocratis ſepulcro, ſeu potius à Patre luminum, deſurſum petendum eſſe. Dicam, quæ didici in poſterorum utilitatem.

A labe noſtra immune, ut & innocuum cœlum.

AB Antiquorum ſcriptis, ne minima animæ, ſciendi avidæ, conſolatio, aut ærumnoſis, deſertiſque apparuit ægris: Inprimis fidei eſt, Stellas eſſe in ſigna, tempora, dies & annos; nec hominem poſſe ullatenus officia ſtellarum alienare, aut ad alios ſcopos declinare. Quod opera manuum Domini, ſint cœli; Quod Deus non creavit mortem. Ideoque nec cœlum contineat mortem, morbum, venenum, diſcordias, corruptiones, aut cauſam effectivam horum. Siquidem non ad cauſam; ſed ad ſigna futurorum: ac duntaxat in temporum, ſive meteororum mutationem, dierum & annorum ſucceſſionem deſtinantur. Officium ergò cœlorum, non eſt malum generare, cauſari venena, ſpargere, aut in influere, bella ſerere, ac mortes ſuſcitare. Quia cœlum nequit excedere limites ſuæ deſtinationis, cœli enarrant gloriam Dei, In cujus honorem, & humanitatis ingratæ uſus, creatum eſt. Ideoque in ſe potiùs continet vitam, lumen, gaudium, pacem, ſanitatemque, cum ordinato continuatoque motu; Cœlo nulla, à tranſgreſſu Adami, legitur communicata maledictio, nec infuſa exſecratio, ut nec labes inſperſa. Terra quidem profert tribulos, & ſpinas. Quia ſubter Lunam, eſt cacodæmonis, mortiſque (quia peccatorum) feudum, imperium diſcordiarum, atque viciſſitudinum. Terra nobis evaſit noverca; vallis ideò miſeriarum, peccatorum labe & ſarcinâ prægnans. Quia Deo placuit, non aliam fore ad quietem viam, niſi per tribulationes. Imò oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam, non quidem alienam, ſed propriam; eò quòd formam ſervi aſſumere voluerit. Credo verbo Dei, nequaquam autem vanitatibus Augurum cœli: reorque, qui Peſtem à cœlo oriundam ſcribunt, adhuc deceptos, gentilium erroribus ceſpitare. Cœli enarrant gloriam Dei; & opera manuum Domini, annunciat firmamentum. Cœli ergò annunciant dulce, ac amarum venturum; non autem cauſant illud. Imò nec amara nobis licet vocare mala: nam Deus omnia ad bonum finem direxit. Ergò cœlum futura annunciat; non autem cauſat: & ſtellæ ſunt nobis ad ſigna futurorum duntaxat, eruntque ideo ſigna in Sole, Luna, ac ſtellis. Cauſant etiam duntaxat ſtellæ, per nativum Blas, viciſſitudines temporum, in aëre, aquis, terrâ. Unde conſequenter pendent mutationes, ac maturationes, tam in fructibus, quàm in corpore humano, potiſſimùm ægrotante. Intelligo quoque aſtra hactenus nobis eſſe in tempora, per Blas motivum, & alterativum illorum. Neque enim cœli proin ſunt venefici, aut venenorum coctores, bellorum incenſores, &c. Recognoſco omnino illos, tanquam viciſſitudinum alteratores, in qualitatibus elementalibus, quo ad ſtationum alteritates. Quocirca ægros variè alterari contingit, in promotione & maturitate conceptorum in ſe ſeminum: eò quòd noſtræ vires vitales ſuum omne Blas concitent ad normam generaliſſimi motus aſtrorum: non quidem velut ductorum violentium, ſed præcedentium, aut comitantium. Etenim liber Apocal. non tribuit cœlis, vel minimam ullam vim punitivam; ſed eandem in Angelos divinitùs diſtributam. Quique proin percutientes, & miniſtri ſpiritus, dicuntur, Iudicis imperia facientes. Peſtem itaque, non credam facilè, temporum importunis mutationibus ſuum debere ortum. Quod & Eudoxus apud Fernelium ſenſit. Nullaque ratione inducar, ut credam, cœlos dare accretionem, formam, figuram, vires, aut quidvis aliud, quod ex ente ſeminum proficiſcitur. Nam & ante ſtellas natas, herba pollebat ſemine virenti. Adeò, tametſi aſtra nulla eſſent; attamen vi Verbi naturaliter omne ſemen, ex ſe, eſt producendo ſuum conſtitutum: Invitiſque ſtellis, ac anni ſtationibus, imò & climatibus, per artem producuntur multa ſemina atque fructus peregrini. Quapropter Hippocratis epidemica, commentario Galeni illuſtrata, nomineque Authoris indigna, continent plurima. Non tantùm quia anni ſtationibus morbos, & non ſuis quoſque ſeminibus variaſque infirmitates uni radici (id eſt, qualitatibus primis aëris) attribuit, adeóque effectus diverſos injuſtis cauſis copulet: quàm, quòd contineant plurimas nugarum abſurditates. Soleo enim in hoc judiciarios Aſtrologos Empiricis comparare, qui nacto unguento, pulvere, aut alio quopiam, eadem extollunt ad omnes propemodum morbos, pluresque adhuc alios, valere. Sic multi ex illis; non contenti aſtrorum annunciatione, cogunt, illa eſſe fabros, deaſtros, ac patronos abſolutos omnis fortunæ, & infortunii, vitæ ac mortis futuræ conſcios, fabricatores, conſiliarios denique, & Judices cogitationum, quæſtionumque interrogatarum. Si itaque non contineant mortem, bella, venena, Peſtem: utique nec ejuſmodi flagra ſuper nos potuerunt depluere. cùm dare nequeant, quæ non habent, non continent, non cauſant, neque generant. Non enim nuntius, bellorum præco, horum imperator eſt, vel cauſa. Si enim Jeſuita Trigantius vera narrat. Sinarum latiſſimo totoque imperio Peſtis eſt inſolita, & viſa nunquam: cui tamen idem Saturnus, idemque Mars, & æquè potenter qui nobis, præeſt. Denique ſi quibuſdam terris certo Peſtis ſæviat termino, recurratque præcognitis ſtationibus, quibus tamen olim Peſtis admodum erat peregrina: Conſequens eſſet ſanè, vel illas provincias non ſubjacere ſtellarum influentiis, vel non iiſdem quibus olim; vel illas Peſtes eſſe adulteras, vel ſaltem (ut opinor ego) non provenire cœlitus. Cùm nimirum ibidem non ſint conciliabula ſtellarum, quæ annuatim dies ſervent ſtatutos comitiorum. Quid ſi enim Peſtis, in una civitate, maximam mortalium partem deleat; fruſtra profectò erit omnis Magiſtratûs providentia, ſi vicina loca ſubter eundem Meridianum vel angulum cœli ſita, nequeant præſervari intacta. Cumque ſtellarum influxus, vel irradiatio, ſit univerſaliſſima, utcunque inſaniant alii; non eſt tamen credendum, poſſe cœlitus Peſtes ab aſtris influere ad deputata loca, urbes, & pagos. Nam ſi ſtellarum influxus eſſet peſtiferus, aut erit aër, vel Gas ſupernè ad nos dimiſſum ipſa Peſtis, aut mera nuda qualitas per aërem deſcendens, quæ ad nos pervenit abſque illo corpore; eritque vel concepta in ſtellis, vel generata in aëre nobis vicino. Si primum horum; neceſſe foret ſimul omnes mundi angulos infici, Niſi in aëre,& per aera, canalem vel tubum, à cœlo ad nos uſque directum, & immotum ſupponamus: per quem etiam, nec ſecus, aër peſtiferus ad nos deferatur, ſtellarum fuligines ac inquinamenta deducens. Etenim cum diſtantia ſtellarum à terra ſit multarum millenarum diametrorum terræ: non eſt cogitabile, quòd aliqua ſtellæ fuligo ad hoc centrum pertingat ſoſpes(minuſque ad aliquam provinciam ejus) quin univerſali ſimul tabo inficiat totum terræ mariſque ambitum, unius centri minimi ſpatium vicemque ſubientem. Itaque ſi terra ſit minimi puncti inſtar, huc ſpectant quæ alibi dixi, de aeris regione, qua nec venti, nec ros unquam, aut pluvia decurrunt, nec meteora ſuas ludunt tragœdias. Multóque minus è profundo cœli quicquam perpendiculariter defluit, aut ſi deplueret, non ſufficerent decades aliquot ætatis Neſtoreæ, priuſquam nobis advenæ eſſent. Sin autem aſtra ſaltem dimittant meram nudamque qualitatem, Illa, vel tanto loci & diætarum intervallo, aliquoties, & aliquot annorum itinerario degenerabit, atque deficiet, adeóque antequam ad nos perveniat, nil priſtini habebit ſibi ſimile: nec poſſet ejuſmodi peregrè adveniens qualitas locum certum inficere, niſi velut in pyxide, per Angelum deferatur. Si autem per Angelum; jam ceſſat quæſtio naturalis, fruſtraque cœlos facimus peſtiferos, veneficos, ſi Angelus ſit ipſe peſtifer. Qui alioqui longè promtiùs, venenum peſtilens, prope terram, aut in nobis, quàm quod à puris atque inſontibus cœlis id ſecum ferat. Qualitas denique peſtifera, cœlitùs delabens, ſi non in aëre incluſa ſimul deſcenderit, aut migrabit de ſubjecto in ſubjectum (quod Peripatetici recuſant, & Scholæ modernæ) vel per millenas ſpecies ſui, totieſque degeneratas, velut peregrina tota, ab ortu ſuo ad nos deveniet, adeóque fruſtraneum erit cœlorum venenum. Sin autem putetur in nubibus prope terram generari: ergò cœlum immune, atque inſons, falsò accuſatur. Oſtendi ſiquidem alibi, cœlos duntaxat operari per Blas motivum locale, & alterativum caloris atque frigoris, Nequaquam autem per venena. Utpote quæ ſunt ſublunarium duntaxat proprietates formales, ac fermentales ſeminis alicujus. Admitto quidem lubens, telum igneum ſubinde viſum, telum igneum ex aëre, ad locum aliquem vibratum, cecidiſſe: quodque Peſtis ſubinde ſit inſecuta. Atqui iſtud prodigium inprimis, non ex profundo cœli ſinu delabitur: ſed è propinquiori nube. Forte Satan, tonitrui comes, telum ejuſmodi dimittit, quo Peſtem ſcit minitatam: (unde antiquitus Dei honores ad ſe rapuit) at non proinde telum iſtud, eſt cauſa Peſtis. Alioqui ſanè ad unamquamlibet Peſtem, telum æquè neceſſarium vibraretur. Præſertim quod Ignis proprium ſit, conſumere Peſtem, atque venena: non autem generare. Itaque Ignis naturaliter nunquam ſignificat Peſtem, cujus deſtructionem continet. Eſtque ideò ejuſmodi igneum telum, portentum rariſſimum, à ſpiritibus ad terrorem dimiſſum: illi, qui ad vitæ ſuæ emendationem illud retorſerit, eſtque profectò ſcopo noſtro impertinens, ac longè magis frivolum, ſi exinde cœlum notemus peſtiferum. Sunt nempe portenta quævis incerta, ac fundamento Medico inepta. Sed ſeculum ſi hanc peſtilentem mercem protruderet (creditum enim ſic eſt hactenus, maléque gentiles noſtras Scholas deceperunt nomine epidemico) quorſum ergò tot Scriptores? quæve hactenus fuere excogitata media contra ſtellarum importunos iſtos influxus? Quis enim impedivit hactenus, ne medulla menſtruatim creſcat in oſſibus? Itaque falsò accuſarunt cœlum. Sat Scholis viſum eſto, cœlum, authorem Peſtis feciſſe, & remedia, ſuamque ſcientiam, ſub deſperationis ſilentio ſepeliiſſe, ſolius ſuaſu ignorantiæ, metuſque terrore. Ergò cœli accuſatio, ubique manifeſtam ac neceſſariam involvit inſcitiam. At tandem poſtquam ſtudiorum omnem contraxere nervum, ſuadent vitanda loca, quibus plagæ vigent, utendum cibis euchymis, bonum ignem ſtruendum, cavendum à ſordibus quibuslibet. Utendumque frequenter Theriaca, cui, cùm nondùm ſat ſimplicium ſit ingeſtum, quiſque pro lubitu novas cumulatim centurias addat, adeóque præſtantiſſima cenſetur antidotus, quæ mille ſimplicium congeſtum continent acervum; utque unum de mille fortè juvet, ſaltem non nociturum ſperant. Iſta nempe ſunt Alexipharmaca magiſtralia, ut ſi interim pro voto, res minùs fauſtè ſucceſſerit: culpa ſaltem careat, qui tot ſimul ſelectiſſima, multiſque claſſicis Authoribus commendata, compilavit. Præſcribunt quoque grata ſuffumigia aceti, aromatumque odores, malè mendaciorum ſuorum memores: quaſi languida ejuſmodi remedia contra ſua illorum principia facerent: id eſt, contra cœlitùs per totum aërem, diffuſa venena. Etenim ſi propter ejuſmodi odores, vel barba, vel unguis, vel denique medulla, ceſſat accreſcere, aliquam poſſet ſpei fiduciam ingerere, quod ſemen peſtilens lurido remedio ſuperari poſſet. Itaque ſi ulla eſſet ratio cauſativa Peſtis, in cœlis, ea potiori jure homini competeret in cœlos, Si ſapiens dominabitur aſtris; non autem aſtra, ſapienti. Nam poteſt Sapiens ſignificationes aſtrorum aliqua in parte mutare, quanquam non ſtellarum motum. Sed iſtud hoc loco, eſt impertinens tantoperè, quantum eſt falſa cœlorum accuſatio. Siquidem ſi ſtellæ cauſativè in nos agerent effectum ſuum, utique ſapiens mitigare poſſet, falſoque per cœli accuſationem ſe Medentes excuſare nituntur, propter adynaton. Non eſt inquam ulla in nos ſtellarum actio præter meteoricam. Aſtrologi enim multa fingunt, quæ norunt eſſe falſa, imò & impoſſibilia. Quæ in theoricis planetarum utrobique ſunt obvia. Verumtamen nec natura, nec proinde Medicina, regulam falſi admittit, ut neque ſuppoſitiones Algebræ. Itaque finaliter, ſi popularis Peſtis è cœlo laberetur, foret neceſſe cœlum impugnare, & impedire, ſi ad radicem eundem, & non ad productum poſterius: adeóque tota Medendi ars, non niſi fruſtranea prorſus, præſcriberet pro præcautione Peſtis. Atqui, tantum facinus non ſibi Scholæ fidunt, ruuntque libentiùs ad adynata, ut ſuæ clypeum faciant inſcitiæ, queantque in Peſtem mittere quoslibet ignaros, potatores, temulentoſque mortalium tortores. Patet ſaltem hinc, quod cauſas Peſtis hactenus non à fronte adoriantur: ſed à tergo, & ad effectus tantùm reſpexerint. Adeóque quicquid de præcautione dictum eſt, meras habere proximorum impoſturas. Imitantur enim ruſticum, conantem exhaurire rivum, qua prope litus in mare feſtinat, non autem fontem obturando. Itaque vel non credunt Peſtem, cœlo oriundam: vel eorum remedia ſunt deſperatione ac deceptione plena. Porrò ſi cœlum, tanquam parens iratus (ut Paracelſo ſomniare placuit) noſtra notet crimina, contamineturque noſtris impietatibus, noſque ſuis ideò jaculis vulneret vindex, tamque calamitoſè nos interimat: certè, vel deaſter aliquis erit, vel animal ſenſitivum, ſibi Dei officium arrogans, & Angelorum percutientium muneri invidens, docet nos, invidiam rem cœleſtem eſſe, ut & vindictam creaturæ, in hominem. Sed cur notet noſtra crimina, ſi notando polluatur? & quomodo polluetur, ſi peccatum ſit merum non ens? Quomodo iſte ſagittarius perſentiet merum non ens? quomodo abſceſſum voluntatis humanæ, à Deo judicaverit? etenim ſi nobis iraſcatur, & in ultionem accendatur, propter illud nihil: quomodo non magis nobis indignabitur, ubi ſenſerit nos ſuas imitari actiones, & præpedire? dum ſcilicet placato cœlo Peſtem nobis formamus noſtris terroribus? longéque acerbiùs ferret, quod homo, invito cœlo, mederetur Peſti, ſuperet ſua vulnera, ſuaque munia in cœli deſpectum antevertat, aut impediat. Peſtis denique, ſi ordinato Aſtrorum motu, annunciativè, ac velut annuatim prædici poſſet (prout de Ægypto aliorum informationes jam antè narravi) piacula autem noſtra, ordinato die, numero, & menſurâ, careant. Peccata namque pendent ex corde hominis, liberoque arbitrio: ergò iſta cauſa non eſt ſua effectui condigna, ejuſque ſigno. Negant autem Theologi effectus futuros liberi arbitrii præſciri à ſtellis, adeóque nec ſcientiam, nec intellectum, habitare in cœlis, corporibuſque inanimatis. Ergò ne quidem denunciant Peſtem, bella, &c. ventura, à peccatis ſibi præcognitis. Sat eſto, Peſtem denunciari, non tanquam ob cauſam incitatricem: ſed quia Æterno placuit. Conſcius ut quiſque ſeipſum examinet, ac emendet. Nec opus eſt mentitas pravitates, & malevolentias, fingere in Saturno, vel Marte: ſi peccata noſtra ſint cauſa effectualis contagii. Adeóque ſibi contradicunt Aſtrologi, atque ariolatores Medici. Nec enim alioquin eſſet neceſſe tortorem reo iratum fingere, etſi eundem interimat. Sodes, cur noſtræ iniquitates potiùs Saturnum ac Martem quàm Lunam millenis aliquot milliaribus viciniorem inſtigaverint? Cur remotiſſimus Saturnus, criminum noſtrorum potior vindex eſſet, quàm Luna? Nam ſi aliquod aſtrum eſſet peſtilens, certè eſſet potiſſimùm illud, quod præeſt nocti, quieti, & reductioni in primam materiam. Denique ſi Peſtis, tanquam punitio, nos invadat, aut per Angelos nuncios, orbium motores, mittatur: Sanè nulla erit naturalis, ſidentque ſponte Scholarum præſcriptiones ac regulæ, tam ad præcautionem, quàm curationem. Cœlum prænunciandi ergò futuri præſagum eſt, datque ſigna Peſtis, quæ ſuis revelat Deus. Non autem cœlum præſentis Peſtis effectivum, ut neque præſciens. Errarent ſiquidem alioqui tam cœlum, quàm directrix Intelligentia Angelica, quoties puerum inſontem Peſte piaret, pro peccatore, nec piorum habitacula Peſti unquam ſubeſſent. Ac Deus prætorem injuſtum conſtitueret, qui bonos Peſte necaret crudeliter, quæ nefarios non apprehenderet. Bonos inquam, pro delictis non cogitatis, necaret. Vel hinc ſaltem liquet, Peſtem ſuam habere cauſam in natura. Demum, ſi Peſtis, cœleſtis lucis proles, ea certè in inſtanti ſemper exſurgeret: cum aſtrorum aſpectus ſint per minuta momentanei. Quare Peſtis, antequam veneno aliunde nato ad nos deveniret, primo vento diſpergeretur, prima pluviæ irroratione ablueretur, noctiſque ac nubium frigoribus pacaretur, priuſquam ad nos deveniret: & punirentur urbes, quæ minimè peccaſſent. Tum eſt & in Paracelſo ridiculum, quòd ſagittarius Peſtis, ac notator noſtrorum criminum, habitaret in Sole (in quo Deus poſuit ſuum tabernaculum) tanquam iratus ac vindex parens, propter impuritatis contagium ſuſceptum. Saturnus tamen ac Mars (alibi ſic inconſtans ait) eſſent criminum ultores. Itaque quocunque modo ſumatur, providentia punientis cœli patitur injuriam; & Deus, blaſphemiam. Adeóque dolus Paganiſmi includitur, ſive dixerint peſtilens venenum à ſtellis cudi, vel in vindictam criminum mitti: ſive etiam naturali aſtrorum curſu fabricari, per qualitates elementales annuas, vel extraordinarias, aut indirectas, ac portentoſas, à Satana directas: Utrobique in Atheiſmum paganorum impingunt. Nam nec cacodæmon illam, quam gentiles putant, poteſtatem in nos habet; nec legitur in Peſte Deali alius ſatelles, præter Angelos Lucis; adeóque à Sacrorum veritate eſt abſceſſiſſe, ſtellis, aut diabolo, vim Peſtis generandæ tribuiſſe. Præcipuè ubi de Peſte naturali, & non Deali diſputatio occurrit, deque remediis, cauſis, & obſtaculis eſt inquirendum. Nam in primis, non rarò, Peſtis unico ab individuo incipit, puero nempe inſonte, adeóque cœli, piaculo hujus pueri, integram familiam, opidum, & provinciam tandem, innocuum nempe pro facinoroſo, feriiſſent, per modum Seplaſiæ, quid pro quo ſubſtituentis. Denique dum Peſtis ſerpit ſuo contagio ab uno in alium, ſaltem in ſecundo, tertio, ac decimo, non erit ampliùs venenum à cœlo propinatum, aut vulnus à cœlo inflictum: quaſi tota ira, aut vindicta cœli, concitaretur culpa primi inſontis denique Peſtis, ſolo terrore pavidi concepta, cum in ſpecie ſpecialiſſima (etenim nulla alia exſiſtit actu in individuis) non differat à qualibet alia, quæ è cœlo mitteretur veneno aſtrorum. Ergò neque ulla prorſus erit naturalis è cœlo, ſi aliunde nuda terroris imagine concipiatur, nec cœli ſit indiga ſui origo. Nam alioquin unum individuum non conſtituitur è parentibus, toto prædicamento diverſis. Etenim ſi Medicum, & Medicinam de terra creaverit Altiſſimus; & Peſtis ab aſtris formetur: vereor ſaltem, ne tanto veneno impar omnis ſit futura Medicina. At ſaltem Dominus non potuit erraſſe, quod Medicinam de terra, & non de cœlo miſerit. Enimverò libri Regum, & Apocalypſeos, ſanctis Angelis Peſtem attribuunt, quæ divinæ ſit ultionis pentaculum. Nec licet à Sacris recedere ad cacodæmones, & aſtra, venenorum peſtilentium exordia. Denique Paracelſus Peſtem cœlitùs, velut à ſagittario, duntaxat in tria loca, nimirum ponè aures, ſubter axillas, & in Inguina diradiari ſcribit. Quapropter aliis membris oborta Peſtis, vel Peſtis non erit, vel alterius generis, & cauſarum diſparatarum, quàm quæ Vulnus cœleſte eſſet. Vel denique cœlum ſagittando erravit, vel ſaltem Paracelſus audendo temerè erravit. Itaque ſi alienæ cauſæ Peſtem fabricent, abſque cœlorum ope; neceſſe eſt, hos ſua poſſeſſione & putatione privandos, cœlumque poſthac petitoriè, litem aggredi debere. Si denique Peſtis vulnus eſt; ergò eſt de ſuſceptis externis: non febris, aut morbus, conſtans ſtatuto ſemine, & per conſequens, quicquid diaphoreticorum in Peſtis ſubſidium hactenus decrevere, falſum atque deceptorium eſto. Magiſque opportuna erunt incarnativa, & vulneraria. Et longè eſt vaniſſimum diaphoreticum pro præcautione, ne quis à ſagittario cœleſti vulneretur. Eſſet enim ſudoriferi ignavus clypeus, contra ſagittam, tam virulentam, tam potenter, procul, rectâ, tantoque otio vibratam, ſecuriſſiméq; ductam per tot millena millia ſtadiorum pergente telo. Decebat enim Paracelſum, ſciviſſe carbunculum, glandulas, bubones, atque parotides: non quidem ipſam eſſe Peſtem, imò nec ullatenus eſſe vulnera: ſed ſigna, productum, & effectus peſtilentes. Quippe nam & Peſtis aliquot ſignata, frequenter non niſi à morte, viſuntur. Quapropter cœleſtis ille fundarius, non Peſtem; ſed Peſtis effectum, quoties vulneraret, immitteret. Seróque nimis veniſſet, ut Peſtem, ſive vulnus, illis partibus infligat ei, qui jam antea per Peſtem obiiſſet. Quidam nempe continuò vomituriens, cum cephalalgia, moritur ſub continuis deliquiis,

quiis, infra horas ſeptem, ab invaſione ægritudinis. Mox autem circa obitum tingitur ſupra umbilicum, uſque ad claviculas, frequenti ſtigmate, ſeu vibice nigro. Curioſitatis ergò, cùm Anatomicus deficeret, diſſecui eum, ac inveni os ſtomachi, eſchara nigra jam cauterizatum. Denique vibices non ſunt vulnera, prout nec glandulæ, veſiculæ, bubones, &c. ergò ſaltem cœlum non vulnerat in Peſte. Quæ ſi aperiantur, ulcera vocas Paracelſe, & diſtinguis contra vulnera, ac temetipſum. Fabuloſè ergò nimis cœlum noſtra labe inquinatur, harumque eſt injuriarum vindex, prout & criminum noſtrorum Graphiarius & vulnerator. Paganiſmi id fuit olim inventum, ut cœlos, atque deaſtros, in cultum blaſphemè attolleret. Blaſphemè quoq; atque ſtultè, à Paracelſo quatuor elementa ingeruntur, qui eorum Relolleum ridere aſſolet. Potiſſimum quod in ortu Medicinæ noſtræ, quaternarius elementorum ſit ſublatus, tam in natura Univerſi, quàm miſtorum conſtitutione. Etenim quàm inſcienter adæquatur quaternarius elementorum, ternario emunctoriorum præfato? Paracelſus enim, arcanis potitus, planè heroïcis, pro morborum ſupplantatione, deſtitutuſq; ſcientia Medica, à Patre luminum deſcendente, titulumque Monarchæ arcanorum, ſibi ultrò aſſumens, hocque auſu principatum Medendi invadens, de Peſte, tanquam ſibi ignoto hoſte, tractavit. Proinde Peſtem quandoq; cœlo, aliàs Soli, Soliſque quandoque elementis, ac non raro ſolis Pythoniſſis, Sagis, ac ſpiritibus tam infernalibus, quàm elementalibus Deaſtris adſcribit, plerumque oblitus doctrinæ ſui Paramiri: ubi Peſtes entis naturæ, entis veneni (quaſi aliqua exſtaret veneni expers, aut venenum aliquod non eſſet naturale) entis aſtrorum, (quaſi Aſtra ſupra naturam, aut extra eam eſſent) entis ſagarum (has Incubis, Lemuribus, ſylphis, &c. tribuit, contra ens etiam aſtrorum diſtinguit, ne Sagæ ſint fortaſſis ſapientes, qui dominari dicuntur aſtris) & entis Dealis proponit, ſuiq; ibidem oblitus, & entis imaginativi, cujus tamen præ cæteris memoriam habuiſſe debuiſſet. Niſi ſi fortaſſis malit, ens imaginativum non poſſe cauſare morbos, aut nuſquam vigere, niſi penes ſagas. Enimverò, ut Peſtem divinam arbitror ſpernere remedia naturæ: ita quoque, ſi qua dæmonibus aut Sagis propria (quod non eſt credibile) at ſaltem ſuam cœlo originem neutiquam deberet. Etenim alias ſi Peſtis ſagaria eſſet, ſolitis eſſet longè immanior, propter adjunctum virus externum, & agendi promtitudinem, ira cacodæmonis acceleratam & ampliatam. Frater P. Boucher, Minorita, in ſuis Orientalibus peregrinationibus, ut teſtis ocularis, narrat. Quod quantumvis Ægyptus, ſit alioqui Peſti valde obnoxia: pridie tamen inundationis Nili, quotannis decidere rorem ſingularem, quem Elthalim vocant, cujus adventu promtè & univerſaliter ſanantur, quotquot Peſte decumbunt, ac ſani præſervantur ab ea, eodem rore. Etenim ſi hoc verum, nec ſat à principe Radzivilio inveſtigatum: nil quicquam tamen exin deduci poteſt, quo Peſtem cœlitus cauſari naturaliter ſciamus. Cum exin ſaltem ſequatur, meteororum quædam eſſe ſana, alia verò quibuſdam noxia. Quod hactenus nemo negavit. Etenim quamvis Sol, pridie inundationis Nili, ferè ad locum eundem quotannis redeat: non tamen ſimul eædem ſtellæ comites recurrunt. Dein, Ros ille non eſt cœlorum aut ſtellarum proles, neque ex Blas cœleſti meteorico: ſed pridie inundationis, jamdudum inundata eſt terra altior Abyſſina, calida, & auſtralis magis, quæ magnum de ſe vaporem nitro refertum emittit (eſt namque tota Nili aqua nitroſa) qui vapor in rorem nedum reſolvitur (Ros, alibi mella, tereniabin, manna, entali, ac laudanum velut gummata, plorat: atque apud nos, quotidie ros majalis ſale ſaccharino ſcatet) currentemque comitatur Nilum: ſed totum aërem Ægypti, etiam humectando abluit, ægrorumque corpora reficit, non multò ſecus, ac imber terram, poſt longas ariditates. Saltem ego, Sacris admonitus, ſperno Augures cœli. Itaque ſi cœlum ſit Peſtis graſſantis cauſa: deberet eſſe pariter cauſa alterius cujuſque Peſtis. Quia idem ſpecie ens, eaſdem ſortitur cauſas conſtitutivas, à quibus ipſa ſpecies ſuam recipit identitatem. Itaque conſtanter nego; virus peſtilens cœlo naſci, aut à ſtellis dimitti: Peſtes verò omnes, quæ non ſingulariter pro flagro divinitus mittuntur, ſunt vel endemicæ, vel terrore quodam fabricatæ. Quæ autem contagio hauſtæ mutuantur, ſequuntur ſemen atque fermentum ſuum. Peſtis autem endemica, licet hauriatur forinſecus occaſionaliter, non eſt tamen Peſti adſcribenda, niſi Archei noſtri terror. Ideam virulentam pavoris, ab ente endemico concepti, prius fabricet; uti mox conſtabit. Nego inſuper, ullam Peſtem eſſe epidemicam. Nam tametſi aër, multorum corpora ad varias putredinis confuſiones invitet: nullatenus tamen eſt Peſtilentis veneni cauſa primordialis. Nam ſicut omnis putredo à Peſte differt:

ita viciſſim quoque venenum Peſtis, à quavis corruptione, filiâ meteori. Quod niſi ritè atque perfectè ſit cognitum: nullatenus quoque poterit intelligi natura Peſtis: multóque minùs ejuſdem radicalis ſanatio promoveri.

Ad hujus capitis calcem addam argumentum, quod à ripa fluminum deſumitur. Vidi nempe, qui ut Peſte infectas vitarent ædes, Antverpiâ diſceſſerunt; alios, qui fugerent ab variolis, quibus ante biennium, adhuc vultum cicatricibus maculatũ circumferebant, in Scaldi ipſo percuſſi ſunt morbis, quos vitâſſet præſumebant, ſeque ut ſanos ſubduxerant. Memini quoque me quondam puellam leproſam curâſſe Vilvordiæ, quæ dum jam per 7. hebdomadas ſanata putaretur, & Antverpiam rediret, confeſtim per totum corpus in ipſo fluvio, ſibi lepram repullulare ſenſit. Quæ demum ad me rediens, ſanataque, per ſemeſtre, Vilvordiæ eſt morata, Attamen eodem die, quo domum rediret, in Schaldi rurſus repullulavit occultata Lepra. Mulieres quoque in abortum proclives, etſi rhedâ rus pergerent, feliciterque ceſſiſſet iter; attamen in fluvio, ſeditionem in utero ſenſere, domumque à ripa per rhedam vectæ, illas in cruentum profluvium lapſas, ſcivi. Adeóque fluvius, cœli æmulus, planetis creditum honorem ſuffuratur. De Æſtate loquor; adeóque nec frigus in fluvio, tum aliquod ſuſpectum, incuſandum. Frigus etiam Autumni, rus pergendo, non obſtitit, quantum menſe Auguſto; fluvius, nec concuſſio rhedæ, quantum quieta navigatio, noxæ attulit. Non demum vapor aqueus, in fluvio oberrans. Siquidem diebus pluviis, rus itinerando, calamitates narratæ non obvenere. Vt neque degendo circa paluſtria loca: ſed in fluviis, fluxui ac refluxui opportunis, pauculæ horæ, has moleſtias Peſtis, ectymatum, lepræ, exanthematum, invexere, quæ in terris non oboriebantur. Argines enim, ac ripas, bis quotidie aqua deſerit, fœtetque olidus fracedine fundus. Quapropter fluvius tacendo loquitur, probatque fracidi odoris nocumenta, quæ mox dicam. Idque enim proin non tam litori maris, quàm ripis eſt vernaculum. Nam ad ſalſum mare, arenamque fundi, nulla eſt fracedo, qualis in ſemidulcibus fluviis; quare aquæ vix unquam prorſus nitidæ ſunt, carentque odore ſibi proprio. Cœlum ergò à labe noſtra eſt immune, ut ab accuſationibus ignorantum inſons, culpâ caret vindictæ. Reliquiæ ſunt paganiſmi, quas niſi Schola Medica devitârit, ſciat Datorem luminum, beneficia ſua non illis porrecturum.

Peregrina Lues nova.

NON omnes morbi venêre ſimul in palæſtram. Felicia ſanè Atavorum ſecula, quibus paucæ infirmitates ſtrinxerant gladium in humanam imbecillitatem. Productumque deinceps transgreſſionis Adamicæ, ſenſim nobiſcum naturæ primordia aſſociavit. Aſtrologi enim adhuc hodie confugiunt ad determinatas ſiderum poſitiones, iras, incompatibilitates oppoſitionum ac luminum malignorum congreſſus. Quibus prima febris, prima Apoplexia, primave Peſtis, nata ſit. Etenim quanquam non ſoleam indagare præterita, quæ non proficere, ſed obeſſe poſſunt: multóque minùs aſſueverim inquirere, quorum adipiſci, dare, facere, aut ſperare non poſſem demonſtrationes: attamen non potui non irridere paganiſmi futilitatem in Aſtra relatam. Aſſentirer namque faciliùs Aſtrologis, ſi nata ſemel febris, obortaque apoplexia, ceſſaſſent, ceſſante illâ conſtellatione. Demonſtrare quoque ſi poſſent, quonam interim hoſpitio febris habitaret, diſtracta ſemel ſtellarum febrilium diſlocatione. Quapropter libro de vita longa, morborum omnium, mortiſque introitum in naturam humanam, primus, ex ſua origine deſcribere, coactus fui. Adeóque dilucidè intelligo, ac opticè cerno, reliquias eſſe paganiſmo, quicunque auſus eſt, ſtellarum officia & deſtinationes extendere ſupra textum Sacrorum, qui dicit, quòd Aſtra ſint nobis in ſigna duntaxat, tempora, dies, & annos. Etenim ſi Aſtrologis aſſentirer judiciariis, arbitrarer febrile, aut Peſtilens ſemen, ſemel natum, deinceps intrâſſe in naturam: nec quidem, ut maledictionis cujuſpiam, ſed creationis deinceps prolem, continuare ſuam generationem. Sed cum morborum plerique tandem in ſanitatem deſinant, ſi ſaltem non cum ægris ipſis oppetant, ac plerumque citra novæ prolis ſuſcitationem: neceſſum eſſet, ſi propter infauſta (ridiculum, aut blaſphemum Chriſtiano verbum) quandoque lumina incepiſſent: nec hodie ſine illis incipere poſſe, ſi lumina illa, ſic congreſſa, æſtimanda ſint cauſæ morborum efficientes. Credidi itaque, poſtquam penitiùs abditorum corporum analyſes per Ignem explicuiſſem, quod eadem morborum ab initio fuerint, quæ & hodie principia, atque radices. Quod ſatis clarè demonſtravi in tomo de origine Medicinæ, tractatu De morbis in genere. Crediderim quoque, aliquot

quot morbos initio fuiſſe, velut in ſui infantia, leniores,celerioresq; habuiſſe progreſſus, & faciliores quoque extinctiones, ob priſtinum naturæ humanæ robur. Aliquot tamen morbos, ſui initio ferociores fuiſſe, qui nempe non ita adhærent radici humanæ fragilitatis; ſed lui ut peregrinæ conſocii acquiruntur. Etenim ut olim naturæ erant robuſtiores, quæ ut ſuſceptrices, ita & medicatrices ſunt morborum: ſic modò,experior ſemina morborum indies proficere, robuſtiùs incidere, ac incaleſcere, noſtramque naturam, quò it longiùs, proceditque intempeſtiviùs, eò quoque negligentiùs remediis auſcultare. Enimverò patrum noſtrorum diebus, ſurrexit eatenus incognita lues Veneris, cum pediſſequis & aſſeclis. Notatur autem annus 1424. & Parthenoplica obſidio, ætas luis,ejusque prima nativitas. Quicquid demum ſemel penes nos adolevit,quanquam in illis individuis pereat: ſpeciem tamen deinceps ſervat,& vix interire ſcit,quamdiu perennat mandatum ejus, qui labem in carnem mittit. Vt Scorbutum, Peſtis Hungariæ,&c. noſtris abavis ignota. Noſtræ autem plagæ creſcunt indies, quia & impietates multiplicantur. Mutantur quidem morbi,larvantur,augentur,degenerantque per ſui copulam. Itaque animo majore, deinceps de remediis altioribus penſitandum. Ex morborum deterioratione autem, conjeci ſecuriorem Medendi artem, quam quæ hactenus per frequentem phlebotomiam, & venenoſam reſolutionem laxantium, conſertis vinculis, mortales in cœmiterium præcociter trahit,ſurgere debere. Ominor enim, quia cerno luem Veneris, cæteras ægritudines, mutaturam in ſui obſequium: & Peſtem quoque hactenus fore degenerem. Enimverò legi quandoque in revelationibus S. Brigittæ, item in vitis S. Dominici, Vincentii Ferrerii,Colettæ,&c. unanimi apparitione illos vidiſſe, ſuccenſum velut Mundi Salvatorem ſuper mortalium impietatibus, minatumque exitium generis humani, tribus jaculis. Cujus apparitionis ergò, B. Vincentius, ordinis S.Claræ reformatricem Colettam, ut Valentiis Hiſpaniarum, ſuperintellectuali raptu, viderat genubus proſtratam, ante ſacroſanctam Trinitatem, quod exoraret auxilium Deiparæ virginis. Ut Chriſtus Dominus averteret piaculum,comminatum pro commerito ſupplicio. Deſertaque patria Valentia,Gandavum venit Colettam inviſurus: quam ſtatim agnovit eandem, quam in raptu præfato viderat, & quærebat. Pro Avaritia enim, erat ſagitta bellorum, quibus malè parta maléque reſervata auferuntur. Pro Superbia, erat in manu omnipotentis jaculum inediæ, famis. Eccleſiaſticos autem, quos hujusmodi peccata ut plurimum tangunt, minatur fugare utraque lancea, à poſſeſſionibus, contra vota accumulatis, maléque uſurpatis. Ac tandem contra luxuriam, ſagittam contagii in manu gerebat. Non equidem David caſu; ſed altiori ductu, Peſtem pro bello & fame elegit. Quia totus populus, Regis ad exemplum, fornicator erat.Singulare id ſaltem in præfata viſione, quòd diverſis Sanctis,& annis apparuerit, & quidem ante luis adventum. Quoniam non eſt verbum quod Dominus non revelaverit ſuis Prophetis. Poſtremò, ſub dierum plenitudine, ſub maturitate, & completo peccatorum numero,immiſit longanimis Deus unam trium ſagittarum in medium carnis, ac confeſtim apparuit Lues Veneris, planè atrox, virulenta ac feſtinanti putredine necans. Deinceps autem aliæ ægritudines, imò & ipſa Peſtis, labem ejus contrahit. Nec veteres morbi reſpondent ampliùs deſcriptionibus avorum, nec conſuetam feudi obædientiam remediis exhibent. Nam olim ingentes exercitus, citra ultraque Europam in Aſiam, & Africam ducebantur, abſque notabili contagio, idemque utrobique ferè militum cenſus inveniebatur. Aſt jam, mox ab incepta obſidione, moriuntur intus præſidia; & ſimul obſidentia caſtra, acceleratamque expugnationem, confeſtim popularis Peſtis ſubſequitur. Vix enim unica præſidii cohors foràs proficiſcitur, quam nō ſequantur currus,ægrotis onuſti,etſi poſt ſe noſocomia oneraverit. Præcipui Chirurgorum cum admiratione plangunt, quod non ita pridem,minora quævis vulnera vix ſolitis obædiant ampliùs medelis. Porrò lues iſta primum viſa legitur in obſidione Neapolis,anno 1494. Medentes quoque ortum ejus per conjecturas attentant. Aliis enim placuit luis nativitatem, Indiis occiduis tribuere,quodque ibidem eſſet vernacula atque ſolita. Aliis verò placuit orientalem plagam accuſare. Veruntamen occaſus Indias immunes fuiſſe, teſtatur ipſe Ferdinandus Corteſius, earundem expugnator, quodque poſt adventum ſuum nondum ibidem enotuiſſet; ſed eò advectam luem, cum Æthiope, mancipio Pamphili de Narvaez, Fortè enim ille recens ab obſeſſu Neapolis eò appulerat,ſecumque attulerat.Etenim cum ibidem primum lues videri cœperit, diſputatum inter nationes, an Gallo, an Hiſpano, an verò Neapolitano, cedere debeat in triumphum. Interim nemo unquam Luſitanum accuſavit, ac per conſequens, Indię Orientales immunes erant. Nam Luſitanus in obſidione Neapolitana non erat, qui veteri odio bella Caſtellanica lubens promovebat. Solus tamen Luſitanus cum excluſione Hiſpanorum, coum luſtraverat, ſibique ſubegerat. Nec his obſtat, quod ab olim Lues Sinenſibus ſit aſſueta. Nam inde nemo ad bellum Neapolim advenit. Ergò ſi verum ſit, quod Lues in Sina, antiquitate vincat: potuit ibidem iiſdem initiis incepiſſe: prout catapultas & typographiam ante nos habuerunt. Saltem Lues nuſquam ab Endemicis, nec ab aëris infectione. Hinc etiam non paſſim popularis. Quod autem non à Sinenſibus ad nos ſit delata Lues, patet ex guajaco, cujus uſus apud Europæos 80. annis ſenior, quàm radicis Chinæ. Dein, quia introitus in Chinam ſub pœna capitis omnibus externis vetitus. Nunquam Lues tum viſa in oris extra Chinam, quorſum tamen Sinenſes propter cõmercia quotanniis excurrebant. At guajacum ab occiduis terris venit. Alii fortè proinde contendunt, hanc Luxuriæ luem incepiſſe, eò quòd annonæ caritas, mactatorum carnes cadaverum ſuffurari, & clanculum coctas divendi, ſuaſiſſet. Sed cum anthropophagis Indis hæc Lues, ante adventum Pamphili, fuiſſet ignota, non recipitur horum allegatum. Aſtrologi quoque, quibus omnium contingentium cauſæ referuntur in ſiderum aſpectus, & rotationes: ne quid citra cooperationem aſtrorum fieri concederent: peregrinum tum ſtellarum ſitum, duntaxat ſuper Neapolim influxiſſe ajunt, quem multâ anxietate quærentes, nondum invenérunt. Quaſi idem aſtrorum ſitus nunquam fuiſſet antea. Refragantur enim Sacra Aſtrologorum huic opinioni; ut ſuprà jam probavi. Paracelſus tandem Luem, multis libris & additamentis inconſtanter indagans, copulam leproſæ meretricis cum ſcabioſo milite Gallo incuſat, ac deteſtatur. Quaſi vero antea nulla leproſa, Gallo ſordido commiſta fuiſſet? Ad refellendum autem ſufficit: quod Paracelſus etiam in hoc ſibi ſit inconſtans. Negans pluribus libris luem veneris, per ſe, eſſe morbum, ſed aliis morbis permittit duntaxat aſſeclam. Attamen omnis contagio, ſive ex Lepra, ſive ex Peſte, vel aliunde contracta, verè & actualiter in ſe eſt morbus. Nec mirum quoque, cauſam Luis hactenus neſciri ab iis, qui ad naturæ ſolius contingentias reſpexerunt. Credo potiùs, tot apparitiones Sanctis non fuiſſe fruſtra, ac ſine ſcopo oſtenſas. Credo itaque, initia luis, ex vibrato jaculo Iræ divinæ, hauſta fuiſſe, & in naturam inſita, non ſecus, atque lagenarum inverſione, tertia quandoque peribit mortalium perſona. Non quidem, quod velim luem libidinis reputari, ſui principio miraculoſam penitùs, quia à piaculo incepiſſet. Scio namque, ut in natura habet modo: ita & ſui initio fermentum, atque radicem reperiſſe. Enimverò Laïcus quidam, & vir ſanctus, ad quæſtiones arduas aliquot, ſolitus viſiones ſomniales, ac non rarò quoque per Mentis abſtractionem, notiones intellectuales ſuſcipere: nimiâ forte curioſitate has indagavit quæſtiones. 1. Cur iſta Lues præterito ſeculo, & non antea erupiſſet: cum anteactis paganorum diebus, ſcelerata quælibet ſcurrilitas nunquam defuerit? 2. Vnde, ſi non ab Indis, in Europam venerit? 3. Quæ cauſa ſit continuitatis, & mitigationis, ac mutationis, ſi divinitùs immiſſa? Nam miracula rarò per contagium tranſeunt, ac niſi tradito mandato, ſuam in natura cauſam nanciſcuntur. Sed neque Deus inſontes punire ſolet, prout innocentes ſæpè Lues veneris inficit. Dixit itaque laïcus, ſibi in viſione intellectuali viſum jumentum, quod penè difflueret ulcere fœtido. Qui morbus equinæ ſpeciei proprius, noſtrates *den Worm*: Galli verò *le Farcin*, vocant. Vnde ſenſim equi purulentâ carie pereunt. Hoc autem jumentum vidit, velut canibus in eſcam deputatum, totum tergus vitiatum habens, etiam circa vas naturæ. Nec præter iſtam viſionem, aliud reſponſum habuit. Quapropter ſe ſuſpicari dixit; Quod in obſidione Neapolitana, (qua primùm dira hæc Lues emerſit) nefando aliquis peccato, congreſſum cum ejuſmodi jumento habuiſſet. Saltem inde conjicio, non antea viſam raritatem morbi, quippe non credam facilè unquam ejuſmodi peccatum in talibus terminis ab origine mundi commiſſum; eſtque morbus, lui venereæ ſimilis, & equinæ naturæ affinis ac familiaris. Potuitque ideo ſuum fermentum (permittente Deo vindice) in humanam familiam naturaliter transplantaſſe, divinitùs quanquam antea comminatum. Miſcuiſſe inquam contagium equinum, infandæ libidinis actu tum (perinde atque hodie à meretrice ſordida uſque in teſtes maris, attrahitur ipſa Lues) gomorrhœam, carcinoma, atque bubones venereos, &c. propagans. At curioſus eſſe deſino, quoties res ſcita nulli eſt uſui. Niſi forte mavis hinc meditari, equos ſic ulceroſos curari remedio Luis; & vice verſa, per Hydrargydrargyrum optimè præparatum. Servit ſaltem conſideratio Luis degeneri ac multiplicatæ Peſti hodiernæ, & quæ plures ſub adventum Antichriſti, minatæ ſunt in Sacris. Addo. Quod ſit infamis, infeceritque omnem mundi angulum: effectu quoque palàm oſtenderit: quod ſit commune carnis piaculum, ſerpensque ad ulteriorem, & vulgo adhuc incognitum ſcopum. Enimverò primo exordio nedum dudum ignota ſtetit: ſed & ſui medela infeliciter tentata, & adhuc hodie vulgò ignorata. Vnde conſequens, quod incertis & ferocibus pharmacis, mortalium vita indignata, humiliata modò ſit, vel ante cujusque juventutem. Quæ debilitas, perpetuitatis quandam ſpondet perennitatem, ac in abſtemiis, ad quartam ſaltem generationis periodum. Imò licet ampla hominum caterva nunquam Luem contraxerit: nihilominus, cum vix unquam Lues ſit bene curata, manſerintque reliquiæ: ſuperſunt ſanè, qui Medentum temeritates experti, ſeipſis ſunt longè facti infirmiores. Pars namque veneni, quæ permanſit penes illos radicalis, præter horridas unctionum, ſuffituum, & ſalivationum torturas: neceſſe eſt eo titulo, illorum ſucceſſores, notabili debilitate diminutos. Eſt nimirum Lues, non quidem morbus, conſtans materia ex qua: ſed fermentum duntaxat venenoſum, ſolidis, vel liquidis noſtri partibus, odoris inſtar, affixum. Adeóque (quod Lui eſt ſingulare) nedum partibus conſtitutivis; ſed & excrementis, ſive aliorum morborum materiis, quas attingit, ſe incorporat; quia afficit, & commiſcetur. Cumque faciliùs ſit veneno contaminare materiam, jam recenter deſtinatam in excrementum, quàm partem adhuc vivam, adeóque & hactenus reſiſtentem. Hinc fit, quod quicumque manifeſta, vel occulta habent quorumcumque morborum initia, Luem facilè contrahant; proinde ſe etiam in varias morborum larvas aſſociatione tranſmigrat. In multis namque ulcera, puſtulasque; in aliis, oſſium caries erodit, dura excitat tubera, Bubones item, phlegmones, & purulenta apoſtemata facit, ut & vulnera curando pertinacia. Alibi quoque peperit paralyſes, podagricos inſultus, Icterum, Hydropemve, &c. Id enim Paracelſum decepit, putantem, quòd Lues non ſit in ſe morbus, quia aliis morbis adhæreret. Nam maledictio jam naturæ, ab origine ſua impuræ, ſuperveniens, non procedit generatione conſuetâ: ſed ſuum corpus in corpore aliorum morborum reperit prædiſpoſitum. Ita ut paritas conceptus, nativitatis ſubſiſtentiæ, & effectuum in alieno corpore (humano nimirum) prodant paritatem ortus Luis, & aliorum morborum, eò quòd pariter à prævaricatione emanent. Morbi itaque, à Luis ortu deinceps degeneres facti, veneni alicujus ritum imitantur plerumque: nec ullus ſat horum cauſas inveſtigavit, quare nimirum plerique morborum, evaſerint contagioſi, atrociores, frequentiores, tardius difficiliusque fugaces, quàm olim. Indubiè namque, Peſtis eſt ſolitô frequentior, minimâ nos occaſione arripit, crudeliter inſectatur, faciliúsque diſpergitur, quia aſſociata novo toxico. Etenim plures, velut deſperantes, putârunt naturæ noſtræ vires, ſic ad ſui finem brevi decurrere. Sed verbo Dei eſt ſtabile imperium. Non eſt ullus horum defectus, ſpeciei humanæ incorporatus: ſed per accidens, individuis tantùm adhærens; cumque omne peregrinum adhærens ſeparationi ſit obnoxium, nullumque alienum ſit idoneum, ut ſimulacro Dei medullitùs conjungatur in conſtitutivis principis; Idcirco omne peregrinum, ſui ortum, augmentum, aſcenſum, ſtatum, declinationem, ac interitum neceſſariò ſuſcipit, ac tandem etiam ſponte, per ulteriores propagationes, reſtaurationem exſpectat. Sunt namque Verbi, ſemina ac ſpecies, in ævum durabilia. Hinc conſequens, hoſpitem exoticum tandem cedere deberet è ſtabulo, in quod clanculario errore furtivè irrepſit. Eò quòd Verbi poteſtas, nullis tempeſtatibus, longitudine motuum, aut dierum, ut nec hoſtis technis, præſcriptionem patitur. Diluvium quidem, terram cooperuit, quia homo viam ſuam corruperat: Ideóque & hodie ob peccata, penes nos infirmitas locum ſibi fecit, & accreſcit indies nova, & comminaturalia inſuper. Anno 1540. ſub Paulo III. circa Autumnum in Apulia prope Tarentum, prima apparuit Tarantula, monſtrum ab urbe ſic dictum Araneæ ſimile: ſed duplo majus. Quod deinceps manſit in ſpecie, & à Tarentino, in Agrum jam Romanum quoque tranſplantatum eſt. Etenim apud Danielem omne monſtrum, in rempubl. excreſcens, à mari venit. Confirmantur hoc monſtro novi adulatores, qui homines à ſe demorſos dementant, & exſultando tripudiant, tanquam benè egiſſent, credendo adulatoribus. Anno 1550. in Auguſto, Galli primùm viderunt Triticum, quod vocant roratum, ſive mellitum: in ariſta adhuc viridi, halecem fumatam odore referens: in matura verò, nil niſi fœtidum pulverem atrum : popularium utinam , non morborum plurium cauſam. Plaga eſt,quæ nobis magnam furatur annonæ partem: ſata nempe eſt zizania contra potentiores Prælatos. Quã utinam noſcerent ac præviderent! Anno 1556. noſtris horis maritimis primum apparuit Scorbutum, Veteribus ignotum. Quod gingivas & anhelitum inficit,ac crura:quia & interiora obſidet. Deſignantur homines eodem anno in Belgio admiſſi, dulci contagio , intus & extra ſubvertentes, ſibi credulos. Non ita pridem febris caſtrenſis adorſa eſt noſtrates,contagio profundo ; abſque ſiti, & calore enecans ; denotanturque,qui,ſpecie pietatis,nova ſpargunt & ſuſpecta dogmata inter domeſticos. At ſaltem nil, quod hoſtile eſt ſemel,deinceps in ſua ſpecie intercidit , quia ad flagrum immittitur, ac cœci non indagamus cauſam occaſionalem,medium letiferum,finem, atque remedium.Hodie enim Caſtrorum impuritates , paludum , domorum, cum pauperie militum,velut inſolitarum ægritudinum cauſas incuſant,ac inter Medentes ſuper hanc aleam , tota vertitur præſervativa. Quaſi verò olim caſtra puriora , dum Peſtes, atque inſolitæ febres, nondum erant. Scio etenim , quoties febris de ſtemmate antiquarum cadit in corpus , quod actu Luem veneris patitur , aut quandoque habuit, maléque ſublatam, confeſtim iſta febris ſe aſſociet, venenoſis Luis quisquiliis, unde venena mutuat, quæ maligna & caſtrenſis dici cœpit ; ſeſeque propaget contagio , etiam in inſontes à Lue. Eſtque videlicet ex febri mare, & Lue matre, tertium , ab utroq; genitorum diverſum monſtrum,ex morbis ſpecie diſtinctis. Hinc nimirum tam febris , quàm Peſtis , larvata evaſerint , atque incognita. Sic namque Lues in chao febrili pergit diſpergi, fitque juris communis . Infelix nempe Luis monſtrum , utrique parentum diſſimile , proditorium venenum, Peſtis æmulum evadit,Peſtemque ipſam, novo putredinis fermento,truculentiorem parit ſolito. Non abſonum ergò hodierna caſtra , plures ægros , frequentiores mortes, & contagio maligniores ſuſcitare. Nec immeritò , caſtra faciliores ſequuntur infectiones, quàm alioqui populoſiores urbes : quippe miles civibus , Luis eſt objectum propinquius. Peſtis itaque, fomitem pro favilla reperiens, facilè recurrit.

Opiniones Veterum.

PEſtis , omni ſeculo , in ſupplicium, ab iratis Diis miſſum reputatur. Ideo Hippocrates omnem penitùs contagii labem, divinum in morbis nominat. Gentiles adhuc hodie ad ſua transfugiunt Idola.Gentiũ Dii,dæmonia.Chriſtiani verò,ad unicum æternum Numen recurrimus,ſubſidiaq; Sanctorum imploramus, Quia glorioſus ac mirabilis Deus in ſanctis ſuis , qui impetrant, quæ nobis noſtra denegant demerita. Vrbes enim ſunt in Belgio , quibus ſodalitas Sanctorum,in Peſte patronorum, hactenus immunes ſervavit cives ab olim , quotquot miſſi in auxilium & ſervitium Peſte cõtaminatorum. Nemo enim, miſſus à decano concive, ac ſodali, etſi infectiſſimo à Peſte inſerviret, unquam à Peſte apprehenſus fuit. Sic eſt. Capilli capitis cujusque ſunt numerati. Non cadit frons de arbore, abſque permiſſu Dei. Multò minùs nobis aliquid accidit , præter permiſſum & præſcientiam Domini. Sic verum eſt. Peſtis quædam à manibus Domini venit , quam evitare eſt impoſſibile : quia venit ab eo, qui ſagittando errare nequit . Idcirco de hac Peſte nequicquam ſcribere decrevi : ut neque de ſanatione miraculoſæ. Nam ſi naturalis Peſtis per miraculum ſanetur , ea ad Medicum non ſpectat. Plurimi quoque noſtrûm opinantur , Peſtem non niſi divinitùs mitti , abſque concurſu cauſæ ſecundæ. Mahumetani quoque, cum Calviniſtis,credunt Peſtem inevitabilis prædeſtinationis ſortem. Nec ideò loca vitant aut infecta corpora, ut neque nocua quælibet. Malè ſibi conſtantes. Siquidem fera nocere nequit,non conſentiente Domino , adeóque hac ex parte non ſit Peſte nocentior : à feris tamen cavent, ac ſe tutantur. Anglia quoque hactenus proprio Peſtis nomine caruit , quamque ab olim Plagam nominat. Quantum ad cauſas ejus attinet , Græci primùm, ac dein Arabes , ac quicumque alterutris horum ſeſe dicarunt, Peſtem in duas cauſas convocant. Quarum priores catharticas , ſive præcedentes ; poſteriores verò, connexas,conjunctas, continentes , comitantesque proximè, appellant. Enimverò cum cernerent,humanum corpus, ſua per individua, & habitationum loca, magna differre varietate ; excogitarunt univerſalem cauſam pro Peſte. Cœlum nempe, per Aſtrologos ſeducti , culpârunt : quod noxio lumine, motuque ſuo, aëra diro tabo conſpergat , cujus proinde virus , epidemicum nominârunt. Ac tametſi viderent morbos , contagio infames, oriri occaſione ſtagnorum, antrorum, fundorum venenoſorum , mineralium , ſordium, montium, uliginum, vallis , aut ſentinæ, unde variæ putrilagines ſcaturirent : non tamen unquam horum morborum indolem, Peſtem æſtimarunt: ſed ſeparato nomine, endemicos vocârunt. Quæ diſtinctio mox dubium omne ſopivit, ac ipſimet in hoc ſopore ſtertuerunt. gaviſi, in univerſalem culpam, ad cœlos relegaſſe ſuam inſcitiam: ſeque ſecuros autumârunt, nequicquam diffidentes, quod ſe culpa, illos verò ignorantia, cœlum vindicaret. Separabant item mortuos, atque moribundos, ſuas obedientias deteſtando, non exauditum iri, neque accuſaturos Medentum incuriam, ac ignorantiam. Præſertim ubi primus ſemper Medicus aufugit, ſuum deſerens ægrotum in vitæ deſperatione. Quocirca Aſtrorum ariolatores in ſubſidium convocant, ut ſi horum errores mundus tueatur, conjunctâ criminatione cœlum infament, quòd abſtracti luminis tabido veneno, aërem & aquas inquinet. Aſt prædeceſſoribus multò audacior Paracelſus voluit, labe noſtrâ cœlum infici realiter, peccata noſtra ſtilo notare, & invito ſe recipere, ideò ultorem eſſe, ac neces proritatum. Peſtem autem eſſe merum vulnus, ſagittari cœlitus; vulnerando aſtra, currendoque lædere. Quodque hæc vulnera, tribus duntaxat, neque pluribus locis, (neſciens hæc eſſe emunctoria noſtra) ponè aures ſcilicet, ſubter axillas, & in inguine. Alibi quoque non tres: ſed 4. Peſtes ſtatuit, juxta elementorum numerum; Quadruplici, multumque diverſo remedio, ſuperandas ſingulas. Alibi verò & quintam Peſtem excogitat, à Gnomis, Sylphis, Nymphis, Satyris, Lemuribus, Gigantibus, Faunisve immiſſam, quod hos fortè quintum autumaret elementum. Porrò à civitate Stertzinga rogatus, pro ſelecto alexiterio: ſtellata atque elementata remedia priora deſerens, finaliter potui ex Theriaca, Myrrha petaſitide, terra ſigillata, ſpermate ceti, Aſclepiade pimpinella, Valeriana, & Caphura, cum optima aqua vitæ totus fiſus eſt. Per inadvertentiam ſcilicet, immemor abreptus in centum ſimplicium confuſiones, à ſe multoties, ac ſerio, mox ante deteſtatas. Denique nec ſimul conveniunt, quod aliàs elementum Ignis, nequicquam à cœlo diſtinxerit ſæpius, & nihilominus quatuor Peſtes, ortu, cauſa, ac remediis diſtinctas tradiderit: quas uni dicaverat cœlo, quod alibi ſolum Peſtis authorem voluit. Vult etiam quod cryſtallus, Arles, itemque gemmæ, in aëre gignantur, ac cœlitus decidant, quæ alibi ſui immemor fructus aquæ nominat, volens cryſtallum niſi meram eſſe glaciem, frigore conſtrictam. Tandem peſtis cum ſit malum cœli, & ex quarto gradu; tincturam autem gemmarum dicat optima iſtius vulneris ſolidativa: adeóque & remedium 2. gradus curare Peſtem quarti gradus. Inanem quoque defatigationem miſeror, circa remedia, quæ inter millenos Spagyros vix unus præparet. Frivolum eſt enim tot condere libros, ac tandem recurriſſe ad vix parabilia, in morbo populari, ubique obvio. Frivolum eſt enim, vagante Peſte, totam regionem alere carnibus ciconiæ aufugæ ſub autumnum, aut lingua leonina appenſa. Cuncta enim ejusmodi ignaram detegunt jactantiam; non autem communem charitatem, in tam ærumnoſa ægritudine. Nec enim Hippocrates ejusmodi remediis, Peſtem è Græcia fugavit. Alioquin enim pauper (ſi remediis, ac obſoniis pretioſis, Peſtis profligaretur) vitæ deſperatione, fortunæ inæqualitate, multo planctu, juſtóque dolore, Deum, perſonarum exceptorem, ſibique denegata remedia, penſitaret. Nunquam itaque credidero, Deum, in natura, minùs ſolicitum, ſanando pauperem, quàm divitem. Hiſtoria Lazari enim, & epulonis divitis, mirificè pauperes confortat. Tandem Paracelſus libros Peſtis edidit à Pythoniſſis ac Lemuribus generatæ: Lemures inquam, Satyras, &c. quos cacodæmones negat, in generanda Peſte, Sagis coæquat: remedia tamen, tantæ Peſti addere, neglexit. Quaſi titulo Monarchæ arcanorum ſibi præſumto, ſat eſſet, non calcâſſe priorum veſtigia, ac plurimum ſumi: ac parum ignis ſuſcitaſſe, ſuique memoriam riſui expoſuiſſe. Nam libri de Peſte, de Tartaris, de Mineralibus, &c. multum garritum, parùm fidi auxilii continent.

Diviſa Peſtis.

PAramirum Paracelſi, totum incumbit, ut perſuadeat omnem, abſque exceptione, morbum, ac nominatim quoque peſtem, totâ ſpecie, eſſe quintuplicem. Cauſis nimirum, ortu, proprietatibus, atque remediis diſtinctam. Primam autem ſpeciem vocat ens naturale, originaliter ex fructibus elementatis procedens, hancque Peſtem, libris de Peſte ac peſtilitate deſcripſit, quibus ſit ibi ſibi interpres. Aſt cum conſtet, fructus, quos Scholæ hactenus credidere miſtorum elementorum, eſſe ſolius aquæ: (prout de ortu Medicinæ alibi clarè demonſtravi) neceſſariò quoque ruit jam doctrina elementorum, pro Peſte ſaltem. Aliud dein morborum prædicamentum vocat ens aſtrale, tanquam è cœlo ſtellato depluens. Proſequiturque multis libris de Peſte, hoc duntaxat entis genus, omiſſis aliis. Adeóque cum alibi cœlum, cœlorumque fructus, cum elemento ignis confundat; etiam rurſus coincidet Peſtis aſtralis, cum naturali, & elementali ignea. Tertium dein morborum genus generaliſſimum, vocat ens Veneni. Quaſi Peſtis alicubi eſſet quæpiam veneni expers: & quaſi ſuum venenum, extra, ſupra, aut præter ens naturale, Peſtis haberet: Sic itaque Aſtra, contra ens naturæ diſtinguit Idiotiſmo præpeditus. At ſaltem, quaſi naturalis, & Aſtralis Peſtis, non eſſent venenoſæ? Quartum tandem morborum genus, vocat Ens ſpiritale, cooperante ſcilicet cacodæmone, cum ſuis mancipiis. Revocat huc quoque exſecrationes, & deſperationes hominum; omittit verò inprimis ſuos faunos, lemures, nymphas, ſatyras, &c. niſi hos fortè velit cacodæmonum ſocios. Saltem præcipuum negligit cardinem, propriam nimirum phantaſiam: cum non raram Peſtem ſolus terror generet. Putatque quinimò ens ſpiritale externum, eſſentialem Peſtis cauſam, per quam ſpecies duntaxat dirimendæ ſunt. Adeóque effectus duos, diverſos ſpecie, ſolis cauſis diſtinguit, externis occaſionalibus, & accidentalibus. Etenim certum eſt, ſive Saga, tanquam venefica, peſtiferam labem alicui connecteret, ſive alio medio id fiat, ac proprio naturæ vitio, ſaltem Peſtis inde ſcaturiens, utrobique una & eadem eſt. Quintum poſtremò genus Morborum vocat, Ens deale, ſive fidelium, ſatis ſtupidè, Deum à morbis ipſis non diſtinguendo, prout alioqui liberum eſt, naturam ab effectu ſuo nequaquam ſeparâſſe. Peſtis autem Dealis nuſquam, vel ampliſſimis ſuis ſcriptis mentionem fecit. Ad me autem quantum attinet, ens aſtrale non admitto. Licet id Paracelſus non uni tantum ex quinque; ſed ſibi inconſtans, omnibus univerſim peſtilentiis commune fecit. Similiter denique confundo Ens Veneni, cum Ente naturæ. Nam ſi non venenum: nec etiam ob id Peſtem continet. At cum Peſtis ſeparatum habeat ortum atque progreſſum, à reliquis morbis diſtinctum: Imaginationibus atque terroribus non parùm alligatum. Hactenus omnem Peſtem facio ſpiritualem. Non quidem ſagariam ob id; verùm perturbationibus Archealibus tributariam, ac merè naturalem. Quod ſi verò cacodæmon collaboret pro excidio humano: tranſplantabitur quidem & incrudeſcet ferociùs: non tamen ad hoc ſuperſtitione (licet aliter Paramirum ſentiat) opus, aut à naturæ devia eſt Peſtis; quippe ſubter naturam, ens ſpiritale evidenter, velit nolit, ſemper militat. Duas igitur ſpecie diverſas Peſtes agnoſco ſolùm. Vnam nempe quæ immediatè ex manu Omnipotentis, per Angelum percutientem mittitur, ad exſecutionem occulti Iudicii ſuæ Deitatis. Hanc etenim quanquam Peſtem etſi agnoſcam: eandem tamen Domino meo integraliter committo, dicoque reſignatâ mente: Fiat voluntas tua, Domine. Siquidem nec remedium opto, niſi pro tuo beneplacito. Finaliter itaque Peſtem naturæ tantum ubique attingam, ut Philoſophus. Eamque voco alteram.

Conjuncta cauſa Veterum.

IN morbis univerſim, citraque exceptionem, cauſam efficientem & externam, nullam, præter occaſionalem, quandoque de morbo in genere, differendo, duntaxat agnovi. Nunc porrò cœlum, aditum dare ad Peſtem, juſtè me negare oſtendi: licet interim Blas meteori, occaſionaliter queat diſponere ſubjectum patiens, ad faciliorem impreſſionem ſuſceptionis. Itaque ad connexas Peſtis cauſas attendam primùm: quas à Veteribus, relatas in humorum corruptionem, & caloris accenſionem legimus, ideóq; conſcripta præſervamina, per ſola humorum putredini reſiſtendę deputata putata. At nondum Scholæ explicuere, quiſnam, quove nomine donandus ſit ille humor vitiatus, calore accenſus, qui in venis, viſceribus, vel habitu, ſit titio Peſtis. Nondumque noverunt, in Ægypto graſſantem Peſtem caloribus magnis, potiùs extingui, quàm excitari. Prout apud nos, Peſtem plerumque magis autumnalem, quàm æſtivalem eſſe. Quandoque enim Scholæ ad endemica recurrunt, tam domeſtica, quàm forinſeca, quæ quoquomodo putredinem incitare vel accumulare creduntur: Deniq; pro præſervativis, quævis corradunt ſimplicia, etiam calida, modò fide Herbariorum commendentur. Hæſitatio verò Scholarum, ut & remediorum infauſta incertitudò, tegitur ubique diverſarum ridiculo complexionum eventu. Quæ ſanè fuit hactenus communis ac trita aptitudo, ad excuſandas excuſationes in nece. Tandemq; Doctorum, ingenti Peſtis formidine, detegitur diffidentia Scholarum, ſuper legibus, & librorum pollicitationibus. Saltem infauſtas ægrorum obedientias demulcent per unicum: *Sic ſtabat in fatis.* Ergo patienter ferendum, quod miſer ille, vel iſte, eſſet relatus in oppetiturorum catalogum. Interim opus Peſtis truculentum, truculentior verò, qui opem jactitat, nec adfert: Celer progreſſus Peſtis pro ignavia tanta Medentum. Toxicum in Peſte, unico ſaltem non feriatur momento, nec pacem admittit, quod inducias ſpernit. Siqui ergo eſſent humores, in facto eſſe, putredine in Peſte corrupti, cum nequeant retrocedere, ac reduci in priſtinum integritatis nitorem: ſitque naturalis morborum in Scholis indicatio prima, atque potiſſima, nocuum citiſſimè evellere, vanaque eſſe cuncta auxilia, niſi quæ promtè penitúſque peccantem colluviem ſequeſtrent. Sequeretur, quod univerſalia præſidia (purgationes ſcilicet, ac venæſectiones) ſint potiſſima Peſtis auxilia. Quæ tamen multoties jam ſunt reperta mortem accelerare. Neceſſariò quoque corruit hypotheſis, quæ humores corruptos, in Peſtis cauſam proximam introducit. Nam revera Peſtis potiùs humores alimentaris inficit, quàm quod hi Peſtis cauſa ſint. Alioquin alibi ſat conſtare feci, naturam, humores in cruoris conſtitutione, non agnoſcere, nec habuiſſe unquam. Quocirca nec hi quicquam cauſare valent; quia ſunt non entia. Denique ſi humores, in fieri eſſe putredinis, eſſent Peſtis connexa cauſa, Saltem debuiſſent Scholæ nomen illius humoris edidiſſe, itemque modum ac proceſſum expoſuiſſe, quo iſti humores corrumpuntur, jamque corrupti ſint cauſa conjuncta Peſtis. Itemque, quo pacto celeriter ſequeſtrentur, cum impedimento ſuæ impreſſionis, in partes vitales. Debuiſſent denique locum deſignare, in quo, tanquam nido, prægreſſæ corruptionis peſtilentis conciliabulum eſſet, Nam ſi hoc centrum, ſint venæ vel viſcera (ubi prima excrementorum nempe contingit ſequeſtratio) prorſus damnoſus eſſet omnis ſudor: quippe qui à ſtomacho vel hepate, trans vitalia viſcera virus duceret, & non per conſuetas ſentinas propiùs effunderet. Sic namque Lues veneris, ſola gonorrhœa, in teſtibus domicilium eligens, ſi per ſolutiva, à lotii officinis retrotrahatur, ut per venas in Alvum recidat: neceſſariam Luem in totum ſpargit ſole iſto tranſitu. Multo itaque magis Peſtis, ſi humores in propriis officinis inquinaſſet, tranſeundo per ſudores efferretur, infallibiliter totum quicquid vitale intus eſt, contaminaret. Sin verò habitus corporis, locus ſit putrefactionis humorum peſtilentium: Jam ridicula erit Medentum diæta, quæ humorum putrefactibilium generationem creditur præpedire. Denique à quo, & unde putredo in cruore euchymo ante Peſtem in corporis habitu, vel etiam centro, oriretur: nequicquam de his omnibus eſt determinatum per Scholas. Satis putantes, obiter dixiſſe, humorum corruptionem, Peſtis eſſe cauſam conjunctam, eò quòd Doctores profugi, hanc non niſi ex obliquo ſemper adſpexerint. Cum enim adverterent, epoto laxativo, carnes & cruorem, illo toxico tabefactas, & humorem flavum, vel pallidum mucum, obſcurioremve cruorem, nondum plenè transmutatum effluere: aſſeruerunt, nedum cruorem, ſed univerſum corpus, conſtare quatuor ſpecie diverſis humoribus, in eoſque iterum reſolvi. Uſque adeò Peſtem in bile flava, igni comparata, vel in atra, ideóque melancholia dicta, terræ, Saturno, atque malignitati propinquiore, hanc putredinem pro Peſte inchoari autumârunt. Equidem licet alibi quatuor humores, ceu futile atque nocuum commentum, abunde demonſtraverim: donemus tamen jam per ſuppoſitionem falſi, quod cruor conſtaret ex illorum quatuor commixtione: attamen dum cruor jam eſſe deſiit, mutatuſque eſt formali transmutatione in alimentarium ac vitalem liquorem, qui ſingula membra immediatè nutrit, auget, & fovet; Saltem cum veritate Philoſophiæ pugnat, quod liquor is alimentarius, per formalem transmutationem, degener à ſanguine, nondum oblivioſus eſſet prioris ſortis ſuæ, ac compaginis. Puta ſi vinum, cereviſia, liquamen carnis, cum ſucco olerum, uno paſtu ſint bibita, mutataque in cruorem. Certe iſtud cruoris conſtitutum, non eſt unum, quamdiu ex quatuor illis diverſis, adhuc commiſtis, conſtat; verùm quatuor duntaxat unum fiunt, dum per formalem transmutationem facta ſunt productum novum, qui eſt cruor. Pariter itaque, etſi cruor ex quatuor humorum connexione conſtaret: attamen cum jam ſint unum, & non amplius quatuor, non erit iſtud unum, amplius iſtud connexum, ex quatuor primævis liquoribus datis. Nec morbi inde reſultantes, queunt aut ineſſe, aut in ſanando reputari humoroſi, non magis potentes retrogradi, in quatuor illos fictitios humores (etſi dentur fuiſſe reales) quàm ſemel factus ſanguis poteſt retrocedere in priſtinum vinum, cereviſiam, jus carnium, & ſuccum olerum. Patet ergò, quod Scholæ contra omnem Philoſophiam ignorent, formalem eſſe transmutationem, dum ex cibis cruor; & ex cruore fit liquor alimentarius. Patetque ex præfatis cœcitatibus,maximam morborum partem, inſcitiæ principiorum concreditam in Scholis. Ego autem ingenuè proteſtor, me in nullis avorum libris vel minimum unquam ſubſidii auxiliaris punctum reperiſſe. Nam quamvis plures, velut opitulati, convaleſcerent: vidi nihilominus decuplo plures, qui ab initio invaſæ Peſtis, iisdem remediis uſi fuerant, infeliciter periiſſe. Theriaca enim ab olim, ſemper juvamen pollicita, ejusque aqua modo excellentior paſſim habetur, vanam quanquam opem continere ſciant,qui Peſtis nôrunt proprietates. Nam Alexiteria, quæ venena cohibent, nil certi habent contra Peſtem. Ideoque Medentes Academici, ſub infida Theriaces tutela,non audent ſe contagio Peſtis exponere. Eſt quippe venenum Peſtis, longè ſecretum à quovis alio. Religioſi autem quidam in Urbe, nil intentatum relinquentes, quo nummos vel æſtimationem comparent, ſelectiſſimam Theriacam magno profitentur vendere. Sed cum nemo militans Chriſto, implicet ſe negotiis ſecularibus, à pompoſis ejusmodi ſtentoribus cuique apprimè cavendum hortor: quippe non per oſtium, ſed ſupernè per tectum intrant, non vocati, in Medicinam ſeſe intrudunt. Hi enim cum Tullio penè dicent; Populo impoſuimus,& famoſiſſimi pharmacopolæ viſi ſumus. Etenim Theriaca Hippocrati, Peſtis domitori, adhuc ignota, triplum mellis,ad pulverum cunctorum copiam, recipit. Simplicia quoque ſexaginta,diſcordia, arida, dura,concluſa, cruda, excrementoſa, & plerumque à bimatu inveterata.Hæc inquam ſub cocti miſtione mellis, multum effœta redduntur. Mixtionem quoque, & digeſtionem, à debili febriente exigunt, præcipuè veneno vitiato ſtomacho,& ab Archeo intus conſternato, ac confusè tumultuante. Quapropter parum auxilii, & conſolationis minimum præſtant. Nam Trochiſci de Vipera cocti, monitu Galeni, cùm ſint capitale ſimplex Theriaces,facilè docent, aquam theriacalem eſſe plane ridiculam. Nam ſi vipera, diſtillando, aquam theriacalem virtute ſtatueret: quidni Trochiſci de vipera, prima ſui, ac Galenica coctura, omnem iſtam exuerunt medendi prærogativam? Quid igitur agam cum ſemper diſcentibus, & nunquam ad ſcientiam, quam docere profitentur, pervenientibus? Plurimi enim (teſte Seneca) ad ſcientiam iſtam non pervenerunt: quia putabant ſe perveniſſe. Tandem nec ſat fuit, tacuiſſe nomina humorum, quos putarunt putrere ante Peſtem, eſſeque hujus comitem cauſam: quinetiam transſiliendo tranſeunt ipſam corruptionis quidditatem, quæ paucis ſubinde horis ſuam abſolvit tragœdiam. Videntur enim Medentes ſuavi pulvinari cubuiſſe, paries dum proximus ardet, & elevato ſemel ſuper cubitum capite, dixiſſe arreſtum. Peſtis eſt morbus contagioſus, ex putrefactis humoribus, febri connexus, acutiſſimus,& valde periculoſus: quo dicto, caput rurſus reclinaſſe in ſomnum pomeridianum, opimè paſtos, qui ſomnus, ſub tantâ luce,oculos illorum iterum clauſit. Mundus interim ejulat, videns effectus, hoc judicio notatos, non cauſas, ut nec denique remedia. Quare ruſtici comam in temporibus, utraque manu ſcabentes aliud arreſtum pronunciant. Non (ajunt) opus eſt multo ſtudio, nec tot libris, quis dicat Peſtem lethalem, & contagioſum, quod quiſque ſuo didicit malo. Præſtabit itaque fidos auxiliatores conſulere, non ampliùs ſomnolentos, à Peſte fugitivos, atque remediorum ignaros.

Præparata ſedes.

NOn ſufficit, Peſtis cauſas Scholis incognitas demonſtraſſe, niſi meas dicam experientias, Peſtis cauſam, diverſos ejus proceſſus, in fieri, peregrinas proprietates in facto eſſe, præſervationes, & ſanationem. Initio itaque repetam, quæ alibi demonſtravi. Scilicet, in natura, duas ſaltem eſſe, nec plures cauſas. Materiam nimirum, & efficientem,quam in Peſte Archeum, Vulcanum, ſive ſemen appello. Pro materia ſaltem, non ſit aliqua indiſcreta Hyle, quæ nunquam exſtitit, nec erit in natura; ſervitque Matheſi, & non ſpeculatori naturæ. Materiam itaque peſtilentem ſpecto, in relatione ad efficiens ſibi internum. Materia ergò Peſtis,& ſylveſter ſpiritus, veneno tinctus. Materia autem iſta, tripliciter ad finem ſibi propoſitum tendit. Quoniam vel forinſecus adventat, totaliterque ac perfectè peſtifera, à peſtilenti ægroto, vel cadavere, locoque, vel utenſili, inquinata, exhalans: Vel cruda adhuc à fracido Gas terræ intrò trahitur, quæ dein intus recipit fermentum appropriativum, ac gradatim tandem venenum peſtilens in nobis acquirit. Vel etiam totum intus noſtri exitium, materialiter & formaliter, abſque externo adjutorio ſubinde conficitur. Quod autem non ſint plures modi,quibus Peſtis fiat, patet ex diviſione. Nam vel totá intus generatur, ſine exotico auxilio: vel ab extra, incidit. Eaque eſt perfecta, in materia & forma veneni, ſolius appropriationis, & applicationis indiga: vel eſt adhuc cruda, imperfecta, ac velut embryo. Vnde ſaltem inprimis obvium evadit, quod Peſtis non primariò ſemper cor invadat. Nam vidi, qui tangendo peſtiferas chartas, eo ipſo ſenſerit dolorem velut pungentis acus, moxque peſtilentem Anthracem in Indice digito oſtendit, & poſt biduum occubuit. Porrò triplex præfata materia, utut prima ſit planè venenoſa: utrobique tamen ſe tenet intra numerum cauſæ antecedentis. Non ſecus enim atque toxicum, oretenus aſſumtum, non eſt ipſe morbus, aut mors: ſed tantùm cauſa occaſionalis ejus. Non enim quicquam corporeum, agit immediatè in vitam aut poteſtates vitales (utpote quæ ſunt de natura luminum cœleſtium) quin prius ſit receptum, redditumque velut domeſticum. Cumque venenum aliquod jam ſit factum civis noſtri diverſorii, deglutitum nempe, vel attractum: nondum tamen adhuc poteſt ad occulta vitalium ſeminaria ingredi, vel admitti (quia eſt toto ſui eſſe, externum) quin priùs venenoſa qualitas, agendo in vitam, ſuſcitet Archeum (omnium alioquin agendorum ſub ſuo imperio, author atque opifex) in ſui defenſionem. Etenim alioqui non agit Peſtilens venenum, inſtar enſis, qui omnes in eodem attactus, ſui momento, vulnerat æqualiter: Peſtilens autem virus quoſdam ferire non valet. Archeus itaque, cum ex ſui indole habeat animales perturbationes, paſſiones, confuſiones atque alteritates, ſubitò de ſe profert imaginem ſuę alterationis conceptæ: illamq; Ideam, in particula propriæ ſuæ ſubſtantiæ, in qua concipitur, depingit. Quæ ſic inſtructa mortis imago, eſt ipſamet Peſtis. Siquidem Peſtem non aliquam nudam qualitatem exiſtimo, tametſi non alibi, quàm in corpore, tanquam accidentia in ſubjecto inhærentiæ, exſiſtat: ſed Peſtis eſt ens, naturæ virus per ſe ſubſiſtens in nobis, conſtanſque materia, forma ac proprietatibus ſuis. Quod alibi tractatu de morbis penitiſſimè demonſtravi. Hîc monuiſſe autem ſat eſt. Quod vita nil operetur vincendo, aut perdendo, niſi per motus vitales animæ ſenſitivæ. quæ non eſt ſolita, niſi per Ideas operari in Archeum, motuum quorumcunque exſecutorem: prout nec Archeus aliter operatur in corpus. Quocirca hoc loco obiter notandum eſt, quod materialis atque immediata cauſa morbi interna, ſit ipſe morbus, non aliter quàm cauſa materialis, in homine, eſt ipſum ejus corpus, à ſemine in ſenectutem uſque perſeverans: non autem quod aliqua ſit hominis cauſa materialis conjuncta præter ipſum ipſius corpus. Quod eſt ipſum generationis productum, ex cauſa materiali nempe, & ſeminali efficiente interno. Quæ hactenus Scholis fuerunt obtecta, adeóque cauſas morborum occaſionales reputarunt internas, immediatas atque conjunctas, planè adhuc diſtinctas à producto. Quapropter hoc loco denique repetendum eſt etiam, quod in Phyſiologicis docui. Nimirum ſex in nobis eſſe digeſtiones. Etenim in tribus prioribus, ſua Retenta, ſuaque eſſe excrementa. Quæ cum ſingula in ſe, ſuisque regionibus ſint moleſta, imò per complicationem atque extravagationem odioſa evaſerint, in Tranſmiſſa ac Tranſmutata degenerant, varioſque inde inducunt morbos occaſionaliter. In quartâ verò, ac quintâ digeſtione, oſtendi, non admitti ullum perceptibile excrementum. At in Sexta, quæ eſt Tranſmutatorum, plurima occurrere ſtercora ſpontanea, errore vegetativæ: aliqua inſuper aliunde tranſmitti, ut etiam non pauca violento Suſceptorum imperio, degenerare. Quæ hactenus à Scholis neſcita, ideóque & neglecta fuere. Quæque ideò nomine proprio caruere, horumque effectus morboſi, ridiculè in quatuor fictos humores hepatis fuêre tranſlati, & adjudicati. Quocirca primus ego, quanquam Tartari cauſas morbificas expulerim, ne tamen videar cuncta, ex animoſitate, velle innovare, has ſordes, Tartarum cruoris hîc vocabo: licet etymo improprio, quia veri nominis defectu. Excrementa ergò ejuſmodi, ſive aliunde, in habitum corporis ſint delata: ſeu demum proprio facultatum errore, ſub tranſmutando facta, ſeu denique externorum violento imperio, ibidem degenerata: Tartarum cruoris nuncupo. Non quod revera ſint Tartari, in materia, ac modo, Tartari, vini: ſed quia ex bono alimento, jam deturpato, quod antea fecundum erat, atque vitale, poſtea hoſtile evaſerit. Hæcque ideò præmonui, ut ſciatis Tartarum cruoris eſſe productum Peſtis, illumque facilè fieri à cauſis efficientibus peſtiferis. Quinimò nondum ſat eſt, dixiſſe Tartarum cruoris, productum Peſtis eſſe; ſed inſuper oportet locum præfigere. Docebo enim mox, peſtem eſſe venenum terroris: ideóque notavi, ſedem ejus, ſive nidum primitivum, eſſe in Hypochondrio; ubi videlicet prima terroris humani eſt conceptio, ſive perturbationibus externis, ſeu demum ſponte conceptorum motibus, contingat.

tingat. Quamobrem adſunt in Peſte, vomitus, delirium, dolor capitis, &c. quæ ſuo loco in Republ. Splenis depinxi. Itaque ſi Scholæ, tartarum hunc cruoris, pro cauſa conjuncta poſuiſſent, adhuc tamen ab invicem diverſi eſſemus. Quatenus quod penes illas cauſa connexa eſſet, Peſtis productum apud me eſt. Nam Peſtis, heteroclito modo, nos invadit. Nec ejus materia conjuncta, eſt aliquod ſolidum corpus, vel liquor viſibilis, ut neque idcirco conſpicua aliqua putredo: ſed ſolum Gas, ſeparatum, ac degeneratum ab Archei ſubſtantia. Quicquid autem viſibile, vitiatum in Peſte occurrit, non eſt de ipſa materia Peſtis, ſive non materia ex qua: ſed eſt, vel materia occaſionalis, de qua antè, vel eſt productum, ſive fœtus, in quo Peſtis ſedet tanquam in nido. Quapropter Anthrax, bubo, aut eſchara, non ſunt materia primitiva Peſtis; ſed effectus ac productum, quod Peſtis ſibi paravit. Nam plerumque eſt Peſtis tam atrox, ac velox: ut ſimulatque in Archeum eſt introducta, nequeat obmittere, quin de humore alimentario partem aliquam non ſubjiciat ſuæ tyrannidi, habitetque in ea. Quocirca ſi putridus humor, cauſa immediata Peſtis eſſet, profectò putridus fuiſſet, antequam putruiſſet. Cum nempe ipſa Peſtis, ſibi paret vitioſum illud productum, quod Scholæ vocant humores, adhuc indefinitos. Fernelius enim, Scholis paulò ſagacior eſſe voluit, novitque ideò, Peſtem non naſci, vel conſiſtere è putredine quatuor fictorum humorum, ut neque ex aëris calore, aut frigore: ſed ex veneno aliquo, abditarum cauſarum alumno. Denique advertendum: quod cum tartarus cruoris, ſive ultimæ digeſtionis vitiatæ ſcoria, ſuſceperit fermentum Peſtilens, non minùs, quàm cætera transmutata, privilegium habeat exhalandi per poros, ſine ulla poſt ſe ridentia, ſive reſiduo capite mortuo (ſic Chymici vocant reſiduam à diſtillatione fœcem) ſi nempe humores fuerint alimentarii: non autem ſi ipſa ſolidorum ſubſtantia, in eſcharam, aut Anthracem, ſit ambuſta. Sic nempe, multò duriora Luis Venereæ tubera, oſſibus, velut æqualia, arrepto reſolutionis concilio, penitùs evaneſcunt. Quanquam autem tartarus cruoris, præfata quoque gaudeat prærogativa, quoties extra vitæ œconomiam, ut infamis, eſt proſcriptus: attamen dum in pus, aut virus ſanioſum transmutatus eſt, pellem prius erodit in eſcharæ ſpeciem, quàm quod vaporetenus tranſſudet. Idque ſcilicet ob impreſſam peregrini fermenti labem, qua degeneravit in transmutatum formale. At ſi odorem fermenti quidem hauſerit tartarus cruoris: ſed nondum ſit tranſmutatus: fiunt glandulæ, bubones, &c. quæ ſudoris profluvio, citra cutis apertionem non rarò terminantur: ubi præfata alia id nequeunt. Hæcque omnia ferè à Scholis in Catarrhos ſunt relegata. Totus ergò tartarus cruoris, domeſticus quidem partus eſt: ſed nothus, qui vi, deſtructione, & errore intruſus. At cum remedia naturæ, ſint ſubnoxia tantis digeſtionum aulis: & corpora, præſtantiæ tam eminentis, poſſideant violentiam atque agendi robur, itemque ſordes amiſtas, aut ſeras difficiles habeant non ſat profectò æſtimata eſt Pyrotechnia, quæ unum ſubinde ſimplex eò altitudinis graduat, ut omnes digeſtionum ſordes, in extimas uſque oras, perſequatur cum vindicta. Alioquin in ultima digeſtione, plurimi occurrunt languores, inter incurabilia à Scholis relata, ob unicam ſolius remedii culpam, quæ defectum comitatur, & accuſat. Non ſecus atque Sagarum opera ſanatione deſtituuntur, quod negligantur remedia, quæ in mali radicem eant. Siquidem diabolica ejusmodi incommoda non tam corpus, ejusve ſordes apprehendunt, quàm Archeum ipſum: qui cum ſit velut hominis lucida imago, ſequitur, quod dum ille ſpiritus, in aliquo ſui corporis organo, detorquetur; idem membrum patiatur Archei ſymptomata. Adeóque quicquid patitur ſpiritus, vitæ ſenſuſque rector; neceſſe eſt, patiatur corpus: non autem contra. Neque enim uno crure mutilus, proinde mutilum generat. Quia ſpiritus non eſt defectuoſus. Nam quicquid corpus patitur, licet hoc idem ſentiat ſpiritus: non tamen hic contrahitur, niſi paſſio ad extremum vergat. Id eſt, intra vitæ radicem, ſive ſpiritum inſitum confermentetur: prout de colica ſpaſmode alibi oſtendi. Tartarus ergò cruoris, non eſt mirum, ſi ab Idea Archeali concitetur. Quotuſquiſque enim eſt, qui neſcit, quòd indignatio, confuſio, triſte nuncium, terror, &c. ſtatim appetitum edendi tollant: ſuſpiria, vel lacrymas concitent? & inſolitam ſarcinam præcordiis ſubtendant? quatenus nempe alimentum ſextæ digeſtionis, in ſtomacho degenerat, ubi videlicet ejusmodi paſſiones, proximè fabricantur? Hic ergò cruoris tartarus, ſemel degener factus, hoſtis mox more infeſtat. Ac prout canis ſemel rabidus, rabiem ſua morte luit: Ita tartarus ille, ſemel proſcriptus, inque ſordium numerum relatus, nunquam deinceps in gratiam redit. Quia quicquid Archeus ſemel deſerit, confeſtim moritur, quodque mortuum eſt, non ampliùs reviviſcit, nec pacem cum hoſte init. Itaque vindictæ cupido,& philautiæ indignatio, in primo naturæ fonte, radicitùs connata ſunt, manifeſtius quoque inſurgunt in ſubjecto perfectiore: adeóque in ſenſitivis, poteſtatis iraſcibilis thymoſin,ac gloriam ſibi vindicant. Quare tartarus ille cruoris, Peſte ſubactus, non paret ampliùs vitæ legibus, ſed priſtinæ obædientiæ ſuæ pœnitens, furoris libertatem effrenem ſibi arrogat, eoque nos truculentiùs infeſtat, quo fidentius ſemel abdita intus Archei conſilia receperit. Quod ſymbolizare nominant Scholæ. Tum enim eſt fur domeſticus, cui viæ ad theſaurum, promique inteſtini, ſunt cogniti. Quam enim celeriter necant, paucæ puris guttæ, ſub cranio? quamque atrocitatem non minatur cruor extravenatus? quam crudelis, vel unica ſpina in apoſtemate? non mirum itaque, morborum ferociſſimam Peſtem mox parere ſuum productum, ſedemque ſi non repererit, ſibi ſtatim faciat. Reſtat tamen ſanandæ Peſtis ſpes, quod tartarus ille, ſuumque Peſtis diverſorium, difflentur debito ſudoris exterminio. Quod intellige,quamdiu manſerit in ſpecie liquabilis tartari. Alioqui namque ſi partem ſolidam arripuerit, ſpes vitæ intercidit, niſi ipſa pars arrepta ſtatim ſequeſtrari queat. Ectymata autem, ſtrigibilines nigræ, aut vibices, Archeum denotant affectum. Pellis namque ſunt tincturæ ſuperficiales;quam ſi profundiùs apprehenderint, etiam cauterizant. Cumque Archeum immediatè penetrent, præ cæteris celerrimo indigent remedio. Notatu quoque dignum, inſenſilem diapnœam, in Peſte,differre à ſudore. Eò quòd diaphæreſis, ſive inſenſilis transſpiratio,ſit materia alimenti, adeóque etiam tartari cruoris contaminati: ſudor verò eſt de ſubſtantia Laticis. Tranſpiratio autem, cùm ſit continua, etiam citra ſudorem: Hinc fit, quod ſudor potiſſimum abluat, & ſicca tranſpiratio ob id raró ad Peſtis ſanationem ſufficiat. Abluenſque ſudor copioſus, ideò ciendus. Ut dum peſtilens tartarus transſpirat ſua veneni nequitia, ſudore partim eluatur, partimque diſceſſus mora acceleretur. Hic liquet difficultas à Scholis notata,& non diremta. Nimirum, cur aliquot defectus ſtomachici, non vomitu, aut ſeceſſu; ſed ſolo curentur ſudore. Eò quòd conſiſtant in Retentis ſtomachi tranſmutatis in Sexta digeſtione; non autem in cremoris reſiduis. Peſtis itaque plerumque in ſtomacho incipit, ibique tartarum patrat ac inficit: in quem perturbationes Archei ſuos fecere mox impetus. Nam omnis imaginatio concupiſcibilis ibi ſuam ſedem habet, atque Ideam fabricat. Maximéque circa ſtomachi orificium, vitales vires celatæ ſunt. Ut alibi multoties ex profeſſo demonſtravi. Quia autem tartarus cruoris, forma eſt mucaginis; Hinc Peſtis idea, lubens in glandulas protuberat. Stomachus namque ejuſque Archeus, quia continuam imaginandi ſocietatem in cerebrum mittit, hinc parotides ponè aures. Per diaphragma verò in pulmones atque axillas penetrat, oriturque ſpirandi anxietas. Peſtiferi autem odores in ſtomacho parati (quod nos, odoribus carbonum ſæpè experti, vomuimus cum cephalalgia, ac dejecta appetentia) vomitus frequentes cum dolore capitis comitantur. Sin autem pergant ad hepar. Jam bubo in Inguine.

Imaginantur Mineralia & Herbæ, ſuo modo anomalo.

QUicquid per eſſe reale ſubſiſtit,quodammodò ſeipſum amat: quapropter etiam ſenſum amici,vel hoſtium;id eſt,ſuarum commoditatum, ac moleſtiarum habet. Quare Philautia cubat in gremio naturæ. Res autem, vix unquam eodem ſtatu, abſque viciſſitudine permanent. Ergò aliquid tolerant. Sin ergò patiantur,viamque deſtructionis ambulent,neceſſe eſt utique, cauſam habeant, unde dolent. Quare ſympathia, & antipathia, etiam in Lapidibus (In Magnete autem manifeſtiſſimè) notantur. Quæ tamen abſque ſenſu conſiſtere nequeunt. Ubicunque autem iſte ſenſus eſt, licet obtuſus; contingit etiam ſpeciem imaginationis aliquam, ſubjecto ſuo conformem, comitari. Aliàs namque eſt penitùs impoſſibile, aliquid ſibi conſonum diligere, appetere, attrahere, & applicare, vel aliquod adverſum fugere, niſi reciprocè ſenſus aliquis, cognitio, deſiderium, averſioque objecti adſint. Quæ cuncta claudunt in ſe obſcuram ſenſationem, imaginationem, ac ſelectionis aliquam imaginem. Alioquin enim, quo modo res movebitur, aut alterabitur ad objecti ſui præſentiam, niſi ipſum ſentiat ſibi adeſſe? Si ſentiat, quomodò alterabitur, niſi ſub conceptu paſſionis ſibi ſenſatæ? ac niſi ſenſatus ille conceptus aliqualem in ſe includat imaginationem? In hoc angulo (nota Lector) abſtruſa jacet omnis occultarum proprietatum cognitio, quam Scholæ à ſua indagine proſcripſere: deſiſtentes unde incipiendum erat, juxta axioma; Philoſopho auſpicandum, ubi natura deſinit. Deliberavi itaq; exquiſitius demonſtrare, quòd inanimatis inhabitet ſpecies ſenſus, phantaſiæ, imo & electionis: analogâ tamen ratione, juxta capacitatem & gradum cujuſque. Non interim heic zoophyta commemoro, quæ probandi longinqua abſentia, viderentur multis ridicula. Noſtrum autem paradoxum offendet neminem, modificatè intelligentem. Inprimis indubitatum eſt, quin flores aliquot Solem comitentur, tam diebus lucidis, quibus Sol non ſplendet, quàm ipſis noctibus: Atteſtantes ſibi motum, ſenſum, & dilectionem Solis eſſe. utpote ſine quibus impoſſibile eſt, occultatum Solem comitari. Etenim prout ſero Solem in occaſu amittunt (qui dum feſtinat ad ortum, non operatur apud nos, in umbra terræ morantes) attamen ſive interea nox caleat, frigeat, ſerena ſit, aut pluvia, non ceſſant tamen flores æqualiter ſeſe ad ortum flectere. Quod inprimis deſignat notionem ortus, & circuitus ſolaris ſibi eſſe. qua parte ſit occaſurus, & oriturus. Voca inſtinctum naturæ, vel ut lubet. Nomina namque, rem non mutabunt. Res ipſa eſt facti; factum autem cauſam ſuam in flore habet. Hæc autem in plantis, vegetanter animatis ſic contingere, minùs mirum. Sed quod etiam locum in mineralibus habeant, ſic probo. Nihil ferè in natura fit, abſque motu proprio: nihilque ſponte, aut à ſeipſo movetur, niſi ob proprietatem, à creatore ſibi inditam, quam Veteres amorem proprium nominant, voluntque hactenus Philautiam, naturæ eſſe primogenitam, pro ſui cuſtodia datam, atque innatam. Hæcque ubi adeſt, neceſſaria quoque eſt Sympathia, ac Antipathia, reſpectu diverſitatis objectorum. Sic nempe avium cæterarum plumæ, à pennis aquilæ cariem ſubire dicuntur; & pannus, è ſponte mortuarum ovium lanis, mox ſponte foraminibus, quibus pertunditur, velut carie reſolutus, quibus locis, fila mortuæ lanæ decurrunt. Quod non fit, ſi totus pannus pariter ex mortuarum ſponte pecudum lanis conſtruatur. Sic tympanum ex pelle ovina & aſinina muteſcit, ſi vicinum pulſetur ex corio lupino. Pellis Gulonis (animal voraciſſimum in Suevia eſt) homini quantumvis ſobrio, nec venatori, ſomnia ordinaria excitat de venatione, ac comeſtione: ſi dormiens eadem tegatur. Sed quid hæc ad mineralia? Vado equidem à vegetabili regno, per res mortuas, ſenſim ad Lapides, quibus Sacra magnam virtutem tribuunt. Enimverò lapides nec movere, nec alterare poſſent, ſi ſenſationem ſui objecti non haberent. Nec enim corallus rubens palleſceret, ſi carnem mulieris hyſtericæ geſtatus tetigerit, niſi ejus defectus ipſe ſentiret. Lapidum manifeſtiſſimus enim Magnes ſe prodit, qui ſe proprio motu locali vertit ad aquilonem, quaſi vitalis eſſet. Non autem, quod à Borea trahatur. Quoniam ſi Magnes, averſa ſui parte, ponatur ad Septentrionem in pyxide lignea, ſuper vultum ſtagnantis aquæ, quam citiſſimè pyxis ſe volvit, altero, atque oppoſito Lapidis angulo, ad aquilonem. Ergò ſi id fieret per tractum Boreæ, & non ſpontaneo impulſivo motu ipſius Magnetis: mox pariter quoque pyxis, eodem tractu, ad ripam borealem concederet. Quod tamen non fit: ſed manet pyxis cum ſuo lapide immota, poſtquam lapis ſe cum pyxide retorſerit, requiſito latere, & motu. Clarum eſt ergò, quòd Magnes ſponte propria ſe volvat ad Boream. Unde deinceps ſequitur, ſibi eſſe ſenſum, notionem & deſiderium ad Boream, ſimulque conformis motus initium. Porro, ſi quis prope præfatam pyxidem, fruſtum politum chalybis teneat, ad latus auſtrale, confeſtim tunc Magnes Boream negligit, ac ſe ad aciem vertit. Sic ut nedum pyxis ſe vertat ad chalybem; ſed tota etiam natet aquilonem verſus. Unde quoque obvium eſt, quod Magnes fortiori appetitu feratur ad ferrum, quàm ad Aquilonem: ſitque illi chalybs minoris alteritatis, quàm Septemtrio. Conſequenter etiam patet, quòd manifeſta polleat objectorum electione. Nonnulli circa hanc rem futile moverunt dubium. An videlicet Magnes ferrum trahat, an verò ferrum trahat ipſum Magnetem? Neſcientes utrimque eſſe reciprocum tractum. Qui non venit paulatim, ob multam familiaritatem, nec ſervat reſpectus, nec obſervat fines lucri proprii, fruitionis, circumſtantiarum, aut conſequentiæ. Nec iſte tractus eſt obnoxius adulatori, aut detrectatori: ſed eſt donum in Archeis: utriuſque partis, à natura primordialiter ingenitus & charactere proprietario ſignatus, ab eo, qui fecit omnia, ita quidem ut ſi chalybs ſit magnete levior, trahatur ad magnetem: ſecus verò, ſi lapis chalybe ſit levior. Eò quòd tractus non fit in uno, & obedientia tractus in altero: ſed unicus tractus mutuus inclinativus, & non trahentis, cum renitentis velitatione. Adeóque exhinc manifeſtatur,

feſtatur, quod deſiderium ſit naturâ prius tractu, tractuſque, ut aliquid poſterius ſequatur deſiderium: tanquam effectus, ſuam cauſam. Si ergò teſtante Veritate, cuncta ex operibus ſint dignoſcenda, fructuſque ſuam prodant arborem: profectò ejusmodi attractivæ inclinationes ſubſiſtere nequeunt, abſque teſtimonio alicujus vitæ conparticipatæ, ſenſationis, notionis & electionis. Porrò nec minus mineralium vita, quàm vita vegetabilium, ſuam per vitam diſtinguitur à vita animali, atque eorum generationes invicem. Eò quòd vegetabile, ac minerale, non operantur niſi unum, aut pauca propria: eademque adhuc cum præciſitate, alteritate, proprietate, inclinatione atque neceſſitate, quoties objectum proprium illis eſt præſens: Sed animal operatur plura, eaque nec coactè, ut neque per accidens objecti: verùm prorſus per deſiderium, complacentiam, appetitum, voluntatem, & electionem cujuſpiam deliberationis. Cum eorundem prima operatio ſit vita: ſecunda autem, appetitus, deſiderium, vel amor proprius, vel oblectamentum. Tertiò tandem ſelectio deliberativa, & objectorum diſtinctiva. Sic vidi taurum libidine ſaturatum, veterem vaccam ſpreviſſe; oblata autem juvencâ, laſciviſſe mox ſtatim denuo. Obſcure autem viventium prima operatio, eſt poteſtas ad eſſentialitatem ſeminalem. Altera demum, exercitium poteſtatum, & proprietatum. Tertia tandem, major minorque inclinatio, motus, & notio. Quæquidem non fluunt ex electione deliberativa: ſed ex poteſtativa alteritate, peregrinitate, ſimilitudine, appropriatione, puritate, aut objectorum ineptitudine. Quocirca fuit Veterum juſta opinio, omnia eſſe in omnibus, per modum recipientis. At poteſtates ejusmodi, propter obſcuritatem ſui indiſcretam, & Indagatorum ſocordiam, vix creditæ fuerunt: à præcedentibus verò, atque modernis, non conſideratæ. Ac propter acceſſus difficultates, mundum vaga deſperatione, & nomine occultarum proprietatum circumvenere: ac ſeipſos ſua occœcârunt ignavia. Scopus autem meus hoc loco fuit, Quod ſi herbis ac mineralibus, hujusmodi notiones, proprietatum occultarum authrices, atque moderatrices inſint: eaſdem potiori longè ratione, & luculentiori modo inhabitare carni & ſanguini. Nimirum excellenter, cum particulari & affectatâ notione, motu, inclinatione, appetitu, amore, alteritate, hoſtilitate, & repugnantia: quam illa, quæ in nobis quinque ſenſuum miniſterio occurrunt. Uſque adeò in carne & ſanguine, eſſe quandam ſeminalem notionem, diſtinctionem, imaginationem, amoris, convenientiæ, ſimilitudinis; itemque timoris, terroris, triſtitiæ, repugnantiæ, &c. cum intuitu lucri & damni, noxæ & complacentiæ, ſuperioritatis inquam & inferioritatis, adeóque agentis ac patientis. Quippe quæ dependentia neceſſaria, neceſſitatis conſequentis, fluunt, & comitantur prædictas ſenſationes. Quæ ſanè in vitali ſanguine, altiori gradu ſunt characterizatæ propter innatum Archeum harum paſſionum quarumcunque authorem, ac fabrum: quam alioquin in toto genere non animantato. Dens namque à cadavere, extinctis viribus defuncto, quemlibet dentem hominis vivi, ſolo attactu, marceſcere, excidereque, quia ſperni à vita cogit. Quod non item præſtat dens è cadavere, violenta nece interemto, vel acuto mox morbo extincto. Capillus pariter cadaveris, ſpontanea ſenſim morte ſublati, ſolo attactu, calvos facit. Verrucæ atque ſtigmata, à perturbatione prægnantis, fœtui inducta, attactu cadaveris, ſenſim ac ſponte mortui, donec pars ſtigmatis intimè refrixerit: ſponte etiam ſtigma ſenſim evaneſcit. Attende mecum, an hæc non ſint alterius ſenſationis teſtimonia, quàm ſolius frigoris. An inſuper in iſthac ſenſatione, non ſit connexa cognitio naturalis, atque mortis formido. Quæ adhuc cadaveri inſunt quoque. Siquidem Tetanus ad cadaveris, ſive rigiditas ejus, non eſt frigoris aliqua congelatio: ſed mera convulſio muſculorum, mortem horrentium, viventiumque etiam poſt animæ diſceſſum. Hinc nempe cadavera eorum, qui violenta morte oppetunt: quia non omnino extinctis viribus carnis intereunt, Tetanum præfatum non niſi dudum poſt ſentiunt.

Animal phantaſticum.

HErbas & mineralia, inſtinctu quodam naturæ, id eſt, ſuo modo imaginari, Sic demum cruorem ac Mumiam, conceptus quoſdam nativos, habere dixi, in ordine, ac ſimilitudine ad hominem. Quæ ut ad ſcopum noſtrum de Peſte dirigantur. Memineris, quo pacto perturbationes prægnantis, appoſita manu ad aliquod membrum, licet inadvertenter, incogitanter, citraque voluntatis concurſum, depingant in fœtu, membrum contacto correſpondens, imagine objecti illius perturbationis. Imagine inquam: non autem ſignatura

tura otioſa. Sed, puta appetitum fuiſſe ad ceraſum: depingitur utique in fœtu, & in membro conſimili, quale prægnans ſibi manu tetigit, ceraſum, quod vireſcit, flaveſcit atque rubeſcit quotannis, iiſdem ſtationibus, quibus arboris ceraſa, has colorum viciſſitudines acquirunt. Et quod eſt longè mirabilius, contigit fœtum ſic ſignatum, Majo, atque Junio has ſignaturas colorum, in Belgio paſſum: qui poſtea, in Hiſpania Martio & Aprili, eaſdem exprimeret. Ac tandem rediens in patriam, rurſus in Majo ac Iunio illas oſtentaret. Sub valida quoq; prægnantis impreſſione, nedum nova ſuperinducitur ceraſi generatio: ſed etiam contingit, vetus eſſe immutari, cogitque loco cedere generationem ſeminalem: imò & Dei imaginem, jam vividam, vel in procinctu ſui adventus, non venire, ſubſtituique creaturam alienigenam, atque monſtrum. Quorum contingentiis ſunt plenæ, quotidianæ, atque invitæ experientiæ. Quæ poteſtas prægnanti data conceditur. Non tamen quod proin aliis mulieribus, imagines conceptuum non deferantur pariter ad uterum, cui non inhabitat embryo. Docui namque ſingulari tractatu, hominum perturbationes, in præcordiis, circa os ſtomachi, fabricari. Viris nempe inde ad cor adſcendere, mulieribus autem proclivius mitti ad uterum. Eò quòd mulier deſtinet naturaliter inſpirationes vitales ad fœtum. Adeóque omnis præcordiorum commotio muliebris continuò reſpicit uterum, ſive adſit fœtus, ſive non. Quicunque ergò mulierem deliberato animo perturbat mœrore, &c. is illi morbum volens immittit. Et qui gravidam infeſtat: matri, ac proli officere, ſe ſciat. Hinc puellæ circa maturitatis annos, ſi difficultatum conceptibus anxientur, ſolent vanis conceptuum Ideis uteri parietes continuò depingere, ut plurimum ac variorum ſymptomatum ſibi in malaciam authrices fiant. Quoniam uterus non impunè fert, ſibi tranquillitatem auferri, per peregrinas imagines. Vir autem ſuas in præcordiis format imagines, tam concupiſcibilis facultatis, quàm iraſcibilis, ut non immeritò proinde amentia dicatur Hypochondriaca, idque non ſecus atque in muliere contingit: ſed conceptuum ideas ad Cor & cerebrum transmittit liberius. Quidam enim exſpectans manè, prætorem in ſuam ſupellectilem miſſum iri, tota nocte ſedens mœſtus, capite in palmam manus inclinato, manè latus capitis canum habuit, qua parte manum tetigerant tempora. Adeóque manus prægnantis ſuas exorbitationes ad uterum, & viri manus, ſuos pavores uſque in pellem capitis traducit. Saltem hinc patet, pilorum eſſe veram accretionem, nutritionem, atque non inanem colorum ſignaturam, non autem innaſci per appoſitionem, à retro expellentem. Dein, quod perturbatio in viris, multum affinis ſit muliebri, licet longè infirmior. Docui quoque aliàs, perturbationum energiam in Splene conſiſtere. Quapropter vetuſtas Saturnum, principium atque parentem deaſtrorum, errantium quoque Aſtrorum ſummum, qui nempe deorſum in reliquos influeret: nequaquam reliqui ſurſum reflecterent, utpote ſtellæ ad ſublunarium commoditates conſpirare creduntur, non autem ſurſum. Saturnum itaque originem vitæ, & conceptionum ſive generationum initium dixere: imò & devoratorem recentis pueri nominarunt, deſignantes per hoc, quod imagines à facultate concupiſcibili fabricatæ fecundent ſemina, & digeſtionum in nobis hoſpitia: prout quando exorbitant, novellum ſanguinem conſumant, morboſque plurimos incutiant. Imaginatio igitur ſplenetica, primos habet impetus, qui conceduntur non eſſe in poteſtate noſtra. Saturnus ideo, velut citra initium fictus: Jupiter verò præcipua ejus proles, ſede parentem dejiciens, rationis fulgorem ſignificabat, primos imaginationis impetus ſubigentem. Imagò verò, per imaginationem formata, mox in Splene veſtitur ſpiritu vitali, eumque aſſumit, unde Idea fortificatur ad operum exſecutionem. Quotuſquiſque enim eſt, qui non ſenſit ſubinde circa ſtomachi orificium (qua parte Splen maximè ſenſitivus, ſicut & tactus in extremis digitorum) perturbationes, anxietates, & ſuſpirandi occaſiones? Nonne eſurienti mox tollitur appetitus, per triſte nuncium? Notabile heic eſto: quod licet prægnanti ſit planè ignota eſſentialis diſpoſitio rerum, ſub perturbatione apprehenſarum, eaſdem tamen penitus formet, atque figuret in fœtu, dum extra truncum arborum, in carne, ceraſum fabricat in inſtanti, continens internum eſſe, & ſeminalis ceraſi ſcientias. Non mirum eſt igitur, terrorem à Peſte fabricare Ideam Peſtis; unde Peſtis ipſa mox pullulat. Quamvis anima ſenſitiva hominis, Peſtis eſſentiam ignoret. Hic patet campus apricus, ad probandum cunctarum rerum notiones ſive Ideas, in nobis formari vi animæ ſenſitivæ: jacere tamen obtenebratas in mente immortali, quas Adamo præſentes fuiſſe credimus, dum brutis juſta inderet nomina. Etenim ſi muliebris conceptus, exundatione

tione perturbationis cujuſpiam illectus, internas plantarum animaliumve diſpoſitiones depingat (imò quandoque cum tota ſui fœtus tranſmutatione) neceſſe eſt in ipſa mente, tanquam divinę imaginis ſculptro eſſentiali, rerum ſublunarium ſaltem notionem eſſentialem habitare, modò in naturæ impuritate & peccati originalis macula, depreſſam ac deformatam. Alioquin anima ſenſitiva res alienas facere non poteſt, quas neſcit & non habet: adeóque opus eſt, ad hoc confluere mentem immortalem, perturbationibus excitam. Obſcura atque difficilis admodum via, per quam Adepti, nulla librorum ope priſtinam ſcientiarum lucem aliquam venari contendunt. Ideóque & Laborem Sophiæ appellant. Eamque Paracelſus æſtimat decuplo faciliorem, quàm didiciſſe Grammaticen. Opinatur tamen Picus, niſi operator utatur medio, ipſum mox oppetiturum Binſica, ſive ariditate cerebri. Propter aſſiduitatem ſpeculationum, ſpiritum vitæ attenuatum iri. Quicquid id ſit, ſaltem cauſarum inſcitia neglexit plurima, fueruntque ægrorum opitulationes fruſtra exſpectatæ. Diſcuſſi autem hoc loco imagines, phantaſia genitas, quo conſtet, qualiter omne corporeum proveniat ex inviſibili ac incorporeo initio (quod antiquitus à mundo intelligibili peti affirmabant) per imaginationem. Anteceſſoris parentis, imitando quadam ſimilitudine, mundi creationem juſſu incomprehenſibilis Verbi (*fiat*) ex infinitudine Nihili, ſemel factam. Quæ deinceps ſuam nacta eſt continuationem ex dono Verbi. *Producantur ſemina*. Per prædiductam imaginationem ſcilicet, tam plantarum, quàm animalium. Natura itaque, ſequendo infuſam ſibi poteſtatem, profert omne ſemen, ex imagine cujuſdam conceptus. Eſt nimirum tam in animantibus, quàm in plantis, imò & in ipſis mineralibus, ſua cujuſque imaginatio, ſuo modo improprio, productrix tamen, utrobique fecunditatis ſeminum, tam ad eſſe naturale, quàm ſuper incidentiū, & monſtroſorum. Imaginatio quippe condit rei conceptæ imaginem, quam ſuis à Deo datis donis convertit in medio, quod ſemen dicitur. Sine qua videlicet imagine, omne ſemen eſt duntaxat inanis ſiliqua. Non ſecus atque flos peponis, à tergo non habens promiſſum peponem, inane eſt oſtentum. Imago atque ſeminalis illa, prout in ſe gerit perfectam ſimilitudinem ſuæ iconis concipiendæ: ſic etiam liberam incorruptamque cognitionem rerum ſibi agendarum ſubter generationis decurſum. Hoc tamen notabile in generationibus. Quod ſicut prægnans non operatur propoſita mirabilia, niſi ſit perturbatione perculſa, ſilexque ſit concuſſus ad chalybem: Ita ſemina animalium deſinunt eſſe fecunda, niſi conjuncta ſit libidinis perturbatio, faciens animam deſcendere in ſemen, ut illud illuminet. Quapropter herbæ mox à producto languent, completo ſuæ imaginationis ſive proprietatis ſcopo. At mineralia, quia non ſunt deſtinata, ut propaginem è ſuis corporibus excitent, eò quoque ſuos imaginationis fines longè obſcuriores habent: Cum ergò omnis generatio imaginem præſupponat, juxta quam ſuas diſpoſitiones exſequatur. Hinc fieri nequit, quod imaginatio terroris generet Ideam amoris. Nec phantaſia metus ab hoſte, phantaſma producat terroris à Peſte. Non immeritò quoque loca, infecta Peſte, vitanda ſunt, ac nedum propter vitiatum jam atque contaminatum aërem: verumetiam, ut objecta vitentur, quæ ad terroris imaginationem conducunt. Iam eminus apparet litus, quorſum navigamus, & quo pacto terror ſit pater Peſtis. Pueros etiam contingit celerrimè imaginari, atque commoveri: illorum tamen perturbationes non gerunt ſemina in ſuis imaginibus; aut Peſtem ex terrore ſibi faciunt. Perinde namque his eſt, atque novello fidicini, qui primis lectionibus conceptam cogitationem, non niſi difficulter ad digitos tranſmittit. At poſtquam artis gnarus eſt, digitique jam aſſuefacti imaginibus tonorum, ac motuum: peragunt inhæſitanter mandatum phantaſiæ, totumque perſonant Hymnum, licet ſubinde attento colloquio mentem à muſica averterit. Neque enim ceſſant digiti ad finem percepti Hymni pergere.

Imaginatæ Peſtis requiſita ad Ideam.

SÆpè fidem experientia fecit, quod quis terrore ſolo, Peſtem abſentem ſibi atque ſuis paraverit. Quæ veritas oſtendit, quòd imago phantaſiæ, ab incorporeo ſuæ nuditatis eſſe, & cogitationis ſimplicitate, ſe paulatim veſtiat, induatque vitæ ſpiritum, & in eo ſui productum ſeminale relinquat: ens ſanè, ad magna atque terribilia facinora promtiſſimum. Verùm enimverò, ut ad exſecutionem ſuæ deſtinationis nondum eſt ſatis; (Reperitur nempe, quod imago, ad viſcera perveniens, nihilominus non rarò flacceſcat.) Idcirco declaravi in prægnante, manum inſuper requiri, organum organorū, ut externum & ſignum determinati membri, in quod eſt ſculpenda imago. Etenim perpetuò anima mediis utitur, ſuper quæ imago fertur ad eſſe, & operari. Delineare autem idcirco debui, qualiter anima operativas ſuorum conceptuum imagines, ad manum, nequaquam autem ad pedem dimittat exemplo fidicinis: & quo pacto, per conſuetudinem, ſuas ſtatim imagines transmittat, quæ alioqui præter conſuetum, moleſtiſſimè eò pertingerent. Quocirca notandum, ſi prægnans fuerit dextera (ſiniſtra tamen manu aliquod ſui membrum ſub perturbationis inſultu attigerit, nihil inde ſuper fœtum ſignatum iri. Vnde apparet, manum illam, quæ communis, ordinaria, & quotidiana eſt cogitatuum exſecutrix: ſit etiam directrix imaginum ad loca, & operationes. Vir ideo non perinde fortiter per phantaſiam operatur, atque mulier: nec alia quævis fœmina, perinde atque prægnans. Neque etiam terror quivis Peſtem generat. Terror enim à lupo, colubro, aut cane rabido, non parit in nobis imagines operativas lupi, aut colubri: Imò nec quidem ubi lupus viſibiliter adſit: prout tamen Peſtis, per terroris imaginem, nobis naſcitur. Dubium itaque ſubeſt, An territa imaginatio animæ, à Peſte, ejusque imago, ſit ſufficiens, & adæquata cauſa Peſtis? Seriò inprimis attendendum, Imaginationem per ſe ſufficientem ad operandum, niſi alia inſuper concurrant. Inprimis namque in ordinariis prorſus omnibus, ſolitisque operibus, ex deliberatione electivæ animæ provenientibus, oportet adſit voluntas. Piſtor namque fruſtra multa, de panificio, intentéque imaginabitur, niſi manum voluntas, non quidem ad aliquod membrum, ſed ad paſtam, admoverit. Ego pariter de Peſte ſcribens abſque terrore, in pleno velle, & conceptu cogitantis animæ, multa de Peſte meditor: non tamen ob id hanc mihi contraho. Nemo etiam, niſi forte deſperans fatuus, Peſtis generationem in conſenſu voluntatis intendit. Requiritur ergò voluntas explicata, in quotidiano ac naturali curſu actionum operativarum, in quibus velle deducit conceptas in deliberatione imagines, ad exſecutionem operis. At nullatenus exigitur conſenſus voluntatis, ad generationem entis, aut transmutationem unius in aliud. Siquidem omnis transmutatio, licet monſtroſa, nititur tamen privilegiis veræ generationis: cum ſit reideatio in Archeo, ex victoria novæ imaginis, traducta ſuper ſeminalem, quæ priùs erat concepta in Archeo. Ergò conſideratio transmutationis, non expendit conſenſum voluntatis. Denique, neque nuda imaginatio, ſive imaginis productio, neque manuum attactus, ſufficiunt ſimul ad transmutandum: Sed (attende benè) omne opus imaginationis quod in nobis novam generationem, vel transmutationem unius in aliud, producit neceſſariò, requirit alicujus fidei concurſum, colligatæ in eodem ſubjecti puncto, ipſius phantaſiæ. Nimirum, terror ab animali nocuo, non producit in nobis iſtud nocivum animal, neq; ejus ſaltem venenum. Perinde etiam, uti mea attenta imaginatio, meditans mirabile virus Peſtis, non generat proinde Peſtem in me. Ratio itaque quare terror à Peſte magis Peſtem faciat, quàm terror ab animalibus, venenum eorundem; in eo conſiſtit: Quod venenum Peſtis non ſolùm fiat ex apprehenſione, & conceptu terribilium effectuum: Sed quod ſimul concurrat cum illis inſeparabilis quædam fides, per quam territus, ac pavidus quiſque, timendo imaginatur, creditque tenuiter, ſe jam aliquid peſtiferi veneni contraxiſſe. Vnde (nec enim prius) Peſtis imago, per hujusmodi terrorem concepta, operans & fecunda evaſit. Nam is terror, cum ſuſpicione credula, applicat animam ſic territam Archeo, ut hunc veſtiat imagine terroris concepti. Cujus quoque fidei defectu, etſi animalia ingentem terrorem conciperent, non tamen Peſtem humanam arripiunt unquam: licet ſuam tabem, ut naturale venenum, quandoque hauriant, unde etiam oppetunt. Eſt namque venenum fermentale, quod utut celerrimè cum iis tranſigat: vera tamen Peſtis non eſt. Quiſquis autem rabientem, in ſe inſilientem viderit, & quantumcunque exinde territus fuerit, imò febrim concipiat, atque moriatur: nemo tamen unquam vel tenuiter credit, ſe rabidi venenum hauſiſſe, abſque morſu. Quare etiam totus ſuus terror eſt ſaltem, ne mordeatur. Quod potiùs includit præcautionem futuri, quàm fidem nati veneni. Terror igitur, occaſio Peſtis, vehit in imaginatione aliqualem fidem, timoremque, ſe aliquid contagionis, actu hauſiſſe, ſub incertitudine, & agonia ejusmodi. Eò quòd venenum Peſtis ſit inviſibile, non autem rabidi morſus. Quæ particula fidei, cum perturbatione terroris, perficit actualem imaginem in Archeo, generandæ Peſtis ſemen. Eò quòd imaginatum, apprehenſum cum perturbatione, & creditum, ſtent actualiter in eodem puncto phantaſiæ, proferentis imaginem, in Archeum, tanquam ens ſeminale. Alioquin etiam, nec quævis fides, ad hoc eſt ſufficiens. Quippe nemo eſt, qui non credat firmiter, quod Peſtis poſſit occidere, contaminare, advenire, &c. Sed talis iſta fides eſt languida, & velut mortua, nec proinde operativa. id eſt, non nocua. Niſi eſſentialiter in eodem identitatis puncto, ſit connexa terrori, apprehenſo cum perturbatione, ex hauſtu actualis veneni. Caſtra enim & arces, perſæpè pavorem panicum, ac lethalem terrorem arripiunt, ſimulatque cum timore perturbationum credunt, hoſtem proditoriè, aut clanculum irrepſiſſe, aut inſperatam opem nactum, &c. Quæ cuncta ſub nocte opaca magis invaleſcunt, qua fiunt inviſibilia, magiſque horrenda, ac timenda univerſa. Somniales pollutiones, quanquam fortem habeant imaginationem, abſque motu aut fornicationis illecebris, ſufficientem expulſioni; fidei tamen illius defectu, ſemen tantum ſterile ejiciunt. Etenim etſi imaginatio operetur dormiendo: non tamen fides operatur ſomniando. Quippe quæ non imaginationis, at ſolius eſt filia voluntatis. Somnus nimirum ad hoc conducit peculiariter, ut tranſmutatus liquor alimentarius, per appoſitionem, mentiſque informationem, omnino aſſimiletur. Quapropter adoleſcentibus annis, plùs, àtque profundiùs dormitur, quàm ſubſequentibus. Cumque materiæ vitales ſuas habeant imaginationes naturales, etiam quæ non ſunt imaginationes intellectuales: certè, ipſa ſanguinis imaginatio, ſubter ſomnum, potentiſſimè operabitur. Sed fides, cum ſit vis ſeparata, animæ ac voluntati allegata, neceſſariò quoque ſub ſomno ſopitur. Eſt itaque imaginationis Spleneticę actus propemodùm inconcuſſus, ac indeſinens. Sed anima, ſemel credens unum aliquid, ceſſat dein, quieſcitque à credendi aut confitendi conſideratione, donec de novo objectum illi refricetur. Nec hoc loco loquor de fide Chriſtiana, ac dono Dei ſupernaturali; ſed intueor confidentiam: tam ſcilicet deluſionem credendo, quàm rei veræ putationem. Catula enim quædam juvenis, & nondum laſciva, catellum quindecim dierum nacta, lambit, amat, & mammis apponit: dein infatuata, credidit ſuum eſſe fœtum, adhuc erat incorrupta, mox illi mammæ tuberant, & vidi copioſum lac profudiſſe. Item mediâ Hyeme ſi optes pullos, tepefac ova linteo calente, atque interim depluma pectus caponis, pone ſuper ova, ut foveat, cumque ibidem conclude. Qui teporem ovorum, ac frigus pectoris inſuetum, ſurgendo ſentiens, incipit ova fovere. Incubando autem concipit falſam fidem, creditque ſe ovorum matrem, pullos omnes, ad extremum uſque educit, & crocitatu foventis gallinæ ſimili, convocat, pugnaxque pro pullis, gallum fugat: atque tandem ingens triſtatur, à pullis derelictus. Si itaque falſa fides, operetur tanta, quid non fundatior quælibet, terrori Peſtis conjuncta? Ineſt ergò imaginatio quædam, ſanguini nativa, partibus animalis, imò & morboſis excrementis: adeò ut cruori extravenato, jam remedia magnetica, applicari cum fructu inceperint. Conſideremus etiam, ſextæ digeſtionis mucilaginem excrementitiam, adhærere intra harundines (unico ſic etymo. voco venas, arterias, inteſtina, & canales quoslibet) ſua primùm qualitate inſontem: ſed hoſpitii jus, quatenus indirectè advena eſt, violantem. Ideóque per ſe, parti inſidiantem. Mox dein, ab Archeo, parti inſito, concipitur deſiderium expellendi illam: cujus conceptus Idea, in exoſam mucilaginem imprimitur. Quæ cum ſit ſeminalis, formam, aliqualem vitam, itemque & hinc poteſtatem agendi, nanciſcitur; ac ſuam deinceps materiam moderatur, ad propoſitos ſibi, nactosque fines. Membrum autem, non valens ſubigere hoſpitem, ſibi invito connexum, majori flagrat niſu, appetituque expellendi. Nec enim appetitus iſte eſt amplius ens rationis, ſive imaginatum: ſed ſurrexit in ens quoddam ſeminale, propter conceptam ab Archeo Ideam, ſibi impreſſam, induitque materiam exoticam, in omnem morboſi ſeminis perfectionem. Non ſecus atque in ſaliva rabientis, ipſamet rabies ſeminalis, & in picto fœtus ceraſo, conceptus gravidæ. Sic namque poteſtate agendi, ditata materies, juxta imaginem indutæ paſſionis, incipit agere in membrum hoſpitale. Ineſt nimirum illi jam ipſe morbus, ſemine efficiente potitus. Qui tandem pertinacius connexus, ſæpè victor, vitalem facultatem illius membri in ſui clientelam ſubigit. Mortificat nimirum, ſuoque contagio conformem partem, cui inſidet, reddit. Pars autem, cum ſit laſſationi, hujusque termino, obnoxia; è contra verò character, ſive idea ſeminalis jam concepta, ſit indefeſſa: neceſſe eſt, velut convocatis viribus Archei, morbus ille proſcribatur per criſin, vel robore morbi ſponte exantlato, orbetur vi agendi, fiantque oppilationes, ac ſcirrhi: vel loco, victa pellatur, fiatque abſceſſus: vel medicaminis præpollenti vi pellatur. Aliàs namque, natura habenas deſerens, manus vinctas morbo tradit. Quatenus ſcilicet pars continens, à contento

tento hoſte victa, reliquum totum, ſibi ſimile reddit, non ſecus atque Gangræna minutula, totum mox mortificat; ita & materia morboſa adhærens, partem cui adhæret infectans, totum integrale mox inficit. Neque enim ſemper ſunt ab initio, innata ſemina morboſæ materiæ: quid ideo tantiſper tantum eſt materia occaſionalis. Quinimò ut plurimum fatua, atque innoxia qualitatum proſapia, innocentiam ſimulant ſpinæ morboſæ. Noxia nunquam alioquin intrò admitterentur, quia intimè ante admiſſionem, atque ſagaciter, ab Archeo examinari ſolent. Sternuntur enim in limine mox, quæcumque incapacia ſunt neceſſitudinis vitæ. Si ergò ſordes, proditorio errore intrò admiſſæ, aut per degenerationem ſubortæ, intus hoſtilitates recipiant, easque in nos exerceant, dum agendi robore fuerint qualificatæ ab Idea recepta: nec mirum etiam, ſi fermentum veneni ſubinde acquirant, eoque nacto, paratas in nos manus injiciant. Hæc eſt ſuccincta tartari cruoris, imaginumque morboſarum origo, progreſſus, atque hiſtoria. Porrò imagines venenorum ſic ſe habent: In beſtiis enim venenoſis, venenum fieri ex imagine iræ, proverbio docemur. *Morta la beſtia, morto il veneno.* Quod locum duntaxat habet in venenis propriis ſpeciei. Non autem in cadaveribus, Peſte extinctorum, quod tam in hominibus, quàm falcone, quotidiè experimur. Eò quòd Peſtis non ex ira, pro more ſerpentum venenoſorum, naſcatur. Canis namque ludens, ſi dente icerit, vulnus citò medicabile infligit: ſin autem irato dente, non tamen quam præcedens, profundius momorderit, jam vulnus fecit, veneni iræ particeps. Sin autem rabidus fuerit, jam non tranſiens venenum iræ: ſed rabiei ſuæ mortiferæ, atque amentis compar, communicat. Accensâ nimirum voluntate nocendi, per iram, imaginem, bellua, aliàs inſons, parit venenoſam, ac per dentem eandem tranſmittit. Multo id luculentius in feris fontibus. Sunt ideo venefici, curioſi, ut prius iratis atque irritatis ſerpentibus, lethale virus mutuent. Catula luxurians, ſi manum pueri lambat, eandem veſicat. Equa verò luxurians, ſua pedum cornua, ſive ungulas, veneno imbuit: ſic nimirum, ut dyſentericis ſint præſenti toxico: quæ aliàs, à non luxuriante, ſi butyro frixentur pulveratæ, confeſtim dyſenteriam ſanat. Plantarum autem veneno propria, non ab ira aut pavore ſunt: ſed fermentum corruptivum ſeminali imaginationi nativæ, illarum continuandis ſeminibus à mundi creatore eſt inditum. Nec eſt enim plantis hoſtilitas, aut voluntas nocendi nobis. Adeóque nec venenum, ex ſiccatis plantis commoritur. Eſt namque fermentum venenatum, plantis ab exordio mundi confermentatum, ad ſeminaliter propagandum, ob fines Creatori tergloríoſo ſoli cognitos. Rabidus autem, venenum per ſalivam, adeóque per dentem communicat. Dens namque rabido inſervit, quantum manus prægnanti. Denique Imaginatio plantarum, quanquam ſeminum ſuorum ſit formatrix; ipſa tamen non libera, aut arbitraria: ſed potius dos ſeminalis, propagativa ſui ſimilis, idque cum totali ſui proprietate. In quo quieſcit, non alienis perturbationibus, aut illecebris, alterabilis. Quapropter in ſe, monſtrum non concipit, nec facit unquam ſponte, niſi ab externo laceſſita: eſt itaque venenorum iſta differentia, origo, progreſſus, productum, & nocendi modus. Hæcque eo deduxi, ut intelligatur ſcilicet, ſi ex ira virulentarum ferarum fiat extemplò lethale venenum, poſſe etiam per terrorem, in hominis Archeo, fieri terrificum Peſtis venenum. Si namque triſtitia, amentiam, hydropem, aut caducum: Ira verò colicam, Apoplexiam, ſpaſmum: denſaque anxietas, vel intenſa minùs cogitatio, furioſum vel Lunaticum gignant: *nec* à ratione devium eſt, Imaginem Peſtis *intus* fabricari, ex perturbatione illius Vulcani, in quo fabricantur primi impetus. Cujus paroxyſmi, ſæpè ut amentium tolluntur per Splenetica auxilia. Animal exiguum, araneæ ſimile, Solifuga Solino dicitur, quod diem fugiat, Sardineæ fodinis argentariis frequens, reptatque occultim, & per imprudentiam ſuperſedentibus, Peſtem facit. Quod venenum quidem non eſt vera Peſtis: ſed puſtula venenoſa. Nam ſubjungit, Calidos fontes vicinos eſſe, qui abolent ſtatim, inſertum à Solifuga venenum. Sic nimirum lethales fodinarum halitus, non raró peſtilentes vocantur, quia foſſores diutius morantes enecant. Experimentum autem hujus periculi facere ſolent: ſi dimiſſa ardens lucerna in cuniculos, confeſtim extinguatur. Nec mirum, ſi præter virus, etiam præfocent lumen vitale, ſi lumen igneum candelæ extinguant.

Fermentum Peſtilens.

CONſidera, qualiter canis mœſtus ambulat, cibum recuſat, potumque horret, quantos odii ſtimulos, ac invidiæ conceptus alat, ante rabiem. Denique, ut conceptus ſui, vis plenaria, non in ſalivam tantùm: ſed in dentem (qui trans veſtes nitidè abſtergitur,) translata, ſolo velut odore, ſimplicique unius odoratus ſuffitu, ſufficit, ad excitandam ſeram ſeriamque rabiem, in demorſo. Minimus nempe tactus dentis, qua parte cutis patet, ſolaque epidermide hiat, utut ſaliente foràs cruore, abluatur: nihilominus imaginem ſuæ rabiei ſic traducit, ut ſicut manus prægnantis depingit membrum fœtus: ita canis, per dentis ſui attactum, infra quadrageſimum diem, rabiem adferet. Neque enim duntaxat ad mortem, utut vulnus in ſola ſit epidermide, pergit; ſed pereunt ante mortem, principes mentis facultates, ſequunturque ut pediſſequæ mox, quo per venenum phantaſticum abducuntur. Etenim is dentis odor quaſi merum nihil eſt, ens incorporeum, non ſecus atque fracidi dolii odor, vel odor pedis, novo calceo induti, facientis veſtigium. Canis etenim, dudum ab impreſſo veſtigio, herum novit, diſtinguitque iſthac tranſiiſſe. Sic odor veſtis, aut chartæ, peſtilenti tabe infamis, ſubtiliſſimo, imperceptibili, ac tenuiſſimo veneno, nos contaminat. Ac nedum lethali nos veneno imbuit, necatque: ſed & mentem loco dejicit, non ſecus atque rabidi dentis attactus ſubter pellem, rationem à ſua majeſtate deturbat, cogitque ſequi ad determinatam ſuæ rabiei normam. Pavet namque demorſus, ſtata periodo, ad liquidorum cunctorum conſpectum, concipit caninam invidiam, optatque viventes omnes poſſe perdere, ſuamque multiplicare rabiem. Narrant Scriptores, in vulnere ſuccreſcere vermes capite canino. Saltem non diffiteor ſuſpicandum, huic veneno ineſſe fermentum, ſpiritus imaginationum reſpiciens, & affectans: In quos, minima odoris comparticipatio, ſuæ imaginis introducit Ideam: cui phantaſia noſtra cedere cogatur, imo potiùs, plenè transmutetur in horridum iſtud phantaſma. Mirum nempe, quod canis venaticus, omnium ſuæ matris primogenitus, ſolus canem rabidum adoritur, & ſuperat. Dos ipſi eſt invictæ imaginationis, etiam, ut ſi à rabido demorſus, minimè tamen rabioſus fiat. Ubi interim reliqui omnes, per morſum, rabiem contrahunt, à rabido fugiunt, nec ſe contra hunc defendere audent. Eſt ergò iſtud venenum, rabiei diverſorium, imaginationis etiam peregrinus hoſpes, qui ab imaginatione pugnantis animæ ſuperatur. Ergò hinc novimus, omnia venena in ſe eſſe fermentalia. Quædam namque ſolam deſtruunt materiam, & ſpiritum ſimul imaginativum, unde morbi, amentiam connexam habentes. Alia verò duntaxat ſpiritum affectant. Qualia ſunt, quæ rabiem, quæque amentias & catalepſes adferunt. Quæ videlicet corpus non liquefaciunt, aut notabiliter alterant: ſolum autem ſpiritum ſenſitivum trahunt in perniciem. Tarantula nimirum vix unquam quieſcit, ideóque & hominem, quem pupugit, irrequieta turbat moleſtia. Aſpice enim, quam horrida effigie ſuas in hominem, cujus pellem vel tenui punctura pertuderit, imaginationes traducat. Vile enim, parvum, atque imbelle reptile, inperceptibili quantitate ſui veneni, totum inficit, ejusque mentales poteſtates, ſubter ſui clientelam ſtatim rapit. Bellè ſanè etiam quadrat odor veſtigii, ſimulatus Peſti. Nam licet edito, ventisque perflato loco, ædes aperiantur, & ventis cedat infecta domus aura: non tamen proinde ceſſat perendie Peſtis, quin ſufficiat tollendo totam plebem. Nec enim ceſſat odor veſtigii (quantitatis nihili) in via, ventis expoſiti, niſi pluvia lavetur, aut terra tegatur: ſuum ſemper cani refert herum. Memini etiam, quod in Peſte Oſtendana, ipſamet fracedo peſtilens, ſolet crematas ſoleas parum olere, ſolebamque Peſte infectum odore illo prodere. Porrò ante prævaricationem, omne animans ſubjectum erat homini, tanquam hero: ſuaque vita media liqueſcebat, & peribat edendo, ante conſpectum noſtri Archei. Aſt jam, vel catulus, prædominatur vitæ noſtræ, & liberas animæ mortalium poteſtates, ſubter ſuas infirmitates rabiei, cogit. Calamitoſum nempe eſt, imaginem Dei deinceps ſubjacere morſui inſectarum, variasque ſectari debuiſſe imagines fermenti veneni cujuslibet. Deviumque eſt, ſervilia bruta, morſum ſuum, imagine iræ, veneno amenti, atque mortifero imbuere. Ah quàm penitiſſimè, atque fortiter iræ imago ſigillatur? Quamque rapida celeritate ad ſalivam transmigrat? quantis infirmitatibus opportuna eſt mulier, ex occulto odore uteri? quàm infandis enim intellectus exorbitationibus vexatur? Siquidem non rarò fracidus odor, communicatus è plantis pedum, ſuperbam noſtri ſtaturam dejicit, privatq; ſenſu, memoriâ & intellectu epilepticos? Quam promtè enim contagium excrementi hypochondriaci, ſubter ſeptum, mentem alienat, ſeducitq; mœſtitia, horrore, furore, amentia, febrilibus deliriis, & lethargi differentiis, dum juxta imaginem, fermento ſuo innatam, nos alienant? Quam enim terribile terroris venenum momento unico, fulminis ictu imprimitur? in belluam quam icerit, adeò ut ejus carnium eſu, Peſtis deglutiatur? quod ſaltem in ſignum eſt, fulmen à portentoſo initio, terroris pleno ſagittari, unde nimirum Archeus, in momento extinctus, ſui terroris imaginem detegendo, perit ferè in momento. Sæpè namque ſomnus, imò ſopor, eſt in homine: ubi in Archeo eſt ingens Peſtis perturbatio. Sæpè è converſo, Archeus perturbationibus expeditus, atque ſecurus vivit: ubi homo miſerè ſuis conflictatur perturbationibus. In bellis & e bellis, nunc atrociores Peſtes, quàm præteritis ſeculis: quia bella pavore ſæviora, pluſque pavoris, & irarum minus habent, cum homo, in hominem impetu iræ motus, vindictæ ſtuderet. Nec mirum idcirco, quod propria urinæ potatio, Peſtem cohiberet ante acceſſum: non quatenus alexiterium: ſed quia perſuaſionem ac ſpem continebat, antequam ſumeretur. Memini namque, quod anno 1635. dum Gallus Lovanium vicinum obſediſſet, plurima inde Peſtis, Bruxellenſes pavidos, terrefactusque timore mulierculas, mox dein invaderet, quæque in pagos omnes diſperſa, magnam ubique ſtragem attulerit. Etenim & conparticipatio vitæ in eduliis facit, ut citò vitalia fiant, arripiantque mox Archeum noſtrum, Indignatione, furore, & multiplici alioqui ſymptomatū clade ſubnoxium: Ita in *Magno Oportet*, clauditur nobis multæ luis neceſſitas, ac transplantatio. Atqui, ſi eſculentorum proprietates vitæ mediæ, aliquatenus in ſanguine remanere debeant, eatenus & carnes comedentium, varient ſaporem, pro ciborum diverſitate: neceſſe eſt, nos affici ab iis, quæ in nobis ſuum relinquunt ſymbolum. Equidem ſapores, proprietatum teſtes, tam cum externis, quàm internis putrilaginum conſortiis, fœdus pepigere, quæ ideo in nobis facilè fiunt participes injuriarum. Vita nempe media ciborum, noſtris remanet in carnibus: piſcivoræ hinc nationes, ac Carthuſiani, cimicibus non infeſtantur. Carnes enim minus benè ſervatæ, ex ſymbolo vitæ mediæ nobis reſiduo, quamlibet facilè putredinem nobis inurunt. Unde etiam formales corruptelæ in nobis inauſpicato ſurgunt initio. Dein carnes & piſces, etſi mactentur tempeſtivè; ſæpè tamen in ſe, morborum tabes continebant, quibus ubi veſcimur (præſertim ſi nidorem antea contraxerint) in ſui ſymboli conſortia, facilè concedimus, nobiſq; ſtatim nidores, ac fracedines mumiales ſuſcitant. Neque enim boves aut oves veſcuntur hominibus, nec noſtram in ſe contrahunt Peſtem: ſed nos bobus veſcimur, brutalemque haurimus Peſtem, juxta & noſtram. In ſolo quia homine, multorum brutorum Peſtes, ſuam ludunt ſcenam. Quare, nec inſontes ſunt cibi, non ritè confecti, dum fermentum ſtomachi illudunt, quia in alienas ſuæ luis colonias, & putredines varias, facilè tranſeunt. Hæc equidem novarum calamitatum alteritati in Peſte, quandoq; futura cauſa erit noviſſimorum temporum indicatrix. Saltem nunquam in Scholis perpenſa ſunt, venenorum ac toxicorum fermenta. Sed horum actio æquivoca ideo rata fuit, cœleſtique impreſſioni comparata. Semper enim, ubi in inſcitiam labuntur, ſurdorum cœlorum opem, procul nimis diſſitam, implorant, ac Saturnum inſontem culpant. Vocant enim actionem æquivocam, dum agens non generat ſibi ſimile. Vt in cœleſtibus, ac meteoris occurrit. At quàm impropriè ad cœlos & actiones illorum æquivocas ſit recurſum, propter venena, facilè quiſque noverit, qui venena, ut agentia merè naturalia, atque domeſtica, nedum alterativa per modum meteororum: ſed tranſmutantia, & ſpermatica, aſpexerit. Quid namque ſeminali generationi ſimilius eſſe poteſt, quàm ſi exile ſcorpionis virus, totum hominem interficiat, ſuique ſeminis proprietatem in totum propaget? Nec enim fermenta uſpiam æquivocè: ſed planè univocè operantur. Quoniam ſi Peſtis æquivoca actione pullularet, non eſſet utique contagioſa, cum ſibi ſimile non produceret. Patet itaque neglecta fermentorum indagatione (quorum tamen commercio, omnis rerum generandarum tranſmutatio conſcribitur) venena hactenus, tam in fieri, quàm in eſſe, ac operari, ſint ignota. Maximè, quod proprietas veneni ſit, per deſtructionem Archei humani, ſuam imprimere imaginem ſeminalem, in vicem alterius. Quapropter etiam hujus veneni organum, eſt ipſum fermentum. Hoc autem de venenis intellige, quæ imaginè ſeminali tenus, transmutationem moliuntur: non autem de meris corroſivis: utpote quæ non fermentaliter Archeum, ejuſve imaginem corrumpunt: ſed eundem in furorem concitant, qui propriam dein materiam, ſive hoſpitium, devaſtat: ſub cujus alterationem, aut interitum, ipſe Archeus quoq; loco cedit, cum integritate atq; retentione ſuæ imaginis. Magnitudo enim, vehementia, robur, & celeritas venenorum, deceperunt Scholas, quæ neglecta fermentorum conſideratione, præterierunt unicum generationum organum diſpoſitivum præcedens introductionem imaginis ſeminalis. Sunt namque Scholæ ſolitæ opera naturæ metiri ad pedem artificialium: & ſicubi quid eſſet, quod minus huic pedi quadrare ſibi videretur, verboſâ excuſatione, ad cœlos & occultas cauſas recurſum eſt, ut ignaviam, atque inſcitias, indagandi impoſſibilitate velent.

Forma atque materia Peſtis.

CUM morbus in nobis proprium perficere nomen & omen debeat, tanquam in ſuo domicilio, ſuique propriæ eſſentiales cauſæ maneant in producto, neceſſe eſt, quamdiu aliquid in aëre, aqua aut terra vagatur: id neque morbus in ſe eſſe poſſit, neque ejus cauſa continens. Imo quicquid antecedentium cauſarum nomine eſt inſignitum, non ſit niſi occaſionalis, nil per ſe: ſed per accidens, cauſans, nil citra appropriationem in nobis acceptam. Quapropter nec indicant, nec optant, nec præſcribunt curationem: ſed duntaxat cautionem ſive fugam. Occaſiones ergò Peſtis, conſiderandæ ſunt, quatenus quandoque hoſpitatæ morborum occaſiones, in cauſarum ſeriem migrant. Iam itaque ſatis inprimis docui, Peſtem non dimitti cœlitùs. Cumque omnis effectus ſit fructus, ſive productum ſuæ, & non alienæ arboris. Idcirco quævis cauſa ſuum, & non alienum producit effectum. Peſtis igitur ſpecificam, propriam, & non alienam cauſam habet. Nec enim Peſtes diſtinguere per accidentia ſua, comitantia vel ſignata licet: quippe quæ fluunt immediatè à diverſitate ſubjectorum, eò quòd per modum ac naturam recipientis, diverſimodè varient juxta conſuetum entium naturæ. Quapropter etiam Peſtis, conſtans materia, forma, eſſentia, ſemine & proprietatibus, ſuam quoque poſtulat habere, unicamque ſpeciem, cum ipſamet rerum aut defectuum eſſentia ſit individuis proxima. Sin autem vel externè adveniat, vel intus generetur, perinde id eſt, cum inde Peſtis jam conſtituta. Denique ſi citiùs tardiúſve contaminet, violentior ſit, celeriorque ejus exitus, varias partes invadat, aut diverſimodè corpus exagitet: id tamen proinde non mutat veneni ſpeciem. Sunt namque duntaxat ſigna quantitatis, commiſtionis fermenti, appropriationis, & incidentiæ, in partes recipientes. Alioqui venenum peſtis, internum atque formale, quodque ejus quidditatem continet, eſt ſingulare ſemper, in omni individuo. Quoniam eſſe rerum conſiſtit in ſimplicitate ſuæ ſpeciei. Sicut utrobique eadem eſt ignis eſſentia, ſive magnus, ſive parvus, ſive quietus, ſive follibus agitatus, ſive denique flamma rubra, flava, viridis, vel cœrulea fuerit. Peſtilens itaque remota, cruda, ac prima materia occaſionalis, eſt aër fracidus, vel potiùs fracidum Gas, Quæ aëris fracedo, juxta ignis experientiam, quam adepti promittunt, nondum habet 8200. partem corporis ſui ſeminalis. Quod facilius comprehendes, ſi conſideres, vas vini fracidum, doliumque jam exhauſtum, abſque ullo ſui pondere, corrumpere nova & vetera vina, cado infuſa. Tractavi nempe in meis Phyſicis, de fermenti fracidi natura, & quo pacto ex incorporeo fracidoque ſemine oriantur vegetabilia, ut hinc Peſtis proſapia diſtinctius eluceſcat. Terram inſuper, oſtendi fracedinis matrem: ut ſciamus Peſtes populares, à terræ motu caſtrorum, obſidionumque ſequelis, primam ſui occaſionalem haurire materiam. Ideo enim quantum terra diſtat à cœlo, tantundem quoque materia occaſionalis Peſtis à cœlo eſt remota. Voco autem materiam hanc primam, incorporale illud venenum fracidum, exſiſtens in Gas terræ. Adeóque hoc venenum, tanquam materiam remotam ſubſterno, ſub alio viciniore veneno, diſponente materiam Archei; quo facilius aſſentiatur, terroremque peſtilentem in ſe concipiat: Ut tandem ad horum diſpoſitiones prævias ſuperveniat quidditas peſtilens formalis. Cæterùm, ſi de aëris infectionibus debitè philoſophandum, neceſſe eſſet, ipſius anatomiam repetere ex prælibata, in Phyſicis meis, elementorum doctrina. Aër itaque in ſe, eſt alterum ex elementis primigeniis, tranſparens, tamque levitatis, quàm ponderis expers, impermutabile, ac perpetuum, frigore præditum naturali, niſi ſituum & commiſtorum robore impediatur: Poris autem ubivis refertum, & hactenus extenſionem, aut compreſſionem ſui tolerans. Cujus poroſitates, vel replentur vaporibus, alieniſque exhalatibus; vel planè hiant, expertes corporis, in ſui integritate manentes (quod alibi tractatu de vacuo neceſſario demonſtravi.) Enimverò namque ſi aër eſſet abſque poris, omni corpore vacuis, non poſſent halitus elevari, abſque corporum penetratione. Cum autem detur aëris dilatatio, & compreſſio manifeſtiſſima (ut aliàs planè demonſtravi) neceſſariò datur & vacuitas. Sunt namque ejuſmodi poroſitates in aëre, velut uteri, quibus aporrhϾ fructuum aquæ, reſolvuntur denuo in ultimam aquæ ſimplicitatem, unde provenerunt, ſpolianturque quibuſcunque priorum ſeminum ſignaturis. Sunt autem ejuſmodi effluvia in aëre, peregrina, per accidens & varia, juxta indolem concreti, unde exhalarunt. Inprimis ſunt vapores aquæ puræ atque ſimplicis: dein aquæ maris ſalſæ, qui pluviam condiunt vaporoſi ſui myria, & eatenus à corruptione præſervant. Secus namque, ob admiſtas variorum exhalatuum ſocietates, de neceſſitate, putrerent, ac fœterent aquæ pluviæ, non minus quàm nubes in montibus, & nebulæ pleræque. Partim ergò aëris hauſta venena, vaporetenus hoſpitantur in poroſitatibus ſuis: partimque ipſum aëris corpus conſpurcant, ſine corporea commiſtione, prout vitrum odores concipit. Quæ contaminatio jure, impreſſionis nomen habuit. Eſt mihi domus campeſtris, à meridie ſilva querna dives: ab aquilone verò amœna reſpicit prata: ad utramque porrò Solis domum, colles Cerere fecundos habet. Lintea autem ibidem lota, & fonte diluta, tabulato ſuſpenſa, nitidiſſimè albicant flante Borea, & hinc inde etiam, ab ortu in occaſum, vel viciſſim, ab occaſu in ortum. Solo autem ſpirante Auſtro, feneſtriſque auſtralibus apertis, inſigniter flavent luteo colore, è numeroſa nimirum quercu, eructatur halitus tingens in aërem, huncque à nobis inſpirari, ut & à linteis combibi, didici. Itemque ſic à quercetis, poſt ſolſtitium æſtivum, exhalat occulta aporrhœa, quæ inſiretum vultum, atque collum, pruriginoſa puſtula frequenti inficit, ac dein in cruribus, & alibi evadunt conſpicua. Sunt namque in aëre quędam, quæ odore narium percipiuntur: alia denique, quæ per canes ſolos diſtinguuntur. Suntque & alia demum, omnis odoris expertia, licet non contagii. Siquidem veneni, ut talis, fermentum ab odore liberum eſſe poteſt. Proinde quævis patria ſuos parit patiturque languores. Solo quippe natura ſubeſt, nec omnis fert omnia tellus. Quia varii patiuntur in aëre vapores, pro ſoli varietate. Quæ penitius mecum trutinans, ſæpè ſum miratus, vitam noſtram ad tot extendi annos: cum tam multiplici ſtipemur undequaque hoſtium potentiſſimorum ſatellite, tam profundè eundem admittamus, imò & inviti attrahere cogamur. Nec ſolo id anhelitu; ſed etiam per magnetem, qui per habitum carnis, ſuo more ludit. Etenim qui carbonum fumis, aliarumque rerum odoribus ſæpè dudumque impavidus interfui, realiter ſenſi odores iſtos, atq; fumos, nedum in thoracem: ſed & inde ad ſtomachum recta deferri, ructuſque noſtros ideo exprimere conceptas fuligines. Sic namque anhelitus, è pulmone efflatus, refert odores allii, & ceparum comeſtarum, etiam per nares collectus. Peſtis autem utrinque hauritur. Quæ autem non deforis: ſed intus ſpontanea Peſtis gignitur, in axillis, & inguine, rara autem pone aures ſe prodit. Nam hæc plerumque ab hauſtis odoribus Peſtis proſilit. Quæ verò maculis eſt infamis: ex interno veneno, intus prius ſuffocato, atque ideo peſſimo, provenit. Quatenus fracedine ſuffocationis plerumque intenditur. Quæ verò Anthraces exhibet, vel eſt fortis expulſio, quæ longius, quàm in proximum emunctorium jacit, vel ab attactu rei contagioſæ, vel inſpirato Peſtis veneno, oritur. Etenim quæ ex contactu invaſit, etſi lentior ſit, quàm quæ aliàs univerſali de cauſa inſultat: plerumque tamen eſt lethalior. Quia inſitus membro archeus hac Peſte interimitur. Et inde pars gangrænam peſtilentem trahit. Cui ſubveniendæ totalis Archeus eſt negligentior, de tutandis viſceribus cogitans, ſe intro fugiens, recipit, pergitque ſerpere mortalis iſta gangræna. Remedia quoque plerumque ſunt ignavia, eorumque intentio, ut exteriora eſcharentur, & poſtmodum eſchara citò excidat. Huc nempe cuncta emplaſtra, & attrahentia adhibentur: rara autem ſunt adhibita, ut virus ipſum ſuperent. Peſtis autem ab extra, ut potiſſimum in artubus eſt formidanda: ita vice verſa, quæ ab intrò foràs ſagittatur, minus involvit diſcriminis. Enimverò intus nata, primariò Archeum terret, ideóque ſubitanea ac præpotens. Venenum autem Peſtis, tactu arreptum, poſtquam Archeo ſe inſinuavit, (Quippe qui primum vivens, ultimum moriens, rerumq; intus agendarum ſolus rector eſt) rato demum venenorum more reliquum facilè inficit. Siquidem ipſe Archeus ſemel infectus, ſtatim terroris peſtiferam imaginem concipit, éamque deſertis habenis regendi corporis, communicat conſociis. Deniq; etſi ſudor in omni Peſte conducat: minus tamen in illa, quæ externo contactu ſubintravit, nullatenus ſaltem propterea negligendus. Porrò in Peſte, ſingularis individui (à quo ſubinde tota communitas affligitur) illic fracedo plerumque intus incipit: qua ſemel arrepta, facilius inde terroris Archealis virulenta imago creditur. Celerior eſt Peſtis, quæ ab externa odoris fracedine intro trahitur, quia duos gradus (fracedinem nempe atque mumiale ſyngamicumq; fermentum) ſtatim aſſociat: non eſt autem neceſſum, ut fracedo ſit naribus ſenſibilis cum averſione. Nam ſi canes, qui olfactu nos excellunt, fracedinem, aut veſtigium heri, in via ſentiant: ipſe Archeus noſter, longè facilius adhuc, quæ intus ſunt, olefacit, nequitque ideo fracidus odor nocere, niſi fermentum mumiale intus invenerit, cui ſe copulet. Iam tunc quidem eſt præſtò exotica materia, nihilominus adhuc contagii indiga. Idcirco oportet, ut materia ſit plenis numeris inſtructa, ac formalitate agendi. Nam ſunt hæc duo adhuc tanquam cauſæ occaſionales atque irritativæ. Denique de Tartaro cruoris ſat dictum eſt, quod ſit productum Peſtis, quodque hanc præſtolatur, vel fit extemplò, adventu Peſtis. Terminus itaque fiendæ Peſtis primus, eſt Gas fracidum, quod cum nequeat inficere, ſine appropriationis ſymbolo, requirit alium terminum correlativum, qui eſt fermentum mumiale (ſine quo non eſt appropriatio) nimirum Archeus, Peſtis ſuſceptor. Siquidem virulenta Peſtis materia, per contagium in nos traducta, non contaminat quenquam, niſi Archeus illam apprehenderit, & appropriaverit. In quo ſanè Archeus laborat improvidè. Nam exin Peſtis terrorem concipit propria phantaſia, non autem ex pavore humano. In qua nimirum terroris Archealis phantaſia, Archeus, venenum peſtilens parit. Quod eſt ipſa terroris concepti Idea, veſtita propriâ Archei chlamyde. Eheu tunc Peſtis intus adeſt, totumque facile mox conturbat hominem. Imago ergò Peſtilens conſtat aura Archeali, ut materia continente, cui impreſſum eſt venenum rerroris Archei, tanquam efficiens immediatum. Neque enim ideo virus Peſtis quemcumque ſemper inquinat, etſi odorem ſibi conformem mox in nobis invenerit: eò quòd fermentum mumiale, quanquam internum: at nihilominus eſt tantùm medium occaſionale, reſpectu contagioſæ applicationis ſive infectionis applicatæ. Quæ appropriatio proximè conſiſtit in reali & actuali congreſſu imaginis, per torrorem genitæ, quam Archeus concipit, ex præfata applicatione; exiſtimans hujus reſpectu, jam domi ſuæ eſſe potentem hoſtem, intra lares hoſpitatum. Qui panicus Archei terror, eſt cauſa immediata, imaginatione genitæ imaginis: (imaginationem proinde probavi, eſſe in Archeo, præter illam, quæ mentis conceptibus, tam in præcordiis, quàm in corde ac cerebro pingitur.) Quæ imago eſt cauſa adæquata Peſtis. Ipſiſſima inquam Peſtis, non ſecus atque pullus, nihil eſt, præter ipſum ovum, fotu maturatum. Purpureæ febres enim, venenum quidem atque contagium idcirco habent, præter putredinem, & fermentum appropriationis (unde nimirum ſolos homines, non item belluas inquinant) carent tamen Ideâ terroris, quo Archeus, confuſione ac deſperatione plenus, regimen negligit, funeſtamque ac ſeminalem iconem peſtilentis veneni fabricat. Hanc denique ſui confuſionem facilè ſuis transmutatis liquoribus alimentariis inſinuat, quibus antè invigilabat, jam in hoſtilem tartarum cruoris degenerat. Archeus enim, gubernaculum deſerens, inſtar hominis pavidi, præpoſterè ſurſum atque deorſum invertit omnia, & ipſemet profugus, hoſtem intus receptum conclamat. Fiunt tenebræ, appetitus ſternitur, incepta ceſſat omnis officinarum digeſtio. Quodque penè vel ſemidigeſtum erat, corrumpitur: quia triſtem mortalis veneni imaginem horret. Seditio itaque, murmurque eſt intus per membra, quia horum ſpiritus inſiti, confuſionem influi Archei perſentiunt: ſed compeſcere nequeunt. Etenim ſi nutrimentum ſemidigeſtum, in ſtomacho recens ac mite erat, ſopor oritur, itemque vomitus ac nauſea: ſin autem jam digerendo aridum, cephalalgia occupat hominem. Sin autem propemodum digeſtum, cum nidore putreſcit. Unde vomitus continui. Aberrant enim cuncta, putrentque ſub imagine veneni, & in terram mucaginem degenerat alimentum ipſius ſtomachi, quod & cauſticam acredinem non rarò induit. Eſtque circa ſtomachum potiſſimum murmur. Utpote ubi primi & inordinati ſunt hominum conceptus, atque impetus: ibidem quoque de neceſſitate, prima Archei confuſio terroris, ſuboritur, fitque imago teterrima Peſtis. Etenim plerumque notavi Peſtem circa ſtomachum prima ſedilia locaſſe. Quidam enim continuo vomitu dejectus, dolorem capitis ingentem ſenſit, ac mox delirium, deinde & ſoporem per intervalla paſſus, ſedecim horarum ſpatio obiit, multis deliquiis præviis. Optabam autem ſcire, unde tam celeriter, tantoque ſymptomatum furore oppetiviſſet, nec Chirurgus adeſſe cuperet, tandem cultro diſſectionem inſtitui, ac inveni ſtomachum illius triplici eſchara jam perfecta pertuſum. Qualiter olim videram ſtomachum ancillæ perforatum, quæ volens biberat arſenicum. Interim in quavis Peſte, ſurgit febris ab exordio: quia & minitata corruptio, in Archeo incepit. Vitalia ſanè cuncta terrentur, in naturalibus imaginum directionibus, pavida diſcordia, confuſione & deſperatione diſgregatis. Tartarus cruoris quoque, jam legibus ſolutus, in tanta totius confuſione, furorem arripit, conceptis finibus ſuæ partis, cui adhærebat, reluctatur, & terroris confuſione omnem adauget tumultum. Hæc eſt ſcena Peſtis, quam aliquando per divinam clementiam vidi ſomnio intellectuali. Non eſt autem Archei pavor, fuga, deſperatio &c. ipſum venenum: prout neque ira animantis, ejus eſt venenum. Sed venenum Peſtilens, eſt ens productum ex imagine pavoris, & veſtitum ſubſtantia Archei. ſicut ira ſerpentis, iræ imaginem in parte Archei deponit, illamque ad organa exſecutiva iræ, deponit in ſaliva, &c. eſt autem virus peſtilens in ſe horridum, ac mortali contagio ſerpentum longè crudelius, quod ſcilicet per vitalem perturbationem (qualis eſt ira ſerpentis) in beſtiis producitur. Contagio enim Peſtis ſerpit in adſtantes, nec cum vita animalis perit, ut ſolent aliàs beſtiarum venena. Eò, quòd venenum Peſtis non inhæreat vitæ: ſed effumanti inde auræ inſit imago, & quidem Archeo infecto veſtita. Ut ſanies, cruor, & pus, adſperſo vitriolo, adhuc vitam vitaleſque actiones, in totum unde fluxerunt, retinuiſſe, hodierna docuit magnetica curatio vulnerum, ulcerum, & oſſifragii. Quinimo Peſtis propulſat potius à ſe fugitivam vitam, pavidum fugacemque Archeum. Et ſicut Rabies canis, productum aſſumit ſuum, in ſaliva: ſic venenum terroris, in tartaro cruoris ſigillatur, prout etiam in auram atque odorem diſpergitur, peregrè abeuntem. Idcirco enim belluæ ſunt immunes ſpectatrices noſtræ calamitatis, quia univoci Archei defectu, ideoque & appropriatione carent. Quodcunque tamen ſubjectum, ſive aura fuerit, veſtis, vel aliud ſolidius, etiam pavoris neſciens, quod odore imbui poteſt, poteſt itidem eſſe ſubjectum, in quod productum pavidæ imaginis poſſit imprimi: non aliter quàm terra odorem celeris veſtigii refert. Porrò tametſi Peſtis ſit unica ſpecie: diverſimodè tamen invadit. Semel namque adoritur popularis, quæ vulgata fracedine exſurgit, poſt terræ motum, ex antris, rimis, ſtagnis, fodinis, & cadaveribus tam belluinis, quàm humanis, virus fracidum eructantibus. Quod tamen nondum peſtilens eſt, donec intrò receptum, tum demum fermento appropriatum fuerit. Unde nimirum terrefactus Archeus, atrocem illam imaginem creat ſuæ confuſionis, atque terroris. Invadit quoque ſolo odore peſtilenti, ex infirmo, vel cadavere, vel loco, aut re inquinata hauſto. Qui quo ſubtilius ſubjectum inhæſionis ſuæ habuerit, eò quoque velociùs contaminat, celeriúſque Archeo approximat, ob ſymbolum. Neque enim ideo ſudoris halitus, tam præſto inquinat, atque Gas peſtilens, odore non perceptibile. Perinde enim atque carbonum Gas, ſtomachum commovet, vomitum cit, dolores capitis, imò etiam ſyncopen: ſic Peſtes notavi, quæ ſubtili halitu alimentum ſtomachi proximum infectant, vomitus continuos, ſingultus, ſyncopes frequentes, atque deliria, & mortem citiſſimam adferrent. Vomituſque ille remedia deglutienda recuſat: ſyncope vires dejicit, ut delirium, cibos atque remedia aſpernatur. Materia autem infecta jam, ſi per ſudorem auferenda, totam domum à ſtomacho ad pellem uſque tranſeundo contaminat, niſi per remedia cohibeatur malignitas ejus. Nam etſi remedium, illam materiam infectam, promtè attingat, non tamen facilè educit non libenter ſequacem. Siquidem nunquam antidotus aliqua, ſemel infectum, in priſtinum reſtaurat. Eſtque ideo omnis antidoti cura, duntaxat circa præſervationem nondum infectorum, horumque mitigationem atque celerem expulſionem. Eſt & ardua popularis Peſtis occaſio, quod non vitentur loca, & corpora infecta. Quod in caſtris, & obſeſſis civitatibus, luculenter apparet. Legimus namque in Oriente, Peſtem à tribus militibus, ſepulcrum violantibus, incepiſſe, caſtra Romana contaminaſſe, & tertiam mortalium partem, per cognitas mundi oras, interemiſſe. Eſt namque ejuſmodi Peſtis celerrima, ac ferociſſima: quæ nimirum cuncta ferè ſibi neceſſaria, ſecum intrò adducit. Etenim cum venenoſa materia, jam nacta ſit fermentum, non debet paciſci cum Archeo, de ſui receptione, quam facilè à turbato hoſpite impetrat: ſiquidem jam in ſe, Ideam à priore ſecum adducit, novamque intus conſimilem, in ſociam, ab Archeo acquirit. Peſtis verò, quæ citra externam opem, in nobis, totam ſui generationem orditur, ac perficit, fit ex præexſiſtente tartaro cruoris fracido, qui mox ſponte cadaveris odorem induit facillimè. Unde perterritus Archeus, Ideam concepti terroris ſuſcitat: ſicque venenum Peſtilens ſuſcitatur: hujuſque ſeminalis, atque infeſta imago illi excremento incorporatur: quod igitur ſæviendo, pergitq; contaminando. Inſenſili enim aura nobis communicatur Peſtis, quam muſcæ, picæ, corvi, cornices, aquilæ, canes, lupi, &c. plerumque diſtinguunt. Notiſſimum nempe eſt, domeſticum animal canem, unumquemque odore dignoſcere, cujusve veſtigia, utcunque leviter impreſſa, dudum etiam poſtea diſtinguere. Eſtque Gas peſtilens, æquè ſubtile, ac odorabile. Acquirendæ ergò Peſtis differentes ſunt modi. Quorſum repetere oportet; Peſtilens venenum duntaxat unius ſpeciei eſſe, nec ejuſdem rei plures poſſe parentes, ſpecie atque ſemine diſtinctos. Id eſt, ſemina non poſſe eſſe diverſa. Adeo ut ſcorpio, ab ocymo, & à parente genitus, non differat ſpecie: ut neque pediculus à lendibus proveniens, & ab homine prognatus immediatè, identitatem ſpecificam projicit. Lendes enim, ſive pediculorum ova: ſunt in identitate Archei, cum materia, unde homo pediculos immediatè generat. Quoniam ſi duo ſemina, ſpecie diviſa, unicum idem in ſpecie conſtituerent, fruſtra ad rerum generationem, diſpoſitiones ſpecificæ in materia: ſed promiſcuè omnia ex omnibus, atque ſingula ex ſingulis, prodirent. Agentia igitur ſpecie diverſa, etſi aliquid ſub identitate ſpecifica conſtituant: Intelligendum tamen idem, ac ejuſdem Archei ſemen, ab utroque formari. Sic homo facit excrementum vitale, unde lumbricus, pediculus, &c. fotuque ſuo illam ſic diſponit, ut Archeum acquirat conſimilem, quem pediculus generans, ſuis ovis originaliter implantavit. Adeóque pediculus generans, eſt agens univocum, quod de ſe porrigit ſufficientem materiam generationi. Homo autem eſt agens æquivocum, quod materiam excrementitiam de ſe dedit, quæ labens, tandem in fotu, Archeum acquirit conſimilem. Sic cadaver in vermes, & hi ſexualiter iterum generant. Sicque mures è ſordibus, iterumque è parentibus. Idque totum in inſectis, quorum ſemina velut ſponte putreſcentibus corporibus eruuntur. Proxima ſaltem horum materia, & agens harum generationum, utrobique eſt ſimplex, uniformis, ac ſpecificæ identitatis. Ideo & ambo conſtituta, ſunt ejuſdem ſpeciei, generantia poſtmodùm ſibi ſimile, abſque delectu: adeò ut pediculi, noſtris ex halatibus procedentes, congreſſus admittant cum iis, qui è lendibus per fotum egreſſi ſunt. Proxima ergò materia, proximumque agens, in Peſte, ſunt utrobique ejuſdem Archei ſeminalis, atque identitatis ſpecificæ. Nam ſive materia intus gradatim fiat, vel repente; ſive externè hauſta, actuetur in nobis: ſalem nunquam venenum Peſtis fit, quin Archei terror imaginem iſtam virulentam pepererit. Terrorem autem voco, tam hominis primo impetu perculſi: quàm ipſius Archei humani, ſanguiniſque, ex antipathia ſuſcepti. Hoc pacto, vir audax ac ſtrenuus, ſæpè coram Peſte eſt pavidus: Imò qui Peſtem vix timet, Archeum intus habet, terriculamentis obnoxium. Sic namque infans timoris incapax, apprehenſionis neſcius, non tardius Peſte corripitur, quàm timida muliercula. Nam etſi animoſitas valeat ad præcautionem · non tamen interimit venenum jam conceptum. Suntque diverſæ magnanimitatis audaciæ. Quidam enim intrepidus in monomachia, qui in conflictibus belli timidus. Alius imperterritus pugnando, qui lemures inſigniter metuit. Tertius denique non timet hoſtes, armatos autem ruſticos formidat, &c. Galenus putat bonam complexionem, ad pondus ſive æquilibrium elementorum, dare robur ad reſiſtendum Peſti. Is, inquam, qui ſingulas partes atque viſcera in homine, differre ſola inæqualitate temperamenti elementorum, jam æqualitatem confluentium elementorum, ad pondus, concedit in una ſpecie humana. Cum alioqui, ſi cor eſſet pars temperatiſſima, jam totus homo juxta quasvis ſui partes deberet neceſſariò habere conſiſtentiam atque duritiem cordis. Sed elementorum, commiſtionum, ac temperamentorum opinionem ut ſtultam ac totaliter falſam, firmis demonſtrationibus primus rejeci, in volumine, de origine Medicinæ edito. Hanc igitur elementorum commiſtionem lubenter Galenicis cedo, lubenterque ignoro, quomodò ponderari queat aër, aut ignis, ut ad pondus aquæ ac terræ, collibrata ſimul, carnem, nervos, oſſa, cerebrum, cor, medullas &c. de ſe conficiant. Ah inane commentum, crudele facinus, in proximos explodens! Animoſitas porrò, quam laudo, non terretur morte aut Peſte, Archeum adornat, ut veneno reſiſtat, receptumque per accidens expellat (vincere autem, aut interimere alioqui non poteſt) non ſecus ac terror poros claudit, naturæ motu ſibi obedientis. Quare, qui à Peſte ſurrexerunt, eodem anno, vix æquè facilè à Peſte inquinantur. Contrarium in aliis morbis, atque venenis. Siquidem hæc, nedum poſt ſe relinquunt debilitates, unde facilior eſt recidiva: verùm etiam alia venena operantur, commutando partes, quibus hoſpitantur. Peſtilens autem venenum terrificum, ſolùm primariò invadit Archeum, eumque perterret. Qui dum ſemel hoſtem cognoverit, ac ſuperaverit, præſumit deinceps audacior factus, non tam facilè ſe ſuccubiturum, nec occaſione allati veneni, tam facilè deinde terretur. Nec obeſt debilitas, quam Peſtis illi reliquit: quia ſufficit, quod non æquè facile terreatur, imaginemque terroris peſtilentem, in propria ſui ſubſtantia depingat. Suntque ideo reliqua venena morborum longè craſſiora, quàm imago hauſti terroris. Quædam namque non nocent, niſi ſub cute aperta: alia verò edi, aut bibi poſtulant. Baſiliſci autem, aut catoblepæ rariſſimum virus, per imaginationem, viſum dirigentem emittitur. Sed Peſtilens toxicum, proprio Archei conceptu, intus fabricatur. Venena cætera, ſenſibili aliquo ſigno produntur. Sola verò Peſtis, inſenſili contagio communicatur, perinde atque humani pedis veſtigium, ſui odorem ſervat. Ecce ut Imago triſtitiæ repentinæ, appetitum ſternat: rei nauſeoſæ imago creat vomitum: Imago condolentiæ, pariat lacrymas: Imago lentæ triſtitiæ ſuſpiria ſuſcitet: Imago pavoris, generet epilepſiam, atque ſubinde Paralyſim: Itaque non fruſtra alibi de morbis ſcribens, demonſtravi, lætitiam, metum, iram, odium, cæteraſque paſſiones, atque perturbationes, non ſecus atque terror Peſtem, actualem ſui imaginem propriam, atque ſingularem in nobis generare. Sed harum generationes ſunt nobis domeſticæ, magiſque ordinariæ proles: Aſt terroris peſtilentis imago, venenum parit immediatè Archeo inexſiſtens, atque ab eodem deſumit ſui materiam. Ideoque ſenſus illam nequeunt concipere. Archeus igitur conſpecto cominus hoſte lethali, intus genito, vel peregrè allato, ſuo hunc terrore, pictaque de novo imagine, admittit, ſuique charactere atque ſubſtantia confirmat. Manus enim noſtra, cadaveri ſponte extincto admota, mox ita propter fugam Archei, friget, ut longo demum igni, vix recaleſcat. Attamen canes non ſentiunt iſtud frigus, dum cadaver vorant, prout non multum friget nobis, cadaver pecuinum. Fraudulentum itaque, & accidentale cadaveris humani frigus eſt, pluſque frigefacit, quàm frigoris habeat. Pluſque cadaver ſenſim extinctum friget nobis, quàm cadaver podagrici, aut acuta febre mortui. Cum tamen per machinam, qua metimur ambientis auræ gradus, utrumque horum cadaverum par frigus ſit. Scilicet Archeus extimeſcens mortem, quam appoſita manus, cadaveri, diutina infirmitate extincto, percipit, fugit, manum deſerit, nec facilè (quia memor) redit. Patet ergò, Archeum mortem ſentire, fugere, etiam illam, quæ ante & extra ſe eſt. Magis adhuc fermenta putrilaginis (ut in rigore febrili) intus concepta genitave. Et quàm maximè illa, quæ imagine tenus, intra ſui œconomiam recepta, tendunt in tranſmutationem formalem ſui eſſe. Quippe virus, per ideam terroris, ſummæ eſt poteſtatis actualis. Differtque imago timoris, etiam pavoris, ab imagine terroris: propter formalem activitatem concurrentis fidei, prout antea notavi. Quinimò, etſi Archeus mortem, atque venena perſentiat: terroris tamen virus non perſentit, quia putat ſuum eſſe terrorem, atque inanem paſſionem, donec prægreſſo fermento appropriationis cognoverit, virus iſtud ſibi eſſe peregrinum, quod in parte ſui reconderat, dum exoticam iſtam formaret ideam, adeóque cum ſui aliquali perditione virus ſtatim à ſe explodit. Atque utinam jam vis ſibi innata, non communicaretur per totum, qua via pergit. Sic namque venenum rabidi, nullatenus perſentitur ab homine, ut neque à ſuo Archeo, niſi poſtquam fermentum, in Archeo ſibi ſtabulaverit. In qua tum rabiei imagine, cum ſit ſtatim mentis alienatio connexa. Hinc Archeus nullum ſibi concipit terrorem in furore. Ceſpitans enim in imaginatione, terrorem potius excutit, temerarius inſanit, & à rabido veneno dirigitur, ad Hydrophobiam. Finaliter itaque unicum peſtilens virus, unicum quoque habet terroris intuitum, unamque viam ad tumulum, vel ad convaleſcentiam, per bona, vel inepta remedia. Quæcunque autem hactenus de terroris peſtilenti Idea dixi, nolo interpretata licenter. Nam timor ab hoſtibus, à fure, à morbo, ab animali nocuo, à gladio, generant quidem pavoris imaginem, at non peſtilentem. Quam ideò terroris nomine deſignavi diſtinctam, à qualibet imagine formidinis conceptæ, qua pavet animans. Terror itaque peſtilens, non quemlibet, aut cujuſvis calamitatis pavorem, hic deſignat: ſed ſolum virus peſtilens horridum, in terrore conceptum tam ab homine, quàm ejuſdem Archeo. In hac ergò Idea ſita eſt Peſtis eſſentia, omniſque hujus libri quidditas. Fateor quidem, quod imagines cujuſvis metus facilè permutentur in Ideam terroris peſtilentis. Perinde ut gravida, in carnem illibatam ſui fœtus traducit imaginem muris, imò totum embryonem in horridum quandoque animal vel monſtrum tranſplantavit. Quia ut alibi de formis docui: imagines formales ſeſe mutuò penetrant, poſteriorque priorem facilè in ſui obſequium trahit, quod Hippocrates vocat, ſemina duci, quo nolunt. Equidem elementorum diverſitatem, & congreſſum pro mixto, itemque complexionum, humorum, indeque natarum conditionum, inclinationum, ac ſtudiorum, climatum denique, angulorum, ætatum, proportionum, fortitudinum, magnitudinis, & alteritatum diviſiones, in ſubſidium ignorantiæ convocare, ut per hoc calamitates plures, majores, difficilioreſque efficiamus, incertitudines augeamus, inſcitias tegamus, dubia patremus, impoſturas patrocinemur, & vitæ deſperationes promoveamus, non niſi eſt in vanum laboraſſe. Eſt namque lux perfecta ſcientiarum, Ignis inſtar, qui ſine delectu cremat omne combuſtibile. Talem olim Hippocrates nactus erat ſcientiam.

Proprietas Peſtis.

DEmonſtravi pathemata animi, appetitum demoliri, ut & digeſtionem ſternere. Primos denique cogitationum motus,in præcordiis ſua ſortiri conciliabula. Idcircò & os ſtomachi Mercurio dicavi, cui Ethnici tribuerunt ingenii acumen, ut & ſomniferum caduceum. Dixi quoque Peſtem originaliter ab hominis terrore concipi, & quæ adducta è corpore peſtifero in nos vehitur aura, primo ſui impetu, in Lienem ruere; qui eandem mox excutit, ac veluti per manum, orificio ſtomachi tradit. Hinc appetitus dejectio, vomitus, dolor capitis, deliria, deliquia, ſitis, ſopor, &c. Peſtis autem quæ in nobis fit, prout & quæ extrinſecus hauritur: ſua habent diverſoria, quibus ſingulæ furere incipiunt. Quamdiu autem Idea triſtitiæ ac metus obſident tartarum cruoris, in ſtomacho, ac quantiſper abeſt imago terroris Archei, nondum Peſtis adeſt. Fit quidem interim, ſi minus accuratè ſe cuſtodiverint, quod tartarus cruoris, magis magiſque infeſtus, Archeum tandem terreat: ſibique cudat peſtilens virus. Sunt etenim Peſtes, ſolo terrore natæ, velociores, ac terribiliores multò, quàm quæ ex contaminata proveniunt aura. Multos etenim hic fortaſſis percellit; Quod ſtomachus, cum ſaltem membrana ſit: perturbationes tamen, primoſque impetus, vel in ejus orificio collocaverim, vel in Splene, illa ſaltem parte extrema ſui, quæ orificio ſtomachi incubat, hincque fermentum impertitur, ad digeſtionis neceſſitates requiſitum. Sed Scholæ ipſæ, os ſtomachi, cordis etymo appellant. Etenim vulnus illius loci,ac vulnus cordis,iiſdem ſymptomatibus, ac æquè celeriter interficiunt. Nam vidi plures, quibus apoplexia fortis,caput planè inſenſile ac mortuum fecerat: multas tamen horas pòſt, calerent in præcordiis. Sponſa enim in rheda propè Scaldim, à ruranis moſquetariis ſalutatur,ejuſque tempora, glans moſquetti trajicit, cerebri non parum effunditur, & caput illicò moritur. Vilvordiam autem,quatuor inde leucis diſtantem, allata, pulſus adhuc vitæ teſtimonia dabat. Nonne & vitalis, totius quidam rector ſpiritus,in utero eſt? quique duntaxat membrana eſt, per modum ſtomachi? & longè majorum perturbationum ſedes, quàm ſint jecur, pulmo & renes? Profectò membra in ſe, non niſi cadavera ſunt: ſpiritus autem eſt rector, qui vivificat illa, quem & qualem Deus plantavit, ubi voluit. Memini equidem ſæpius me vidiſſe,qui tartarum cruoris aliquali timore Peſtis: ſed ſine fide, aut præſumtione contractæ infectionis corruptum haberent, indeſinentem anxietatem, atque pugnam, diu noctuque ſuſtinerent,imò quamvis ſaperent, ſuaſque riderent anxietates: non poterant non tamen, quin conceptam timoris imaginem, diu noctuque, inſomnes ob oculos vaſerent. Erant namque ſimiles demorſis à rabido,qui velint nolint, ſequacem præbent imaginationem ſuam, ad veneni lubitum. Demum in ipſo cruoris tartaro, circa præcordia hærente,inveni propriam phantaſiam naturalem, quam imago concepti, in Splene timoris, ſibi finxerat. Sic non ſemel laſciva ſomnia,ex prægreſſæ diei imaginatione, ſequuntur: ſed plerumque etiam ab ipſa prædominante paraſtatis materia: non ſecus etiam atque micturiens ſe continuo mejere ſomniat. Terror ergò hominis, eſt occaſio Peſtis: terrorque Archei, efficiens eſt imaginis, & veneni peſtiferi. Eſt enim velut pater Peſtis, qui patrata virulenta imagine, licet ceſſet, ſaltem Peſtis concepta eſt in ſui imagine.Nam ſi terror hominis eſſet ſufficiens cauſa Peſtis: neceſſariò quoque ſemper terrorem peſtilentem Peſtis ſequeretur. Quod falſum. Prout etiam,in infante, omnis terroris experte, Peſtis pro lubitu recipitur. Vnde ſat conſtat, Ipſum Archeum conterritum, eſſe primitivam cauſam efficientem imaginis peſtilentis. Peſtis itaque conſtat inquinatione, contagione ſcilicet, celeritate curſus, ſingularitate veneni, concomitantium terribilitate, præſervationis demum, ac curationis difficultate. Enimverò ponè relinquo Peſtis inquiſitionem,quæ in ſupplicium propter occulta Dei judicia mittitur. Quæ licet planè ſit ſupra naturam: interim tamen ejus materia non eſt creatura nuper è nihilo facta: quia quodammodò fines naturæ ingreditur. Non enim Angelus percutiens ſtabat in monte, quem aëris præterfluens unda continua lambendo abluit: Neque ſtabat etiam in excelſa turri: quaque tamen peccatum Davidis, concupiſcendo, ortum ſuſceperat: ſed ſtabat in fracido atrio Auraunæ. Sic Angeli in Apocalypſi, ſuas effundunt lagenas, unde tertia mortalium pars quandoque peribit. Verbum, imò nutus Domini, cuncta facere poteſt, abſque atrio, vagina, gladio, lagenis, effuſione veneni, &c. Sed pietatis ejus tanta eſt ubertas, ut ejuſmodi ſupplicia non det nuda per Verbum: fonte propter perpetuam Verbi ſui conſtantiam, & irrevocabilem firmitudinem. Nec etiam per cacodæmones, Peſtem ſupernaturalem mittit, ne vivos tradat in manus hoſtium. Peſtis demum, ſi qua per incantationes parta ſit, ſequitur naturam. Siquidem non valet diabolus ex ſe, vel unum culicem facere, niſi ejus aſſumat initia ſeminalia. Prout magi ſui non potuerunt, ex pulvere facere cyniphes, proles aquarum: quapropter & diaboli impotentiam confitentes, tum exclamarunt: Verè Dei digitus hic eſt! Si ergò diabolo quandoque permiſſum fuerit, formare Peſtem. Id ſanè ex naturæ principiis deſumſit. Differretque Peſtis diabolica à naturali ordinaria, applicatione, & appropriatione. Applicaret nempe tenacius actuationem, & impreſſionem veneni, non ſecus, atque follis, ignem quem non fecit, ſaltem promovet atque intendit: Appropriaret verò cum præparatione prævia per imaginem terroris, à ſuis mancipiis hauſtam, ac mutuatam. Et licet ejuſmodi Peſtes, eſſent ferociores: iiſdem tamen cederent remediis naturalibus. Atrociores autem voco, ob celeritatem, ſuperaddita ſcilicet invidiæ truculentæ imagine, à *Sagis* habita. Attamen ejuſmodi permiſſiones, adhuc eſſent determinatæ ad perſonas, ac numerum: imò facilius expiarentur per orationem & eleemoſynam, quàm Peſtes ordinariæ. Quo ſcilicet Deus, humani generis miſertus, magis oderit diabolicas artes, diabolumque tædere faciat divinæ mox miſericordiæ. Aſt eudæmones, Peſtis ſtructores, magna certè id compaſſione, ut non niſi ſub mandato obedientiæ, virga Domini & non Angelorum, vapulemus. Decorum nempe ſervat ubique Deus. Prætores, ac ſatellites ſumit, qui nativam bonitatem habent, amicitiam ſervant, nec indolem diabolicam aſſumere poſſunt, cui ſciunt nullum in cœlis locum eſſe. Sodomam autem, antequam Diabolo traderet, privavit prius paucis inſontibus. Eſt autem Peſtis, quæ exſecratione oritur propter extremam paupertatis amentis anxietatem, derelictam exſecrantem parturientem, vulneratum, &c. Peſtis punitionis divinæ, quæ ſanè vix initiis naturæ innititur, facileque dignoſcitur: quia ſola loca exſecrata, ac perſonas tales invadit: Itemque divites, qui ſedent in cubilibus eburneis, bibunt ex vaſis deauratis, edunt vitulum de armento, & pinguem ovem de grege, nec fratris Ioſephi incarcerati recordantur. Quoniam horum exterminationem adjurat Dominus, ut reliqui, velut ex ſpeculo intueantur, quid ſit Deo placuiſſe, & diſplicuiſſe. Peſtes autem, quæ caſtra ſequuntur, ac plerumque aliquot ab obſidione menſes ſæviunt, non ſunt militum immundiciis aſcribendæ: potiſſimum ſi dudum poſt captam civitatem (ut plerumque fit) inceperint. Nam & caſtra olim ſuas, & eaſdem militum impuritates habebant: ſed occaſio fracidi odoris cadaverum, mumiali fermento infecti: quippe quod hodie, non ut olim, nec ſat profundè ſepeliantur occiſi. Denique potiſſimùm, quod lædantur ab inviſibili glande eminus, terrorem Archeo quæ majorem movet, quàm dum haſta haſtæ, & gladius gladio animoſè opponerentur. Neque enim fruſtra in Lege erat præceptum. Quod quicumque tangeret cadaver, impurus eſſet, & abluendus ſimul cum ſua veſte. Quodque Sol, ſuper corpora ſuſpenſorum non occideret, Quæ ſanè literali ſenſu, pro reipubl. bono, ſic ſunt à Deo præſcripta, ne fermentum mumiale fraceſcat. Deplorandæ itaque eſt cœcitatis, & temeritatis, corpora ſuſpenſorum oſtentari ad ſpectaculum, donec ſponte decidant (parvum nempe inde commodum, pro tantis malis) & perinde eſt ac ſi dixerit Iudex. Deus quidem ſic inſtituit: ſed magiſtratus correxit propter melius. Quaſi Deo ignotum fuiſſet, quod ſpectaculum ſuſpenſi, malis foret horridum. Ergo ſi hoc ſcivit Deus, & nihilominus expreſſum mandatum ſepeliendi dedit: non eſt mirum, quod tranſgreſſionem comes ſequatur punitio. Ac ſequitur ſontes, ultor à tergo Deus. Atque utinam ſolos in tranſgreſſores, converſum ſupplicium: Etenim ſepelire, opus eſt miſericordiæ. Oſtentare autem ſontes ſuſpenſos, non eſt opus, ad quod æternum ite, aut venite, quandoque pronunciabitur. Siquidem non minoris eſt miſericordiæ, condemnati cadaver ſepeliiſſe, quàm principis. Hæcque miſericordia, non tam exercetur in mortuum: quàm in proximos, ne fœtor inſequens eos inficiat. Nec enim ſepulto prodeſt ſepeliri: ſed vivis.

vis. Scopus itaque divinæ bonitatis, non ſolùm in ſepeliendo, at in ſat profundè inhumando, conſiſtit. Quæ clariora, per exemplum fient. Etenim falco mortuus, ponè ſentes abjectus, ac ſemiputridus, à vivo devoratur, at mox Peſte contagioſiſſima ſuæ ſpeciei corripitur. Quia virus terroris intrò aſſumtum Archeo ſuo incutit, propter ſymbolum mumiale, putrida fracedine infectum. Eſtque tanta falconis Peſtis: quod peſtilens falco, per plateam delatus, inficiat alios omnes, qui triduò abinde iſthac deferuntur. Vnde conjicies, quid humana cadavera, tam ſuſpenſorum, quàm incuriè ſepultorum, ſui odore faciant. Canis enim canem non edit, niſi infumatum, dum videlicet mortis mumia, horrorem, guſtus alienatione, præſervando à putredine, amiſit. Lupus autem, lupum noviter mactatum, non autem putridum, edit. Vnde ſuſpicio eſt, in lupo aliquid eſſe, appropriatione mumiali ſuperius. Putavit fortè Paracelſus, id eſſe, in quo ſedet prima objecti applicati ſenſatio. Fortè & ob id linguam Lupi ſuſpenſam, Peſti adverſam putarunt. Quinimò militum cadavera, profundiùs hodie, quàm olim ſepelienda ſunt. Quia glans bombardæ, ſive muſquetti, facit contuſionem, dein ſecum partem aufert, quare foramen parit patulum, ac tandem ſimul venenoſam fuliginis impreſſionem patrat; unde mox, caro circumcirca, gangræna quadam nigricat. Faciléque venenum in ſe aſſumit; ſi non in vita, ſaltem mox à morte; dum nempe carnis feſtina putrilagine, in terram combibita, fracedo cadaveroſa oboritur. Quibus omnibus juncta eſt in morientis Archeo, Idea ultionis, ad putrefactionem prona. Inde in aërem, Gas monſtroſum, effunditur in aëra, quod Archeos viventium, terrore percutit. Eſt enim cum cadavere, perinde atque cum fimo equino. Qui non fraceſcit quamdiu calet: Sed dum areſcit, & ſal petræ inde migravit, tenditque fimus ad tranſmutatum iri, in liquorum terræ. Alioqui namque ſi fimus, urinæ equi aſperſione atque agitatione frequenti, à fracedine cohibeatur: multum ſalis petræ profert. Etenim aſpice quàm potens nutrimentum, eſt fungus unius noctis (eſt fungus nimirum, fructus è ſucco Leffas, coagulatus, primo enti vicinus: quod alibi oſtendi) ſed poſtquam fracedinem terræ aſſumſit, quam dirum ſuffocationi venenum proferat. Advigilandum itaque, ne fracedo ſurgat, in ultimæ digeſtionis reliquiis. Enimverò Peſtis, per pediſſequam, domum meam ſubintravit. Illa ſtatim convaluit. Vterque filius meus, major natu, animo conſternatus, inconcuſſum oſtentat animum, tacuitque, ſe continuò ſuſpirii bello, ad os ſtomachi, angi: cumque præpotentum hoſtium meorum technis, ſtructiſque dolis, domi meæ, ſub cautione fidejuſſoria detinerer, noluitque uterque, me deſerendo, rus adire. Cumque aliàs obſervaſſent, natando ſe recreari, æſtate media, me inſcio ter natarunt: unde obſervata tranſpiratione, illicò in febrim devolutus uterque, cum dejecta appetentia, dolore capitis, & catocho, obiit apud moniales, jurantes, ſe mea remedia admiſſuras: ſed poſtquam filios meos recepiſſent, recuſarunt remedia aliena. Maximus quidem, abſque ſtigmate, aut ſigno, etiam poſt mortem, periit. Vtpote refrigerata pelle natando, nil extrorſum apparuit. Alter verò, parvam duntaxat lividam puſtulam in lumbis oſtendit. Horumque jacturam velut præſentem, frequenter intueor, hujuſque tractatus initium dediſſe putaveris. Relinquo Domino meo vindictam, quem ſupplex obteſtor, hoſtibus meis parcat, & lumen pœnitentiæ largiatur.

Signa.

SCripſi hactenus paradoxa inſueta. Intellectus meus abſque Luna, erat tribulationibus immerſus, materia aderat terroris, horroris, atque difficultatum pleniſſima. Lector multus, optimorum incapax, brevitas initii tenebroſa, novitaſque odioſa, licet perneceſſaria. Quod autem potiſſimum nos in Peſte ocecœcat, eſt defectus ſigni exquiſiti, & inſeparabilis, cujus monitu nimirum, ſat tempeſtivè queamus per remedia occurrere. Nihilominus quicquid creati ubivis eſt, ſua habet diagnoſtica ſigna, per quæ à reliquis commodè diſtinguatur; quæque Peſtem præcedunt, comitantur, vel mox ſubſequuntur. Quæ enim præcedunt; in præcautionem faciunt: at quæcunque dein ſequuntur, aliis plus inſerviunt, quàm miſero ægroto. Sola autem ſigna comitantia ſanationem decernunt. Enimverò ſigna venturæ Peſtis, in cœlis depicta ſunt, ſi firmamentum annunciat opera manuum Domini, in terra. Signa ejuſmodi malè ab Aſtrologis, in dodecatemorion cauſarum relata eſſe, jam ante ſat manifeſtavi. Gafarel autem nuper Alphabetum Ebraïcum, ex ſtellarum ſitu, & Rabbinorum authoritate, deſcripſit ſatis ridiculo argumento, quo Ebræi ejuſmodi lurida comminiſcitur.

Quaſi Deus modò ſolos haberet ſervos ſuos Rabbinos, quibus ſecreta conſilia communicet. Non etenim conſiderant poſitionum iſtarum turpitudinem Chriſtiani, qui hujusmodi libros imprimi permittunt. Neque enim ſtellæ fixæ loca ſua mutant, ut nunc hæc, nunc alia ventura, deſcribant. Quod imprimis adverſatur toti Aſtrologiæ. Cometæ quoque, trabes, dracones, ſagittæ, cæteraque id genus portenta, non raro populares pronunciarunt Peſtes populares: ſed non per logiſticem, aut theoricas planetarum, multóque minus per Alphabetum Ebræorum. Exleges namque luces, regulis ſtatis haud obediunt. Etenim Aſtrologi Hieroſolymitani, artis ſuæ licet gnariſſimi; attamen ſignificationem, ut & apparitionem, Aſtri Bethlemici, penitus ignorarunt. *Non enim faciet Dominus verbum, quod non revelarit ſervis, & prophetis ſuis.* Amos 3. Sed horum nulla eſt artificum ſcientia. Nova quippe lumina ſæpè fuere funeſta, ſæpè è directo fauſta ſignificarunt. Portenta quippe, in manu Domini, ſecreta ejus judicia propalant, nec illa, niſi quibus vult, manifeſtat. Siquidem conjunctiones, oppoſitiones, quadrataque ſtellarum: Item eclypſes, retrogradationes, exilia, combuſtiones, receptiones, aliaque impedimenta: ſuppoſita ſunt ita regularia, quod ephemerides quandoque pro ſeculo ſint deſcriptæ. Peſtis verò eſt de creſcentibus extraordinariis, & non neceſſariis. Non eſt autem regulare medium, ex condigno adæquatum ſignum, pro effectu ab contingenti fortuito. Neque ideò ephemerides Brahæ, prædicere potuere Peſtem Longobardicam anni 1632. ex iniquo bello, metuque horroris conceptam. Quocirca contingentia extraordinaria, cauſis contingentibus extraordinariis tribuo. Credo equidem prænuncia eorundem ſigna, in firmamento eſſe depicta: at non in directionibus curſuum planetarium. Quare autumo ſigna eſſe irregularia, nec Aſtrologiæ ſubjecta: quippe illorum ſignificationes dantur privilegio extraordinario. Idcirco ſigna ejusmodi Peſtis, plerumque ſolis declarantur ſervis Dei. Vt legitur de Iona. Sed ſigna, præcedentia excidium Hieruſalem, erant nuncia verbi dudum antea prophetati, adeóque nec prænunciatum excidium impediri poterat, tantumque ad meram gloriam Dei, monitionem piorum, horumque fugam dirigebantur. Enimverò Iſrael mori, atque renovari per generationem in deſerto debebat, exceptis Ioſua & Caleb. Nec ullatenus id præpediri poterat. Stat enim Verbum Domine immutabile, apud quem nulla eſt viciſſitudo; quia non eſt homini in hoc ſimilis. Portenta igitur, ſi conditionem in declarando non præſcribant (*niſi Ninive convertatur*) inevitabilem effectum à natura ſpondent. Aliis quoque placuit, monſtrorum nativitates trahere in prænuncia ſigna Peſtis. Prout Corn. Gemma de Coſmocriticis, ſeu divinis Characteriſmis, nugando rapſodiat ſine baſi. Sed quis ille, qui monſtrorum prænuncia deſignata ſciet, vel interpretabitur? Peſte enim præſente, tunc nimirum, atque ſerò, quiſque ſignificata ad lubitum trahit ſuum. Sunt &, qui ideo in ſolitarum avium adventum horreant. Sed iſtud ſignum, vel deſinit eſſe naturale; vel coturnicum, Peſtem Iſraëliticam in deſerto præcedens, deſinet eſſe miraculum. Hocque impium & blaſphemum eſto: illud verò, impertinens ſcopo meo. Alii hoc ſignum interpretantur pro carnivoris avibus, in Peſtem futuram: quaſi miſſæ eſſent ad devoranda cadavera, futura inhumanda: Iuxta illud, Vbi cadavera, eò congregantur aquilæ At non legitur textus pro cadaveribus futuris; nec aquilæ leguntur ad cadavera peſtifera volaſſe, eaque deguſtaſſe: cum præ cæteris, curioſiſſime ſolita ſint ſepeliri. Rhodanus enim quandoque Lugdunenſis Peſtis abſtulit cadavera: ſed civitates inferiores contaminavit. Saltem Clerus Lugdunenſis per hoc declaravit, ſepulturam mortuorum, non tam ad animæ ſalutem, quàm ad crumenam cuſtodiri. Adventus itaque avium, præda viventium, potius futurum defectum prædæ ſuæ, in natalibus provinciis deſignat, potiusque belli ſtragem portento denunciarent, quàm Peſtem imminentem. Alii autem, Peſtem occurſu inſolitorum piſcium ariolantur. Aquas tabo ſcilicet infectas, autumant, & hactenus monſtra marina, in fluctus aſcendere. Ridiculum ſanè. Nam ſi mare, in ſua ſalſedine fraceſcat, quænam tandem aqua, maris labem eluet? Curve unica balæna extra orbitam errans, infeſtum virus maris ſenſerit? nec gregatim omnes aut plures ſimul? Equidem ſcio, mare non ſubeſſe contagio naturali Peſtis, quodque portenta cœli, atque maris, eodem digito dirigantur, cujus judicii imperſcrutabilis ſint præcones, ſuis tantùm ſervis explicata. Nam idem Dominus tam in centro terræ, fundo maris, quàm in cœlorum apice, eſt præſens. Equidem illi æqualiter auſcultant omnia, excepto ingratiſſimo peccatore. At certè magis vereor, inſolitas pluvias cruoris, macularum, aut ſcintillarum: Itemque funera per nubes delata, tonos lugubres in aëre auditos, ut

& ſonitus in cœmiteriis, &c. Quæ cum ſint divinæ bonitatis admonita, ideo extra naturam referenda ſunt, ut tempeſtivè quiſque ſuis lampadibus oleum proſpiciat. Neque idcirco enim illa portenta, cacodæmonis (niſi inviti) opera autumo. Equidem gratuita ſunt, & nupta naturam: neque ideo mei ſunt ſcopi. Paracelſus enim, ut in bufone atque ranis, ſingulare Peſtis remedium noverat: ita & hanc præſagiri ſcribit, quoties magnus ranarum acervus in cumulum aſſurgit, infirmum aliquem ſuffocaturus. Quo enecto, dein alium adoritur, donec ſenſim ſic diminuto numero, quæque ranarum tandem ſingulariter effugiat. Quæ ſi ſic naturaliter accidant: ut remedium, pro futura Peſte præparant: ita & deſignant. Etenim ex Galla, prout & pomo, quernis frondibus educto, ſcribunt, tria plerumque erui animalcula. Nimirum ſi araneam contineat, volunt portendere Peſtem: ſi muſcam, bellum: ſin verò reptile, famem prænunciare. Sed cum quotannis unum ſaltem è tribus incluſum reperiatur, ſi non bina, vel omnia: non ſequatur tamen continuo unum ex illis ſuppliciis. Quapropter ejuſmodi prædictiones inter aniles refero. Cenſeo itaque hujuſmodi inſectas denunciare differentiam Leſſas in quercu (Leſſas eſt ſuccus alimentarius plantarum.) ſic ut vermis denotet præfatū alimentum fracidum: aranea autem, inſuper adjunctum venenum fracedini. Ideóque toto ferè terræ globo connexa quaſi, ac contigua eſt ubivis aranea: quæ in quercu, non extra arborem aliquid portendit: maximè quod in vicinis, conſitiſque arboribus, nec etiam rarò in ejuſdem quercus fructibus, diverſæ illæ ſimul inſectæ, eadem æſtate conſpiciuntur. Non tamen memini in eadem quercu inveniſſe araneam ſimul & muſcam. Quanquam muſcam quidem & vermem, vermem quoque & araneam. At abſit à Chriſtiano prophetare, ex quercu & therebintho: diris namque id minis, à Domino prohibitum legitur. At quoties terræ motum, novus antrorum, raruſque comitatur, inſuetusve fœtor ſtagnis advenit: tunc ſigna endemica, vires habent occaſionales. Hæc de futura Peſte. Quod autem præſentem attinet, nunquam enim potui ex pulſu, vel urina, quantumvis etiam diſtillata, Peſtem noviſſe præſentem. Paracelſus equidem, eam inter morbos hepatis, ac tartareos, ſatque ridiculè numerat, prout alibi tractatu; & figmento de tartaris expugnando, ex profeſſo proſecutus ſum. Hic vir, Peſti anonymum pulſum tribuit, quem quartum vocat. Ego autem quamvis ſeriò, ſæpiúſque attenderim: meam tamen ineptitudinem agnoſco, quod ejuſmodi pulſum offenderim nunquam. At benè circa vitæ finem inæqualiter inordinatum, formicantem, ac tandem intermittentem notavi. Quartum autem, ſextumve, à reliquis diverſum, ex peculiari Peſtis proditione, nunquam inveni: Sed pulſus peſtilens, nequaquam mihi diverſus occurrit à febribus continuis malignis. Vrina ergò, & pulſus, nunquam apud meam ruditatem, detexerunt Peſtem. Imo dum penitius Paracelſi ſcripta evolverem, cognovi illum, nunquam Peſte infecto, aut moribundo adſtitiſſe. Interim Peſtis judicium, gravat conſcientiam, tam reſpectu afflicti, quàm familiæ ejuſdem: eò quòd Peſtis, Prætorem in crimine, quadam ſimilitudine referat, petentem vitæ, atque bonorum jacturam. Adeóque temerarium de Peſte judicium crimen continet. Etenim cognoviſſe Peſtem, ex ſpecie inſolitæ febris, alteri ſit facile: mihi ſanè perquam difficile fuit. Peſtis (dices) eſt cum febri, & dolore capitis: atque iſtud familiare aliis febribus. Peſtem ſæpè comitatur vomitus, & ſopor. At alibi id non prorſus inſolens eſt. Sunt in Peſte bubones, parotides, vel veſiculæ: ea non infrequenter innoxiis à Peſte febribus, ſunt vernacula. Sunt & Peſti maculæ nigræ, quas in mulieribus ex utero ſuffocatis vidi. Eſtque febris purpurea, itemque ectymata plumbea, citra Peſtem. Vt & Anthrax, ſæpè extra Peſtem obvenit. At quoties plura ejuſmòdi ſigna concurrunt, non eſt difficile de Peſte judicium. Bubo namque, veſiculæ, aut maculæ, ab initio ante multam Peſtis truculentiam, Peſtem denunciant. Sic & anthrax, aut bubo, tumorque tantillus, in Peſte eſt longè dolentior, quàm alibi uſpiam, ac ferè ante augmentum febris adſunt, anticipantque ſuſpicionem, ſe ex febri manaſſe. Adeò quòd ejuſmodi pellis miſeriæ, in Peſte præcedant, quæ aliis febribus ſeriùs, tanquam producta adveniunt. Bubo peſtilens, adhuc minutulus, ſtatim, & ex tempore, abſque membri dolore, febriſque comminutione atrox exſiſtit, doletque immenſum. At ſi bubo, poſt præviū membri dolorem emergat, inepti remedii vehit judicium. Ordinaria igitur jam hoſpitatæ Peſtis ſigna ſunt: ſi ante, vel mox ab initio febris, glandula, parotis, anthrax, veſica, puſtula, aut macula repente, ſummoque dolore invaſerint. In aliis namque febribus, non tam inſigniter dolent. rubet quidem locus, tumetque ante natum malum: Quod non ſic ſe habet in Peſte. Confirmaturque Peſtis vomitu, dolore capitis excellenti, ſopore, delirio, dejecta appetentia, ſi repente invaſerint. Peſtis enim peregrè adventans à contractu veneni hauſta, tanquam dolor pungentis ſtyli intrat, partemque quam ferit, ſtatim tumore, puſtula, veſicula, aut macula, ſummo dolore ſignat. Prout & quæ per odorem intrat, ſtomachum, atque caput vibrat, dolore repentino, vel anxietate ſoporifera: vel ipſum ſtomachum tanquam calcar ad vomitum incitat. Sin autem ab interno ſcaturiat, ea prævia habet febrim, ad quam confeſtim præfatorum ſignorum aliquod ſubſequitur. Quæ autem correpto terrore irruit, feſtina eſt, ægrique teſtimonio dignoſcitur. Quæ verò aliquali Archei (non autem hominis) terrore, orta eſt, inque cruoris tartaro latet, in gradu quidem ad Peſtem eſt, tardiorque ſolito erumpit, faciléque ſuperatur, niſi ægri obſtiterit negligentia: attamen longior in itinere ipſi mora eſt. Etenim plerumque ſat tempeſtivè, ſigna Peſtem comitantia, cognoſcuntur, ut remedium quod promtum, quodque peremtorium fuerit, ritè ſuo fungatur munere. Optatus attamen meus eſſet, Peſtem in fieri eſſe, agnoſcere. Nam quæ duntaxat à morte, ſua profert ſignata, magnum de medio tollit exercitum, multaſque depopulatur familias. Quippe lethalis jam evaſit, priuſquam ſe patefaciat, aut cognoſcatur. Eò quòd penſum prius abſolverit cum ſingultu, deliquio, eſcharaque in loco nobili. Hanc nempe unius diei vocant tragœdiam; diariam ideo, ſive ephemeram. Non quod Peſtis propriam ſedem habeat, vitæ ſpiritum, quanquam nulla unquam Peſtis fuerit, quæ Archeum etiam non infectaverit: adeóque & illo titulo, quælibet Peſtis, continuò diaria eſſe deberet. Sed quicquid de Archeo victum eſt à Peſte, id conſequenter illicò à vitali illo Archeo ſeparatur. Tandem & citiſſimam mortem adfert, quæ Archeum alicujus viſceris obſedit: quia continuò inde volucres mortis evolant, quæ reliquum peſſumdant Archeum. Vtinam enim atque utinam, non ſerò, neque ex eventu Peſtem agnoſcamus, Nam velox interitus, etſi ſigna proferat ſua: prodeſt tamen magis in futurum, nil autem præteritis. Aliqui enim ad hoc, plantas pedum lardo inſulſo inungunt, apponunt catulum, qui ſi lambat, perſuadent ſibi, caſum à Peſte immunem. Alii verò fruſtum lardi calefaciunt, ad pedes infirmi, ſubterve axillas aliquando fovent, vel in inguine. Hocque ajunt à cane non vorari, ſi Peſtis adſit. Quod nullam meretur fidem. Nam humana Peſtis non quatit canes, nec nauſeoſos facit. Siquidem tam canes, quàm lupi, non ſat benè ſepulta cadavera impunè devorant, ut & picæ, atque corvi ſimiliter. Forte quidem eſuriens canis non edet iſtud lardum, ad heri ſui pedes affrictum: quia herum olet, quem mordere non audet. Germani enim Petaſiten, ſive majorem tuſſilaginem, radicem Peſtilentiæ vocant, eò quòd ſicut Peſtis ſeſe pandit ante prænuncium ſignum: ſic petaſitis ſuos edat flores, ante folia. Peſtis quoque, non tam ſemine, quàm radice Archeali, ſe propagat. Referunt etiam, Sapphirum ſaturare lazureum, vel Hyacinthum citrinum, ſi per horæ quadrantem, ſuper membro dolente moretur, ſic ut lumen, ex oppoſito gemmæ, locum infectum feriat, ibidemque radios colligat, locum attactum infra horam liveſcere, eſſeque infallibile Peſtis ſignaculum. Sin verò locus nequaquam colorem lividiorem aſſumſerit, infirmum à Peſte abſolvi. Ego autem ſemper in dubiis, bufone pulverato ſum uſus, pultiſque forma, in aquæ ſimplicis tantillo, decocto. Quod ſi mox abinde dolor in eſchara anthrace, vel bubone, miteſceret, ſecurè Peſtem adeſſe conjeci. Aliquando enim aſpiciens miſſam antiſtitum, & abbatum, illorumque digitos gemmis ornatos, conjeci illos olim obligatos, ad viſitandum infectos Peſte: nunc verò adhuc gemmas geſtari gemmarum neglecto, atque neſcito uſu quem ego conjicio.

Præſervatio.

PRæſervativa apud Veteres, duplicia. Nam quædam debent impedire futuram Peſtem: alia quoque præſentem, ne progrediatur, ſuccidere. Pro priore enim, tam foris amuleta, quàm intus alexiteria excogitarunt. Sed cum Scholæ ignoraverint ipſam veneni quidditatem: quodque ſcilicet omnis Peſtis, ſive deforis allata, ſive demum intus genita fuerit, præſupponat imaginem terroris venefici: Idcirco nunquam propria præſervativa, ex fundamento cognita fuere. Itaque inter præſervativa. 1. conſidero, ne ſpiritus Archei in nobis terrorem concipiat, neve ex terrore ſibi pariat, vel aliunde intrò allatum, virus terrificum. 2. Ne fermentalis ſymbolizanſque mumia, forinſecus allata, noſtræ mumiæ internum rectorem Archeum infectet. 3. Vt interimatur, & abſcedat, quicquid jam in contagio, mumiæ particeps evaſerit. Minus proinde ſymbolum, quod nobiſcum commune habet, eſt tollendum Quapropter cuilibet antidoto, ſemper leve aliquod venenum ſolet admiſcere: ut ſcilicet hactenus applicatio, ſive approximatio tollatur: Archeus, à contagio ſervetur immunis, neve in alimentum mumiale decidat, ſibique inde tartarum cruoris fabricet. In hoc poſtremo tutelæ patrocinio tota antiquitas vigilavit, aliis verò non incubuit, quia ignotis. Licet hæc ultima præſervatio idcirco ceſſerit incerta, & abſque fruge: quia potius productum poſterius, ſive ſedem ſpectaverit, quam radicem, ſive cauſam præcipuam. Cum interim præſervatio à poſteriori: poſitis antecedentibus, prævertatur tanquam fruſtranea. Itaque ſi de præſervantibus, atque alexiteriis ex condigno ſit tractandum, In animo firmiter hærere debent, quæ jam de cauſis, proceſſu, ac modo fiendæ Peſtis expoſui. Itaque Peſtis, vel deforis intrat, locumque ſui introitus deforis ſignat: quia afficit primario: vel cum anhelitu attrahitur, ibique per diaphragma, ſive ſeptum transverſum, tranſit, preſſuramque facit & anxietates ſuper ipſum ſtomachi convexum: ibidem veſtit materiam. Quæ inde mox exhalat, & contagio fit infamis. Cumque in natura, omne agens initium habeat, augmentum, ſtatum, declinationem, ac tandem interitum: Neceſſe eſt pariter, quòd quò corruptio diuturnior potiorque fuerit, eò quoque pernicioſior efficiatur. Nam peſtis incipiens augetur, cum diminutione, atque hominis interitu. Etenim dudum credidi, quòd omne Peſtis remedium ſanativum, ejuſdem quoque eſſet neceſſariò præſervativum. Eò quòd præſervari facilius cenſeatur, quàm ſanari. Quicquidve in eodem genere præſtat, quod eſt difficilius, faceret libenter, & id quod eſt facilius. Quapropter olim diſtentus fui, cura alexipharmacis indagandis, quibus videlicet tum tota mei penderet voti ſatisfactio. At poſtmodum alio diverti & cogitavi, remedia ſanativa potius extractionem, ſive expulſionem mali ſpectare. Quodque ejuſmodi non haberent locum, in præſervativis de futuro. Quod nimirum cum nondum ſit, etiam nondum expelli, aut extrahi queat; imò ne quidem extingui. Siquidem inprimis, remedium contra terrorem imaginantis hominis, vel Archei: non tam in ſe eſt poſitivum, quàm negativum. Adeóque potus meracus ad hilaritatem uſque, præſervat de futuro. Quia nedum hominis: ſed & Archei imaginationem ſic regit, quod pereat vis formandi imagines. Sic enim nemo pauper eſt, aut defectuoſus, quamdiu ex potu hilaris eſt. Ideóque Sacra dictant vinum ad hilaritatem, non autem ad ebrietatem conditum eſſe. Quia potens eſt præſidium præſervativum. Adeo quamvis animoſitas viri excludat terrores ex imaginatione hominis: nequit tamen virilis animoſitas tollere terrorem Archei imaginantis. Nam præfata animoſitas admittit pugnam ex opinione contraria Archei: Hilaritas verò, per potum introducta, nec hoſtem admittit, nec agnoſcit, ut nec luctam ſuſcipit: ſed excludit. Eſt autem potus exhilarans, magis Peſti futuræ, quàm præſenti aptus. Admitto idcirco etiam præſervativa Peſtis, de præſenti, & ſanativa, eſſe ejuſdem cohortis, ac intentionis: non autem de futuro. Ita tamen, ut præſervativa Peſtis de præſenti, non ſerviant niſi in fieri eſſe augmenti: non autem in facto eſſe producti. Eò quòd corrupti, non ſint amplius præſervativa; ſed duntaxat ſanativa per exſtirpationem. Non credendum itaque, cacoalexiteria, etſi venena eſſent potentiſſima, poſſe arcere terrorem, ut neque terroris effectum peſtilentem. Siquidem virus peſtilens, eſt heteroclitum, ſecretumque ab reliquis venenis, in hoc, quod ex terrore Archei, velut ignis è ſilice, proſiliat. Nam ſi Archeus terrefactus, campo cedat, utique non poteſt corpus (quod in ſe conſiderando, merum eſt cadaver) confortationem ſuſcipere. Porrò, ſi ita Archeus recedere conſideretur, ut ejus loco virus intret, ipſumque Archeum hactenus ſupplantaverit: quomodo odoramenta, ac thymiamata virus præpedient: præſertim ſi ipſa aromatum præſtantiſſima, ſint peſtilentis contagii adhuc ſuſceptiva? Chriſtianæ ergò pietatis atque compaſſionis eſto, ſtudioſè contemplari mecum, quàm ſtolidè, atque inaccuratè, tot ſimplicia in acervum, præſervando, & curando ſint congeſta: quantumque illorum infida auxilia deluſerint hominum myriades & exſpectationes. Quippe in vero remedio, ubique generi humano eſt ludificatum, ob denſam cauſarum inſcitiam. Enimverò curativum præſentis veneni præſupponit id, quod præſervativum de futuro anticipat. Curativum itaque proprium convenit dumtaxat, quatenus productum (quod eſt ipſum virus peſtilens) in ipſa materia, cui inſidet, trucidando annihilat. Denique & aliud curativum, ſibi conjunctum, incumbit expellendo ſubjecto ipſius veneni. Quod per ſudorem eſt intentandum. Tertium porro, quod coadaptationem cauſarum ad producta tollit, minuitque: quod etiam in ſe naturam præſervativi habet. Peſtis itaque, quæ extrinſecus ab infecto corpore, veſte, aut loco, hauritur: habet quidem in ſe abſolutum, &

formale peſtilens venenum, quod nec præſupponit fracedinem præexiſtentem, atque ideo nullis præcedentibus querelis repente invadit, & ſigna edit poſtera: ſed tantùm appropriatione opus habet. Quale præſervativum in fieri, continet aëris rectificatio Hippocrati familiaris (de qua ſuo loco) non ſecus quàm in Peſte populari. Vt ſcilicet enecetur ipſum virus in aëre, aërque ſimul originaliter ſic diſponatur, ut humorem alimentarium non ſinat mumialiter corrumpi, aut fracedinem arripere. Hæc de futuro. Alioquin ubi jam peſtilens virus intrò receptum eſt, latitat, neſciturque, quin ſimul ſit aptatum & ſigillatum in Archeo: Idque propter ſingularem celeritatem ſui veneni. Atqui tum defenſiva ſolitaria tardè veniunt, niſi ſimul ſanativa ſint. Primò itaque cura omnis verſetur præſervandi, ut corpus caleat actu ſemper, ſerveturque in diaphæreſi: utque animus ad hilaritatem, terrori oppoſitam, ſit diſpoſitus. Prout de vino è Sacris, jam antè citavi. Quod autem de aëris infecti rectificatione legis, non tam aërem, quàm poros ejus ſpectat, in quorum vacuitatibus nempe ſedet fluctuativè aporrhœa contagii. Porrò quæ ex aëre fracedinem, virusque, è mente verò, terrorem, & demum è corpore mumiales coadaptationes tollunt, ſunt hæc præſervativa. Suffitus namque Hippocratis nedum ambientem: ſed & intro attractum, imò & coagulatum halitum, à veneno, ſimulque & à fracedine liberat, non minus, quàm quod mumiale fermentum applicari præpediat. Quorſum quoque faciunt alexiteria, zenexton, ſive amuleta externa, quæ poſſunt terroris imaginem, ac peſtilens virus, in proprio halitus, aut tartari cruoris ſubjecto, interimere. Atque hactenus quoque Archei terrorem avertere, atque præpedire. Sin verò Peſtis proprio intus errore concipitur, alia præſervativa requiruntur quàm ubi circa loca, aut perſonas infectas, eſt degendum. Peſtis autem formata, retrogrado ordine, à veneno formato, ad corruptivam aporrhœam, feſtinanti curſu eundum ſuadet. Proinde quoque nec amuleta circa inferiorem, ac remotam materiæ peſtilentis præparationem avertendam, occupantur: ſed ad ſuperandum formale ac ultimatum venenum, & adaptationem Archei, cum tartaro cruoris, in uno extremo, & in altero, cum veneno hauſto. Adeóque zenexton, indicationem curativam in præſervando cuſtodit: attamen à ſanativo ſuperatur in hoc. Quod ſanativa non ſolùm debeant interimere venenum: ſed etiam per ſudorem protrudere, Vtramque nimirum indicationum, oportet concurrere in curativis. Fruſtra namque alias multo ſudoris madore corpus diffluit, ſi tartarus cruoris non reſolvitur: ſed potiùs continuato Archei terrore continuetur. Cognitis nimirum cauſis, tam conſtitutiva, quàm occaſionali: ſolo dein rationis ductu, indicatio rerum agendarum conſurgit. Si namque fracedo initium dederit, primamque materiæ diſpoſitionem fecerit, fracida loca, ut & alimenta facilè putreſcentia vitanda. Aër apertus, ſanis ſanus, eò quòd habeat conſumptionis elementalis poteſtatem: ſed aër quatenus talis, non minus contagio obedit, quàm cætera corpora, ſuſceptumque contagium in ſuo aëris Magnali, quatenus cavitates habet, continet integrum. Quod tandem, non niſi ſponte plerumque, ſpatio 40 dierum ibidem tabeſcendo, emoritur, ac vi elementali, venenato fermenti ſemine, ſpoliatur. Nam ſemina rerum conceptarum, in aëre paulatim deficiunt, quatenus concluſam aëris cavitatibus, tanquam uteris, ad ultimam corruptionis diſpoſitionem, primamque materiæ aqueæ generationem, retrocedunt. Triſtia quoque univerſa, ſunt amolienda: nedum quia timori atque terrori vicina: ſed potiſſimùm, quia circa os ſtomachi, extemplò ſenſibilem pariunt fracedinem, ſuſpiriorum matrem. Loca ergò & objecta triſtis recordationis, ut etiam ejuſmodi ſodalitia, vitanda non minus, quàm nuncia, atque hiſtoriæ confabulamenta dolorifica. Bibenda ſunt vina exhilarantia, & cereviſiæ fortiores: quia incurias, ac animoſitates cauſando, mœſtitiam & terrores excutiunt. Contaminatis autem, quoquo modo, imò meticuloſis, ac mœſtis, aër ac venti frigidi nocent, quicquidque exhalationi atque ſudori opponitur. Domus elota ſubinde fracedinem quidem atque contagium tollit: & nocet infectis halitus aqueus. Ergò prius exſiccanda eſſet. Dies 40. clauſuræ, licet fracedinem augeant: tamen virus peſtilens tollunt, quatenus ſponte illo intervallo perit. Quarentenas, ſive quadragenarias, ad quamcunque renovationem conſuetudo, forte ideo traduxit. Etenim licet natatio, aut venæſectio, fracedinem minuere videantur: attamen cum ſanguinem, natura in theſaurum repoſuerit, ſequitur, ut quoties ſibi cruorem demi ſenſerit: Archeus ad terrorem, tanquam proditionem timens diſponatur, trahatque reſiduum ſanguinem intro ad ſe: ac per conſequens, etiam venenum peſtilens, una in penetrale vocat. Qui motus, cum ſudore, eſt diametralis. Ideóque tam venæſectio, quàm notatio, funeſta ſunto. Omnis quoque ſolutio alvi laxa, vitanda: eò quòd ſic crudior è mezaraicis cruor putrefit, per fermentum pharmaci ſolutivi (prout alibi libro de febribus) ad cujus nempe evacuationem, mezaraicæ à vena cava, & hæc à minoribus ramulis, cruorem repetunt. Qui motus ſanandæ Peſti eſt diametraliter oppoſitus. Quæ hactenus dixi,de numero ſunt præſervationum negativarum, ſive admonitoriæ regulæ vitandorum,nondum continentes ſanationem.Inter præſervativa autem poſitiva, primum locum vendicant ſibi amuleta, quod vim propriam ſortiantur,ſive ad enecandum virus, ſive etiam ad appropriationem mumialem Archei præpediendam. Utrumque ſcilicet eſt curativum in fieri. Denique ſequitur ſudoriferum. Quod eſt exſtirpativum Peſtis, & ſedis ſuæ per ablutionem. Denique Archeus mœſtus,atque terrefactus, confeſtim ſe intrò recipit,velut ad arcem fugit, gignit triſtitiam ſuſpiriaque, & anxietates venenoſas, hoſte intus recepto, adauget. Foràs ergò ad oblectamenta, ac per ſudorifera, evocandus. Sunt namque ſudorifera, cuncta ejuſdem intentionis,ac penè ponderis: at ſaltem in gradu bonitatis diſcrepant. Denique in adjuncto alexiterio, laudo potionem Hippocratis,cui addo gingiber, & baccas nigras hæderæ; quia diaphæretica,ſtomacho grata. Sunt etiam Alexiteria, vino generoſo, & mox à paſtu danda, non quidem ut ſudet æger,quantum ut corpus ſervetur in diaphæreſi. Paſtus autem levis, ac paucus ſit.Nam in omni febre,magiſq; in Peſte, digeſtio deficit, proinde cibi largioris vices,potus meracior ſubeat. Nam metum,curas, triſtitiam, atque terrores excludit. Ideoque & ſummum præſervativum, in confidentia ſtabilitur. Non equidem de fide Chriſtiana hîc loquor (quanquam magni ubivis in ſpiritualibus ſit momenti) nam & qui animam pro ovibus ponunt, ſubinde Peſte oppetunt, aliis incuriis,ſalvis permanentibus. Nam illorum confidentia, vel cariem intus habet, vel aliud obſtaculum. Non operante Domino miracula, niſi pro occultis judiciis ſuis. Fides ſive confidentia ergò, de qua hoc loco,eſt medium animoſitatis naturale,pugnax,ac validè reſiſtens terrori. Nec eſt iſta fides poſitiva. Credo: ſed prorſus negativa,non horrens, non timens, imò nec ideo credens ſe infectum iri. Etenim ut terror peſtiferus, adnexam fidem putativam ac timidam habet, ſe aliquid contagionis jamdum concepiſſe, aut fremitum ſentire: ſic ejus præſervatio eſt fides, ſe nil concepturos.Neq; ideo ſufficit,quòd confidentia ſit non terrifica (quod eſt medium inter terrorem & animoſitatem) ſed requiritur ut ſit operativa,per non credere ſe infectum iri. Idque non rationis inductione: at prorſus per animoſitatis poteſtatem liberam, ac meram confidentię matrem. Pueri alioqui,& amentes, quanquam nullum conceperunt terrorem: frequentius tamen Peſte pereunt, defectu operantis confidentiæ, quæ præſervativum ſibi fabricat. Non credere enim, ſe infectum iri, longè fortiùs operatur,præſumtione timoris.Non ſolùm quia negativum fortius deſtruit, quàm affirmativum adſtruat: ſed quia privationem unà complectitur,omni poſitivo fortiorem.Etenim qui procedimus ex infinito nihilo, idcirco natura noſtra fortiùs apprehendit nihil, quàm ipſum aliquid, unde & quietem ſibi adipiſcitur. Prout videre eſt in ſyllogiſmis negativis,in quibus concluſio negativum ſequitur, deſeritque etiam particulare affirmativum ſibi connexum, ut ſe, per negationem, in quietem dedat. Intellectus ſi quidem jam degener, naturaliter ſibi diffidens, intelligendo hoc aliquid rerum, ſemper mavult recubare in non ſcire,aut non poſſe. Iſtaque eſt ignaviæ cauſa in ſcientiis. Fides ergò requiſita in terrore, poſitiva, pro præſervando,debet ideo effectivè, actualiter,& efficienter ſtare: etſi cum ſpe, negativè concludat à debiliori parte. Vir bonus,inſerviendo affectis contagio, ſi propter pietatem operis ſperet, fidatque plus in bonitate operis,aut meriti, quàm libera animoſitate in Deum,fidem habet conjunctam ſpei, includitque agoniam timoris, atque terroris. Itaque naturaliter infectionem ſubit, niſi præſervetur aliunde. Confidentia autem hujus loci, non tam croco, aut ſtentorum exhilarantibus: quàm vini meracioris potu hilari depromitur. Prægnantes etiam, puerperæ aut menſtruoſæ, quia tum plus coërcentur ſub uteri imperio,quàm ductu Archei univerſalis,ideò periculoſius Peſte opprimuntur. Siquidem Archeus uteri, nequaquam rationi aut confidentiæ paret, qui totus confuſione, ac mœſta perturbationum turba, anxiatur. Conſolandus eſt itaque uterus oleo ſuccini, ſuccinoque in optimo vini ſpiritu ſoluto, ac ſuffitu ex verrucis crurium caballi, per tritorium adacto.

Zenexton.

QUam confidentiam, velut principale animoſitatis pignus; atque præſervationis Medium, ut excitarent Scholæ, excogitata fuere antiquitus Idolorum auxilia, expiationes, & Idolomaniæ immanes. Appenſa quoque, geſtataque fuere extrinſecus, quæ dein in omni religione, pro ſacris reputabantur, quæque vel falſo credebantur abſtruſa (quia incognita) bonitate, terrorem atque mœſtitiam repellere. Zenexton igitur, cum plerumque in Peſtis præcautionem excogitatum ſit, partemque curationis etiam compleat: Idcirco ſingularem conſiderationem meretur. Etenim Medici, pro cujuſque voto, deſcripſerunt varia, ut inſervirent conſolationi ægrotis, dum auxiliatores fugitivi eſſent. Amuleta quoque ſuſpendenda decernunt: quæ etſi plerumque nil virium haberent; ſaltem aliis, ruinoſo fundamento, animoſitatem perſuadeant: fidem nempe, ſpem, aut aliqualem confidentiam. Pagani enim primum imagines, ac ſtatuas deaſtrorum, portari circa ægros juſſerunt: dein itum eſt ad characteres, verba, ſigilla, & Taliſmanica Gamaheu. Chriſtianorum dein primi monachi, contra Peſtem, appendicula, colloque periapta dedere: illoque fundamento, perſuaſum eſt vulgo, ut Peſtem, plagam à Deo immediatè miſſam, credat. Meditor ego omne opus naturale, in natura debere ſequi ſua media, quoties adſunt cuncta ad operandum requiſita. Inquiro itaque hoc loco, fixas, firmas radices, neceſſarias atque ordinarias cauſas, ad conſequendum ejuſmodi cauſis correlativos effectus. Alii proinde Peſtem, interpretantes ſupplicium, geſtando nomina Ineffabilia, ſcripta, ſignata, meris ſtipata vanitatibus, verbis quoque non ſignificativis polluta, propoſuerunt. Quibus forſitan verſiculum Davidis, Salomonis, vel alicujus Prophetæ nexuerunt. At Paracelſus has ridens vanitates, alias majores commentus, duobus præcipuè characteriſmis, imò & mendacibus ſigillis ornatas; conſentitque rurſus iis, quos alibi irriſit multo ſarcaſmo. Ego enim ex hujuſmodi ſuperſtitionibus, nonnunquam facilem lapſum in hypochondriacam inſaniam, frequenter notavi. Præter hos, ſunt qui nomina divina deſerentes, figuras, lineas, characteres, verba, numerorum typos, & ad lubitum Aſtronomorum, ficta ſigilla planetarum (erronum nimirum errores) ſub Pythagoræ, Salomonis Iudæi, alteriuſve nomine commendant, plus gentilium deliramentis adhuc, quàm ſacris quibuſvis imprecationibus, tribuentes. Etenim ſi forte aliquis, qui peſtilentem eminus ſalutaſſet, liberque à contagio manſiſſet, jam nugarum author, jus ſibi fecerat, bis mille deinceps ſuis næniis imponendi. Docui ſiquidem nil aſtrale in Peſte, tam in modo fiendi, quàm ſanandi. Rejicio namque ſemper media infida, nugacia, ac potiſſimum quæ ſunt illicita. Nemo ſiquidem ſemifracto innitens baculo, à caſu, niſi caſualiter, ſervatur. Nam etſi vanis remediis terror humanus exuatur (quo infantes alioqui carent) non tamen ob id, terrore Archei privantur. Excludunt nimirum ſolum effectum privativè fidei quando plurimum: idque duntaxat pro parvo ſpatio, ſæpéque ſuos fidentes deſerunt, utpote, cum nullius poteſtatis eſſe ſciuntur. Paracelſus etenim, magni ſemper fecit accenſam imaginationem, atque fortem confidentiam. Quæ ubi ſuper ſabulum fluctuans, laxum, & fatuum, fundata reperi, nequivi approbare, quodque fatuitates opem præſervandi à Peſte contineant. Tandem Paracelſus vix fidens mentalibus nugis, ſe ad zenexton convertit, quod geſtantem indubiè à Peſte præſervaret. Aſt cum ad Stertzingum civitatem ſibi beneficam, illud non deſcripſerit, nobis fas voluit conjicere, an ingratus impoſuerit iſti civitati; an verò zenexton iſtud ignoraverit. Mortalibus ſanè neutiquam eſt remedium occultandum in tanta clade: præſertim unde ſibi apud præſentes, atque poſteros omnes, honorem mereri ſperaret. Inſanitum eſt variè ſuper hac re. Quiſque enim ſibi perſuaſit ſtentatum Paracelſi zenexton, auribus arripuiſſe. Idque tantoperè placuit mortalibus, quod abinde Græcorum Amuleta, cum barbaro zenexton nomine, nomina commutarint. Permultis enim arſenicum, Auripigmentum, argentum currens, imò & ſublimatum, atque ejuſmodi venarum venena, ad collum, venarumve pulſus portarunt: non ſecus ac ſi Peſtis, & pediculi, uno fugarentur remedio. Hujuſmodi autem inventa, ex Italia, præſumtione, impoſturis, & calliditatibus fertili, ad nos delata, adoramus, ſequimurque exteri. Etenim ut lubens poſteritas à Græcis, prima ſcientiarum ſermocinalium rudimenta, hauſiſſe gloriatur: Ita quoque à nemine ſperavit diſcere promtius venenorum proprietates, ad necis varietates, dilationes, & larvationes, quàm à natione venenorum implorante frequenter opem. Credidit nempe, falſoque ſibi perſuaſit: quod porrigere venena, & ſanare Peſtem, cognationem haberent. Ergò Medentes noſtri, à Patavinis redeuntes, cumque cultu ac reverentia in ſuos ibidem profeſſores, ſentientes de ingenti horum doctrina, quidam argentum vivum, teſtæ avellanæ incluſum, collo ſuſpenderunt, ſeque ſalvos rati ſunt. Quos cum alii oppetere cernerent, hydrargyrum priorem Arſenico nupſerunt, addita aranea, vel ſcorpione, quorum nonnulli verba ſacra, trochiſcis inde paratis, inſcripſere. Vt ſi unum minus feliciter proſit, alterum ſaltem juvet. Vidi autem in Caſtris Oſtendanis, ad litus, multa virorum millia, cum ejuſmodi zenexton, Peſte ſublata. Imò & qui per quindenas ſingulas, ſibi coſtas veſicarent, per arſenici trochiſcos, byſſinis peris incluſos. Atque illæ ſunt tragœdiæ Medicæ, Italicæ impoſturæ, finales periodi Iudæi porrò, atque Ethnici: hi nimirum ex inſcitia, illi verò ex jurata in nos hoſtilitate radices, nobis credulis geſtandas, ſpe deluſis, carè vendunt: mentiunturque Moſen primò, ac dein Salomonem, ejuſmodi arcana, per traditam Cabalam, patribus Rabbinis, ſucceſſivè tradidiſſe. Vt ipſe nequam Ioſephus, de incantamentorum tot millibus libris, (*Lib.* 8. *antiq. Iud. c.* 2.) à Salomone deſcriptis, inſigniter mentitur, non ſecus atque malignè ſubticet necem parvulorum innocentium ſub Herode. Denique noſtri poſtmodùm eventuum, atque promiſſionum diſproportionem intuentes, ſuffitus ſuaves, ac odores gratos deſcripſere, in pomis, pulveribus, pulvinariiſque, & ſpongiis, continuò ante nares olfactis, ſperarunt ſe, velut per cribum colaturos Peſtis auram, ab aromatum exhalatione, ſicque venenum interemturos, correcturoſve plauſibili ſibi odore. Quaſi venenum deſineret eſſe, aromate ſaturatum! & non intraret penitius, comite grati odoris! ac quaſi ipſa aromata, non contagio eſſent ſubnoxia! Quaſi arſenicum, napelluſve, ambari griſeo maritata, ceſſarent nocere! quaſi adoratiſſimum vinum, non ſtatim contaminaretur fracido cado! Meæ ſaltem animæ gratulor, quod ejuſmodi puerilibus deluſionibus nunquam inviſcata fuerit. Quamobrem zenexton fundatur, non quidem in excitata imaginatione, aut fide; quippe quæ alterius ſunt Monarchiæ velites: ſed omnino in actuali dote, per conditorem, rebus collata. Inprimis itaq; ex præmiſſis patet, aromata, aurum, gemmas, cryſtallum, & quæcunque odorem haurire queunt: poſſe eadem quoque lege Peſte contaminari. Non quidem, quod eorumdem nondum infectorum pharmaca prorſus ſpernam. Abſit. Aliud namque eſt diſceptare, an aliquid ſuſceptibile ſit contagii: & aliud longè, an aliquid contaminatos juvet. Docui enim vinum à contagio futuro præſervare, quod aliàs ita in ſe eſt contaminabile, ut & Peſtem, ſolo ſui attactu potuque adferat. Sed in zenexto, alia prorſus methodus eſt, requiſita conditio, ac proprietas. Requirit namque zenexton, ut ſit in ſe prorſus incontaminabile, ſi præſervare de futuro debeat. Eaque conditione à reliquis præſervativis diſtinguitur: unde nimirum cognoſcitur, quale zenexton ſit eligendum, & quale ſit infidum. Quæ ſic intelligas opto. Peſtis boum, non eſt canum, aut falconum: & nulla harum, eſt hominum. Poſſunt tamen pelles vel carnes brutorum, noſtrâ Peſte contaminari, ut nobis ſint peſtifera contagia, quanquam non illis. Quia Peſtis contaminat in appropriatione, ſive ſymbolo mumiali. Quanquam Peſtes ultimorum temporum nedum homines, quadrupedes, aves atque piſces: ſed & arbores de medio tollent, eruntque ideo alterius & atrocioris indolis, quàm Peſtes modernæ, naturæ è gremio defluentes. Itemque per præfata inſtruimur: quod Archeus humanus & brutorum ſingulorum, pares habeant ſubinde pavores, quodque horum characteres in peſtilens venenum, ſive Ideam virulentam formentur. Vnde ſat manifeſtè apparet, Peſtem non eſſe venenum, cæteris par. Siquidem Napellus, vipera &c. tam boves quàm homines enecant. A lapidibus itaque incipiendo zenexton. Sapphirus ſaturato colore cœruleus, & Hyacinthus fulvo colore prægnans, ſi circum bubonem, peſtilentemq; eſcharam, in gyrum volvatur per moram, è regione Solis, vel luminis, tractim circumducendo, facit, ut idem circulus dein ater fiat, & iſthac reliquum virus, tanquam per caminum, foras exhalet. Etiam plures alibi ſi ſint glandulæ, hæ tamen ſimul ſidant, pereant, ſequanturq; ad exitum tracti veneni. Ego autem Sapphirum præfero Hyacintho. Nec enim in ſacerdotis pectorali Sapphirus legitur fruſtra, excluſuſque Hyacinthus. Antiquitus enim ſemper zenexton gemmis fuit tributus, iiſque mox gentilitas figuras, numeros ac characteres inſculpſit. Sed cum gemmæ non eſſent pro pauperibus, quibus immenſa Bonitas præ divitibus, largo imbre tamen prævidit, ſeque patrem pauperum gratis obtulit, non facile inducor, has gemmas, verum Peſtis zenexton credere, Chirurgus Hiſpanus, cognomento Guardiola, xenodochii infectorum in obſidione Oſtendana præfectus, oſtendit mihi fruſtum ſuccini rubentis, quod ſibi toto triennio dixit unicum fuiſſe zenexton. Cujus arcanum erat. Quod ſcilicet ad ſeptem pulſus principales fuiſſet confrictum, uſque ad calorem. Nimirum utrimque ad tempora,ad carpos, malleolos,& ad ſiniſtram mammam. Ego ſaltem vidi, illum ſemper præſervatum,cæteris coadjutoribus è medio ſublatis. Erat autem Peſtis arenoſo litore,ventoſoque plerumque cœlo, ac frigoribus infeſto, trux & atrox valde.Quod autem in ſuccino reperio,non prorſus ſpernendum, eſt inprimis vis tractoria, affrictu manifeſta, & excitata. Dein, eſt ſuccinum, licet in ſe tranſparens atque gummoſum, minus arctè tamen clauſum, faciliusque ideo noſtro calore movetur,& alteratur. Deniq; nec habet ſuccinum vim trahendi limitatam, qualem Magnes, ferrum, & non cuprum, alliciens: ſed generalem, & abſque electione, modo leve id fuerit: Scilicet, ut peſtilentem auram, atque virus trahat, ſufficit, ſi levia quæcumque ad ſe traxerit. Signatum ergò hujuſmodi tractionis,denotat zenexton in natura fundatum: eoque fortiùs, ſi mumiali fermento appropriationem ſit adeptum. Vidi ſic namque frequenter venenatorum vulnerum, diſſoluto in ſpiritu vini ſuccino, factas ſanationes, alioqui penitus deſperatas.Imò prout ſuccinum non liqueſcit, aliis reſinis, pinguedineve colliquatum (quod ſingulare aliquid ſibi domeſticum denotat) certè peregrinam Phaëtontis fabulam,& tumultum, nomenque electri, non fruſtra coincidiſſe demonſtrat. Rideat qui volet frictiones ſuccini,ad pulſus noſtros; recurrat ad Magnum oportet:& pomorum frictiones,ad verrucarum abolitiones, non ſine fructu ſaltem admirabitur. Siquidem ſi linteum, peſtilenti buboni affrictum, contagium arripit atque propagat: quidni & in bonum finem, frictiones mumialem adferant diſpoſitionis coadaptationē! Quis quæſo ſuccinum Peſtilenti emunctorio affrictum, non ſuſpicetur: ſique venenum,cur pari etiam greſſu, etiam mumiale ſymbolum contraxiſſe,ſaltem non addubitet? Memini namque caſeo ſub axilla geſtato, & per canem deguſtato, in decipulam ſerviiſſe, herumque ſuum ita deſerviſſe, ut ſe crediderit, extero, per claſſem avehi. Equidem ſi bruta hanc mumiæ determinationem, velint nolint ſentiant, eique pareant, multóque tamen liberiore electione fruuntur, quàm quæ Archeali conceptu, in zenexton cadunt; non video, cur eandem determinationem ſuccino tribuiſſe, nefas fuerit. Eſt etenim admirandum creſcens, olim in reſinam arboream delatum:aliis demum minerale creditum: Dantiſco tamen mari ſudatum. Nil ſaltem ſtomacho,inteſtinis,nervis, imò & cerebro eſt gratius, ſuccino in vini ſpiritu reſoluto. Mirari ergò ceſſa, tam ſingulare creſcens, tam ſingulari quoq; vi confortativa ac præſervativa dotatum, tamque ſingulari tractrice ſignatum, Peſtem queat exſtirpare è locis membriſque noſtris, quibus conſolandis, ſingulari divinæ providentiæ bonitate, naſcitur. Nec enim hyperbolen ſapit, quod frictione ſuccinum trahat odorem: cujus ergò magis illi appropriatur individuo, quàm alteri. Eſt namque gummi poroſum, ac planè volatile: Ideoque ſuſceptivum odoris mumialis, quem frictione ſuſcepit. Novi namque methodum, qua gemmis, vis herbæ, animaliſque, characterizatur: Ita, utcunque poſtmodum exactè abluantur: reſidua tamen atque ſoſpes, vis impreſſa perſtet. Etenim Topazius flavus, modeſto calore cinerum, ut flavedinem amittit: ita Solis ardore flavedinem recuperat, quam in cinere, ejuſdem caloris gradu, perdiderat. Corallum rubeum, frictione ad mulierem, ex utero ægrotantem,pallorem contrahit permanentem: verum ad carnes ſanæ mulieris affricetur, priſtinum recuperat fulgoris ruborem. Denique vitra (ſolidorum corporum maximè clauſa) quibus eſſentiæ, vel magiſtera zibethæ &c. inerant, vidi repetitis tædioſiſque ablutionibus, odores illos peregrinos ſervaſſe: Imò & vitrum, magnetis vim tractoriam ſic ſervaſſe, eò quòd magiſterium Magnetis in illo fabricatum fuerat. Si igitur hujuſmodi fiant in vitro, quidni etiam in ſuccino? Quod ſe habet, ob poroſam & volatilem materiam inſtar teſtæ, quæ recens ſemel imbutum reſervat odorem. Non igitur mirum, ſi carabe imbutos odores retineat,præſertim ſi geſtetur ab eodem,cujus mumiales exhalationes per frictionem ſuſcepit. Nec etiam multum refert, ſi narium teſtimonia repudiet. Nam & per veſtigium non dignoſcimus, cujus ſit. Etenim ſi Sacra, in lapidibus, magnam virtutem commendent. Id non intelligunt de lapidibus reſolutis (nam tunc nondum ars reſolvendi vulgo enotuerat) neque de pulveribus lapidum bibitis. Quorum virtus, non niſi parva mora, ſtercoribus commiſta, tranſeundo labitur. Ergò de lapidibus integris ſermo eſt. Quæ tam attractiva, quàm expulſiva mali eſſe debet: ideoque ad zenexton commendabilis illorum vis. Si igitur lapis magnam habeat virtutem in uſum humanum, ipſæque duriſſimæ gemmæ, Sapientis teſtimonio, virtute ſint fertiles: neceſſe id eſt contingere, irradiando in corpus quod attingunt, propemodùm

dùm inſtar aſtrorum. Ideóque & ſuccinum, per irradiantem ſui tranſparentiam, effluendique proniorem obedientiam, nullatenus erit gemmis ſegnius: ejusque vis quæ aliàs velut ſopita dormit, non mirum ſi frictionibus & caloribus excitetur: præſertim quod adamas, etſi de ſe nil amittat, attamen fricando etiam paleas alliciat. Neque enim ſuccinum paleas aut feſtucas trahit, niſi prius fricetur. Eſt nempe ſignatum, docens, frictiones præcedere debere, ſi ſopita vis ejus, excuſſo ſomno excitari debeat, deſtinatumque auxilii munus, in nos influere. Teſtor ſaltem fruſtum ſuccini, ut gemmam refert, multo tamen facilius à paupere acquiri poſſe, pretioſis lapidibus. Enimverò Paracelſus excelſum gloriatur, invento magnetis humani, quo inceſſanter, putat auram peſtiferam introduci. Adeóque potiores vires pollicetur, in ſuo zenexto trahendi foras, quàm ſint ficti magnetis noſtri, trahendi intro. At ſanè vir ille viſus mihi, ſuæ doctrinæ de Peſte, tot libris evulgatæ, parum conſtans, parumque expertus. Dum ſcilicet cœlum, ſagittarium Peſtis, hancque, non niſi vulnus cœli, irati parentis fabricat. Quæ ſi vera autumat: ſaltem virus iſtud non à magnete trahitur, quod à tot millenis milliaribus in nos ſagittâtur. Magnesque vel immerito accuſatur, dum culpa caret, ac zenexton, fruſtra contra magnetis ficti tractum, dirigitur & appenditur foris: aut cauſas appropriationis zenexton, minimè intellexit, aut ſaltem ſurdas Peſtis cauſas, ſe dictaſſe exiſtimet. Quorſum ergò hoc loco conducit illius magnetis recordatio? laus inventi iſtius? Si quidem zenexton, nil habet commune cum illo magnete, neque adverſus eundem? eſto, ſit enim Magnes (donemus ſupponendo falſum) in corde, & arteriis, qui citra diſcretionem, commiſtum aëri peſtiferum ſimul virus intra combibat. At hunc, ſi zenexton tollat, vel impediat, jam homo neceſſariò ſuffocatur, aſſueta exſpiratione privus, ad cujus neceſſitates cor & arterias volunt indeſinenter fatigari. Quod ſi verò malimus zenexton, ſeparatorem auræ Peſtilentis, à pura: aliquid fabula dignum, vox iſta continet. Quia zenexton ſaltem cribri, ac ſeparatoris, vicesque Archei ſubiret. Sin autem zenexton efficiat, ut Magnes noſter non niſi licita trahat: eſſet tum zenexton Archei pædagogus, atque ludimagiſter, ut ſcilicet ſuo ritè fungatur munere, niſi forte mavis, zenexton ab Archeo, niſi ſolius officii nomine, diſtinctum. adeóque æqualiter cum Archeo inficeretur, Peſtisque contagium ſentiret. imò res externa, peregrina vitæ, virusque fortaſſis continens, jam Archei ritalis etymo aſſumitur. Eheu Paracelſe, longè aliter ſe res habet. Tædet namque Archeum ſuæ gubernationis: nec enim eſt pugnæ intentus, aut ſeparationi in Peſte. Qui ipſuſmet eſt unicum veneni objectum unicusque faber. Sed accingit ſe fugæ, habenas disjicit, panico terrore plenus, memorque ſuæ imbecillitatis, quod à venenis, vel minima odoris infectione, totus ſubigatur morſu viperæ, aut ictu ſcorpionis in digiti extremo. Delectum ideo recuſat, conſpectuque hoſtis, territus, fores aperit, claves poſt ſe abjicit, ac quemlibet mox gubernare admittit. Adeóque, quæcunque poſt mortem in cadavere obveniunt, in Peſtis acceſſu, ſunt in fieri eſſe. Zenexton igitur inſervit duntaxat, non quidem ut Archeum admoneat ſui officii, atque deſtinationis, neque ut virus, ab innocuo, in objectis dividat: multò minùs ut naturalem refocillationis attractum inhibeat: Sed ut necet, & annihilet ſpecificum virus, quod tam in aëre externo, quàm intus in Archeo, eſt conceptum. At ſanè nil horum magnete opus habet, nec magnetem ullatenus reſpicit. Ignotum eſt magnetis inventum, finisque, in zenexto, apud Paracelſum. Nam zenexton, in omnem eventum, ſi magnetem reſpiceret, non valeret, niſi caſu quo aura peſtilens intrò per arterias trahitur (quod alibi ſat demonſtravi frivolum tractatu de Blas humano) non autem ſicubi per anhelitum adducitur, ut neque ubi intus venenum oritur peſtilens. Igitur ignotum Paracelſi zenexton nequaquam neceſſitatibus naturæ, aut medendi finibus ſatisfacit. Hippocrates autem, propinquius viſus eſt cauſas neceſſitatis ad zenexton aſpexiſſe. Volens, cœlum in nobis tres motus locales facere, intrò ſcilicet, extra, & in orbem, cœlum, indiſtincto tum adhuc helleniſmo: pro vi vitali nominans. Unde poſteri cogitarunt, cœlum in nobis continendum in motu extrorſum, per diaphæreſin, ut impediatur Peſtis peregrina per inſpiratum. Etenim aliquid dicunt, & ab immemoriali, ſervantur infectorum corpora, in diaphæreſi. At manet idem dubium & anxietas vetuſta, circa anhelitum, Peſtisque internæ, fabricam. Meoque judicio, zenexton nec debet ſerare poros, nec claudere fores anhelitus, ne hoſtis intret, nec luctari cum Archeo. Sunt namque luctæ, diſſidia, atque rixæ, ſi unquam antea, ſaltem Peſte flagrante, importuna. Dum præcipue Archeus ſua, deſpondens, abjicit arma. Denique neque zenexton, ſeparando, coquendo,aut præparando exterius puro ab impuro,intentum ſit oportet. Sed prorſus per modum antidoti, ſit contra venenum jam receptum. Non quidem propriè contra venenum ipſum. Sed quandoquidem uſus ejus præcipuus ſit in præſervando magis, quàm in ſanando : Idcirco vis requiſita in zenexto propriiſſimè conſiſtit, quod tollat appropriationem adoptationemque mumialem:extra quam nullum ſit contagium. Nec tamen alienum eſſet, ſi inſuper alixiterii poteſtates ſit nactum. Enimverò Paracelſus multa de ranis & bufonibus pro Peſte refert, confuſa tamen quælibet. Multorum interim aviditates, atque oculos aperuit Etenim bufones mulieribus, prout & ranas, viris convenire aſſerit, & quidem baculo per caput transfoſſo, ſuſpendi atque ſiccari voluit. Menſem ad hoc nullum elegit. Promittit tandem bufonem ſic ſiccatum (de ranis autem, nil proſecutus) buboni appoſitum, ita in ſe,totum virus Peſtis tracturum, ut ſucceſſivè in quartum quintumve bufonem uſque, omnes mirabiliter intumeſcant. Adeóq; veneni quantitatem, per bufonem numerum conjicit. Vult & ſiccatum bufonem, prius macerari atque emolliri in aqua roſacea. Attamen vel eſt ſibi Paracelſus inconſtans, vel aliud ſibi,præter bufonem, zenexton delegit. Si quidem ſcribit bufonem valere ſolum in Peſte inguinum & mulierum. Ad alias autem Peſtes,aliis utitur atrahentibus: ſummumque incarnativum vulneris cœleſtis (ſic nempe Peſtem vocat) ait aurum & gemmas. Inprimis fateor, me bufones applicuiſſe bubonibus, & eſcharis, tam in pectore, capite,mammillis,quàm alibi tam in viris,quàm mulieribus : ac ubique, non ſine promto juvamine, & doloris mitigatione. At inprimis nunquam vidi, applicatum bufonem intumuiſſe tantillum. Quod & idcircò ridiculum deinceps duxi. Dein, æquè frivolum eſt illud Paracelſi. Quod ſcilicet Peſtis nuſquam alibi occurrat quàm ponè aures, ſub axillis, & in inguine : eò quòd ſagittarius cœleſtes non feriat alias. Siquidem vidi veram ac lethalem Peſtem ubivis toto corpore ſe oſtendiſſe, nedum eſcharis, veſiculis, puſtulis, & tumoribus : ſed etiam vibicibus, atque ſtigmatibus. Itaque putavit Paracelſus idem accidere bufoni exſiccato, quod vivo animali venenis aſſumtis, punctoque à ſerpentibus contingit, vel per venena plantarum & animalium interemto. Quaſi Peſtis humana venenum bufoni foret; hocque ſi contingeret, non bufo Peſti, ſed Peſtis bufoni impetraret. Nec etiam cadaver ſiccatum ſentit, quæ ſibi viventi erant venena. Nec tumet cadaver, ictum à ſerpente. Cadaver namque,ſi non ſenſerit,nec tumefaciendi energiam retinuit. Ignoraverit itaque Paracelſus, quod intumeſcere, ſit proprietas Archei vitalis, quodque non niſi occaſionaliter tumor à venenis procedat. Mirabar inſolentem Paracelſi hoc ſcribentis audaciam. Nam bufo exſiccatus utut ſex horis maceretur, ſemper tamen tumefactionis incapax. Mora enim macerationis, in celeri morbo,periculi atque jacturæ plenum eſt. Ego itaque maceravi tepida aqua paucula : qui loco dolenti appoſitus, mox dolorem lenivit. Equidem ſi quicquam è nobis, in cadaver bufonis exſpiraret, quod ibidem detineretur materialiter, eadem via qua intraſſet in bufonem, exſpiraſſet. Ergò tumeſcentia eſt actio vitalis Archei, efficienter & effectivè : veneni autem eſt actio occaſionalis, quæque ideo in Archeum mortui ſiccatique bufonis nulla eſſe poteſt. Archeus itaque, cum deſit exſiccato bufoni: non poteſt eſſe cauſa tumeſcentiæ in bufone. Nam venenum ceſſat eſſe venenum, in reſpectu rei mortuæ. Cum venenum dicat relationem ad aliquid vitale. Cognoſco, Paracelſum nullam habuiſſe actualem praxim Peſtis; multa quidem parumque conformia ſcripſiſſe, pollicitus plurima, ex relatu aliorum hauſta, credulitate. Hybernus Butlerus, me conſcio, Londini aliquot millia Peſte curaverat, hoſtium accuſationibus poſtmodùm in arce Vilvordiæ detentus, me adjutore libertatem nactus eſt. Iuſſerat enim bufonem magnum, menſe Iunio poſt meridiem captum, tibiis ſuſpenderem prope focum, illique ſubtenderem patinam è cera flava. Tandem à triduo ſuſpenſionis, bufo evomuit terram,& aliquot inſectas, ambulantes nimirum muſcas, nitentibus alis ſubviridi colore quaſi deauratis. Mox autem à vomitu,bufo obiit: nec ante triduum evomuit, licet pronus penderet. Dixit autem mihi, quod ſat remedii haberem curandis 40 millibus Peſte correptorum, promiſitque ſe mihi oſtenſurum rei cardinem. Sed repente in exſilium proſcriptus abiit. Saltem ego has ſordes vomitu rejectas,itemque exſiccatum bufonis cadaver,ſeparatim in pulverem tundi juſſi, & cum tragacantho trochiſcos formavi ; quibus feliciter ſum uſus tam ad præcautionem Peſtis, quàm ejuſdem ſanationem. Dein Iulio menſe, decreſcente Luna, veteres Bufones cepi, quorum oculi ſcatebant albis vermibus : nigriſque capitibus prominentes, adeò ut uterque oculus totus in vermes transformatus eſſet, fortaſſis 50. numero, in ſingulo oculorum foramine vermes erant densè compacti, quorum capita foris eminebant; & quoties aliquis egredi vel prominere conaretur, ſtatim bufo, appoſita manu, egreſſum vetabat. Hos autem bufones ad vomendum coactos (ut dixi) per ſuſpenſionem, reperi dare excellentiſſimum zenexton. Vermes autem in patinam ceream deciduos, ſimulque cum eo quod per vomitum rejecit, in trochiſcos parvulos redegi, addito cadavere bufonis, & cerea patina. Geſtati autem trochiſci ad mammam ſiniſtram, arcebant contagium, & loco infecto alligati, ſtatim virus extrahebant. Erantque trochiſci promtiores, ac validiores, ſi in uſum aliquoties recidiſſent, quàm recentiores. Reperi autem amuletum pro Peſte, longè validiſſimum. Nam ſi ſerpens comedat terram, omnibus diebus vitæ ſuæ, quia fuerat peccandi organum. Bufo comedit terram, quam evomit, omnibus diebus vitæ ſuæ. Teſtimonio autem Adeptæ Philoſophiæ, gerit Bufo odium in hominem, adeò ut aliquot herbas ſuo tabo inficiat, homini uſuales: idque in ſpem necis. In eo autem differt à ſerpente, quod viſo homine, terrorem immenſum concipiat naturali dono. Qui terror ab homine, naturalem energiam ſibi acquirit & imprimit, contra imagines territi Archei in homine. Siquidem terror bufonis interimit, & annihilat ideas territi Archei humani, eò quòd terror in bufone eſt naturalis, & ideo radicaliter ac per totum illi, etiam mortuo incorporatus: Idea autem terroris in Peſte, eſt tantùm accidentalis, & fluxa. Ergò bufo naturâ ſuâ timidus ab homine, odii ſui imagines auget, viresque intendit, ut ſaltem clanculum, ac Peſtis inſtar noceat. Hanc autem proprietatem ſigillarem odii ſimul & terroris, geſtat in capite, oculis, & loco concupiſcibilis poteſtatis. Caput itaque & oculi, adhuc vivo animali, in vivos ac veros vermes (quales caſeo innaſcuntur niſi, quod extremum capitis nigricet nonnihil) tranſmutantur. Tandem namque cum vita, vermium tanta multitudo excidit, quod vivo adhuc animali tota cerebri theca, verminoſa fuiſſe videatur. Terribile ſanè atque ſigillare ſignatum, terribiliſſimo morborum dicatum. *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu eorum, qui oderunt nos* (remedium nempe.) Siquidem odium in nos, terrorque bufonis, præparant nobis ſanitatis medelam. Eſt namque noſtri odium bufoni ideo vernaculum, ac naturaliter incorporatum: quod totus per totum, odii Ideam gerat: perinde ut ſaliva rabidi, per accidens Hydrophobiæ metum. Cæterùm quo terror noſtri, odiumque innatum in bufone, aſcendant altius, fortiusque ſui imagines imprimant, ſuſpenditur bufo eminus prope focum, in adſpectu noſtri. Creſcitque odium & terror ideo, in mortem uſque. Quod autem bufo per conceptus ſuos, Ideas generet, mox oſtendam, per ipſius mortem repentinam. Nunc ſaltem dico, quod projecerim bufonem in lacunam, muro cinctam, qui ſequenti mane perierat aquæ innatans turgidus. Habebat autem dorſum, frequenti nigro ſtigmate conſperſum. Quibus ſignaculis conjeci, quod remedium gerat adverſus Peſtem etiam ferociſſimam, quæ nempe poſt celerem mortem ſua edit ſigna. Spemque addit, ſi pro ferociſſima, morteque velociſſima, remedium promittat, multò præſtantius pro quavis ignaviore dederit. Vt autem mecum tyrones agnoſcant, quantum imago odii in hoc arcano operetur. Notandum ante omnia, quod Peſtis humana non attingat bruta, ut neque vice verſa. Eò quòd virus nullum operetur citra fermentum humanæ mumiæ, ſive ſymboli conſonantiam. Etenim ſive fermentum iſtud fluxerit ex corpore infecto, veſte, chartaque, auraque peſtilenti: ſive demum è nobis oriatur, claudaturque ſub tartaro cruoris, Saltem utut ſumatur, Peſtis nequit inficere quemquam, abſque communione fermenti. Hæc igitur Icon virulenta odii, & operans imago, hoc denique terroris ſeminale ſimulacrum in bufone, enecat fermentum mumiale; ſine quo ſcilicet venenum Peſtilens conſiſtere, ingredi, ut nec appropriari, nobis poteſt. Hic inquam modus eſt operandi in zenexto, quo ſcilicet impeditur peſtilentis auræ communio. Quatenus tartarum cruoris excrementoſum, ac evaporantem, privat fermento mumiali. Atque invicem ejus adfert fermentum ablativum veneni Peſtilentis, ſive Iconem necantem fermentum Peſtilens. Eò quòd quaſi in momento interimat fermentum mumiale, contagii fontem, vel ſaltem fomitem, nimirum ſi jam ſit præſens; impeditque futurum, quo minus invaleſcat: ſicque interimit immediatum inhæſionis ſubjectum, ne coaptetur. Fermentum itaque facilè intercidit, ſi inhabilitetur, ne ſuccreſcat ſedes Peſtis. Cum alioquin omne fermentum ſit mera cujusdam odoris tinctura. Neque enim Peſtilens virus atteritur à veneno bufonis, actione primaria deſtructiva aut debellativa: ſed actione ſecundaria, quatenus Idea odii aut terroris Peſtilens, extinguit fermentum; quo mediante venenum Peſtis ſubſiſtit, atque pergit inficere. Etenim cum venenum Peſtis, ſit productum imaginis, terroris Archei, in odore fracido, auraque mumiali ſtabulatum: tollitur etiam hoc fermentum copulans, medium appropriativum & immediatum ſubjectum veneni, manetque deinceps duntaxat ſubjectum fracidum, ut ante, ſudore tenus profligabile. Unde conſtat, quod zenexton ſaltem præcaveat appropriationem primario, ſimulq; tollat ſigillum, ſive quidditatem eſſentialem Ideæ virulentæ terroris. Enimverò Domina de Rommerſvvale, Toparcha in Eechove, nobilis, affinis & proba matrona, mihi in candore retulit, ſe quondam toto pomeridie ſpectaſſe duellum araneæ, & bufonis. Hic enim, dum ſe supernè ab aranea deſcendente ictum ſentiret, & capite, confeſtim ſe intumeſcere: confugit ad herbam, quam lambebat: ac celerrimè curatus, detumuit, unde iteratam pugnam aggreſſus, iterato quoque ictus fuit in capite, & ad eandem herbam properavit. Idque dum jam tertiò accidiſſet, Spectatrix, tædio affecta, plantam cultro excidit (erat autem plantago anguſtifolia) dumque eò quarta vice bufo rediret, nec iſtam herbam reperiret, celerrimè totus intumuit, & terrore percuſſus, mox obiit. Non autem ſe contulit, ad plantaginis ejusdem plantas vicinas, ac frequentes (etenim imago conceptus, metus atque triſtitiæ, mortem acceleratam parit. ſpes perit remedii celerrimi, in morbo furioſiſſimo) dum namque ſuam non reperit plantaginem, qui antea ſpe ſtatim convaleſcendi dimicabat: ſtatim metu, atq; terroris Idea deſperans, obiit. Patet enim hinc, hujus beſtiolæ pavor immenſus, magnitudo & violentia Ideæ pavoris, ex celeritate mortis conjicitur. Etenim confeſtim ſanari, intumeſcere, ac ſtatim perire, aperiunt, in hac inſecta fore momentaneum, ac præſentaneum in Peſte remedium, ut & toxico, fore ſuum cuique terroris conceptum, in Ideam formatum. Quippe Idea ejusmodi dualitatem cum vita ſervat, ideóque etiam illa hanc ſubplantat. Neque etiam bufo vivens, magni momenti zenexton, experienti mihi præbuit. Oportet namque granum emori, ſi ejus fructum exſpectemus: terroremque in bufone augeri convenit noſtri, nam ut noſtra Peſtis non eſt bufoni lethalis, aut contagioſa: ita terror bufonis, terrorem Peſtis Archei noſtri, nequicquam auget. Ac niſi terror, deſinat eſſe conceptus aliquis, ſitque redactus in Ideam activam, ut in Archeo non parit toxicum Peſtis: ita neque in bufone, efficit remedium. Ad hoc namque requiritur, nedum ut bufo præ timore toxici, aut deficientis plantaginis, moriatur, occidaturque à proprii conceptus terrifica Idea: verum neceſſe eſt, ut bufo præ noſtri terrore, languendo pereat ſuſpenſus prope focum, &c. Nam tunc terror ille lethalis, noſtro Archeo inferior, & confermentabilis, parit Ideam lethalem bufoni: nobis autem proficuam. Symbolizat nempe cum terrore noſtri Archei, in quantum participant terrores, in imagine terrifica. Sed quia terror bufonis, non eſt noſtras; Ideo toxicum fabricat, contra toxicum peſtilentis terroris, ab Archeo formati, in Ideam virulentam Peſtis. Eſt nempe zenexton in bufone optimum, à Patre pauperum homini ordinatum. Conſidera quæſo bufonem mecum, qualiter è fracido mucco oriatur, inter rimas lapidum, ibidemque citra cibum vivat, adoleſcatque per annos plurimos: è ſaxis nempe confractis, non ratus bufo Pariſiis eruitur, qui forte per ſeculum ibidem detentus fuit. Nec enim edit, antequam reſpiret. Bibitaque ſemel aura, mortis demum ac diminutionis leges ſubit. Vixit etiam ſolo, ſuoque Archeo, antequam reſpiraret. Cætera creata ferè omnia, in petra, putreſcunt. Bufo verò, in liquore fracido, nutritur, ac adoleſcit intra petram. Hinc conjicitur etiam, quod ſit animans deſtinatum divinitùs, ut Idea ſui terroris, virulenta quidem ſibi, nobis, noſtræque Peſti, ſit toxicum in terrore. Nam ut ex præfatis ſat patet, quod bufo noſtræ contemperationi & adaptationi ſit maximè incongruus, ita terroris Idea in bufone, eſt ipſi terrori peſtifero, in nobis, valde peſtilens. Cum igitur bufo ſit infecta, hominis aſpectu pavidiſſima, quæ in ſe tamen, terrorem ab homine, ſimulque odium in hominem, format in Imaginem, ſive ens activum reale, & non ſola confuſaque apprehenſione ſubſiſtens (prout jam ante de Idæis prægnantis, itemque canis rabidi, &c. nudè eſt demonſtratum.) Hinc contingit oriri venenum ex bufone, interimens virus terroris peſtilens in homine, unde nimirum Archeus invaleſcit, nedum ſentiens, extinctam in ſe Ideam peſtilentem: ſed inſuper quia agnoſcit aliquid terrefieri, paveſcere, atque fugere, ſe longè inferius. Sic namque in omni bello, atque duello, è pavore hoſtis conſpicuo, animus hoſtilis roboratur. Eſt autem bufo tantæ formidinis, ut ſi poſitus directo aſpectu, ante te, ipſum aliquandiu intuearis intentis oculis, per horæ quadrantem, nec aufugere queat, moriatur præ terrore. Bufo itaque occiſus, modo Paracelſico, abſque terrore mortuus, eſt zenexton indignus. Reſumto ergò animo, Archeus pavorem abjicit, maximoperè ubi natum ſui terroris virus interimi perſentit. Etenim non agit zenexton, per modum aliorum agentium. Non ſecus atque virus Peſtis, eſt prorſus inſolens. Nec agit zenexton materialiter: ſed actio ejuſdem eſt ſpiritualis, ac prorſus ſympathetica. Si quidem ſymbolum activitatis, in quo conſiſtit ratio fundandæ ſympathiæ, eſt in concepto veneno terroris, tam in Peſte, quàm bufone. Ac prout virus Peſtis, anomalum eſt, cum aliis nil habens commune: ita quoque zenexton, activitate terroris alieni, atque peregrini exorbitans; noſtri terroris imagini peſtilenti, fit manifeſtum toxicum, cum refocillatione, confirmatione, robore ac reſurrectione Archei. Quam ſanè zenexton activitatem, Scholæ contemplari non potuêre, eò quòd contemplari nequiverint iſtud Ariſtotelicum, nedum in Peſte: ſed & in venenis cæteris, eſſe mendoſum. Eſt nimirum actio zenextonis, à victoria patientis ſuper agens. Memineris namque quod terror atque odium in bufone, ab agente homine, ſuperante quidem, at nullatenus operante, impreſſa actuata proprio bufonis conceptu, & in gradum deducta, fiant agentia: quæ in præfata Idea, ſunt tanquam fugitiva animantia, ideóque terrefactum hominis Archeum reſtaurant, ac terroris virulenti imaginem enecant. Equidem in monomachiis ſpiritualibus, prorſus, atque longè ſecus certatur, quàm per appropriata agentia corporalia eſt ſolitum. Quod alibi demonſtravi, removendo activitates contrarietatum à proprietatibus naturæ. Zenexton ideò eſt de natura magnetica, agens ſcilicet duntaxat in objectum proprium, dum intra limites ſphæræ, ſuæ activitatis, occurrit. Dubium videri poſſet aliquibus, cur Imago odii, in bufone, ſit remedium: Imago autem odii in rabido ſit toxicum. Ratio eſt in adjuncta terroris Idea, in bufone. Quæ inferioritatem veneni parit. Nam unum ſuperat aliud, in animoſitate conceptuum. Ideóque & imaginum. Rabidus enim canis, audax, temerarius, ejuſque ſigillata imago, obedientiam ſuam injicit. Nec enim rabidus, in quantum timet: ſed timet aquas, quia rabidus. Prout nec timet aquas, quatenus odit animalia. bufo autem eſt animans noſtri timidiſſimum, utque ex odio ſibi innato in nos, eſt ſibi malè conſcius (ſic diſponente divina clementia.) Ita imagines illorum conceptuum penetrantes ſe mutuo, & comite, conferunt notam maximæ puſillanimitatis, intinctæ veneno odii. Hinc nempe necatur imago terroris peſtilentis, ab imagine lethalis odii, & Archeus noſter ab Imagine puſillanimis terroris, tanquam in ſpeculo, per applicationem zenexton intuetur; ac ſuperioritatem, quam ante amiſerat, propemodùm reaſſumit. Ideóque Idea terroris, in bufone, odit, ſimulque imago odii terret bufonem, unde venenum noſtro terrori ſuperinducit. Vtroque ſcilicet medio, imaginem terroris peſtilentis, in Archeo perimit. Eſt nimirum in ſpiritualibus primitiva autophilautia. Cum originalis omnis monomachia ſenſitivorum, non niſi ex præmeditatis conceptibus profluat: Vniuſcujuſque autem conceptus Idea formetur in phantaſia, ac entitatem induat ad aliquid deinceps agendum. Etenim ut imagines motuum faciendorum, deſinunt in motus: ſic & ſenſuum imagines deferuntur primùm intro, ad ulteriores conſiliorum deliberationes: moxque ibidem degenerant, in imagines apprehenſionum, paſſionum, vel perturbationum: atque inde feruntur ad aliquid agendum in corpore, vel extra ſe, labunturque ac gliſcunt juxta directiones atque inclinationes paſſionum. Hactenus nimirum ejuſmodi imagines determinant ſpiritus vitales, vel ipſas partes operativas viſcerum, juxta impreſſionem ſibi propriam. Quod clariſſimè enoteſcit in veneno rabidi. Qui, ſi nos formidaret, ut timet aquas, nos non impetret, nec ejus morſus nobis venenoſus eſſet. Aranea namque, ſcorpio, &c. ſint animalcula iracunda, quæque ſi nos feriant, ſui veneni iram in nos deponunt: vel potius, iræ venenum. Ancilla quædam ſubinde veſcebatur araneis, nedum verſicoloribus vineæ: ſed & nigris illis, è ſpecubus, & locis uliginoſis, & inde vivebat ſoſpes. Quapropter conſideravi, araneam animal timidum dum manu apprehenditur; nec ideo venenum parere, prout aliàs, dum iratum nos pungit. Hinc nimirum apprehenſus timidusque ſcorpio, medetur inflicto à ſe vulneri. Duo igitur in bufone occurrunt in ſummo gradu. Odii nimirum imago, virulenta ſui qualitate, extinguit, retunditque fermentum appropriativum, ne Archeus induat combibatque partam terroris Ideam:

Terroris autem imago in bufone, perterritum Archeum noſtrum revocat, additque animoſitatem, ut à fugiente fugans reddatur. Sunt, præter zenexton, quædam attractiva. Quale eſt naſturtium aquaticum, cum ſucco foliorum raphani majoris. Itemque ceraſorum halicacabi, & ficuum ana. Quæ contuſa apponuntur,& aperitur cutis circulariter. Item Napellus, uva inverſa, Aconitum, prius aceto cocta,tum cum ficu contuſa, loco appoſita, attrahunt potenter, & cutim aperiunt. Cujuſmodi plures claſſes ſunt.

Hippocrates redivivus.

HOMO quidam, cuſtodi angelo eudæmoni familiaris,oravit, ut à Deo impetraret remedium, per quod Hippocrates Græcorum Peſtem popularem curavit.Sperans miſeris Chriſtianis non denegatum iri, quod Gentilibus olim conceſſit Omnipotens. Dixit eudæmon: Hippocrates uſus eſt ſulfure, ſale & pice. Quod reſponſum, poſt ſe relinquit obſcuritates priores. Hinc factum, quod homo ille poſtmodùm dixerit, his temporibus,ſat dictum eſſe. Quare poſt anxiam indagationem, tandem mecum reſolvi. Quod ſulfur Hippocratis ætate, phlogiſton vocatum. Quo etymo, mox deinde Dioſcorides, optimum deſignari dixit, à ſua proprietate, quod ſcilicet integrum igni abſumeretur. Sed quia Hippocrates, quorumcunque morborum occultum virus, nuncupabat divinum in morbis, quodque per ſulfur, virus peſtilens (quod eſt venenorum, morborumque contagioſorum, ſummum, atque anteſignanum) ſanaret,cœpit ideò vocare ſulfur τὸ θεῖον. Adeò ut hinc, in hodiernum uſque diem, ſulfur non aliter ſcribatur, aut nominetur, quàm nomine Divini. Eò quòd medeatur Peſti; quæ uti à Diis tantùm immitti credita ſit, ſic & divinum auxilium in ſe continere putetur antiquitùs. Etenim cuncta univerſim corpora, etiam alexiteriorum, aërque ipſius, ſubjacent fracedini, & veneno Peſtis: ſuntque idcirco materia idonea occaſionalis ad Peſtem.Equidem Authores tędioſa diſputatione ſeſe verberant, an ſal ſit capax veneni peſtilentis? An epiſtola filo linteo clauſa, ſit contagionis particeps, non autem quæ ſtringitur filo metallico? Indolui ridiculum Italorum apologum, & rixandi ſtudium. Siquidem charta,non eſt minus capax contagii, quàm linum, undè fit. Argentum quoque, aurum, terſiſſimumque vitrum, atque ipſa antidotus, alienum virus peſtilens combibere poſſunt. Solum autem ſulfur, inter creata corpora reſiſtit fracedini, & Peſtis contagio. Quia ſolum ſulfur, inſtar ignis, omnem fracedinem, tam in doliis,quàm locis ipſis arcet, deletque cujusvis attactus, & odoris veſtigia. Sulfur enim ſic quoque tollit omnem propemodùm pellis ſcabiem: quia contagii inimicum. Quocirca neque mirum, ſi Peſtis, in pellem derivata ab interno initio, per ſulfur quoque extrahatur. Etenim cum in Univerſo, nil promptiùs ignem concipiat ſulfure, quia merus velut ignis eſt; non mirum, quod ſulfur demonſtret proprietates ignis,quæ ſunt omnia comburere, nec contagio infici. Equidem vidi in cataracta Gandavenſi, integram legionem Neapolitanam Peſte periiſſe: erat autem ibidem cohors Germanorum, quæ pulvere pyrio ſua tinxerat induſia, ut lotrices, ſimulque pediculos excuſarent. Horum ſi qui perirent, id præ dyſenteria, non autem Peſte. Itaque Hippocrates τὸ θεῖον ἄπυρον (id ſonat ſulfur ſive divinum ignem non expertum) quod vivum nuncupatur in officinis, ſola fuſione, à ſuperflua terra ſequeſtrabat. Eſt autem flavum, quod ſèmel accenſum, ardet porrò in finem uſque, nec pellem in ſuperficie contrahit, ut neque fæcem notatu dignam poſt ſe relinquit: ſed totum avolat, ſemel accenſum, idcirco φλογιστὸν nominatum. Nondum enim ætate Hippocratis, modus enotuerat, ex pyrite, & marcaſitis, extrahendi ſulfuris. Quapropter ſulfur Italicum præſtat noſtrate, Leodii nato. Nam pyrites, arſenicale aliquid exſpirat coquendo, quippe arſenicum ideo vulgo fumus metallorum dicitur. Iuſſit itaque Hippocrates primum, domos Peſte infectas ſulfure ſuffiri. Enimverò ſulfur dum uritur, ſeparanturque ejus heterogenea,dat nigram fuliginem, eructatque aquoſum, & acidum ſalem: qui in liquorem cogitur, diciturque ſtagma, ſive oleum ſulfuris. Denique ex accenſo ſulfure, exhalat pars ſulfuris homogenea, aſſurgens quidem propter calorem: ſed nondum accenſa. ideóque cum fumo evolat, priusquam flamma corripiatur. Sic nempe è lignis, olea nondum accenſa adſcendunt cum fuligine, & parietibus camini, fuliginem adhuc combuſtibilem affigunt. Sulfur autem ſic, cum fumo unà evolans, ut eſt in indole ſui priſtina: ita nec hoc loco alicujus valoris. At ſulfuris combuſti, cum omne ſemen per flammam deſtruatur, eo ipſo in Gas, ſive ſpiritum ſilveſtrem transmutatur. Quod ob proprietates ſui concreti, eſt Peſti antidotus. Nam cùm pharmacum debeat morbo adæquatè reſpondere, nequeunt aqua, ſal, fuligo, aut evolans flos ſulfuris, verum Peſtis eſſe remedium: ſed duntaxat Gas iſtud ſubtile, ac penè incorporeum, noſtro Archeo proinde confeſtim commiſcibile. Proinde Gas iſtud hyſtericas olfactu recreat; non autem oleum, non tinctura, lac, aut flores ſulfuris. Quo pacto autem Gas iſtud ſulfuris, ab ejus aporrhœa diſtinctum, agnoſcas, lychnium ſulfuratum accende in lagena vitrea: videbis confeſtim, totam albo impleri fumo, ac tandem flammam à fumo ſuffocari. Dein ſerva lagenam ſubere optimè obturatam; & videbis ad vaſis parietes, affixum ſulfur, & in ſuperficie aquæ, ſi qua in fundo ſit. Quod ſi verò poſt aliquot dies, lychneum idem accenſum collo lagenæ impoſueris, è veſtigio flamma extinguitur, propter Gas ſulfuris condenſabile. Non ſecus atque odor fracidus dolii, ſuffocat flammam lychnii ſulfurati. Hippocrates autem, omne vinum, quod in Peſte dabat, ſufficiebat hoc modo. Poculum ſtricti colli lychnio ardentis ſulfuris ſuffiebat, vinum ad tertiam partem affundebat, ac poculum arctè concluſum agitabat, dudum conquaſſando ſurſum atque deorſum. Donec vinum, omne Gas ſulfuris in ſe combibiſſet. Nondum enim Periapta, Amuletaque enotuerant. Myracopa autem ſupplebat, ungendo corpus vino Græco, cui tenuiſſimum pollinem ſulfuris incoxerat. Sudantibus verò, eundem pollinem exſiccatum Sole, adſpergebat, & frictionibus juſſit applicari. Peſtis autem, cum nunquam careat febri, cernerentque Græci, remedia Hippocratis, cœperunt primò Peſtem, dein omnem febrim, πῦϱ ſive Ignem vocare. Non quidem ob febrium inſignem, atque neceſſarium calorem cauſticum: (licet ſic placuerit Galeno) Siquidem initium, frigus, rigores horroresque, tam Pyr vocarunt, quàm ardentem cauſum. Hippocrates enim ſulfur in cote lævigabat cum aqua, & rurſus exſiccátum, ſervabat ad uſus. Dabat autem cum vino ſalito, & calente, grana ſulfuris 24. ut ſudores proliceret. Salem autem olla vitriata primum decrepitabat, mox dein aucto igne liquabat. Nam aliàs ſal ſordes in ſe continet, quæ primo crepitu evolant, dehiſcente, ac ſubſiliente ſale. Hi ſpiritus fraceſcunt facilè, ac ſalem, contagionis metui ſubſternunt. Sunt namque ſali admodùm peregrini. Qui licet dudum ante ſalis fuſionem fugerint, inſtituit tamen ſalis liquationem, ut per ignem abſumatur, quicquid exotici in ſale contineretur. Enimverò cernebat mox à Peſtis invaſione, conſternatum appetitum, dein & impuritates in ſtomacho ſuccreſcere fracidas, ac nidoroſas: unde cephalalgia, vomitus, nauſea, delirium, ſopor, &c. orirentur quæ ſanationem Peſtis impedirent. Sumſit itaque carnium communem balſamum ſalis: qui fracidum virus, atque putredines everteret abſtergendo, cum virium conſervatione: dabatque vinum ſalſum fervidum, non autem tepidum, ut nauſeas compeſceret, & ſudores potenter cieret: addebatque ſulfur, ut ſuo velut odore Peſtem interimeret. Quia ſal abſtergit, à putredine conſervat, & ſulfur, venenum cohibet. Hunc autem ſudorem, præſcribebat triduo ad minimum, ſæpè tamen in hebdomadam dilatabat. Quotidie autem ſudabant bis, & vice ſingula, per diei ſextantem, ſi poterant. Primis diebus plus, ac deinceps conſequenter minus. Inter ſudendum enim, tollebat omnem potum: peracto autem ſudoris termino, hordei cremore cibabat, & pro potu, vinum græcum picatum, cui inerant pauca grana ſalis præfati, & ſulfuris. Folia autem Aſari, aceto macerata, calida ſuperponebat buboni, plantis pedum, atque manuum, quæ poſt horas 12 ſingulas, ſepeliri juſſit. Quoniam immenſum fœtent. Factum eſt deinceps, quod Græcia uvas conſperſerit muria maris aliquoties, priuſquam ad torcular deferrentur. Suaſit nempe id Hippocrates, ut unà ſic inſectæ ab uvis pellerentur. Hinc vina græca, etiamnum ſalſa hodie, neſcita uſus hujuſmodi ratione. Ad grandes bubones, & ſtigmata, applicabat lintea calida, generoſo vino intincta, cui ſulfur, ut dixit, incoxerat. Præterea ſibi reſervabat arcanum, cujus obtuitu, ſibi divinos honores acquiſivit. Erat autem caro viperina, vel colubrina, quas mundabat. Abſciſſis nempe caudæ extremo, & capite, pellem excoriabat, Inteſtina cum felle abjiciens: ſolum Cor & Iecur reſervabat: omnem verò cruorem, cum vena per ſpinam decurrente, extraxit. Carnem verò non bullivit more, quo Theriacæ inditur; ſed eandem, cum oſſibus, & præfatis viſceribus exactè contuſit, & tepido furno exſiccavit, donec pulverari poſſent: quem pulverem deſpumato, coctoque ſatis melle, inſpergebat, dum ſciret carnes, coquendo, virtutem, tam in Iure, quàm vaporibus, deponere. Huic autem electuario aroma patrium addebat, ad palliandum ſecretum: ideóque nec ab Angelo patefactum. Myſterium autem, ſanatio continet. Quod ſicut mors per ſerpentem irrepſit: ipſa quoque per ſerpentis mortem vindicari debuerit. Adam enim gnarus proprietatum omnium beſtiarum, non ignoravit quoque, quod ſerpens callidior eſſet cæteris animantibus, quodque in ſerpente, balſamus præfatus lateret, remedium mortis. Quare Spiritus tenebrarum, protoplaſtis imponere non potuit tutius, quàm ſub pelle ſerpentis. Fortè namque ſperarunt mortem à Deo minitatam, auxilio ſerpentis ſe evaſuros. Vſus quoque eſt Hippocrates vino picato. Quocirca conſideratione dignum, quod Hiſpania rarò Peſte affligatur. Non quod deſint peccata aut ſordes, ubi nullæ propemodùm latrinæ ſunt. Regio inquam caloribus æſtuans, Africæ æmula, atque contermina eſt. Nec etiam quia magnates, potum nive refrigerant. Quia ſaltem rurales, atque cives, Peſte ſua peccata piarent. Sed Ægyptus utitur aquis, & fructibus, unde in carne fracedo. Hiſpania verò utitur vino, & quidem picato: quia cùm plerumque doliis careant, vina coriis picatis conſervant. Italia habet; vaſa lignea ideo nec pice utitur, coacta, frequentiusque Peſte corripitur. Pix enim, anthracibus appoſita, ſolamini eſt, citóque aperiuntur. Pix namque, eſcharæ nigredinem æmulatur. Inter arbores notas, ſola Picea, Tæda fit, & præ pinguedine ſtatim moritur, ſi trunco parum terræ adjicitur. Deus namque liberalis eſt ſuis remediis: idque ſuæ Bonitati eſt vernaculum. Mors enim, arbori superveniens, mortem homini, facto, per arborem mortali, remedio deſtinari viſa eſt. Odor picis, ſuffumigio plurimis provinciis Peſte contaminatis, familiaris. Sic namque non unicum Hippocrati remedium, contra Peſtem, Petus aſſerit: & ab Athenienſibus velut deaſtro tutelari, litatum. Cum ergò Græci cernerent Hippocratem uti remedio, ſibi duntaxat cognito, cui ideo vitam, ſanationem, & totam tribuebant præſervationem: ſenſim deſperantes, magis magisque uſus ſalis atque ſulfuris, in oblivionem abiit, præſertim ſi aliquot anni, à Peſte liberi, intercurrerent. Ac deinde quisque medentûm cœpit varia ſeligere, ſperans ſuum, Hippocratis eſſe antidotum. Unde poſtmodùm ſeges remediorum abſque numero collecta eſt, vacuis plerumque ariſtis. Tandem ex tenui olfactu viperinæ laudis ſurrexit Theriaces compoſitio, partim confuſione ſimplicium gravata, partimque inter præparandum diſſipatis odoribus, & in juſculis, abjecere meliores proprietates viperæ. Hodiè magni fit antidotus Orvietani pro Peſte: quia is primus auſus fuit publico foro, deglutire ignotum ſibi quodlibet toxicum. Quod hodie Germani præſtant ſolo uſu colubri. Parùm enim diſtinguunt Peſtem, à toxicis cæteris, parúmque adnotarunt, invito Orvietani electuario, Peſtem nihilominus ſævijſſe nuper per totam Longobardiam. Omitto namque, quod radicitùs Peſtis à cæteris venenis differat. Quercetanus, hujusque farinæ ſcriptores, in cacoalexiteriis, ac tyrociniis plurima (audacter, an temulenter judicent alii ex ſuppoſitis Peſtis radicibus) dictant remedia: quorum unumquodque, non quidem ex ſcientia: ſed ex ſola putatione, concinnatum eſt, eorumque author commiſeratione, ſi non ſupplicio, dignus eſt. Ranzovius namque, de ſanitate tuenda, ad filium Saxonicam antidotum deſcribit, per me tentatam aliquoties: at fruſtra ſemper. Quia virus, ſpirituali terroris imagine conſiſtens, nil habet in præfata antidoto, quod radicitus eandem ſuperet imaginem. Ideóque præ inſcitia cauſarum Peſtis, excogitavit quilibet multa, pluraque adhuc inconcinnè connexuit, contra virus peregrinè intrans. Univerſa nimirum confuſa, citra methodum, experientiam, rationem, & cauſarum notitiam. Nihilque omnino contra Peſtem, ſtultâ terroris imagine, atque perſuaſione timiditatis ortam, excogitatum, deinceps ab ævo Hippocratis, quisque Medentûm cœpit pro lubitu varia ſeligere, & connectere multa, ac multo plura, ſperans ſuum, eſſe Hippocratis inventum. Interim numerus compoſitionum excrevit, ſenſimq; incertitudo veritatem priſtinam ſupplantavit. Et quanquam antidotus, operans circa effectus producti veneni in corpore, magni pendenda ſit; dum tamen non operetur in Archei terrores, imaginemq; inde productam: profectò, nec opem Peſtilenti cōtagio adferre poteſt. Vel ſi cum iis quis reſurgat à Peſte, id non niſi infido fit auxilio. Nam in Peſte, ipſe Archeus terrore atque mœrore propemodùm faſcinatus eſt, ac pernicioſam imaginem in ſe cudit, quæ vera eſt Peſtis: à qua nec ſponte reſurgit, niſi vi naturæ ſingulari, ac gratiâ divinâ. Porrò, ut tractatu ſingulari demonſtravi alibi, primos conceptuũ impetus non ſtare in libera voluntatis diſpoſipoſitione; ſed fabricari in Hypochondriis: ita exin deductis argumentis,apprimè ſpectavi,terroris imaginem,Peſtemque videlicet ipſam formari circa ſtomachi ac Splenis ditionem. Id enim ſeriò,longoq; otio deprehendi,ac plurimis hiſtoriis obſervatione accuratè confirmavi, quarum unam aut alteram retuliſſe, non erit extra ſcopum. Adoleſcens quidam, cernens ſororculam ſtigmate nigro adſperſam, & extinctam, terrore perculſus, ſtatim ſarcinam circa os ſtomachi ſenſit, continuæ ſuſpirationis monitricem. Utebatur quotidie Theriaca, adjuncta Myrrha, & petaſitidis radice, edębat ac bibebat usque in hilaritatem. Tandem 12. die ab obitu ſororis, febris, ac ſopor, ipſum apprehendit, & triduo inde obiit. Nobilis virgo conſimilem ſarcinam, atque terroris anxietatem paſſa, tandem dejecta appetentia, ſuſpiriis, compreſſionibuſque ſtomachi, inſomnes noctes, ac palpitante corde tranſegit, febris illam lenta atque continua apprehendit, cum lucta timoris & ſpei indeſinente. Fruſtraneæ erant enim, quotquot ſecum deliberationes animoſitatis, ac reſignationis liberæ, faceret. Spretis etiam cibis, vino tandem forti locus ſuperfuit. Idque etiam mox faſtidivit. Nec etiam tantoperè mortem expavit, quantum futura deliria. Ridebat interim ſtultas anxietates, ſive luctæ vanitates, ſuæque ſtultitiæ piguit ipſam. Medentes autem miſerant ſua ad illam Alexiteria. Sub quibus crevit animi duellum, non ſecus ac demorſis à rabido ſua Hydrophobia. Ac tandem lethali mœſtitia terroris peſtiferi, jam planè deſpondebat animo. Quippe quæ à tribus hebdomadibus, ſomnum nullum admiſerat, ſub agonia perpetua, vitæ deſperatione, & plena tamen luctæ ſuæ ſtultæ recognitione ſecum anxiebatur: Adhibitiſque opiatis, pejus ſe habuit. Tandem inter metum, ac optatum mortis, remedio Hippocratis, 6 horarum ſpatio planè convaluit. Interim fateor atque moneo proteſtando, quòd condum Hippocratici remedii manifeſtaverim ſatis apertè, ut ſolis artis filiis, veriſque Medicis ſit ſat patulum: ſoliſque pigriis Medentibus lucro emancipatis, & invidis veritatis oſoribus, tectum futurum. Narravi autem. 1. Hiſtorias præfatas, ut eluceſcant incipientes Peſtes, nondum veneno peſtilenti imbutas, nondumque ſufficienti imagine terroris comitatas. 2. Utque exin conſtet virtus remedii Hippocratici. 3. Quòd impetus primi, confuſionis, terroris, atque imaginationis circa os ſtomachi, in Hypochondrio contingant. In liene nimirum, cujus emunctorium eſt prope os ſtomachi, adeóque ſcopus illius ſagittarii. Nam in juvene ſano, quem Peſtis ſeptem horarum abripuerat, inſtituta anatomia, reperi eſcharam oblongam jam conſtitutam, ut prius vomitus motricem, ac dein ſyncopum continuarum authricem: ita & mortis repentinæ occaſionem dediſſe, prout in aliis, 16 horarum ſpatio, triplicem in ſtomacho eſcharam notavi patratam. 4. Quòd animalis verſutiæ herus, cum caduceo ſomni, ſoporis atque vigiliarum ibidem diverſorium elegerit. 5. Quodque omnis amentiæ atque delirii ſedes, ſit ibidem. Idque longâ demonſtratione alibi fundavi ex profeſſo. 6. Purgationes item, ut & myrrhatas antidotos peſtilentiales, non ſat tutas, aut confidentiâ dignas eſſe. 7. Quodque omnis ratio, deliberatio, animoſitas, reſignatio, conſolatio, argumentatio, omniſque verſutia humana, in contrarium, non niſi Æthyopem lavent in Peſte, prout & in Hydrophobia. 8. Quòd opera præſervativorum, ſit ignava, quoties & quamdiu perſtat ſigillum imaginis, à terrore fabricatæ. 9. Quòd ejuſmodi imago continuos de ſe luctus excitet, phantaſiamque ipſam conculcet, nec minus ad ſe captivam trahat, quàm rabidi morſus nolentem hydrophobum parit. aut Tarantulæ ictus, delirium tripudiatorium. 10. Quòd laxa ſit ſolius ſudoris conſolatio, in ejuſmodi terroribus. 11. Quòd non devicta timoris Idea in viſcere, nec exulata fœce, cui iſta imago inſedit, irritum eſt, quicquid magiſtrales, aut officinarum compoſitiones, moliantur. Hydrophobi namque, licet ſubinde per intervalla diſcretè loquantur, præſentiant, prædicentque ad venam inſaniam, non poſſunt tamen non adigi in inſaniam ſuæ imaginis. 12. Quòd pernicioſa ſit natatio, & quicquid ſudorem cohibet. 13. Ptiſanæ, pultes, ſyrupos, atque julapia, laxa ac frivola eſſe remedia tanto malo. 14. A Peſte notha perveniri tandem ad legitimam: ſæpius tamen ægros deficere ſub incipiente, antequam ſua edat ſigna. Quæ tamen mox ab obitu, proditoria emergunt. 15. Quòd odores grati, ſuffitus aromatum, plumarum, aut calceamentorum, nullum Peſti adferant præſidium, aut ſubſidium. Per exemplum enim, Si fracidum cadum vini, aromatum, vel quovis alio odore, præterquam ſulfuris, imbuas: manet fracidum, novumque vinum, quod infuderis, mox contaminat, ut prius. Quare aromata, à ſemel terrefacto Archeo terrorem, terroriſque Ideam virulentam, nequaquam auferunt. Quia materiam veneni non tollunt, multò minus illud enecant, vel terrorem ab Archeo amovent; ut nec ſedem reficiunt, vel partem affectam ſolantur. Etenim Paracelſus, ad civitatem Stertzingam ſibi beneficam, commendat præ cæteris quibuſvis remediis, ſub lingua ſenſim liquatam myrrham: ac junioribus in præſervationem, pro 24 horarum ſpatio promittit audacter. Quam attamen doctrinam expertus ſum mendacem. Vidi namque adoleſcentes, myrrhæ uſu multo, Peſte interfectos. Myrrha quidem, etſi cadavera, balſami loco præſervet à putredine: procul tamen diſtat Peſtis à putredine. Non ſecus ac candentis ferri eſchara, à putrefacto cruore diſcrepat. Et licet jam demortuum ſubſequatur putredo, terroris tamen virulenta imago propriè non putrefacit: ſicut propriiſſimè Archeum vitalem occidit, ac in virus ſecum tranſmutat. Jubet enim myrrham ore detineri. Quaſi Peſtis neſciret intrare, niſi oretenus. Longè ergò conſultius, os clauſiſſe ſilentio. Equidem Peſtis horrebit myrrham, nec per nares intrare audebit, ſi myrrha ore detēta, liqueſcat. An odor fortè myrrhæ impediet, quominus imago venenoſa, non ſit venenoſa? ſit nocua? An enim myrrha in ore, repellet Peſtem ex Archeo? Eadem ratio æquè frivola ac inſulſa eſt, pro Theriaca, aceto &c. odoratis. Tandem ſciant mortales, in medendo, nil æquè damnoſum, ac credulitas, data abſque pignore, & veritate. Profectò accuſationes ægrorum, quandoque tonitruent contra negligentiam, falſitates, impoſturas, temeritates, falſaſque medentûm merces, quibus vita ſpoliati fuere. Ego autem ex libris, Paracelſum virum deprehendi, temerarium promittendo, inexpertum in Peſte, inconſtantem in remediis, Ignarum in cauſis, ut & ingratum, erga beneficam Stertzingam. Parcant mihi ejus cultores, quod in re tanti momenti, pro veritate candidè loqui cogar, ne quis ſe ſuis fidat in Peſte auxiliis.

Imago terroris ventilata.

HActenus inauditum virus Peſtis produxi. Scilicet animam, ejuſque vitalem Archeum pollere imaginatione ſibi vernacula. Imaginationis autem præfatæ poteſtatem eſſe, formare Ideas: non quidem quæ amplius ſint nudum ens rationis, ſive non ens: ſed veram prorſus imaginis ſubſiſtentis entitatem actualiter habeant. Quæ nimirum imaginatio, cùm ſit opus carnis, brutis etiam nobiſcum commune; hinc nempe fabricatur in externo homine, à quo nil niſi hoc aliquid, longè à ſpirituali conceptu diverſum, progreditur. Ad quam autem entitatem ſubſiſtentem, conſequendum, ipſe Archeus veſtit ſuum conceptum (qui mera & abſtracta adhuc eſt mentalis Idea) ſui involucro, ſive particula auræ ſuæ adeo, ut quod in ſe concepit abſtracto imaginationis conceptu, idipſum Archeus mox veſtiat, induatque vitali aura. Sic ut deinceps ſit ſubſiſtens ens, imago ſcilicet ab imaginatione fabricata. Porrò ut conceptuum, ac paſſionum variæ ſunt difformitates, juxta Prothei illius libertatem: ita haud dubiè ſunt & iſtiuſmodi imaginum multiplices varietates, procul ab invicem ſegregatæ. Etenim ſic lætitia, atque triſtitia, è diametro ab invicem recedunt, harumq; Ideæ, ſpiritibus vitalibus indutæ, ſculptæ, ac uſæ, diametraliter in nobis diſſimiles operationes edunt. Suntq; ideò Imagines terroris plurimum virulentæ, atque potentes ad contaminandum, ſymbolizantem ſecum ſpiritum vitalem, tam in corde, ac arteriis, quàm in ipſamet ſolidorum œconomia habitantem. Quam ſcilicet imaginem, ejuſque efficaciam potentiſſimam, jam ante, ac pluries alibi, manifeſtavi, quantum potui. Dixi etiam, ac demonſtravi, eandem imaginem eſſe Peſtis eſſentialem, formalem, atque immediatam quidditatem. Quippe quod non infrequenter ex ſolo terrore, à Peſte Peſtis ſit fabricata, licet non præexſiſteret cauſa materialis, unde hauriri poſſet. Tractavi deinceps obiter de præſervatione ac ſanatione Peſtis per zenexton, & remedia olim temporibus Hippocratis uſitata. Attamen nondum pro præſenti ſeculo ſat dictum in ordine ad ſanandum. Siquidem plurimæ occurrunt difficultates, nondum ſat elucidatæ. Inprimis imago terroris unica eſt quidem ſua in ſpecie, ac proinde difficulter poteſt intelligi, quod Peſtis ex unica uniformique Idea terriculamenti, quiret tam diverſa, tam diſtinctis nedum emunctoriis: ſed per totum corpus tam diſtinctas partes æqualiter, pro ſuo lubitu affligere. 2. Deinde, quod eadem terroris imago quiret ſolo nutu ſuo tam diverſa à ſe invicem producta, cudere. Qualia ſunt Anthraces, Bubones, eſcharæ, veſiculæ, puſtulæ, tumores, vibices, &c. 3. Quod unica terroris Idea, nedum partes externas,ſed & ſtomachum invaderet, & obſideret,itemque caput,&c.4. Quod unitas illius Ideæ,nunc acutiſſimum morbum,aliàs lentum ſenſimq; nictantem,alibi ſenſim ſponte fatiſcentem produceret: cum ejuſmodi effectus potius veneni diverſitatem, quàm identitatem accuſare videantur.5.Quod Archeus humanus, terroris venenoſa Idea pavidus, ac velut profugus,vires, atque animum haberet, eſcharam in pelle producendi inſtar ferri candentis. Imò & ſtomachum,ſive viſcus principale, eſchara perforet. 6. Quod inquam delirium, ſive vigilia, non ex eodem cum ſopore initio pullulare videantur. At omnem hujuſmodi anxietatem unica facilè reſponſio delet. Nimirum omnis primus conceptus, primiq; conceptuum impetus, contingunt infra ſeptum transverſum, qui ideò negantur ſubeſſe rationi, aut eſſe in noſtra poteſtate. Quapropter Hypochondriacas paſſiones ibidem vigere,omnis jam ætas conceſſit. Deinde Peſtem immediatè à peſtilenti terrore frequenter introductam, nemo ambigit. Qui terror imaginatione illius loci ut fabricatur: ita & cuditur terroris imago, unde ſibi Imaginatio etymon deſumſit. Non eſt autem ejuſmodi imago deſes,aut citra operandi facultatem: cum plurimi morbi à perturbationibus nudis, incepiſſe nemo neſciat. Denique terror, nedum eſt animæ humanæ,ac ſolius rationis pavor: ſed & Archeus ipſe terretur, iraſciturque naturali quodam fervore,ac paſſionum illecebris. Porrò terror cudit quidem imaginem Peſtis effectricem, confuſionis atque horroris genitricem: ſed venenum, imago iſta non aſſumit, ab indiſtincta confuſione terroris, terrore confuſo, metuque aut fuga deſertoris Archei: ſed ſicut omnis ſerpens,caniſque rabidus,venenum parit per conceptum iræ furibundæ: ita quoque Archei terror non ſufficit,ad productionem peſtilentis imaginis: niſi furor Archei, imaginem virulentam pepererit,quæ ſimul penetret,& nubatur imagini terroris. Hinc nempe fit, quod Peſtis plerumque circa ſtomachum naſcatur,ſeſeque manifeſtet per nauſeàs, vomitum, inappetentiam,dolorem capitis, febrim, ſopores, ac tandem deliria. Siquidem hanc ſupellectilem verſari circa ſtomachum, alibi de febribus, ac tractatu Duumviratus,ſatis amplè demonſtravi. Eſchara enim non fit in mortuo: ſed tantùm in vivis, adeóque à vita,& Archeo ipſo (prout de ſenſationibus alibi) qui excandeſcens parit furoris imaginem, quæ nata eſt ſe ipſam, totumq; ſpiritum Archei, ipſumque influum ſpiritum ſanguinis arterialis, commutare in corrodens alcali. Vitalis enim ſpiritus,qui primo ortu materialiter in digeſtione ſtomachi acidus fuit, ac digeſtionibus ſubſequentibus ſalſus fit, atq; volatilis; formaliter degenerat, fitque ſal corroſivum, atque alcali volatile,efficiens cauſa corroſionis,& eſcharæ. Nam ad transmutationis tam peregrinæ, & exoticæ (à peregrina ſcilicet & exotica imagine productæ) rabiem,quicquid eſt vitale, in ipſamet ſolida partium ſubſtantia, id totum excandeſcente principio vitali irato, ac ſuccenſo, accenditur, varioſque morbos (qui in pruno,igne Perſico, gangræna, eryſipelate, &c. obvii veniunt) parit. Patet ergò, ab eodem terrefacti,& in rabiem ſuccenſi Archei,initio,contingere nunc in ſtomacho, nunc in pelle, glandulis emunctoriis, tum etiam ſubinde in ipſamet ſolida ſimiliarium,aut viſcerum œconomia ſuſcitari peſtem diverſimodè; unde lethales ſphaceli, eſcharæ, atque combuſtiones, contingunt, pro diverſitate partium, ad quas Archeus furibundus,ac terrore plenus,diverterit. Quod autem terrefactus,profugus Archeus, rediensq; ac ſemifurens tam hoſtilis fiat partibus clientibus, quibus ſolus præſidet,non aliunde petenda eſt confirmatio; quàm quod ſpina infixa, quæ axungia leporina,tutò abſque incommoditatibus expellitur, quatenus furorem Archei lenit iſtud remedium: quæ ſpina alioquin ingentem furoris tragœdiam ſuſcitat. Parit nempe Archeus, ſuis clientibus venenum, ſuo furore, quod alioqui ſimplex vulnuſculum lubens ignoraret, Puta, quam diſſimile eſt vulnus phlebotomi,& ictus apis.Itemque ictus phlebotomi, mundi, quantum diſtat à punctura immundi phlebotomi. Non mirum ergò, quòd ſedes, qua primùm imago concepti terroris, & combinatæ imaginis furoris penetratio,contigerint,hoſtiliter agitetur, furibundè exuratur: ſæpè tamen ab inſito vitæ ſpiritu, transmittuntur atque fugantur venenati turbines, ad habitum exteriorem; ad loca inquam, quorſum latex propria ſponte ſubter valetudinem gliſcit, ſive ad habitum externum corporis dimittantur. Ideóque qnicquid in Peſte agendum eſt, id feſtinanter curandum eſt.Etenim quandoque imago Peſtis tantùm veſtitur ſpiritu influo: tum facilè ſudorifera ſubveniunt. Sed ubi ſolidis inhærens, innatusq; Archeus Imaginem ſui terroris & furoris concipit,niſi ſtatim alimento ſuo ſpermatico reſignet,ac deponat conceptam imaginem (tartarum cruoris iſtud corruptum alimentum vocavi) tumoremque prodat, periculum eſt, ne in ipſam ſolidorum mox ſubſtantiam transmigret : quod inexcuſabile mortis detrimentum continet. Ideóque ne tenax intus hoſpitium, Peſtis ſibi ſumat, procurandum, ut imago non dudum intus fluctuet peſtilens : ſed tota ſupellex, foràs per ſudorem proliciatur, & excidat. Carlina enim Imperatori olim ab Angelo oſtenſa dicitur, pro peſte exercitus (fortè ideo carduus dicitur angelicus) quod primus ortus imaginis peſtilentis, circa ſtomachum ſopores, nauſeas, febrim, vomitum, & cephalalgias ſuſcitet; Ixia verò ſomnum arceat, multóque magis ſopores contra naturam. Ideóque extractum Carlinæ recentis, non fore infœcundum recenti Peſti ſperant.

FINIS.

AMICE LECTOR.

CVm non à paucis Viris, iisque perdoctis, petitio hactenus ſatis aperta & conſtans ex diverſis locorum regionibus ad nos permanaverit, uti de novo hanc præſentem, quam ὀφθαλμοφανερῶς oblatam habes, Ioh. Baptiſtæ ab Helmont, Philoſophi probati, Editionem tuo bono in publicam iterum lucem procudere ac promovere, quàm primâ fieri conditione poſſet, bonarum artium ſtudiis gratificando, χερσίντε ποσίντε (q.d.) rem aggredi conaremur; quid! quod in præſens uſque tempus petitionibus ſuis non tantùm firmiter inſtiterint; verum etiam feſtinanter expetendo hanc tertiam noſtram Editionem ſummis animorum ſuorum lætitiis deſiderarint. Non potuimus certè aliter facere, quin horum favendo partibus, à tot tantisque ingenuorum virorum petitis ac deſideriis nos liberos abſolveremus; cumque penitus decretum nobis eſſet aliquem diu deſideratum ſcriptis hiſce Philoſophicis ſubornare Elenchum, ſive copioſum aliquem rerum & verborum adjungere indicem; Ecce tibi, amice Lector, quid boni nuntii allatum (vulgari diverbio) ex America. Venetiis per tabellionem hoc ſcriptum Philoſophicum in Folii forma cum multo indice per Otthonem Tackenium Doct. Medic. ibid. Practic. collectum ad manus noſtras allatum habemus & videmus. Lætabamur certè ſummoperè, ut qui hoc modo inſtantibus ſuper hac re vacare poſſemus laboribus, pluribusque etiam faciundis parcere ſumptibus. Attamen ne videamur omninò ab aliis ſurrepſiſſe, quod noſtro bono impendimus, non paucis in locis præſentem rerum & verborum indicem, auctiorem (uti res ipſa te edocebit) reddidimus, tuis favendo, ſtudioſe Lector, partibus. Ceterùm quantum ad puram correctionem attinet, nulli dubitamus, quin præſens hæcce noſtra, præ altera illa Venetiis excuſa plurimam partem melior tibi arridere poſſit, ſi utrumque ſcriptum inter ſe collatum, reſque ſingulas in judicii examen fortè vocaturus eſſes; ut qui tot tantisque ſyllabarum & verborum (de litteris non loquimur, cum vel ſapientiſſimo in hiſce & ſimilibus non poſſe non errare veritas apertè conſtet) ſcateant mendis, quæ ſtudioſo Lectori vel invito etiam nauſeam movere poſſint, quo merito jure à talibus & ſimilium editionum lectionibus ſibi cautum habeat; quid? quod commodiori etiam hujuſce noſtræ Editionis cum bono fructu uti fruique poſſis compacto; ſed iſta omnia tuo relinquimus, Lector benevole, libero arbitrio, remque judicandam omnem docto tuo amicè obtrudimus ingenio. Vale & vive εἰς αἰῶνας.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM

In docto hoc Opuſculo locupletior & in ordinem digeſtior editus.

A

Aron aceto bullitum miteſcit. 324, 46
Abdominis clades. 83, 18
Ablata cauſa, tollitur effectus. 133, 15
Abortum præcavet Magnes. 597, 19. *detinet author, vel detinere non potuit.* 582, 22
Abſeſſus per ipſa oſſa fieri notarunt Chyrurgi. 415, 29
Abſtergenda immunda authori relicta. 27, 1
Abyſſini vorant carnes crudas. 176, 53
Acetum cum minio fixatur. 168, 9. *ſolvendo oculos cancri flatus excitat.* 343, 67. *ex aqua Rodani.* 177, 59. *Illius ſingularis proprietas.* ibid. *diſtillatum rodendo fit Alkali fixum.* 151, 44. *per minium dulceſcit.* 168, 8. *rodendo fit ſal.* 265, 11. *in ſe tartarum non habet.* 188, 2
Accidens non mutatur in ſubſtantiam. 108, 23. *aſſumit gradus non autem ſubſtantia.* ibid. *Migrat de ſubjecto in ſubjectum.* 122, 7. 607, 38
(*inter*) *Accidens & ſubſtantias medium ens non noverunt ſcholæ.* 108. *à* 22, *ad* 26
Accidentia mutare objecta. 122, 7
Accreſcendi ſtatus. 168, 9
Acida, fermento ſplenis vicina ſitim ſolantur. 185, 26. *quæ appetitum excitant.* 164, 24
Acidi fermenti ab acetoſis differentia. 94, 26
Aciditas extra ſtomachum hoſtilis. 319, 14
Aciditas cruoris generat pus. 153, 52
Aciditas ſtomachi lateribus &c. mitigatur. 164 22
Aciditas ſtomachi ſuperflua, compeſcitur argilla, &c. 94, 26
Acidum extra ſtomachum corpori eſt hoſtile. 159, 19. *venis hoſtile.* 375, 55
Acidum ſulphuris chirotecam in ſuccum ſolvit. 164, 24
Aconita noſtras vires peſſundant. 370. 20
Acor eſt fermenti organum 168. 13
Acria in febribus fugienda. 163, 19
Actio regiminis in periaptis. 125, 28. *ignota ſympathetica extinguit verrucas abſentes.* 125, 30. *fitque abſque corporeo contactu.* 268, 29
Actio mentis ſentitur. 214, 7. *fermentalis & radialis.* 266, 19
Acus phantaſtica. 618, 169
Adam ſcientiam intuitivam habebat. 705. *fuit primus Philoſophus.* 166, 7
Adamantum pulvis inteſtina rodit. 501
Adamas paleas trahit ut ſuccinum. 206, 32. *facilius in aquam mutatur quàm arena.* 44, 4. *dat pollinem flavum.* 651, 9.
Additio deficientis, non fit ob arboris vitæ penuriam. 379, 16. & 17
Adepta ſcientia acquiritur labore. 11. 7, 8
Adepti laborem ſophiæ inſtituunt cum lunæ lumine. 115, 59
Adepti ambulant per viſus objecta. 128, 50
Adepti vocantur, quorum rector ſpiritus Dei eſt. 613, 129
Adeptorum particeps Hippocrates. 7, 2
Adoleſcens navigans bis in 18. *diebus alvum exoneravit.* 197, 15
Adoleſcentes, quibus diſciplinis inſtrui debeant. 40, 9
Adultis creſcunt coſtæ. 488
Aer non fit ſpiritus vitalis. 146, 14. *ſeparat aquas ab aquis.* 89, 38. *ante diem creata,* 43, 12. *compreſſionem ſui admittit.* 68, 5. *ſanguinem volatizat.* 151, 45. *in aquam reſolvit tenax corpus.* 150, 35. *in canna ferrea comprimitur.* 549, 17. *ubique ſeparator aquarum ab aquis.* 150, 34. *& fermentum volatizant cruorem.* 150, 35. *habet fundos.* 62, 24. *aquarum ſeparator.* 151, 45. 9, 38
Aer ut ſeparet neceſſe. 152, 51. *volatizat craſin rei in formam ſublimati.* 151, 45. *carni inimica.* 156, 10. *non fit ex vapore.* 548, 8. *cruorem*

rem venarum abſque capite mortuo volatizat. 151, 45. non humectat. 52, 13
Aeri & aquæ ineſt ordo producendi. 30, 27
Ægrotantes, cur tempeſtates & temporum mutationes ſentiant 604, 58
Æſtate raro mungitur 206,2
Ævum reſpectu temporis. 507, 41
Affectiones animi ſentiuntur circa os ſtomachi. 450, 12
Agaricus niger venenum. 204,14
Agentia anomala. 262, 5. alterantia non reagunt, 264, 10. ſeminalia quid efficiant. 40,6
Agonia. 626, 76
Agricultura prima philoſophia fuit. 132,7
Agyrtæ. 328, 38
Albugo, venarum proximum nutrimentum. 178. 70
Alcis ungula, per ignem virtutis perit. 334,79
Alexander Benedictus. 477, 7
Algebram loco oblectationis legebat auctor. 14,3
Alimenta per cutis poros expirant. 91, 4
Alimentum ſine excremento. 175, 51
Alkaheſt vocatur ſalium ſummus. 380, 24. ignis, aqua. 377,3, reſolvit cetim in lacteum ſuccum. 506. exiguus liquor arte paratur. 370, 22. 371, 34. cuſtodit craſes incorruptas. ibid. per balneum non aſcendit. 88, 29. cuncta naturæ corpora penetrando, ſubtiliando tranſmutat. 55, 7. ens primum ſalium. 419. eſt liquor immortalis. 628. videtur arbor vitæ. 626. quædam in ſal vertit. 85, 6. ignis Gehennæ. 46, 15, 119, 89. ſeparat lumen à vegetabili. 119, 88. mundat naturam; conſumit omnes morbos. 207,83. omnia vegetabilia in diſtillabilem ſuccum mutat. 88, 27. carbones in liquores binos diaphanos vertit. 88, 29. datur duplatis ſcientibus. 507. fit arte non natura. 56, 12. permutatur à ſolo ſuo compari. 265, 11. paratur labore ſophiæ. 94,28. & fit ex mercurio, 56,14
Alkali volatizat, & viciſſim volatilizatur. 151, 42. tartari, affuſa aqua non mutat colorem. 151, 39. quomodo fiat. 150, 38
Alkali eſt, quod ante ſal non erat, tamen combuſtione peracta ſal reſiduum. 86,12. cum pinguedine fit aqua ſimplex. ibid. ſalis petræ ſpernitur à monetæ adulteratoribus. 151,40
Alkalia fixa ſunt magna medicamina. 387, 65. volatilizata quartam digeſtionem attingunt, ibid.
Allium obdormire facit ſpiritum Magnetis. 606, 68
Almanſoris nonum. 347. 12.
Aloes multis melle dulcior. 371, 30. ſola innocua. 420, 6. lota, manet reſina. 372, 39
Alpium calor inſenſilis. 61, 13
Alterantia non reagunt. 264, 10
Altercari artificioſè didicit. 14, 3
Althea quomodo humectat. 202,4
Alumen ex ſpiritu vitrioli. 151, 44
Aluminis manna. 551, 21
Alvus ſiccior, & parcior urina, in coriza. 353, 37
Amarum in ſtomacho, eſt defectus vitalis fermenti. 235, 10
Ambari fragrantia, ex putredinis ſinu hauritur, 334, 81
Ambroſius Paræus, de cultro deglutito. 477, 7
Amens, vigilans ſomniat. 499. tolerat famem, & ſitim. 244, 24. quare non ſentiat frigus. 227,42
Amentiæ, quare hypochondrio adſcribuntur. 233, 28. quare deſperatæ ſanationis. 227, 46. remedia rara. ibid. omnes è ſtomacho emanant. 449, 3. cauſa, in ſplene. 245, 29
Amentiæ virus, an deferatur per arterias ad cerebrum? 239, 2. & ſeq. è liene ſpinoſo. ibid. 1
Amor veſanus notatur. 286, 10. illum inducunt quædam ſimplicia. 248, 54
Amuleta, periapta, agunt vi influentiæ. 386,61. oſſea, cornea, animalia, plantæ & alia. ibid. ad cordis palpitationem, febres, uteri ſtrangulationem &c. 141, 45. multos ſanant morbos. 405, 94. Cælorum inſtar in objecta agunt. 267, 19
Amylum glaciatum, in aquam redit elementalem, 150, 35
Anachoretarum primus, Paulus, in divorum numerum eſt relatus. 21, 35
Anas terret prægnantes. 432,5
Anaſarca quomodo fit ex latice. 361, 62. jecur male affectum, laticem revocat. ibid. cauſatur à latice. 411, 20. facilioris curationis. ibid.
Anatomiæ finis. 269. 33,36. vix morbos agnoſcit. 404, 90. ſomnium. 388,12
Aneti ſemen in cholica. 244, 22
Angelus à mente differt. 214, 12. eſt ſpeculum increati luminis. ibid.
Angina è faucibus filum viſcidum fabricat. 354, 39. deluſit catharros. 304, 25. alvum exſiccat. ibid. 20. remedium in ſale nitro. 343, 62. ex latice corrupto. 498
Anginæ ortus, & progreſſus à mucilagine fætente. 220, 22
Angli cerevifiam bibunt pernoctatam. 305,29
Anguillæ fel, & jecur pro parturientibus. 103,49. fel & jecur in partu utile. 247. 46, 47. ex melle, & rore naſcuntur. 384,37
Anguis longæva. 627

Anhelitus per pulmonem in thoracem ducitur. 357 è pulmone vapidus efflat. 335, 33. cruorem volatizat. 470. difficultas in ſedentaria vita. 249, 62. vomitu curatur. ibid. per magnale ducitur. 548, 13

Anima incognitum lumen. 24, 52. ſenſitiva mentis vicariatum agit. 12, 6. ſaltem tenuiter cognita. 278, 4. hoſpitatur in ſtomachi membrana. 448, 2. in cor, lienem, teſtes ſpiraculum ſpirat. ibid. mortalis, & ſeminalis in ſplene, & ſtomacho habitat. ibid.

Anima ſenſitiva eſt actrix quarumcunque actionum. 449, 3. morborum motrix. 346, 1. eſt de natura luminum. 280, 1

Anima intelligit in pace ac quiete. 12, 5

Anima plantarum eſt ens ſubſiſtens. 119, 83

Anima operatur ſolâ fide abſque diſcurſu. 570. ſenſitiva eſt in archeo ſtomachi 231. 17, 18. caduca. 232, 20. non habitat in corde; epilepſia docet. 237, 13 ſenſitiva furit; alienatur ratione. 118, 79. in ſtomacho tanquam lecto eſt. 248, 58. in duumviratu ſedet. 306, 21. non eſt formatrix ſyllogiſmi, & quare. 19, 20

Animæ cognitio difficilis ac utilis. 213, 2. immortalis poteſtas. 118, 75

Animalia noctivaga quomodo videant. 114, 50

Animalia timida carnes & oſſa pavore quodam centraliter conſpergunt. 143, 49

Animam ſexus diſcrimine liberam vidit Author. 12, 4

Aniſum redolet lactantis urina. 471

Anni climacterici. 510, 56

Anodinum ſulphuris ſpirituale agit. 250, 64

Anſer renovatur. 627

Ante-ſcholaſtica. 12, 2

Antidota quomodo agunt. 383, 35

Antidotum ad minimum veneno æquivalere debet. 471

Antimonii integri proles Mercurius vitæ. 628

Antimonium tollit hydropem. 416. in ſua forma laudatur. 617, 154. vitrificationem deteſtatur. 375, 54. ad influentiam. 605, 64. ſolutivum pro hydrope. 416, 40. 417, 49

Antonius Benevinus. 477, 7

Apepſia ex fermenti ſplenis defectu. 235, 10

Apepticis ægris arrident acida. 164, 24

Aperitiva quando nociva. 407, 5

Aphonia non eſt animæ errantis vitium. 235, 31

Aphoriſmus delirii. 268, 26

Aphoriſmi Authoris. 400, 77. Hippocrat. nonnulli laudantur. 265, 24. de curatione morborum. 451, 17

Apis numerat quoto alveari egreſſa eſt. 21, 34. ſuum alveare ab aliis diſtinguit. 251, 2. ex vitulo ſtrangulato. 384, 37

Apoplecticum ens in ſtomacho vel utero præſens animam quatit. 424, 9

Apoplexia ex utero. 271, 46. magna, ſpiritum influum obſidet. 248, 53. pulſus durus, & fortis. 152, 50, 51. Scholæ dicunt ex catharro in cerebelli ſinu. 348, 15. modus fiendi. 272, 47. ſedet in nido vitæ. 236, 11, 12

Apoplexia ex vitiato fellis fermento. 496. ex vita inordinata, ira vel mærore. 451, 13. ex vitiatis animæ organis. 225, 31. per ſulphura mineralia ſanata. 456. ex ignominia. 450, 12. ab actione regiminis. 270, 43. & epilepſia ab inferis. 273, 49. quoties anima ſenſitiva ceſſat, 448, 2. recens vomitu curata. 449, 3. ſtomachicis validioribus diſtillatis curata. ibid. & aſthma è duumviratu. 294, 49. è cruore inepto. 150, 35

Apoplexiæ, & epilepſiæ ſcæna circa ſtomachum præcedit. 270, 40

Apoplexiæ remedia ſtomachica, & ſplenetica. 242, 17

Aporrhæa ſulphuris, ſalis armoniaci, & mercurii in ſublimatum condenſantur. 295, 54

Apoſtema, è cruore ad difflandum inepto. 150, 35. è latice infecto ſalium diſſolutorum. 361, 63. quomodo fit ulcus malignum. 399, 70

Apoſtematum fiendi modus. 319, 14

Apoſtematum pus ex acciditate. 153, 52. pulſus durus, & quare ceſſat. ibid.

Appenſa quomodo agunt. 125, 28

Appetitus dejectus à defectu ſplenis fermento. 235, 10. ex imagine in Archæo depicto. 125, 26. non à cruoris conſumptione. 497. excitatur acidis. 164, 24. ſi fertur circa exotica, admittendum. 364, 17

Appetitus, pravus, virginum, unde. 617, 161. vult qualitatem, non quantitatem cibi. 364. 19

Appetitum perdidit Author ex pede diſtorto. 183, 20

Appianus Hiſtoricus de Annibale. 97, 8

Applicata exterius, ſub ſexta digeſtione agunt. 385, 48

Appropriata faciunt ut natura reſurgat à ſuo caſu. 140, 42

A privatione non datur regreſſus ad habitum. 45, 10

Aqua ante diem creata. 43, 12

Aquæ tria prima analogicè dicta. 330, 54

Aquæ motus à ſtellis. 144, 4

Aquas, intus ſpiritus alit. 546, 11. ab aquis ſeparavit Archetypus. 547, 15

Aqua ſalſuginem in ſabulo deponit. 547, 18. ponde-

deroſior glacie. 65, 35. tranſit in herbas mille calidas, acres, amaras, acidas, & frigidas. 139, 38. fortis cum ſale armoniaco addita creta fit aqua inſipida. 89, 37
Aqua penetrat corpus. 479, 11. fontis fracido vaſis fermento mucceſcit, vermes concipit. 94, 31. fortis ex ſale nitro, vitriolo, & allumine merum ſal volatile. 89, 37. cum ſale armoniaco excitatur Gas. ibid. ſub linea æquinoctiali varias habet mutationes. 94, 30. quid ſit, nullus mortalium novit. 278, 6. fervens ignem ſuffocat. 401, 77. odoris expers, ſed ſulphur ejus fermentum concipit. 121, 2. Vitæ in ſale tartari fixatur. 151, 39. & fermentum initia ex quibus producuntur ſemina. 29, 23. non fermentat granorum inſtar. 91, 33. vadit quo illam abducunt ſemina. 55, 7. ineſſe tria prima. ibid. Vitæ, decima ſexta par mutatur in ſal. 86, 9. actio, in tartari ſalem. ibid. 11
Aquæ tria principia explicantur. 43, 14. & 60, 8
Aqua diſtillata exiguas habet vires, & quare. 385, 51, 52. quare humida, nullus inveſtigavit à priori. 380, 28
Aquæ calor eſt Relollæum tranſiens. 135, 24
Aqua vitæ eſt liquor volatilis, oleoſus, ſalſus. 157, 3. promovet digeſtionem (proverbium) 150, 38. vi ſeminis fit ſilex, qui in arenam diffringitur. 85, 11. fortis intuitu ſulphuris agit in metalla. 82, 15. in terra fraceſcens ſemen locale acquirit. 43, 13
Aquæ dotantur vivida qualitate quando à quellem combiberint. 47, 9
Aqua pluvia è nube fætente fit ſuavis, & inſipida, 58, 24
Aquæ tria principia nunquam ſeparantur. 43, 15
Aquæ petroſæ ſunt agreſtis indolis. 204, 13
Aqua vitæ Alkali, in ſal tartari fixatum, affuſa aqua forti fit rubicundum. 150, 39. eſt unica rerum cauſa materialis. 30, 31. eſt rerum Mercurius. 85, 3. vitæ, eſt liquor volatilis oleoſus, & ſalſus. 576. ſicceſcit nunquam. 136, 29
Aqua quomodo oleum fiat. 329, 48. quare humida, & cedat intranti digito. 19, 20. albuminum ovorum Mercurium corollat. 628
Aqua ſuffocat, non refrigerat ignem. 401, 12
Aquam vitæ natura in nobis non procreat 157, 8
Aquæ vitæ media Archæum diſponit. 204, 14
Aqua bullita facilè putreſcit. 198, 19. Mercurio adæquatur. 55, 8. Vitæ cum ſale tartari ferè tota fit aqua elementalis. 556. Regis ſolvit aurum, alia metalla non. 265, 11. fortis aurum non ſolvit, at, alia metalla. ibid. mentitur phlegmatis ſpeciem. 300, 72
Aquila ſponte rejuveneſcit. 164, 25. fertur ad cadavera magneticè. 608, 83. renovatur ab elixire ſpiritu. 609, 85
Aranea, animal brevioris vitæ pellem exuit. 627
Aranearum contigua tela eſt terræ globus. 373, 45
Araneam bibit Capuccinus. 477, 7
Arbor vitæ videtur Alkaheſt. 506. morbos admiſſos non ſanat. 631. ex fructibus cognoſcitur. 204, 29
Arbor ex ſola aqua. 109, 30
Arboris vitæ medicamen. 632
Arca Noë. 132, 4
Arcana quæ ſympatheticè omnem morbum ſuperant. 299, 69
Arcanum unum Paracelſi omnes profligat morbos. 134, 15
Arcanum chymicum. 151, 45. quod omnem ſanat morbum. 417, 50
Arcana renovativa. 498. nequeunt in alimenta abire. 455
Arcanum unum in omni morbo valet. 248, 58
Arcana Paracelſi renovant. 626. & ſeq.
Arcanum Corallinum eſt auri horizon, & dulce. 315, 25. ſanguinis humani magneticè curat. 595, 28. unicum, ataxiam Archei tollit. 439, 10
Arcana quæ vitam conſervant in ipſo vitæ fonte. 450, 7. recludere docet ignis. 113, 38. quibus vis dotalis naturæ ſupernè eſt inſtillata. 445
Arcanum conſopitivum. 443, 12
Arcana univerſalia valent ad Archei ſedationem. 458. operantur tanquam ſalia. 379, 15. Paracelſi omnem tollunt morbum. 417, 49
Archeus vitæ multorum morborum character. 370, 18. impetum faciens Hippocrati. 438, 4. ens cælicum in ſe habet. 588. ſali armoniaco combinata cum ſpiritu ſalis petræ, comparatur. 89, 41. in guttas non cogitur. 90, 41
Archeo arrident odorata. 380, 26
Archeus aura corporalis. 116, 60. mineralium materialis eſt. 119, 86
Archeus rerum elucidatur. 121, 3
Archeus contactu cadaveris pavet. 443, 15. ſentit mortem quam phantaſia ignorat. ibid. quantum à forma differt. 72. ſeminalis eſt fluxibilis aura. 91, 8

Archeus animæ janitor. 447, 2
Archei morbi cedunt mediis externis. 474
Archidoxa Paracelſi. 254, 59
Arduenna, Gas minerali caret. 505
Arena ex ſilice, facilior quellem fit aqua. 44, 3 ſola ſubter terram producit nihil. 94, 2. ſicca combibit aquæ quadruplum. 44, 5. ſaxa, ſilices, gemmæ in ſalem reducuntur. 43, 11. quellem difficile fit ſal. ibid. non dat mercurium vel ſulphur. 332, 64
Argentum ex Chryſulca ſolutum, amittit vim ſuam. 265, 11. vivum totum mutatur in aurum. 175, 50
Argumentationis vanitas. 35, 10
Ariditas linguæ non à ſtomacho. 296, 56
Ariſtoteles notatur. 31, 38. ejus Philoſophia qualis. 122, 11. creationem ejusque finem ignoravit. 21, 35. miſer naturæ rixator. 202, 30
Aron aceto bullitum miteſcit. 374, 46
Ars Medica unde hauritur. 9, 17
Arſenicum, auri pigmentum, intus non ſumendum. 375, 52. cum nitro fixatur per colliquationem. 86, 10. eſt fumus metallorum. 630. cur. 211, 40. ſexaginta forte ulcerum ſanat genera. 259, 31
Artificialia ſolummodò habent finem. 513, 3
Arteria arida nunquam re humectetur. 152, 49. indureſcit in cauſam non in ſignum. ibid. ſplenis: vices habet ſolis. 232, 27. lienis, non pulſat dum valet. 239, 1. trahit ſpiritum non item ſuccum. 173, 41
Arteriæ apertæ debebant manere, ut lux vitalis non extingueretur. 147, 24
Arthritidi ſubeſt liquor ſalſus ex latice. 351, 25. præcedit ſtomachi indiſpoſitio cum febricula. 270, 40. accuſat primò ſtomachum. 234, 6, 9
Arthritis inſpirata digeſtionum errore. 182, 10
Arthritis ab acido, archeum inficiente. 236, 10
Aſarum auſcultat phantaſia. 619, 170. fit diureticum. 141, 45, 46, 48
Aſarum & ſambucus magnetica. 599, 31. tardarum febrium remedium. 374, 46
Aſcarides ex putridis quisquiliis in inteſtino recto ſunt cadaveroſi, non ita lumbrici; pariunt ova, lumbrici non, interimuntur mercurio vivo in aqua bullito. 180, 83
Aſcites tandem ſuffocat. 342, 51. ſanatur ſi Ren multum, & affatim minxerit 412, 20. probat cruorem eſſe ſalſum. 452
Aſcites fit ex cruore ſalſo. 160, 20
Aſinus & jumentum producunt mulum. 343, 62
Aſini conceptus ad ejus linguam ſemel tranſivit. 242, 18
Aſina longæva lac habet præſtantius. 179, 76, eſt pectenda. ibid. 78
Aſparagum, apium languida auxilia. 205, 30
Aſparagus ſymbolum ſui in lotio depingit. 141, 45. quare fætet in urina. 128, 48. fætet in lotio. 446, 12
Aſperæ arteriæ conſtipati ramuli ſunt ſuſpiria. 357, 49
Aſſimilatio fit ſub accretione adoleſcentiæ. 91, 4
Aſtmata, tuſſes incipiunt & perſeverant. 346, 4
Aſtmati ſulfur convenit. 211, 40
Aſtmatis remedia renovativa. 292, 69. epileptica. 298, 64
Aſtma non niſi arcano ſanatur. 293, 43. & caducus unico remedio tolluntur. ibid. è cruore ad transvolandum ineptus. 150, 35. locus in duumviratu. 291, 26, 292, 29. contrahit poros pulmonis. ibid. caducus pulmonis. ibid. quod ſanat: ſanat, & epilecticum adultum. ibid. 30. duplex humidum, & ſiccum. 297, 60. humidum plerumque tuſſim parit. ibid. 61. ſtrangulans. 270, 43. muliebre ex uteri regimine. 289, 2. è ſpirante borea. ibid. 10. ex potu vini hiſpanici. ibid. ex ignominia. 451, 12. ab endimicis occaſionaliter. 490. ex dulcibus, & odoratis, ex uteri furore; & quæ facilè corripiuntur? 293, 41, 44. ex mærore. 483, 12. Hiſtoria. 293, 21
Aſtra non inclinant. 100, 29, 30. vocationi, atque fortunis non præſunt. 588. prænuntiant. 152, 49. æmulantur vitalia. 33, 8.
Aſtra agunt per blas. 98, 14. movent aërem per ſuum Blas. 145, 4. eorum poteſtas. 571. quare à ſcholis culpantur. 50
Aſtrale blas in viſceribus. 145, 6
Aſtrologorum ſubterfugium. 510, 56
Athanaz. 23, 34
Atheorum claſſes tres Plato ſtatuit. 213, 3
Atra bilis ſi in corpus ſpargitur epilepſiam provocat. 237, 15. ſi in animam dementiam gignit. ibid. ſcholarum: retenta ſunto. 496
Atram bilem in præcordiis ſtatuit Hippocrates. 339, 2
Atramentum copulative tincturam acquirit ex vitriolo, & gallis. 370, 27
Atrophia ex aſſumptis non convenientibus lienari fermento. 495. organi phantaſia,, Binſicam vocant Rabbini. 24, 51. ex parco ſtomachi fermento. 235, 10. ex debili, & deficiente ſtomacho. 233, 32. quando liquor nutritivus alio furtim ſubducitur. 202, 6. ex mentis perturbatione. 45, 9. ex deturpato alimento alicujus membri. 492
Avaritia non ex aſtris ſed ſemine concitatur. 101, 35
Aves carent renibus. 170, 25. frigus ſub dio tolerant.

rant. 446, 13. non ſudant. ibid. duplici ſtomacho opus habent. 364, 21. vivunt ſine veſica & renibus. 171, 31
Augſtein eſt ſuccinum, Germanis. 201, 24
Augurelli ſulphur Glaure. 365
Augures cæli. 103, 46
Augurium eſt ſuperſtitio. 145, 7
Avi inclinationes nonnunquam in ſero nepote reſurgunt. 102, 43
Avicenna cum Cholcodea Pantomorphe. 108, 21 contumelias refutat. 42, 1. cur paradoxus. 45
Avis liquelæ tonum imitatur ſaltem. 260, 33. juxta ſui roſtri modulamen vocem edit. 493
Aulis placere, & Magnatibus renuntiavit Author. 10, 9
Aura fluxibilis archeus ſeminalis. 91, 8
Aurea Alexandrina examinatur. 373, 44
Aureum filum aliqua ſui parte eſt infirmum. 589
Auri liquor. 55, 6
Auri conſtantia à Mercurio. 331, 58. ſemen tranſmutat aquam. 57, 18
Auris dextra non eſt contraria ſiniſtræ. 139, 38
Auritum, cor per analogon cenſetur. 146, 20
Aurium excrementum ſolamen nervorum. 201, 24. ſordes vaporetenus exhalant. 209, 23
Aurora dicitur ſpuma pluens. 601, 41
Aurum, & argentum non ſunt materiæ artis. 331, 61
Aurum per retortam adactum. 678, 6. potabile. 55, 6. 375, 55
Author ſervat nomina verborum. 443, 14. Cur contra ſcholas ſcripſerit. 388, 19. cur paradoxus. 27, 1. contumelias refutat. 42, 1. non quæſivit pecuniam. 703, 3. culpatur ab aliis. 704, 1. non reſpicit cenſuras mundi. 704, 3. cur à ſcholis receſſerit. 346, 7. cur inaudita ſcribit. 9, 5. unde ſcit ſe non falli. 391, 6. ſenſit omnes operationes naturæ. 377, 3. tetigit iridem manibus. 72, 8. ſanat fontanellos ſine noxio. 308, 5. ejus vita. 14, 1. intentio. 7, 1. promotio. 11, 7. diligentia in perſcrutando. 16, 15. inconſtantia in editione ejus operis. 644. modus Philoſophandi, 134, 18. promotio. 10, 9
Authores motuum impares tactui. 159, 15
Axiomata, Chymica. 150, 39. 331, 60. 705, 10. Philoſophica. 31, 38, 574. de intellectu. 26, 63. à juvantibus & lædentibus falſum. 347, 11
Axioma ſcholarum de amentia. 386, 2
Axungia humana obeſorum tendinum doloribus ſuccurrit. 385, 58
Azoth Paracelſi. 187, 3

B.

Baconis veritas. 331, 61
Baldi digitum momordit canis rabidus. 240, 5
Balnea humectant niſi caloris gradum excedant 203, 10. laudantur in catharris. 360, 61
Balſama putrere aut vermeſcere neſciunt 92, 13. florum cogit Author in melle. 375, 56
Balſamus Samech ex alkali aquæ vitæ & tartari. 151, 39
Balſamus verus. 632
Balſamus fuliginis Paracelſi eſt arſenici. 261, 36. Samech. ibid.
Baptiſmi effectus. 590
Barba generatur viro à teſtibus. 269, 38. 270, 42. à teſtibus cur in mento. 272, 48
Barbæ pili excidunt aquæ attactu. 474
Bas non negat aurum, & argentum eſſe materiam artis. 331, 61
Baſiliſcus quomodo necat. 606, 69
Baſilius Valentinus docuit Paracelſum. 324, 3, 6
Bellidis ſuccus antipleuriticum. 306, 39
Belluæ inficiuntur à peſte. 53
Beſtiæ rationales. 21, 34. quare calculo inſons. 554, 14. &c.
S. Bernhardus deterruit Authorem. 14, 6
Betulæ ſuccus duplex ex unico trunco. 361, 62. latet. 464
Betulæ vires. 708, 24
Bezoar &c. præparatio, 779, 14
Bilis, non in cruore. 783, 15. non poteſt ad ſtomachum regurgitare. 235, 10. porracea evomita, unde. 803, 8
Binſica appellatur à Rabbinis atrophia organi phantaſiæ. 34, 51. mentalis ægritudo. 616, 148
Biſmuthi tabula. 598, 22
Bitumen ſuccinum liquidum. 551, 1
Blas, quid. 65, 1, 5. motivum. 330, 5. 65, 3. alterativum, 330, 5. hominis motus, duplex, naturale & voluntare. 145, 9. cordis probatur. 147, 23. ventris i. e. flatus quadruplex. 335, 1. Pylori. 181, 7. generationis carnis. 145, 8. frigidum lunæ. 113, 45. ſtellarum quid. 65. 2. aëris, unde. 62. 27. immotus aër quietus manet. 65, 4. cit æſtum ſilente vento. 66, 6
Blas in infirmitatibus prænunciat futuras tempeſtates. 145. 5. & ſeq.
Bombarda fortius explodit, ſi à tergo immobili reſiſtens corpus habet. 145, 4
Bombyx eſt utrumque volatilis & reptilis. 139, 38
Bonus Ferrarienſis. 476, 4
Bos extinctus vitæ lumine mox friget. 119, 86. evomuit draconem anguillari cauda. 476, 6

Brachium abſciſſum cur non renaſcitur. 440, 15

Bradypepſia ex fermento ſplenis deficiente. 235, 10

Brionia Veris tempore colligenda. 269, 16. cruorem diſſolvit. 416, 40. habet vim Hydragogi. ibid.

Bruta nulla in paradiſo. 131, 1

Buſo timidum animal 143, 49

Bufonis pugna cum aranea. p. 78

Bufonis brachii os, odontalgiam ſublevat. 473. humidum radicale. 575. vivi, renibus alligati, hydropem ſolvunt. 415. 36. longævi. 631

Bulimus. 163, 13. 450, 11

Bullæ, quas piſces eructant, ſunt flatus digeſtionis. 149, 33

Bur quid ſit. 43, 13. quale. 569, 127, 39. metallorum productor. 94, 31

Butleri lapis deſcribitur. 471

Butyrum, alkali injecto, non perficitur. 179, 72. refert odorem florum. ibid. 71. Fernelio eſt ſpuma agitati Coloſtri. ibid. 72. quomodo fiat. 147. 24. fit ex lacte per concuſſionem. 621. judicii acumen promittit. 623

C.

CAbala. 547, 20. magicam poteſtatem excitat. 611, 106. principium ejus inter dormiendum hauritur. 611, 100. ars divina. 613, 129

Caballi exemplum de vita longa. 631

Cacator quomodo fiat natibus ſcabioſius. 598, 21

Cacochymia venarum. 750, 8

Cadaver confoſſum homicida præſente ſeſe cruentat. 612, 13. igne calefactum non caleſcit. 202, 4

Cadaveris manus fœtui maculam delet. 227, 46

Cadaver ſubmerſum quare emergit. 344, 73. vi interemptum, continet de interno ſpiritu. 610, 96. ſponte mortuum nullum continet. ibid. humanum friget ſuper glaciem. 443, 15. igne calefactum non recaleſcit. 378, 4

Cadaveris odor, ſtomachum ſubvertit. 212, 46

Cadaver non habet formam. 41, 15

Cadaver veneno interemptum tumeſcit. 344, 72

Caducus morbus, unde. 720, 54

Caducus. 403, 84. 404, 89

Cæmentum ad obturandum vitrum. 89, 37

Calcantum ſanat eminus. 470. abſens vulnus ſanat. ibid. hæmorragiam ſanat. 472

Calculus diſtat à petra, ut Pyrum à vacca. 260, 33. generat novos morbos. 399, 66. à cerevifia clara per inclinationem. 198, 19

Calculi curatio quomodo inſtituenda. 559, 35

Calculi reſòlventis remedii qualitas. 560, 56

Calculoſi utroque rene, aliquando ſalaces. 247, 42

Calculoſus præ dolore alvum ſolvit. 358, 54

Calefacere, differt à calere. 741, 28

Calida putredini reſiſtunt. 745, 35

Calidum & frigidum non ſunt morbi. 320, 17

Calor à corde, nemo ambigit. 146, 17. in ſemine à terra fraceſcente. 116, 61. noſter eſt lumen. 461. piſcium, & horum lumen friget. ibid. auctus in nobis à ſale corroſivo. 160, 24. quadrupedum ac volucrum ſolaris eſt. 119, 87. piſcium lunaris. ibid. primario non ineſt cordi. 146, 15. eſt vitæ & animæ ſocius ex natura lucis ſolis. ibid. igneus, ſcholarum figmentum. ibid. 18. ingens qui adurat eſt opus corroſivorum ſalium. 579. noſter quid ſit. 621

Calumniæ à ſcholis productæi 797, 14

Calx viva generat vermes. 139, 37. pulveratum caſeum reſolvit. 386, 60. in terra fit Leffas, & aqua ſimplex. 95, 33. viva aqua extincta fit puls. 575

Camphora acris. 369, 15

Camphora Archeum fugat. 378, 4

Cancer calcinatur, pro rabie. 228, 50. verus in ubere, & utero mulierum. 436, 32, 34. quomodo oritur. 129, 55

Cancer, animal, combuſtus non vadit ad cerebrum. 240, 5. pellem exuit vitæ brevioris. 627

Cancer à pulvere ſanatus. 437, 37. & phagedena Ægyptiaco non pacantur. ibid. 38

Cancer morbus quomodo afficiat. 129, 55. ſanatur à lapide Butleri. 469. à contuſione in muliere. 257, 12

Cancri remedium in rana. 115, 57

Candelæ fumus illuſtratur à flamma. 111, 29

Canem vivum diſſecuerunt Anatomici. 258, 54

Canis lætus cur caudam vertat. 596, 4. ſalvia ſanat vulnera. 270, 41. ſaliva lethalis, ſi rabidi. ibid. rabies quomodo in hominem tranſeat. 616, 148. inclinationes. 100, 35. trahit morbos magneticè. 618, 156. cum gallina antipathiam habet. 595, 1. quare non renovantur ab eſu cadaverum. 609, 85. projectum mordet lapidem. 184, 21

Canina fames duplatur lienis fermento. 496. fames 163, 13

Canis venaticus non fit rabidus.

Canis conficit oſſa, ignis non. 162, 7

Cantharides cadavera non veſicant. 400, 76. quomodo veſicet. 486, 60

Capuccinus non ſentit ſe habere pedes. 579

Capuccinus bibit araneam. 477, 7. jejunio gravatus. 249, 49

Caput lancinatur à ſtomacho vi regiminis. 276, 14. embrionis maximum. 582. regitur per ſenſum, & motum. 225, 28. dolet in peſtis principio. 212, 46

Carbo ignitus ſubito ſuffocatur ab aqua. 221, 77. incluſo vaſe igne non conſumitur. 89, 13 fit ex colliqua-

liquatione ſulfuris, & ſalis agentium invicem. ibid.
Carbo in quibusdam fontibus fit ſaxum. 87, 24. 150, 38. mellis myſterium. ibid. 39
Carbo producitur per artem. 329, 50. colliquatione fit ſal volatilis. 506
Carbonis libræ 62. unam libram cinerum dabunt. ibid. ſpiritus ſylveſter. ibid.
Carbonis liquor rectificatus per cretam fit inſipidus. 88, 29
CarbonumGas naturæ inimicum noſtræ. 192, 79
Carbonum foſſilium igne, vitrum liquavit. 185, 28. fumus vomitum citat. 212, 46
Cardanis curatio duelech. 697, 14
Cardiaca paſſio. 761, 15
Cardialgia eſt cordis dolor. 183, 7. ſtomachum notat. 372. vocabula rident ſcholæ. 243, 21
Cardiogmus morſus cordis. 230, 7
Carlinæ mirabilis virtus. 598, 24
Carminativa. 337, 17
Carnalis generatio proprium Blas habet. 145, 8
Carnes glaciatæ in aquam redeunt. 117, 35
Carnes ſub canicularibus aceſcunt. 234, 5
Carnium jura à putredine præſervare. 133, 16
Carnis corruptio à ſapore acido. 344, 72
Caro quare aceto præſervetur. 124, 19
Caro porcina ſapit axungiam piſcis. 121, 4
Caro mortua naturam balſami inducit. 385, 48. cruda alligata mox fætet. 163, 18. 385, 48
Carrichter commendatur. 481, 7
Caſeus quare à multis averſatur. 138, 37. 94, 25
Caſeum plures horrent, quia non conficiunt. 164, 27
Caſeus recens comeſtus ponticè acceſſit, & in ſtomacho tormina facit. 94, 25. vetus putrilaginem redolet, & facilè vermineſcit. ibid.
Caſei Anatomia. ibid.
Caſtitas celebratur. 521, 51
Caſtranda non ſunt ſimplicia, ſed melioranda. 374, 48
Caſtrata non pingueſcunt per ideas moleſtas libidinis. 434, 21
Cataractæ cœli, aëris ſunt fundi. 62, 25. non patent planetis. ibid.
Cataractæ oculorum oriuntur, ſi latex digeſtionum vitia reperiat vel eò ſecum deferat. 498
Cataractas, & repagula globi, ſol diffringens ardebit cælos. 261
Catharrhi à ſpiritu impetum faciente. 360, 60. à ſede animæ vitali dixerunt antiqui jaculari. 237, 19. oriuntur ex aciditate relicta. 235, 7
Catharrhi doctrinam ſcholarum ridet Author. 247. à num. 11. ſub torturam noctis recidunt. 290, 67
Catharrhum declamant medici paſſivi. 348, 14
Cathetur novus. 703, 34
Cavitas non eſt ulcus, ſed ſignum ulcerationis. 258, 23
Cauſa eſt initium, & origo cauſati. 20, 25
Cauſa morbifica Hippocrati, acre, amarum, ſalſumque eſt. 403, 82
Cauſæ ſunt duæ in natura, Materia, & efficiens interna. 28, 11
Cauſidicus bibit duas drachmas Hyoſciami, inſanivit, & quomodo curatus. 244, 22
Cauſtica criſpant pellem, deinde in mucilaginem reſolvunt. 386, 60
Cauſtica qui agunt. 400, 77
Cauteria fiunt vario modo. 307, 1. quandoque juvant. 289, 12. 301, 74. quibus proficua. 311, 28. quando juvant. 306, 38, 42. opem aliquando præſtiterunt. 497
Cedrus inter arbores brevioris vitæ. 627
Cephalalgia in peſte, unde. 54
Cephalica remedia. 245, 29
Ceraſum fætui imprimitur. 226, 37. 614, 131
Ceraſi imagine ſignatur fætus. 489, 278, 7. per cogitationem. 271, 45. productum verum in fætum. 299, 14
Cerebrum oblæſum ſordes cumulat multas. 201, 26
Cerebri fermentum Gas frigoris peſſundat. 346, 4
Cerebrum per deuteropathiam afficitur. 244, 26. in ſuo ſinu continet vas arteriale tranſpirandis ſpiritibus in corde laboratis aptum. 241, 11, creſcendi poteſtas. 31
Cerebro paret accretrix vis. 588
Cerebrum non ſentit, ſed ſolis odoribus paret. 93, 17
Cerebrum ſenſationum fons, ſenſu caret. 448, 2. præeſt accretioni. 270, 42. eſt membrum executivum conceptuum animæ. 233, 32. cuniculi, & leporis. 321, 30
Cerebri omnis facultas erit ex luminis diſcontinuitate. 147, 24
Cereviſia quomodo fiat. 91, 2. tenuis convenit in acuta febri. 365. 24. tenuis, & pernoctata urinam pellit. 305, 29. turbatur inſtar vini. 488
Cervus ſponte rejuveneſcit. 164, 25
Cervus longævus. ibid. & 627
Cervi virga, pleuritica. 322, 35
Cervi virga coïtu ſubvenit. 321, 30
Chamæleon eſt Carlina. 598, 24
Chambroch eſt trifolium. 363, 14
Chaos viciſſitudinum. 435, 26
Charitas orat. 10, 1. in fine.
Cheronii vires. 554, 19
China non deſiccat. 307, 45. 354, 41. in catarrhis ſtultum ejus ſubſidium. ibid. laticem cum de-

trimento minuit. ibid. non ſiccat. 292, 37. 301, 75
Chirothecam domicellæ induit, & ſcabiem contraxit. 255, 2
Chirotheca in ſtagno ſulphuris conſumpta. 164, 24
Chirurgi cura debet eſſe de præcavenda putredine. 385, 50
Choleram, Scholæ falſo dicunt id, quod eſt excrementum amarum. 365, 22
Chriſtianiſmo ſtante, mens eſt immortalis.
Chryſopæi lapidis ſemen eſt vitale ferme. 108, 21
Chryſoplicius pulvis univocè, ut natura operatur. 140, 40. plumbo dat duritiem. ibid. argento vivo, & ſtagno dat difficilem liquationem, ferrò utramque qualitatem adimit. ibid.
Chryſulca non eſt frigida. 369, 15
Chylum acidulum fluctuantem evomuit Author. 173, 41
Chylus in duodeno fit ſalſus. 167, 6. 172, 37. oſſis fixitatem aſſumit. 185, 11
Chylus fit cruor, urina, & excrementum. 159, 15. ex cibo, & potu cum retentione qualitatum vitæ mediæ ciborum. 307, 45
(de) Chylo quid ſentiant Scholæ. 166, 2
Chymia parat univerſale menſtruum. 387, 66. præfertur aliis profeſſionibus. 371, 32. operatorem intromittit. ibid. parat quæ antea non erant. 206, 36
Chymiæ ſynthereſis. 440, 13
Chymiæ arcana in magnis morbis requiruntur. 271, 46
Chymica potius artis, quàm naturæ vi agunt. 386, 64
Chymicus aſthmate occaſionaliter perit. 102, 45
Cibus, & potus ſubeunt ſub motu cordis varias mutationes. 146, 22. quomodo fiant ſpiritus vitales ibid. 23
Cibus extra potum fit ſuccus. 305, 26. mutatur ſubacto ſuo Archeo. 175, 50. benè maſticatus, benè in chylum vertitur. 344, 69
Cibus non digeſtus parit vermes. ibid. non benè maſticatus corrumpitur. ibid. durus, eſurienti ſtomacho ſatisfacit. 300. 72
Cibi novus ingreſſus inficit chylum. 182, 10
Cibi formæ pereunt, vitæ mediæ proprietas manet. 122. 10. enchymi quando fæcunda. 301, 72. parcimonia plus efficit quàm pellis laceratio. ibid. 75
Cibi conditi inſalubres. 385, 55. potenter nutrientes vitam longam non præſtant. 628
Cibi facilioris digeſtionis præmittendi juxta doctrinam ſcholarum, improbatur. 182, 14
Ciborum ſarcina nocet. 632
Cicatrix in cadavere erat in homine heſterno. 601. 38
Cimices hoſpites noſtræ miſeriæ naſcuntur ex noſtris excrementis. 92, 9
Cinamomum, diſtillato oleo, ſapit corticem quercus. 332, 77
Cinamomi particularis gratia in ſapore. 369, 16
Cinis proprio ſuo Alkali fit merum ſal. 86, 13
Cinis humana non dat terram. 45, 10
Cineres ex aqua. 89, 36
Cineres clavellati vertuntur in ſal. 150, 39
Cinnabaris præparatores vitam abbreviant. 490
Claudicanti nil juvant leporini pedes. 211, 38
Clavus cordi equino infixus detinet ſpiritum ſagæ. 619, 171
Clericus non ſe immiſcere debet negotiis ſecularibus ex præcepto D. Pauli. 96, 1
Climatum varietatis cauſa. 71, 28
Clyſter in dyſſenteria nocuum. 322, 34. nutrit aſcarides. 180, 83
Clyſteres, repudiantur. 763, 8. non alunt. ibid. 16
Coagulatio, quid. 195, 5. non fit ſine ſolutione, & viciſſim. 552, 4. rerum varia, & diverſimode. 669, 6. unde. 379, 10
Coagulum, lactis quid. 171, 5. vituli, unde vires. 97, 7
Coctio non expectanda in morbis. 758, 24. 772, 1
Cogitationis varietas ab anima ſenſitiva, illuſtrata à mente. 252. 8
Coheleth ſapiens. 47, 11
Colcotar enecat omnem corruptionem ulcerum. 261, 35. non fit ſulfur vitrioli. 275. 9
Colera unde fiat. 235, 10
Colica contraxit ſæpè muſculos. 337, 13. in paralyſin. ibid. per verum laudanum abſque opio curatur. 434, 2. Vnguento calido foveri debet. 376, 58. Vnguento ſuperatur. 93, 17. aliquando fit ex acore præternaturali commixto cibo, & potui. 236. 11. tranſit aliquando in paralyſin, vel contracturam manuum vel pedum. 243, 20. Aniſi ſemen prodeſt. ibid. ex ſale acido. 380, 23. ex motu muſculorum. 269, 16. è moris commeſtis. 184, 21
Colocynthis & Abſynthium non ſapore ſed viribus differunt. 235, 10. cronicorum curatrix egregia. 374, 48. corrigitur ſale circulato. 49. plus corpus uno die exiccat, quàm tribus menſibus china. 358, 53
Columba bibit, & caret renibus. 446, 13. caret felle. 176, 54
Combuſtio ſanatur de foris. 376, 58
Cœcum inteſtinum continet fermentum ſtercorarium. 180, 81
Cœliaca paſſio non à digeſtivo errore. 340, 39. pylorum

rum non claudere ſinit. 180, 2. 181, 5. 182, 10. ex aſſumptis & vix mutatis. 494
Cælum octavum. 126, 36
Cælum intus gerimus, hinc morbidi motum lunæ ſentiunt. 98, 16, 17
Cæli enarrant gloriam Dei. 96, 2. mutabuntur. 621
Cælum peribit, aqua verò non. 689, 7. cur cæruleo colore. 76, 18
Cæleſtis ſpiritus rebus ineſt. 604, 60
Compoſitio medicamentorum qualis eſſe debet. 370
Compoſitionis neceſſitas. 603, 50. ſæpè nova qualitas emergit. ibid.
Conceptio prægnantibus unde. 247, 49, 580
Conceptus, fiunt ſemper cum ideis. 226, 35. formantur in ſede Animæ. 241, 13. Morboſius ſentitur primo in liene. 231, 13. 482, 1. 483, 11. idearum duplex. 485, 21
Conchylia naſcuntur ex fracedine fundi. 94, 31. minus valet calcinata, alkali lapidum Cancrorum. 238, 23
Concluſio ſeu conſecutio eſt ratio. 19, 20
Concoctio quarta in corde ejusque arteriis fit. 177, 61
Concoctiones in homine tres. 555, 16
Conditiones naturales ab animalibus differunt. 70, 35
Conjunctio medicamentorum quando admittenda. 370, 27
Conſolida laudatur. ibid. 26
Contagia pelli impreſſa odoribus recedunt. 93, 16
Contractura maximè in virginibus ex mærore cum idea deſperationis connexione. 483, 12
Contractura à ſtomacho debili. 233, 32. quæ ſævit de fluxionis nomine ſubter torturam noctis recidit. 262, 67. cum morte ceſſat, Pylori non. 186, 29
Contrarietas non in cibis. 138, 37
Contrarietas per criſes Galenica notatur. 133, 12
Contrarium oppoſiti etymo larvare non contendit Author. 141, 46
Contraria quæ hoſtilitatem belluinam exprimunt. 142, 47
Contraria poſitiva atque realia negantur. 139, 38
Contraxit ventum unde dolor: eſt anilis ſententia, & figmentum. 338, 23
Conus opticus. 112, 36
Convulſio ex motu muſculorum, & naturali ſenſatione. 337, 16
Cor cruorem in ſanguinem volatizat. 177, 60
Cor per analogiam auritum cenſetur. 146, 20. ſedes vitalis ſpiritus. 612, 109. fabricat ſanguinem è cruore. 125, 13, 14
Cordis palpitationem patiens, non facilè inebriatur. 578. uterque ſinus ſepto disjungitur poroſo. 146, 20. auris ejus dexter. 177, 63. in ſinu ſiniſtro vitale fermentum habitat. 146, 22. irrequieta occupatio ut ſpiritum vitalem efficiat. 577. digeſtio non continet ſordes. 148, 28. nomen ad ſe rapuit membrana ſtomachi. 169, 18. palpitatio unde fiat. 182, 19
Corallatum Paracelſi. 575
Corallorum tinctura paralyſim, & alios morbos ſanat. 271, 46
Corallum }
Cornalinus } ſunt corpora opaca. 386, 62
Coriandrum non cohibet aquæ bullienti vapores, neque impedit flatus ſtomachi. 357, 51
Corizza ex mucco. 208, 12. 210, 31. 298, 65. ex latice. 353, 37
Corrizzæ convenit ſternutatorium ex helleboro, & ſaccaro. ibid.
Cornea membrana oculi ſub morte lumine privatur. 148, 28
Cornelius Gemma de Coſmocriticis memoratur. 476, 6. ejusdem ars Cyclognomica. 14, 4
Cornu cervi uſtum inutile. 372, 41
Corpora cuncta ex ſola aqua conſtant. 61, 3. 95, 33. 306, 45. non mutantur in invicem, niſi prius reducantur in primam, & ſequacem materiam. 244, 45
Corpora impura leviter nutrienda. 365, 24. quænam ſint. 496
Corporeæ vires ſuis principiis alligantur. 11
Corpus humanum in ſanitate eſt perſpirabile. 414, 29
Corpus omne ſeparabile dividitur in tria. 78, 15. ſolidum, fermenti vi fit Gas. 295, 54. patitur patiente ſpiritu. 611, 107
Correctio, ablatio, exſtinctio, efficientis immediati, ſunt operationis Chirurgiæ. 133, 15
Corroſiva per ignem miteſcunt. 777, 4. quomodo agunt. 698, 16. eorum proprietas.
Corruptio rerum unde. 123, 16. unius non eſt generatio alterius. 41, 15. differt à privatione. ibid. 18
Cortinæ calcantum coquunt. 550, 13
Coſmopolitæ chymici fit mentio. 86, 12
Coſtæ creſcunt in adultis. 588
Crabronis caput abſciſſum ſextiduo vixit. 269, 35
Cranium valet ad epilepſiam. 603, 51
Crapula vitam abbreviat. 592
Craſis non tangit ſomniata rerum initia. 334, 84. eſt optima rei pars. ibid. 82
Creationis mundi explicatio. 42, 4. 59, 2
Creatura, omnis vivit ſuo modo. 608, 74
Creaturæ neutræ ſunt ignis, lumen, vita &c. 585
Cremor tranſit inteſtina, ut aqua ſalſa veſicam. 176.

58. tartari fit ebullitione. 195,8. eſt ſal acidus diſſolubilis. 189, 11
Criſis negligitur. 772, 18
Criſpatio cutis in dolore, unde. 731, 115
Critica evacuatio quomodo ſanat. 493
Critica dies rara extra morbos acutos. 509, 52
Çroci ſapor ſpecificus. 380, 25
Cruor hirci ad Pleuritidem. 322, 32. quomodo paretur. ibid. peccat ſi comitem ſpinam habeat. 498
Cruor diſtillatus fit carbo. 164, 28
Cruor in vaporem ſive Gas diſpergitur, & evaneſcit. 146, 22. factus venarum civis lumen vitale participat. 159, 13. cum chyli inſpiſſatione fit. 158, 12. fit ſeparatione liquida, ſive urinæ. ibid. in vaſis meſenterii eſt ſpiritus expers. ibid. 10. in vena cava eſt vitalis. ibid. totus ſal volatilis. 160, 20,462
Cruor per fermenta exhalat. ibid. eſt ſpiritus hepaticus coagulatus. 577. vide. 159, 14 qui ineptus fit ut exhalat, degenerat in apoſtæma. 150, 35. non informativè illuſtratur. 146, 22. quomodo à ſanguine differat. ibid. 21. 159. 13, 14. fit caro. 177, 64. non circulatur. 326, 24. ſicut venalis differt à chylo, ſic & ſanguis arterialis à cruore. 160, 21. in ſtomacho mox grumeſcit. 172, 36. in cadavere non coagulatur in venis. ibid. totus exhalat volatilis. 150, 39. ſi concremetur dat fixum ſal. ibid. fit ſanguis cum ſui inſpiſſatione. 577
Cruoris pluralitas nocet. 498
Cruoris ſpiritus curat epilepſiam. 159,16. mutatio in ſanguinem feſtinata eſſe debet. 148,26
Crypta ſicula, canea per Gas minerale ſuffocat. 293, 44
Cryſes non facit luna cauſative. 427 ab Archeo luna rythmum inſequens. ibid.
(in) Cryſi errarunt ſcholæ. 379, 72
Cryſis non eſt neceſſaria ubi nulla lis. 140, 40. per ſudores ſæpè terminat morbos. 304, 19
Cryſtallum rupeum difficilioris digeſtionis vitro. 186, 29
Cuprum citius extinguitur auro, & argento. 401, 77
Cupri primum ens agit in humidum radicale. 473
Cuſtos mucci effector. 207, 5. 210, 27. benè ſe habens non producit muccum. 212, 44. furioſus parit ſalſum mordax, virulentum. ibid. detergit inſpiratas ſordes. ibid. 42
Cuſtodis defectus in Laryngis limine. 211,39

D.

Dæmon gloriatur in noſtri ignorantiam. 619,172
Danei ſeminis laus in lithiaſi. 663, 19. 673, 31. 697,14. 708, 23
Daurant eſt Phu Dioſcoridis. 481, 8
David & Ionatha alligati magneticè. 613, 131
Debilitas, unde. 400, 74
Decennium à promotione peregrinavit Author. 11, 7
Decocta non ſunt entia qualia per diſtillationem proliciuntur, 445,9
Definitio, rerum unde haurienda. 774, 1. Scholarum refutatur. 57, 2. naturæ falſa. ibid. hominis falſa. 21, 35. hominis vera. 26, 64
Deliri pluries infirmantur circa memoriam. 225, 33,34
Deliria unde fiant. 245, 30
Deliria Profeſſorum. 14, 2
Deliria mitigant remedia ſtomachica. 244, 26
Deliria per ſimplicia introducuntur. 251,5
Deliria ex ſcoria putrida. 498
Del Rio notatur. 476, 3, 4
Dementia eſt vis ſoporifera errans. 499. à ſimplice ſemel aſſumpti, à ſolano. 275, 8. in Hypochondriis plerumque. 248, 57. ab agonia, metu, &c. 226, 36
Dens lateraliter nutritur. 200, 24. rabidi ſolo occidit attactu. 471. ens peregrinum fermentale. 475
Dens apri pleuritim ſanat. 367, 5. in annum 40. accreſcit. 201, 24
Dentalis lapis ex alba muccagine. 200,23
Dente eradicato vix ceſſat catharrus. 352,30
Dente dolente depluere videtur. 214, 22
Dentes in Ægypto non ſunt carioſi. 199, 20
Dentes ſuas habent ætates. 201, 25
Dentes naſcuntur ſenibus. 588. renaſcuntur ſenibus cum puerili dolore. 626
Dentibus frigida nocent. 201, 25
Dentibus caries, cavitas atque putredo unde fiat. 201, 25
Dentibus febricitantis non deeſt mucilago lapideſcens. 199, 20
Dentium dolor ex detecta gingiva. 352, 30
Deopilentia purgantia, &c. vix ad lienem perveniunt. 444,3
Derivatio non conſideratur ex phlebotomia in Pleuritide, ſed virium diminutio. 318, 8
Deſiderii deſcriptio. 219,46. doctrina. 433, 13
Deſiderii eſt quærere. 9, 1.
Devolutis ab alto remedia Pleuritica conveniunt. 322, 32

Deus

Deus exercituum per quem reges regnant. 96,7. *mulieres diligit.* 434, 16. *è coſta circa lienem formavit Evam.* 246, 40. *pauca exigit ut ad vitam ingrediamur.* 562. *Pater luminum dicitur à S. Iacobo.* 232, 22
Dei imaginem nos referre defendit. 214,8. *difficulter hoc intelligendum.* 215, 15
Deitatem & independentiam rebus ineſſe dixêre ſolertiores Ethnicorum. 8, 15
Deuteropathia ab imo ventris probatur. 720, 54
Diabetes, & dyſuriæ fiunt ſi attractrix laborat. 498
Diabolus non poteſt præcognoſcere ſortes ſive eventus futurorum bellorum, quæ ſunt in manu Dei. 97, 8. *non habet liberum.* 455, 8
Diæta non tractat de apertè nocuis, 363, 6
Diætæ regulas præſcribit digeſtio. 365, 24
Diætæ cardo eſt ſobrietas. 364,16. *regulæ paucæ juxta naturæ curſum.* 365, 25
Diagnoſtica ſigna in pulſu ſunt per accidens, non ex natura. 125, 49
Diaphæreſis pauca ſub frigore, at ſputa fiunt frequentiora. 497
Diaphæreſin ſiſtit Althea, Malva, &c. 201, 4
Diaphoretica in pleuritide. 306, 39
Diaphragma, habet poros. 212, 46. *ejus uſus.* 350, 16
Diarrhæa ex inteſtinorum mucco. 344, 71. *ex acido fermento.* 87, 17. *ex diſſenſu pylori, & fellis fermento.* 183, 17. *ex corrupto & detento Chylo.* 182, 10. *ſanata binis vitellis ovorum duris cum aceto roſato.* 184. 22. *ex acido chylo corrupto.* 235, 10. *Catharrhus capitis, in infante.* 310, 15. *ex vitiato fellis fermento.* 496
Diatheſis quid ſit. 399, 66
Dies & ſuum lumen fuerunt aliquando ſine ſole, & ſol erit aliquando ſine luce. 21, 36
Dies abbreviabuntur. 592
Digeſtio infelicior in ſtomacho eſt inter dormiendum. 275, 12
(*ex*) *Digeſtione, & cura ſtomachi pendent curæ, & regimina digeſtionis ſextæ.* 451, 17
Digeſtionis ordo. 495. *ſextæ errores ſunt catharri ſcholarum.* 497
Digeſtiones cæteræ quietem exigunt, quarta verò in deſinenti motu perficitur. 146, 22
Digeſtioni reſiſtentia ſunt noxia. 385, 55.
(*ſub*) *Digeſtione ultima totus ſanguis perit, & exhalat.* 149, 34
Digeſtio tertia in vaſis meſenterii incipit & terminatur in cruore. 172, 37. *altera fit in inteſtinis gracilioribus.* 171, 29
Digeſtio quarta in ſiniſtro cordis ſtomacho. 146, 21. *tertia fit in venis meſenterii.* 170, 29. *prima fit in ſtomacho.* ibid. *genere differt.* 163, 14
Digeſtio quinta transmutat ſanguinem arterialem in ſpiritum, vitalem Archei. 177, 62. *ſexta in culinis ſingulis membrorum perficitur.* ibid. 67. *quarta completur in corde.* ibid. 60
(*in*) *Digeſtionibus quarta, & quinta non ſunt, nec proveniunt excrementa.* 178, 66
Digiti obſtupeſcunt ob errorem ſpiritus cruoris. 159, 14
Digito pedum ſuum colligunt diffluvium. 209, 23
Dignitatis differentia. 232, 25
Diluvii inveſtigatio. 543, 97
Dimenſionum ſprevit repagula mundi Salvator. 586
Dimenſionibus claudi non poteſt ſpiritus. 614, 134
Dioſcorides miles. 367, 2
Dioſcoridem & Matthiolum ſtuduit Author. 15, 9
Dioſcorides laudatur. ibid. & 10
Diradatio eſt motus vel ſenſus. 726, 75
Diſcurſus frequentes reddunt hominem moroſum, iracundum, amentem, &c. 22, 40
Diſcurſus, & conceptus à liene. 248. 52. *fæmineus recta ad uterum fertur.* ibid.
Diſcurrendi ſermocinalis facultas quid. 19, 22
Diſpenſatoria examinantur. 370, 24
Diſſolutio fit per vinculorum rupturam. 205, 18
Diſtillandi modus cum Alkaheſt. 88, 29
Diſtillata per ignem, procul à viribus concreti recedunt. 157, 7
Diſtillata vix corrumpuntur. 123, 16
Diſtillatio fortis cum carbone foſſili. 185, 28
Diſtillavit Author 50. annis. 241, 17
Diverſa diverſorum actio, unde. 400, 76
Divitias ſufficientes cum ſcientia habuit Author. 10, 4
Diuretica quæ ſint. 252, 13
Diuretica fabricantur in ſtomacho. 445, 11
Diureticorum deceptio. ibid.
Diureticam virtutem acquirunt allia, cæpæ, aſparagus, tezebinthina. 206, 30
Diureticus lapis cancri. 238, 25. & *vulnerarius.* 153, 53
Docti fulgebunt ut ſol, quomodo intelligatur. 449
Doctrina utraque imbutus lector; judicet. 148, 31
Dodonæi mentio fit. 284, 9
Dolor capitis è ſtomacho. 400, 74. *à Crapula.* 276, 13
Dolor refrigerat. 400, 76
Dolor è cruore quomodo fiat. 150, 35
Dolor, diarrhæa, ſtranguria. 495
Dolor à cruore extravenato. 152, 47
Dolor capitis per nudam actionem regiminis è duumviratu procedit. 276, 14
Dolor facit ut partes malè fungantur ſuis muniis. 358, 54

Dolores diatheſis eſto. 399, 66
Dona Dei ſunt florum inſtar, & glorioſiora quàm Salomon in Throno.
Drachmam quæ nocent intus vix pendeant. 374, 50
Draconis caput, & cauda ſunt nocturna puncta. 114, 47
Drift lapis Butleri. 474
Duelech uterus ubi. 170, 23
Duelech unde. 498. morbus monſtro ſimilis. 202, 4. diſtillatum profert oleum fœtidum, & ſal urinæ. 203, 7
Dulomania memoratur. 481, 4
Duodenum eſt menſura duodecim digitorum. 167, 2. ſubtus pylorum immediatè. ibid.
Duratio, quid. 506, 35
Duumviratus ſplen, & ſtomachus. 168, 11
Duumviratus poteſtas in caput, inteſtina, &c. 249, 61. in pulmonem. ibid.
Dyſenteria ab Archeo irritato à cauſa occaſionali. 382, 29. ex acido fermento. 87, 17. ex uvis comeſtis. ibid. ſanatur ſanguine leporis, & carne ſicca. 382, 29. modus fiendi. ibid. per verum laudanum abſque opio curata. 432, 23. ſanatur ungulis frixis in butyro, & pulveratis equorum, & ungulis jumentorum. 270, 41. emaciat & exhaurit. 492. nocet clyſter, nec poſcit adſtrictiva. 322, 33, 34
(in) Dyſenteria, cruor Meſenterii non concreſcit. 136, 37
Dyſenteria externum petit ſubſidium. 376, 58. cauſatur à Pyloro. 184, 21. unde. 321, 28. à torminis ex acidis provenit. 403, 84. fit ſi Attractrix laboret. 498
Dyſuria. 495, 498

E.

EBræorum fœtor. 590
Ebraiſmus ſuperlativo caret. 115, 51
Ebrietas peſſundat ſtomachi digeſtionem. 365, 22. unde. 157, 4, 5. ex vinoſo ſpiritu in cor, & caput rapto. 159, 13
Ebrietas non à læſa mente. 213, 6
Ebrii quandoque futura prædicunt. 99, 23
Ebriorum filii ſtupidi. 627
Ebrius influctuante navi demonſtrat non eſſe veram propoſitionem ſcholarum de neceſſitate primi motoris inſtabilis. 144, 1
Eccentricum centrum mundi luna reſpicit. 114, 47
Eccleſia caput baptizat, non cor. 293, 21
Ecclypſes futuræ, colores lunæ indicant. 114, 47. fit quoties eſt concentrix in novi, & pleni-lunio. ibid
Edaces ſumus ſub frigoribus. 150, 35
Eden hortus. 131, 1
Edulium unum altero præſtat ægro. 364, 17
Egoitas animas. 12, 7
Electrum minerale immaturum Paracelſi. 628. liberat à malignis ſpiritibus. 481, 7
Electuaria repudiantur & ſcamoniata. 464, 37
Elementum ignis ſulfur continet. 331, 59
Elementa duo primogenia. 43, 5. non mutantur aut pereunt. 547, 2. eorum pugna falſa. 45, 12
Elementa non coëunt. 137, 34, 35
Elixir proprietatis Paracelſi notatur. 325, 16. curat multos morbos. 458
Elixir Paracelſi deſcriptio. ibid. in ejus præparatione erravit Paracelſus. 626
Elleborus albus cum ſemine aniſi correctus necuit Carolum ſpinelli. 374, 50
Emplaſtra quomodo agant. 472
Emplaſtris nil miſcendum quod nequeat per totum reſolvi. 376, 56
Emplaſtrum fragrans ſtomachi dolorem ſanat. 93, 22
(ante) Empſychoſim fœtus vegetatur. 240, 9
Endemica malignitate carente montes, habent aërem puriſſimum. 629
Endemica quomodo intrant. 156, 13. noxia quæ ſint. ibid.
Endemicum omne afficit ſtomachum. 490
Endemicum ens an ab ambiente introtrahatur. 154, 1
Enema in colo non nutrit. 385, 49
Ens reale, mentale, & rationis quid ſint. 20, 27
Ente rationis màgis delectandum, quàm ipſa veritate credebat. 13, 14
Enterocelen in quinquagenario quomodo curata. 243, 20
Enula campana habet ſpecificum ſaporem. 369, 16
Ephemerides ægrorum quæ ſint. 440, 18. videntur in ſe ferre ægri ad dignoſcendas futuras tempeſtates. 33, 8
Epidemicis non juvant Aquæ ſpadanæ. 553, 4
Epiglottis claudit Laringem. 358, 54. imitatur folium hederæ. ibid.
Epilecticus extra paroxiſmum eſt morboſus. 393, 26, 27. odore cadit, & ſolo odore paret. 93, 17
Epilepſia utrumque obſidet ſpiritum. 248, 53. quandoque à pedibus ſuſcitatur. 449, 3. poſt ſe relinquid ſitim. ibid. dormiens per venerem, iramque excitatur. 440, 17. eſt virus inebrians, & ſoporiferum, & circa ſtomachum eluceſcit. ibid. illi valet os capitis, non reliqua oſſa. 603, 51
Epilepſia ab Archeo furioſo. 436, 34. in partu. 480. ex terrore violento. 483, 12. ex cruore inepto. 150, 35. ex menſtruis retentis. 271, 46. ex ore ſtoma-

ſtomachi. 230, 7. ex ſubtracto regimine duumviratus. 248, 52. non ſanatur cauteriis. 245,26
Epilepſia mulieris ex mœrore. 450, 12. ex pavore amittendi honores. 442,9. ex veneno opiato. 236, 11, 18. ſemel concentrata propria ſponte ut lubet expergiſcitur. 427
Epilepſiæ venenum inſenſitivum. 214, 25
Epilepſiæ remedia in Alce, & Hirundine. 315, 9
(ab) Epileptico caſu vel acceſſu cuſtodiunt externa periapta. 236, 12. & 237, 15
Epilepſiam adultorum curat ſpiritus cruoris. 159, 16, 578. ſicut & ungula Alcis. 600, 35
Equi ungula frixa in butyro ſanat dyſſenteriam; & furorem Pylori. 184, 22
Equi cor ſi clavo transfigatur, & poſtea aſſatur, cruciatur ſaga. 619, 171
Equina ſeta intra teſtam ovi incluſa ſpem pulli tollit. 246, 41
Equus contractus ſanatur menſtruo. 463
Equus ſicca comedit, & unico hauſtu contentus. 173, 41
Ericius Mohi de pulvere ſympathetico. 489
Eriſipelas apoſtema igneum aqua vitæ ſanatur. 140, 39
Eriſipelate excandeſcit ſpiritus vitalis. 148,28
Eriſipelatis ſanatio. 381
Eriſipelatis venena ex ira Archei, ſanantur ſanguine leporis. 382, 29
Error ſcholarum, circa veſiculam fellis. 210. opiniones de mente. 271, 19
Eſcaroticum incipit in cute. 386, 60
Eſcharæ fiunt ſalium acidorum miniſterio. 378, 4
Eſſentia quid ſit. 333, 76, 77
Eſſentiæ rerum putrere neſciunt. 608, 78
Ethnicorum ſpecies. 708
Eſurina quæ ſint. 168, 12
Eva poſt peccatum excitavit virum ad congreſſum. 584. ante caſum non peperit. 640, 14. aſpexit pomum pulchrum. 286, 10
Evacuantibus quando non fidendum. 181, 8
Euclidis elementa veritatem continent. 14, 4
Eveſtrum vitæ in pellucidis reverberatur. 308, 12
Eunuchi & incurii pingueſcunt. 434, 21
Eunuchi ſunt imberbes ſtrictioris colligenubus intrò retortis. 270, 41
Excrementa fœtidiſſima ex muſco, Zibetho, ambaro, & ejuſmodi. 341, 46. pauca in multo cibo. 197, 15
Excrementa alvi, & veſicæ qualia. 207, 5
Excrementum in nobis duplex. 550, 11
Excrementorum difformitas unde. 346, 2
Excreſcentias, nattas, verrucas, &c. delere docet. 115, 55
Exhalata per calorem fæcem poſt ſe relinquunt, quam caput mortuum dicimus. 149, 34
Exiccantia, ſunt creta, oſſa combuſta &c. 258, 15
Exorciſmus quare non ſemper operatur. 619, 172
Expulſiva ſtimulatur à ſalibus ſimplicibus. 382, 31
(in) Extaſi ſi quis vitas formales vidiſſet, deſcriberet quid ſit lux formalis. 147, 23
(de) Extaſi notatu digna. 218, 32. 222, 12
Extaſes eſſe in confeſſo eſt. 608, 74, 75, 76
Extracta reprobantur. 370, 21
Extracta per ignem non rarò debilitantur. 111
Extracta varii generis. 368, 12

F.

FÆtus progreſſio. 730. non nutritur menſtruo. 734. diverſimode vivit. 302, 9. mortua mater. 729
Faba ſeminum notiſſima quomodo naſcatur. 435, 30, 31
Fabri lignarii amentis & ſanati hiſtoria. 228, 49
Faber panem non edit. 164, 28
Famaguſtæ terræ motus, & venti impetus quo pacto ſedata. 66, 13
Fames à ſplene in ſtomachum ſpiratur. 183, 20. eſt veluti peracutus morbus. 140, 43
Fames ſedatur cibo non quantum fermento contrarius, nec quatenus ſimilis ei, ſed quia remedium appropriatum. ibid. 44. paucis diebus jugulat. 396, 51
Farina ſecalitia non lapideſcit. 201, 27. cum calce dat cæmentum forte. ibid.
Farina differt à paſta fermentata. 343, 65. ſi coquatur non parit flatus. ibid.
Faſcinum, ligatio animarum. 614, 131
Faucium difficultates cauſat linguæ mucilago. 200, 21. quomodo liberentur. ibid.
Fauni, & ſatyri hiſtoria. 21, 35. animal rationale non homo. ibid. nec cacodæmon. ibid. figura ſaturni depicti. 247, 42
Febres ſalubres ſponte medentur. 404, 89
Febres citò ſanavit Author concedendo vinum. 363, 12
Febres è cruore. 150, 35
Febribus inveteratis convenit helleborus niger, & lienem exonerat. 244, 26
Febrientium cibus ſit facilis digeſtionis. 163, 18. non conſumatis, & juſculis. ibid.
Febrile Gas, ſtomachi fermentum peſſundat. 365, 25
Febrile Blas calorem quare ſuſcitat. 378, 4
Febrilis calor non digerit. 163, 17
Febrilis cauſa alkaliſatur in febribus, hinc nec ceſſat ſitis. 185, 26
Febris ex unico vulnere totum hominem occupat. 494, 168

Febris

Febris ex nihilo. 388,13

Febris ex acido relicto in venas tranſeunte. 496,5

Febris poſt eſum Sulmonis, hiſtoria. 388. & 389,13

Febris dum pus fit. 309,10

Febris accidentia ſunt calor, & frigus. 379,13

Febris Ephemera ante podagræ acceſſum. 314,14

Febris ſilet perſtite cauſa occaſionali. 434,23

Febrium remedia ſunt eſurina. 228,19

Febrium deliria, ab excremento venenoſo. 268,28

Fermentum divinum, Hippocrati. 399,66

Fermentum maximè vitale, & luminoſum habitat in ſiniſtro cordis ventriculo. 146,22

Fermentum ſtomachicum per ſingulas brutorum ſpecies diſtinctum eſt. 164,26

Fermentum terræ replet ſemina. 43,13

Fermentum ſive initium ſeminale per quod producitur ſemen in materia. 29,23

Fermentum ſtomachi benè diſpoſitum non habens objectum in quod agat, conſumit proprium ſtomachi alimentum. 140,43

Fermentum ſtomachi delineatur, 365,25

Fermentum potens mitigatur lateribus, creta. 165,22

Fermentum digeſtivum conſiſtit in vitali aciditate ad transmutationes potens. 164,28

Fermentum eſt ens formale creatum, quod neque ſubſtantia, neque accidens, ſed neutrum per modum lucis, ignis, formatur &c. conditum à mundi principiis in locis ſuæ monarchiæ, ut ſemina præparet excitet & præcedat. 29,24

Fermentum, qua parte fermentum, eſt vitale, ac liberum arcanum. 168,12. in quo diſtet à ſemine. 92,12. lienis, excrementum vocant. 244,28

Fermentum ſtomachi à liene prodit. 164,30. chylificum differt à vinoſo. 157,8

Fermentum transmutationis parens. 93,23

Fermentum aëri balſamicum præſervat decocta omnia à putredine. 123,16

Fermenti fellis defectu, quæ mala fiant. 496

Fermenti ſtomachalis dignitas. 368,12

Fermento lienis reſiſtentia. 185,26

Fermenta à nobis aliena, nos fatigant. 125,25

Fermenta duplicia in natura. 91,8

Fermenta totidem quot digeſtiones. 167,2

Fermenta igne potentiora. 95,33

Fermenta ſunt cauſæ primitivæ transmutationum à priori. 168,8. eorum ſimilitudo à poſteriori, hauſta claudicat. ibid.

Fermentorum operationes non ſunt à priori demonſtrabiles. 159,16

Fermentata judæis vetita. 344,73

Fermentata olim vetita, ac myſterium in litera occultatum. 91,1

Fernelius de febribus non ſe extricavit. 393. notatur de opinione butyri. 179,72

Ferrum quomodo laxat & reſtringit. 554,9,11

Ferrum ſolidum ignitum plus urit quàm carbo. 111,13

Ferula Mercurii. 60,9

Fex non eſt vini recrementum, ſed mera reſidentia. 258,18

Fides tota abſque diſcurſu plura operatur. 168,7

Fides Authoris. 12,2

Fimi pars una, quintuplo ſui pondere aquam imprægnare poteſt, & fructum edere. 121,2

Fimus equinus unde calet & putrefit. 743,12

Finis ſi ſit cauſarum prima homo, ex ultimato fine diſtinctionum proprietatibus in creando definiendus erat. 22,37

Firmamenti vires, & vices in Archeo univerſali influo apparent. 33,8

Fiſtula lacrymalis ſive ani difficilis ſanationis. 32,40

Fiſtulæ ani, & oculi difficiliter ſanantur. 355,44

Fiſtulam ani ſanare non poſſunt ſcholæ. 354,44

Fixa quomodo fiant. 150,37

Flamma eſt accenſa fuligo. 85,7

Flamma eſt exhalatio pinguis. 111,28. candelæ illuminat fumum alterius. ibid. 29

Flammula diſtillando deponit vim corroſivam. 383,36

Flammula non veſicat cadaver. 139,37

Flatus ſtercoreus flammam concipit. 341,49. qui corporis habitum in tumorem extollit. ibid. 40. eſt in ſtomacho, & inteſtinis. 339. 32. nativitas acidum præexigit. ibid. multiplex venenoſus. ibid. unde proveniant. 344,71. in ileo eſt naturalis & inſeparabilis. 345,76. differentia. 339, 34,35,36. movet polenta. 385,48. non flatus ſed materia unde contrahuntur averruncanda eſt. 210,27. remedia aneti & non à ſcholis, ſed à parvulis, & pauperculis enotuêre. ibid. 28. à vitio noſtro ſunt, non rerum. 342,54. fœtentes ex carnibus &c. 341,46. oritur fermenti errore digerendo. 343,61. ex corpore ſolido. 295,54

Flatuum ſchema. 341,50

Fluctuatio nobis aërem recentat, unde fames. 150,36

Fluxiones, à capite, quid. 352,32. ad loca podagræ quales. 314,22

Fœni compreſſio ignem excitat. 578

Fœniculus producit lac. 129,52

Fœnum quare inceditur madidum. 116,61

Fœtui tarda auxilia quare? 579

Fœtui deletur macula manu cadaveris. 227,16

Fœtum non raró profligat uterus, muliere dudum mortua. 337,16

Fœtum minorem prægnante mærore afflictæ aliquando dant. 178, 64
Fœtus à ſomno incipit. 231, 11. *quomodo degeneret in molam.* 116, 65
Fœtus conſiderandus ut ramulus arbori inſertus. 128, 50
Fontes quouſque agunt in homine. 545, 3
Fontes optimi. 549, 4. *non ex aëre.* 547, 1. *eorum aqua.* 545, 1
Fontium origo. 44, 6
Fons unicus totam irrigabat terram.
Fontes in montibus quomodo fiunt. 47, 10
Fontes calculum generantes. 549, 7
Fontes acidi unde. ibid. 4, 6. *ab Eudæmone cuſtodiuntur.* ibid. 6
Fontanella plorat ichor dum homo malè valet. 309, 10
Fontanella ridicula. 307, 2. *mille incarnari juſſit.* 308, 5
Fontanellæ copioſum pus, & ichor plorant. 497
Fontanellæ alicubi juvant. 301, 74
Forma cujusvis eſt ex nihilo. 105, 2. *eſt velut quoddam lumen.* ibid. *eſſentialis in rebus quibuslibet.* 203, 7. *ſubſtantialis nulli niſi homini propter mentem immortalem.* ibid.
Forma in puncto generationis adveniens omnes caracteres ſui ſeminis non habet. 127, 46
Forma, vita, lumen non ſunt ſubſtantia, neque accidens ſed medium Ens. 108, 22. *mentis ſola ſubſtantia.* ibid. 23
Forma eſt vita rerum, lumen, &c. 108, 22
Forma, & vita viventium ſunt ſynonyma. 573
Formæ nitent, ſplendent, lucent. 148, 29
Formæ nunquam corrumpuntur. 123, 17. *intereunt quidem.* ibid.
Formæ ſunt quatuor: eſſentialis, vitalis, ſubſtantialis, formalis. 116, 67. *& ſeq;*
Formales proprietates, (ut calor in igne) neſcimus. 596, 4
Formicæ ex melle, & pane ſecalitio. 384, 37
Formicæ ſua bilis ineſt. 176, 54
Fortunæ omnes tam proſperæ, quàm adverſæ concernunt divinam diſpoſitionem. 101, 41. *noſtræ in manu Dei ſunt.* ibid.
Fracedo, quid. 143, 61. *ejus origo.* 82, 12
Fractura curatur ſymphito. 458, 5
Fragor, tonitru quid. 20.
Franciſci Alvares teſtimonium adducitur. 176, 53
Fredericus Imperator tartarum horrebat. 198, 19
Frictiones Galeni deridentur. 512, 1. *ejus ingenium produnt.* 357, 52
Frigida affatim pota magno hauſtu aptius refrigerant, quàm ſi eadem quantitas pluries pota ſit. 149, 33
Frigus excellens mortificat tanquam ſi ureret. 222, 8
Frigus principium extinctionis. 58, 25. *citius ſub frigore ligna conſumuntur igne.* ibid. *poſt cibum quare fiat.* 153, 55, 56. *purificat aërem.* 508. *lædit tenerum pulmonem, & cerebrum.* 293. *inſuetum nocet varie.* 338, 25
Fructus paradiſi memorantur. 131, 3
Fuchſii & Fernelii inſtitutiones riſit Author. 16, 14
Fulgur non quatit vitulum marinum. 602, 45. *Ibi plura de ejus adipe.*
Fuligo eſt partim ſal volatile concreti. 89, 33
Fuligo ſcholarum quæ. 295, 54
Fungi ſunt Leſſas terræ, obductâ pelle. 94, 37
Fungoſa fuligo ex lignis putreſcentibus. 116, 61. *eſt caloris & corporis diſſoluti index.* ibid.
Fundus, ultimus eſt mare internum etiam in ſupremis montibus. 546, 16. *eorum diverſitas in terra.* 545, 3
Fures deſtruunt alvearia dum ea transportant. 21, 34
Furfures in pane ſedem promovent. 172, 37
Furor non eſt mentis læſæ ſymptoma. 213, 6
Furores non ſunt menti propriæ. 118, 79

G.

GAlenus quingentis annis junior Hippocrate. 7, 3. *Hypotheſes conſtruxit humorum & graduum complexionum.* ibid. *promiſit facili methodo demonſtrationes Mathematicas earum rerum quas ſola natura metitur, quæ ſibi in occultis reſervavit, ac tandem nonnulla ſola Spagyris patefecit.* ibid. *ſua theoremata in ingens diſperſit, & Græcia garrulitas auxit.* ibid.
Galenus totus excrementitius. 246, 41. *artificioſa indagine pulſuum differentias compilavit.* 145, 11. *quam plurimos reos erroris fecit.* 11, 9. *Quintum præceptorem ſuum carpſit ſæpius.* ibid. *de pulſibus contra Ariſtotelem.* 145, 11. *triumphat de uſu partium.* 167, 1. *errat, tribuens omnem intellectum & amentiam capiti.* 243, 21
Galenus artem ex paucis regulis in immenſa volumina dilatavit. ibid. *Mercurium vivum non vidiſſe videtur.* 71, 26. *ejus doctrina muccida, ac pituitoſa.* 191, 9. *Multa ſuffuratus theoremata erexiſſe, gloriatus eſt.* 132, 10. *Dioſcoridem exſcripſit.* 58, 28
Galeni doctrina à ruſticis facilè percipitur. 133, 11
Galeni ſtudium examinatur. 8, 11
Gallarum animalia unde. 865
Galli coagulum continet ſpiritum vitæ. 542, 24
Gallica-lues corallato Paracelſi ſanata. 32, 40
Gallina vertiginoſa ob cryſtallum deglutitum. 185, 28
Gallinæ lien circa ſtomachum congeriem habent. 164, 30

164, 30. hinc fortius digerunt. ibid.
Gallus vertiginoſus ob cilicem deglutitum. 184, 24
Gallus excrevit integros furfures. 197, 15
Gamahen ſcurrile dæmoniacum. 386, 62
Gangræna ex ingenti calore. 579. quomodo fiat. 386, 60. ex ſale corroſivo degenerante. 160, 28
Gargani antrum. 549, 6
Gas quotuplex & quale ſit. 336, 5. ſalium non eſt niſi aqua. 89, 37. uvæ erat aqua. ibid. 38. quomodo in priſtinam materiam redeat. ibid. velociſſimè in nobis operatur. 90, 43. eſt ſpiritus ſylveſter, qui nec vaſis cogi, nec in corpus viſibile reduci poteſt, niſi prius extincto ſemine. 86, 14. omne, ſui concreti aliquam continet conditionem. 89, 34
Gas vitale ſolis lumini adæquatur. 90, 42. à quovis alio Gas potentiſſimè, & celerrimè afficitur. ibid. 59. ſulfuris in vitro extinguit flammam. 130, 59. criptarum necat homines. ibid.
Geber de cryſopæa. 476, 4. de ſimplicitate Mercurii. 55, 8
Gemellorum ab eadem nutrice, & eodem cibo nutritorum, alter calculoſus evaſit. 203, 10
Gemmarum operatio in corpore. 779, 15. in peſte laudatur. 65
Gemmæ non calcinantur. 202, 4
Generans non cogitat de formando fœtu. 439, 8, 9
Generatio nova per fermentum. 343, 62
Generatio fit ex ſemine. 92, 12. differt à productione. 403, 87. naturalis quid. 394, 38. fit per ideas ſeminales. ibid. diſpoſitio illi præcedit. 125, 25. præſuppoint uterum. 1. nihil generatur de novo. 35
Gentiana ſpecificum ſaporem habet. 369, 16
Germanuli in Canariis. 540, 82
Geſchot eſt dolor acerbus. 243, 20
Gibboſitas ſpontanea eſt excreſcentia. 497
Gigantes ex monſtrorum concubitu. 548, 98
Glacies vini. 188, 2
Glacies quomodo, & quare fiat. 66, 13
Glacies levior aqua eſt. 63, 4
Glandem in inguine ex apoſtemate pedis non benè norunt ſcholæ. 437, 38
Glandes plumbeæ ad volvulum. 339, 31
(de) Glandularum uſu. 306, 40
Glauræ deaurata ſuppellex. 374, 50
Globus terræ & aquæ ab Aquilone in Auſtrum non eſt rotundus ſicut ab ortu per occaſum adortum ſed ovalis. 47, 13
Gloriam ſibi tribuere horridum eſt. 13, 14
Gluten de aquatico valet in cancro. 56, 57
Gluten aquaticum Paracelſi quid ſit. ibid. 57
Goclenius de magnetica curatione. 594
Gonorrhæa impediti ſteriles ſunt. 500. emaciat corpus. 492. ex utero furioſo. 484, 16
Gradus ſimplicium. 367, 4. vana eſt diſtinctio ſexuum in eis. ibid.
Gradus ignis à Philoſophis diſtincti, ſunt mera & ridicula figmenta. 165, 33. in chymicis verò quot ſint. ibid. 35
Graminis radices non tollunt hepatis obſtructiones. 409, 12. neque refrigerant hepar. 257, 11
Granum in terra moritur, ut per vitam mediam nova proles excitet. 122, 10
Granum nutrit & prolificat. 617, 154
Gravedo nunquam in ſanis. 164, 32
Gravidarum nauſea unde. 577
Gravitas, qualitas activa. 80, 22
Gula æſophagus. 348, 3. non patet, aut aërem continet. ibid. 7
Guihelmus Gilberti de Magnete. 751, 19
Gulam & guttur uterus comprimit. 270, 43
Gulo animal in Suetia notum. 618, 165
Gumma oſſium liquor alimentarius. 497
Guſtu carent vires dotales rerum. 451, 16
Guſtus alius ſtomachi, alius linguæ. 380, 27. placidus veneni. ibid.
Gutta per antonomaſiam appellata podagra. 312, 1
Guttur ad menti altitudinem ſurgit ex uteri aſpectu. 270, 43

H.

HA, Ha. 296, 56
Halitus hiſtoria. 60, 6
Haruſpicia unde. 145, 7
Hæmorrhagiam internam ſiſtit ſectio venæ. 323, 35
Hæmorrhoïdes ex diſſenſu fellis, & Pylori. 183, 16
Hæmorrhoïdes mortificat ſudor morientium. 303, 17. ex retento ſupra juſtum terminum cruore. 496
Hæmorrhoidum dolorem ſanant Amuleta. 141, 45
Hectica muccum facit cruentum. 211, 34
Heer in Apologia de Spadanis aquis impertinenter uſus eſt inſtrumento Authoris. 12, 11
Helleborus alleviat conceptorum gravitatem. 381, 20
Helleborus quomodo capiti ſit proficuus. 244, 26. 298, 65
Helleborus in Tridentino tractu natus non purgat. 603, 51. coctione non maturatur. 374, 48
Helleborus Archeum in ſpaſmum concitat. 337, 13
Hematinum Metalli. 384, 39
Hepar, & ſplen alimoniam ſuſtentant. 587
Hepar pendebat lib. 16. Hiſtoria. 497
Hepar non facit ſpiritus, contra ſcholas. 31, 3. per morbum ſuccreſcit. 588

Hepa-

Hepatis calor ſcholarum. 496

Herbæ philtrum amatorium memoratur, ſilentio tamen præteritur. 599, 27

Herbæ à ſtercore ſunt depurandæ. 368, 12

Herbæ ſine capite mortuo diſtillantur. 325, 17

Herbæ pentacula divini amoris nominat Author. 15, 10

Herbarum ſucci cuſtodiuntur abſque ſaccaro. 141, 45

Herbarum virtus eſt pharmacorum, non autem comprehendit cibos herbarios. 363

(de) Herbis natantibus. 94, 31

Herbarii cœperunt authori vileſcere. 15, 10

Hermes in Pimandro tria principia metallis tradidit. 324, 6

Hermodactylus in prima ſui facie eſt inſipidus. 380, 27

Hernia in umbilico Hiſtoria. 340, 38

Herniam curat magnes. 497, 19

Herniam quatuor ſemin. calida & duritiem pylori ſanat. 243, 20

Hernioſi cujus inteſtinum excidit in ſcrotum, ſanati Hiſtoria. 344, 75

Hiacinthus ſanat peſtem. 2

Hiberni Chambroch quod eſt trifolium, pro pane utuntur. 363, 14

Hieme plus comeditur quàm æſtate, & quare. 153, 56

Hieroglyphica per figuras notant. 209, 62

Hiera picra periculum. 756, 7

S. Hildegaldis prophetia. 377, 2

Hioſciami ſemen imaginationem dislocat. 224, 19

Hioſciamus exoticam phantaſiam imprimit. 225, 31

Hippocrates rariſſimi doni vir. 7, 2. edidit ſine fuco experientiæ tædio. pleraque ejus opera ſunt quisquiliæ & adulteræ. ibid.

Hippocrates omnes morbos flatibus conſecravit. 335, 1. noverat certè depopulantem curare peſtem, & cum illo obdormivit iſta ſcientia. 11, 10

Hippocrates primus ad ſcripta redegit ſuas obſervationes, in quo labore divinam opem ſentit. 132, 10. ejus cauſæ morbi quæ. 320, 17. totum corpus perſpirabile. 271, 45. venia dignus dum putavit, abſolvi totum negotium morbi per naturam. 346, 1. tribuit notiones morborum ex ſalium ſapore. 379, 12. adeptorum fuit particeps. 7, 2. ſurdis ſcripſit. 341, 11. diſtinxit morbos per hoſpitia & ſapores. ibid. 10. corpus noſtrum in tres claſſes diviſit. ibid. 11

Hippocratis regreſſio noctis ad diem orphæi quid ſit. 333, 70

Hircus diureticus alendus priusquam ejus cruor paretur. 179, 74

Hirci cruor quomodo rectè paretur. 179, 75. ſanat pleuritidem. ibid.

Hirudines tota hieme ſub limo conduntur, & vivunt. 149, 33. ex fundi fracedine. 54, 31

Hiſtoria ſuffocationis. 386, 64. obſervatrix rerum contingentium regularium, & neceſſariarum; & eſt memorativa ſcientia facti. 8, 14

Hiſtoriæ admirabiles. 46, 17. raræ. 476, 2. Cardinalis. 750, 16

Hiſtoriæ Amentium. 227, 47

Homo internus. 618, 91, 92, 95. externus caro, & ſanguis. ibid. 95

Homo terra eſt, & in terram ibit; quomodo intelligatur. 69, 43. ſolus ridet. 249, 61

Hominis Chriſtiani definitio. 336. definitio data à ſcholis eſt erronea, quia definit hominem juxta ejus cadaver. 22, 35, 37. 608, 83. interni ſpiritus eſt localiter in nobis. 608, 81

Hominis ſanguini ineſt phantaſia, & appetitus Magicus. 617, 160

Homicidium, minus peccatum eſt ſcholarum. 335, 35

Hordeum parum coctum ventoſitates efficit, opilationes verò, ſi meliuſculè bullierit. 365, 23

Hordei ſpicæ deglutitæ Hiſtoria. 477, 7

Horologiorum error. 508, 49

Humana natura corrupta, qualis. 531, 49

Humectatio fit per appropriationem. 254, 4

Humidum in ſiccum nullam habet penetrationem. 137, 3. radicale quid. 474. & 475. ſicco non commiſcetur in radice. 165, 36, & ſiccum gradus non admiſcent. ibid.

Humores ſecundarii fiunt ſenſim volatilia. 577

Humoriſta reſpondit captioſè. 275, 13

Humoriſtas Author provocat ad certamen. 421, 9

Hydragogum fœtida non excernit. 416, 38

Hydrops ab Empyrico curatus obiit mirabili modo. 327, 33

Hydrops ſolvitur per renes. 410, 14. aliquando fit à pulmone. 407, 5

Hydrops ſanatur. 415, 33. triplex. 412, 20. ex malignis febribus. 406, 1. renes eam fabricant, & ibi plura de Hydrope. ibid. ex ſanguine extra venato. 410, 15, 16. ſanatur argento vivo præſcripto à Paracelſo & aliis modis. 415, 39, 40. natura eſt jacens. 404, 89. notha. 407, 48. ex mærore. 451, 12. febres ſequitur. 399, 66. quomodo medetur. 446, 13, 14

Hydropis definitio. 416, 42

Hydropis cura magnetica. 598, 20. necat integras familias. 589

Hydropicorum ſitis ex latice alienam, intus qualitatem combibente. 305, 35. 410, 14

Hydrophobia accuſat initam rabiem. 277,16. initium examinatur. 129, 54. nomen unde. 240, 5
Hydrophobiæ remedium, S.Hubertus. 602,45.286,47
Hydropiper poſtquam exaruit, amittit ſuam eſſentiam. 334, 79
Hyles appetitus eſt ſomniatus. 69, 1. impoſſibilis meretricius appetitus. 123, 13
Hypocatarſis exemplum. 28, 13
Hypochondria paſſio. 248, 54
Hypochondriacæ amentiæ ſunt præcordiales. 221, 5
Hypochondriaca conceptio quæ. 482,3
Hypochondria ex errore. 6. digeſtionis ſplenis. 495
Hypochondria contremiſcunt, ad oblata pocula. 490
(in) Hypochondriacis amentiis eſt venenum furioſum. 268, 25
Hypochondrii exorbitatione mens non alienatur. 118, 79. amentia cauſatur à lenta, & continuata triſtitia. 450, 12
Hypoſtaſis urinæ quid. 47, 16
Hyſterici morbi unde. 720, 54. ſulphure veneris medentur. 486
Hyſterica media. ibid.

I.

Iacens natura eſt, ubi morbus in graduum ſurrexit, & nupſit intimè, & tunc altiora requiruntur remedia, quàm quæ natura ſponte produxit. 141, 45
Iaſmini flores putrendo amittunt odores, & vim medicam. 334, 79
Iaſpis eſt lapis opacus. 386,62
Ichor fit totus cruor. 160, 20
Iconem Dei, rationem putant. 20, 24
Icterus non eſt mortalis. 171, 30. unde fiat, & non à felle. ibid. non eſt à retentis. 270, 43, ex mærore. 450, 12. nullibi magis viget quàm in atrio ſtomachi. ibid. 13. per venena. 160,28. ex ſtomacho debili. 233, 32. proprio veneno Aſthma ſiccum profert. 298, 64
Idea inducitur metum renibus qua indignationem amittant. 415, 36
Ideæ formantur ab Archeo non minus quàm à vi phantaſtica. 443, 14
Ideæ aſpectuales depinguntur in æthere Archei. 442, 8. ſequuntur perturbationes, unde fiunt. 226, 36
Iecori incumbit ſanguificationis labor. 159, 13
Iecoris ſtomachus meſenterii. 171, 29
Iecur dimittit ſuum fermentum in venas meſenterii. 174, 46
Iecor anguillæ valet in difficili partu. 247, 46. nunquam propriâ temperie peccat in calore. 252, 27. calidum eſt per accidens. ibid.
Iectigationes manuum, ex pylore malè clauſo. 182, 10
Ignis non calefacit aquam per contrarietatem, ſed per generationem Relollæi alieni. 137,26. non ſuſtollit aquam in vaporem per contrarietatem. ibid. 27. neque extinguitur ab aqua per contrarietatem. ibid. cremat fortius ſub flatu Boreæ, quàm Auſtri. perit ſuffocatus non victus. ibid.
Ignis, lumen, vita, forma, &c. ſunt creaturæ neutræ, non ſubſtantiæ. 585
Ignis ens anomalum. 144, 1. artificialis docet recludere arcana. 113, 38. naturæ. 111, 31. convertit Carbonem in Gas ſylveſtre. ibid. Gehennæ artificialis mutat terram à primæva ſui ſubſtantia. 46, 15. non producit ſemina, ſed abſumendo illa transmutat. 86, 19. tranſmutat ſemina rerum. 206, 37
Ignis aqua unico verbo indeclinabilis Alkaheſt. 202, 13. officium. 150,37. aërem in aquam mutare non poteſt. 89,35. non habet in ſe aëris ſemen. ibid. indiget aëre ad expellendos fuligines, non ut alatur aëre. 110,26. conſiſtens in remiſſo gradu luminis eſt plerumque vitæ comes. 113, 38. & lux præ ſe ferunt aliquid quod vitale videtur. 591
Ignis veneris præbet dulcedinem ſulfuri Mercurii diaphoretici. 372. non eſt elementum, ſed mors in manu artificis, & quomodo. 85, 2
Ignem non eſſe ſubſtantiam, nec accidens probatur. 109, 24. eſt creatura neutra à Domino in hominum uſus deſtinata. ibid. 24. ejus proprietates. 111, 34
Ignem excitat concuſſio ferri. 579
Ignorantia quadruplex in Medicina. 683, 4
Ilei flatus habent aliquot in ſe diverſitates. 341,50
Ileon non eſt minoris inteſtini aliqua contorſio. 338, 28. Remedium & Hiſtoria. 339, 30, 31
Ileum ſemper vidit Author flatu tumidum in diſſectis cadaveribus. 340,43
Iliadus. 546,11. [illegible]racelſi quid. 547, 20
Imaginatio quædam ſana, & integra debetur ſpleni. 277, 16
Imaginationis perturbatio alimenta inficit. 226,36. miniſterium ubi fundatum. 579. unde oriatur. 429, 10
Imaginatione mens noſtra nihil intelligit. 213,4
Imaginativa eſt intellectus animalis Ariſtoteli cognitus, tantum res extrinſecus aſpicit. 26, 61. cernit corticem, ad nucleum non attingit. ibid.
Imaginem furoris communicat vipera. 429, 10
Imaginem nemo novit perfectè, an benè reſpondeat ſuo typo, ſi typum non agnoverit prius. 22, 36
Immortalitas, quomodo. 233, 31. olim ex cauſis naturalibus. 782, 8

Impetum faciens, eſt ſolus, qui œconomiam, tam in ſanis, quàm in ægris vitalem lacerat. 419, 1. eſt Archeus. 438, 4

Impetus ſunt conceptus animæ. 231, 16

Impoſtura eſt oleum Mercurii. 330, 55

Impuberes non rarò concipiunt ante menſtrua, & maturiores ſilente menſtruo. 500

Inanimata habent phantaſiam. ibid.

Incantamenta unde naſcantur. 385, 46

Incantamentis itur contra, animo robuſto. 479, 15

Inclinatio moralis eſt de intimis animæ ſenſitivæ proprietatibus. 102, 45

Inclinatio vocationis eſt qua naturaliter quis pendet in aliquam profeſſionem. 101, 36. tres aliæ inclinationes delineantur. ibid.

Inclinationes fiunt ab anima mortali. 450, 7. ab animalibus. 101, 35

Incubus ſive Ephialtes ſuſcitatur è præcordiis. 141, 15

Incurabilium cenſura. 553, 6

Incuriis rarò tempora caneſcunt. 482, 3

Indicationes naturales morborum per ſolas contrariorum oppoſitiones fieri dixit Galenus. 133, 12

Indicationi curativæ non reſpondent ſæpè remedia. 289, 7

Indigeſta fiunt ex pyloro malè affecto. 182, 10

Iuduſia, & ſtragula madore ſtillant è latice. 304, 24

Induſium in mures mutatur. 92, 9

Infantium quare flavum ſtercus. 171, 35

Infantulus dentiens febricitat. 310, 15

Inferentia includit neceſſitatem. 96, 5

Infernus exteriores ſive extremas habet tenebras. 115, 51. fortè aliquot milliaria meditullio terræ tenet. 546, 6

Influentia veterum eſt proprietas lunæ. 114, 48

Influentia quid & unde. 98, 15

Ingluvies mater plerumque eſt ſpinæ, cruoris. 497

Injaculatio eſt ſtomachi acerbus dolor. 243, 20

Injecta materialia. 475, 1. ſanatio. 481, 4

Initia prima ſunt duo; cauſarum, & corporalium. 29, 23

Initia Chymica duo indiviſibilia. 496

Inſania generantis traducitur in poſteros. 485, 20

Inſania occulta. 483, 11

Inſaniam quandoque adducit triſtitia paupertatis. 442, 9

Inſectæ, cur tempeſtatem norunt. 98, 19. aquatilium generatio. 94, 31

Inſomnia unde. 716, 38. 245, 30

Inſtrumentum Muſicum ſymbolizat cum alio uniſono. 135, 30

Intellectus quibus mediis datur. 101, 1. columna 3. novo perfectionis rore perfunditur quoties intellectualiter contemplatur aliquid ſupercœleſte, eo quòd pro merito transmigrat in illud(illudque deguſtat. 23, 48. Authoris plus profecit per figuras, imagines, & viſiones phantaſiæ ſomniales, quàm per rationis diſcurſus. 22, 40. cognoſcit res prout ſunt, ideoque viciſſim verificatur intellectus de rebus ipſis per res ipſas, 20, 32. purificatur per chymiæ labores. 387, 67

Intellectum ſuffocat nimia preſſura. 377, 1

Intellectualiter intelligere Atheos optat Author. 169, 14

Intelligentia gubernatur aquæ. 547, 20

Inter ſeptum cordis habet poros triangulares. 146, 21

Inteſtina foraminata non reperiuntur. 166, 4

Inteſtinum cæcum eſt exiguum, neceſſarium tamen receptaculum omnis ſtercoris. 180, 81

Iohanne major eſt minimus in Regno Cœlorum, & quomodo intelligendum. 214, 12

Ira & furor in morbis quid. 717, 39

Ira diverſimodè ſpiritus afficit. 270, 40. calefacit. 310, 76

Iris ante diluvium nunquam viſa. 72, 2. eſt ſignum fœderis divinæ bonitatis. 67, 3

Iſciatica à Pyloro malè affecto. 243, 20

Itali ſingulis in pagis habent medicaſtros, qui cruore miſerorum vivunt. 12, 2

Iuniores ſub parca cœna malè quieſcunt. 245, 30

Iuniperi Baccæ Anatomia. 761, 19

Iura carnium abſque ſale, aceto, melle, ſaccharo &c. condire, & à putredine per annos vindicare diſcant ii, qui ſudores herbarum ſtillando præponunt. 141, 45

Iuris & Philoſophiæ differentia. 596, 5. vanitas. 15, 13

Ius verſatur circa traditiones humanas, incertas & veritatis expertes. 15, 13

Iuſſus à capite defertur voluntarius ad linguam. 242, 18

Iuvenis amans deperditè puellam eſt ſimilitudo ſive imago realis diſtinctionis animæ ſenſitivæ à mente. 561

Ixia ex Chameleonte. 368, 12

K.

Karichterus Medicus, laudatur. 481, 8. 454, 3

Keyberg ſive mons ſiliceus quid ſit. 44, 4

Keyberg eſt fundus ſub ſabuli fundo, cui rupium propago innixa, ubi metallorum ditiores claſſes. 546, 5

L.

LAbor ſophiæ anomalum in natura fecit. 94, 28
Lac ex gramine, & inde ſanguis. 193,24
Lac beſtiarum ſiccis paſcuis paſtarum, optimum. 179, 73
Lac plures horrent, quia non conficiunt. 164, 27
Lac febrienti affert capitis dolorem. 276, 14. aſininum optimum. 179, 76
Lac cadavereſcit in muliere prægnante. 622. in horas varias impræſſiones ſubit ex animi perturbationibus. ibid.
Lacte ſolo multi dudum vixêre. 363, 14. in prunas emulcto, ubera flacceſcunt. 598, 21
Lactis vires ſunt metiendæ ex ſanitate beſtiæ, vita, & cibis, non autem ex craſſitudine aut pinguedine. 179, 74
Lactis nutrimentum quale. 622. examen. 179, 53. qualitas productiva in fœniculo. 129,52
Lampas vitæ. 598, 20
Lapis omnis, in homine immediatè eſt filius aquæ. 202, 1
Lapis cancrorum in producta fermenti agit. 238,22. quamvis ſit diureticus, non penetrat in veſicam. ibid. 25. præſtat calcinatis Conchyliis. ibid. 22. in medendo præcellit. 238,20. potus in vino potentior. ibid. lienem ſanat. 323, 35. diureticus eſt, & vulnerarius. 153, 53
Lapis Cryſopojus contemplatur. 590. Philoſophorum vitaliter nobis uniri non poteſt. 628. vegetabilis cremabilis eſt, ut Gagates, & potius eſt nodoſum lignum quàm petra. 202, 4. animalis eſt ſaxeum os, quia partim crematur. ibid. Cryſopojus tractatus ab Authore. 534, 58
Lapis omnis in ſal Alkali ſpontè, vel per adjuncta migrat. 36, 12. omnis qui calcinari poteſt talis ſalis acrimoniam Calcinatur acquirit. 335,65
Lapis aliquando in ſacris dicitur minerale corpus. 363,369
Lapidis Cryſopæi Paracelſus compos. 624. donatus. 187, 3. ſemen. 108, 20,21. eſſe creditur. 630
Lapidibus ineſt magna virtus. 386, 62
Larynx clauditur epiglottide. 358, 54
Laryngis eroſiones, & tabes unde. 212, 44
Later fovens, pellit odorem emplaſtri intro. 376,58
Latera & vitrum poſſunt in liquidum redigi. 45, 14
Latex hic eſt Alkaheſt. ibid. 72
(de) Latice in humano corpore plura. 360, 61
Latex nobis ſpecie mucci, albuminis, ſaniei imponit, & mutetur. 301, 73. quamdiu cum cruore in venis, vel ad glandulas fertur thydraulicis non paret. 229, 20. aſſimulatur ab Authore primæ materiæ. 307, 46. facilè fermento transmutatur in alienam prolem. ibid. non eſt pars urinæ, neque ſudoris ſalis expers. 303,9. pluribus officiis, & uſibus deſtinatur, ideo eſt cauſa occaſionalis plurium morborum. 305, 31. pro ſui inſtituto inſipidus eſſe debet. 381, 61. aceſcit multo potu. ibid. diſſolutorum ſalium copulam admittens, apoſtematum, & ulcerum, &c. cauſam conſtituit. 361, 63
Laticis tractus è venis Meſenterii, cauſat ſitim naturalem. 179,79
Latinum Paracelſus dixit inſalutiferum. 192, 16
Latria ridicula, & Græcorum ſomnia. 348, 14
Laudanum abſque opio, ſanat plures morbos. 434,23. Paracelſi ſanat tuſſes. 249, 62
Laudibus quibuſcunque renuntiat Author. 13, 14
Laus dum non datur, non capere eſt facile. ibid.
Laxativa novellum cruorem è meſaraïcis venis emulgunt. 8, 9. operantur per latens venenum intus. 383, 33, 34. vera quæ ſint. ibid. 34
(de) Laxativis notatur doctrina Paracelſi. ibid. 36
Laxativarum vis. 616, 154
Lazurius lapis fit aqua. 86, 12
Lectorem benevolum non requirit Author. 10,8
Leffas ex aqua fracida. 43, 13. eſt liquor ad omnem plantam tranſiens. 94, 31. ad plantarum radices trahitur. 95. 31, 32, 33
Leo irritatus caudam vertit. 596, 4
Leporis venati ſanguis curat eryſipelam, & dyſſenteriam. 382, 29. pinguedo ſpinam e digito una nocte attrahit. 403, 85
Lepra, arcana renovativa popoſcit. 498
Lepra è Naaman in Gehaſin traducta. 598, 25
Libani in apice cedri integræ permanſerunt. 633
Libera Saturnalia quid ſignificent. 132, 17
Libri omnes cum inſtitutionibus eandem canunt cantilenam. 16, 15
Librorum lectio. 369, 14
Lien amplectit ſtomachum. 241, 13. ſibi ſoli coquit. ibid.
Lien ſtomacho incumbit. 164, 30. Galliæ lienem circum ſtomachum congeſtum unitiſſimè habent. ibid.
Lienis remedia rara. 233, 29
Lienis remedium, lapidis cancrorum bulliti cum vino. 323, 35
Lienis viſcus eſt ſanguis noviter congelatus. 241, 11. tumor ex mœrore. 450, 12
Lienteria unde. 235,10
Ligna & herbæ ſine omni capite mortuo diſtillantur. 325, 17
Ligna carioſa atque putrida cremata vix in cineribus habent ſalem. 151, 41

Lignum cetum. 632. Nephriticum. 708, 23
Lignum pini totum vertitur in Alkali. ibid. 39
Lilii tinctura Paracelſi. 628. volatilis. 354, 43. Antimonii tinctura. 374, 49. convallii flores putrendo amittunt odores. 334, 79
(ſub) Linea æquinoctiali quare putrent omnia. 115, 54
Linea trivialis. 651, 6
Lingua indolens ariditate finditur. 305, 28. ariditas indicat laticem impeditum. ibid.
Lingua tenditur ex palati dolore. 611, 107. ſimilis eſt apertæ pelli. 472
Linguæ opificia è latice. 305, 25
Linguæ tunica fimbrioſa inſtar Holoſerici, veſtita eſt. 200, 22
Linguæ recrementa mucilago latens. ibid.
Linteamina congelantur ab anhelitu. 304, 21
Linteum exſiccat, & abſtergit. 229, 26
Linteum coroſum à menſtruo. 583
Lipothymicus fragrante odore reficitur. 93, 19. ſentit vaporum activitate in præcordiis deliquium. 244, 23
Lipopſychin circa ſtomachum ſentiunt inordinatè ſtudentes. 244, 27
Liquor plantæ ad radicem ſuæ conſimilis effuſus mirifica fœcunditate beat. 234, 82
Liquor Alkaheſt vocatur arbor vitæ. 628
Liquor intus conficitur ſaccaro libentior. 371, 30
Liquor Betulæ extrahendi modus. 709, 24
Lithiaſis ex nutrice contracta. 623
Lithodontos materia, & efficiens unde. 20, 21
Lithontribon examinatur. 372, 44
Lithurgiæ myſterium. 385, 58
Lixivium, opiatorum remedium. 245, 31
Locis inhabitant lumina, colores, & fermenta. 126, 38
Locus non circumdat mobile exterius. 504, 28
Logica nullam ſcientiam in medium protulit. 37, 24
Logica & ejus finis, inutilis. 37, 23
Longævus qui procul à curis, & uſaris. 592
Lorind aër ignotum. 192, 18
Lotii uterus ante meſaraïcas incipit. 170, 23
Lotium quando ſalutiferum. 471
Lovanii promotus ad Medicinam Author. 11, 7
Loup transfodit lonig. 77, 28
Lucentia noctu ex ultima ſalium materia. 160, 21
Lucius piſcis longævus. 499, 33
Lucrum commiſerationem delevit medentium. 7, 3
Ludus, quid. 672, 28. ubi reperibilis. 700, 23. parit ſalem ſub acidum amarum. 672, 27. ejus præparatio. 699, 22
Lues veneris eſt tortura noctis. 362, 67
Luis venereæ progreſſus eſt inſenſibilis. 436, 34. à nutricibus fugitur. 623
Lulli; magna ars efficit ut de quoquo ſcibili homo tanquam omniſciens diſcurrere poſſit. 19, 15.
Lumbrici non generantur in duodeno. 180, 82. neque in ſtomacho. ibid. fiunt ex alimento ſemidigeſto qui ſponte ſurſum ejiciuntur vix bonum præſagiunt. ibid. 82
Lumbrici minus in ætate virili, quàm puerili, & ſenilitate producuntur. 198, 15
Lumbricos gignit mel cum pane ſecalitio. 623
Lumen vitale friget in piſce. 232, 22. non ſubſtantia &c. ibid. 22
Lumen candelæ trans oſſa digitorum radiat in junioribus. 223, 17. eſt ſubter terram etiam mediâ nocte. 115, 51
Lumen accenſum ſeu exhalatio ſplendens ſine igne, & calore, ubi. 119, 87
Lumen ſtabile ſub ventorum Blas. 126, 34. eſt revera ens extra lucem. ibid. 35
Lumen ineffabile Authori breviſſimo ſpatio cunctabatur. 19, 16, 17
Lumina vitalia non ſunt urentia, ſed totidem diverſitatibus ſeparata, quot ſunt animarum differentiæ. ibid. 21. ſunt creaturæ neutræ inter ſubſtantiam & accidens. ibid. 22
Luminaria duo, ſic duo elementa. 120, 95
Luminum vitalium tot ſunt ſpecies, quod vitalium creaturarum. 160, 23. ſunt plura genera. 214, 11
Luminum tot ſpecies in natura ſunt, quot rerum. 117, 71. ſunt tamen longè plures luminum ſpecies, quàm rerum materialium. ibid.
Luna & ſol quare creati. 113, 42
Luna minor plurium ſtellarum, quæ tamen magnæ non reputantur. ibid.
Luna præſidet matricibus aquis. 120, 94
Luna ſi ſuper vulnus ſplenduerit, labra liveſcunt, & ſanationi reſiſtit. 115, 55
Luna trahit in adverſum ad materiam rei primam. 89, 57. aquas, & altilia trahit in ſuccum leſſas. ibid. 58. putrere facit. ibid. 54
Luna dat vitam piſcibus, ut ſol animantibus. 119, 88
Lunæ parent oſſa, & medulla. 262, 67. medullas impregnat. 270, 42
Lunare lumen in cono non habet ignem, ut ſol, imo frigidius ſentitur. 113, 40
Lunares radii non rectà feriunt terram. 114, 47. ſed per actionem regiminis. ibid.
Lunaris terminus præſcribit legem quantitati cruoris, ut in utroque ſexu abſumatur. 497
Lunaticiſmus exprimit repetitionem acceſſus, & exacerbationum intervalla. 226, 37, 38

Lupi, & ovium inimicitia remanet in pellibus. 618, 165
Lupi ſolertia hiſtoria deſcribitur. 21, 35
Lupus quotannis rabidus incredibili jejunio ſanatur. 485, 21. loco inteſtini cæci duos membraneos utres habet. 180, 8
Lupus eſt morbus factus in loco, ideò ſolus attactus remedii potentis ſufficit ad extinguendum virus. 471
Lutum ſapientiæ. 89, 37
Lydius lapis pro amentia. 248, 57
Lypothymia ex Gas vitale. 90, 41
Lypothymici ſuffitu recreantur. ibid. 43

M.

MAces ſunt ſaporis ſpecifici. 380, 25
Machab. 2. cap. 1. fit mentio aquæ craſſæ, quæ eſſet ignis perpetuus fortè non abſimilis noſtræ. 88, 28
Macies naſcitur ex elemento ſubtracto. 492
Macilentia & pinguedo ex ſtomachi, & duumviratus dignitate fiunt. 249, 59
Macula fœtus quomodo tollatur. 227, 46
Macrocoſmi ſimilitudo ad vitam. 237, 11
Madida non ſiccant humores. 301, 75
Magi Eoïci habuerunt ſcientiam per ſtellam & per ſomnium. 99, 23
Magia ſpiritualis quæ. 617, 154
Magia ſpirituale robur. 610, 92
Magia unde habeat potentiam. 616, 152
Magiæ vocabulum quid ſignificet. 613. 125, 126. naturalis ratio poſitiva. 608, 81
Magica virtus excitatur. 617, 159. excitatur à Sathana ſecus dormientem. 611, 102
Magica facultas ſomnolenta in Napello. 616, 150. in cane rabido eſt ligans. ibid.
Magiſteria, & extracta frequenter debilitantur, ſi fiant ex ſimplicibus. 141, 45. quomodo fiant à chymicis. 175, 49. facta per acida ſunt venis hoſtilia. 375, 55. vide quoque. 446, 12. vice extractorum loco reponit Author. 371, 22. laudantur 385, 54
Magnale eſt aëre rarius. 548, 12. magnum quid ſit. 616, 151. eſt forma aſſiſtens aëri, ejusque velut ſocia, ipſique certo connubio velut conjugalis. 70, 21. ſub frigore contrahitur. 71, 28. eſt capſa, in qua omne Gas reducitur in primam materiam aquæ. 126, 37. nutrit ignem, non aër. 591. eſt optimum in montibus. 629
Magnatibus, & Aulicis placere eſt ſervile. 10, 9
Magnes non dat eſſentiam. 334, 113
Magnes cur ferrum trahat nullus inveſtigavit. 380. 28. per Blas locale trahit ferrum. 383, 32. allii affrictu potum negligit. 606, 68
Magneticæ curæ plura exempla. 598, 21
Magneticum & ſympatheticum non idem quod Magneticum armarium. 595, 2
Magneticus ſpiritus propriè quid ſit. 612, 113
Magnetiſmi ſpiritus patroni qui dicuntur. 615, 139. inteſtinum cohibet. ibid. 143. trahit è vitro quidpiam ignibus excocto. ibid.
Magnum oportet eſt vitæ fluxus & refluxus. 121, 1. vocat Author neceſſariam remanentiam proprietatum vitæ mediæ in alito, & conſtituto. 24, 22
Mahumetanï & Hebræi quare baptizantur. 590. & Calviniſtæ ſacrificio carent. 132, 5
Maledictio negatur. 519, 31
Malignis in febribus ſcholæ propriâ aſpernantes theoremata Theriacam propinant. 140, 39
Malledi tument non obſtante cauterio. 497
Maltha ex hordeo conficitur ad parandam cereviſiam cum lupulo. 365, 23
Malva humectando poros claudat. 202, 4
Mania differt à delirio, & ſordibus caret. 248, 68. plerumque ex ſuperbia. 442, 9. ex utero. 271, 46
Maniæ, opio non ſuccurritur, nec vinculis nec opiatis minuitur. 248, 56
Maniaci actorum memores plerumque. 225, 32
Maniacus non glaciatur. 221, 42
Manna, & mel fiunt venena. 387, 65
Manna, mel & ſaccarum per ignem acrimoniam ſumunt. 383, 36
Mannæ urticæ non prodeſt mineralibus inſpiratis. 490
Manus ſiniſtra ſtupet in ſplenis incommodis. 297, 59 diſlocata decreſcit. 588
Marchaſita ærosa ſive pyrites. 462
Marchaſitæ laus. ibid.
Mare ſanat rabiem. 228, 47
Mare tumefacit Luna. 267
Mare non fluit, & refluit ductu lunæ cœleſtis, id eſt, pyromantiæ ſolius, ſed lunæ ſuæ hydromanticæ. 604, 59
Maris fluxus & refluxus à luna. 547, 21
Maris bullæ noctu lucent habentes nocturnum nitorem. 160, 21. refluxus poterunt hiſtoricè ſcire ſcholæ paganicæ. 8, 14. exundatio ex luna. 114, 47
Marmor non calcinatur. 202, 4
Mars à Paracelſo laudatus. 473
Maſculum vel gemellam generare eſt in patrantis manu. 101, 35
Maſticationis neceſſitas. 364, 21
Materia corrumpitur, non forma. 123, 17. non eſt accidens, neque annihilabilis. 108, 23

Materia prima ſive hylen non ſubſternitur, aut immediatè præcedit generationi. 127,44
Materia ſecunda fluit ex univerſali. 108, 21
Matheſis conſiſtit in menſuris commenſurabilium. 20, 30. eſt ſcientia applicationis rerum ad menſuram. 8, 14
Matthiolus, & alii occupati fuerant circa facies non virtutes herbarum. 368, 8. volvebat Author. 15, 9
Medendi puritas migravit in linguas, jactantias, rixas, controverſias, & conjecturas. 7,3. ſcientia eſt occulta, & poſtrema omnium ſcientiarum. 8, 15. artem pro impoſtura reputavit Author à Græcis introductam. 11,7. 16,17. apex per contraria adoratur à vulgo, & ſcholis. 133, 12. cardo in extinctione efficientis. ibid. 15
Medendi univerſalis apex tempore Hippocratis nondum innotuerat. 346, 1
Medenter ſciſcitabantur ab Authore, quare non ſequeretur artem Galeni. 10, 4
Medentibus ad vota ſuccedit. 629
Medicamen vi penetrandi non indiget. 349,2, 3. non agit per contrarietates, neque per ſimilitudines, ſed propriè immediatè, atque indeficienter conſiſtit in competenti ſive appropriato. 140, 42. perfectum quale. 122, 10
Medicamen propriè conſiſtit in competenti, & in quibus Archeus ſuas reperit delitias. 140, 42
Medicamentum quale eſſe debeat. ibid. 44
Medicaminis vis in odore conſiſtit. 472
Medicina operatur phyſicè non ſtat matheſi. 133,12. creavit eam de terra Omnipotens, dicit textus, non medicinas. 419, 1. ergo ſatis pro morbis omnibus. ibid.
Medicina optima Medicinâ non uti. 347, 11
Medicinæ dator manet continuus ejusdem diſpenſator. 15, 13. origo. 132, 10, 11
Medici in Hybernia præferuntur Italis. 12,2. ex cruore miſerorum vivunt. ibid. Itali ſtentantis Hiſtoria. 185,28
Medici pediculorum inſtar alienis ſaginantur ærumnis. 473
Medicos Pyrotechniæ inſtructos natura elegit. 596,7,8
Medicus rubeſcit loquens citra experientiam. 506
Medium, quo diabolus agit. 480, 1
Medulla ſpinalis conſtringi per funem nequit, pereunt tamen memoria & intellectus, ac motus eodem inſtanti. 272, 48
Medulla eſt corporis homogenea pars. 361, 67
Medullæ plus habent oſſa veterum animalium, quàm juniorum. 588
Medullas imprægnat luna. 270, 42. quare in oſſibus. 575
Mejitur frequentius vigilando. 247,42
Mel & Butyrum comedere quare fuit dictum de Chriſto Domino. 623
Mel pro Balſamo florum. 56. pro unguento armario. 595, 2
Mellis carbo non dat cinerem. 325, 18. florida aerea communicatio requiritur in unguento armario. 613, 121
(ex) Melle, & pane ſecalitio fit formica. 384,37
Melancholia unguentis aliquando ſuperatur. 93, 17
Melancholia Hypochondriaca in mulieribus aliquando lento. 443, 12
Melicerides quomodo evaneſcant. 115, 55
Membranæ ſtomachi dignitas. 273,49
Membranis ſtomachi Deus indidit admirandas poteſtates. 232, 25
Membro cuique ab initio fœtus præſidet aſſiſtens ſpiritus inſitus rector. 346,2
Memoria unde. 567
Memoria artificialis quomodo ſit in anima noſtra. 217,24. ſedet in cerebro ab anima ibi impreſſa. 223,14. eſt facultas caduca animæ ſenſitivæ. ibid. 15. ſenio & morbo læditur. ibid.
Memorativa ſcientia facti dicitur Hiſtoria. 18,14
Mens eſt ſubſtantia, in ſui eſſentia, atque realitas, & immutabilis. 222, 2
Mens non ſeneſcit. ibid. non furit, non delirat. 118, 79
Mens non ægrotat, paret tamen animæ ſenſitivæ. 247, 51. ſermocinalia deteſtatur. 19, 15. & ratio diſputant. ibid. 7,8,9. poſt mortem habebit omnem cognitionem ſimul plenam. non faciet demonſtrationes, ut unum ex altero concludat, apprehendit rationem chlamyde, illamque omni veſte uſque in nuditatem ſpoliavit. ibid. 10
Mens noſtra debet eſſe intellectualis, non autem rationalis, ſi Dei ſimulacrum proximum referre debeat. 17,1. Quomodo intelligat. 213, 4. immortalis hominum animæ ſenſitivæ involuta eſt, quæ à morte avolat pereunte altera. 147, 32
Mens tantum functiones abſtractas, ſibique conſimiles edit. 251,6
Mens eſt in nobis, nec tamen à nobis ſentitur, neque ejus continuæ, & inconcuſſæ operationes ſunt ſenſibiles. 563, aſtra non requirit. 59, 47
Menſura temporis. 508, 50
Mentis operationes contemplatus eſſet Author. ibid. 7
(ſola) Mens inter formas eſt ſubſtantia. 108, 23
Mentalis ægritudo binſica vocatur. 616, 148
Mentem alienant quædam venena. 246, 40
Menſtruum univerſale Chymia parat. 387, 66
Menſtruum ſanat porcos, in lepram vergentes. ibid.
Menſtruus cruor. 496

Menſtrua retenta morbos uterinos ſuſcitant. 483,13. ſi detinentur ab utero in juvenculis minore voluptate turgidis, quæ mala pariant. 271,46. inordinata diſcolorant. ibid.

Menſtruorum retentorum remedia ſunt coralli tinctura volatilis, oleum ſuccini, ſal calybis, & ſimilia. 271, 46. mitiora narcoticis obædiunt. ibid.

(de) Menſtruis plura ſcitu digna in titulo lunare tributum habeto. 583

Mercatores furtivè adulterant, onerant, defædant, & ſubſtitutivè mentiuntur pharmaca. 379, 11

Mercatoris Belgæ hiſtoria, qui montem altiſſimum in Canariis aſcendit. 61, 20

Mercurius Metallorum. 384, 39. Paracelſi quomodo agat. 465. Metalli manet indeſtructibilis. 331, 59

Mercurius in Mercurio. ibid.

Mercurii immortalis ratio. ibid.

Mercurius eſt venenum per additamenta. 385, 56. è metallo eductus eſt ita ſimplex & indiviſibilis ut ſit impoſſibile ex eo ſeparare ſalem, & ſulfurem. 230, 53. nunquam ulla ratione eſt diviſibilis. ibid. inter generata par non habet. ibid.

Mercurii antimonii præcipitationes, vitrificationes, & præcipitationes horret Author. 375, 54

Mercurius tam præcipitatus, quàm ſublimatus facile revivificatur imbibito ſucco herbarum vulnerario. 238, 20

Mercurius fugat pediculos. 364

Mercurius diaphoreticus quomodo acquirat ſuæ entellechi ultimatum ſcopum. 365

Mercurius foris illitus fauces, dentes, linguam afficit 360, 60

Mercurium diaphoreticum irrident Scholæ. 354, 43

Mercurius diſſolvendo manet. 265, 11

Mercurius tremulus arborem necat. 417, 48. oportet mori abſque ullo ſalium externorum ſodalitio. ibid. 49

Mercurius habet quoddam ſulfur externum originalem metalli labem continens. 57, 14. qua ſpoliata qualitate dicitur Mercurius de Mercurio. ibid. & non ſinit ſe amplius à furfuribus apprehendi. ibid. eſt nociva ejus unctio. 156, 13

Mercurius laryngem præcludit. 293, 44

Mercurius præcipitatus juxta præſcriptum Paracelſi curat omnem hydropem. 416, 39

Mercurius corallatus. 628. dulcis diaphoreticus pulmonum ulcera ſolidat. 575. eſt Mercurius vulgi à quo liquor Alkaeſt ſemel diſtillatus eſt. 628. curat triplicem hydropem. 410, 18. non eſt in ſilice. 231, 64. vitæ Paracelſi purificat organa. 384,44. præcipitatus laudatur. 417, 48. vel totus evolat, vel totus permanet in igne. 55, 8, 9

Mercurius intuitu ſulfuris diſſolvitur. 57, 15

Mercurii natura explicatur. 55, 9. dicitur aquæ filius. 56, 11

Mercurii homogenea ſimplicitas. 55, 8

Meſaraïcarum oſcula ſive extremitates deſinunt in inteſtina. 413, 25

Meſpilorum nuclei capſa differt à ſaxo. 202, 3

Metalla gemmarum vires habent. 473. quatuor quæ ductui parent. ibid.

Metalla ſunt medulla mineralium. 460. ſuis remediis aſtra ſuperant. ibid. raró ſunt Amuleta. 386, 61. non deſtruuntur. 331, 59. difficillimè in ſalem reducuntur. 43, 11. quare planetarum nomine indigitata. 473

Metallis ineſt vis plantarum. 384, 41

Metallicum fermentum ex aqua Bur efficit. 94, 31

Metallum ignitum ablata ignis candeſcentis præſentia redit ſemper in ſtatum primum. 111, 31

Metallus primus. 628

Metallus maſculus. 458

Metaphoras odit Author. 91. 7

Meteora prognoſtica hauriuntur ex belluis. 145, 7

Methodus medendi in ſacris nota eſt. 141, 45. & 46

Metus affectat ſpiritum. 270, 40

Microcoſmi Tartarus Paracelſi. 192, 15

Microcoſmici ſpiritus vis, & facultas delineatur. 614, 131

Microcoſmicum cœlum dat conſtellationem omni ſigillo. 618, 170

Micturiens ſomniat ſe veſicam laxare, & quidam permingunt ſtragula. 245, 31

Millipes, & ejus vires. 702, 28

Mineralia tres vitas diſtincta ſerie oſtendunt, & quomodo. 126, 32 & ſeq. ſemina. ibid. 126, 33

Mineralia remedia, in ſalis naturam mutata ſecum ſua geſtant ſemina. 384, 39

Mineralia quomodo fiant. 47, 6

Mineralium quædam à vita ultima in primam redeunt. 126, 31

Mineralium formæ diſpoſitor eſt fermè vitalis ac ſenſitivus. 108, 21

Mineralium omnium ſemina à fontibus paulatim decurſu diſpenſantur, quæ in gremio antea cuſtodiebantur 547, 19

Mineralium vita eſt muta. 585

Miraculum D. Virginis. 714, 27

Miſerere mei, barbarum nomen. 338, 28

Mixtio qualis ſit oppoſitio corporum. 45, 13

Mœrores ſpontanei vitam, ut tinea veſtem rodit, ab Archeo originem habent. 438, 7

Mola quomodo fiat. 514, 17. quomodo ex fœtu dege-

degeneret. 116, 65

Monarchiæ corpora, in univerſo ſunt tria: Animale, vegetabile, minerale. 202, 3

Monetæ adulteratores, multum circa ſal tartari laborant, ſpreto alkali ſalis petræ. 151, 40

Monialis ſtercus comedit. 172, 36

Mons ſiliceus eſt ſub terras variis coloribus variegatus; & ſub illo ſabulum album. 44, 4

Montes, longa nivei cooperti gramen ſaginandis pecoribus aptiſſimum producunt. 95, 33

Montes, malignitate endemica carentes, habent aërem puriſſimum. 629

(ad) Montem Domini quomodo itur. 25,11,501

(in) Montibus fontes quomodo fiant. 47, 11

(prope) Montes ad Zomam caro porcina ſapit axungiam piſcis. 121,4

Monſtra ab Oceano. 434, 98

Monſtra matri diſſimilia. 240,6, 7

Monſtrum ex fœtu quomodo fiat. 116, 65

Morbus quid. 398, 63

Morbus eſt ex cauſa efficiente ſeminali, &c. & quamquam vitæ intuitum ſit malum, habet tamen ex ſuo ſimplici eſſe naturam boni. 424, 8

Morbus omnis de ſpiritu enormontico per concepta in proprio Archeo paratur. 435, 25

Morbus qui intimè nupſit, altiora remedia exigit, quàm quæ natura produxit. 141, 45

Morbus quidlibet eſt venenoſus, ſi non toti, ſaltem parti ſuæ. 93, 15

Morbus eſt vitæ gladius. 391,11. Scholæ verò dicunt eſſe affectum, qui primario actiones facultatum lædit. ibid. 13

Morbi origo ex variis vitæ rectoribus. 558. & ſeqq.

Morbi omnes ejusdem ſunt pretii apud Medicum à Deo electum. 346, 1

Morbi prodeunt ab entibus conceptis, non à calore, vel humore. 12, 1

Morbi poteſtativi qui ſint. 424, 9

Morbi quamplurimi cedunt per ſimplicia, tanquam antiquiſſimo cuneo pulſi. 110, 45

Morbi qui ſanentur arcanis Paracelſi. 626. & ſeqq.

Morbi novi. 406, 95

Morbi hæreditarii. 429, 12

Morbi lunares ſub novilunio noctu exaſperantur. 114, 48

Morbi omnes adoriuntur animam mortalem ob paritatem ſymboli ſublunaris. 448, 2

Morbi aliquando ſunt in gremio ſpiritus vitalis. 389, 15

Morborum origo. 178, 68

Morborum modus fiendi. 382, 29

Morborum ſedes tam Chronicorum, quàm citò feſtinantium. 450, 10

Morborum omnium cauſas eſſe Catharrhos dixerunt Galeniſtæ. 247, 12

Morborum cognitio continet ſcientiam cauſarum dependentiæ, & appropriationes earundem ad poteſtates tutrices noſtri. 9, 17

Morborum occaſiones degenerant in ſordes, unde morbi poſtea. 129, 53

Morborum cauſæ ſecundùm Hippocratem quales. 396, 52

Morbum inveſtigandi modus inauditus. 424, 6

Mors à Pyloro aliquando. 186, 29. à venere incepit, & ab eadem acceleratur. 440, 14

Mortis occaſiones. 591

Mors unde. 585. quomodo inerat pomo. 519, 41. non eſt corruptio ſed exſtinctio vitæ. 41, 17. Bombycis eſt ſeminum fluxus à puncto ad punctum. 139, 38. mors & morbus ſunt entia naturæ. 404, 93. utriuſque Adæ. 586

Morti repentinæ, quæ præcedant. 270, 40

Mortuum eſt, quidquid dixerat Author. 160, 20

Moſes omnes dentes habuit. 626

Moſes multis miraculis clarus. 285, 10. ſcriptis ſuis ſubſignarunt nepotes. ibid.

Motor primus non eſt immobilis. 144, 12

Motor motum ſuum modificat per immobile. 144, 4

Motum aliquando pars nobilis amittit; eo quod alieno ſpiritu partes irrorantur. 159,15

Muccus narium aquoſior, & copioſior in hieme. 207, 3. cauſatur obſtationem intemperatam. ibid. cujus generis ſit. ibid. 5. à potu largo poſt ſitim. 208, 9

Mucilago fœtens circa dentes. 199, 20

Mulier celerius pubeſcit viro. 270, 43. ſexus devotione prærogativam ſibi aſſumit. ibid.

Mulier, bis patitur omnem morbum. 290, 17. earum ſexus laudatur. 434, 16. duplici regimine prædita eſt. 484, 16

Mulieris à flatu uterino mortuæ hiſtoria. 345, 76

Multitudinem librorum rejecit Author. 5, 6

(de) Mumia Memphytica ſcripſit Princeps Razivilius Polonus. 626

Mumia, quid. 595, 3

Mumialis ſpiritus, quis & quotuplex. 610, 97

Mumialis vis eſt virtus liquoris vitalis, id eſt, ſpiritus inſitus. 612, 110

Mumiali fermento fit ſal cruoris noſtri œconomiam recturus. 380, 19

Mumiarum ad invicem connexum, & concordantiam, non eſt tutum exprimere. 612, 117

Mundi creatio. 42, 4. 59, 2

Mundus intelligibilis ſcholarum quis ſit. 449, 6

Mures ex tritico. 91, 8

Mures edunt citra potum. 305, 26

Mures ſola farina veſcuntur abſque potu, & in chylum ſuum reſolvunt. 164, 29
Mures, ſues, glires, phaſeolum non edunt. 164, 26
Mures ex induſio ab odore triticeo naſcuntur intra viginti & unum diem. 92, 9
Mus animal timidum. 143, 49
Muſca volat ablato capite. 269, 35
Muſculis ineſt vita quædam particularis. 581. de vita multiplici.
Muſculorum motus interdicit apoplexia. 449, 6
Muſicen canit puer, eam tamen non componit. 369, 14
Muti ſpiritum veſpertilioni ſimiles habent. 115, 51
Myrrha conduntur cadavera. 626. valet ad longam vitam. ibid.
Myſterium magicum in quo conſiſtat. 618, 169
Myſterium ingentis ponderis. 23, 46

N.

NAaman lepra eſt traducta in Gehaſin, ideo non eſt paradoxum, transplantare infirmitatem hominis in canem. 598, 25
Napellum guſtavit Author, & inde mirabilis hiſtoria. 222, 12
Napellus ſuam furoris in nobis imaginem communicat. 429, 10
Napellus non miteſcit admixtione aliqua. 375, 52
Naſus formatus ex alieno brachio, cadit moriente eo, cujus erat brachium. 598, 22
Natales dotes inſunt rebus, quæ diſtant à ſimili. 140, 42
Nattas, ſimileſque excreſcentias ſanare, facile. 115, 55
Natura jacens nunquam ex ſe ſurgit. 404, 89
Natura ex nihilo incœpit, ideo prope nihil. 71, 28
Natura ſuccumbens ſpontè non medetur, & tunc medicus non eſt amplius miniſter, ſed interpres. 346, 1
Naturæ ægri impreſſionum morbificarum ſuſceptrix, & ſenſitivarum motrix. ibid.
Natura diſtillat continuè, ſublimat, calcinat &c. 596, 8
Natura ſollicita eſt in ſexuum diſcrimine. 196, 42
Natura jacens, ſi ſpontè fit ſedens, reſurgit, & aliquot ſibi defectus reparat. 379, 17
Natura optat reſurgere velut novo vere, ſed extra ſpem reſtitutionis ſumus, cum deſit infuſio novarum virium. 384, 44
Naturæ definitio. 38, 3. 140, 39. diverſitas. 122, 10. non ſunt à priori demonſtrabiles. 151, 96
Naturæ cognitio per conjectur pueriles tentata eſt ab Ethnicis, at non adepta. 9, 15. ex eo deſumitur quod actu, & reipſa. 27, 1
Naturæ ancillandum eſt non ſerviendum. 366, 26
Naturæ morborum curatrices. 398, 57
Naturam corporumque differentias noviſſe impoſſibile eſt ſine pyrotechnia. 89, 40
Naturalia ſingula habent ortum, incrementum, ſtatum, declinationem & interitum. 70, 12
Navigans in mari multum comedit, & parum exonerat ventrem. 150, 36. 198, 15
Nebula, quid. 58, 24
Neceſſitas mater intentionum, ac ingeniorum. 132, 6
Neceſſitates, ex commiſeratione in animo pulſant. 4, 1
Necotiana famem non tollit ſed ſenſum. 592
Nectiomantia veterum quid. 608, 82
Nectiomantia veterum unde. 612, 118
Nemini credendum niſi per ignem. 194, 27
Nephritis quare recidiva. 689, 11. auſcultat meteoris. ibid. 12
Nervi omnes. 612. poris ſunt pervii quamdiu vivitur. 230, 1
Nervus eſt organum dilativum imperii voluntatis, at non executivum motus voluntarii. 359, 59
Nicolaus Copernicus commendatur. 14, 4
Nicotianæ effectus. 592
Nimbi tonitrui fracedine decuſſi, ſunt fertiles. 95, 33
Nitedula ſimilitudo eſt ſpiritus vitæ. 598
Nitrum ex inundatione Nili copioſum adfertur. 87, 21
Nitrum verum poſt Hippocratis ævum defecit. 551, 1
Vives unde. 66, 12
Nives generant vermes. 95, 33
Nix minus frigida aëre. 50, 8. ex oleo vitrioli in Mercurii ſolutus eſt. 779, 20. & guttulæ aquæ, quare decedantur cadendo. 548, 13
Nobilitas unde? 617, 164
Noctambuli Hiſtoria. 115, 52
Noctambulatio, qui fit. 606, 85
Nodi concipiuntur ex cruore. 150, 35
Non-ens merum non procedit, neque ſub conceptum cadit, cum non habeat ſui ſpeciem, qua ſe repræſentet. 112, 47
Noſtoch cœlitus dimittitur. 602, 43
Nox quomodo nocti indicet ſcientiam. 223, 17
Nox, tenebræ, oromaſi, iliades. idem. 547, 20
Nubes fœtent. 58, 24
Numerus eſt mera unitas. 505, 22
Nuntium triſte ſentitur circa ſtomachum. 231, 13
Nuntium triſte, & appetitus in uno hoſpitio. 241, 13
Nutricis aſſumptu redolent inurina lactantis. 128, 48
Nutricis vitia. 623

Nu-

Nutrimur unico liquore quo conſtamus. 141, 45
Nutritio parca cruorem minuit, & copioſus ſudor debilitat. 354, 42
Nyctalopes ſpiritum veſpertilionum habent. 115, 51. quare mediante nocte ambulant. ibid.

O.

Obeſitas per potum diureticum abacta. 306, 44
Obeſi corporis tota pinguedo reſoluta fuit in laticem. 249, 59
Obſeſſi non ſunt amentes. 228, 49
Obſtructio ſanatur aquis ſpadanis, & quare. 553, 1
Ocra, quomodo & ubi fit. 677, 3
Occultæ herbarum proprietates ſtupent Scholæ. 380. 28
Occultæ proprietates in Archeum traductæ explicant objecti ſui præſentiam & ſympatheticam cognitionem. 383, 32
Oceanus non recipit aquas à mediterraneo. 48, 13
Oculus liquore indiget, ideo per venas latex delatus eſt, unde lachryma fiat. 304, 20
Oculi membrana ſub morte manifeſta luce deſtituitur. 578
Oculi lachryma, ſano ſpiritu, tota difflatur abſque ſenſu, & moleſtia. 344. male verò diſpoſito ſpiritu oculi tota denſatur, & in ichor radens mutatur. ibid.
Oculo diverſimode affecto plurima ſanies, & lachryma acris emanat. 354, 39
Oculi morientis cornei apparent. 160, 21
Oculi ſani nulla habent excrementa aut ſordes. 209, 22
Oculorum uno clauſo, alterius pupilla grandeſcit. ibid.
Oculorum vitium in Ægypto frequens. 199, 20. ex eſu fructuum, & aquæ potu ſuper addito. 626
(in) Oculis ex repentino aëre vel alio irrumpente fiunt proprio errore excrementa. 346, 4
Odaxiſmi titillatio quid operetur. 249, 61
Odaxiſmus ſive titillatio in nudo ſtabulatur ſpiritu ſenſitivo: & quid operetur in ſanis, & quid in ægris. 495
Odor quomodo per concuſſionem liquido ſe immiſcet. 147, 24
Odor non diſpergitur ſine odorabili, quod eſt Gas rei. 126
Odor cadaveris longè pòſt ſentitur circa ſtomachum. 212, 46
Odore peſtilens naribus non perceptus archeum horrore quatit. 93, 20
Odore, & lumine delectantur ſpiritus. ibid. 19
Odore medetur aliquando. 247, 41. plura odore habentur. 93, 16
Oedema quomodo fit ex latice. 411, 19
Oedemata fiunt, ſi attractrix laborat, reſtagnatque latex in hepar. 478
Oedemata ſanabat lapillus Butleri. 469
Oedematoſa crura inflant ſorte, ſi abundet latex. 304, 21
Odontalgia ſive dolor dentium unde. 201, 24
Odor Archeo arridens intrò admittitur. 380, 26
Odores & ſapores ſeminum appetitum, acceſſionem, & neutralitatem pariunt. 125, 26
(ſunt) Odores, qui mala movent, & alii, qui eadem ſanant. 93, 20
Odores tot quot earumdem ſapores, & ſunt parentes promiſcui. 94, 31
Odoris poteſtas. 473
Odor multarum ſpecierum eſt finis ultimatus, tam in condimentis, quàm pharmacis. 121, 2
Odor multos ſtrangulavit. 405, 94
Olaus Magnus de voragine Maris Gothiæ. 477, 3
Olea digeſtioni reluctant, & odoris gratia parvo ſpatio reficiunt. 334, 83
Olea & pinguedines vix ſuccis ſunt commiſcibiles. 375, 561. admittit ſimplicia. ibid.
Olea vix propria ſanguificationi. 385, 51
Oleoſitates in fermento volatilizantur. 341, 46
Oleo ſuccini medetur defectus menſtruorum in Iuvenculis. 271, 46
Oleum aromatum eſt eorum eſſentia. 333, 77
Oleum Cinamomi fit ſal volatile. 334, 83
Oleum aſſumit naturam ſalis. 634
Oleum fervens prunam candentem extinguit. 136, 28
Oleum laterinum differt ab olivarum. 157. 6. olivis non inerat. 383, 36
Oleum per ignem ſeparatum quomodo fiat aqua. 185, 3
Oleum vitrioli ſolo attactu Mercurii fit alumen. 171, 29
Olympus noſter: Cælum Microcoſmicum. 618, 170
Omnia corpora in aquam reſolvuntur. 136, 30
Omnia ſunt in omnibus. 614, 130
Ounietani Antidotus laudatur. 471
Opera carnis naſcuntur ab anima ſenſitiva. 562
Operationes chymicæ. 378, 5. 317, 37
Operis reſumtio. 423, 1
Opiata examinantur. 373, 44
Opiata ſedant quoſdam morbos, & aliquando funditus evellunt. 493
Opiata ſomnum nocivum adferunt. 248, 56
Opiata ſuſpendunt lienem ab operoſa phantaſmatum exercitatione. 246, 40
Opiata unde. 617, 154
Opiatorum remedium in Lixivio. 245, 31
Opii granum non poteſt ſat frigoris in ſtomacho

causare. 274, 5. frigidumne an calidum examinatur. 275,8
Opii optimè præparati laus, 250, 64. quomodo agit. ibid.
Opii vis ſoporifera. 246, 40
Opium ab effectu reputatur ſcholis frigidum. 139, 37. continet ſeminalem dormitivam. ibid.
Opium amarum. 369, 15
Opium & flammula acrimoniam deponunt. ibid.
Opium ſtillat è papavere læſo. 368, 12
Opium ſubigit, & fugat Archeum. 378, 4
Opobalſamus verus Ægyptiacus ſacris notatus. 632
Opobalſamum in excrementis, & quisquiliis lithontribon perit virtutem. 373, 44
Oportet eſt neceſſarium. 122, 10
Oppoſita admittit Author per modum relationis terminorum. 142, 46
Opticam notionem habet anima ſeparata à corpore. 369, 14
Opticus ſpiritus ſi per errorem in linguam ducatur guſtatui eſt inutilis. 159, 15
Orationis in ſpiritu effectus. 253, 15
Orbis eſt figuræ teres. 47, 4
Orcum Platonis incuſabat in morbis aliquando Hippocrates. 435, 26
Orexis peccat in adultero acore. 168, 14. ex corrupto chylo. 182, 10, ex acido acetoſo crudeli. 235. ex pontico fermento. 344, 69
Orexis varia ab exaſperato fermento. 343, 67. ex acido adulterinò. 496
Organa cuncta pollent ſenſu. 375, 13
Oriens & occidens non ſunt contraria, ſed oppoſita. 139, 38
Orificium ſtomachi eſt locus animæ centralis. 233, 31
Orificium ſtomachi per antonomaſiam dicitur. 180
Oris ſtomachi dignitas. 234, 1
Orthopnæa, Aſthma, non ex Catharrho. 354, 38
Orthopnæa reſpirantes, alas, & humeros attollunt. 353
Orthopnæa nomen unde. 298, 67
Oſcitatio, unde. 769, 29
Oſſa aridiſſima ſunt. 575
Oſſa fracta poro oſſeo conſolidantur. 178, 64
Oſſa in adultis incrementum non ſuſcipiunt. 91, 4
Oſſifragii lapidis virtus. 451, 17. 445, 12, 584.
Oſſifragum non diſſolvitur à ſtomacho humano. 446, 12
Oſſifragus curat os fractum. ibid
Oſſifragus non calcinabilis. 451, 17
Oſſis fixitatem aſſumit chylus. 158, 11
Oſſis liquor fit gumma. 497
Os ſtomachi capiti imperat. 243, 20
Os ſtomachi naturali motu non voluntario clauditur. ibid.
Ova avium fœtent ante pulli conſtitutionem. 92, 9
Ova gallinæ ſapiunt fagopyrum. 471
Ova in Clibano foventur in Cairo. 621
Ova referunt ſapores, qui gallinas ſaginarunt. 444, 3, 472
Ovi albumen primo die lacteum eſt. 300, 72
Ovi poteſtas ſeminis actuatur per fotum. 292, 48
Ovi putamen non neceſſarium in generatione pediculorum. 92, 9
Ovi teſta intra ſe non claudit bellum, licet ſemen fluat, per varias diſpoſitionum alteritates. 139, 38
Ovis anima totum gregem ſcabie infectat. 305, 32
Ovum cujus putamen leviter eſt læſum putreſcit. 607, 71
Ovum, dum ad avem fluit, ei mille in via ſuperveniant diſpoſitiones, tamen non ceſſat decurrere ad ſcopos ſuæ deſtinationis. 41, 12
Ovum formaliter non tranſmutatur. 175, 49
Ovum Philoſophicum eſt ſimile avium. 108, 21
Ovum quare transferat morbum in canem. 618, 166
Ovum totum mutatur in pullum. 175, 50

P.

Pallor ex defectu ſtomachi. 233, 32
Palpitatio demonſtrat ſpiritum vitæ noſtræ arterialem eſſe de natura Gas. 89, 41
Palpitatio lumen extinguit, ſpiritus vitæ. 578
Palpitationem tolerantes rarò inebriantur. ibid.
Palpitatio quomodo ſpontè ſanatur. 248, 52
Palpitationes cordis aliquando ſedatæ fuere per appenſa. 141, 45
Palpitationes quotidianæ aliquando ex calculo in cordis Parenchymate. 495
Palpitationes ſuſcitat anima ſenſitiva. 448, 2
Panaritii dolor glandem ſub axilla excitat. 314, 22
Panaritium ſanat cruor talpæ. 471
Pandoræ pixis aër putatus. 338, 24
Panem obſonium vocat. 361, 14
Panis fermenta varia. 158, 9 & 577, 259, 30
Panis in debili ſtomacho eſt oneroſiſſimus. 361, 14. uſus, & neceſſitas. ibid.
Panis maſticatus, & diglutitus adhuc externus eſt, quia rejici poteſt. 425, 12
Panis per fermentum fit lapis. 136, 30
Panis tot varia dat ſtercora, quot animalia pane veſcuntur. 158, 9
Papa-

Papaver apud nos privatur lethali qualitate. 603, 51
Papilio ex bombyce. 542, 94
Paracelſi Epitaphium. 603, 52
Paracelſi libros obſcuritate obſitos. 11, 7. honore nimio proſequutus eſt. ibid. Vitæ brevis cauſa. 482. Arcanorum index. ibid. ſcripta laudantur. 625. Teſtamentum. 627
Paracelſi ſcriptis lucem attulit Author, 458
Paracelſi vita, & ortus. 187, 3
Paracelſus irriſit Galenum. 133, 14
Paracelſus notatur. 324, 3, 7, 8. 325, 18. à Baſilio Valentino Edoctus. ibid. credulus. 369. extinctus anno 47. ætatis ſuæ. 325, 16
Paradiſus venenis carebat. 373, 45
Paralyſin afferunt novæ fibræ muſculis ſubortæ. 497
Paralyſin ex mærore cum idea deſperationis. 483, 12
Paralyſin ſanat lac perlarum. 384, 42
Paralyſis ex Pylori indignatione. 186, 29. ex colica. 243, 20. ex utero. 271, 46. 289, 15. ex ſpiritus errore. 159, 14
Paralyſis non ſanatur cerebro cuniculi leporiſque. 321, 30
Paramirum Theophraſti Paracelſi. 324, 8
Paraſtaton vas in ſiniſtro latere non derivatur in teſtem virilem, prout in dextero. 246, 41
Parca cœna ſtomacho dat quietem, & Pulmoni pacem. 291, 26
Partes aluntur cruore, non minus quàm ſanguine. 499
Partes, laxatæ non redintegrantur. 695, 9. eorum officiorum dignitas. 232, 27. ſolidæ non ſentiunt ex ſe. 711, 14
Partes infirmæ ſunt inſtar filii prodigi. 492
Partum facilitat fel anguillæ. 103, 49. 246, 46
Parturiens laceravit abſque ſenſu pleuram. 356. lit. S.
Partus decollatus ex imaginatione. 287, 14
Paſſeris guttur acidum notavit Author. 94, 26. ideo ſunt edaces. ibid. & 164, 23
Paſſionis exemplum per arundinem. 25, 59
Paſſiva deceptio ſcholarum Humoriſtarum. 303, 3
Pathologica ſigna natura non edit. 152, 49
Patavini Medici notantur. 311, 26
Pater non eſt efficiens filium. 28, 10. quomodo generat. 615, 138. luminum dat cognitionem, ſine experientia. 369, 14
Paulus Apoſtolus arcet omnem ſacrificatorem à negotiis ſæcularibus. 96, 1
Pavoris effectus. 237, 15
Peccata opponuntur virtutibus privativè. 142, 47. reputantur non entia, ibid.
Peccatum per parentem generatum quid. 524. 17. non cauſavit mortem. 518, 24. ejus diverſitas. 509, 51. qualitas in protoplaſtis. 514, 10. originis continuatio, unde. 516, 28
Pede diſtorto amiſit appetitum Author. 184, 20
Pediculorum ortus. 92, 9
Peditus flatus quis. 339, 36
Peditus in Ileo eſt naturalis, ordinarius, & neceſſarius flatus. 341, 50
Pelli furfur adnaſcitur. 209, 23
Penetrationem dimenſionum non abominatur natura humana. 478, 9. 479, 13
Periapta, & Amuleta ſunt ſimplicia, quæ formæ proprietatem explicant ſpecificam ſoſpite ſubjecto, cui inhærent. 141. 45
Periapta quomodo agant. 267, 19
Peripateticorum terræ motus opinio. 76, 4
Peripneumoniæ remedia vera. 322, 32
Perlarum lacteum Elementum in Atrophia. ibid.
Perlæ quomodo in lac ſpermaticum vertantur. 384, 42
Permanendi deſiderium eſt antiquius, fortius, & naturalius appetitu permutabilatis. 123, 12
Peroledos, aëris fundus. 62, 24, 25
Perſicaria ſolo attactu dolores atroces confeſtim tollit. 474
Perſicariæ ſive piperis aquatici virtus in extrahendo nocuo à vulnere. 599, 29
Perturbatio ad. D. V. ſpectat. 244, 27
Peſte correptos ſpontè inviſebat Author. 10, 7
Peſti ferinæ quales. 612, 117
Peſtilens pathema ex acido in venis. 320, 14
Peſtilentis ulceris venenum. 469
Peſtis initia ſanet ſapphir. 599, 34
Peſtis morbus calamitoſus. 10, 7
Petra lucifera. 125, 35
Petræ nomine indigitat Lapides. 232, 4
Peſitus Medicus. 13
Phantaſta, & appetitus magicus in cibis 617, 161
Phantaſia, vires enervat viri. 432, 5
Phantaſia pollent res inanimes. 615, 146
Phantaſiæ initium à ſplene. 245, 32. & ſtomacho. 276, 15
Pharmaca primo intuitu inſipida, iterum ſumpta faciunt ſtomacho horrorem. 380, 27
Pharmaca tam ſolutiva, quàm correctiva ſolo odore tenus agunt. 93, 17. odore exuto pharmaci vires pereunt. ibid.
Philautia ſæpe excludit cognitionem veritatis. ibid.
Philoſophia Authoris eſt gentibus ignota, & illorum ei eſt nauci. 21, 39

Philoſophia incipit, & procedit à cognitione ſui ipſius. 17, 1
(in) Philoſophia propriè loquendum eſt. 138, 37
Philoſophorum lapidis ſemen eſt fermè vitalis. 108, 21
Philoſophus verus non eſt aulædus, neque Principes ſequitur. 633
Phil. lapis, vide lapis.
Philtrum mumiale non docet Author 599, 27
Phlebotomia & ejus indicatio repudiatur. 8, 8
Phtiriaſis ſub Epidemide. 52, 9
Phtiſicorum ſputus qualis per gradus. 301, 73
Phtiſis expectanda ex Pleuritide, niſi hæc perfectè ſanetur. 321, 29, 30
Phyſica extra medicinam ſuo caret fine. 96, 1
Phyſica terminatur in uſum vitæ, inventione cauſarum, morbi & remediorum. 9, 16. non ad legentium oblectationem, ſed ad ulteriorem finem dirigenda. 96, 1. Non pertinet ad Theologiam. 144, 2
Phyſiognomia à ſeminibus parentum. 435, 21
Pica, mons Canariæ. 61, 20
Pica non ſanatur purgationibus. 498
Pica unde. 617, 162
Picus, cur aurum ſit tanti pretii. 472
Pili caneſcunt imaginando. 219, 40
Pili renovantur. 626
Pillulæ cephaticæ nihil eliciunt è capite. 224, 20
Pillulæ de fumaria ficto nomine. 256, 5
Pillulæ Rufi laudantur. 555, 8
Pilorum canities ſenium eorundem arguit, etiam præter hominis ſenectutem. 201, 26
Pilorum radicibus in mento ineſt poteſtas accretionis. 272, 48
Pinguedo adjecta aleali fit ſapo tandem aqua elementalis. 6, 21
Pinguedo eſt remota à latice 307, 45
Pinguedo fit aliquando latex. 249, 59
Pinguedo tauri neceſſaria in unguento armario, & quare. 613, 121
Pinguedines etſi pluries diſtillentur, quovis gradu ignis, pinguia ſemper manent. 89, 34
Piperata ſitim parant, & quare.
Piper fit hedera. 603, 50
Piper occaſionaliter calefacit. 400, 77
Piri ſemen, guſtum fructus non exhibet. 314, 18
Piſce ſolo Septentrionales vivunt. 363, 14
Piſces foſſiles. 47, 8
Piſces glaciati in aquam redeunt. 150, 35
Piſces innata lunaris ſeminis vi, aquam in oſſa, carneſque ſuas transmutant. 86, 12. in aquam redeunt partem. ibid.
Piſcès maris ſubſtituit pedibus hominis. 118, 75
Piſces quadrupedibus fertiliores, & actualiter frigent. 40, 4
Piſces, quamquam frigidi, ſunt tamen mortales. 160, 24
Piſces vitam habent de natura luminis frigida. 146, 15
Piſcis ex aqua conficiunt fel non ſecus ac pecora ex gramine. 169, 17
Piſcis pulmone, & anhelitu caret. 149, 33
Piſcis quomodo fit aqua. 88, 32
Piſcium cruor non agitatur calore, ſed vitalibus fermentis. 151, 45
Piſcium vita friget, ſic ut nunquam, quamdiu vivit, queat ad caloris potentiam adſpirare. 579
Pituita, muccoſa in calculoſis non eſt cauſa ſed effectum ſive productum. 608, 4. putata in cruore quid. ibid.
Planetarii ſpiritus in viſceribus elucent. 33, 8
Plantarum collectio ante ſolis ortum non eſt ſuperſtitioſa. 115, 59
Plantatio proficua lunæ refertur. 115, 58
Plato ſtatuit cor ſedem animæ. 108, 21
Plato tres Atheorum claſſes ſtatuit. 213, 3. vocavit uterum animal furioſum. 485, 19. cum ſuo Deorum principio. 108, 21
Pleura parturienti, abſque ſenſu rupta. 386. num. 47, lit. 8
(in) Pleuritide cruor eſt acidus. 320. 18. grumeſcit ita & lotium. ibid.
Pleuritidem ſanat ſanguis Hirci. 179, 75
Pleuritidem ſanant præter ſanguinem Hirci, dens apri, virga tauri, fimus equi, & herba Billis. 367, 5
Pleuritides recurrunt. 320, 24
Pleuritidis principium. 319, 13
Pleuritis deſcribitur. 323, 35
Pleuritis eſt peregrina aciditas concepta in Archeo. 319, 13
Pleuritis flatuoſa. 338, 21
Pleuritis notha ſive flatulenta, ut vocat, fit ex latice acido. 320, 18
Pleuritis per phlebotomiam curata, ſæpius tabem poſt ſe relinquit. 320, 24, 30
Plexum arteriarum nondum repertum. 245, 32
Plinius judicio egenus non diſtinxit verum à falſo veri. 267, 2, 3
Plinius nugis conſperſit Dioſcoridem. ibid.
Plumbeus globulus ſanat volvulum. 339, 30
Plumbi diſtillatio Paracelſi. 384, 40
Plumbum cum Mercurio & ſulfure toſtum in ſubitam flammam abit relicta fæcula nullius ferè ponderis. 87, 23
Plumbum laudavit Paracelſus. 473

Plumbum pro medicina, mutatur in ſulfur & mercurium. 328, 38
Plutarchus de ſuſpenſis Virginibus. 482, 7
Pluvia fit Leffas, per terræ fermentum. 95, 32
Pluviæ diuturnæ. 66, 12
Pluviæ rore gravidæ ſunt fertiles. 95, 33
Pocula ſocordiæ, & vertiginis evertere Conatus. 7, 1
Podagra ab acido inteſtinorum. 319, 14. ſanatur ablatione characteris ſeminalis. 405, 94. Ex occulto ſemine. 403, 85
Podagra à concubitu excitatur per libidinem. 314, 16. fiendi modus. ibid. 20
Podagra Aſthmatis remedio non ſanatur. 293, 40
Podagra defluente gutta præſentitur. 361, 63. ſanatur characterem ſeminalem auferendo. 405, 94. ſpiritui vitali ſigillata eſt. 465
Podagræ acceſſus ſtimulant acida ſubtilia, & vina acidula. 315, 23. dolorem, quæ amovent. ibid. remedia quæ. ibid. 24, 25
Podagræ characterem ſæpè pavor mortis enecuit. 442, 9. 451, 12
Podagræ character ex ſtomacho in artus dimittitur. 451, 13
Podagræ cura Paracelſi Magnetica. 598, 20. character reſpicit ſpermata. 314, 15. in teſtes non procumbit. ibid.
Podagræ origo. 235, 9
Podagram patiuntur integræ familiæ. 497
Podagram ſanat mercurius corollatus. 628, 1
Podagra ſæpè fiut à parentum initio. 235, 10. eſt character ipſo vitæ Archeo concreditus. 236, 11. extrorſum tendit. 237, 14. Archeum digeſtionis affectat. ibid.
Podagra ſemen habet proprium. 497. non eſt in digito, ſed fructus radicis. 313, 12. conſiſtit in ſpiritu vitæ. ibid. initio: Spiritus vitalis inducit acciditatem fermentalem. ibid. 14
Podagra ſive calida, ſive frigida cenſeatur nihil refert, ſunt vexilla graduum quibus materia inſignitur. 313, 6. magneticè renovatur. 599, 35
Podagrica creta fit per exſiccationem. 205, 18
Podagricus extra dolorem ſive paroxyſmum eſt quoque morboſus. 393, 17
Podagricus futuras ſentit tempeſtates. 361, 64
Polenta externis oblita emollit; intus verò nutrit, calefacit, alvum obſtipat, & flatus movet. 385, 48
Pollutio non contingit inter vigilandum, & quare. 247, 42
Pollutio ſpontanea non offendit thoracem, neque muſculos. 297, 57
Polypodium veris tempore colligendum. 369, 16
Poma tollit verrucas, ſolâ frictione. 881
Pomi eſus continebat cauſas ſecundas mortis. 514, 13
Pomum Adæ mentem alienat. 246, 40
Pomum auſterum torrendo flatus excitat. 343, 67
Pondus proportionale medicaſtros deludit in pituitæ figmentis. 304, 24
Ponderis nulla reactio. 262, 6
Porcos, & equos ſanat menſtruum, illos in lepram vergentes, hos ſi intempeſtivè polaverint. 584
Porcus etſi moriatur iratus, tamen fit cum metu mortis. 143, 49
Pori triangulares in ſepto cordis, cujus baſis in dextro ſinu, non clauduntur, niſi à morte. 146, 21
Porphyrii garrulitas. 644
Portulaca, etſi frigida in tertio gradu, non eſt ſomnifera. 275, 8
Poteſtas, vitalium incomprehenſibilium. 449, 7. Duumviratus eſt quædam ſenſatio. 223, 18. Vegitans in duumviratu. 240, 8
Potaſchen quid ſit. 150, 39
Potu nutrimur celerius quam cibis. 154, 57
Potus aqueus in æſtu mox per ſudorem fluit. 314, 29. Vulnerarii quomodo agant. 446, 12. non pervenit ad locum, ubi Alcaliſatur cauſa febrilis. 185, 26
Potus fit ſputum ſub arida ſiti mucilaginoſum. 245, 46
Potus ſobrius ſalubris. 361, 61
Præcordiorum actio. 224, 21
Præcipitare in chymia quid. 779, 11
Prædicatio contrariorum. 133, 11
Prædictiones ſtellarum in nobis concludere rectè eſt impoſſibile, & quare. 145, 9
Prægnans vocavit teſtas conchyliorum. 477, 8. Quare fortius imaginatur. 128, 49. quare poſt appetitum corde palpitat. ibid. citata deſiderio imprimit fœtui. 271, 45
Prægnantium appetitus. 247, 50
Præparationis artem pauciſſima ſemina indigent. 141, 45
Præſcientia Dei infallibilis. 96 7
(à) Prandio ſomnus non à frigore. 139
Praxin ſcholarum natura riſit. 423, 5
Prima materia quid intelligitur. 306, 45
Primum mobile mathematicum negatur. 144, 3
Primum vivens ultimum moriens. 866
Principia ſunt immutabilia. 330, 51. tria de novo naſcuntur. 329, 47. quomodo fiant. 327, 35. non ſunt morbi ſed remedia. 328, 42. Naturæ ſunt materia & agens. 7. tria ſunt principiata. 333, 72
Principium in Geneſi, quid. 504, 26
Prioritas, quid. 506, 39
Privatio negatur. 43, 13
Problematicè diſputare de quovis morbo noverat Author, at dentium dolorem curare neſciebat. 16, 17

Problematicum ens eſt ratio. 20, 27
Productum morboſum requirit remedium. 444, 2
Prognoſtica Ephemeridum admittit Eccleſia. 96, 3
Prognoſtica meteora quare multa à Belluis. 145, 7
Prognoſtica ſigna non ex pulſu. 118, 49. non naturæ intentu, ſed accidentaliter. ibid.
Promiſſa vana, abuſus, & errores plurimi in librorum multitudine. 11, 6
Proprietates omnes fluunt è gremio ſeminum. 58, 28. formales ſcholarum. ibid.
Pruritus gingivarum à ſenſitiva. 241, 16
Pſora ex ſalinæ proſapiæ ſpiritu. 495, 7
Pthiſanas ſpernit Galenus. 365, 22
Puer per educationem deflectit à nativis. 432, 8
Puer ſtercus comedit. 171, 36
Pulex generatur externo fermento ſudoris. 92, 9
Pullus ex ſolo vitello materialiter generatur. 542, 95
Pulmo adnaſcitur aliquando. 294, 47. quomodo læditur ab aëre. 346, 6. aliorum membrorum legi tenetur. 354, 39. primo ſeneſcit, primum moritur, à minitata morte difficillimè reſurgit. ibid. 43. ſe deſarcinat ab inſpiratis pulveribus. 355, 45
Pulmo aërem in thoracem ſpirat. 355
Pulmo Brutorum ſupernatat aquis quibus bullitur integer, at diſſectus ſidit. 355
Pulmo non movetur. 355. & 357, 49
Pulmo ne dehiſcat aëris attractu efficit latex. 304, 21
Pulmonem contrahit uterus, ut anhelitu in totum privet. 270, 43
Pulmonis Hydrops. 407, 5
Pulmonis labem ſanavit Paracelſus. 289, 43
Pulmonis vulpis ridiculus uſus. 301, 76. 321, 29
Pulmonum fermenta peſſundat frigus. 346, 4
Pulmonum ulcera ſolidantur per mercurium corallatum diaphoreticum. 575
Pulmo poris pervius quamdiu vivitur. 288, 1. intus nil recipit. 289, 6
Pulmo pro cribro inſervit, ut aër purus in thoracem ſubeat 357, 49. unde difficilis ſanatio. ibid.
Pulſibus ſeptem affrictum fit magnes ſuccinum contra peſtem. 601, 37
Pulſus aſſimilatur motui, quo lac acidulum in butyrum mutatur. 147, 24
Pulſus cordis & arteriarum expellit multas ſuperfluitates. 110, 14
Pulſus dicrotus fit intermittens ante deliquium animi. 468
Pulſus durus ſudore advento molleſcit. 152, 51. undoſus in pulmonum affectibus. ibid.
Pulſus durus, ſerratilis ex vulnere. 152, 48
Pulſus durus non ob arteriæ ariditatem. 152, 49
Pulſu deficiente, confeſtim perſtite vita calor perit. 147, 24
Pulſu deſtitutæ virgines, ut mortuæ revixerunt. 146, 19
Pulſus epilepticorum non ceſſat. 449, 4
Pulſus finis. 147, 24. 148, 29. 151, 46. Inſolitus in dolore. 152, 47
Pulſus in dolore indureſcit. 320, 19
Pulſus moventur per naturæ voluntatem. 145, 10. artificioſè Galenus diſtribuit. 145, 11. in febri fit citatior, ut è cruore fiat ſanguis. 148, 27. fit durus ex ſpina digito infixa. ibid. 28. minutus, rarus, depreſſus fit ſub febrium intermittentium initiis. ibid.
Pulſus non fit ob refrigerium cordis, & fuliginum difflatum, diſſecta rana demonſtrat. 146, 16
Pulſus ob cauſam non propter ſignum. 152, 49
Pulſuum Blas Ariſtot. non inquiſivit. 146, 11
Pulſuum octuplex uſus. 154, 57
Pulſuum unguenta irrita. 154, 2
Pulvis pyrius accenſus in aëre fit aqua. 87, 24. fit Gas in accenſione. ibid. 21
Purgatio perfectiſſima, quia pacat archeum. 420, 3. laxans ad venas non aſſugitur. ibid. 7. Qualis eſſe debeat. 374, 50
Pure facto, dolor ſiſtit. 152, 48
Pus dum fit, major labor, & dolor. 153, 52. ex aciditate. ibid.
Pus eſt productum radicum ulceris. 258, 17. non fit adhibito balſamo debito. 153, 52. in vulneribus ex fundi acore. ibid.
Puſillanimitates quædam ſimplicia addunt. 248, 54
Putredinis exemplum in roſis. 343, 63
Putredo introducitur in cutem apertam, prout in ovum, læſo cortice. 386, 49
Putrefactio differt à noſtra digeſtione. 577
Putrefactiones ex obſtructione. 553, 2. per fermentum. 158, 8
Pylori contracturæ cum morte non ceſſant. 186, 29. furor unde. 243, 20
Pyloro errante non fit ſeparatio lotii à cruore in hepate. 171, 29
Pylorus necavit Gallum. 184, 24. vomitum movet. 181, 6. 184. 21. quando aberrat à ſcopo aut exorbitat. 181, 6. tunc cum poteſtatibus eccentricis, & non cum materia dimicandum. 168, 8. diſſectio difficilis. ibid. 3. eſt Internus exitus ſtomachi. 180
Pylorus rector, & moderator cibi, & potus. 185, 26. in finem digeſtionis clauditur. 182, 14
Pythagoras ſtricta annorum ſilentia exigebat. 15, 7

Q.

QValitates elementales primæ calor, frigidum, humidum, & ſiccum. 129, 52. ſecundæ leve, grave, &c. ibid. ſunt dona formalia ſeminum. ibid. ubi de tertia, quarta. Sunt in elementis. 138, 37. & operantur abſque contrarietate. 16, 38. Momentaneas ſentit in ſe Author. 378, 4

Qualitatibus primis, aut ſecundis adſcribere manca vitalia eſt ſcholarum lutoſarum. 354, 44

Qualitatum vires ſcholarum. 391, 6

Quarta digeſtio in ſiniſtro ſtomacho cordis. 146, 21

Quartana proprio naturæ ductu ſanatur. ibid. per criſin, & multas ſedes aliquando ſanata. 291, 26

Quartana ſcholarum jactantias abtruncavit. 248, 54 ſolis unguentis ſanata. 92, 15

Quartanæ origo ex acido chylo in ſplenem delato. 499

Quartanæ remedia lienem non attingunt. 444, 3

Quercetanus à ſuo lixivio deluſus. 119, 90

Quellem eſt naturæ fundamentum, per quod aquæ omnes tranſcolantur à ſuperficie terræ ad centrum uſque. 44, 4. eſt ſabulum vivum. ibid. metallicæ qualitatis. 546, 5. ligo non penetravit. ibid. 6. eſt difficilis reductionis in aquam. ibid. 3. eſt terra elementalis, generata ex aqua. 43, 12. erat futura baſis homini. ibid. difficillimè in ſalem reducitur. ibid. 11. eſt ſabulum vivum, & quamdiu aquæ in illa detinentur, legibus Hydraulicis parere non tenentur. 44, 7

Quercetanus notatur. 119, 90. 368, 13

Quercus exciſa flante Borea fit verminoſa. 599, 29. niſi confeſtim ſub aquas demergatur. ibid.

Quercus Hyberniæ araneas fugit. 121, 5. Vlceroſa carie tabeſcit. 327, 33

Quibus fortiter vena in Hypochondrio pulſat, eis mens ægrotat. 239, 1

Quinta eſſentia nulla. 329, 44

Quintius Galeni Præceptor. 694, 5

Quod ſapit, nutrit. 364, 19

R.

RAbidus quia dudum ante mortem furit ſuas etiam infectat carnes. 143, 49

Rabiem ſanat cancer calcinatus ex Galen. 228, 50. ſanatur mare. ibid. 47. Item Halece ſalſa. ibid 48

Radii ſolares ablato lumine confeſtim calore, & lumine intercidunt. 621

Radices colligendi tempus. 369, 16

Radix floris Anemones in rugas areſacta revireſcit. 119, 84. totam arborem gubernat. 249. 59. idem nobis contingit vi duumviratus. ibid. Vegetabilium ſucco terræ Leſſas nutritur. 441, 2

Radzivilius de cadaveribus in Ægypto. 199, 20

Raimundi garrulitas. 644

Rami plantati arboreſcunt per artem. 95, 32

Rana durum hyemem prædicit. 604, 53

Rana quomodo fiat ſub plenilunio transparens. 115, 56. reducitur in primam materiam. ibid. & monſtra maris organa vocis habent. 149, 33

Ranæ ex fracedine fundi paludum. 94, 31

Ranæ multo hyeme ſub luto, abſque reſpiratione victitant non tamen ſine pulſu. 147, 24. frigidiſſimæ pulſant. ibid. vivæ moventur pulſu. 146, 16. pulſum docent. ibid.

Rangifer extra ſuum clima non vivit. 131, 1

Ratiocinatio ſive logiſmus, unde ſyllogiſmus. 20, 31

Ratio eſt ens mentale problematicum, dumtaxat apparens. 20, 27. poſſidet animalem intellectum. 19, 20. non generat niſi caliginoſam ſcientiam. ibid. ex diſcurſu, & præmiſſis. ibid. Veſpertilionum inſtar lumen tolerare nequit. ibid. 22. nulla reperitur, ubi nullus eſt diſcurſus, & nullæ præmiſſæ. ibid. 20

Ratio & veritas ſunt diſparia in ſuis radicibus. 20, 27. putatur vita animæ, ſive vita vitæ noſtræ. 17, 1

Ratio decipit Mundum. 20, 25

Ratio in Brutis viget. 21, 34

Rationalis ſcientia eſt ex hiſtoria, & Matheſi per diſcurſus adaptationem deducta. 8, 14

Rationes, & ſcientiæ in terræ viſceribus latent. 546, 4

Rationi locum dant ſcholæ in medio eſſentiæ mentis, hancque abinde animam rationalem denominant. 20, 25

Realgar eſt arſenicum. 261, 36

Refectio per aromata qualis & quomodo. 466

Regnum Dei quomodo advenit. 23, 48

Regula juris in medendo. 443, 13

Religioſi aliqui frigent à pede in ventrem uſque. 428, 25

Religionem eſſe merum inventum politicum credunt Athei. 280, 4

Religionis, & fidei baſis eſt immortalitas animæ. 19, 18

Relollæum eſt qualitas efficiens non procedens ex fermentis, & ſeminibus rerum. 135, 25

Relollæum tranſiens eſt calor in aqua violenter introductus. ibid. 24

Remedia diætæ languida. 364, 18

Remedia diſtillata vix mori ſciunt. 141, 45
Remedia experimenta operantur, abſque methodo, non minus quam cum methodo eadem fallunt pleroſque. 16, 17
Remedia plura operantur per odorem. 372, 41
Remedia mineralia. 629. *nunquam deponunt ideam mineralem.* ibid.
Remedia rara ad lienem perveniunt. 233, 29
Remedia ſcholarum deſcribuntur. 7, 6
Remedia ſtomachica ſuperant ſæpè defectus extremos. 233, 32
Remedium debet eſſe potentius malo, ſi illud ſuperare debeat. 472
Remedium præſupponit morbi cognitionem, poteſtatem, & agendi media. 9, 17
Remedium univerſale debet eſſe corpus ſemel reſuſcitatum, ſemel deſtructum, ac quodammodo per reſurrectionem glorificatum. ibid.
Reminiſcentia in ſincipite. 223, 14
Renes edunt calculum ſubalbidum. 201,28. *ſunt cauſa lotii.* 446, 13
Renes ſunt cauſa Hydropis. 446, 13
Renibus carent volucres, & ſunt ſalaciſſimi. 246
Renum ſtercoreo fermento imbuta urina transmutatur in ſalſedinem. 303, 9
Repletio panis peſſima in Adagio. 364, 14
Res eſt id in ſe quod eſt abſque reflexione ſui. 20, 25
Rei quæſitæ quidditates ſub ænigmatis pallio tectas pluries acquiſivit Author, & quomodo. 22, 42
Res quæque quo clarior eo ratio ejus eſt ſtupidior, remotior, atque hebetior. 19, 20
Reſina magnetica. 606, 67
Reſolutio eſt coagulationis oppoſitum. ibid.
Reſolutiva ſalia, lixivia & alkalia, virtutibus ſeminalibus orbata ſunt. 383, 31
Reſpiratio fit ut aër connectatur ſpiritui vitali, ad diſponendum cruorem in totalem ſui diaphæreſin. 150, 37
Reſpub. luminum vitalium quædam eſt apud Deum, & civium innumerabilium cohors. 579
Reſpirant melius erecti quam jacentes, quia poros liberos habent. 359, 47. *lit. V.*
Retenta ſunt noxia, & acquirunt ſapores odioſos. 402, 82
Revulſio non fit in pleuritide. 318, 8
Rhabarbarum crudum melior ſuo extracto. 368, 12
Rigor unde. 766, 3
Riſibilitas unde. 249, 61
Riſibilitatis cauſam Theologia ignorat. 596, 4
Riſus ex duplici animæ nexu, quo belluæ carent. 249, 61
Rodericus IV. *Gothorum Rex ultimus præſcivit victoriam Maurorum.* 99, 27
Romani per quingentos annos, abſque medicis feliciter vixerunt. 12, 3
Romani Barbari vocantur. 7, 3
Rorem, dulciſacharo divitem, docet ignis. 95, 33
Roris genera. 602, 43
Roris ſal ſaccharinum proficuum. 631
Roſa occultum habet venenum. 373, 44
Roſæ alia vis in foliis, aliam caudex, & anthra habent. 617, 154
Roſæ odor ſub vita media. 334, 79
Ros eſt verna nubes. 58, 23
Ructus ex ſubtilioribus cibis in arido ſtomacho, in Gas ventoſum mutantur. 94,27. *edat mane ſtomachus jejunus vacuus, & appetens.* 183, 16
Ructus inſipidos dat ſtomachus debiliſſimus, minus debilis acidos, vitioſos, nidoroſos, amaros, & acres. 343,66. 339,36. *acidus ſuperveniens nidoroſis bonum.* 365.24. *frequentes, & nidoroſi ex ſtomacho debiliori.* 343,63. *ex vacuo ſtomacho, debilis eſt.* ibid. *impotentiam aliquam teſtantur.* 343,66. *ſub ſarcina multi cibi enchymi prodeunt pontici &c.* ibid.
Ructuum tota doctrina. 341, 50
Ruminans brutum pro puro habetur in ſacris. 364, 21

S.

SAbulum quellem, eſt metallicæ qualitatis. 546, 6
Sabulum bulliens milleſies majus mare. 547, 14
Saccharum utero noxivum. 488
Saccharum Tabarzit ſive albiſſem notatur. 376, 57. *ſanis gratum, ægris horridum mox fiat.* 371, 30. *utero & ſtomacho hoſtile.* ibid. *eſt difficilis digeſtionis.* ibid. *clarificatur argilla, & calce.* ibid. *acescit in ſtomacho.* 158, 11
Saga occidit, non ſecus ac ſicarius enſe 609, 87
Sagæ operantur virtute naturali. 479, 15
Sagarum patroni qui. 453, 2
Sagarum veneficium à cacodæmone. 385, 46
Sagacitas quid. 251, 3
Sal avertit effectus tonitrui. 162, 22. *impedit reſolutionem cibi.* 185, 26. *ſtomacho inſervit.* 164, 24 *facit ſui ſimilem per colliquationem.* 150, 39. *in aquæ elementum tranſit.* 94, 29, *ex aquæ propenſione ſpontanea naſcitur.* 332, 66
Sal ſulfur & Mercurius, ſive ſal, liquor & pinguedo ſunt in ſpeciebus ſpecialiſſimis. 85, 4
Sal & Merurius rerum tanquam muliebres ſucci, ſequuntur ſulfuris conceptus. 57, 14

(in) Salem quidquid eſt luti reſolvitur, & tandem in aquam. 45, 14
Sal reſolutum, non rarò oberrat in nobis. 554, 9
Sal quoddam eſt hermaphroditicum metallorum. 550. 10, 11, 12, 13. & ſecundina metallorum. ibid. eſt acidum. ibid. alienæ commixtionis expers, & corpori noſtro gratum. ibid. eſurivum. ibid. omni metallo accomodabile. ibid.
Sal acetoſum naſcitur in ſtomacho partim volatile, partim fixum. 379. 18, 19. fit mumiale fermentum. ibid. fit ſal cruoris, in rene verò urinarius. 380, 19
Sal alkali volatile continet balſamum ſeminis. 383, 31. agit juxta innatas ſibi dotes. ibid. 32. præexiſtit in concreto ante colliquationem. 151, 39
Sal circulatum Paracelſi. 576. parat optimum ſpiritum vini. ibid. volatizat. 43, 11. tranſmutat in aquam. ibid. eſt immutabilis. 628
Sal armoniacus in ſpiritu nitri difflabilis. 89, 41. agit in aurum. 265, 11. cum criſulca diſtillatus fit Gas. 87, 15
Sal cruoris ſanat epylepſiam; non ſal urinæ, qui eſt excrementitius. 578. fit mumiale fermentum. 379, 18
Sal eſurivum vitrioli non creſcit in vena ferri. 552, 12
Sal eſurivum licet ſit calidum primis qualitatibus, frigefacit tamen tertia, & propria qualitate, & calorem debilitat. 454, 21. diſſolvit muccilagines aliaque beneficia ſtomacho præbet. 553, 1. aluminis aſtrictionem neſcit, eſt dulcius omni ſaccharo. 551, 21
Sal marinus eſurivus. 168, 12. indigeſtibilis. 176, 58
Sal martis ſanat detentionem menſtruorum. 270, 46
Sal petræ, & ſal commune edunt ſpiritum eſurivum diſtillando. 164, 24. non eſt verum nitrum antiquorum. 87, 20. fit ex ſale urinæ. 578. ab excremento ſalſo. 159, 15. poteſt in terram converti. 87, 24. frigidum eſt, & anginæ remedium. 243, 62. ſtomacho inſervit. 164, 24
Salis petræ, & ſulphuris intolerantia unde. 87, 22. coctores ſeparant ab eo ſal marinum 176, 58. minor quantitas habetur ab excremento humano quam caprarum. ibid.
Sal tartari laudatur. 151. 40. per ſpiritum vini rectificatum donec aſtringentem guſtum acquirat fit ſamech Paracelſi. 261, 36. & fit cum ſpiritu vini. 193, 24. exiccatum, & combibitum libra una aquæ vitæ, vix dat ſemiunciam ſalis. 576. imbibit ſpiritum vini. ibid.
Sal volatile rectificatur in ſuo Alkali fixato. 150, 39. arreptione ſui ſulſuris fixatur in Alkali. ibid. 43. abſcedit per fermentum putredinis. ibid. 41. fit ex fixo. ibid.
Sal volatile vitrioli fit allumen. 380, 21. ſi vero mucilaginem in ſtomacho offendit liquat eam, & non fit aluminoſum. ibid. tranſmutatur à convexo. ibid. 22
Sal urinæ tollit ſemini fœcunditatem. 196. fit ex non ſalſis. 176, 58. non habet ſibi ſimilem. ibid ex acido cremore. 170, 22, 23. fit diureticus. 380, 19. diſtinctus à ſale ſudoris. 303, 9. excrementitius. 578
Salſaturæ omnes acidæ ſunt, & ſtomacho gratæ. 168, 12
Salium ſemina in aquis in ſipida. 550, 9. quando primum ſaleſcunt. ibid.
Salium claſſes. 380, 20
Salia extergunt ſordes. 385, 5. ſimplicia maris gemmæ, &c. recedunt per lotium, & inteſtina, unde expellunt ſordes. 383, 31. fructum minerale gerentia ſunt naturæ noſtræ aliena. ibid. lixivialia, & alkalia ſeminibus orbata abſtergunt. ibid. Volatilia alkalia habent initia concreti radicalia, & balſamos ſeminales. ibid. omnia ex aqua, & quomodo. 47, 6. quomodo ex aquis generantur. 46, 15. in bur ſive primam mineralium ſobolem fatiſcunt. ibid. artificioſa altius penetrant, quam oleo. 385, 52. aromatum ex oleis facta primi entis eorum vices habent. ibid. torminum authores. 380, 23. guſtatui primum ſe offerunt. 379, 13. iis tribuit Hippocrates motiones morborum. ibid. 12
Salia volatilia herbarum Paracelſi. 627
Salis naturam aſſumit oleum cedri. 634
Salium dignitates, & officia quæ. 379, 12. ens primum ſonant quemcunque morborum. 419. ſummus, ac feliciſſimus. 380, 24
Salſa quare ſitim parant. 185, 26
Salſaturæ omnes acidæ ſunt & ſtomacho gratæ. 168
Salſedo actualis ſeparatur cum urina, & ſudoribus, quia evaſit excrementitia. 577
Salamandra vivit per ſeculum abſque cibo.
Salaſitas à ſtomacho. 247, 43
Salicis trunci plantati Hiſtoria mechanica. 88, 30
Saliva non è cruore. 304, 24
Salivarum varia genera. ibid. 25
Salomon vocat ſpiritum hominis lucernam Dei. 19, 18
Samaritanus eripuit Sacerdotibus inquirendi jus. 576, 7
Sambricus auſcultat phantaſiæ decerptoris. 619, 170
Samech fit cum ſpiritu vini. 58, 27
Sana prædicat Medicus, quæ ſibi magis arrident. 363, 13

Sanabat Author plures non viſos. 363,12

Sanatio odoribus plurimum perficitur. 93,16

Sanatio morbi ſecundarii fruſtranea eſt,niſi prius peſſundato primi. 493

Sanatio tam per medicamina quàm per naturam,fit per ſedationem agitati Archei, & oblationem ſeminalis characteris. 379,14

Sanitatem venalem pro viſitationibus. 500

Sanguis conſervat non obſcura accidentia cibi prioris. 121,4

Sanguis taurinus neceſſarius in Vnguento armario. 619,172,173

Sanguis coctam animam continet. 619,170.617,156

Sanguis totus per Diaphæreſin ſpirat, non cruor. 149,31

Sanguis in arteriis in ſpiritum tranſit. 577

Sanguis in ſacris dicitur ſpiritus rubeus. ibid. *ex cruore in corde.* ibid. *in auras exhalat.* ibid.

Sanguis grumefactus cum remediis nominatis diſpergitur. 322,32

Sanguis an ſit animatus. 385,58

Sanguis arterialis pro ſcopo habet in ſpiritum vitalem traduci. 146,22. *ſi in fuliginem, vel excrementum vergat, fit per accidens à morbo.* ibid.

Sanguis diſtillatus dat carbonem ſalſum. 91,5

Sanguis arterialis,nutrit venas quatenus primæ conſtitutionis. 178,70

Sanguis in venis vivit fontium inſtar. 11. *extravenatus graviorem ſortem induit.* ibid.

Sanguis ſiniſtri ſinus, verum nomen ſanguinis arterialis ſortitur. 146,21. *in vena cava diverſus colore, & ſubtilitate eſt.* ibid. *in ſiniſtrio ventriculo cordis informatur ab anima immortali, cruor verò non.* ibid. 22. *à cruore differt, ut chylus à cruore.* ibid. 21. *arterioſus non vertitur in pinguedinem, quia ſalſus.* 147,24. *eſt ſedes vitæ.* 241,11. *habet ſuam phantaſiam.* 617,163

Sanguis ex uno vulnere ſanat reliqua. 618,167

Sanguis flaveſcit per ſalis acredinem. 578

Sanguis totus ſub ultima digeſtione exhalat. 149,34. *flaveſcit cruor dum fit ſanguis* 160,20. *totus mutatur in ultimum alimentum.* 175,51

Sanguis venalis à vena cava per dextrum ſinum tranſit ad ſiniſtrum per triangulares poros. 146,20,21

Sanguinem brutorum quare veſci prohibent ſacra. 604,133

Sanguinis quiſque ſeptem fabricat quotidie ſibi uncias aut decem. 91,4

Sanguificatio incipit à venis meſenterii. 241,13. 247,42

Sanguificationi præcedit productio, ac ſeparatio excrementi. 170,22

Sanies, & pus non ſunt excrementa, ſed producta ulceris. 258,17

Sapiens dominabitur aſtris. 619,178

Sapientiæ apex eſt ſui ipſius cognitio. 144,2

Sapientis Coboleth ſententia exponitur. 47,11

Sapo ex alcalibus & pinguedine. 86,12

Sapores grati ſtomacho denotant ineſſe rei benignam vitam cognitam noſtræ. 380,27

Sapores plerique tam intra,quàm extra noſtris infirmitatibus auxiliantur. 372,42

Sapores ſpecifici, putà macis, croci, &c. 380,25,26

Sapores ſpecificos habentia. 383,30

Sapphirus in peſte. 599,44

Sathan ſua apocrypha nexuit ſuffitibus. 93,21

Sathan ſolo nutu corpora loco movet. 610,91

Saturni aurea, & felicia regna, quare ſic dicta à Poëtis. 168,11. *quid ſignificet.* 148,28

Saturno dicarunt ſplenem Philoſophi, & Aſtrologi. 276,15

Saturnus deaſtrorum primus. 42.*deaſtrorum parens.* 487

Satyri genus ſalaciſſimum. 246,42

Satyrorum generatio unde. 540,98

Satyrus circum latus diebus Conſtantini. 543,98

Saxa poſſunt in calcem redigi. 202,4. *vertuntur in ſal æquiponderans.* 332,65

Saxi Scotiæ mira proprietas mutum vocatur. 63,31

Saxoſum fermentum in fontibus. 94,31

Scabies propagatur abſque jecoris defectu. 305,32

Scabies, à ſcholis quomodo curetur, & Hiſtoria de Authore ſcabioſo 257,5. *à latice.* 496. *ab acido in pelle.* 319,14

Scabiei pharmaca ex ſulfure baccis lauri, & helleboro albo. 257,11. *ubi plura de ſcabie.* ibid.

Scamonea caſtratur acidis. 374,41

Scandendo anhelat ſenex. 295,53

Scaturiginem rerum à priori intelligere, & ſapere nulli ſine peculiari favore conceditur. 8,14

Schema, ſive ordo cælorum nondum eſt notum Aſtrologis. 103,48

Schema flatuum. 341,50

Scholæ ſunt rationales, & exemplis non moventur. 311,21. *ſunt valde luteæ, & nebuloſæ.* 381,28. *ignorant pulſuum cauſam efficientem.* 156,12. *ignorant urinæ materiam.* ibid. *impoſuerunt viginti, & uno ſeculis.* 7,1

Scientia præmiſſarum eſt certior concluſione. 19,20

Scien-

Scientia omnium ſub ſole vana, ut neque curioſitatum indagationes. 16,18

Scientiæ occultæ rerum infunduntur in nos à Patre luminum. 19, 18

Scientiæ veritatis rerum ac præmiſſarum non prodeunt à ratione, ſed ab intellectuali lumine lucernæ. 19, 21

Scientiam unico inſtanti didicit. 388,19

Scire plus anhelavit quàm ditari. 10, 3

Scorbutus à marinis. 490

Scoriæ utilitas. 680, 21

Scorpiones ex baſilicone, & fracedine lapidis. 384, 37

Scotus ſubſcripſit paganorum inventis ludidicris. 110, 24

Screationis mutatio, unde. 212, 44

Scrophulæ ex triſtitia paupertatis. 442, 9. ex triſtitia lenta. 450, 12

Scyrrhi è cruore. 150, 35

Scyrrhis remedium. 205, 16

Scyrrhis etſi anheloſos affectus pariat, non eſt aſthma. 298, 63

Scyrrhus externum petit ſubſidium. 376, 58

Scyrrhus non induratur à calore. 379, 9

Scyrrhus à morbo relicto. 84

Secundina quid. 890, 19

Sedes omnium febrium. 769, 1

Semen eſt ſubſtantia in qua jam Archeus ineſt, &c. 82, 12

Seminia quorſum vadunt, neſciunt. 134, 17

Semina calida quæ. 338, 28

Semina unde fiant. 92, 12

Semina abducuntur quo nolunt. (Hippocr.) 582

Semina quædam ſponte pullulant, alia verò ſatione, & occatione egent, puriſſima verò arte præparationis indigent; nulla ignem admittunt. 141, 45

Semina calida minera contra flatus. 344, 75. corruptionem, & aciditatem inhibent. ibid. ſunt inteſtinorum ſolamina. ibid. bulliantur cum vino. 243, 20

Semina aliquot lignorum ſive nuclei, continent in ſe vel oleum ut Pinioli, amygdala; quædam ſunt farinacea; ut glandes; vel lacteum fundunt ſuccum. 116, 61

Semini eſt vis transmutativa aquæ exiſtentis in terra. 139, 38

Seminibus neceſſitatem naturæ dicavit. 91, 7

Seminum fœcunditatis cauſa. 215, 17

Seminum conſtitutio non à calore & frigore. 127, 39. ibi de ſeminibus metallorum. 41

Seminalem, & ſpecificam poteſtatem ſimplicium Galenus ignoravit. 8, 11

Seminalis virtus eſt magicæ naturalis. 612, 113

Semper vivi decoctum fruſtraneum. 491

Senecæ opera placuere Authori. 14, 7

Senecta anguium ſanat Hydropem. 415, 25

Senectus exfermenti penuria. 164, 52

Senes ſub parca cœna benè dormiunt. 245, 30

Senes & Pueri vermibus laborant. 198, 16

Seneſcimus vermentorum penuria. ibid.

Senſibilia quomodo judicanda. 739, 6. agunt in ſenſum occaſionaliter. 730, 107

Senex ſtertebat, cujus medelæ hiſtoria. 300, 70

Senſitiva in brutis in nihilum abit. 252, 8

Senſus in quo conſiſtit. 729, 94. eſt proprietas vitæ. 714, 29. non à Meningibus. 711, 10. Sympatheticus univerſi mundi. 69, 14. primaria cauſa. 729, 97. definitio. 731, 116

Septum ſive interſtitum eſt inter utrumque cordis ſinum. 146,20

Sericum toſtum repudiatur. 765, 13

Serpens vultum hominis mentitus eſt. 541, 88

Serpens à veneno reviviſcens eſt Mercurius. 94,28

Serpens callidior cæteris animantibus. 251, 2

Serpens cur Evam & non Adamum adorſus. 516, 11

Serpentis morſus alterat mentem. 286, 10

Serum non ſegregatur à lacte, niſi poſt ejus corruptionem. 303, 7

Seton eſt cauterium per cervicis pellem. 311,22

Sextuplex digeſtio. 385, 57

Siccatio eſt ſaltem caloris & frigoris. 316, 37

Siccatio in nobis fit fermentorum reſolutione. 378, 18

Siccititas ex ſtomacho debili. 232, 32

Siccum ſonat proprie exſuccum. 136, 29

Sigilla irrita quæ. 618, 170

Signa morbi unde. 152, 49

Signa Medica ſunt per accidens. ibid.

Silex recipit lumen ſolis. 120, 95. 126, 35. Vide lapis.

Silex non dat Mercurium neque ſulfur. 332, 65

Silices non calcinantur. 202, 4

Similibus morbi non ſanantur. 140, 41

Simplex dum putret & inanimacula mutatur hæc ſunt utriuſque ſexus. 367, 4

Simplex inſipidum urinam ſuſpendit. 408, 9

Simplicia quædam reſtringunt typos morborum. 445, 9

Simplicia non habent acceſſum ad mentem. 251, 5

Simplicia quædam mirabilis virtutis. 237, 16

Simplicia in ſui ſimplicitate ſunt ſufficientia ad ſanandos omnes morbos. 367, 5

Simplicia fugant plures morbos. 141, 45

Simplicium vera cognitio neceſſaria inventioni remediorum

diorum. 9, 17. & horum graduatio, ſelectio, præparatio. ibid.
Simplicium præparatio pyrotechniam exigit. 369, 17
Simplicium cognitio, & Philoſophica præparatio totam hominis vitam requirunt. 269,34
Stis eſt ſenſus diminuti laticis. 378, 8. præternaturalis verò non eſt arefactionis inditium. ibid. naturalem cauſat tractus laticis è venis meſenterii. 179, 79. in febribus non ob defectum humidi, neque ob penuriam ſanguinis. 185, 26. indicat deficientem laticem. 305, 27. non ob cruoris egeſtatem. ibid. febrilis quomodo fiat. ibid. 30. inextinguibilis in febrientibus, non tam ex acrimonia materiæ irritante, quam ex ſenſitivæ furore. 450, 11. Hydropicorum unde. 415, 36. in Hydrope quia latex facile alienam intus qualitatem combibit. 305, 35. non liquoris penuria, ſed ſalſuginis confectione in Hydrope. ibid.
Sitis à fermento impedito, ſomno ſuperatur. 185, 26. in febribus oritur propter nidoroſa, putrida, coagulataque ut reſolvantur, non quod appetatur humidum refrigerans. ibid.
Sobrius juvenis quandoque fit ſenex pot. [illegible]r, vel vice verſâ. 101, 35
Sol & homo non generant hominem. 119, 92. aëri præſidet. ibid. 94. provocat fluxum ſeminum ad terminum vitæ ultimæ. 115, 57. trans vitrum ſuo radio accendit pulverem tormentarium. 144, 1. per ſe non per accidens fervet. 62, 23. qua parte directè ferit comburit ſine dolore. 61,14
Solare lumen probatur eſſe igneum mechanicè. 112, 36
Solis calor in alpibus continua nive tectis veſſicat. 135, 23
Soliſſequi flores ſolis rithmum imitantur. 598, 26
Solani eſus mentem abducit. 221, 0
Solanure dementat non autem ſomnum facit. 275,8
Solutio vera quid. 370, 22
Solutiva omnia venena. 372, 38
Somnus ſuſpendit quaſvis excreationes excepta ſudoris, & ſeminis inutilis. 247, 42. in præcordiis ſuſcitatur. 246, 39. in capite ſe manifeſtat. ibid.
Somni poteſtas ex ſtomacho. 245, 30
Somnus cum labore ante deliria. ibid.
Somnia authori multum luminis dederunt. 22, 42 quomodo inſtituenda. ibid.
Somnus effectus eſt ſplenis. 247, 42. è ſtomacho. 449, 3
Somnus ſopor è duumviratu. 240, 3
Somnus gelidæ mortis imago (ethnicus.) 474, 1. ſcholarum, vapor ſuavis. ibid. 2. non à frigore. ibid. 25. & 254, 39. non eſt ſymptoma, mentis læſæ 213, 0. vitæ principium. 231, 11. non eſt in mente. 450, 8. fit dum ſplen nutritioni inſudat. 265, 12. dum fit, infelicior digeſtio. ibid. ſplenis, & ſtomachi. ibid.
Sonus quomodo fit. 36
Somnia prophetica quando. 611, 99. confuſa. 241,14
Somnialis viſio excitatur à fatigabili imaginatione, vi deſiderabile eruitur. 22, 42
Somno primo, cogitationes variæ. 265, 12
Sophiæ labor inſtituendus cum lunæ lumine. 116, 59
Sopor ex narcotico veneno. 225, 31. ſtomachum affectum incuſat. 212, 46
Sopor, ſomnus, &c. ſtomachicis remediis curantur. 244, 26
Soporum remedia per lixivia. ibid. 31
Sordes everrendæ relictæ authori. 27, 1. non ſunt morbi. 425
Spadanæ aquæ quibus conducant. 553, 1, 2
Spagyris, natura partim cognita. 7, 3
Spaſmus obæſorum ſanatur axungia humana. 386, 58. poſt helleborum læthalis. 337, 14. ex menſtruis retentis. 271, 46. ex muſculorum vita. 449, 5. & 579
Speculo lucido reflecti gaudet vita. 386, 62
Specula lucentia metallorum. 462
Speculum recipit lumen tenue è loco diſtanti. 150,50
Spermatis coctio fit in teſtibus à ſplene. 247, 42
Sperma ſyderum eſt mucilago. 880, 41
Sphæra in Phyſicis aliquid promittit ſcientiæ. 14, 3
Spina infixa extrahitur axungia leporis. 417, 50
Spinæ Paradigma. 319, 13
Spinelli à Medicis occiſus. 354, 50
Spinola moritur ab uſu Helleboro. 381, 50
Spiritus vitalis eſt lux in fermento ſiniſtri cordis ſinus habitans, quæ illuminat novos ſpiritus à ſanguine partos. 577
Spiritus ſalis cruoris curat epilepſiam. 159, 16
Spiritus vitæ de natura ſalis volatilis. 178, 57
Spiritus vini attactu ſalis tartari pro ſui dimidio vertitur in aquam inſipidam. 58, 27
Spiritus ſalis in mercurium non agit. 265, 11
Spiritus nitri elevat ſulfur vitrioli. 386, 65
Spiritus vitæ quid ſit. 578
Spiritus animalis, & vitalis. 178, 64
Spiritus vitæ de natura Gas aquæ. 89, 40, 41
Spiritus omnes, omnium rerum in nobis latent. 604, 11
Spiritus vitalis in carne, & ſanguine. 610, 95
Spiritus vini combibitur ab alkali. 85, 4. & 86, 9
Spiritus quare non apparent omnibus. 128, 51
Spiritus ſulfuris ad vitam longam. 636
Spiritus vitæ calores, & frigore excitat. 379, 9. enormon: Hyppocrati neglectus. ibid.
Spiritus hominis, vocatur à Salomone lucerna Dei. 19, 18

Spiritus vini rapitur in arterias, ut aliquid ſymbolizans. 577

Spiritus vini totus vertitur in ſal volatile 159, 17

Spiritus vegetabilis quid ſit. 333, 73

Spiritus vitalis ſalſus de natura balſami. 147, 24

Spiritus, ſanguis, & aqua, idem ſunt. ibid.

(à) Spiritu impetum faciente omnis actio morboſa. 383, 33

Spiritus mineralium à ſeipſis differunt. ibid. 32. noxia prorſus non vacant. ibid.

Spiritus rubeus, in ſacris vocatur, cui anima inhabitat. 158, 11

Spiritus vini è glacie. 188, 2

Spiritus vitalis ſedes eſt cor. 612, 109

Spiritus animalis in ſuis nervis ultimatam recipit determinationem. 577. Viſivus fit in nervis opticis. 578. inde exorbitans, & in lingua delatus guſtatui eſt planè inutilis. ibid. Vitalis medullam noviſſe oportet. ibid.

Spiritus abſtracti aliquid habent, quod ad videndum reſpondet oculis noſtris. 115, 51

Spiritus qui partes ab invicem diſtinxit in ipſis determinationes omnes ſuſcepit. 590. in oculo videt, in lingua guſtat. 591

Spiritus vitalis quid. 161, 28

Spiritus vitalis fit animalis. 577

Spiritus animalis non eſt in natura. 154, 58

Spiritus innatus intendit ex vitali influo ſibi ſimile generare. ibid. opticus non guſtat, ambo tamen ſpecie differunt, quomodo fiat organum vitæ. ibid.

Spiritus vini cum ſale tartari fit ſal. 193, 24

Spiritus vitalis variam determinationem ſuſcipit. 159, 14. opticus, & viſivus fit in horum officinis. ibid. Motivus in ſpinali medulla. ibid. ſi ad linguam ducantur, guſtatui ſunt inutiles. ibid.

Spiritus fit cum inſpiſſati attenuatione. 158, 12. vini, & vegetabilium facilè fit vitalis, & facilè rapitur in arterias. ibid. Vitalis, ſalſus & Balſamicus. 159, 17. eſt cuſtos à corruptione reſpectu luminis concepti. ibid. non nutritur aere. 16. ex flavo ſanguine arteriali. 158, 12

Spiritus vini ſolo fermenti attactu in ſalinam naturam aſcendit. 579, 159, 17. in offam albam mutatur. ibid. 19, 579. in corde perficitur in vitalem. ibid. Vitalis eſt ſpiritui urinæ vicinus. ibid. 979

Spiritus vitrioli quomodo fiat alumen. 364. ejuſdem & aquæ fortis differentia. ibid.

Spiritus aſſiſtens cuique membro præſidet. 346, 2 influus à corde manat. ibid. inſitum expergefacit. ibid.

Spiritus vini cum ſale circulato. 577

Spirituum diviſio. 610, 97

Spiritus delectantur odore, & lumine, eo quia lux, & odor illos immediatè attingunt 93, 18, 19

Spiritus ſalis marini mercurium non ſolvit. 57, 16

Splen non omnem vim ab arteriis habet. 232, 27. ſtomacho incumbit. ibid. 26. novit ſcopum rerum agendarum. 183, 20. inſpirat famem in ſtomachum. ibid.

Spleni eſt vis imaginativa. 482, 1

Splenetici anhelant. 297, 59

Splendor & calor in mortuo animali ſtatim abeunt. 114, 86. quomodo differt à lumine formali & ab Archeo. 117, 72

Spongia dat rara teſtimonia vitæ. 247, 50

Sponſa ſphæra plumbea ſalutata hiſtoria. 230, 3

Spontaneorum ortus. 121, 3

Sputa cruenta unde. 112, 44

Sputum ſanguinis unde. 257, 49

Sputa inſpicere ſcholæ jubent. 253, 33

(à) Sputo expectorato diverſus eſt muccus naturalis. ibid.

Sputa frequentiora unde. 497

Sputum ſubcæruleum. 291, 26

Squamma ferri ad ventris ſubductionem. 303, 14

Stanni duplex ſulfur, ideò cæteris metallis levius omne metallum facit frangibile. 87, 20

Stellæ cur nitent 61, 16. earum influxus ſub duo luminaria. 66, 10

Stellæ erunt vobis in ſigna &c. 966

Stellæ per ſuum aſpectum infundunt Blas motivum aquæ, & aëris. 145, 4

Stellæ quoties ſunt cauſæ cauſarum toties quoque ſunt cauſati cauſæ neceſſitates. 100, 29

Stercus equi pleuriticum. 306, 39

Stercus quale excrementum. 207, 5

Stercoris ſapor. 172, 36

Stercus & urina proverb. 695, 9

Stercus fit ex diſſimilari chylo parte per fermentum. 175, 50

Stercorum varietas ex eodem cibo. 158, 9

Stercoreum fermentum in cæco inteſtino, eſt opus corruptionis non nutritionis. 180, 81

Sterilitas eſt defectus præter naturam. 499 in viro ſano vix locum habet. ibid.

Sternutatoria poſt expeditum vicinum muccum concitant aquoſitates. 210, 30

Stoïcam doctrinam vidit, & odit Author. 15, 8

Stola Sancti Huberti rabidis prodeſt 229, 52

Stomachi principatus liquet exemplo. 249, 59

Stomachi quorundam facilius digerunt olera, legumina, &c. alii piſces, & ſimilia. 168, 10

Stomachus ſibi primario non coquit. 175, 52. ſibi primario coquit. 458, 2. non ſolum pro toto, ſed pro ſe coquit. 495. duplici calamitati ſubjacet propriæ, & ſextæ. ibid.

Stomachi notabilia quædam. 173, 41
Stomachi vis manifeſtatur per lapides cancrorum. 238, 23
Stomachi dolor motum omnem aliquando abſtulit. 243, 20
Stomachi digeſtio præeſt omnibus aliis. 446, 13
Stomachi mala. 168, 14
Stomachi auctoritas in caput. 244, 26
Stomachi fermentum vitale dilatatur ubique. 234, 4. fermentum illud acidum ſtomacho gratum in fundis alienis fit inimicum. ibid. 5
Stomachi remedia diſſitos ſanant morbos. 233, 32
Stomachi fermentum acidum vi fellei fit ſalſum. 577
Stomachi totidem quot membra, altilia. 178, 67. fermentum à liene. 148, 28
Stomachi dolor fragranti emplaſtro ſanatus. 93, 22
Stomacho deficiente mala enumerantur, quæ oriuntur. 233, 32. competunt quæ de regimine teſtium, & uteri dixit author. 271, 46
Stomacho duplex eſt fermentum. 496
Stomacho quando deficit guſtus. 624
(in) Stomacho ſollicitanda eſt omnis morborum ſanatio etiam vulnerum. 447, 1
Stomachi imperium vix remedia ſuperant. ibid. privilegia. ibid. ſibi primario coquit. ibid. 2
Stomachus alitur chylo immediatè. ibid.
Stomachum affectum incuſat dolor capitis. 212, 46
Stomachus lectus animæ noſtræ. 248, 58
Stomachus imperat motui. 241, 15
Stomachus rector digeſtionum. 238, 22. à ſplene ſuam energiam habet. 168, 11
Stomachus debilior cibos putrefacit. 343, 63
Stomachus cordis vicem gerit. 241, 13. robuſtior cibos duriuſculos concoquit. 197, 15. actualiter calet. 342, 19
Stomachus convertit dulcia ingeſta ſtatim in acidum. 164, 24. non ſentit niſi noxia. 235, 10. febrientis totus nidoroſus. 164, 22. cordis nomine vocatur. 230, 8
Stomachus debilior, quare ſub finem digeſtionis gravamen ſentiat. 127, 42
Stomachus fortior enchymos cibos ritè conficit, non item cæpas, allia, raphanos, &c. 343, 66
Stomachus etſi perpetuo medet, non tamen putret, & quare. 385, 48. ſentit, ac ſi animal eſſet. 273, 49. cum ſplene conſtituunt duumviratum. ibid.
Stomachus, teſtes, & uterus radiant per totum. 272, 48
Stomoma, Chalybs. 552, 14
Stranguria ab acido. 319, 14. defectu fermenti ſenio familiaris. 495
Stranguriam ſanat lapis cancrorum. 238, 25. ſuſcitat Cantaris. 424, 9
Strumæ horribiles in Styria. 204, 11
Struma eſt defectus tranſmutationis Archei. 205, 16
Strumarum origo. ibid. 14
Struma liqueſcit aſtrictivo remedio. ibid. 15
Studendo corpus labefactatur. 432, 5
Studium Medicum eſt invenire remedia. 570, 16
Studia ſeria enervant. 592. nimia nocent. 244, 27
Stultitia plerumq; obſidet mentem prudentis. 286, 10
Stulti quandoque gignuntur ab ideis gravidarum. 432, 7
Stultorum infinitus eſt numerus. 483, 10
Stupefacto membro, ſenſus rediens fit titillando. 578
Stupor oritur quando membrum, peregrino ſpiritu irroretur. 159, 14
Sturio caret ore; ſolo puſillo foramine haurit aquam. 94, 29
Sublimatum per additamenta eſt venenum. 385, 56
Sub quadruplum aquæ bibit arena ſicca. 44, 5
Submerſi aliquando reviviſcunt. 228, 50
Subſtantia non eſt annihilabilis. 116, 65
Subtilitas inutilis. 2
Succeſſio quid. 507, 40
Succini phantaſia paleas trahit. 615, 145
Succinum fit Zenexton. ibid. 144
Succini Amuletum contra peſtem quomodo fiat. 601, 37
Succubæ nymphæ quæ. 540, 81
Succus herbarum, & rerum prælo expreſſus ſolo odore ignis ſulfurei manet incorruptus. 370, 21
Succos herbarum condire abſq; ſale per annos. 141, 45
Sudamus parum ſub frigoribus, & ſumus edaciores. 150, 35
Sudarium D. Pauli. 602, 46
Sudor copioſus, & pauca nutritio cruorem minuunt, & debilitatem cauſant. 354, 42
Sudor multus ſitim propagat. 305, 30. non fertur per calorem vaporis ſpecie. 303, 17
Sudor eſt latex materialiter. ibid. 19. olidus plerumque in morbidis. ibid. pellem humectat, tamen ſiccat. 256, 4. habitum facit turgidum. ibid. non prodeſt hydropicis. 414, 29. ſalſus cranium, & menynges permeat. 351, 25. particularis malum. quare? 305, 36. provocatur externa opera adhibita. ibid. 37. aliquando fruſtra provocatur. ibid. eſt ros reſolutus in morientibus. 303, 17. mortificat hæmorrhoïdes & excreſcentias. ibid. in deliquiis mortis eſt cruoris liquamen, non ſanguinis arterialis. 90, 42
Sudor, & inſenſile effluvium ſunt recrementa ultimæ digeſtionis. 207, 5
Sudorifera laudantur. 360, 61
Suevia cupro dives. 127, 38
Suffitus à ſcholis penè ſupprimuntur, & recreant hypothy-

pothymicos, & ſanant plures morbos. 90, 43

Suffitibus ſua apocrypha annexuit ſatam, unde ars primo ſuſpecta, mox inculta manſit. 93, 21

Suffituum laus. 90, 43

Suffocatio à carbonibus & ejus cura. ibid. 54

Sulſura igne accenſa in Gas tranſvolant. 89, 34

Sulſur vivum ſublimatum ab aloë, & ſimilibus nihil proficit Aſthmati. 211, 39. *optimè ſolutum Aſthmati ſubvenit.* ibid.

Sulſuris ſumus cum potu connexus Aſthmati prodeſt. 301, 76, 77. *cadum vini à corruptione præſervat, & liberat.* ibid.

Sulfur metallorum eſt internum ipſi mercurio. 57, 17 *à corroſivis intactum manet.* ibid.

Sulſur vitrioli optimum ad vitam longam, & agit in humidum radicale. 473

Sulfur Philoſophorum indigetat. ibid.

Sulſur concreti, & ſulſur carbonum ſunt ejuſdem ſpeciei. 151, 42

Sulfur eſt actus ſeminis. 332, 66

Sulfuris præparatio officinarum, inutilis. 376, 54

Sulſur vitrioli eſt ſoporiferum. 274, 7. *fixum autem non.* ibid. *eſt dulce mellis inſtar.* ibid. 9

Sulſuris flores, & lac, vana in tuſſi, & aſthmate. 292, 37

Sulſur cum oleo lini coctum fætet. 344, 70

Sulſur Veneris, Stibii, & Glaure Augurelli. 365

Sulfuris flos, ſolutum in tuſſi. 250, 64. *anodina vis eluceſcit.* ibid.

Sulfuris embrionati ſal eſurivum fit præſtantiſſimum vitriolum. 551, 22. *è perfecto ſulfure fit ſal vilior vitrioli.* ibid.

Sulſur vitrioli Veneris ſoporiferum, melle dulcior. 246, 41

Sulfur vitrioli è ſpiritu viridi fit. 275, 9. *præparatur cum ſale armoniaco ad vitam longam.* ibid.

Sulſur totum ſemel diſſolutum fixatur in terreum pulverem. 87, 24

Sulfura, diſtillando concreti ſemẽ non deponunt. 89, 34

Sulſuris acidum mutatur in ſale tartari. 168, 7

Sulſur rei plerumque acutum ſalis volatilis ſaporem retinet. 150, 38

Sulſur ſanat ſcabiem. 257, 11

Sulſur embryonatum vitrioli elevat ſpiritus ſalis petræ. 387, 65

Sulmonis ſtomachus ſemper jejunus. 94, 29

Surculus arboris herbaſcens quantum olei dat veris tempore, quantum in Februario. 329, 48

Surditas ab inferis. 272, 49

Surſum alterius relatione eſt infra. 139, 38

Sus Bruxellis natus capite humano. 240, 7

Sus phaſeolum non edit. 164, 26

Suſpendium arterias claudit. 273, 48

Suſpenſis quare in momento perit facultas princeps cerebri. 147, 24

Suſpenſorum corpora in patibulo non relinquenda ex lege Divina. 612, 118

Suſpirioſus ex conſtipatione aſperæ arteriæ. 357, 49

Suſpirium unicum plus refocillat, quam plures parvæ. 149, 33

Syllogiſmus à Logiſmo. 20, 31

Sylphones unde. 540, 81

Symmiſtæ rerum naturalium metum Archeo incutiunt. 381, 29

Sympathetica unde dicta. 218, 36. 616, 151

Sympatheticum magneticum unguentum, & magneticum armarium in quo differant. 595, 2

Sympatheticus pulvis Ericii Mohi exanimatur. 489

Sympathia non eſt ſemper magnetica. 617, 161

Symphitum, contra oſtium fracturas. 367, 5

Symptomata, vel fructus in morbis ſunt calor, & frigus. 400, 73

Syncope ex Gas. 89, 41

Syncopes virginum uterinæ, pulſus eſt minimus. 153, 51

(in) Syncope venenum eſt anodynum, & diſperſivum ſpirituum. 268, 26

Syncope ex ore ſtomachi. 230, 6. 243, 19

Synoniæ utilitas. 235, 9

Synonia contaminata ab Archeo. ibid. 10

Synonia quid ſit. 314, 15, 20

Syrupi, & illinctus nocent. 359, 55

Syſtema rerum. 139, 38

Syzigiæ Cælorum in omnibus. 604, 55

Syzigia lunæ in mari. 547, 21

Syzigia luminis. 139, 91

Syzigia æmulatur aſtra. 488

Syzigium aſtri, notat lunaticiſmus. 33, 8

T.

TAbacum nocet. 592

Tabaci fumus ſtomachum flavedine tingit. 212, 46

Tabarzit ſaccharum ab aliis laudatum ridet au- 376, 57

Tabem curavit remedio Paracelſus. 354, 43

Tabernaculum in ſole poſuit Creator luminum. 113, *thor.* 38

Tabes ex corruptione roboris innati. 250, 65

Tabis ſanandæ difficultas unde. 177, 64

Tabes ab obſtructione. 357, 49

Tabes pulmonis errore orta. 361, 63

Tabidum ſputum in pulmoniacis. 492

Tabes ex mucco mordace. 212, 44

Tabis remedium lac perlarum. 384, 43

Tabem minatur Laringis debilitas. 212, 43
Tabe, integræ familiæ pereunt. 589
Tabidorum ſputa flava ac cinerea ſunt errores vegetatrices in pulmone, & cruor degeneratus. 354, 39
Tabidi ulceris pertinacia. 320, 21
Tabes ex errore diſtributivæ. 492
Tabes à vita ſedentaria. 299, 68. non à ſiccitate. 256, 6
Tabula ex biſmuto inſervit, ut vitirolum viriditatem amittat ſuccinoque communicat. 598, 22
Talcum non reagit in ignem, quamquam non abſumatur ab eo. 267, 24
Talpæ pellis, & cruor panaritium ſanant. 471
Talpa terram loco dimovere poteſt 46, 17
Taliſmanica ſcurrile, ac diabolicum inventum. 309, 62
Tarantula parem ſibi parit virus. 247, 50
Tarantulæ ictu percuſſi tripudiant. 616, 149. tripudia unde. 495
Tartarum excrementum alterum in nobis. 400, 10
Tartarus acidus appetitui inſervit. 168, 12
Tartarus non eſt ciborum, & potuum tribulus, & ſpina. 125, 22
Tartaro intus recepto, & coagulato ſpadanæ conveniunt. 553, 2
Tartari ſal unciæ ſex diſſolvunt crudi uncias ſeptem. 190, 19
Tartarus diſtillatus ex unciis. 16. unicam dat aquæ, ſalis duas. 13. olei. 332, 68. 150, 39
Tartarus ad abſtergendas ſordes propinetur. 204, 12
Tartarus diſtillatus eructat Gas. 344, 68. ejus oleum continet alkali volatile. ibid.
Tartari doctrina Paracelſi ſparſim collecta contrahitur. 187, 7
Tartarus quomodo concreſcat in dolio. 189, 6. crudus diſſolvitur iu ſuo ſale. 190, 19
Taulerus animam in duas partes diviſit. 216, 21, 22
Taulerus veridicus. 15, 7
Taurinam pinguedinem recipit unguentum armarium. 595, 2
Taurinus ſanguis toxicus non item bovis. 613, 120
Taurina caro cur non ſit venenoſa. 143, 49
Telis aranearum ſimiles Aſtrologi. 102, 46
Temperamenta & elementa negantur. 45, 10
Tempus quid. 502, 5. negatur. ibid. non eſt de prædicamentis. 504, 31. nihil commune cum motu. 502, 4. ferè idem cum prioritate. 505, 34. ejus vera proprietas. 504, 29
Temporis menſura. 508, 50
Tendinum dolores obeſorum humana axungia linita ſublevat. 386, 58
Tenuiſſimus cibus dandus in acutis ſuadet Hyppocr. donec appetitus reſurgat. 365, 22
Terræ mucilago, quæ vermes gignit glaciata in aquam redit. 150, 35
Terra permanens matrix eſt non mater. 45, 11
Terra intrinſeca frigent æſtate Hyppocratis. 552, 2
Terra virginea eſt ſabulum (quellem) reliqua omnigena terræ fructus. 44, 3
Terræ ineſt ordo producendi ſtatutos effectus. 30, 26
Terræ tremoris finis eſt, ut peccator ſe emendet, & juſtus ſibi caveat à peccando. 83, 33
Terra in aquam reducitur. 85, 1
Terra elementalis eſt quellem. 43, 12
Terrra diverſa juxta Cœli, & ſtellarum influxus. 545, 3
Terra non movetur. 46, 16
Terra inanis, & vacua, quomodo interpretandum. 126, 34
Terebinthina, & nux myſtica in lotio ſpirent eundem odorem. 446, 12
Terror, & triſtitia præcordia afficiant. 244, 25
Teſtium actio regiminis. 270, 42
Teſtamentum Paracelſi apocryphum putatur 501
Tetano generali relinquit homo moriens cadaver ſuum. 337, 14
Thebe decuplo calidior noſtra regione. 603, 51
Theologi practici ſunt myſtici. 614, 134
Theophraſti vita 187, 3
Thermæ, & balnea plures defectus reconciliant. 360, 61
Thorexis generoſi vini potus famem, quare ſolvit? 450, 11
Tiliæ Alkali valet ad vulnera. 238, 20
Timor frigefacit. 400, 76
Tinctura lilii eſt mercurius vitæ Paracelſi. 384, 44
Tinctores unica cortina tincturæ varios colores mutant. 365, 22
Tincturarum morbi ſunt lepra, lues Veneris, & ſimiles. 553, 4
Tolle iſtud apothecæ habens odorem. 372, 38
Tonitrui vox terribilis terram verberat. 74, 22. remedia. ibid.
Tonitru terruit puellam. 244, 25
Tormina inteſtinorum ab acido. 321, 25, 26, 37. 172, 37. 236, 11. ex lienari fermento. 495. ex chylo concepto. 182, 10. ex deficiente ſtomacho. 233, 32. ex ſtercoreo fermento. 180, 81. ex malè digeſto chylo. 344, 71
Torturæ noctis morbi concentrati ſunt. 252, 11
Tortura noctis. 361, 67, 498
Tuſſis ab endemicis occaſionaliter. 490
Tractatu de vita longa ſcripſit, quæ ſciebat vera. 500, 118. 81, 417, 50. 462. 178, 26. 159, 16. 404. 93. 260, 24. 493

Tranſmu-

Tranſmutatio formalis præſupponit fermentum corruptivum. 87, 19

Tranſmutationum radix eſt in ſulfure. 57, 17

Tremores manuum ex ſtomacho. 182, 10

Tremor ex ſtomacho deficiente. 233, 32

Tria principia animalium. 43, 11. *plantarum.* ibid. *omnibus inſunt.* 493, 163

Tria è concretis ſeparavit citra empyreuma. 151,43

Tria principia chymica utitur ad diſtinctionem heteoregeneitatis corporum concretorum. 332, 65. *tria, quædam non continent.* 329,49. *ſunt in aqua analogo ſenſu.* 55,7. 330,53. *ſunt nuperum inventum non verum.* 329,46. *ex quibusdam eliciuntur, creantur, non præexiſtebant.* ibid.

Tribuli, & ſpinæ quid. 124, 22

Triſtitia rodit vitam hominis. 442, 9. *non ens.* ibid. *quare continua ſuſpiria.* ibid. 10. *refrigerat.* 625

Trutta recta linea ſcandit. 542, 89. *ejus prolificatio.* ibid. *in Lacu Lemano.* ibid. 93

Tumores indolentes excitat latex aliquando. 306,37

Tumores ex Pylori errore. 182,10

Turcois magnæ virtutis. 386, 62

Turgidum crus pituita putata. 304, 23

Tuſſi, remedia vulneraria proſunt. 211, 41

Tuſſis ex non corrizza pleuritica ſanant. 299,68

Tuſſis tabida ex læſione aſperæ arteriæ. 212, 44

Tuſſis remedia ſcholarum. 211, 27

Tuſſes laudano Paracelſi ex ſulfuris flore ſanatur. 249, 62

Tuſſis poſtulat oblæſæ facultatis commutatricis redingrationem. 289, 7. *differt ab aſthmate.* ibid. 8. *oritur ex ſenſu noxii laryngem infeſtantis.* 211,39. *ex corizza quomodo cognoſcatur.* 298, 66, 67, 68. *ſoporiferis ſublevatur.* ibid. *Quidquid tuſſis ejicit, fit in camis pulmonum vitio proprio.* 288, 2

Tuſſes recurrunt. 346, 4

Tuſſes ſenii difficulter reſtaurantur. 347, 8

Tuſſis à cuſtode errante. 298, 63

Tutiæ præparatio, officinarum nihili eſt. 375, 51

Tyberis origo. 542, 89

Tychonis opinio de lunæ lumine. 114, 48

Tympanites non eſt ventus ipſe. 411, 20

Tympania quid. 341, 44

Tympanites differt ab hydrope. 416,43. *eſt flatus cadaveroſus à convexo inteſtinorum natus.* ibid. *ſanata per ſalſa.* ibid. 46. *eſt flatus, qui extra inteſtinum clauditur.* 333, 33. *ex cauſa morbifica.* 341, 51

Typographorum atramentum ex ſæce vini, vel tartaro. 190, 20

V.

V*Acca deglutivit cultrum.* 477, 7

Vacuum in natura. 68, 6, 7. *probatur per ellychnum in lagena.* 68,8. *compreſſione aëris oſtenditur.* ibid. 5, 70, 18. *per candelam mutans aquam in Gas.* 68, 7

Vapores craſſos non vidit Author diſtillando. 241, 17

Vapores cæci, & tetri halitus in cor, & caput delati ſunt ancora ſacræ ignorantiæ ſcholarum. 269, 36

Vapor ſemiſalſus nocet. 592

Variolarum foſſulæ confeſtim apparent. 148,26

Variolæ è veneno cruorem inficiunt. 578

Vbera ut ſterileſcant. 598, 21

Vberbein. 497

Vegetabilia cuncta non lignoſa ſpiritum vini dant. 333, 73

Vegetabilia quomodo ex pluvia. 94,32. *omnia ex ſola aqua.* 86, 12. *cum adjutorio fiunt aqua.* ibid. *per mechanicam demonſtrantur.* 88,30

Venenorum claſſes. 373, 45. *encomia, & laudes* ibid. 46

Venæ poſt mortem hominis, vita quadam illuſtrantur. 319, 15, 588

Venæ ſectio in Pleuritide maledicta ab Authore. 321, 31

Venæ in ſtomacho ad quid. 175, 52

Venæ ſectione qui curant, & aliis virium diminutionibus errant. 498

Venæ ſectio in menſtruis deficientibus. 588

Venena in omnibus. ibid. 44. *Vegetabilium examinavit Author.* 222, 12. *agunt ſpecifica proprietate.* 385, 47. *inter entia realia locum habent.* 130,59. *quomodo agunt.* ibid. 58. *quomodo necant.* 578. *cuſtodiunt remedia mentis.* 227,46. *animantatorum oriuntur ex perturbationibus.* 382,29. *viperarum.* ibid. *mineralium.* ibid. *Vegetabilium.* ibid. *eryſipelatis ex ira Archei.* ibid. *quædam ſunt irrita, niſi in apertam cutim differatur.* 472

Veneni guſtus placidus quid ſignificet. 580,72

Venerea flatulenta Galeni. 342, 57

Veneris ens primum non poteſt ſequeſtrari, niſi per mortem, & ſeparationem mercurii ſui. 474

Venerem ac ſalacitatem renibus ſcholæ tribuunt. 246, 42. *negat Author.* ibid.

Veneri renes non ſerviunt. 588

Veneris motus ſentitur circa ſtomachum. 247, 43

Veneris, & crapulæ debilitates quomodo reſtaurentur. 627

Veneris moleſtia, & nidus Lien. 290

Venus ex ſplene, & ſtomacho. 276, 15. *longævitatem*

tem impedit. 592. vitam affatim exhaurit. ibid.
Veneris actus animæ ſenſitivæ officium. 246, 42
Venus ſtella maxima poſt ſolem. ibid.
Venti non poſſunt diſcuti. 338, 19
Ventus eſt in ſtomacho, & inteſtinis. 339,32
Ventus in torminibus inteſtina non tranſit. 174,47
Venti quando cladem inferunt. 62, 26
Venti proprii ſunt, & certi Provinciis. 126, 33
Ventus inteſtina non humectat, non penetrat. 174,48
Ventres natura hieme calidiores, quàm æſtate. 153,54
Vera Margarita non habet farinam. 765, 8
Veratrum in Tridentino tractu non purgat. 603,51
Verbenæ virtus. 481, 8
Veritatem aperire vix licet ſine æſtimationis læſione Authorum prægreſſorum. 19,9
Veritas eſt ens reale verum. 20, 27
Verecundia calefacit per Blas. 400, 76
Veredarii veſtigia inſtar ſequimur ſtellis. 13,5,6,7
Vermes ex indigeſtis cibis. 344,69
Vermes in vulneribus. 153, 52
Vermes terræ è mucilagine ipſius. 150, 35
Verrucæ affrictu pomi quomodo diſpereant. 125, 29. ut evaneſcant. 115,55. ſunt carnis fungi. ibid. 30
Vertex eſt gulæ perpendiculum. 276, 14
Vertigo eſt virus rotans. 268, 25
Vertigines ceſſant aſſumpto jentaculo. 181, 23
Vertigo ex debili ſtomacho. 233. 32. ex mucilagine putida in amarorem prona, ſtomachi. 236, 11. & 237, 17. Quare ſenſum, & motum ceſpitare faciat. 498. à crapula per vomitum tollitur. 294, 51. à cibis. 242,19
Veſalius convincit Galenum. 245, 32. centum, & ſexdecim in locis convincit Galenum erraſſe, & diſſectionem corporis humani non vidiſſe. 240, 43
Veſpertilio mus, glis, &c. noctu cernunt. 144, 49
Veſſicæ ulcera non ſanantur à lapidibus cancrorum. 138, 23
Veſſica ſuilla ſale plena, ab aqua penetratur. 144,48
Veteres odoribus mentem ad ſtudia proritarunt. 93,21
Victus ratio ad morbos. 365, 25
Vigilia, & ſomnus, ex ſplene, & ſtomacho. 276, 15
Vigiliæ cum ſolicita meditatione Aſthma excitant. 294, 51
Vigiliæ, & ſomni remedia ſunt ſtomachica. 244,26
Viginti, & uno ſæculis ſcholæ mundum ineſcarunt, & impoſuère. 7, 1
Vilvordiæ ſe ſubduxit Author. 11, 7. perluſtravit. tria regna curioſa analyſi per ſeptennium. ibid.
Vini differentia in potatore. 245, 31
Vinum turbatur dum vitis floret. 488
Vinum quando nocet. 182, 10
Vinum quare multiforme inebriat. 499. quare variat diverſis in locis. 435, 31. totum mutatur in acetum, & quomodo. 175, 50. inſolatur ut à ceſcat 188, 2. conſervatur in frigido. ibid. 3. pervertit vulnera. 238, 22. uſus in vulnere, & febri. ibid. 20. ad Hilaritatem eſt conditum. 432,6
Vinum ſaporem proprium amittit ſi in eo coquantur lapides cancrorum. 238, 22. quare ſcholæ univerſaliter prohibuerint. ibid. inſolatum, fit acetum. 189, 8
Violenta mors facit cadaver flacidum. 337, 14
Vipera in Theriaca. 275, 51. ejus caro innocua. ibid. paſtilli ex eo parati elixando in jure relinquunt vires. ibid.
Viperarum venena ex ira, invidia, furore. 382,29
Viperini dentis ictus hominem ſternit. 375, 52
Virgines abſque pulſu per horas vidit Author, inter mortuas & deploratas reviviſcere. 146, 19
Virgo Dei Genitrix, quare luna ſub pedibus. 585
Virgo hyſterica. 267, 20
Virgo deficiente menſtruo pluribus morbis obnoxia. 553, 5. chalybem ſumens vomere ſolet. ibid. 14
Virtus oppoſitum habet vitium de natura privantis. 139, 38
Virtus, & veritas ſuos ab ortu habent mox comites æmulos. 7, 3
Viſcera internum Blas formant ad typum ſui aſtri. 145, 5. planetas præcurſores elegerunt. ibid. aluntur ſanguine non cruore. 177, 64
Viſus à quadrageſimo anno hebes, longævitatem contra, promittit greſſus. 588. ſuum objectum in inſtanti percipit. 126, 35
Vita in abſtracto eſt ipſe Deus. 147, 23. lumen, forma, & anima ſenſitiva, quaſi unum fiunt. 148, 31. eſt natura, & ipſa morborum medicatrix. 318,9
Vita participativa. 588. quævis ſuperat humanum intellectum. 449,6
Vitales facultates non retroeunt, ut cruor qui reſtauratur. 379, 16
Vita alia principiat in ſplene, alia in muſculis, & alia in utero muliebri. 590
Vitam ſui mediam quæ pertinacius conſervant, non facile ab Archeo ſuperantur. 386, 55
Vitæ impedimenta. 592
Vita media roſarum. 354, 79
Vitæ longæ ſpeculatio. 592
Vitæ fons ſtomachus. 450, 7
Vita humana eſt lux formalis, cujus exſufflationem mors è veſtigio ſequitur. 147, 23
Vitæ fomes quid, & quare nemo indagavit? 146,18
Vitæ intimam eſſentiam verbis propriis, & etymo à priori deſcribere eſt impoſſibile, quia verba deſunt. 147,23
Vita non eſt ignea depaſcens humidum radicale. ibid.
Vitæ eſſentiam, licet Deus alicui in concreto oſtendiſſet,

ſet, ſuum tamen docendi honorem, nulli unquam tribuet creaturæ. ibid.

Vita media manet in Archeo tranſmutato, non ſecus ac forma oſſis defuncto homine. 122, 8

Vitæ mediæ variæ proprietates. 125, 25. *reſiduum ſunt tribuli, & ſpinæ.* ibid. 22

Vita media ineſt aquæ, cui proprium eſt Archeum excitare. 204, 14

Vitales omnes poteſtates è ſtomacho. 248, 58

Vitæ brevis cauſæ. 626

Vitæ mediæ qualitates ambulatoriæ. 127, 44

Vita media dicitur reſpectu duarum extremarum. 67, 27. *prima gliſcit in ſeminibus, media in Embrione, ultima cum totalis perfectio conſtituti adeſt.* ibid.

Vitis dum floret turbat vinum, & quare? 605, 63

Vitriolum veneris optimum quomodo fiat. 550, 12

Vitriolum optimum fit cum ſale ſulfuris embrionati. 551, 22. *Vilior fit cum ſale ſulfuris perfecti.* ibid.

Vitriolum ſanat eminus. 470. *abſens vulnus ſanat.* 456. 14. *Hæmorrhagiam ſanat.* 473

Vitrioli ſulfur contra vertiginem. 243, 19. *calidum.* 246, 40

Vitriolatis vomitoriis curavit inſperatos Author. 418, 4

Vitrum in terra, aquæ leges ſubit. 95, 33. *viride fit candidum per magnetem.* 615, 143. *fit aqua.* 46, 16. *non eſt ultimum artis ſubjectum, & reducitur in ſabulum.* ibid. *facilioris digeſtionis cryſtallo rupeo.* 186. 29

Vitrum per fracedinem fit arena. 384, 37. *ex aqua.* 89, 36. *in terram ſepulta fraceſcit.* 125, 15. *poros non habet.* 401, 77. *ſplendet ignitum in aquæ fundo.* ibid. *quomodo fiat.* 332, 66

Vitulus dementat. 485, 21

Vituli diſſectio. 171, 35

Vlcera varia cacoëthica. 305, 33

Vlcera, & vulnera ſanat perſicaria magneticè. 599, 29. *odoribus leniuntur.* 93, 17. *varia caterva unde emergant.* 488. *Inteſtinorum difficilis ſanatio.* 177, 64. *externa pejora, oretenus ſanantur.* ibid. *mitigata, irritantur abſtergentibus.* 256, 26. *quomodo fiant.* 257, 12. *medentur colcotare.* 261, 35. *ſexaginta ſanat arſenicum fixum, & quare.* 295, 31

Vlcera interna qua via ſolidantur. 354, 43. *quæ aluntur à principio interno ſpectant ad Phyſicum.* 491

Vlceris radix eſt in fundo, & margine. 258, 21

Vlcerum corroſio ab acido. 319, 14

Vlcerum venena necat arſenicum, & auripigmentum. 375, 52

Vlceris in pulmone ſanatio. 354, 43. *in fæmore potu ſanatur.* ibid.

Vlcus novum morbum ſuſcitat. 399, 70

Vlcuſcula in ſinu cordis reperta. 495

Vnguento ſuperantur morbi quamplurimi. 93, 17. *odor intrò ſerpit, & agit.* ibid.

Vnguenta ad loca pulſuum irrita. 154. 2. *quando calida applicanda.* 376. 58. *apponenda ubi à centro foras eſt ſanatio.* ibid.

Vnguentorum vires. ibid.

Vnguentarius conficit pigmenta ſuavitatis. 472

Vnguentum armarium recipit pinguedinem taurinam. 613, 121. *magneticum quomodo ſanat.* 618, 165

Vngula alcis epilepſiæ amuletum. 600, 35

Vngula jumentorum ad dyſſenteriam. 270, 41

Vnguis differt ab aliarum partium digeſtione. 252, 31

Vngues renovantur. 626

Vniverſale ſolvens chymia parat. 387, 66

(ex) *Vniverſali ſeminis ſpiritu inoleſcunt ſingulorum organorum rectores.* 588

Vnio dum putreſcit ſub ſterquilinio agens non eſt perfectius patiente. 117, 60

Vnitas non eſt contraria binario quamquam recedant diſcreta per alteritates. 139, 38

Vnum, & utile eſt in intellectu, pluralitas verò ſive diviſio in ſenſu. 34, 7

Voluntas eſt primum movens, movetque ſeipſum & ens ſeminale. 145, 9

Volucribus fermentum potens eſt. 164, 22

Volvulus non eſt minoris inteſtini aliqua contorſio. 338, 28. *remedium.* ibid. 31. *à duriore excremento.* 345, 78

Vomica vix tuſſes tabidas parit. 212, 44. *unde oriatur.* 357, 49. *pulmonis rupta, ſtatim mors.* 361, 63

Vomitoria & purgantia, qui agunt. 758, 23

Vomitus niger malus. 185, 28

Vomitus ex male digeſtis. 495. *à clauſo Pyloro.* 182, 11. *varii coloris.* ibid. 12. *flavi excrementi in tertianarum initiis æruginoſus mortem cauſavit.* 210, 27. *à carbonum fumo.* 212, 46. *gravidarum unde.* 582. *cauſidicum ſanavit.* 240. *vertiginoſis prodeſt.* 240, 19

Vomitus à diſtorta pede. 184, 20

Vomitus gravidarum unde. 581

Vorago in quam naves abſorbentur. 47, 3

Vſnea quare in ſolo cranio. 603, 51

Vſneæ virtus, & generatio. 602, 44

Vſnea pro unguento armario. 618, 166. *è cranio ſuſpenſorum, vel rota interemptorum.* 595, 2

Vſneæ ſemen è cælo cádit in agrum calvariæ. 601, 41

Vrinam faciunt renes. 446, 13

Vrina, & latex differunt. 413, 24
Vrina lactantis olet oleum aniſi, quod nutrix ſumpſit. 128, 48. aquoſa mox à potu, ſub pylori errore. 171, 29. fit in ſuis officinis. 303, 10. quale excrementum. 207, 5
Vrinæ ardorem ſedat lapis cancrorum. 239, 25
Vrinam movent oſſifragium, lapis cancrorum. 446, 12. cieatur à ſpadana, & non ſudor. 555, 11
Vteri ſuffocatio. 267, 21. claves gerit ſtomachus. 247. 46. quos effectus pariat. 478, 12
Vterus diſcurſus obnoxius.
Vterum in diverſos furores agitant perturbationes. 289, 15
Vterina remedia incognita hactenus. 248, 54
Vterina quædam ſymptomata vix ab incantamentis diſcernuntur. 271, 45. pulmonis tunicam ſtringunt. ibid.
Vterina phantaſtica. 484, 14
Vterus à morte mulieris ſæpè tumultuatur. ibid. 46. necat. ibid. ſymbolizat cum anima ſenſitiva. ibid. non tranſmittit vapores ad caput. 361, 63. regimen in totum corpus. ibid. eccentricum blas motivum excitat. 286, 8
Vterini affectus varii. 383. & ſeqq.
Vteri ſtrangulatus. 141, 45
Vterus unicum tendinem ſtringit. 270, 43. gulam ſtrinxit. 292, 31. quomodo concipiat. 481. virginis duorum digitorum vix amplitudinem oſtendit. 500 cordi æquiparatur. 431, 2
Vteri membrana tragædias concitat. 169, 18
Vterus contractus ſub conceptu ſe pandit. 481. conſideratur ut domus vacua. 129, 50
Vtile & unum qui novit, is novit plura particularia: non è converſo. 35, 4
Vva comeſta peperit morbidum Gas. 87, 16. Hinc dyſſenteria, tormina, &c. ibid. 17
Vva paſſa in elementalem aquam diſtillando deducitur. 89, 38. recens vulnerata muſtum, & Gas exhibet. ibid. quomodo fit paſſa. 271, 64
Vulnera, & ulcera odoribus exaſperantur, vel miteſcunt. 93, 17. ſanantur ſine acceſſu Alkali. 238. fiunt ulcera, & quando. 451, 4. veſſicæ quomodo curantur. 171, 30. interna oſſifragus ſanat. 452, 17. ſtomachi læthalia. 230, 4. fellis mortalia 171, 30
Vulnera introducunt exoticam qualitatem. 607, 71
Vulneraria potio continet Alkali. 153, 53. eſt lapis cancrorum. ibid.
Vulnerarii potus non potiuntur ampliori privilegio, quam reliqua pharmaca. 451, 14. proſunt tuſſi. 159, 41
Vuneraria fabricantur in ſtomacho. 443, 11
Vulnerariæ herbæ operantur alkali virtute. 238, 20. reviviſcunt mercurium. ibid. potiones ſanant vulnera artuum. 233, 32
Vulnerum corruptionem necat colcotar. 261. 35. Balſama è corio humano. ibid.
Vulnus difficiliter curatur ſi lunæ radii illuxerint illud. 115, 54
Vulnus modicum curatu difficile, & quare. ibid.
Vulnus in pede ſanatur ab alkali cancrorum ore ſumpto. 238, 21
Vulnus poteſt ſanari abſque labiorum tumore, dolore. 403, 85
Vulpes annoſa callidior juniore. 21, 34
Vulpis pulmo perperam in tuſſi. 211, 37
Vultus humanus infinitis varietatibus. 164, 23
Weed-aſchen cineres è Scandia. 150, 39

X.

XEnexton ſuccini. 615, 145. ad fluorem ſanguinis. 141, 45. ſeptem planetarios pulſus conſtrictus ad peſtem. 601, 37

Z.

ZEnit Cæli punctum. 605, 65
Zelotypiæ æmulatio dura eſt, ut infernus. 387, 11
Zibetum acquirit fragrantiam à putredine. 334, 81. fœtidiſſimum dat excrementum. 341, 46
Zinzilla quid. 602, 50
Zinziber profert multum ſudoris. 203, 9
Zooſophia animalium proprietas. 132, 6, 7
Zoophitæ vivit lien. 247, 50

FINIS.